Digitized by Google

8
8 M
36
A
VIII
3

LEGATIO ECCLESIÆ TRIVMPHANTIS

AD MILITANTEM,

PRO LIBERANDIS ANIMABVS PVRGATORII,

IN DVOS TOMOS,
TRES VERO LIBROS
DISTRIBVTA.

TOMVS PRIMVS

COMPLECTENS
LIBRVM PRIMVM ET SECVNDVM.

Cum
Multiplici Indice
I. Argumentorum in capita
II. Scripturarum explicatarum
III. Scripturarum applicatarum
IV. Qualitatis Auctorum citatorũ
V. Locorum communium
VI. Rerum memorabilium.
VII. Exemplorum.
VIII. Meditationum.
IX. Concionum per annum.
Dominicis, Festis, Octauis
Quadragesimá et
Aduentu...

LEGATIO ECCLESIÆ TRIVMPHANTIS AD MILITANTEM,

PRO LIBERANDIS ANIMABVS PVRGATORII COMMVNIBVS CONCIVIBVS, LIBRIS TRIBVS SOLIDE LVCVLENTERQ; EXPLICATA:

I. Quàm vera ac tremenda post mortem purgandorum supplicia.

II. Quàm iis relaxandis varia faciliaque penes viuos remedia.

III. Quanta eorum qui his animabus suffragantur, sint merita.

Accessere et alii Concionum Indices:
I. CATHOLICARVM, quibus per anni ... controuersiarum substantia aduersus hereticos exhauritur.
II. MYSTICARVM, quibus per idem tempus vita spiritualis delineatur.
III. MORALIVM, quibus itidem per annum virtutes omnes, quæ ad mores spectant, pro vulgaribus exponuntur.

EDEBAT
R.P.F. ELIAS A S. TERESIA
Antuerpiensis. Prouinciæ Belgicæ S. IOSEPH
Carmelita Discalceatus.

ANTVERPIÆ
APVD IACOBVM MESEVM
MDC.XXXVIII.

Abr. van Diepenbeeck inuen.
Alexander Voet Sculp.

CVM PRIVILEGIIS CÆSAREO ET MAIESTATIS CATHOLICÆ.

BEATISSIMO
IOSEPH
PATRIARCHÆ
PRIORIS TESTAMENTI NOVISSIMO, POSTERIORIS PRIMO,
SANCTISSIMÆ DEI GENITRICIS
MARIÆ SPONSO,
DEI AC SALVATORIS NOSTRI
IESV CHRISTI
TVTELARI, NVTRITIO, PATRIFAMILIAS,

Suo peculiari Patrono aliorum hîc collectos labores minimus eius cliens offerebat.

OLENT, qui libros in lucem edituri ſunt, illuſtrem aliquem aut principem virum, ſub cuius auſpiciis Opus ſuum publici iuris faciant, deligere. At ego, vtpote cui ſemper exploratum fuit, ad ſpiritualem fructum (qui in euulgandis lucubrationibus vel maximè ſpectari debet) à Lectoribus colligendum, nimis quàm parum præſidij ab hominibus poſſe proficiſci; ad Te, ô Sanctorum Primas ac Anteſignane, DIVE IOSEPH, oculos animumque conuerti. Etenim penitus mihi fore perſuaſi, vt patrocinio ac interceſſione tuâ ſuffultus, ſcopum, quem huic ſcriptioni meæ præfixi, facili negotio attingam; atque horum lectione ita viui accendantur, vt & mortuorum animas è Purgatorio quàm promptiſſimè liberent, & cæleſtium ruinas feliciſſimè inſtaurent. Neque verò eſt, quòd, vt externum mihi præſidium deſit, pertimeſcam: modò enim tenuis hic labor meus Tibi placuerit, Tu haud dubiè inimicos meos conuertes ad pacem. Quod vt firmiter credam, Ordinis noſtri Carmelitani ſanctiſſima Reformatrix TERESIA me inuitat. Hæc enim, præterquam quòd in ſacris ſuis Monitis Chriſtianos omnes adhortetur, vt Te potiſſimùm ſibi apud Deum Patronum, qui maxima ſcilicet impetrare poſſis, adſciſcant; libro etiam Vitæ ſuæ cap. 6. nihil eſſe, quod non tuâ interceſſione obtineatur, multis affirmat. Verba ſanctæ Matris hæc ſunt: *In Patronum verò & Dominum ſelegi glorioſum virum* S. IOSEPHVM, *eiuſq; me patrocinio vnicè commendaui. Liquidò deinde perſpexi, ſanctum hunc Patrem & Dominum meum, tam ab hac me neceſſitate, quàm aliis maioribus, in quibus de anima mea & honore & perditione agebatur, liberaſſe; idque maiori meo bono, quàm eum rogare potuiſſem. Non memini me aliquid ab eo hactenus petiiſſe, cuius me compotem non reddiderit. Et verò admirationem merentur magna illa beneficia & gratiæ, quæ glorioſi huius viri interceſſione mihi Domi-*

nus

nus concessit, nec non pericula, tam corporis quàm animæ, à quibus me liberauit. Nam aliis Sanctis gratiam Deus dedisse videtur, vt in vnâ necessitate inuocantibus se opitulentur; sed hunc gloriosum virum ego experta sum in qualibet necessitate adiuuare & adesse. Adeò vt Dominus nobis indicare velle videatur, quòd, quemadmodum illi in terrâ viuenti subditus fuit, (nam sicut pater illius dictus fuit, cùm nutritius eius & sustentator esset, ita & imperare pro iure suo illi potuit) sic ei existenti in cælo nihil eorum quæ petierit, deneget. Quod etiam alij nonnulli, quibus vt ei se commendarent, suaseram, reipsâ xperti sunt. Vnde iam plurimi sunt, qui singulari quodam affectu erga eum feruntur. Et iterùm: *Persuadere omnibus omnino vellem, vt mirificè erga gloriosissimum hunc virum afficerentur; quòd sæpiùs experta sum, varia illum bona & gratias à Deo obtinere.* Denique: *Hoc solùm ex amore Dei peto, vt, quisquis mihi dicenti non credet, experiri velit; & reipsâ & experientiâ sentiet, quantum sequatur boni ex eo, quòd glorioso huic Patriarchæ se quis commende·, & eum particulari aliquo obsequio colat, speciatim illi qui orationis studio tenentur.* Hactenus sanctæ Matris nostræ TERESIÆ sunt verba; quæ cum reliquis eius scriptis à S. Rituum Congregatione, adeoque à Sede Apostolicâ, in solemni illius Canonizationis processu approbata, & velut à Spiritu sancto dictata, toti Ecclesiæ fuère proposita.

Sed mirabitur fortasse quispiam, quare, cùm tam sit eximius in sanctitate, tantæque apud Deum potentiæ, D. IOSEPH, tot tamen sæculis apud multos velut obscurus latuerit, neque peculiari vniuersalem per Ecclesiam cultu celebratus sit. Cuius generalis quidem illa ratio assignari potest, quòd iuxta S. Gregorium Magnum Hom. 16. in Ezechielem, nonnisi paulatim Ecclesiam suam Deus soleat illustrare, prout & in præcipuis Festis factum inuenimus. Etenim Omnium Sanctorum solemnitas primùm anno DCCC. XXXV. generaliter celebrari decreta est: & ipsius Saluatoris nostri Theophoria sub IOANNE demum XXII. Pontifice per vniuersum orbem frequentari cœpit. At si particularem huius causam requirimus, gloria hæc sacræ Ordinis nostri Reformatrici ex industriâ videtur esse seruata. Nam quemadmodum reliquis Religiosis Ordinibus semper speciale aliquod, quò & feliciùs orirentur, & vberiùs crescerent, concessum fuisse subsidium videmus: ita quæ Carmelum reformatura erat, nouo fuit, eoque efficacissimo, tanti Tutelaris præsidio, aduersus infinitas difficultates oborituras, præmunienda. In quo patronatus officio id fecisse D. IOSEPH dici potest, quod olim præstitit Patriarcha ille, qui huius vti nomen, ita & figuram, in veteri Testamento prætulerat. Iste enim, tametsi ad eum seniores fratres frumentandi causâ in Ægyptum descendissent, eorum aspectu, quò minùs se vt incognitum gereret, nequidquam motus est; at fratre suo Beniamino conspecto, *non poterat se vltrà cobibere, sed Ego sum, ait, Ioseph frater vester*: simili modo, quamuis plurimi Ordinum Fundatores, velut totidem Patriarchæ, iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ prodiissent, non priùs tamen, quàm Beniamina nostra comparuit, ac reformationem suam est auspicata, noster se IOSEPH manifestauit; vtque iam is ab omnibus agnosceretur ac celebraretur, TERESIAM cum suis, potissimam causam esse Deus voluit. In quo admirabile Spiritus sancti enituit consilium: quod enim fanaticus ille Psaphon fecisse legitur, id illa, quò cultum S. IOSEPHI promulgaret, in bonum est imitata. Volebat quippe Psaphon, haberi Deus: cuius desiderij vt compos fieret, psittacos plures edocuit inclamare, *Psaphon magnus est Deus.* Quibus hinc inde per siluas emissis, atque illorum exemplo aliis idipsum vbique personantibus, Psaphon, quod non erat, Deus credi cœpit. Ita Mater nostra TERESIA, omnibus Congregationis nostræ sectatoribus, veluti spiritualibus psittacis, singularem quemdam erga sanctissimum IOSEPH affectum adhortando instillauit: quibus per vniuersum orbem emissis, mirum certè non est, si horum clamore ac suasu reliqui Christi fideles eximiam erga eumdem Sanctum conceperint deuotionem.

Pro quo non sequentium solùm, sed & præcedentium temporum probationem habemus. Vener. Isidorus Isolanus, ex Ordine Prædicatorio, in libro quem de D. IOSEPHO conscripsit, atque ad Sedem Apostolicam, à quâ & probatus fuit, transmisit, sequentia in rem præsentem (vt euentus edocuit) prophetauit. *Spiritus sanctus*, inquit, *non deficiet à mouendis cordibus fidelium, donec omne imperium militantis Ecclesiæ exultans, diuinum* IOSEPHVM *nouâ prosequatur veneratione, condat cœnobia, Ecclesias ac altaria in eius erigat honorem. Festa celebrabuntur, & ei vota vouebunt & soluent cuncti. Aperiet Dominus aures præcordiorum intellectus, & viri magni scrutabuntur interiora Dei dona, abscondita in sancto* IOSEPHO, *& inuenient thesaurum optimum, qualem apud sanctos Patres veteris Testamenti non inuenerunt: pinguedo enim & abundantia donorum spiritualium in* S. IOSEPH *spiritualiter micuerunt, ita vt similis ei non inueniatur.* Quæ omnia, quasi ab ipso Isidoro oculis visa, ac post rem peractam pronuntiata fuissent, ea singulatim describunt quæ multis annis posteà à TERESIA Teresianisque in honorem D. IOSEPH facta sunt. Percurre singula, ac deprehendes, vsque adeò

cor

cor TERESIÆ à Spiritu sancto ad huius Patroni cultum promouendum inflammatum fuisse, vt quòd solemnitas illi per vniuersum orbem sit instituta, Monasteriaque ac templa non pauca in honorem ipsius dedicata, fuerit occasio. In quibus Superioribus nostris viuaciter adeò studium suæ imitationis impressit, vt in vnâ hac Prouinciâ Belgicâ (quæ & S. IOSEPHI appellata est) triginta ferè vtriusque sexus Monasteria, & nominatim hîc Antuerpiæ tria, sub illius Patriarchæ titulo exædificari curauerint. Qui affectus etiam ad exteros manauit: nam & fideles ad officium ipsius concelebrandum magno numero affluere, & sua ad eius templa, altaria atque imagines vota deferre cœperunt: in memoriam illius institutæ fuêre solemnitates, Processiones, Congregationes: atque ex thesauris virtutum ac perfectionum ipsius, concionatores ac scriptores disertissimi, incredibiles gratiarum vniuersarum diuitias in totius Ecclesiæ bonum protulerunt.

Patet igitur, meritò me D. IOSEPH in Libri huius tutorem, defensorem ac Mæcenatem delegisse: quo verò id à me fundamento factum sit, iam consequenter exponam. Inter alia ergo, quæ in solemni D. IOSEPHI Officio Ecclesia decantanda proposuit, est illa ex Redemptoris nostri verbis desumpta Antiphona: *Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram.* Ex quâ duo, quæ mirè ad rem faciunt, elici possunt. Primum est, etiamsi hæc verba aliis etiam sanctis attribui queant, propriè tamen & ad litteram in Christi Patrefamilias locum habere: hunc enim Saluator super suam, & quam in terris habuit, familiam constituit: adeoque, si ab iis quæ gratiæ tempore in IOSEPHO acta sunt, ad illa quæ in gloriâ succedere debuerunt, argumentari velimus; non absque fundamento dicere licebit, ipsum in prudentiæ ac fidelitatis suæ remunerationem, nunc in cælos assumptum, spirituali quoque Christi familiæ (hoc est, Ecclesiæ) esse præpositum. Secundum, idcircò de fideli illo ac prudenti seruo, quem Dominus super familiam suam constituit, in Officio illo adiungitur, *vt det illis*, vtique Christi fidelibus ac domesticis, *in tempore*, præsentis nimirum vitæ (quoniam post eam, tempus ampliùs non erit) *tritici mensuram*: *mensuram* inquam *tritici*, id est virtutum, secundùm Ven. Bedam; bonorum operum, secundùm S. Hilarium; consolationum in hoc sæculo, iuxta D. Gregorium; donorum Spiritus sancti, ac gratiarum, etiam gratis datarum, iuxta S. Hieronymum; sapientiæ, iuxta alios; & sic deinceps. Ad quorum clariorem intelligentiam obseruari potest, hanc spiritualium ac temporalium bonorum abundantiam, quæ per manus D. IOSEPH in omnes Christianos effunduntur, antiqui illius Ioseph Patriarchæ officio quod in Ægypto olim exercuit, egregiè fuisse præfiguratam. Verba sunt D. Bernardi Homiliâ 2. super Missus: *Quis & qualis homo fuerit beatus Ioseph, coniice ex appellatione, quâ, licet dispensatoriâ, meruit honorari à Deo, vt pater Dei & dictus & creditus sit: coniice & ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubites interpretari: simul & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto, & scito ipsius istum non solùm vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam adeptum, innocentiam assecutum & gratiam.* Quæ melliflua mellifluі Doctoris verba, & aliorum sanctorum Patrum scriptis constabilita sunt, & ab vniuersali Ecclesiâ, quæ illa in Officium diuinum retulit, confirmata fuerunt. Sed, quoniam ex vnâ hac vtriusque Patriarchæ, tamquam figuræ ad veritatem, collatione, sufficienter id quod intendo probatum iri existimo; hinc & alia nonnulla, è D. Bernardo verba subiungo. Pergit is: *Siquidem ille Ioseph ex inuidiâ venditus & ductus in Ægyptum, Christi venditionem præfigurauit: iste Ioseph Herodianam inuidiam fugiens Christum in Ægyptum portauit. Ille domino suo fidem seruans, dominæ noluit commisceri: iste Dominam suam, Domini sui matrem, virginem agnoscens, & ipse continens fideliter custodiuit. Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum: isti datum est conscium fieri atque participem, cælestium sacramentorum. Ille frumenta seruauit non sibi, sed omni populo: iste panem viuum è cælo, seruandum accepit tam sibi, quàm toti mundo.* Neque iis Bernardi verbis quidquam addendum arbitror, vt veterem illum Patriarcham IOSEPHI nostri figuram extitisse commonstrem.

At posito hoc fundamento, latissimus se nobis campus aperit: nam licet nec Scriptura sacra, nec sancti Patres, de gloriosissimo Deiparæ Sponso, ac Saluatoris nostri Patrefamilias tam multa scripsissent; in priori tamen Iosepho, quantus posterior futurus esset, imò tantò priore perfectior futurus, quantò nimirum veritas ipsa figuram excedere solet, clarissimè indicatum est. Quapropter ego, qui, ne ad tam eminentem veritatis ac claritatis splendorem oculi mei præstringerentur atque offunderentur, extimui, nonnisi ad eiusdem figuram seu vmbram accedere ausus fui. Et quidem duo dumtaxat ex infinitis, quæ huic materiæ seruire possent adducam. Primo in limine sese offerunt fauores illi ac priuilegia, quibus non ipse tantùm Ioseph Patriarcha, sed & fratres eius, ac filij, affecti fuerunt. Iuuabit hæc eò inspexisse, vt IOSEPHI nostri clientes non minùs de certissimo eius patrocinio sibi promittant; & ego non incongruè fecisse videar, qui hoc Opus tutelæ ac præsidio illius, confidentiâ

magnâ submisi. Vt verò, Lector, intelligas, quantæ in suos Ioseph auctoritatis, atque in alios potestatis extiterit, ipsum de his Scripturæ textum audiamus. Genesis capite 41. ad eum Pharao in hæc verba locutus est: *Ecce, constitui te super omnem terram Ægypti. Tulitq́, annulum de manu suâ, & dedit eum in manu eius; vestiuitq́, eum stolâ byssinâ, & collo torquem auream circumposuit. Fecitq́, eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti. Dixit quoque rex ad Ioseph: Ego sum Pharao: absque tuo impe... non mouebit quispiam manum aut pedem in omni terrâ Ægypti. Vertitq́, nomen eius, & vocauit eum linguâ Ægyptiacâ, Saluatorem mundi.* Hæc in antiquo Patriarchâ facta, magna licet sint, parua tamen censeri debent, si cum illis conferantur, quorum respectu, quoad IOSEPH nostrum, nonnisi instar figuræ extitêre. Causa enim ob quam antiquus ille Patriarcha ad eminentem illam dignitatem euectus est, alia non fuit, quàm quòd prudentiâ s..â futuræ aliquando fami seponendum esse frumentum suggessisset. At quid, quæso, est terrenum frumentum, quo nonnisi corporalem hominis vitam conseruamus, collatum cum frumento illo cælesti, Christo inquam Iesu, qui, vt ait S. Augustinus, *granum erat mortificandum & multiplicandum: mortificandum fidelitate Iudæorum, multiplicandum fide populorum?* Quid, inquam, prius illud similitudinis habet cum hoc, quo in vitam non transitoriam sed æternam, non humanam sed diuinam enutrimur? iuxta illud Saluatoris Ioan. 6. *Hic est panis de cælo descendens: vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in ate...um: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ.* Si igitur antiquus ille Ioseph tanto, vt vidimus, honore donatus est, quòd temporale solùm frumentum conseruarit; quid non promeruit hic noster, à quo cæleste frumentum tantâ prudentiâ diligentiaque seruatum est?

Quemadmodum verò Filij Dei idoneus custos IOSEPH electus sit, pluribus Euangelicus textus eloquitur. Nam in primis, vbi S. Matthæus capite 1. retulisset, eum propterea Mariam coniugem suam occultè dimittere voluisse, quòd inuenta esset in vtero habens de Spiritu sancto, Angelum ei apparuisse subiungit, qui diceret: IOSEPH *fili Dauid, noli timere accipere* MARIAM *coniugem tuam: quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius* IESVM. Super quæ in Catenâ Euangelicâ Doctor Angelicus: *Hic Angelus pronuntiat obsequium, quod exhibebit* IOSEPH *puero iam nato, quia posset* IOSEPH *dicere, Ipsa concepit de Spiritu sancto, & pariet filium, quid ergo ad me? in nullo sum ei necessarius: ideò subdit ipsius* IOSEPHI *obsequium, Vocabis nomen eius* IESVM. *Ostenditq́, quòd, quamuis non fuerit necessarius conceptui, tamen vtilis est educationi; quia ipsa pariet filium, & tunc matri & filio erit necessarius: matri, vt ab infamiâ defendat; filio, vt eum enutriat.* Ait rursum Matthæus cap. 2. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Quæ cùm audisset* IOSEPH, inquit D. Chrysostomus, *nequaquam passus est scandalum: neque dixit: Incerta ista res est, ac prorsus ambigua. Tu paulò antè dicebas, Quia saluabit populum suum, & nunc seipsum quidem non potest de periculis liberare: sed fuga nobis est necessaria, & peregrinatio, & transmigratio longinqua. Contraria omnino sunt facta promissis. Sed horum nihil prorsus opponit: vir enim erat fidelis, neque reuersionis tempus curiosè inquirit, quod vtique ab Angelo non signatè fuerat expressum: Sed esto ibi, inquit, vsque quò dicam tibi. Verùm ille nec per ista quidem factus est segnior, sed obediuit libenter, & credidit, omnes prorsus tribulationes cum gaudio sustinendo.* Quin & tertium tutelæ D. IOSEPHI erga Christum D. Matthæus argumentum adiunxit: *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis* IOSEPH *in Ægypto, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israël: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.* Super quæ sic S. Hieronymus: *Ex hoc loco intelligimus, non solùm Herodem, sed & Sacerdotes & Scribas eodem tempore necem Domini fuisse meditatos.* Nos interim, quæ à D. IOSEPHO ex Angeli iussu facta sint, audire pergamus. *Qui consurgens*, inquit S. Matthæus, *accepit puerum, & matrem eius, & venit in terram Israël. Audiens autem, quòd Archelaus regnaret in Iudæâ pro Herode patre suo, timuit illò ire: & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ.*

Porrò ex his sufficienter constat, non minùs nostrum IOSEPH cæleste frumentum, quàm veterem terrenum conseruasse; adeoque eum non minùs promeruisse, vt idem frumentum quod seruarat, publicè ei distribuere atque his qui ad illum confugerent, elargiri liceret, quàm Iosepho antiquo id concessum fuisse, Scriptura his verbis enarrat: *Esuriente Ægypto, clamauit populus ad Pharaonem, alimenta petens. Quibus ille respondit: Ite ad Ioseph: & quidquid ipse dixerit vobis, facite. Crescebat autem quotidie fames in omni terrâ: aperuitque Ioseph vniuersa horrea, & vendebat Ægyptiis: nam & illos oppresserat fames. Omnesque prouinciæ veniebant in Ægyptum, vt emerent escas,*

&

& malum inopiâ temperarent. Hæc quidem Scriptura de frumenti, quod Ioseph iste asseruârat, distributione. An non idem meritò factum esse dici debeat circa frumentum cæleste, Saluatorem inquam nostrum, cuius meritorum ac donorum communicatio ad IOSEPHVM nostrum, qui ipsum seruare, atque aduersus insidiatores tueri promeruit, spectare omnino dicenda sit? Verba Redemptoris sunt: *Quis, putas, est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Beatus ille seruus, quem, cum venerit dominus eius, inuenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.* Ad quæ Origenes ait: *Vt scilicet conregnet cum Christo, cui omnia sua tradidit Pater: sicut boni patris filius, super omnem substantiam patris constitutus, participat huiusmodi dignitatem & gloriam fidelibus & prudentibus dispensatoribus suis, vt sint & ipsi super omnem creaturam.* Neque hæc solùm generaliter, vti reliquis Sanctis, sed specialissimè D. IOSEPHO conueniunt; tum quia hic solus, ceu fidelis seruus & prudens, super propriam ac domesticam Christi familiam in terris constitui, ac ei hîc viuenti corporalem cibum tribuere promeruit; tum vel maximè, quia super vniuersa Redemptoris nostri bona præ aliis illum collocari decuit, cuius substantiæ temporalis possessor ac heres, non secùs atque eius filius, Christus extiterat; vti nimirum iusta adoptionis, vt vocant, reciprocæ & affectionis fieret compensatio.

Sed quemadmodum ex generali prisci illius Iosephi in vniuersam Ægyptum imperio colligimus, hunc Christi Nutritium in mortales, Ægypti huius sæculi incolas, auctoritatem habere; ita pariter ex antiquo illo Ioseph euidens fit, singularia amicis ac cultoribus Sancti nostri designata esse priuilegia. Genesis cap. 47. *Dixit Rex ad Ioseph: Pater tuus & fratres tui venerunt ad te. Terra Ægypti in conspectu tuo est: in optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Gessen.* Ex quibus iterùm colligi potest, quòd sicut Iosepho Patriarchæ à Pharaone concessum imò mandatum est, vt fratres suos optimo in loco collocaret; ita & peculiares virtutum ac perfectionis mansiones eis designatas esse, qui se Virginis Sponso exhibuêre cultores. *Neminem noui* inquit S. Mater nostra TERESIA loco antè citato, *qui, cùm verè ex animo illi deuotus esset, & peculiaribus eum obsequiis coleret, non plus per eius opem visus sit in virtute profecisse: mirum enim in modum illos, vt in eâ proficiant, iuuat, qui ei se commendant.* Et Ven. Isidorus Isolanus: *Benedicite igitur, ô populi, S. IOSEPH, vt benedictionibus repleamini: qui enim benedixerit tibi, erit & ipse benedictus, qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur.* Ad Iosephi Patriarchæ filios vt veniamus; illi cum reliquis filiis Israël, cuius tamen solùm erant nepotes, in ius possessionemque terræ promissionis successerunt. Genesis cap. 48. habetur: *His ita transactis, nuntiatum est Ioseph, quòd ægrotaret pater suus: qui assumptis duobus filiis Manasse & Ephraim, ire perrexit. Dictumq; est seni: Ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Et ingresso ad se ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in terrâ Chanaan: benedixitq; mihi, & ait: Ego te augebo, & multiplicabo, & faciam te in turbas populorum: daboq; tibi terram hanc, & semini tuo post te, in possessionem sempiternam. Duo ergo filij tui qui nati sunt tibi in terra Ægypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt, Ephraim & Manasse, sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi.* En hîc rursum alia, è quibus clientum vtriusque Ioseph priuilegia declarantur. Prioris quidem, quoad temporalem in terrâ promissionis hereditatem; alterius verò, quoad spirituales æquè ac temporales, præsentes iuxtà ac futuras, præ hominibus aliis prærogatiuas. Vnde de eis meritò intelligi queat illud Sapientiæ 5. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.* Quia verò omnia & singula beneficia, quæ S. IOSEPHI cultores assecuti sunt, recensere operosum esset, hinc ex iis nonnisi pauca, quæ instar reliquorum sint, visum est producere.

S. Vincentius Ferrerius Serm. de Natiuit. refert, Mercatorem Valentinum postquam annis aliquot ipso Natalitiorum festo tres pauperes (virum nempe, feminam, ac puerum) in honorem IESV, MARIÆ & IOSEPH inuitasset; suo in obitu ab iisdem ad cæleste conuiuium inuitatum ac deductum fuisse. Isidorus Isolanus Part. 3. cap. 10. prolixè describit, Nobilem quemdam Venetum, dum in peccati mortalis statu ad mortem vsque æger decumberet, ac proinde in euidentissimo damnationis æternæ periculo versaretur, à D. IOSEPHO, vt peccata sua confiteretur, esse admonitum: quod cùm fecisset, statim illius animam in cælum assumptam esse; idque propterea, quòd ante depictam ipsius in pariete imaginem genuflectere, illique se commendare solitus esset. Ioannes de Fanno, Scriptor insignis, ac Doctor Petrus Morales Comment. in Matth. Franciscanorum duorum meminêre, qui in mari naufragium passi, vectoribus reliquis vndâ mersis, soli emersêre: etenim arreptâ tabulâ, cùm tribus continuò diebus ac noctibus ab aquis iactati in extremo vitæ discrimine egissent, implorato D. IOSEPHI auxilio, eiusdem statim apparentis ope, incolumes ad littus enatarunt. A quo in mandatis accepêre, vt in eius honorem, septemque ipsius laborum ac gaudiorum memoriam, totidem quotidie Orationes Dominicas ac Salutationes Angelicas recitarent: hinc enim futurum, vt tam ipsi, quàm quilibet qui hoc pietatis exercitium assumerent, suum haud dubiè patrocinium cunctis in necessitatibus experirentur. P. Hierony

ronymus Gratianus ex Ordine nostro lib. 3. de S. IOSEPH, cap. 4. narrat, Benedictinum quemdam Monachum labores, quos hic Sanctus cum Christo in Ægyptum fugiens sustinuit, solitum subinde meditari, ideoque cùm aliquando de nocte per siluam erraret, ac quò se conuerteret nesciret, ab eodem in viam reductum fuisse: apparebat quippe illi vir formâ spectabilis, iumentum, cui pulcherrima mulier brachiis infantem gestans insideret, agitans; quali formâ vulgò D. IOSEPH depingi consueuit.

Sed quid opus multis Scriptoribus? quid variis in diuersos homines collatis beneficiis? In vnicâ S. Matre nostra TERESIA omnium pænè quæ desiderari possent, gratiarum habemus exempla. Hæc enim, vt è scriptis eius superiùs patuit, quidquid demum ab eo petiit, assecuta est. Cap. enim vj. Vitæ suæ refert, miraculosè sanatam se à vehementissimis ac periculosissimis morbis, quibus annis tribus cum dimidio diuexata, atq; à Medicis desperata iacuerat: erant hi non tantùm grauissimi, sed etiam plurimi, vtpote quorum nouem aut decem per se singuli sufficerent vt ei mortem adferrent. Capite xxxij. à diuinâ sibi Maiestate scribit iniunctum, vt primi sui Monasterij erectionem maximâ quâ poterat festinatione vrgeret: futurum enim, vt id feliciter ad exitum perduceretur, ac benè sibi in illo seruiretur: ad hæc, nomen D. IOSEPHI Conuentui imponeret; nam hunc ad vnum portæ latus, & Deiparam Virginem ad alterum, velut custodes fidissimos iugiter permansuros. Capite xxxiij. *Cùm semel, inquit, in magnâ necessitate constituta essem, nesciremq; quid agerem, vel vndénam operariis nonnullis mercedem persoluerem; Sanctus* IOSEPHVS, *verus meus Pater & Dominus, mihi apparuit, spondens pecuniam nequaquam mihi defuturam, ac proinde cum operis de stipendio conuenirem. Quod & feci ne obolum quidem in promptu habens. Dominus porrò iis mihi modis de pecuniâ necessariâ prouidit, vt quicumque audirent, summopere obstupescerent.* Quin & eodem capite paulò pòst subiungit: *Cùm eodem penè tempore, in festo videlicet Assumptionis Virginis Deiparæ, in Dominicanorum templo agerem, &c. videbar albâ & splendidâ valdè quadam veste indui. Initio non videbam quis mihi illam iniiceret; at posteà, ad latus meum dextrum vidi adstantem Sanctissimam Virginem Mariam, & ad sinistrum Patrem ac tutorem meum* IOSEPHVM, *qui hanc mihi vestem circumdarent; simul quoque mihi dabatur intelligi, iam me à peccatis meis mundatam esse. Postquam verò iam induta essem, magnaq; iucunditate & gloriâ perfusa, statim mihi visum est, quòd Deipara Mater, manibus meis apprehensis, mihi diceret, rem me sibi gratissimam facere, quòd gloriosi Confessoris* IOSEPHI *cultrix essem; certò proinde mihi persuaderem, illud ipsum, quod quoad Monasterij erectionem conceperam, perfectum iri. Addebat quoque, Dominum Iesum, & se vnà cum Sponso suo* IOSEPHO, *maximè in eo colendos.* Hactenus de se in Vitâ sua TERESIA. Neque alia, eaque rarissima desunt quæ ceteri eius Vitæ Scriptores huc in medium protulerunt. Nobis duo aut tria retulisse suffecerit. Reuerendissimus Taraconensis Episcopus Didacus de Iepez, lib. 2. Vitæ S. Matris, cap. 27. narrat, eam vnà cum Monialibus suis, ab euidentissimo submersionis ac mortis periculo, D. IOSEPHO ipsis apparente, fuisse liberatam. Nam, cùm ad fundationem quamdam in honorem eiusdem Sancti inchoandam S. Mater curru veheretur, & auriga, via regiâ relictâ, per ardua ac inaccessa præcipitia iter arriperet, sic filias ipsa suas est allocuta: *Eia filiæ, & amantissimæ Sorores, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros ad Dominum humiliter conuertamus, Sanctissimiq;* IOSEPHI *patrocinium deprecemur, atque in hoc tanto periculo illius auxilium imploremus.* Nec mora: è profundissimâ voragine audita vox humana, hunc ferè in modum exclamans: *Sistite, neque vlteriùs progrediamini; alioquin in præcipitium, omnes certò perituri, abitis.* Cumque ille, cuius vox percipiebatur, ab eis vltrà quid faciendum esset rogaretur, iussit omnes versus partem vnam, quæ quidem non minùs apparebat periculosa, iter arripere. Cùm ergo iam se præcipitio eductos cernerent, atque hominem inquirerent vt debitas ei pro consilio gratias agerent, S. Mater diuinum agnoscens beneficium, & lacrymis perfusa, Sanctimonialibus suis asseruit, frustrà ab aurigis virum illum inquiri: *Fuit enim,* inquit, *Sanctissimus Pater meus* IOSEPH, *qui his nos periculis liberauit.* Quod & ipse rei probauit euentus: nam etsi ad vsque voraginis profundum descenderent, neque hominem, neque hominis vestigium inuenerunt. R. P. Franciscus Ribera, è Societate Iesu Doctor Theologus lib. 3. Vitæ S. Matris cap. 9. ait, D. IOSEPHI interuentu TERESIAM ab ictu rotæ cuiusdam, ad terram violenter prostratam, non sine miraculo illæsam permansisse. Eodem lib. cap. 14. Burgensem Conuentum mirabili quadam ratione ipso D. IOSEPHI festo ei obtigisse testatur; tametsi diu frustrà eâ in re esset allaboratum, & perexigua eius obtinendi spes affulgeret. Alij denique alia quæ à D. IOSEPHO TERESIA beneficia consecuta est, fusissimè prosequuntur. Verùm Lectorem nos ad plena de his conscripta volumina ablegamus; & vel vnum hoc solum, quod tamen est obseruatione dignissimum, atque ad huius sanctissimi Viri cultum, vniuersum orbem Christianum animare deberet, adiicimus; totidem nimirum velut Piscinas probaticas ad infirmitates corporum curandas, totidem propitiatoria ad obtinenda quæcumque animarum beneficia, in perpetuum Teresianorum heredum patrimonium, à clementissimo Deo assi-

assignata videri, quot apud eos fundatæ sunt Ecclesiæ, quot erectæ sunt aræ. Omissis aliis, exemplo sit Conuentus noster Antuerpianus: quàm multa illic morbis atque afflictionibus obtineri soleant remedia, non facile dictu est: loquantur id vota quæ ad Sancti imaginem quotidie deferuntur; testentur qui se ab infirmitatibus aliisque ægritudinibus liberatos, vel omnigenis beneficiis donatos, gratanter agnoscunt; probet ipsa, cui ex sacrosancti Tridentini Concilij ordinatione, approbatio nouorum miraculorum designata est, Ordinarij loci auctoritas. Non sufficiebat, si postquam perfecta ac consecrata esset nostra Ecclesia, opem suam in hac exhibere D. IOSEPH inciperet, etiam antequam absoluta fuisset, ex eâ Ioannes Verstrepius ad altitudinem sexaginta sex pedum casu dilapsus, miraculosè per D. IOSEPHI inuocationem, vitæ seruatus est. Extat hac de re authenticum diploma Ioannis Malderi Antuerpiensis Episcopi, datum 28. Maij anni Dominicæ Incarnationis 1631.

At iam miraculorum & beneficiorum, quæ meritis atque intercessione D. IOSEPHI, cultores illius assecuti sunt, satis allatum est; soluenda restat nonnullorum obiectiuncula, quâ mirari se aiunt, quòd, cùm hic eximius adeò sit apud Deum Patronus, eos tamen in afflictionibus nonnumquam hærere videamus, qui illius se cultui addixêre. Verùm rursus antiqui Iosephi figura præsenti difficultati non modò plenè satisfacit, sed & propositum magis illustrat. Vt enim illius filij Ephraim & Manasse ita ab auo Iacob benedictionem percepêre, vt qui à dextris & quasi prior positus erat, posterior censeretur; & qui à sinistris ac posterior, factus sit prior: ita qui sub Nutritij Saluatoris tutelâ aduersitates in sæculo patiuntur, in cælesti gloriâ primi computandi sunt; iis tamen non omnino à priuilegiis suis exclusis, qui velut ad dexteram collocati, prosperâ mundi fortunâ vtuntur. Quod antequam latiùs explicemus, qualis Iacob Patriarchæ in Iosephi filios fuerit benedictio, audiamus. *Benedixitq; Iacob filiis Ioseph, & ait: Deus, in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraham & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentiâ meâ vsque in præsentem diem: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac, & crescant in multitudinem super terram.* Vnde quàm sint eximiæ filiorum ac cultorum IOSEPHI nostri benedictiones, colligitur: omnia enim prioribus istis nonnisi in figurâ contingebant, vt quidnam iis qui in nouâ lege IOSEPH Patrem haberent, in veritate dari deberet, euidens fieret. At quænam inter Iosephi huius filios esset futura distinctio, quorúmnam maior foret prærogatiua, sequentia Scripturæ verba subtexunt: *Videns autem Ioseph, quòd posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, grauiter accepit: & apprehensam manum patris leuare conatus est de capite Ephraim, & transferre super caput Manasse. Dixitq; ad patrem: Non ita conuenit, pater: quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput eius. Qui renuens, ait: Scio, fili mi, scio: & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur: sed frater eius minor, maior erit illo: & semen illius crescet in gentes. Benedixitq; eis in tempore illo, dicens: In te benedicetur Israël, atque dicetur: Faciat tibi Deus sicut Ephraim, & sicut Manasse. Constituitq; Ephraim ante Manassem.* Quid vltrà? Sanè apparet, hinc nihil D. IOSEPHI cultoribus ademptum, sed plurimum potiùs adiunctum iri, quòd in hoc sæculo cum afflictis posteriori veluti loco collocentur. Potiora interim sunt, quæ filiorum benedictionibus in gratiam patris, Patriarcha Iacob adiecit: *Et ait ad Ioseph filium suum: En ego morior, & erit Deus vobiscum, reducetq; vos ad terram patrum vestrorum. Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.*

Multa hîc rursum adeoque præclarissima, ad S. IOSEPHI gloriam consignata sunt. Satis quippe non erat, filiis ac cultoribus illius temporales & æternas, corporales ac spirituales in omni genere benedictiones esse addictas, etiam partem vnam extra reliquos fratres, Dei videlicet Sanctos, habere IOSEPH debuit: & eam quidem partem, quam verus Iacob, hoc est Christus, de manu Amorrhæi in gladio & arcu suo extorserat. Quid multis? duo hinc elicere posse mihi videor: vnum, quod ad IOSEPHI filios; alterum, quod ad ipsiusmet personam atque eminentiam spectat. Dico igitur, inter cetera quæ Deus opt. max. in gratiam D. IOSEPH, illius filiis beneficia præstare solet, id ceu singulare quoddam priuilegium esse, quòd eo iuuante animarum salutem in tuto locent, ac felicem mortis horam nanciscantur. Esto enim, & alia propter S. IOSEPH elargiri diuina Maiestas beneficia soleat; in nullo tamen genere illustriora ac frequentiora, quàm in æternâ salute conferendâ habemus exempla. Vocatur autem hæc gratia gratiarum omnium suprema ea pars quam spiritualis Iacob, Christus inquam Saluator, de manu Amorrhæi tulit in gladio & arcu suo: etenim Amorrhæus, id est amarus, diabolum, qui salutis nostræ dulcedinem in æternæ damnationis amaritudinem commutauit, significat; vti & gladius atque arcus, Christi mortem passionemque designat. De gladio ita locutus Propheta Dauid Psalm. 44. *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.* de arcu verò Psalmo 17. *Qui docet manus meas ad prælium, posuisti vt arcum æreum brachia mea.* In gladio victoria, quâ instar Dauidis, Goliæ infernali caput amputauit; in arcu S. Crucis pugna, quâ non secùs ac Moyses brachiorum extensione, Amalec

 (hoc

(hoc est principem huius mundi) interemit, egregiè adumbrata sunt. Sed quomodo pars hæc salutis, atque in gratiæ statu moriendi, D. IOSEPHI intercessioni, à Christo in Ecclesiâ relicta sit, fortissimis probationibus stabiliamus.

Occurrit primùm ipsum IOSEPHI nomen, quod Pharao ita conuertit, vt linguâ Ægyptiâ significet Saluatorem mundi. Quid igitur mirum est, si qui Saluator mundi dicitur, mundum saluet, si ipse humani generis Saluatoris seruator homines seruet? Vnde ab eo qui Saluatorem hunc sibi patronum ac seruatorem habuerit, meritò dici posse censeo, quod de vetere illo Ioseph aliquando Iacob ait: *Nunc latus moriar, quia vidi faciem tuam.* Omnes enim, quibus lætissimam, ac velut beatificam IOSEPHI faciem intueri, ac speciali cultu venerari licuerit, hilariter planè ac securè emori solent. Ille siquidem est, *quem constituit Dominus super familiam suam*, Ecclesiam inquam vniuersam, vt Christi fidelibus *in tempore tritici*, hoc est iudicij (quando nimirum triticum saluandorum in cæli horreum congregandum asseritur) *det mensuram*, ac gratiarum eis distributionem faciat. R. P. Ioannes de Carthagenâ, celeberrimus ille ex Ordine S. Francisci concionator, de Deiparæ eiusque Sponsi clientibus agens, præter plura alia hunc Psalmi 126. versum iis applicauit: *Beatus vir, qui impleuit desiderium suum ex ipsis, non confundetur cùm loquetur inimicis suis in portâ.* ita vt qui desiderium suum, quoad MARIÆ ac IOSEPHI venerationem, viuens impleuerit, is, quando cum inimicis suis congredi, ac cum dæmonibus manus conserere, atque ab his in portâ, hoc est morte, se expedire debebit, minimè confundetur. Ioannes Eckius, præclarus Scriptor, Homiliâ 1. de S. Ioseph, post multa in rem præsentem allata, subiunxit: *Omnes insuper quibus periculosæ instituuntur profectiones, locaq; adeunda sunt parùm tuta, semet S. Ioseph committere debent, & ex illo comitatem, securitatem, tutelam, & intercessionem petere, & fideliter sperare.* Quin & Sanctorum testimoniis id comprobatum habemus: præter enim S. Matrem nostram TERESIAM, cuius suprà verba produximus, S. Bernardus Senensis Serm. 1. de S. IOSEPH art. 2. cap. 1. se credere affirmat, D. IOSEPH sollicitissimum pro omnium salute, ad similitudinem Sponsæ suæ, haberi debere. Orientalis historia Christum ad Nutritium suum dixisse enarrat: *Ero auxiliator omni homini in Ecclesiâ iustorum, qui in die memoriæ tuæ, ô Ioseph, Deo sacrificia obtulerit, & qui meditabitur in vitâ tuâ, & in laboribus tuis.* In veteri Carmelitarum, atque Ecclesiæ Ierosolymitanæ Officio, inter cetera ita reperies: *Ecce Fabrum Patriarcham, qui cælestem rexit arcam, se cum omnibus saluantem à culpæ diluuio, gratiæ cum fluuio.* In antiquo etiam Hispalensis Ecclesiæ Hymno canitur:

O custos Matris Domini,
IOSEPH *alme, per aspera*
Adesse tuis famulis,
Sentiant nostra pectora
Tu salus & protectio.

Deuotos tuo nomini
Salua semper & prospera.
Dignare, Dux amabilis,
Tua semper iuuamina,
Nostraq; iubilatio.

In Concilio verò Lugdunensi eximius Doctor Ioannes Gerson Patres omnes ad D. IOSEPHI specialem cultum adhortatus est, ac propterea singulari veneratione prosequendum asseruit, quòd illius potissimum interuentione non ad gratiam solùm hìc vberrimam, sed ad gloriam quoque posteà sempiternam, accessus pateret. Accedit populi Christiani deuotio: nam à pluribus iam lustris milliones aliquot Catholicorum per omnes ferè Europæ prouincias numerati fuere, qui pro felici morte, ac gratiâ ad hanc necessariâ, Litanias Lauretanas cum D. IOSEPHI Collectâ quotidie recitarunt. Episcopus Antuerpiensis Ioannes Malderus hoc in nostro templo Confraternitatem pro felici morte orantium, sub nomine & ad memoriam Deiparæ Virginis, ac eiusdem Sponsi, instituit; quasi horum patrocinio felicitas illa, sine quâ nulla prodesse potest, & quam solam vera atque æterna consequitur, efficacissimè obtineatur. Et hæc quidem de priori Scripturæ illius membro sufficiant.

Circa alterum verò plura occurrunt dicenda: hoc namque solidissimum, cur pars illa felicis mortis ac salutis hominum S. IOSEPHI intercessioni, sensu quo à nobis explicatum est, assignata sit, fundamentum aperiet. Neque alio hìc opus erit argumento, quàm alterâ eorumdem Scripturæ verborum explicatione: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Gloriam cælestem gratiæ ac vitæ merito proportionatam ac quodammodò commensuratam esse, nemo Catholicorum ignorat; ita vt ea quæ inter Sanctos est distinctio, ex præcedenti eorum gratiâ ac meritis non immeritò sumenda dicatur, quibus vt parem ac correspondentem gloriam acciperent, se dignos effecerunt. Quoniam ergo D. IOSEPHO specialem in gratiâ meritoque præ reliquis Sanctis partem obtigisse demonstraturi sumus; necessariò inde sequetur, eum etiam peculiarem quoad gloriam tam coram Deo, quàm coram hominibus, prærogatiuam esse promeritum. Vt igitur de gloriâ illius constet, amplissimam ei datam esse gratiam, quoad singulos Beatorum Ordi-

Ordines ostendemus. Quid ergo? Cælestis ille Iacob atque æternus Pater, D. IOSEPHO, Sponso MARIÆ, ac Saluatoris Nutritio, partem vnam dedit extra fratres suos, eam nimirum quam de manu Amorrhæi, id est, diaboli in gladio & arcu potentiæ ac clementiæ suæ tulit; quando illum non singulorum tantummodò sanctorum Ordinum excellens membrum effecit, sed & supra hos ipsos velut omnium antesignanum eleuauit. Res ex partium enumeratione patebit.

A Patriarchis incipiamus: inter hos omnium Testamenti prioris nouissimus, adeoque supremus; posterioris verò primus, atque idcircò reliquorum maximus, D. IOSEPH inuentus est: fuit enim illius familiæ pater, cui nulla vmquam in terris, non dico æqualis exstitit, sed neque vllatenus comparari potuit. Ad Iudæos Christus ait: *Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est.* Abraham Patriarcharum primas solùm videre Saluatorem voluit; vidit (at non nisi fidei oculis) attamen quantum inde gauisus est? Quid igitur de IOSEPH dicturi sumus, qui illius meruit esse paterfamilias, quem vel fide solùm præuidere, adeò magnum, adeò optabile, adeoque votis omnibus expetibile Abrahæ Patriarcharum summo visum fuit? Quamobrem dicere de eo licebit, quod Matth. 12. de seipso Saluator asseruit: *Ecce plusquam Salomon hic, ecce plusquam Ionas hic.* In eo igitur Christi paterfamilias Patriarcharum maximum superauit, quòd ille omne suum gaudium arbitraretur, eum venturum aliquando vel præcognoscere; IOSEPH verò hunc non viderit solùm ac familiariter nouerit, sed vt alumnum subditumque ac legalem filium habere promeruerit. An non ergo meritò de illo exclamaueris: *Ecce plusquam Patriarcha hic, ecce plusquam Abraham pater Patriarcharum hic?* Plusquam Patriarcha reuerà, vtpote qui alios omnes, tam quos ante se viderat, quàm quos posteà nactus est successores, suæ familiæ dignitate, perfectione, vtilitateque (in quâ nempe ipse mundi Saluator connumerari dignatus est) longissimè antecesserit. Vnde factum, vt, licet prioris Testamenti ac tempore fuerit nouissimus; Testamenti tamen posterioris digniorisque excellentiâ exstiterit primus, iuxtà illud Euangelij, *Erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.* Primus & nouissimus, atque vtrumque complectens, tam quod præcessit, quàm quod subsecutum est. Quis hoc ergo Patriarchâ gloriosior, quis excelsior, quis perfectior? ad cuius scilicet sanctitatem veteris ac noui Testamenti iura concurrunt; in quo, cum priuilegiis Euangelicis, antiquorum Patrum prærogatiuæ combinatæ reperiuntur? Lapis siquidem est angularis, vt Paulus Ephes. 2. ait, *qui facit vtraque vnum.* Et factus est velut Noë, qui tempus vtrumque, tum quod diluuium antecessit, tum quod secutum est, aspexit: & instar Iani, duas habens facies; vnam, quâ non solùm vidit, sed & amplexus est vniuersa quæ ante eum acta iam fuerant; alteram, quâ non solùm quæ erant futura præuidit, sed ea etiam in se præsentia ac velut propria effecit: illum habere promeritus filium, ob cuius imperium ac gubernationem longè transcenderet omne, quod alius quispiam siue prior, siue posterior Patriarcha habere poterat priuilegium. Itaque quemadmodum à S. Hilario in Matthæum cap. 26. fidelis seruus & prudens à Deo super omnia eius bona dicitur collocatus, cùm in gloriam assumptus est, quâ nimirum nihil melius aut dari aut accipi possit; ita tantam suo in Patriarchatu IOSEPH assecutus est eminentiam, vt vlteriùs, quò progrederetur, non haberet. Quamobrem sicut Doctor Angelicus 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. Deo ait impossibile esse perfectiorem matrem creare, quàm fuerit MARIA, vtpote cuius filio perfectior esse non possit: ita ipsi dicimus IOSEPHO Patriarchâ aut Patrefamilias nullum existere sublimiorem posse, eò quòd eius alumno ac legali, ciuili & spirituali filio maior, dignior, sanctior ac diuinior inueniri vel dari nequiuerit.

Inter Prophetas verò illud rursum priuilegium D. IOSEPH obtinuit, quòd plusquam Propheta meritò dictus sit. Hoc faciliùs vt intelligas, consideranda sunt verba Christi apud D. Lucam cap. 10. *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Quid est? *Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt?* Prophetæ venturum quidem Saluatorem præuidebant, prædicebantque; at eum præsentem nequaquam conspexère: propterea, Beati vestri oculi, qui eum, quem illi non nisi prophetarunt, neque aspicere potuère, videre meruerunt. Vnde plusquam Prophetas in hoc eos fuisse sequitur, quorum oculi illo intuitu Beati, id est beatiores ac feliciores oculis Prophetarum, fide solùm præuidentium & Messiam prænuntiantium, ab ipso Christo prædicantur. Qui Matthæi etiam 11. *Omnes,* inquit, *Prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt.* Sed quid inde Ioanni, quòd non prædicere solùm Christum, sed & præsentem eum annuntiare illi datum sit? Ex præcedentibus Saluatoris nostri verbis, quibus iam dicta subtexuit, multa hanc in rem peropportuna colliguntur. Primum, Ioannem inde factum plusquam Prophetam: secundum, eum Angelum fuisse, qui ante faciem Filij Dei viam præpararet: tertium, illo inter natos mulierum non surrexisse maio-

maiorem. Quæ aliâ probatione opus non habent, quàm quæ eodem ex Euangelio petuntur. Dictum enim à Christo fuit: *Quid exiſtis in deſertum videre? Prophetam? etiam dico vobis pluſquam Prophetam. Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſtâ.* Quibus demum quaſi præcedentium rationem redditurus adiunxit: *Omnes Prophetæ vſque ad Ioannem prophetauerunt.* Neque illud immeritò; cauſa enim cur Ioannes pluſquam Propheta fuerit, cur Angelus Filio Dei viam præparans appellatus ſit, ac maior inter natos mulierum cenſeatur, illa fuit, quòd Chriſtum præſentem oſtendere ac proximum ei miniſterium exhibere dignus fuerit. Quæ quoniam, D. IOSEPHO applicata, eamdem ei gloriam conciliatura ſunt, diductiùs paulò proponemus. D. Gregorius Magnus in hunc locum, *Prophetæ*, inquit, *miniſterium eſt, venturum prædicare, non etiam demonſtrare. Ioannes ergo pluſquam Propheta eſt, quia eum quem præcurrendo prophetauerat, etiam oſtendendo nuntiabat.* Super verbis autem, *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam*, S. Chryſoſtomus in Homiliis inquit: *Monſtrat igitur ſecundùm quod eſt maior Ioannes Prophetis, ſecundùm id ſcilicet, quòd eſt prope Chriſtum. Et ideò dicit, Mitto ante faciem tuam, hoc eſt, prope te. Sicut enim qui prope currum Regis incedunt, aliis ſunt clariores; ita & Ioannes propter Chriſti præſentiam.* Atqui certum eſt, multò proximiorem familiaremque IOSEPHVM Saluatori, quàm Ioannem extitiſſe: ſequi ergo inde videtur, illum vtique dignitate præſtantiorem iudicandum eſſe. Supereſt, *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſtâ.* Quod D. Lucas cap. 7. ad ſolos Prophetas reſtringit. Chriſtum enim dixiſſe aït: *Dico enim vobis: maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptiſtâ nemo eſt.* Vnde conſtat, non generatim de omnibus Sanctis, ſed de Prophetis ſolùm, illam quam Chriſtus cum Ioanne comparationem inſtituit, eſſe accipiendam; adeoque neque D. IOSEPH neceſſariò Ioannem præponi debere.

Alterum, quo Baptiſta vniuerſis Dei Sanctis prælatus fuiſſe aſſeritur, ex Hymno Eccleſiaſtico profertur:

Non fuit vaſti ſpatium per orbis
Sanctior quiſquam genitus Ioanne;
Qui nefas ſæcli meruit lauantem
Tingere lymphis.

Pro quo in primis D. Hieronymi verba notanda ſunt, quibus ait: *Ceteris Prophetis maior eſt, quia ad priuilegium prophetale etiam Baptiſmi acceſſit præmium, vt ſuum Dominum baptizet.* Duo hic affirmat D. Hieronymus: vnum, etiam quoad Baptiſmum Chriſti, Ioannem cum Prophetis aliis comparandum eſſe: ſecundum, illud ipſum baptizandi officium, eminentiæ prophetiæ habendum priuilegium. At verò ſi D. Ioannes Sanctorum omnium ſupremus cenſeri debeat, quia Chriſtum baptizauit; certè ob maiora quæ erga Saluatorem exercuit officia S. IOSEPH, illo maior ac ſanctior dici poterit. Magnum quidem fuit, quòd Dei Filius baptizari ſuo à præcurſore dignatus ſit; honorificentius tamen apparet, IOSEPHVM ad Chriſtum circumcidendum, vt ei ex patris officio competebat, electum fuiſſe: honorabilius autem habendum eſſe, Chriſtum circumcidere, quàm baptizare, è tribus elicio. Primò, quia maior fuit Saluatoris humilitas, ac proinde IOSEPHI gloria, cùm ad egena ſe ac nuda elementa, qualia erant legis antiquæ myſteria, quàm cùm ad noui Teſtamenti ſacramenta ſe Chriſtus demiſit. Altero, quia in ipsâ circumciſione auguſtiſſimum IESV nomen, quod eſt ſupra omne nomen, impoſitum fuit, illeque demum ſanctiſſimus Redemptoris noſtri tunc Sanguis effuſus, quo vniuerſa mundi peccata delenda erant. Vin' & alia IOSEPHI, quoad Chriſti corporis miniſteria, in quibus neque Ioannem, neque alium quempiam Sanctorum ſibi parem habuit? Chriſto D. IOSEPH non ſemel vitam ſeruauit, eumque è periculis mortis eripuit. Labore ſuo ac ſudore victum illi & amictum, omniaque vitæ neceſſaria eſt lucratus. Ipſum Dei Filium docere meruit, ac eumdem velut diſcipulum inſtruendum à Patre cæleſti accepit. Denique illi Chriſtus humiliter obediuit, neque aliter ac patri filius, ſubiectus eſſe dignatus eſt. In quibus non ſolùm Prophetis ac Ioanne Baptiſtâ maiorem, & pluſquam Prophetam S. IOSEPH extitiſſe deprehenditur, ſed inter vniuerſos etiam Ordinum omnium Sanctos (vt videre ex prædictis licuit) æqualem non habuiſſe. Licet interim meam hîc ego de maximis hiſce Sanctis temerariè cenſuram obtrudere nolim, ſed quid illi, qui IOSEPHO præ Ioanne Baptiſtâ ſanctitatis præeminentiam tribuunt, pro ſe adferant, ſolùm adduxi. Magnus ſanè Doctorũ princeps Auguſtinus, de Eliâ loquens, ait: *Si Ioanne hic maior non eſt, ergo par.* Idemq; de IOSEPHO, cur dicere non licuerit? quoniam & plus licuiſſe iis viſum fuit, qui & Scripturam & Eccleſiæ Hymnum, quæ pro Ioannis prælatione ſtatim attulimus, ita exponunt, vt illud *maior & ſanctior*, ſuper *natus & genitus* cadat: adeò vt ſenſus ſit, non fuit, quoad tempus natiuitatis, maior ac ſanctior Propheta Ioanne Baptiſtâ, vtpote qui adhuc in vtero matris (quod alteri numquam accidit) exultando ac ſalien-

saliendo prophetauit. Quo non obstante, fieri etiam potuit, vt alius in vitâ suâ Ioannem multis passibus antecederet. Vnde tunc verba Hymni Ecclesiastici ita accipienda erunt, vt duo de Baptistâ, sine vllâ ad se mutuò relatione aut illatione dicantur; scilicet, *non fuit sanctior genitus*, & hic idem *meruit lauantem tingere lymphis.*

Ad Apostolicam dignitatem quod facit, licet quidem ea tanta sit, vt nulla cum Apostolis reliquorum Sanctorum institui posse comparatio videatur; ab hac tamen regulâ vti Christi præcursor, ita & illius Nutritius ac paterfamilias rectè excipietur. Isidorus Isolanus de Muniis Apostolicis à IOSEPHO exsuperatis prolixè loquitur Part. 3. c. 18. *Sunt autem quatuor proprietates Apostolicæ dignitatis. Annuntiatio Euangelij: Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ. Illuminatio: Vos estis lux mundi. Reconciliatio: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Et per Spiritum sanctum locutio: Non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Hæ proprietates dignissimæ sunt, quia sunt immediatè à Christo, & sub Christo, & propter Christum. Proprietates verò sancti* IOSEPH *fuêre, Desponsatio Reginæ cælorum, Nominatio Patris Regis Angelorum, Defensio Messiæ promissi in lege Iudæorum, Educatio Saluatoris omnium. Et hæ proprietates sunt immediatè super Christum, & ad Christum, & propter Christum. Quisquis ergo ingenio polles, rerum diuinarum præmissâ veritate discurre, argue, conclude ab Apostolicæ comparatione Maiestatis ad cælestem* IOSEPH *dignitatem, quanta sit illi præstita dignitas, sanctitudo ac virtutum inexplicabilis perfectio.* Hæc ille. D. Thomas verò 3. p. q. 27. art. 5. in corpore, *Quantò*, inquit, *aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principij; & sic quod magis appropinquat soli, maiorem claritatem & illuminationem recipit; & quò magis appropinquat aliquid igni, fit magis calidum: & similiter aqua clarior & purior profluit, quantò minùs distat à fonte & principio.* Vnde etiam S. Dionysius de Cælesti hierarchiâ cap. 4. asserit, quòd Angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis de perfectionibus diuinis participant. Cùm igitur D. IOSEPH Christo vicinissimus ac planè intimus fuerit, non annis solùm tribus, vt Apostoli, sed, vt probabilior habet opinio, ferè decies tribus; certò colligitur, multò abundantiùs ac perfectiùs de illius eum virtutibus ac cælestibus charismatibus participasse. Adde, quòd Apostoli non nisi in nuntios Euangelicos, ac velut famulos honorarios à Christo adoptati sint, ab eoque, cùm rudes atque ignorantes essent, in viâ veritatis, ac modo conuersationis instructi; at Saluator ipse à IOSEPHO in filium ac subditum adoptari, & ab eo educari instruique concupiuit. Quod haud dubiè est multò præstantius, cùm illum IOSEPH docuerit, cuius doctrinâ Apostoli edocti sunt, & quia illius doctrinam per orbem prædicarunt, Apostoli sunt vocati. Quin & quemadmodum Christus Apostolos Ecclesiæ suæ præfecit pastores, ita sibi ipsi IOSEPHVM in pastorem elegit; quod & gloriosiorem reddit IOSEPHVM, & illius respectu Apostolos minores ostendit. Proinde non minùs verè, quàm de Patriarchis ac Prophetis, dicere licebit: *Ecce plusquam Apostolus hic.*

Quibus autem prædicta non sufficiunt, Apostolorum præcipuos cum D. IOSEPHO conferant; ac facilè videbunt, multis eum passibus in iis præcessisse, in quibus ipsi vel maximè excelluerint. Duo sunt, qui peculiaribus præ reliquis à Christo prærogatiuis donati fuêre, scilicet S. Ioannes Euangelista, *Discipulus* inquam *ille quem diligebat Iesus.* de quo ita canit Ecclesia: *Valdè honorandus est beatus Ioannes, qui supra pectus Domini in cœnâ recubuit. Beatus Apostolus, cui reuelata sunt secreta cælestia.* Pro magno itaque dilectissimi Christo Apostoli beneficio reputatur, quòd ei supra pectus Saluatoris vel semel in cœnâ recumbere datum sit: at Sanctus noster vt super illius pectus annis multis Filius Dei requiesceret, dignus fuit. Hausit indubiè tanto temporis spatio infinita diuinæ Maiestatis arcana, hausit dona cælestia, hausit insignia perfectionis atque omnium virtutum incrementa. Vnde si Apostolus Ioannes beatus inde dicendus, quòd illi ex vnicâ vice, quâ supra pectus Domini recubuit, reuelata fuerint secreta cælestia; beatissimus profectò & factus & nominandus est IOSEPH, cui (vti diximus) tot ac tanta è continuâ ac familiarissimâ Saluatoris nostri conuersatione accesîere priuilegia. Fuit & aliud, è quo peculiarem Christi in Ioannem affectum colligere est, quòd videlicet in cruce suam illi matrem, Virginem virgini commendauit. Vnde de hac prærogatiuâ rursum canit Ecclesia: *Virgo electus à Domino, atque inter ceteros magis dilectus.* Magnum reuerà donum, quod potiore tamen titulo IOSEPHO donatum fuit: Ioannes enim nonnisi filius, noster verò Mariæ Sponsus designatus est. Alter inter Apostolos, in quo singularia fauoris diuini argumenta eluxêre, fuit S. Petrus. Huic enim peculiari quodam beneficio diuinæ Incarnationis mysterium fuit reuelatum, vti Veritas ipsa declarauit Matthæi 16. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est.* Sed quid inde Petro vtilitatis obuenit? Exponat Christus: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Binæ itaque Petri prærogatiuæ hîc recensentur, quæ si cum D. IOSEPH priuilegiis conferantur, æquè, imò ampliùs in eo eluxisse deprehendentur. Etenim ipsum incarnati Verbi mysterium

no-

non post trigintà annos postquam peractum est, vti D.Petro, sed statim atque in Mariâ eius Sponsâ completum erat, ei primo omnium viuentium diuinitus reuelatum fuit. Vnde Rupertus lib. de Gloriâ & honore Filij hominis, super 1. Matthæi. IOSEPH, inquit, *priùs inaudita credidit, scilicet, quòd ipsa quæ conceperat, virgo esset; & statim obediuit, Deo credulus, puellæ beneuolus, eatenus vir iustus, & exinde iustissimus.* Alterum prætereà, quo D. Petrum à Christo Ecclesiæ petram, aduersus quam inferorum portæ non præualerent, diximus constitutum, non minùs in IOSEPHO locum habet: quin ex hac illius cum Principe Apostolorum comparatione, mira eius excellentia & dignitas elucescit. Petrus petra fuit Ecclesiæ, IOSEPH velut petra Christi, super quam nimirum ipse carnis suæ domum, tamquam vir sapiens exædificauit, vt cùm tribulationum ac persecutionum descenderent pluuiæ, venirent flumina, flarent venti; illa minimè caderet, vtpote fundata super firmam petram. Quantò autem ipso Saluatore Ecclesia eius sponsa minor est, tantò maior est dignitas ac gloria IOSEPHI. Tertium denique quod S.Petrum aliis Apostolis maiorem ostendit, priuilegium fuit, quo eos curæ suæ ac regimini, hisce Christi verbis, *Pasce oues meas*, accepit. At, vti iam paulò superiùs vidimus, non tantùm Christi agnos & oues regendos, pascendosque, sed ipsum etiam pastorem omnium enutriendum ac dirigendum, à Patre cælesti D. IOSEPH habere promeruit. Et quidem hactenus vidimus, tam quoad omnes Apostolos in genere, quàm quoad primarios eorum singulatim, de IOSEPHO meritò dici posse: *Ecce plusquam Apostolus hic.* Ad Martyres iam transitum faciamus.

Quorum vt aliquam cum Sancto nostro comparationem instituamus, audiamus quid iterùm dicat Isidorus Isolanus, vt eum verè Martyrem fuisse declaret. IOSEPH, inquit, *excellens victoriâ fuit Tyrannorum persequentium Christum, ac gladio materiali satagentium illum occidere: quâ victoriâ expressè liquet, pro Deo voluntariam mortem non expauisse. Propterea de palmâ martyrij benè meritus dici potest. Adhuc ratione animæ, actu conuenit palma martyrij; sed* IOSEPH *actu offerens eam, dedit pro Deo, quamquam non potuerit Tyrannus eam eripere.* IOSEPH *igitur de palmâ martyrij benè meritus.* Sic ille. Eximius Pater F. Ioannes de Carthagenâ continuum velut martyrium IOSEPHVM sustinuisse affirmat: nam postquam vexationem illam, quâ vxorem suam dimittere cogitabat, ei graue extitisse martyrij genus comprobasset, ita subiungit: *Silentio prætereo ingentes labores, quibus per totum vitæ curriculum à tempore desponsationis adeò excruciatus fuit, vt non immeritò tota eius vita prolongatum quoddam martyrium censeri debeat. Certè cùm ex Regiâ stirpe esset, pauper, ac humili fabri officio vsus fuit: in Bethlehem profectus, infantem Iesum intuitus lacrymantem, & præ nimio frigore algentem, vili præsepio cubantem, ac aëris inclementiæ ob incommoditatem loci expositum, summo dolore fuit confectus: eumdem in tenerâ ætate octauo die sanguinem fundentem cernens vehementer doluit, Simeonis verba audiuit ad Sponsam suam dicentis: Tuam ipsius animam pertransibit gladius: in Ægyptum fugam arripuit, vt Christum ab Herodianâ sæuitiâ liberaret, vbi per septem annos* (vt Auctor est D. Anselmus in Matth. cap. 2.) *vitam pauperem inter barbaram, ignotam & infidelem gentem exul egit.* Sic ille. S.Petrus Chrysologus, quàm vel sola in Ægyptum fuga dura esse debuerit, sequentibus verbis Homil. 151. patefacit. *Sic res,* inquit, *vrget Christum infantem? sic? non vacat intueri verecundiam Virginis, laborem matris, sexus pudorem, periculum* IOSEPH, *longinquitatis fatigationem, exitium totius domus, & quod his durius, Iudæos peregrinaturos in Gentibus, quibus nec est ipsa communio, imò est profundum legis transgressione naufragium. O quàm dura est peregrinatio, etiam inter ciues fratresq́; ! Sapit quid sit sua domus, qui sentit alienam.* At parum est, IOSEPHVM Martyrem fuisse; parum, eum continuum subiisse martyrium: etiam plusquam Martyr fuit. Quod è duobus elicio. Primò, D. Hieronymus Serm. de Assumpt. Deiparæ, eam non Martyrem solùm facit, sed & plusquam Martyrem; quia licet in pace vitam finierit, animam tamen habuit gladio doloris filij sui transuerberatam, iuxta Simeonis apud Lucam 2. cap. prophetiam: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Ex quo patet, etiamsi martyrio corpus cruciari soleat, in suo tamen martyrij genere præcedere excedereque Deiparam, cuius animæ cruciatus ei hauddubiè maius tormentum attulit. Omnis enim doloris causa ipsa anima est, ac propterea licet Martyres corpore torquerentur, exterioris in his tamen supplicij sensus ob internam consolationem extinguebatur. Exemplum sit in S.Laurentio, de quo D. Leo Papa in Natali eius sic tyrannum alloquitur: *Flammis tuis superari charitatis Christi flamma non potuit: segnior fuit ignis, qui foris vssit, quàm qui intus accendit.* Quemadmodum igitur Deipara Virgo propterea plusquam Martyr fuit, quia non corpus eius (vt aliorum Martyrum) sed animam doloris Christi gladius pertransiuit; pari modo, cùm post B. Virginem, IOSEPHI in Christum amor fuerit ardentissimus, non potuerunt eadem Simeonis verba illius præcordia non acerrimo dolore afficere. Vnde quod de antiquo Ioseph Patriarchâ Regius Vates cecinit Psalmo 104. *Ferrum pertransiuit animam eius*; meritò de nostro explicauerimus. Nam & Glossa interlinearis ac Liranus illud Psalmi explicantes, aiunt: *Ferrum, id est, tribulatio dura necessitatis, animam eius pertransiuit, vt de Mariâ dicitur: Et tuam ipsius animam pertransibit* gla-

gladius. Sicut ergo ob hanc quam diximus rationem, B. Virgo plusquam Martyr appellari ac censeri debuit; ita ob eamdem sanctissimus eius Sponsus, illi hoc in priuilegio meritò est accensendus. Itaque *ecce plusquam Martyr hic.* Accedit alterum, ex quo præ aliis Martyribus, summo D. IOSEPHVM dolore affectum fuisse, rectè dicamus: quòd nimirum inde mors illi reddita sit grauior, vnde eam Martyres alij experti sunt leuiorem. Facilia enim, imò nulla iis visa sunt quæcumque tormenta, quòd per hæc carnis vinculis se soluendos ac mox cum Christo futuros æternis gaudiis perfundendos agnoscerent. Pro omnibus audiatur S. Martyr Ignatius. *Crux,* inquiebat ille, *bestia, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant: tantùm Christo fruar.* Ecce quia mox se Christo fruiturum cognoscebat, quasi nihili duxit omnem, etiam acerbissimum cruciatum. Vnde ergo ceteris Martyribus supplicia transierunt in gaudia, spe videlicet Christum videndi, inde IOSEPHI martyrium doloris sumpsit incitamentum. Quando enim mori iam debuit, non ad Christum, sed à Christo profectus fuit; non illum sibi obuium ac suscipientem, sed valedicentem ac deserentem habuit; non inuenit, sed amisit. Hinc tantum tristitiæ atque afflictionis IOSEPHO nostro attulit à Saluatore discessus, quantum exultationis ac lætitiæ in Martyribus generauit ad Christum accessus. Ceterùm quanta sit vis amoris, quo vehementissimè IOSEPHVM sic morientem discruciari oportuit, hæc Canticorum verba cap. 8. satis insinuant: *Fortis vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam.*

Neque solùm verè dixerim, *Ecce plusquam Martyr hic;* verùm etiam, idque longè potiori iure, *Ecce plusquam Confessor hic.* Confessores enim sic dicti sunt, quòd, licet eis martyrij palma non concederetur, fidem tamen Christi generosè confiterentur. Vnde diuersa rursum pro gloria D. IOSEPHI eruo argumenta. Primum, si, vt Doctores tradunt, illic maius habetur fidei meritum, vbi ratio humana minus inuenit experimentum; certè ea fidei confessio excellentissima sit oportet, quæ de re fit planè occultà, quæque non solùm humanis sensibus perspicua non est, sed omnium etiam hominum experientiæ repugnare videtur. Quod in S. IOSEPHO contigisse reperies, cuius fidem ex hoc mirabiliter SS. Patres commendarunt, ac velut aliorum Sanctorum exemplar proposuerunt. D. Ioannes Chrysostomus in Matthæi caput 3. ait: *Quàm magna magnorum fides est! non dicentes, Si magnus est puer hic, quæ necessitas fugæ est & occultæ recessionis? hoc enim est veræ fidei, non quærere causas eorum quæ verè præcipiuntur; sed suaderi solùm ab eis.* Vt igitur magnam magnorum fidem explicaret Chrysostomus, non alterius quàm D. IOSEPHI vtendum exemplo censuit. Alludit namque ad illa S. Matthæi verba cap 1. *Consurgens, accepit puerum, & matrem eius nocte; & secessit in Ægyptum.* Super quibus rursum ita loquitur: *In re obscurâ & perplexâ nihil locutus est, nihil interrogauit; sed ad nutum obediuit, tentationes omnes cum gaudio sustinens. Ecce promptam* IOSEPHI *obedientiam, nullâ interpositâ morâ, antequam dies illucescat; ipsâ etiam nocte, ne quispiam fugam obseruaret, viam aggreditur.* Ecce cæcam, quam sancti Patres vocant, obedientiam: non sciscitatur, Quomodo, si Deus est, fugit ab hoste? quomodo, si alios è faucibus diaboli eripere venit, potentiæ Herodis non resistit? Non obmurmurat, nec conqueritur de difficultate itineris, de importuno noctis tempore, de inopinato & improuiso profectu, de inopiâ ad expensas necessariò faciendas, maximè in regione barbarâ & incultâ. His omnibus difficultatibus viriliter superatis, in omnibus parendum esse Deo constanter elegit, instar Abrahæ, qui diuino præcepto obaudiens de immolando filio suo, à quo multam se posteritatem habiturum ei Deus pollicitus fuerat, statim consurgens ad iter se accinxit. E quibus patet, D. IOSEPHVM non inter Confessores solùm numerari posse, sed inter eos extitisse præcipuum; vtpote qui in re maximè perplexâ, & quæ humanam omnem rationem experientiamque excederet, fidem adhibuit: vtque voluntatem diuinam promptissimè exequeretur, vniuersa neglexit despexitque. Duo adiungam, vt hæc IOSEPHI inter Confessores supereminentia ampliùs constet. Vnum desumam è comparatione fidei Sponsæ illius; alterum ex occasione, quam ipse Confessoribus, vt tales fieri possent, exhibuit. De MARIA quod dicturus sum, Lectorem rogo, vt hoc benignè interpretari, ac iuxta intentionem meam accipere dignetur. Neque enim mens mea est, IOSEPHVM Deiparæ præferre, sed quæ ad excellentiam fidei ac confessionis Sponsi eius faciunt, sincere proponere. Videtur ergo S. IOSEPH mysterio Incarnationis faciliùs fidem ac confessionis assensum præbuisse, quàm ipsa B. Virgo. Nam vt hoc crederet, nullâ ab Angelo eum opus fuit ratione induci: MARIÆ verò vide quàm varias Archangelus attulerit rationes, quibus eam ad diuini Verbi conceptui consentiendum permoueret. Refert S. Lucas cap. 1. Gabrielem in primis illam officiosissimè salutasse, affirmasseque non esse quòd timeret, quoniam gratiam apud Deum inuenisset; concepturam porrò ac parituram filium, qui magnus esset futurus, & vocandus Altissimi Filius, cui etiam Dominus Deus sedem daret Dauid patris eius, qui regnaret in domo Iacob in æternr--

cuius denique regni non esset futurus finis. Verùm cùm hæc non sufficerent, sed B.Virgo vlteriùs inquireret, Quomodo illud fieret, quoniam virum non cognosceret; Gabriel filum argumentorum prosecutus, quatuor alia prioribus adiecit: in illam videlicet Spiritum sanctum descensurum, atque à diuinâ eam virtute esse obumbrandam; deinde quòd ex ipsâ sanctum nasceretur, vocandum Filium Dei. Adiunxit prætereà Elisabethæ cognatæ exemplum, quæ licet anteà sterilis fuisset, à sex nunc mensibus grauida existeret. Denique, non esse impossibile apud Deum omne verbum, omnia illum posse, omnia valere. Vnde demum Maria permota fuit, vt dictis Archangeli fidem ac assensum præberet. Quæ non eò diximus, vt fidei Marianæ quidquam detrahamus; sed vt, quàm IOSEPHVS in eâdem virtute excelluerit, vt qui nullis argumentis, nullis probationibus, nullis exemplis ad credendum opus habuerit, declaretur. Ex quo colligere est, plusquam Confessorem Deiparæ Sponsum habendum. Cui quid potiùs, quàm hæc D.Chrysostomi in Matthæum verba adiunxeris: *Vidisti* IOSEPHI *obedientiam? vidisti animum facilè sacris sermonibus fidem accommodantem? vidisti mentem omnino virilem & nullâ prorsus corruptione violatam?* Ad alterum asserti nostri fundamentum accedo, quo dicebam ideò plusquam Confessorem esse IOSEPHVM, quòd occasio fuerit, vt fideles Confessores ac Christum confitentes esse possent: illum namque seruauit, illum educauit, illum informauit, qui fidei principia mundo proposuit, de quo potissimi fidei Christianæ sunt articuli, in quem omnes credere, quemque confiteri, vt veri fideles ac confessores existant, tenentur. An non proinde meritò de illo dixeris, quod de S.Ioanne Baptistâ ait D. Euangelista Ioannes cap. 1. *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum?*

Sed an & inter Virgines D.IOSEPHVM numerare, ac super eas illum collocare fas erit? Erit profectò; quod non minùs, quàm præcedentia patebit. Pro virginitate illius primùm facit illud S.Hieronymi aduersus Heluidium testimonium: *Tu,* inquit, *dicis,* MARIAM *Virginem non permansisse? ego mihi plus vindico, etiam ipsum* IOSEPH *virginem fuisse per* MARIAM, *vt ex virginali coniugio virgo filius nasceretur: sic enim in virum sanctum fornicatio non cadit; & aliam eum vxorem habuisse non describitur:* MARIÆ *autem quam putatus est habuisse, custos potiùs fuit, quàm maritus*(quantum ad matrimonium videlicet consummatum:) *relinquitur ergo, virginem eum mansisse cum* MARIA, *qui pater Domini meruit appellari.* Neque hæc sufficiunt, etiam plusquam virginem IOSEPHVM fuisse, D. Ambrosij lib. 4. de virginitate loquentis verba declarant. *Quis igitur neget hanc vitam fluxisse de cælo, quam non facilè inuenimus in terris, nisi postquam Deus in hæc terreni corporis membra descendit? Tunc in vtero Virgo concepit, & Verbum caro factum est, vt caro fieret Deus. Dicet aliquis, Sed etiam Elias nullius corporei coitus fuisse permixtus cupiditatibus inuenitur. Ideò ergo curru raptus ad cælum, ideò cum Domino apparet in gloriâ, ideò Dominici venturus est præcursor aduentus.* Vt igitur mirum fuit, Eliam virginem ante Christi aduentum extitisse, ideoque tantis meritò prærogatiuis donatum esse; ita mirabilius multò in IOSEPHO fuit, & maioribus hauddubiè priuilegiis cumulandum, quòd ille & in matrimonij statu virginitatem, antequam Saluator aduenisset, seruauerit. Loquitur hac de re Eximius olim Vniuersitatis Parisiensis Cancellarius Ioannes Gerson serm. de Natiuitate B.Virg. *Cur pura perfectaq́;* IOSEPH *pudicitia non prædicetur, qui virgo Virginem adiit atque seruauit, quiq́; primus ex masculis in coniugij consortio coluit, & coli post se docuit sanctum & integrum cælibatum?* Ex quo quid aliud sequitur, quàm plusquam virginem IOSEPHVM fuisse? qui non cælebs solùm, sed in matrimonio etiam constitutus seruauit castitatem. Scio & alios sanctos hoc postmodùm esse imitatos; at dux & antesignanus tam raræ castimoniæ extitit IOSEPH: de quo proinde dici possit, quod de Sanctissimâ illius Sponsâ in hæc verba ait Ecclesia: *Virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritus sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro* IESV *Christo.* D.etiam Bernardus Hom. 3. super *Missus* ita MARIAM alloquitur: *Tu Virgo, non dicam præceptum virginitatis, sed nec consilium, nec exemplum habens, nisi quòd Spiritus sancti vnctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei viuus priùs tibi factus est magister, quàm filius.* Idem serm. super *Signum apparuit,* ait: *Offerentur Regi virgines, sed post eam: nam primatum sola vindicat sibi* MARIA. Accedat, quòd S.IOSEPHVS idcircò Virgini in maritum datus sit, vt illius Virginitatis custos ac testis existeret. D. Augustinus de S.Virgine c.4. *Desponsata est,* ait, MARIA *viro iusto, non violenter virginitatem ablaturo, sed potiùs contra violentos custodituro.* Adiunge D.Ambrosij verba in Lucam: *Locupletior,* inquit ille, *testis pudoris* MARIÆ *adhibetur, qui posset & delere iniuriam, & vindicare opprobrium, etsi non agnosceret Sacramentum.* Neque egregia D.Bernardi verba silentio prætereunda: *Dicam,* inquit, *quod mihi, imò quod ante me, patribus visum fuit; illa vtique fuit ratio desponsationis* MARIÆ, *quæ & dubitationis Thomæ. Sicut enim Thomas dubitando & palpando constantissimus factus est Dominicæ confessor resurrectionis: ita &* IOSEPH MARIAM *sibi desponsando, eiusq́; conuersationem tempore custodiæ studiosiùs comprobando, factus est pudicitiæ fidelissimus testis.* Denique ne quid deesset in quo non maior cete- virginibus D.IOSEPH existeret; huic concessum, vt quem illæ sequerentur, iste præiret,

ac

ac sequentem se haberet. Singulare sanè virginum priuilegium, quod Apocal. 14. ita describitur: *Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores: & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terrâ; hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocumque ierit.* IOSEPHVM verò ac MARIAM, vtpote virginibus sublimiores, Agnus ipse sequebatur, & eis humiliter obsequebatur, iuxta illa D. Lucæ verba: *Descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.* Quod rursum D. Bernardus Homil. super *Missus est*, in hæc verba explicauit: *In laudibus virginum singulariter canitur, quòd sequuntur Agnum quocumque ierit. Quibus ergo laudibus iudicas dignam, quæ præit?*

Tandem restat, vt cum Angelis D. IOSEPHVM conferamus; quibus non similem tantùm, sed etiam superiorem fuisse, multis possemus ostendere: nonnulla reliquorum instar sint. Verba sunt Vener. Isidori Isolani de hoc Sancto 2. part. cap. 3. *Propter coniugium cum B. Virgine,* IOSEPH *fuit Christi ex Virgine nati vnicus testis; & hoc munere sanctos æquauit spiritus, qui testes, & nuntij sunt ac reuelatores mysteriorum Dei.* Et rursum, *Non parum*, inquit, *attulit dignitatis* IOSEPH *legatio Angelica, quâ ei mandauit, dicens, Vocabis nomen eius* IESVM, *Matth.* 1. *impositione enim, ac sanctissimi nominis huius publicatione, cæleste secretum mundo aperuit* IOSEPH, *Patris cælestis vices gessit, Spiritus sancti arcana, quæ in Canticis & Prophetis mysteria abscondita erant, patefecit, Beatissimæq; mundi Reginæ coniugis suæ collega fuit, atque Angelicæ Maiestatis sublimitatem attigit.* E quibus multa colligi possunt, quæ D. IOSEPHVM Angelis & similem & superiorem fuisse ostendant. Affirmat in primis, eum ad Angelicam Maiestatem euectum esse. Affirmat, in Verbum diuinum, velut actum iurisdictionis, per nominis impositionem exercuisse. Affirmat, illum secreta diuina reuelasse. Affirmat, Patris æterni gessisse personam, Spiritus sancti officium subiisse, Reginæ mundi collegam ac comparem effectum esse. Quibus omnibus munia Angelis vel propria, vel superiora, designata sunt. Nos nonnisi tria, quæ IOSEPHVM plusquam Angelum declarent, subnectemus. Primum est, idcircò hunc Sanctum Angelos dignitate præcedere, quòd Sponsus sit ac maritus Reginæ Angelorum: Apocal. 21. *Qui habet sponsam, sponsus est.* Atqui indubitatum est, eos sponso minores ac subiectos, cui per contractum matrimonij omnia sponsæ bona ac dominia facta sunt communia: ergo hoc ex argumento rectè infertur, D. IOSEPHVM Angelis dignitate superiorem esse. Alterum argumentum ex Isidoro rursus desumo, cùm ita locutus est: *Quantæ latebant in Sanctissimo* IOSEPHO *virtutes, quibus Filium Dei educaret, aleret, & vestiret? ad varia enim animantium genera alenda atque educanda, omnium corporum cælestium vis concurrit, quam ab Angelis orbium motoribus accipiunt;* IOSEPH *autem Verbum Dei, per quod cælestes orbes & Angeli conditi sunt & in esse conseruantur, enutriuit & aluit.* Neque à me frustrà hæc Isidori verba allata sunt, cùm ex eis colligatur (vt Scholastici etiam tradunt) Christo non, vt reliquis hominibus, Angelum custodem esse designatum, sed huius loco, IOSEPHVM sibi assumpsisse: qui Angelis hac in parte multò est factus sublimior, vtpote quorum custodiam Christus noluerit, voluerit IOSEPHI. Tertiò, eamdem nobis licebit probationem sumere, quâ S. Paulus 1. ad Hebræos capite vsus fuit, vt Christi dignitatem atque excellentiam præ Angelis declararet. *Tantò*, inquit, *melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* & rursum: *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium?* & infrà: *Ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Quod & in præsenti materiâ locum habet: nam quod de Christo Paulus, de IOSEPHO nobis dicere fas erit: *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit. Cui enim Dei Filius dixit aliquando Angelorum: Pater meus es tu? Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Quo argumento vsus fuit D. Bernardus, vt Deiparæ Virginis præ Angelis excellentiam palàm faceret. Homiliâ enim 1. super *Missus*, explicans verba Lucæ 2. *Fili quid fecisti nobis sic?* ait: *Quis hoc audeat Angelorum? sufficit eis, & pro magno habent, quòd, cùm sint spiritus conditione & gratiâ, facti & vocati sunt Angeli, teste Dauid: Qui facit, inquit, Angelos suos spiritus.* MARIA *verò matrem se agnoscens, sic maiestatem illam, cui ipsi cum reuerentiâ seruiunt, cum fiduciâ suum nuncupat filium.* Iterumque; *Ille cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & Potestates obediunt, subditus erat* MARIÆ; *nec tantùm* MARIÆ, *sed etiam* IOSEPHO, *&c.* Et ex his quidem sufficienter, vt opinor, iam liquet, de IOSEPHO nostro meritò dici: *Ecce plusquam Angelus hic. Ecce plusquam omnis Sanctus hic.*

Quæ vniuersa, quàm conuenienter ac solidè hunc Librum meum S. IOSEPHO inscripserim, Lectori ostendunt. Quotquot enim à me asserta in medium hîc allata sunt, totidem mihi fundamenta substraui, quibus præsentis Operis molem, tanto patrocinio securus, imponerem. Nam inprimis si oculos ad ea conuertam, quæ S. Mater nostra TERESIA pro huius Sancti adiutorio siue à nobis implorando, siue à se obtento conscripsit; non

tam solùm mihi spem ingerere visa sunt, vt rem omnem ad felicem exitum, ope ipsius perducendam confidam; sed obligationem quoque, quâ vt seipsam ac vniuersa sua D. IOSEPHO obstricta esse S. Mater nostra ingenuè fassa est, ego similiter, licet indignus eius filius, me totum illi debere libens agnoscam. Obsecutus igitur tantæ Matris consilio, in illum simul mea refudi, à quo eadem profecta esse, confiteri necesse erat. An non enim, qui in matrem dominium habet, quoad genitam ab eâ prolem, æquali iure potitur? Ita profectò, libentissimè nos ac omnia nostra Tibi, ô Sanctissime Pater IOSEPH, deberi agnoscimus, & vel maximè quòd Tibi debeantur, gaudemus. Sub te enim quam vltroneè profitemur seruitutem, verè dominium est, quos, cùm Tibi subiectos atque obligatos conspicis, eleuare illos ac toto affectu, toto conamine adiuuare numquam desinas. Vnde ausus etiam fui, sub Tuo nomine aliorum scripta in lucem proferre, perque exiguum, quem in horum collectione sumpsi laborem, non exiguum emolumentum sperare. Cuius rationes mihi esse video, & quia ad Te delata in bonum conuertere soles, & quia quæ Tua sunt, non defendere non potes. Non potes, inquam, quia omnia potes; quemadmodum præcipuis ferè huius Epistolæ dedicatoriæ argumentis decuratum est. Ex quibus duo potissimùm patent, Te nimirum omnia posse, & quia omnia potes, omnia Tibi iure deberi. Vtrumque videamus. Quis omnia poterit, si non ille quem vt omnia posset, super familiam suam constituit Omnipotens; idque, vt domesticis eius, vniuersis nempe fidelibus, mensuram tritici ac gratiarum distribuat? Non minor in hoc Ioseph Patriarchâ factus, qui à Pharaone iustè adoptatus est, vt corporale frumentum, quod suo consilio, fami subleuandæ seruauerat, populo elargiretur. *Omnia*, inquit D. Ambrosius, *habemus in Christo, & omnia in nobis Christus.* Huius ergo pretiosissimi thesauri distributio nulli potiùs, nulli æquiùs competebat, quàm illi, cui vt seruaretur, fuit concreditus. Multis hæc in superioribus declarata frustrà repetantur. Seruauit itaque D. IOSEPH omnia, vt prodesset omnibus; iis tamen vel maximè, quos ad se velut fratres ac filios proximiùs accedentes habet: prout ex miraculis pluribus, tam in aliis, quàm ipsâ S. Matre nostrâ TERESIA factis, ad oculum patuit. An igitur aliquid deest quod ad potentiam D. IOSEPHI declarandam facere poterat? Quin & quia huc præcipuè facere poterat, si ad felicem mortem obtinendam eum specialissimum esse Patronum demonstrarem, idipsum etiam feci. feci, non solùm vt generatim omni materiæ, sed & particulariter huic de liberandis è Purgatorio animabus Tractatui seruiret. Si namque vt feliciter è vitâ migremus, & ad gloriam securè pertingamus, IOSEPHI patrocinio commissum est; quis non videat, vt efficaciùs causam morientium agerem, eum in huius Operis defensorem electum fuisse? Describo enim quomodo à pœnis suis liberandæ sint è vitâ decedentium animæ, atque ex officio etiam huic Sancto nostro moribundos ac mortuos adiuuare incumbat. Quid vltrà desideres?

Pars altera, quâ idcircò D. IOSEPHO omnia deberi, quia is omnia possit, subsumpsimus, æquè facilè declaratur. Nam si omnia ei seruanda ac meritò, vt vidimus, in alios dispartienda commissa sunt, an non hanc illi gloriam à nobis tribui ac deferri debere sponte fateamur? Omnia in manus illius Deus tradidit, cùm Filium suum tradidit; iuxta illud D. Pauli ad Rom. 8. *Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Hanc autem quispiam veritatem negare possit, omnia illi adscribenda esse (sano videlicet intelligendi modo) cui vt omnia haberet, omnia posset, omnia in illum referrentur, voluit Omnipotens? Omnia rursum IOSEPHO debentur, si non minorem eius modò in cælis gloriam, quàm in terris aliquando obtinuerit, dicere velimus. Christus homo factus, sub ipsius tutelam ac potestatem voluntariè semetipsum redegit, atque in omnibus promptissimè, annis pluribus obediuit; & nunc quando in cælum illum secum assumpsit, ac condignum ei laborum præmium tribuit, aliquid (quod quidem deceat) ab ipsius dispensatione secernet? Incredibile hoc omnino est, ac proinde subscribendum potiùs S. TERESIÆ Matris nostræ sententiæ, quâ ait: *Dominus nobis indicare velle videtur, quòd quemadmodum illi in terrâ viuenti subditus fuit (nam sicut pater illius dictus fuit, cùm nutritius eius & sustentator esset, ita & imperare pro iure suo illi potuit) sic ei existenti in cælo nihil eorum quæ petierit, deneget.* Accedit, quòd omnia etiam ad S. IOSEPH inde possint referri, quòd non singulorum tantùm Sanctorum Ordinum gratias ac prærogatiuas vnus ipse simul possederit, sed & præ singulis partem vnam, eamque excellentissimam, vt fusè à nobis probatum est, vlteriùs obtinuerit. Quare nullo modo mirandum est, si ego præsens illi Opus præ aliis Sanctis obtulerim, qui ampliùs, vt sibi honores deferantur, promeruit; cui maiora, vt ad se confugientibus succurrere possit, sunt merita. Non vtique nisi vel maximè ad propositum fuit, D. IOSEPHI cum singulis Sanctorum Ordinibus à me instituta comparatio, ac eius præ his omnibus declarata præeminentia; quatenus ab vnoquoque facilè videretur, illum à me in Patronum rectè acceptum, qui omnium foret præcipuus, aliorum esset Patronorum maxi-

maximus, Patriarcharum primus & nouissimus, Prophetarum terminus, Apostolorum antesignanus, Martyrum summus, Confessorum coryphæus, Virginum princeps, Angelorum dominus, Deiparæ Sponsus, Christi paterfamilias.

At quomodo ego hominum minimus in conspectum tanti tamque eminentis Sancti, vt mea offeram, ac defendenda proponam, comparere ausus fui? Ingenuè rem fatebor. Mecum egit sanctissima Mater nostra TERESIA, quod cum filio suo Iacob olim Rebecca, vt is patris sui Isaac benedictionem acciperet. Nota est historia. Audiuerat Rebecca maritum suum ad Esau primogenitum dixisse, illi se impartiri cupere benedictionem antequam moreretur, adeoque aliquid venatu quæreret quo vesceretur. Eapropter cùm ipsa filium alterum Iacob, quem habebant, loco Esau benedictionis huiusmodi compotem fieri desideraret, eumdem induxit, vt fratris sui vestimentis indutus, se patri sisteret, atque vt euenit, benedictionem illius surriperet. Nisi hoc facto excitatus, numquam gloriosissimum Patrem nostrum IOSEPH, Libri dedicandi ergô adire præsumpsissem. Sed animauit me TERESIA Mater nostra: cumque maiori cum fundamento quàm Iacob opponerem: *Timeo ne putet me sibi voluisse illudere*, informe ei hoc Opus obtrudens, *& inducam super me maledictionem pro benedictione.* Illa, *In me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantùm audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi. Abij* ergo *& attuli, dediq; Matri. Quæ parauit sicut velle nouerat patrem. Et vestibus* Reformationis nostræ *valdè bonis quas apud se habebat domi induit* me, *pelliculasq;* Elianas *hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit.* Quid restat, ô Beatissime Pater, quàm vt idem in me fieri supplex exposcam, quod Isaac cum Iacob fecisse Scripturæ textus enarrat? *Dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi osculum, fili mi. Accessit, & osculatus est eum. Statimq; vt sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi ait: Ecce odor filij mei,* &c. Neque ego aliud opto, quàm vt ad conspectum tuum me, qui ad hunc venire confundor, inuites, osculoque dignum in propensi animi signum agnoscas, atque non meâ quidem sed sacri Ordinis nostri vestimentorum fragrantiâ excitatus, inter alia, in hæc benedictionis super me verba prorumpas: *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cæli & de pinguedine terræ. Qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Amen, Amen: fiat, fiat.

AD LECTOREM
PRÆFATIO,
QVA
Scriptionis Occasio, Scopus, Materia, Modus, Ordo, Connexio, Discursus, Stylus, Metus, Fructus, Vsus, ac Scriptoris denique Votum proponuntur.
PRO FACILIORI OPERIS INTELLIGENTIA.
OCCASIO



VÆ me ad isthoc Opus conscribendum impulit, multiplex fuit. Nam siue illud inprimis speciali Dei fauore ac gratiâ, f·· humanâ quadam ac naturali (quâ singuli erga peculiare aliquid proniùs ferimur) inclinatione sit factum, magnâ me adhuc infantem recordor voluptate perfusum, si mortuarias ædes adire, exequias coràm spectare, sepulturis interesse, defunctis benè precari, aut monumentis assidere contingeret. Vt proptereà non immeritò hac in materiâ cum S. Iob possem asserere: Ab infantiâ meâ creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum. *Quem erga defunctos affectum magna adauxit amicorum, vicinorumq; strages, quos interim dum iam puer (luis vitandæ causâ) Louanium missus fuissem, è viuis pestis abstulerat. Quia namque eorum quos mihi redux inopinâ morte ereptos inueni, recordationem subitò non possem abiicere, illos equidem quo affectu quo effectu valui, prosecutus fui. Duplicíq; ratione ad hoc me pietatis officium sensi permoueri: cùm & amicorum animabus submittenda esse auxilia, & hæc ipsa acceleranda, censerem, vtpote quibus post longam demùm moram (vt in pestilentiâ mortuis fieri solet) à suis publicè iusta persoluerentur. Neque verò eamdem in vitâ functos cum bullis ac crepundiis exui propensionem: sed eo hæc mihi præsertim motiuo accreuit, quòd factus prouectior animaduerterem, huius temporis hæreticos, animarum se ex Purgatorio liberationi ac suffragiis, ceu iuratissimos hostes opponere. Quorum furore eò ampliùs excitatus sum, quòd magna cum eorum nonnullis ratione habitationis, cum aliis verò ratione consanguinitatis mihi necessitudo intercederet. Vnde & Purgatorij materiam diligentiùs indagandam, atque aduersus hæreticorum calumnias defendendam suscepi. Cùm enim Regi Catholico, ac fidei Orthodoxæ restitutâ nuper Antuerpiâ, non pauci illic (occultè licet) superessent hæretici, & hos aduersus mortuos ac illorum expiationem, suffragiorumq; pro eis erogatorum efficaciam, velut potissimum errorum suorum classicum attollere inaudirem; sic perpetuum illis bellum indixi, vt de me dici aliquando posse optarem, quod Romanum Breuiarium de S. Petro Martyre Dominicano testatur; eum nempe ab ipsâ penè infantiâ contra hæreses depugnauisse. Vt igitur ad studia altiora conscendi, eam potissimum Theologiæ partem, quæ controuersias hæresumque confutationem spectat, amplexus sum, atque inter alia disputationum capita, materiæ quæ ad Purgatorium atque animarum expiationem pertinet, singulari me studio semper addixi: tum quòd plerosque heterodoxorum in hanc insolentiùs sese gerere ægrè ferrem, tum quòd Orthodoxorum multos maiorem erga defunctos affectum induere exoptarem. Vnde etiam factum est, vt tametsi prolixas satis de Sacramentis in genere & in specie, de Iustitiâ item & iure, pro minoribus in Louaniensi Vniuersitate gradibus obtinendis, Conclusiones propugnandas sumpsissem; pro responsione tamen ad licentiam (vt vocant) Theologicam, non nisi de solo Purgatorio disputationem instituerem; idq; sub præsidio eximij D. ac M. N. Iacobi Ianssonij Amstelredamensis: quasi vel tum mihi mens præsagiret, fore vt Iacobus quidam Amstelredamensis pseudomagister, mihi se in eodem Purgatorio oppugnando, aliquando præberet antagonistam. Huc accedit, quòd Diui Willibrordi Antuerpiæ extra muros Pastor factus, vnicum illud in votis habuerim, vt in templo nostro Parochiali aliquod pro defunctorum animabus orantium Sodalitium institueretur. Quod licet ob exorientes tunc bellorum tumultus, qui propriâ nos sede expulerunt, fieri non potuerit; tamen R. D. Melchiori Cravvelio, meo in Pastorali curâ successori ansam reliquit, id ipsum aliquot post annos perficiendi; Sodalitatem hanc approbante, ac regulis suis communiente Reuerendissimo D. Ioanne Maldero Episcopo Antuerpiensi. Licet verò & alibi in Belgio, vti Mechliniæ in Metropolitanâ S. Rumoldi, & Bruxellæ in Parochiali S. Nicolai Ecclesiis, id genus erectæ sint Congregationes; prior tamen hæc nostra fuit, quæ Romanæ Archiconfraternitati vnita, Indulgentiarum quoque illius, atque omnium priuilegiorum particeps facta est. Sacram demùm Congregationem nostram Carmelitarum Discalceatorum ingressus, non eam tantùm iuuandis mortuis addictissimam atque aptissimam reperi, sed in hac ipsâ quoque tum Fundatricis nostræ S. Matris* TERESIÆ, *tum Comitis illius indiuiduæ V. Annæ à S. Bartholo-*

tholomæo (cuius consilio atque hortatu habitum Religionis potißimum sumpsi) ad affectum meum erga defunctos constabiliendum eximia sui nactus exempla. Vtraque enim ipso solemni Commemorationis animarum die (quò ampliùs erga easdem afficeretur) institutum religiosum auspicata est, ac pari spiritu acta, quidquid nostro in Ordine reformauit, vti mortuis haud difficulter applicari posset, quodammodò efformauit. Tot proinde, ad pietatem defunctis impendendam, rationibus, velut totidem calcaribus exstimulatus, quæcumque de Purgatorij, animarumque, ac suffragiorum materiâ [illegible] inde in libris reperiebam, priuatos in vsus descripsi. Quæ vbi iam in iustum panè volumen excreu[illegible]nt, & à R. P. Ioanne Mariâ à S. Ioseph, Prouinciæ nostræ Belgicæ Visitatore Generali, videri contigisset; auctor is mihi primùm exstitit, dein etiam imperauit, vt eadem prælo committerem. Vnde sponte etiam ac proprio motu, ab Adm. R. P. N. Præposito Generali impreßionis mihi licentiam impetrauit.

SCOPVS.

SVPERIORVM *igitur meorum quà adhortationibus incitatus, quà iußionibus obsecutus, Opus hoc multò quidem prolixius, eodem tamen ordine ac methodo, quo propriè illud lectioni digesseram, publici iuris facere decreui. Nam sicut non satis mihi fuerat ea solùm compilare, quæ ad speculatiuam de purgandis spiritibus notitiam spectarent, sed & quæcumque ad practicam insuper atque effectiuam (vt ita loquar) defunctorum liberationem, valere existimabam; ita iam vtrumque hoc, velut scopum in quem directè collimem, Lectori propono. Ex quo rursum patet, varium etiam scriptionis meæ intentum esse. Et quidem vt hoc ipsum, tametsi fusißimè se extendat, ad certa aliquot capita, pro faciliori legentium intellectu contrahamus, quinque solùm aut sex potißima enumeratum imus. Primùm, quia scriptores, qui ex professo, datâ operâ, vel exactè Purgatorij, animarumq; ac suffragiorum materiam tractandam suscepissent, à me diu multumq; quæsiti, inueniri minimè potuerunt; sed aliqui non nisi aduersus Nouatores Purgatorium adstruerent, alij verò pro Catholicis solùm de mortuorum dumtaxat suffragiis agerent; nulli demùm de meritis ac præmiis mortuorum liberatoribus aßignatis, prolixè, vt par erat, exposuissent: hæc vniuersa mihi visum fuit simul vno velut fasce complecti, atque integrum materiæ opus, & quidquid huc facere videbatur, eodem volumine pertractare. Secundò cùm iam multis ab annis inter Orthodoxos sectariosq; an verè Purgatorium existat, quæstio feruenter agitata perduret; eamdem placuit è Gentium omnium consensu, rationibus naturalibus, singulorum sæculorum ac temporum scriptoribus, atque vniuersæ Scripturæ locis, pro sententiâ Catholicorum dirimere: vt, siquidem hæretici nostri lucem intueri voluerint, facilè poßint; si noluerint, iustâ se excusandi ratione destituant, & apertè contumaciæ conuincant. Tertiò, neque satis mihi fuit ad ipsam Purgatorij confeßionem Nouatores adducere, nisi debitum etiam Catholicis timorem incuterem, tum vt in præcauendo sibi ab illo expiatorio igne, tum vt in eximendis inde fidelibus feruentiores reddantur. Quod non efficaciùs me facere posse arbitratus sum, quàm si declararem, vti vera, ita & tremenda esse post mortem purgandorum supplicia. Quartò, vt verò certius citiusq; à tormentis suis animæ liberentur, vniuersa suffragiorum genera, quæ eò facere possent, vndequaque collegi, ac solidis fundamentis stabiliui. Quin & singulas horum conditiones peculiariter explicaui, vt illâ ratione mortuis auxiliari cupienti, ad instructionem scientiamq; nihil deesset. Quintò, vt non intellectum solùm Lectoris, sed & voluntatem illius ad media hæc opere exequenda inflammarem, meritorum præmiorumq;, quæ fidelium animarum liberatores sibi comparare solent, magnitudinem ac multitudinem* Libro *integro sum prosecutus. Denique vt affectum vniuersis erga mortuos instillarem, nullum non lapidem moui: vt cuiuscumque tandem status, conditionis, seu profeßionis homines forent, pietatis viscera erga purgandos induerent.*

MATERIA.

SICVT *ergo quoslibet atque omnis generis homines in mortuorum adiutorium animare, atque ad iisdem succurrendum pertrahere, præsenti Opere sum conatus; ita & omnis mihi via ingredienda, qualibet explicanda materia fuit, vt per inuia etiam ac prærupta, non tritam aut calcatam hactenus semitam, aperirem. Neque verò deuium mihi visum est, quidquid ad intentum à me terminum Lectorem deducere potuit. Ad hæreticum quod facit, ei non solùm è rationibus, SS. Patribus, ac sacris Scripturis, Purgatorij supplicia declaranda fuerunt: sed cùm sicuti virtutes, ita etiam fidei veritates mirè inter se connexæ ac velut concatenatæ sint, Purgatorij controuersia, reliquarum quas cum sectariis habemus, disceptationum substantiam, secum traxit. Vt proinde vni Purgatorio, secundùm integram suam latitudinem ritè stabiliendo, quotquot panè à Nouatoribus aduersus Ecclesiam obiectiones mouentur, dissoluenda nobis obuenerint. Catholicis autem ad animarum liberationem animandis, instruendis, promouendis, copiosißima quoque seges exhibetur: nam posteriore licet, potiore tamen* Libri *primi parte fusè explicata sunt tormentorum Purgatorij grauitas, culparum illic expiandarum leuitas, personarum quandoque expiatarum sanctitas, temporis quo non rarò hæc supplicia durant prolixitas, aliaq; his similia: quæ haud dubiè viuentibus excitandis aptißima erunt; vt ne quid simile sibi contingat, præuideant, ac animabus vt citò tor-*

tormentis eripiantur, prouideant. Hoc vt efficaciùs fieret, singulas suffragiorum species, quibus Purgatorij cruciatus & ipsi euadere, atque ab iis alios liberare valemus, quàm latissimè secundùm omnes partes ac qualitates suas, toto Libro *secundo descripsimus. Non satis rati, si quibus, defunctis succurrimus, media Lectori innotescerent, nisi necessarias simul ac singulas horum conditiones, per quas faciliùs effectum suum sortiantur, calleret. Imò & propterea quòd parum sit, ipsa scire remedia, nisi debitâ hæc ratione ac tempestiuè indigentibus subministrentur, vniuerso* Libro *tertio, neminem non animare, permouere, impellere, inflammare inde studuimus, quòd maximis honoribus, emolumentis, ac oblectamentis, defunctorum Patronus abundet. Vniuersas porrò, quas licuit, materias ad animarum Purgatorijq́ propositum accommodandas existimaui, vt quos fortassis nuda tetrici huiusce argumenti deductio, seu feralis mortuorum causa, minimè alliceret, priuati saltem instituti ac professionis ratio, cuius & hic argumenta non pauca reperient, ad præsentia legenda excitaret. In quo proinde notandum est, non solùm quod primariò ac directè, sed quidquid etiam secundariò ac reductiuè Purgatorij explicationi deseruire potuit (vt nimirum præfixo à me scopo respondeat) ceu propriam huius Operis materiam habendum esse.*

MODVS.

QVA *in rerum amplitudine ac prolixitate, modum illum seruari conueniens fuit, qui à Lectore tædium molestiamq́ repelleret. Nam quia lugubris admodum ac tetrica futura erat hac de Purgatorij tormentis, atque animarum statu tractatio, illam oportuit intermixtis aliarum materiarum latiorum explicationibus temperari, atque ipsâ quodammodò varietate amæniorem nonnihil ac iucundiorem reddi. Vnde & sic permixtæ à me fuere materiæ, atque alternatim vel de animabus, vel de rebus aliis sermo institutus, vt hic vsui veniret illud Poetæ:* Amant alterna Camœnæ. *Verba etiam libri 2. Machabæorum capitis vltimi, facilè proposito accommodarentur:* Sicut vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est, alternis autem vti delectabile: ita legentibus, si semper exactus sit sermo, non erit gratus. *Quapropter vt Purgatorij atque animarum in eo excruciatarum, imò & operum pœnitentialium siue satisfactoriorum amaritudo minùs grauis Lectori redderetur, admixtarum hanc materiarum dulcedine temperandam duximus: vti videlicet amarum, quod vtile ac cordi sanum esse solet, debitâ suauitate permixtum, ac veluti contemperatum, sequentem hic versum conuenire ostendat:*

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.

Sed quam, quæso, cui hæc rerum permixtio non arriserit, vt illam improbet, rationem allaturus est? si quid ei hic minùs placuerit, intactum relinquat; quod verò sapidum, atque ad palatum suum faciens inuenerit, id solùm attingat, neque dente canino, vt habet prouerbium, cetera arrodat. Si contrà fecerit, ineptissimè eum agere, hacce comparatione euinco. Esto qui omnis genij ac conditionis homines ad conuiuium inuitarit, & excipere vnumquemque humanissimè, ac singulis pro gustu suo cibos potumq́ apponere satagit; certè vnum vni, alterum alteri, ferculum aut vinum sapiet, non omnibus omnia placebunt: an idcircò ei, Zoile, detrahendum, quòd hoc illúdve tibi displicuerit? Sin ita, forsan alij vel maximè exosculabuntur. Et quod tu potissimum ac sapidissimum existimaueris, vilipendent. Quot homines, tot sententiæ. *Equidem ad promouendum animarum adiutorium, præsenti Opere vniuersos homines inuitaui: si cuius fortè palato aliquid ex appositis ferculis minùs placeat, memor ille sit, plures, quibus idem cibus gustui ac profectui esse queat, ad spirituales has secum epulas vocatos esse. Alioquin cum D. Hieronymo libro 2. contra Ruffinum ei dicere licebit:* Audiant me liberè proclamantem: Nemo cogitur legere quod non vult. Ego petentibus scripsi, non fastidiosis; gratis, non inuidis; studiosis, non oscitantibus.

ORDO.

PORRO, *vt quæ in hunc* Librum *relata sunt, congruo singula tempore ac loco producerentur; omnem quam potui operam nauaui, vt in conuenientem ordinem methodumq́ vniuersa redigerem. Occurrebat primum* Libri *Titulus, seu Inscriptio, de quâ, vt ait D. Augustinus, Scriptori (quatenus ex eâ Lectorem suum de sequentibus rectè informet) potissima cura habenda est. Huic officio ne defuisse videamur, toto Capite primo ipsum Titulum* Libri *explicabimus; eiq́, velut basi, super quâ nimirum reliqua exædificanda sit structura, tria proxima Capita, quæ ad misericordiam (cui per exhibendum mortuis subsidium, vniuersum hoc Volumen conscriptum est) in homine Catholico excitandam conducant, succenturiabimus: atque hisce, tamquam fundamentis vniuersam totius Operis molem superimponemus; quam in tres partes seu Libros, non secùs atque amplissimam domum in tres primarias aulas dispartiemur. Libro Primo declarabimus,* Vera esse ac tremenda post mortem purgandorum supplicia. *in Secundo,* Iis relaxandis varia faciliaque inueniri penes viuos remedia. *in Tertio,* Eximia illorum qui animabus suffragantur, merita esse ac præmia. *Ex quibus liquet, quàm congruus vniuerso in Opere seruatus sit ordo. Primùm enim, iuxta Philosophum, de re quapiam inquirendum est,* An sit; *quod hic fit, dum verè post mortem purgandorum supplicia reperiri ostendimus. Secundò,* Quid sit; *quod ipsum*

ipsum quàm sufficientissimè etiam demonstratur, vbi quàm tremenda sint illa tormenta exponimus. Demùm alia circumstantiæ, quæ ad Purgatorium atque animas eodem eximendas spectant, suo singulæ ordine subiunguntur: inter quas suffragiorum explicatio præcedit, & Librum secundum complectitur; sequitur defunctis seriò opitulantium remuneratio, quæ in tertium Librum relata est.

CONNEXIO.

PRAETER *alia verò in tam multiplici rerum ac materiarum consarcinatione, vel illud mihi præcipuè cauendum fuit, ne tot simul atque à se mutuò velut distincti tractatus, instar scoparum dissolutarum viderentur, ac legentibus obscuritatem potiùs quàm claritatem, & nocumentum magis quàm documentum adferrent. Vt ergo ingenuè fatear, molestissimum mihi visum fuit, tam diuersa ac disparata simul connectere, & quæ longissimè essent disiuncta, debito vt par erat nexu inter se colligare. At quoniam, si quid forsitan non ita feliciter vel ad votum succederet, facilè beneuolentiâ ac prudentiâ Lectoris supplendum considerem; ob maiora, quæ ex tantâ materiarum abundantiâ (vti videbimus) oriri poterant emolumenta, iam dictâ non obstante difficultate, confidenter progressus sum. Semper interim quantum quidem licuit conatus antecedentia cum sequentibus coniungere, & ex pluribus licet membris, corpus vnum respectu Numerorum in singulis Capitibus, respectu Capitum in singulis* Libris, *respectu* Librorum *in toto Opere constituere. Quòd autem Capita aliquot bimembria esse voluerim, & materias aliquando non vsque adeò sibi mutuò (vt iudicari primâ fronte posset) cohærentes, simul iunxerim, hæ me rationes impulerunt; vel, quòd membrum vnum, si solùm per se ac nudè allatum fuisset, tædium Lectori generasset, ideoq; materiâ diuersâ temperandum foret; vel quòd ad integram Purgatorij probationem explicationemq; facere necessariò, vel plurimum saltem conducere, videretur. Vnde licet aliquid subinde, illo loco, in quo refertur, minùs conuenire videatur, totius tamen Operis respectu, vel maximè ad rem pertinebit. Erit præterea, cùm varietatis gratiâ, vel quòd prolixiores essent rei alicuius circumstantiæ, aut citationes, eas diuidere, ac distinctis occasionibus referre, conuenienter oportuerit. Quidquid sit, Operis vniuersi connexio è priore nostro Indice, qui erit summariorum singulis Capitibus præfixorum, ad oculum patebit.*

DISCVRSVS.

SI *autem quæ hocce in Volumine congessi, proprio me Marte adinuenire, atque ex ingenio meo proferre oportuisset, numquam tantum in humeros meos onus suscipere aut sustollere ausus fuissem. Non mihi igitur aliud à principio scriptionis fuit propositum, quàm vt quæ ceteri de Purgatorio, ac materiis eò spectantibus scripto consignassent, ipse transcriberem, & in vnum corpus redacta, Lectori hæretico conuertendo, orthodoxo verò vt mortuis auxilietur commouendo, proponerem. Ac propterea nihil hîc aliud expectandum est, quàm pura puta aliorum doctrina, seu Scriptura sacra ac Sanctorum Patrum illa fuerit, seu eorum qui proximis sæculis, vel hac nostrâ ætate vixerunt. De Scripturâ quidem 2. ad Timoth. 3. ait D. Paulus:* Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitiâ: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. *De sanctis Patribus verò D. Augustinus lib. 9. cap. 18. in Iulianum calamum stringens, atque istorum scripta pro stabiliendâ fidei veritate commemorans, ita scribit:* Sed fideles, & multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus, per diuersas ætates temporum, locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire iudicat, ipse dispensat. Hos de aliis atque aliis temporibus, atque regionibus ab Oriente & Occidente congregatos vides, non in locum quo nauigare cogantur homines, sed in librum qui nauigare possit ad homines. *Viden', vt librum de quo agit, ex Patrum Operibus digestum Augustinus confiteatur. At cuius, quæso, auctoritatis illorum dicta habenda censuit?* Talibus, *inquit*, post Apostolos S. Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus, creuit. *Neque huius ætatis Scriptorum auctoritas contemnenda est; tum quòd illorum permulti sua, quæ ex sanctis Patribus ac sacris Litteris hausêre, clariùs aliquando proponant; tum quòd posteriorum obiectionum ac difficultatum (quæ nouæ semper ac nouæ quotidie enascuntur) nodum opportunè dissoluant. Quantum ergo Auctoribus nonnullis curæ fuit, scripta aliorum suis verbis conuestire, proprioq; sub nomine ac titulo aliena diuendere; tantum ego allaboraui, non tam mea quàm aliorum dicta proferre. Quare cùm meam hanc ex professo mentem fuisse Lector intelligat, non foret quòd miraretur, etiamsi ex Scripturis ac Patribus, modernisq; Auctoribus integras subinde paginas aut capita transcripsissem. Hoc enim etiam volui,* ne, *vt 2. ad Corinth. 12. Apostolus ait,* quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me; *sed in vnumquemque, cui à Deo ingenij ac eruditionis gratia data est, ipsa gloria refundatur: ne in altero sæculo, vbi vniuersa patescent, vanitatem hanc exuere, ac igne Purgatorio expiare cogamur. Quàm interim laudabile sit ad Auctores suos scripta referre, & singulis sua attribuere, D. Hieronymus Epist. 3. ad Heliodor. de Nepotiano loquens, testatus est:* Cuius sermo, *inquit*, erat de Scripturis aliquid proponere

liben-

libenter audire, respondere verecundè, recta suscipere, praua non acriter confutare, disputantem contra se magis docere quàm vincere, & ingenuo pudore, qui ornabat ætatem, quid cuius esset, simpliciter confiteri: atque in hunc modum eruditionis gloriam declinando eruditissimus habebatur. Illud, aiebat, Tertulliani, istud Cypriani, hoc Lactantij, illud Hilarij est: Sic Minutius Felix, ita Victorinus: In hunc modum est locutus Arnobius. Me quoque, quia pro sodalitate auunculi diligebat, interdum proferebat in medium.

STYLVS.

NON *itaque sensa tantummodò, sed vt plurimum ipsa etiam scriptorum verba sum mutuatus. A quibus vt illa, quæ à me ordinis ac explicationis gratiâ, adiungi debuerunt, minimè discreparent, non sublimis mihi ac fastuosus, sed obuius ac facilis stylus vsurpandus fuit. In quo consilium atque exemplum D. Gregorij Magni secutus sum, qui in Præfatione Moralium super 5. Iob, sic Lectorem alloquitur:* Quæso autem, vt huius Operis dicta procurrens, in his verborum folia non requiras, quia per sacra eloquia, ab eorum tractatoribus, infructuosæ loquacitatis leuitas studiosè compescitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur. Et cuncti procul dubio scimus, quia quoties in foliis malè lesæ segetis culmi proficiunt, minori plenitudine spicarum grana turgescunt. Vnde & ipsam artem loquendi, quam magisteria disciplinæ exterioris insinuant, seruare despexi. Nam sicut huius quoque epistolæ tenor enuntiat, non metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem deuito, situs motusque propositionum, casusque seruare contemno, quia indignum vehementer existimo, vt verba cælestis oraculi restringam sub regulis Donati. Neque enim hæc ab vllis interpretibus in Scripturæ sacræ auctoritate, seruata sunt: ex quâ nimirum quia nostra expositio oritur, dignum profectò est vt quasi edita soboles, speciem suæ matris imitetur. *Neque Christianis solùm, sed & Gentilibus perspectum fuit, in rebus seriis styli fastum tumoremq; nequaquam esse sectandum. Cuius rei luculentissimus D. Ioannes Chrysostomus testis est; nam ille de Socrate excellentissimo Philosopho verba faciens, eum ad Iudices Athenienses non compositis, sed vulgaribus pro sui defensione verbis, vsum fuisse, elegantiamq; detestatum, affirmat.*

METVS.

INTERIM *non me quoad omnia inculpatum affirmo, sed in pluribus defecisse, libenter atque vltrò profiteor.*

Cùm relego, scripsisse pudet, quia plurima cerno,
Me quoque quæ feci iudice, digna lini,

ego de me veriùs, quàm olim libro de Ponto de se Ouidius, cecinero. Quæ tamen me à scribendo ratio nequaquam deterruit, cùm vix Auctor, quantumuis eruditissimus ac disertissimus, inueniatur, qui non in aliquo, hominum censuram sit expertus. D. Hieronymus sanè ea, in quibus singuli Scriptores sacri vel reprehenderentur, vel minùs laudarentur, singillatim enumerat; Tertullianus, *inquit*, creber est in sententiis, sed difficilis in loquendo. B. Cyprianus instar fontis purissimi, dulcis incedit & placidus: & cùm totus sit in exhortatione virtutum occupatus persecutionum angustiis, de Scripturis diuinis non disseruit. Inclyto Victorinus martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non potest. Lactantius, quasi quidam fluuius eloquentiæ Tullianæ, vtinam tam nostra confirmare potuisset, quàm facilè aliena destruxit. Arnobius inæqualis & nimis est, & absque operis sui partitione confusus. S. Hilarius Gallico cothurno attollitur, & cùm Græciæ floribus adornetur, longis interdum periodis inuoluitur, & à lectione simpliciorum fratrum procul est. *Si ergo eruditissimi hi viriq; sanctissimi, qui suis tamen operibus Dei Ecclesiam insigniter illustrarunt, vt omnium palato arriderent, efficere non potuerint; mirum sanè non erit, si ego hominum postremus, & qui variis Librum meum mendis ac defectibus scatere libens agnosco, non aliquibus sed pluribus fortasse displicuerim. Vt verum dicam, nihil mihi potiùs faciendum esse putaui, quàm vt cum D. Hieronymo Prologo in libros Regum loquar:* Obsecro te Lector, ne laborem meum reprehendas. In tabernaculo Dei vnusquisque offert quod potest, alij aurum & argentum, & lapides pretiosos, alij byssum & purpuram, & crocum offerunt, & hyacinthum. Nobiscum benè agitur, obtulerimus pelles & caprarum pilos. Et tamen Apostolus contemptibiliora nostra magis necessaria iudicat. Vnde & tota illa Tabernaculi pulchritudo, & per singulas species Ecclesiæ præsentis & futuræ distinctio, pellibus tegitur & ciliciis, ardoremque solis & iniuriam imbrium, ea quæ viliora sunt, prohibent.

FRVCTVS.

NEQVE *idcircò quòd exigui pretij laborem hunc nostrum esse fateamur, paruus ex eo fructus expectandus est. totis namque quinquaginta Libri III. Capitibus animas Purgatorio liberantium præmia sunt descripta, & quàm honorificum, vtile, ac delectabile sit mortuis exhibitum charitatis officium, abun-*

abunde declaratur. De quibus speciatim illo in Libro: modò generales tantùm quasdam, quæ ex vniuerso Opere colligi possunt vtilitates, velut prodromas ac reliquarum specimina præmittemus. Vna est, quòd efficaciter omnino ipsæ defunctorum animæ per media, motiua atque incitamenta, quæ hoc Tractatu cum vniuersis suis conditionibus ac perfectionibus describuntur, è Purgatorio liberandæ sint. Quod haud dubiè esse maximè eximium, ac summæ perfectionis opus, loco suo à me docebitur. Altera, quod qui viuunt homines ad bonum omne instruantur atq; accendantur, eisq; via declaretur, quâ ex ope mortuis præstitâ, omne sibi bonorum genus conquirant. Quot enim è tormentis animas liberarint, tot sibi apud Deum opt. max. ad impetrandum quidquid eis expedierit, intercessiones conciliant: qui, vtpote gratissimi, Diuinam Maiestatem pro his, quos suppliciorum suorum experti fuerunt mitigatores, identidem interpellant. Etenim summo atque infinito bono iam præsentes ac familiares, quodcumque ab illo pro suis benefactoribus postulant, haud ægrè consequuntur. Hoc proinde pietatis genus tam homini adhuc viuenti est vtile, quàm aliud quodcumque, esto perfectissimum sit Christianæ deuotionis exercitium; imò non rarò mortuorum patrono, quàm ipsis mortuis, quantumuis tantis è malis illius adminiculo eripiantur, fructuosius. Præter hæc & aliud viuentibus magnum æquè emolumentum accedit; siquidem quomodo & ipsi compendiosiùs Purgatorium euadant, & vt re ipsâ euadant semet perficiant, istinc addiscunt. Neque tantùm hominibus seu viuis seu mortuis huiusmodi beneuolentia est vtilissima; sed Beatis iam cælo donatis atque ipsis Angelis, ex eadem commodi plurimum accedere, certissimum est. Vt enim primo Libri I. Capite probabimus, Angelorum inde ruina instauratur, ac Sanctorum societas adaugetur. Amplius dico, hinc & ingentem Diuinæ Maiestati gloriam prouenire. Primò, quia eius naturali inclinationi aduersatur pœnas ac supplicia creaturis inferre; nam nonnisi peccatis nostris ad hæc inferenda quodammodò inuitus compellitur, cùm ipsi proprium sit misereri & parcere. Deinde, quia tantâ propensione in bonum nostrum fertur, vt velit non tantùm non punire & affligere, verùm etiam in misericordiâ & miserationibus coronare: hinc quasi sibi fieret, quod animabus purgandis exhibetur, acceptare, atque in obligationis suæ computum referre consueuit. Et profectò Dei is gloriam non mediocriter auget, qui fidelem quempiam tormentis liberatum, eum laudantium choro interserit.

VSVS.

AT quid, inquies, emolumenti capiam è prolixâ illâ tot alienarum materiarum aggregatione? quid è rerum extranearum, & quæ perexiguam, vel certè nullam cum Purgatorio habere videntur cognationem, fusiore ac molestiore subinde (vt primâ fronte apparet) deductione? & quid ad rem, quæ extra rem (vt quidem videtur) allata sunt? Haudquaquam extra rem sunt, cùm omnia ad propositum quàm maximè faciant. Vt enim iam sæpiùs diximus, non aliquorum solùm aut multorum, sed omnium omnino commodo Liber hic est conscriptus. Peccatores, si remedium mali sui quærant, habebunt ex illo quidquid in multis voluminibus sparsim inuenient. Nam ad peccatorum horrorem, ob infandum illorum effectum terribilesq; pœnas, concipiendum, copiosam messem suppeditabit. De remediis quoque quibus peccata curentur, eius occasione abundantissimè disseruimus, quòd, vt viuentium suffragia mortuis prosint, necessarium esse gratiæ statum ostendere debuerimus. Misericordiam præterea diuinam sibi toties oblatam vt amplectantur, eos excitabunt quæcumque de illâ per totum Opus passim inserta sunt, atque alia id genus. Ad sæculares porrò quod attinet, illorum quisque hoc in Opere muneris sui partes, & quid ad illud ritè obeundum requiratur videre poterit; diuersis enim occasionibus ad quid coniugati, ad quid viduæ, ad quid soluti obligentur, attulimus. Perfectionis quoque studiosi, siue illi iam primùm incipiant, siue in eâ proficiant, siue demùm perfecti iam sint, omnimodam hic inuenient instructionem. Singulorum quoque Ecclesiæ Ordinum Religiosi Religionis suæ proprios Sanctos, eorumq; elogia hic reperient: quod studiò à me factum, vt qui maximè pietate excellunt, aliquam iuuandarum animarum ex horum lectione occasionem captent. Sed quid singula enarratum eo? Hæc aliaq; id genus plura, in duodecim Indicibus fusè sunt deducta, ad quos sub finem Operis accusos, Lectorem ablego. E quibus ad oculum patebit, vno hoc in Volumine omnes materias, & quidem (quod multis, vt spero, in primis placebit) breuiter pertractari. Igitur multorum in vsum vnus hic Liber esse poterit, & vel maximè iis seruire, qui rerum varietate delectantur: vix enim aliquam Theologis, Scholasticis, Mysticisq;, Ecclesiasticis seu sæcularibus, Catholicis seu hæreticis occurrere posse arbitror materiam, quin hic aliquatenus explicetur. Concionatoribus verò tanta materiarum seges congesta est, vt quacumque iis die (si per alias fortè occupationes præpediti, studiis se multùm impendere nequeant) concionandum fuerit, vel ex tempore & subitò aliquis ad populum sermo sit habendus, decem aut duodecim diuersa themata, locis suis à nobis deducta, & in prædictis Indicibus expressa, ad manus habituri sint.

VOTVM.

VTINAM ergo hoc Opus eo quo scriptum fuit, recipiatur affectu! vtinam & affectui effectus respondeat! Nolo quispiam quidpiam mihi debeat; at cupio tantùm vt omnes hinc, quam mortuis pietatem debeant, agnoscant, & ad debiti huius promptiorem exsolutionem permoueantur. Istud primum,

mum, illud præcipuum ac primarium, ne dicam vnicum meum fuit intentum: huc omnes conatus, omnes labores, omnia denique animi mei vota ac desideria tendunt; & si quid vltrà mihi esset virium, hoc ipsum ad fidelium defunctorum animas Purgatorio eximendas, totum, quantus quantus sum, quàm perlibentissimè impenderem. Credo, dum vos, ô fideles in Purgatorij ergastulo iam detentæ animæ, animo compassionis ac commiserationis affectus plenissimo, compello, quemadmodum à S. Iobi verbis huic ad Lectorem prosphonesi initium dedi, ita me quoque posse cum illis 2. ad Corinth. 12. Apostoli Pauli verbis coronidem eidem imponere: Ego autem libentissimè impendam & superimpendar ipse pro animabus vestris. *Et cum illis quæ ibidem mox subiungit,* Licet plus vos diligens minùs diligar; *quoniam fortasse nonnullis minus placebit, quòd vt meum erga vos affectum testarer, omnem scriptionis materiam in vnum collegerim. Collegi enim omnia, vt fortiùs in omnes agerem; collegi omnia, vt tentarem omnia; collegi omnia, vt omnes lucrifacerem. Quisquis certò se cognouerit moriturum (vt nemo non nouit) & mortuum fortè Purgatorio addicendum, si hæc laudare noluerit, credo saltem non oppugnaturum. Atque his vale, Catholice Lector: Patrem interim clementiæ, ac totius consolationis Deum, supplex expostulans, vt sic ipse erga defunctos afficiare, quatenus particeps aliquando istius Saluatoris nostri promissionis fias, quæ habetur Matthæi 5.* Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur; *liber verò ab illâ D. Iacobi Apostoli cap. 2. interminatione euadas:* Iudicium sine misericordiâ illi, qui non fecit misericordiam.

c

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

FRater Hilarius à S. Augustino FF. Carmelitarum Discalceatorum Prouinciæ S. Ioseph per Belgium & Burgundiam Prouincialis. Cùm Librum à R. P. F. Eliâ à S. Teresiâ Ordinis nostri Religioso compositum, qui intitulatur, *Legatio Ecclesiæ triumphantis ad militantem, pro liberandis animabus Purgatorij*, designati eiusdem Ordinis nostri Patres legerint, probarintque; potestate ab admodum R. P. N. Generali ad hoc mihi datâ, facultatem facio, vt typis excusus in lucem edatur. Precorque Deum opt. max. bonorum omnium auctorem, vt id redundet in eius gloriam, animarum piè in Domino defunctarum, quæ ignibus adhuc purgatoriis expiantur, refrigerium, & totius S. Ecclesiæ vtilitatem. In quorum fidem has litteras manu meâ subscriptas, officij mei sigillo muniui. Bruxellis in Conuentu nostro S. Mariæ de Monte Carmelo, die 15. Aprilis, Anno 1633.

Locus sigilli.

F. Hilarius à S. Augustino
Prouincialis.

APPROBATIO CENSORIS.

LEgationem Ecclesiæ triumphantis ad militantem, pro liberandis animabus Purgatorij communibus conciuibus, per R. P. F. Eliam à S. Teresiâ Antuerpiensem Carmelitam Discalceatum Prouinciæ S. Ioseph in Belgio compositam, publicâ luce dignissimam censui, vtpote quæ doctrinæ suæ soliditate, materiæ varietate, scriptionis claritate, nata sit militantis Ecclesiæ pugilibus eximium lumen subministrare, ad accelerandam obtinendamque animabus Purgatorij, sedentibus in tenebris & in regione vmbræ mortis, optimam quam habent repositam gratiam, quatenus requiem æternam donet eis Dominus, & lux perpetua luceat eis. Ita censeo, Antuerpiæ hac 17. Nouembris, Anno 1632.

Zegerus van Hontsum S.T. Licentiatus,
Canonicus & Pœnitentiarius, Librorum Censor.

BREVIS SYNOPSIS
EORVM
QVÆ SINGVLIS OPERIS TOTIVS CAPITIBVS CONTINENTVR.

LIBER PRIMVS.

Quàm vera & tremenda post mortem purgandorum supplicia.

CAPVT PRIMVM.

Cælitibus hanc Legationem propriè conuenire ostenditur.

BEATI Ecclesiam triumphantem constituunt, mortales adhuc militantem; illa hanc exstimulat, vt animabus purgandis succurrat, idemque rectè asseri dupliciter probatur; primò generatim, quia & Angeli & homines tam beati nos viuentes ad omne bonum instruunt, dirigunt, atque ab imminentibus malis, etiam aliquando visibiliter apparendo, præseruant. Quod in animarum è Purgatorio liberatione vel maximè locum habere, Machabæorum docetur historiâ. Idem in particulari tribus argumentis ostenditur. Priori, quia per huiusmodi animarum liberationem, cælitum ruinæ reparantur; altero, hinc afflictis eorum membris, defunctis nimirum succurritur; tertiò, vt viuentibus opitulari valeant sancti, illa mortuis exhibita efficit charitas. Quin & triumphanti Ecclesiæ hæc inscribenda Legatio, propterea quòd eius verbis vsus sit Auctor, ac totum Opus illi attribui cupiat.

CAPVT II.

Vniuersas Dei perfectiones excedit eius miseratio.

Magnitudo misericordiæ Dei variis testimoniis declaratur, quæ semper & vbique nobis est obuia, atque in omnibus eius operibus mirè elucet, cui manifestandæ, vniuersæ perfectiones diuinæ diriguntur, atque exercendæ famulantur. Neque id in iustis solùm hominibus, sed etiã iniustis, omnes enim miserendi Deus occasiones captat, & inuitus mala castigat, promptissimus verò est ad benè faciendum. Quod multis, ac in primis Saluatoris nostri exemplo, qui per misericordiam triumphauit, confirmatur: homini porrò perfacile est Dei gratiam acceptare, vtpote qui ad eamdem non tantùm inuitatur, sed & à Spiritu sancto inuitus nonnumquam impellitur.

CAPVT III.

Diuina Maiestas nihil tam ab hominibus exigit, quàm proximi compassionem.

In misericordiâ nos Deus sibi esse similes voluit: huius effectus & necessitas, sine quâ salus propria non acquiritur, neque alia prosunt opera; quemadmodum & hæc ipsa reliqua perfecit, atque omnia excedit. Vnde Sancti, ac præsertim D. Paulus, illius perstudiosi fuère. Sacrificio dignior misericordia, adeoque diuina Maiestas eam potissimùm à nobis exigit. Quin & quia hac virtute ad perfectionem diuinam quantum possumus vicinè accedimus, viri sancti omnem suum conatum vt hanc acquirerent, admouerunt, vniuersaque præ illius exercitio despexerunt, vt insigni patuit D. Paulini exemplo.

CAPVT IV.

Opitulari vitâ functis est excellentissimus actus clementiæ.

Fraterna charitas in animarum è Purgatorio liberatione maximè excellit. Potissima misericordiæ species esse probatur ex ipsiusmet misericordiæ definitionibus, quas SS. Patres adduxerunt, ex motiuis quibus ad eam præstandam inducimur, ex ordine quo fieri iubetur, ex aliis circumstantiis, quibus perficitur, ex auctoritatibus tam recentiorum, quàm veterum, demum ab exemplis. Illudque verum esse etiam respectu peccatorum conuersionis, & quare.

CAPVT V.

Gentium omnium in Purgatorij veritatem consensus. Nouatores nostros hæreseos, atque adeò iustè propter obstinationem suam vindicta reos ostendit.

Tribus præcedentib Capitibus, velut fundamento, toto Operi substratis, veritas Purgatorij proponitur, cuius negatio hæreticis, reliquarum hæresum fons est; eorum cauilli & technæ. Ius naturæ ac Gentium quid sit. Esse Purgatorium, probatur ex vniuersali omnium gentium consensu, naturâ, vnanimi Ecclesiæ fide, ipsâ quoque hæresiarcharum Lutheri & Caluini assertione. In quæ mala hæretici ob superbiam atque obdurationem suam corruant. Hæresiarcharum feralis interitus, mutuaque contentio, quâ ipsæ tandem hæreses destruuntur.

CAPVT VI.

Rationes aliquot naturales adferuntur, ex quibus Purgatorium colligitur; atque Ecclesiam, quæ credendum hoc docet, errare non posse monstratur.

Naturalibus rationibus Purgatorium adstruitur, è tribus item Catholicorum, ac totidem hæreticorum principiis; atque horum contra illud argumenta refelluntur. Remissâ culpâ, non semper pœnam remitti, exemplis S. Scripturæ clarescit. Ecclesia, quæ errare nequit (secus licet sentiente Caluino) nullo non tempore Purgatorium credidit: Catholica porrò fides semper vna ac eadem fuit: mutatâ quotidie in diuersas formas hæreticorum doctrinâ.

CAPVT VII.

Quàm ingens, ab annis ampliùs sexcentis, pro Purgatorio testium numerus: quàm nulla debeatur fides Nouatoribus hos oppugnantibus.

Ab annis ampliùs sexcentis creditum fuisse Purgatorium, Scriptorum qui per idem tempus vixêre, testimoniis confirmatur: cui testium auctoritati & numero, dum hæretici aduersantur, cæcos se, & cæcorum duces ostendunt. Horum missio nec ordinaria fuit, nec extraordinaria, vti nec miraculis stabilita: quinimò Lutheri, Caluini, eorumque sequacium, vita fuit contaminatissima, scripta verò fœdissima, atque inuicem contumeliis maledictisque mirum quantoperè sese proscindunt.

CAPVT VIII.

Sex etiam sæculis anterioribus vnanimiter SS. Patres in rem nostram conspirarunt, ac sectarij per antiquiora sibi sæcula perperàm testes corrasêre.

Per sex etiam sæcula anteriora creditum esse Purgatorium, singulorum quibus floruêre sæculis, Patrum verba clarificant, licet interim hæretici scribere non vereantur, fidem de Purgatorio, atque aliis Ecclesiæ Catholicæ veritatibus errorem fuisse. At testes in hoc ab ipsis productos nihil eorum causæ patrocinari, imò & multùm officere ad oculum viris cordatis declaratur.

CAPVT IX.

Traditiones Ecclesiasticas admittendas esse, indubitatamque Ecclesiæ primitiuæ de purgandis animabus traditionem haberi.

Præter verbum Dei scriptum, aliud traditum esse admittendum SS. Patres è Scripturis affirmant: sectarij autem tametsi id verbotenus negent, reipsâ tamen admittunt; dumque ea quæ scripta non extant, ipsimet seruât, fidei suæ regulam, probamq; ac vitæ formam euertunt. Traditionem porrò Purgatorij antiquissimam esse, è priscis Patribus comprobatur. Notæ quibus traditio vera à falsâ dignoscitur, in hac quæ de Purgatorio est, omnes concurrere reperiuntur; quique vllatenus negare ausi sunt Purgatorium, pro hæreticis olim habiti fuerunt.

CAPVT X.

Nonnullis ex naturæ lege Scripturis Purgatorium adstruitur: plurima credi debere, tametsi in Scripturis non reperiantur.

Ad quósnam sacræ Scripturæ interpretatio spectet: priuato eam cuiusque sensui malè tribuunt sectarij, at vnanimi Doctorum consensui vel Ecclesiæ rectè Orthodoxi. Canonici Scripturæ libri recensentur. Ex quibus is qui legem naturæ complectitur, septem locis adstruit Purgatorium. Ceterùm non omnia, quę credenda sunt, è Scripturis erui posse, ac proinde multa credere oportere quæ eâ non contineantur, è clarissimis probamentis elicitur.

CAPVT XI.

Tempore quo data est lex Moysaica, & dudum posteà, idipsum ampliùs stabilitum. Non cuiuscumque esse Scripturas exponere.

Ex libris Numerorum, Deuteronomij, Iudicum, Regum, Tobiæ, Iudith, Iob, Psalmorum, Prouerbiorum, atque Ecclesiastici rursus Purgatorium stabilitur. In quibus, aliisque Scripturæ libris, tametsi nulla istius haberetur memoria, in aliis voluminibus reperiri potuerat, quæ extitisse quidem, sed modò periisse liquidò constat. Malè ad suos errores stabiliendos sectarij Scripturâ abutuntur, cuius expositio ad sacerdotum semper auctoritatem spectauit. Sui in hoc iuris tabulas proferre nequeunt, interimque opus est aliquo sacrarũ Litterarum interprete, cùm & per se obscuræ sint, & multa contineant, que in speciem sunt analoga.

CA-

CAPVT XII.

Insigne etiam Prophetarum oracula Purgatorio testimonium dixerunt: sectarios plura negare quæ obuia sunt in Patribus, obuia in Scripturis.

Prophetæ tam Maiores quàm Minores, item libri Machabæorũ, luculenter pro Purgatorio testimonium dicunt; licet id pernegare non desinant hæterodoxi, quemadmodum & veritatem corporis Christi in Eucharistiâ, quæ tamen, vti vnius etiam corporis dissitis in locis præsentia, clarissimè è Scripturis comprobatur. Ceterùm nõ necessariò est cuiusuis passim (vt hæretici volunt) sub vtrâque specie communicare: sed laicorum, sub vnâ, Sacerdotum sub vtrâque; cùm interim non minùs illi, quàm hi, accipiant. Eadem operâ aliorum circa reliqua Sacramenta error Sectariorum detegitur.

CAPVT XIII.

Neque Purgatorij probationi multiplex Apostolorum confirmatio deest, signa quibus Romana Ecclesia adstruitur Apostolica.

Euincitur etiam Apostolos suis in scriptis Purgatorium adstruxisse: quorum occasione, ecquis verè dicendus sit Apostolicus, inquiritur: quod nomen Nouatoribus minimè quadrare, si per omnia ipsorum dogmata discurreris, iure affirmes; vtpote quæ priscorũ Patrũ (quos Apostolicos tamen & volunt & vocant) doctrinæ in quàm pluribus aduersentur. A quibus libenter se dissentire iactant Lutherus Caluinusque, hos verò & hæreseos damnare non verentur Centuriatores. Verùm vniuersa illorum dogmata iam pridem ab Orthodoxis pro hæresibus habita & damnata sunt, vti reuerà verbo diuino contraria: adeoque merè Apostolicorum vocabulum affectant.

CAPVT XIV.

Credendum præterea esse Purgatorium, ipsum Euangelium variis argumentis docuit, quantum sit Ecclesiam nostram esse Catholicam.

Purgatorij item veritas plurimis ex Euangelio argumentis petitis adstruitur. Ecclesia Romana, eiusq; doctrina Catholica est, vnde hæreticorũ vis & hæreses aduersus eam numquam præualent, sed in seipsis paulatim contabescunt: hæresiarcharum enim discipuli, visis eorum apertissimis contradictionibus, in varias etiam sectas seipsos diuidunt, quorum proinde argutias, esto se Apostolicos & Catholicos dicant, Catholici veri contemnunt, & antiquæ Ecclesiæ, quæ vna ac vniuersalis, ideoque inuiolabilis est, firmissimè adhærent.

CAPVT XV.

Quæ ab aduersariis contra Purgatorium confinguntur argumenta, leui ponderatione eneruantur.

Quia Scriptura intellectu difficilis, hinc sectariis ansam præbet errandi, eaque suos tuentur errores, & Purgatorium impugnant, atque inde depromunt argumenta, quæ singula in eos retorquentur, vti & alia quæ è SS. Patribus adducunt; ratiocinationes quoque illorum refelluntur. Ipsi porrò in omnes sunt iniurij, blasphemique, atque in Catholicos scommata proructant. Hæreses autem necessariæ atque Ecclesiæ vtiles sunt, iisque Catholicorum est acriter se opponere, exemplo Iudæorum generosè mortem pro patriis legibus oppetentium prouocati.

CAPVT XVI.

Leuissimus purgandorum cruciatus quamlibet sæculi miseriam superat.

Caluini hypocrisis, in SS. Patres iniuriæ, ac blasphemiæ ratione asserti Purgatorij; in quo pœnæ tam damni, quàm sensus sunt grauissimæ, atque minima eius pœna, grauior est maximâ quæ in hoc sæculo reperitur, quod è duodecim Ecclesiæ Doctoribus probatur. Purgatorium desiderij quod dicatur.

CAPVT XVII.

Minùs facienda totius orbis iactura, minùs omne supplicium, præ momentaneo visionis beatificæ damno.

Dei visio summum est bonum, hinc ad eam Sancti omnes ardentissimè anhelarunt, tam qui sub veteri vixère Testamento, quàm qui sub nouo; tam viuentes, quàm mortui, & in limbo agentes: quibus eâ carere, maximum erat supplicium, vti & animabus Purgatorij, quæ vel ad momentũ hac priuari, omni pœnâ id grauius ducunt. At velut cæci mortales, illam damni pœnam non satis intelligunt.

CAPVT XVIII.

Grauissimus est Purgatorij spiritibus carcer infernalis.

Animabus durissimum est infernali carcere detineri. Variæ de Purgatorij loco adferuntur sententiæ; qui sub terrâ, & inferno proximus esse comprobatur. Animæ grauissimum est vno loco concludi, & quidem infernali: cuius horror, ac calamitas describitur, vti & Patrum, ac puerorum in originali demortuorum limbus, nec non infernus, singulorumque situs ac distinctio.

CAPVT XIX.

Nemini vnquam, quàm purgandis animabus societas contigit luctuosior.

Vti Sanctorum in cælo consortium iucundissimum est, ita purgandis animabus dæmonum societas acerbissima, à quibus eos torqueri censent nonnulli; horum verò aspectus maximè est horribilis, tametsi ante lapsum fuerint pulcherrimi. Purgãdis prætereà graue est audire blasphemias damnatorum (quorum etiam per transennam varia tormenta recensentur) & infantium sine baptismo defunctorum gemitus, quin & videre tot secum iustos Purgatorio detineri.

CAPVT XX.

Corporalis incendij tormento, quàm violenter spiritus incorporei torqueantur: difficilis explicatu grauis ille cruciandi modus.

Materialem ignem in Purgatorio & inferno esse, probabilior est opinio: quomodo hic in animas agat, & an iis qualitatem aliquam imprimat? Quid sit tangere & percutere in Deo. Purgandi igitur ab eo percussi summâ afficiuntur tristitiâ, cuius passionis grauitas vel inde declaratur, quòd & Christum ante mortem hæc adeò occuparit, vt à Patre se derelictum conquereretur.

CAPVT XXI.

Nullus est corporis sensus, secundùm quem non horrendos in Purgatorio cruciatus sustineant.

Animæ in omnibus corporis sensibus torquentur: in tactu, ob ignis vehementiam; in visu, ob tenebras & fumum & dæmonũ conspectum; in gustu, ob famem & sitim vehementissimam; in odoratu, ob sulphuris fœtorem & loci fœtidi angustias; in auditu, ob gemitus, vlulatus & blasphemias damnatorum.

CAPVT XXII.

Aliqualis dolorum Purgatorij adumbratio per ea quæ sufferre mortales potuerunt.

Pœnæ Purgatorij grauissimæ, Martyrum tormenta multis partibus excedunt. Eâ occasione variorum Martyrum ante & post Christum, vbiuis locorum enecatorum supplicia & certamina, maximè sub Diocletiano Imperatore, & Hunerico Arriano rege enumerantur.

CAPVT XXIII.

Creberrimis, illustrissimisq; apparitionibus eadem res stabilitur. Harum discretio & interpretatio.

Breue Venerabilis Dionysij Carthusiani elogium: recenset is, vt & alij, nonnullorum exempla, quibus Purgatorij & gehennæ pœnæ materialiter monstratæ sunt. Huiusmodi porrò visiones quomodo sint intelligendæ, & diuinæ ab illusionibus diabolicis discernendæ. Certum autem est, defunctorum spiritus apparere; at disquiritur quo hi à nobis modo videri audirive possint, & qualia tunc corpora assumant. Is verò cui apparent, accuratè examinandus est. Multiplex è spirituum apparitione sequitur fructus, posseque hos apparere exempla sacra affirmant: quo autem indicio boni à malis & beati à purgandis dignoscantur, exponitur.

CAPVT XXIV.

Etsi Purgatorium molestias omnes includat, ab igne tamen eas & nuncupari & inferri decuit.

Cur pœna ignis in Purgatorio statuatur: etiam Deus perfectiones suas per ignem expressit; misericordia item eius cum igne & effectibus illius comparantur. Igne prætereà designatur misericordia defunctis exhibita, nec non hominis charitas. Ignis denique symbolum est perfectionis nobis necessariæ, vt Purgatorio non adiudicemur.

CAPVT XXV.

Etiam sanctissimorum hominum defectus terribilibus hisce flammis excoquuntur

Iustissimi homines proptereà quòd aliquando peccent, Purgatorio expiantur, atque in cælum nil nisi mundum admittitur, vnde & minimas labeculas expiari priùs oportet. Iudex illic Deus in opera bona, quo fine perpetrata sint, inquirit. Sanctorum aliquot Purgatorio adiudicatorum exempla. Vnde & iusti in viuis agentes, iudicia Dei valdè timuere, aliorumque preces efflagitarunt, & Indulgentias expetierunt. Vt nec proinde mirum sit adeò feruenter SS. Patres animas fidelium precibus commendasse.

CAPVT XXVI.

Delicta sæpè fuère leuissima, ob quæ eluenda, graues adeò pœnitentiæ subeundæ fuerunt.

Perdifficilis est in cælum ingressus, & nihil illuc, nisi probè expiatũ ingreditur: hinc minutissima quæque delicta purgatricibus flammis emundari necesse est: quamobrem parui ea facienda non sunt. Multi quippe ob leuia commissa diu grauiterque illic puniti sunt, vti exemplis, & SS. Patrum assertionibus comprobatur.

CAPVT XXVII.

Ad longissima etiam tempora nonnumquam acerbissima ista supplicia extrahuntur.

Purgatorij pœnas etiam ad multa sæcula extendi diuersa ostendunt exẽpla, vltra diem tamẽ iudicij eas non duraturas, neque in omnibus æquè fore diuturnas indubitatũ est. Has duabus de causis animæ patiũtur: quæ pro venialium multitudine futuræ sunt intensiores. Longissimas porrò eas esse Ecclesiæ praxis euincit,

euincit, quâ longæ pro culpis pœnitentiæ iniunguntur, atque nonnullorum exempla diu ob leue delictum castigatorum ostendunt.

CAPVT XXVIII.

In omnibus hisce calamitatibus atque miseriis animæ semetipsas iuuare nequeunt: & ideò viuentium opem implorant.

Animabus ideò succurrere nos oportet, quòd vltrà mereri nequeant, etsi in Dei sint gratiâ, & charitatem habeant, licet quidem essentialiter, non accidentaliter perfectam. Deinde quia iam sunt in statu satispatiendi, neque pro se satisfacere possunt. Vt autem illis nemo succurrat, fidem Purgatorij diabolus omnimodè abolitam cupit: verùm ipsas optare pœnis eripi, exemplis probatur: vnde etiam subinde suppetiarum expetendarum ergò Purgatorio exeunt. Cuius occasione quæritur, an eæ vt dubia soluant, euocandæ sint, & an damnatæ inferno aliquando egrediantur.

CAPVT XXIX.

Detestanda est inhumanitas, ita derelictis manum & opem subtrahere. Ad hanc crudelitatem vt non perueniant, mirè suos in vitâ Deus castigat.

Purgandos defunctos non iuuare, summa est inhumanitas. Varia ad illis succurrendum producuntur motiua: Primum, quia maxima eorum est multitudo, præsertim subitò mortuorum; secundum, quia vnusquisque quo hos iuuet, ad manum habet remedia; tertium, quia parentes, consanguinei, amici, inter eos fortè sunt, à quibus plurima bona recepimus. Deum porrò suos, ne in alterâ vitâ grauiùs luant, hîc paternè castigare, è Patribus & Scripturâ comprobatur, simulque tribulationum vtilitas declaratur.

CAPVT XXX.

Non videntur cælo nati, quorum corda super tremenda hæc post mortem purgandorum supplicia, minimè commouentur.

Defunctis opem hîc negantes meritò aliorum posteà ope destitui, exemplis & Scripturæ auctoritate euincitur. Misericordiæ encomium è SS. Patribus & S. Scripturâ exponitur. Quis sit proximus à nobis diligendus. Erga animas inhumani, immaturâ digni sunt morte, vti exempla quædam confirmant. Ingratitudo sugillatur, & è contra commendatur gratitudo: huius etiam in animalibus reperiuntur argumenta.

LIBER SECVNDVS.

Quàm iis relaxandis varia faciliaque penes viuos remedia.

CAPVT PRIMVM.

Ad viuos spectat Purgatorij tormentis defunctos eripere.

ANimabus opitulari, non est cælitum, sed hominum adhuc viuentium: illi enim Dei iustitiam, si non exigant, saltem promouent, neque pro animabus merentur, neque satisfaciunt; hos verò mortuis debere succurrere, variis similitudinibus declaratur: filios in primis parentibus suis, deinde beneficiis affectis benefactoribus, atque in genere Catholicos omnes Purgatorij animabus esse obligatos, ostenditur. Vnde numquam sunt suffragia pro defunctis omittenda.

CAPVT II.

Non quæ mundus effert, sed quæ Deus designauit, defunctis prosunt remedia.

Pompa funebris ad defuncti subsidium, si non ad pœnæ augmentum nihil facit, vti neque epuli exequialis luxus: sed eleemosynæ in pauperes erogatæ, preces, sacrificia, ieiunia, opera bona, indulgentiæ, & his similia mortuos iuuant. Ritus sepulchralis ab Ecclesiâ approbatus, quatenus iis prosit.

CAPVT III.

Maiestatis diuinæ implorata misericordia, certissima est purgandorum medela.

Hac in vitâ tempus est misericordiæ, post verò iustitiæ: viui defunctis illam debent implorare, in quo Ecclesiam sibi præeuntem habent, ad eamque promptior est Deus, vtpote ei magis propriam, quàm ad iustitiam: etsi autem toti SS. Trinitati illa communis sit, maximè tamen Filio, qui hanc diuersis modis ostendit. Quemadmodum etiam Spiritus sanctus bonitatem nobis communicauit; cui aduersatur, quisquis pro defunctis non orat.

CAPVT IV.

Facilis ad clementiam impetrandam via est, si quis actus suos meritis Redemptoris iunctos offerat.

Optima diuinæ misericordiæ impetrandæ ratio est, opera sua m   itis Christi, puta quorum summa est efficacia, & qui maximam fiduciæ nobis occasionem dedit, vnita, Deo Patri offerre. Iure autem meritis illius innitimur, quòd omnium is potestatem habeat, quòd noster mediator sit, quòd nos inuitet, vt ad ipsum confugiamus, etiam addito adiutorij iuramento. Opera autem nostra Christi meritis vnita, esse efficacissima, exempla & doctrina Scholasticorum confirmant. Quomodo eorum abundantia in nos deriuetur. Iesu Christi, & S. Stephani protomartyris dies natales, quam inter se dissimilitudinem & similitudinem habeant.

CAPVT V.

Saluator noster Christus Iesus ea vulnera, quæ viuus accepit, viuis solandis retinuit; quæ verò mortuus, mortuis.

Cur Christus vulnerum suorum stigmata retinuerit, quemque ex iis fructum viui consequantur: porrò lateris vulnus ad mortuorũ solamen excepit, atque ideò suo in corpore illud remanere voluit. Quid aqua & sanguis inde effluentia designent, variæ Scriptorum quoad hoc expositiones. Quia verò iam mortuus ita vulneratus est, inde patet ipsum mortuis velle prodesse; eiusque modus & effectus explicantur. Denique an Redemptor noster ad inferos descendens, Purgatorij animas liberarit, inquiritur.

CAPVT VI.

Augustissimum SS. Missæ Sacrificium defunctis non minùs quàm viuis redemptionis pretium communicat.

Hæreticorum contra veram Christi in Ven. Eucharistiâ præsentiam obiectiones refelluntur, quæ è veteri Testamento, Christi promissione, verbis institutionis, & vsu eiusdem stabilitur. Ipsum propriè dictum sacrificium esse, priscæ figuræ, & Prophetarum vaticinia comprobant. In quo & duo spectanda sunt: prodest etiam aliis, quàm sumentibus, dum pro iis offertur; ac præsertim defunctis: quod tam rationes, quàm figuræ euincunt. Mirabilem in eâ erga nos amorem Christus ostendit, quòd nimirum per eam illi vniamur. Eius pro defunctis oblatæ valor similitudinibus & exemplis exponitur. Elucet ad hæc in eâ diuina bonitas, sapientia, omnipotentia: in eâ quoque inuenire est decem Categorias Aristotelis, nec non omnem meritorum Christi thesaurum, & quidquid is viuens pro generis humani redemptione peregit, & passus est. Fructus eiusdem recensentur, vt & Dominici sanguinis efficacia. Quin & Eucharistia triplex continet signum, rememoratiuũ, ostensiuum, prognosticum.

CAPVT VII.

Quibus Sacrificium consecrare, & per se offerre non licet, triplici modo ad eiusdem participationem accedere possunt.

Eucharistia, quatenus sacrificium, etiam iis prodest pro quibus offertur. Examinantur plurima, ad eius oblationem, & pretium, quando celebratur pro defunctis, spectantia. Quibus ex Missæ magis prosunt, quæ ab Ecclesiâ specialiter præscriptæ sunt, vti & illæ quæ speciali Pontificum indulto iisdem applicantur. Sacra communio homines sacrificij participes reddit, eiusque hic fructus adducitur. Ipsam defunctis prodesse, rationibus, auctoritate, & exemplis comprobatur. Quomodo dignè sumatur, quaque animi præparatione sit recipienda: quotidiana quatenus probetur aut improbetur: frequentior non est reprehendenda. Indignè eam sumentes, aut sacrificantes, quâ digni sint pœnâ, exemplis ostenditur. Quæ ad eam requiratur dispositio, aut sui probatio: ei præmittenda nimirum confessio, cumque humilitate, reuerentiâ, fame spirituali, & gratitudine ad eam accedendum. Missam audiens, sacrificij oblati participat, Christoque cooperatur, & vnà cum Sacerdote offerre potest. etiam absentes ei possumus interesse. Ex quâ auditâ & ministratâ magnam sequi vtilitatẽ exemplis stabilitur. Quomodo per omnes sui partes applicari possit defunctis. Quid denique vestes sacerdotales, & ritus sacrificij Missæ repræsentent.

CAPVT VIII.

Praxis ad actus nostros vniuersos per sacrificij directionem multiformiter nobilitandos. Cui præcipuorum exercitiorum diei Christianæ adiuncta descriptio.

In Missâ, insignis lucrandi materia nobis offertur: in eâ quippe Deo offerenda sunt, quæcumque nos, aut quælibet creaturæ agimus vel patimur, tam ratione præditæ, quàm eâ carentes; item quidquid in cælo est, etiam ipse Redemptor Iesus, & SS. Trinitatis attributa, maximè ex eo capite, quòd in Deo, ex Deo, per Deũ, pro Deo, ad Deum sint omnia. Quomodo Christi humanitas in Missâ honoranda, vniuersaque vitæ & passionis eius mysteria sint recolenda; & in singulis eius vulneribus humani generis necessitates offerendæ. Quomodoque prædicta oblatio applicanda defunctis. Intentiones bonæ variæ operi bo-

no præmissæ, eius meritum adaugent: quin & earum multiplicandarum praxis, & quando ea sit peragenda. Diei fructuosè transigendi modus proponitur, & quomodo omnes illius actus disponendi. Lectionis librorum spiritualium vtilitas & conditiones, item corporalis refectionis, in quâ temperantiæ in primis habenda est ratio. Recreatio subinde etiam corpori necessaria, quæ in eâ exercendæ virtutes. Examen vespertinum conscientiæ quomodo instituendum: eius pars primaria est, emendationis propositum. Cubitum concedere quomodo oporteat, quæ somno cogitatio præmittenda, & quali hic cogitatione condiendus. Ita vt omnia prodesse valeant defunctis.

CAPVT IX.

Sanctissima Deipara Maria animarum Purgatorij mater, patrona, & adiutrix est.

Beata Virgo Deipara dicta mater misericordiæ, quia erga miseros summoperè afficitur; quia nihil ei filius negare potest, per cuius inuocationem certior nonnumquam est salus: sed & quia in ipsâ gloriæ suæ solium Deus constituit, nulla nisi per eamdem homini præstat beneficia. Mortuis quoque requiē à Deo impetrare, varia declarant exempla, quibus iuuandis tria potissimùm disposuit remedia, in Ordine videlicet Dominicano SS. Rosarium, cuius priuilegia recensentur; in Franciscano Indulgentias Portiunculæ; in Carmelitano denique sacrum scapulare. Cuius auctoritatis sit Bulla Sabbatina.

CAPVT X.

Hæc cælorum terraq; Regina, Deo longè gratissima, mira & penè impossibilia impetrare potest.

Tametsi Beatissimæ Virginis laudes ac perfectiones nemo pro dignitate queat exponere, de iis tamen tacendum non est. Est quippe aurora consurgens, id est, illius conceptio fuit absque peccato: quod variis argumentis, tum è Scripturâ, tum è SS. Patribus petitis, reuelationibus item & decretis Pontificum, adstruitur: quin & ab omni peccato ipsa fuit immunis. Ob virtutum verò eminentiam, Lunæ pulchritudini assimilatur. Gratiæ illius in immensum excreuêre, vnde plus habuit gratiæ, quàm omnes Sancti simul, nec vltrà eæ excrescere potuerunt: quàm hæc gratia per Verbi diuini Incarnationem adaucta sit. Idcircò est electa vt Sol, quia cælestium omnium est vnà cum filio Regina constituta. Comparatur mulieri accensâ candelâ domū euerrenti, & drachmam perditam quærenti. Terribilis quoque est vt castrorum acies ordinata. Eius sepulchrum quàm fuerit gloriosum; & quia constat eam pro nobis orare, ac pacem impetrare, hinc in eâ mortuâ omnes fiduciam meritò collocarunt. Ipsa viuens tres, tribus eximiis virtutibus, hostes deuicit.

CAPVT XI.

Satisfactionibus etiam, n[illegible] um & incredibile est, quantum D. Virgo superabundet, quæ spiritibus applicari possunt.

Mortificationes Deiparæ sigillatim expenduntur. Præsentationis eius festiuitas, eiusque auctoritas. Quoniam in templo à puer~ mortificationi studuit, ideò vas auri solidum dici potest; cui proinde omnes singulorum Ordinum Sanctorum perfectiones applicantur, quas ipsa in aliorum satisfactioné etiam expendit, eò quòd satisfactionibus abundet. Virginitas eius celebratur, maximè quòd satisfactoria sit. Illius cum S. Iosepho matrimonium, verum fuisse asseritur, etsi votum perpetuæ castitatis priùs emisisset. Heroicis suis virtutibus, maximè humilitate & obedientiâ, Incarnationem promeruit. In Filij Dei conceptione, maximum gratiarum cumulum acquisiuit, quas & in proximum, & maximè in cognatam suam Elisabeth, eam visitando, effudit. In quâ visitatione plura notanda occurrunt. Deiparæ quoque altissima contemplatio expenditur, vti & cantici Magnificat, dignitas, cuius verba singula exponuntur. Cognatæ parienti adfuit, diuque apud illam egit. Partus ipsius dignitas & circumstantiæ examinantur. Cur purificanda templum adierit, vtpote à purificationis lege immunis. Hîc audiit à Simeone, cor suum doloris gladio transfigendum. Quàm illius cum Filio in Aegyptum fuga fuerit molesta, & quem ex eius duodennis amissione dolorem senserit; vehementissimum verò sensit ex illius morte, & quid hunc adauxerit: vnde ipsa tunc plus quàm martyr fuit. Cur autem tam pauca de illius doloribus Euangelistæ conscripserint, cùm tamen filio in genere humano redimendo sit cooperata. Ceterùm omnes eius satisfactiones animabus Purgatorij possunt applicari.

CAPVT XII.

Inuocata Sanctorum in cælis regnantium patrocinia, purgandis igne spiritibus liberationem acquirunt.

Sanctos, quia preces nostras audire, & necessitates videre possunt, vtiliter à nobis inuocari, è Patribus tam Latinis, quàm Græcis, & vtriusque Testamenti pag[illegible]nis probatur. Inuocari quoque eosdem posse, vt pro purgandis intercedant, è S. Augustino, & Scholasticis, ac rationibus solidissimis ostenditur: demū variis idipsum confirmatur exemplis.

CAPVT XIII.

Præter meritum proprium, quod ex bonis actibus viuentes sibi acquirunt, fidelibus etiam defunctis impetratione & satisfactione auxiliari possunt.

Bona hominum opera dari, è Scripturâ sacrâ asseritur, eaque vitæ æternæ esse meritoria, loca SS. Patrum, & Testamenti vtriusque testimonia euincunt. Vtrumque tamen negant Nouatores; at singula ipsorum obiecta diluuntur. Opera bona sunt etiam impetratoria: impetrationis partes & distinctio: potest hæc à merito, & hoc ab illâ seiungi. Orationi propriè inest vis impetrationis, aliis verò virtutum actibus nonnisi quatenus ad illam diriguntur: hæc porrò certam habet impetrationis promissionem, idque fusa tam pro defunctis, quàm viuis. Ecclesiæ suffragia mortuis prosunt: quæ si à malo Sacerdote fiant, vim quidem habent impetrandi, at non satisfaciendi: potest quis tam pro aliis, quàm pro se satisfacere. Quænam ad opus satisfactorium requirantur: tres sunt eius species: an hæ mortuis ex iustitiâ & de condigno applicentur.

CAPVT XIV.

Quænam, vt viui defunctis, suis satisfactionibus prodesse possint, requiratur disquisitio.

Pro temporali peccati pœnâ, nequit peccator satisfacere, nisi prius pœniteat. Pœnitentiæ fructus, necessitas, & partes describuntur. Qualis contritio & dolor ad verè pœnitendum requiratur, eiusque vtilitas & species: pœnitendum autem ante mortem. Confessio deinde facienda apud Sacerdotem: eius partes, fructus, dotes, & ad eam requisita describuntur. Eius non integræ castigatio exemplis comprobatur: at syncerae necessitas, encomia & circumstantiæ in mediũ adducuntur: ab hac abesse debet pudor, post eam verò subeunda pœnitentia. Relictam Ecclesiæ potestatem peccata dimittendi, contra sectarios, è Patribus & sacris Litteris ostenditur: simulque declaratur, pœnitentiam esse legis nouæ Sacramentũ, cuius cum baptismo collatio instituitur.

CAPVT XV.

Quæ conditiones requirantur, vt viuorum preces captiuos mortuos in æternæ libertatis album transcribant.

Oratio vt prosit defunctis, quas habere debeat conditiones: prima est, status gratiæ: secunda, spes & fiducia impetrandi postulata: tertia, attentio. Cauenda proinde in eâ distractio: quæ vt euitetur, eius initio bona formanda est intentio: Quarta conditio est perseuerantia. Oratio alia vocalis, alia mentalis; vtriusque discrimen & proprietates. Mentalis scopus est vnio cum Deo, eiusque descriptio. Ad feliciorẽ porrò orationis successum obtinendum, propositiones quædam adferuntur; nec non facilis, & breuis ad benè orandum praxis apponitur.

CAPVT XVI.

Orationibus sæpè breuissimis, vitâ functis sempiterna requies impetratur.

Breuibus orationibus sua non deest efficacia: Pontifices Romani his etiam concessêre Indulgentias. Orationis Dominicæ vtilitas & efficacia, cuius omnium petitionũ compendiosa à S.M.N. Teresia datur expositio. Breuium orationum vis è Scripturâ adstruitur, & id genus multæ ex eadem, ad varios virtutum actus eliciendos referuntur. Operi quoque manuali intermisceri oratio potest; quamque ea sit vtilis, Patrum testimonia ostendunt.

CAPVT XVII.

Moderata peccatorum, quæ vitâ functi commiserunt, deploratio, eorum lacrymas abstergit.

Lacrymæ peccata eluunt: quæ per Iridis formam, colores & finem repræsentantur. Sunt ad crimina abolenda opportunæ, ac nihil non à Deo impetrant. Quid boni iis consecuta sit S. Maria Magdalena: earum è SS. Patribus encomium: summa iis inest consolatio, quæ in ipsos etiam defunctos redundat.

CAPVT XVIII.

Corporalis ieiunij maceratio, Purgatorij animas sempiternâ satietate recreat, reficitque.

Ieiunij laus & vtilitas è Patribus & sacræ Scripturæ locis deducitur, variisque exemplis confirmatur. Ipsum & mortuis prodesse ostenditur. Huius effectus: quæ eius, vt proficuum sit, esse debeant circumstantiæ. Quadragesimalis ieiunij commendatio, & antiquitas, quatuor item temporum, & dierum, vt vocamus, Rogationum.

CAPVT XIX.

Omnis corporis mortificatio, spiritibus expurgandis æternam vitam accelerat.

Quaslibet corporis afflictiones peccati maculas & pœnas tollere, S. Scripturæ auctoritatibus & exemplis contra hæreticos probatur. Eas vt suscipiamus, passim suadet Scriptura, è quâ etiam eruitur, has defunctis prodesse. Qualiter oculi & lingua mortificanda, additâ simul silentij commendatione è sacris Litteris, quod priscis Patribus, ac ipsis quoque ethnicis admodum frequens fuit. Quomodo gula coërcenda sit, relatis ebrietatis fœditate & effectibus. Quomodo auditus, odoratus, tactus, mortificandi. Quæ omnia Sanctorum exem-

exemplis confirmantur, & mortuis prodesse asseritur.

CAPVT XX.

Eleemosyna pro animarum salute erogata, feruentissima illarum extinguunt & sopiunt incendia.

Eleemosyna defunctis in primis prodest; docet id SS. Patres & Oecumenica Concilia. Cur hæc ad illos liberandos ita sit efficax. Eius encomia, & apud Iudicem Christum potentia; illâ mortuos iuuari è Scripturis ostenditur. Quæ eius sint conditiones; ad eamque omnes obligantur: & licet pro mortuis fiat, viuis nihil decedit.

CAPVT XXI.

Iniuriarum condonatio haud rarò promeretur, vt defunctis sua tormenta relaxentur.

Iniuriarũ condonatio, spiritualis est eleemosyna; hanc omnes exercere debere S. Scriptura docuit, idque quia maximè efficax & meritoria est. Præclara huius in S. Litteris extant exempla; etiam in Gentilium historiis. Si porrò animarum purgandarum intuitu ex condonentur, id in singulare ipsarum iuuamen cedere declaratur.

CAPVT XXII.

Pietas diuina ratihabere solet solutiones, quas viui pro mortuis faciunt; & opera obligatoria pro eis oblata, illis prosunt.

Iniustè parta legitimis dominis restituenda sunt, idque est de necessitate salutis. Ad eos potissimùm spectat, qui iniquè acquisitorum hereditatem adeunt, & quotquot iis succedunt. Exemplis id nonnullis euidens fit. Quomodo defunctis prosit restitutio, & num ea sit meritoria, & an satisfactio ex operibus supererogatoriis facienda? Restitutionem, licet obligatoria sit, factam ab heredibus, mortuis conducere, docetur exemplis & rationibus. Cuius occasione ostenditur, quàm turpis sit auaritia, & terrenorum contemptus laudabilis.

CAPVT XXIII.

Peregrinationes sacra à fidelibus obita faciunt vt proscripti ad Purgatorium spiritus, in desideratam patriam recipiantur.

Peregrinationes olim in vsu fuisse, docetur Conciliis, & exemplis, imò & Scripturæ testimoniis: earum fructus recensentur, & exemplis stabiliuntur. Quia porrò satisfactoriæ sunt, inde eisdem animæ purgandæ è duplici fundamento iuuantur. Sanctorum reliquias, vestes, & res, piè frequentari ac coli Patrum & Scripturæ assertis, contra Nouatores edocetur. Simul per transennam, imaginum cultus vt licitus & laudabilis contra eosdem, è lege veteri adstruitur, vti & ipsarum ornatus, candelarum ante eas accensio, & thurificatio: etiam creaturas suo modo adorari posse, aduersus heterodoxos Scriptura asseruit. Arca testamenti, Sanctorum, & B. Virginis typus fuit. Ideò autem defunctis prosunt peregrinationes, quia cum labore suscipiuntur; cuius occasione, veri laboris conditiones recensentur, ac quomodo laborandum sit demonstratur. Labor etiam inopinatus, fortiter toleratus quâ ratione sit satisfactorius.

CAPVT XXIV.

Fructuosus est animabus vsus cæremoniarum, quibus discedentes è vitâ filios prosequitur pia mater Ecclesia.

Crucis imago & efformatio in mortuorum cærimoniis à SS. Patribus laudatur: multas huius figuras in veteri Testamento reperire est. Creaturarum, vti aquæ, panis, olei, benedictiones carpunt hæretici, sed refelluntur. Aquæ lustralis vis & energia. Honesta sepultura tam Christianis modò in vsu, quàm priscis Patriarchis in votis fuit; eius vtilitas & mysteria. Quot diebus sint celebrandæ exequiæ, simulque officij pro defunctis mysteria referuntur.

CAPVT XXV.

Nullus omnino datur internæ mortificationis actus, quin per eum possint viui sempiternam mortuis promereri, imò accelerare viuificationem.

Actus interni etiam ad satisfaciendum valent: ad quos potissimùm spectat trium animæ potentiarum, intellectus seu iudicij, voluntatis ac memoriæ mortificatio: quâ in re singulæ mortificandæ sint, in magnum viuorum ac mortuorum solamen. Quòd autem illæ peccato sunt vitiatæ hinc ad Deum sunt reducendæ, & diuino mancipandæ obsequio. Hoc autem quo pacto fieri queat, disquiritur, deque iudicij in obediendo submissione, obedientiæque perfectione, è S. Ignatij Societatis Iesu fundatoris, S. M. N. Teresiæ, & S. Ioannis Climaci scriptis differitur. Perfecti autem obedientiæ cultores, illius adminiculo mirabilia patrarunt.

CAPVT XXVI.

Vt indulgentiarum natura penitiùs cognoscatur, satisfactionis facit necessitas.

Peccatorem, etiam remissâ culpâ, pro eâ satisfacere debere, contra Caluinum euincitur, tum quàm plurimis SS. Patrum & sacræ Scripturæ testimoniis, tum Historiarum nonnullarum relatione.

CA-

CAPVT XXVII.

Ex abundantissimis Christi & Sanctorum meritis infinitus in Ecclesiâ Catholicâ accrescit thesaurus.

Est in Ecclesia amplissimus satisfactionum Christi Sanctorumq; thesaurus: nam in omni opere bono, præter meritum, reperitur quoque satisfactio, estque aliis communicabilis. Ingentia fuisse Apostolorum, Martyrum, Cõfessorum, Virginum merita, probatur; quod luculentiùs fit è vitis ac gestis Religiosorum variorum Ordinum, tam veterum, quàm recentiorum, scilicet Antoniani, Basiliani, Augustiniani, Benedictini, Camaldulensis, Cluniacensis, Carthusiani, Cistercienfis, Præmonstratensis, Dominicani, Franciscani, Carmelitarum, Eremitarum S. Augustini, Seruitarum, Redemptionis Captiuorum & Minimorum: quorum omnium initia, progressus, viri sanctitate illustres, priuilegia ac gesta paucis perstringuntur. Coronidis loco meritorum Christi infinitas subiicitur.

CAPVT XXVIII.

Thesauri huius Ecclesiastici diuitiæ, ratione Catholicæ vnionis, fidelium indigentium supplent inopiam.

Mutuam esse in Ecclesiâ Sanctorum communicationem, è S. Paulo & Patribus declaratur, eò quòd vnum ipsa sit corpus, cuius Christus caput est, singuli autẽ fideles membra. Id ipsum quoque è lege naturæ & Mosaicâ comprobatur. Membra hæc inuicem se amare, & pacem inter se colere debent, cuius fructus ac commoda recensentur: huius filiæ sunt, tranquillitas conscientiæ, & ius ad filiationem Dei. Eamdem pacem diuersorum Ordinum Religiosos inter se in primis colere necesse est.

CAPVT XXIX.

Quæ sint conditiones & requisita necessaria, vt Indulgentiæ ritè & validè participentur.

Solius Pontificis est dare Indulgentias, quia S. Petro, & in hoc illius successoribus, ea à Christo data est potestas: cui & aliæ ab eo collatæ sunt prærogatiuæ. Primatus eius è Patribus Latinis ac Græcis adstruitur. Legitimi eius in hoc successores, sunt Pontifices Romani, quos vt tales, Patres Orthodoxi omnes sunt venerati. Quatenus Episcopi cõcedere queant Indulgentias. Nemo, qui in peccati est statu, eas potest lucrari, nec sine iustâ causâ Pontifex concedere.

CAPVT XXX.

Requisita vt Indulgentiæ Purgatorij animabus efficaciùs applicentur.

Quomodo Indulgentias applicare Papa queat defunctis: his vt prosint, quænam requirantur. Commoda easipsas mortuis applicandi, praxis. Religiosi illarum quoque sunt capaces. Recensentur Indulgentiæ nonnullæ, quæ nuper ad certa numismata erant concessæ: quo pacto hæ animabus fidelium possent applicari. Monentur denique Catholici vt hoc in negotium seriò incumbant, & animabus Indulgentias diligenter adaptent.

CAPVT XXXI.

Cur nostro potissimùm sæculo tam larga fiat Indulgentiarum concessio.

Quæ sit sufficiens Indulgentiarum concedendarum causa: an opus ad eas requisitum esse debeat proportionatum, & cur hoc tempore largiùs dentur? Quâ eas occasione oppugnare cœperint Lutherus ac Caluinus? Earumdem dandarum causa, alia generalis, alia particularis: quod de quinque Indulgentiis maioribus, maximè Quinque Sanctorum, singillatim ostenditur. Illarum occasione elogium texitur SS. Caroli Borromæi, Isidori Madritensis, Ignatij & Francisci Xauerij: nec non multorũ è Societate Iesu, doctrinâ, gestis, martyrio illustriũ, denique & S.M.N. Teresiæ, cuius sex primariæ prærogatiuæ, è quibus eius corona contexitur, recensentur: & eadem operâ Carmelitani Ordinis initia, antiquitas, incrementa, progressus, & per S.M. Teresiam reformatio, ac Discalceatorum à mitigatis sequestratio, eorumque priuilegia, regula, institutum Lectori proponuntur.

CAPVT XXXII.

Animabus Purgatorij inter cetera prosunt etiam Sodalitates quæ in earum subsidium erectæ sunt.

Sodalitates in defunctorum subsidium erectæ, in Italia, & præsertim Romæ, notæ sunt: earum auctor, promotor, Indulgentiæ, institutum, priuilegia. Aliis in ciuitatibus, etiam Belgicis, erectæ, in Romanæ iura cooptantur.

CAPVT XXXIII.

Iustorum exempla, qui ante aduentum Redemptoris mirum erga defunctos affectum ostenderunt.

Exempla recensentur illorum, qui in lege naturæ pios se erga mortuos exhibuêre, Abrahami, Isaaci, Ismaelis, Iacobi, Iosephi; & in lege Moysis, Israelitarum in funere Aaronis & Moysis; item Dauidis, Tobiæ, Iudith, Simonis & Iudæ Machabæi: qui suam pietatem lacrymis, planctu, precibus, ieiuniis, eleemosynis sunt testati. Librorum Machabæorum auctoritas comprobatur.

CA-

CAPVT XXXIV.

Quid ipsi sancti Apostoli, eorumq; discipuli, pro mortuis faciendum censuerint.

SS. Petrus, Iacobus Maior & Minor, SS. Matthæus & Marcus suis in Liturgiis preces pro defunctis ordinarunt: qui illorum tempore in exequiis, ritus seruarentur; iique in sacrâ Scripturâ fundantur, maximè planctus & honesta sepultura. Vnde & Ecclesia in Missa, Horis, Litaniis pro defunctis supplicari instituit.

CAPVT XXXV.

Primitiuæ Ecclesiæ temporibus sollicita Christianorum erga purgandas animas cura extitit.

Primos Apostolorum successores pro mortuis etiam orasse, variis auctoritatibus Patrum, & exemplis multorum stabilitur.

CAPVT XXXVI.

Æqualis per sequentes ætates feruor variis indiciis declaratur.

Idipsum & per sequentes factum ætates, exempla & testimonia varia euincunt. Ipsi quoque Imperatores legibus latis pro mortuis orari iusserunt. Quid multi viri sancti, tum Religiosi, tum Reges & Principes, in eorum solatium præstiterint.

CAPVT XXXVII.

Neque hisce temporibus, vel paulò suprà, defuerunt, qui nos ad spirituum consolationem egregiis conatibus incitauerint.

Etiam superiore sæculo claruere insignes defunctorum patroni, vt S. Franciscus Xauerius, Thomas Morus, Ioannes Ximenius. Quid Constitutiones Carmelitarum ad animarum subsidium fieri iubeant: quid ciuitates nonnullæ Belgij pro earum auxilio instituerint: quo pacto præcipui Iesu Christi dolores & passiones pro iis offerendi; & huius oblationis praxis. Traduntur & aliæ peculiares pro defunctis preces. Inde Purgatorij materia per omnes Aristotelis Categorias deducitur.

CAPVT XXXVIII.

Deuotus quoque sexus femineus plus quàm virilem hoc in negotio mortuorum operam præstitit.

Etiam feminas se erga fideles defunctos pias ostendisse, exempla varia declarant: virgines item, tum priscas, tum recentiores; vt Mariam de Lille Begginam Herentalensem, quæ omne suum & Sociarum lucrum in earum iuuamen impendit; item B. Ioannam de la Cruz, S. Ludgardem, S. Teresiam de Iesu, Ven. Annam à S. Bartholomæo, B. Catharinam Genuensem, cuius è scriptis animarum purgandarum status, desiderium, pœna & amor describitur.

CAPVT XXXIX.

Stupenda trium Belgicarum virginum praxis, quæ mediis prorsus inauditis defunctorum animabus in Purgatorio detentis ingentia & vix effabilia solatia attulerunt.

Tres Belgicæ virgines referuntur, quæ miris & inauditis modis purgandorum animas iuuerunt: B. Aleydis Scarenbekana Ordinis Cisterciensis, S. Lidwina Schiedamensis, & S. Christina Trudonopolitana.

CAPVT XL.

Vlterior & spiritualis prouocatio ad illorum æmulandam charitatem, qui sua omnia in mortuorum subsidium transscripserunt.

Opera meritoria admodum vtiliter in fidelium animas transscribuntur, vti multos Sanctos sua transscripsisse constat. Sicut & multi Religiosi Ordines sua merita inuicem & aliis communicant, idque magno cum fructu & vtilitate. Quò mirificè facit spirituale illud Consortium, in viuorum ac mortuorum subsidium iam nuper sub Gregorio XV. Pontifice Romæ erectum; cuius finis, leges, ritus, præscriptum, & meritorum applicandorum formula recitantur. Hac porrò meritorum in animas translatione, transferenti nihil decedere, imò multum lucri, ob eximiam illam charitatem accedere, exemplis, & sacræ Scripturæ auctoritate firmatur.

LIBER TERTIVS.

Qua..ta eorum, qui animabus Purgatorij suffragantur, sint merita.

CAPVT. PRIMVM.

Liberandis è Purgatorio animabus operam dare, scopum habet honestissimum, vtilissimum, delectabilissimum.

PRæmiis homo ad laborem suscipiendum allicitur, testibus sanctis Patribus, & sacrâ Scripturâ. Maximè autem his excitari debet, vt animabus opituletur. Quod pietatis genus, cùm facile sit, honestum quoque, vtile & iucundũ, cum alacritate ei obeundum est.

CAPVT II.

Honorificum est, animarum promotioni inuigilare.

Animabus opitulari, cum primis honestum est, in eoque homo Angelos imitatur. Hanc autem honestatem, animarum præsertim sanctarum dignitas & pretium auget. Quanta sit hominis & animæ præstantia, maximè quòd ob eum omnia sint creata, quòd ad Dei imaginem conditus, totiusq; mundi sit compendium, quòd anima eius solo Deo satiari possit, quòd eo sublato creata omnia sint auferenda, quòd eius causâ toti vniuerso parcatur, quòd ei redimendo impensum lytrum infiniti sit pretij, denique quòd solo Christi corpore & sanguine pascatur. Summoperè pro animabus conuertendis laborandum est, maximè cùm ad hoc ex cõscientiâ teneamur, nemoque ab illo onere excusetur, ne feminæ quidem. Hinc S.M.N. Teresia, de earum conuersione valdè sollicita, Carmelitarum reformationẽ illâ potissimùm de causâ inchoauit: qui illius deinde spiritum secuti, etiam Seminaria promissionibus ad infideliũ conuersionem erexere, quæ Summi Pontifices suâ auctoritate roborarunt. S. ergo Teresia missionum meritò habetur patrona.

CAPVT III.

Quàm sit gloriosum, animam quampiam, quod sit illius è Purgatorio liberatione, æternæ gloriæ transscribere.

Gloriæ cælestis magnitudo è Patribus & S.Scripturâ describitur; vtpote in quâ nullum malum, sed omnigenum bonum reperiatur. Variæ sunt in cælo Beatorum actiones. Quid sit Deum videre; & quanta in eo sita beatitudo. Porrò illud meliùs percipitur, si damnatorum miseria ei opponatur, inductione per singulas felicitatis & infelicitatis species factâ. Quare pro hac obtinendâ nihil non perferendum est.

CAPVT IV.

Ex quo malignissimus dæmon mortuorum se suffragiis vehementer opponit, laudabilem de illo victoriam obtinet qui ferventer purgandos iuuat.

Irreconciliabile diaboli in homines odiũ; vnde omnimodis, tam quoad corpus, quàm animam, iis nocere satagit; & vbilibet actionibus illorum venenum immiscendo, atque ad lapsum tentando insidiatur. Pro viribus etiam impedire conatur, ne fideles precibus suis defunctos iuuent: quod exemplis probatur. Ita vt qui, illo nequidquam frendente, his solatio sunt, insignem de eo victoriam referunt, quod historiâ quadam confirmatur.

CAPVT V.

Præsentes hæreticos, animarum Purgatorij infestissimos hostes, qui deuotione vel scriptione confundunt, specialissimam honoris palmam promerentur.

Hæretici, dæmonis instinctu, animarum iuuamen impediunt, in quo Deo & cælitibus iniurij sunt; eaq; occasione hæreseos damna declarantur. Moderni Nouatores è priscorum hæreticorum erroribus sua dogmata consuerunt: qui dum Purgatorium negant, insigniter in mortuos iniurij sunt; eorumque vesania & impostura detegitur Purgatorium modò clarè astruentium, modò perfidè negantium. Illud vbi Catholici validè propugnant, egregiam referendæ de illis victoriæ occasionem habent, cùm prauum hoc dogma quàm plurima inuehat mala.

CAPVT VI.

Quidquid à Sectariis nostris aduersus Purgatorium fuit obiectum, laudabiliter ac solidè ab Orthodoxis inuenitur reiectum.

Vt Iacobi Laurentij Ministri Amstelredamensis aduersus Purgatorium calumniæ solidè

dè confutentur, præambula quædam, velut dicendorum bases, præmittuntur. Scriptura sola, non est ad fidei dogmata stabilienda, nisi debita accesserit expositio, sufficiens. Inde quæ ille ex hac pro Purgatorio à Patribus allata loca allatrat, in ipsum retorquentur, & genuinè pro eo afferri demonstratur. Eadem operá, de librorum sacrorum Canone disputatur, & qui in hunc referendi, qui ab eo excludendi, disquiritur, illorumque quos ab eo Sectarij perperàm excludunt, auctoritas stabilitur; vti & Conciliorum œcumenicorum, quorum pro Purgatorio asserta à Laurentio frustrà distorqueri ostenditur: quemadmodũ & argumenta quæ in eamdem causam à Catholicis è Patribus ac ratione proferuntur. Sugillantur demum eiusdem è Scripturis, Patribusque ac ratione obiecta, atque propriæ suæ hæreseos principia ignorare monstratur.

CAPVT VII.

Virtutes Theologicæ, quarum inter alias locus ac honor præcipuus, in heroico gradu liberationem animarum condecorare solent.

Caro quàm importunus sit hostis: per virtutem ea impugnanda est, cuius vis, gloria & præstantia describitur. Virtutes Theologicæ in animarũ iuuamine exercentur: & in primis fides, cuius encomia è Patribus ac S. Litteris adducuntur, cuique miracula à Saluatore patrata, ascribuntur. Spei definitio, quæ & in animarum liberatione locum habet; eius encomia è Patribus itẽ & vtroque Testamento recẽsentur. Cuius occasione Psalmus nona gesimus per singulos versus exponitur. Charitate erga proximum augetur charitas erga Deũ, maximè ea quæ mortuis impenditur. Varia diuini amoris motiua adferuntur, vti & exemplum virginis cuiusdam Deum in iniuriis perfectè amantis. Charitatis in proximũ vis, proprietates, natura, modus, necessitas describitur, vt & veri amici proprietates. Per eam, quidquid molestum est, leue fit; quidquid amarum, dulcescit: & duo perquam insignia eius afferuntur exempla.

CAPVT VIII.

Qui mortuorum ex igne liberandorũ curam assumunt, an mirum est in virtutibus eos Cardinalibus progressum facere ac insignem inde gloriam consequi?

Quatuor virtutũ Cardinaliũ dignitas: quas, qui mortuis auxiliantur, egregiè exercent, & gloriam inde referunt. Id primò ostenditur in Prudentiâ, cuius natura, proprietates, praxis & partes recensentur, nec non piè prudentiũ exempla: deinde in Iustitiâ, cuius encomiũ, partes & officia ex ethnicis, Patribus & Scripturâ deducuntur: in animarum autem liberatione hanc insigniter elucere, exẽplis patescit. Quid sit Temperantia; hæc in causâ animarum etiam locum habet: quàm ea latè pateat, quomodo acquiratur, eius exercendæ praxis: versaturque tam circa externas quàm internas passiones: eius fructus, elogium, exempla. Fortitudo animi quanti sit momenti futurorum tormentorum consideratione eam parari, exemplis ostenditur. Habet etiam hæc in causâ Purgatorij locum, versaturque tam in vitiis ac diaboli tentamentis, quàm hostibus visibilibus & mundi aduersis superandis: quod Scripturæ testimoniis cõprobatur. In illâ ad finem vsque perseuerandum est; cuius occasione perseuerantiæ laus & fructus pensitatur. Tertia porrò fortitudinis species, est perfectus terrenorum contemptus, ac singularum passionum debellatio: quo eæ pacto cohiberi queant: & quomodo hæc in animarum materiâ locum habeant.

CAPVT IX.

Neque minoris acquirendi honoris occasio est animarum patrono, quoad singulas etiam virtutes morales.

Animarum patronus acquirit humilitatẽ; cuius partes, officia, motiua, gradus, & effectus exponuntur è Scripturâ & Patribus: & humilium exempla recensentur. Acquirit & mansuetudinem siue clementiam; eius effectus, materia, descriptio, nec non è Scripturis & Patribus argumenta. Item patientiam; circa quæ hæc versetur: eius motiua, laus, elogium, præmium, fructus; nec non patientium exempla. Item pœnitentiam; eius effectus, partes, encomium: quam qui exercent, animabus purgandis maximè consulunt, & sibi in futurum prospiciunt: hac in vitâ vsurpata prodest, post eam sera est. Mortificatio quantũ defunctis opituletur, exempla docuerunt. Castitas denique in causâ animarum etiam locum habet; eius elogium, fructus, effectus, bona & dignitas, ac virginum conditiones, laus, præmia, & in cælo prærogatiuæ, sed & nonnulla earum exempla. Quomodo tandem animæ pars concupiscibilis subiuganda.

CAPVT X.

Virtutum omnium perfectissima ea misericordia dici potest, quâ tormentis suis defunctos eximimus.

Perfecta dilectio maximè in misericordiâ defunctis exhibitâ elucescit, estque perfectissima virtutum. Ipsa quoque misericordia, virtutum ad proximum spectantium regina est. Omnia verò quæ in amicorum atque inimicorum dilectione continentur bona, in misericordiâ defunctis exhibitâ reperiuntur, cùm charitas in hac misericordiæ coniuncta sit. Exempla in egenos misericordium efferuntur.

CAPVT XI.

Quorumcumque misericordiæ operum, tam corporalium, quàm spiritualium species, in vnâ defunctis exhibitâ pietate reperiuntur.

Quàm misericordia nobis sit necessaria: eleemosynarum quoque erogationem à Deo nobis esse præceptam declaratur: in misericordiâ autem, quæ exhibetur defunctis, omnes tam corporalium quàm spiritualiũ operum misericordiæ species reperiri, inductione per singulas factâ, è Scripturâ & Patribus ostenditur. Misericordiæ, ac maximè eleemosynæ, commendatio, elogium, & effectus: cuius occasione, S. Philippi Nerij, egregij misericordiæ & charitatis in proximũ exemplaris, gesta & vita succinctè describuntur: qui quòd ardenti proximos iuuandi desiderio flagraret, Congregationem Patrum Oratorij, qui iam per varias Europæ prouincias dispersi sunt, instituit.

CAPVT XII.

An aliquis actus heroicus, siue in profanis, siue sacris, ab hominibus præstitus inuenitur historiis, quem non animarum liberator adæquet?

Animarum liberator omnes heroicæ fortitudinis actus, tam fabulosos, vt Orphei, Thesei, Persei, Icari, Phaethontis, Ganymedis, Herculis (cuius labores omnes ei adaptantur) quàm veros & historicos superat: vti filiorum piorum in parentes, & amicorum fidelium, & priuatorum nonnullorum, vt Homeri, Demosthenis, Mutij Scæuolæ, M. Curtij, Romuli: quorum singulorum gesta rei accommodantur. Fortium veteris Testamenti, vt Adam, Abel, Henoch, Loth Abraham, Iacobi, Iosephi, Moysis, Aaronis, Iosue, Samsonis, Samuelis, Dauidis, Tobiæ, Eliæ, Elisei, Isaiæ, Ieremiæ; item è nouo, vti Zachariæ, Simeonis, D. Iosephi sponsi Deiparæ, S. Ioannis Baptistæ, Mariæ Magdalenæ, SS. Petri, Iacobi, Andreæ, Ioannis, Stephani facta eum æquare probatur.

CAPVT XIII.

Excelsissima quoque Angelorum adimplet officia, qui de inferorum carcere ac pœnis ad cælestium societatem ac gaudia mortuos euchit.

Angelum vnusquisque habet, à quo custodiatur, vti & prouinciæ singulæ, contrà quàm sentiant hæretici. Angelorum officium est, sancta nuntiare, ad omne bonum nos instruere & custodire, ministrare, per viam dirigere, mœstos consolari, curare ne suæ curæ commissi deficiamus, afflictis succurrere, à malis liberare, opera & orationes nostras Deo offerre, precibus nostris suas iungere, nos vitâ functos in cælum efferre. Quæ singula historiis & exemplis confirmantur. Tres eorum sunt hierarchiæ, ordines nouem, quoad perfectiones, officia, dignitates, merita distincti. Sunt inter eos septem Angeli principes, & quæ horũ munia. S. Michaëlis Archangeli dignitas, officia, gesta pro veteri Synagogâ, & in Ecclesiâ Christianâ celebritas: an sit Angelorum primas: quæ apparitiones veteres ei tribui soleant: animas morientium excipere perhibetur, hinc potissimus in mortis agone patronus deligendus est. Singula porrò Angelorum officia & singula eorum exempla animarum patronis per inductionem applicantur, nec non ipsorum hierarchiæ & ordines, singulorumque ordinum officia; septẽ quoque Angelorum principum nomina, ac præcipuè S. Michaëlis, apparitiones denique per eum factæ, eiusque munia, & alia huiusmodi.

CAPVT XIV.

Qui in durissimis Purgatorij cruciamentis, defunctis affert leuamen, Matris misericordiæ fungitur officio.

B. Virgo Deipara à filio etiam viuente honorata est. Matres omnes veteris Testamenti, post longam sterilitatem concipientes dignitate præcellit. Eius maternitas & vterus, quantæ fuerit dignitatis, à Patribus exponitur: qui hanc proinde miraculorum maximum, arcam, facem, cælum, thronum vocant. Cur ipsa iustorum omnium sit mater, sex dantur rationes, SS. Patrum verbis doctrinaque Scholasticorum confirmatæ. Earumdem omnium Deiparæ dignitatum animarũ patronum participem fieri, singillatim demonstratur, vti & omnium, quæ de illius gratiæ inuentione, maternitate, conceptione, Incarnationis merito, vberibus, misericordiâ, patrocinio dici possunt.

CAPVT XV.

Qui redimendis è Purgatorio animabus vacant, in mediatoris quodammodò dignitate participant.

D. Virgini, vt matri, multa esse cum Christo filio communia, SS. Patres docent & Scriptura; vti & homini multa, quæ Dei sunt. Quo affectu Saluator genus humanum redemerit: in hac porrò redemptione non misericordia solùm, sed & iustitia eluxit. Christi natiuitatis tempus, circumstantiæ, locus, modus, prodigia, paupertas. Duodecim dantur rationes, cur circumcisus sit: nominis ei in illa impositi maiestas, dignitas, efficacia, suauitas, gloria, potestas, encomia, effectus. Adoratur à Magis, in eaque adoratione Gentiũ vocatio, Iudæorum reprobatio, aut vtrorumque

que

que potiùs coniunctio, repræsentatur. Hæc adoratio, & dona à Magis oblata per omnes partes excutiūtur. Cur in templo præsentari, & in Iordane baptizari voluerit: cuius baptismi circumstantiæ expenduntur: item tentatio in diserto, ieiunium, reliquaque vitæ series. Vixit in paupertate, atque eam discipulos verbo & exemplo docuit. Illius miracula, & in monte Thabor transfiguratió, omnesque eiusdem circumstantiæ examinantur, ac præsertim numeri octonarij mysteria. Dolores quos in passione pertulit, cur acerbissimi fuerint. Triginta argenteis à Iudâ venditur, in horto Patrem orat, & ab eo derelinquitur, tres Apostolos secum sumit, affligitur, præ agoniâ sanguinem sudat, per Angelum confortatur; Iudæ & turbis obuiàm prodit, quos verbo ad terram prosternit; se à Petro defendi vetat, & ab hostibus comprehendi sinit. Ad Annam raptatus, alapâ percutitur: in domo Caiphæ falsis testimoniis impetitur, & Caiphæ intrepidè respondet. Militum potestati relictus, indignis modis habetur. A Petro negatur, cuius negatio expenditur; quem dum Dominus respicit, intra se conuersus, & egressus foras, fleuit amarè: Iudas verò, relatis argenteis, de veniâ desperans, laqueo se suspendit, haud dubiè summo Christi cum dolore. Qui exinde ad Pilatum, mox ad Herodem ducitur, qui eum ceu fatuum veste albâ induit: Pilatus verò eum omnimodis liberare conatus, flagellari iubet. Hæc flagellatio per omnes partes pensitatur. At milites spineam plectentes coronam, ei imposuêre: quid corona hæc spinea designet. Cùm autem eum Iudæi ad crucem peterent, Pilatus eorum postulatis annuit: vnde Christus, sibi crucem baiulans, eductus est. Dantur rationes, cur crucis mortem subierit; & baiulationis eiusdem circumstantiæ expenduntur, vti & gustationis vini felle mixti, diuisionis vestium, tituli crucis, & crucifixionis. Crux olim quidem infamis fuit, at per Christum nobilitata, regni symbolum facta est: eius elogia, figuræ, fructus: hæc nostra esse debet armatura, comparatione à quatuor crucis dimensionibus sumptâ. Expenduntur & septem verba in cruce à Christo prolata, boni latronis conuersio, & spiritus inclinato capite emissio. Septem denique in illius morte prodigia. Ea porrò omnia animarum liberatoribus sparsim toto Capite accommodantur.

CAPVT XVI.

Præstita defunctis misericordia, homines mortales immortali Deo similes facit.

Dei naturam à nullo verbis exponi posse, variis testimoniis asseritur; eam autem inquirere, periculosum; vnde summâ ad hoc opus humilitate. Quæ per negationem potiùs explicatur. Illius vnitas. Deum esse, nemo nisi summè impius, negare potest. Quibus exemplis repræsentetur. Tametsi verò vnus sit, nihilominus trinus est. Quibus similitudinibus hæc Trinitas exprimi queat. Illam quidem veteris Testamenti patres aliquousque agnouere, at Christus clarè demum exposuit. Nihil autem de eâ dicendum quàm quod in Scripturis habetur: varias illius hæ suggerunt figuras; quæ neque in rebus naturalibus desunt. Alias etiam adferunt SS. Patres: nec mirum, cùm & Ethnici Philosophi aliquod eius lumen habuerint: at in Ecclesiâ multis illa est miraculis declarata. Quâ in re homo Deo similis sit, & ad eius imaginem factus: per virtutes autem & supernaturalia charismata hæc imago in eo renouatur; maximè autē misericordiâ ei similes reddimur. Quomodo tribus SS. Trinitatis personis animarum Mœcenas assimiletur, Patri in rerum creatione & operatione, Filio in resurrectione ex mortuis, Spiritui sancto verò in amore & bonitate.

CAPVT XVII.

Quantum bonum sit, in assiduâ mortis recordatione versari.

Mortis memoria quia homini vtilis, dici potest lignum vitæ. Mors autem omnibus semel subeunda, vnde nulla contra eam est medicina: & quia maximè terribilis, hinc vocatur fur, archistrategus, regina; vita autem stadium, torrens, comœdia; homo verò pulluis & cinis, quia talis mox futurus. Ceterùm mortis hora est incerta, nec vlli mortalium nota: hinc homini assiduè vigilandum, etsi longos vitæ annos dæmon ei semper spondeat, quò mortis immemorem reddat. Varia repentinæ mortis genera recensentur; quare eam præmeditando anteuertere nos oportet, quòd variæ ad eam sint viæ. Hæc autem præmeditatio plurima auertit mala, quæ ea neglecta accersit.

CAPVT XVIII.

Sola mortis ac Purgatorij cogitatio validissimum est ad pœnitentiam hic faciendam incitamentum.

Mortis instantis timor hominem cogit de peccatis agere pœnitentiam; at hunc dæmon tollere satagit: verùm quia non à Deo, sed peccato nata est, hinc nobis timenda; vti omnes Sancti eam timuerunt. Quænam eius timendæ sint causæ. Omnes Sancti veteris Testamēti eius recordati fuêre; sicut etiā Turcæ atq; Ethnici memores sunt.

Hæc porrò nauem nostram, post varias prosperitatis & aduersitatis in mari sæculi huius sæuientes procellas, in portum cælestem tandem perducit: quæ duplici hîc anchorâ opus habet, scilicet operum pœnitentialium, & cōsiderationis propriæ miseriæ. In vitâ hac vtique agenda pœnitentia, ne post eam grauiùs peccata luere cogamur.

CAPVT XIX.

Vt aduersa faciliùs feras, expende, quidquid hic affligit, cum alterius sæculi expiatione comparari non posse.

Miseria hominis quanta sit: cuius cognitio, occasio est humiliandi se, vti & vitæ breuitas, ac peccandi pericula. Extremi iudicij horrorem ostendunt signa præuia, & quænam illa futura; quæ etiam in sensu mystico exponuntur. Hæc si mente voluamus, ingruentia nobis aduersa æquanimiùs feremus, inque Dei voluntatem totos nos resignabimus. Aduersorum acerbitatem prætereà vitæ æternæ spes mitigat, & si illa cum futuri sæculi pœnâ, & iis quæ Sancti passi sunt, comparemus. Quænam considerationes mortem suauem reddant: quò patientiæ virtus mirificè facit. Recensetur crucis ac tribulationū honestas, vtilitas, iucunditas. Hujus exemplum illustre dedit S. Iacobus Maior, cuius Vita paucis decurritur.

CAPVT XX.

Qui in nouissimorum suorum memoriâ occupatur peccandi occasiones facilè euitabit.

Nouissimorum memoria hominem à peccando reuocat, præcipuè mortis: quæ in bonisne an in malis numeranda sit, disquiritur. Quarum rerum consideratione isthæc memoria fouenda sit: quæ quia summè vtilis, hinc & ad peccatores conuertendos ab Ecclesia vsurpatur.

CAPVT XXI.

Superbiam, omnis mali radicem, memoria mortis exstirpat.

Mortis memoria hominū superbiam egregiè retundit: hæc enim Deo est exosa. Vnde ea ducat originem: cùm nullam tamē homo superbiendi occasionem habeat, si vilitatem corporis & originis suæ consideret, & se cum Deo componat. Omnem verò superborū fastum mors terminat: quorumdam à Deo humiliatorum exempla referuntur. Optimè autem humilitatem memoriâ mortis doceri, tum Ethnicorum, tum Christianorum exempla testantur. Superbiæ damna, & humilitatis fructus inter se componuntur. Quisquis autem exaltari gestit, priùs se humiliet necesse est, vti exempla Biblica declarant, & maximè Christi, qui humilitatis exemplar nobis factus est.

CAPVT XXII.

Seuerissima factorum reddenda ratio in Purgatorio, vitæ item huius ac præsentium omnium expensa breuitas & vanitas, temporalia despicere docet.

Auaritia inexplebilis est, ac duplex in eâ peccatum inuenitur: quam qui sectatur, miser est, quia sibi & aliis nequam est: inde verò maximè miser, quòd illius filij & opes malè pereant, & graue eum ob opes iniquè partas (quarum nō dominus, sed seruus est) maneat supplicium. Cuius etiā mors futura est amarissima, & horrendum iudicium: quæ si ad mentem reuocaret, opes meritò flocci penderet.

CAPVT XXIII.

Eadem mortis recordatio exorbitantes carnis motus refrænare consueuit.

Concupiscentiæ carnalis proprietates, turpitudo, vis è Scripturis ac SS. Patribus exponitur: sed huic comprimendæ remediū congruentissimum esse mortis memoriam, plurimis grauissimisque exemplis ostenditur.

CAPVT XXIV.

Dum animarum è Purgatorio liberationem expendimus, proximi in nobis inuidiam delere, & fraternam charitatem instaurare solemus.

Inuidiam in nobis sopit mortis ac Purgatorij memoria. Eius natura & conditiones è Patribus clarissimis argumētis describuntur.

CAPVT XXV.

Vt gulam ac sæculi huius voluptates faciliùs vincas, subeunda pro his post mortem castigatio præmeditanda est.

Purgatorij & inferni cogitatio refrænat gulam: cuius, vt & ebrietatis, natura, vituperium, fœditas è Patribus declaratur: nec non gulonum opiparorumque conuiuiorum castigatio. Quomodo in eos, & ebriosorum luxum S. Scripturæ ac SS. Patres inuehantur, Sanctorum verò abstinentiam dilaudent.

CAPVT XXVI.

Iram ac animi tumorem ineuitabile mortis fatum comprimit.

Ira equo ferocienti similis est, eiusque vehemens impetus: quandò ea culpâ vacet: ac talis fuit Sanctorum nonnullorum ira. Si non coerceatur, innumera adfert mala, vt SS. Patrum & Scripturæ verba declarant. Inimicorum autem dilectio & iniuriarum remissio quàm laudabilis & vtilis sit: præstantior hæc sacrificio est, magnamque animo pacem adfert. Quo pacto ira sanari, & pars irascibilis mortificari queat.

CA-

CAPVT XXVII.

Terribilis negligentiarum post mortem subeunda punitio non potest non diligentiam in nobis generare.

Opera bona diligenter obeunda sunt exemplo Abrahæ, Tobiæ, & aliorum: negligenter autem ea obire, Deo displicet. Maxima intereà diligentia adhibenda in præparatione ad mortem, Salomone, Siracide, & Apostolis huc adhortantibus; & mortis ac Purgatorij memoriâ nos exstimulante.

CAPVT XXVIII.

Eadem ipsa mortis subeundæ memoria ad sectandam perfectionem homini est stimulus.

Inordinatus erga bona terrena affectus exuendus est; sed qui mortem ac rationem in die iudicij reddendam animo voluit, iis neglectis, ad perfectionem tendere conabitur. Qualis tunc à Clericis, Religiosis, coniugatis exigenda sit ratio. Quorum occasione, explicantur status coniugalis, filiorum, viduarum, cælibatus, & alterius cuiuslibet status partes. Quàm iudicium extremum rigidum sit futurum; quod vt euitemus, perfectioni & progressui in virtute cumprimis studendum est. Quæ nos ad eum exstimulare queant; simulque documenta huc mirè facientia adferuntur.

CAPVT XXIX.

An vel imaginabile aliquod malum est, quo exercitâ in proximum misericordiâ, adeoq; & mortuorum è Purgatorio liberatione, non liberemur.

Misericordia mortuis impensa, vti & quælibet charitas, liberat à dæmonis infestationibus, purgat à peccatis, tuetur à periculis, mortem superat, à damnatione præseruat. Quorum occasione, S. Nicolai Episcopi Mirensis, viri verè misericordissimi gesta enarrantur.

CAPVT XXX.

Exhibitam siue viuentibus, siue defunctis charitatem, vniuersa simul bona comitari solent.

Eleemosyna velut semen & fons est. Charitatis elogium, præstantia, effectus, proprietates. Ipsa maximè in pauperes erogatur, Deo nos iungit. Describitur quoque Dei dilectio & amor, eiusque in anima effectus. Quæ omnia exemplo S. Ioannis Euangelistæ confirmantur.

CAPVT XXXI.

Non spiritualium tantummodò ac cælestium, sed temporalium insuper bonorum abundantiam, eleemosynarum largitio causat.

Nihil deest in Deum sperantibus ac fidentibus: vnde fit, eleemosynarum erogatoribus nihil posse deesse, tenaces autem sæpè & premi penuriâ, & sua deperdere. Imò in effusos in egenos, Deum vicissim effusum esse solere SS. Patres, sacræ Litteræ, & allata prætereà exempla declarant.

CAPVT XXXII.

Vt constet quanti sit apud Deum meriti, procurata animarum in patriam cælestem receptio, corporalis hospitalitatis à Patribus ac Scripturis asserta facit vtilitas.

Hospitalitatem Deo placere Scriptura asserit, è quâ hospitalium quorumdam historiæ recensentur. Commendant eam & SS. Patres & Concilia, exemplo Abrahæ & Loth. Decet autem Episcopos inprimis & Ecclesiasticos. Eam Christianis atque Ethnicis in vsu fuisse, allatæ docent historiæ. Effectus denique eiusdem depromuntur.

CAPVT XXXIII.

Eximiâ illos remuneratione dignatur Altissimus, qui se pios erga mortuorum cadauera exhibuêre.

Crudelitas in cadauera defunctorum exercita, omnibus exosa est: cuius varia enarrantur exempla: & contrà alia, tam sacra, quàm profana, pietatis eisdem exhibitæ.

CAPVT XXXIV.

Nullius eleemosyna purior, securior aut vberior fructus, quàm in animarum Purgatorij adiutorium erogatæ.

Quàm sit facile misericordiam defunctis exhibere: estque hæc etiam in bono affectu, & piâ voluntate sita: quæ quàm citissimè præstari potest. Eiusdem puritas ac certitudo, vbertas quoque ac fœcunditas.

CAPVT XXXV.

Quos è tormentis ad cæli gaudia spiritus promouemus, apud Deum illi pro nobis vicissim intercedunt.

Animas Purgatorio detentas pro viuis orare, è diuersis probatur, & quæ in contrarium faciunt, refelluntur. Si quis illas etiam pro aliquâ necessitate inuocet, suum simul subsidium iis promittendo, poterit, Deo dante, petitorum compos fieri. Quod exemplis probatur.

CAPVT XXXVI.

In corporalibus etiam auxiliatorum suorum necessitatibus, animæ Purgatorij visibiliter prompteq; succurrunt.

Exemplis ostenditur animas fidelium ab intercessoribus suis pericula propulsare; & eadem historiâ Elisei confirmantur.

CAPVT XXXVII.

Facillimus viuis opitulandi modus, Purgatorij animas, suâ ex liberatione obligatas, in illorum patrocinium ad cælum destinare.

Misericordia potiùs animabus impendenda defunctorum, quàm viuorum necessitatibus: peccatorem tamen præstat à damnationis statu diuertere, peccatum impediendo, quàm illis opitulari; & hoc illas præoptare probatur. Attamen viuis non decedit, quod mortuis impenditur. Animæ sanctorum norunt, quæ hic aguntur; ideoque pro viuentibus orare solent, & petita impetrare: item pro animabus Purgatorij. Hæ verò iam cælo donatæ, pro liberatoribus suis identidē Deum rogant, ac pro peccatore, si quidem illi conuertendo destinata suffragia, ipsis applicentur.

CAPVT XXXVIII.

Non vtile solùm, sed etiam periucundum fit liberandarum è Purgatorio animarum exercitium, cùm incredibilia illarum gaudia, ac consolationes diuinas, quibus perfruuntur, in memoriam reuocamus.

Animæ purgandæ quos amoris & gaudij actus subinde eliciant. Earum porrò gaudium oritur è certitudine salutis; secundò, quòd Deum non ampliùs sint offensuræ, & proinde tormenta sua patiuntur velut castigationem paternā; tertiò, quòd in loco sibi à Deo destinato agant; quartò, quòd voluntatē habeant diuinæ omnino conformem; quintò, quòd Deum ardentissime intueri desiderent; sextò, quòd earum pœnæ indies decrescant, quoad durationem, & in gratiâ contrà proficiant. Christi inter media tormenta consolatio & simul querimonia, vti & SS. Stephani ac Laurentij, quorum texuntur elogia, & martyria narrantur. Consolatio simul cum tormento potest consistere.

CAPVT XXXIX.

Spes Resurrectionis, sine quâ superfluum & vanum esset orare pro mortuis, eximiam nata est adferre lætitiam.

Resurrectionis spes facit vt pro defunctis oremus. Resurrectionis Dominicæ varia adferuntur symbola, nec non figuræ è veteri Testamēto; nostra verò variis testimoniis sacris comprobatur. Christi resurrectionis circumstantiæ contra Iudæos incredulos expenduntur: quibus is à resurrectione apparuerit, singulæq; apparitiones excutiuntur; maximè illa quâ discipulis in Emmaus abeuntibus se spectandum dedit, atque in ea inprimis verbum illud Christi, *Quæ?* vt & reliqua: item ex quibus se Apostolis visibilem exhibuit. Resurrectio quàm sit creditu difficilis; sine illâ autem inanis foret fides nostra, & è contrà ob eam felices sumus, spesque nostra corroboratur. Eadem testimoniis SS. Patrum confirmatur. In hac exultarunt Angeli, elementa, homines. E Christi resurrectione, vtpote primâ, colligitur & probatur ceterorum mortuorum resurrectio. Cur hic in Apostolos, datâ eis potestate dimittendi peccata, posteà insufflauerit: dedit iis reuerà Spiritū sanctum, & per totum orbem misit, vt per eos Gentes ad fidem conuerterentur, ac baptizarentur; accedentibus præsertim signis & miraculis per eos editis. Occasione cōfessionis S. Thomæ Apostoli, quâ Christi diuinitatem est confessus, ea ipsa pluribus adstruitur, & S. Thomæ vita, elogium & martyrium referuntur.

CAPVT XL.

At maiori multò consolatione perfundimur ex consideratione gloriæ cælestis, ad quam animæ de Purgatorij tormentis ascendunt.

Cur Christus resuscitatus à Mariâ Magdalenâ se tangi vetuerit; quòd in cælo ab eâ iam beatâ perfectè tangendus sit, cuius occasione cælestis ciuitatis amœnitas, iucunditas & beatitudo describitur tum è Patribus, tum aliunde, item cælestium gaudiorum fœcunditas, abundantia, saturitas, securitas, æternitas. Vel sola eorum memoria mentem exhilarat. S. Andreæ elogium, vocatio, vita, martyrium, reliquiarum cultus.

CAPVT XLI.

Sacratissimæ Passionis ac meritorum Saluatoris nostri communicatio, quâ fideles igne purgandi vel maximè liberantur, egregia Catholicis exultationis est ratio.

Caluinus in Sanctos Patres Purgatorij assertores thrasonicè deblaterat; eosque crucem Christi ait euacuare: quod falsum est, cùm hæc ipsa nobis gaudendi causa sit, & plena dulcedinis; cuius variæ in veteri lege extiterunt figuræ. Ipsa porrò in animarum purgandarum liberatione maximè extollitur, quia Christus è cruce mox ad inferos descendit ad animas patrum & purgandas inde educendum. Eamdem virtutem operatur passio illius in sacrificio pro defunctis oblato: quod iam inde ab initio Ecclesiæ pro iisdem oblatum esse è Patribus declaratur, simulque id omnem suam vim & energiam à passione Christi mutuari: quippe ipse vt homo, non vt Deus, humani generis peccatis obnoxij mediator est. Horrendæ in Christum & Sanctos blasphemiæ Caluini, aliorumque hæreticorum; item in Pontificem, Cardinales, Religiosos.

CA-

CAPVT XLII.

Insigniter Catholicorum animos recreat magna, quæ in liberandis è Purgatorio fidelibus elucet, Dei misericordia.

Misericordiæ diuinæ cõsideratio gaudij nobis materia est, sed hanc ab eo vnà cũ iustitia exerceri, è SS. Patribus declaratur, ac simul iustitiæ vltionum quas vtroq; in Testamento exercuit Deus, varia adferuntur exempla. Nusquam verò magis elucet iustitia, quàm in mysterio Incarnationis Dominicę, vti & Dei misericordia; quę sępè iustitiam mitigat & infrenat. In Purgatorij porrò assertione illi non derogatur, sed potiùs illa deprędicatur: at Caluinistę Purgatorium negantes in illam potiùs iniurij sunt, quorum dogmata horrenda quoad hoc depromuntur & refutantur; vti & alia quoad prædestinationẽ & peccati portationem: eademque operâ infamia Caluini describitur.

CAPVT XLIII.

Quas à Sectariis, ob Purgatorij defensionem, contradictiones & contumelias sustinemus, eximium illæ nobis delectamentum conciliant.

Persecutiones & tribulationes amplissimã gaudendi Christianis materiã præbent, vnde & in eis gauisi sunt Sancti, & cõtumeliosos benignè habuerunt; atque inter ceteros SS. Apostoli & Euangelistæ S. Matthias, Iacobus Minor, Philippus, Simon, Iudas, S. Marcus, Lucas, Matthæus, Bartholomæus & S. Catharina virgo & Martyr. Innocentes verè Martyres sunt vnà cum matribus suis. Inter omnes autem Christus maximam passus est contradictionem: quam recolentes ad similes sustinendas animari debemus. Ceterùm adeò non euertitur fides per Purgatorij assertionẽ, quemadmodum vult Caluinus, vt potiùs stabiliatur, & ipse in præcipua fidei dogmata blasphemus esse comprobetur; qui è S. Scripturâ & Patribus confutatur: vti & in baptismum, in quo turpiter eum hallucinari variis argumentis ostenditur. Hinc per transennam agitur de partis irascibilis passionibus earumque mortificatione, præsertim tristitiæ.

CAPVT XLIV.

Persuauis meritò est animarum patronis, ipse etiam mortis, qui in mortuorum causâ occurrit, cogitatus.

Rationes adferuntur cur mortis memoria iucunda sit, quia per eam omnibus molestiis eximimur, proinde minimè timenda est. Huius occasione miseriarũ humanarum texitur catalogus SS. Patrum verbis. Morte quoque commune corruptæ naturæ debitum & fœnus persoluitur: ac simul quatuor corporũ gloriosorum dotes, impassibilitas, subtilitas, agilitas, claritas, earumque effecta deducuntur. Multum per mortem boni anima lucratur, tum quòd è corpore velut carcere soluatur, cùm vitæ adeò breue sit spatium; tum quòd ab eo non ampliùs aggrauanda sit, & ab infestissimo aduersario per mortem liberetur. Anima insuper per mortem bonis innumeris accumulatur, hinc ad eam Sancti toto animi studio aspirarunt, vti exemplis pluribus tum sacris tum profanis comprobatur. Ceterùm id animæ bonum accedit, quòd animarum suffragatores aliquo modo certam de suâ prædestinatione fiduciam concipere possint, ob eleemosynam, charitatem, actum pietatis ac religionis generosum, timorem Dei, præparationem ad mortem, cultum Sanctorũ quem hîc exercent.

CAPVT XLV.

At suauior adhuc iisdem defunctorum auxiliatoribus futurus securus è fragili hac ac periculosissimâ vitâ egressus.

Mors corporalis minimè metuenda est; hinc eam Sancti non exhorrent, at soli impij, & quare. Quatuor in mortis horâ hi patiuntur dolores. Quinam à Psalmographo vocentur dolores mortis, & quæ pericula inferni; peccata scilicet, quæ hominem morientem ad Iudicem vsque stipant & sequuntur vt accusatores. Quales in mortis horâ anima passura sit angustias ob infestationes dæmonum. Vnde multi Anachoretæ in mortis horâ pauore concussi tremuère, multi verò è contrà magno cum iubilo ex hac vitâ migrauere: quod & iustis commune est, vt & SS. Patrum testimonia & exempla nonnulla confirmant. Talem mortem nanciscuntur plerumque animarum patroni, idque ob quatuor rationes ex effectibus eleemosynæ petitas. Quæ res exemplis quibusdam tandem confirmatur.

CAPVT XLVI.

Suauissimus denique, vbi ab amicis suis in æterna tabernacula recipientur, eorumdem spirituum suffragatoribus ad cælum erit ingressus.

Lætus iustorum post mortem ad cælos ingressus è SS. Patribus describitur, ac præsertim eorum, qui erga animas defunctorũ propensi fuere: eleemosyna enim parat patronos in cælo, & ipsi quibus illa erogatur, sunt opum nostrarum custodes. Animæ quoque pro quibus datur, orant pro suis auxiliatoribus, vti & Sancti omnes; qui eisdem sua offerunt meritá, vt exemplo S. Gertrudis Saxoniæ comprobatur. Ipse quoque Redemptor Iesus benignè & amicè eos habebit, & benignum se iis Iudicem præbebit, vt reuelationes eidem Virgini factæ declarant. Impiorum qualis futura

tura sit mors, diuersis historiis commonstratur: in iudicio autem à variis accusabuntur, & exactißimè discutientur, nec se excusare poterunt, cùm omnia peccata in Dei memoriâ velut libro scripta sint. Secundùm quæ ferenda sententia, quæ in improbos pronuntiabitur maximè terribilis, & mox executioni mandabitur. E contrà iustis admodum se benignum Christus exhibebit, eos benedictos Patris sui appellans, & æternum cælorum regnū eis poßidendum tradens.

CAPVT XLVII.

An non deliciosum expendere, quantus iis sit, qui defunctos strenuè iuuerunt, in cælo triumphus, quàm sublimis corona, quotuplex gloria, quàm arcta vnio cum Deo?

Triumphorum Romanorum, & aliorum ritus animarum patronis accommodantur, maximè eius quem Christus in Ierusalem & eius quem cælos ascendēs egit. Horum occasione, Processionum Catholicarum ritus exponuntur, earumque antiquitas demonstratur. Quas ob causas potißimùm institui solerent: origo Litaniarū Maiorum à S. Gregorio institutarum. Omnes illas coronas, quas Romani suis dabant, promerentur animarum patroni ac liberatores: quod etsi neget Caluinus, contra eum tamen euincitur, vitam æternam esse operum bonorum mercedem, darique ex iustitiâ, non verò ex solâ Dei misericordiâ: atque hac etiam de causâ fit vt Sancti merita sua in alios transscribentes nihil deperdant, sed ea duplicata recipiant, vt exemplis quibusdam probatur. Quænam in cælo liberatores iam dictos maneat merces, gloria, prærogatiuæ. Spirituale animæ cum Christo connubium in quo consistat, & quæ ad ipsum requirantur: & quæ vicißim à sponso illo anima charismata interna recipiat, vt ad ipsum iugiter aspiret. Huic proposito explicatur parabola decem Virginum; & S. Martini Turonensis dantis pauperi nudo dimidium chlamydis historia expenditur.

CAPVT XLVIII.

Neque huiusmodi solùm in cælis fauores animarum Mæcenas assequitur, sed in illius etiam gratiam mirabilia Deus aliis hominibus bona ac dona communicat.

Ascensio Christi in cælos magni nobis gaudij materia est, & bonorum occasio, vt è SS. Patrum verbis adstruitur. Eius in animis nostris effectus. Qui & animarum patronis accommodantur, ac singula exemplis variis confirmantur. Atque huius occasione S. Ioannis Baptistæ conceptio, ortus, gesta, baptismus sacræ Scripturæ & SS. Patrum verbis declarantur.

CAPVT XLIX.

Insignis vitæ sanctimonia ac rarißima prærogatiuæ, quibus in totius Ecclesiæ bonum, defunctorum fautores emicuerunt, ad iisdem congratulandum congaudendumq́ omnes inuitant.

Animarum Patronos eximiis priuilegiis à Deo donatos fuisse, ostenditur exemplis Sancti Pauli Apostoli, Sancti Augustini, & S. M. N. Teresiæ: quorum gesta, merita, miracula, dotes, virtutes recensentur. S. Teresiæ in primis, de cuius spiritu, scriptis, reuelationibus multæ aliorum relationes ac testimonia adferuntur, præsertim è bullâ Canonizationis. Referuntur prætereà occasione eius, quædam in commendationem Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, quoad concordiam cum Ordine Dominicano circa doctrinam Thomisticam, & quoad pactum cum Societate Iesu initum. Denique eiusdem S. M. Teresiæ erga defunctos affectus variis argumentis comprobatur.

CAPVT L.

Officia, quæ in mortuorum subsidium per vniuersam fiunt Ecclesiam, illorum amicis gaudium, confusionem verò iis minùs affectis, meritò pariunt.

Archiconfraternitate in subsidium animarum Romæ erectâ, plures aliæ per Europam ad illius exemplum erigi cœpere, & maximè per Belgium, & in Bauariâ ab ipsis Ducibus Maximiliano & Elisabethâ. Ladislai Regis Poloniæ moderni erga defunctos pietas enarratur. Quid Ordo Benedictinus in animarum iuuamen fecerit; quid Cisterciensis, quid Carthusianus; quid item Præmonstratensis, Dominicanus, Franciscanus, Eremitarum S. Augustini; quid Minimorum, & Societatis Iesu tum publicè, tum priuatim, pro fidelium defunctorum, tam Fratrum suorū, quàm aliorum, è Purgatorio liberatione piè facere soleant.

NOTA.

Vt vberior fructus ex toto Opere Lectori proueniat, ante omnia perlegere debet Præfationem superiùs impressam, ac inspicere Indices, præcipuè V. vltimos, sub finem Libri III. accusos.

LEGATIO ECCLESIÆ TRIVMPHANTIS AD MILITANTEM PRO LIBERANDIS ANIMABVS PVRGATORII COMMVNIBVS CONCIVIBVS.

LIBER PRIMVS.

Quàm vera & tremenda post mortem purgandorum supplicia.

CAPVT PRIMVM.

Cælitibus hanc Legationem propriè conuenire ostenditur.

1. *Ecclesia Christi mystica ex Angelis & hominibus conficitur:*

D vnum eumdemque finem, qui est gloriæ diuinæ fruitio, destinari tum homines tum Angelos, manifestum est: vnde mysticũ Ecclesiæ corpus non solùm ex hominibus, sed etiam ex Angelis constat. Ita docuit S. Thomas. D. verò Augustinus, de generali agens Ecclesiâ, *Hæc in sanctis*, inquit, *Angelis perbeata consistit, & suæ parti peregrinanti, sicut oportet, opitulatur: quia vtraque vna erit consortio æternitatis, & nunc est vna vinculo charitatis.* Vnde liquidò constat, & glorificatos in cælo spiritus, & peregrinantes in terrâ mortales, ad vnam eamdemque mystici corporis Ecclesiam pertinere: vt propterea mirandum non sit, si pars vna alteri operam præstet, aut vnâ ab alterâ opem requirat. At nouum alicui fortasse videbitur, quòd Legatio hæc triumphanti tribuatur Ecclesiæ, cùm potiùs Ecclesia militans à triumphante adiutorium pro animarum Purgatorij liberatione accelerandâ & implorare & impetrare deberet. Beatorum etenim est, suis apud Deum intercessionibus ac meritis, his qui illum offenderint, culpæ veniam, pœnæque remissionem, ne videlicet à cælestis gloriæ participatione vel excludantur vel retardentur, deprecari; mortalium autem adeò misera est infirmaque conditio, vt ab auxilio fidelium spiritibus exhibendo, variis ipsi imperfectionibus præpediri, atque ad suorum-met delictorum expiationem auocari videantur.

P. 3. q. 8. a. 4. in corp.
In Enchirid. ad Laurent. c. 56.

Ex hominibus, tum Beatis, tum adhuc mortalibus; illi triumphantem, hi peregrinantem Ecclesiam constituunt.

Si penitiùs tamen quis rem inspexerit, facilè aduertet, Legationis huius munus potiori ratione ac iure triumphanti Ecclesiæ conuenire. Nam, iuxta sanctum Cyprianum, *Licet hæc de suâ sit immortalitate secura, est tamen de nostrâ adhuc sollicita.* & secundùm D. Augustinum *superna Dei ciuitas quodammodò Curia dicitur, quia ibi cura de nobis mortalibus agitur.* Itemque S. Bernardus, *Sedet*, ait, *veteranus miles debitâ iam suauitate & securitate quietus: securus quidem sibi, sed nostri sollicitus. Non enim cum putredine carnis simul se exuit visceribus pietatis; nec sibi sic induit stolam gloriæ, vt nostræ pariter miseriæ, sueq; ipsius misericordiæ obliuionem indueret. Non est terra obliuionis, quam anima Victoris inhabitat.* Habet & alia, ex quibus clarum sit, cælitum esse officium, fidelium laborantium curam gerere. Cumq; te inter patientes & afflictos vel maximè numerandi veniant purgandi spiritus, & circa hos adiuuandos magna sit hominum adhuc viuentium negligentia; à curiæ supremæ ciuibus ad illud excitari meritò possunt ac debent. Tametsi enim fortiori mortuis obligatione teneantur, & quotidianis expiationum occasionibus abundent, exiguum tamen plerumque, aut sæpiùs nullum, tantis animarum Purgatorij cruciamentis leuamen impendunt; quin, quod omnino est inhumanius, ad illarum miserias vix attendere dignantur.

2. *Ecclesia triumphans meritò peregrinantem, vt Purgatorij animabus opem ferat, extimulat:*

Serm. de Mortalit.
Lib. 10. de Ciuit. cap. 7.
Serm. 22. de S. Victore.

Quàm itaque iustum est, viuos à Sanctis extimulari, vt illis, à quibus bona plurima, dum adhuc cum eis vitam degerent, receperunt, modò vices rependant quò, dum & ipsi fortè expiatricibus flammis adiudicati fuerint, ab aliis tum superuictuits pari sibi mensurâ charitas exhibeatur.

[Tri]umphantis Ecclesiæ benignitas quanta.

3. Elucet ergo in hoc q[...]ue miranda triumphantis Ecclesiæ beneficentia, vt ei non sufficiat pro viuis & mortuis apud diuinam Maiestatem continuè affectuosissimè intercedere, quin prætereà militantis Ecclesiæ pugiles instruere, animare & instigare numquam desinat, vt cælestium æmulationum æmula, non propriæ tantummodò saluti, sed aliorum etiam glorificationi insudet, deque mortuis æquè ac viuis, sibi in Christo propinquis, ac futuris in æternum quoque in cælo conciuibus, optimè mereri studeat. Quæ ne gratis aut absque fundamento dixisse credamur, generaliter primùm è SS. Patrum testimoniis ostendemus, tam Angelos quàm homines cum Christo regnantes, mortales in vitâ degentes ad omne bonum excitare: exposituri posteà, quamuis hoc eis munus quoad vniuersum perfectionis genus conueniat, specialiter tamen locum habere, vt animarum è Purgatorio liberationem à viuis vel instantissimè, requirant vrgeantque.

Angeli ad omne bonum instruunt homines. De cælesti hierarchiâ cap. 4.

4. Ad prius membrum quod attinet, docet S. Dionysius Areopagita, functiones Angelorum esse, diuinas veritates hominibus patefacere, & ad omnem consultationem faciendam erudire. Verba eius talia sunt: *Hæ sunt, Angelicæ scilicet naturæ, quæ cumprimis & variè diuinitatis sint participes, primo etiam loco ac multis modis diuinitatis veritatem tenebris quibusquam tectam, aperiunt & enuntiant: itaque semper & vbique Angelorum præcipue nomine appellantur, propter quod primum in eis insit diuina illustratio, ac per eos ad nos perueniant eæ, quæ naturam nostram superant, patefactiones. Sic enim Lex, vt diuina Scripta testantur, per Angelum nobis data est: atque etiam claros illos, qui Legem antecesserunt, eamque secuti sunt, Patres nostros Angeli ad diuinitatis notitiam perduxerunt, cum vel id quod agendum erat, inducerent, vel ab errore vitaque scelestâ ad rectam veritatis viam traducerent, vel sacros eis ordines, vel mysteriorum diuinorum occultas visiones, aut diuinas quasdam prædictiones interpretando enuntiarent, & aperirent.* Quibus non absimilia sunt, quæ tam Psalmista Regius, quàm Propheta Zacharias, aliique sacrarum Litterarum scriptores protulerunt. In Psalmo namque legitur: *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius.* Hæc in thesi: in hypothesi verò, *Et reuersus est Angelus, qui loquebatur in me, & suscitauit me, quasi virum, qui suscitatur à somno suo.* Aliis similiter Bibliorum locis rei huiusmodi infinita propemodum videre licebit exempla, quorum nonnulla S. Dionysius loco citato adducit, ostendens, in iis quoque quæ per Deum immediatè nuntiata esse referuntur, Angelorum operam interuenisse. *Quod p[...]us, inquit, illinc etiam per se sine vllo medio nonnullis Sanctis Deum visum esse contendat, is discat etiã apertè ex sacris Litteris, id quod in Deo occultum sit, vidisse aut visurum esse neminem: Deum verò Sanctis visum ac ostensum esse quidem, sed enuntiationibus, quæ Deo digna sint, per quasdam sacras, & eorum, qui bus ostenduntur, captui accommodatas visiones.*

Idem docuit S. Dauid. Psalm. 102.

Idem Propheta Zacharias Cap. 4.

Et inferiùs: *An non etiam illam legislationem illinc quidem à Deo Moysi datam & concessam esse diuina Scripta tradiderunt, vt nos verè etiam ac sacræ Maiestatis simulacrum esse doceant? Sed hoc etiam Theologia nos docet, eam Angelorum ad nos operâ peruenisse, quasi illud ordo diuinæ Legis sanciat, ea quæ secundum locum obtinent, ab iis, qui primum, ad diuinitatem erigi atque excitari. Etenim non solum in summis atque infimis mentibus, sed in iis etiam quæ sunt eiusdem ordinis, hæc lex à Deo sancita est, vt in quaque hierarchiâ & primi sint & medij & postremi ordines, inferiorumque superiores Doctores sint, eisque quasi digito viam monstrent, aditumque ostendant ad diuinitatem, illustrationem atque consociationem.* His subiungit diuinus ille Theologus plura tam nouæ quam antiquæ legis exempla, quibus clarissimè probat, per Angelorum operam Deum hominibus sua mysteria communicare solitum, ideoque Angelos verè hominum designatos fuisse magistros & instructores.

Hoc ipsum & alij Beati in cælo faciunt. Lib. 8. in Lucam. Serm. 1. de S. Victore. Contra Vigilantium.

Hoc idem aliis quoque Beatis SS. Patres adscripserunt: nam in primis D. Ambrosius, *Sicut*, inquit, *Angeli præsunt, ita & hi qui vitam meruerint Angelorum.* Et S. Bernardus: *Discurrunt Angeli & succurrunt hominibus; & qui ex nobis sunt, nesciunt nos? nec norunt iam compati in quibus passi sunt & ipsi?* S. Hieronymus Vigilantium hæreseos arguit, quòd Sanctos viuis adesse posse negaret, atque ita eum sugillat: *Aut, vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel subter aram Dei, animas Apostolorum & Martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, & vbi voluerint, adesse præsentes. Senatoriæ videlicet dignitatis sunt, vt non inter homicidas teterrimo carcere, sed in liberâ honestaque custodiâ in Fortunatorum insulis, & in campis Elysiis recludantur. Tu Deo leges pones? Tu Apostolis vincula inicies, vt vsque ad diem iudicij teneantur custodiâ, nec sint cum Domino suo? de quibus scriptum est: Sequuntur Agnum quocumque ierit. Si Agnus vbique vadit, & hi qui cum Agno sunt, vbique esse credendi sunt. Et cum diabolus & dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimiâ [vbi]que præsentes sint; Martyres, post effusionem sanguinis sui, arcâ operientur inclusi, & inde exire non poterunt?* Imò D. Augustinus, etsi omnes promiscuè mortuos viuorum rebus interesse neget, id tamen de Martyribus sanctis affirmat. *Non igitur, ait, ideo putandum est, viuorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis vel adiuuandis Martyres adsunt: sed ideo potiùs intelligendum est, quòd per diuinam potentiam Martyres viuorum rebus intersunt, quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus interesse non possunt.* Sic Augustinus, ita nempe, vt etiamsi non omnibus defunctis concessum sit, quandocumque iis libuerit, viuis adesse, idem tamen datum sit Martyribus, atque aliis Sanctis qui ipsorum societati ac numero accensendi sunt. In cuius rei confirmationem etiam alij Patres audiri possunt. Diuus namque Basilius, postquam dixisset, virginem, etiam cùm sola est, semper reuereri debere & Dei & sanctorum tum Angelorum tum hominum præsentiam, *Quid*, addit, *per singula pergam? Ipsas Angelorum infinitas multitudines, & vnà sanctorum Patrum beatissimos spiritus: nullus enim ex his est qui non singula vbique consideret. Etsi enim oculis carnis minimè conspicui sunt, incorporeis tamen obtutibus ad agnitionem amplectuntur & comprehendunt omnia.* Mens ergo erat S. Basilij, Sanctorum animas nobis, cùm volunt, adesse, nullumque locum esse quem successiuè penetrare non possint; nihil

Lib. de Cura pro mort. cap. 16.

Lib. de Vera virgin. paulò post med.

item

item in rebus extare actionibusque humanis, quod aliquando intelligere nequeant. Quod ipsum D. Ambrosij verba confirmant: qui etiamsi asserat, Martyres eorum potissimùm curam habere quorum sunt ciues; docet tamen, Sanctos omnes vbique esse, ac vniuersis prodesse. Verba eius hæc sunt: *Licet vniuersi Sancti vbique sint, & omnibus prosint, specialiter tamen illi pro nobis interueniunt, qui & supplicia pertulêre pro nobis: Martyr enim cùm patitur, non sibi tantùm patitur, sed & ciuibus.*

Serm. 77. de Natali Octauij.

6. Sed age videamus, quomodo etiam penes Beatos illa sit sollicitudo, vt mortales dirigant, atque ad omne opus bonum informent. D. Ambrosius, *Isti sunt*, inquit, *Dei Martyres, nostri Præsules, speculatores vitæ, actuumq; nostrorum.* S. Basilius; *O cuneum inexpugnabilem! ô communes generis humani custodes, optimi curarum socij!* S. Maximus: *Cum his nobiscum familiaritas est, nobiscum sunt, nobiscum morantur.* Tertullianus, de resurrectione hominum agens, etiam docuit, eorum animas à Deo aliquando ad corpora reuocari, quatenus per hos documenta seu instructiones iuris ac mandati sui viuentibus tradat. *Sed*, inquit, *si quasdam reuocauit animas in corpora Dei virtus in documenta iuris sui, non idcircò communicabimus fidei & audaciæ magorum, & fallaciæ somniorum, & licentiæ Poëtarum.* Vnde patet, non solùm veram hac in parte esse Fidem catholicam, sed & falsam omnino istam hæreticorum sectam, quæ mortuorum spiritus ad mortales redire negat; quam & ipsemet Origenes, Tertulliano coæuus, sat refutat, dum in Celsum stringens calamum, narrat, multos pænè inuitos ad Christianam Religionem esse attractos, spiritu quodam repentè mutante intellectum eorum, vt pro verbo exoso ad id temporis non cunctarentur mortem oppetere, postquam illis iam vel dormientibus vel vigilantibus visiones oblatæ fuissent. *Multa enim talia*, inquit, *vidimus, quæ si memorarentur dumtaxat gesta in nostrâ præsentia, cachinnum tollerent Infideles, rati nos quoque sicut illos, de quibus male suspicantur, fingere. Testis est autem Deus conscientiæ nostræ, conari me non falsis narratiunculis, sed veris exemplis commendare Iesu doctrinam.* Sic Origenes: cui adstipulantur posteriora sæcula, quibus, vt ex probatis Scriptoribus liquet, sæpenumerò spiritus viuentibus adfuisse, apparuisseque, & eosdem instruxisse, atque ad omnem perfectionem excitasse perhibentur. Adscribamus lucis gratiâ vnum vel alterum exemplum.

Beati quoque viuentes ad quodlibet bonum dirigunt.
Lib. de Lidois.
Orat. de 40. Martyr.
Serm. de Martyr. Tauricis.
Tertullianus de Resurrectione
Contra Celsum.

7. R. P. Martinus Delrio sic inquit: *Adscribo vnum, quod multorum militum grauium, qui vidisse se sanctè iurabant, testimonio compertum. Cum annis superioribus admirando illo opere Alexander Farnesius Antuerpiam obsideret, Batani Angliq;, vt obsessis opem ferrent, & obsessi eodem tempore, vt hostem detinerent, factâ eruptione acerrimè pugnabant, aggeremq; iam Regio militi ereptum possidebant, securi, vt sibi videbantur, à Regis militibus; primo paucioribus conspectus prope aggerem Petrus de Paz, Hispanus Tribunus, vir & militaribus & pietatis ornamentis laudatissimus, qui iam mensibus aliquot antè defunctus. Visus hic armatus, vt solebat, legionem præcedere, & suis quondam militibus manu aduocatis, sequerentur vt se imperare. Indicant primi secundis, hi tertiis, hi sequentibus: vident omnes idem, mirantur, animisq; resumptis, notum sequuntur Ducem. Præit ille, & rectâ in hostem ducit: fit pugna: sed Batani in naues compulsi, aggerem Regis reliquere. Hoc momento oppidum munitissimum spe victoria & se tuendi decidit.* Sed haud minora, quæ circa eamdem vrbem Antuerpiensem contra Hollandos tuendam, nostro sæculo, nobisque inspectantibus euenere, iam referemus, quæ & ipsa, auctoritate Reuerendissimi Domini Ioannis Malderi, Episcopi Antuerpiensis, ritè examinata & approbata fuerunt.

Lib. 2. Quæst. magic. q. 26. sect. 5.
Petrus Paz Hispanus suis, quorum olim in vitâ ductor fuerat, militibus ad facilem victoriam parandam præisse visus est.
Efficit vt Antuerpia Regi Catholico restituatur

Cùm anno M.DC.XXII. mense Decembri, Mauritius Orangiæ Princeps, Hollandorum supremus Archistrategus, maximo nauium militumque apparatu iam instructus esset, vt Antuerpiam partim apertâ vi, partim subdolâ proditione, sui & Hollandorum iuris faceret, iamque vrbi immineret, classe ad portu Dordraceno soluendum paratâ, nocte intempestâ à cælite quopiam imminentis periculi admonita est Ven. Mater Anna à S. Bartholomæo, olim S. M. N. Teresiæ socia & tum Conuentus Discalceatarum Antuerpiæ Priorissa, ab eodemque Deum pro ciuitatis salute exorare iussa. Strato illa exsilit, in genua prouoluitur, manus cælum versus attollit, horis aliquot deuotissimè & ardentissimè orat: brachia eius lassata, iam remittebantur, sed à cælite rursum eleuabantur; illaque sibi desuper inclamari audiit: *Ora, ora, ora amplius, necdum enim periculum cessauit.* Perstitit illa, donec, ad quinque vsque horas oratione productâ, admoneretur à Deo, impetrasse se quod vellet, periculum iam cessasse. Inuenta in cellæ medio à Sanctimonialibus, quid circa se factum fuisset, ingenuè narrauit. Altero die nuntia allata sunt, diuinitus & miraculosè omnino hostium machinas fuisse elisas: cùm enim Mauritius iam iam, secundo vento & æstu, vt classis sua progrederetur in mandatis dedisset, ipseque suâ in triremi, fastu tumens, & de victoriâ certus, consideret; en, obortis derepentè maximis ventorum procellis, qui ex aduerso Hollandis flabant, naues hostiles turbine actæ inuicem allidebantur, plurimæ conterebantur & submergebantur, aliæ dissipabantur, tanta demum clades diuinâ manu hosti inferebatur, vt vix ipsemet Mauritius, suorum manibus ex aquis sublatus, incolumis euaderet. Accedebat, quòd, cùm aura iam hebdomadis aliquot maximè clemens fuisset, eodem momento simul cum turbine tam subitum & inopinatum frigus incideret, vt nautæ & classiarij vix quæ sui muneris erant præstare possent. Cumque biennio pòst, anno nimirum M.DC.XXIV. mense Octobri, nocte quæ Octauam S. Matris nostræ consequitur, iidem Hollandi Arci Antuerpiensi (vnde tota ciuitas, & tota propè Brabantia dependet) insidiarentur, illamque, variis variè excogitatis machinamentis, conscendere molirentur, excita à S. Matre nostrâ eadem Ven. Mater Anna à S. Bartholomæo, Moniales suas ad orationes fundendas pro imminente ciuitatis periculo (de quo tamen nihil omnino humanitus constabat) auertendo conuocauit, quibus factum est, vt & hostium insidiæ detectæ, ipsaque Ven. Mater diuinitus certior reddita fuerit, hostem nihil omnino effecturum, cubitum proinde concederet. Vtrumque beneficium, cùm quia rarum erat, tum quia ipsam ciuitatem Antuerpiensem attinebat, vt ampliùs constaret, præfatus eiusdem Emporij Episcopus, iuxta Sacri Concilij Tridentini decretum, de recognoscendis approbandisque nouis miraculis, examinandum

8.
Mauritius Nassonius Antuerpiam intercipere molitur.
Mauritius, classe suâ virtute diuinâ disturbatâ, vix saluus euasit.
Iterùm arci Antuerpiensi insidiatur.
S. M. Teresia suas periculi admonet, & hostium astus eluduntur.
Episcopus Antuerpiensis prædicta examinari curat & approbat.

dum commisit quatuor Ecclesiæ suæ Cathedralis Canonicis, omnibus in sacrâ Theologiâ Licentiatis, nempe Archipresbytero, Pœnitentiario, Plebano, & alteri cuidam Canonico. Hi vnà cum Curiæ Ecclesiasticæ Graphiario, Notario Apostolico, duodecim vniuscuiusque iuratos testes audierunt, remq; adeò testatam Reuerendissimo Episcopo retulerunt: qui denuò toto negotio cum viris doctis atque piis communicato, vtrumque miraculum approbauit; de Arce quidem anno 1629. die 3. mensis Octobris, de ciuitate verò die sequenti. Contigère pænè similia annis 1625. 1626. & 1630. sed quoniam illa modò iuxta Sacræ Rituum Congregationis præscriptum, pro solemni eiusdem virginis Beatificatione singulatim examinantur, ea hic omittimus.

quam solidè

9. Quòd si itaque pro temporalibus beneficiis exhibendis Sancti inuigilent & apparere soleant, multò certè id magis, vt spirituales effectus & commoda, animarumque lucra promoueant, ab iis fieri credendum est. Pleni sunt eiusmodi historiis veterum Scriptorum libri, quos inter S. Basilius, qui, *Memores*, inquit, *estote Martyris, quotquot illo per somnia potiti estis, quotquot in hoc loco constituti, adiutorem ipsum ad precandum habuistis, quibuscumque ex nomine aduocatus ipsis adfuit operibus, quotquot aberrantes ad viam reduxit, quoscumque sanitati restituit*, &c. Et Prudentius de S. Cypriano Carthaginensi Episcopo sic cecinit:

Homil. 16. de S. Mamante Martyre.

Peristeph. Hymno 13.

Desine flere bonum tantum, tenet ille regna cæli,
Nec minus inuolitat terris, nec ab hoc recedit orbe.
Disserit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat.
Nec Libyæ populos tātum regit: exit vsque in ortum
Solis, & vsq; obitum. Gallos fouet, imbuit Britannos,
Præsidet Hesperiæ, Christum serit vltimis Iberis,
Denique Doctor humi est, idem quoque Martyr in supernis.
Instruit heic homines, illinc pia dona dat Patronus.

Sancta Mater nostra Ecclesia in Apostolorum Præfatione, *Gregem tuum*, ait, *pastor æterne non deseras, sed per beatos Apostolos tuos continuâ protectione custodias, vt iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti præesse pastores.* quæ Præfatio magnæ vtique est auctoritatis, & à S. Pelagio, D. Gregorij Magni antecessore, vna ex nouem Ecclesiæ antiquissimis recensetur. Cuius rei & in singulis ferè Apostolis, & in aliis etiam Sanctis, capere possemus exemplum; sed sufficiet vnus pro omnibus S. Petrus, qui Apostolorum omnium & totius Ecclesiæ princeps fuit; de quo S. Leo: *Nunc mandatum Domini pius pastor exequitur, confirmans nos cohortationibus suis*, &c. quod & idemmet Apostolus sese etiam post mortem suam facturum promiserat, cùm ita scriberet: *Iustum autem arbitror quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione: certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi. Dabo autem operam & frequenter vos habere post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* in quo insignem reuerà eius, quod probare intendimus, petram habemus; solida nimirum petra & Ecclesiæ & omnis sanæ doctrinæ D. Petrus.

Epist. 4. Decretali.

Serm 3. Assumpt. suæ.

2. Petr. 1.

Item à veteri Lege, exemplo Iudæ Machabæi.

2. Machab. 15

Idem & ex antiquo Testamento pluribus ostendi posset: sed quoniam ad alia festinamus, vnum ex illo tantummodò referimus. Narratur vir fortissimus Iudas per Oniæ Sacerdotis & Prophetæ Ieremiæ apparitiones animatus, gladioque cælesti armatus fuisse, vt hac visione & milites suos excitaret, & hostes vicissim prosterneret. *Singulos autem*, ait sacer Textus, *militum suorum armauit, non clypei aut hastæ munitione, sed sermonibus optimis, & exhortationibus, exposito digno fide somnio, per quod vniuersos lætificauit. Erat autem huiuscemodi visus: Oniam, qui fuerat summus Sacerdos, virum bonū,..... & qui à puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem orare pro omni populo Iudæorum: post hoc apparuisse & alium virum, ætate & gloriâ mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum. Respondentem verò Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersâ sanctâ ciuitate, Ieremias Propheta Dei. Extendisse autem Ieremiam dexteram, & dedisse Iudæ gladium aureum, dicentem: Accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo deiicies aduersarios populi Israel.* O fide dignissimum somnium! quo adeò suscitati Iudæorum animi, vt à Textu subiunctum sit: *Exhortati itaque Iudæ sermonibus bonis valdè, de quibus extolli posset impetus, & animi iuuenum confortari, statuerunt dimicare & confligere fortiter, vt virtus de negotiis iudicaret, eo quòd ciuitas sancta, & templum periclitarentur.*

Iudas Machabæus verbis vehementer excitati Iudæi.

Vtinam non minus efficiat in Christianorum mentibus hæc Legatio totius Ecclesiæ cælestis, quæ & hactenus probata est meritò omnem virtutis exercitationem à viuentibus requirere, & posthac ostendetur, non minore iure, vt è Purgatorio eximant mortuos, à mortalibus expostulare! Iuuabit ad hoc stabiliendum, allata modò Machabæorum historia, vt inde Capitis huius alterum membrum inchoëtur, vbi prius finitum est. Nam quemadmodum de Iudæ militibus dictum fuit, quòd iuuenum animi confortati statuerint dimicare, & fortiter agere, propterea quòd ciuitas sancta & templū periclitarentur; ita Cælites, vt viuos permoueant ad animarum è Purgatorio solutionem, vrgere id possint, quòd res agatur pro sanctâ ciuitate & templo cælestis Ierusalem, non conseruando, sed extruendo potiùs & perficiendo. Quæ ratio & solidissima est, & apertè demonstrat, Beatos negotium istud modis omnibus vrgere debere. Rationis soliditas facilè constabit ex Machabæorum cum Catholicis militibus collatione. *Erat*, inquit Textus sacer, *Machabæis pro vxoribus, & filiis, itemq; pro fratribus & cognatis, minor sollicitudo, maximus verò & primus, pro sanctitate timor erat templi.* Quid ad mortalium oculos aperiendos, animosque excitandos, efficacius proferri queat, vt iuuandis defunctis, & in Gloriosorum societatem asserendis, sese accingant? Si enim Iudas Machabæus tantum apud suos vnicâ oratione, ac somni vnius enarratione, valuit, vt eius milites vxorum, filiorum, fratrumque & cognatorum quasi viderentur obliti; quid non apud Christianos valere debebunt vniuersi simul cælorum Principes tot suis quotidie inspirationibus, tot diuersis hinc inde factis apparitionibus, tot post se relictis Scriptorum voluminibus, tot demum in semetipsis exemplis? Quid, inquam, ij non valere debebunt, vt homines Christiani & Catholici, si parentum atque amicorum suorum præ Purgatorij animabus obliuisci nolint, saltem id agant, vt illarum non omnino obliuiscantur? & non solùm cum iis, sed & in iis memores sint parentum, vxorum, liberorum, fratrum ac cognatorum; qui fortassis propter ipsos Pur-

10.

Secundum Capitis huius membrum ab eadem Machabæorum historiâ inchoatur.

conferuntur Machabæi cum Catholicis

multorum parentes in purgatorio

Purgatorij flammis immersi, absque eorum patrocinio non possunt emergere, & proinde auxilium sibi contra omnem iustitiæ rationem denegari, vel id longiùs differri, iustè queruntur.

11. *Maior Christianos affectus quam Iudæos decet.* At, si tantum affectum & habuerunt & commonstrarunt Iudæi pro templi sui lapidei defensione, quid non agere debeant Catholici, vt cælestem illam atque æternaliter duraturam Ecclesiam perficiant, non è terræ lapidibus qui corrumpuntur, sed ex spiritualibus glorificandarum animarum petris: quas licet aliquantillo temporis spatio excoqui, Beatorumque mansioni accommodari oporteat, viuorum tamen quantulacumque diligentiâ statim parari possunt; & vbi diu igne excruciandæ essent, facillimâ mortalium satisfactione in cælestem structuram transferri. Quæ, aliaque permulta, à Beatis ad peregrinantes fideles dici possunt, vt eos ad triumphantem suam ædificationem ex mortuorum glorificatione promouendam, permoueant. Et sanè non modicùm etiam Sanctos hæc ratio premit, vt viuos vrgeant. quia, vt S. Bernardus ait, *est alia causa quæ magis vrget Sanctos vt solliciti sint de nobis, quia, iuxta vocem Apostoli, Deus prouidet pro nobis, ne sine nobis consummarentur. sicut ait S. Dauid, Me expectant iusti, donec retribuas mihi.* Hactenus D. Bernardus, cui adstipulatur hoc modo S. Augustinus: *Non pro Angelis mortuus est Christus; sed ideò etiam pro Angelis fit, quidquid hominum per eius mortem redimitur & liberatur à malo: quia ex ipsâ hominũ redemptione ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur.* Infrà: *Et vtique nouerunt sancti Angeli, docti à Deo, cuius veritatis externâ contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius ciuitatis expectet.* Vnde satis patet, quàm iustè illa Beatorum communitas desideret, vt vacuata à dæmonibus loca quantò citiùs adimpleantur hominum animabus: inter quas cùm nullæ viciniores sint quàm eæ quæ corpore suo veluti carcere solutæ, iam ad æternam illam mansionem ex mortalium consortio destinatæ sunt; iustum profectò est, vt Angeli & ceteri Sancti auidissimè expetant, atque à viuentibus adhuc hominibus instanter requirant, spiritus è Purgatorio eximi, &, quod hi per facillima sibi adiutoria omni possunt momento, inserant ædificio suo sempiterno.

In Serm. Vig. SS. Petri & Pauli.
Psalm. 141.
In Enchirid. cap. 61.
Ibid. cap. 62.

12. *Animæ in Purgatorio sunt membra eiusdem corporis nobiscum ideoque iuuandæ.* Aliam rationem Sancti habent ex parte ipsorum purgandorum. Cùm enim illi eiusdem corporis ac capitis mystici membra secum existant, fit, vt dolores ac cruciatus, quos animæ perpetiuntur, leniri ac finiri velut suos exoptent, & quantum possunt adlaborent, quò earumdem tormentis remedium adferatur. S. Ambrosius de Sanctis ita loquitur: *Quamuis de suo merito securi sint, tamen quia futura est adhuc redemptio totius corporis Ecclesiæ, compatiuntur: cùm enim adhuc membra patiuntur corporis sui, quomodo alia, licet superiora, non compatiantur membris vnius corporis laborantibus?* Idemque docet S. Paulus, vbi inquit: *Pro inuicem sollicita sint membra. Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Animas verò Purgatorij ad Ecclesiam pertinere, affirmat præter alios D. Augustinus. *Neque piorum,* inquit, *animæ mortuorum separantur ab Ecclesiâ, quæ etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi. Cur enim ista fiunt, nisi quia fideles, etiam defuncti, membra eius sunt?* Hæc ibi. Alibi verò inter Vincentij cuiusdam olim Rogatistæ errores hunc etiam detegit, quòd de infantibus absque Baptismo mortuis ita locutus fuisset: *Sanè pro eis ob...tiones assiduas, & offerenda iugiter sanctorum censeo sacrificia Sacerdotum.* ad quæ S. Augustinus, *Ecce,* inquit, *aliud vnde numquam exiturus est, nisi eum dixisse pœniteat. quis enim offerat corpus Christi, nisi pro eis qui membra sunt Christi?*

Epist. 39. ad Orontianum.
1. Cor. 12.
Lib. 20. de Ciuit. cap. 9.
Lib. de Anima ad Renat. c. 9.

13. *Viui defunctos iuuare debent, si & ipsi iuuari velint: idq; probatur calculo* Sed & tertium pro Legatione suâ profert Ecclesia triumphans argumentum, sui n. mirum esse officij, mortuorum liberationem à viuis vrgere, proptereà quòd & viuos ipsos precum suarum ac meritorum non magis capaces ac dignos possit efficere, quàm si ipsos animarum Purgatorij faciat aduocatos. Quamuis enim, vt & suprà patuit, omni circa mortales curâ semper teneatur, eâ tamen potissimùm lege subuenire hisipsis valet, si nimirum isti etiam proximorum, adeoque vel maximè defunctorum necessitatibus identidem opitulentur, ac indesinentur succurrant. Quod inprimis ex D. Augustino luculenter probatur, cùm sic ait: *Quinto autem gradu perseuerantibus in labore datur euadendi consilium: quia nisi quisque adiuuetur à superiore, nullo modo sibi est idoneus, vt sese tantu miseriarum implicamentis expediat. Est autem iustum consilium, vt qui se à potentiori adiuuari vult, adiuuet & inferiorem in quo est ipse potentior. Itaque beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus.* Sic Augustinus: qui non immeritò præ reliquis SS. Patribus & aliis Ecclesiæ Doctoribus audiendus est, quemadmodum ex Apostolis D. Paulus, è quo Libro II. Cap. I. ampliùs declarabitur, mortuorum redemptionem ad viuos spectare.

S. Augustini. Lib. 1. de Serm. Domini in monte, cap. 3.

14. *& ipsius Christi Domini.* Præter Doctores verò atque Apostolos ipsemet Saluator noster fideles suos hoc docere dignatus est, vt si Cælitum patrocinium in necessitate sibi adesse vellent, Purgatorij animas & alios pauperes adiuuarent. Nam *Facite*, inquit, *vobis amicos de mammonâ iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Quem locum SS. Patrés sic explicant, vt significet: Efficite per eleemosynam, vt Sancti in cælo regnantes vobis amici fiant, vt cùm in morte defeceritis, suis apud Deum meritis ac precibus, vobis in gloriâ cælesti locum exhibeant. siue potiùs, Vt tunc ipsi vos accipiant, atque in beatitudinis suæ societatem admittant cùm moriemini, eos vobis hic per charitatem, proximis seu in vita seu in Purgatorio existentibus factam, reddite amicos. Ita fuit expositus à S. Hieronymo, S. Ambrosio, & S. Augustino, quorum posterior eadem verba de Purgatorio explicauit, vt ex Capite XIV. sequẽti patebit. Nobis autem inde modò probasse sat fuerit, per eleemosynam Beatos mortalibus reddi amicos, & Veritatem ipsam testatam esse, quòd inter triumphantem militantemque Ecclesiam huiusmodi pactum seruetur, vt si militans iuuari velit à triumphante, debeat & ipsa membra, quæ in Purgatorio vel aliubi patiuntur, adiuuare.

Luc. 16.
Contra Vigilantium.
In eum locũ.
Lib. 21. de Ciuit. cap. 27.
Eleemosyna Beatos hominibus facit amicos.

15. *Auctor quare Opus suum triumphanti Ecclesiæ inscripserit.* Nobis hæc modò sufficiunt, vt & generatim & speciatim ostensum sit, Legationẽ hanc ad Beatorum spiritus iustissimè pertinere: præter quæ non minori iure inscripta est & omnimodè inscribi debet Curiæ triumphanti, quòd totum hoc Opus

non tam sit Auctoris, siue potiùs descriptorum Collectoris, quàm eorum qui ad Cælestium gloriam translati vel transferendi credũtur, quorum hîc verba & sententias iste mutuatus est, & in vnum quodammodò redegit: veluti ab illis fieri videmus, qui in amœnissimum aliquem hortum ingressi, flores ab aliis plantatos, sparsimq; collectos, in fasciculum colligant, & aliis odorem coloremque communicant. Legatio ergo hæc sit ipsiusmet triumphantis Ecclesiæ, cuius operâ ac labore, scripto ac spiritu quidquid boni cõtinet, est instructa; quidquid verò aut non ita bonum, aut fortè ... malum, is addidit qui collegit. Is autem licet plus aggressus sit quàm valuit, illud tamen conatus est quod potuit, non tam vt propter ea quæ scripsit viui iam demum mortuis afficiantur, quàm solùm, vt affectus sui, quo erga illos fertur, specimen daret, tepidosque, si qui fortè in mortuorum causâ reperiantur, admoneret, vt obligationis suæ memores, eius executores fiant. Visus autem fuit non affectato seu magnifico stylo, sed simplici ac vulgari, ne si inter breuem illam ac faciliter intelligibilem Sanctorum scribendi methodum Latinastrorum zizania iniecisset, visus fuisset elegantiorem præ illis affectasse doctrinam, ac lacrymabili huic animarum materiæ nec opere potuisse, nec stylo satisfacere voluisse.

Excusatum sese petit si in aliquo deliquerit, & si quid bene Deo vult adscribi.

Cur vsus sit stylo humiliori.

CAPVT II.

Vniuersas Dei perfectiones excedit eius miseratio.

1. *Immensa est diuinæ Bonitatis benignitas, testibus*

TAnta est diuinæ Maiestatis clementia, vt illam nec plurima SS. Patrum volumina, nec vniuersæ diuinarum Scripturarum tabulæ, aut laudare sufficienter vmquam aut explicare potuerint: vnde non immeritò factum est, vt non Doctores tantùm Ecclesiæ, sed & omnes etiam sacrarum Litterarum Scriptores adeò amplissimam illam Dei perfectionem explicare annisi fuerint, vt inter se certasse quodammodò visi sint, quis eorum clariùs, quis perfectiùs rem tantam penetraret & exponeret. Vtque à Prophetis exordiamur, S. Ezechiel ita Deum loqui introducit: *Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à viâ suâ, & viuat. Conuertimini, conuertimini à viis vestris pessimis: & quare moriemini domus Israel?* & antè: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam: vitâ viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor: in iustitiâ suâ quam operatus est, viuet. Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat?* Quæ vt SS. Patres magis explicent, echoni siue speculo Deum assimilant. Nam sicuti echo eadem verba quæ vltimò prolata fuerint repetit, ita facit Deus. Si peccator inclamet, Volo sanguinem, ineo bellum, pacem nolo; idipsum veluti ab eius ore Deus emutuat: prout etiam vicissim agit, si alter ingeminet veniam, amicitiam, fausta omnia. Neque minùs hîc apta est speculi comparatio: qualem enim sese homo diuino conspectui exhibet, talem quoque & ipsum Deum experitur. Si mansuetum atque amicum ei vultum offerat, si illi arrideat, blanditiasque & amoris indicia ostendat, non dissimilia facturus est Deus: si cui verò minacem se ac terribilem præbet, non id aliunde prouenit, quàm quia toruo illi se schemate priùs obiecit. ita vt in cuiusuis manu situm esse dici possit, vel aduersarium vel propitium diuinum Numen sentire.

S. Ezechiele Prophetâ, cap. 33.

Cap. 18.

Comparatio duplex: vna ab echone,

altera à speculo.

Hæc tamen tanti necdum sunt, si conferantur iis quæ in eamdem rem à sancto Prophetâ Isaiâ pro animæ peccatricis consolatione scripta sunt in hæc verba: *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordiâ sempiternâ misertus sum tui: dixit redemptor tuus Dominus. Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui iuraui ne inducerem aquas Noe vltrà super terram: sic iuraui vt non irascar tibi, & non increpem te. Montes enim commouebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur: dixit miserator tuus Dominus.* Hæc autem ad peccatorem pertinere, ex aliorum sententiâ D. Hieronymus affirmat. *Qui solam,* inquit, *tropologiam sequuntur, & in locis difficillimis libera disputationis excursu, nascentes fugiunt quæstiones, ad animam referunt peccatricem, quæ abiecta à Deo sit, non ob odium, sed ob dispensationem: vt malorum pressa pondere, reuertatur ad virum suum pristinum, & perditâ substantiâ, de patris clementiâ non desperet. An non est grandis misericordia, occurrere filio reuertenti, anulum, & stolam, osculumq; porrigere?* &c. Quibus haud contenta Bonitas diuina, maiora in Isaiæ sacrato Textu prosequitur. *Paupercula, tempestate conuulsa, absque vllâ consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua: & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. Vniuersos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filiis tuis. Et in iustitiâ fundaberis: recede procul à calumniâ, quia non timebis: & à pauore, quia non appropinquabit tibi.* 2.

Teste itidem S. Isaiâ Prophetâ, c. 54.

Lib. 15. in hunc locũ.

Cap. 54.

At duobus hisce Prophetis & succinctiùs & euidentiùs Capitis huius assertionem commendauit ac comprobauit Regius Propheta, qui misericordiam Dei prætulit vniuersis illius aliis perfectionibus. *Miserator,* inquit, *& misericors Dominus: patiens, & multùm misericors. Suauis Dominus vniuersis: & miserationes eius super omnia opera eius.* quasi dicat: Etiamsi natura diuina, quoad immensas perfectiones suas, vndequaque sit infinita; non sese tamen in earum aliquâ magis exercet quàm in misericordiâ. seu potiùs: Quamquam reliqua Dei attributa ad creaturarum se quoque bonum diffundant, nulla tamen horum operantur, quin adiunctam habeant misericordiam. vel denique: Ceteræ omnes diuinæ potentiæ ad misericordiam creaturis perfectiùs impendendam ordinari solent. Quæ expositiones, quoniam materiam præsentem non modicè illustrant, hîc à nobis ex aliis eiusdem Dauidis testimoniis declarandæ veniunt. Et primùm quidem, quòd tametsi Deus infinitus sit in omnibus suis perfectionibus, sese tamen in clementiâ vel maximè exerceat, euidens est ex illis Psalmorum textibus, in quibus Dei misericordia adstruitur omni 3.

Teste etiam Psalmodo Regio.

Psalm. 144.

Misericordia Dei prompta est nobis

omni loco, omni loco, tempore, atque occasione præstò esse. Psalmista canit: *Misericordiâ Domini plena est terra.* Et: *Vsque ad cælos misericordia tua.* Hæc de omni loco; de omni tempore ista: *Repleti sumus manè misericordiâ tuâ.* Et: *In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius.* Et: *In æternum misericordia eius.* ac denique: *Misericordia Domini ab æterno vsque in æternum.*

Psalm. 32. Psalm. 56. *omni tempore.* Psalm. 89. Psalm. 41. Psalm. 135. Psalm. 102.

4\. *& omni occasione.* Sed & de omni quoque occasione probatur ex Psalmistâ. *Misericordia eius præueniet me.* Et: *Citò anticipent nos misericordiæ tuæ.* Insuper: *Misericordia tua ante oculos meos est. Misericordia tua subsequetur me.* Quin &: *Sperantem in Domino misericordia eius circumdabit.* item: *Confirmata est super nos misericordia eius. Non amouit misericordiam suam à me.* ac demum: *Si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint; visitabo in virgâ iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non disperdam ab eo.* Quid clarius dici posset, vt Deum omnem occasionem ad miserendum quærere agnoscamus? quoniam satis hinc liquet, & eum ante opus præuenire, & in opere ante oculos versari, ac post opus etiam consequi, suos circumdare, super ipsos confirmari, nec vllatenus pati vt auellatur. Imò si fortassis aliquando iustitia causam ad promeritam punitionem exequendam obtineat; nec tunc tamen misericordiam elongari, sed iustitiæ adstare, ac rei castigationem temperare. Cetera verò diuinæ Maiestatis attributa, etsi in seipsis æquè ac misericordia sint infinita, illorum tamen actus ad extra, vt loquuntur, seu operationes, certis tantummodò locis, temporibus atque occasionibus à Deo exercentur; vt videre licet in iustitiâ quæ infernum potissimùm occupat, veritate quæ terram instruit, maiestate quæ cælum illustrat: in creatione maximè elucet Dei potentia, in redemptione sapientia, in glorificatione magnificentia. Idemque videre erit in reliquis Dei attributis, quæ externè quidem quibusdam veluti limitibus, locorumque ac temporum spatiis, & certis occasionibus arctari deprehenduntur, liberè semper, & vbique, atque in omnibus vagante ac sese diffundente clementiâ, vt primo isto modo verissimum sit: *Miserationes* Dei *super omnia opera eius.*

Psalm. 58. Psalm. 78. Psalm 75. Psalm 22. Psalm. 31. Psalm. 116. Psalm 65. Psalm. 81.

Psal. 144.

5\. *Misericordia Dei omnibus diuinis operibus est coniuncta.* Sed & alteram expositionem ex eiusdem Regij Prophetæ dictis confirmare poterimus. Nam inprimis, vt sciamus, in singulis suarum potentiarum functionibus Deum semper misericordiam coniungere, quid ad id probandum dici clarius potuisset, quàm cùm S. Dauid potentias Dei describens, ac mirabilia eius opera enarrans, misericordiam semper comitem in omnibus facit? *Confitemini*, inquit, *Domino dominorum: quoniam in æternum misericordia eius. Qui facit mirabilia magna solus: quoniam in æternum misericordia eius. Qui fecit cælos in intellectu: quoniam in æternum misericordia eius. Qui firmauit terram super aquas: quoniam in æternum misericordia eius.* & sic de aliis Dei beneficiis in creatione mundi factis prosequitur; quibus annectit etiam ea quæ populo Israelitico postmodum collata fuerunt. *Qui eduxit*, inquit, *Israel de medio eorum: quoniam in æternum misericordia eius. Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum: quoniam in æternum misericordia eius. In manu potenti, & brachio excelso: quoniam*, &c. *Qui diuisit Mare rubrum in diuisiones: quoniam*, &c. Quæ, & alia subsequentia, satis

Psalm. 135.

ostendunt, omnibus Dei operibus admixtam esse misericordiam: nam & sapientia quâ creauit cælos, potentia quâ firmauit orbem terræ, iustitia quâ dissipauit Ægyptum, prouidentia quâ escam contulit vniuersæ carni, coniunctam sibi habuisse ac habere misericordiam, apertè monstrantur.

Quamquam autem neutra harum explicationum displiceat, magis tamen arridet tertia, quâ dicimus, per illa verba, *miserationes eius super omnia opera eius*, significari: ceteras omnes potentias diuinas eò ordinari, vt abundantiùs illius misericordia creaturis communicetur. Quod assertum etsi multis probari queat, duobus tamen nos solùm argumentis id fulciemus. Vel enim de misericordiâ agere possumus prout in hoc sæculo à Deo exercetur, vel vti post hanc vitam Beatis in gloriâ exhibetur. Si de priori loquamur, certum est, omnes Dei perfectiones veluti eius misericordiæ famulari, prout euidens est non tantùm in reliquis attributis diuinis, de quibus nulla est difficultas, sed etiam in ipsâ iustitiâ, quæ modo nostro concipiendi in executione misericordiæ videtur esse contraria. Dauid loquens de punitione peccatoribus infligendâ, *In misericordiâ*, inquit, *disperdes inimicos.* Quid hoc? Vt dispergantur mali postulat, & tamen id fieri petit in misericordiâ: quomodo hæc duo, quæ sibi nimirum contrariari atque opponi videntur, simul consistunt? Hinc nempe docemur, etiam iustitiam misericordiæ subseruire; quod tunc non solùm fit, cùm ex malorum castigatione sequitur emendatio, sed & cùm inde prouenit damnatio sempiterna. Nam etiamsi impio alicui infligatur, imò & acceleretur sententia maledictionis perpetuæ, magna tamē ei præstatur misericordia, siue potiùs in rigido hoc actu vtitur misericordia Dei iustitiâ veluti suo administro. Primò enim, cùm damnatus quispiam, etiam subitò, ad inferna abripitur, ab illius vexâ scandaloque boni liberantur: mali quoque superstites peccandi consortio, peruersoque exemplo, vt peccare desinant, eximuntur, alienoque periculo sapere ac cautiores fieri commonentur, ne & sibi in eamdem tormentorum foueam deturbari contingat. Prætereà ad damnatos ipsos quod attinet, non exigua & istis exhibetur clementia, quia dum vitæ eis filus abrumpitur, sistitur etiam augmentum pœnarum, quas per noua continuè peccata, quæ viuentes committunt, multiplicant, & per singula veluti momenta pro omni æternitate accumulant. Adde, quòd per Dei clementiam citra condignum eorum fiat punitio, quemadmodum docet S. Thomas cùm ait: *In damnatione reproborum apparet misericordia: non quidem totaliter relaxans, sed aliqualiter alleuians, dum punit citra condignum.* vt ob id misericordiam iustitiæ esse coniunctam, & alteram alteri famulari, rectè dicamus.

6\. *Omnia Dei opera ad misericordiam eius manifestandam diriguntur.*

Perfectiones Dei omnes misericordiæ famulatum præbent: idq; patet in Dei iustitiâ

circa peccatores castigandos, Psalm. 142.

circa reprobos puniendos, &

p. 1. q. 21. art. 4. ad 1.

Quæ si in damnatis contingant, quid de saluandis ac æternùm glorificandis dici debebit? Certè appositè ab eodem Psalmistâ dictum est, *In æternum misericordia ædificabitur in cælis*, quando videlicet futurum erit, vt vniuersæ potentiæ ac perfectiones diuinæ sese cum misericordiâ vniant, eamque veluti ædificaturæ atque omnino perfecturæ ita extollant, vt in Beatis potissimùm eluceat, ac præ ceteris Dei attributis in cæ-

7\. *circa fideles remunerandos,*

Ibid. lesti gloriâ triumphum agat. vnde idem Propheta illomet Psalmo anteà dixerat, *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Quibus alia variis in locis habet pariformia: sed quia needum ad illam Sanctorum felicitatem pertigimus, eamdem, interim dum hic peregrinamur, suspiciamus, ac modò clemen..am Dei suscipiamus, prout idem Psalmista illam mortalibus proponit: (Psalm. 102.) *Miserator & misericors Dominus, longanimis, & multum misericors. Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur. Non secundùm peccata nostra fecit nobis: neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundùm altitudinem cæli à terrâ, corroborauit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat Ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.*

8\. *Immensitas benignitatis diuinæ probatur è nouo Testamento*

His quos ex antiquâ Lege produximus testibus, adiungi possent plures alij ex eadem, & haud pauciores ex nouâ: sed quid opus est multis, in re præcipuè adeò manifestâ? Vnum itaque tantummodò è nouo Testamento eruemus, qui instar erit omnium, vt videamus quàm bellè Prophetis hac in re concinant Apostoli, quorum Princeps D. Paulus ita loquitur: (2. Cor. 1.) *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis: qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ.* Quæ verba mirabilem emphasim habent ad innuẽdum quanta æterni Patris sit clementia. Etsi enim infiniti ei omnium potentiarum tituli conueniant, eum tamen amplius delectat, patrem se misericordiarum & totius consolationis Deum appellari. Ex quo sequitur, non tanti facere Deum vniuersas alias inexplicabiles Maiestatis suæ dignitates, atque æstimet actum illum, quo humanis miseriis subuenire & desiderat & consueuit: plus namque eum afficit nostra miseria, quàm sua magnificentia; quoniam, vt ait S. Bernardus, (Serm. de omnib. Sanctis.) *patrem misericordiarum, necesse est patrem esse miserorum.* Et sanè, nónne magni amoris tenerrimique affectus foret indicium, si Rex noster Catholicus, qui tot sub se Regna Prouinciasque habet, spretis omnibus aliis dignitatum titulis, non nisi obscurissimi alicuius pagi, quem amaret, se Dominum inscriberet? id quod tamen hoc loco facit Omnipotens, qui non adeò de innumeris suis diuitiis, quàm de paupertate nostrâ, cui subuenire & velit & possit, gloriatur: eò enim se ditiorem æstimat, quò facultates suas iuuandis nostris miseriis per misericordiam copiosiùs ei licet profundere.

9\. Ephes. 2.

Vnde S. Paulus: *Deus autem, qui diues est in misericordiâ, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo (cuius gratiâ estis saluati) & conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu; vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu.* (Roman. 2.) Et alibi in illum inuehitur, qui tantæ Dei clem ntiæ se incapacem exhibet. *An,* inquit, *diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?* Itemque nos omnes adhortatur, (Hebr. 4.) quatenus *adeamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ: vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Ex quo duo iterùm colligenda sunt: primum, eum qui ad Deum accessum habere desiderat, debere venire vt misericordiam petat; alterum quòd, thronus diuinus gratiæ thronus appellandus sit, quoniam ita tunc sibi gratulatur Deus cùm gratiam præstat, quasi per hoc ipsum solij possessionem acquireret. Quod vti ex S. Paulo, ita etiam ex Isaiâ ac Sapiente declaratum est: quorum prior, *Præparabitur*, inquit, *in misericordiâ solium eius*; (Isaiæ 16.) posterior verò, *Roboratur clementiâ thronus eius.* (Prouerb. 20.)

10\. *Deus misericordiã suam omnibus erogare studet.*

Quapropter sicuti Reges summo studio ac contentione Regni sui dilatationem procurare solent, ita etiam Deus, quantum potest, diffundere conatur misericordiæ suæ effectus, prout idem D. Paulus & in se ipso, & per se in aliis, factum fuisse testatur. (1. Tim. 1.) *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideò misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus omnem potentiam ad informationem eorum qui credituri sunt illi, in vitam æternam.* Venerat namque in hunc mundum Filius hominis, non vt mundum iudicaret, sed vt saluaretur mundus per ipsum: (Ioan. 3.) venit enim non *vocare iustos, sed peccatores.* (Matth. 9.) quin, vt ibidem inquit ipse Saluator, *non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus.* Quando itaque S. Paulum ex maximo Ecclesiæ persecutore effecit eiusdem propugnatorem, (*Peccatorum conuersio instructio est credentium.* Actor. 9.) hoc egit ad informationem eorum qui credituri erant, vt & ipsi ad misericordiam se disponerent, & ad eam conuolarent; in quo Christus fuit velut Medicus quidam insignis, qui vrbem quampiam ingressus, quò plures habeat qui remedia sua expetant, omnem occasionem captat, vt desperatum quempiam infirmum inueniat, quem ad reliquorum admirationem atque excitationem percuret. (*Christus in benignitate suâ commonstrandâ comparatur Medico.*) Hoc modo D. Paulus secum actum esse affirmat, vtpote ex cuius spirituali curatione animati sint multi alij peccatores, vt misericordiam & requirerent & obtinerent. Aliam quoque comparationem, si lubet, audite. Fecit perinde Deus cum S. Paulo, quod (*& statuario.*) solet excellens aliquis sculptor, qui volens ingentem statuam in artificij sui commendationem effingere, siluam ingreditur, ex eaque crassum & obtusum quemdã truncum, in quo habeat quod abscindere, dolare atque excauare possit, seligit; imò quò is fuerit immanior, eò ex illo maiorem sibi formare statuam potest. Eodem omnino modo Deus, cùm Principem Apostolorum, ac Gentium Doctorem Ecclesiæ suæ fabricare voluit, non alium elegit quàm Saulum, qui, vtpote in delictis suis magnus, habuit quod excauaretur, elimaretur. Vnde, *Vade*, inquit Dominus Ananiæ, (Actor 9.) *quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Israel: ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*

11\. *Quo, qui conuertitur, fuerit iniquior, eò ampliorem diligendi Dei ansam habet.*

Hoc etiam locum habet in aliis peccatoribus, qui quò anteà fuerunt sceleratiores, tantò posteà ampliorem amandi Deum occasionem nanciscuntur: quoniam, vt ait Christus, *cui minus dimittitur, minùs diligit.* Quòd & pulcherrimâ similitudine, & D. Mariæ Magdalenæ exemplo, ibidem comprobauit. (Lucæ 7.) Cùm enim Simon Leprosus intra se murmuraret de admissâ ad Christi pedes eâdem B. Magdalenâ, respondit Iesus: *Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister dic. Duo debitores erant cuidam feneratori: vnus debebat dena-*

rios

rios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon dixit: Æstimo quia is cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Quid ad commendandam Dei bonitatem pulchrius? quæ ex vili, vt alibi loquitur Ieremias, nouit educere pretiosum, & de maximo malo, quod est peccatum, efficit præcipuum bonũ, charitatis videlicet incitamentum. Meritò dixit Saluator: *Cui minus dimittitur, minus diligit.* Numquam enim Magdalenam credibile est adeò amaturam fuisse, nisi anteà Deum grauioribus peccatis offendisset. *Vbi ergo abundauit delictum, superabundat & gratia;* & secundùm D. Augustinum *melius iudicauit Deus de malis benè facere, quàm mala nulla esse permittere,* quæ haud dubiè præclarissima sunt diuinæ pietatis argumenta.

Deus è peccatis nostris singulare bonum elicere nouit.

Rom. 5.

Enchirid. cap. 5.

12. At si omnium, quæ passim pro hac re in Scripturis occurrunt, meminisse voluerimus, quis erit dicendorum finis? Sumamus itaque succincta aliquot exempla, quibus comprobetur, Deum adeò velut contristari, cùm misericordiæ faciendæ modum non inuenit, quasi è possessione suâ deturbaretur; ita verò cùm inuenit lætari, ac si Regni sui terminos dilataret. In Genesi habetur: *Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum esset in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quòd hominem fecisset in terrâ. Et tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominem quem creaui.* Ecce quomodo creatorem afficiat & contristet (in quem tamen mutationem cadere est impossibile) quòd creaturæ ad misericordiam eius suscipiendam se fecissent ineptas. Cùm item vellet (potiùs dicam cogeretur) sumere vindictam de quinque ciuitatibus Sodomorum, & pro eâ exequendâ ad Abrahamum venissent tres viri; hi surgentes ex domo eius, *direxerunt*, inquit sacer Textus, *oculos suos contra Sodomam, & Abraham simul gradiebatur, deducens eos.* Quid hoc? num Deus, qui tribus illis aut constabat aut significabatur personis, viam ignorabat quâ eundum erat versus Sodomitas? Ita verè, viam ad puniendos malos quodammodò ignorasse, atque etiam nunc ignorare, dicere licet: nam S. Bernardus, *Verum id quidem*, inquit, *cui vult miseretur, & quem vult indurat; sed quòd miseretur, proprium est illi: ex se enim sumit materiam, & veluti quoddam seminarium miserendi. Nam quòd iudicat & condemnat, nos eum quodammodò cogimus.* Vnde nos illi iustitiæ exercendæ semitam aperuisse ac aperire per peccata, satis patet.

Deus inuitus, & quasi detrectans, peccatores punit:

exemplo diluuij, Genes. 6.

& Sodomorum.

Genes. 18.

Serm. 5. de Natali Domini.

13. Verùm si ad historiam Sodomitarum velimus redire, ex illâ clariùs adhuc videbimus, quomodo Deus inuitè ac veluti coactè iustam in illos punitionem induxerit: captauit enim omnem occasionem ac prætextum, vt pro eis Abraham intercederet, ac veniam obtineret. Dixit namque Dominus: *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum? Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam & videbo, vtrùm clamorem qui venit ad me, opere compleuerint: an non est ita, vt sciam.* Quare excitatus Abraham, rogare Dominum cœpit vt parceret impiis propter bonos, & non deleret ciuitates, si in ipsis inuenirentur quinquaginta, quadraginta quinque, quadraginta, triginta, viginti, imò saltem decem iusti: & dixit Deus, quòd propter decem iustos non esset deleturus. Cui plures in eumdem locum Commentatores adiungunt, quòd si propter vnum Lot, aut etiam propter seipsum petiisset Abraham Sodomitis ignosci, absque dubio impetrasset: sed quia minor fuit ipsius confidentia quàm diuina clementia, idcircò igne & sulphure dictæ ciuitates absumptæ sunt. E quo non solùm loco sed & ex aliis probatur, minorem esse in hominibus veniæ spem, quàm sit in Deo condonationis affectus, quia etiam idem in Caino non minùs patuit, qui vbi Abelem fratrem suum occidisset, & de peccati huius remissione desperans ad Dominum diceret, *Maior est iniquitas mea quàm vt veniam merear. Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tuâ abscondar, & ero vagus & profugus in terrâ: omnis igitur qui inuenerit me, occidet me;* Dominus illi respondit: *Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occidet Cain, septuplum punietur. Posuitq́, Dominus Cain signum, vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum.*

Deus omnem, pœnas differendi, & misericordiam extendendi, captat occasionem.

Pronior est Deus ad veniam, quàm homo ad eius spem concipiendam.

Genes. 4.

14. Quòd si verò tamquam in imagine conspicere velimus, quàm inuitus Deus, & veluti abhorrens, naturæque suæ, quæ benigna est, vim inferens, ad peccatorum castigationem procedat, D. Ioannis Chrysostomi comparationem audiamus. Is nimirum sic ait: *Deus contristatur non de suâ iniuriâ, sed nostrâ perditione. Sicut Rex benignus audiens criminosas personas, lege quidem compellente ipse mortis sententiam dictat aduersus eas, tamen misericordiâ instigante lacrymas fundit super ipsas, & vult eas adiuuare, & non potest, contradicente sibi iustitiâ.* O quanto mœrore affecit id Saluatorem nostrum, dum ciuitatem Ierusalem adspiceret post aliquot demum annos destruendam! *Vt*, inquit S. Lucas, *appropinquauit Iesus Ierusalem, videns ciuitatem fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tuâ, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Ad quæ Euangelistæ verba sic D. Gregorius: *Fleuit priùs Redemptor ruinam perfidæ ciuitatis, quam ipsa sibi ciuitas non cognoscebat esse venturam, cui à flente Domino rectè dicitur, Quia si cognouisses, & tu, subaudi fleres, quæ modò, quia nescis quod imminet, exultas.* Viden ergo quomodo non præsentem tantummodò Iudæorum infelicitatem defleat, sed de futurâ aliquando ipsorum punitione tot anteà annis lacrymis madeat, & tenerrimas querimonias agat? Facit profectò quod matres solent, quæ, vbi filiorum suorum petulantiam ferre vlteriùs nequeunt, & ad illorum castigationem deueniendum esse vident, ipsæmet præ affectus erga liberos teneritudine ductæ, in lacrymas resoluuntur, & seriò plangunt quòd hos, quos adeò diligunt, punire cogantur. Quam eamdem iterùm erga Iudæum populum compassionem tum aliàs frequenter, tum in cruce pendens, Christus monstrauit. Cùm enim propter eius malitiam Patrem æternum irâ commotum cerneret, vt, obscuratis Solis lunæque luminaribus, iam iam vniuersum mundum in primum suum nihil redacturus videretur, *Pater*, inquit, *ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.* Sed videamus quantum gloriæ sibi ducat, licere misericordiam facere.

Inuitum procedere Deum ad castigandos homines, exemplis probatum.

Super Euangelium Matthæi.

Saluator Ierosolyma punitionem diu antè deplorat:

Luc. 19.

Homil. 35. in Euangelia.

similis matri coactæ filium castigare.

Orat pro suis occisoribus.

Luc. 23.

Cùm

15. *Deus misericordia suaæ sibi gloriæ ducit.* 3.Reg.21.

Cùm Achab, occiso Naboth, vineam eius violenter inuasisset, missus fuit ad illum Propheta Elias, qui ex parte Dei ipsi nuntiaret: *Ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum, & vltimum in Israel. Et dabo domum tuam, sicut domum Ieroboam filij Nabat, & sicut domum Baasa filij Abia: quia egisti, vt me ad iracundiam prouocares, & peccare fecisti Israel. Itaque cùm audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitq́; & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: Nónne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus eius.* quasi non tantum gloriæ retulisset Deus de tot aliquando millenis suis hostibus peremptis; de quibus nusquam adeò gloriatus fuisse legitur, atque de vnico Achab misericordiæ suæ reseruato.

In Oratione Domin. x. post Pentec. Isaiæ 30

Certum id nimirum est quod Ecclesia canit: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas.* Quod & per Isaiam Scriptura diuina manifestum facit, vbi ait: *Expectat Dominus vt misereatur vestri; ideò exaltabitur parcens vobis.* Quid hoc est, *exaltabitur parcens vobis?* nisi quia exaltatum se existimat & potentiorem factum, cum misericordiam præstare potest. Et alibi ideò Deus omnium misereri dicitur, quia omnia potest, & dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam.

Parcendo exaltatur Deus Sap.11.

Vt autem euidentius fiat, Deum in misericordiæ præstatione potentiam suam exerere, aliud exemplum adiungemus, quod hisce verbis narratur: *Manasses seduxit Iudam, & habitatores Ierusalem vt facerent malum super omnes gentes, quas subuerterat Dominus à facie filiorum Israel. Locutusq́; est Dominus ad eum, & ad populum illius, & attendere noluerunt. Idcirco superinduxit eis principes exercitus Regis Assyriorum: ceperuntq́; Manassem, & vinctum catenis atque compedibus, duxerunt in Babylonem. Qui postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum: & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum. Deprecatusq́; est eum, & obsecrauit intentè: & exaudiuit orationem eius, reduxitq́; eum Ierusalem in regnum suum.* Ecce vt in fortitudine virtutis suæ & brachio extento Regem illum carcere eripuerit, regnoq́; restituerit.

2.Paral.33.

Ionæ 4.

Eadem porrò Dei pronitas ad retractandam punitionis sententiam, elucet in illo quod cum Niniuitis actum fuisse legitur: qui, tametsi iuxta Dei decretum post quadraginta dies simul omnes perire deberent, quia tamen pœnitentiæ remedio vsi sunt, seruati sunt. Adeò scilicet benignus est Deus, vt non intentatam solummodò, sed etiam prolatam ruinæ sententiam reuocare soleat, *si*, quod S. Ambrosius ait, *noueris mutare delictum. Si pœnitentiam*, ait ipse Dominus, *egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam; agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei.* idemque patet ex mulieris Thecuitidis verbis ita loquentis. *Nec vult*, inquit, *Deus perire animam, sed retractat cogitans ne penitus pereat qui abiectus est.* Quid pulchrius?

Retractat intentatam punitionis sententiam. Lib. 2. in Lucam. Ierem.18. 2.Reg.14.

16. *Imò, oblatâ sibi benefaciendi hominibus occasione, quasi lætatur.*

Vidimus itaque quàm pronus sit Deus ad faciendam misericordiam, restat præterea videndum quam iucundum ipsi sit & volupe, si faciendi eam occasio offeratur. Pulcherrima sunt quæ hanc in rem apud Lucam Euangelistam leguntur. Cùm enim murmurarent Pharisæi & Scribæ, quòd Saluator publicanos & peccatores admitteret, & cum illis cibum sumeret; Dominus Iesus, vt quàm sibi consortium illud esset iucundum atque acceptum, & quantam inde lætitiam caperet, quòd ampla peccatoribus indulgendi, eisque suam misericordiam impertiendi esset oblata occasio, vt id pleno ore notum faceret, triplici vti voluit comparatione. *Quis ex vobis homo*, primum inquit, *qui habet centum oues: & si perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens: & veniens domum, conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentiâ.* Dei Filius ouem suam perditam quærit donec inueniat, inuentam humeris suis gaudens imponit, domumque reuersus amicos & vicinos, id est ipsos Angelorum choros, ad celebrandam lætitiæ festiuitatem sibique congratulandum inuitat. Sed addit & aliam similitudinem de muliere, quæ vbi drachmam amisisset, tam sedulò & grauiter eam requisiuit, vt candelam accenderit, totam domum euerrerit, nec destiterit donec inuenisset, illaque repertâ, conuocauit amicas & vicinas suas, eisque ait: *Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram.* En iterum gaudium & congratulationis inuitatio. Quod vt de misericordia dictum esse intelligeretur, addidit Saluator: *Ita gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Vnde commodè conijcere licet, Angelorum Dominum, Deum videlicet, longè maiorem inde voluptatem percipere, vtpote quòd Angeli omne suum oblectamentum, veluti fideles serui, ex heri & magistri sui sensu percipiant.

Lucæ 15.

Christus ipse id expressit parabolâ triplici, I. *De oue repertâ:*

De peccatore explicat S.Hilarius, II. *De drachmâ inuentâ.*

17. III. *De filio prodigo in gratiam patris admisso.*

Tertia similitudo præterea demonstrat, auidissimè Deum exoptare, omnibusque modis anhelare, vt suæ misericordiæ recipiendæ aptos & dignos se homines præbeant. Adducit itaque Saluator parabolam istam de patre quodam, quem duos filios habuisse refert, quorum iunior eam paternorum bonorum partem, quæ sibi aliquando deberetur, à patre petierit atque impetrauerit. Eâ receptâ, in longè dissitam quamdam hunc abiisse regionem ait, vbi breui temporis spatio omnia sua luxu & scortationibus consumpserit, exortaque in eadem regione fame, ad tantam pauperiem redactus fuerit, vt, necessitate coactus, porcos pascere, illorumque siliquis (quæ tamen sufficienter ei numquam dabantur) victitare debuerit. Quâ miseria pressus, in se tandem reuersus dixerit: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum, & coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis:* animoque resumpto iter versus paternam domum instituerit. Quem postquam pater à longè vidisset, non eum, prout quidem merebatur, velut scurram atque patrimonij sui dilapidatorem, auersatum fuisse, aut è conspectu suo abegisse, sed (alia nimirum sunt iudicia Dei, alia hominum) misericordiâ motum accurrisse, amplexatumque & exosculatum fuisse. O eximiam patris benignitatem & clementiam! ô felicem imò

feli-

felicissimam filij conditionem! Qui nec recipi quidem debuerat, aut in paternum conspectum admitti, humaniter adeò, adeò peramanter excipitur, vt parens eius non irâ aut furore motus, sed misericordiâ & amore impulsus, super collum ipsius rueret; & quem toruo vultu auersari, & pugnis atque verberibus probè dedolare oportebat, benignissimis oculis alliceret, blandisque & amorosissimis colloquiis animaret.

18. *Applicatur peccatori se conuertenti prodigi parabola.* Ephes. 3.

Communis Doctorum sententia est (vt solatij plenissimam parabolam vel tribus verbis, in peccatorũ & pœnitentium gratiâ, latiùs explicemus) de homine peccatore hanc cõparationem intelligendam esse, patremq; in primis esse, à quo omnis in cælo & in terrâ paternitas nominatur; filium seniorem, cœtum Angelorum; iuniorem, genus humanum, vel hominem peccatorem, qui vbi à Deo varia gratiarum dona accepisset, & in regionem longinquam, peccati nempe, profectus, substantiæ suæ siue diuinæ gratiæ portionem dilapidasset, ortâ fame alimoniæ spiritualis, porcos, id est concupiscentiarum suarum illecebras, pascere cœpit, vescique fœdis atq; insipidis dæmonum siliquis; quibus cùm exsaturari nequaquam posset, in se reuersus, ad Deum veluti patrem conuersus, non solùm, quod timere iustè poterat ac debebat, non est passus repulsam, sed & beneuolè admodum fuit receptus. Quæ expendens S. Ambrosius ita peccatorem alloquitur: *Occurrit igitur tibi, qui audit te intra mentis secreta tractantem: & cùm adhuc longè sis, occurrit, ne quis impediat. Complectitur quoque (in occursu enim præscientia est, in complexu vehementia) & quasi quodam patrij amoris affectu supra collum eius ruit, vt iacentem erigat, & oneratum peccatis, atque ad terrena deflexum, reflectat ad cælum.* Magna hæc: at maiora quæ sacer Euangeliorum textus subiungit. *Dixit autem pater ad seruos suos: Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius: & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est. Et cœperunt epulari.* Vt ergo suâ Deus in misericordiâ exhibendâ promtatem ampliùs ostendat, epulanti se similem facit, adeoq; se lætari significat, si misericordiam præstandi occasionem habeat, quasi si aliâs ieiunus aut parcè victitans splendidissimo conuiuio exciperetur. Probant hoc illa quæ in sacro Textu sequũtur. Cùm enim senior filius ex agro domum rediret, dicitur audiuisse chorum ac symphoniam: vnde intelligens, hanc lætitiam propter fratrem institui, epulumque præberi tam paulò antè dissoluto atque perditissimo nebuloni, indignatus domum paternam ingredi noluit, adeò vt pater, ad eum egressus, vt intraret rogare debuerit. Cui ille: *Ecce tot annis seruio tibi, & numquam mandatum tuum præteriui, & numquam dedisti mihi hœdum vt cum amicis meis epularer: sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.* Sed quid huic respondet pater? *Fili,* inquit, *tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt: epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est.*

sic explicatur à D. Ambrosio.

Se conuiuari ac chorum ducere in peccatoris conuersione, profitetur Deus.

19. *Ex misericordiâ præstitâ triumphat Christus.*

Porrò, quoties Saluator noster triumphum agere voluit, à præstitâ mortalibus misericordiâ occasionem sumpsit. Exemplis id probatur ex ipsarum Scripturarum sacrarum meditullio desumptis. Et quidem duplicem triumphum triumphasse reperitur: primum, dum crucis ac suppliciorum victor, subactâ morte, infernales potestates deuastaturus ad inferos descendit. At verò, quem arbitramini tum secum in triumphum deduxisse? illum sanè, quem cruci affixus, atque à toto orbe bello lacessitus clementiâ suâ deuicerat, latronem nimirum: qui vbi anteà & ipse Saluatorem iniuriis blasphemiisque impugnasset, conspectâ Filij Dei clementiâ, illius sese benignitatis participem fieri expetiit, inquiens: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Ad quod Christus, *Hodie mecum eris in paradiso.* quasi diceret, Etiamsi modò adeò indignè, velut latronum princeps & coryphæus, in crucem actus sim, & medius inter vos nebulones mortem obeam; futurum tamen est, vt hoc ipsomet die in paradisum triumphabundus ingrediar, & te socium meum, velut honorarium Nobilem, assumam. Duxit ergo in triumphum, quem ex cruce ad inferos descendens egit, latronem illum, quem in cruce ad misericordiam suam percipiendam lucratus fuerat, vt omnibus nimirum pateret, de nullâ aliâ sua virtute potiùs quàm de clementiæ perfectione eum gloriari. Idipsum & alter eius triumphus, quem è terris ad cælos redux maximâ tum solemnitate tum magnificentiâ peregit, satis ostendit. Nam quos alios sui in gloriam reditus comites esse voluit, quàm miseros, vt misericordiam rursus suam manifestam faceret. Describunt gloriosissimam Christi Domini ad cælos Adscensionem S. Dauid Propheta atque D. Paulus Apostolus, quorum ille sic ait: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sinâ in sancto. Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus.* hic verò hoc modo: *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Non igitur dubium, quin in secundum triumphum assumpserit illos in quibus clementiam suam exercebat. *Cepisti captiuitatem, captiuam duxit captiuitatem; accepisti dona in hominibus; dedit dona hominibus.* Quid hoc est, *accepit dona, & dedit dona?* quomodo hæc simul consistunt? quia nempe & hominibus gloriam suam communicauit, & ex hominibus dona accepit, id est, ex eorum liberatione salutioneque triumphandi materiam atque occasionem sumpsit.

Triumphus eius primus, post victoriâ in cruce partam: trophæum Latro cuius benignitatem exhibuerat.

Lucæ 23.

Triumphus secundus in Ascensione ad cælos: trophæum Patres quos è Limbo liberatos secum duxit.

Psalm. 67.

S. Paul. Ephes. 4.

20. *Quinimò reluctantem quoque hominem ad misericordiã suam inuitat blandiloquus.*

Satis erant nobis ista, vt Deum ad clementiam pronum sciremus, adeòque vel vltrò ad eam expetendam festinaremus: sed non Deo, quin præterea nos tergiuersantes, atque obstinatè in malitiâ hæsitantes, miris modis ad eam amplexandum inuitat atque cogit. Iterùm Scripturarum adita penetremus, & quàm id verum sit, manifestè videbimus. Alicubi Saluator noster gallinæ comparatione vti voluit, vt palàm mundo faceret, quanto benignitatis affectu sceleratos perfidosque Iudæos, vt suæ misericordiæ inexhaustas diuitias delibare vellent, allexerit. *Ierusalem, Ierusalem,* inquit, *quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti?* Alibi quoque idem Filius hominis per Angelum Laodiciæ Ecclesiæ loquitur: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio*

Math. 23.

Suadet vt ab se misericordiam expetamus.

confusio nuditatis tuæ, & collyrio vnge oculos tuos vt videas. Et statim: *Ego sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Iterùm alibi eius inuitantis amabilitas describitur hisce verbis: *Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Quibus è verbis varia, quæ nostro proposito admodum congruunt, colligunt Expositores. Primùm, quam blandè Sponsus diuinus animam alloquatur, vt sibi aperiat: vocat enim *sororem*, quia per assumptam humanitatem Filius Dei nobis factus est frater; *amicam*, quia ipse nos diligit, & nulla inimicitiæ causa est nisi ex parte nostrâ; *columbam*, vt declaret, sic vnamquamque animam sese adamare quasi sola foret, quemadmodum turtur columba adeò compari suo afficitur, vt illâ emortuâ, sese dolore consumat; denique *immaculatam*, tum quia ipsam talem creauit, tum quia sordidam suo Sanguine abluit, & in quantumuis magnis fuerit peccatis, omni momento expurgare desiderat. Amicabilē hanc compellationem sequitur ratio atque incitamentum compassionis, quatenus videlicet anima ad aperiendum Christo commoueatur. *Quia*, inquit, *caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* ostenditur nimirum hic magnum, quo erga iuuandos homines fertur, desiderium: nam & labores, quos pro iis sustinuit, exponit, & grauiter se affici vexarique insinuat, quòd tamdiu pulsare relinquatur. Comparatio de rore capitis & cincinnorum nocturnis guttis vtrumque exponit. Nam sicuti molestum est, dum ros cadit, nudo capite persistere, & tamdiu in noctis pluuiâ perdurare, donec cincinni aquâ guttatim delapsâ madeant; ita molesta fuerunt Christo illa incommoda & supplicia quæ pro salute mortalium dudum expectando perpessus est.

Apocal. 3. — Canticorum 5. — *Dulcibus titulis animā compellat.*

21. Iustè ergo conqueritur Dominus Deus de hominum turpissima obstinatione, qui tam præfractè bonitati & misericordiæ eius obicem ponunt. Expandi, inquit, *manus meas totâ die ad populum incredulum, qui graditur in viâ non bonâ post cogitationes suas.* quæ totidem propè verbis repetit S. Paulus. Alibi quoque exprobrat Deus: *Quid vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci ei? an quòd expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas?* Alibi denuò: *Ego plantaui te vineam electam, omne semen verum: quomodo ergo conuersa es mihi in prauum vinea aliena?* Meritò tandem propterea indignatus exclamat: *Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Aliis quoque in locis conqueritur Deus, paucos admodum esse, qui inuitanti sibi ad misericordiam percipiendam, aures præbere dignentur. *Væ*, inquit, *mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non est botrus ad comedendum. Periit sanctus de terrâ, & rectus in hominibus non est.* Quid hoc est, *væ mihi*? num Deo væ esse potest? Certè non potest, & tamen vt affectum suum in mortalium opem ostendat, illi se, cui væ intentatum vel timendum est, comparat. Sicut enim homo, qui mali quidpiam timet, turbatione concutitur, ita se Deus perturbatum quodammodò asserit, quòd paucos adeò, respectu damnandorum, offendat, qui suâ se misericordia dignos efficiant: quemadmodum ei, qui factâ iam in autumno vindemiâ vineas adierit, vix botrus aliquis, quem comedat, superest. quod ipsum similiter etiam per alios Prophetas insinuauit. Per Isaiam quidem, dum ait: *Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo: & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat, à facie enim malitiæ collectus est iustus.* per Dauidem verò, qui sic inquit: *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Quæ non sic intelligi velim, vt neminem ex hominibus iustum, adeoque nullum omnino saluandum fore inde concludatur, sed quòd tam pauci futuri sint boni respectu malorum, vt vix computari mereantur.

Et de hominum pertinaciā querelas agit. — Isai. 65. — Rom. 10. — Isai. 5. — Ierem. 2. — Mich. 7. — *Pauci ad salutem se disponunt.* — Isai. 57. — Psal. 13.

22. Neque difficile aut laboriosum est peccatori, eam sibi vltrò à Deo oblatam misericordiam applicare, cum neque sumptibus opus sit: vnicâ lacrymæ guttâ, vnico suspirio, vnico contritionis actu, vniuersorum fit scelerum, quantumuis grauium & enormium, condonatio atque remissio. Narrat Speculi Collector, quemdam famosum peccatorem, inuitè ab amicis ad concionem sacram pertractum fuisse, quem concionator viderit magnâ catenâ, cuius circuli è peccatis singulis texebantur, à diabolo retrahi: concionatorem porrò, inde captatâ occasione, egregium & feruentem de peccatorum malitiâ & contritionis præstantiâ habuisse sermonem; vnde iste permotus, peccataque quæ hactenus perpetrasset, in se recognoscens, eorumque pœnitudine ductus, lacrymari inceperit: cumque vna lacrymarum eius gutta in catenam, quâ ligatus erat, incidisset, subitò illam fuisse dissolutam, deque peccatorum suorum remissione hominem factum fuisse certiorem. Idem narrat de meretrice, quæ, quòd pro maximis sceleribus suis altè suspirasset, saluata fuit: & de caupone, qui, cùm iam à dæmonibus abreptus fuisset, vitæ reseruatus & gratiæ restitutus fuerit, eò quòd reliquorum omnium oblitus, de suâ tantummodò animâ sollicitus fuisset, actumque veræ contritionis elicuisset. Quibus haud dissimilia sunt, quæ in Scripturis leguntur. Vnicum Dauidis verbulum, *peccaui*, adulterij & homicidij obtinuit remissionem. Breuis Ezechiæ oratio in gratiam diuinam illum restituit, vitamque eius ad quindecim annos produxit. Nabuchodonosor rex, postquam integro septennio instar bestiæ in siluis oberrasset, vbi vel semel tantùm ad Deum cor suum eleuauit, rationi ac regno statim restituitur. Ionas in mare præcipitatus, atque à balænâ deuoratus, Dominum Deum orans, in littus eiicitur atque seruatur. Mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, dum Saluatoris pedes lacrymis lauit, ab eo audire meruit, *Remittuntur tibi peccata tua.* Publicanus, quia humiliter dixerat, *Deus propitius esto mihi peccatori*, præ supercilioso illo Pharisæo iustificari meruit. Saulus, acerrimus Christianorum & Ecclesiæ nouellæ Dei persecutor, dicto, *Domine, quid me vis facere?* factus est vas electionis, Apostolorum Princeps, & Gentium Doctor.

Difficile non est homini oblatam sibi à Deo misericordiam acceptare. — *Verbo Contritio, exemplo 11.* — *Vnâ guttâ lacrymarum eam sibi comparat quidam peccator.* — Ibid. exemplo 1. *vnico suspirio meretrix.* — Exempl. 9. — *Exempla Scripturæ.* — 2. Reg. 12. — 4. Reg. 20. — Danielis 4. — Ion. 4. — Luc. 7. — Luc. 18. — Act. 9.

23. Quid, quòd haud rarò Deus peccatoribus quodammodò vim inferat, eosque, vt misericordiæ suæ locum præstent, cogere videatur? *Felix*, inquit S. Gre-

Sæpiùs præfractè nimis

obstanti homines, vt gratiâ suam admittant, vim infert. S. Gregorius Papa, *necessitas, quæ nos ad meliora compellit.* Petebat D. Augustinus in Epistolis, vt sanctum semper in se opus Deus inspiraret, compelleretque vt idem perficeret, suaderet vt eum diligeret, confirmaret vt teneret, custodiret ne perderet. Ecclesia item sancta, mater nostra, inter alia quæ fideles à diuinâ Maiestate petere docuit, tum aliàs, tum Oratione secretâ Dominicæ IV. post Pentecosten ita nos precari voluit: *Oblationibus nostris, quæsumus Domine, placare susceptis: & ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates.* Magnum itaque diuinæ clementiæ est beneficium, ad eiusdem participationem etiam inuitum & reluctantem cogi atque velut capillis attrahi, præsertim cùm sic nobiscum agi, etiam sacræ

Luc.14. Scripturæ auctoritate constet. Nam cùm inuitati ad cænam Regis æterni, æternam dico gloriam, venire detrectarent, friuolisque quilibet se prætextibus excusasset, tum seruo, qui ad inuitandum fastidiosos istos missus fuerat, Dominus dixit: *Exi*

Spiritus sanctus etiã homines cogit. *in vias, & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea.* Agens Propheta de noui Testamenti priuilegiis per Christum aliquando conferendis, asserit, per Spiritum sanctum, qui per ipsum mitti deberet, fideles ad Deum cogendos fore. *Et*

Isai.59. *timebunt,* inquit, *qui ab Occidente, nomen Domini: & qui ab ortu solis, gloriam eius: cùm venerit quasi fluuius violentus, quem Spiritus Domini cogit: & veniet Sion redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate in*

Act.1. *Iacob, dicit Dominus.* Hæc Spiritus sancti violentia sat eluxit in Apostolis, quando ipse nimirum in illos descendens, de cælo venit cum ingenti sonitu, tamquam ventus vehemens, totamque in quâ illi morabantur domum repleuit. Aptè

Psal.147. etiam Psalmographus ille Regius, *Emittet,* ait, *verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus eius, & fluent aquæ.* quasi apertè dicat, Per Verbi diuini aduentum & Christi incarnationem, congelata peccatorum corda liquefieri incipient, & ad recipiendam gratiam salutis præparari; at vbi aduenerit Spiritus sanctus, fluent aquæ, vtpote omnino dissolutâ frigiditatis iniquitatum glacie, & vento diuino vehementer & violenter illas ad curren-

Quomodo in alios viros mutet. dum impellente. Quid item Spiritus sanctus efficere soleat, Samuel Sauli aperuit, dum inquit: *In-*

1.Reg.10. *siliet in te Spiritus Domini, & mutaberis in virum alterum.* Quàm item ille fortes & robustos nos effi-

Iudicum. 14 cere possit, adumbratum est in Samsone: qui simul atque in eum Spiritus Domini irruit, leonem quasi hœdum in frusta discerpsit, nihil omnino habens in manu suâ.

24. Quàm denique Spiritus sanctus ad bonum cogit impios, tam efficaciter in recto conseruat probos: quæ gratia cùm sit omnium suprema, idcircò de eadem tertiâ sanctissimæ Trinitatis personâ, cui hæc præcipuè tribuitur, dicitur: *Cha-*

Rom.5. *ritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum*

Tota sanctissima Trinitas sese hominibus communicat. *sanctum qui datus est nobis.* Diffusa est, inquit, tota in homines seu superfusa charitas Dei, quoniam seipsum animabus nostris Deus Pater in creatione per imaginem & similitudinem suam totum ingessit & impressit: Filius quoque nobis natus

Genes.1. Ioan.3. est in redemptione; *sic* namque *Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret:* datus est Spi-

Ioan.14. ritus sanctus iuxta Christi promissum, *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum:* ita vt tres illæ Diuinitatis personæ totas se, tum iunctim tum singulatim, in impendendâ hominibus misericordiâ occupare soleant; &, si secundùm humanum comprehendendi modum loqui liceat, Deus ab æterno ideò fuisse videtur, vt omnes suas misericordiarum gratias potissimùm in hominem aliquando deriuaret. Quare S. Paulus Apostolus prudenter admodum exoptat, *vt gratia Domini nostri Iesu Chri-* 2.Cor.13.

sti, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus nobis, *Amen.*

Atque hæc ipsa de re præsenti sufficiant; abys- 25.

sus enim est inexhausta, nec finem habet: quare cùm Dei misericordiam nec comprehendere, nec dignè deprædicare valeamus, optandum potiùs est, vt ipsa nos absorbeat, atque in nobis compleatur, quod Historici de Chrysippo Philosopho tradunt, qui cùm ingenio suo assequi nequiret, quomodo ingens quædam aquarum multitudo in exiguum locum absorberetur, seipsum in idem aquarum barathrum præcipitauit, exclamans: *O abysse, cùm te comprehendere non valeam, tu me recipe.* Præcipitamus ergo & nos in te, diuinæ pietatis abysse, totisque vocibus ingeminamus: *O inexhaustum misericordiæ pelagus, cùm te capere nequeamus, tu nos recipe, & in te submerge atq; consume.*

CAPVT III..

Diuina Mäiestas nibil tam ab hominibus exigit, quàm proximi compassionem.

INdubitata est apud omnes Auctores propo- 1.

sitio, tantò magis aliquem perfici, quantò *Bequalibet*

propiùs ad similitudinem Dei accedit. Vnde *est perfectior,*

Christus Magister noster, *Estote,* inquit, *ergo* *quò Deo similior.*

& vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus Matth.5.

est. Ratione cuius non immeritò potest inquiri, in quo illa diuinæ perfectionis similitudo consistat, cùm, vt variis in locis ait Scriptura, non sit

quisquam similis Deo. At quęstionem hanc idem Psal.70.

Saluator noster dissoluit Lucæ 6. vbi cùm dixisset, *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est,* paucis interiectis subiungit: *Perfectus autem omnis erit, si sit sicut Magister eius.* Vt propterea manifestum sit, similitudinis diuinæ imitationem in misericordiâ sitam esse. Quapropter mirandum non est, quòd vniuersæ pænè Litteræ sacræ ad misericordiæ exercitium incitare mortales conentur, aliisque illud virtutibus præferant, ac maiori dignum remuneratione censeant, vti in-

frà Lib. III. prolixiùs expedituri sumus: hic breui- *Deus nibil*

ter probaturi, diuinam Maiestatem nihil potiùs *magis ab homine quàm*

à nobis exigere, quàm vt proximis ad sui exem- *misericordiam exigit.*

plum clementiam impendamus. Hoc vt compendiosiùs fiat, iuuabit sanctorum Patrum ac Scripturæ sacræ doctrinâ ostendere, misericordiam ad salutem maximè necessariam esse, eam perfectiones alias dignitate antecedere, à virtutissimis quibusque præcipuè excultam fuisse, atque ab ipsomet Deo seu maiori in cælis gloriâ, seu ampliori in terris benedictione dignam ha-

beri. Quæ haud dubiè sunt eiusmodi, ex quibus *Misericordia*

colligi debeat, misericordiam aliis præstitam id *hominem Deo*

apud Deum efficere, vt ei maximopere homines *similē reddit.*

placeant, & illi, si quâ aliâ virtute, acceptissimi fiant.

Digitized by Google

2\. *Misericordia est præcipuus charitatis effectus,* In 4. dist. 45. q. 5.

Vt autem de aureâ hac charitatis virtute, seu potiùs de misericordiâ, quæ secundùm D. Thomam primarius est charitatis effectus, congruè dissseramus, aureo nobis opus esset eloquio, aureoque calamo; vt proinde non inconsultè hocce Capite cæ primùm à nobis probationes producendæ sint, quæ aureo ore ac stylo à D. Ioanne Chrysostomo in rem præsentem traditæ sunt: habet enim ipse in scriptis suis eiusmodi loca, quæ non ipsius tantùm auctoritate fulciantur, sed quæ ex Scripturis passim excerpta, que ad legentium simul instructionem ac voluptatem pulcherrimè explicata sint. De misericordiæ inprimis necessitate quid clarius dici queat, quàm quod scripsit in hæc verba: *Ita tibi vtilitatem comparabis, si proximi inuigiles vtilitati. Itaque si piger in fratris curâ fueris, intellige nullâ te prorsus ratione salutem consecuturum. Igitur tuâ ipsius gratiâ proximi tui rebus adsis. Sufficientia itaque sunt quæ iam diximus, quòd persuadeant, nullâ aliâ ratione nos vtilitatem inuenire posse. Quòd si hæc à confessis exemplis cognoscere volueris, considera, si quando domum aliquam exuri contingat, inde nonnulli ex vicinis sibi cauentes minimè se periculis obiiciant, sed domi inclusi timeant, ne quis ingrediatur qui aliquid ex rebus suis auferat, quantam iacturam facient: etenim ignis quoque eos comprehendet, & omnes eorum combure facultates. Ita qui proximi vtilitatem non respexerunt, suam perdiderunt.* Ex quo liquet, adeò necessariò misericordiam erga proximum esse exercendam, vt qui eam neglexerit, de istius quoque salute desperandum sit. Sed pergit idem Doctor id promptiùs inculcare.

& vel maximè necessaria. In cap. 10. Ep. 1 ad Corinthios.

3\. *Nam qui erga alios exercere negligit propriam salutē negligit.* Chrysost. ibidem.

Præterea, inquit, *si in mari tempestate exortâ, Gubernator, omissâ multorum salute, suam tantùm quæreret, & seipsum & alios quamprimùm obrueret: & vniuscuiusque artis, si sua tantùm quæratur vtilitas, numquam neque vita constaret, neque ars quæ sui ipsius quæreret vtilitatem. Propterea agricola non tantùm frumentum seminat, quantum sibi sat sit, nam iam pridem & alios & se perdidisset; sed quod multis sufficiat terræ mandat. Et miles non vt suæ dumtaxat consulat saluti, se periculis obiicit, sed vt ciuitates in securitate constituat. Et mercator non eas tantùm merces transportat, quæ sibi ipsi satis sint, sed multis aliis. Quòd si quis hoc in loco diceret, non alterius, sed suam vnumquemque considerare vtilitatem, & idcirco ita facere, vt pecunias sibi, & securitatem, & gloriam comparet; atque ita dum suam quærit, proximi quoque quærere vtilitatem: idem ego dico. Hoc est quod iam dudum audire volebam: & hac gratiâ omnem hunc sermonem fecimus, vt ostenderemus, tunc sibi vnumquemque consulere, cùm proximo consulit. Nam cùm aliter homines proximi commodum non essent curaturi, nisi in hac constituti necessitate; propterea ita Deus ea coniunxit, & non permittit vt in propriam priùs quisquam veniat vtilitatem, nisi per alienam transeat. Hoc igitur humanum est, vt hoc pacto proximo vsui fiamus. Verùm oportet non hinc, sed diuinâ voluntate ad hoc adduci; siquidem nemo salutem consequi potest, nisi ita se habeat. Sed quamuis summam complectaris Philosophiam, proximi autem iacturam contempseris, nullam apud Deum fiduciā habere poteris. Vnde hoc constat? Ex B. Pauli verbis: Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Vides quantum à nobis Paulus requirit? At qui pascit, non suam, sed proximi quærit vtilitatem; sed non sufficit hoc, inquit, cum charitate hæc fieri vult, & misericordiâ plurimâ.* Hæc omnia Chrysostomus.

1\. ad Corint. 13.

4\. *Absque misericordiâ reliqua bona opera sunt superuacanea.* Tom. 4. Homil. 25. in 1. ad Corint.

Ex eodem quoque Doctore videre est, quomodo inter alia perfectionis opera excellat misericordia, imò quomodo sine hac, istæ prodesse non possint. Verba eius, quæ hoc euincunt, hæc sunt: *Licet ieiunando, humi dormiendo corpus maceraueris, nullam autem proximi curam habueris, nihil egregium feceris, sed adhuc longè ab huiusmodi absueris imitatione. Propterea inquit Paulus, Per omnia omnibus placebo. Siue præter legem aliquid, siue laboriosum siue periculosum facere oporteat, omnia in proximorum vtilitatem perpetior. Cùm igitur omnium diligentiâ supremus sim, humilitate omnium abiectißimus effectus sum: etenim nullum valdè magnum potest esse officium, quando nullum in proximos lucrum conferatur. Quod ostendit, qui totum reddidit talentum, & supplicio affectus est, quoniam id non auxit. Tu igitur, mi frater, quamuis fame conficiaris, quamuis humi iaceas, quamuis cinerem comedas, quamuis super lacrymis madeas, & nihil cuiquam proficias, nihil magnum facis.* Et alibi, de proximi loquens adiutorio, *Quid*, inquit, *huic poterit æquiparari? Quod neque ieiunium, neque humi peractæ cubationes, neque peruigiliæ, neque aliud quidpiam potest efficere, efficit fratris procurata salus. Cogita, quàm multa tuum os frequenter peccauerit, quàm multa verba obscœna protulerit, quàm multa conuitia, quàm multa maledicta euomuerit, & omnino suscipies collapsi curam: nam hoc vno omnem illam delere maculam poteris.*

Tom. 5. Orat. 5. cōtra Iudæos.

Misericordiâ peccatorum obtinetur remissio.

5\. *Misericordia ipso martyrio est potior.* Tom. 2. Homiliâ 78. in Matt. c. 24.

Neque hæc Chrysostomo satis fuerunt, hæc enim addit: *Ponatur, quempiam ieiunare, & martyrium comprobare, ac cremari, alium verò ad ædificationem proximi martyrium differre, nec differre modò, sed etiam absque martyrio discedere: vter igitur post hanc peregrinationem maior erit? Non est nobis multis in hoc loco rationibus opus, cùm beatus Paulus magna voce sententiam iam protulerit, dicens: Cupio dissolui, & esse cum Christo, melius autem mihi in carne adhuc permanere propter vos.* Et rursum: *Paulum propterea admiramur, non propter mortuos quos excitauit, nec propter leprosos quos mundauit, sed quoniam dicebat: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Nam si decies millia signa ad hæc adieceris, nihil dices quod ei posses conferre. Nam ipse quoque dicit, magnam sibi repositam esse mercedem, non quoniam fecit signa, sed quia infirmis fuit tamquam infirmus, &c. Et quando se præponit Apostolis, non dicit, Plura quàm ipsi feci signa, sed, Plus quàm ipsi laboraui.* Quinimò expresse asserit, nihil huiusmodi prodesse hominibus, nisi adfuerit proximorum compassio. verba eius sunt: *Siue quis signa faciat, siue virginitatem, siue ieiunium, siue humistratum excolat, siue ipsos Angelos virtute præueniat; omnium erit scelestißimus, hunc habens defectum, & adultero, lenone, ac latrone & fure iniquior, &c. Orationis enim indiget huiusmodi morbus, & plurimæ supplicationis. Nam si fratrem non diligens, siue pecunias eroget, siue martyrio effulgeat, nihil amplius efficit; qui nullam quoque persequitur operatum iniuriam, quantâ sit dignus vltione, considera. Hic & gentilibus est peior.*

Homil. 23. in 1. ad Corinth.

Tom. 5. Homil. 53. ad pop. Antioch. *Qui misericordiâ caret, impio & Gentili est peior.*

6\. *Sancti prisci misericordia fuerunt studiosissimi: præcipuè D. Paulus Apostolus.*

At quantopere Sancti præ reliquis virtutem misericordiæ fuerint sectati, videamus. Certè dum S. Chrysostomus de affectu illo quo D. Paulus erga proximos suos flagrauit, locutus fuisset, adeò spiritu & ipse efferbuit, atque ita totâ mente in admirationem abreptus fuit, vt vix sibi præsens

esse

esse videretur. Aduerti illud potest, quòd, dum verba Apostoli expendit, *Optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis*, ita subiungit, *hoc est, carere æternâ remuneratione, & Saluatoris præsenti conspectu*. Sed & aliubi, *Optabat*, inquit, *in gehennam mitti, & iudicium subire perpetuum pro eorum salute, à quibus sæpè fuerat lapidatus, qui eum interficere conati erant, vt ipsi tantarum ei afflictionum auctores, per fidem in Christi corpore iungerentur*. Sed verba eiusdem Chrysostomi in Commentariis ad Romanos adducere lubet. *Optabam ego ipse*, inquit *S. Paulus, anathema esse à Christo pro fratribus meis. Quid ais, ô Paule? A Christo, illo inquam Christo, qui à te desideratur? à quo te nec cælorum regnum nec gehenna separabat, neque ea quæ cogitari possunt, nec alia totidem, ab hoc nunc precaris anathema esse? Quid accidit? Num desiderium illud excussisti ac deposuisti? Haudquaquam, inquit; sed pro fratribus meis. Nec id vtcumque volo, sed opto, multumq́; desidero: vt fratres mei salui fiant, optarim anathema esse.* Hæc ille.

qui anathema esse pro fratribus optat.

Rom. 9.

7. Qui rursus, explicans caput i. Epistolæ ad Philippenses, *Verba Apostoli sunt*, inquit, *Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Christi, coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius: permanere autem in carne necessarium propter vos, & hoc confidens scio, quia manebo & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum. Quid dicis, Paule? Cùm hinc abiens in ipsum cælum migraturus sis, atque cum Christo futurus, ignoras quid eligere debeas? Et non solùm istud, sed quod huius est vitæ eligis, nempe vt in carne maneas. Quamobrem? Non acerbam vitam ducebas in vigiliis, in naufragiis, in fame ac siti, ac nuditate, in curis ac sollicitudinibus? Cum infirmis infirmus eras, in multâ patientiâ, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in ieiuniis, quinquies quadragenas plagas vnâ minùs accepisti, ter virgis es cæsus, semel lapidatus, noctem & diem in profundo maris egisti, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in falsis fratribus, & adhuc infelicem hanc vitam desideras? Si namque nihil tibi horum obtigisset, sed quidquid agebas, cum voluptate etiam & liberè patrasses; numquid oportebat incertitudinem futuri euentus metuentem ad portum quemdam confugere?*

Homiliâ 4.

& contentus erat cælo diutiùs priuari:

cùm tamen maxima in terris pertulerit.

8. Quæ vt Christianis omnibus ampliùs inculcaret, hisce comparationibus, ad rem præsentem accommodatissimis, ea quæ dixit ampliauit: *Quis mercator nauem habens multis rerum copiis plenam, cùm liceat ad portum iam appellere, tutoq́; quiescere, adhuc tamen in mari nauigare mallet? Quis athleta cuperet ampliùs certare, cùm iam liceat coronari? Quis pugilum eliget, denuò certamen ingressus, de suo ipsius capite periclitari, cùm iam, si vellet, coronam posset accipere? Quis est ille miles, qui cùm liceat iam cum celebritate & trophæis à bello liberari, cumq́; Rege quiescere in ipsius Regis palatiis, sustineat adhuc in bello & sudare, & in aciem collocari? Quomodo ergo cupit & & in hac vitâ consistere, qui dicebat, Timeo ne dum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar? Etsi ob nullam aliam causam, ob hanc certè liberationem desiderare oportebat. Papæ! quis est hic Apostoli animus? Nihil par illi vmquam vel fuit, vel erit. Futura metuis, innumeris malis obnoxius es, & apud Christum esse non vis? Non, inquit; quia quos lucrifeci seruos, expeditiores opto constituere, & solidiores, & vt agricolationem illam, quam plantaui, frugiferam reddam, à Christo volo exulare. Non audisti me, non quod mihi est vtile, sed quæ sunt proximorum, quærentem? Qui anathema esse volui à Christo pro fratribus, quomodo non multò ampliùs illud eligam, cùm mihiipsi libenter ex morâ ac dilatione damnum inferam, quò aliqua possit illis obtingere salus?*

Similitudinibus S. Pauli erga proximos affectus explicatur.

En quantus Apostoli in charitate zelus.

9. Liquet proinde, præ charitate ac proximi compassione reliqua quodammodò bona contemnenda esse, malaque toleranda, si B. Pauli magisterium atque exemplum sequi lubeat: quod non ipse tantum Chrysostomus in illo laudauit, sed ex illo perfectè imitatus est. Nam & de seipso ita scribit: *Vellem, si fieri posset, vestris oculis ostendere quam in vos habeo charitatem: nihil enim est mihi vobis iucundius & desiderabilius, ne hæc quidem lux. millies enim optarem ipse cæcus esse, si per hoc liceret vestras animas conuertere, adeò ipsâ luce est mihi salus vestra iucundior. Quid enim me iuuant solares radij, quando quæ propter vos accipitur animi ægritudo, oculis meis magnas offundit tenebras? Lux enim tunc bona, quando apparet in lætitiâ.* Et paulò pòst: *Implete gaudium meum: liceat vobis salutem assequi, me autem propter vos reddere rationem; vobis dari salutem, me autem accusari quòd meum munus non impleuerim: non enim curo, vt pro me salui sitis, sed vt salui sitis quacumque ratione.* Vnde colligere manifestè licet, non solùm à D. Paulo, orbis totius & præsertim Gentium Doctore, sed & à magno eius discipulo S. Ioanne Chrysostomo, præ virtutum aliarum exercitiis, dilectionis ac misericordiæ actus fuisse excultos. Videndum superest, quàm eximiam tum in hoc tum in futuro sæculo obtineant misericordiæ opera remunerationem, quod haud minori soliditate & copiâ hic præstitit Chrysostomus, atque in reliquis. Transscribimus è pluribus pauca, vt ad Capitis huius partem alteram quantocyùs veniamus.

S. Paulum genuinè imitatus est S. Ioannes Chrysostomus

enim gaudiū, proximi subleuamen.

10. Eia, inquit, *prius dicta resumamus, & hodie ostendamus, qualiter est ars omnium artium quæstuosissima, eleemosyna. Si enim artis est proprium, ad aliquam vtilitatem peruenire, eleemosynâ verò nihil est vtilius; clarum est profectò, quòd & ars, & omnium est artium optima.* Et infra: *Hanc itaque suscipiamus artem & scientiam, & obeamus: melius est enim hanc scire, quàm esse Regem, & diademate coronari. Non enim est hæc sola eius præcellentia, quòd aliarum non indiget; verùm & diuersarum rerum est expeditoria, & multarum quidem, & omnigenarum: domos enim ædificat in cælis semper mansuras; & qui se secuti fuerint, docet quemadmodum fugiant immortalem mortem: & tibi thesauros donat, qui numquam absumuntur, sed omne damnum effugiunt, tam à latronibus, quàm à vermibus, & tempore. Si quis contra frumentorū conseruationem hoc solum te docuisset, quid non reddidisses, vt inabsumptum multos annos posses conseruare frumentum? Ecce autem hæc non in frumento tantùm, verùm & in omnibus docet; & quomodo parta, & anima & corpus indiminuta conseruentur ostendit. Et quid opus est omnia particulatim dicere artis huius merita? hæc namque te docet quomodo possis Deo similis fieri, quod est omnis summa bonorum. Vide quomodo non vnum huius est opus, sed multa? Non alterius indigens artis, domos ædificat, texit vestes, inabsumptos parat thesauros, facit vt mors superetur, diabolum cohibet, reddit Deo similes. Quid igitur hac arte fuerit vtilius?* Quæ verba aurei Chrysostomi quàm sint aurea, nemo est qui non audiat: optimè sanè meri-

Misericordiæ præmia sunt illustria.

Homiliâ 33. ad pop. Ant.

Eleemosyna est ars omnium optima.

tus est vt aureo hæc calamo describeret, qui non minùs etiam praxi valuit, vt omnium cordibus auream ingenerare posset compassionem.

Paulus Apostolus temporalia omnia misericordia postposuit.
Homiliâ 2. de Laudib. Apostoli.

11. Neque id mirum, vtpote qui in scholâ eius edoctus fuerat, qui præ clementiâ proximis exhibendâ temporalia omnia atque æterna nihili ducere videbatur. Quo igne vt & nos accendamur, præsentem materiã verbis Chrysostomi, Apostoli verò factis illustremus. Loquitur hoc ergo ille modo: *Corinthiis scribens inquit, Placeo mihi in periculis & infirmitatibus meis. Itaque cùm inter inimicorum versaretur insidias, & vbique cæsus verberibus, affectus iniuriis atque maledictis, quasi triumphantes pompas ageret, crebra trophæa strueret, orabat, gratiasq; referebat Deo, dicens: Deo autem gratias, qui semper triumphat nos. Itaque ad confusiones & iniurias, quas ad prædicandum Christum sustinebat, magis quàm ad bonorum oblectamenta properabat, mortem potiùs quàm vitam appetens, paupertatem quàm opulentiam, & multò ampliùs laborem desiderans, quàm alij requiem post laborem; & mœrorem magis eligens quàm alij voluptatem, studiosiùs pro inimicis orans, quàm alij aduersus inimicos.* Et posteà: *Non dico quia nihil præsentium desiderabat, sed nec aliquid futurorum: non enim mihi dicas, vrbes, gentes, exercitus, prouincias, pecunias, potestates (hæc enim ille quasi arenam vilia reputabat) sed ea ipsa penè quæ promittuntur in cælis, & tunc ardentem amorem in Christum videbis: hic siquidem præ illius dulcedine non Angelorum, non Archangelorum admiratus est dignitatem, neque quidquam horum simile concupiuit.*

Imò cælestia quodammodò præ proximi dilectione contempsit.

12. Quòd si paululum exspatiari vlteriùs lubeat, ex aliis perinde Patribus, imò & Scripturæ locis, idipsum probare possumus, vt eò feruentiùs ad charitatem erga proximũ suum exercẽdam quilibet incitetur & inflammetur, quantò à numerosioribus testimoniis se inuitari viderit. Certè Doctor Angelicus docuit, misericordiã secundùm se esse maximam virtutũ: quod etsi quoad Deum solùm habere locum velit, addit tamen, inter omnes virtutes quæ ad proximum pertinent, misericordiam esse potissimam, *sicut etiam*, inquit, *potioris est actus; nam supplere defectum alterius, in quantum est huiusmodi, est superioris & melioris.* Neque obest, quòd, vt ipse asserit, in homine respectu Dei maxima virtutum sit charitas: quia præcipuus charitatis effectus est misericordia, vt superiùs vidimus; & *probatio delectionis, exhibitio est operis*, vt loquitur S. Gregorius. Cùm itaque potissimè à nobis Deus requirat misericordiæ exercitium, sequitur, misericordiæ erga proximos actum, certissimum & præcipuum charitatis nostræ erga Deum esse argumentum.

D. Tho. 2. 2. q. 30. a. 4.
Homiliâ 10 in Euangel.

13. Sed age videamus modò quam præcipuè à nobis diuina bonitas misericordiam exerceri voluerit. S. Ioannes Apostolus, *In hoc*, inquit, *cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Ecce mutuæ dilectionis ac compassionis exemplum simul & præceptum: quod enim hic verbo *debemus* exprimitur, clariùs dictum fuit à Domino Christo: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Ad quæ verba D. Gregorius Papa: *Cùm cuncta sacra Eloquia plena sint Dominicis præceptis, quid est quòd de solâ dilectione, quasi de singulari mandato, Dominus dicit: Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem? Nisi quia omne mandatum de solâ dilectione est, & omnia vnum præceptum sunt: Quia quidquid præcipitur, in solâ charitate solidatur. Præcepta ergo Dominica & multa sunt, & vnum. Multa, per diuersitatem operis; vnum, in radice dilectionis. Qualiter autem ista dilectio tenenda sit, ipse insinuat, qui in plerisque Scripturæ suæ sententiis & amicos iubet diligi in se, & inimicos diligi propter se. Proinde cùm Dominus diceret, Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem; protinus addidit, Sicut dilexi vos. ac si apertè dicat: Ad hoc amate, ad quod amaui vos; seu vt S. Ioannes superiùs dixit: Quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quæ luculenter sanè notum faciunt, ab hominibus suis Christum potissimùm charitatem clementiamque exposcere, quandoquidem vnicum illius suum appellarit & fecerit præceptum.

Charitas proximi præcipuè à nobis exigitur.
1. Ioan. 3.
Ioan. 14.
Homil. 27. in Euangel.
Omnia præcepta in illo quod de charitate est, comprehenduntur.
1. Ioan. 3.

14. Cùm etiam olim Christus Apostolos suos in vniuersum mundum emitteret, vt Euangelium promulgarent, hac instructione ipsos dimisit, *Euntes autem discite quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium.* quorum verborum tametsi apud nonnullos hæc reperiatur explicatio, vt significent, Deum potiùs misericordiam velle præstare quàm honorari sacrificio, prout & nos Lib. II. Cap. III. secundùm probatos ibi citandos Auctores accepturi sumus; haud minùs tamen rectè hunc in sensum alij exponunt, vt sensus sit, Christum potiùs voluisse proximis à nobis exhiberi misericordiam, quàm diuinæ suæ Maiestati sacrificium fieri. Sic nempe interpretati fuerunt plurimi SS. Patrum, Cyprianus, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Augustinus, Prosper, & alij: qui etiam testati sunt, ipsam misericordiam gratissimum Deo sacrificiũ existere. S. Prosperum audiuisse sufficiet ita scribentem: *Scribis & Pharisæis singulare sacrificium ostendit, dicens: Verumtamen dico vobis, date eleemosynam, & ecce vobis munda sunt omnia. O quàm breue compendiosumq; sacrificium, quod intrinsecus atque extrinsecus totumq; hominem mundat!* Et infrà: *Concurrite omni ex genere peccatores: concurrite omnes ex vitiis erroribusq; leprosi: concurrite omnes quolibet flagitio maculati atque immundi, pœnitentes vouentesq;; concurrite ad tam magnum, compendiosum vtileq; sacrificium cum omni lætitiâ offerentes: hilarem enim datorem diligit Deus. Prout quisque quod offerat habuerit, hoc offerat munus. Quod ita noster Princeps Sacerdotum instituit, acceptumq; præ omnibus esse mandauit, vt vsque ad duo minuta calicemq; aquæ frigidæ, mensuras huius produxerit sacrificij.* Quibus haud sunt difformia quæ eamdem in rem scripsit S. Gregorius Nazianzenus, qui inter alia plura sic locutus est: *Omnium Dominus misericordiam vult, non sacrificium; ac pinguium agnorum myriades commiseratio superat: hanc per pauperes humiq; hodierno die prouolutos ipsi conferamus.* Et D. Augustinus declarans quodnam perfectissimum sit inter alia sacrificium, *Sacrificium*, inquit, *Christiani est eleemosyna in pauperem; hinc enim fit Deus peccatis propitius. Nisi autem peccatis propitius fiat Deus, quis remanet nisi reus?*

Matth. 9.
Deus potiùs misericordiâ erga proximum quàm sacrificio sibi oblato honorari cupit.
Gratissimum Deo sacrificium est charitas.
De Promiss. & prædict. Dei, Part. 2. cap. 7.
Orat. 16. de Pauperum amore.
Lib. 50. Homil. Homil. 29. cap. 1.

15. Verumenimuerò (vt ad superiora Christi verba, quibus misericordiam sacrificio se præferre dixit, reuertamur) non solùm præ misericordiâ Deus sacrificium minùs gratum habet, sed & omnino illud respuit, nisi comitem aut præambulum habuerit misericordiam. *Si offers*, inquit, *munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quia*

Deus sacrificiũ respuit, nisi misericordia sale conditum fuerit.
Matth. 5.

frater

frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. Ad quæ S.Ioannes Chrysostomus: *Vide misericordiam Dei, quomodo hominum vtilitates ampliùs adspiciat quàm suos honores. Si enim suos honores magis aspiceret, sic dixisset, Interim offer munus tuum, & posteà vade & reconciliare: nunc autem dicit, Vade primùm, reconciliare. Vade; ego libenter contemnor, libenter honoris mei patior damnum, libenter expecto, Dominus seruos, tantummodò vt vos in amicitiam veniatis. Vade ergo, vt scias quia plus diligo concordiam fidelium meorum, quàm munera.* Ita Chrysostomus, qui etiam alibi sic: *Si Deus, inquis, propter me mortuus est, satisfaciam si illum colo, & ipsi offero sacrificia, & meipsum immolo, & in victimam offero. Falleris: pluris facit Deus charitatem proximi, quàm religionem sui, & venerationem sacrificij.* Notandum verò, ne dictis quisquam fidem dehabeat, Deum non solùm in terris omnia fraternæ misericordiæ postposuisse, sed & in cælis eamdem vniuersis virtutibus præferre. Testem habeo S. Ioannem Eleemosynarium, qui Misericordiam sibi apparuisse retulit, referentem, sese in regno cælorum primam esse præ ceteris perfectionibus filiam Dei, omniaque ab illo impetrare solere. Leontius Neapoleos Cypri Episcopus hæc è Vitâ eiusdem Sancti profert: *Cùm essem, inquit Patriarcha, adhuc in Cypro iuuenis quasi annorum quindecim, vidi vnâ noctium in somnis puellam quamdam, cuius species supra solem splendebat, ornatam supra omnem humanum sensum, quæ venit & stetit ante lectum meum, & pulsauit me in latere. Expergefactus verò, vidi eam in veritate stantem, & æstimaui eam esse mulierem. Figurâ igitur Crucis signatus, dixi ei: Quæ es tu? & quomodo ausa es intrare ad me dum dormirem? Habebat autem & coronam de oliuarum ramis super caput suum. Tunc illa hilari vultu & subridendo dicit mihi: Ego sum prima filiarum Regis. Cùm hæc audissem, statim adoraui eam. Tunc dicit mihi: Si me possides amicam, ego te ducam in conspectu Imperatoris: etenim nemo habet potestatem apud eum, sicut ego. Ego quippe feci eum in terris hominem fieri, & saluare homines. Et hæc dicens, disparuit. Ego verò in memetipsum reuersus, intellexi visionem, & dixi: Credo, Compassio atque Eleemosyna est, & ideò habet in capite ex oliuæ foliis coronam. Etenim veraciter compassio & benignitas erga homines, Deum carne vestiri fecit.* Hæc Leontius, referens ipsa S. Ioannis Eleemosynarij, Alexandrini Patriarchæ verba.

In hunc locum.

Visio S. Ioannis Eleemosynarij de Misericordiâ.

Misericordia prima virtutum.

16. At quamuis iis quæ hactenus sunt dicta plura addere non foret opus, quia tamen ex Euangelicâ veritate anteà patuit, homines per misericordiam ad perfectionem Dei pertingere posse, in memoriam hîc illud ipsum reuocare poterimus, vt simul Paulina explicentur verba, quibus verè dixit charitatem esse vinculum perfectionis, illa nimirum pro principaliori charitatis effectu, misericordiâ, vel maximè capienda esse. Meminerit ergo Lector, nos huius Capitis initio in misericordiæ commendationem produxisse locum illum, quo Saluator noster discipulos suos ita hortatur: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Et posteà in quo eadem perfectio consistat ostendens, *Estote*, ait, *misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Tota itaque diuinæ perfectionis imitatio in misericordiâ sita esse videtur. Quamuis enim & in humilitate atque paupertate suâ nos sibi similes Christus esse voluerit, per id tamen non ad diuinam sed humanam eius tantummodò similitudinem pertingimus, cùm in Deo propriè nec humilitas nec paupertas esse possit: secùs verò cùm misericordiam exercemus, quæ in Deo, vt & alia ipsius attributa, infinita est, & ab eo super omnia opera eius, vt præcedenti Capite vidimus, mortalibus communicatur. Quò spectant illa SS. Patrum elogia, quibus erga proximos præstitam misericordiam miris vsque adeò laudibus extulerunt. S. Bernardus quidem nominat illam reliquarum virtutum magistram ac Dominam, quæ easdem gubernet atque conseruet. Petrus Rauennas, *In regno*, inquit, *cæli coram omnibus Angelis, in conuentu resurgentium, quòd Abel passus sit, quod mundum conseruauerit Noe, quòd Abraham fidem seruauerit, quòd Moyses Legem tulerit, quòd Petrus crucem Iesu ascendit, Deus tacet, & clamat solùm quòd pauper comedit, dicens, Esuriui. Qui enim misericors est, misericordiâ dignus est.* S. Gregorius Nyssenus, *Atqui*, ait, *ex omnibus rebus, quæ per vitam coluntur & exercentur, constat, rem præstantissimam esse dilectionem: dilectionis autem intentio & incrementum, misericordia est.* Et post pauca: *Ergo misericordia, vt definitio quidem ostendit, beneuolentiæ mater est, dilectionis pignus, vinculum omnis amicæ affectionis. Hac verò cautione atque securitate quid in vitâ firmius vel tutius excogitari possit?* S. Ambrosius in illa D. Pauli verba, *Pietas ad omnia vtilis*, sic scribit: *Omnis summa disciplinæ nostræ, in misericordia & pietate est.* Et alibi hoc modo: *Misericordia plenitudo virtutum est, & ideò omnibus est proposita perfectæ forma virtutis.* S. etiam Leo Papa: *Misericordiæ virtus tanta est, vt sine illâ ceteræ prodesse non possint. Quamuis enim aliquis fidelis sit, & castus, & sobrius, & aliis maioribus ornatus insignibus; si misericors tamen non est, misericordiam non meretur.* Et rursum: *In illo magno summoque iudicio tanti æstimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, vt pro plenitudine omnium virtutum, & pro summâ omnium commissorum accipiatur; & per vnum malum illi in ignem mittantur æternum, & per vnum bonum isti introducantur in regnum.*

Per misericordiam homines ad diuinam ascēdere possunt perfectionē.

Mat. 5.

Luc. 6.

Quia ipsa propriè Dei quà Deus est attributum: paupertas verò & humilitas est proprietas Christi quà homo.

Serm. de Ordin. Eccles.

Serm. super illud, *Esuriui.*

Lib. de Beatitu. 1.

In cap. 3. Lucæ.

Serm. de Apparit.

Quibus quid vltrà addi possit non video, nisi quòd studium virtutis ac perfectionis huius tam ardens fuerit penes homines sanctos, vt & sua vniuersa & seipsos in amplioris misericordiæ exercitium sponte impenderint, vt præter alios videre est in D. Paulino Nolano Episcopo, de quo ita scribit D. Gregorius: *Dum sæuientium Vandalorum tempore fuisset Italia in Campaniæ partibus depopulata, multique essent de hac terrâ in Africanam regionem traducti, vir Domini Paulinus cuncta quæ ad Episcopatus vsum habere poterat, captiuis indigentibus largitus est. Cumque iam nihil omnino superesset quod parentibus dari potuisset, quadam die quædam vidua aduenit, quæ à Regis Vandalorum genero filium suum in captiuitatem fuisse ductum perhibuit, atque à viro Dei huius pretium postulauit, si forte illius dominus hoc dignaretur accipere, & hunc concederet ad propria remeare. Sed vir Dei, magnopere quid petenti feminæ dare potuisset inquirens, nihil apud se aliud inuenit, petentique feminæ respondit, dicens: Mulier, quod possim tibi dare non habeo, sed memetipsum tolle, me seruum iuris tui esse profitere, atque vt filium tuum recipias, me vice illius in seruitium trade. Quod illa ex ore tanti viri audiens, irrisionem potius credidit quàm compassionem. At ille, vt erat vir eloquentissimus, & valdè in exterioribus* 17.

Viri sancti & perfectionis studiosi summopere misericordiæ exercitio fuerunt dediti.

Dial. lib. 3. cap. 1.

Ex misericordiæ affectu captiuis redimendis se impendit S. Paulinus.

Vidua ei querelas facit de filio à Vandalis capto.

ribus quibusque studiis eruditus, dubitanti feminæ citiùs persuasit vt audita crederet, & pro receptione filij in seruitium tradere non dubitaret Episcopum. Peruexerunt ergo vterque in Africam. Procedente autem Regis genero qui eius filium habebat, vidua rogatura se obtulit, ac priùs petiuit, vt ei filius donari debuisset. Quod cum vir barbarus, typo superbiæ turgidus, gaudio transitoriæ prosperitatis inflatus, non solum facere, sed & audire despiceret, vidua subiunxit dicens: Ecce hominem hunc pro eo vicarium præbeo, & solummodò pietatem in me exhibens, mihi filium meum vnicum redde. Cumq; ille venusti vultus hominem conspexisset, quam artem nosset inquisiuit. Cui vir Dei Paulinus respondit dicens: Artem quidem aliquam nescio, sed hortum benè excolere scio. Quod vir gentilis valde libenter accepit, cùm in nutriendis oleribus quia peritus esset audiuit. Suscepit itaque seruum, & roganti viduæ reddidit filium. Quo accepto, vidua ex Africanâ regione discessit. Paulinus verò excolendi horti suscipit curam. Cumq; idem Regis gener crebrò ingrederetur hortum, suumq; hortulanum quadam requireret, & sapientem valde esse hominem videret, amicos cœpit familiares deserere, & sæpiùs cum suo hortulano colloqui, atque sermonibus eius delectari. Cui Paulinus quotidie ad mensam olera virentesq; herbas deferre consueuerat, & accepto pane ad curam horti remeare. Cumq; hoc diutiùs ageretur, quadam die domino suo secum secretiùs loquenti ait: Vide quid agas, & VVandalorum regnum qualiter disponi debeat prouide, quia Rex citius & cum omni celeritate moriturus est. Quod ille audiens, quia ab eodem Rege præ ceteris diligebatur, ei minimè tacuit, sed quid à suo hortulano, sapienti scilicet viro agnouisset, indicauit. Quod dum Rex audisset, illicò respondit: Ego vellem hunc, de quo loqueris, hominem videre. Cui gener eius, venerabilis Paulini temporalis dominus, respondit dicens: Virentes herbas mihi ad prandium deferre consueuit. Has itaque hunc ad mensam meam deportare facio, vt quis sit qui mihi hæc locutus sit, agnoscas. Factumq; est. Et dum Rex ad prandendum discubuit, Paulinus ex suo opere olera quæque & virentia delaturus aduenit. Cumq; hunc Rex subitò conspexisset, intremuit, atque accersito eius domino, sibi per filiam propinquo, ei secretum, quod priùs absconderat, indicauit, dicens: Verum est quod audisti; nam nocte hac in somnio, sedentes in tribunalibus contra me iudices vidi, inter quos iste etiam simul sedebat, & flagellum quod aliquando acceperam, eorum mihi iudicio tollebatur. Sed percontare quisnam sit, nam ego hunc tanti meriti virum popularem, vt conspicitur, esse non suspicor. Tunc Regis gener secretò Paulinum tulit, & quisnam esset inquisiuit. Cui vir Dei respondit: Seruus tuus sum, quem pro filio viduæ vicarium suscepisti. Cumq; ille instanter requireret, vt non quid esset, sed quid in suâ patriâ fuisset, indicaret, atque hoc ab eo factâ iteratione frequentis inquisitionis requireret, vir Dei constrictus, magisq; coniurationibus, iam non valens negare quid esset, Episcopum se fuisse testatus est. Quod possessor eius audiens, valdè pertimuit, atque humiliter obtulit, dicens: Pete quod vis, quatenus ad terram tuam à me magno cum munere reuertaris. Cui vir Domini Paulinus ait: Vnum est beneficium quod impendere mihi potes, vt omnes ciuitatis meæ captiuos relaxes. Qui cuncti protinus in Africanâ regione requisiti, cum onustis frumento nauibus pro venerabilis viri Paulini satisfactione in eius comitatu laxati sunt. Post non multos verò dies VVandalorum Rex occubuit, & flagellum, quod ad suam perniciem dispensante Deo pro fidelium disciplinâ tenuerat, amisit. Sicq; factum est, vt omnipotentis Dei famulus Paulinus vera prædiceret, & qui se in seruitium tradiderat, cum multis à seruitio ad libertatem rediret: illum videlicet imitatus, qui formam serui assumpsit, ne nos essemus serui peccati. Cuius sequens vestigia Paulinus, ad tempus voluntariè seruus factus est solus, vt esset postmodum liber cum multis.

Proficiscitur cum matre in Africam S. Paulinus.

Prouidus filio diuendi tus hortulanus efficitur.

Prædicit mortem Regis VVandalorum.

Rex eum conspiciens visionem quam de illo habuerat, narrat.

Adiuratus ab hero Paulinus, se Episcopum confitetur.

Cum vniuersis suis ciuibus ac plurimis donis in patriam redire iubetur.

Ita de S. Paulino Episcopo Nolano S. Gregorius Pontifex Maximus ac Doctor Ecclesiæ. Dignissima profectò historia, quæ ad recentiorem productioremque memoriam Capiti præsenti finem ac coronidem imponat.

CAPVT IV.

Opitulari vitâ functis, est excellentissimus actus clementiæ.

VT fidelium quisque efficaciùs ad spiritus è Purgatorio liberandos excitari atque animari posset, non solùm binis hactenus Capitibus, Deum in misericordiâ maximè excellere, illamque à nobis potissimùm postulare, ostendere voluimus; sed hoc etiam loco, reliqua omnia misericordiæ genera ab illo, quod circa defunctorum ex igne Purgatorio eripiendorum curam occupatur, longissimè superari, declarandum duximus. Enimuerò quid appositè magis dici queat, vt Christianorum viuentium animi ad mortuorum fidelium flammas extinguendas incitentur, quàm si non alibi maiora & illustriora, quàm animabus Purgatorij subleuandis, fraternæ se charitatis clementiæque signa edere posse persuadeantur? Animat profectò quemcumque cordatum, vt nulli labori parcat, quo tam sublimem misericordiæ actum infatigabiliter exerceat; cùm generosæ menti satis non sit, communi perfectionis viâ incedere, sed altissimæ virtutum semitæ, quibuscumque tandem mediis ac laboribus id fieri posit, insistere soleat: quod tantò quis perfectiùs in animarum adiumento consequitur, quantò in illo & diuinæ magis (compatiendo proximis) satisfacit voluntati, & per maiorem misericordiam Deo ampliùs assimilatur. Propositum itaque nostrum aggrediamur, & hoc axioma statuamus: Opitulari vitâ functis, est excellentissimus actus clementiæ. Cui adstruendo ipsa inprimis misericordiæ definitio argumentum subministrabit. 1.

In Purgatorij animarum liberatione maximè fraterna charitas elucet.

Misericordia defunctis exhibita est excellentissima.

Est hæc, secundùm Doctores, beneficium, quo indigenti ex commiserationis affectu subuenimus. Ex mente verò S. Augustini est *animi condolentis affectus cum additamento beneficij, vt compatiamur proximo, & largiamur de proprio.* aut, vt idem sanctus Doctor ait alibi, *est alienæ miseriæ quædam in nostro corde compassio, quâ vtique, si possimus, subuenire compellimur.* De quâ etiam ait D. Gregorius Nyssenus: *At misericordia, vt eam quis definitione comprehensam interpretari & explicare posit, voluntaria tristitia est, quæ conflatur ob incommoda aliena. Quòd si non plenè, quid per eam intelligatur, expressimus, forsitan aliâ ratione magis dilucidè ac planiùs explicari posit: Misericordia est erga eos, qui ob res aliquas tristes ac molestas sese discruciant, cũ dilectione coniuncta affectio.* Porrò S. Isidorus, *Misericordia*, inquit, *à compatiendo alienæ miseriæ vocabulum sortita est.* Et D. Gregorius Papa: *Misericordia à misero corde vocata est, eò quòd vnusquisque intuetur quempiam mise-* 2.

Misericordia quid sit.

De Officiis.

Lib. 9. de Ciuit. Dei.

Lib. de Beatitud.

Lib. 5. de Summo bono cap. 64.

In Moral.

miserum, & ei compatiens de dolore animus tangitur: qui cor miserum facit, vt eum à miseriâ liberet cui intendit. Denique Seneca de Clementiâ librum scribens, *Misericordia*, inquit, *est vicina miseriæ, habet enim aliquid, trahitq́; ex eâ Imbecilles oculos esse scias, qui ad aliam lippitudinem & ipsi suffunduntur.*

3. *Misericordia ratione obiecti potest esse maior vel minor.*

E quibus omnibus vnum hoc patet, misericordiam eò posse ac debere esse maiorem vel minorem, quò intensior vel remissior fuerit ipsa miseria circa quam versatur: sed nulla in toto orbe est grauior pœna pœnâ Purgatorij; consequens itaq; est, vt ea potissima dicatur misericordia, quæ animabus defunctorũ impenditur. Hoc vt irrefragabile euadat, duo nobis probanda seu potiùs explicanda erunt. Primum, misericordiam eò esse ampliorem, quò grauior fuerit miseria. Secundum, maximam in Purgatorio miseriam inueniri. Quoad prius, patet id sufficienter ex allatis misericordiæ seu definitionibus seu descriptionibus. Si enim dicatur beneficium, quo indigenti ex commiserationis affectu subuenimus; eò copiosius esse debet beneficium illud, quò maiore quis necessitate premitur; & eò natus est affectus amplius compati, quò grauiorem inuenit miserendi rationem. Quod non solùm locum habet in illâ communi à Doctoribus datâ descriptione, sed in iis etiam definitionibus, quas S. Augustinus, & DD. Gregorius Nyssenus & Isidorus tradiderunt. Quod autem pertinet ad S. Gregorium Papam & Senecam, res multò est euidentior: quia si misericordia à misero corde dicta sit, vtpote quòd hoc sibi quispiam faciat ex alterius conceptâ miseriâ, veluti oculos quoque suos offundunt qui lippos adspiciunt; certè tunc ampliùs cor miserum fieri debet, quando maiores in proximo deprehensæ fuerint afflictiones, prout & grauiorem is incurrere solet lippitudinem, qui viderit illum quem eiusmodi defectus plus inuaserit.

Quò scilicet maior vel minor miseria.

4. *Miseria in Purgatorio maxima.*

In membro itidem altero haud minor est euidentia: quæ enim est vel esse possit pœna tam vehemens, quàm illa quibus Purgatorij animæ discruciantur: Certè ex Cap. XVI. huius Libri I. patebit, leuissima purgandorum tormenta quantaslibet sæculi molestias lõgè superare. Cap. XVII. ostendetur, minùs faciendam totius orbis iacturam, momentaneo visionis beatificæ damno. Cap. XVIII. & XIX. quàm grauis sit ille Purgatorij carcer, quàm luctuosa societas, quot affligẽtes circumstantiæ Cap. XX. ad corporalium sensationum tormenta violenter incorporeos spiritus detorqueri. Quæ, aliaq; nonnulla Capitũ subsequentiũ, indubitatum facient, maximã illam miseriam esse quæ in Purgatorio defunctos affligit, & proinde primariam misericordiæ speciem habendam, quâ purgandis igne animabus succurritur. Quibus nequaquam obest, quòd diuturnior damnatorum sit cruciatus, ac infinities, vt ita dicam, sors miserabilior: quia isti misericordiæ incapaces sunt, neque compassionem aliquam merentur, sed detestandi potiùs sunt & execrandi, vtpote ingratissimæ & impiissimæ creaturæ, quibus caligo & confusio præparata est in æternũ. De viuentibus autem in peccato exsistentibus licet aliqua primâ fronte difficultas appareat, nulla subest, tum quia istis nihil prodest quantumuis magnus charitatis affectus, nisi ipsimet cooperari velint, de quo plura inferiùs; tum etiam vel maximè, quia illud, in quo viuorum miseremur, mortuis est applicabile. vnde certissima viuos iuuandi facultas est, spiritus purgatorum, velut obligatos, ad Deum aduocatos eorumdem destinare, prout videre erit Lib. III. vbi specialior integro Capite huius materiæ instituetur tractatio.

Non obest miserabilior damnatorum conditio.

Neque conditio in peccato mortali existentium.

5. *Ad misericordiam spectandam quæ inuitent.*

2. 2. qu. 30. artic I. in corp.

Angelicus Doctor tria docet esse motiua, quibus quis ad misericordiam flectitur, si videlicet malum eius, cuius miseremur, sit contra illius naturam, spem, vel meritum. Verba D. Thomæ sunt istiusmodi: *Sic ergo motiuum misericordiæ est tamquam ad miseriam pertinens. Primò quidem illud, quod contrariatur appetitui naturali voluntatis, scilicet mala corruptiua & contristantia, quorum contraria homines naturaliter appetunt. Vnde Philosophus dicit in 2. Rhet. quòd misericordia est tristitia quædam super apparenti malo corruptiuo vel contristatiuo. Secundò huiusmodi magis efficiuntur ad misericordiam prouocantia, si sint contra voluntatem electionis. vnde & Philosophus ibidem dicit, quòd illa mala sunt miserabiliora, quorum fortuna est causa; vtputa cùm aliquod malum eueniat vnde sperabatur bonum. Tertiò autem sunt adhuc magis miserabilia, si sint contra totam voluntatem, puta si aliquis semper sectatus est bona, & eueniunt ei mala. & ideò Philosophus dicit eodem libro, quòd misericordia est maximè super malis eius, qui indignus patitur.* Vnde patet, non minùs ex misericordiæ motiuis quàm definitionibus liquere, maximam eam esse clementiam quæ Purgatorij spiritibus exhibetur. Hoc vt manifestius fiat, singula membra probatum ibimus, ab illo exordientes, quòd contra naturam patiantur. Reuerà, si quidpiam tolerari contra naturam dici posit, erit illud quod de animabus Purgatorij asseritur, eas nimirum ab igne corporali cruciari. Adeò enim violenta in ipsis huiusmodi debet esse perpesio, vt omnem non modò naturæ ordinem superet, sed continuo velut miraculo fieri fatendum sit. Quod quia peculiari postmodum Capite deducturi sumus, hic datâ operâ supersedemus.

Spiritus in Purgatorio patiuntur contra naturam suam:

6. *Item præter spem suam:*

Est autem alterum ad misericordiam incitamentum, si quis præter spem ac diutinam expectationem suam contrarium experiatur & patiatur: atque hoc iterùm, si vllibi, in purgandorum causâ deprehenditur, qui vbi animas suas, è corpore velut carcere emissas, ad æternam gloriæ libertatem voluptatemque transituras sperabant, non tantùm expectatâ beatitudinis fruitione tũc sese priuatos deprehendunt, sed terribilissimis addici tormentis sentiunt atque tristantur. Quæ profectò miserabilis omnino ac planè deploranda est conditio, cùm luctuosius vix esse quid possit, quàm tantopere exoptatam requiem in laborem doloremque conuerti, quàm ergastulo corporis liberum cauernâ infernali includi; quàm, dum temporalibus molestiis, afflictionibus atque doloribus exemptum se quis confidit, maioribus implicatur, & tantò quidem maioribus, quantò eos nec viui sustinere, nec tantos tamque graues fore, animo concipere sibive imaginari possunt. Quod magnum ad compassionem est motiuum, priori haud inferius. Sed ad tertium veniamus.

7. *Tertiò etiam quodammodò præter meritum.*

Est id pati contra meritum, quod D. Thomas non solùm maximum è tribus esse affirmat, iuxta sententiam Aristotelis, sed quasi hoc vnicum computandum foret, allato superiùs Articulo sequentem apposuit conclusionem, *Malum, præcipuè*

quod quis iniustè patitur, motiuum est ad misericordiam. Hoc antè quàm Purgatorij spiritibus applicemus, explicabimus. Si enim malum aliquod, quantumuis grauissimum, consideretur vt à Deo infligitur, à nemine id indignè sustinetur, cùm plura multò, quàm pati possimus, nostra peccata commeruerint: at si nostro agendi vel concipiendi modo res iudicanda sit, nemo iniustiùs (si ita loqui liceat) punitur atque anima Purgatorij. Cùm namque inde plerumque æstimetur pœnæ indignitas, quòd homines quidpiam tolerare cogantur citra culpæ suæ exigentiam, siue quòd non sit inter delictum & pœnam proportio, dum nimirum peccato leuissimo grauissima punitio infligitur, videri nobis possit, qui non ex æquo satis res diuinas iudicamus, sed proprio nimis ingenio subinde innitimur, in Purgatorij flammis (si quis vmquam indignè) mortuos diuexari. Quod & fieri præter ipsorum meritum, idcircò à nobis concipi solet: quia cùm in gratiâ Dei è vitâ discesserint, gloriam potiùs æternam eos quantocyùs consequi oportebat, deque reportatâ ex diabolo, mundo & carne victoriâ triumphare. Et licet subinde non tantam fortassis, quantam potuissent, diligentiam adhibuerint, aut negligentiam etiam aliquam admiserint, plurimis id difficultatibus atque laboribus exantlatis compensarunt.

Reuerà nemo iniustè à Deo patitur, licet id nos aliter concipiamus.

8. Quæ res ex aliâ quoque consideratione patebit, si nimirum proportionem inter animarum culpam ac pœnam inspicere voluerimus: nam pro eo quòd leuissimos tantùm defectus admiserint, pœnitentias terribilissimas exoluere coguntur, prout conditiones earum expendenti statim fiet obuium. D. Paulus purgandorum delicta vocat *lignum, fœnum, stipulas,* quasi facilè igni absumi possent. Christus *quadrantem nouissimum* appellat, iisque adnumerat *verbum otiosum.* Alij *minutum,* alij *atomum* aut *arenam* faciunt veniale peccatum; & tamen seuerè adeò in illud animaduertitur, vt imposita illi in Purgatorio pœna omnem humanam experientiam & imaginationem superet: & ea non modico non solùm tempore duret, sed annis sæpiùs multis, idque adeò intensè, vt dies annus computari debeat, & annus dies, id est, vt infrà ex S. Augustino explicabitur, quòd pœnitentia, quæ in hoc sæculo vnius diei foret, in Purgatorio fiat vnius anni, & propter doloris immensitatem ibidem dies vna annus integer censeri possit. Quæ quoniam suis posteà distinctis Capitibus declarabuntur, hic annotasse iuuabit, tria misericordiæ motiua, si in alia re quapiam, in animarum certè Purgatorij causâ vel maximè locum habere; ideoque ex motiuis æquè ac definitionibus misericordiæ clarum fieri, opitulari vitâ functis, excellentissimum esse actum clementiæ.

1. Cor. 3.
Matth. 5.
Matth. 12.
Cap. XXVII.

9. S. Thomas hanc scripsit conclusionem: *Multò sanctiori, magis indigentiam patienti, & magis vtili ad commune bonum, magis est eleemosyna danda, quam personæ propinquiori, maximè si non sit multùm coniuncta.* Vnde rursum patet, maximam etiam ex parte ordinis, eleemosynam esse quæ fit defunctis: nam illa datur & sanctiori, & maiorem patienti necessitatem, & magis ad commune bonum vtili: imò & simul propinquiori. Sanctiori datur, quia purgandorum animæ in gratiâ confirmatæ sunt, & de æuiternâ sanctitate certissimæ. Magis necessitatem patienti datur, eò quòd non sit vel imaginabilis aliqua afflictio, egestas aut pœna (cui nimirum remedium afferri posit) quæ in Purgatorij tormentis, vt paulò pòst docebimus, non reperiatur. Magis in commune bonum vtili, quia cùm defunctus haud dubiè in benefactores suos gratissimus futurus sit, dum liberatus atque ad visionis & fruitionis æternæ participationem admissus fuerit, nullo vmquam tempore pro liberatorum suorum salute, atque Ecclesiæ totius profectu, orationes ad Deum effundere, diuinam vindictam auertere, ac bona tum æterna tum etiam temporalia procurare cessabit, prout Lib. III. satis videbitur. Accedit, quòd propinquiori simul in mortuo possit conferri misericordia, si videlicet offeratur pro illo qui nobis carne aut aliâ cognatione magis est coniunctus.

Cui magis eleemosyna impertienda. 2. 2. quæst. 32 art. 9. in corp.

Quàm grata ex Purgatorio liberata anima.

10. Neque desunt aliæ rationes, quibus adstruere possimus, omnes vniuersim clementiæ species à charitate mortuis præstitâ superari. D. Augustinus, *Multò,* inquit, *misericordius operatur qui circa animas infirmorum, qui bonæ famæ seruorum Dei consulit, quàm erga corporum ægrotantium, qui panem esurientibus tribuit.* Est itaque amplior eleemosyna quæ in animarum, quàm quæ in corporum vtilitatem exercetur; & maius est spirituali quàm temporali seruorum Dei bono consulere, quod hoc in loco fieri certum est. S. Ambrosius: *Misericordia largior, vbi fides promptior. Nihil tam commendat Christianum, quàm misericordia charitatis.* Quamuis ergo eleemosynæ, actusque alij charitatis viuis exhibiti, in fide etiam fundamentum habeant, non tamen ita nudè soli fidei innituntur, velut actus aut illa opera quæ pro defunctis suscipiuntur: quia nec vlla in his, sicut in viuentibus esse potest, temporalis remunerationis spes est, nec ipsum quidem Purgatorium vllo corporali indicio cognosci potest, sed simpliciter credi, ac solâ Fidei auctoritate indubitatum haberi debet. Ceterùm mirum non est, à nobis asseri, misericordiam in mortuorum præcipuè curâ elucere, cùm Libro III. variis Capitibus simus declaraturi, quidquid in quolibet misericordiæ genere specialiter agitur, in animarum liberatione simul comprehendi.

Misericordia omnes alias charitatis species superat.
De Opere Monachorũ.
De Officiis.
Reliqui misericordiarum actus nõ ita, vt præsens, nudè fidei innituntur.

11. A ratione ad auctoritates transitum facimus. Sunt autem eæ ad hanc rem tam modernorum quàm antiquorum Patrum luculentissimæ. E recentioribus adducemus duos, è veteribus autem postmodum plures. In primis N. Venerabilis Pater, F. DOMINICVS à IESV MARIA, Carmelitarum Excalceatorum in Congregatione S. Eliæ dignissimus Generalis, sanctitate quoad vixit, ac signis ante & post mortem insignis, in spirituali suo Conserto, quod ad viuorum mortuorumq; solatium, atque ingens Ecclesiæ bonũ, Gregorio XV. approbante, instituit, disertè affirmat, maximum esse misericordiæ opus, atque actum charitatis excellentissimum, satisfactiones proprias aliaque opera mortuis applicare. Quæ quàm Apostolicæ Sedi placuerint, vt eius posteà fuerint auctoritate firmata, ex eiusdem Gregorij XV. Bulla Libro II. Cap. vltimo adducendâ palàm fiet. R. P. Martinus de Roâ, è Societate IESV Theologus, in Libello suo quem *Animarum statum* inscripsit, cap. 10. ex S. Augustino probat, sanctissimum esse exercitium, atque inter principaliora,

Probatur id auctoritatibus Recentiorum, vt R. P. Dominici à IESV.
R. P. Martini de Roâ, qui S. Augustinum testem adducit.

paliora, vt ipse loquitur, misericordiæ opera computandum, animabus Purgatorij Sacrificiis, eleemosynis ac orationibus subuenire. Et sanè præter locum illum, quem ex 50. Homiliis produxit modò dictus Pater de Roâ, adferri potest quod idem D. Augustinus in aliis Homiliis inclamat: *Magna est eleemosyna* (hoc est, præ ceteris magna) *quæ ardentium criminum globos beneuolentiæ suæ fonte refrigerat, & irriguo largitatis obruit incendia delictorum.* Plura ex eodem S. Augustino locis aliis producenda erunt; modò, quomodo illi quoad hoc etiam reliqui SS. Patres suffragentur, inspiciamus.

12. *Antiquorum, vt S. Ioannis Chrysostomi.* Homilia 21. in Acta.

Diuus in primis Chrysostomus satis ostendit, quòd etiamsi ceteræ eleemosynæ multum prosint, ex illis tamen duplex fructus proueniat quæ in mortuorum subsidium erogantur. ait enim: *Non frustrà oblationes pro defunctis fiunt, non frustrà preces, non frustrà eleemosynæ: hæc enim Spiritus sanctus disposuit, volens vt nos mutuò iuuemus. Vide enim, vtilitatem* (duplicem, vti diximus) *accipiet ille* (defunctus nimirum) *per te, & tu per illum. Contemptis opibus inductus es ad faciendum aliquid generosum, & tu illi salutis, & ipse tibi eleemosynæ factus est auctor. Ne dubita, quin erit aliquis fructus suauis. Non temerè Diaconus clamat: Pro his qui defuncti sunt in Christo, & pro his qui memoriam illorum faciunt. Non est Diaconus qui talem vocem emittit, sed Spiritus; non seruus, sed Dominus. Quid dicis? In manibus tuis est Hostia, & omnia proposita sunt benè ordinata? Adsunt Angeli, adsunt Archangeli, adest Filius Dei: cum tanto honore adstant omnes, & putas hæc temerè fieri?* Quibus D. Chrysostomus confirmat, primùm, idcircò eleëmosynam pro mortuis erogatam reliquis misericordiæ generibus esse præstantiorem, quòd is qui eam facit, inductus à Deo sit ad faciendum aliquid generosum, & quòd fructum inde consecuturus sit præ aliis pietatis exercitiis suauem, ac duplicem. Secundò insinuat, misericordiam defunctis præstitam, in suo genere esse præstantissimam, quandoquidem de illâ specialis fieret memoria sub tremendo Missæ Sacrificio, in quo, silentibus ipso Deo ac Angelis, clamare Diaconus solitus erat, *Pro his qui defuncti sunt in Christo, & pro his qui memoriam illorum faciunt.* Quid clarius? cùm certum sit, non sine speciali ratione & mysterio ordinatum hoc esse de clementiâ animabus impensâ, nullâ factâ mentione de aliis quantiscumque charitatis officiis.

Quantus fructus sit eleemosynæ pro mortuis erogatæ.

13. *S. Gregorij Nysseni,*

S. Gregorius Nyssenus de mortuorum scribens memoriâ, *Nihil inconsultò*, inquit, *atque incassum à Christi præconibus & discipulis proditum est, & in omnibus Dei Ecclesiis obtinuit; verùm illud vtile ac Deo gratum*, id est vtilius ac Deo gratius, aut potiùs, iuxta phrasim Græcam, vtilissimũ ac gratissimum, *vt fiat memoria defunctorum sub tremendo Sacrificio.* D. Athanasius vbi admonuisset diligentem pro iis pietatem exerceri debere, subiungit: *Grata enim hæc Deo sunt, ingensq́; ab eo præmium referunt.* q.d. Inter alia bona excellunt, ac ingens illorum respectu præmium obtinent. Demum S. Dionysius Areopagita, *Vota*, inquit, *quæ Sacerdos facit pro mortuis, promissa est à sanctis Eloquiis Deo esse gratissima, & quæ se largiturum ipse promisit.* O dignum tanto Doctore testimonium! quo probatur, à sanctis Eloquiis, id est Scripturæ sacræ arcanis, promissum esse, vota, quæ pro mortuis fiunt, Deo non tantùm grata, vel gratiora, sed gratissima acque acceptissima computari. At quinque hos sanctos Doctores hoc loco recensuisse sufficiat, quoniam reliqui variis occasionibus citandi occurrent, ac vnanimi veluti suffragio Capitis huius veritatem stabilient, Opitulari vitâ functis, esse excellentissimum actum clementiæ: quod ne aliquo omnino probationis modo destituatur, en vnam etiam atque alteram fide dignam apparitiones quibusdam Sanctis factas.

S. Athanasij, In Orat. pro mortuis.

& S. Dionysij Areopagitæ. Lib. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 7.

14. *Probatur denique ex apparitionibus factis. B. Maria van Lille,* Gilleman. in Hagiologio de Sanctis Belgij.

Ioannes Gillemannus, Belgij nostri non vltimus Historiographus, in Vitâ venerabilis Christi virginis ac Begginæ Herentalensis, Mariæ van Lille, cap. 14. refert, eidem virgini Begginagij sui Pastorem Guilielmum post obitum suum in gloriâ apparuisse, illique affirmasse, præcipuam quam homo exercere potest misericordiam, illam esse quæ mortuis subuenit, ideoque si ipsa diuinæ Maiestati cuperet esse gratissima, totam se impenderet animabus è Purgatorio liberandis. Similia ex libris diuinarum Insinuationum S. Gertrudis Saxonicæ adferre liceret, sed hæc commodiùs alibi. De mirabili B. Lidvvinâ Schiedamensi virgine narrat Ven. Thomas à Kempis, sæpiùs eam raptam fuisse ad cælestia, Sanctosque veluti mensæ assedisse sibi visos, & ante eos eleemosynas, quæ in viuos inopes ab hominibus tunc conferebantur, instar ferculorum fuisse appositas; vnde contingebat, vt Sancti eleemosynis quodammodò saturari ac miro gaudio repleri viderentur. Addunt antiqua Hollandiæ Chronica, ac quamplurimarum Bibliothecarum manuscripta, quòd dum mensæ isti Sanctorum inferrentur eleemosynæ quæ pro animarum liberatione erant donatæ, Sanctos tunc veluti præ consolatione ebrios effectos esse, ita vt propterea è mensâ surrexerint, choreas duxerint, Deum altissimis vocibus collaudauerint, atque illis, qui tantum charitatis opus præstitissent, remunerationem dignam expopocerint. Hæc ibi atque alibi prout Lib. III. pluribus sumus dicturi, & qualiter intelligenda sint, explicaturi.

& B. Lidvvina Schiedamensi. In Vitâ B. Lidvvinæ lib. 1. cap. 13.

15. *Disquiritur num ea charitas quæ in peccatore conuertendo collocatur, sit maior eâ charitate quam defunctis animabus impendimus.*

At modò inquirimus, an misericordia quæ peccatoribus conuertendis impenditur, maior sit illâ quæ in Purgatorij animas exercetur. Priùs quàm huic quæstioni respondeam, rem explico, & distinguo inter misericordiam, & ipsum conuersionis seu liberationis actum. Certum itaque inprimis est, infinitis quodammodò parasangis excellentiorem vtilioremque esse vel vnius peccatoris ad salutem vitæque emendationem conuersionem, quàm multarum fidelium animarum è suppliciis purgatoriis liberationem: at cùm de ipsâ misericordiâ agitur, alia est ratio. Quæ enim defunctorum animabus exhibetur, illam, quæ impiis viuentibus, variis capitibus excedere reperiemus, siue ipsos peccatores, siue animas, siue deniq; eum qui misericordiam præstat, intueamur. Peccatores quod attinet, iis propriè misericordiam communicare hoc est efficaciter applicare non possumus, cuius, vtpote membra demortua, capaces minimè sunt, quamdiu in peccati statu hærent, sed potiùs, si eorum commiserati fuerimus, & verum miseriarum illis remedium exoptemus, ad Deum pro illorum conuersione recurrendum est, vt ipse iis clementiam suam exhibere dignetur, atque ipsorum præcordia ad pœnitentiam excitare. Sicut ergo dicitur, quòd volenti non fiat iniuria, ita &, quòd nolenti

Peccatoribus propriè non exhibetur misericordia.

ro-

propriè non fiat misericordia, hoc in sensu dici potest: ad faciendam namque perfectè alicui misericordiam, necessarium est, vt in potestate nostrâ positus sit illius effectus. Quod manifestè atque luculenter admodum docuit S. Ioannes Chrysostomus, vbi ait: *Tria sunt quæ in misericordiæ opere optanda sunt Christiano: vt possit facere, vt velit, vt compleat. Vt possit, id est, vt substantia faciendi non desit. Vt velit, hoc est, vt voluntas adsit quâ faciat, quia substantia non deest quâ faciet. Tertium est vt compleat, id est vt quæ potest & vult sine dilatione perficiat; his enim tribus tantum tamq; præclarum opus impletur. Sunt namque qui possunt facere, sed nolunt: sunt qui volunt, & non possunt: & sunt qui volunt & possunt, sed procrastinando nihil efficiunt.* Quæ tria cùm in ordine ad iniquorum conuersionem in nobis non reperiantur, ritè sequitur, in præsenti casu non fieri à nobis propriè misericordiam, neque in hominis manu aut potestate sitam esse peccatoris cuiuspiam conuersionem. Docet id sacrosanctum & œcumenicum Concilium Tridentinum, dum asserit, Deum priùs corda peccatorum tangere debere, antequam ad eius gratiam redire possint. Imò canonem hunc statuit: *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit.* Addamus & verba capitis 5. vbi modum explicat quo fit ipsa peccatorum conuersio: inde vt probemus, non tantùm in potestate nostrâ non esse misericordiam illam præstare peccatoribus, sed & si esset, minùs illos hanc mereri quàm Purgatorij spiritus, vtpote qui diuinam clementiam, à quâ ad veniam expectantur inuitanturque, nolint recipere, sed in criminibus suis obstinati, Dei bonitatem veluti impugnant. Concilium itaque hoc modo loquitur: *Declarat præterea, ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præuenientegratiâ sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se, ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando, disponantur; ita vt, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere potest; neque tamen sine gratiâ Dei mouere se ad iustitiam coràm illo liberâ suâ voluntate possit. Vnde in Sacris litteris cùm dicitur, Conuertimini ad me, & ego conuertor ad vos, libertatis nostræ admonemur: cùm respondemus, Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratiâ præueniri confitemur.* Ita Concilium.

Homil. de Misericord. & de duab. mulierib. viduis.
Ad misericordiæ effectũ tria requiruntur.
Peccatoris conuersio non est in nostrâ potestate.
Sess. 6.
Peccatores minùs misericordiâ digni purgandis.

16. Potiorem itaque dicimus esse clementiam quæ defunctis communicatur, quàm eam quæ exhiberetur, si capaces forent, versantibus in culpâ mortali, vtpote quòd se ipsi iuuare nequeant, alij vt præsupponimus, nolint. Exemplo totam hanc rem illustrare iuuat. In Vitis Patrum Prædicatorum hæc in verba legimus: Frater Bertrandus, vir sanctus & socius B. Dominici, & primus Prior Fratrum Prouinciæ, ferè qualibet die Missam pro peccatis dicebat. Cùm ergo in Conuentu Montis-Pessulani F. Benedictus, vir bonus & prudens, hoc aduertisset, quæsiuit ab eo, cur tarò pro defunctis, & pro peccatis frequenter oraret. Qui respondit: Quia defuncti, pro quibus orat Ecclesia, in tuto sunt; & certum est quòd ad salutem peruenient: nos autem peccatores in multiplici periculo & pendulo conuersamur. Cui Frater ait: Dicatis mihi, Prior charissime, si hìc essent duo mendici æqualiter pauperes, sed alter omnia membra corporis salua haberet, alter verò careret omnibus, cui priùs subuenires? Respondit: Illi qui minùs iuuare se posset. Tunc F. Benedictus ait: Sic sunt defuncti, qui nec os habent ad confitendum, nec oculos ad flendum, nec manus ad operandum, sed nostra solùm expetunt adiutoria, & expectant: peccatores autem præter nostra suffragia prædictis omnibus iuuare se possunt. Cùm autem nec sic ei acquiesceret, Priori sequenti nocte quidam terribilis defunctus apparurit, cum tumulo ligneo eum grauiter comprimens, qui plus quàm decies eum in illâ nocte excitauit, & terruit, & vexauit. Vnde in aurorâ dictum F. Benedictum vocans, & ad altare cum lacrymis accedens, deuotè ex tunc pro mortuis sæpiùs celebrauit.

Maior est charitas impensa defunctis quàm peccatoribus:
Parte 5. c. 7.

Adstipulantur hisce quæ superiùs de motiuis seu rationibus ad commiserandum excitantibus produximus. Nam si causam defunctorum cum peccatoribus, hisce quidem in terminis quibus ibidem conferre velimus, ea multò maiorem in istis quàm in his locum habere videbimus. Inter tria itaque motiua, quæ ex Doctore Angelico attulimus, duo potissima fuerunt, quòd quis contra spem suam & expectationem, imò & nonnumquam præter meritum suum sustinere quid cogatur, quorum vtrumq; in suppliciis defunctorum potiùs quàm in sceleratorũ miseriis inuenitur. Primum quidem, cùm suâ voluntate peccator in peccatum tum lapsus sit tum hæreat, anima verò Purgatorij præterquam quòd ex obliuione, vel surreptione, aut etiam fragilitate plerumque in culpam inciderit, inuita planè in pœnis detinetur. Secundum, quia animæ (si humanum loquendi aut concipiendi & iudicandi modum sequi velimus; respectu namque Dei nemo est quin atrociora fuerit promeritus) contra meritum videri possunt tolerare supplicia adeò tremenda, quæ cuiuslibet mortalis hominis captum longissimè superant: impiis verò, in omnem malitiam sponte prolapsis, atque obstinatè in sordibus suis hærentibus, nil præter meritum infligi potest, damnatio vtique æterna iis debetur. *Ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* 17.

Animæ enim inuitæ in pœnis detinentur, peccator in peccato hæret obstinatè.
Psalm. 10.

18. Quin vel eo nomine benignitas in defunctos exhibita maior dici meretur, quia animæ Purgatorij actualiter miseriarum suarum pœnas luunt, secùs verò viuentes iniqui, quibus interim dum viuunt nullum actuale infligitur tormentum. Quamuis enim in culpâ sint, & à gratiâ Dei alieni, non tamen inde torquentur; aut si torquentur, illud ipsum paruipendunt, & ab illis pendet quò minùs liberentur. Idem porrò demonstrare possemus è variis misericordiæ definitionibus, verùm quia ex suprà allatis facilè elicitur, Lectorem eò remittimus.

Defuncti in Purgatorio actu pœnas & tormenta sentiunt, peccator minùs, nisi valdè remotè.
Num. 2. & 3.

19. Animas vero ipsas quod attinet, si eæ primùm à nobis iuuentur, & à pœnis suis, quas intolerabiles perpetiuntur, exsoluantur, illarum iam liberatarum precibus & intercessione citiùs & securiùs à culpis & damnatione eximi poterunt peccatores, adeò vt promptior illis euadat misericordia si præstetur priùs defunctis, tum quia fidelium

Animæ à nobis pro peccatoribus adiutæ gratitudinis ergò peccatoribus conuertendis apud Deum sunt intercessores.

fidelium spiritus, ex Purgatorij tormentis ad visionem Deificam admissi, Deo longè sunt gratissimi, & suis liberatoribus fauere non cessant, tum vel maximè, quia certissima viuis peccatoribus subueniendi via est, si mortuorum animæ ad illorum patrocinium destinentur, quod nos ostensuros infrà Lib. III. iam antè polliciti fuimus, vbi totam hanc materiam satis diffusè cum omnibus suis circumstantiis tractabimus.

20. Sin denique eum respiciamus qui misericordiam operatur, aduertendum est, omnem eum, qui mereri quidquam apud Deum potest, in opere suo bono quod exercet, præter essentiale meritum, vt apud Catholicos indubitatum est, mereri quoque impetrationem pro aliis Ecclesiæ membris, seu viuis, seu in Christo defunctis: item, in quantum eidem operi annexus est aliquis labor, molestia, aut pœna, satisfactionem includere tum suis tum aliorum peccatis, hoc est debitis peccatorum pœnis, applicabilem; sic vt etiamsi meritum, quod cuique operi bono respondet, nemo à se alienare possit, impetrationem tamen & satisfactionem proximis applicare valeat. His præsuppositis, statim elucescit, quantò potior cum defunctis, quàm viuis peccatoribus, & fieri nata sit, & fiat, à sedulò impendentibus misericordia. Quoad impetrationem res difficultate caret: nam illa vel augetur vel minor est iuxta cuiusque rectè agentis intentionem (prout patebit ex dicendis infrà Lib. II. Cap. VIII.) ita vt quò illa fuerit perfectior, & ad plures sese diuini cultûs & honoris effectus profectusque extenderit, eò etiam copiosior sit impetratio. Iam tanta est bonitatis diuinæ in homines suos & propensio & magnitudo, vt non tantummodò promptus & paratus sit Deus vnum quid, quod ab illo petitur, concedere, sed si vno eodemque opere plures bonas atque ad Dei gloriam aut proximorum salutem vel vtilitatem spectantes quis intentiones habeat, illa multa æquè promptè atque vnum solum tribuere satagat. Audiatur S. Hieronymus. *Quoties*, inquit ille, *pro centum animabus psallimus, vel Missa canitur, tantum prodest cuilibet, quantum si pro quolibet caneretur.* Adeò vt, si quis obtinere à Deo cupiat cuiuspiam obstinati peccatoris conuersionem, non impediat quò minùs simul & expetat & impetret animæ vnius vel plurimum è Purgatorio liberationem. Imò quandoquidem tantò quis opus gratius faciat, quò id pluribus bonis intentionibus instruit; & quò opus gratius facit, tantò efficaciùs impetret: inde sequitur, augeri ex eo pro peccatoribus quoq; vim impetrationis, si simul idem qui pro ipsis actus offertur, offeratur pro mortuis: nam quidquid pro viuis fit, etiam ipsamet conuersio peccatoris, ita applicari potest & prodest defunctis, quasi pro illis expresse factũ fuisset. Adde quòd effectus impetrationis pro mortuis sit infallibilis, quod non habet locum in peccatoribus, quia sæpe non conuertuntur; animabus econtrà si non his pro quibus quid agis, saltem aliis effectum præstat. Quoad satisfactionem verò euidens est eam non applicandam esse peccatoribus sed potiùs defunctis: isti enim incapaces sunt vt de satisfactione etiam propriâ quidquam sentiant emolumenti, quantò minùs de alienâ? hi verò soli sunt qui alienâ satisfactione & indigent, & eâ potissimùm iuuari possunt & solent. Patet itaque, etiam respectu conuersionis peccatorum, vita functis opitulari esse excellentissimum clementiæ actum.

In omni opere bono duo sunt, præter meritum intrinsecum, Impetratio, & Satisfactio;

In Epistolis.

Conuersio peccatorum facilius impetratur si simul offeratur pro mortuis.

CAPVT V.

Gentium omnium in Purgatorij veritatem consensus, Nouatores nostros hæreseos, atque adeò iustæ propter obstinationem suam vindictæ reos ostendit.

QVæ tribus Capitibus præcedentibus complexi sumus, veluti bases & fundamenta toti materiæ tractandæ substrauimus: superest vt quæ proferre volumus, his ipsis superstruamus. Inter quæ sese primùm offert Purgatorij ipsius probatio, pro quâ exactè ac perspicuè conficiendâ, proxima decem Capita impendemus: & hoc præsenti quidem à naturali ac communi hominum iudicio sumemus exordium; rationes deinde aliquot naturales subiungemus, quibus Nationes omnes permotæ sunt vt Purgatorium vnanimi consensu adstruerent: his subnectemus testimonia Scriptorum qui sex vltimis sæculis vixerunt; tum sequetur consensus Patrum qui sex item sæculis anterioribus præcesserunt; continua denique vsque ad Apostolorum tempora traditio. Purgatorij insuper causam stabiliemus è Scripturis ipsis, primùm Legis naturæ, tum Legis Moysaicæ & ætatum subsequentium, ex Prophetis quoque, & Apostolis, imò ipsomet sacrosancto Christi Iesu Saluatoris nostri Euangelio. Nec, dum de Purgatorio agimus, in eo solùm aduersarios nostros errare probabimus, sed sumptâ hinc simul occasione, ad oculum demonstrabimus, si vnicam hanc clauam, quâ Purgatorium negando oppugnant, hæreticis eripuerimus, omnes eorum, qui postmodum infiniti propemodum sunt subsecuti errores, facilè posse refutari. Quod vt solidiùs à nobis fiat, non tam propriis, quàm aliorum doctissimorum ac prudentissimorum virorum assertis vtemur: & quidem è quamplurimis duos aut tres potissimùm seligemus, qui vt recentissimè, ita & succinctissimè, verissimè tamen & solidissimè, hæreticorum præsentium astum deluserunt. I.

Purgatorij negatio, hæreticis nostris reliquarum suarum hæresum fons & origo.

Ioannes Barclaius, qui compendiosâ duorum librorum ad Sectarios Parænesi omnia illorum, si quis vmquam paucis & manifestis, argumenta insectatus est, antequam Scriptum suum aggrederetur, præmittere voluit, ea quę scripturus erat, non alio fine, quàm seductorum salutis procurandæ causâ, à se in publicum dari. Ostendit itaque primùm, quàm difficile sit, hæreticos euincere, & tamen quàm id ad saluationem pernecessarium. Quoties, inquit, dolore diductus sum, cùm viderem magnas indoles, & debita meliori disciplinæ ingenia, in hanc ruinam ferri! vt ad eorum cæcitatem, vt ad securitatem attremui! Quibus ergo vel meo sanguine medicinam fieri optem, hos quid cesso saltem gemitu, & officiosæ sedulitatis iurgio, ad salutem inuitare? Sed monendi medendique ratio ideò iam magis in arduo, quòd ipsâ consuetudine morbum amant; & remedia, vel quia suis auersa ingeniis, oderes; 2.

Lib. I. cap. I.

Hæreticos argumentis peruincere, admodum est difficile:

vel

Omnia enim solet eludere.

vel quia iam toties sibi frustrà applicita, contemnere. Nam si ad Scholasticas disputationes respexeris, hæ adeò illorum auribus increbuerunt, adeò in familiare commercium litigando venerunt, vt ex suæ contumaciæ vitio illarum virtutem metiti, tamquam quotidianas despiciant, vel pertinaciæ quoque, & resistendi dulcedini, inde peiùs assuescant. Si verò auctoritate priscæ Ecclesiæ, & priscorum Conciliorum, Patrúmve consensu verberes contumaciam errorum qui illos deceperunt; primò verba elicies plena honoris in Patres atq; illam Ecclesiam: mox vbi pressius egeris, ita se tuebuntur, vt eamdem priscam Ecclesiam, quã venerari videbantur, & eadem prisca Concilia, & Patres eosdem, quorum sanctionibus & exemplis se credere ac viuere fingebant, damnare non dubitent. Et infrà: Tantùm hîc moneo, minùs efficacia esse in illos ab Ecclesiâ, Conciliis, Patribus, tela; quòd fraudulentâ eiusmodi rixâ, à tantorum Iudicum iusto consessu prouocant ad Scripturas. Neque deinde vtilior in illos machina à Scripturis, quam, nullius interpretationi addicti, ipsi exponunt ad suæ disciplinæ libidinem. Igitur mihi visum his armis, quibus toties icti tamen vulnus dissimulant, argumenta admiscere, quibus percipiendis non tam scientiâ opus, aut assueto ad subtilitatem contentionis animo, quã puro, & à naturâ rectè formato. Ea enim quia liquida, nec perplexâ disceptatione egentia, capi ab omnibus possunt qui bonâ fide agent. Et pro conclamatis iam habeo ceteras mentes, quibus placet per fas ac nefas erroribus semel à se laudatis incumbere. Hæc Barclaius.

Primùm SS. Patres honorant, posteà reiiciunt.

Si per Scripturas vrgeantur, ad explicationes à se datas confugiunt.

3. Vt itaque sectarum illarum homines euigilare faciamus, quorumcumque argumentorum ictu somnum illorum oculis excutiamus, atque inprimis ad Gentium vniuersarum acclamationem illos excitare conabimur. Mirum est, quomodo mortales omnes, cuiuscumque demum conditionis ac religionis fuerint, vnanimiter semper censuerint ius esse aliquod, in quod ita singulorum opiniones conueniant, vt nefas iudicatum sit & irrationabile, huic velle refragari. Huius autem Iuris inter alia referuntur statuta, Legatos non esse violandos, pacta esse seruanda, Deum denique religione colendum, Superioribus obediendum, pietatem in patriam & parentes esse obseruandam, vim vi repellere licere, pluraque eiusmodi, quæ fieri debere Gentium vniuersarum tradit consensio. Certe Iuris illius apud Christianos multa reperiuntur elogia. S. Augustinus, *Quæ autem*, ait, *contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diuersitate vitanda sunt, vt pactum inter se ciuitatis aut gentis consuetudine vel lege firmatum, nullâ ciuis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est, suo vniuerso non congruens.* Idemque à Gratiano in Ius Canonicum est relatum dist. 8. can. *Quæ contra.* Sed & Ius ciuile idem variis habet locis. In L. *Omnes populi.* ff. De Iust. & iure. quæ est Caij Iurisconsulti, sic legitur: *Quòd verò naturalis ratio inter homines constituit, id apud omnes peræquè custoditur, vocaturq; Ius gentium, quasi quo Iure omnes gentes vtuntur.* Quæ verba repetuntur in §. *Ius autem ciuile.* Instit. De Iure nat. gent. & ciuil. Quid pluribus? si & Gentilium asserta inspiciamus, haud dissona comperiemus. M. Tullius Cicero: *Omnes tacito quodam sensu, sine vllâ arte aut ratione, quæ sunt in artibus aut rationibus recta ac praua, diiudicant.* Et: *Omnis natura artificiosa est, & habet quasi viam quamdam & sectam quam sequatur.* Et: *Omnes naturâ duce vehimur.* Et denique: *Naturam ducem si sequamur, numquam aberrabimus.*

Ius gentium & naturæ est, quod ipsa natura nos edocet, & in quod omnes Gentes naturæ instinctu conspirant.

Lib. 3. Confession. c. 8.

Lib. 3. de Orat.

Lib. 2. de Naturâ deorum.
Lib. 1. de Naturâ deor.
Lib. 1. Officior.

Sed naturæ repugnare, nil est aliud, vt inquit Cato Maior, quàm gigantum more cum diis pugnare; & secundùm Philosophos monstra naturæ dici solent, quæ notabilem aliquem defectum aut deformitatem, toti suæ speciei extraneam, perpetiuntur: haud ergo dissimiliter illa hominũ fex vel secta monstruosa omnino est, quæ Purgatorij claritatem nequaquam videt. Quàm enim verè cæci sunt, & cæcis ducatum præstant, qui contra commune gentium omnium iudicium, vnanimemque quotquot sunt hominum sensum, in tam profundis adhuc palpitant tenebris, vt solos se naturæ lumine sanioreque iudicio pollere sibi persuadeant, reliquos verò omnes insanire, &, quoad Purgatorij doctrinam, à ratione & vero quàm longissimè aberrare dicere ausint? vt haud ineptè illis applicari possit id quod Euangelista Matthæus à Christo Saluatore dictum asserit: *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Sed quia nostri consilij est, omnibus hominibus, quantum quidem ex parte nostrâ fuerit, veritatem aperire, generalem hîc omnium nationum de purgandis animabus consensum producemus, quem ad Purgatorij assertionem inter alia argumenta adduxit Cardinalis Bellarminus, qui sic habet: 4.

Purgatorij veritatem qui nõ videt, monstrum est, & cæco miserior.

Matth. 15.

Purgatorium esse, ex vniuersali gentiũ omnium consensu probatur:

Lib. 1. de Purgat. c. 11.

Tertia ratio sumitur à communi opinione omnium Gentium: id enim confitentur Hebræi, Mahometani, Gentiles, iique tam Philosophi quàm Poëtæ. De Hebræis patet ex lib. 2. Machab. cap. 12. Ea enim saltem fides adhibenda est illi libro, quæ adhiberetur Liuio. Præterea Iosephus filius Gorionis in lib. de Bello Iudaico cap. 19. indicat, Iudæos consueuisse orare pro mortuis, non tamen pro illis qui se interimunt. De Mahometanis patet ex Alcorano, vbi Purgatorium disertè confitentur. De Ethnicis patet ex Platone in Gorgia & Phædone; ex Cicerone in Somnio Scipionis, in fine; ex Virgilio 6. Æneidos: 5

Hebræorum,

Mahometanorum,

Gentilium, tam Philosophorũ, quàm Poëtarum.

Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt.

Ex Claudiano lib. 2. in Ruffinum circa finem:

Quos vbi per varios amnes, per mille figuras
Egit lethæo purgatos flumine

Similia ex aliis gentibus possemus adferre, ex quibus videri posset, quanta hi curâ mortuorum exequias celebrare solerent, vt iis mortuis leuamen exhiberent: sed sufficiant ista, vt confusioni sint hæreticis, quos Tertullianus meritò arguit quòd Ethnicis sint peiores. verba eius sunt: *Hæretici eò peiores sunt Ethnicis, quòd illi credendo non credunt, hi vero non credendo credunt.* Quin & vsu hîc venire potest quod S. Augustinus de Christo scribit. *Quisquis alienigena legitur aliquid prophetasse de Christo, ad cumulum nobis connumerari potest, non quòd necessarius sit, sed quia non incongruè creditur fuisse & in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium reuelatum est, & qui hoc prædicere compulsi sint.* Neque dicat aliquis, hoc potiùs argumentum esse erroris & fabularum, quandoquidem id sentiunt Ethnici & Mahometani: nam illa in quibus omnes ferè nationes conueniunt, vix possunt aliunde prouenire quàm à naturali lumine omnibus hominibus communi. quæ enim excogitata

Lib. de Carne Christi.

Lib. 18. de Ciuit. c. 17.

Lumen naturæ omnes gentes in Purgatorij fidem adducit.

&

& conficta ab hominibus, varia sunt & diuersa pro gentium varietate. Sic Bellarminus, qui vt rem illam solidiùs ostendat, insignes aliquot similitudines his verbis subiungit:

Vt natura docet esse Deum, & pœnas atque præmia post hãc vitam, ita etiam, esse Purgatorium.

6. Sicut ergo Deum esse, in quo omnes conueniunt, dicimus verissimum esse, nec tamen in particulari recipimus deos varios & multiplices, quos sibi quælibet natio fabricauit: & sicut post hanc vitam esse pœnas & præmia, in quo etiam conueniunt omnes, recipimus vt verum, nec tamen recipimus varias fabulas quibus hæc explicant (nam esse pœnas & præmia post hanc vitam, docuit omnes homines cognitio diuinæ prouidentiæ, fabulas autem ex se finxerunt;) ita etiam Purgatorij confessionem, in quo omnes ferè gentes conueniunt, oportet dicere esse confessionem luminis naturalis: eiusdem enim prouidentiæ diuinæ cognitio docuit Purgatorium, quæ docuit infernum & paradisum, saltem generali & confuso quodam modo; quia nimirum videntes pœnas & præmia ita distribui in hac vitâ, vt plura bona habeant mali, & plura mala boni vt plurimum, inde iudicamus diuinam prouidentiam in aliam vitam distulisse iudicium, & veram distributionem præmiorum & pœnarum. Rursum videmus, ex iis qui migrant ex hac vitâ, alios esse valdè bonos, alios valdè malos, alios mediocriter malos & mediocriter bonos; quocircà iudicamus naturali lumine, esse post hanc vitam pœnas æternas pro valdè malis, præmia æterna pro valdè bonis, ac pœnas temporales, & per eas transitum ad præmia, prò iis qui sunt mediocriter mali vel boni. Hanc rationem secutus est Plato, & alij, qui solo lumine naturali præditi Purgatorium esse confessi sunt.

Idemq; asserit ex vnanimis Catholicæ Ecclesiæ doctrina, Lib. 1. de Purg. cap. 10. *Ecclesia scilicet Africana, Hispanica, Gallicana, Germanica, Italica, Græca.*

7. Idem Bellarminus æquè efficaciter probat, per omnes Catholicas Ecclesias vnanimem de Purgatorio inueniri consensum. Verba eius sunt: Secundum argumentum sumitur ex Conciliis & Ecclesiæ consuetudine. Nam in primis, quid Ecclesia Africana senserit, patet ex Concilio III. Carthaginensi cap. 29. *Et Sacramenta altaris*, inquit, *non nisi à ieiunis hominibus celebrentur. si autem aliquorum pomeridiano tempore defunctorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat.* Similia habes ex Concilio Carthaginensi III. cap. 79. Idem sensit Ecclesia Hispanica, vt patet ex Concilio Braccarensi I. cap. 37. vbi iubet non orari pro illis qui seipsos interimunt. & cap. 39. vbi iubet diuidi inter Clericos oblationes factas vt oraretur pro defunctis. Idem Ecclesia Gallicana, vt patet ex Concilio Cabilonensi, & habetur de Consecrat. distinct. 1. can. Visum est. *Visum est*, inquit, *præterea, vt in omnibus Missarum solemnibus pro spiritibus defunctorum loco competenti in Ecclesiâ ad Dominum deprecetur.* Vide etiam Concilium Aurelianense II. cap. 14. Idem sensit Ecclesia Germanica, vt patet ex Concilio Wormatiensi cap. 10. vbi definitur, etiam pro suspensis in patibulo orandum & sacrificandum. Idem Ecclesia Italica, vt patet ex Concilio VI. sub Symmacho, vbi dicitur sacrilegium, fraudare animas defunctorum orationibus, &c. Idem Ecclesia Græca, vt patet ex Græcorum Synodis à Martino Braccacensi Episcopo collectis, can. 69. Imò videntur aliqui Græci etiam nimiùm voluisse iuuare animas defunctorum: nam in Concilio VI. cap. 83. reprehenduntur illi qui iis, qui sine Communione sacrâ obierant, Eucharistiam in os ingerere conabantur.

Et inuita id adstruit hæreticorum confessio:

8. Quæ omnia tametsi plerique temporis nostri hæretici parui faciant, eis tamen à præcipuis eorum Antesignanis vel inuitè subscriptum fuit. A Luthero quidem, apertis verbis Purgatorium asserente: à Caluino verò, quantò impudentiùs negante, tantò fortiùs idipsum confirmante. Audiamus, quæso, insignem, quem suprà, hæreticorum nostrorum antagonistam, qui sic eosdem Nouatores alloquitur: Deridiculo vobis sumus, dum de animarum fidelium suppliciis gemimus, dum pro illis Dei pacem exposcimus: at quàm ipsi ridiculè in hoc supercilium assurgatis noui censores, ex Luthero Caluinoque iam discite. Nam in Disputatione Lipsiacâ hæc verba Lutheri sunt: *Ego qui credo fortiter, imò ausim dicere scio, Purgatorium esse, facilè persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem, quemadmodum illud Matthæi inducit Gregorius in Dialogo, Non remittitur neque in hoc sæculo neque in futuro; volens peccata quædam remitti in Purgatorio. Admitto & illud 2. Machab. 12. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.*

Lutheri, in Disput. Lipsiacâ, qui Purgatoriũ probat ex Scripturis,

Quis deinde Angelus, quæ ecstasis, quæ tuba de cælo hanc fidem illius, imò scientiam ita deleuit, vt signifer suis esset contra illam scientiam atque fidem euntibus? Optimè sanè R. P. Iacobus Gualterus in Tabulâ chronographicâ: Quòd contrarium scribat Lutherus in lib. de Missâ priuatâ, & lib. aduersus Waldenses de Eucharistiâ, mea haud multum refert, nisi vt nouam ex eâ contradictione colligam Ecclesiæ aduersus hostes suos victoriæ palmam. Et meritò: nam quæ fides eiusmodi homini haberi possit, qui sibi ipsi non constans, Purgatorium modò adstruit, atque ex ipsamet Scripturâ sacra probari docet; modò verò & Purgatorium, & Scripturam & seipsum negat. Et hic tamen primus è modernis hæreticis fuit, qui Purgatorium reiecit, & errorum suorum aliorumque hæreticorum & hæresiarcharum fundamentum strauit: ab isto, inquam, tot somniorũ, tot blasphemiarum factum est initium. Triumphet igitur Ecclesia Catholica ex hac Lutheri inconstantiâ & contradictione; non tantùm quòd seipsum redarguerit quòd falsò in Purgatorium insurrexerit, idque reuocauerit à quo fallaciarum falsitatumque reliquarum factum est exordium; sed & quòd in vnicâ eius causâ ceterorum, quotquot posteà à fide Romanâ defecerunt, res agatur, iudicetur, condemnetur.

& id primus è modernis negauit.

9. Sed rursum Barclaium audire lubet. Is de Nouatoribus hunc in modum loquitur: Igitur exploraturi suas sectas, ab ouo incipiant. Mala arbor non facit fructus bonos. Ex quo autem surculo prodierunt? Non ago maledictis, nec factionum odia exerceo, sed veluti sequester rem contemplor. Agebat in otio Ecclesia, & fortasse ob nimiam pacem *necesse erat vt scandalum veniret; verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit*; cùm ecce Lutherus, iustis vt initio videbatur argumentis, in quorumdam auaritiam inuectus est. Sed cùm modum non teneret, statim in illum ira bonorum, indignatio Ecclesiæ, censura Pontificis; statim & ille factionem sollicitat, ac facilè cogit. Neque enim defuere qui ad

Lib. 1 c. 2.

Matth. 18. *Quâ occasione id Lutherus procurauerit.*

ad eum accederent lenocinio nouitatis, & odio Sacerdotum, quorum multos ignauia in eâ regione corruperat; inclinatione quoque mortalium, à seueriore disciplinâ quæ in sanctâ Ecclesiâ est, ad infinitam libertatem tendentium, ad quam iste proclamabat, deletis ieiuniis, exterminato Pœnitentiæ Sacramento abrogatis castitatis & obedientiæ votis, sublato denique peccatorum discrimine, Purgatorij metu, ceterisque per quæ iure à peccando deterremur. Erant & alia quæ ipsi fauorem conciliarent, nempe doctrinæ opinio, quæ in minùs erudito sæculo non illi difficilis; & ...entia, cuius ipse exemplum superbis aut curiosis animis fecit, ex proprij ingenij libidine de Scripturis, deque Ecclesiâ iudicandi. Maior omnibus istis causa, Domini ira, qui destinatis sibi temporibus velut obdormit, *dum inimicus homo zizania bono semini superseminat.* Quidquid sit, isti Sectarij negare non possunt, sibi à Luthero originem primam deberi.

Matth.13.

11\. Vna anteà in his Europæ populis (si aliquid in Bohemiâ excipias) nauis erat, quæ Petri remigio omnes veheret. Desiluit ille è scaphâ, multique eum secuti, qui non erant ad vitam æternam prædordinati. Et vel confessione suorum, sæuâ mox irâ, & Ecclesiasticorum odio ferox, multò longiùs recessit à nobis, quàm sub primæ defectionis initia ab eo agitatum. Neque putes, sectarie, siue Caluinista es, siue eos quoque prægressus, in te nil agi cùm quæritur de Luthero, nil ad te spectare si inconstans, si errans, si hæreticus sit Lutherus, eius vestros omnes macula inficit: si viam ille veritatis deseruit, omnes vos qui cũ ipso, qui per ipsum ab Ecclesiâ defecistis, in falsitatis viâ directi estis: ille dux vester, ille vestri seductor. Frustrà proinde Nouatores dixeritis, non vobis pro tanto Lutherum haberi, vt ab ipso diuertere nefas sit, fidem vestram eo non niti: frustrà hæc, inquam; cùm vniuersi de stirpe illius vos sitis, vt cũ Ioanne Caluino fateri cogimini, qui ait Lutherum pro insigni Christi Apostolo habẽdum esse, cuius maximè operâ ac ministerio restituta eo tempore fuerit Euangelij puritas; eum à Deo excitatum qui sibi facem ad reperiendam salutis viam prætulerit, cuius ministerio fundata sit & instituta sua Ecclesia, ante quem mundo innotescentem, impiis opinionibus vniuersus orbis fascinatus fuerit. Ita Caluinus. En ergo vt hæreticis nostris ille, qui in Purgatorio reiiciendo omnium, quos sibi quidem posteà errores confinxerunt, auctor fuit, infamiam faciat, & hæreticum notam inurat: non habent namque in eo nisi ducem inconstantem, qui non sibiipsi tantùm non præsens esse visus est, vt suprà patuit, sed à quo ipsimet iam abierunt, licet suæ ab Ecclesiâ Romanâ apostasiæ incentorem & antesignanum vel inuiti eum agnoscant.

Lutheri infamia in Caluinianos redundat, velut parentis in filios.

Supplici, Exhort. ad Carolum V. Cùm Caluinus ipsemet eum tanti fecerit.

Egregiam verò laudem, & spolia ampla refertis! Neque in eâ Purgatorij causâ vobis Caluinus patrocinatur; quippe qui adeò leuiter, inconstanter & turpiter de eâ locutus sit, vt & seipsum atque suos iugulasse potiùs quàm propugnasse dicendus sit, prout latiùs in sequentibus patebit.

Caluini auctoritas ad Purgatorij negationem nullius est momenti.

12\. Sed audite, inquit Auctor iste prædictus, Caluinum lib.3. Institutionum cap.5. §.10. *Ante mille trecentos annos, inquit, vsu receptum fuit vt precationes fierent pro defunctis.* & paulò pòst: *Sed omnes, fateor, in errorem abrepti fuerunt.* Quid his verbis insignius ad defensionem Ecclesiæ, Caluinique infamiam? Ante mille & trecentos annos, inquit. At quàm diu ante illos 1300. annos? quando, inquam, mos ille exorsus orandi pro defunctis, à quo incepit? quando incepit? in quâ Ecclesiâ? An nemo purissimo illo quo serpenti errori refragatus est? Certè ante mille & trecentos annos incepit, nimirum à nascentis Ecclesię cunis, & Apostolicâ fide. Quot autem sæcula Ecclesię illuxerant, cùm, confessione Caluini iam receptum vsu erat orare pro mortuis? Omnino vix duo: plures enim sexaginta anni sunt ex quo ille hæc scripsit. Quòd si illa suffragia publico Ecclesiæ vsu recepta tunc erant, num dubites hoc fuisse ex orthodoxâ & Apostolicâ disciplinâ, cùm tunc nihil antiquius pastoribus esset, quàm superflua resecare, superstitionibus bellum indicere. Sin aliquo priuatorum insinuatus mos, iterùm petam, Quinam illi priuati fuerunt? vbi cœpere? quando cœpere? An nemo e[x t]ot Antistitibus, ex tot Martyribus vestro spiritu actus est qui se opponeret, qui rem ad Scripturas exploraret, & censoriâ notâ percelleret? *Sed omnes, fateor, inquit, in errorem abrepti fuerunt.*

Caluini. Lib.3. Instit. cap.5. §.10.

O te superbiâ amentem! Qui illi omnes qui in errorem abrepti? Certè qui ab eâ tempestate vixerunt, nempe qui sub Seuero, Maximino, Decio, Valeriano, Gallieno, Aureliano, Diocletiano & Maximiano sanguinem pro Christo dedère. Vt omittam Ecclesiæ lumina quæ deinde floruerunt. En porrò vt demum excutitis laruam quâ populo soletis imponere, fingitisq; ad Ecclesiæ puritatem, qualis primis quatuor sæculis fuit, vestris studiis prouocari: nam oratio pro defunctis, illis sæculis, teste Caluino, vsu recepta fuit. Non, inquam, vno aut altero patrono asserta, sed vsu recepta. Cur vos igitur eam ausi respuere, si ex illorum sæculorum lege iam viuitis? Refertis, vos in sæculis demum ea probare, quæ cum Scripturis conueniunt. Quem verò post hanc vocem ludificationis vestræ non pigeat? non enim & non aliis idem sæculis apud vos honor erit? Num, inquam, quidquid posteriores ætates vsurparunt quod Scripturis consentiat, probare non vultis? Imò quod Iudæi, quod Turcæ ex normâ Scripturarum aut colunt aut faciunt, an vos colere & facere profiteri piguerit? Quæ ergo illorum prærogatiua sæculorum, quibus honorem vos habere simulatis, si & illa examini vestro obnoxia? nec scire sufficiat quid tunc Christiani crediderint, sed & quærere restet an ritè & sanctè crediderint. 13.

Caluini stupiditas redarguitur, & meritò.

At quid absurdius, aut recto ingenio magis aduersum, quàm primis sæculis nesciisse Christianos quomodo exponendæ Scripturæ, quid iusserit Christus, quid Apostoli commendarint, vos autem hæc nunc demum omnia ritè cognoscere? Hoc igitur habe, sectarie: ex confessione Caluini, ante annum à Christi morte ducentesimum vsu receptum fuit vt Christiani orarent pro mortuis. Nec dicere potes, quamdiu ante hos annos vsus ille receptus, aut quis illum receperit, aut quis induxerit. Vtri igitur errant, an vos qui hunc morem vt inutilem imò superstitiosum abiicitis; an nos, qui rem vetustissimam probamus, & à viris sanctissimis vsurpatam, & cuius originem nemo magis nouitiam possit arguere, quàm rerum ceterarum quas ab Apostolis traditas esse cognoscimus? præsertim cùm non modò 14.

Christiani orarent pro mortuis, sed & illos qui orandum abnuerent, in hæreticis numerarent. Ita Epiphanius, Augustinus, & ceteri Patres inter Arij hæreses referunt, quòd pro mortuis nollent orari. Ita Scriptor ille eximius de Nouatoribus modernis triumphat.

15. *Hæreticis sùt sui erroris maioris occasio.*

At tam fuit hic Sectatoribus triumphus infaustus, quàm Catholicis in doctrinæ suæ confirmationem felix. Ex quo enim isti veritatem clariùs videre debuerant, maioris cæcitatis occasionem sumpserunt, excæcati nimirum in peruicaciæ suæ pœnam, vtpote qui in vniuersali humani generis luce, oculos ipsi suos aperire noluerunt. Vnde de iis meritò D. Augustinus: *Nónne isti palpant in meridie quasi in mediâ nocte? Quod quidem omnium hæreticorum est, qui rem manifestissimam, in lucem omnium Gentium constitutam, videre non possunt.* O horrendam Dei punitionem! Viderunt omnes Nationes, & Purgatorium adstruxerunt: viderunt Ethnici, viderunt Iudæi; soli Nouatores nostri in tantâ, vti vidimus, luce, videre non potuerunt, potiùs verò dicam, videre noluerunt. Deus bone! quid hoc est? Venit super eos terribilis illa maledictio, quam impio populo per Isaiam Dominus imprecatus est: *Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.* De quibus intelligi etiam possunt, quæ de induratis Pharisæis Christus locutus est: *Incrassatum est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt.* Vnde fit, vt cùm aures suas ac corda, ad omne bonum reiiciendum, ac malum amplectendum, indurauerint, in maiora quotidie peccata, ac scelus potissimùm impietatis impœnitentiæque prolabantur. Rectè proinde de illis Zacharias: *Hæc ait Dominus exercituum, dicens. Iudicium verum indicate, &c. Et noluerunt attendere, & auerterunt scapulam recedentem, & aures suas aggrauauerunt, ne audirent. Et cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent legem, & verba quæ misit Deus exercituum in Spiritu suo per manum Prophetarum priorum, & facta est indignatio magna à Domino exercituum.* Quin & Isaias de huiusmodi pertinaci & obstinato hæretico potest intelligi, dum sic inquit: *Sciui enim quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea.*

Lib. 2. Contra Parmenon. cap. 3. *Quæ ex diuinâ in illos maledictione prouenit.* *Isaiæ 6.* *Matth. 13.* *Zachar. 7.* *Isai. 48.*

16. *Inde iustissimè à Deo obdurari merentur.*

An non ergo iustissimè Deus, tam pertinaci obstinatione lacessitus, ac veluti coactus, in peccati adeò impudentis punitionem, istud cor, quod simile est cordi Pharaonis, instar illius indurat? Audiamus D. Gregorium Magnum. *Ad Moysen*, inquit, *dicitur de Pharaone: Ego obdurabo cor eius. Obdurare quippe per iustitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non emollit.* Imò manifestiùs alibi sic inquit: *Pharaonis cor Dominus obdurasse describitur, non quòd ipse duritiam contulit, sed quòd, exigentibus eius meritis, nulla illud desuper infusi timoris sensibilitate molliuit.* Vlteriorem rei huius explicationem si quis desideret, capiat eam ab eodem Doctore sancto Gregorio, hunc in modum: *Peccatum, quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum simul est, & causa peccati: quia ex illo oritur, vnde adhuc peccatoris animus altiùs obligetur. Peccatum verò quod ex peccato sequitur, peccatum simul est, & pœna peccati: quia excrescente cæcitate, ex retributione prioris culpæ generatur, vt quasi iam quædam sint in peccatore supplicia ipsa incrementa vitiorum. Fit verò nonnumquam, vt vnum idemq́; peccatum, & peccatum sit, & pœna peccati, simul & causa peccati.* Et paulò post: *Hoc autem nobis cum tremore considerandum est, quomodo iustus & omnipotens Deus, cùm præcedentibus peccatis irascitur, permittit vt cæcata mens etiam in aliis labatur. Vnde Moyses ait: Nondum completa sunt peccata Amorrhæorum. Dauid quoque ait: Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum, vt non intrent in iustitiâ tuâ.* Hæc D. Gregorius. quæ tametsi de peccatoribus aliis potissimum dicta sint, non malè de hæreticis, qui de errore in errorem voluntantur, potest intelligi.

Lib. 11. Moralium, cap. 5. *Exod. 4.* *Lib. 31. Moralium, c. 11.* *Homil. 11. sup. Ezech.* *Genes. 15.* *Psal. 68.*

17. *Graue peccatum est, peccatum obstinationis in hæresi.*

Videre igitur ex his licet, quàm perniciosum sit contumaciæ obstinationisque peccatum, per quod in esse suo constituitur hæreticus, qui verè hæreticus, seu, quod idem, in fidei errore obstinatus est. Perspeximus, inquam, peccatum istiusmodi quàm graue sit, & ad quàm ingentem ruinam perducat. Atque per hoc inprimis omnem, qui quidem hæreticus sit, talem effici, Doctorum Princeps S. Augustinus ad oculum declarat: qui hæreticum describens, *eum esse ait, qui sub nomine Christiano resistit doctrinæ Christianæ.* Quæ definitio conformis est illi quam communiter Scholastici tradunt de hæresi, hanc esse docentes errorem voluntarium intellectus contra aliquam fidei veritatem, cum pertinaciâ assertum ab eo qui fidem recepit. Vbi, sicut D. Augustinus resistentiam, ita & Doctores alij pertinaciam pro hæresi committendâ requirunt. Quare idem quoque D. Augustinus, *Qui*, inquit, *sententiam suam, quamuis falsam & peruersam, nullâ pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audaciâ præsumptionis suæ pepererunt, sed à seductis & in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati cùm inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Sic Augustinus. Quæ verba, vt frequentiùs memoriæ obuerterentur, in Ius Canonicum relata sunt, & referuntur in Decreto c. *Dixit Apostolis.* 24. quæst. 3. Sed quàm est clarum, errantem à fide, pertinaciâ hæreticum fieri, tam est clarum, pertinaciâ factum hæreticum in horrenda incomprehensibiliaque mala, ex quibus difficilè rarissimeque euadat, prolabi. Testis est mellifluus Doctor sanctus Bernardus, qui sic inter alia: *Nemo duri cordis salutem vmquam adeptus est, nisi quem fortè miserans Deus, abstulit ab eo, iuxta Prophetam, cor lapideum, & dedit cor carneum. Quid ergo cor durum? Ipsum est quod neque compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non prouidens. Ipsum est, cui præteritorum, præter solas iniurias, nihil omnino non præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla, nisi fortè ad vlciscendum, prospectio seu præparatio est. Et vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reueretur.* Qui ipsemet Doctor & alibi hæc habet: *At fortè aliquem*

Lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 51. *Pertinacia in falsâ doctrinâ, hæreticum facit.* *Epist. 162.* *Inde verò in grauissima mala incidunt.* *Lib. 1. de Considerat. ad Eugenium Papam, ca. 2.* *Ezech. 36.* *Cor durum quale sit.* *Serm. de cap. 4.*

ribus quibusque studiis eruditus, dubitanti feminæ citius persuasit vt audita crederet, & pro receptione filij in seruitium tradere non dubitaret Episcopum. Perrexerunt ergo vterque in Africam. Procedente autem Regis genero qui eius filium habebat, vidua rogatura se obtulit, ac priùs petiuit, vt ei filius donari debuisset. Quod cum vir barbarus, typo superbiæ turgidus, gaudio transitoriæ prosperitatis inflatus, non solum facere, sed & audire despiceret, vidua subiunxit dicens: Ecce hominem hunc pro eo vicarium præbeo, & solummodò pietatem in me exhibens, mihi filium meum vnicum redde. Cumq; ille venusti vultus hominem conspexisset, quam artem nosset inquisiuit. Cui vir Dei Paulinus respondit dicens: Artem quidem aliquam nescio, sed hortum benè excolere scio. Quod vir gentilis valdè libenter accepit, cùm in nutriendis oleribus quia peritus esset audiuit. Suscepit itaque seruum, & roganti viduæ reddidit filium. Quo accepto, vidua ex Africanâ regione discessit. Paulinus verò excolendi horti suscipit curam. Cumq; idem Regis gener crebrò ingrederetur hortum, suumq; hortulanum quædam requireret, & sapientem valde esse hominem videret, amicos cœpit familiares deserere, & sæpius cum suo hortulano colloqui, atque sermonibus eius delectari. Cui Paulinus quotidie ad mensam olera virentesq; herbas deferre consueuerat, & accepto pane ad curam horti remeare. Cumq; hoc diutiùs ageretur, quadam die domino suo secum secretiùs loquenti ait: Vide quid agas, & VVandalorum regnum qualiter disponi debeat prouide, quia Rex citiùs & cum omni celeritate moriturus est. Quod ille audiens, quia ab eodem Rege præ ceteris diligebatur, ei minimè tacuit, sed quid à suo hortulano, sapienti scilicet viro agnouisset, indicauit. Quod dum Rex audisset, illicò respondit: Ego vellem hunc de quo loqueris, hominem videre. Cui gener eius, venerabilis Paulini temporalis dominus, respondit dicens: Virentes herbas mihi ad prandium deferre consueuit. Has itaque hunc ad mensam meam deportare facio, vt quis sit qui mihi hæc locutus sit, agnoscas. Factumq; est. Et dum Rex ad prandendum discubuit, Paulinus ex suo opere olera quæque & virentia delaturus aduenit. Cumq; hunc Rex subitò conspexisset, intremuit, atque accersito eius domino, sibi per filiam propinquo, ei secretum, quod priùs absconderat, indicauit, dicens: Verum est quod audisti; nam nocte hac in somnio, sedentes in tribunalibus contra me iudices vidi, inter quos iste etiam simul sedebat, & flagellum quod aliquando acceperam, eorum mihi iudicio tollebatur. Sed percontare quisnam sit, nam ego hunc tanti meriti virum popularem, vt conspicitur, esse non suspicor. Tunc Regis gener secretò Paulinum tulit, & quisnam esset inquisiuit. Cui vir Dei respondit: Seruus tuus sum, quem pro filio viduæ vicarium suscepisti. Cumq; ille instanter requireret, vt non quid esset, sed quid in suâ patriâ fuisset, indicaret, atque hoc ab eo factâ iteratione frequentis inquisitionis requireret, vir Dei constrictus, magisq; coniurationibus, iam non valens negare quid esset, Episcopum se fuisse testatus est. Quod possessor eius audiens, valde pertimuit, atque humiliter obtulit, dicens: Pete quod vis, quatenus ad terram tuam à me magno cum munere reuertaris. Cui vir Domini Paulinus ait: Vnum est beneficium quod impendere mihi potes, vt omnes ciuitatis meæ captiuos relaxes. Qui cuncti protinus in Africanâ regione requisiti, cum onustis frumento nauibus pro venerabilis viri Paulini satisfactione in eius comitatu laxati sunt. Post non multos verò dies VVandalorum Rex occubuit, & flagellum, quod ad suam perniciem dispensante Deo pro fidelium disciplinâ tenuerat, amisit. Sicq; factum est, vt omnipotentis Dei famulus Paulinus vera prædiceret, & qui se in seruitium tradiderat, cum multis à seruitio ad libertatem rediret: illum videlicet imitatus, qui formam serui assumpsit, ne nos essemus serui peccati. Cuius sequens vestigia Paulinus, ad tempus voluntariè seruus factus est solus, vt esset postmodum liber cum multis.

Proficiscitur cum matre in Africam S. Paulinus.

Providus filio dimendi tus hortulanus efficitur.

Prædicit mortem Regis VVandalorum.

Rex eum conspiciens visionem quam de illo habuerat, narrat.

Adiuratus ab hero Paulinus, se Episcopum confitetur.

Cum vniuersis suis ciuibus ac plurimis donis in patriam redire iubetur.

Ita de S. Paulino Episcopo Nolano S. Gregorius Pontifex Maximus ac Doctor Ecclesiæ. Dignissima profectò historia, quæ ad recentiorem productioremque memoriam Capiti præsenti finem ac coronidem imponat.

CAPVT IV.

Opitulari vitâ functis, est excellentissimus actus clementiæ.

VT fidelium quisque efficaciùs ad spiritus è Purgatorio liberandos excitari atque animari posset, non solùm binis hactenus Capitibus, Deum in misericordiâ maximè excellere, illamque à nobis potissimùm postulare, ostendere voluimus; sed hoc etiam loco, reliqua omnia misericordiæ genera ab illo, quod circa defunctorum ex igne Purgatorio eripiendorum curam occupatur, longissimè superari, declarandum duximus. Enimuerò quid appositè magis dici queat, vt Christianorum viuentium animi ad mortuorum fidelium flammas extinguendas incitentur, quàm si non alibi maiora & illustriora, quàm animabus Purgatorij subleuandis, fraternæ se charitatis clementiæque signa edere posse persuadeantur? Animat profectò quemcumque cordatum, vt nulli labori parcat, quo tam sublimem misericordiæ actum infatigabiliter exerceat; cùm generosæ menti satis non sit, communi perfectionis viâ incedere, sed altissimæ virtutum semitæ, quibuscumque tandem mediis ac laboribus id fieri posit, insistere soleat: quod tantò quis perfectiùs in animarum adiumento consequitur, quantò in illo & diuinæ magis (compatiendo proximis) satisfacit voluntati, & per maiorem misericordiam Deo ampliùs assimilatur. Propositum itaque nostrum aggrediamur, & hoc axioma statuamus: Opitulari vitâ functis, est excellentissimus actus clementiæ. Cui adstruendo ipsa inprimis misericordiæ definitio argumentum subministrabit. 1.

In Purgatorij animarum liberatione maximè fraterna charitas elucet.

Misericordia defunctis exhibita est excellentissima.

Est hæc, secundùm Doctores, beneficium, quo indigenti ex commiserationis affectu subuenimus. Ex mente verò S. Augustini est *animi condolentis affectus cum additamento beneficij, vt compatiamur proximo, & largiamur de proprio.* aut, vt idem sanctus Doctor ait alibi, *est alienæ miseriæ quædam in nostro corde compassio, quâ vtique, si possimus, subuenire compellimur.* De quâ etiam ait D. Gregorius Nyssenus: *At misericordia, vt eam quis definitione comprehensam interpretari & explicare posit, voluntaria tristitia est, quæ conflatur ob incommoda aliena. Quòd si non plenè, quid per eam intelligatur, expressimus, forsitan aliâ ratione magis dilucidè ac planiùs explicari posit: Misericordia est erga eos, qui ob res aliquas tristes ac molestas sese discruciant, cum dilectione coniuncta affectio.* Porrò S. Isidorus, *Misericordia*, inquit, *à compatiendo alienæ miseriæ vocabulum sortita est.* Et D. Gregorius Papa: *Misericordia à misero corde vocata est, eò quòd vnusquisque intuetur quempiam mise-* 2.

Misericordia quid sit.

De Officiis.

Lib. 9. de Ciuit. Dei.

Lib. de Beatitud.

Lib. 5. de Summo bono cap. 64.

In Moral.

miserum, & ei compatiens de dolore animus tangitur: qui cor miserum facit, vt eum à miseriâ liberet cui intendit. Denique Seneca de Clementiâ librum scribens, *Misericordia*, inquit, *est vicina miseriæ, habet enim aliquid, trahitq; ex eâ. Imbecilles oculos esse sciat, qui ad aliam lippitudinem & ipsi suffunduntur.*

Misericordia ratione obiecti potest esse maior vel minor.

3\. E quibus omnibus vnum hoc patet, misericordiam eò posse ac debere esse maiorem vel minorem, quò intensior vel remissior fuerit ipsa miseria circa quam versatur: sed nulla in toto orbe est grauior pœna pœnâ Purgatorij; consequens itaq; est, vt ea potissima dicatur misericordia, quæ animabus defunctorũ impenditur. Hoc vt irrefragabile euadat, duo nobis probanda seu potiùs explicanda erunt. Primum, misericordiam eò esse ampliorem, quò grauior fuerit miseria. Secundum, maximam in Purgatorio miseriam inueniri. Quoad prius, patet id sufficienter ex allatis misericordiæ seu definitionibus seu descriptionibus. Si enim dicatur beneficium, quod indigenti ex commiserationis affectu subuenimus; eò copiosius esse debet beneficium illud, quò maiore quis necessitate premitur; & eò natus est affectus amplius compati, quò grauiorem inuenit miserendi rationem. Quod non solùm locum habet in illâ communi à Doctoribus datâ descriptione, sed in iis etiam definitionibus, quas S. Augustinus, & DD. Gregorius Nyssenus & Isidorus tradiderunt. Quod autem pertinet ad S. Gregorium Papam & Senecam, res multò est euidentior: quia si misericordia à misero corde dicta sit, vtpote quòd hoc sibi quispiam faciat ex alterius conceptâ miseriâ, veluti oculos quoque suos offundunt qui lippos adspiciunt; certè tunc ampliùs cor miserum fieri debet, quando maiores in proximo deprehensæ fuerint afflictiones, prout & grauiorem is incurrere solet lippitudinem, qui viderit illum quem eiusmodi defectus plus inuaserit.

Quò scilicet maior vel minor miseria.

Miseria in Purgatorio maxima.

4\. In membro itidem altero haud minor est euidentia: quæ enim est vel esse possit pœna tam vehemens, quàm illa quibus Purgatorij animæ discruciantur? Certè ex Cap. XVI. huius Libri I. patebit, leuissima purgandorum tormenta quantaslibet sæculi molestias lõgè superare. Cap. XVII. ostendetur, minùs faciendam totius orbis iacturam, momentaneo visionis beatificæ damno. Cap. XVIII. & XIX. quàm grauis sit ille Purgatorij carcer, quàm luctuosa societas, quot affligẽtes circumstantiæ Cap. XX. ad corporalium sensationum tormenta violenter incorporeos spiritus detorqueri. Quæ, aliaq; nonnulla Capitũ subsequentiũ, indubitatum facient, maximá illam miseriam esse quæ in Purgatorio defunctos affligit, & proinde primariam misericordiæ speciem habendam, quâ purgandis igne animabus succurritur. Quibus nequaquam obest, quòd diuturnior damnatorum sit cruciatus, ac infinities, vt ita dicam, sors miserabilior: quia isti misericordiæ incapaces sunt, neque compassionem aliquam merentur, sed detestandi potiùs sunt & execrandi, vtpote ingratissimæ & impiissimæ creaturæ, quibus caligo & confusio præparata est in æternũ. De viuentibus autem in peccato exsistentibus licet aliqua primâ fronte difficultas appareat, nulla subest, tum quia istis nihil prodest quantumuis magnus charitatis affectus, nisi ipsimet cooperari velint, de quo plura inferiùs; tum etiam vel maximè, quia illud, in quo viuorum miseremur, mortuis est applicabile. vnde certissima viuos iuuandi facultas est, spiritus purgatorum, velut obligatos, ad Deum aduocatos eorumdem destinare, prout videre erit Lib. III. vbi specialior integro Capite huius materiæ instituetur tractatio.

Non obest miserabilior damnatorum conditio.

Neque conditio in peccato mortali existentium.

5\. Angelicus Doctor tria docet esse motiua, quibus quis ad misericordiam flectitur, si videlicet malum eius, cuius miseremur, sit contra illius naturam, spem, vel meritum. Verba D. Thomæ sunt istiusmodi: *Sic ergo motiuum misericordiæ est tamquam ad miseriam pertinens. Primò quidem illud, quod contrariatur appetitui naturali voluntatis, scilicet mala corruptiua & contristantia, quorum contraria homines naturaliter appetunt. Vnde Philosophus dicit in 2. Rhet. quòd misericordia est tristitia quadam super apparenti malo corruptiuo vel contristatiuo. Secundò huiusmodi magis efficiuntur ad misericordiam prouocantia, si sint contra voluntatem electionis. vnde & Philosophus ibidem dicit, quòd illa mala sunt miserabiliora, quorum fortuna est causa; vtputa cùm aliquod malum eueniat vnde sperabatur bonum. Tertiò autem sunt adhuc magis miserabilia, si sint contra totam voluntatem, puta si aliquis semper sectatus est bona, & eueniunt ei mala. & ideò Philosophus dicit eodem libro, quòd misericordia est maximè super malis eius, qui indignus patitur.* Vnde patet, non minùs ex misericordiæ motiuis quàm definitionibus liquere, maximam eam esse clementiam quæ Purgatorij spiritibus exhibetur. Hoc vt manifestius fiat, singula membra probatum ibimus, ab illo exordientes, quòd contra naturam patiantur. Reuerà, si quidpiam tolerari contra naturam dici possit, erit illud quod de animabus Purgatorij asseritur, eas nimirum ab igne corporali cruciari. Adeò enim violenta in ipsis huiusmodi debet esse perpessio, vt omnem non modò naturæ ordinem superet, sed continuo velut miraculo fieri fatendum sit. Quod quia peculiari postmodum Capite deducturi sumus, hìc datâ operâ supersedemus.

Ad misericordiam flectandam qua inuitent.

2\. 2. qu. 30. artic 1. in corp.

Spiritus in Purgatorio patiuntur contra naturam suam:

6\. Est autem alterum ad misericordiam incitamentum, si quis præter spem ac diutinam expectationem suam contrarium experiatur & patiatur: atque hoc iterùm, si vllibi, in purgandorum causâ deprehenditur, qui vbi animas suas, è corpore velut carcere emissas, ad æternam gloriæ libertatem voluptatemque transituras sperabant, non tantùm expectatâ beatitudinis fruitione tũnc sese priuatos deprehendunt, sed terribilissimis addici tormentis sentiunt atque tristantur. Quæ profectò miserabilis omnino ac planè deploranda est conditio, cùm luctuosius vix esse quid possit, quàm tantopere exoptatam requiem in laborem doloremque conuerti, quàm ergastulo corporis liberum cauernâ infernali includi; quàm, dum temporalibus molestiis, afflictionibus atque doloribus exemptum se quis confidit, maioribus implicatur, & tantò quidem maioribus, quantò eos nec viui sustinere, nec tantos tamque graues fore, animo concipere sibive imaginari possunt. Quod magnum ad compasionem est motiuum, priori haud inferius. Sed ad tertium veniamus.

Item præter spem suam:

7\. Est id pati contra meritum, quod D. Thomas non solùm maximum è tribus esse affirmat, iuxta sententiam Aristotelis, sed quasi hoc vnicum computandum foret, allato superiùs Articulo sequentem apposuit conclusionem, *Malum, præcipuè*

Tertiò etiam quodammodò præter meritum.

quod quis iniustè patitur, motiuum est ad misericordiam. Hoc antè quàm Purgatorij spiritibus applicemus, explicabimus. Si enim malum aliquod, quantumuis grauissimum, consideretur vt à Deo infligitur, à nemine id indignè sustinetur, cùm plura multò, quàm pati possimus, nostra peccata commeruerint: at si nostro agendi vel concipiendi modo res iudicanda sit, nemo iniustiùs (si ita loqui liceat) punitur atque anima Purgatorij. Cùm namque inde plerumque æstimetur pœnæ indignitas, quòd homines quidpiam tolerare cogantur citra culpæ suæ exigentiam, siue quòd non sit inter delictum & pœnam proportio, dum nimirum peccato leuissimo grauissima punitio infligitur, videri nobis possit, qui non ex æquo satis res diuinas iudicamus, sed proprio nimis ingenio subinde innitimur, in Purgatorij flammis (si quis vmquam indignè) mortuos diuexari. Quod & fieri præter ipsorum meritum, idcircò à nobis concipi solet: quia cùm in gratiâ Dei è vitâ discesserint, gloriam potiùs æternam eos quantocyùs consequi oportebat, deque reportatâ ex diabolo, mundo & carne victoriâ triumphare. Et licet subinde non tantam fortassis, quantam potuissent, diligentiam adhibuerint, aut negligentiam etiam aliquam admiserint, plurimis id difficultatibus atque laboribus exantlatis compensârunt.

Reuerà nemo iniustè à Deo patitur, licet id nos aliter concipiamus.

8. Quæ res ex aliâ quoque consideratione patebit, si nimirum proportionem inter animarum culpam ac pœnam inspicere voluerimus: nam pro eo quòd leuissimos tantùm defectus admiserint, pœnitentias terribilissimas exoluere coguntur, prout conditiones earum expendenti statim fiet obuium. D. Paulus purgandorum delicta vocat *lignum, fœnum, stipulas,* quasi facilè igni absùmi possent. Christus *quadrantem nouissimum* appellat, iisque adnumerat *verbum otiosum.* Alij *minutum,* alij *atomum* aut *arenam* faciunt veniale peccatum; & tamen seuerè adeò in illud animaduertitur, vt imposita illi in Purgatorio pœna omnem humanam experientiam & imaginationem superet: & ea non modico non solùm tempore duret, sed annis sæpiùs multis, idque adeò intensè, vt dies annus computari debeat, & annus dies, id est, vt infrà ex S. Augustino explicabitur, quòd pœnitentia, quæ in hoc sæculo vnius diei foret, in Purgatorio fiat vnius anni, & propter doloris immensitatem ibidem dies vna annus integer censeri possit. Quæ quoniam suis posteà distinctis Capitibus declarabuntur, hic annotasse iuuabit, tria misericordiæ motiua, si in aliâ re quapiam, in animarum certè Purgatorij causâ vel maximè locum habere; ideoque ex motiuis æquè ac definitionibus misericordiæ clarum fieri, opitulari vitâ functis, excellentissimum esse actum clementiæ.

1. Cor. 3. Math. 5. Matth. 12. Cap. XXVII.

9. S. Thomas hanc scripsit conclusionem: *Multò sanctiori, magis indigentiam patienti, & magis vtili ad commune bonum, magis est eleemosyna danda, quàm personæ propinquiori, maximè si non sit multùm coniuncta.* Vnde rursum patet, maximam etiam ex parte ordinis, eleemosynam esse quæ fit defunctis: nam illa datur & sanctiori, & maiorem patienti necessitatem, & magis ad commune bonum vtili: imò & simul propinquiori. Sanctiori datur, quia purgandorum animæ in gratiâ confirmatæ sunt, & de æuiternâ sanctitate certissimæ. Magis necessitatem patienti datur, eò quòd non sit vel imaginabilis aliqua afflictio, egestas aut pœna (cui nimirum remedium afferri posit) quæ in Purgatorij tormentis, vt paulò pòst docebimus, non reperiatur. Magis in commune bonum vtili, quia cùm defunctus haud dubiè in benefactores suos gratissimus futurus sit, dum liberatus atque ad visionis & fruitionis æternæ participationem admissus fuerit, nullo vmquam tempore pro liberatorum suorum salute, atque Ecclesiæ totius profectu, orationes ad Deum effundere, diuinam vindictam auertere, ac bona tum æterna tum etiam temporalia procurare cessabit, prout Lib. III. satis videbitur. Accedit, quòd propinquiori simul in mortuo posit conferri misericordia, si videlicet offeratur pro illo qui nobis carne aut aliâ cognatione magis est coniunctus.

Cui magis eleemosyna impertienda. 2. 2. quæst. 32 art. 9. in corp.

Quàm grata ex Purgatorio liberata anima.

10. Neque desunt aliæ rationes, quibus adstruere possimus, omnes vniuersim clementiæ species à charitate mortuis præstitâ superari. D. Augustinus, *Multò,* inquit, *misericordius operatur quis circa animas infirmorum, qui bonæ famæ seruorum Dei consulit, quàm erga corporum ægrotantium, qui panem esurientibus tribuit.* Est itaque amplior eleemosyna quæ in animarum, quàm quæ in corporum vtilitatem exercetur; & maius est spirituali quàm temporali seruorum Dei bono consulere, quod hoc in loco fieri certum est. S. Ambrosius: *Misericordia largior, vbi fides promptior. Nihil tam commendat Christianum, quàm misericordia charitatis.* Quamuis ergo eleemosynæ, actusque alij charitatis viuis exhibiti, in fide etiam fundamentum habeant, non tamen ita nudè soli fidei innituntur, velut actus aut illa opera quæ pro defunctis suscipiuntur: quia nec vlla in his, sicut in viuentibus esse potest, temporalis remunerationis spes est, nec ipsum quidem Purgatorium vllo corporali indicio cognosci potest, sed simpliciter credi, ac solâ Fidei auctoritate indubitatum haberi debet. Ceterùm mirum non est, à nobis asseri, misericordiam in mortuorum præcipuè curâ elucere, cùm Libro III. variis Capitibus simus declaraturi, quidquid in quolibet misericordiæ genere specialiter agitur, in animarum liberatione simul comprehendi.

Misericordia omnes alias charitatis species superat. De Opere Monachorū. De Officiis. *Reliqui misericordiarum actus nō ita, vt præsens, nudè fidei innititur.*

11. A ratione ad auctoritates transitum facimus. Sunt autem eæ ad hanc rem tam modernorum quàm antiquorum Patrum luculentissimæ. E recentioribus adducemus duos, è veteribus autem postmodum plures. In primis N. Venerabilis Pater, F. DOMINICVS à IESV MARIA, Carmelitarum Excalceatorum in Congregatione S. Eliæ dignissimus Generalis, sanctitate quoad vixit, ac signis ante & post mortem insignis, in spirituali suo Conserto, quod ad viuorum mortuorumq; solatium, atque ingens Ecclesiæ bonū, Gregorio XV. approbante, instituit, disertè affirmat, maximum esse misericordiæ opus, atque actum charitatis excellentissimum, satisfactiones proprias aliaque opera mortuis applicare. Quæ quàm Apostolicæ Sedi placuerint, vt eius posteà fuerint auctoritate firmata, ex eiusdem Gregorij XV. Bulla Libro II. Cap. vltimo adducenda palàm fiet. R. P. Martinus de Roa, è Societate IESV Theologus, in Libello suo quem *Animarum statum* inscripsit, cap. 10. ex S. Augustino probat, sanctissimum esse exercitium, atque inter principaliora,

Probatur id auctoritatibus Recentiorum, vt R. P. Dominici à IESV. *R. P. Martini de Roa, qui S. Augustinum testem addit.*

paliora, vt ipse loquitur, misericordiæ opera computandum, animabus Purgatorij Sacrificiis, eleemosynis ac orationibus subuenire. Et sanè præter locum illum, quem ex 50. Homiliis produxit modò dictus Pater de Roâ, adferri potest quod idem D. Augustinus in aliis Homiliis inclamat: *Magna est eleemosyna* (hoc est, præ ceteris magna) *quæ ardentium criminum globos beneuolentiæ suæ fonte refrigerat, & irriguo largitatis obruit incendia delictorum.* Plura ex eodem S. Augustino locis aliis producenda erunt; modò, quomodo illi quoad hoc etiam reliqui SS. Patres suffragentur, inspiciamus.

12. *Antiquorum, vt S. Ioannis Chrysostomi.* Homiliâ 21. in Acta.

Diuus in primis Chrysostomus satis ostendit, quòd etiamsi ceteræ eleemosynæ multum prosint, ex illis tamen duplex fructus proueniat quæ in mortuorum subsidium erogantur. ait enim: *Non frustrà oblationes pro defunctis fiunt, non frustrà preces, non frustrà eleemosynæ: hæc enim Spiritus sanctus disposuit, volens vt nos mutuò iuuemus. Vide enim, vtilitatem* (duplicem, vti diximus) *accipiet ille* (defunctus nimirum) *per te, & tu per illum. Contemptis opibus inductus es ad faciendum aliquid generosum, & tu illi salutis, & ipse tibi eleemosynæ factus est auctor. Ne dubita, quin erit aliquis fructus suauis. Non temerè Diaconus clamat: Pro his qui defuncti sunt in Christo, & pro his qui memoriam illorum faciunt. Non est Diaconus qui talem vocem emittit, sed Spiritus; non seruus, sed Dominus. Quid dicis? In manibus tuis est Hostia, & omnia proposita sunt benè ordinata? Adsunt Angeli, adsunt Archangeli, adest Filius Dei: cum tanto honore adstant omnes, & putas hæc temerè fieri?* Quibus D. Chrysostomus confirmat, primùm, idcircò eleemosynam pro mortuis erogatam reliquis misericordiæ generibus esse præstantiorem, quòd is qui eam facit, inductus à Deo sit ad faciendum aliquid generosum, & quòd fructum inde consecuturus sit præ aliis pietatis exercitiis suauem, ac duplicem. Secundò insinuat, misericordiam defunctis præstitam, in suo genere esse præstantissimam, quandoquidem de illâ specialis fieret memoria sub tremendo Missæ Sacrificio, in quo, silentibus ipso Deo ac Angelis, clamare Diaconus solitus erat, *Pro his qui defuncti sunt in Christo, & pro his qui memoriam illorum faciunt.* Quid clarius? cùm certum sit, non sine speciali ratione & mysterio ordinatum hoc esse de clementiâ animabus impensâ, nullâ factâ mentione de aliis quantiscumque charitatis officiis.

Quantus fructus sit eleemosyna pro mortuis erogata.

13. *S. Gregorij Nysseni,*

S. Gregorius Nyssenus de mortuorum scribens memoriâ, *Nihil inconsultò*, inquit, *atque incassum à Christi præconibus & discipulis proditum est, & in omnibus Dei Ecclesiis obtinuit; verùm illud vtile ac Deo gratum*, id est vtilius ac Deo gratius, aut potiùs, iuxta phrasim Græcam, vtilissimū ac gratissimum, *vt fiat memoria defunctorum sub tremendo Sacrificio.* D. Athanasius vbi admonuisset diligentem pro iis pietatem exerceri debere, subiungit: *Grata enim hæc Deo sunt, ingensq́; ab eo præmium referunt.* q.d. Inter alia bona excellunt, ac ingens illorum respectu præmium obtinent. Demum S. Dionysius Areopagita, *Vota*, inquit, *quæ Sacerdos facit pro mortuis, promissa est à sanctis Eloquiis Deo esse gratissima, & quæ se largiturum ipse promisit.* O dignum tanto Doctore testimonium! quo probatur, à sanctis Eloquiis, id est Scripturæ sacræ arcanis, promissum esse, vota, quæ pro mortuis fiunt, Deo non tantùm grata, vel gratiora, sed gratissima atque acceptissima computari. At quinque hos sanctos Doctores hoc loco recensuisse sufficiat, quoniam reliqui variis occasionibus citandi occurrent, ac vnanimi veluti suffragio Capitis huius veritatem stabilient, Opitulari vitâ functis, esse excellentissimum actum clementiæ: quod ne aliquo omnino probationis modo destituatur, en vnam etiam atque alteram fide dignam apparitiones quibusdam Sanctis factas.

S. Athanasij, In Orat. pro mortuis.

& S. Dionysij Areopagitæ. Lib. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 7.

14. *Probatur denique ex apparitionibus factis. B. Maria van Lille,* Gilleman. in Hagiologio de Sanctis Belgij.

Ioannes Gillemannus, Belgij nostri non vltimus Historiographus, in Vitâ venerabilis Christi virginis ac Begginæ Herentalensis, Mariæ van Lille, cap. 14. refert, eidem virgini Begginagij sui Pastorem Guilhelmum post obitum suum in gloriâ apparuisse, illique affirmasse, præcipuam quam homo exercere potest misericordiam, illam esse quæ mortuis subuenit, ideoque si ipsa diuinæ Maiestati cuperet esse gratissima, totam se impenderet animabus è Purgatorio liberandis. Similia ex libris diuinarum Insinuationum S. Gertrudis Saxonicæ adferre liceret, sed hæc commodiùs alibi. De mirabili B. Lidvvinâ Schiedammensi virgine narrat Ven. Thomas à Kempis, sæpiùs eam raptam fuisse ad cælestia, Sanctosque veluti mensæ assedisse sibi visos, & ante eos eleemosynas, quæ in viuos inopes ab hominibus tunc conferebantur, instar ferculorum fuisse appositas; vnde contingebat, vt Sancti eleemosynis quodammodò saturari ac miro gaudio repleri viderentur. Addunt antiqua Hollandiæ Chronica, ac quamplurimarum Bibliothecarum manuscripta, quòd dum mensę isti Sanctorum inferrentur eleemosynæ quæ pro animarum liberatione erant donatæ, Sanctos tunc veluti præ consolatione ebrios effectos esse, ita vt propterea è mensâ surrexerint, choreas duxerint, Deum altissimis vocibus collaudauerint, atque illis, qui tantum charitatis opus præstitissent, remunerationem dignam expopoſcerint. Hæc ibi atque alibi prout Lib. III. pluribus sumus dicturi, & qualiter intelligenda sint, explicaturi.

& B. Lidvvina Schiedammensi. In Vitâ B. Lidvvinæ, lib. 1. cap. 23.

15. *Disquiritur num ea charitas quæ in peccatore conuertendo collocatur, sit maior eâ charitate quam defunctis animabus impendimus.*

At modò inquirimus, an misericordia quæ peccatoribus conuertendis impenditur, maior sit illâ quæ in Purgatorij animas exercetur. Priùs quàm huic quæstioni respondeam, rem explico, & distinguo inter misericordiam, & ipsum conuersionis seu liberationis actum. Certum itaque inprimis est, infinitis quodammodò parasangis excellentiorem vtilioremque esse vel vnius peccatoris ad salutem vitæque emendationem conuersionem, quàm multarum fidelium animarum è suppliciis purgatoriis liberationem: at cùm de ipsâ misericordiâ agitur, alia est ratio. Quæ enim defunctorum animabus exhibetur, illam, quæ impiis viuentibus, variis capitibus excedere reperiemus, siue ipsos peccatores, siue animas, siue deniq; eum qui misericordiam præstat, intueamur. Peccatores quod attinet, iis propriè misericordiam communicare hoc est efficaciter applicare non possumus, cuius, vtpote membra demortua, capaces minimè sunt, quamdiu in peccati statu hærent, sed potiùs, si eorum commiserati fuerimus, & verum miseriarum illis remedium exoptemus, ad Deum pro illorum conuersione recurrendum est, vt ipse iis clementiam suam exhibere dignetur, atque ipsorum præcordia ad pœnitentiam excitare. Sicut ergo dicitur, quòd volenti non fiat iniuria, ita &, quòd nolenti ro-

Peccatoribus propriè non exhibetur misericordia

propriè non fiat misericordia, hoc in sensu dici potest: ad faciendam namque perfectè alicui misericordiam, necessarium est, vt in potestate nostrâ positus sit illius effectus. Quod manifestè atque luculenter admodum docuit S. Ioannes Chrysostomus, vbi ait: *Tria sunt quæ in misericordiæ opere optanda sunt Christiano: vt posit facere, vt velit, vt compleat. Vt poßit, id est, vt substantia faciendi non desit. Vt velit, hoc est, vt voluntas adsit quâ faciat, quia substantia non deest quâ faciet. Tertium est vt compleat, id est vt quæ potest & vult sine dilatione perficiat; his enim tribus tantum tamq; præclarum opus impletur. Sunt namque qui possunt facere, sed nolunt: sunt qui volunt, & non possunt: & sunt qui volunt & possunt, sed procrastinando nihil efficiunt.* Quæ tria cùm in ordine ad iniquorum conuersionem in nobis non reperiantur, ritè sequitur, in præsenti casu non fieri à nobis propriè misericordiam, neque in hominis manu aut potestate sitam esse peccatoris cuiuspiam conuersionem. Docet id sacrosanctum & œcumenicum Concilium Tridentinum, dum asserit, Deum priùs corda peccatorum tangere debere, antequam ad eius gratiam redire possint. Imò canonem hunc statuit: *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit.* Addamus & verba capitis 5. vbi modum explicat quo fit ipsa peccatorum conuersio: inde vt probemus, non tantùm in potestate nostrâ non esse misericordiam illam præstare peccatoribus, sed & si esset, minùs illos hanc mereri quàm Purgatorij spiritus, vtpote qui diuinam clementiam, à quâ ad veniam expectantur inuitanturque, nolint recipere, sed in criminibus suis obstinati, Dei bonitatem veluti impugnant. Concilium itaque hoc modo loquitur: *Declarat præterea, ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præueniente gratiâ sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se, ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando, disponantur; ita vt, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere potest; neque tamen sine gratiâ Dei mouere se ad iustitiam coràm illo liberâ suâ voluntate poßit. Vnde in Sacris litteris cùm dicitur, Conuertimini ad me, & ego conuertor ad vos, libertatis nostræ admonemur: cùm respondemus, Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratiâ præueniri confitemur.* Ita Concilium.

Homil. de Misericord. & de duab. mulierib. viduis.

Ad misericordiæ effectũ tria requiruntur.

Peccatoris conuersio non est in nostrâ potestate.

Sess. 6.

Peccatores minùs misericordiâ digni purgandis.

16\. Potiorem itaque dicimus esse clementiam quæ defunctis communicatur, quàm eam quæ exhiberetur, si capaces forent, versantibus in culpâ mortali, vtpote quòd se ipsi iuuare nequeant, alij vt præsupponimus, nolint. Exemplo totam hanc rem illustrare iuuat. In Vitis Patrum Prædicatorum hæc in verba legimus: Frater Bertrandus, vir sanctus, & socius B. Dominici, & primus Prior Fratrum Prouinciæ, ferè qualibet die Missam pro peccatis dicebat. Cùm ergo in Conuenta Montis-Pessulani F. Benedictus, vir bonus & prudens, hoc aduertisset, quæsiuit ab eo, cur rarò pro defunctis, & pro peccatis frequenter oraret. Qui respondit: Quia defuncti, pro quibus orat Ecclesia, in tuto sunt; & certum est quòd ad salutem peruenient: nos autem peccatores in multiplici periculo & pendulo conuersamur. Cui Frater ait: Dicatis mihi, Prior charissime, si hìc essent duo mendici æqualiter pauperes, sed alter omnia membra corporis salua haberet, alter verò careret omnibus, cui priùs subuenires? Respondit: Illi qui minùs iuuare se posset. Tunc F. Benedictus ait: Sic sunt defuncti, qui nec os habent ad confitendum, nec oculos ad flendum, nec manus ad operandum, sed nostra solùm expetunt adiutoria, & expectant: peccatores autem præter nostra suffragia prædictis omnibus iuuare se possunt. Cùm autem nec sic ei acquiesceret, Priori sequenti nocte quidam terribilis defunctus apparuit, cum tumulo ligneo eum grauiter comprimens, qui plus quàm decies eum in illâ nocte excitauit, & terruit, & vexauit. Vnde in aurorâ dictum F. Benedictum vocans, & ad altare cum lacrymis accedens, deuotè ex tunc pro mortuis sæpiùs celebrauit.

Maior est charitas impensa defunctis quàm peccatoribus: Parte 5. c. 7.

Adstipulantur hisce quæ superiùs de motiuis seu rationibus ad commiserandum excitantibus produximus. 17. Nam si causam defunctorum cum peccatoribus, hisce quidem in terminis quibus ibidem conferre velimus, ea multò maiorem in istis quàm in his locum habere videbimus. Inter tria itaque motiua, quæ ex Doctore Angelico attulimus, duo potissima fuerunt, quòd quis contra spem suam & expectationem, imò & nonnumquam præter meritum suum sustinere quid cogatur, quorum vtrumq; in suppliciis defunctorum potiùs quàm in sceleratorũ miseriis inuenitur. Primum quidem, cùm suâ voluntate peccator in peccatum tum lapsus sit tum hæreat, anima verò Purgatorij præterquam quòd ex obliuione, vel surreptione, aut etiam fragilitate plerumque in culpam inciderit, inuita planè in pœnis detinetur. Secundum, quia animæ (si humanum loquendi aut concipiendi & iudicandi modum sequi velimus; respectu namque Dei nemo est quin atrociora fuerit promeritus) contra meritum videri possunt tolerare supplicia adeò tremenda, quæ cuiuslibet mortalis hominis captum longissimè superant: impiis verò, in omnem malitiam sponte prolapsis, atque obstinatè in sordibus suis hærentibus, nil præter meritum infligi potest, damnatio vtique æterna iis debetur. *Ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.*

Animæ enim inuitæ in pœnis detinentur, peccator in peccato hæret obstinatè.

Psalm. 10.

Quin vel eo nomine benignitas in defunctos exhibita maior dici meretur, quia animæ Purgatorij actualiter miseriarum suarum pœnas luunt, 18. secùs verò viuentes iniqui, quibus interim dum viuunt nullum actuale infligitur tormentum. Quamuis enim in culpâ sint, & à gratiâ Dei alieni, non tamen inde torquentur; aut si torquentur, illud ipsum paruipendunt, & ab illis pendet quò minùs liberentur. Idem porrò demonstrare possemus è variis misericordiæ definitionibus, verùm quia ex suprà allatis facilè elicitur, Lectorem eò remittimus.

Defuncti in Purgatorio actu pœnas & tormenta sentiunt, peccator minùs, nisi valdè remotè.

Num. 1. & 3.

Animas vero ipsas quod attinet, si eæ primùm à nobis iuuentur, & à pœnis suis, quas intolerabiles perpetiuntur, exsoluantur, illarum iam liberatarum precibus & intercessione citiùs & securiùs à culpis & damnatione eximi poterunt peccatores, adeò vt promptior illis euadat misericordia si præstetur priùs defunctis, tum quia fidelium 19.

Animæ à nobis pro peccatoribus adiutæ gratitudinis ergò pro peccatoribus conuertendis apud Deum sunt intercessores.

fidelium spiritus, ex Purgatorij tormentis ad visionem Deificam admissi, Deo longè sunt gratissimi, & suis liberatoribus fauere non cessant, tum vel maximè, quia certissima viuis peccatoribus subueniendi via est, si mortuorum animæ ad illorum patrocinium destinentur, quod nos ostensuros infrà Lib. III. iam antè polliciti fuimus, vbi totam hanc materiam satis diffusè cum omnibus suis circumstantiis tractabimus.

20. *In omni opere bono duo sunt, præter meritum intrinsecum, Impetratio, & Satisfactio;* Sin denique eum respiciamus qui misericordiam operatur, aduertendum est, omnem eum, qui mereri quidquam apud Deum potest, in opere suo bono quod exercet, præter essentiale meritum, vt apud Catholicos indubitatum est, mereri quoque impetrationem pro aliis Ecclesiæ membris, seu viuis, seu in Christo defunctis: item, in quantum eidem operi annexus est aliquis labor, molestia, aut pœna, satisfactionem includere tum suis tum aliorum peccatis, hoc est debitis peccatorum pœnis, applicabilem; sicut etiamsi meritum, quod cuique operi bono respondet, nemo à se alienare possit, impetrationem tamen & satisfactionem proximis applicare valeat. His præsuppositis, statim elucescit, quantò potior cum defunctis, quàm viuis peccatoribus, & fieri nata sit, & fiat, à sedulò impendentibus misericordia. Quoad impetrationem res difficultate caret: nam illa vel augetur vel minor est iuxta cuiusque rectè agentis intentionem (prout patebit ex dicendis infrà Lib. II. Cap. VIII.) ita vt quò illa fuerit perfectior, & ad plures sese diuini cultûs & honoris effectus profectusque extenderit, eò etiam copiosior sit impetratio. Iam tanta est bonitatis diuinæ in homines suos & propensio & magnitudo, vt non tantummodò promptus & paratus sit Deus vnum quid, quod ab illo petitur, concedere, sed si vno eodemque opere plures bonas atque ad Dei gloriam aut proximorum salutem vel vtilitatem spectantes quis intentiones habeat, illa multa æquè promptè atque vnum solum tribuere satagat. Audiatur S. Hieronymus. *Quoties*, inquit ille, *pro centum animabus psallimus, vel Missa canitur, tantum prodest cuilibet, quantum si pro quolibet caneretur.* Adeò vt, si quis obtinere à Deo cupiat cuiuspiam obstinati peccatoris conuersionem, non impediat quò minùs simul & experat & impetret animæ vnius vel plurium è Purgatorio liberationem. Imò quandoquidem tantò quis opus gratius faciat, quò id pluribus bonis intentionibus instruit; & quò opus gratius facit, tantò efficaciùs impetret: inde sequitur, augeri ex eo pro peccatoribus quoq; vim impetrationis, si simul idem qui pro ipsis actus offertur, offeratur pro mortuis: nam quidquid pro viuis fit, etiam ipsamet conuersio peccatoris, ita applicari potest & prodest defunctis, quasi pro illis expresè factû fuisset. Adde quòd effectus impetrationis pro mortuis sit infallibilis, quod non habet locum in peccatoribus, quia sæpe non conuertuntur; animabus econtrà si non his pro quibus quid agis, saltem aliis effectum præstat. Quoad satisfactionem verò euidens est eam non applicandam esse peccatoribus sed potiùs defunctis: isti enim incapaces sunt vt de satisfactione etiam propriâ quidquam sentiant emolumenti, quantò minùs de alienâ? hi verò soli sunt qui alienâ satisfactione & indigent, & eâ potissimùm iuuari possunt & solent. Patet itaque, etiam respectu conuersionis peccatorum, vitâ functis opitulari esse excellentissimum clementiæ actum.

In Epistolis.

Conuersio peccatorum facilius impetratur si simul offeratur pro mortuis.

CAPVT V.

Gentium omnium in Purgatorij veritatem consensus, Nouatores nostros hæreseos, atque adeò iustæ propter obstinationem suam vindictæ reos ostendit.

QVæ tribus Capitibus præcedentibus complexi sumus, veluti bases & fundamenta toti materiæ tractandæ substrauimus: superest vt quæ proferre volumus, his ipsis superstruamus. Inter quæ sese primùm offert Purgatorij ipsius probatio, pro quâ exactè ac perspicuè conficiendâ, proxima decem Capita impendemus: & hoc præsenti quidem à naturali ac communi hominum iudicio sumemus exordium; rationes deinde aliquot naturales subiungemus, quibus Nationes omnes permotæ sunt vt Purgatorium vnanimi consensu adstruerent: his subnectemus testimonia Scriptorum qui sex vltimis sæculis vixerunt; tum sequetur consensus Patrum qui sex item sæculis anterioribus præcesserunt; continua denique vsque ad Apostolorum tempora traditio. Purgatorij insuper causam stabiliemus è Scripturis ipsis, primùm Legis naturæ, tum Legis Moysaicæ & ætatum subsequentium, ex Prophetis quoque, & Apostolis, imò ipsomet sacrosancto Christi Iesu Saluatoris nostri Euangelio. Nec, dum de Purgatorio agimus, in eo solùm aduersarios nostros errare probabimus, sed sumptâ hinc simul occasione, ad oculum demonstrabimus, si vnicam hanc clauam, quâ Purgatorium negando oppugnant, hæreticis eripuerimus, omnes eorum, qui postmodum infiniti propemodum sunt subsecuti errores, facilè posse refutari. Quod vt solidiùs à nobis fiat, non tam propriis, quàm aliorum doctissimorum ac prudentissimorum virorum assertis vtemur: & quidem è quamplurimis duos aut tres potissimùm seligemus, qui vti recentissimè, ita & succinctissimè, verissimè tamen & solidissimè, hæreticum præsentium astum deluserunt. 1.

Purgatorij negatio, hæreticis nostris reliquarum suarum hæresum fons & origo.

Ioannes Barclaius, qui compendiosâ duorum librorum ad Sectarios Parænesi omnia illorum, si quis vmquam paucis & manifestis, argumenta insectatus est, antequam Scriptum suum aggrederetur, præmittere voluit, ea quæ scripturus erat, non alio fine, quàm seductorum salutis procurandæ causâ, à se in publicum dari. Ostendit itaque primùm, quàm difficile sit, hæreticos euincere, & tamen quàm id ad saluationem pernecessarium. Quoties, inquit, dolore diductus sum, cùm viderem magnas indoles, & debita meliori disciplinæ ingenia, in hanc ruinam ferri! vt ad eorum cæcitatem, vt ad securitatem attremui! Quibus ergo vel meo sanguine medicinam fieri optem, hos quid cesso saltem gemitu, & officiosæ sedulitatis iurgio, ad salutem inuitare? Sed monendi medendique ratio ideò iam magis in arduo, quòd ipsâ consuetudine morbum amant; & remedia, vel quia suis auersa ingeniis, odêre; 2.

Lib. 1. cap. 1.

Hæreticos argumentis peruincere, admodum est difficile.

vel

Omnia enim solet eludere.

vel quia iam toties sibi frustrà applicita, contempsere. Nam si ad Scholasticas disputationes respexeris, hæ adeò illorum auribus increbuerunt, adeò in familiare commercium litigando venerunt, vt ex suæ contumaciæ vitio illarum virtutem metiti, tamquam quotidianas despiciant, vel pertinaciæ quoque, & resistendi dulcedini, inde peiùs assuescant. Si verò auctoritate priscæ Ecclesiæ, & priscorum Conciliorum, Patrúmve consensu verberes contumaciam errorum qui illos deceperunt; primò verba elicies plena honoris in Patres atq; illam Ecclesiam: mox vbi pressius egeris, ita se tuebuntur, vt eamdem priscam Ecclesiam, quã venerari videbantur, & eadem prisca Concilia, & Patres eosdem, quorum sanctionibus & exemplis se credere ac viuere fingebant, damnare non dubitent. Et infra: Tantùm hic moneo, minùs efficacia esse in illos ab Ecclesiâ, Concilus, Patribus, tela; quòd fraudulentâ eiusmodi rixâ, à tantorum Iudicum iusto consessu prouocant ad Scripturas. Neque deinde vtilior in illos machina à Scripturis, quam, nullius interpretationi addicti, ipsi exponunt ad suæ disciplinæ libidinem. Igitur mihi visum his armis, quibus toties icti tamen vulnus dissimulant, argumenta admiscere, quibus percipiendis non tam scientia opus, aut assueto ad subtilitatem contentionis animo, quã puro, & à naturâ rectè formato. Ea enim quia liquida, nec perplexâ disceptatione egentia, capi ab omnibus possunt qui bonâ fide agent. Et pro conclamatis iam habeo ceteras mentes, quibus placet per fas ac nefas erroribus semel à se laudatis incumbere. Hæc Barclaius.

Primùm SS. Patres honorant, posteà reiiciunt.

Si per Scripturas vrgeantur, ad explicationes à se datas confugiunt.

3. Vt itaque sectarum illarum homines euigilare faciamus, quorumcumque argumentorum ictu somnum illorum oculis excutiamus, atque inprimis ad Gentium vniuersarum acclamationem illos excitare conabimur. Mirum est, quomodo mortales omnes, cuiuscumque demum conditionis ac religionis fuerint, vnanimiter semper censuerint ius esse aliquod, in quod ita singulorum opiniones conueniant, vt nefas iudicatum sit & irrationabile, huic velle refragari. Huius autem Iuris inter alia referuntur statuta, Legatos non esse violandos, pacta esse seruanda, Deum aliquem religione colendum. Superioribus obediendum, pietatem in patriam & parentes esse obseruandam, vim vi repellere licere, pluraque eiusmodi, quæ fieri debere Gentium vniuersarum tradit consensio. Certe Iuris illius apud Christianos multa reperiuntur elogia. S. Augustinus, *Quæ autem*, ait, *contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diuersitate vitanda sunt, vt pactum inter se ciuitatis aut gentis consuetudine vel lege firmatum, nullâ ciuis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est, suo vniuerso non congruens.* Idemque à Gratiano in Ius Canonicum est relatum dist. 8. can. *Quæ contra.* Sed & Ius ciuile idem variis habet locis. In L. *Omnes populi.* ff. De Iust. & iure. quæ est Caij Iurisconsulti, sic legitur: *Quod verò naturalis ratio inter homines constituit, id apud omnes peræquè custoditur, vocaturq; Ius gentium, quasi quo Iure omnes gentes vtuntur.* Quæ verba repetuntur in §. *Ius autem ciuile.* Instit. De Iure nat. gent. & ciuil. Quid pluribus? si & Gentilium asserta inspiciamus, haud dissona comperiemus. M. Tullius Cicero: *Omnes tacito quodam sensu, sine vllâ arte aut ratione, quæ sunt in actibus aut rationibus recta ac praua, diiudicant.* Et: *Omnis natura artificiosa est, & habet quasi viam quamdam & sectam quam sequatur.* Et: *Omnes naturâ duce vehimur.* Et denique: *Naturam ducem si sequamur, numquam aberrabimus.*

Ius gentium & naturæ est, quod ipsa natura nos edocet, & in quod omnes Gentes naturæ instinctu conspirant.

Lib. 3. Confession. c. 8.

Lib. 3. de Orat.

Lib. 2. de Naturâ deorum. Lib. 1. de Naturâ deor. Lib. 1. Officior.

4. Sed naturæ repugnare, nil est aliud, vt inquit Cato Maior, quàm gigantum more cum diis pugnare; & secundùm Philosophos monstra naturæ dici solent, quæ notabilem aliquem defectum aut deformitatem, toti suæ speciei extraneam, perpetiuntur: haud ergo dissimiliter illa hominũ fex vel secta monstruosa omnino est, quæ Purgatorij claritatem nequaquam videt. Quàm enim verè cæci sunt, & cæcis ducatum præstant, qui contra commune gentium omnium iudicium, vnanimemque quotquot sunt hominum sensum, in tam profundis adhuc palpitant tenebris, vt solos se naturæ lumine sanioreque iudicio pollere sibi persuadeant, reliquos verò omnes insanire, &, quoad Purgatorij doctrinam, à ratione & vero quàm longissimè aberrare dicere ausint? vt haud ineptè illis applicari posit id quod Euangelista Matthæus à Christo Saluatore dictum asserit: *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Sed quia nostri consilij est, omnibus hominibus, quantum quidem ex parte nostrâ fuerit, veritatem aperire, generalem hic omnium nationum de purgandis animabus consensum producemus, quem ad Purgatorij assertionem inter alia argumenta adduxit Cardinalis Bellarminus, qui sic habet:

Purgatorij veritatem qui nõ videt, monstrum est, & cæco misterior.

Matth. 15.

Purgatorium esse, ex vniuersali gentium omnium consensu probatur:

Lib. 1. de Purgat. c. 11.

5. Tertia ratio sumitur à communi opinione omnium Gentium: id enim confitentur Hebræi, Mahometani, Gentiles, iique tam Philosophi quàm Poëtæ. De Hebræis patet ex lib. 2. Machab. cap. 12. Ea enim saltem fides adhibenda est illi libro, quæ adhiberetur Liuio. Prętereà Iosephus filius Gorionis in lib. de Bello Iudaico cap. 19. indicat, Iudæos consueuisse orare pro mortuis, non tamen pro illis qui se interimunt. De Mahometanis patet ex Alcorano, vbi Purgatorium disertè confitentur. De Ethnicis patet ex Platone in Gorgiâ & Phædone; ex Cicerone in Somnio Scipionis, in fine; ex Virgilio 6. Æneidos:

Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt.

Ex Claudiano lib. 2. in Ruffinum circa finem:

Quos vbi per varios amnes, per mille figuras
Egit lethæo purgatos flumine

Hebræorum,

Mahometanorum,

Gentilium, tam Philosophorũ, quàm Poëtarum.

Similia ex aliis gentibus possemus adferre, ex quibus videri posset, quanta hi curâ mortuorum exequias celebrare solerent, vt iis mortuis leuamen exhiberent: sed sufficiant ista, vt confusioni sint hæreticis, quos Tertullianus meritò arguit quòd Ethnicis sint peiores. verba eius sunt: *Hæretici eò peiores sunt Ethnicis, quòd illi credendo non credunt, hi verò non credendo credunt.* Quin & vsu hîc venire potest quod S. Augustinus de Christo scribit. *Quisquis alienigena legitur aliquid prophetasse de Christo, ad cumulum nobis connumerari potest, non quòd necessarius sit, sed quia non incongruè creditur fuisse & in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium reuelatum est, & qui hoc prædicere compulsi sint.* Neque dicat aliquis, hoc potiùs argumentum esse erroris & fabularum, quandoquidem id sentiunt Ethnici & Mahometani: nam illa in quibus omnes ferè nationes conueniunt, vix possunt aliunde prouenire quàm à naturali lumine omnibus hominibus communi. quæ enim excogitata

Lib. de Carne Christi.

Lib. 18. de Ciuit. c. 17.

Lumen naturæ omnes gentes in Purgatorij fidem adducit.

&

& conficta ab hominibus, varia sunt & diuersa pro gentium varietate. Sic Bellarminus, qui vt rem illam solidiùs ostendat, insignes aliquot similitudines his verbis subiungit:

6. *Vt natura docet esse Deum, & pœnas atque præmia post hāc vitam, ita etiam, esse Purgatorium.*

Sicut ergo Deum esse, in quo omnes conueniunt, dicimus verissimum esse, nec tamen in particulari recipimus deos varios & multiplices, quos sibi quælibet natio fabricauit: & sicut post hanc vitam esse pœnas & præmia, in quo etiam conueniunt omnes, recipimus vt verum, nec tamen recipimus varias fabulas quibus hæc explicant (nam esse pœnas & præmia post hanc vitam, docuit omnes homines cognitio diuinæ prouidentiæ, fabulas autem ex se finxerunt;) ita etiam Purgatorij confessionem, in quo omnes ferè gentes conueniunt, oportet dicere esse confessionem luminis naturalis: eiusdem enim prouidentiæ diuinæ cognitio docuit Purgatorium, quæ docuit infernum & paradisum, saltem generali & confuso quodam modo; quia nimirum videntes pœnas & præmia ita distribui in hac vitâ, vt plura bona habeant mali, & plura mala boni vt plurimum, inde iudicamus diuinam prouidentiam in aliam vitam distulisse iudicium, & veram distributionem præmiorum & pœnarum. Rursum videmus, ex iis qui migrant ex hac vitâ, alios esse valdè bonos, alios valdè malos, alios mediocriter malos & mediocriter bonos; quocircà iudicamus naturali lumine, esse post hanc vitam pœnas æternas pro valdè malis, præmia æterna pro valdè bonis, ac pœnas temporales, & per eas transitum ad præmia, prò iis qui sunt mediocriter mali vel boni. Hanc rationem secutus est Plato, & alij, qui solo lumine naturali prædìti Purgatorium esse confessi sunt.

7. *Idemq; asserit ex vnanimis Catholicæ Ecclesiæ doctrina, Lib.1.de Purg.cap.10. Ecclesiæ scilicet Africanæ,*

Idem Bellarminus æquè efficaciter probat, per omnes Catholicas Ecclesias vnanimem de Purgatorio inueniri consensum. Verba eius sunt: Secundum argumentum sumitur ex Conciliis & Ecclesiæ consuetudine. Nam in primis, quid Ecclesia Africana senserit, patet ex Concilio III. Carthaginensi cap. 29. *Et Sacramenta altaris*, inquit, *non nisi à ieiunis hominibus celebrentur. si autem aliquorum pomeridiano tempore defunctorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat.* Similia habes ex Concilio Carthaginensi III. cap. 79. Idem sensit Ecclesia Hispanica, vt patet ex Concilio Braccarensi I. cap. 37. vbi iubet non orari pro illis qui seipsos interimunt. & cap. 39. vbi iubet diuidi inter Clericos oblationes factas vt oraretur pro defunctis. Idem Ecclesia Gallicana, vt patet ex Concilio Cabilonensi, & habetur de Consecrat. distinct. 1. can. Visum est. *Visum est*, inquit, *prætereà, vt in omnibus Missarum solemnibus pro spiritibus defunctorum loco competenti in Ecclesiâ ad Dominum deprecetur.* Vide etiam Concilium Aurelianense II. cap. 14. Idem sensit Ecclesia Germanica, vt patet ex Concilio Wormatiensi cap. 10. vbi definitur, etiam pro suspensis in patibulo orandum & sacrificandum. Idem Ecclesia Italica, vt patet ex Concilio VI. sub Symmacho, vbi dicitur sacrilegium, fraudare animas defunctorum orationibus, &c. Idem Ecclesia Græca, vt patet ex Græcorum Synodis à Martino Braccacensi Episcopo collectis, can. 69. Imò videntur aliqui Græci etiam nimiùm voluisse iuuare animas defunctorum: nam in Concilio VI. cap. 83. reprehenduntur illi qui iis, qui sine Communione sacrâ obierant, Eucharistiam in os ingerere conabantur.

Hispanicæ, Gallicanæ, Germanicæ, Italicæ, Græcæ.

Quæ omnia tametsi plerique temporis nostri hæretici parui faciant, eis tamen à præcipuis eorum Antesignanis vel inuitè subscriptum fuit. 8.
A Luthero quidem, apertis verbis Purgatorium asserente: à Caluino verò, quantò impudentiùs negante, tantò fortiùs idipsum confirmante. Audiamus, quæso, insignem, quem suprà, hæreticorum nostrorum antagonistam, qui sic eosdem Nouatores alloquitur: Derìdiculo vobis sumus, dum de animarum fidelium suppliciis gemimus, dum pro illis Dei pacem exposcimus: at quàm ipsi ridiculè in hoc supercilium assurgatis noui censores, ex Luthero Caluinoque iam discite. Nam in Disputatione Lipsiacâ hæc verba Lutheri sunt: *Ego qui credo fortiter, imò ausim dicere scio, Purgatorium esse, facile persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem, quemadmodum illud Matthæi inducit Gregorius in Dialogo, Non remittitur neque in hoc sæculo neque in futuro; volens peccata quædam remitti in Purgatorio. Admitto & illud 2. Machab. 12. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Quis deinde Angelus, quæ ecstasis, quæ tuba de cælo hanc fidem illius, imò scientiam ita deleuit, vt signifer suis esset contra illam scientiam atque fidem euntibus? Optimè sanè R. P. Iacobus Gualterus in Tabulâ chronographicâ: Quòd contrarium scribat Lutherus in lib. de Missâ priuatâ, & lib. aduersus Waldenses de Eucharistiâ, mea haud multum refert, nisi vt nouam ex eâ contradictione colligam Ecclesiæ aduersus hostes suos victoriæ palmam. Et meritò: nam quæ fides eiusmodi homini haberi possit, qui sibi ipsi non constans, Purgatorium modò adstruit, atque ex ipsamet Scripturâ sacrâ probari docet; modò verò & Purgatorium, & Scripturam & seipsum negat. Et hic tamen primus è modernis hæreticis fuit, qui Purgatorium reiecit, & errorum suorum aliorumque hæreticorum & hæresiarcharum fundamentum strauit: ab isto, inquam, tot somniorū, tot blasphemiarum factum est initium. Triumphet igitur Ecclesia Catholica ex hac Lutheri inconstantiâ & contradictione, non tantùm quòd seipsum redarguerit quòd falsò in Purgatorium insurrexerit, idque reuocauerit à quo fallaciarum falsitatumque reliquarum factum est exordium; sed & quòd in vnicâ eius causâ ceterorum, quotquot posteà à fide Romanâ defecerunt, res agatur, iudicetur, condemnetur.

Et inuita id adstruit hæreticorum confessio. Lutherū, in Disput Lipsiacâ, qui Purgatoriū probat ex Scripturis, & id primus è modernis negauit.

Sed rursum Barclaium audire lubet. Is de Nouatoribus hunc in modum loquitur: Igitur exploraturi suas sectas, ab ouo incipiant. Mala arbor non facit fructus bonos. Ex quo autem surculo prodierunt? Non agò maledictis, nec factionum odia exerceo, sed veluti sequester rem contemplor. Agebat in otio Ecclesia, & fortasse ob nimiam pacem *necesse erat vt scandalum veniret; verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit*; cùm ecce Lutherus, iustis vt initio videbatur argumentis, in quorumdam auaritiam inuectus est. Sed cùm modum non teneret, statim in illum ira bonorum, indignatio Ecclesiæ, censura Pontificis; statim & ille factionem sollicitat, ac facilè cogit. Neque enim defuere qui 9.

Lib. 1 c. 2. Math. 18. Quâ occasione id Lutherus procurauerit.

Christiani orarent pro mortuis, sed & illos qui orandum abnuerent, in hæreticis numerarent. Ita Epiphanius, Augustinus, & ceteri Patres inter Arij hæreses referunt, quòd pro mortuis nollent orari. Ita Scriptor ille eximius de Nouatoribus modernis triumphat.

15\. *Hæreticis sūt sui erroris maioris occasio.*

At tam fuit hic Sectatoribus triumphus infaustus, quàm Catholicis in doctrinæ suæ confirmationem felix. Ex quo enim isti veritatem clariùs videre debuerant, maioris cæcitatis occasionem sumpserunt, excæcati nimirum in peruicaciæ suæ pœnam, vtpote qui in vniuersali humani generis luce, oculos ipsi suos aperire noluerunt. Vnde de iis meritò D. Augustinus: *Nónne isti palpant in meridie quasi in mediâ nocte? Quod quidem omnium hæreticorum est, qui rem manifestissimam, in lucem omnium Gentium constitutam, videre non possunt.* O horrendam Dei punitionem! Viderunt omnes Nationes, & Purgatorium adstruxerunt: viderunt Ethnici, viderunt Iudæi; soli Nouatores nostri in tantâ, vti vidimus, luce, videre non potuerunt, potiùs verò dicam, videre noluerunt. Deus bone! quid hoc est? Venit super eos terribilis illa maledictio, quam impio populo per Isaiam Dominus imprecatus est: *Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.* De quibus intelligi etiam possunt, quæ de induratis Pharisæis Christus locutus est: *Incrassatum est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt.* Vnde fit, vt cùm aures suas ac corda, ad omne bonum reiiciendum, ac malum amplectendum, indurauerint, in maiora quotidie peccata, ac scelus potissimùm impietatis impœnitentiæque prolabantur. Rectè proinde de illis Zacharias: *Hæc ait Dominus exercituum, dicens. Iudicium verum iudicate, &c. Et noluerunt attendere, & auerterunt scapulam recedentem, & aures suas aggrauauerunt, ne audirent. Et cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent legem, & verba quæ misit Deus exercituum in Spiritu suo per manum Prophetarum priorum, & facta est indignatio magna à Domino exercituum.* Quin & Isaias de huiusmodi pertinaci & obstinato hæretico potest intelligi, dum sic inquit: *Sciui enim quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea.*

Lib. 2. Contra Parmenon. cap. 3.

Quæ ex diuinâ in illos maledictione prouenit.
Isaiæ 6.

Matth. 13.

Zachar. 7.

Isai. 48.

16\. *Inde iustissimè à Deo obdurari merentur.*

An non ergo iustissimè Deus, tam pertinaci obstinatione lacessitus, ac veluti coactus, in peccati adeò impudentis punitionem, istud cor, quod simile est cordi Pharaonis, instar illius indurat? Audiamus D. Gregorium Magnum. *Ad Moysen*, inquit, *dicitur de Pharaone: Ego obdurabo cor eius. Obdurare quippe per iustitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non emollit.* Imò manifestiùs alibi sic inquit: *Pharaonis cor Dominus obdurasse describitur, non quòd ipse duritiam contulit, sed quòd, exigentibus eius meritis, nulla illud desuper infusi timoris sensibilitate molliuit.* Vlteriorem rei huius explicationem si quis desideret, capiat eam ab eodem Doctore sancto Gregorio, hunc in modum: *Peccatum, quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum simul est, & causa peccati: quia ex illo oritur, vnde adhuc peccatoris animus altiùs obligetur. Peccatum verò quod ex peccato sequitur, peccatum simul est, & pœna peccati: quia excrescente cæcitate, ex retributione prioris culpæ generatur, vt quasi iam quædam sint in peccatore supplicia ipsa incrementa vitiorum. Fit verò nonnumquam, vt vnum idemq́, peccatum, & peccatum sit, & pœna peccati, simul & causa peccati.* Et paulò post: *Hoc autem nobis cum tremore considerandum est, quomodo iustus & omnipotens Deus, cùm præcedentibus peccatis irascitur, permittit vt cæcata mens etiam in aliis labatur. Vnde Moyses ait: Nondum completa sunt peccata Amorrhæorum. Dauid quoque ait: Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum, vt non intrent in iustitiâ tuâ.* Hæc D. Gregorius. quæ tametsi de peccatoribus aliis potissimum dicta sint, non malè de hæreticis, qui de errore in errorem voluntantur, potest intelligi.

Lib. 11. Moralium, cap. 5.
Exod. 4.

Lib. 31. Moralium, c. 11.

Homil. 11. super Ezech.

Genes. 15.

Psal. 68.

17\. *Graue peccatum est, peccatum obstinationis in hæresi.*

Videre igitur ex his licet, quàm perniciosum sit contumaciæ obstinationisque peccatum, per quod in esse suo constituitur hæreticus, qui verè hæreticus, seu, quod idem, in fidei errore obstinatus est. Perspeximus, inquam, peccatum istiusmodi quàm graue sit, & ad quàm ingentem ruinam perducat. Atque per hoc inprimis omnem, qui quidem hæreticus sit, talem effici, Doctorum Princeps S. Augustinus ad oculum declarat: qui hæreticum describens, *eum esse ait, qui sub nomine Christiano resistit doctrinæ Christianæ.* Quæ definitio conformis est illi quam communiter Scholastici tradunt de hæresi, hanc esse docentes errorem voluntarium intellectus contra aliquam fidei veritatem, cum pertinaciâ assertum ab eo qui fidem recepit. Vbi, sicut D. Augustinus resistentiam, ita & Doctores alij pertinaciam pro hæresi committendâ requirunt. Quare idem quoque D. Augustinus, *Qui*, inquit, *sententiam suam, quamuis falsam & peruersam, nullâ pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audaciâ præsumptionis suæ pepererunt, sed à seductis & in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati cùm inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Sic Augustinus. Quæ verba, vt frequentiùs memoriæ obuerterentur, in Ius Canonicum relata sunt, & referuntur in Decreto c. *Dixit Apostolis.* 24. quæst. 3. Sed quàm est clarum, errantem à fide, pertinaciâ hæreticum fieri, tam est clarum, pertinaciâ factum hæreticum in horrenda incomprehensibiliaque mala, ex quibus difficilè rarissimeque euadat, prolabi. Testis est mellifluus Doctor sanctus Bernardus, qui sic inter alia: *Nemo duri cordis salutem vnquam adeptus est, nisi quem fortè miserans Deus, abstulit ab eo, iuxta Prophetam, cor lapideum, & dedit cor carneum. Quid ergo cor durum? Ipsum est quod neque compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non prouidens. Ipsum est, cui præteritorum, præter solas iniurias, nihil omnino non præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla, nisi fortè ad vlciscendum, prospectio seu præparatio est. Et vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reueretur.* Qui ipsemet Doctor & alibi hæc habet: *At fortè*

Lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 51.
Pertinacia in falsâ doctrinâ, hæreticum facit.

Epist. 162.

Inde verò in grauissima mala incidunt.

Lib. 1. de Considerat. ad Eugenium Papam, ca. 2.
Ezech. 36.
Cor durum quale sit.

Serm. de cap. 4.

C 2 *aliquem*

Serm. de Conuersione ad Clericos, cap. 4.

aliquem moueat illud de Psalmo: Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Ego autem dico, odit & carnem. An non odit, cui gehennæ cumulos mercatur in dies, & cui, secundùm duritiam suam, & cor impœnitens, thesaurizat iram in die iræ? Ceterùm hoc odium tam carnis quàm animæ, non in affectu sed in effectu potiùs inuenitur. Sic nimirum odit & phreneticus carnem suam, cùm sibiipsi manus inferre laborat, rationis deliberatione sopitâ. An verò grauior vlla phrenesis indicatur, quàm impœnitentia cordis, & peccandi obstinata voluntas? Siquidem manus nefarias iniicit sibi ipsi, nec carnem, sed mentem lacerat & corrodit.

Obstinata in malo voluntas, grauissima est phrenesis.

18. Hæreticorum igitur damnationem etiam esse terribilem, ex Scripturis & Historiis fide dignis certissimum est: suffecerit hîc vel vnum exemplum retulisse, quod refert Ioannes Moscus in hæc verba: Senex quidam sedebat in Laurâ Calamonis iuxta Iordanem fluuium, Cyriacus nomine, magni apud Deum meriti. Ad hunc profectus est frater peregrinus ex regione Dora, nomine Theophanes, vt interrogaret senem de cognitionibus fornicationis. Quem senior hortari cœpit, atque vrgere verbis de pudicitiâ & castitate. Frater itaque magnificè ædificatus, ait seni: Verè, mi Pater, ego, nisi in regione meâ Nestorianis communicarem, tecum permansissem. Cùm verò audisset senex Nestorij nomen, afflictus de perditione fratris, corripiebat eum, & orabat, vt recederet ab hac pessimâ & perniciosâ hæresi, accederetque ad sanctam Catholicam Ecclesiam, dicens, non esse aliam salutis spem, nisi rectè sentiamus & credamus, vt reuerà est, sanctam Mariam Dei genitricem esse. Dixit autem frater ille seni: Profectò, Domine Pater, omnes hæreses sic dicunt, Nisi nobiscum communices, saluus esse non poteris. quid ergo faciam infelix, nescio. deprecare igitur Dominum, vt reipsâ me certum faciat, quænam sit vera fides. Senex verò cum gaudio fratris verba suscepit, dixitque illi: Sede in speluncâ mecum, & omnino spem in Deo habeto, quia reuelabit tibi ipsius benignitas, quæ sit vera fides. Dimissoque fratre in speluncâ suâ, egressus est senior prope Mare mortuum, orans Deum pro fratre. Circa autem horam nonam diei sequentis adspexit frater quemdam adstantem sibi adspectu terribilem, ac dicentem: Veni, & vide veritatem. assumensque eum, duxit in locum tenebrosum ac fœtidum, ignes euaporantem, atque in ipsis ignibus vidit Nestorium, Eutychem, Apollinarem, Dioscorum, Seuerum, Arium & alios quosdam hæreticos. Dixitque illi is qui apparuerat: Locus iste paratus est hæreticis & blasphemantibus, & his qui illorum dogmata sequuntur. Si ergo placet tibi locus, persiste in tuo dogmate. Si autem supplicium istud experiri non vis, accede ad sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, quam te senex docet; dico enim tibi, quia si omnes virtutes homo operetur, nec rectè credat, in hoc loco cruciabitur. Atque in hoc verbo venit frater in semetipsum, & redeunti seni narrauit omnia quæ viderat, accessitque ad communionem sanctæ Catholicæ Ecclesiæ. Remansit autem cum sene, impletisque quatuor cum illo annis, dormiuit in pace. Hæc ibi.

In Prato spirituali, cap. 6.

Hæretici ob hæresim solam, etiamsi optimè vixerint, damnandi sunt.

Nec verò mirum est, in inferno terribiliter hæreticos ob suam in erroribus pertinaciam cruciari, cùm etiam hac adhuc in vitâ graues pœnas suæ nequitiæ dependant, & vix vllus hæresiarcha inuentus sit, qui non malâ morte mulctatus fuerit. Singulorum infaustissimos obitus recensere, longum nimis foret; arrident elegantissimi illi versus, quibus Catholicus quidam, vti Franciscus Costerus, è Societate IESV quondam eximius Theologus, sub Enchiridij suarum Controuersiarum initio refert, describit, quomodo præcipui hæresum duces & antesignani ad inferos detrusi fuerint: 19.

Hæresiarchæ penè omnes malâ morte puniti sunt.

Ecce Simon medio præceps ruit æthere: demens,
Membra tibi, Manes, sunt spoliata cute:
Ipse sibi laqueo vitam Montanus ademit;
Nestorius, linguam verme vorante, perit:
Infelix ex aluo animam diffudit Arius;
Hunc sequeris nimio, vane Luthere, mero:
Oecoq, lampadium crudelibus occidit vmbris;
Quam cieras, dirâ, Zwinglie, morte cadis:
At Carolstadium nocturnus strangulat vltor;
Bucerus hæc eadem fata superbus obit:
Moribus Herodi similis, Caluine, fuisti,
Par erat & vitam claudere morte pari.
Sic fœdo istorum multantur corpora letho,
Queis anima antè fuit mille sepulta modis.

Age verò, quandoquidem locus & opportunitas in hæreticos calamum stringendi se offerunt, quod angere ipsos queat producamus. Quàm ergo, etiam dum in viuis adhuc supersunt confusioni à Deo tradantur, ipsorum propria scripta testari possunt: in quibus facile inuenire est, quantum cum contenebrionibus suis, ne dicam cum se ipsis, infamiter depugnent: quia enim, ex Apostoli consilio, intellectum suum noluerũt redigere in captiuitatem, in obsequium Christi & fidei, coguntur subesse illi maledictioni, quam Apostolus idemmet alibi protulit, *recipientes in semetipsis mercedem erroris sui, quam oportuit: & sicut non probauerunt Deum habere in notitiâ, tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Itemque illud quod adeò præcauendum monet idem Apostolus, hæreticis accidit, vt iam sint *paruuli fluctuantes, & circumferantur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ, ad circumuentionem erroris.* Sed *& mentita est iniquitas sibi:* dum namque ab vnitate se quisquam segregat fidelium & Ecclesiæ, dissensionis ac discordiæ pœnam incurrit, prout videre est in omnibus qui non modò antiquis, sed præsentibus etiam sæculis à Catholicâ veritate ad hæreses & sectas defecerunt. Contingit vtique illis quod accidisse memoratur Philisthæis, de quibus dicitur: *Ecce versus fuerat gladius vniuscuiusque ad proximum suum, & cædes magna nimis.* Idem namque euenisse priscis iam dissipatis hæresibus, historiæ loquuntur: idem quoque euenturum modernis, ipsarum inter se iurgia, ipsarum in propriis principiis fœdæ contradictiones, quæ tamen simul consistere nequeunt, satis ostendunt. Habet sanè Deus modum mirabilem, quo hæreses solet extinguere, quo ab auitâ fide deficientium errores confutare solet: permittit namque vt ex seipsis nouos iterùm hostes producant, & cùm sint priorum discipuli, suorum ipsi sequacium esse velint in nouâ doctri- 20.

Imò viuos adhuc hæreticos Deus spiritui contentionis tradit, vt se mutuò oppugnent.

2. Cor. 10.

Rom. 1.

Ephes. 4.

Psalm. 26.

1. Reg. 14.

Mirabili nimirum modo Deus hæreses sopire solet.

doctrinâ cudendâ magistri, magistrorum, inquam, suorum, quorum famæ & præeminentiæ inuident, & æmuli facti & aduersarij. Scilicet

21. *Nostrâ ætate licet multi cœpêre proterui*
Catholicam matrem calcibus impetere:
Sic tamen ambitio inter se commisit eosdem,
Vt reliquis palmam cedere nemo velit.
Hus fuit è primis satanæ quem martyra factum
Laudauit Luther, discipulusq; fuit:
Sed superare volens, omnemq; negare magistrum,
Inceptum auxit adhuc impietatis opus.
Huic meritas retulere vices, hinc Zwinglius, illinc
Bucerus, & quotquot dogma tulêre nouum.
His Anabaptismi præfert se Balthasar auctor,
Ac ita dissidiis rem gladiisq; gerunt.
Sic tua te, Caluine, tenet dementia: nulli
Cedere vis; nec vult cedere Beza tibi.
Cumq; negent vnum populo caput esse fideli,
Quisque dari hoc sibi vult hæresiarcha decus.
Omnibus vna quidem mens est, furor omnibus vnus,
Perdere Catholicum viq; doloq; gregem.
Hinc spoliant, multantq; simul se mutuò rursum
Latrones inter quàm malè tuta fides!

22. *Vti Ægyptij venenosa animantia à se inuicem consumi faciebant, ita cum sectariis agit Deus.* De Ægyptiis tradunt antiqui, dum venenosis animantibus inficerentur, non melius adinuenisse consilium, quàm si maximos quosdam puteos effoderent, in quos sese reciperent huiusmodi venenata, ibique occlusa, seipsa demolirentur atque destruerent. Idem, quidquid sit de Ægyptiorum facto, facere cum hæresibus consueuit Deus, quas intra profundissimos superbiæ elationisque inclusas puteos, à propriis earum auctores discipulis impugnari, & nouas plerumque sectas, in tot alias à seipsis distinctas diuisasque refutari: quo fit, vt maiores aduersus se mutuò, quàm aduersus Orthodoxos inimicitias gerant; quod sanè domesticum sed capitale odium, quin tandem vtrisque ruinam & interitum allaturum sit, vsque adeò non est mirum; cùm Christus Dominus præmonere dignatus fuerit, *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius?* Luc. 11.

23. Vnde præsens Caput, cum nonnullis quæ in hanc rem habet R. P. Iacobus Gualterus, absoluimus. Is Sæculo, Veritate ac §. supradictis, Hic, ait, demonstrare tantùm cupio Caluini fœderatis, haud potuisse Caluinum illis faciliùs infernum firmare, quàm aulso ex eorum fide ac mente Purgatorio; hoc est, hanc opinionem esse falsitatis plenissimam. Quod ex Scripturâ & Patribus exemplo conficiam, vbi illos primò rogauero, maturo vt iudicio, sedatisque animi affectibus petulantes, quas suprà retulimus, Caluini insultationes in Purgatorium ac preces pro defunctis, conferant cum eo quod in eodem, ex quo depromptæ illæ sunt, libro & capite annuit, ante mille trecentos annos vsu receptum fuisse vt precationes fierent pro defunctis: quandoquidem ferè solùm ante mille & centum extitit Augustinus, cuius ad ætatem aliorumque veterum Doctorum, confitetur in 4. lib. cap. 2. §. 2. & 3. extra controuersiam esse, nihil à principio mutatum fuisse in doctrinâ, neque Romæ, neque aliis in vrbibus.

Axioma (vt hoc obiter inseram) perefficax ad extorquenda ex ore aduersariorum omnia fidei nostræ dogmata: cùm aliorum non minùs quàm Purgatorij, precationumque pro mortuis fidem nobis antiqui Patres faciant. Quid quæso agnationis inter hæc loca reperient, si attentè ea inter se accurateque componant? Tantum profectò, quantum secum ipse habet Caluinus, cùm Limbum vnà ex parte loco non pridem citato *a* obliterat, aliunde verò illum imprudens *b* constituit, &c. Tantum item quantum est inter eundem Caluinum, vocantem Purgatorium exitiale satanæ commentum, & Petrum Martyrem in 1. Cor. 3. scribentem, *Siue sit siue non sit Purgatorium, certè non est dogma fidei.* Tantum denique quantum inter Caluinum ipsum, eodem in loco affirmantem, Purgatorium meram esse horribilemque in Christum blasphemiam, & eum quem Caluinus scribit à Deo excitatum qui sibi facem ad reperiendam salutis viam præferret, cuius ministerio fundatam esse ait & institutam suam Ecclesiam, &c. Lutherum intelligo, qui in Disputatione Lipsiacâ, tractans de Purgatorio, hanc expressit fidei suæ professionem: *Ego qui credo fortiter, imò ausim dicere scio, Purgatorium esse.* Sic Gualterus. At immensum esset omnes obseruare ne, dicam recensere, siue proprias siue mutuas eorum cōtradictiones, de quibus pluribus infrà, modò ad pleniorem adhuc dubitantium satisfactionem, alias hic pro animarum materie probationes annectimus.

24. *Sibi contrariatur Ioannes Caluinus.*

a Lib. 2. Inst. cap. 16 §. 9. *b* Lib. 3. c. 25. §. 6.

Supplic. ad Carolum V.

CAPVT VI.

Rationes aliquot naturales adferuntur, ex quibus Purgatorium colligitur; atque Ecclesiam, quæ credendum hoc docet, errare non posse monstratur.

1. *Purgatorium adstruitur rationibus è natura desumptis.* QVandoquidem tanta sit inter omnes gentes de animarum purgatione consensio, dubium non est, rationes aliquot subesse, quæ idipsum singulorum mentibus impresserint. Sanè optimè ac succinctè de huiusmodi rationibus egit Bellarminus, qui quinque potissimùm dari affirmat, è quibus hic nos tres solùm adferemus, alias occasionibus aliis reseruantes. Prima itaque ratio naturalis est, quòd secundùm diuersas hominum culpas, diuersæ etiam eæque proportionatæ pœnæ assignari debeant. Nam credibile non est, quòd ob verbum otiosum æquè, atque homicidium aut simile aliquod graue peccatum, homo damnetur. Quæ enim esset illa diuini Numinis, aut vt loquebantur Gentiles, deorum immortalium iniustitia? Intelligibile non est, inquit Bellarminus, quomodo verbum otiosum ex naturâ suâ dignum sit odio Dei, & sempiternis flammis: hic enim in terris stultissimus haberetur, qui ob leuissimam offensionem amici, nec malo animo factam, nollet ampliùs esse amicus, imò vsque ad mortem persequeretur eum quem amicum paulò antè habuerat. Maneat igitur, quædam esse peccata venialia, ac solâ pœnâ temporali digna.

Lib. 1. de Purgat. c. 11.

Prima: quia pro ratione culpæ infligenda pœna maior vel minor.

2. *Deus leuioribus culpis numquam æternam pœnam infert.* In quibus quia sæpiùs hominem mori contingit, fatendum omnino est, eum pœnam aliam subire debere, præter eam quâ in æternum sustinere coguntur illi qui sunt damnati. Nam si hæc sit iustitiæ norma, vt culpæ pœna respondeat, hicque leuis tantùm imò leuissima culpa admissa fuerit, quomodo æqualis illi cum scelestissimis facinoribus punitio infligetur? Esset hoc reuerà contra omnem naturæ ordinem, ac humanam ratiocinationem & iudicium, & propterea nec in Deum cadere præsumendum est; sed constanter admittendum, iustam ac congruentem exiguæ culpæ pœnitentiam à Deo assignari, quam exerceri in Purgatorio credunt Catholici. Quod autem ait Bellarminus, cum eiusmodi peccatis aliquos interdum de hac vitâ migrare, ac proinde in aliâ vitâ purgatione temporali egere, probat hoc modo: Potest quis, dum moritur, habere voluntatem permanendi in peccato veniali, igitur tale peccatum deleri in morte non potest. Præterea cùm septies in die cadat iustus, vt dicitur Prouerb. 24. & multi moriantur repentè, quomodo credibile est non mori aliquos cum peccato veniali? Sic Bellarminus:

Moriuntur aliqui in leuioribus peccatis constituti.

3. *Dantur peccata venialia vel leuiora, quæ temporaliter solùm puniuntur.* Iacob. I. Qui citato loco etiam ex Scripturâ sacrâ ac SS. Patribus demonstrat, verissimum esse quòd peccata venialia dentur, quod quia, Gentium omnium de Purgatorio iudicium rationi consentaneum esse demonstrat, hìc aliquot è Bellarmino loca verbatim transscribemus. Esse autem, inquit ille, quædam peccata venialia, probatur ex Iacobo, qui sic ait: *Vnusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ. Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Hic describitur peccatum veniale ex imperfectione actus. Neque locum hìc habet distinctio hæreticorum de imputatione: nam Iacobus explicat processum peccati secundùm se, ac docet, post tentationem concupiscentiæ, quæ sine perfecto consensu esse potest, continuò sequi peccatum, si quis non caueat: nam ex concupiscentiâ oritur delectatio in parte inferiori, quæ nonnullum peccatum est, non tamen mortiferum, si non adsit consensus mentis deliberatus; ideò enim subiungit: *Peccatum verò cùm consummatum fuerit*, accedente nimirum pleno consensu, *generat mortem.*

4. Præterea I. Corinth. 3. *Qui superædificat ligna, fœnum, stipulas, saluus erit quasi per ignem.* Hic describitur peccatum veniale ex leuitate materiæ: & quomodocumque intelligamus verba Apostoli, siue de hac vitâ, siue de aliâ, siue de doctrinâ, siue de omnibus operibus, necessariò cogimur exponere per ligna, fœnum, stipulas, peccata venialia; quandoquidem qui ista habet, saluatur per ignem. Augustinus, *Alia*, inquit, *sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas contraria est virtuti, imperitia sapientiæ, malitia bonitati. Quisquis igitur nouit quid sit virtus & sapientia Dei, potest æstimare quæ sint venialia peccata; & quisquis nouit quid sit bonitas Dei, potest æstimare quibus peccatis certa pœna debeatur & hîc & in futuro sæculo. Quibus benè tractatis, probabiliter iudicari potest, qui non sint cogendi ad pœnitentiam luctuosam & lamentabilem, quamuis peccata fateantur; & quibus nulla omnino speranda salus, nisi sacrificium obtulerint Deo, spiritum contribulatum, per pœnitentiam.* Sic Augustinus, cui plures alij sancti Doctores possent adiungi; sed quid aliis opus est, cùm res per se pateat? Videamus ergo, quomodo etiam alius insignis ætatis nostræ Scriptor ex hisipsis modernos hæreticos confundat.

Lib. 83. quæst. 26.

5. *Purgatorij assertio è tribus Catholicorum principiis stabilitur.* Becanus lib. I. Manualis controu. c. 8. R.P. Martinus Becanus, è Societate IESV eximius planè Theologus, postquam ostendisset, atque argumentis firmissimis comprobasset tres hasce propositiones, Primò, hominem sæpè peccata venialia committere; Secundò, iustos aliquando mori cum peccatis venialibus, & proinde obnoxios manere pœnæ illis debitæ; Tertiò, neminem vel minimo peccato inquinatum intrare regnum cælorum; hoc modo calamū stringit: Ex his principiis sic concludo: Nullus immundus aut inquinatus potest intrare in regnum cælorum, nisi priùs purgetur & mundetur; at sæpè fit vt homines iusti ex hac vitâ decedant inquinati peccatis venialibus; ergo non possunt intrare in regnum cælorum, nisi priùs purgentur & mundentur. Non purgantur autem in hac vitâ, quia suppono eos mori in peccatis venialibus; ergo vt salui fiant, necesse est post hanc vitam eos purgari; ergo datur aliquod Purgatorium post hanc vitam. Vide Augustinum Serm. I. de Sanctis. Quibus haud contentus Becanus, vt hæreticos nostros, qui soli hominum aliorum aut Scripturæ sensum non capiunt, apertè confutet, ex propriis contra ipsos erroribus sic ratiocinatur:

6. *Item è tribus principiis hæreticorum.* Si aduersarij contemnunt hoc argumentum (quod meritò non possunt) proponam aliud ex ipsorum principiis desumptum, à quo non facilè se expedient. Sunt autem hæc tria illorum principia. Primum, quòd peccatum originale maneat in nobis quamdiu sumus in hac vitâ, neque per Baptismum tollatur: ita Caluinus lib. 4. Instit. cap. 15. §. 10. & in Antidoto Concil. Trident. sess. 5. Alterum, quòd hoc peccatum originale nihil sit aliud quàm prauitas naturæ, hoc est cæcitas mentis, & auersio voluntatis & appetitionum omnium à Deo, cum reatu mortis æternæ, vt definit Dauid Paræus Caluinista in suis Thesibus de Peccato, Thesi 18. qui desumpsit ex Caluino lib. 2. Institut cap. I. §. 8. vbi inter cetera sic ait: *Videtur ergo peccatum originale hæreditaria naturæ nostræ prauitas & corruptio in omnes animæ partes diffusa, quæ facit reos iræ Dei*, &c. Tertium, quòd omnia iustorum opera vitientur & contaminentur ex contagione peccati originalis, quod semper in ipsis manet in hac vitâ; ac proinde quòd omnia ipsorum opera sint inquinamenta, sordes, & mera iniquitas. Ita Caluinus in Antidoto Concil. Trident. sess. 6. cap. 16. vbi ait: *Vitiositas peccati originalis, quæ in nobis hæret, deformat coram Deo, quidquid à nobis operum prodit.* Et lib. 3. Instit. cap. 12. §. 4. *Omnia hominum opera nihil sunt nisi inquinamenta & sordes: & quæ iustitia vulgò habetur, ea apud Deum mera est iniquitas.*

7. Ex his Caluinistarum principiis concludo in hunc modum: Nullus immundus aut inquinatus potest intrare in regnum cælorum, nisi priùs purgetur & mundetur: at Caluinistæ, quamdiu hîc viuunt, sunt immundi & inquinati propter peccatum originale, & omnia illorum opera sunt inquinamenta, sordes, & mera iniquitas apud Deum, vt ipsimet fatentur;

tur; ergo non possunt intrare in regnum cælorum, nisi priùs purgentur & mundentur. Non purgantur autem in hac vitâ, quia semper hic manent obnoxij peccato originali; ergo, si salui esse velint, post hanc vitam purgari necesse est: ergo datur aliquod Purgatoriū pro Caluinistis post hanc vitam: vel si non datur, omnes inferno destinati sunt. Non video quomodo vim huius argumenti possint euadere, si sua principia, ex quibus deductum est, tueri velint. Nam si peccatum originale manet in ipsis quamdiu hîc viuunt, non possunt ab eo nisi post hanc vitam purgari. Vel ergo tunc purgantur, vel non. Si purgantur, Purgatorium habent, quod contendimus: si non purgantur, manent inquinati, & æternæ mortis rei, quod ipsi nolunt. Hæc Becanus, vt proinde suis Nouatores laqueis suspensi hæreant, qui sese naturæ ac Scripturæ legibus exemptos volunt.

8. *Hæreticis omnis elabendi occasio præcluditur.*

Quibus vt ne vllus quidem effugij locus superesit, omnem elabendi occasionem in sequentibus idem P. Becanus ademit. Mihi tamen, inquit, occurrunt tria effugia, quæ in ipsorum gratiam excogitari possunt. Primum est, si dicant, se quidem neque in hac vitâ, neque post hanc vitam, sed in ipso mortis articulo & quasi per ipsā mortem purgari à peccato originali, aliisque sordibus & inquinamentis quibus pleni sunt, & sic vlteriori Purgatorio opus non esse. Sed frustrà: nam si mors haberet hanc vim, omnes homines, etiam infideles, mundarentur à suis peccatis per mortem, & sic omnes salui fierent: hoc autem falsum est, ergo mors non habet hanc vim purgandi, aliud ergo purgatorium quærendum est. Alterum, si dicant, peccatum originale tolli in morte, non quòd ipsa mors per se, sed potiùs quòd fides morientium habeat vim tollēdi peccatum. Neque hoc rectè, Primò, quia sine vllo fundamento asseritur. Probent ipsi ex Scripturâ (ex quâ omnia sua probare volunt) hunc effectum promissum esse fidei morientium. Addo, sæpè fieri vt in articulo mortis nullus sit actus fidei, quia vis morbi sæpè tanta est, vt omnem rationis & intelligentiæ vsum absorbeat. Et sanè si fides morientium, cur non viuentium id præstare possit? Denique quæ hæc temeritas, negare peccatum originale tolli per Baptismum, quod Scriptura & Patres affirmant; & contrà asserere, tolli per fidem morientium, quod neque ex Scripturâ neque ex Patribus probari potest?

Non purgantur per mortem, quia sic & Ethnici saluarentur.

Nec per fidem morientium, quia eis sæpè deest.

9. *Ridiculum etiam, non imputari peccata, licet remaneant.*

Tertium, si dicant, non opus esse vt tollatur peccatum originale, sed sufficere vt non imputetur; non imputari autem fidelibus qui ad vitam æternam prædestinati sunt. Sed si hoc dicāt, consequenter fateri debent, à fidelibus non tolli cæcitatem mentis, auersionem voluntatis à Deo, & reatum pœnæ æternæ. An ergo dicendum est, Caluinistas, qui in cælo sunt, esse cæcos mentis, auersos à Deo, & reos æternę damnationis, tametsi hoc ipsis nō imputetur? Respondeant ipsi.

Sic ranis coaxantibus silentium Becanus imposuit. At quis miretur auersos à mortuis ipsorum animos, quos hæ ineptiæ pascant? qui non in hoc solùm mundo, sed & in cælo à Deo auersos sese fore fateri coguntur. Mirandum profectò non est, illos assiduo in mortuos odio ferri, qui nec mortuos se à Dei odio eximendos credunt. O sectariorum miseriam! in huiusmodi errorum labyrinthū seipsos coniiciunt, vnde nec post mortem euadere queant. Qui dum Purgatorium volunt effugere, incidunt in infernum, suamque Catholicis, ac reliquis quarumcumq; nationum meliùs sentientibus, nolentes conformare sententiam, similes diabolo ac damnatis efficiuntur. Abalienati nimirum sunt hi peccatores à vulvâ Ecclesiæ, errauerunt ab vtero Scripturæ, locuti sunt falsa.

Et sic hæretici dum Purgatorium effugere volunt, in infernum incidunt.

Psal. 57.

10. Primam hancce rationem paulò latiùs & proliziùs deducere voluimus, quia potissimùm contra eos probanda erat, qui licet ratione præditi sint, Christiani appellari affectent, soli tamen in tantâ naturæ ac Scripturæ luce cæcutiunt, vt etiamsi ipsi soli hîc sint cæci, soli tamen videre videri velint: quod tantò patebit ampliùs, quantò rationes, quæ supersunt, ampliùs excusserimus: è quibus altera sit, quòd remissâ graui aliquâ peccati culpâ, non semper remittatur tota pœna illi debita. Hoc in primis Gentium omnium probatur censurâ. Nam quæ natio est, quę Gens, quę Respublica, quæ non frequenter culpam alicui reo remittat, impositâ solùm congruenti pœnitentiâ? Certè nulli culpæ parcere, crudele est; remittere totam, ac numquam punire, iniustum. Vt propterà naturale lumen modum inter hæc aptè commonstrauerit, & culpam aliquando remittendam esse, non remissâ integrâ pœnâ, dictauerit. Quod & in Deo admittendum est, & ab eo etiam in hoc mundo ita fieri, hæretici ipsi admittunt; at negant id contingere post hanc vitam: quasi verò non multi quotidie diem obeant, antequam impositam sibi pœnitentiam per temporales, vt isti volunt, tribulationes exsoluendam, absoluant. Quid igitur cum istiusmodi defunctis agendum esse censent? Certè in iustitiæ suæ tribunali rigidior est Deus quàm vt peccata illis sine impletâ satisfactione dimittat; benignior item, quàm vt hos qui temporalibus solùm pœnis digna gesserunt, affligat æternis. Medium ergo quid in mortuis statuendum est, haud secùs atque in viuis, vt nimirum temporaliter in Purgatorio, prout alij tribulationibus, castigentur.

Secunda ratio: quia non semper, remissâ culpâ, remittitur simul pœna: quod probatur ex communi omniū gentium vsu.

Vt viui pro suis peccatis castigandi, ita etiam mortui.

11. Scripturas autem si hîc rursum audire lubeat, facilè videbitur, quàm ea quæ diximus illis sint conformia: imò & ipsiusmet Caluini testimonio palmā reportabimus. Scripturæ profectò quamplurimis exemplis refertæ sunt, quibus multis, remissâ delicti culpâ, pœnam nihilominùs aliquam subeundam fuisse constat. Moyses & Aaron in pœnam murmuris contra Deum, ne Terram promissionis ingrederentur, prohibiti fuerunt, licet eis culpæ noxa dudum condonata fuisset. Idem videre licet alibi, vbi populum Israeliticum Deus ob delicta puniuit, nec tamen à gratiâ suâ alienum fecit. Regius Propheta tametsi à Nathan audiret remissa sibi esse adulterij & homicidij peccata, non euasit tamen temporalem istam, quam Scriptura ipsi impositam fuisse describit, pœnitentiam. Varia sunt quæ hanc in rem sacer Textus enarrat: sed quia nos ex professo Libro II. Cap. XXVI. cùm de Indulgētiis agēmus, illa producturi simus, ad aduersarij testimonium transimus. Caluinus, *Adde*, inquit, *quòd non modò infirmitatem nostram præuenire, sed præterita etiam delicta sæpè corrigere necesse habeat clementissimus Pater. Proinde quoties affligimur, subire protinus in mentem debet anteactæ vitæ recordatio, ita procul dubio reperiemus*

Scripturarum exemplis ostēditur non semper cum culpâ pœnā remitti.

Numer. 20. Deuter. 32.

Exodi 32. Numer. 14. 2. Reg. 12.

Lib 3. Instit. cap. 8. §. 16.

riemus nos admisisse, quod dignum eiusmodi castigatione esset. O verè fortissimam veritatem, cui falsi etiam & fallentes quandoque testimonium dare coguntur! Quid Caluinum iuuit, à communi hominũ iudicio, & ab ipso veritatis indice Scripturâ sacrâ discessisse, si ipsum se prodat? & quod cap. 4. §. 31. eiusdem libri negauerat, modò confirmet? Ita nempe mendaces solent, qui quoniam omnium quæ effutiunt memores esse nequeunt, seipsos sæpiùs negant.

12. Accedamus ergo ad tertiam rationem, quam Cardinalis Bellarminus adfert in hæc verba: Vltima ratio esse potest, quia ista opinio, quæ tollit Purgatorium, non solùm est falsa, sed etiam perniciosa. Siquidem homines socordes facit in peccatis cauendis, & bonis operibus faciendis. Qui enim cogitat, nullum esse Purgatorium, sed omnia peccata per mortẽ aboleri in iis qui moriuntur cum fide, facilè dicet apud se: Quorsum ego laboro in ieiuniis, precibus, continentiâ, eleëmosynis? cur fraudo cor meum deliciis & voluptatibus? quandoquidem in morte, siue pauca siue multa peccata habuero, omnia delebuntur. At qui cogitat, remanere, præter gehẽnam, ignem acerrimum Purgatorij, & quidquid hic deletum non fuerit per debitæ pœnitentiæ opera, ibi diluendum, certè diligentior cautiorque euadit. Sic ille. Vnde patet, non tantùm quàm sit falsum, sed & quàm sit noxium, negare Purgatorium. Sanè diabolus, cùm modernis hæreticis impugnationẽ eiusdem suggessit, non vnum, sed multiplicem errorem in ipsorum mentibus seminauit: nam simul & mortuos ope viuorum, & viuos spoliauit mortuorum charitate, atque ad omnem libidinem mortalibus viam aperuit. Isti nimirum fructus sunt noui Euangelij: non enim potest arbor mala bonos fructus facere, sed à fructibus eorum cognoscetis eos. de quibus inferiùs plura.

Tertia ratio: quia negans sententia homines à bonorum operum studio retrahit. Lib. 1. de Purg. c. 11.

Diabolus hæreticos per Purgatorij negationem variis aliis erroribus implicauit. Matth. 7.

13. Quartam rationẽ addimus reductiuè, quòd nõ Gẽtium tantùm omnium, sed omniũ etiam temporum, de Purgatorio semper fuerit constans doctrina, adeò vt nec initium nec auctor ipsius designari aut reperiri omnino queat. Solidissimum hoc humano ingenio est argumentum, & ad credendum quidpiam, vehemens incitamentum: vt mirum non sit, tantam in Purgatorij fidem hominum vniuersorum ortam fuisse cõsensionem. Hoc idem vt ad alterum Capitis nostri mẽbrum elucidandum nobis viam sternamus, iam dudum post tot clarissimos Ecclesiæ propugnatores, hæreticis exprobrauit Barclaius. *Aio, inquit ille, ab ipsis Apostolis originem esse Romanæ illius Ecclesiæ, Romanæ illius doctrinæ quæ hodie viget. Hoc si negant sectarij, indicent certum tempus quo demum hæc nostra cœpit Ecclesia, & illa Apostolorum extincta est. Liquidò enim ex historiis & ipsâ confessione hostium constat, fidem Romanæ Ecclesiæ primis sæculis fuisse purissimam. Annos, ac menses, ac propemodum dies possumus recensere, quo qualibet hæresium secta exorta est. Si igitur nos à Christo perennes non fuimus, quid cessant in lucem eruere nostræ Religionis cunabula? Quidam ex illis sub quarti à Christo sæculi finem volunt excidisse legitima sacra: liberaliores sunt alij, & ea vixisse vno sæculo amplius volunt, id est demum extincta sub quingentesimum annum. Sunt qui dicere ausint, S. Gregorium Magnum bonorum Pontificum vltimum extitisse, primumq́, malorum. Non argumentis, non Philosophiâ opus est: suopte vitio hæ machinæ cadunt. Ecce ambigitur quo tempore in tam horrendos lapsus, quales in Romana fide somniant, Ecclesia se demiserit. Nescitur, quando de Ecclesiâ Spiritus sanctus excesserit; nescitur quo tempore cœperint Christiani, apostatæ atque hæretici esse. Num in anilibus somniis quidquam insanius? Scitur quo tempore Iconomachi cœperint, quo Ariani, Manichæi, Eutychiani. Scitur, inquam, expressè: neque tantùm de sæculo non ambigitur, sed propemodum nec de anno: quando autem celebris illa Romanorum Ecclesiâ, illámque secutus Christianorum orbis, à sincerâ fide defecerit, adeo sit ignotum, vt hic vnum sæculum, alius aliud tradat, nec de ipso tempore certo pronuntient? Adeóne res vana, aut obscura, vt lateat? Nugæ, deliria.*

Quarta ratio: quia Purgatoriũ omnibus temporibus creditum fuit. Lib. 1. cap. 7.

Ostẽdere nequeunt hæretici quo tempore Ecclesia Catholica cœperit errare.

Secùs patet de hæresum ortu.

Sed fortasse nonnemo ex hæreticorum harâ prosiliens, ibi somniauerit, ideò præcisè ostendi non posse quando Ecclesia errauerit, quòd paulatim abusus errorésque in eam irrepserint. Sed geminum hic errorem latere, nemo non videt: supponitur enim, quod sanè perquam est absurdum, Ecclesiam errare posse, & paulatim eam errasse. Ecclesiam verò errare non posse, nescio quid magis probet, an ipsorummet aduersariorum concessa, an Scriptura sacra, an denique Patrum orthodoxorum scripta. Aduersarij quidem nostri nobiscum illum Symboli Apostolici articulũ lubenter amplectuntur & exosculantur, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.* De hoc nemo dubitat; quippe & Caluinus ipse Ecclesiam vocauit sanctam, *quia quotidie proficit in sanctitate, & ad metam sanctitatis adspirat.* Admittunt secundo loco, visibilem Ecclesiam esse sponsam Christi, & matrem nostram, extra quam saluari nemo possit. De primo membro huius propositionis nulla est difficultas, de posteriori clarè sic ipsemet Caluinus: *Verùm quia nunc de visibili Ecclesiâ differere propositum est, discamus vel vno matris elogio, quàm vtilis sit nobis eius cognitio, imò necessaria; quando non alius est in vitam ingressus, nisi nos ipsa concipiat in vtero, nisi alat suis vberibus, denique sub custodia & gubernatione suâ nos tueatur, donec exuti carne mortali, similes erimus Angelis.* Et paulò pòst: *Extra eius gremium nulla est speranda peccatorum remissio, nulla salus.* Fatentur tertiò, Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis, vt expressè habetur in Epistolis Paulinis, cuius rationem Caluinus hanc assignat: *Quia Ecclesia veritatem præconio suo celebrat, quia puram & sinceram retinet, quia ad posteros transmittit.* Item alibi: *Quia Ecclesia est fida custos veritatis Dei.* & denique, *quia veritatem tuetur, & propagat vt à posteris in omne æuum colatur.* Sumamus è triplici hoc admisso triplex contra ipsos admittentes hæreticos argumentum; & quidem ipsis Caluini verbis insistamus (tametsi enim Lutherus, vtpote inconstans sibi & Euripo mobilior, fortasse alibi aliter scripserit, apertè tamen alicubi profitetur, Ecclesiam errare non posse, cùm ait: *De nullo priuato homine certi sumus, habeat, nec ne, reuelationem Patris; Ecclesiâ autem ipsa est, de quâ dubitare non licet*) atque sagittis, è propriâ ipsius pharetrâ depromptis, in ipsum iaculabimur. Facit ergo in eum, Symbolum Apostolorũ, in quo velut indubitatus fidei articulus nobis proponitur, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.* Qui articulus, vt & reliqui omnes, vel semper verus fuit, vel aliquando non verus. Si aliquando non verus, quomodo fidei articulus? Ergóne quod falsum est credidit Caluinus? Falsuros id Calu-

14. *Ecclesiam errare non posse multis ostenditur.*

Lib. 4. Instit. c. 1. §. 17.

Ibid. §. 4.

1. Tim. 3.

In illum locũ Apostoli.

Lib. 4. Instit. c. 1. §. 10.

In cap 47. Isaiæ, v. 1.

De Potestate Papæ.

Caluinianos, equidem haud putarim. Si ergo numquam non verus, ergo semper verus. Si semper verus, quomodo ergo semper sanctam statuit Ecclesiam, quæ à fide, & consequenter à sanctitate defecit, cùm *sine fide impossibile* sit *placere Deo*. Iterùm, Si errauit Ecclesia, quomodo vera est illa Caluini expositio de eius sanctitate, quâ nimirum ait eam sanctam esse, quia quotidie proficit in sanctitate, & ad metam sanctitatis adspirat? Si in sanctitate proficit, quomodo ab illâ & à fide defecit? Si ad metam sanctitatis adspirat, quomodo à fidei sanctitatisque semitâ deflexit? Connectant hæc inter se Caluini discipuli.

Hebr. 11.

15. *Ecclesia ex Caluini concessione ad vitam æternam ducit, ergo errare nequit.*

En aliam Caluini contradictionem. Fassus est, non esse alium, quàm per Ecclesiam, in vitam ingressum, ab ipsâ saluandos omnes in vtero concipiendos, eius omnes vberibus nutriendos, denique sub illius custodiâ ac gubernatione vsque in finem vitæ esse fouendos; quin &, extra Ecclesiæ gremium nullam sperandam peccatorum remissionem, nullam salutem: & tamen hanc eamdem Ecclesiam deficere atque errare posse, imò & reipsâ defecisse atque errasse, vult Caluinus. Deus bone! quid hoc est? Errare potest, & de facto errauit, cùm tamen de eâ affirmet Caluinus quæ iam hic produximus. Quomodo illa simul consistere possunt? Quomodo, quæ errat, dabit ingressum in vitam? quomodo concipiet, quomodo nutriet, quomodo fouebit, custodiet, gubernabit, quæ in eo, per quod hæc omnia agenda sunt, deficit ac errat? Noua hæc nationibus vniuersis & mendax doctrina. Si enim per errantem Ecclesiam, quod vtique Caluini verba directè euincunt, remissio peccatorum & salus speranda, an non Dei veritas & iustitia contemnitur, falsitas & mendacium exaltatur, omnisque rationis ac fidei ordo confunditur & euertitur? Cæcus sit, qui ista non videat, excors qui non sentiat, impius qui non execretur atque eiuret. Sed & tertiò sibi Caluinus contradicet. Fatetur ideò Ecclesiam nominari columnam & firmamentum veritatis, quia veritatem præconio suo celebrat, quia puram & sinceram retinet, quia ad posteros transmittit. En iterùm Ecclesiam errare non posse asserit, quam tamen, vt nobiscum contendat, errasse voluit. An simul ergo Ecclesia veritatem suo præconio celebrat, & eamdem erroribus vitiat; puram & sinceram retinet, & eamdem abiicit; ad posteros transmittit, quam iam amisit? Hęc si non sint contradictoria: Defecit, non defecit: amisit, non amisit: retinuit, non retinuit: quid contradictoria sint ignoro; aliaque Dialecticâ opus erit quæ nos doceat. Pergit ineptire suo more Caluinus. Ecclesiam veritatis custodem esse affirmat. Si veritatis est custos, quomodo eam abiecit? Si porrò (quo nihil Caluinus dixit opportunius ad Orthodoxos, infallibilem profitentes esse Ecclesiam, solidandos, se verò & suos confutandos) tuetur & propagat veritatem, quomodo eam abnegat & refutat? Si per illam hæc à posteris in omne æuum colitur, quomodo quatuor aut quinque solùm sæculis in veritate ipsamet stetit? Non credo seipsum intellexisse Caluinum cùm hæc scriberet; quid mirum, nos, qui versutias eius non callemus, qui nudam veritatem sequimur, &, vt ipse, in falsitatum scholis non studuimus, eum non intelligere? non intelligere, inquam, quomodo potuerit ipse, homo cùm esset, & humanioribus litteris admodum imbutus, adeò longè à ratione, naturæ ductu & fidei lumine recessisse, vt hasce, & mille alias multò fœdiores contradictiones, quas Operibus suis interspersas habet, non crederet annotandas, explodendas, execrandas, ad orcum relegandas. Miseret me illorum, qui non alium ducem sibi, quàm inconstantem adeò falsitatis suæ circumforaneum, reperire potuerunt. Sed tantus veritatis est splendor, vt ab ipsis quoque muscis & crabronibus & scarabeis istis hæresium satoribus fomentum accipiat.

Caluinus tamen vbique mirè sibi contradicit:

& cerebro laborasse videtur.

16. *Scriptura sacra Ecclesiam omnis erroris expertem esse asserit:* Isaiæ 54.

Quòd si iam hæreticelli nostri neque suis coryphæis fidem adhibere velint, vel ipsis Scripturis sacris, quarum tanta, scilicet! apud ipsos est auctoritas, credant. Et quidem Isaias multa de Ecclesiæ Christi fecunditate, amplitudine, firmitate, perpetuitate, & victoriâ contra hæreticos & alios eius hostes vaticinatur. Inter cetera eam in Dei personâ sic alloquitur: *Noli timere, quia non confunderis, neque erubesces.* Iam verò si in rebus fidei erraret, vtique confunderetur & erubesceret. Pergit Propheta: *Montes commouebuntur, & colles contremiscent; misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur.* quasi diceret: Etiamsi montes forte, qui tam firmiter radicati sunt, loco mouerentur, & colles contremiscerent, fœdus tamen pacis meę, quod tecum inij, fixum & immutabile permanebit, & misericordiam meam à te nullatenus recedere faciam. Adhuc pergit Propheta: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos.* Quid hæc verba sibi volunt? Hoc nimirum: Ego ita fundabo & stabiliam te, vt nullâ omnino tempestate conuelli queas; ita te portis & propugnaculis muniam, vt omnino futura sis inexpugnabilis. Iam verò si Ecclesia Christi vmquam à veritate & saniore doctrinâ excidisset, annon Deus suam misericordiam ab eâ abstulisset? numquid fœdus pacis suæ, quod cum illâ iniit, perrupisset? numquid eam tempestatibus conuelli passus fuisset? numquid eam expugnari permisisset? &, quod vel cogitare est impiissimum, numquid Deus suæ promissionis violator, fœdifragus & mendax dicendus foret? Videtis ergo, ô belli Ecclesiæ reformatores, in quantas nos blasphemias adigere velitis. Quin ipsemet Saluator noster (vt in Scripturis producendis pergam) Isaiæ vaticinium suo testimonio & promisso confirmans, sic ait: *Portæ inferi nō præualebunt aduersus eā.* & posteà, cùm discipulis suis, & in illis eorū successoribus, fidem mundo annuntiandi mandatum dedisset, subiunxit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi.* En, inquit, ego vos mitto in vniuersum orbem, vt apud Ethnicos infideles Euangelium & doctrinam meam, quam à me didicistis, annuntietis, eos ad salutem æternam adipiscendam instruatis, & tenebras illas, in quibus versantur, ab eorum oculis abstergatis. Occurrent vobis multa pericula & aduersitates, diabolus & eius cohortes, vnà cum Arriis, qui breui exurgent, hæresium cusoribus, nullum non mouebunt lapidem, non modò vt vos è mundo per varia tormēta & persecutiones tollant, sed etiam vt hanc meam doctrinam & fidem eliminent, suas hæreses & figmenta substituant, & tantùm non pristinam idololatriam & impietatem reducant.

Et ipsemet Scripturarum auctor Christus. Matth. 16.

Matth. 28.

ducant. Sed, forti estote animo, ego vobis adero, & successoribus vestris, vsque ad mundi finem. Ego Ecclesiam ita meâ præsentiâ defẽdam, & fidem in eâ meam protegam, vt nullatenus neque vos neque Ecclesia mea à fide excidatis, sed semper & vbique contra hæreses victores euadatis. Verùm enimuerò, si Ecclesia vmquam fidem perdidisset, numquid portæ inferi contra eam præualuissent? an non ab eâ se Christus subduxisset? Et facili negotio multa alia loca huc adducere possemus, nisi hæç adeò sufficerent, vt hæretici non habeant quod contrà mutiant. Ad Patrum testimonia digrediamur.

17. Audiamus ergo primùm omniũ S. Augustinũ, qui sic ait: *Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia vna, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans. Pugnare potest, expugnari tamẽ non potest. Hæreses omnes de illâ exierunt, tamquam sarmenta inutilia de vite præcisa: ipsa autem manet in radice suâ, in vite suâ, in charitate suâ. Portæ inferorum non vincent eam.* Apertè hic S. Augustinus loquitur de Ecclesiâ visibili (videor mihi namque videre iam hiantes hæreticos, & suam illam inuisibilem & vtopicam Ecclesiam opposituríentes) ex quâ exeunt hæretici. Iterùm idem alio in loco sic effatur sub personâ Ecclesiæ Christum alloquentis: *Quid est, quòd nescio qui recedentes à me, murmurant contra me? Quid est quòd perditi me periisse contendunt? Certè enim hoc dicunt, quia fui, & non sum. Annuntia mihi exiguitatem dierum meorum. Quamdiu ero in isto sæculo? Annuntia mihi propter illos, qui dicunt: Fuit, & iam non est: apostatauit, & periit Ecclesia de omnibus Gentibus. Et annuntiauit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Arrigite hic aures vestras, Caluini Lutherique asseclæ. An non vos similes estis Donatistis, contra quos loco iam adducto agit S. Augustinus, qui etiã dicitis quod isti dicebant? Dicebant illi, *Fuit, & iam non est; apostatauit, & periit Ecclesia.* O vos egregios! Dum non habetis quo sectas vestras in mille partes dissectas sustineatis, aitis & vos nouelli Donatistæ: *Ecclesia Romano-Catholica iam non est Catholica, sed fuit; apostatauit, periit.* Numquid & nostra, & Catholica, vera, prima, & ipsissima Christi Sponsa Ecclesia licitè querelas apud Dominum Deum deponet, inquiens: Quid est, quòd nescio qui Hussitæ, Lutherani & Caluiniani, à me recedentes, contra me murmurant? Quid est, quòd infausti illi ardeliones me periisse contẽdunt? Nónne tu, Domine, mihi promisisti, *Ego tecum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi?* Si dixisses, Ego tecum ero quingentis solùm annis, & posteà te instar meretricis per aliquot sæcula deseram ac prostituam, donec nimirum venerint reformatores tui Lutherus & Caluinus; periisse, defecisse me, abiectum me arbitrarer; sed tu disertè dixisti, *Omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* Retunde ergo, Domine, mendacia ora deceptorum, qui me defectionis, te verò fallaciæ & mendacij traducunt, imò te etiam perfidiæ accusant. Sed pergamus. S. Ioannes Chrysostomus Augustino suffragatur, dum sic inquit: *Facilius est solem extingui, quam Ecclesiam obscurari.* S. Cyprianus: *Vna, inquit mater fœcunditatis successibus copiosa. illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur. adulterari nõ potest sponsa Christi incorrupta est.* Nec multùm defatigemus Lectoré in perlegendis Patrum auctoritatibus, vnũ adhuc S. Bernardũ agmẽ claudere faciemus, qui sic scribit: *Ita est, & tunc & deinceps non deficit genus Christianũ, nec fides de terrâ, nec charitas de Ecclesiâ. Venerũt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in eam, & non cecidit, eò quòd fundata esset super petram. Petra autem erat Christus. Itaque nec verbositate Philosophorum, nec cauillationibus hæreticorum, nec gladiis persecutorum, potuit ista aut poterit aliquando separari à charitate Dei, &c.* Ita S. Bernardus. Hactenus igitur ex aduersariorum concessis, Scripturarum textibus, Sanctorumq; Patrum testimoniis manifestũ euasit, Ecclesiam errare non posse. Probandum iam nobis est, eam nec paulatim & clandestinè errare incepisse, aut rectim vllos aliquos in eam errores irrepsisse.

Lib. 1. de Symb. ad Catechumen. cap. 6.

Ecclesia Catholica est inexpugnabilis.

Conc. 2. in Psalm. 101.

Hæretici, dũ Ecclesiam defecisse aiunt, Donatistarũ se sobolem esse probant.

Homil. 4. in cap. 6. Isaiæ.

De Vnitate Eccles.

Serm. 79. in Cantica.

Iuuabit ergo Lectoris in gratiam, ex eodem quò anteà Barclaio nonnulla describere, quæ nostrum hoc propositum egregiè adiuuant atq; confirmant, Nouatorumque hac in re vanitatem atque temeritatẽ planè proterunt. Cogitent, pergit Barclaius, *isti sectarij, vt substantiam apud Philosophos, ita fidem apud verè Christianos non recipere plus vel minus. Vbi fides in aliquâ sui parte corrupta est, non est ampliùs fides. Non est ergo vt referunt, ideò satis definiri non posse tempus, quo Romana Ecclesia desiit esse Christi Ecclesia, quia errores in illam variis temporibus, ac veluti non vnico æstu, allapsi sunt. Vanus, inquam, hic fucus, quandoquidem desiit esse Christi Ecclesia, non tũc demum cùm diuersis erroribus obsoleuit, sed statim ac primo errori in fide apud se locum fecit. Qualis autem primus hic error? quo tempore infecit Ecclesiam? sub quo Pontifice? quo teste? quo auctore? &, quod caput est, quis veterum reluctatus? Nam sit prorsus insignis amentiæ, si reclamasse neminem putes, sed omnes omnino Ecclesias statim cum Romanâ in hæresi conuenisse, præsertim si, vt vultis, Romana non erat ceterarum omnium caput. Hæc explorare debuistis sectarij, hæc ostendere: quæ prima hæresis, quæ secunda; & Ecclesiæ fidem, quæ præcessit illam hæresim primam, in omnibus sequi. Sed nihil horum factum. Turbulento odio proclamatis, Romanam Ecclesiam apostaticam & adulteram factam; nec, quando hoc nefas admiserit, tot adhuc studiis & tam diligenti odio à vobis repertum est.* 18.

Fides Catholica, quâ fides, nec minuitur nec augetur, sed est eadem.

Volunt præcipui vestri duces, aberrasse Ecclesiam circa quingentesimum Christi annum. Vide porrò quid inde sequatur, Sectarie; & siue Gallus es, siue Germanus, aut Anglus, quàm pudendo flagitio oneres tuam gentem. Inde enim sequi necesse est, sinceram Christi fidem numquam Francis illuxisse, sed à Paganismo ipsos non tam ad fidei solem, quam ad aliam noctem & hæresim esse prolapsos. Quippe Rex Clodouæus demũ in fidem Christianam receptus est anno quadringentesimo nonagesimo nono. Falsò igitur Christianissimi Reges dicti, qui numquam verè ac propriè Christiani. Necesse est & Saxones, qui hodie Angliam incolunt, numquã verè fuisse Christianos, quippe qui fidem circa annum Domini sexcentesimum susceperunt. Quid de Germanis dicam, maximeq; Saxonibus, qui circa annum septingentesimum à Carolo Magno domiti, Christi fidem amplexi sunt? vbi illorum populorum ingenium, vbi contumeliæ impatiens animus, & ad minores sæpè iniurias exæstuans? Negant isti sectarij, Maiores vmquam vestros in legitimâ Christi fide vixisse: & vos hæc auditis? hoc fertis? nec in ora insolantis, per tã fœda conuitia vestras gentes calcantiũ? Nihil hic nimis, nihil ad sectariorum inuidiam fictum. Nam si admittis, sectarie, imbutũ verâ fide Clodouæum, si Anglos, si Germanos; concedere prorsus debes, veram 19.

Hæretici in tempore defectionis Ecclesiæ à fide designando, omnes Nationes offendũt.

ergo

ergo Christi fidem adhuc illis sæculis viguisse, nẽpe quingentesimo, sexcentesimo, septingentesimo & ampliùs anno: cui consequens erit, vt (quod præcipuè horres) quæcumque vera illa Ecclesia publico consensu probauit, & te quoque probare oporteat, nempe Sacrificium Missæ, potestatem Pontificis, Purgatorium, implorata Sanctorum suffragia, &c. quæ omnia nec ipsi negare audetis iam illis sæculis in Ecclesiâ fuisse solemnia. Sin illas gentes negas ad Ecclesiam accessisse adhuc integram, adhuc veram; non te in indignam inuidiam, sed in iustum odium apud hos voco, quorum Patres vt profanos ac miseros vis numquam à Christi Spiritu didicisse quo ritu propitiari voluerit.

20. Addit dicto loco multa etiam alia præclara, idẽ Barclaius, quæ à curioso Lectore ibi legi possunt. Et licet hæc non Purgatorium solum, sed reliquos etiam fidei Catholicæ articulos tangant, non malè tamen in animarum materiâ producta fuerunt; quandoquidem hinc patet, & Purgatorij doctrinam cum aliis Ecclesiæ Catholicæ asse[...]s esse communem, & in Purgatorij probatione reliqua fidei dogmata simul comprehendi; tum quia omnis Nouatorum præsentium error, veluti radice; in reiecto Purgatorio continetur; tum etiam, quia suffosso hoc eorum primo fundamento, tota reliquarum falsitatum factionumq; machina vertitur in ruinam.

CAPVT VII.

Quàm ingens, ab annis ampliùs sexcentis, pro Purgatorio testium numerus: quàm nulla debeatur fides Nouatoribus hos oppugnantibus.

1. TAM à vero aliena est hæresis quæ Purgatorium negat, vt n[...] solùm ab omnibus Gentibus, sed etiam temporibus oppugnetur. Et iuste quidem: nam in sectatorem huius erroris optimè quadrat quod de Ismaële dicitur, *Hic est ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* E contrario verò Catholicus iam inde ab vniuersis ætatibus, ac pænè singulis singulorum temporum viris doctis, confirmatam habet suam quam de animabus Purgatorij profitetur doctrinam. Peto à te, sectarie, cuiuscumque sectę sis, saltem vt probes, omni æuo extitisse qui idẽ senserint quod tu modò, quibus in fide successeris quorum Ecclesiam iam impleas. Nihil hac postulatione est æquius. Cùm enim subitò in nouã credendi formã conuenetitis, & hunc vestrum cœtũ veram esse & perennem Christi Ecclesiã dixeritis, quid iustius quã à vobis exigi, vt probetis vestram Ecclesiam semper à Christo, saltem in quibusdam mortalibus, constitisse? Voluêre Iurisconsulti (& ita natura fert) vt onus probationis petitori incumberet: nos autem, vt vel ipsi fatemini, in possessione eramus longâ, antiquâ, multorum sæculorum, cùm vos vindicias scilicet pro veritate postulastis. De possessione nos vultis extrudere. Quid ergo probare cessatis, legitimos vos esse Ecclesiæ heredes? Indicate successionis ius, maiorum seriem, à quibus hanc quam colitis sectam accepistis, edicite: date, inquam, vel omnibus sæculis vnum, qui vestratum partium fuerit, neque qualis ille fuerit quæram, hæreticúsne an Orthodoxus, Philosophus an atheus fuerit, sed statim manus dabo, vos sequar, vobis applaudam.

Genes. 16.

Singulis ab vsque Christi tempore sæculis Purgatorium constantissimè assertũ fuis.

Sed quod tu sectarie non potes, possunt Catholici, quibus facile est per omnia tum legis tum Euangelij sæcula pluri[...]os & præclarissimos Auctores adducere, qui indubitanter Purgatorium asseruerint. Pro moderno inprimis sæculo decimoseptimo satis erit inspicere Opus Francisci Feuardentij de Purgatorio, librum Iacobi Suarez de S. Maria contra Molinæum, Petrũ Thyræum in Opere de Multiplicibus suffragiis, [...]bus piè defunctorum spiritus iuuantur à viuentibus, Costerum cap. 16. Enchiridij, Gregorium de Valentia lib. de Purgatorio, itemque Bellarminum, Becanum, & sexcentos alios, qui hanc passim materiam & Scholasticè vel moraliter pertractarunt. Sæculũ præcedens nec auctoritate inferiores, nec copiâ pauciores Purgatorij defensores produxit. Hoc intueri si placet, licebit ex Alphonso à Castro v. *Purgatorium*, Eckio cap. 25. Enchiridij, Martino Perez 3. Part. Traditionum, cap. De Suffragiis, Grysaldo in Decisionibus v. *Purgatorium*, Thomâ Illyrico 2. Parte Clypei Ecclesiæ Catholicæ, cap. De Purgatorio, Thomâ Elysio in Clypeo piorum, q. 8. totâ, Iudoco Coccio Tom. 2. Thesauri Theologici, lib. 7. art. 5. & l. 10. art. 6. Theodoro Peltano in suis Tractatibus de Igne Purgatorij, de Suffragiis defunctorum, de Sepulturis, de Funere, & mortuorum Anniuersariis, Petro Canisio in magno suo Catechismo, cap. 4. cùm agit de Pœnitentiâ, & aliis propemodum infinitis. 2.

Sæculo XVII. moderno id asserunt varij.

Sæculo XVI. iterum quàplurimi.

Neque valebit hæreticorum obiectio, si hîc dicant, quos recitauimus non fuisse nisi priuatos, & propterea eorum scripta non esse de Fide, sed ad certitudinem eiusmodi articuli opus esse auctoritatę vniuersalis Ecclesiæ, seu Oecumenici Concilij. Non valebit, inquam, hæc argumentatio, quandoquidem id in præsenti euidẽtissimum sit, tum quia Scriptores omnes Catholici, qui de Purgatorio egêre, vnanimi voce asseruerunt Ecclesiam Purgatorium credere, & contrarium hęreticum esse; tum etiam, quia illud ipsum in Generali & Oecumenico Concilio Tridentino iterùm definitũ est, in quo sess. 25. expressum inuenitur de Purgatorio decretum. Cuius etiam veritatem sæculo decimo quinto Ecclesiæ proposuerũt Patres Generalis ac Oecumenici Cõcilij Florentini, quod non ex Latinis tantummodò, sed Græcis quoque atque Armenis collectum, congregatum & subscriptum fuit. At si pro illâ ætate particulares insuper testes audire quispiam velit, euoluere poterit scripta Thomæ Waldẽsis, Thõmæ à Kempis, Alphonsi Tostati, Ioannis Gersõnis Parisiensis Cancellarij, Gabrielis Bielis, S. Bernardini Senensis, ac plurium aliorum. 3.

Hæreticorum obiectio, Scriptores Purgatorij assertores, priuatos esse dicentium, diluitur.

Sæculo XV denuò multi idem asserũt.

Decimoquarto sæculo viuentium suffragia defunctis prodesse affirmauit Durandus de S. Portiano, qui ait: *Plus valet apud Deum amor charitatis inter fideles, quàm valeat apud homines amor ciuilis inter concine: sed amor ciuilis valet tantum apud homines, quòd vnus ex amore potest apud Iudicem alium liberare à debita pœna vel rogando vel satisfaciendo, ergo,* &c. Nicephorus Gregoras, recitatâ morte Lascaris Imperatoris, affirmat, de more celebratum pro eo esse diem nonum in illo Monasterio vbi sepultus fuerat. & lib. 9. scribit, annis singulis celebrari 4.

Sæculo XIV. Durandus de S. Portiano, in 4. Scot. dist. 45. q. 1.

Nicephorus Gregoras, Li. 5 Histor. Constantinop.

Christiani orarent pro mortuis, sed & illos qui orandum abnuerent, in hæreticis numerarent. Ita Epiphanius, Augustinus, & ceteri Patres inter Arij hæreses referunt, quòd pro mortuis nollent orari. Ita Scriptor ille eximius de Nouatoribus modernis triumphat.

15. *Hæreticis sūt sui erroris maioris occasio.*

At tam fuit hic Sectatoribus triumphus infaustus, quàm Catholicis in doctrinæ suæ confirmationem felix. Ex quo enim isti veritatem clariùs videre debuerant, maioris cæcitatis occasionem sumpserunt, excæcati nimirum in peruicaciæ suæ pœnam, vtpote qui in vniuersali humani generis luce, oculos ipsi suos aperire noluerunt. Vnde de iis meritò D. Augustinus: *Nónne isti palpant in meridie quasi in mediâ nocte? Quod quidem omnium hæreticorum est, qui rem manifestissimam, in lucem omnium Gentium constitutam, videre non possunt.* O horrendam Dei punitionem! Viderunt omnes Nationes, & Purgatorium adstruxerunt: viderunt Ethnici, viderunt Iudæi; soli Nouatores nostri in tantâ, vti vidimus, luce, videre non potuerunt, potiùs verò dicam, videre noluerunt. Deus bone! quid hoc est? Venit super eos terribilis illa maledictio, quam impio populo per Isaiam Dominus imprecatus est: *Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.* De quibus intelligi etiam possunt, quæ de induratis Pharisæis Christus locutus est: *Incrassatum est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt.* Vnde fit, vt cùm aures suas ac corda, ad omne bonum reiiciendum, ac malum amplectendum, indurauerint, in maiora quotidie peccata, ac scelus potissimùm impietatis impœnitentiæque prolabantur. Rectè proinde de illis Zacharias: *Hæc ait Dominus exercituum, dicens. Iudicium verum iudicate, &c. Et noluerunt attendere, & auerterunt scapulam recedentem, & aures suas aggrauauerunt, ne audirent. Et cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent legem, & verba quæ misit Deus exercituum in Spiritu suo per manum Prophetarum priorum, & facta est indignatio magna à Domino exercituum.* Quin & Isaias de huiusmodi pertinaci & obstinato hæretico potest intelligi, dum sic inquit: *Sciui enim quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea.*

Lib. 2. Contra Parmenon. cap. 3.

Quæ ex diuinâ in illos maledictione prouenit. Isaiæ 6.

Matth. 13.

Zachar. 7.

Isai. 48.

16. *Inde iustissimè Deo obdurari merentur.*

An non ergo iustissimè Deus, tam pertinaci obstinatione lacessitus, ac veluti coactus, in peccati adeò impudentis punitionem, istud cor, quod simile est cordi Pharaonis, instar illius indurat? Audiamus D. Gregorium Magnum. *Ad Moysen*, inquit, *dicitur de Pharaone: Ego obdurabo cor eius. Obdurare quippe per iustitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non emollit.* Imò manifestiùs alibi sic inquit: *Pharaonis cor Dominus obdurasse describitur, non quòd ipse duritiam contulit, sed quòd, exigentibus eius meritis, nulla illud desuper infusi timoris sensibilitate molliuit.* Vlteriorem rei huius explicationem si quis desideret, capiat eam ab eodem Doctore sancto Gregorio, hunc in modum: *Peccatum, quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum simul est, & causa peccati: quia ex illo oritur, vnde adhuc peccatoris animus altiùs obligetur. Peccatum verò quod ex peccato sequitur, peccatum simul est, & pœna peccati: quia excrescente cæcitate, ex retributione prioris culpæ generatur, vt quasi iam quædam sint in peccatore supplicia ipsa incrementa vitiorum. Fit verò nonnumquam, vt vnum idemque peccatum, & peccatum sit, & pœna peccati, simul & causa peccati.* Et paulò post: *Hoc autem nobis cum tremore considerandum est, quomodo iustus & omnipotens Deus, cùm præcedentibus peccatis irascitur, permittit vt cæcata mens etiam in aliis labatur. Vnde Moyses ait: Nondum completa sunt peccata Amorrhæorum. Dauid quoque ait: Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum, vt non intrent in iustitia tuâ.* Hæc D. Gregorius. quæ tametsi de peccatoribus aliis potissimum dicta sint, non malè de hæreticis, qui de errore in errorem voluntantur, potest intelligi.

Lib. 11. Moralium, cap. 5. Exod. 4.

Lib. 31. Moralium, c. 11.

Homil. 11. super Ezech.

Genes. 15.

Psal. 68.

17. *Graue peccatum est, peccatum obstinationis in hæresi.*

Videre igitur ex his licet, quàm perniciosum sit contumaciæ obstinationisque peccatum, per quod in esse suo constituitur hæreticus, qui verè hæreticus, seu, quod idem, in fidei errore obstinatus est. Perspeximus, inquam, peccatum istiusmodi quàm graue sit, & ad quàm ingentem ruinam perducat. Atque per hoc inprimis omnem, qui quidem hæreticus sit, talem effici, Doctorum Princeps S. Augustinus ad oculum declarat: qui hæreticum describens, *eum esse ait, qui sub nomine Christiano resistit doctrinæ Christianæ.* Quæ definitio conformis est illi quam communiter Scholastici tradunt de hæresi, hanc esse docentes errorem voluntarium intellectus contra aliquam fidei veritatem, cum pertinaciâ assertum ab eo qui fidem recepit. Vbi, sicut D. Augustinus resistentiam, ita & Doctores alij pertinaciam pro hæresi committendâ requirunt. Quare idem quoque D. Augustinus, *Qui*, inquit, *sententiam suam, quamuis falsam & peruersam, nullâ pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audaciâ præsumptionis suæ pepererunt, sed à seductis & in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati cùm inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Sic Augustinus. Quæ verba, vt frequentiùs memoriæ obuerterentur, in Ius Canonicum relata sunt, & referuntur in Decreto c. *Dixit Apostolis.* 24. quæst. 3. Sed quàm est clarum, errantem à fide, pertinaciâ hæreticum fieri, tam est clarum, pertinaciâ factum hæreticum in horrenda incomprehensibiliaque mala, ex quibus difficilè rarissimeque euadat, prolabi. Testis est mellifluus Doctor sanctus Bernardus, qui sic inter alia: *Nemo duri cordis salutem vmquam adeptus est, nisi quem fortè miserans Deus, abstulit ab eo, iuxta Prophetam, cor lapideum, & dedit cor carneum. Quid ergo cor durum? Ipsum est quod neque compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non prouidens. Ipsum est, cui præteritorum, præter solas iniurias, nihil omnino non præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla, nisi fortè ad vlciscendum, prospectio seu præparatio est. Et vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reueretur.* Qui ipsemet Doctor & alibi hæc habet: *At fortè aliquem*

Lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 51.

Pertinacia in falsâ doctrinâ, hæreticum facit.

Epist. 162.

Inde verò in grauissima mala incidunt.

Lib. 1. de Considerat. ad Eugenium Papam, ca. 2. Ezech. 36.

Cor durum quale sit.

Serm. de cap. 4.

Serm. de Conuersione ad Clericos, cap. 4.

aliquem moueat illud de Psalmo: Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Ego autem dico, odit & carnem. An non odit, cui gehennæ cumulos mercatur in dies, & cui, secundùm duritiam suam, & cor impœnitens, thesaurizat iram in die iræ? Ceterùm hoc odium tam carnis quàm animæ, non in affectu sed in effectu potiùs inuenitur. Sic nimirum odit & phreneticus carnem suam, cùm sibiipsi manus inferre laborat, rationis deliberatione sopitâ. An verò grauior vlla phrenesis indicatur, quàm impœnitentia cordis, & peccandi obstinata voluntas? Siquidem manus nefarias iniicit sibi ipsi, nec carnem, sed mentem lacerat & corrodit.

Obstinata in malo voluntas, grauissima est phrenesis.

18. Hæreticorum igitur damnationem etiam esse terribilem, ex Scripturis & Historiis fide dignis certissimum est: suffecerit hîc vel vnum exemplum retulisse, quod refert Ioannes Moscus in hæc verba: Senex quidam sedebat in Laurâ Calamonis iuxta Iordanem fluuium, Cyriacus nomine, magni apud Deum meriti. Ad hunc profectus est frater peregrinus ex regione Dora, nomine Theophanes, vt interrogaret senem de cognitionibus fornicationis. Quem senior hortari cœpit, atque vrgere verbis de pudicitiâ & castitate. Frater itaque magnificè ædificatus, ait seni: Verè, mi Pater, ego, nisi in regione meâ Nestorianis communicarem, tecum permansissem. Cùm verò audisset senex Nestorij nomen, afflictus de perditione fratris, corripiebat eum, & orabat, vt recederet ab hac pessimâ & perniciosâ hæresi, accederetque ad sanctam Catholicam Ecclesiam, dicens, non esse aliam salutis spem, nisi rectè sentiamus & credamus, vt reuerà est, sanctam Mariam Dei genitricem esse. Dixit autem frater ille seni: Profectò, Domine Pater, omnes hæreses sic dicunt, Nisi nobiscum communices, saluus esse non poteris. quid ergo faciam infelix, nescio. deprecare igitur Dominum, vt reipsâ me certum faciat, quænam sit vera fides. Senex verò cum gaudio fratris verba suscepit, dixitque illi: Sede in speluncâ mecum, & omnino spem in Deo habeto, quia reuelabit tibi ipsius benignitas, quæ sit vera fides. Dimissoque fratre in speluncâ suâ, egressus est senior prope Mare mortuum, orans Deum pro fratre. Circa autem horam nonam diei sequentis adspexit frater quemdam adstantem sibi adspectu terribilem, ac dicentem: Veni, & vide veritatem. assumensque eum, duxit in locum tenebrosum ac fœtidum, ignes euaporantem, atque in ipsis ignibus vidit Nestorium, Eutychem, Apollinarem, Dioscorum, Seuerum, Arium & alios quosdam hæreticos. Dixitque illi is qui apparuerat: Locus iste paratus est hæreticis & blasphemantibus, & his qui illorum dogmata sequuntur. Si ergo placet tibi locus, persiste in tuo dogmate. Si autem supplicium istud experiri non vis, accede ad sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, quam te senex docet; dico enim tibi, quia si omnes virtutes homo operetur, nec rectè credat, in hoc loco cruciabitur. Atque in hoc verbo venit frater in semetipsum, & redeunti seni narrauit omnia quæ viderat, accessitque ad communionem sanctæ Catholicæ Ecclesiæ. Remansit autem cum sene, impletisque quatuor cum illo annis, dormiuit in pace. Hæc ibi.

In Prato spirituali, cap. 6.

Hæretici ob hæresim solam, etiamsi optimè vixerint, damnandi sunt.

Nec verò mirum est, in inferno terribiliter hæreticos ob suam in erroribus pertinaciam cruciari, cùm etiam hac adhuc in vitâ graues pœnas suæ nequitiæ dependant, & vix vllus hæresiarcha inuentus sit, qui non malâ morte mulctatus fuerit. Singulorum infaustissimos obitus recensere, longum nimis foret; arrident elegantissimi illi versus, quibus Catholicus quidam, vti Franciscus Costerus, è Societate IESV quondam eximius Theologus, sub Enchiridij suarum Controuersiarum initio refert, describit, quomodo præcipui hæresum duces & antesignani ad inferos detrusi fuerint: 19.

Hæresiarchæ penè omnes malâ morte puniti sunt.

Ecce Simon medio præceps ruit æthere: demens,
Membra tibi, Manes, sunt spoliata cute:
Ipse sibi laqueo vitam Montanus ademit;
Nestorius, linguam verme vorante, perit:
Infelix ex aluo animam diffudit Arius;
Hunc sequeris nimio, vane Luthere, mero:
Oecoq; lampadium crudelibus occidit vmbris;
Quam cieras, dirâ, Zwinglie, morte cadis:
At Carolstadium nocturnus strangulat vltor;
Bucerus hæc eadem fata superbus obit:
Moribus Herodi similis, Caluine, fuisti,
Par erat & vitam claudere morte pari.
Sic fœdo istorum multantur corpora letho,
Queis anima antè fuit mille sepulta modis.

Age verò, quandoquidem locus & opportunitas in hæreticos calamum stringendi se offerunt, quod angere ipsos queat producamus. Quàm ergo, etiam dum in viuis adhuc supersunt confusioni à Deo tradantur, ipsorum propria scripta testari possunt: in quibus facilè inuenire est, quantum cum contenebrionibus suis, ne dicam cum se ipsis, infamiter depugnent: quia enim, ex Apostoli consilio, intellectum suum noluerũt redigere in captiuitatem, in obsequium Christi & fidei, coguntur subesse illi maledictioni, quam Apostolus idemmet alibi protulit, *recipientes in semetipsis mercedem erroris sui, quam oportuit: & sicut non probauerunt Deum habere in notitiâ, tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Itemque illud quod adeò præcauendum monet idem Apostolus, hæreticis accidit, vt iam sint *paruuli fluctuantes, & circumferantur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ, ad circumuentionem erroris.* Sed *& mentita est iniquitas sibi:* dum namque ab vnitate se quisquam segregat fidelium & Ecclesiæ, dissensionis ac discordiæ pœnam incurrit, prout videre est in omnibus qui non modò antiquis, sed præsentibus etiam sæculis à Catholicâ veritate ad hæreses & sectas defecerunt. Contingit vtique illis quod accidisse memoratur Philisthæis, de quibus dicitur: *Ecce versus fuerat gladius vniuscuiusque ad proximum suum, & cædes magna nimis.* Idem namque euenisse priscis iam dissipatis hæresibus, historiæ loquuntur: idem quoque euenturum modernis, ipsarum inter se iurgia, ipsarum in propriis principiis fœdæ contradictiones, quæ tamen simul consistere nequeunt, satis ostendunt. Habet sanè Deus modum mirabilem, quo hæreses solet extinguere, quo ab auitâ fide deficientium errores confutare solet: permittit namque vt ex seipsis nouos iterùm hostes producant, & cùm sint priorum discipuli, suorum ipsi sequacium esse velint in nouâ doctri- 20.

Imò viuos adhuc hæreticos Deus spiritui contentionis tradit, vt se mutuò oppugnent.

2. Cor. 10.

Rom. 1.

Ephes. 4.

Psalm. 26.

1. Reg. 14.

Mirabili admirum modo Deus hæreses sopire solet.

doctrinâ cudendâ magistri, magistrorum, inquam, suorum, quorum famæ & præeminentiæ inuident, & æmuli facti & aduersarij. Scilicet

21. *Nostrâ ætate licet multi cœpêre proterui*
Catholicam matrem calcibus impetere:
Sic tamen ambitio inter se commisit eosdem,
Vt reliquis palmam cedere nemo velit.
Hus fuit è primis satanæ quem martyra factum
Laudauit Luther, discipulusq; fuit:
Sed superare volens, omnemq; negare magistrum,
Inceptum auxit adhuc impietatis opus.
Huic meritas retulere vices, hinc Zwinglius, illinc
Bucerus, & quotquot dogma tulêre nouum.
His Anabaptistiui præfert se Balthasar auctor,
Ac ita dissidiis rem gladiisq; gerunt.
Sic tua te, Caluine, tenet dementia: nulli
Cedere vis; nec vult cedere Beza tibi.
Cumq; negent vnum populo caput esse fideli,
Quisque dari hoc sibi vult hæresiarcha decus.
Omnibus vna quidem mens est, furor omnibus vnus,
Perdere Catholicum viq; doloq; gregem.
Hinc spoliant, multantq; simul se mutuò rursum
Latrones inter quàm malè tuta fides!

22. *Vti Ægyptij venenosa animantia à se inuicem consumi faciebant, ita cum sectariis agit Deus.* De Ægyptiis tradunt antiqui, dum venenosis animantibus inficerentur, non melius adinuenisse consilium, quàm si maximos quosdam puteos effoderent, in quos sese reciperent huiusmodi venenata, ibique occlusa, seipsa demolirentur atque destruerent. Idem, quidquid sit de Ægyptiorum facto, facere cum hæresibus consueuit Deus, quas intra profundissimos superbiæ elationisque inclusas puteos, à propriis earum auctores discipulis impugnari, & nouas plerumque sectas, in tot alias à seipsis distinctas diuisasque refutari: quo fit, vt maiores aduersus se mutuò, quàm aduersus Orthodoxos inimicitias gerant; quod sanè domesticum sed capitale odium, quin tandem vtrisque ruinam & interitum allaturum sit, vsque adeò non est mirum; cùm Christus Dominus præmonere dignatus fuerit, *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius?* Luc. 11.

23. Vnde præsens Caput, cum nonnullis quæ in hanc rem habet R. P. Iacobus Gualterus, absoluimus. Is Sæculo, Veritate ac §. supradictis, Hìc, ait, demonstrare tantùm cupio Caluini fœderatis, haud potuisse Caluinum illis faciliùs infernum firmare, quàm auulso ex eorum fide ac mente Purgatorio; hoc est, hanc opinionem esse falsitatis plenissimam. Quod ex Scripturâ & Patribus exemplo conficiam, vbi illos primò rogauero, maturo vt iudicio, sedatisque animi affectibus petulantes, quas suprà retulimus, Caluini insultationes in Purgatorium ac preces pro defunctis, conferant cum eo quod in eodem, ex quo depromptæ illæ sunt, libro & capite annuit, ante mille trecentos annos vsu receptum fuisse vt precationes fierent pro defunctis: quandoquidem ferè solùm ante mille & centum extitit Augustinus, cuius ad ætatem aliorumque veterum Doctorum, confitetur in 4. lib. cap. 2. §. 2. & 3. extra controuersiam esse, nihil à principio mutatum fuisse in doctrinâ, neque Romæ, neque aliis in vrbibus.

24. *Sibi contrariatur Ioannes Caluinus.* Axioma (vt hoc obiter inseram) perefficax ad extorquenda ex ore aduersariorum omnia fidei nostræ dogmata: cùm aliorum non minùs quàm Purgatorij, precationumque pro mortuis fidem nobis antiqui Patres faciant. Quid quæso agnationis inter hæc loca reperient, si attentè ea inter se accurateque componant? Tantum profectò, quantum secum ipse habet Caluinus, cùm Limbum vnâ ex parte loco non pridem citato *a* obliterat, aliunde verò illum imprudens *b* constituit, &c. Tantum item quantum est inter eumdem Caluinum, vocantem Purgatorium exitiale satanæ commentum, & Petrum Martyrem in 1. Cor. 3. scribentem, *Siue sit siue non sit Purgatorium, certè non est dogma fidei.* Tantum denique quantum inter Caluinum ipsum, eodem in loco affirmantem, Purgatorium meram esse horribilemque in Christum blasphemiam, & eum quem Caluinus scribit à Deo excitatum qui sibi facem ad reperiendam salutis viam præferret, cuius ministerio fundatam esse ait & institutam suam Ecclesiam, &c. Lutherum intelligo, qui in Disputatione Lipsiacâ, tractans de Purgatorio, hanc expressit fidei suæ professionem: *Ego qui credo fortiter, imò ausim dicere scio, Purgatorium esse.* Sic Gualterus. At immensum esset omnes obseruare ne, dicam recensere, siue proprias siue mutuas eorum contradictiones, de quibus pluribus infrà, modò ad pleniorem adhuc dubitantium satisfactionem, alias hìc pro animarum materie probationes annectimus.

a Lib. 2. Inst. cap. 16 §. 9.
b Lib. 3. c. 25. §. 6.
Supplic. ad Carolum V.

CAPVT VI.

Rationes aliquot naturales adferuntur, ex quibus Purgatorium colligitur; atque Ecclesiam, quæ credendum hoc docet, errare non posse monstratur.

1. *Purgatorium adstruitur rationibus è natura diuinâ deſumptis.* QVandoquidem tanta sit inter omnes gentes de animarum purgatione consensio, dubium non est, rationes aliquot subesse, quæ idipsum singularum mentibus impresserint. Sanè optimè ac succinctè de huiusmodi rationibus egit Bellarminus, qui quinque potissimùm dari affirmat, è quibus hìc nos tres solùm adferemus, alias occasionibus aliis reseruantes. Prima itaque ratio naturalis est, quòd secundùm diuersas hominum culpas, diuersæ etiam eæque proportionatæ pœnæ assignari debeant. Nam credibile non est, quòd ob verbum otiosum æquè, atque homicidium aut simile aliquod graue peccatum, homo damnetur. Quæ enim esset illa diuini Numinis, aut vt loquebantur Gentiles, deorum immortalium iniustitia? Intelligibile non est, inquit Bellarminus, quomodo verbum otiosum ex naturâ suâ dignum sit odio Dei, & sempiternis flammis: hìc enim in terris stultissimus haberetur, qui ob leuissimam offensionem amici, nec malo animo factam, nollet ampliùs esse amicus, imò vsque ad mortem persequeretur eum quem amicum paulò antè habuerat. Maneat igitur, quædam esse peccata venialia, ac solâ pœnâ temporali digna.

Lib. 1. de Purgat. c. 11.
Prima: quia pro ratione culpæ infligenda pœna maior vel minor.

2. *Deus leuioribus culpis numquam æternam pœnam infert.* In quibus quia sæpius hominem mori contingit, fatendum omnino est, eum pœnam aliam subire debere, præter eam quâ in æternum sustinere cogentur illi qui sunt damnati. Nam si hæc sit iustitiæ norma, vt culpæ pœna respondeat, hicque leuis tantùm imò leuissima culpa admissa fuerit, quomodo æqualis illi cum scelestissimis facinoribus punitio infligetur? Esset hoc reuerà contra omnem naturæ ordinem, ac humanam ratiocinationem & iudicium, & propterea nec in Deum cadere præsumendum est; sed constanter admittendum, iustam ac congruentem exiguæ culpæ pœnitentiam à Deo assignari, quam exerceri in Purgatorio credunt Catholici. Quod autem ait Bellarminus, cum eiusmodi peccatis aliquos interdum de hac vitâ migrare, ac proinde in aliâ vitâ purgatione temporali egere, probat hoc modo: Potest quis, dum moritur, habere voluntatem permanendi in peccato veniali, igitur tale peccatum deleri in morte non potest. Præterea cùm septies in die cadat iustus, vt dicitur Prouerb. 24. & multi moriantur repentè, quomodo credibile est non mori aliquos cum peccato veniali? Sic Bellarminus: *Moriuntur aliqui in leuioribus peccatis constituti.*

3. *Dantur peccata venialia vel leuiora, quæ temporaliter solum puniuntur.* Qui citato loco etiam ex Scripturâ sacrâ ac SS. Patribus demonstrat, verissimum esse quòd peccata venialia dentur, quod quia, Gentium omnium de Purgatorio iudicium rationi consentaneum esse demonstrat, hìc aliquot è Bellarmino loca verbatim transscribemus. Esse autem, inquit ille, quædam peccata venialia, probatur ex Iacobo, qui sic ait: *Vnusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ. Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Hic describitur peccatum veniale ex imperfectione actus. Neque locum hìc habet distinctio hæreticorum de imputatione: nam Iacobus explicat processum peccati secundùm se, ac docet, post tentationem concupiscentiæ, quæ sine perfecto consensu esse potest, continuò sequi peccatum, si quis non caueat: nam ex concupiscentiâ oritur delectatio in parte inferiori, quæ nonnullum peccatum est, non tamen mortiferum, si non adsit consensus mentis deliberatus; ideò enim subiungit: *Peccatum verò cùm consummatum fuerit*, accedente nimirum pleno consensu, *generat mortem.* Iacob. 1.

4. Præterea 1. Corinth. 3. *Qui superædificat ligna, fœnum, stipulas, saluus erit quasi per ignem.* Hic describitur peccatum veniale ex leuitate materiæ: & quomodocumque intelligamus verba Apostoli, siue de hac vitâ, siue de aliâ, siue de doctrinâ, siue de omnibus operibus, necessariò cogimur exponere per ligna, fœnum, stipulas, peccata venialia; quandoquidem qui ista habet, saluatur per ignem. Augustinus, *Alia*, inquit, *sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas contraria est virtuti, imperitia sapientiæ, malitia bonitati. Quisquis igitur nouit quid sit virtus & sapientia Dei, potest æstimare quæ sint venialia peccata; & quisquis nouit quid sit bonitas Dei, potest æstimare quibus peccatis certa pœna debeatur & hîc & in futuro sæculo. Quibus benè tractatis, probabiliter iudicari potest, qui non sint cogendi ad pœnitentiam luctuosam & lamentabilem, quamuis peccata fateantur; & quibus nulla omnino speranda salus, nisi sacrificium obtulerint Deo, spiritum contribulatum, per pœnitentiam.* Sic Augustinus, cui plures alij sancti Doctores possent adiungi; sed quid aliis opus est, cùm res per se pateat? Videamus ergo, quomodo etiam alius insignis ætatis nostræ Scriptor ex hisipsis modernos hæreticos confundat. Lib. 83. quæst. 26.

R. P. Martinus Becanus, è Societate Iesv eximius planè Theologus, postquam ostendisset, atque argumentis firmissimis comprobasset tres hasce propositiones, Primò, hominem sæpè peccata venialia committere; Secundò, iustos aliquando mori cum peccatis venialibus, & proinde obnoxios manere pœnæ illis debitæ; Tertiò, neminem vel minimo peccato inquinatum intrare regnum cælorum; hoc modo calamū stringit: Ex his principiis sic concludo: Nullus immundus aut inquinatus potest intrare in regnum cælorum, nisi priùs purgetur & mundetur; at sæpè fit vt homines iusti ex hac vitâ decedant inquinati peccatis venialibus; ergo non possunt intrare in regnum cælorum, nisi priùs purgentur & mundentur. Non purgantur autem in hac vitâ, quia suppono eos mori in peccatis venialibus; ergo vt salui fiant, necesse est post hanc vitam eos purgari; ergo datur aliquod Purgatorium post hanc vitam. Vide Augustinum Serm. 1. de Sanctis. Quibus haud contentus Becanus, vt hæreticos nostros, qui soli hominum aliorum aut Scripturæ sensum non capiunt, apertè confutet, ex propriis contra ipsos erroribus sic ratiocinatur: 5. *Purgatorij assertio è tribus Catholicorum principiis stabilitur.* Becanus lib. 1. Manualis contron. c. 8.

Si aduersarij contemnunt hoc argumentum (quod meritò non possunt) proponam aliud ex ipsorum principiis desumptum, à quo non facilè se expedient. Sunt autem hæc tria illorum principia. Primum, quòd peccatum originale maneat in nobis quamdiu sumus in hac vitâ, neque per Baptismum tollatur: ita Caluinus lib. 4. Instit. cap. 15. §. 10. & in Antidoto Concil. Trident. sess. 5. Alterum, quòd hoc peccatum originale nihil sit aliud quàm prauitas naturæ, hoc est cæcitas mentis, & auersio voluntatis & appetitionum omnium à Deo, cum reatu mortis æternæ, vt definit Dauid Paræus Caluinista in suis Thesibus de Peccato, Thesi 18. qui desumpsit ex Caluino lib. 2. Institut cap. 1. §. 8. vbi inter cetera sic ait: *Videtur ergo peccatum originale hæreditaria naturæ nostræ prauitas & corruptio in omnes animæ partes diffusa, quæ facit reos iræ Dei*, &c. Tertium, quòd omnia iustorum opera vitientur & contaminentur ex contagione peccati originalis, quod semper in ipsis manet in hac vitâ; ac proinde quòd omnia ipsorum opera sint inquinamenta, sordes, & mera iniquitas. Ita Caluinus in Antidoto Concil. Trident. sess. 6. cap. 16. vbi ait: *Vitiositas peccati originalis, quæ in nobis hæret, deformat coram Deo, quidquid à nobis operum prodit.* Et lib. 3. Instit. cap. 12. §. 4. *Omnia hominum opera nihil sunt nisi inquinamenta & sordes: & quæ iustitia vulgò habetur, ea apud Deum mera est iniquitas.* 6. *Item è tribus principiis hæreticorum.*

Ex his Caluinistarum principiis concludo in hunc modum: Nullus immundus aut inquinatus potest intrare in regnum cælorum, nisi priùs purgetur & mundetur: at Caluinistæ, quamdiu hîc viuunt, sunt immundi & inquinati propter peccatum originale, & omnia illorum opera sunt inquinamenta, sordes, & mera iniquitas apud Deum, vt ipsimet faten- 7.

tur;

tur; ergo non possunt intrare in regnum cælorum, nisi priùs purgentur & mundentur. Non purgantur autem in hac vitâ, quia semper hic manent obnoxij peccato originali; ergo, si salui esse velint, post hanc vitam purgari necesse est: ergo datur aliquod Purgatoriũ pro Caluinistis post hanc vitam: vel si non datur, omnes inferno destinati sunt. Non video quomodo vim huius argumenti possint euadere, si sua principia, ex quibus deductum est, tueri velint. Nam si peccatum originale manet in ipsis quamdiu hic viuunt, non possunt ab eo nisi post hanc vitam purgari. Vel ergo tunc purgantur, vel non. Si purgantur, Purgatorium habent, quod contendimus: si non purgantur, manent inquinati, & æternæ mortis rei, quod ipsi nolunt. Hæc Becanus, vt proinde suis Nouatores laqueis suspensi hæreant, qui sese naturæ ac Scripturæ legibus exemptos volunt.

8. *Hæreticis omnis elabendi occasio præcluditur.* Quibus vt ne vllus quidem effugij locus superesit, omnem elabendi occasionem in sequentibus idem P. Becanus ademit. Mihi tamen, inquit, occurrunt tria effugia, quæ in ipsorum gratiam excogitari possunt. Primum est, si dicant, se quidem neque in hac vitâ, neque post hanc vitam, sed in ipso mortis articulo & quasi per ipsã mortem purgari à peccato originali, aliisque sordibus & inquinamentis quibus pleni sunt, & sic vlteriori Purgatorio opus non esse. Sed frustrà: nam si mors haberet hanc vim, omnes homines, etiam infideles, mundarentur à suis peccatis per mortem, & sic omnes salui fierent: hoc autem falsum est, ergo mors non habet hanc vim purgandi, aliud ergo purgatorium quærendum est. Alterum, si dicant, peccatum originale tolli in morte, non quòd ipsa mors per se, sed potiùs quòd fides morientium habeat vim tollẽdi peccatum. Neque hoc rectè, Primò, quia sine vllo fundamento asseritur. Probent ipsi ex Scripturâ (ex quâ omnia sua probare volunt) hunc effectum promissum esse fidei morientium. Addo, sæpè fieri vt in articulo mortis nullus sit actus fidei, quia vis morbi sæpè tanta est, vt omnem rationis & intelligentiæ vsum absorbeat. Et sanè si fides morientium, cur non viuentium id præstare possit? Denique quæ hæc temeritas, negare peccatum originale tolli per Baptismum, quod Scriptura & Patres affirmant; & contrà asserere, tolli per fidem morientium, quod neque ex Scripturâ neque ex Patribus probari potest?

Non purgantur per mortem, quia sic & Ethnici saluarentur.

Nec per fidem morientium, quia eis sæpè deest.

9. *Ridiculum etiam, non imputari peccata, licet remaneant.* Tertium, si dicant, non opus esse vt tollatur peccatum originale, sed sufficere vt non imputetur; non imputari autem fidelibus qui ad vitam æternam prædestinati sunt. Sed si hoc dicãt, consequenter fateri debent, à fidelibus non tolli cæcitatem mentis, auersionem voluntatis à Deo, & reatum pœnæ æternæ. An ergo dicendum est, Caluinistas, qui in cælo sunt, esse cæcos mentis, auersos à Deo, & reos æternę damnationis, tametsi hoc ipsis nõ imputetur? Respondeant ipsi.

Sic ranis coaxantibus silentium Becanus imposuit. At quis miretur auersos à mortuis ipsorum animos, quos hæ ineptiæ pascant? qui non in hoc solùm mundo, sed & in cælo à Deo auersos sese fore fateri coguntur. Mirandum profectò non est, illos assiduo in mortuos odio ferri, qui nec mortuos se à Dei odio eximendos credunt. O sectariorum miseriam! in huiusmodi errorum labyrinthũ seipsos coniiciunt, vnde nec post mortem euadere queant. Qui dum Purgatorium volunt effugere, incidunt in infernum, suamque Catholicis, ac reliquis quarumcumq; nationum meliùs sentientibus, nolentes conformare sententiam, similes diabolo ac damnatis efficiuntur. *Et sic hæretici dum Purgatorium effugere volunt, in infernum incidunt.* Abalienati nimirum sunt hi peccatores à vuluâ Ecclesiæ, errauerunt ab vtero Scripturæ, locuti sunt falsa. Psal. 57.

Primam hancce rationem paulò latiùs & prolixiùs deducere voluimus, quia potissimùm contra eos probanda erat, qui licet ratione præditi sint, Christiani appellari affectent, soli tamen in tantâ naturæ ac Scripturæ luce cæcutiunt, vt etiamsi ipsi soli hìc sint cæci, soli tamen videre videri velint: quod tantò patebit ampliùs, quantò rationes, quæ supersunt, ampliùs excusserimus: è quibus altera sit, quòd remissâ graui aliquâ peccati culpâ, non semper remittatur tota pœna illi debita. Hoc in primis Gentium omnium probatur censurâ. Nam quæ natio est, quę Gens, quę Respublica, quæ non frequenter culpam alicui reo remittat, impositâ solùm congruenti pœnitentiâ? Certè nulli culpæ parcere, crudele est; remittere totam, ac numquam punire, iniustum. Vt propterà naturale lumen modum inter hæc aptè commonstrauerit, & culpam aliquando remittendam esse, non remissâ integrâ pœnâ, dictauerit. Quod & in Deo admittendum est, & ab eo etiam in hoc mundo ita fieri, hæretici ipsi admittunt; at negant id contingere post hanc vitam: quasi verò non multi quotidie diem obeant, antequam impositam sibi pœnitentiam per temporales, vt isti volunt, tribulationes exsoluendam, absoluant. Quid igitur cum istiusmodi defunctis agendum esse censent? Certè in iustitiæ suæ tribunali rigidior est Deus quàm vt peccata illis sine impletâ satisfactione dimittat; benignior item, quàm vt hos qui temporalibus solùm pœnis digna gesserunt, affligat æternis. Medium ergo quid in mortuis statuendum est, haud secùs atque in viuis, vt nimirum temporaliter in Purgatorio, prout alij tribulationibus, castigentur. 10.

Secunda ratio: quia non semper, remissâ culpâ, remittitur simul pœna: quod probatur ex communi omniũ gentium vsu.

Vt viui pro suis peccatis castigandi, ita etiam mortui.

Scripturas autem si hìc rursum audire lubeat, facilè videbitur, quàm ea quæ diximus illis sint conformia: imò & ipsiusmet Caluini testimonio palmã reportabimus. Scripturæ profectò quamplurimis exemplis refertæ sunt, quibus multis, remissâ delicti culpâ, pœnam nihilominùs aliquam subeundam fuisse constat. Moyses & Aaron in pœnam murmuris contra Deum, ne Terram promissionis ingrederentur, prohibiti fuerunt, licet eis culpæ noxa dudum condonata fuisset. Idem videre licet alibi, vbi populum Israeliticum Deus ob delicta puniuit, nec tamen à gratiâ suâ alienum fecit. Regius Propheta tametsi à Nathan audiret remissa sibi esse adulterij & homicidij peccata, non euasit tamen temporalem istam, quam Scriptura ipsi impositam fuisse describit, pœnitentiam. Varia sunt quæ hanc in rem sacer Textus enarrat: sed quia nos ex professo Libro II. Cap. XXVI. cùm de Indulgẽtijs agemus, illa producturi sumus, ad aduersarij testimonium transimus. Caluinus, *Adde*, inquit, *quòd non modò infirmitatem nostram præuenire, sed præterita etiam delicta sæpè corrigere necesse habeat clementissimus Pater. Proinde quoties affligimur, subire protinus in mentem debet anteacta vitæ recordatio, ita procul dubio reperiemus*

11. *Scripturarum exemplis ostẽditur non semper cum culpâ pœnã remitti.* Numer. 20. Deuter. 32. Exodi 32. Numer. 14. 2. Reg. 12. Lib. 3. Instit. cap. 8. §. 16.

riemus nos admisisse, quod dignum eiusmodi castigatione esset. O verè fortissimam veritatem, cui falsi etiam & fallentes quandoque testimonium dare coguntur! Quid Caluinum iuuit, à communi hominũ iudicio, & ab ipso veritatis indice Scripturâ sacrâ discessisse, si ipsum se prodat? & quod cap. 4. §. 31. eiusdem libri negauerat, modò confirmet? Ita nempe mendaces solent, qui quoniam omnium quæ effutiunt memores esse nequeunt, seipsos sæpiùs negant.

12\. Accedamus ergo ad tertiam rationem, quam Cardinalis Bellarminus adfert in hæc verba: Vltima ratio esse potest, quia ista opinio, quæ tollit Purgatorium, non solùm est falsa, sed etiam perniciosa. Siquidem homines socordes facit in peccatis cauendis, & bonis operibus faciendis. Qui enim cogitat, nullum esse Purgatorium, sed omnia peccata per mortẽ aboleri in iis qui moriuntur cum fide, facilè dicet apud se: Quorsum ego laboro in ieiuniis, precibus, continentiâ, eleëmosynis? cur fraudo cor meum deliciis & voluptatibus? quandoquidem in morte, siue pauca siue multa peccata habuero, omnia delebuntur. At qui cogitat, remanere, præter gehẽnam, ignem acerrimum Purgatorij, & quidquid hîc deletum non fuerit per debitæ pœnitentiæ opera, ibi diluendum, certè diligentior cautiorque euadit. Sic ille. Vnde patet, non tantùm quàm sit falsum, sed & quàm sit noxium, negare Purgatorium. Sanè diabolus, cùm modernis hæreticis impugnationẽ eiusdem suggessit, non vnum, sed multiplicem errorem in ipsorum mentibus seminauit: nam simul & mortuos ope viuorum, & viuos spoliauit mortuorum charitate, atque ad omnem libidinem mortalibus viam aperuit. Isti nimirum fructus sunt noui Euangelij: non enim potest arbor mala bonos fructus facere, sed à fructibus eorum cognoscetis eos. de quibus inferiùs plura.

Tertia ratio: quia negans sententia homines à bonorum operum studio retrahit.
Lib. 1. de Purg. c. 11.

Diabolus hæreticos per Purgatorij negationem variis aliis erroribus implicauit.
Math. 7.

13\. Quartam rationẽ addimus reductiuè, quòd nõ Gẽtium tantùm omnium, sed omniũ etiam temporum, de Purgatorio semper fuerit constans doctrina, adeò vt nec initium nec auctor ipsius designari aut reperiri omnino queat. Solidissimum hoc humano ingenio est argumentum, & ad credendum quidpiam, vehemens incitamentum: vt mirum non sit, tantam in Purgatorij fidem hominum vniuersorum ortam fuisse cõsensionem. Hoc idem vt ad alterum Capitis nostri mẽbrum elucidandum nobis viam sternamus, iam dudum post tot clarissimos Ecclesiæ propugnatores, hæreticis exprobrauit Barclaius. *Aio, inquit ille, ab ipsis Apostolis originem esse Romanæ illius Ecclesiæ, Romanæ illius doctrinæ quæ hodie viget. Hoc si negant sectarij, indicent certum tempus quo demum hæc nostra cœpit Ecclesia, & illa Apostolorum extincta est. Liquidò enim ex historiis & ipsâ confessione hostium constat, fidem Romanæ Ecclesiæ primis sæculis fuisse purissimam. Annos, ac menses, ac propemodum dies possumus recensere, quo qualibet hæreseum secta exorta est. Si igitur nos à Christo perennes non fuimus, quid cessant in lucem eruere nostræ Religionis cunabula? Quidam ex illis sub quarti à Christo sæculi finem volunt excidisse legitima sacra: liberaliores sunt alij, & ea vixisse vno sæculo amplius volunt, id est demum extincta sub quingentesimum annum. Sunt qui dicere ausint, S. Gregorium Magnum bonorum Pontificum vltimum extitisse, primumq́; malorum. Non argumentis, non Philosophiâ opus est: suapte vitio hæ machinæ cadunt. Ecce ambigitur quo tempore in tam horrendos lapsus, quales in Romanâ fide somniant, Ecclesia se demiserit. Nescitur, quando de Ecclesiâ Spiritus sanctus excesserit; nescitur quo tempore cœperint Christiani, apostatæ atque hæretici esse. Num in anilibus somniis quidquam insanius? Scitur quo tempore Iconomachi cœperint, quo Ariani, Manichæi, Eutychiani. Scitur, inquam, expressè: neque tantùm de sæculo non ambigitur, sed propemodum nec de anno: quando autem celebris illa Romanorum Ecclesiâ, illámque secutus Christianorum orbis, à sincerâ fide defecerit, adeo sit ignotum, vt hic vnum sæculum, alius aliud tradat, nec de ipso tempore certo pronuntient? Adeóne res vana, aut obscura, vt lateat? Nugæ, deliria.*

Quarta ratio: quia Purgatoriũ omnibus temporibus creditum fuit.

Lib. 1. cap. 7.

Ostēdere nequeunt hæretici quo tempore Ecclesia Catholica cœperit errare.

Secus patet de hæresum ortu.

Sed fortasse nonnemo ex hæreticorum harâ prosiliens, ibi somniauerit, ideò præcisè ostendi non posse quando Ecclesia errauerit, quòd paulatim abusus errorésque in eam irrepserint. Sed geminum hîc errorem latere, nemo non videt: supponitur enim, quod sanè perquam est absurdum, Ecclesiam errare posse, & paulatim eam errasse. Ecclesiam verò errare non posse, nescio quid magis probet, an ipsorummet aduersariorum concessa, an Scriptura sacra, an denique Patrum orthodoxorum scripta. Aduersarij quidem nostri nobiscum illum Symboli Apostolici articulũ lubenter amplectuntur & exosculantur, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.* De hoc nemo dubitat; quippe & Caluinus ipse Ecclesiam vocauit sanctam, *quia quotidie proficit in sanctitate, & ad metam sanctitatis adspirat.* Admittunt secundo loco, visibilem Ecclesiam esse sponsam Christi, & matrem nostram, extra quam saluari nemo possit. De primo membro huius propositionis nulla est difficultas, de posteriori clarè sic ipsemet Caluinus: *Verùm quia nunc de visibili Ecclesiâ disserere propositum est, discamus vel vno matris elogio, quàm vtilis sit nobis eius cognitio, imò necessaria; quando non alius est in vitam ingressus, nisi nos ipsa concipiat in vtero, nisi alat suis vberibus, denique sub custodiâ & gubernatione suâ nos tueatur, donec exuti carne mortali, similes erimus Angelis.* Et paulò pòst: *Extra eius gremium nulla est speranda peccatorum remissio, nulla salus.* Fatentur tertiò, Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis, vt expressè habetur in Epistolis Paulinis, cuius rationem Caluinus hanc assignat: *Quia Ecclesia veritatem præconio suo celebrat, quia puram & sinceram retinet, quia ad posteros transmittit.* Item alibi: *Quia Ecclesia est fida custos veritatis Dei.* & denique, *quia veritatem tuetur, & propagat vt à posteris in omne æuum colatur.* Sumamus è triplici hoc admisso triplex contra ipsos admittentes hæreticos argumentum; & quidem ipsis Caluini verbis insistamus (tametsi enim Lutherus, vtpote inconstans sibi & Euripo mobilior, fortasse alibi aliter scripserit, apertè tamen alicubi profitetur, Ecclesiam errare non posse, cùm ait: *De nullo priuato homine certi sumus, habeat, nec ne, reuelationem Patris; Ecclesia autem ipsa est, de quâ dubitare non licet*) atque sagittis, è propriâ ipsius pharetrâ deprompris, in ipsum iaculabimur. Facit ergo in eum, Symbolum Apostolorũ, in quo velut indubitatus fidei articulus nobis proponitur, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.* Qui articulus, vt & reliqui omnes, vel semper verus fuit, vel aliquando non verus. Si aliquando non verus, quomodo fidei articulus? Ergóne quod falsum est credidit Caluinus? Falsaros id Calui-

14\.

Ecclesiam errare non posse multis ostenditur.

Lib. 4. Instit. c. 1. §. 17.

Ibid. §. 4.

1. Tim. 3.
In illum locũ Apostoli.
Lib. 4. Instit. c. 1. §. 10.
In cap. 47. Isaiæ, v. 1.

De Potestate Papæ.

Caluinianos, equidem haud putarim. Si ergo numquam non verus, ergo semper verus. Si semper verus, quomodo ergo semper sanctam statuit Ecclesiam, quæ à fide, & consequenter à sanctitate defecit, cùm *sine fide impossibile* sit *placere Deo*. Iterùm, Si errauit Ecclesia, quomodo vera est illa Caluini expositio de eius sanctitate, quâ nimirum ait eam sanctam esse, quia quotidie proficit in sanctitate, & ad metam sanctitatis adspirat? Si in sanctitate proficit, quomodo ab illâ & à fide defecit? Si ad metam sanctitatis adspirat, quomodo à fidei sanctitatisque semitâ deflexit? Connectant hæc inter se Caluini discipuli.

Hebr 11.

15. *Ecclesia ex Caluini concessione ad vitam æternam ducit, ergo errare nequit.*

En aliam Caluini contradictionem. Fassus est, non esse alium, quàm per Ecclesiam, in vitam ingressum, ab ipsâ saluandos omnes in vtero concipiendos, eius omnes vberibus nutriendos, denique sub illius custodiâ ac gubernatione vsque in finem vitæ esse fouendos; quin &, extra Ecclesiæ gremium nullam sperandam peccatorum remissionem, nullam salutem: & tamen hanc eamdem Ecclesiam deficere atque errare posse, imò & reipsâ defecisse atque errasse, vult Caluinus. Deus bone! quid hoc est? Errare potest, & de facto errauit, cùm tamen de eâ affirmet Caluinus quæ iam hic produximus. Quomodo illa simul consistere possunt? Quomodo, quæ errat, dabit ingressum in vitam? quomodo concipiet, quomodo nutriet, quomodo fouebit, custodiet, gubernabit, quæ in eo, per quod hæc omnia agenda sunt, deficit ac errat? Noua hæc nationibus vniuersis & mendax doctrina. Si enim per errantem Ecclesiam, quod vtique Caluini verba directè euincunt, remissio peccatorum & salus speranda, an non Dei veritas & iustitia contemnitur, falsitas & mendacium exaltatur, omnisque rationis ac fidei ordo confunditur & euertitur? Cæcus sit, qui ista non videat, excors qui non sentiat, impius qui non execretur atque eiuret. Sed & tertiò sibi Caluinus contradicet. Fatetur ideò Ecclesiam nominari columnam & firmamentum veritatis, quia veritatem præconio suo celebrat, quia puram & sinceram retinet, quia ad posteros transmittit. En iterùm Ecclesiam errare non posse asserit, quam tamen, vt nobiscum contendat, errasse voluit. An simul ergo Ecclesia veritatem suo præconio celebrat, & eamdem erroribus vitiat; puram & sinceram retinet, & eamdem abiicit; ad posteros transmittit, quam iam amisit? Hæc si non sint contradictoria: Defecit, non defecit: amisit, non amisit: retinuit, non retinuit: quid contradictoria sint ignoro; aliâque Dialecticâ opus erit quæ nos doceat. Pergit ineptire suo more Caluinus. Ecclesiam veritatis custodem esse affirmat. Si veritatis est custos, quomodo eam abiecit? Si porrò (quo nihil Caluinus dixit opportunius ad Orthodoxos, infallibilem profitentes esse Ecclesiam, solidandos, se verò & suos confutandos) tuetur & propagat veritatem, quomodo eam abnegat & refutat? Si per illam hæc à posteris in omne æuum colitur, quomodo quatuor aut quinque solùm sæculis in veritate ipsamet stetit? Non credo seipsum intellexisse Caluinum cùm hæc scriberet; quid mirum, nos, qui versutias eius non callemus, qui nudam veritatem sequimur, &, vt ipse, in falsitatum scholis non studuimus, eum non intelligere? non intelligere, inquam, quomodo potuerit ipse, homo cùm esset, & humanioribus litteris admodum imbutus, adeò longè à ratione, naturæ ductu & fidei lumine recessisse, vt hasce, & mille alias multò fœdiores contradictiones, quas Operibus suis interspersas habet, non crederet annotandas, explodendas, execrandas, ad orcum relegandas. Miseret me illorum, qui non alium ducem sibi, quàm inconstantem adeò falsitatis suæ circumforaneum, reperire potuerunt. Sed tantus veritatis est splendor, vt ab ipsis quoque muscis & crabronibus & scarabeis istis hæresum satoribus fomentum accipiat.

Caluinus tamen vbique mirè sibi contradicit:

& cerebro laborasse videtur.

Quòd si iam hæreticelli nostri neque suis coryphæis fidem adhibere velint, vel ipsis Scripturis sacris, quarum tanta, scilicet! apud ipsos est auctoritas, credant. Et quidem Isaias multa de Ecclesiæ Christi fecunditate, amplitudine, firmitate, perpetuitate, & victoriâ contra hæreticos & alios eius hostes vaticinatur. Inter cetera eam in Dei personâ sic alloquitur: *Noli timere, quia non confunderis, neque erubesces.* Iam verò si in rebus fidei erraret, vtique confunderetur & erubesceret. Pergit Propheta: *Montes commouebuntur, & colles contremiscent; misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur.* quasi diceret: Etiamsi montes fortè, qui tam firmiter radicati sunt, loco mouerentur, & colles contremiscerent, fœdus tamen pacis meæ, quod tecum inij, fixum & immutabile permanebit, & misericordiam meam à te nullatenus recedere faciam. Adhuc pergit Propheta: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos.* Quid hæc verba sibi volunt? Hoc nimirum: Ego ita fundabo & stabiliam te, vt nullâ omnino tempestate conuelli queas; ita te portis & propugnaculis muniam, vt omnino futura sis inexpugnabilis. Iam verò si Ecclesia Christi vnquam à veritate & saniore doctrinâ excidisset, annon Deus suam misericordiam ab eâ abstulisset? numquid fœdus pacis suæ, quod cum illâ iniit, perrupisset? numquid eam tempestatibus conuelli passus fuisset? numquid eam expugnari permisisset? &, quod vel cogitare est impurissimum, numquid Deus suæ promissionis violator, fœdifragus & mendax dicendus foret? Videtis ergo, ô belli Ecclesiæ reformatores, in quantas nos blasphemias adigere velitis. Quin ipsemet Saluator noster (vt in Scripturis producendis pergam) Isaiæ vaticinium suo testimonio & promisso confirmans, sic ait: *Portæ inferi nõ præualebunt aduersus eã.* & posteà, cùm discipulis suis, & in illis eorũ successoribus, fidem mundo annuntiandi mandatum dedisset, subiunxit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi.* En, inquit, ego vos mitto in vniuersum orbem, vt apud Ethnicos infideles Euangelium & doctrinam meam, quam à me didicistis, annuntietis, eos ad salutem æternam adipiscendam instruatis, & tenebras illas, in quibus versantur, ab eorum oculis abstergatis. Occurrent vobis multa pericula & aduersitates, diabolus & eius cohortes, vnà cum Variis, qui breui exurgent, hæresum sutoribus, nullum non mouebunt lapidem, non modò vt vos è mundo per varia tormẽta & persecutiones tollant, sed etiam vt hanc meam doctrinam & fidem eliminent, suas hæreses & figmenta substituant, & tantùm non pristinam idololatriam & impietatem reducant.

16. *Scriptura sacra Ecclesiam omnis erroris expertem esse asserit:* *Isaiæ 54.*

Et ipsemet Scripturarum auctor Christus. *Matth. 16.*

Matth. 28.

ergo Christi fidem adhuc illis sæculis viguisse, nẽpe quingentesimo, sexcentesimo, septingentesimo & amplius anno: cui consequens erit, vt (quod præcipuè horres) quæcumque vera illa Ecclesia publico consensu probauit, & te quoque probare oporteat, nempe Sacrificium Missæ, potestatem Pontificis, Purgatorium, implorata Sanctorum suffragia, &c. *quæ omnia nec ipsi negare audetis iam illis sæculis in Ecclesiâ fuisse solemnia. Sin illas gentes negas ad Ecclesiam accessisse adhuc integram, adhuc veram; non te in indignam inuidiam, sed in iustum odium apud hos voco, quorum Patres vt profanos ac miseros vis numquam à Christi Spiritu dedicisse quo ritu propitiari voluerit.*

20. Addit dicto loco multa etiam alia præclara, idẽ Barclaius, quæ à curioso Lectore ibi legi possint. Et licet hæc non Purgatorium solum, sed reliquos etiam fidei Catholicæ articulos tangant, non malè tamen in animarum materiâ producta fuerunt; quandoquidem hinc patet, & Purgatorij doctrinam cum aliis Ecclesiæ Catholicæ asse..s esse communem, & in Purgatorij probatione reliqua fidei dogmata simul comprehendi; tum quia omnis Nouatorum præsentium error, veluti radice; in reiecto Purgatorio continetur; tum etiam, quia suffosso hoc eorum primo fundamento, tota reliquarum falsitatum factionumq; machina vertitur in ruinam.

CAPVT VII.

Quàm ingens, ab annis ampliùs sexcentis, pro Purgatorio testium numerus: quàm nulla debeatur fides Nouatoribus hos oppugnantibus.

1. TAM à vero aliena est hæresis quæ Purgatorium negat, vt n[illegible] solùm ab omnibus Gentibus, sed etiam temporibus oppugnetur. Et iuste quidem: nam in sectatorem huius erroris optimè quadrat quod de Ismaële dicitur, *Hic est ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* E contrario verò Catholicus iam inde ab vniuersis ætatibus, ac pænè singulis singulorum temporum viris doctis, confirmatam habet suam quam de animabus Purgatorij profitetur doctrinam. Peto à te, sectarie, cuiuscumque sectę sis, saltem vt probes, omni æuo extitisse qui idẽ senserint quod tu modò, quibus in fide successeris quorum Ecclesiam iam impleas. Nihil hac postulatione est æquius. Cùm enim subitò in nouâ credendi formâ conueneritis, & hunc vestrum cœtũ veram esse & perennem Christi Ecclesiã dixeritis, quid iustius quã à vobis exigi, vt probetis vestram Ecclesiam semper à Christo, saltem in quibusdam mortalibus, constitisse? Voluêre Iurisconsulti (& ita natura fert) vt onus probationis petitori incumberet: nos autem, vt vel ipsi fatemini, in possessione eramus longâ, antiquâ, multorum sæculorum, cùm vos vindicias scilicet pro veritate postulastis. De possessione nos vultis extrudere. Quid ergo probare cessatis, legitimos vos esse Ecclesiæ heredes? Indicate successionis ius, maiorum seriem, à quibus hanc quam colitis sectam accepistis, edicite: date, inquam, vel omnibus sæculis vnum, qui vestrarum partium fuerit, neque qualis ille fuerit quæram, hæreticúsne an Orthodoxus, Philosophus an atheus fuerit, sed statim manus dabo, vos sequar, vobis applaudam.

Genes. 16.

Singulis ab vsque Christi tempore sæculis Purgatorium constantissimè assertũ fuit.

Sed quod tu sectarie non potes, possunt Catholici, quibus facile est per omnia tum legis tum Euangelij sæcula pluri[illegible]os & præclarissimos Auctores adducere, qui indubitanter Purgatorium asseruerint. Pro moderno inprimis sæculo decimoseptimo satis erit inspicere Opus Francisci Feuardentij de Purgatorio, librum Iacobi Suarez de S. Maria contra Molinæum, Petrũ Thyræum in Opere de Multiplicibus suffragiis, [illegible]bus piè defunctorum spiritus iuuantur à viuentibus, Costerum cap. 16. Enchiridij, Gregorium de Valentia lib. de Purgatorio, itemque Bellarminum, Becanum, & sexcentos alios, qui hanc passim materiam & Scholasticè vel moraliter pertractarunt. Sæculũ præcedens nec auctoritate inferiores, nec copiâ pauciores Purgatorij defensores produxit. Hoc intueri si placet, licebit ex Alphonso à Castro v. *Purgatorium*, Eckio cap. 25. Enchiridij, Martino Perez 3. Part. Traditionum, cap. De Suffragiis, Grysaldo in Decisionibus v. *Purgatorium*, Thomâ Illyrico 2. Parte Clypei Ecclesiæ Catholicæ, cap. De Purgatorio, Thomâ Elysio in Clypeo piorum, q. 8. totâ, Iudoco Coccio Tom. 2. Thesauri Theologici, lib. 7. art. 5. & l. 10. art. 6. Theodoro Peltano in suis Tractatibus de Igne Purgatorij, de Suffragiis defunctorum, de Sepulturis, de Funere, & mortuorum Anniuersariis, Petro Canisio in magno suo Catechismo, cap. 4. cùm agit de Pœnitentiâ, & aliis propemodum infinitis. 2.

Sæculo XVII. moderno id asserunt varij.

Sæculo XVI. iterum quàm plurimi.

Neque valebit hæreticorum obiectio, si hîc dicant, quos recitauimus non fuisse nisi priuatos, & propterea eorum scripta non esse de Fide, sed ad certitudinem eiusmodi articuli opus esse auctoritatę vniuersalis Ecclesiæ, seu Oecumenici Concilij. Non valebit, inquam, hæc argumentatio, quandoquidem id in præsenti euidẽtissimum sit, tum quia Scriptores omnes Catholici, qui de Purgatorio egêre, vnanimi voce asseruerunt Ecclesiam Purgatorium credere, & contrarium hęreticum esse; tum etiam, quia illud ipsum in Generali & Oecumenico Concilio Tridentino iterùm definitũ est, in quo sess. 25. expressum inuenitur de Purgatorio decretum. Cuius etiam veritatem sæculo decimo quinto Ecclesiæ proposuerũt Patres Generalis ac Oecumenici Cõcilij Florentini, quod non ex Latinis tantummodò, sed Græcis quoque atque Armenis collectum, congregatum & subscriptum fuit. At si pro illâ ætate particulares insuper testes audire quispiam velit, euoluere poterit scripta Thomæ Waldẽsis, Thomæ à Kempis, Alphonsi Tostati, Ioannis Gersonis Parisiensis Cancellarij, Gabrielis Bielis, S. Bernardini Senensis, ac plurium aliorum. 3.

Hæreticorum obiectio, Scriptores Purgatorij assertores, priuatos esse dicentium, diluitur.

Sæculo XV denuò multi idem asserũt.

Decimoquarto sæculo viuentium suffragia defunctis prodesse affirmauit Durandus de S. Portiano, qui ait: *Plus valet apud Deum amor charitatis inter fideles, quàm valeat apud homines amor ciuilis inter ciues: sed amor ciuilis valet tantum apud homines, quòd vnus ex amore potest apud Iudicem alium liberare à debito pœnæ vel rogando vel satisfaciendo, ergo,* &c. Nicephorus Gregoras, recitatâ morte Lascaris Imperatoris, affirmat, de more celebratum pro eo esse diem nonum in illo Monasterio vbi sepultus fuerat. & lib. 9. scribit, annis singulis celebrari 4.

Sæculo XIV. Durandus de S. Portiano, q. 4. Sent. dist. 45. q. 1.

Nicephorus Gregoras, Li. 5 Histor. Constantinop.

celebrari consuetum diem nonum pro Andronico Seniore Imp. vitâ functo. Ludolphus de Saxoniâ Carthusianus, *Plus*, inquit, *valet hic in patientiâ dies vnus, quàm in Purgatorio annus. Vnde in Ezechiele: Diem pro anno dedi tibi. pœna enim Purgatorij excedit omnem pœnam temporalem huius vitæ.* Sed quid in his recensendis immoramur, cùm ab ipsis quoque feminis, iisque sanctitate præclaris, auctoritatem habeamus? Extitere inter has tres insignes, quæ & suis scriptis veritatē Purgatorij propugnarunt, & fideles mirificè incitarunt, vt defunctorum tormentis leuamen adferrent. Vna earum est S. Gertrudis de Saxoniâ libris quinque, & potissimùm quinto Insinuationum diuinarum: altera S. Birgitta libris octo, & maximè quarto & sexto, Reuelationum: tertia est S. Catharina Senensis, quæ & opere & scriptione defunctis non exiguam attulit opem.

Ludolphus de Saxoniâ, Part. 3. vitæ Christi, c. 2.

S. Gertrudis de Saxoniâ,

S. Birgitta.

S. Catharina Senensis.

5. Æuum decimumtertium suis vicissim assertoribus neutiquam caret: nam Alexander de Ales, de purgandis animabus copiosè disseruit: neque satis habuit veritatis ipsius substantiam adstruxisse, verùm etiam multas illius adiunxit circumstātias, & particulariter explanauit. Quòd idem alij innumeri istius temporis fecere Doctores, è quibus vel præcipuus fuit S. Thomas Aquinas, Angelicus Ecclesiæ Doctor, qui de Purgatorio sic inter cetera est locutus: *Ad hoc etiam est consuetudo Ecclesiæ vniuersalis, quæ pro defunctis orat: quæ quidem oratio inutilis esset, si Purgatorium post mortem non ponatur. non enim orat Ecclesia pro his qui iam sunt in termino boni vel mali, sed pro his qui nondum ad terminum peruenerunt.* S. etiā Doctor Seraphicus Bonauentura plura habet quibus Purgatorium esse, & in illo detentos viuentium adiutorio releuari adstruitur. Ven. Thomas Cantipratanus, eruditione & pietate haud exiguus, refert pulcherrima & plurima, quæ neminem non ad fidelium è Purgatorio liberationem permouere deberent; sed hæc nos suis locis, modò absoluimus cum Iacobo de Voragine, Religioso Dominicano, Episcopo Ianuensi, qui in Concionibus, quas de Tempore, Festis, B. Virgine, ac potissimùm de Animabus conscripsit, plura habet & rara quæ materiam Purgatorij concernant, vt proinde adire hinc liceat sæculum duodecimum:

Sæculo XIII. Alexander de Ales, Part. 4. q. 15. art. 4.

Thomas Aquinas, lib. 4. contra Gētiles, c. 91.

S. Bonauentura, in 4. dist. 20. art. 1. q. 2.

Thomas Cātipratanus, Lib. 2. de Apibus, ca. 13.

Iacobus de Voragine, variis Concionibus.

6. In quo sese primùm offert Doctor mellifluus S. Bernardus, qui sic ait: *Volat irreuocabile tempus; & dum creditis vos cauere pœnam istam minimam, incurritis ampliorem. Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerant hic neglecta, redduntur vsq; ad nouissimum quadrantem.* Plura adhuc apud eum aliis in locis occurrūt, sed nos vel vnum illud descriptum hic voluimus, quod à S. Malachiâ Hiberniæ Episcopo, dictum affirmat in eius Vitâ: *Nec parum spei mihi repositum in illâ die, quâ defunctis tanta à viuis beneficia impenduntur.* Hugo de S. Victore, *Est autem*, inquit, *alia pœna post mortem quæ purgatoria dicitur, in quâ qui ab hac vitâ cum quibusdam culpis, iusti tamen, ad vitam prædestinati, exierunt, ad tēpus cruciantur vt purgentur.* Petrus Ven. Abbas Cluniacensis circa Purgatorium varia habet, eaq; stupenda, quæ lectu dignissima sunt, & à nobis hinc inde inserentur. De Purgatorio similiter agit Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, vulgò *Magister sententiarum* appellatus. At, quid tot particularibus Scriptorum testimoniis propositum nostrum firmamus,

Sæculo XII. S. Bernardus, Serm. de obitu Humberti.

Hugo de S. Victore, lib. 2. de Sacram. Fidei, part. 16. cap. 4.

Petrus Cluniacensis, lib. Miraculorū c. 10. 11. 20. 23. 24. 27. 28.

Petrus Lombardus, in 4. Sentent. dist. 21. sub initiū.

cùm generatim adduxisse sufficeret vnum Generale idque Magnum Lateranense Concilium, cui interfuerunt 1285. Patres, qui omnes Purgatorij doctrinam vnanimiter confessi sunt, suisq; nominibus consignarunt, approbāte idem Concilium Innocentio III. cuius Pontificatus incepit sub finem sæculi duodecimi, nec multò post initium decimi tertij expirauit?

Concilium Lateranense

Si autem transire placet ad sæculum vndecimum, scripsit in illo de Purgatorio Oecumenius, qui sic ait: *Saluus quidem & ipse cum dolore erit, vt par est, qui per ignem transierit, atque eas quæ illi adhæserint sordes expurgauerit.* Scripsit etiā isto tempore Theophylactus, & cōmentatus est in Euangelium Lucæ his verbis: *Hoc autē dico propter oblationes & distributiones quæ fiunt pro defunctis, quæ non parum conducunt, etiam his qui in grauibus peccatis mortui sunt.* Petrus etiam Damianus Episcopus Ostiensis, & Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, ista in Purgatorij confirmationem adduxit. *Non tibi blandiaris, si grauiter peccanti leuior pœnitentia à mansueto vel à dissimulante dictatur, cùm in Purgatorij ignibus perficiendum sit quidquid hic minùs feceris, quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus.* Et S. Anselmus Cātuariensis Archiepiscopus Discipulum ac Magistrum inducit hūc in modum inter se loquentes. DISCIP. *Quid est purgatorius ignis?* MAG. *Post mortem purgatio erit, aut nimius calor ignis, aut magnus rigor frigoris, aut aliud quodlibet genus pœnarum, de quibus minimum, maius est quam maximum quod in hac vitâ excogitari potest.* Quibus si adiungatur Sigebertus Gemblacensis, insignis Historiographus, præcedenti posteà sæculo citandus, ob ea quæ tunc facta narrauit, quinque vndecimo sæculo, sicut in reliquis, testes erunt. 7.

Sæculo XI. Oecumenius, in cap. 3. Epist. 1. ad Corinth.

Theophylactus, in c. 12. Lucæ.

Petrus Damianus, Sermone 1. de S. Andreâ.

S. Anselmus, in Elucidario suo.

Sigebertus Gemblacensis.

Sed num decimum sæculum Purgatorij assertoribus caruit? Certè non dissimilia & scriptis & factis docuerunt qui hoc sæculo vixère. Scriptis quidem Rhegino Abbas, Luitprandus Papiensis Historicus, Stephanus Eduensis Episcopus, & alij plures. Nam Rhegino de Carolo III. vitâ functo, illum patientissimum in probatione extitisse, atque in prosperis gratiarum vota persoluisse ait; quare neutiquam dubitare affirmat, quin vel tunc vitæ coronam recepisset, vel breui post hanc esset accepturus. Item, *Sacerdotum*, inquit, *officium est, pro concione plebem monere, vt preces pro defunctis faciant.* Luitprandus mortem Regis Henrici describens, *Mechtildis*, ait, *vxor Regis pro delictorum defuncti viri expiatione celebre exequiarum officium, viuamq; Hostiam Deo offerre non desinit.* Stephanus autem Eduensis dum sacrosancti Missæ Sacrificij Canonem explicat, pulchra circa materiam animarum annotauit, & egregiè ostendit, quàm æquum sit vt in Missâ agatur memoria defunctorum, & vt specialibus ij precibus Deo commendentur. Quæ tametsi sufficere debeant, vti profectò sufficiunt, nolo tamen iis Lectorem esse contentum, sed animare hunc magis cupio ex factis illorum qui paria pro mortuis tunc fecere, vt propterea fama eorum mori numquam in Ecclesiâ possit. 8.

Sæculo X.

Rhegino, in Annalibus, &

Lib. de Disciplinâ Ecclesiast. c. 190

Luitprādus, Lib. 4. cap. 7.

Stephanus Eduensis.

Duo vtiq; sub idem tēpus in maximum fideliū animarū subsidium instituta sunt nempe pro iuuandis mortuis Confraternitas, & Defunctorum festum, seu Commemoratio. Prius Romæ initium sumpsit anno Domini CM.LXXXIV. vt ait Cardinalis Baronius Tom. 10. Annalium Ecclesi. vbi adstruit 9.

Instituta Confraternitas pro mortuorum solatio,

adstruit intum à variis Episcopis & Sacerdotibus Sodalitium, in quo vouere opus esset pro quocumque Sodali mortuo quadraginta Missæ offerre Sacrificia. De quo fœdere sacro quoniam nos Lib. II. sub finem sumus dicturi, & ex antiquâ tabulâ, quàm id sit certum probaturi, hinc eò curiosum remittimus. Festum verò, siue fidelium Animarum Commemoratio originem habuit à S. Odilone Cluniacensium Abbate: nam is, si Sigeberto Gemblacensi modò adducto credimus, anno DCCCC. XCVIII. primùm in Monasterio proprio ac aliis sibi subiectis Conuentibus auspicatus est memoriam defunctorum postridie Solemnitatis omnium Sanctorum; quem celebrationis ritum multi multis in locis posteà imitati sunt, ac tandem vniuersalis per orbem Ecclesia, pro perpetuis futuris temporibus reuerenter acceptauit, & annis penè sexcentis deuotissimè frequentauit.

Institutum Festum commemorationis defunctorum.

10. Quid clarius, vt hæreticorum oculi aperiantur? quid fortius, vt obstinati eorum animi ad veritatem fatendam compellantur? Nihil sanè; & tamen quò illis maius lumen offertur, eò cæciores fiunt, non secùs ac noctuæ, quarum est conditio, tantò minùs videre, quantò maiorem lucem habuerint. Eodem inquam modo sectarij, qui vbi sanctos Patres atque Ecclesiæ Concilia se venerari anteà velle simulabant, cùm eorum sententiis suas hæreses premi vident, ore mutato, ab illorum antiquitatis reuerentiâ, vt suprà adhuc diximus, fœdè discedunt, obedire recusant, de auctoritate illorum ambigunt, ac tandem ea omnia damnant, malaque fraude ad Scripturas se confugere fingunt, pernegantes vel Patres vel Concilia locum habere, nisi cum verbo Dei scripto consentiant: malâ inquam & ridiculâ fraude, cùm neque Patres neq; Concilia à Scripturis abire voluerint; nec nos quæramus, Patribúsne & Conciliis, an Scripturis maior sit auctoritas (nam quis cæcus id quærat?) sed hoc tantùm, quotiescumque isti in declarandâ fidei normâ, sensuque Scripturarum exponendo, à Patribus Conciliisque dissentiunt, vtris potiùs sit credendum, priscis illis & sanctis, an istis modò natis, nam de eâ quæstione, prô pudor! hoc sæculo vel maximè vel solâ litigamus.

Hæretici noctuis sunt similes.

11. Et tamen, tot tantisque viris qui hactenus ex sexcentis & ampliùs retrò annis producti sunt, contemptis, Lutherus ausus fuit negare & irridere Purgatorium, quantumque in se fuit, conatus est ex hominum id memoriâ penitus abolere: quod sanè eò ferendum est minùs, quò is homo inuentus est ad reformandam Christi Ecclesiam & veram fidem ineptior; homo, inquam, qui non seipsum tantummodò antè reformare debuerat, sed qui, si quid pietatis, veritatis aut virtutis inter Catholicos inueniebatur, quantum in ipso erat, fœdissimè conspurcauit, & sacrilegè destruxit. Hic tamen ardelio profiteri non erubuit, se à Deo reducendæ Ecclesiæ causâ missum esse. O insignem non veritatis sed falsitatum præconem! Quin ergo prodeat Barclaius noster; & quàm parum fidei Lutherus mereatur ostendat, verisque eum coloribus, qualis foris & intus fuerit, subtilissimo suo penicillo peritissimè nobis depingat. Age ergo, is inquit, quorum miraculorum, quarum virtutum homo fuit? Miraculum ab eo editum necdum vllus commentus est; modò pro miraculo non sit tot mortalium ad eum defectio: quo miraculo & Arius & Pelagius clarus fuit, & longè clarissimus Mahometes. Qui igitur scias à Numine eum missum, & quidem ad tantam rem tamque insuetam, nempe vt ipsi magis quàm Pastoribus nostris de fide, de moribus, de Scripturis crederemus, & pro lupâ nobis esset ea Ecclesia, cui anteà honos erat tamquam Domini sponsæ, Dei hæreditati, matri fidelium? Ordinaria iurisdictio illa non fuit. Monachus erat, homo priuatus, homo religiosis votis adstrictus. Extraordinariam verò fuisse quo argumento probes? Nihil præter miracula, quibus eiusmodi missiones aut asseri possint, aut credi. Vnde Deus miraculorum edendorum potestatem Moysi fecit; *vt credant*, inquit, *quòd apparuerit tibi Dominus Deus patrum tuorum.* Ipse Iesus, vt se Christum esse probaret, miraculorum, quæ multa patrabat, auctoritate vsus est apud Ioannis discipulos: *Cæci vident, claudi ambulant.* Imò apertè, *Ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Secuti Christum Apostoli, Christi virtute non rem segniùs miraculis promouêre quàm verbis. *Neque enim*, inquit Hieronymus, *potuissent omnes gentes in tam breui tempore credere, nisi signorum miraculis fides earum quodammodò esset extorta.* Loquentibus enim & clamantibus Apostolis, & Apostolicis viris, Dominus signorum magnitudine respondebat. Quod verò miraculum Lutheri Apostoli, vel Caluini? quod Apostolicorum virorum, Lutheranorum, Caluinistarum, Anabaptistarum? Nullum omnino. At hæc tamen quam adferebant nouitas, prorsus insignis, prorsus insolens erat, si vlla deniq; à condito orbe digna quæ probaretur miraculis. Omnes scilicet orbis Ecclesias plus decem sæculis defecisse publicè à verâ Christi fide, insanire Latinos, insanire & Græcos; Scripturas ab illis non probè intelligi aut exponi; orbi illos suis artibus, suis figmentis imponere.

Lib. I Parænes. cap. 2. Lutherus qualis Propheta scilicet fuerit.

Missio eius non fuit ordinaria, neque extraordinaria. Exod. 4. *Miracula semper fuerunt necessaria in nouo aliquo dogmate asserendo, vt in Moyse & Christo ipso* Matth. 11. Ioan. 5. *Apostolis.* In cap. 65. Isaiæ.

Quibus quidem verbis, etsi haud adeò multis, Scriptor ille multa complexus est. Primùm enim insinuat, Lutherum iniustè tot sæculorum possessionem, quæ nobis Catholicis apertissimè fauet, interrupisse. Nam si longissimum tempus apud Iurisconsultos habetur ducentorum annorum, vt quid præscribi possit; quid erit sexcentorum? Et tamen Lutheri hæc audacia, hæc superbia, tanta illius, inquam, impudentia, vt non diuino solùm (vt hactenus patuit, & amplius posteà patebit) Iure contempto, sed humanarum etiam legum vinculo disrupto, Catholicorum sic iura inuadere dissipareque aggressus sit. Verè de illo dici potest, quod de iudice aliquando iniquo dixit Saluator, quòd nec hominem timeret, nec reuereretur Deum. Et hoc quæso quo iustitiæ prætextu? quâ fundamenti imagine? Certè, si ipsi Luthero credendum sit, nullâ. Audiamus eum, vbi de eo, qui nouam volet in Ecclesiam doctrinam introducere, sic agendum esse censet. *Accersat eum ad se Senatus, etiam præsenti omni populo, si fieri potest, & quæratur ex eo, quis eum huc miserit aut vocarit* 12.

Lucæ 18. To. 2. Operum Germ. Ienæ editorum, f. 455.

rit ad docendum. Quòd si tum dicat, *se à Deo atque ipsius Spiritu missum esse sicut Apostoli, probet hoc signis & miraculis editis, vel nolite pati vt concionetur. Nam vbi Deus ordinariam viam mutare vult, ibi semper miracula facit.* Quid fortius vt seipsum condemnet Lutherus, vt seipsum omnis iustitiæ ac fundamenti, inuadendi Ecclesiam, pallio expoliet? Si opus esse miraculis docet, vt se quis reformandæ fidei ministrum probet, cur ipse inuasit opus hoc, qui nulla vnquam miracula præstitit? qui, inquam, etiamsi illud tentarit, bis tamen irrito fecit successu. Oculatus testis Fridericus Staphylus descripsit nobis tragœdiam illam, quâ Lutherus, eiecturus è quadam suâ discipulâ dæmonem, parsi absuit quin à possessâ dilaceraretur, vt &, quò ille egregius Exorcista euaderet, cancelli ferrei vectibus & malleis confringendi fuerint. Ioannes itē Cochlæus narrat, vanis Lutherum immurmurationibus frustrà ad vitam reuocare conatum esse quempiam in Albi fluuio submersum. Quin ipse insuper Lutherus fatetur, se suosque hac gloriâ caruisse; &, quod mirere, de se illud Poëtæ cuiusdam de philomelâ, *vox est prætereaq́; nihil*, vsurpauit, sat innuens, verba quidem iactantiamq́; se habere, verâ autem miraculorum patratione omnino carere.

Miracula quidem tentauit, sed facere non potuit Lutherus.

In Respõsione absolutâ.

In Actis Lutheri anno 1523.

In Epistolis.

13. Quid Caluinus præsumpserit, Hieronymi Bolseci verbis enarrabimus. *Præterire, inquit, non debeo vafrā eius & subtilem machinationē, quâ tum vsus est, cùm quemdam, cui Bruleo nomen, & patriâ Ostunum, in vitam reuocare cogitaret moliretuŕq; vt sancti atque gloriosi Dei Prophetæ, miraculorumq́; patratoris nomen sibi & famam pararet. Historia talis est. Is, quem dixi, Bruleus Ostuno Geneuam demigrarat: & cùm inops esset ipse & vxor eius, Caluini gratiam aucupabantur, vt ei commendati, peculij pauperum fierent participes. Eis Caluinus vitæ subsidia pollicetur, si ipsi contrà suam operam sibi non negarent ad rem quamdam quam per eos fieri vellet, sed opus esse fide & magnâ taciturnitate. Vicissim illi ad id quod iubere vellet, promptos se offerunt: & quemadmodum à Caluino instructus fuerat, miser hic Bruleus morbum simulat. Ministri pro concione populo commendant, vt precibus iuuarent, & eleemosynis paupertati succurrerent. Non diu pòst personam mortui induit, & mortuum se simulat. Hic Caluinus clàm admonitus, quasi tunc omnium rerum ignarus, deambulatū prodit, sed comitatus magnâ cateruâ amicorum. Postquam eò ventum esset, vbi clamores & eiulatus vxoris, quæ misellam ac desolatam egregiè exprimebat, exaudiret, quidnam hoc esset sciscitatus, domum ingreditur: vbi in genua ipse & reliqua caterua prouoluitur, precibusq́; altâ voce profusis, Deum obtestatur potentiam suam ostendere, & mortuo huic vitam restituere, gloriamq́; suam sic vniuerso populo declarare vellet, simulq́; manifestam facere, se* (Caluinum) *peculiarem sibiq́; gratum seruum esse, & à se ad Euangelij sui ministerij atque Ecclesiæ reformationem singulariter & verè vocatum. Post quas preces ad mortuum appropinquat, & miseri hominis manu apprehensâ in nomine Dei imperat, vt se erigat. Repetit iterùm sæpiusq́; eosdem sermones, voce etiam altiùs eleuatâ. Quid fit? Neque audit, neque loquitur, neque se commouet mortuus: iusto enim Dei iudicio, qui fucos mendaciaq́; detestatur, is qui se mortuum simulabat, verè esse mortuus repertus est; & vxor, quidquid eum agitaret, quomodocumque impelleret, neque vocem extorquere, neque vt se commoueret, efficere potuit; sed totus frigebat, rigebat totus. Quo animaduerso, plorare, vlulatus seriò edere & ex animo cœpit vxor, & in Caluinum inuecta, impostorem eum, sicarium, latronem, qui maritum interemisset, appellans, ex ordine rem, quo modo erat gesta, clarâ elatâq́; voce exposuit.* Et infra: *Negent hoc, quantum velint, Caluini mancipia: exploratum & cognitum satis fuit veritasq́; rei probata, imò per ipsammet vxorem confirmata.* Hactenus Bolsecus. Meritò itaque Tertullianus, *Si alium*, inquit, *Deum prædicant, cur eiusdem rebus & litteris vtuntur contra quem prædicant? Si eumdem, quomodo aliter? Alioqui probênt se nouos Apostolos. Dicant Christum iterùm descendisse, & dedisse eis virtutem eadem signa edendi. Volo igitur virtutes eorum proferre, nisi quòd agnosco maximam virtutem eorum, quâ Apostolos in peruersum æmulantur: ille enim de mortuis suscitabant, illi de viuis mortuos faciunt.* Antiquissimus etiam Pacianus, à Christo instructus, hoc idem de Nouatianis scribit. *Nouatianus*, inquit, *linguis locutus est, prophetauit, suscitare mortuos potuit? horum enim aliquid habere debuerat, vt Euangelium noui iuris inuaderet.*

In Vita Caluini, cap 13.

Mortuū reddidit Caluinus, quem dū vinceret se posse resuscitare simulauit.

Lib. de Præscript.

Epist. contra Nouatianos.

14. Quin & in veteri Testamento, si quis aliam doctrinam cudere voluisset, è miraculis probandus erat, an verus vel falsus Propheta esset. Hæsitas? Audi. *Propheta*, inquit Deus, *qui arrogantiâ deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi vt diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. Quòd si tacitâ cogitatione respōderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum: Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit; hoc Dominus nō est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit: & idcircò nō timebis eum.* En vt nouę legi antiqua respondeat. Hinc non immeritò D. Augustinus è miraculis, Ecclesiæ & doctrinæ sinceritatem collegit, miraculorumq́; vinculis se constringi asseruit. Hinc & Richardus de S. Victore hæc dicere ausus est: *Domine, si error est quod credimus, à te decepti sumus: ista enim in nobis eis signis & prodigiis cōfirmata sunt, quæ non nisi à te fieri potuerunt.* Aduersus ergo sectarios nostros, & omnes alios, qui extraordinariam missionē iactitant, propriisq́; de se ipsis testificationibus, impudēter nimis factis, absque aliâ vel inquisitione vel disquisitione credi volunt (qui vtique nisi deceptores essent, longè aliam suæ missionis fidem dare possent) Christus Dominus ipse nos muniuit, cùm de seipso loquēs, nisi opera adiunxisset naturæ modum longè excedentia, suæ de se assertioni fidem haberi noluit. *Si ego*, inquit, *testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verū.* Quid enim? *Nemo enim*, inquit Tertullianus, *veniens ex alterius auctoritate, ipse eam sibi ex suâ affirmatione defendit.* Sed ad Barclaium redeamus, videamusq́; quomodo is omnium quidem modernorum hæreticorum coryphæum & antesignanum confutet, non ex defectu tantùm miraculorum, sed etiam virtutum. Pergit igitur, & ait:

Deut. 18.

Lib. de Vtilit. creden. c. 17. & lib. contra Epist. fund. cap. 4.

Li. 1. de Trinit. cap. 2.

Ioan. 5.

15. Destitutus ergo Lutherus miraculis? At num saltem pro miraculo illius vita fuit? Res loquetur. Presbyter ac Monachus erat, deuinctus spōtaneis votis, diu in religiosis ædibus educatus, cœlebs, in templo assiduus. Eiusmodi fuit, quamdiu in nostrâ Ecclesiâ hæsit, quam corruptam, Babylonicam, adulteram vocat: vbi verò castigare scilicet nostros errores exorsus est, seq́; vir reformatus

Vita Lutheri non fuit miraculosa, quia sordida & impurissima.

tus ab Ecclesiâ nostrâ duxit, voto neglecto, & veste proiectâ, quam coram Deo & Angelis in perpetuæ integritatis symbolum spontè assumpserat, se polluto & illegitimo thoro immergit; & ne aliquid impietati deesset, in societatem libidinis, quam coniugium appellabat, puellã Deo sacram, Deo nuptam, accersit ac violat. Coiuit igitur cum illâ Lutherus, renascentis Euãgelij Lucifer, cum quâ potuit esse adulterium, potuit esse incestus, coniugium esse non potuit. Fuit igitur ille maritus, illa materfamilias; Imò si Augustino credimus, ille adultero peior, &, vt in pari negotio Basilius ait, horrendo sacrilegio Christi sponsę adulter efficitur; illa, vt loquitur antiquissimus Scriptor, corruptio satanę, scortum execrabile, fanum immunditiæ, tugurium diaboli.

Lutheri coniunctio cum Moniali, non fuit matrimonium, sed Sacrilegium. De Bono viduit. c. 11. Lib. de Virginit.

16. Quòd si hîc annectere velim, quæ in Lutheri detestationem etiam ipsius Lutheri discipuli ediderũt, multis ea sanè paginis, imò quaternionibus comprehendi vix possent: duo tamen, quæ insigniora nobis visa sunt, hoc in loco omittere noluimus, eò quòd fructus ille, quali ab arbore natus sit, vltrò indicium præbeat. Conradus Gesnerus in Bibliothecâ suâ, *Illud*, inquit, *non est dissimulandum, virum esse Lutherum vehementis ingenij, impatientem, & qui, nisi per omnia sibi consentientes, ferre nesciat.* Et infrà: *Dominus faxit, ne contentione & impudentiâ oris obsit Ecclesiæ suæ, cuius olim crepundia tã feliciter promouit.* Tigurini verò Ministri in Responsione ad librũ quem contra Zvvinglium scripserat Lutherus, sic aiunt: *Prophetæ & Apostoli Dei gloriæ, non priuato honori, non suæ pertinaciæ & superbiæ studebant: Lutherus autem sua quærit, pertinax est, insolentiâ nimiâ effertur, & in omnibus correptionibus suis plurimum maligni spiritus, quàm minimum verò amici aut paterni animi deprehenditur.* E quibus patet, Lutherum ne à suis quidẽ discipulis sanctum aut perfectum habitum fuisse, illosq; admodum insolentes fuisse, vtpote qui Magistrum suum scommatibus, vt vidimus, proscindere non sint veriti. Sed quid mirũ? Mali corui malũ est ouum, vt fert cõmune prouerbium; & qualis Magister, tales & discipuli, qui vel ab iis ipsis, qui erga Catholicos haud sat fuerũt æqui, quales fuerint describuntur. *Circumspice*, inquit Erasmus iste, *populum istum Euangelicum, & obserua, num minùs illic indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ, quàm faciunt ij quos detestamini. Profer mihi, quem istud Euangelium ex comessatore sobrium, ex feroce mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores.* Iacobus Smidelinus, & ipse hæreseos pice commaculatus, sic inquit: *Vt totus mundus agnoscat eos non esse Papistas, nec bonis operibus quidquam fidere, illorum etiam operum nullum exercẽt penitus. Ieiunij loco comessationibus & perpotationibus nocte dieq; vacant: vbi pauperibus benignè facere oportebat, eos deglutiunt & excoriant: precationes vertunt in iuramenta, blasphemias, & diuini nominis execrationes, idq; tam perditè; vt Christus ne ab ipsis Turcis hodie tantopere blasphemetur: denuum pro humilitate regnat passim superbia, fastus, elatio. atque hoc vniuersum vitæ genus ab illis Euangelicum dicitur institutum.* Sed quis meliùs partum suum agnouerit, quàm ipsemet Lutherus, qui de egregijs quos ipse protulit fructibus sic ait: *Mundus in dies fit deterior sunt nunc homines magis vindictæ cupidi, magis ab omni misericordiâ remoti, magis immodesti & indisciplinati, multoque deteriores, quàm fuerint in Papatu.* Euge! Alibi iterùm sic: *Mundus ex hac doctrinâ (Euangelicorum) quotidie redditur deterior: iam homines singuli septenis diabolis obsidentur, cùm anteà (in Papatu) vnico tantùm diabolo obsessi fuissent: diabolus iam cateruatim in homines ingreditur, vt nũc tam splendidâ Euangelij luce sint auariores, callidiores, iniustiores, crudeliores, proteruiores, multò deniq; deteriores, quàm priùs in Papatu fuerant.* Vin' & videre an meliora de suis Caluinus? Is, *In exiguo*, inquit, *illorum numero, qui sese ab idololatriâ Papatus subduxerunt, maior pars plena est perfidiâ & dolis; præclarũ quidem zelum simulant, si tamen intus excutias, reperies plenas esse fraudibus*, Et iterùm: *Vix eorum decimus quisque est, qui alio fine Euangelio nomen dederit, quàm vt solutiùs in omnem lasciuiam deflueret.* Audiamus & alium quemdam hæreticum de suis insignia veritatis testimonia perhibentem. Andreas Musculus, *Quòd si fateri*, inquit, *veritatem velimus, tum hoc de nobis Euãgelicis testari cogimur, magis quàm nos, scortationibus, vsuris, circũuentionibus fraudibusque deditos, in toto iam mundo nusquam inueniri.* Et infrà: *Res ipsa loquitur, & nobis, licet inuitis, confessionẽ veritas extorquet, quòd iam peiores, irreligiosiores, ingratiores, infideliores, petulantiores homines, maioraq; scelera & peccata in vniuerso orbe, ne inter Turcas quidem, aut Iudæos, aut Paganos inueniantur, quàm in iis locis, vbi verbum Dei quàm diligentissimè prædicatur.* An quis desideret ampliùs? Idem Auctor: *Iterùm cogor dicere, quia verum est, contumaciores homines, in quorum animis omnes omnis virtutis & honestatis scintillæ sunt extinctæ, & apud quos nihil iam pro peccato habetur, nusquã nec apud Ethnicos, Iudæos, Turcas inueniri, quàm inter Euangelicos, apud quos omnino vinculis solutus ac liber viget diabolus. Vtq; paucis rem omnem eloquar, illud nunc est, eoq; nostra Lutheranorũ res rediit, vt si quis videre cupiat magnam turbam nebulonum, atheorum, vsurariorum & deceptorum, ei adeunda sit ciuitas aliqua, in quâ Euangelium prædicatur; ibi cateruatim id genus hominũ reperies.* Sed fortassis Caluinianos quis arbitretur Lutheranis meliores; de illis sic scribit Smidelinus: *Spiritus Caluinisticus mendax est, homicida, ater, pessimus, fugitiuus, lubricus, diabolicus, falsus, furiosus, verbosus, crassus, cæcus; Caluinismus, Arianismus, & Mahometismus, fratres sunt & sorores, tres caligæ eiusdem panni: camerina, in quam multæ hæreses confluxerunt; vltima satanæ ira.* Et ipsemet de nepotibus suis, quorũ videlicet auus extitit, Caluinistis, Lutherus, *Spiritus*, inquit, *Caluinistarum, est diabolicus spiritus, mendax spiritus; rebellionis & dissensionis spiritus; fugitiuus, inconstãs, & vertiginosus spiritus.* & ibidem: *Caluinistæ sunt fanatici, progenies viperina, animicidæ, impij, blasphemi, deceptores, sanguinarij, infernales molossi, germanici Turcæ, à sãtanâ missi, & obsessi, Mahometani baptizati, perdiabolati, trãsdiabolati, superdiabolati.* Sufficiat, si nõ nimia sint ista, vt æquè Lutheri (à quo nostris temporibus inchoata est Purgatorij negatio) cognati ac filij sancti fuisse dignoscantur, vt æquè fœda vtrorũq; religio omnibus innotescat.

Ipsi Lutheri discipuli Magistrum suum impietatis arguunt.

Sed & ij ipsi improbitatis sunt rei.

Concione 4. super cap. 21. Lucæ. *Caluiniani & Lutherani malunt esse sceleratissimi nebulones, quàm probi Catholici.*

Postillâ domesticâ super Euangeliũ Dominicę 2. Aduent.

Concione 2.

In cap. 11. Danielis.

In Commentario Lib. de Nouissimo die.

Lib. de Prophetiâ Christi. *Caluinianorum spiritus qualis.*

Contra Gryuæum.

Lib. 1. contra Goldastum cap. 22.

17. Hæc Lutheri miracula, illa Lutheranorũ Caluinistarũq; vitæ integritas, pergit ergo Barclaius: Nec purius hũc scripsisse quàm vixisse existimes. Omitto quæ prodidit in sui cum diabolo commercij fidem, se probè cognitum habere diabolum; plus quàm vnum modium salis se cum diabolo comedisse, sibi sæpiùs condormire diabolum quàm suam Catharinam. Pleni eius libri

Scripta ipsius Lutheri non sunt nisi lacuna & cloaca turpissimarum fœditatum.

fœdis, & vinum vomitumq; redolentibus verbis; vt (pudet dicere) ſtercus, merda, ſus, porcus, gemmæ ſint quibus paginas ſuas notet.

Lib. de Sæculari poteſt. & contra duo Cæſaris mandata.

Quid nõ autem in Principes infamis tenebrio? quos ait vt plurimũ eſſe vel præcipuos moriones, vel deterrimos nebulones, ſtolidos, fatuos, inſanos. Addit, Turcam decies [illegible]is meliorem & prudentiorem. Iam verò vt paſsim inſaniit petulanti ſuperbia?

Lib contra Angliæ Regem.

Diuina Maieſtas, inquit, *mecum facit, vt nihil curem ſi mille Auguſtini, mille Cypriani, mille Eccleſiæ Henricianæ contra me ſtarent*. Et in defenſione ſuæ verſionis noui Teſtamenti: *Si Papiſta tuus*, inquit, *multa vult garrire de hac voce Sola, ei confeſtim reſpondeto: Doctor Martinus Lutherus vult ſic habere, aitq; Papiſtam & Aſinum eſſe vnum. Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas. Nolumus enim Pontificiorum eſſe diſcipuli, ſed magiſtri ac iudices* hactenus Lutherus. O inſanum caput!

Lib. de Vitâ coniugali.

Quem vt effuſæ libidinis auctorem agnoſcas, dicit omnino neceſſarium eſſe omnibus rei venereæ vſum, magis etiam quàm cibum, quàm ſomnum: Auſus eſt vlteriùs progredi vir impurus, & inter Chriſtianos ad Mahometicam licentiam

Serm. de Coniugio.

proclamare. *Si*, inquit, *non vult vxor, veniat ancilla*. En verò mortalem, cui corrigendæ Eccleſiæ totos mille & ducentos annos errantis cura commiſſa eſt.

18. Quis ergo tam ſit ſtolidus, tam emotæ mentis, vt eiuſmodi ſcurram, ganeonem, ſalacem atque diabolicâ libidine prurientem nebulonem à Deo, omnis puritatis caſtitatiſq; auctore & promotore, ad tot tantoſque, quos hactenus recẽſuimus, omni pietate ſanctitateq; celebres viros redarguendos, & Eccleſiam, ſponſam ſuã prædilectiſſimam, reformandam deſtinatũ eſſe crediderit? Potiùs hoc amantiſsimam ſui & à ſe amatiſsimam ſponſam turpiſsimæ atque proſtitutiſsimæ lenonis fœdiſsimi libidini expoſuiſſe, quàm tenerrimã eius pudicitiam fideli cuſtodi commiſiſſe fuiſſet. Quòd ſi tamen ſectarij, qui nil quam Scripturas crepant, tantorum Patrum atque Scriptorum fidem extenuent, & ad Scripturas prouocent, vtique Scripturis ſaltem fides eis tribuenda erit (cuius nimirum armis ſtatim in arenam, hoſtes inuaſuri, proſtraturi, debellaturi, prodibimus) niſi ſua omnino principia adeoq; ſe ipſos pernegare impudenti fronte velint: ſed ante omnia inſpicere pergamus, quanta fuerit reliquorum Patrum vſq; ad Chriſti ſæculum teſtimonia, vt Purgatorij indubitata veritas omnium temporum aſſertione firmetur, nec ei deſit quidquam quod ad pleniſſimam quidem ipſius probationem vel adduci vel deſiderari poſsit. Sequitur ergo.

CAPVT VIII.

Sex etiam ſæculis anterioribus vnanimiter ſancti Patres in rem noſtram conſpirarunt, at ſectarij per antiquiora ſibi ſæcula perperàm teſtes corraſere.

1.

Hæretici noſtri hæreticis priſcis ſunt peiores, & quare.

PLures olim hæretici plures Fidei partes oppugnarunt, ſoli noſtri hoc ſæculo pænè omnes, ſiue id diuinæ iracundiæ ſit, vt infelicitas ſuperiorum ætatum in iſtam confluxeret; ſiue beneficij loco hanc cautionẽ Deus dederit, vt & illorum miſeriæ ingemeremus, & horror eſſet eorum opinionibus aſſentiri, qui in omnibus à nobis diſsident, Eccleſiam euertunt, Sacramenta impugnant, Paſtorem maledictis inceſſunt, traditiones omnes, Scripturarum etiam partem ereptam nobis volunt, imò nec noſmetipſos nobis relinquunt, liberoq; arbitrio, quo nihil habet humana natura præſtantius, veluti cuidam mancipio, compedes iniiciunt, opera bona hominibus adimunt, malaq; in Deum congerũt, quem adeò etiam nobis deformant, vt neceſſariò peccati tum ſit auctor, tum peccatorum in ſceleribus ſocius. En quot mala ex vnâ ſectâ prouenerũt. Sed vndênam tot ſimul errores, tot hæreſes, tot blaſphemię? Ex vnâ ſcilicet Purgatorij, ſatisfactionis ac Indulgentiarum negatione, quàm primum Lutherus exorſus eſt, atque ex illâ, veluti perniciosiſsimâ radice, reliquos ſuos omnes errores, reliquas tot errorum ſectas produxit. Deus bone! quanti intereſt Purgatorij atque Indulgentiarum confeſsio!

Purgatorij negatio reliquorum errorum eſt ſeminarium.

Et ob hoc Spiritus ſanctus, præſcius quanta ex illius aliquando expugnatione mala initium eſſent ſumptura, non ſatis habuit vti teſtimonio plurium, ſed omnium pænè ora ac manus dirigere voluit, vt clariſsimam eius rei probationem fidelibus daret.

Quare Spiritus ſanctus tot Purgatorij excitare voluerit aſſertores.

Id quod iam viſum ibimus in Sæculo nono, 2.

Sæculo IX.

quo vixere, ac ſcriptis Purgatorij materiam illuſtrauêre, Haymo, Simon Metaphraſtes, Rabanus, Amalarius, & alij: quorum prior, *Multi*, inquit, *ſunt in igne purgatorio, qui pœnitentiam hic inchoarunt, ſed, ſubrepente mortis articulo, non ad effectum perduxerant*.

Haymo, lib. 2. in Iſaiæ c. 28

Alter multa habet notatu digna, quæ orationes ac diuinum officium in Eccleſia pro defunctis fieri conſueuiſſe admodum declarant; & alibi etiam expreſsis verbis meminit tertij, noni & quadrageſimi diei.

Metaphraſtes, in Vitâ S. Pachomij, cap. 89. & in Vitâ S. Euſebiæ Hoſpitæ. In Vitâ Theodoſij Abbatis.

Tertius verò Auctor, *Sacrificium*, inquit, *pro fidelium defunctorum requie offerre, vel pro iis orare, quia per totum orbem hoc cuſtoditur, credimus quòd ab Apoſtolis ipſis traditum ſit*.

Rabanus, l. 2. de Inſtitut. Clericorum, cap. 44.

Sed & Amalarius Fortunatus Treuirenſis Epiſcopus, *Poſt veſpertina & matutinalia*, inquit, *officia, quæ aguntur pro mortuis, ſolemus cantare Pſalmum*, &c. item alio in loco ait ſe in Romano ac Metenſi Antiphonariis inueniſſe ordinem, quo fungi officio conueniat circa obitus hominum, & circa ſepulturam eorum.

Amalarius, l. 3. de Officiis Eccleſiaſt. c. 9. Lib. de Ordine Antiphonarij, cap. 79.

Eccleſia verò Lugdunenſis lib. de Tenendâ veritate Scripturæ, circa finem, affirmat, quòd Eccleſia Catholica toto orbe diffuſa, pro illis defunctis, qui præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormierunt in ſomno pacis, fideliter offerat oblationem Corporis & Sanguinis Chriſti.

Eccleſia Lugdunenſis.

Sæculo octauo habemus in primis venerabilem Bedam Presbyterum. 3.

Sæculo VIII. Ven. Beda, in Pſal. 37.

Is *Quidam*, inquit, *committunt quædam peccata venalia, grauiora & leuiora, & ideò neceſſe eſt, vt hi tales in irâ corripiantur, id eſt, in purgatorio igne nunc interim ante diem iudicij ponantur, vt quæ in eis immunda ſunt, per illum excurantur*, &c.

Germanus Patriarcha Conſtantinop. in Theoriâ rerum Eccleſiaſtic.

D. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus docet, in ſanctâ Liturgia fieri memoriam apud Deum pro defunctis & ſpiritibus, ſicuti pro viuis, eò quòd Chriſtus poteſtatem habeat tam mortuorum quàm viuentium.

S. Io. Damaſcenus.

S. Ioannes Damaſcenus pro defunctorum adiutorio integram ſcripſit Orationem, & *Pro mortuis* factã inſcripſit. Alcuinus, *Orat*, inquit, *pia Ma-*

Alcuinus. lib. de Diuinis offic. cap. de Celebratione Missarum.

ter Ecclesia etiam pro defunctis suis, & eos sacra oblationis intercessione commendat, certissimè credens, quia Sanguis ille pretiosus, qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum, non solùm ad salutem viuentium, sed etiam ad absolutionem valeat defunctorum. Carolus item Magnus Imp. sic constituit: *Fideles pro defunctis amicorum, & parentibus eorum, ieiunia & oblationes triginta dies adimplere faciant.*

Carolus Magnus Imp. lib. 6. de Legibus, c. 195.

4. Sub initium Sæculi septimi vixit & deuixit sanctissimus Papa & magnus Doctor Gregorius. Hic explicans caput 12. S. Matthæi, primam D. Pauli ad Corinthios, ac Psalmos Dauidicos 6. & 37. disertè Purgatorium adstruit; itemq; lib. 4. Dialogorum cap. 39. totus est in stabiliendo, vt non dicam affirmando Purgatorio, prout ex aliis occasionibus erit perspicuum. Ioannes Moscus adducit insigne testimonium peràtiqui vsus psallendi atque orandi pro vitâ functis. S. Isidorus Hispalensis, *Prosunt*, inquit, *suffragia defunctis, non ad meritum vitæ æternæ, sed ad solutionem pœnæ, & hoc ad pœnarum mitigationem, vel celeriorem liberationem.* S. Eligius Nouiomensis Episcopus, ac Belgarum Apostolus, Clerum & populum sic affatur: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, vt nec ab æterno, quod absit, nec ab illo igne transitorio exuramur.* Tandem Concilium II. Toletanum hoc constituit: *De his autem, qui acceptâ pœnitentiâ, antequam reconcilientur, ab hac vitâ recesserint, illorum nobis sententia placuit, qui multiplices numero de huiusmodi humaniùs decreuerunt, vt & memoria talium in Ecclesiis commendetur, & oblatio pro eorum delicto à Presbyteris recipiatur.*

Sæculo VII. Gregorius Papa, variis in locis.
Ioannes Moscus, in Prato spirituali, cap. 24.
S. Isidorus Hispalensis, lib. 1. de Offic. Eccles. cap. 18.
S. Eligius, Homil. 8. ad Clerum & populum.
Concilium Toletanū II. cap. 12.

5. Neque similia argumenta desunt pro Ætate sextâ, in quâ S. Victor Vticensis Episcopus hæc quæ sequuntur effatus est: *Qui nos solemnibus orationibus sepulturi sunt morientes, à quibus diuini Sacrificij ritus exhibendus est consuetus.* S. Fulgentij Episcopi Ruspensis discipulus de illo refert, quòd septuaginta propè dies ægritudine fatigatus, hoc solum frequenter diceret: *Domine, da mihi modò hic patientiam, posteà indulgentiam.* Ex quo satis constat, & discipulum hunc, & sanctum eius Magistrum confessos esse, post mortẽ remissionem peccatorum atque indulgentiam obtineri, quod negant hæretici dum negant Purgatorium. Boëtius Christianam hoc modo Philosophiam interrogat: *Sed quæso, inquam, te, nullàne animarum supplicia post defunctum morte corpus relinquis? Et magna quidem, inquit: quorum alia pœnali acerbitate, alia verò purgatoriâ clementiâ exerceri puto.* Conciliū etiā Valentinum in Hispaniâ prolixè describit, quomodo mortuorū corpora sepelienda sint, & quibus orationibus ac cæremoniis commendanda. Demum S. Ioannes Climacus de sancto quodam Monacho recens defuncto hæc habet: *Tertiâ die celebrantibus nobis pro dormitione tanti Patris officium consuetum, subitò locus ille, vbi sancti viri corpus iacebat, miri odoris fragrantiâ impletus est.*

Sæculo V. S. Victor Vticensis, lib. de Persecut. Wandal.
Discipulus Fulgentij, in Vitâ sui Magistri, cap. 30.
Boëtius, li. 4. de Consolat. Philosoph. Prosâ 4.
Concilium Valentinum,
Ioannes Climacus, in 4. Gradu Scalæ paradisi.

6. At quinto Sæculo D. Hieronymus audiatur, qui sic scribit: *Etsi impiis post mortem spes veniæ non est, sunt tamen qui de leuioribus peccatis, cum quibus obligati defuncti sunt, post mortem possunt absolui, vel pœnis videlicet castigati, vel suorum precibus & eleemosynis, Missarumq; celebrationibus.* Similia habet in c. 66. Isaiæ, & c. 7. Michææ. Cui accedit S. Ioannes Chrysostomus, qui præter alia pænè duodecim loca quæ proposito nostro conueniant, sic inquit: *Cur post mortem tuorum, pauperes conuocas? cur Presbyteros, vt pro eis velint orare, obsecras? Nō ignoro te responsurum, vt defunctus requiem adipiscatur, vt propitium Iudicem inueniat.* Et Homiliâ 21. in Acta, in fine: *Hæc scientes consideremus, quantas consolationes possemus mortuis, pro lachrymis, pro lamentis, pro monumentis, præstare: nempe eleemosynas, preces, oblationes.* S. Augustinus, *Qui fortè*, ait, *agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vitâ maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam.* Vide eumdem Sanctum libro de Curâ pro mortuis, in Enchiridio c. 110. lib. 9. Confess. c. 13. Serm. 34. de Verbis Apostoli, l. 20. de Ciuitate Dei, cap. 9. & lib. 21. c. 24. Tractat. 84. in Ioannem. Quæst. 2. ad Dulcitium, in Psal. 37. in 1. Cor. 3. l. 50. Homiliarum Hom. 16. Serm. de Animabus, Epist. ad Aurelium 64. & aliis viginti locis quæ à nobis passim adducentur. Tantummodò hic notent sectarij, esse ipsissimum Augustinum, quem Caluinus nuncupauit fidelissimum & optimū antiquitatis testem, coryphæum & Principem Theologorum; quem etiam asserit præ omnibus antiquis Doctoribus vel solum posse sufficere.

Sæculo V. D. Hieronymus, in c. 11. Prouerb.
S. Ioannes Chrysostomus, Homil. 32. in Matthæum.
S. Augustinus, lib. 2. de Genesi contra Manich. cap. 20.
Lib. 3. Instit. cap. 5. §. 10. & alibi.

7. Cuius æui trium Sanctorum si testimonia non sufficiant, en addo testimonia quatuor aliorū, qui tum auctoritate tum doctrinâ haud impares extiterunt. D. Eucherius Lugdunēsis Episcopus, posteà quā de igne æterno, reprobos in sempiternum cum diabolo & eius angelis cruciaturo, disseruisset, multa de temporalibus Purgatorij tormentis adiungit, imò & propè ad verbum repetit præclaram S. Augustini sententiam, quam hac de re is habet lib. 50. Homiliarum, Homil. 16. Theodoretus factas olim [illegible] pro defunctis precationes, manifestè testatur: loquens enim de S. Iacobo Nisibitâ, & alibi de Reliquiis S. Ioannis Chrysostomi, eiusmodi precationes factitatas fuisse asserit. Socrates de Attico Constātinopolitano Episcopo verba faciens ait: *Præcepit vt de Ioanne, sicut de aliis Episcopis mortuis solet, in precibus mentio fiat.* Denique S. Paulus Nolanus Episcopus Paraphrasi sua in Psalmum 1. expressam Purgatorij, & in Epistolis 18. & 19. orationum pro defunctis mentionem facit.

D. Eucherius Lugdunensis, Homil. de Epiphaniâ.
Theodoretus, in SS. Patrum historiis, & lib. 5 Histor. Eccles. c. 36.
Socrates, Histor. Ecclesiast. c. 25.
S. Paulinus Nolanus.

8. Quartum Sæculū statim nobis suppeditat Eusebium Cæsariensem, ita aientem: *Iam populus frequens vnà cum Sacerdotibus non sine lachrymis, & sanè magno cum gemitu, preces pro animâ Imperatoris Deo fundebant.* Eusebio comites sunt S. Athanasius, qui quærit, num animæ sentiant vtilitatem ex orationibus viuorum; & respondet, omnino sentire. S. Hilarius ait: *Nobis est indefessus ille ignis obeundus, in quo subeunda sunt grauiora illa expiandæ à peccatis animæ supplicia.* S. Basilius Magnus instituit orationem pro mortuis. S. Gregorius Naziāzenus Deum orat, vt fratris ipsius Cæsarij animam suscipiat. S. Ephræm petit vt pro se preces fiant postquam obierit. S. Gregorius Nyssenus crebram Purgatorij facit memoriam. S. Epiphanius ideò Arriū hæreseos culpat, quòd pro mortuis orandum negaret. S. Ambrosius Episcopus Mediolanēsis orationes funebres dixit pro Theodosio ac Valentiniano Impp. itemq; in obitu Satyri rogat Deum pro fidelium animabus. Seuerus Sulpitius narrat, Sancto Martino apparuisse virginem Vitalianam, quæ ipsius meritis

Sæculo IV. Eusebius Cæsariensis, l. 4. de Vitâ Constantini.
S. Athanasius, q. 34. ad Antiochum.
S. Hilarius, in Psal 118.
S. Basilius, in suâ Liturgiâ.
S. Gregorius Nazianzenus, Oration. 10.
S. Ephræm, in Testamēt.
S. Greg. Nyss. Orat. de Dormient.
S. Epiphan. Hæresi 75.
S. Ambrosius, *Seuerus Sulpitius*, in vita.

ritis

meritis ac precibus de Purgatorio liberari petebat, quod & ita factum fuisse affirmat.

9. Ecce tibi, sectarie, sanctissimorum vetustissimorumque Doctorum, sine fuco sine fraude sententias, quos certum est in vnius Catholicæ Ecclesiæ communione vixisse, charitatis inter se & fidei vinculis nexos. C[illegible]m hoc, inquam: nam si dixeris, hos fuisse diuersarum Ecclesiarum sequaces, & vnum alteri hæreticum visum; in te pugnabunt omnes historiæ, teque inscitiæ aut pugnantis contra veritatem audaciæ conscientia ipsa damnabit. Nam vester Antesignanus Ioannes Caluinus passim in suis hoc scriptis inclamat, non sese aliam profiteri Religionem, nisi quam sectati sunt illi Patres antiqui, qui intra priora quinque vel sex à Christo sæcula vixere: imò idcircò se à Deo orbi donatum iactat, vt reducere ac reformare posset ea à quibus ætatum posteriorum Christiani deflexissent. Audiamus ipsummet. *Ecclesia*, inquit, *primis quinque sæculis in suâ natiuâ puritate perseuerauit.* Et loquens de S. Augustino, *Ad huius*, ait, *ætatem, veterumq; Doctorum, extra controuersiam est, nihil à principio mutatum fuisse in doctrinâ, neque Romæ, neque aliis in vrbibus.* Alibi asserit, etiam quingentis circiter annis post Christum natum magis adhuc floruisse Religionem, & sinceriorem doctrinam viguisse: sicuti etiam Epistolâ ad Sadoletum Cardinalem testatur, suum conatum alium non fuisse, quàm vt veterem illam Ecclesiæ faciem restitueret, quæ apud Græcos erat tempore SS. Chrysostomi & Basilij, apud Latinos autem sæculo SS. Cypriani, Ambrosij, Augustini, veluti eorum scripta testentur. Similia apud eumdem reperies alibi.

Caluinus illam se fidem velle sectari profitetur, quæ primis quinque sæculis viguerit.

Lib. 4. Instit. cap 2.

Lib 1. c. 11. § 13.

10. Quibus non obstantibus, & sibi & SS. Patribus contrarius, pag. 1101. Opusculorum, de mortuorum precibus verba faciens, *Non inficior*, inquit, *eiusmodi preces receptas esse à S. Chrysostomo, ab Epiphanio, à S. Augustino, & similiter ab aliis, quòd eas illi tenerent à suis prædecessoribus: quamquam non longè ante in vsu fuisse sentio. Verùm boni illi viri quos recensui, nimiâ credulitate, absque discretione & iudicio id quod ita inualuit secuti sunt.* O hominem impudentem ac mendacem! Verè illius est filius qui in veritate non perstitit, sed ex cælo in infernum delapsus, mendaciorum factus est pater. Quid clarius? Si enim Scriptorum illorum temporibus in natiuâ suâ puritate Ecclesia perseuerauit; si extra controuersiam est, illorũ ætate nihil à principio mutatum fuisse in doctrinâ neq; Romæ neq; aliis in vrbibus; si tunc floruit magis Religio, & sincerior viguit doctrina, proindeq; Caluini conatus non alius fuit, quàm vt veterẽ illam Ecclesiæ faciem restitueret, quæ apud Græcos erat tempore SS. Chrysostomi & Basilij, apud Latinos autem sæculo S. Cypriani, &c. quomodo boni illi viri quos recensuit, nimiâ credulitate, absque discretione ac iudicio id quod haud pridem inualuit secuti sunt? Hæc adeò sibi è diametro contrariantur, vt nemo non videat, Caluinum à Caluino iugulari, prout & de Luthero vidimus Cap. V. Quid itaque de huiusmodi hominibus dicemus, nisi quod apud Matthæum & Marcum legimus: *Et cùm multi falsi testes accessissent, nouissimè venerunt & duo falsi testes, sed non erant conuenientia testimonia eorum.*

Ineptè tamen Purgatorij fidem erroneum fuisse negatur.

Math. 26. Marci 14.

11. Quòd quia absurdum esse vel ipsimet Nouatores ex conscientiæ suæ dictamine satis aduertunt, nimirùm ab his duobus tantùm testibus doctrinæ suæ initium primamque probationem haberi, etiam illorum nonnulli conati fuerunt quemdam testium catalogum texere, quo probarentur ipsorum sectæ per antiquiora hæresiarchis suis sæcula viguisse. Sed hoc quàm ineptè, videri inprimis poterit ex Cornelio Iansenio, eximio in Vniuersitate Louaniensi Doctore Theologo, qui in Spongiâ notarum, quibus Alexipharmacum ciuibus Siluaducensibus nuper propinatum aspersérat Gisbertus quidem Voetius Caluinianus Minister in Ducis Siluam intrusus, inter alia quibus dictum iam Ministrum sugillat, clarè ostendit, perperàm omnino allatos fuisse à Caluinianis testes pro suâ ex antiquioribus sæculis stabiliendâ falsitate. Iuuabit virum hunc solidissimum clarissimumque simul & succinctum audire, vt omnes non videant solùm quàm sit imbecillis aduersus veritatem vanitas, quàm inepta [illegible]ersus fidem falsitas; sed etiam Catholicæ circa Purgatorium assertioni ingens & soliditas & claritas accedat, dum scilicet ipsimet hæretici conati fuerunt, neutiquam verò producere potuerunt testes in errorum suorum excusationem, quos tamen nos hoc Capite, & multi alij Catholici Scriptores, pro Purgatorij veritate magno numero adducere potuimus. Verba Iãsenij hæc sunt: *Quid igitur, nisi miserrimum effugium & pallium turpitudinis quærunt, qui de nouitate siue Doctorum siue doctrinæ accusati, & manifestissimâ veritatis luce conuicti, loco successionis Doctorum doctrinæq; quam venditant, ad Scripturas prouocant, vt in earum obscuritate garriendo moliantur latendi locum. Cuius effugij absurditatem cùm & ipse satis animaduerteres* (Ministrum illum Caluinianum alloquitur Iansenius) *conaris causam tuam ab illo opprobrio vindicare. Cùm enim obiecisses tibi, naturam non facere saltum, & absurdum esse, si tantum chasma inter maiorum ætatem & Apostolorum tempora relinquatur; Respondemus, inquis, Ecclesiam nostram extitisse intermediis sæculis, quamuis non semper pari doctrinæ, ordinis, & multitudinis splendore conspicuam. De quo consulendus Catalogus testium veritatis, & Mysterium iniquitatis Domini Plessæi.* Hæc verba fuerunt hæretici, quibus subiungit Iansenius: *Mirum est, atramentum libri tui non conuerti in minium, vt vel ipsa charta possit de tali responsione verecundari. Quis enim Catalogum testium vestrorum sine risu, vel potiùs sine gemitu Christiano legat? nec enim alium insinuatum suspicari queo, nisi qui propriè de testibus vestris, non Lutheranis aut Anabaptistis texitur. Vidi, legi, obstupui, eò desperationis adigi posse hominum peruicaciam, vt huiusmodi Martyres, siue testes Euangelij noui in subsidium prostratæ causæ vocent. Ibi videre licet, quot bella Pontifices cum Imperatoribus gesserunt, tot persecutiones Ecclesiam scilicet fidelium vestrorum esse perpessam. Ibi Begardi, Lollardi, Petrobrusiani, Picardi, a Deo suscitati sunt, & Caluinianam fidem suo sigillant testimonio. Ibi Albigenses & VValdenses sunt duo testes Christi, duæ oliuæ, duo candelabra, de quibus Ioannes in Apocalypsi loquitur.*

Hæretici ex priscis Patribus & Antiquitate suorum errorum patrocinia conquirere studuerunt.

Vanitas illa meritò castigatur.

Cap. 51. sub fin.

Cap. 50.

Quales & quam egregios, scilicet! ex Antiquitate testes producant hæretici, sui nimirum similes, absurdissimos ardeliones.

Quorum profectò si doctrinam & mores excutere velis, horrenda sunt quæ illis ab antiquis Auctoribus adscribuntur. Summa est, Albigenses duo æterna constituisse principia, malum & bonum, illum corporum, hunc animæ creatorem; illum veteris auctorem Testamenti, hunc noui: prolis generationem, velut quam diabolus protulit, esse abominabilem: non esse corporis resurrectionem: 12.

Albigenses quos olim nequissimos errores docuerint.

ctionem: Christum non assumpsisse carnem ex Virgine, vero corpore caruisse, verè non comedisse, crucem non pertulisse: Baptismum & Sacramentum altaris esse nullum: corpus Christi ex aquo alimentis ceteris atque in Eucharistiâ esse præsens: Moysen, Adamum, & Prophetas ex diabolo esse, non ex Deo, &c. quæ sanè à capite vsque ad calcem sunt ipsissima hæresis Manichæa. Ipsi Magdeburgenses Centuriatores, etsi libenter blasphemias istas tegerent, vt etiam testimonium pro Lutheranâ fide ferant (testes enim illi ad omnia parati sunt) fatentur tamen se id referre quod de illis scripto consignatum est. VValdenses quid? nihil exaggero; loquatur hostis Romanæ Ecclesiæ professus Nicolaus Vignier: Opiniones, quas Petrus de Brus & Henricus discipulus eius antè prædicauerant, & quas Waldenses, siue Pauperes de Lugduno, adhuc post illos prædicabant, ita se hoc tempore in Prouinciam Narbonensem effuderant, vt pauci essent ab eis immunes. Vnde mirum est, qui fieri potuerit, vt cùm Albigensium opiniones, propter quas ab Ecclesiâ Catholicâ condemnati fuerant, tam prodigiosæ ac detestabiles fuerint, quemadmodum Historici scribunt, eorumque vita ita criminosa, & sceleribusque enormibusque flagitiis contaminata, inprimisque Sodomiâ quæ illis attribuitur, viros tamen talis conditionis non puduerit in suis terris domibusque tales abominationes ac sordes permittere, quarum vel sola commemoratio horrorem auribus impudentioribus quàm Heliogabali incuteret. Quin etiam opinionibus tam monstrosè & euidenter falsis atque absurdis se infatuari siuerint. Nisi fortè penitus fascinati, aut ab omni naturali ratione alieni fuerint, detestando Testamentum vetus, duos inducendo Deos creatores, vnum benignum ac bonum, alterum malignum, mendacem, atque crudelem; resurrectionem negando, Ioannem Baptistam arbitrando non fuisse Prophetam, sed nequissimum, aliasque infaustas hæreses. Hactenus verba istius hæretici Vignier. Subiungit Iansenius: *Ecce Voeti, ecce dij tui Israel, qui te eduxerunt de terrâ deserti, & Ecclesiam tuam ex obscuritate, in quâ sæculis aliquot delituerat: ecce splendor doctrinæ, ordinis ac multitudinis, quem testes tui attulerunt.*

Hæretici ipsi suos Antiquitatis testes blasphemiarum accusant.

13. Quòd si, pergit Iansenius, *paulò altiùs testium illorum seriem sequi lubet in isto Catalogo vestro, quicumque vel in vno articulo à Romanâ Ecclesiâ dissonuerit, quantumuis omnes eius reliquas abominationes & idololatrias (vt vestris phrasibus loquar) adoraret & coleret, continuò Caluinianæ fidei martyr est, Bertramus, Ioannes Scotus, Berengarius; quamuis iste & matrimonij solubilitatem, & vxorum communitatem traderet, & infantium Baptismum cum Anabaptistis tolleret. Quicumque vel toruè Papam adspexerit, vel mores Curiæ aut Cleri tantillùm reprehenderit, in testium Catalogo non infimas tenet, Franciscus Petrarcha, Petrus Blesensis, S. Bernardus Monachus iuratissimus, & Romanæ Sedis obseruantissimus. Quid quòd subinde multis sæculis nullus testis compareat, nisi infamis aliquis hæreticus ex inferis suscitetur? Cuius si secta per Romanam Ecclesiam oppressa disparuerit, omnes Caluiniani testes subitò obmutescunt. Si pastores illorum testium, Doctorum seriem, doctrinæ successionem, templa, collegia, ceteraq; Religionis monumenta quæras, omnia per aliquot sæcula velut fauilla æstiuæ areæ turbine dissipata euanescunt. Quid, quòd omnes nostri Nouatores eamdem nobis cantilenam canunt, Arminiani, Anabaptistæ, Lutherani? Omnes purpuratam suam simiam ordine, multitudine, splendore destitutam ex eadem arcâ proferunt: omnes eumdem numerum testium à Luthero ascendendo crepant. Nam & Illyricus Lutheranus similem Catalogum testium concinnauit. Testes enim isti modò palliati modò togati quamlibet fidem profitentur, dummodò tantillo probro Papam asperse···, vel Cleri mores vellicauerint, vel in omnibus ceteris dogmatibus nobiscum consonantes in vnico dissonuerint. Nihil enim interest illis, licet diuersa tractantibus, dum ad vnius veritatis expugnationem conspirent. O mirabilia fidei Caluinianæ testimonia! Quis posterorum crediturus est, talia non viros doctos credenda tradere, sed vel histriones in theatro spectanda proponere potuisse? nam & fabula, nisi sit verisimilis, non est fabula, sed delirium.* Quin & pergit Iansenius:

Testes quos in sui defensionem hæretici producunt, pro ipsis nihil faciunt.

Sed ecce Tristatam, inquit, *illum ἐπλαζόνιον* 14.
& Ecclesiæ reformatæ decus D. Plessæum in aciem producis, cui ὁ προφήτης Riuetus à te subiungi solet, vt eos de antiquitatibus tuæ Ecclesiæ consulamus. Etiamne Plessæus iterum iterumq; in theatrum redit? Silui hactenus, nam sæpè in tuo opusculo ad illum prouocas: sed importunitas tua me cogit de illo Scriptore loqui, quem æterni silentij obliuione iam olim à vestris sepultum decuisset, nisi profugisset omnis à rebus humanis verecundia. Audiat igitur Belgium, vbi ignota historia est, non Scriptorem, sed portentum, quo nec Africa nec fortè Christianus orbis prodigiosius quidquam in Theologiâ vidit. Nam sub finem decimisexti sæculi scripsit ille D. Plessæus librum aduersus Missam, tantæ existimationis & famæ, vt esset publica suorum opinio & vox, ab Apostolorum temporibus tale opus non prodiisse. Erat enim omni genere auctoritatum ac testium reformatæ veritatis refertissimum, vsque adeò, vt ipse Plessæus subinde dictitaret, in libello illo non ita magno vltra duo millia Auctorum testimonia esse comprehensa. Cùm verò palàm fides auctoris à multis, inprimisque ab Episcopo Ebroïcensi, posteà Cardinale Perronio, vacillare diceretur, anno M. DC. die 20. Martij, quemadmodum Voetius, ita Plessæus prouocationis libellum scripsit in domo Principissæ Arausicanæ, & per vniuersam Galliam sparsit. Postulabat cum illo Antistite, vel quolibet libri sui accusatore congredi, & coram delegatis viris doctis ac probis omnia loca allegata à falsitatis notâ vindicare. Conditionem accepit Episcopus, & coram Deo & hominibus scripto similiter publico protestatus est, se in quolibet conuentu doctorum virorum, etiam coram ipsâ Regiâ Maiestate producturum ex ingenti multoque maiori numero falsitates enormes numero quingentas absque vllâ hyperbole, ita dilucidas & manifestas, vt ad eas conuincendas non opus esset nisi solâ librorum inspectione. Prætereà vicissim offert conditionem, vt Plessæus eligat ex libris suis siue contra Missam scriptis, siue de Ecclesiâ, siue Traditionibus, loca quæ omnium firmissima, maximeque causæ suæ profutura arbitretur, se ostensurum, non esse vel vnum in omnibus illis libris eius, quin vel inutiliter sit citatus, vel à causâ prorsus alienus, vel falsus & adulteratus. Itaque deputantur à Rege Iudices controuersiæ linguarum peritissimi, D. Præses de Thou, D. Pithæus Aduocatus, amici intimi Plessæi; D. Martinus Lector & Medicus Regis, D. de Fresne Canaye, Præses Curiæ quæ pro causis Religionis prætensæ reformatæ erecta fuerat in

Cap. 53.

Plessæi Caluiniani historia.

Librum contra Missam scribit, quia Caluinianis, omnibus à Christi tempore editis libris antefertur.

Liber ille ab Episcopo Ebroïcensi falsitatum innumerarũ arguitur.

Plessæus Episcopum ad duellum disputationis prouocat.

A Rege Calli duelli Iudices designantur, pleriq; Caluiniani.

 Galliâ

Galliâ Narbonensi, & D. Casaubonus, vterque eiusdem cum Plessæo Religionis. Suffragiorum collector, & totius actionis moderator fuit Franciæ Cancellarius. Confluunt ad Fontem Bellaquæum in aulam Regis, conuenitur, quinquaginta loca esse proponenda per singulos dies: sexaginta traduntur Plessæo pridie, ad quæ se paratum fore pollicetur. Horâ disputationis instante, causatur coram Rege, se iacturam honoris & vitæ subire velle, si vel vnus falsus deprehendatur. Venitur ad rem: primo die non excutiuntur nisi nouem; ne vnus quidem locus vnanimi Delegatorum iudicio deprehenditur verus. Prorogatur examen reliquorum in posterum diem: sed quia discipulus est prioris posterior dies, Plessæus ictus sapuit. Attonitus enim successu præcedentis velitationis, siue præludij, incidit in violentam scilicet ægritudinem, magnos tremores membrorum, & stomachi reiectiones. Nempe

Etiam Caluinianorum iudicio succumbit Plessæus.

Purpuream vomit ille animam.

Petit dilationem: Regi, Cancellario, Episcopo spondet, se Lutetiâ non discessurum nisi illis monitis. Conualescit, hospitium mutat per singulos dies, neminem adit, noctu ambulat, insalutato Rege, Cancellario, Episcopo fugit. *Hæc est verissima historia, auctoritate Regis, qui præsens fuit, edita, & à Consiliariis eius, qui rem spectauerant, examinata.*

Plessæus vi-ctus clàm fugit.

15. *Sed parua sunt ista, si ceteras eius vel crassissimas ignorantias vel falsitates in eodem vno libello consideres. Vix enim est pagina, vbi non imperitissimè offendat, aut imperitis turpiter fucum faciat. Longum est festinanti singula recensere, ex innumeris pauca accipe: videbis in eis metamorphoses mirabiles, quales nec Ouidius nec Poetæ omnes nobis inuenerunt. Nam ex Paulâ matronâ efficit nobis virginem Mariam, id est, vnam pro aliâ capit. Ex Religioso Abbatis Theodori, de quo Sophronius, Damascenus, & secundum Concilium Nicænum mentionem facit, feminam tentatam à dæmone. Ex Monacho S. Benedicti, de quo Gregorius Magnus loquitur, mulierem defunctam. Ex illâ puellâ, de quâ Cyprianus Tractatu de Lapsis, feminam energumenam. Ex Leproso Samaritano, mulierem Samaritanam. Ex vltimo Concilio Moguntino sub Carolo Quinto celebrato, primum sub Carolo Magno. Ex Crispo Cæsare, Constantinum Magnum. Ex Ioanne Portuensi, qui primus Missam Latinam Constantinopoli celebrauit, Suffraganeum Papæ Agathonis & Gregorij Septimi, qui facilè 400. annis à se inuicem distant. Ex Synesio Cyrenensi in Ægypto, Synesium Damascenũ in Syriâ. Ex Euangelio S. Lucæ, Euangelium S. Thomæ. Ex Glossâ Decreti, ipsum Textum. Ex doctrinâ Diuinitatis Christi, hæresim. Ex communione Homousianorum, hoc est qui Christum vt Deum colunt, exercitum Antichristi. Ex farinâ in sacrificio leprosi oblatâ, vaccam. Ex Libellaticis, Traditores librorum sacrorum. Ex sanctione Decretorum Ecclesiasticorum, dedicationem templi. Ex euasione naufragij, applicationem Epistolarum S. Pauli ad sanandos ægros. Ex eulogiâ mysticâ, Incarnationem Christi. Ex depositione Ignatij, depositionem Imaginum. Ex deprædatione prædiorum, sodomiam. Ex Theophilo Auctorem Arianum. Ex Euagrio Prætore Euagrium Monachum. Ex Balæo Ministro Anglicano Bedam. Ex Erasmo S. Gregorium Magnum. Ex Iudoco Clithoueo S. Cyrillum. Ex Volaterrano S. Gregorium Nazianzenum. Ex Dauide Apostolum. Ex virgine Mariâ S. Franciscum. Ex homine impio per Psalmistam descripto, Christum Iesum. En tibi, Lector, in Theologiâ*

Falsitatum eius catalogus.

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

Non iam bis, quod olim in Hermogene Tertullianus exhorruit, sed quingenties & ampliùs falsarium, cauterio & stylo. Discite ab hoc secreta Antiquitatis, mysticam illam Ecclesiam Caluinianam, regimen, successionem, testes eius omnibus sæculis inauditos: quidlibet enim ex quolibet potest exsculpere. Quantam necesse est ibi esse penuriam veritatis, vbi tantum est sordium istarum pretium, & stomachi latrantis importunitas huiusmodi siliquis lenienda est! Sed hæc est fames illa Samariæ æmulatricis Ierusalem, vbi *venumdabatur caput asini octoginta aureis, & quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis.* Hactenus eximius Magister noster, à quo in sequentibus plura discere non pigebit. 4. Reg. 6.

CAPVT IX.

Traditiones Ecclesiasticas admittendas esse, Indubitatamq; Ecclesiæ primitiuæ de purgandis animabus traditionem haberi.

SI quæratur, vtrùm omnia Christi & Apostolorum, quæ ad salutem & legem Christianam faciunt, in Scripturis habeantur, ita vt nihil omnino nos obliget, nihil obseruandum sit, nisi quod illis expressim litteris continetur; an verò sit aliud præter Scripturas Dei verbum, quas nos Traditiones appellamus: negant hæretici fortissimè. Vnde Caluinus, *Esto igitur, inquit, hoc firmum axioma, non aliud habendum esse Dei verbum, cui detur in Ecclesiâ locus, quàm quod Lege primum & Prophetis, deinde scriptis Apostolicis cõtinetur.* Lutherus autem adhuc acerbiùs iis omnibus anathema dicit, qui vllam doctrinam attulerint, quæ non expressè legatur in Scripturis. Sed aliter Ecclesia Orthodoxa, & ex illius sententiâ D. Augustinus: *Quæ vniuersa tenet Ecclesia, ab Apostolis præcepta benè creduntur, quamuis scripta non reperiantur.* Nec mirum, sectatores contrarium sentire; Traditiones enim oppugnare, solemne habet sectarum nouitas, cuius profectò ipsos iam pudet, quæque tum vel maximè fit conspicua, cùm in antiquos Ecclesiæ vsus inspicimus: qui quoniam non tam verbis quàm re & praxi constant, non ita possunt, veluti Scripturæ, distorqueri vel inflecti. Hinc tanta istis audacia, vt vetera destruere ausint, ne scilicet ab illis premantur. Aiunt itaque, omnia in Scripturis haberi, Traditiones plurimas esse vanas, plerasque haud necessarias, imò nullas. Sed hos suis perimamus gladiis, ipsisimetque, quibus nos volunt ipsi, laqueis præfocemus.

1. An præter verbum Dei scriptum, sit aliud traditum.

Negant Caluinus Lib. 4. Instit. cap. 5. 38.

Et Lutherus, in cap. 1. ad Galatas.

Catholici affirmant. Augustinus lib. 5. contra Donatistas, cap. 23.

2. Priùs verò quàm id fiat, videndum nobis est, quàm sit constans SS. Patrum traditio, Traditiones in Ecclesiâ admittendas & obseruandas esse. Loquantur ergo ipsæ quatuor orbis plagæ, loquantur omnium nationum & temporum antiquissimorum Scriptores, vnam eamdemque ferent sententiam, nos scilicet Catholicos hac in causâ triumphare, sectarios verò causâ cecidisse affirmabunt. Ex Oriente testimonium nobis per

S. Epiphanius Hæresi 6. num. 6.

perhibeat S. Epiphanius, qui sic ait: *Sed & traditione opus est; neque enim ex Scripturis peti possunt omnia, idcirco alia scripto, alia traditione sanctissimi Apostoli reliquerunt.* Ab Occidente S. Irenæus, qui hæc edicit: *Quid autem si neque Apostoli Scripturas reliquissent nobis, nónne oporteret ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias?*

S. Irenæus lib. 3. c. 4.

A Meridie prodeat S. Augustinus, fulmen & flagellum illud hæreticorum, qui præter iam statim productum testimonium, hoc insuper addit: *Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri.*

S. Augustinus Epist. 118. c. 1.

Ab Aquilone tandem S. Basilius, quem S. Athanasius vocat gloriam Ecclesiæ, Nazianzenus oculum ac tubam vniuersi, Concilium Ephesinum magnum ac sanctissimum Antistitem, hæc edisserit: *Dogmata & instituta quæ in Ecclesiâ prædicantur, quædam habemus è doctrinâ scriptorum prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est in occulto tradita recepimus, quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, qui sanè vel tenuiter expertus est quæ sint Iura Ecclesiastica.*

S. Basilius, de Spiritu Sancto c. 27

3. Excutiamus iam singula antiqua à Christo vsque sæcula, & reperiemus semper à variis variarum nationum viris doctis & Catholicis idem asseri. Sæculo igitur primo habemus S. Dionysium Areopagitam, qui, ex interpretatione R. P. Balthasaris Corderij è Societ. IESV Doctoris Theologi, sic loquitur: *Necessariò igitur primi sacri ordinis nostri moderatores, supersubstantialis Dei principatus sacroipsi munere pleni, & in posteros illud ipsum deriuatum à diuinâ bonitate missi, cùm & ipsi, vtpote diuini, promotionem deificationemq́; posterorum affatim desiderarent, sensibilibus figuris supercælestia, & quod vnitati collectũ est, variâ cum distinctione tum multitudine, necnon in humanis diuina, & in materiis immateriata, atque in nostratibus rebus supersubstantialia, quà scriptis quà non scriptis institutionibus, in sacratissimis Oraculis nobis tradiderunt.*

Sæculo I. S. Dionysius Areopagita De Ecclesiast. Hierarch. cap. 1. §. 5. pag. 235.

Sæculo secundo habemus S. Iustinum Samaritanum Philosophum, & posteà Christi martyrem, is cùm varias, quas Christiani ab Apostolis, ab ipso Christo acceperunt traditiones retulisset, inter alia hæc de die Dominicâ, & quæ tunc erant facienda, tradit: *Et Iesus Christus Saluator noster eodem die quo à mortuis resurrexit, cùm Apostolis discipulisq́; suis apparuisset, hæc illis tradidit.*

Sæculo II.

S. Iustinus. In Apologiâ ad Antoninum Pium.

Sæculo tertio vixit S. Cyprianus Afer, qui consuetudinem aquam vino in diuinis mysteriis permiscendi aliquoties vocat Domini traditionem, & inter cetera sic ait: *Admonitos autem nos sciat (vt in calice offerendo Dominica traditio seruetur, neque aliud fiat à nobis quàm quod pro nobis Dominus prior fecit) vt calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur.* En vt traditionem apertè S. Cyprianus agnoscat.

Sæculo III.

S. Cyprianus Epist. 63 ad Cæcilium de Sacramento Dominici calicis.

Sæculum quartum nobis prodit S. Hieronymum Dalmatam qui sic inquit: *Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret: nam & multa alia quæ per traditionem in Ecclesiis obseruantur, auctoritatem sibi scriptæ legis vsurparunt.* Et infrà: *Multaq́; alia quæ scripta non sunt rationabilis sibi obseruatio vindicauit.*

Sæculo IV. S. Hieronymus Dialog. contra Luciferianos, cap. 4 sub initium.

Sæculum quintum S. Ioannem Chrysostomum nobis suppeditat, qui in explicatione illorum Apostoli verborum, *Itaque state fratres, & tenete traditiones*, sic scribit: *Hinc est perspicuum, quòd non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis. Similiter autem illa & hæc sunt fide digna, quemadmodum Ecclesiæ quoque traditionem censemus esse fide dignam. Est traditio, nihil quæras ampliùs.*

Sæculo V. S. Chrysostomus In Epistol. S. Pauli ad Thessalonicenses.

Sæculo sexto scripsit S. Gregorius Magnus Romanus, qui hęc habet: *Quòd verò dicitis, nostris tẽporibus debere seruari quæ à meis quoque prædecessoribus tradita atque custodita sunt, absit hoc à me, vt statuta maiorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesiâ infringam: quia mihi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo.*

Sæculo VI. S. Gregorius Magnus. Epist. 37.

Eadem sunt quę septimo sæculo Toletanum in Hispaniâ Concilium de traditionum firmitate fuit professum, cùm diceret: *Credentes pariter & docentes de eadem sanctæ fidei puritate, quidquid Euangelica & Apostolica traditio sanxit.* & infrà: *Sicut multorum aliorum Catholicorum Patrum documentis id Sacramentum expositum traditumq́; nobis accepimus.*

Sæculo VII. Concilium Toletanum.

Sæculo octauo Ven. Beda in Angliâ scripsit: *Patet, ab ipsis Apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, vt energumeni vel alij quilibet ægroti vngantur oleo, Pontificis benedictione consecrati.*

Sæculo VIII Vener. Beda in cap. 6. Marci.

Et sub idem ferè tempus in Arabiâ S. Ioannes Damascenus de consuetudine orandi vultu ad Orientem conuerso, sic habet: *Ipsum igitur expectantes, ad Orientem adoramus. Non scripta autem est hæc Apostolorum traditio, nam multa sine scripto nobis tradiderunt.*

S. Ioannes Damascenus Lib. 4. de Fide Orthod.

Adiungi possent & ætatum reliquarum ad nos vsque æquè clara virorum doctissimorum sanctissimorumque pro tuenda Ecclesiasticâ traditione suffragia; sed quid his opus est, cùm hactenus ij locuti sint, quos in verâ adhuc fide permansisse vel ipsimet fatentur sectarij, secùs verò actum fuisse aientes de sæculis subsequentibus, in quibus à vero defecisse causantur Ecclesiam: sed hæc eorum mendacia per SS. Patres, priorum sæculorum nobiscum apertè sentientium, confutata sunt; ita vt abundè pateat, omnium nationum, omnium quoque temporum antiquorum viros doctos & pios, in hostes traditionum depugnasse: dicam potiùs, inde constare, quàm suis armis mutuò sibi Nouatores negotium facessant, vt dum negant quod omnes affirmant, omnes in se prouocent; & dum ferire alios volunt, causa sint quòd ab aliis vulnerentur, sicque de illis verum sit quod iustè optauit inuasoribus iniustis Psalmœdus: *Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur.* Psal. 36.

4. Sed ad Scripturas appellãt, ad Scripturas ibimus. Et quidẽ modò ex his luculenter etiam ostendemus, antiquas Ecclesiæ traditiones recipiendas ac obseruandas esse, ac propterea Purgatorium credi debere, quod ipsi nolũt; posteà verò quinq; nõ minùs Capitibus subsequẽtibus è septuaginta nimirum & amplius Scripturę locis Purgatorium abundè cõfirmabimus. Aggredimur intereà Traditiones, quibus multiplex Sacræ litteræ testimonium dederunt.

Traditiones Ecclesiæ esse retinendas, è Scripturis probatur.

Sic ait Apostolus: *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* 2. Thessal. 2. Patet ergo, non omnia scripta esse quæ credenda & seruanda sunt. S. Ioannes: *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui.* 2. Ioan. 1. Paria propemodum repetit Epistolâ 3. atque Euangelium suum ita conclusit: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Cap. 21. Et in eodem Euan-

Cap.20. Euangelio: *Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus filius Dei.* Quibus adde verba SalCap.16. uatoris per eumdem S. Ioannem relata: *Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quid ad stabiliendas Traditiones clarius, quid efficacius producetur?

5. *Traditiones eadem hæreticorum in gratiam, è nouo Testamento adstruuntur.*

Ne tamen aduersarij nostri hinc gloriandi & vanè superbiendi ansam arripiant, quasi vlterius Scripturarum nobis præsidium desit, eorum in gratiam ex nouâ & antiquâ Lege nonnulla adhuc producemus. Nouam quod attinet, constat è variis D. Pauli Epistolis, multa ab eo Christianis esse tradita, quæ in diuinis litteris non reperiuntur consignata, inter quæ inprimis sunt illa quæ habentur in Epistolâ ad Corinthios, vbi Apostolus duas tractat quæstiones, vnam de modo orandi in Ecclesiâ, alteram de modo recipiendi Eucharistiam. Primam exorditur à tradi-1 Cor.11. tione. *Laudo*, inquit, *vos, quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis.* Ista enim præcepta de modo orandi & sumendi Eucharistiam nusquam scripta reperiuntur; aperteque S. Ioannes Chrysostomus & Theophylactus annotarunt, hoc loco D. Paulum locutum fuisse de præceptis non scriptis; prout etiam fecerunt *a* Epiphanius, *b* Basilius, & *c* Ioannes Damascenus. Præterea quia præceptis suis, quæ ipsis tradiderat præsens, quidpiam adhuc deerat, quod scire eos tamen vellet, per epistolam absens eos monet, vt & hoc insuper obseruarent, viri nimirum in Ecclesiâ orarent capite discooperto, mulieres verò velato. Atque vt ostenderet, quantum suæ traditioni, adeoque Ecclesiæ consuetudini, quamuis scripto comprehensa non sit, auctoritatis tribuendum sit, ita concludit: *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.* Contentiosos vtique vocans eos, qui fidelium consuetudini non acquiescunt. Alteram quoque quæstionem à traditione exorditur. *Ego enim*, inquit, *accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* atque vbi totius rei seriem enarrasset, his verbis finit, *Cetera cùm venero disponam.* Quid autem posteà disposuerit, nusquam scriptum reperitur, & meritò Catholici, perenni traditioni insistentes, docent & credunt, eum non solùm disposuisse quæ ad ritus cæremoniasque exteriores spectant, sed insuper tradidisse & alia grauiora, puta de Ministrorum ordinatione, de Sacrificio altaris, deque aliis eiusmodi pluribus, de quibus Nouatores contrarium ostendere nequeunt. Par argumentum ex aliâ quoque eiusdem Apostoli Epistolâ producere possum. Timotheo discipulo 1.Tim.vlt. suo scribens ait: *O Timothee, depositum custodi.* & 2.Tim.1. *Formam habe sanorum verborum quæ à me audisti. Bonum depositum custodi, per Spiritum sanctum qui* 2.Tim.2. *habitat in nobis.* &: *Tu ergo fili mi confortare in gratiâ quæ est in Christo Iesu: & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.*

a Hæresi 61. quæ est Apostolicorū.
b Lib. de Spiritu sancto cap.19.
c Lib.4.c.17.

6. Quibus in locis nomine *depositi* intelligi nequit ipsa Scriptura, sed thesaurus doctrinæ & diuinorum dogmatum intelligentia, hoc est tam Scripturarum quàm aliorum dogmatum: quam doctrinam totam per traditionem propagari volebat, vt explicatur à S. Ioanne Chrysostomo & Theophylacto in hunc locum. Quò alludit & S. Irenæus, cùm ait: *Apostoli quasi in depositorium diues plenissimè contulerunt omnia quæ sunt veritatis.* Lib.3.c.4. & alibi, *Obaudire*, inquit, *oportet Presbyteris Eccle-* Lib.4.c.43. *siæ, qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundùm placitum Patris, acceperunt.* Et sanè ipsa Apostoli verba id manifestissimè volunt: nam si de iis quæ scripta erant loqueretur, non tam anxiè depositum commendasset; nec enim valdè difficile est, scripta in thecis asseruare. Vult autem Apostolus seruari per Spiritum sanctum in corde & pectore Timothei. Deinde nullatenus adiungeret, *Hæc commenda fidelibus, qui idonei erunt & alios docere:* sed diceret, Commenda librariis, vt plura exemplaria transscribant, vt quilibet, etiam dissitis in locis, ea legere possit. Nec item diceret, *Quæ audisti à me per multos testes*; sed, Quæ scripsi tibi. Itaque non verba solummodò, sed & sensum, ac multò magis hunc quàm illa, Timotheo Apostolus commendat, ac vt per manus tradat successoribus suis, imperat. Quæ haud dubiè cordato cuilibet sufficere poterant: verùm in gratiam aduersariorum etiam ex veteri Lege testimonia nonnulla producenda sunt, quæ fortasse illi hactenus necdum obseruarunt. Sapiens itaque sic monet: *Non te prætereat narratio seniorum,* Eccli.8. *ipsi enim didicerunt à patribus suis.* Idem ante eum dixerat pater eius, qui & illum hæc docuerat, & quasi admirabundus, plura per traditionem doceri quàm in lege scripta continebantur, eaque diuino Spiritu afflatus comprobans, ita exclamat: *Quanta audiuimus & cognouimus, & patres no-* Psalm.77. *stri narrauerunt nobis! Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filiis suis, vt cognoscat generatio altera! Filij qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filiis suis.* Ante Dauidem adhuc idem dixerat Propheta Iob: *Interroga generationem pristinam,* Iob.8. *& diligenter inuestiga patrum memoriam.* Idem quoque sacer ille nomothetes Moyses: *Interroga pa-* Deuter.32. *trem tuum, & annuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi.* &: *Narrabis filio tuo in die illo, dicens, Hoc* Exod.13. *est quod fecit mihi Dominus.* Has verò Israelitarum narrationes, quæ vtique fuerunt traditiones, calculo suo ipsa Veritas Christus Saluator appro- Matth.23. bans & collaudans, inquit: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi; quodcumque dixerint vobis facite.*

7. *Hæretici Traditiones ore & scriptis reiiciūt, factis & praxi obseruant vel inuiti.*

Rectè proinde Catholicus dixerit, nihil se, cùm Traditiones admittit, præter Scripturas admittere; quandoquidem hæ ab illis commendatæ, mutuam sibi operam præstant. Nam ex Traditionibus habemus, Scripturas esse Scripturas, & ex Scripturis, Traditiones esse colendas. Imò videamus, quâ ratione Scriptor ille modernus, Ioannes Barclaius ex ipsismet hæreticorum factis hæreticos confundat. *Quid*, inquit, *multis? Vos* In Parænesi. *ipsi sectarij Traditiones verbotenus proiicitis, reuerà recipitis. Ecquis enim Scripturas tradidit vobis? quis indicauit, essentne Scripturæ, essentne Canonicæ? absque Traditione hoc à vobis sciri non potuit; nullus enim in Scripturis sanctis locus qui singulos Scripturarum libros enumeret.* & infrà: *Ne in solo hoc morer, in Scripturis vbi concessum, ne obserues sabbati diem? illum tamen non obseruas. Dominicus dies illi successit; vnde hoc tibi, sectarie? Non, inquam, à Scripturis. Vnde igitur? Non aliunde quàm à Traditione Ecclesiæ.* Paulo-

Scriptura sacra per Traditiones ad hæreticos deuenerunt.

que

que pòst: *Qui autem hi ludi, vt Traditiones irrideas, & tamen obserues? Ecce enim & aliam, quam in commodum tuum vsurpas, suffocatorum nempe & sanguinis esum, quæ duo Christianis vetita legimus non semel in Scripturis.* Sic ille. Addam ego aliud, quò eos ampliùs premam: Vnde habent duodecim, quos nobiscum venerantur, atque vt fidei normam obseruant, Symboli Apostolici articulos? certè non nisi à Traditione. Vel ergo eamdem admittant, vel reiiciant Symbolum Fidei, ipsam Scripturam, Dominicum diem, & plura huiusmodi, quæ tamen præcipua sunt Christianorum mysteria.

7. O informem igitur Nouatorum nostrorum fidem! ô infamem insanamque hæreticorum nostrorum, quâ Ecclesiam nostram expurgare voluerunt, reformationem! Infamem, inquam, quæ gladiis ipsa suis impugnatur, atque adeò validè expugnatur; dum nimirum propria sua principia negat & destruit, simul & fidei suæ normam, fidei suæ probam, praxim denique & cærimonias negat. An quid vltrà ad propriam ipsorum confusionem dicere vel profari possent? Negant, inquam, suæ fidei normam, quam ex Symbolo Apostolico articulorum duodecim sese habere ac profiteri, iactitare assolent. Sed quid? Si enim (repetamus hoc, quia eos vrget, nec facilè hanc pedicam effugiunt) non recipiunt, nisi verbum Dei scriptum, atque in toto Scripturæ volumine non reperitur hoc ipsum, quod fidei suæ fundamentum haberi volunt, Symbolum; an non, quam adferunt credendi normam, quam profitentur fidei formam, destruunt, reiiciunt, improbant? Insanus foret qui hæc nō perciperet. Ostendamus idem quoque de fidei, quam sectari se dicunt, probâ. Omnia è Scripturis solis, nec aliunde, probari volunt. Sed, Deus bone! quid hoc est? Non habent ex Scripturâ, Scripturam & libros illos, quos pro Scripturâ habent, esse Scripturam, sed ex solâ maiorem traditione, vt suprà vidimus; nec ergo ipsam fidei suæ, quam adeò obstinatè sectantur, probam admittunt, sed relegant, dum nihil se credere posse asserunt nisi quod scriptum sit. De praxi cærimonijsque idem. An non inter præcipua capita obseruātiæ, quæ in Religione Christianâ frequētantur, est ipsa dierum festorum & solemnium celebratio, & eduliorum nonnullorum vel permissio vel prohibitio? & tamen in vtroque, sine traditionis clypeo, solo Scripturæ ense, sese perimendos offerunt hæretici. Nam quod Festa attinet, cur diei Sabbato diem Dominicum substituunt? cur, quod in Scripturis de die Dominico non reperitur, obseruant? cur, quod de Sabbato in illis disertis verbis præceptum est, præuaricantur & negligunt? Numquid non meminerunt Decalogi, cuius præceptum ordine tertium hoc est: *Memento vt diem sabbati sanctifices?* In ciborum quoque delectu apertè Scripturarum iussa præuaricantur. Cùm enim Apostoli expressè statuerint, ne quis sanguine aut suffocato vesceretur; quis Nouatorum hoc obseruat? Adeò non obseruant, vt vel ipsos Apostolos malè statuisse, vel se Scripturam violare, fateri cogantur. At excusant se malè intellecto, & in prauum sensum detorto illo Christi Saluatoris effato, *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.* Ipsorum tamen circa vtrumque inuerecundiam ipsissima Apostolorum verba confutant. *Visum est*, inquiunt, *Spiritui sancto & nobis, nihil vltrà vobis imponere oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato.* En vno ictu duplex vulnus, tum, vt videant, quàm perperàm Christi verbis intulerint interpretationem, cùm non credam, tam illos effrontes fore, vt Christi verbis Apostolos contraiuisse asserere ausint; tùm, vt appareat, quàm necessariò fateri eos oporteat, non seruari à se quod Apostoli præceperunt; aut admittere, se traditionibus acquiescere.

Hæretici ipsum fidei suæ normam euertunt.

Imò nec ipsam eiusdem probam approbant.

Et quod in Scripturis non extat, obseruant.

Exod. 20.

Act. 15.

Math. 15.

Act. 15.

Vnum adhuc adiungo, priùs quàm ad Purgatorij applicationem deueniamus, vt videlicet quilibet, cui veritas cordi est, notare hic velit, quàm hæretici fidem Christianam apud Gentiles traducant & irrisui exponant. Quomodo enim illos ab idololatriâ ad Euangelium conuertere poterunt, quibus mediis, quibus principiis? Opponerent enim Gentiles, & meritò, dum hæreticos sua principia euertere viderent, *Contra negantem principia non est disputandum.* Nos verò qui deuiantes à fidei salutisque principiis, ad semitam vitæ reducere volumus, ex ipsâ traditione, pro Purgatorij veritate stabiliendâ desumendum esse duximus argumentum. Quod ipsum vt ritè fieret, aptè vt arbitror, priùs quanta traditionum sit auctoritas, & quàm irrefragabilis earum certitudo à nobis probatum fuit. Huic iam posito fundamento, quidquid est residui ædificij superstruere pergemus, vnde constare poterit, vel nullam omnino traditionem esse veram, nisi hæc sit quæ Purgatorium & mortuorum suffragia concernit. Tribus id capitibus ostendi potest. Primò variorum Patrum antiquorum testimoniis, qui rem hanc apertissimis verbis vt traditionem acceptari debere, velut ex oraculo pronuntiant; deinde, proferendo illos Ecclesiæ Christi Scriptores sanctos, qui tribus residuis ad Christum vsque ætatibus floruerunt; tertiò denique, indicia illa proferendo, quæ, vt quid vera traditio haberi queat, requiruntur, & communiter adferuntur: è quibus cùm vel vnum solum signum seu nota ad nostrum propositum sufficiat, maioris tamen soliditatis argumentum erit, dum omnia simul nobiscum conspirare probauerimus. 8.

Hæretici ex prædictis ab Ethnicis meritò confutantur.

Tribus ex capitibus Purgatorij traditio adstruitur.

Quoad ergo Ecclesiæ Patres (vt primo ex capite rem probare aggrediamur) hanc de Purgatorio traditionem, antiquissimam & omnino incorruptissimam esse affirmarunt, sanctus Ioannes Damascenus, qui cùm ab Apostolis institutum esse docuisset, vt pro illis sub Sacrificij celebratione funderetur oratio, hoc modo subiungit: *Quod quidem firmè atque constanter sine vlla controuersia Catholica & Apostolica Ecclesia ab extremis finibus ad extremos vsque fines, ab eo tempore ad hunc vsque diem semper retinuit, ac tantisper, dum mundus hic erit, retinebit.* S. Isidorus Hispalensis lib. 1. de Officiis Eccles. cap. 18. *Sacrificium pro defunctorum fidelium requie offerri, vel pro eis orari, quia per totum hoc orbem custoditur, credimus quòd ab Apostolis traditum sit; hoc enim vbique tenet Catholica Ecclesia.* Sanctus Ioannes Chrysostomus Homiliâ quadam ad populum: *Non frustrà ac temerè instituta sunt eleemosynæ & oblationes pro mortuis, Ecclesia Dei à sapientissimis eius discipulis tradita.* Diuus item Gregorius Nyssenus: *Nihil inconsultò & incassum à Christi præconibus* 9.

Traditio de Purgatorio est antiquissima.

Orat. pro Defunctis.

nibus & discipulis proditum est, & in omnibus Dei Ecclesiis obtinuit, vt videlicet inter cetera in diuino ac splendido Sacrificio, eorum qui è vitâ in rectâ fide discesserunt, memoriam agamus. Denique Tertullianus, inter multas quas enumerat ab Apostolis acceptas traditiones, hanc profert ad animarum Purgatorij causam: *Oblationes pro defunctis annuâ die facimus.* & paulò post: *Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.*

* Lib. de Coronâ militis.

10\. *Purgatorium etiam longè ante Augustinum, Ambrosium, Basilium & Chrysostomum, creditum fuit.*

Quia tamen Caluinus existimat non diu ante Augustini, Ambrosij, Basilij & Chrysostomi tempora incepisse Purgatorij doctrinam, producere pergamus (quod alterum caput nobis hîc paulò antè propositum erat) per tria illa quæ ad Apostolos supersunt sæcula, eruditissimos viros, qui hanc ipsam confirmarunt. Tertio igitur Sæculo floruit D. Cyprianus Carthaginensis Episcopus & Christi Martyr. Hic ait: *Episcopi antecessores nostri censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericorum nominaret: ac si hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec Sacrificiũ pro dormitione eius celebraretur.* Cypriano coætaneus Eusebius Alexandrinus par testimonium reddidit his verbis: *Memento in oblatione parentum & fratrum qui è vitâ excesserunt; hoc enim faciendo magnam requiem defunctis conciliat.* Simile & S. Zeno Veronensis Episcopus, quando viduæ marito tunc primùm orbatæ scribit, eam solemnia ipsa diuina, quibus à Sacerdotibus Deo quiescentes commendari consueuerunt, profanis vlulatibus rumpere. Arnobius inter alia de gentilium inmanitate querimoniam facit, quòd inmaniter ab illis conuenticula diruantur, in quibus summus oratur Deus pro adhuc vitam degentibus, & resolutis corporum vindictione. Demum Lactantius Firmianus, *Sed & iustos*, inquit, *cum iudicauerit, etiam igne eos examinabit, à quo tamen examine illas paulo post eximit, qui puri omnino fuerint ac innocentes inuenti.*

Sæculo III. *D. Cyprianus*, lib. 9. Epist. 9. *Eusebius Alexandrinus*, Homil. de Dominicâ. *Zeno Veronensis*, Serm. de Resurrectione. *Arnobius*, lib. 4 contra Gentes. *Lactantius Firmianus*, lib. 7. Diuinarum institut.

11\. Sæculo II. *Hermes*, in libro qui inscribitur *Pastor.*

His adiungi possunt pro Sæculo præcedenti Hermes S. Pij Pontificis frater, S. Irenæus Episcopus Lugdunensis & Martyr, S. Theophilus Patriarcha Alexandrinus, & Origenes. Horum ille prior, Visione de structurâ triumphantis Ecclesiæ, quosdam spirituales lapides, è quibus cælestis Ierusalem construitur, in loco aliquo multò inferiori collocandos adstruit; vbi autem cruciati fuerint, & suorum peccatorum dies expleuerint, ex illis pœnis transferendos. Alter, postquam dixisset, transgressores Angelos & impios, iniustos & blasphemos homines mitti in ignem æternum, de iustis & æquis addit, quibusdam quidem ab initio mortis vitam æternam donari, quibusdam autem non nisi absolutâ pœnitentiâ, quam videlicet Ecclesia compleri docet in Purgatorio, nec qualis à modernis hæreticis admittitur. S. autem Theophilus Alexandrinus illud Christi, *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem*, apertissimè & de Purgatorio & de peccatis venialibus explicauit. Origenes, *Qui*, inquit, *saluus fit, per ignem saluus fit, vt si quid fortè de specie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat, & resoluat, & efficiantur omnes aurum mundum.* Quibus si adiunxerimus quem paulò antè citauimus Tertullianum, quinque etiam erunt pro secundo Sæculo Purgatorij assertores. Vnde

S. Irenæus, lib. 1. aduers. Hæres. ca. 2. *Theophilus Alexandrinus*, in Matthæum. *Origenes*, Homil. 6. in Exodum. *Tertullianus*

& ex eodem Scriptore alium lubet locum apponere quem habet in Matthæum, his verbis: *Cùm carcerem illum, quem Euangelium demonstrat, inferos intelligimus, & nouissimum quadrantem, modicum quodque delictum morâ resurrectionis illic luendum interpretamur, nemo dubitauit, animam aliquid pensare penes inferos, saluâ resurrectionis plenitudine.*

Ipso denique Apostolorum Sæculo quàm à variis fide dignissimis viris purgandarum animarum assertio comprobata est? Certè inter discipulos Apostolicos hanc sanctus Dionysius Areopagita ac sanctus Clemens Romanus apertè professi sunt, quorum alter quidem fuit B. Pauli Apostoli discipulus, & Galliarum posteà Apostolus, alter verò discipulus sancti Petri, & tertius ab eo in Romano Pontificatu successor. S. Dionysius in Ecclesiasticâ suâ Hierarchiâ fusè describit solemnes cærimonias suo tempore in exequiis mortuorum seruari solitas: speciatim verò de oratione pro recens defuncto hæc inter alia: *De prædictâ autem precatione, quâ Antistes super defuncto precatur, quanam ad nos peruenerit à diuinis ducibus nostris traditio, dicere necesse est.* En vt ipse sanctus Dionysius traditionem affirmet ab Apostolis dictatam, esse orandum pro mortuis. Id quod & fecit D. Clemens; nam etiam is longam adfert orationem quæ super defuncto fundi solebat. Item aliis locis, tamquam ex Apostolicis constitutionibus ordinata, enumerat officia quæ facienda erant circa cadauer ac spiritus morientium. Sed quid opus est discipulorum dictis, cùm nobis ad manum sint ipsorum Magistrorum scripta? Iuuabit ergo recensere aliquot Apostolos & Euangelistas, quorum Liturgiæ, etsi non comprehendantur Scripturis Canonicis, ex illis tamen probatur quid censuerint, cùm apud omnes, & meritò, in magnâ veneratione habeantur. 12.

Sæculo I. *Dionysius Areopagita*, de Eccles. Hierarchiâ cap. vlt. *Clemens Romanus*, lib. 8. Constitutionum Apostolic. c. 48.

S. Iacobus Maior, Zebedæi filius, ac frater S. Ioannis Euangelistæ, in suâ Liturgiâ hæc posuit: *Precemur pro iis qui in fide requieuerunt.* Paucorum ea verborum probatio est, sed ex perspicuitate prolixa: cui non absimilis est quam dedit alter sanctus Iacobus Apostolus, non meritis vel auctoritate, sed nomine, ac fortassis staturâ aut etiam ætate Minor. Hic inter preces varias quas in suâ Liturgiâ recitandas proponit, plus quàm sexies defunctorum mentionem facit, & quidem inter alia voluit à Diacono huiusmodi orationem fieri: *Pro omni animâ Christianâ afflictâ & vexatâ, misericordiâ & auxilij Dei indigente, & pro conuersione errantium, sanitate infirmorum, & liberatione captiuorum, pro requie antè defunctorum & patrum & fratrum, Dominum oremus.* D. quoque Matthæus Apostolus & Euangelista in suâ Liturgiâ ita loquitur: *Domine Deus noster, memento dormientium, & in rectâ fide quiescentium, & concede infirmis sanitatem, quia tu es vita, spes, liberator & resurrectio omnium.* Præterea S. Marcus Euangelista in Liturgiâ suâ non minore quàm præcedentes affectu hoc modo precatur: *Animabus patrum & fratrum nostrorum, qui anteà Christi in fide dormierunt, dona requiem Domine Deus noster.* 13.

S. Iacobus Maior. *S. Iacobus Minor.* *S. Matthæus.* *S. Marcus.*

Quid ad hæc hæretici? Certè meritò nihil possunt: nam si negare velint veritatem tot Scriptorum, quos per Sæcula singula distinctè produximus, quorum erit tandem apud ipsos fides? Falsitatis redargui poterunt omnes historiæ, imò ipsamet sacra Scriptura. Si namque sexdecim 14.

Testimonia ista si respuãtur, merum in rebus fidei futurum est chaos.

sæculis

sæculis nulli fidendum sit, si omnes errauerunt, an aliquid certi statui aut sciri poterit? Nihil omnino. Ecce in quantam confusionem incidant Nouatores. Merentur hoc ipsi, quod in alios omnes Christianos effutiunt, vt falli & fallere dici debeant. Nam quibus potiùs credendum erit, an aliquot hominibus vix orbi natis, qui seipsos à Sanctorum & Ecclesiæ communione, ob libidinem, libertatem, odiumque, & alia huiusmodi vitia, ne dicam scelera, subtraxerunt; an verò iis qui mille & sexcentis ferè annis in vnanimi consensu vixêre, nec dissimili sanctitate ac eruditione conspicui, parem de Purgatorij certitudine professionem fecêre? Idem enim est, asserere orandum esse pro mortuis, &, extare Purgatorium. Cur enim pro mortuis oratio fieret, si non esset Purgatorium? & si Purgatorium est, cur non etiam orandum pro mortuis? cùm æquè Ecclesia vtrumque asserat, atque hæretici vtrumque negant. Quid multis? nulla primæ aut posterioris Ecclesiæ ætas, nullus Doctorum discrepauit: testimonia omnium sæculorum atque Scriptorum instar vnius sunt, orandum scilicet esse pro existentibus in Purgatorio.

Affirmare, esse orandum pro mortuis, idem est atq; dicere esse Purgatoriũ.

15. Tertium & vltimum assertum nostrũ hoc erat, in præsenti, de quâ agimus, de Purgatorio traditione simul omnes illas notas, quæ ad internoscẽdam traditionis veritatem requiruntur, in vnam Purgatorij traditionem concurrere; eæque communiter à Scholasticis quinque numerantur. Primam assignant S. Irenæus, Tertullianus, aliique quam plurimi, illud nimirum credendum esse ex Apostolicâ traditione descendere, quod pro tali in illis habetur Ecclesiis, in quibus vsq; ab Apostolis integra, interrupta, & continuata perdurat successio. Regulæ huius fundamentum hoc est, quòd Apostoli successoribus suis cum Episcopali munere simul etiam Religionis doctrinam tradiderint. Si itaque in Ecclesiâ aliquâ ascẽdẽdo per singulos Episcopos, qui sibi successerunt, ad Apostolorum quempiam perueniamus, nec ostendi possit, quòd vllus eorumdem Episcoporum nouam doctrinam inuexerit, securi certique esse possumus ac debemus, Apostolicam traditionem ibi illucusque conseruatam fuisse. Quæ nota apertissimè pro nostrâ Purgatorij traditione militat: non solùm enim in Romanâ (quæ hactenus in nullo planè fidei puncto defecit, vel defecisse probata est) sed in pluribus aliis etiam ostendi potest, in quibus nimirum incorruptam Episcoporum successionem ad Apostolos vsque deprehendemus, & semper Purgatorij fidem viguisse, orationesque pro defunctis fusas esse nimis quam est notum. Secunda nota hæc est, tale ab Apostolis descendere, ab eisque traditum credi debere, quod ab omnibus retrò temporibus obseruatum fuit, etiamsi hoc ipsum ab Ecclesiâ posset institutum fuisse. Regulam hanc tradit D. Augustinus, & in Purgatorij materiâ vel maximè locum habet: vt enim tum hoc tum bihis immediatè antecedentibus Capitibus vidimus, omnibus Christianis, ætatibus ac sæculis, à Patribus recepta promulgataque fuit de animarum purgatione doctrina. Regulæque huius fundamentum etiam ex ipsâ nominis Traditionis etymologiâ demonstratur: nam, vt Theologi & Canonistæ id explicant, traditio non est aliud, nisi trans, seu de manu in manum datio. Tertia veræ traditionis

Nota pro verâ & legitimâ traditione discernendâ.

Lib.3. cap.3. Tertull. lib. de Præscript.

Prima nota.

Secunda nota.

Lib.4. contra Donatistas, cap.24.

Tertia.

nota est, si quidpiam ab vniuersali Ecclesiâ obseruatum fuerit. Hoc quia in Purgatorij doctrinâ locum habere & habuisse sufficienter in superioribus ostendimus, rectè cum S. Augustino dicere possumus, *insolentissimæ insaniæ esse, existimare id non rectè fieri, quod à totâ Ecclesiâ & fit & faciendum esse docetur.* Quarta sinceræ & ab Apostolis deuenientis per traditionem doctrinæ est, si grauissimi, vetustissimi, & sincerissimi Doctores scriptis suis eam defenderint, & verbis propagarint: quod iterùm quoad Purgatorij materiam à nobis suprà accuratè traditum & confirmatum est. Quintũ & vltimum Apostolicæ doctrinæ signum est, si ea nullos alios quàm ipsos Apostolos auctores habere demonstrari posit. Audiuimus nõ solùm Orthodoxos, sed & hæreticos de Purgatorio verba facientes, nullus tamen, à quo illa doctrina subreptitiè & fraudulenter in Ecclesiam introducta fuerit, vel edisseruit, vel edisserere potuit: in quo veritas suos etiam hostes suæ integritatis testes habuit, Caluinum in primis, quod valdè notandum arbitror. Is enim quamquam omnes, qui Purgatorio suffragantur, in errorem abreptos esse affirmet, nimis tamen perspicuâ veritatis luce conuictus, vel à Spiritu sancto in pœnam suarum nequitiarum excæcatus vt veritati cederet subscriberetque, licet inuitus, duobus proximis à Christo sæculis fideles Christianos pro mortuis orasse, nec orasse pro his tantũ obiter hinc & inde priuatos intra parietes, sed vsu publico receptum fuisse, asseruit. Si tunc vsu receptum, ergo nõ tunc primùm inceptum; quandoquidem quod vsu recipitur, iam anteà inceptum fuisse necesse fit; vsu enim receptum esse, idem est atque ex præcedentibus initiis in consuetudinem abiisse. Sed si ducentis à Christo annis iam consuetum erat pro defunctis orari, & si tunc in morem abierat, quando inchoatum est, quando inceptum? In hoc Caluinus, & quotquot eum sunt secuti, sese deceperunt ipsos, nec quod respondeant habent, obmutuerunt. Quid iis restat? quidve expectare possunt, nisi illud de quo Euangelium loquitur: *At ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.*

Epist.118.

Quarta.

Quinta.

Matth.22.

Secùs Catholici, qui hæresum & nouarum sectarum, à primâ & priscâ rectâ fide discrepantium auctores, articulos, tempora, loca, & qui se eis opposuerint, ad vnguem ostendere possunt. Exemplum sit in tribus. Arianismi excitator fuit Arius Presbyter Alexandrinus, Nestorianismi Nestorius Constantinopolitanus Episcopus, Lutheranismi Martinus Lutherus, Presbyter infamis Regulæ Augustinianæ desertor. Scimus illorum quoque errores: nam Arius Dei Filium creaturam esse docuit, Nestorius duas in Christo personas statuit, Lutherus per solam nudam fidem hominem iustificari, Eucharistiam non esse Sacrificium, &c. asseruit. Tempora, quibus hæreses suas propagarint, haud ignoramus: siquidem Ariana ab Ario doceri cœpit anno Domini 324. Nestoriana à Nestorio anno 431. Lutherana à Luthero anno 1517. Nec loca, in quibus primùm cœperint, nos latent. Arianismus namque in Ægypto, Nestorianismus in Thraciâ, Lutheranismus cœpit in Saxoniâ. Denique qui se iis opposuerint scimus: Arianos nam- 16.

que confutauit S. Siluester Papa, S. Athanasius, S. Hilarius, Conciliũ Nicænum,& alij; Nestorianos Cælestinus Papa, S. Cyrillus, Conciliũ Ephesinum,& alij; Lutheranos Leo X. Papa, innumeri Doctores & Academiæ,& ipsumConcilium Tridentinum. De reliqui[s] hæresibus earumque auctoribus,&c. Lectori satisfacient Annales Ecclesiastici, Bellarminus, Prateolus,& alij. Assurgat iã nescio quis nasutulus, nescio quis barbatulus è Nouatorum nostrorum grege, mustaceum intorqueat, multùm exscreet, vngues arrodat, digitis frontem corruget, & denique Caluinianâ grauitate, Stentoceoque boatu idem nobis de Purgatorio nostro edoceat; edoceat, inquam, quis, quando, vbi Purgatorium confinxerit, solidè exponat,

& erit mihi magnus Apollo.

16. *Habiti semper pro hæreticis qui negarunt purgatorium.*

Insuper, ne habeát hæretici quod conquerantur, qui primi Purgatoriũ negarint scimus, & qui errorem istum, vtpote communi Catholicæ & vniuersalis Ecclesiæ doctrinæ contrarium, oppugnauerint nouimus. Arius ergo primus erat qui docere ausus est, non debere preces pro defunctis fieri: & ecce statim omnes eum orthodoxi tam ob errorem hunc, quàm propter alios suos defectus in fide, redarguerunt, & velut hæreticum, vti reuerà erat, & omnes sani iudicabant, orbi traduxerunt. Videri eâ de re poterit S. Augustinus, & eo antiquior S. Epiphanius. Cumque posteà in eumdem errorem impegissent hæretici illi, qui seipsos, vt popello imponerent, Apostolicos nominabant (perinde atque nostri Nouatores, qui se Euangelicos & Reformatos appellari volunt, vt etiam hoc velamine incautos decipiant) hos ipsos iterùm confutauit Ecclesia Catholica, vt ex S. Bernardo colligitur. Si qui porrò exurgerent alij, qui vel hilum contra Purgatorium mutirent, Deus bone! quanti confestim conflictus oriebantur! statim ab omnibus Catholicis explodebantur, pro manifestis hæreticis habebantur, atque generalibus tãdem Orthodoxorum Conciliis publicè hæreseos condemnabantur, vt patet ex magno Concilio Lateranensi, aliisque Oecumenicis, Florentino & Tridentino, de quibus suo loco. Et tantum abest, vt hæc hæreticorum fidei nostræ oppugnatio Purgatorio quidquam præiudicet, vt & eam mirabiliter cõsolidet. Quia enim nouatores illi à veteri doctrinæ ac traditionis priscæ normâ desciuerunt, erroris, atque à fide transfugij rei, proclamati condemnatiq; sunt; quòd sanè haud exiguum, sed potiùs eximium est pro Purgatorij traditione argumentum. Vnum quid, quod admodũ notandum est, hic coronidis instar adiicio, quàm nimirum hæreticis nostris, tantam ac tam euidentem de Purgatorio traditionem pernegasse, fuerit exitiale: hinc enim apertæ iis sunt ad omnem planè abominationem fores amplissimæ, hinc vniuersus, si quæ vmquam fuerunt hæreses, errorum ex iis aggregatus cumulus, vt omnibus constaret, quàm sunt verissima de nostrâ Purgatorij doctrinâ & traditione Patrum Orthodoxorum testimonia, tam hæreticorum esse falsissima.

Hæresi 75.

CAPVT X.

Nonnullis ex naturæ Lege Scripturis Purgatorium adstruitur: plurima credi debere, tametsi in Scripturis non reperiantur.

Videndum primùm (quandoquidem ad Scripturas transimus) quomodo sint intelligendæ Scripturæ, cuius sit eas exponere,& an aliquo opus sit qui eas exponat: inde enim facilis tot rixarum erit exitus, cùm procul dubio eius sensui standum sit, cuius est de Scripturarum sensu ferre sententiã. Aiunt sectarij, Scripturarum esse de Scripturis iudicare. Fatentur & Ecclesiæ esse, modò sit vera & legitima, modò Scripturas ex sensu & normâ Scripturarum exponat. Quæ quàm sint ludicra, paucis expende sectarie. Scripturarum est, ais, Scripturas exponere; id est, ex Scripturarum loco vno explicandus est alius. At peto, Num Scripturarum ille alius locus, quem exponendo alteri sumis, expositione & ipse non egeat? Eget omnino; alioquin nullæ omnino olim hæreses extitissent, neque vlla hodie lis inter nos discerneret, si qui Scripturarum loci essent, qui ita ceterorũ interpretationi deseruirent, vt nec ipsimet in varios sensus distrahi, nec interpretatione corrumpi possent. Quis item iudex erit, an Ecclesia Scripturas ex mente Scripturarum exponat? Scriptura ipsa, inquis. Dic sectarie, an in insomniis quidquam offerri posset absurdius, Ecclesiæ est Scripturas exponere,&, Scripturarum est de illâ interpretatione iudicare? Quis hic circulus? quæ spiræ sine exitu sese circumplectentes? Quâ denique ratione Scripturæ de illâ Ecclesiæ interpretatione sententiam ferent? Nempe, inquis, id ex priuato cuiuslibet iudicio stabit. Nimirum tam absurdam tibi fingis Ecclesiam, quæ rem, quam tu omnibus obuiam, omnibus perspicuam putas, rem de quâ tu & ego possumus definire, sola ipsa non capiat, aut saltem nostrum expectare debeat iudicium an capiat. I.

Scripturæ interpretatio cui competat.

Hæretici superàm priuato cuiuslibet spiritui tribuunt.

O insaniam enormem! Hoc videlicet modo omnes sibi erũt pastores, singuli docebunt se, singuli rerum Fidei erunt iudices: & plurimi Scripturas non tam explicabunt quàm deprauabunt, quod nuper patuit in exponendis sanctissimis verbis illis, *Hoc est corpus meum.* quæ tametsi æquè clarè à SS. Matthæo, Marco, Lucâ & Paulo fuerint prolata, nec plura sint quàm quatuor, à modernis tamen hæreticis in quadringentos propemodum sensus, eosque à se inuicẽ longè diuersos, detorta deprehenduntur. Sed age, sectarie, tu qui ex Ecclesiæ iudicio iudiciũ tuum regere recusas, visne alios cogi, vt tuum ipsi iudicium sequantur, hoc est, ita exponendas esse credant Scripturas, vt tu ipse eas exponis? Sin ita velis, quæ tyrannis, vt priuato tibi plus deferri postules, quàm tu toti Ecclesię ipse deferas. Sin minùs, ergo & mihi alios sensus tuâ pace liceat sectari, & vel Arrium sequi, vel Pelagium, quorum vterq; non negando Scripturas, sed suâ ex mente eas exponendo peccauit; vel mihi ipsi quoque nouam sententiam cudere permitte. An non hac sententiæ immanitate omnis Religio, omnis ordo confunditur? 2.

Hæretici penè in quadringentos sensus detorserunt clarissima illa Christi verba, Hoc est corpus meũ.

Recti9

3. *Catholici vnanimi Doctorum consensui adscribunt.*

Rectiùs multò Ecclesia Catholica, quæ non priuato cuilibet sacræ Scripturę textum explicandum permittit, verùm suos, quibus id committat, habet Doctores, quorum interpretationes tum demum admittit, si toti fidelium cœtui probētur, vel saltem non aduersentur: & hoc ad normam ipsius Scripturæ, secundùm id quod ait S. Petrus Apostolus: *Hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit: nō enim voluntate humanâ allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati sunt sancti Dei homines.* Vnde D. Paulus: *Numquid*, inquit, *omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?* & suprà: *Diuisiones operationum sunt, idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autē datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatum in vno Spiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituū, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Quid clarius, vt eorum interpretationem admittamus, quos Ecclesia agnoscit Spiritum Dei habere quò Scripturæ sensum intelligant; reiiciamus verò alios, qui propriâ illud auctoritate faciunt, reclamante Ecclesiâ, de quâ dicitur, quòd sit *columna & firmamentum veritatis.* & Saluator noster comminatur illum qui Ecclesiam non audierit, habendum esse loco Ethnici & publicani.

1. Petr. 1.

1. Cor. 12.

1. Timoth. 3.

Math. 18.

4. Vt itaque securiore nos viâ in Scripturis sacris explicandis incedamus, SS. Patrum expositionibus vtemur, qui nimirum ab vniuersali Ecclesiâ pro talibus agnoscuntur, vt Scripturarum eis interpretatio meritò competere iudicandum sit, & quorum plerique ab ipsismet hæreticis ac hæresiarchis ob insignem sanctitatem ac doctrinam commendati fuerunt. Verùm enimuerò, quia tum in præsenti aduersus heterodoxos disputatione, tum & alibi pleraq; argumenta, quibus nostram sententiam, vtpote orthodoxam, stabilimus, è Scripturis desumimus, ne quis fortè cauillari posset, incertum esse, quænam è tot Bibliorum voluminibus atque Ecclesiasticorū Scriptorum Operibus, authentica sint & αὐθέντικα, è Concilij Tridentini decreto hos in sacro Canone libros haberi sciat. *Pentateuchum Moysis, hoc est Genesim, Exodum, Leuiticū, Numeros, & Deuteronomium; Libros Iosue, Iudicum, Ruth; Regum libros quatuor, & duos Paralipomenon; duos item Esdræ: Tobiam, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Dauidis centum quinquaginta Psalmorum; Parabolas, Ecclesiasten, Cantica canticorum, Sapientiam, & Ecclesiasticum; Prophetas item maiores quatuor, minores duodecim, duosq; libros Machabæorum: qui omnes in Veteri Testamento comprehenduntur. E nouo verò Testamento in Canonē assumpti fuerunt, Quatuor Euangelia, Actus Apostolorum, Quatuordecim Epistolæ D. Pauli Apostoli, duæ S. Petri, tres S. Ioannis, vna S. Iacobi, vna S. Iudæ, & denique liber Apocalypseos S. Ioannis Apostoli.* Neque verò ipsi hunc librorum sacrorum Canonem primi condiderunt Concilij Tridentini Patres, quod fortè nō nemo hæreticorum, vt aliquam elabendi rimulam sibi fodiat, obiicere posset; sed illum eumdē omnino per traditionem à Concilio Florentino, quod centum & ampliùs annis anteà celebratum fuit, acceperunt; in quo nimirum iidem omnino libri recensentur; quos Patres, qui ei interfuerunt, eosdem planè itidem per longam & continuatā traditionem acceperunt à Gelasio Papa, qui hos acceperat ab S. Augustino, Ecclesiæ Catholicę Doctore celeberrimo, & hæreticomastyge acerrimo. Quin ipsa S. Augustini verba, vt omnem aduersarius mussitandi occasionem præcidamus, huc adscribamus, qui sic ait:

Sessione 4. Enumerantur à Concilio Tridentino libri Scripturarum Canonici.

5. *Item ex B. Augustino* Lib. 1. de doctrinâ Christianâ, cap. 8.

Totus Canon Scripturarum his libris cōtinetur: Quinque Moyseos, id est, Genesi, Exodo, Leuitico, Numeris, Deuteronomio: & vno libro Iosue Naue, vno Iudicū, vno libello qui appellatur Ruth, qui magis ad regnorū principia videtur pertinere. Deinde quatuor Regum & duobus Paralipomenon, non consequentibus, sed quasi à latere adiunctis, simulq; pergentibus. Hæc est historia, quæ sibimet annexa tempora continet, atque ordinem rerum. Sunt aliæ, tamquam ex diuerso ordine, quæ neque huic ordini neque inter se connectuntur, sicut est Iob, & Tobias, & Esther, & Iudith, & Machabæorum libri duo, & Esdræ duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam, vsque ad Regnorum vel Paralipomenon terminatam. Deinde Prophetæ, in quibus Dauid vnus liber Psalmorum, & Salomonis tres, Prouerbiorum, Cantica canticorum, & Ecclesiastes: nam duo illi libri, vnus qui Sapientia, & alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Iesus filius Sirach eos scripsisse constantissimè perhibetur: qui tamen, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt. Reliqui sunt eorū libri, qui propriè Prophetæ appellati sunt: duodecim Prophetarum libri singuli, qui annexi sibimet, quoniam numquam seiuncti sunt, pro vno habentur: quorum Prophetarum nomina sunt hæc: Osee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor Prophetæ sunt maiorum voluminum, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel. His quadraginta quatuor libris, veteris Testamenti terminatur auctoritas. Noui autem, quatuor libris Euangelij, secundùm Matthæum, Marcum, Lucam, Ioannem; quatuordecim Epistolis Pauli Apostoli, Petri duabus, tribus Ioannis, vnâ Iudæ, & vnâ Iacobi; Actibus Apostolorum libro vno, & Apocalypsis Ioānis libro vno. Hactenus S. Augustinus. Ex quibus clarum, quinam habendi sint Scripturarū libri; modò ex iis probemus Purgatoriū.

En quartam quoad Scripturarum libros, antiquorum catholicorum cum præsentibus concordiam.

6. Primus itaque è naturæ Lege desumptus locus sit, vbi mortuo Patriarchâ Iacob, filius eius Ioseph *ruit super faciem patris flens & deosculans eū. Præcepitq; seruis suis medicis vt aromatibus condirent patrem. Quibus iussa explētibus, transierūt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadauerum conditorū: fleuitq; eum Ægyptus septuaginta diebus.* & infrà: *Veneruntq; ad Aream Atad, quæ sita est trans Iordanē: vbi celebrātes exequias planctu magno atque vehementi, impleuerunt septem dies.* Ex quo primū colligitur, antiquos Patriarchas consueuisse exequias seu funeralia celebrare, quæ, sicut superiùs patuit, ex vnanimi gentium consensu instituta ac frequentata fuerunt ad solatium defunctorum seu impetrandū seu etiam apprecandum. Patet hinc secundò, planctu magno atque vehemēti non solùm apud Ægyptios, sed & Iudæos, eiusmodi exequias factas fuisse: quæ plangendi & amaritudo & prolixitas irrationabilis fuisset, & antiquis Patriarchis ad diuinam voluntatem resignatis indigna, nisi id pro requie defunctis acquirendâ fecissent, vt benè obseruauit Cardinalis Bellarminus, & probari potest

Scripturæ è libro Genesis ad Purgatorium asserendum adducuntur. Genes. 50.

Patriarchæ exequias mortuorum celebrarunt.

Bellar. lib. 2. de Purgat. Beda in lib. Regum.

Clem.Rom. lib.8.con-stit. Apost.

potest ex Ven. Bedâ, atque insinuatur à S. Clemente Romano.

7.

Genes.vlt. Exodi 13.

Locus alter eodem Genesis vltimo reperitur, vbi dicitur: *Cumq́, adiurasset eos*, Ioseph nimirum fratres suos, *atque dixisset: Deus visitabit vos; asportate ossa mea vobiscum, de loco isto: mortuus est.* Vnde: *Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum; eò quòd adiurasset filios Israël, dicens: Visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum.* Item: *Ossa quoque Ioseph, quæ tulerant filij Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem.* Præterea D.Paulus: *Fide Ioseph, moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est, & de ossibus suis mandauit.* Quæ haud dubiè non absque particulari aliquo mysterio tum iussa tum impleta fuerunt, vt scilicet anima Ioseph requiem ac cōsolationem acciperet. Et proinde Illustrissimus Cardinalis Bellarminus inter alia loca Scripturæ, quæ ad Purgatorium stabiliendum adduxit, attulit etiam hanc Iosephi Patriarchæ adiurationem. Cùm enim totus esset in variis veteris Testamenti testimoniis ex SS. Patrum mente pro præsenti materiâ citandis, ita subdit: *Quò etiam spectat illa sollicitudo Patriarcharum, qui cupierunt in Terrâ promissionis sepeliri, Genes. 50. & 47. nimirum vt essent participes precum & sacrificiorum quæ ibi offerebantur.* Et rectè, cùm non solùm huiusmodi ratio à pluribus loci istius expositoribus fuerit allata, sed etiam S. Paulus loco anteà dicto ad fidem Iosephi referat quòd de ossibus suis mandarit, ostendens eum credidisse sibi profuturum si in Terrâ promissionis, vbi de precibus & sacrificiis participaturus erat, sepeliri posset.

Iosue 24.

Hebræos 11.

Lib.1. de Purgatorio ca.3.

8.

Genes.37.

Tertiò, dum Iacob agnouisset tunicam Ioseph, *Tunica*, inquit, *filij mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph. Scissisq́, vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. Congregatis autem cunctis liberis eius vt lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed ait: Descendam ad filium meum lugens in infernum.* In quo exemplo inprimis certò præsumendum videtur, tantum à Patriarchâ luctum, non nisi ob Ioseph animam adiuuandam, esse assumptum, vti Iudæos fecisse solitos, iam ex S. Clemente Romano, Ven. Bedâ, ac Card. Bellarmino probauimus: nam aliàs inordinatus nimiùm censeri deberet huiuscemodi lamentationis excessus, quod in tam perfectum virum cadere potuisse quis dicere audeat? Describitur autem & in illo facto mortificationis modus, quo satisfacere solemus pro peccatis, cùm vestimentorum conscissio ab Achab, & aliis alicubi, ad pœnitentiam faciendam fuerit vsurpata. Cilicium quoque pœnas delictorum laxare, multiplici Scripturarum textu probatum est, prout & consolationis externæ, ac corporalis commoditatis abdicatio facere solet. Nec dici potest, signa illa non alia fuisse quàm vehementis ac excessiui doloris, quia stultum erat, conturbato adeò corpori commodas vestes subtrahere, ac durum cilicium superinduere, & afflicto satis addere afflictionem. Deinde hinc apparet, quanto affectu filium Iacob prosecutus sit, quoniam ei non sufficiebat hunc quadraginta diebus deflere, sed viginti tribus annis, iuxta Abulensem, Liranum, & alios loci istius expositores, qui nimirum, tristitiam illam Iacobi durasse, donec Ioseph in Ægypto regnare intellexerit, opinati sunt.

Luctus Patriarchæ Iacob non fuit propter amissum filium Ioseph sed pro animâ eius.

3.Reg.21.

Genes.35.

Genesis item 35. dicitur: *Mortua est Rachel, & sepulta est in viâ quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem. Erexitq́, Iacob titulum super sepulchrum eius. Hic est titulus monumenti Rachel, vsque in præsentem diem. Titulus*, inquit Liranus, *id est memoriale in futurum. Ex quo patet, quod ab antiquo fuerint SS. Patres solliciti de sepulturâ aliquâ notabili, vt sic mortui in memoriâ hominum remanerent ad orandum pro ipsis, & ostendendum quod haberent fidem resurrectionis.* Hæc ille.

Patres antiqui de sepulturâ aliquâ celebri fuerunt solliciti.

Eodem Genesis capite inuenire est quintum locum, in quo dicitur: *Eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ, & sepulta est ad radices Bethel subter quercum: vocatumq́, est nomen loci illius, Quercus fletus.* Ad quod Abulensis: *Subter quercum, id est subter vnam magnam quercum, vt appareret memoriale sepulchri eius: vocatumq́, est nomen loci illius, scilicet illius campi in quo sepulta est Debora, Quercus fletus, quia sub illâ quercu fleuit eam tota familia Iacob cùm sepeliretur. Istud nomen impositum fuit per ipsum Iacob.* Ex quo arguitur, solemnem fuisse hunc planctum super Deboram: nec est verisimile, illâ ita fleuisse totam familiam Iacob ex naturali tristitiâ, cum mulier esset omnino senex, & ad moriendū matura. In quibus omnibus hæretici non habent ansam euasionis, tametsi hæc facta causentur ex dolore ob amissionem dilectorū proueniente; quia, vt ex Ieremiæ ca.16. sequens Caput XII. docebit, planctus huiusmodi ad mortuorum fiebat consolationem, vt proptereà, si in hac causâ Patribus credere nolint, credere tamē debeant Scripturæ. 9.

Sextus locus habetur Genesis 23. *Vixit autem Sara centum vigintiseptem annis. Et mortua est in ciuitate Arbee, quæ est Hebron, in terra Chanaan: venitq́, Abraham vt plangeret, & fleret eam.* Quæ vt explicet Abulensis, distinguit inter *plangere* & *flere. Flere enim*, inquit, *pertinet ad lachrymantes ex dolore; plangere ad plorantes ad solemnitatem, quæ fit in rythmis Rhetoricis, & vulgariter vocantur Endechas.* Vnde apparet, Abrahamum non tantùm ex tristitiâ lacrymatum fuisse, sed exhibuisse etiā solemnem illum ploratum, quo mortuos viui sub diuinis Officiis prosequi soliti erant. Item Card. Bellarminus vult implicitè saltem contineri hoc loco mentionem Purgatorij. *Quando enim, ait, dicitur, Et surrexit Abraham ab officio funeris, quis prohibet per illud officium intelligere non solùm lacrymas, sed etiam orationem & ieiunium?*

Bellarm. lib.1.de Purgat.c.15.

At ponimus pro septimo loco illud Genesis 3. *Et collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Quem ignem Liranus & Tostatus volunt esse ignem, qui paradisum vndique ambiat. S. verò Ambrosius & Rupertus dicunt, flammeum hunc gladium esse ignem Purgatorij, quem ante paradisum morientibus, necdum in hac vitâ plenè purgatis, posuit Deus, vnde Cherubim, id est Angeli, animas plenè purgatas in paradisum, cælum nimirum, educant. Quæ, vti & alia plura Geneseos loca, licet non ita clara sint, vt omnem planè euasionem excludant, Nouatoribusque explicandi aliter haud omnino viam præcludant, sunt tamen eiusmodi, quæ, si Ecclesiæ potiùs auctoritate, quàm priuati cuiuspiam imaginatione moueamur, insigne dare possunt fundamentum, vt credamus, Purgatorij etiam fidem apud primos sub Lege naturæ Patriarchas extitisse: sub quibus vix quidquam adeò dilucidè inuenitur expressum, quin aliquo sensu detorqueri valeat. Et quamquam contenderemus, nullam tempore Legis naturæ 10.

S.Ambrosius super Ps.118 Rupertus lib.3.c.32.

de

de Purgatorio reperiri mentionem, an idcircò, vt perperàm ex modo suo argumentatus est Petrus Martyr, desineret esse dogma fidei? Certè non; quandoquidem necessarium non sit, vt singula quæ credenda sunt, singulis Scripturæ libris comprobari debeant. Hac sanè ratione vix vllus, quinimò nullus fidei foret articulus, quod reuerà absurdum; præterquam quòd Bellarminus notet, Genesim non esse dogmatum librum, sed historiam tantummodò Patriarcharum, quorum tempore doctrina non tam scriptione quàm traditione conseruabatur. Nam alioquin dicemus, ante Abrahami ætatem neminem fuisse iustificatum, quia Scriptura non tradit, quomodo iustificarentur homines temporibus Adę, Enoch, Noë, quibus nondum instituta erat circumcisio.

11. Quàm autem sit absurdum, ex vnoquoque Scripturæ tractatu vel libro probari velle omnem quæ quidem ad fidem pertinet propositionem, insigniter admodum docuit D. Cornelius Iansenius in Spongiâ suâ notatum, vbi in Voetium, qui simile quidpiam postulauerat, ita inuehitur: Quòd si aliquis Faustus Manichæus à Voetio flagitaret, vt omnes suæ religionis cardines ex solis Epistolis Pauli assereret, reiectis Euangeliis tamquam corruptis; vel contrà ex solo Matthæi Euangelio, repudiatis ceteris tam Euangeliis quàm Epistolis, sicut ab Ebione, teste Irenæo, repudiata sunt; an propterea quidquam veritati, quam se tenere putat, præiudicatum esse censeret? Quid si ex solis Actis Apostolorum, vel solo veteri Testamento idipsum præstitum vellit? nam vt pictoribus atque Poëtis, ita etiam hæreticis

E quolibet Scripturæ loco quidlibet adstruere velle, ineptum est.
Cap. 7.
Iren. lib. 1. cap. 6.

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Vides, arbitror, non esse difficile, ineptias suas petendo prodere. Et sanè vnicâ tuâ postulatione tot modis & ita turpiter animus tibi de curru lapsus est, vt si quis peponem haberet pro corde, vix talia somniando delirare potuisset.

12. At enim non modò è quolibet Scripturæ libro quilibet fidei articuli, sed nec è sola Scripturâ singula quæ in fide disceptanda occurrunt definiri aut determinari possunt: quam in rem iterùm nostrum Iansenium auscultare lubet, qui haud ita pridem ingeniosissimè hosce hæreticorum astus elusit. Sed si tibi, inquit Voetio hæretico, constitutum est nulla mihi arma permittere, nisi quæ tibi placent, & prurit animus, vt ex solo scripto Dei verbo conseramus manus, nihil iustius est, quàm vt ante omnia liquidò mihi ex Scripturis probes, nihil aliud ad decidendas controuersias nostras, probandosque fidei nostræ articulos, præter Scripturam esse adhibendum. Stultum est enim, ad solam Scripturam, tamquam omnis probationis armamentarium, in omnibus fidei articulis prouocare, & hûc, qui basis est & cardo probationis ceterorum, sine Scripturis solo Pythagorico probationis supercilio & compendio asserere. Age igitur Voeti, qui hactenus tantopere Scripturas crepas, arripe stylum, profer thesauros absconditos eruditionis tuæ, & ex solis Scripturis assere nobis capitalem istum articulum, quem mihi sine probatione obtrusum cupis, Nihil diuinâ fide credendum, nisi quod in sacris litteris comprehenditur. Si enim iste non comprehenditur, quo iure fidem nostram ex solis Scripturis probari cupis? Sin comprehenditur, iustissimum est, vt hoc principio inter nos constituto probationem articulorum tuorum ex illis solis aggrediar. Sed vt omnes anfractus quæstionis huius penetres, non pigebit quædam adiumenta suggerere, quæ ad faciliorem eius solutionem tibi sternant viam, ne fortè postquam Scripturarum oceanum perscrutando vires triueris, subita procella difficultatum oborta tibi clauum eripiat, & dum in portu te esse putas, naufragium patiaris. Igitur triginta tres tibi suggero quæstiones, quarum filo in isto labyrintho te possis regere.

Nec è solâ Scripturâ omnia quæ fidem spectant probari possunt.

Quæritur igitur I. *Ex quâ Scripturâ probes, errasse in fide Marcionem, qui, teste Epiphanio, Epistolas ad Hebræos, ad Titum, & vtramque ad Timotheum delenit è Canone.* II. *Ex quo scripto verbo asseras falli in fide Ebionem, Marcionem, Valentinum, Corinthum, quorum primus* a *solum Matthæum vt diuinum recipit;* b *secundus solum Lucam, tertius solum Ioannem, quartus solum Marcum.* III. *Ex quâ Scripturâ euincas, omnes Epistolas Pauli vt diuinas esse recipiendas, aduersus Ebionæos,* d *qui eum* tamquam apostatam Legis recusabant. IV. *Vbi scriptum sit, omnia in veteri Testamento, Euangeliis & Epistolis esse Christo in auctoribus loquente scripta, & non quædam humano spiritu, vt olim aliqui voluerunt apud Hieronymum & Epiphanium.* V. *Ex quâ Scripturâ probes, vllam esse Scripturam diuinitus inspiratam, vt Neophytus argumentis Swenckfeldij & Libertinorum fluctuans, & ex castris eorum rediens, ad credendum fide diuinâ firmetur.* VI. *Ex quâ Scripturâ demonstres, priscis Græcis Apocalypsim Ioannis, & Latinis Epistolam ad Hebræos esse diuinos libros; cùm olim illi de illâ contra Latinos, hi de istâ contra Græcos dubitauerint. Et ex quâ Scripturâ dubitatio illa à Luthero, Brentio; Kemnitio recèns iterùm de vtraque suscitata sopietur, si fortasse Voetium asserent hac de causâ esse hæreticum.* VII. *Vbi scriptum sit, Epistolam Iacobi esse diuinam, cùm Lutherus Patriarcha vester putet esse stramineam; Erasmus, non redolere Apostolicam grauitatem.* VIII. *Ex quâ Scripturâ persuadeas S. Gregorio Nazianzeno; librum Esther, quem recipitis, esse scriptum diuinitus, cùm clarè post canonem suum illo libro carentem dicat:* Ecce omnes habes; si quid præter has fuerit, non est genuinum. IX. *Ex quâ Scripturâ constet, errare Iudæos, qui librum Iob in suo Thalmud ex canone expungunt. Et Martinum Lutherum Prophetam vestrum, qui non credit omnia sic esse gesta sicut narrantur.* X. *Vbi scriptus sit ille articulus fidei, quòd libri Sapientiæ, Tobiæ & Ecclesiastici non sint Canonici, vt vos creditis; & quod errant Catholici, qui contrarium fide diuinâ credunt?* XI. *Ex quâ Scripturâ constet, argumenta quæ contra illos libros opponuntur, non posse solui, sicut alia grauissima quæ contra alios vtrisque communes opponuntur, solui possunt ac debent.* XII. *Vbi scripserit Spiritus sanctus, nullos libros veteris Testamenti esse Canonicos, nisi qui in Iudæorum Canone continentur.* 13.

Hæres. 41. num. 9.
a Iren. l. 3. c. 1
b Epiphan. hæres. 4 n. 9. & Iren. ibid.
c Iren. ibid.
d Idem l. 2. cap. 28.
Hieron. ad Paul. & Eustoch.
Epiphan. hæresi 76.
Hieron. Epist. 119.
Nazianzen Carm. de lib. script.
Nazianz. Carm. 33.

XIII. *Ex quâ Scripturâ constet, minus esse scriptos libros veteris Testamenti linguâ Græcâ sub Imperio Græcorum, quàm Chaldaicâ sub Imperio Chaldæorum, & Hebraicâ sub Republ. vel regno Iudæorum.* XIV. *Ex quo Scripturæ loco probes, Iudæos Canonem suum non auxisse libris adulterinis, vel genuinis multasse, & ita adulteratum Canonem ad nos non-esse transmissum.* XV. *Vbi scriptū sit, quòd illa opera, quæ nomen Euangelistarum vel Apostoli Pauli præ se ferunt, sint verè ipsorum,* 14.

rum, & non potiùs esse veram Fausti Manichæi sententiam quâ dicit, se sæpè probasse, quòd nec ab ipso (Christo) hæc sunt, nec ab eius Apostolis scripta, sed multa post eorum assumptionem à nescio quibus, & ipsis inter se non concordantibus Semiludæis per famas opinionesque comperta sunt, qui tamen omnia eadem in Apostolorum conferentes nomina, vel eorum qui secuti Apostolos viderentur, errores ac mendacia sua secundùm eos se scripsisse mentiti sunt. XVI. *Ex quâ Scripturâ demonstres, nostra potiùs esse vera Euangelia, quàm Euangelium secundùm* a *Ægyptios, quo vsus est Tatianus, & à Clemente videtur magni fieri; vel* b *secundùm* Apostolos, *quod incorruptissimum Manichæis visum est; vel secundùm* c Matthiam, *& secundùm* Iacobum, *quæ à quodam Lenero scripta fuerant; vel secundùm* Andream *vel secundùm* Thomam, *de quibus Innocentius; vel secundùm* d Hebræos *ab Ebionitis admissum; vel secundùm* e Petrum Nazaræorum, *vel denique secundùm* Iudam *Iscariotē.* XVII. *Ex quâ Scripturâ conficias, libros illos antiquissimos, qui à doctissimis viris pro sacris habiti sunt, non esse Canonicos, vt inter ceteros librum Hermetis, qui ab Origene scriptura valdè vtilis & diuinitus inspirata iudicatus est, & à plurimis antiquis in probationem adhibitus. Omitto acta Pauli, Epistolam Barnabæ, & Clementis, quibus Clemens Alexandrinus vsus est, aliaq́; non pauca.* XVIII. *Quo Scripturæ testimonio probes, omnes libros Canonicos, extra quos nihil fide credendum est, esse superstites; cùm in Scripturis gesta Dauidis à Samuele, Nathan, Gad; gesta Salomonis à Nathan, Abia Silonite, & Addo; gesta Abia ab eodem Addo; gesta Iosaphat à Iehu conscripta memorentur: legamus item, Salomonem tria millia parabolarum, & carmina quinquies mille locutum, quorum tamen parum superest. Ex quâ Scripturâ probes, nihil in illis libris fide credendum fuisse comprehensum; neque quidquam ex eis ad nos traditione transmissum?* XIX. *Cuius Scripturæ auctoritate probes, omnes illos sacræ Scripturæ libros, quibus olim antiqui vsi sunt, alios per trecentos, alios per bis mille & amplius annos incorruptos, sine additione, sine diminutione per tot describentium manus vsque ad tempora S. Hieronymi peruenisse; nec illis contigisse per hæreticos, id quod Euangelio Lucæ per Marcionem contigit, in plusquam* 20. *locis teste Epiphanio, & quod Epistolis Pauli per eundem Marcionem & Basilidem, qui ex eis quidquid contrarium suo dogmati viderant, eraserunt teste Hieronymo.* XX. *Ex quâ Scripturâ probes, Hieronymum tamquam Monachum iuratissimum, & Papæ cultorem maximum, Reliquiarum & Martyrum, vt dicitis, idololatram, non violasse nouum Testamentum, & instituto suo aptasse: itemq́; eum correxisse omnia corrupta loca, quæ magno numero per nouum Testamentum sparsa fuerant: itemq́; non multa ex inaduertentiâ, imperitiâ, malitiâ reliquisse, maximè cùm se non omnia emendasse testetur.* XXI. *Si ille nihil in fonte turbauit, ex quâ Scripturâ probes, nihil in nouo Testamento iam inde à Hieronymi ætate hucusque per descriptores Monachos sine numero, per Papas à quibus Scripturas accepistis, & quos tamquam Antichristos omnia maculasse dicitis, fuisse adulteratum?*

Faustus apud Augustin. lib. 33. cont. a Faustum. cap. 3

a Clemens Alex lib. 3. Strom. c. 6.
b August. lib. contra Adim. c. 57. & 22. contra Faust. ca. 79.
c Innocent in Epist. 3. cap. 7.
d Theodoret lib. 2. hær. fab.
e Ibidem.
f Lib. hæretic. fabul.

Lib. 3. Reg. cap. 4.

Epiphanius Hæresi 42. Præfat. in Epist. ad Titum.

15. XXII. *Ex quâ Scripturâ probes, Septuaginta Interpretes olim non alia magis incorrupta vel verba vel puncta legisse, quàm nunc legimus, cùm eorum translatio etiam in rebus facillimis tantopere ab Hebraico textu differat, vt vel ex sola translatione Psalmorum Hieronymi videre licet.* XXIII. *Ex quâ Scripturâ probas, Iudæos velut hostes Christianorum nihil in veteri Testamento de industriâ violasse, & Canum, quem toties honorificè citas, esse hæreticum quia hoc dicit?* XXIV. *Sed esto, omnia veteris Testamenti integrè ad nos, sicut ab auctoribus primùm scripta sunt, peruenerint, ex quâ Scripturâ probas, Rabbinos veteres non perperàm sacra verba punctuasse, sed in omnibus sensum S. Spiritus assecutos, cum pro punctorum diuersitate in mille formas possint torqueri.* XXV. *Ex quâ Scripturâ probas, non licere noua puncta subiicere, & ita formare Scripturam ab eâ, quâ vtimur, diuersissimam?* XXVI. *Vbi scripsit Spiritus sanctus, Rabbi David Kimchi, aliosq́; recentiores Iudæos, & ex eis Caluinistas, meliùs esse assecutos significationem, qualis tempore Moysis erat, Hebraicorum verborum (vnde pendet translationum vestrarum fides) quàm S. Hieronymum; & vestræ peritiæ plus, quàm ipsius, esse deferendū?* XXVII. *E quâ Scripturâ probes, significationes antiquas tempore Moysis & Prophetarum vsitatas multorum nominum Hebraicorum non penitus intercidisse per assumptionem linguæ partim Chaldaicæ partim Syriacæ, sicut quorumdam intercidisse, magnus ille & interminabilis conflictus Rabbinorū & Lexico-graphorum ostendit?* XXVIII. *Cùm vnum verbum Hebraicum sæpè duas, tres, imò quatuor aut quinque significationes admittat, multa non nisi semel occurrant in Scripturis itemq́; cùm vna sententia sæpissimè multos imò oppositos sensus admittat, vt ex tantâ translationum varietate & contrarietate manifestum est: ex quâ Scripturâ constabit, quæ cui præferenda sit, & quæ illarum sit verbum Dei, & nō hominum hallucinatio?* XXIX. *Ex quâ Scripturâ fidem facies, populum Biblia Dordracena linguâ Belgicâ lectitantem, debere credere quòd legat verbum Dei, & non errauerint interpretes sui?* XXX. *Ex quâ Scripturâ probabitur, populo linguæ Hebraicæ & Græcæ ignaro, non mentiri eos qui illud venditant & tradunt vt verum verbum Dei? Hæc enim fides de vtroque isto articulo nisi præcesserit ex Scripturis, non possunt illud acceptare vt verbum Dei.* XXXI. *Sed esto, fide constet, etiam ex Scripturis, si libet, vera verba sancti Spiritus, veras sententias, non auctas aut mutilatas, vera puncta, veras significationes ad nos peruenisse: ex quâ Scripturâ verum sensum Scripturæ demonstrabis, cùm in propositionibus categoricis & sæpiùs apertissimis alium alij sensum exsculpant, vt ex duobus & septuaginta sensibus illius sententia simplicissima,* Hoc est corpus meum, *perspicuū est, & Scriptura dicat,* quòd indocti & instabiles Scripturas deprauant. XXXII. *Si vero vna Scriptura per aliam explicanda est, quâ certitudine fidei ex Scripturis haustâ demonstrabis, duobus inter se de interpretatione dimicantibus, hanc potiùs per illam, quàm illam per hanc esse interpretandam?* XXXIII. *Et quia multa de fide credenda non sunt categoricè in Scripturis posita, sed per legitimas consequentias inde deriuanda sunt: ex quâ Scripturâ constabit, illos nexus consecutionum vi rationis humanæ factos esse certitudinis fidei infallibiles? Si enim tales non sunt, impossibile est conclusionem eos certitudine superare, sed humanam & Aristotelicam tantummodò facient fidem.*

2. Petri. 3.

16. En tibi quæstiones triginta tres, quas à te sedulò consideratas velim: omnes enim circa solum illum articulum versantur, vtrùm Scriptura ad omnia fidei dogmata tradenda sufficiat, sine subsidio traditionis. Possem totidem alias, imò plures citra vllam hyperbolen, de eodem isto articulo producere: sed istæ impræsentiarum satis sint. Vnum dumtaxat te præmonitum velim, vt nō de cepis interrogatus, de alliis mihi respondeas.

deas. Nolim mihi hac in re dicas, vt soles, Hæc dicit Mysterium iniquitatis Plessæi, hæc hyperaspistes eius Riuetus, hæc dictat mihi Spiritus-sanctus intus loquens, hæc lumen internum, quod velut ignem fatuum quisque sectariorum, contraria de Scripturæ libris asserentium, iactat & sequitur: sed sicut æquum est, Hæc dicit Dominus in Scripturis. nec ita dicit vt sit opus Oedipo, sed vt possit ita fundare Christianam fidem, vt non tantùm illi qui Scripturas negant, conuincantur, sed fidelis quilibet fidei diuinæ, quam Sctipturis adhibere meditatur, fundamentum & radicem quærens, sine fluctuatione possit acquiescere, sine hæresi non possit assensum detrectare. Hactenus Iansenius. Pudeat itaque eos tantarum ineptiarum: nos ad seria redeamus, & de Purgatorio agere pergamus.

CAPVT XI.

Tempore quo data est Lex Moysaica, & dudum posteà, idipsum amplius stabilitum, non cuiuscumque esse Scripturas exponere.

1. DOlendum profectò est, quòd sicut aduersariorum totum in eo studium fuit, vt quidquid possibile alicubi erat Scripturarum deprauare, id in nos detorqueant, ita nobis ob compendij istius breuitatem non liceat etiam percurrere & vicissim producere singulorum librorum seu capitum textus, quibus SS. Patres materiam Purgatorij asseruère, atque euidentissimè comprobauère: sed succinctè hîc nobis agendum; & propterea ex pluribus antiquæ Legis testimoniis, loca solùm aliquot magis obuia daturi sumus. Certè Origenes optimè applicat, & de Purgatorio explicat illud Num. 31. *Hoc est præceptũ legis, quod mandauit Dominus Moysi: Aurum, & argentũ, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannũ, & omne quod potest transire per flãmas, igne purgabitur. quidquid autẽ ignem non potest sustinere, aquâ expiationis sanctificabitur: & lauabitis vestimenta vestra die septimo, & purificati posteà castra intrabitis. Super quo vides*, inquit Origenes, *quomodo purgatione indiget omnis qui exit de prælio huius vitæ. Qui pugnauerunt pro filiis Israël, Madianitas interfecerũt, in quo Domino placuerunt, cuius voluntatem impleuerunt, hoc tamen ipso immundi dicuntur effecti; vnde iubentur lauare vestimenta sua, & mundari, & sic intrare in castra. Hi ergo qui pugnant, qui immundos hostes contingunt, polluti sunt. Si ergo diabolum vicero, & cogitationes immundas, quas suggerit, vel venientes repulero, vel ingressas intra me, ne ad affectum veniant, necauero, conculcans caput draconis, hoc ipso tamen pollutus sum, quo pollutum calcara contendi; beatus tamen, quia superaui. Vnde nemo mundus à sorde. Omnes ergo purificatione indigemus, imò purificationibus. Multæ & diuersæ nos manent purificationes. Sed hæc mystica sunt, & ineffabilia.* Hæc Origenes.

Scriptura ex libro Numerorum.

2. Sed ne fortassis aliquis credat, luctum, quem præcedenti Capite super mortuis factum esse descripsimus, sub Lege solùm naturæ, tamquam inferioris adhuc fidei homines essent, vsurpatum fuisse, sub Lege autem Moysaicâ, vbi clariùs credendorum substantia reuelata est, istum cessasse plangendi modum, adferemus hîc rursum exempla nonnulla, quibus palàm fiat, cõtinuasse eamdem Patriarcharum defunctos plorandi traditionem. *Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, fleuit super eo triginta diebus per cunctas familias suas.* Item: *Moyses centum & viginti annorum erat quando mortuus est: non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt. Fleueruntq; eum filij Israel in campestribus Moab triginta diebus. Et completi sunt dies planctus lugentium Moysen.* Super quorum priori loco, *Fleuit*, inquit Liranus, *Aaronem multitudo, tum quia diligebat eum, tum propter reuerentiam Pontificalis officij. Ex hoc autem cœpit Ecclesia consuetudinem faciendi memoriam defunctorum die trigesimo sepulturæ.* Super altero verò Glossa ordinaria sic habet: *Hinc orta consuetudo, vt fidelibus mortuis triginta diebus pietatis officia persoluantur.* Similia videre est apud Abulensem: sed parum est, Ecclesiam Catholicam in celebrando trigesimo pro mortuis die, auctoritate niti tam antiquæ in Scripturis fundatæ consuetudinis, cùm ex hac etiam habeat ipsius perpetuò recurrentis anniuersarij. Nam in libro Iudicum de occisâ filiâ Iephte dicitur hoc modo: *Exinde mos increbuit in Israel, & consuetudo seruata est, vt post anni circulum conueniant in vnum filiæ Israel, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.* Quid ad probandam anniuersarij defunctorum vetustatem pulchrius? quam sane veneratur & obseruat Ecclesia, reiiciunt atque exsibilant Nouatores.

Num. 20.
Ex libro Deuteronomij.
Deuteron. 34
E libro Iudicum.
Iudicum 11.

3. A Moysis & Iudicum ad Regum libros procedamus: in quorum primo inuenitur, quòd *cùm audissent habitatores Iabes Galaad, quæcumque fecerant Philisthiim Saul, surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulauerunt totâ nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethsan: veneruntq; Iabes Galaad, & combusserunt ea ibi: & tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerũt septem diebus.* Dauid quoq; fleuit & ieiunauit pro Saule & Ionathâ & aliis occisis: quod idem fecit pro Abner. Quæ facta esse ad iuuandas defunctorum istorum animas, testis est Ven. Beda: quod ex duobus colligi potest. Primò, eò quòd fuisset irrationabile, in signum doloris septem diebus ieiunare. Secundò, quia Dauid ieiunauit & orauit quidem pro filio suo infantulo quamdiu ægrotauit, posteaquam verò illum mortuum intellexit, cessauit à ieiunio: quo facto sufficiẽter ostendit se ieiunasse non è naturali tristitiâ, sed vt aliquid a Deo impetraret; ideò enim pro puero ex Bersabee Vriæ vxore sibi nato, postquam obiisset, non ampliùs ieiunauit, quod tamen fecisse describitur dum is ægrotaret, quia nempe sciebat, non esse puerum ad vitam redituram, neque eum, vtpote innocentem, suffragiis indigere; quamdiu autem superstes erat, sperabat sese à Deo incolumitatem eiusdem posse obtinere.

E libris Regum.
1 Regum vlt.
2. Regum. 1.
2. Regum 3.
Beda in lib. 1. Regum.
2. Regum 12.

4. Cùm Paralipomenon libri Regum libris ferè sint pares, eosdem vltrò prætaerimus. In libro igitur Tobiæ sic habetur: *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* Sunt verba senioris Tobiæ ad filium, & alium sensum non habent quàm illum qui cõmuniter ab Expositoribus adfertur, hoc modo: Instrue conuiuium, & voca fideles pauperes, vt hi post acceptã eleemosynam orent pro animâ defuncti. Hinc enim nata est illa consuetudo, quæ olim in Ecclesiâ viguit, & nunc etiam perseuerat, vt affines & consanguinei mortuorum

E libro Tobiæ.
Tobiæ 4.

tuorum conuiuia faciant, & etiam panes aut potum distribuant, ac cibum pauperibus & Religiosis transmittãt, vt ij pro animâ defuncti orent. S. Ioannes Chrysostomus istius moris rationem prædictam assignat. Neque quidquam valet Munsteri ad hæc destruenda commentum, qui per sepulchrum intelligi vult os pauperum iustorum, quia scriptum est Psalmo 5. *Sepulchrum patens est guttur eorum.* vt sensus sit: Pone panem tuum in ore iustorum pauperum, vt non moriantur fame. Hæc enim falsa expositio est & detorta. Primò, quia nusquam in Scripturâ vocatur sepulchrum os iusti, sed os peccatoris, vnde exhalant fœtores vitiorum. Secũdò, Tobias in eodem capite multis anteà verbis commendauerat pauperes viuos, & deinde transiit ad commendationem mortuorum, vti in litterâ patet. Ita ferè Bellarminus.

Homil. 31. in Matthæum. *Munsterus refellitur.*

5. *E libro Iudith* Iudith 8.

Iudith post mariti sui mortem, haud dubiè vt animam eius prosequi posset, *in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis morabatur, & habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter Sabbata, & Neomenias, & festa domus Israel.* De Iob autem ait S. Ioannes Chrysostomus quòd is ostenderit, preces ac oblationes, quæ pro defunctis ab aliis fiunt, eisdem prodesse, cùm videlicet peccata filiorum suorum sacrificiis purgare solitus esset. Nam ca. 1. eiusdem libri ita reperies: *Cumq; in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgensq; diluculo, offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus.* Ad quæ Chrysostomus: *Defunctis ergo opem feramus, & commemorationem eorum peragamus. Si enim Iobi filios expiabat patris sacrificium, quid dubitas an nobis pro eis qui excesserunt offerentibus existat aliqua consolatio.* Iob etiam expressè Purgatorium hisce verbis confessus est ca. 14. *Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* Alibi habet similia. Quibus non immeritò adiunxeris quod adfert Angelicus Doctor S. Thomas, dicens: *Dies Domini, id est dies mortis in igne reuelabitur, per quem purgabitur si quid in elementis inuenietur purgandum, de quo intelligi potest quod dicitur Iob. 23. Probauit me quasi aurum quod per ignem transit.*

E libro Iob. Homil 41. super Epistolam 1. ad Corinth.

D Thomas in Catenâ.

6. *E libro Psalmorum.* Psal. 6. & 37.

In Psalmis quamquam multa sint quæ ad Purgatorij declarationem faciunt, nobis tamen sat erunt duo aut tria, quæ ex Augustino aliisque doctissimis viris accepimus. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me.* B. Augustinus exponit, vt in furore argui, sit in æternum damnari; in irâ corripi, puriri seuerè post vitam, ad correctionem tamen & emendationem. Vnde subdit: *In hac vitâ purges me, talem me reddas, cui iam emendatorio igne opus non sit,* &c. Eodem modo exposuerunt S. Gregorius Magnus, Ven. Beda, Haymo, Dionysius Carthusianus, & alij. Alter locus est: *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Quæ verba tametsi sensus ac expositiones diuersas admittere possunt, Origenes tamen & D. Ambrosius exponũt per aquam Baptismum, per ignem Purgatorium. *Hic, aiunt, per aquam, illic per ignem: per aquam, vt abluantur peccata; per ignem, vt exurãtur.* Addere his liceret illud Psal. *Quia misericordia tua magna est super me, &*

Psal. 65.

Origenes Homiliâ 25. in Numer. Ambrosius super Ps. 36. & Serm. 3. in Psal. 118. Psalm. 85.

eruisti animam meam ex inferno inferiori. Ex quo patet esse duplicem Dei misericordiam, iuxta duplicem infernum, qui videlicet est inferior, damnationis æternæ; & superior, purgationis temporariæ. Videantur loci eiusdem Expositores, nos ad libros Sapientiales descendimus.

S. Hieronymus explicans illud, *Mortuo homine impio, nulla erit vltrà spes*, inde probat, spem adhuc esse mortuo homine qui non fuerit impius, quod nimirum contingit in animabus iustis, quæ viuorum precibus vel citiùs vel tardiùs liberari possunt. Audiamus ipsa Hieronymi verba. *Etsi*, inquit, *impiis post mortem spes veniæ non est, sunt tamen qui de leuioribus peccatis, cum quibus obligati defuncti sunt, post mortem possunt absolui, vel pœnis videlicet castigati, vel suorum precibus, & eleemosynis, Missarumq; celebrationibus.* Eadem habet Ven. Beda in hunc locum. Ecclesi. 7. *Gratia dati in conspectu omnis viuentis, & mortuo non prohibeas gratiam.* Cap. 17. *Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillã conseruabit: & posteà resurget, & retribuet illis retributionem, vnicuique in caput ipsorum, & conuertet in interiores partes terræ.* Cap. 22. *Supra mortuum plora, defecit enim lux eius: & supra fatuum plora, deficit enim sensus. Modicum plora supra mortuum, quoniam requieuit. Luctus mortui septem dies: fatui autem & impij omnes dies vitæ illorum.* Denique eodem libro cap. 38. *Fili in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundùm iudicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius. Propter delaturam autem amarè fer luctum illius vno die, & consolare propter tristitiam, & fac luctum secundùm meritum eius vno die, vel duobus propter detractionem.* Item infrà: *In requie mortui requiescere fac memoriam eius, & consolare illum in exitu spiritus sui.*

7. *E libro Prouerbiorum.* Prouerb. 11. S. Hieron. in cap. 11. Prouerb.

E libro Ecclesiastici.

Quæ singula Ecclesiastici loca plerique Expositores Purgatorio asserendo producunt, nec absque fundamento: quoniam, si rectè quispiam ea examinauerit, reperiet ibi manifestissime ea quæ circa Purgatorium præcipuè ab Ecclesiâ Catholicâ fidelibus credenda proponuntur. Priore namque loco satis adstruitur, vti viuo, ita etiam defuncto eleemosynam posse ac debere conferri. Deinde, qui eleemosynam fecerit, habiturum mercedem non tantùm in hac vitâ, ac post mortem aliquando resurrecturum, verùm &, etiamsi in interiores terræ partes descenderit, ibidem misericordiam consecuturum. quod de damnatis haud potest intelligi, quia in inferno nulla est redemptio, sed id ad mentem Ecclesiæ de Purgatorio exponi necesse est. Tertio loco super mortuum dicitur esse plorandum, eò quòd lux eius defecerit, id est, quòd ipse non valeat quidpiam boni efficere, quo se à debitis ac pœnis, quibus in Purgatorio detinetur & cruciatur, exsoluat: Christi namque sententiâ manifestum est, in morte noctem venisse in quâ nemo possit operari. Quæ quàm sint propriæ animarum purgandarum circumstantiæ, nullus est qui non videat. Sed nos vlteriùs pergimus.

8. *Eleemosyna etiam defunctis dari potest.* *Eleemosynæ quanta merces.*

Ioan. 9.

Ex tertio ergo loco prætereà constat, quamuis impius & fatuus quoque deplorandi sint, summum tamen inter illos & qui in gratiâ sunt mortui, discrimen inueniri. Modicum temporis, septem scilicet dierum, expendi conuenit in mortuorum deploratione, vtpote pro quorum temporali obligatione atque pœnitentiâ haud adeò diffi-

9. *Inter mortẽ impij & eius qui in gratiâ decedit magna est differentia.*

difficulter satisfieri possit; pro impij verò pœnâ æternâ, quam suâ culpâ incurrit, semper, donec nimirum conuersus fuerit, supplicandum est. At quarto loco rationes recensentur, ob quas mortui à nobis consolandi sunt, & quare vehementer instare debeamus vt citiùs consolationem accipiant. Inprimis ob delaturam, id est, inquit Hugo Cardinalis, ob accusationem. Secundò ob tristitiam quam ex ignis Purgatorij vehementiâ percipiunt. Tertiò ob meritum, seu quo tunc ipsis assistere tenemur, seu etiam quod ex ipsorum liberatione consequi possumus. Tandem ob detractionem, siue alias imperfectiones, quas, dum viuerent, fortassè incurrerunt, & modò exsoluere coguntur. Videantur Cõmentatores loci præsentis: nos præsentia vltimâ Ecclesiastici sententiâ coronamus, *In requie mortui* (ei nimirum apprecandâ) *fac requiescere memoriam eius.* hoc est, Tam feruenter ei requiem apprecare, quò impetres, ne eius ampliùs meminisse opus sit; *&* *illum consolare in exitu spiritus eius*, id est, statim atque eius spiritus exiuerit, ne, si differas, diutiùs hæreat in tormentis.

Mortui quare à nobis lugendi.

10.

Transitus ad alterum capitis membrum.

Iam hinc omnibus constat, ex vniuersis pænè antiquæ Legis in Scripturâ libris (Prophetarum Oraculis, & Machabæorum historiâ adiunctis, de quibus fusiùs Capite sequenti) Purgatorium suas habere probationes. An iam quid vltrà requirũt aduersarij? An & ex aliis libris, qui interière, argumenta desiderant? Sin ita, illos producant, & in his æqualia, ac fortiora fortassis, adstruendi Purgatorij fundamenta reperientur. Hinc & istud Orthodoxis in causæ suæ defensionem deseruire potest, quòd etiamsi è præcedentibus ne vnus quidem locus suffragaretur, aut si suffragaretur, in contrarium sensum ab aduersariis detorqueri posset, id non obsit Catholicorum de purgandis animabus doctrinæ, quãdoquidem argumentum hoc non solùm est ab auctoritate negatiuâ, quæ nihil concludit, sed haberi mẽtio de præsentibus potuisset in illis authenticis Scripturæ textibus, quos certum est cum residuis Bibliorum libris aliquando extitisse, licet nunc perierint. Periisse autem nonnullos, legisse puto aduersarios in libro Numerorum cap. 21. vbi citatur Liber bellorum Domini: in libro Iosue cap. 10. vbi citatur Liber iustorum: in libro tertio Regum cap. 11. vbi citatur Liber verborum dierum Salomonis; & cap. 14. vbi citatur Liber sermonum dierum Regum Iuda & Israël: in libro secundo Paralipomenon, quem ipsi Chronicorum vocant, cap. 29. vbi citantur Liber Samuelis Videntis de rebus à Dauide gestis, Liber Nathan Prophetæ de iisdem, & Volumen Gad Vidẽtis: in libro secundo Paralipomenon cap. 9. vbi citantur Liber Nathan Prophetæ de rebus à Salomone gestis, Liber Ahiæ Silonitis de iisdem, & Visio Addo Videntis contra Ieroboam filium Nabat; & cap. 20. vbi citatur Historia Regum Israel, conscripta à Iehu filio Hanani; & cap. 26. vbi citatur Historia Oziæ Regis, conscripta ab Isaiâ filio Amos; & cap. 33. vbi citantur Sermones Ozai de rebus Manassæ; & cap. 35. vbi citatur Lamentatio Ieremiæ in funere Iosiæ Regis: in libro Ieremiæ cap. 36. vbi citatur Volumen Ieremiæ de euersione vrbis, & captiuitate populi; & cap. 51. vbi citatur Liber Ieremiæ de vastatione Babylonis: in libro primo Machabæorum cap. 16. vbi citatur Liber dierum Sacerdotij Ioannis Hircani: in libro secundo Machabæorũ cap. 2. vbi citantur Descriptiones Ieremiæ Prophetæ: in Epistolâ S. Iudæ Apostoli, vbi citatur Liber Henoch. Ex quibus iterùm liquet, habere Catholicos, quibus Nouatorum elumbe istud argumentum, (nisi cauillationem quis meliùs vocauerit) crurifragi condamnemus, quo nimirum omnia in Scripturis reperiri volunt, quæ credenda sunt, neganda verò esse & detestanda, quæ expressa in iis minimè fuerint. Sed vt ampliùs eos premamus, nullum quoque ipsis diuerticulum permittemus, vt allatos hactenus à nobis Scripturæ textus in sinistram suam interpretationem, quâ illos Purgatorio suffragari pernegant, detorquere valeant. Fiet id, si latiùs, quàm præcedenti Capite cœpimus, probauerimus, non cuilibet competere aut licere Scripturas exponere, sed iis dumtaxat, quibus id à Deo vel Ecclesiâ speciatim concessum est. Multum iuuabit, hoc è veteri Testamento, in cuius producendis testimoniis iam versamur, palàm facere, vt quilibet videat, non modò Scripturas Legis naturæ atque Moysaicæ Purgatorium adstruere, sicut hactenus patuit; sed & ex hæreticorum manibus à tot iam sæculis extortam atque excussam esse peruersæ interpretationis clauam, quâ & in materiâ animarum, & causarum aliarum, de quibus nos inter & illos est aliqua disceptatio, loca Biblica (quibus tamen solis omnem disputandi probandiq; soliditatem inniti volunt) fraudulenter eneruant, & ad errores suos palliandos, quâ prauitate libuerit, quâ falsitate placuerit, distorquent. Campus hîc nobis aperitur admodum spatiosus, tum vt, quod intendimus, latè probemus; tum etiã vt ex vnâ quoad animas purgandas sententiâ, reliquæ sectariorum in interpretando fraudes peremptoriè diiudicentur, & causa triumphet Ecclesiæ, quæ iniustè ab hæreticis auctoritate exponendi sacras Litteras (quâ tamen ipsa sola pollet) expoliari prætenditur. Dictum est Capite superiore, ridiculũ, quinimmò deplorandum potiùs esse, quòd Nouatorum quilibet Biblia interpretandi libertatem sibi assumat, quam toti Ecclesiæ, aut eiusdem supremo Pastori, atque iis quibus id ab illo demandatum fuerit, denegare auderet. Dictum hoc est ibi, & quadamtenus etiam deductum; sed hîc, vtpote opportuniore loco, solidè idem luculenterque erit probandum, vel ex ipso in antiquâ Lege à Deo prolato præcepto. Vidésne, quæso, quomodo vniuersi veteris Testamenti libri Scripturarum intelligentiam ad Sacerdotes & Summos Pontifices spectare asserant, nõ verò ad plebeios, & qui se propriâ auctoritate ad Bibliorum expositionem ingerunt? *Hæc dicit Dominus Deus exercituum*, legitur apud Aggæum Prophetam, *interroga Sacerdotes legem.* Et apud Malachiam: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem ex ore eius requirent, quia Angelus Domini exercituum est.* Rex quoque ille optimus Iosaphat ad Sacerdotes ait: *Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in vrbibus suis, inter cognationem & cognationem, vbicumque quæstio est de lege, de mandato, de cærimoniis, de iustificationibus, ostendite eis, vt non peccent in Dominum. Amarias Sacerdos & Pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent præsidebit*, &c. Porrò apud Ecclesiasten hæc leguntur: *Verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno. His* amplius,

Multi libri sacri, quorũ alibi mentio fit, perierunt.

Quomodo refutentur ex his sectarij.

Hæretici Scripturis ad suas prauitates abutũtur

Sacerdotum est Scripturas exponere.

Aggæi 2. Malach. 2.

2 Paral. 19.

Eccles. 12.

amplius, fili mi, ne requiras. An & Moysē, è Scriptoribus Biblicis antiquissimum, accedere lubet? Duplex apud eum pro nobis reperitur locus. Alter in Exodo, vbi legimus, quòd cùm populus Dei ad quamdam Reipublicæ Ecclesiasticæ formam redigi cœpisset, Moyses sederit tamquam Princeps & caput illius Ecclesiæ, & ad omnia dubia circa legem Dei exorta responderit, & numquam populum ad spiritum aliquem priuatum & reuelatorem remiserit. Quin &, licet de consilio soceri sui minores quosdam & subalternos Magistratus, qui populo ius dicerent, constituisset, semper sibi tamē dubia quæ circa religionem occurrebant, reseruabat. Quare hoc? nimirum vt intelligeremus, vnum quoddam tribunal esse debere, à quo omnes diuinæ legis interpretationem petere, & cuius oraculo omnes simpliciter acquiescere deberent. Alter Moysis locus est in Deuteronomio, vbi vniuersalis hæc lex statuitur: *Si difficile atque ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter causam & causam, lepram & nō lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variare; surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesq́; ad Sacerdotem Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresq́; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq́; sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur.* Quæ Legem & Scripturas interpretandi Sacerdoti summo data auctoritas nō scriptis solùm aut verbis, vt vidimus, consignata est, sed & reipsâ Deus ostendere voluit, quàm suæ Maiestati ingratum foret, Sacerdotis sui definitioni acquiescere nolle. Docuit id abundè terribilis ille Core, Dathan & Abiron interitus, qui in Numerorum libro hunc in modum enarratur: *Et ait Moyses: In hoc scietis, quòd Dominus miserit me vt faciam vniuersa quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim; Si consuetâ hominum morte interierint, & visitauerit eos plagâ quâ & ceteri visitari solent, non misit me Dominus: sin autem nouam rem fecerit Dominus, vt aperiens terra os suum, deglutiat eos & omnia quæ ad illos pertinent, descenderintq́; viuentes in infernū, scietis quòd blasphemauerint Dominum. Confestim igitur vt cessauit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum; & aperiens os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersâ substantiâ eorum: descenderuntq́; viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* O mortem verè tremendam! ô infaustissimā rebellionis & tamen iustissimam punitionem! Vtinam hæc cordibus suis imprimerent, qui iudiciū quoque suum, Ecclesiæ eiusque legitimis Expositoribus nolunt submittere, qui à communi fidelium sensu deficientes, proprij erroris causa fiunt, propriique interitus auctores atque executores existūt! Quid illis aliud, si non visibiliter in vitâ suâ, post mortem saltem in inferno, expectandum est? quid promerentur aliud, nisi vt qui pares fuerūt in crimine & culpa, pares sint etiam in supplicio? Nam eadem, quæ sub lege Moysaicâ inflicta est rebellibus pœna, in lege nouâ illorum sequacibus imminet, & meritò extimescenda est. Videre possit id ad oculum, qui D. Iudæ Apostoli, breuissimam licet, Epistolam, in hæreticorum tamen vindictam satis prolixam, euoluerit. Apostolus enim ille, vt Catholicos ab hæresibus deterreat, sic inquit: *Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Iesus populum de terrâ Ægypti saluans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit: Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reseruauit. Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant.* Et infrà sectarios describens, sic ait: *Hi autem quæcumque quidem ignorant, blasphemant; quæcumque autem naturaliter, tamquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur. Væ illis, quia in viâ Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt. Hi sunt in epulis suis maculæ, conuiuantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aquâ, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum. Prophetauit autem & de his septimus ab Adam Henoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impij. Hi sunt murmuratores querulosi, secundùm desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causâ, &c.*

II. Sed oggāniunt hìc hæretici, se etiam suos Ministros habere, qui Sacerdotum loco Scripturam exponant. An ignorant ergo, Prædicantibus suis necessariam illam, quâ tales euadant, conditionem deesse? An nesciunt, auctoritate eos carere, ac legitimam missionem, quâ instructi verbum Dei priuato suo sensu explicent, populoque instar sinceri verbi Dei proponant, non habere? Audiant quid de similibus aliquādo Cyprianus Carthaginensis Episcopus scripserit. *Hi sunt*, inquit, *qui se vltrò apud temerarios conuenas sine diuinâ dispositione præficiunt, qui se præpositos sine vllâ ordinationis lege constituunt; qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt, quos designat in Psalmis Spiritus sanctus sedentes in pestilentiæ cathedrâ, pestes & lues fidei.* Et alibi: *Nouatianus in Ecclesiâ non est, nec Episcopus computari potest, qui Euangelicâ & Apostolicâ traditione contemptâ, nemini succedens, à seipso orsus est.* Et S. Irenæus Lugdunensis Episcopus & martyr: *Oportet reliquos qui absistunt à principali successione, & quocumq; loco colliguntur, suspectos habere vel quasi hæreticos & malæ sententiæ, vel quasi scindentes, & elatos, & sibi placentes, aut rursum vt hypocritas.* Et ipsemet Saluator: *Quicumq; non intrat per ostium in ouile, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Itemque: *Omnes quotquot venerunt* (à seipsis scilicet, & nemine mittente) *fures sunt & latrones.* Quare non immeritò D. Paulus: *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron.* Quinimmò & *Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech*, adeò vt nec ipse Dei Filius sine speciali missione à Patre, prædicationis ac animarum regiminis munus obierit, nec assumpserit.

Marginalia: Exod. 18. — *Moyses in dubiis dissoluēdis consultus fuit, non priuatus huius vel illius spiritus.* — Deuter. 17. — *Qui Sacerdotum iudicio refragantur, malâ morte plectuntur.* — Numer. 16. — *Core, Dathanis & Abironis exemplum hæreticos nostros deterrere debebat.* — Versu 5. — Versu 10. — *Ministri vel Prædicantij hæreticorum legitimâ Scripturas exponēdi auctoritate destituuntur, nec ad id à quoquam destināti missi.* — Lib. de Vnitate Ecclesiæ. — Epist. 76. — Lib. 4 c. 43. — Ioann. 10. — Hebr. 5. — *Missio legitima tam in munere prædicatorio est necessaria, vt Christus ipsemet ad eam promissam non assumpserit.*

pſerit, ſuoſq; Apoſtolos ad eumdem modum miſerit, prout idipſum hiſce verbis affirmat: (Ioan. 20.) *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Sed & de Ioanne Baptiſtâ legitur: (Luc. 3.) *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto, & venit in omnem regionem prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Item: (Ioann. 1.) *Ego neſciebam, ſed qui miſit me baptizare, ille mihi dixit*, &c. Neceſſaria ergo ſemper fuit, quæ hæreticorum Miniſtris & Prædicantibus hactenus defuit, à Deo ad Sacerdotiū & prædicandi officium miſſio, prout & D. Paulus requirit. (Rom. 10.) *Quomodo*, inquit, *prædicabunt, niſi mittantur?* Et ante illum in antiquâ Lege ſic ſtatuerat S. Ieremias Prophetes, dum in αὐλοκήρυκας ſiue vltrò ſe ingerẽtes Magiſtellos hunc in modum ſub (Ierem. 23.) perſonâ Dei inuehitur: *Non mittebam prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Mirandum ergo non eſt, illos noua ſemper diuerticula quærere, in nouas ſe rurſus formas, velut fabuloſus ille Proteus, conuertere. Aiunt, Scripturam per ſe ſatis claram eſſe, & hinc, ad eius expoſitionẽ opus non eſſe ſpeciali Dei commiſsione, concludunt. Deus bone! quàm in profundiorem ſemper abyſſum ſeſe demittunt, & in turpius confuſionum chaos prolabuntur! Quò fortiùs argumentum vrgent, eò laqueum, quo ſuffocentur, ampliùs ſtringunt. Viderint ipſi quomodo ſe magnis adeò tricis expediant, quibus quò magis reſiſtunt, magis ſe innectunt, magis ſibi guttur præcludunt. Claram audent Scripturam aſſerere? Somniare adeò lucidam præſumunt, vt expoſitore non egeat, & ipſi Prædicantibus non indigeant? Res vtique illa, quæ cuiuis æquè eſt facilis, ęquè ob oculos, æquè in promptu, & quæ ſemeiſpſam manifeſtat, Magiſtro, vel qui eam docendi artem profiteatur, minimè opus habet. Quid ergo Prædicantibus iſtis opus eſt, ſi quilibet facilè, quod ab illis diſcere poſsit, intelligit? An quid ab hęreticis excogitari potuerit ineptius? Scripturam ipſam inſpiciamus, & contrà ipſamet nos docebit. Multa ſanè ſunt in illâ, quæ adeò in terminis ſibi aduerſantur, vt niſi ad manum ſit qui ritè loca illa, quæ pugnare videbantur, conciliare nouerit, tenebræ ſint plus quàm Cymmeriæ. Iuuat è R. P. Martino Becano, Societatis Ieſu Theologo perquam eximio adſcribere eiuſmodi nonnullas antilogias, quas ipſe multo ſtudio & labore in hæreticorum confuſionem collegit. Sic ergo ille:

Hæreticorum diuerticulū, Scripturam per ſe claram eſſe dicentiū, deſtruitur.

Si Scriptura clara eſt, vtique nec Prædicantiis, qui eam popello exponant, opus eſt.

Multa in Scripturis reperiuntur in ſpeciem antilogiæ.

Mart. Becanus Tom. 3. Opuſculo 6. de Iudice cōtrouerſ. §. 28. p. 359. edit. Pariſienſis.

1. Dicit Moyſes, Deum creaſſe cælum & terram ſex diebus, & ſeptimo die quieuiſſe, Gen. 1. & 2. At contrà Eccleſiaſticus cap. 18. dicit: *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.*

2. Moyſes refert, filios Iſrael in Ægypto fuiſſe annis quadringentis, Geneſ. 15. quod etiam repetit Stephanus Actor. cap. 7. At contrà Apoſtolus ait fuiſſe quadringentis & triginta, Galat. 3, 17.

3. Geneſ. 32, 30. dicit Iacob Patriarcha: *Vidi Deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.* At contrà Exodi 33, 20. dicit Deus: *Non videbit me homo, & viuet.*

4. Exodi 20, 5. dicitur: *Ego ſum Dominus Deus tuus, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* At contrà Ezechiel. 18, 20. *Filius non portabit iniquitatem patris.*

5. Item, Exod. 20, 12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram.* At contrà Luc. 14, 26. *Qui non odit patrem ſuum, & matrem, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

6. Item, Deut. 6, 13. *Dominum Deum timebis, ac per nomen eius iurabis.* At contrà Matth. 5, 34. *Ego autem dico vobis, non iurare omnino.*

7. Item, 1. Reg. 15, 11. *Pœnitet me quòd conſtituerim Saul Regem.* At contrà Roman. 11, 29. *Sine pœnitentiâ ſunt dona & vocatio Dei.*

8. Item, 3. Reg. 8, 9. *In arcâ autem non erat aliud niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in eâ Moyſes in Horeb.* At contrà Hebr. 9, 4. *In arcâ erat vrna habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ Teſtamenti.* Et porrò plures aliæ eiuſmodi apparẽtes contradictiones apud Becanum referuntur vſque quadraginta duas numero, quæ *negotium faceſſunt*, vt R. P. Becanus ibi loquitur, *etiam viris doctiſſimis.*

Vident ex his, opinor, hæretici, in præſenti causâ non ſupereſſe ſibi euadendi viam: vident 12. quàm malè ad ſuam, & non ad Sanctorum mentem explicare velint de rebus fidei, & inter eas, de Purgatorio Scripturas. Vtinam videant, non eſſe ſibi tutiorem faciliorem q; ad veritatem, ad ſalutem, ſemitam, quàm ſi ad Eccleſiam redeant! Vtinam hoc videant! & facilè reliqua, ſine quibus in æternum Deum videre nequeunt, intuebuntur.

CAPVT XII.

Inſigne etiam Prophetarum Oraculâ Purgatorio teſtimonium dixerunt: ſectarios plura negare quæ obuia ſunt in Patribus, obuia in ſcripturis.

PHalangiorum virus (quas vulgò *tarantulas* vocant) quamquam Muſicæ ope ſanabile, ab omnium corporibus non eodem 1. concentu abigitur. Stupent enim, illâ tabe perculſi; nec fidibus, quas adhiberi moris eſt, antè mouentur, quàm præcentor in eiuſmodi tonum inciderit, qui arcanâ vi cum eorum animis conſentit: tunc ęger exultare, tunc in pedes erigi, longoq; tripudio ac ſudore emolliri ſanguinis. Sic inſignis quidam ætatis noſtræ Scriptor, qui id etiam hæreticis applicans pergit: Diceres haud diſpari malo lęſos, quos hæreſis infecit. Iſti enim à ſerpẽte qui calcaneum noſtrum obſeruat, & vltimo ſopore marcentes, non eodem auxilio leuari poſſunt omnes. Hos omniū gentium conſenſus ſanat, illos rationes naturales: hi manus dãt auctoritati antiquitatis, illi Scripturis: quidam argumentis ex Lege naturæ petitis, alij ex Lege Moyſaicâ. Mouentur nonnulli ad Prophetarum dicta, aliqui ad Apoſtolorū, alij demum ad Euangelia. Quidni igitur, cùm in manus ſumpſerim lyram, experiri pergam, num fortaſsis, quos non ſanauerint ea quæ hactenus diximus, Prophetæ, Apoſtoli, aut Euangelium poſsint cum alicuius ex iſtis malè-ſanis ingenio conuenire?

Hæreticorum varia ingenia admorſis à phalangio comparãtur.

Inter Prophetas igitur maiores primus eſt 2. Iſaias, qui, *Si abluerit*, inquit, *Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem lauerit de medio eius in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris.* quod S. Auguſtinus exponit de pœnâ Purgatorij. S. Baſilius Magnus de igne Purgatorio Prophetæ verba ſic explicat:

Probatur porrò Purgatorium ex Prophetis, tū Maioribus, vt Iſaiâ 4.

Isaiæ 6.

plicat: *Et in manu suâ habebat*, inquit (vnus de Seraphim) *carbonem quem forcipe tulerat de altari*, &c. *re autem verâ, quoniā ritus ille, quo apud Iudæos Deus colebatur, subseruiebat exemplari & vmbræ cælestium, cæleste quiddam insinuare intelligendum est altare illud, nempe locum lustrandis animabus accommodatum, è quo ignis ille purificatiuus per ea. virtutes eximiâ sanctitate præditas elicitur.* Et in illud Isaiæ 9. *Et erit populus quasi esca ignis, Non omnimodam* (ait S. Basilius) *internecionem & exterminium comminatur, sed innuit expurgationem iuxta Apostoli sententiam, Quia si cuius opus exarserit; damnum patietur, ipse autē saluus fiet, sic tamen quasi per ignem.* Qui etiam Doctor illud eiusdem capitis, *Succensa est quasi ignis impietas, veprem & spinam deuorabit*, Purgatorij igni applicat, & per confessionem peccatum arefieri affirmat, vt igne purgatorio absumi possit.

3. Ieremiâ, c. 16

S. Ieremias, *Et morientur*, inquit, *grandes, & parui in terrâ istâ: non sepelientur neque plangentur, & non se incident, neque caluitium fiet pro eis. Et non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo: & non dabunt eis potum calicis ad consolandum super patre suo & matre.* Quid clarius dici potuisset? nihil. Prædicit enim Deus peccatoribus vltionis suæ vehementiam, atque inter cetera hoc addit, quòd post mortem suam non sint sepeliendi, neque lugendi, aut pœnitentiâ incisionis adiuuandi; imò quod nec danda sit panis alicuius seu potus eleemosyna super ipsorum consolatione. Ergo consuetudo vtique tunc vigebat, quæ & hucusque ad præsentem diem in Ecclesiâ Romanâ perdurat, pro defunctis distribuendi eleemosynas, quibus consolatio ac requies eis impetraretur.

Ezechiele, cap. 24.

Ezechiel Propheta, *Factū est, ait, verbum Domini ad me, dicēs: Fili hominis, ecce ego tollo à te desiderabile oculorum tuorum in plagâ: & non planges, nec plorabis, neq; fluent lacrymæ tuæ. Ingemisce tacens, mortuorū luctum non facies: corona tua circumligata sit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes.* Vnde euidenter quoque patet, ordinariā Iudæis fuisse consuetudinem, non tantùm mortuos suos reuerenter sepelire, sed & illos plangere, non sanè simplici fletu, sed modis ad id dignè faciendum præscriptis, corporalibus nimirum sese commoditatibus tunc priuare, calceamenta pedibus detrahere, ora ad visus mortificationem velare, cibumq; lugentium manducare: quæ omnia absque dubio pœnitentiæ atque adeò satisfactionis sunt exercitia, ordinata nimirum animabus è tormentis suis eximendis. Est & alter Ezechielis in eodem capite locus, quem D. Augustinus de Purgatorio explicauit, & in eumdem sic commentatus est: *Quia sermo diuinus quodam loco æneæ ollæ animam peccatricem comparat, dicens: Pone illam super prunas vacuā, donec concalescat æs eius, & omne stannum eius defluat. Illic sermones otiosi, & cogitationes iniquæ & sordidæ, illic multitudo leuium peccatorum, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant, exundabunt: illic stannum vel plumbum diuersorum subrepentium delictorum, quæ diuinam imaginem obscurauerant, consumētur.* Hæc S. Augustinus, cui, vt suprà dictum est, tantopere credendum esse, vel ipsemet Caluinus fuit confessus.

4. Daniele:

Ne autem quartus, ipseq; vltimus è Prophetis maioribus S. Daniel Purgatorio desit, quomodo idem S. August. id quod septimo eius Prophetiæ capite habetur, explicauerit audiamus. *Fluuius igneus rapidusq; egrediebatur à facie eius*, Dei scilicet. Ad quæ S. Doctor, *Hi*, inquit, *qui temporalibus pœnis digna gesserunt, de quibus Apostolus dicit, Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem: per fluuium igneum, de quo Propheticus sermo commemorat: Et fluuius igneus currebat ante eum. Per fluuium igneum, & vada feruētibus globis horrenda transibunt. Quanti fuerit peccati materia, tanta & pertranseundi mora: quantum exegerit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationabilis disciplina: & quantum stulta iniquitas suggesserit, tantum sapiens pœna deseuiet.* En quatuor Prophetarum, quos inter reliquos Magnos vocamus, luculentissima testimonia, quæ tametsi sola forent, sufficienter ex Prophetis probatū haberetur Purgatorium: sed quia omnium Scripturarū acclamatione rem nostram suffultam cupimus, Prophetis Maioribus Minores succedāt.

Vocantur ij Minores, non quòd aliis maior insit auctoritas, cùm etiam hi ex infallibili Spiritus sancti instinctu sua quæ scripserunt protulerint, sed quod pauciora seu breuiora ipsorum sint scripta; & tamē in hisipsis haud exiguum nostro animarum proposito fundamentum substernitur. E tribus res erit manifesta. Michæas ait: *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam, cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum: educet me in lucem, videbo iustitiam eius.* Hunc locum pro stabiliendo Purgatorio produxit S. Hieronymus, sic eum exposuit Glossa ordinaria: *Iram Domini portabo, hic, vel in Purgatorio.* 5.

tum Minoribus, vt

Michæâ, c. 7.

In cap. vltim. Isaiæ.

Alter Propheta Minor est Zacharias, *Tu quoque*, inquiens, *in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Quod etsi nonnulli exponant de Limbo Patrum, propriè tamen dictum fuit de Purgatorio, cùm quia in Limbo detenti non erant vincti, nec tales dici posse videntur; tum etiam, quia in Purgatorio non est aqua consolationis, quæ est in Limbo, vt patet ex S. Lucâ de Lazaro, de quo dicebat ad Epulonem Abraham Patriarcha, *Tu modò cruciaris, hic verò consolatur.* Vnde Augustinus contendit, non inuisisse tantùm Christum Patres in Limbo, cùm descendit ad infernos, sed etiam animas Purgatorij, multasque earum liberasse. 6.

Zachariâ, cap. 9.

Lucæ 16.

Augustin. Epist. 99. ad Euodium, & lib. 12. in Genes. cap. 33.

Tertius præterea Minor Propheta sit Malachias, qui de Domino Deo suo loquitur: *Ipse quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum.* Quæ de Purgatorij pœnâ exponunt Origenes, S. Ambrosius, S. Augustinus & S. Hieronymus. Et quamquam pœna illa purgatoria non est ea de quâ nunc agimus (nam illa purgabit viuentes, nos autem agimus de pœnâ mortuorum) tamen inde rectè infertur Purgatorium, Nam ideò tūc præcedet tribulatio grauissima, & posteà ignis etiam descendet, & purgabit celerrimè omnes reliquias peccatorum in hominibus iustis, quia, vt Irenæus etiam notat in fine libri 5. tunc repentè Ecclesia, quæ est in terris, assumenda erit ad sponsum, nec erit tempus purgationis vlterius, vt nunc & post mortem ante iudicium. Hactenus Bellarminus. Sed tempus nunc est antiquum Testamentum cum libris Machabæorum concludere, ex quorum vtroque insigne habemus pro mortuorum causâ testimonium. 7.

Malachiâ, cap. 3.

Origenes Homil. 6. in Exodum. Ambros. in Psal. 36. Augustin. li. 20. de Ciuit. cap. 25. Hieronymus in hunc locū.

Bellarm. li. 1. de Purg. c. 3.

Libro

8. *Probatur ità Purgatorij veritas è Libris Machabæorum.*

Libro itaque primo cap. 13. refertur hoc modo: *Et misit Simon, & accepit ossa Ionathæ fratris sui, & sepeliuit ea in Modin ciuitate patrum eius. Et planxerunt eum omnis Israël planctu magno, & luxerunt eum dies multos. Et ædificauit Simon super sepulchrum patris sui & fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito antè & retrò: Et statuit pyramidas, vnam contra vnam, patri & matri, & quatuor fratribus: & his circumposuit columnas magnas: & super columnas arma, ad memoriam æternam: & iuxta arma naues sculptas, quæ viderentur ab omnibus nauigantibus mare. Hoc est sepulchrum, quod fecit in Modin, vsque in hunc diem.* Ecce à quanto tempore frequentatas inuenimus sepulchrorum inscriptiones, quas vsurpare consueuit Ecclesia, vt transeuntium memoriæ ingerat recordationem mortuorum, à quibus Nouatores modernos demum recessisse, pudere deberet. Sed clariorem adhuc in maiorem istorum cõfusionem ex 2. Machab. 12. transscribamus. *At verò fortissimus Iudas, factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans. (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum, orare pro mortuis) & quia considerabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.*

Inscriptiones sepulchrorũ quã antiquæ.

9. *Mortui post hanc vitam à peccatis absolui possunt.*

Ex quibus sequitur, Primò, mortuos post hanc vitam à peccatis absolui posse, ac proinde fatendum esse Purgatoriũ. Secundò, Sacrificia & orationes viuorum prodesse defunctis. Tertiò, non expiari semper in morte omnes peccatorum reliquias. Quartò, hominẽ sanctè ac piè è vitâ posse discedere, & hoc non obstante, habere debitum aliquod persoluendum. Quintò, hæc eadem esse de Fide. Quæ omnia quoniam adeò manifesta sunt, vt negari nullatenus possint, aliud sectatores effugium tentauêre, inquientes, Machabæorum libros non esse Canonicos, quia nempe in Iudæorum Bibliis non reperiuntur. Sed ad illud & facillima & clara prorsus est respõsio, si aduertamus, libros tunc Machabæorum necdum fuisse conscriptos, cùm Catalogus librorum Scripturæ sacræ, qui apud Iudæos adhuc modò in vsu est, sub Esdrâ fuit consignatus, adeoque tempore posteriores cum reliquis antecedentibus libris non potuisse annumerari. Ceterùm hos eosdem libros reuerà cum aliis Scripturis sacris venerandos, adeoque Scripturæ partem habendos esse, omnium veterum Patrum docet auctoritas, prout videlicet liquet ex Concilio Carthaginensi III. Innocentio I. Summo Pontifice, ex Gelasio Papâ in Concilio LXX. Episcoporum, ex S. Isidoro, ex S. Augustino & aliis passim, qui apud Catholicos librorum sacræ Scripturæ meminerunt, ita vt ipsimet hæretici, nisi insanire velint, fateri cogantur, Catholicam eam esse doctrinam, quâ Machabæorum libri esse authentici, & Scripturæ annumerari debere perhibentur.

Auctoritas Canonica Libris Machabæorum asseritur.

Concil Carthag III. c. 47. Innoc. I. in Epist. ad Exuperium cap. vlt. Gelasius in decreto de libris Canon. Augustinus lib. 2. de doctrinâ Christianâ, cap. 8.

10. *Hæreticorum obstinatio è clarissimâ SS. Eucharistia materiâ ostenditur.*

Vidimus itaque ex vniuersis pęnè legis antiquæ libris, vti similiter ex nouo Testamẽto paulò pòst videbimus, assertum à Sanctis Patribus Purgatorium, & tamen in illius negatione pertinaciter atque obstinatè sectatores perdurant; quod vt nulli mirum sit, in reliquis idem clarissimis quoque fidei assertis ab iis fieri, pro Capitis huius altero membro declaraturi sumus. Iuuabit hoc inspicere, non solùm vt non moueamur, quòd hostes illi rem adeò testatam negare adhuc audeant, verùm etiam vt in Purgatorij defensione, reliquorum, qui impugnationem illius subsecuti sunt, errorum, vnà victoriam habeamus. Quid igitur inprimis in Scripturis prolatum est euidentiùs, quid à Patribus assertum constantiùs, quàm veritas Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento? & tamẽ isti, nescio quâ fronte, quâ conscientiâ, tam præfractè clarissimis Scripturæ sacræ assertionibus contraire, & tantùm non Christum mendacij accusare, non verentur. Verba Christi hæc sunt: *Hoc est corpus meum.* Quibus S. Lucas Christum addidisse ait, *quod pro vobis datur.* Paulus verò Apostolus, *quod pro vobis tradetur.* quid clarius aut apertius? De sanguine quoque S. Matthęus: *Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit eis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* S. Marcus vero: *& ait illis: Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur.* S. Lucas denique: *Hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Quis hic negabit, verum Christi Corpus datum atque traditum esse? quis dubitabit, verum eius Sanguinem effusum fuisse? Nemo profectò, nisi in turpissimam illam hæresim incidere velit, quæ phãtasticum aliquod & supposititium corpus in cruce expansum, adeoq; fictitium sanguinem effusum fuisse cõminiscitur. Cùm ergo Christus idem corpus, eundemque sanguinem daturum se nobis profiteatur, quod paulò pòst in cruce extendendum, & qui effundendus erat; numquid idem ipsum corpus, eumdemq; sanguinem in Eucharistiâ nobis dari, iam quis pernegabit? Huic sanè rationi innixi SS. Patres, solemni consensu idem quod nos affirmarunt. Hilarius sic ait: *De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigẽdi locus: nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostrâ, verè caro est verè sanguis.* S. Gregorius Nyssenus: *Rectè Dei verbo sanctificatum panem, in Dei verè corpus credimus immutari.* Multò prætereà hisce antiquior sanctus Iustinus Martyr, vtpote qui primo ab Apostolis sæculo vixerit, sic inquit: *Quemadmodum per verbum Dei incarnatus Iesus Christus Saluator noster & carnem & sanguinem pro salute nostrâ habuit, sic etiam per preces verbi Dei ab ipso Eucharistiam factum cibum, ex quo sanguis & carnes nostræ per mutationem aluntur, illius incarnati Iesu & carnem & sanguinem esse edocti sumus.* Egregium est quod sanctus Ambrosius nobis reliquit qui sic ait: *Ipse clamat Dominus Iesus, Hoc est corpus meum: ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur, post consecrationem Corpus Christi significatur. Ipse dicit Sanguinem suum: ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem Sanguis nuncupatur.* Idem effatur sanctus Cyrillus Ierosolymitanus. *Aquam,* inquit, *mutauit in vinum in Cana Galilææ solâ voluntate, & non erit dignus cui credatur, quod vinum in Sanguinem transmutarit? Si enim ad nuptias corporeas inuitatus stupendũ miraculum operatus est; an non multò magis Corpus & Sanguinem suum filiis Sponsi dedisse illum confitebimur? Quare cum omni certitudine Corpus & Sanguinem Christi sumamus: nam sub specie panis datur tibi Corpus, & sub*

Veritas corporis Christi in Eucharistiâ est irrefragabilis ex institutione.

Mathæi 25. Marci 14. Lucæ 22. 1. Corinth. 11

Lib. 8 de diuinitate.

In Oratione catechecicâ cap. 37.

Apolog. 2. in Antoninum Imp.

Li. 3. de his qui initiãtur, cap. 9.

Catechesi 4. mystagogicâ.

specie vini datur tibi Sanguis. Et infrà: *Qui videtur panis, non est panis, etiamsi gustu ita appareat, sed Corpus Christi; & quod videtur vinum, non est vinum, etiamsi gustus id velit, sed Sanguis Christi.* Denique S. Cyprianus hunc in modum: *Panis iste non effigie sed naturâ mutatus. Omnipotentiâ Verbi factus est caro.* Serm. de cœna Domini.

11. *Christus longè antè prædixerat, sui Corporis & Sanguinis participationem.* Ioann. 6.

Nec veritas hæc ex Institutione solùm probatur, sed ex ipsius insuper Christi promissionibus, & ipso quoque eius vsu & praxi, prout illa per S. Paulum Apostolum describitur. Quoad promissionem Christi, quæ apud Ioannem Euangelistam legitur, res est euidens. inquit enim Saluator sic: *Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ.* En quomodo seipsum Christus apertissimè explicet. Et huic tam euidenti explicationi opponere se & contrauenire audent hæretici? Audēt, sed ineptissimè: ideoque Saluator, præuidens aliquando suam Ecclesiam à Caluinianis & Lutheranis impugnandam, eis sub Capharnaitarum personâ respondet in hæc verba: *Amen, amen dico vobis:* (auscultate quicumque aduersariorum castra sequimini) *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui vero manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo,* &c. Neque his obsunt vllatenus, quæ Saluator postmodum adiūxit: *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quidquam. verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Nam quia Capharnaitæ credebant, Christum visibiliter comedendum & corporali modo masticādum fore, redarguit eos Christus, & Corpus suum non in corporale nutrimentum, sed spirituale, dandum esse, verbis allatis affirmat. Aliàs, si negari per ea Nouatores velint veritatem Corporis Christi in Eucharistiâ, (quod sanè non facit Scriptura, quia non dicit, *caro non est caro*, sed, *non prodest quidquam*, ad corporis scilicet nutrimentum) frustranea quoque inde probaretur humanæ carnis à Verbo diuino assumptio, cùm tamen scriptum sit: *Et Verbum caro factum est.* Aliter profectò semper intellexerunt Catholici, aliter etiam ipsimet Apostoli, quod ex ipsorum discipulis satis patet, ex S. Ignatio inquam Martyre, & tertio post D. Petrum Apostolum in Sede Antiochenâ Episcopo, qui apud Theodoretum sic ait: Eucharistias & oblationes non admittunt, eo quòd non confiteantur, Eucharistiam esse carnem Saluatoris Iesu Christi.

Capharnaitarum circa carnis Christi comestionē error. — Ioan. 1. — Dialog. 3. de Simoniacis.

12. *Vsu S. Eucharistiæ præsentiam Corporis Christi adstruit.* 1. Cor. 10. In 1. Cor. 10. 1. Cor. 11.

Porrò ex vsu Venerabilis Eucharistiæ idem abundè patet. *Calix*, inquit Apostolus, *benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio Sanguinis Christi est: & panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est?* Super quæ verba præter alios S. Ioannes Chrysostomus, *Horum*, inquit, *verborum hæc sententia est: Quod est in calice, id est quod à latere fluxit, & illius participes sumus.* Rursus Apostolus sic loquitur: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* & suprà, *reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Ad quod S. Augustinus ita: *Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se diabolo præbuit: sic indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit vt, quia ipse malus est, malum sit, aut qui non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & Sanguis Domini nihilominùs erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat.* Et alio in loco: *Quid de ipso corpore & Sanguine Domini, vnico Sacrificio pro salute nostrâ? Quamuis ipse Dominus dicat, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam; nónne idem Apostolus docet, etiam hoc perniciosum malè vtentibus fieri, cùm ait: Quicumque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini?* An quid tum è Scripturis tum ex Patribus pro reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ præsentiâ dici posset vel adferri manifestius? & tamen hoc negare audent hæretici; si tamen negare, & non potiùs adstruere dicēdi sunt. Nam in primis Lutherani nobiscum, Christi Corpus & Sanguinē esse sub speciebus Eucharisticis respectiuè profitentur, & Caluinistæ similiter faciunt, quod aliàs negant. Affirmant, vt ex Caluino patet, dum in præfatum Apostoli locum ita scribebat: *Concludo, realiter, vt vulgò loquuntur, nobis in Cœnâ dari Corpus Christi.* Et eius discipulus, quo excellentiorem, vt suprà volebant Caluiniani, ab orbe Christiano nemo vidit Scriptorem, Plessæus inquam, *Dum sacra*, inquit, *Cœna ex præscripto Christi celebratur, Christum realiter & substantialiter accipimus.* Quid euidentius? nisi postea & veritatē & seipsum negaret, vti & fecit Magister eius Caluinus, qui alicubi sic ait: *Quia tamen Corpus Christi finitum est, & cœlo vt loco continetur, necesse est à nobis tanto locorum interuallo distare, quanto cœlum abest à terrâ.* En vt non Scripturam solùm inepruli isti & inconstantes, sed & semetipsos & sua asserta negent, pernegent, destruant, pessumdent: adeoque non mirum, vt suprà aiebam, si & Scripturas illas, quæ Purgatorium adstruunt, destruant.

Lib. 5. de Baptismo cap. 8. — Lib. 1. contra Gesconium, cap. 25. — *Hæretici negando corporis Christi in Eucharistiâ realem præsentiam, eam magis adstruunt.* — Lib. 4. de Eucharistiâ, c. 3 p. 660. — Pag. 675. — In Consens. de re Sacramentariâ.

13. *Corpus Christi simul in variis locis iisq; dissitis esse potest.*

Quia verò, paululum à regiâ, quam nobis proposueramus, viâ digressi, ad semitam laterale deflexīmus, & hanc de SS. Sacramento Eucharistiæ materiam aggressi sumus, non possum, quin & alia duo adhuc, quæ & ipsa è Scripturis æquè clarè patent, & idem Sacramentum spectant, ab aduersariis verò negantur, contra eosdem obiter adstruam. Aiunt illi, impossibile esse, vt idem Christi corpus (quod tamen in Eucharistiâ necessariò admittendum est) sit in duobus locis. Aiunt &, Saluatoris præcepto omnes fideles ad vtriusq; speciei sumptionē teneri. At verò (vt prius illud discutiamus) anne est possibile, quòd homunciones isti Dei ter maximi ter summi immēsam & infinitam potentiam suo iudiciolo circumscribere velint, adeò vt id solum Deus omnipotens facere valeat, quod suo ipsi intellectu capere valēt; quod verò ipsi comprehendere non valent, & ille efficere quoque nequeat? Deus bone! quæ hæc temeritas? quanta misellulæ creaturæ audacia. Longè profectò aliter Scriptura, quæ euidentissimè docuit, vno eodemque tempore Christum duobus in locis extitisse. Indubitatū enim est non solùm apud Catholicos, sed etiam apud sectarios

Hæretici stultè & temerariè Dei potētiam è suo cerebro metiuntur.

rios

Christus in cælum ascendit, ibiq; ad Patris dexteram sedet.

rios ipsosmet, Saluatorem nostrum in Ascensione suâ secundùm humanitatem ad cælos ascendisse, ibiquead Patris dexteram ad iudiciũ vsque sedere. Probat hoc ille Symboli Apostolici articulus: *Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* atque item S. Marcus in suo Euangelio: *Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet ad dexteram Dei.* Nihilominùs eum simul in terris apparuisse, eædem Scripturæ affirmant. Actuum Apostolicorum liber quater hoc edisserit. Primùm, dum Ananias ad Paulum sic ait: *Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in viâ quâ veniebas.* Secundò, dũ paulò post Barnabas Apostolis refert, *quomodo,* Paulus nimirum, *in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei.* Tertiò, dum sic ait: *Sequenti nocte assistens ei,* Paulo, *Dominus ait: Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet Romæ testificari.* Denique, vbi ipsemet Paulus conuersionis suæ historiam Agrippæ Regi enarrat, ita legimus Christũ Paulo dixisse: *Exurge, & sta super pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, vt constituam te ministrum, & testem eorum quæ vidisti, & eorum quibus apparebo tibi,* &c. Poterant fortè hìc cauillari more suo hæretici, & nescio quid confingere: sed præuertit eos Barclaius, & hæc eis reponit: Neque Angelum dicas induisse speciem Christi, vt Paulo appareret. Nam vt prætercam, in Apostolorum Actibus signatè distingui, quando Christus aut Angelus Paulo appareat. Dubitationẽ ipse Paulus exemit 1. Cor. 15. vbi Christi resurrectionem Corinthiis probaturus, ait eum post resurrectionem visum Apostolis atque discipulis: *nouissimè autem omnium,* inquit, *tamquam abortiuo visus est & mihi.* At certum est, visum hunc Paulo aliquot annis post Ascensionis diem: diu enim persecutor, non Apostolus, Paulus fuit. Certum etiam, non Angelum fuisse, sed Christum, qui sic Paulo apparuit, cùm fuisse eumdem illum dicat, qui Petro & Apostolis visus, ad faciendam resurrectionis suæ fidem. Neque enim Angelum dixeris, sed Dominum ipsum apparuisse Apostolis, quadraginta diebus, quæ ad Ascensionem intercesserunt à Paschate. Ludicrũ prætereà sit Pauli argumentum, si sic intelligas, procul dubio resurrexisse Christum, quandoquidem Angelum ipse viderat specie eius tectum. Adfuit igitur Paulo Christus, adfuit & pluribus Sanctis, in terrâ. In Sacramento etiam nobis adest, sed tectus, sed creaturæ imagine, atque velis Creatorem celantibus. Dubitas tamen, &, Corpus quod in cælo est, inquis, an & poterit esse in terris? Omnino, sectarie; potest Domini Corpus duobus locis esse. Quòd si duobus, quidni innumeris? Nam quid corporibus nostris obest, ne in variâ simul sede consistant? nónne naturæ conditio? Qui verò naturam sic condidit, quidni mutare in alias leges possit? Hæc est humilis disciplina, hæc Philosophia Christiana antiquæ Ecclesiæ. Ambrosius lib.2.Hexaëm.cap.2. *Cùm sermo eius ortus naturæ sit, cur vsurpat legẽ dare naturæ, qui originem dedit.* Et lib.3. Hexaëm.cap.2. *Vox autem Dei efficiens naturæ est.* Sed hoc fortè non potes satis mente concipere. Certè nec Deum potes, neque ideò minùs est Deus. Dei opera si ex tuâ intelligendi vi metiris, quàm debilem, quàm obscurum, quàm à te pendentem effinxeris! Pendet ab eo tua intelligendi vis, non illius à tuo intellectu potentia. Num operosius autem, in diuersis locis statui vnum corpus, quàm duo corpora in eodem; siue, vt loquuntur Philosophi, quàm penetrationem dimensionum dari? Par omnino difficultas. Atqui Christus per ipsum lapidem, qui erat magnus valdè ad ostium monumenti, rediuiuum corpus eduxit, id est, dimensionum penetrationem, vbi vellet, dari ostendit. Nam tum demum reuolutus est ab Angelo lapis, cùm vngendo Domino venisset Magdalena. Matth. 28. *Venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum, & ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum,* &c. *Respondens autem Angelus dixit mulieribus, Nolite timere vos.* Per solidos deinde parietes ad discipulos venit Christus. Ioannis 20. *Cùm ergo serò esset die illo, vnâ sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati, propter metum Iudæorum, venit Iesus, & stetit in medio,* &c. Iterùm: *Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit,* &c.

Marc. 16. *Et tamen interim in terris apparuit.* *Act. 9.* *Act. 23.* *Act. 26.* *Hæreticorum cauillationes præscinduntur.* *Lib. 2. Paræne. cap 2.*

14.

Non omnes Christi fideles vtramque Sacramenti speciem accipere tenetur. Lib.4. Instit. c.17 §.47.

Quòd verò prætereà aduersarij tam instanter affirment, præcepti diuini esse, vt omnes vniuersim Christiani Eucharistiam sub duabus, vt loquuntur, speciebus sumant, friuolum est. Scriptura profectò se ipsam explicat. Verba enim illa, quæ Caluinus pro se adfert ex Matthæi 26. *Bibite ex hoc omnes,* Sanctus Lucas sic intelligenda esse docuit, vt dictio *omnes* non fideles vniuersos indiscriminatim, sed solos Apostolos, quos Christus tum alloquebatur, comprehenderet, quod idem quoque fecit S. Marcus. S. Lucas sanè Christum dixisse scribit, *Accipite, & diuidite inter vos.* id est, vnus non exhauriat totum calicem, sed singuli parum quid bibant: quod ideò dixit, quia nolebat, vti iam fecerat in speciebus panis quem fregerat, vnicuique separatim suam partem distribuere, sed vno calice omnes contentos esse. Sanctus Marcus verò, vt omnem rei dubietatem adimeret, sic ait, *Et biberunt ex illo omnes.* vtique illi omnes, quibus Sanctus Matthæus à Christo dictum fuisse scripserat, *Bibite ex hoc omnes.* Quid, quæso, hic difficultatis est? Non plus quàm si quispiam paterfamilias accepto calice recentis musti, modicè eum degustaret, & posteà filiis degustandum porrigeret cum hac formulâ, *Bibite ex eo omnes,* id est, singuli modicum quid inde hauriant, nemo solus totum ebibat; an proptereà quotquot extra familiam illam essẽnt, putarent se cogi præcepto, vt ex eodem calice mustum bibant? Ridiculum. Nùm & aliquando aduersarij nostri, quia Christus Apostolis dixit, *Hoc facite,* sibi, vel cuilibet è plebe, licere asserent Eucharistiam conficere? Debent certè hoc velle euincere, quia æquè hoc, quàm illud *bibite,* ad Apostolos dictum est, quod tamen sibi, & cuilibet è plebe, dictum & mandatum esse volunt isti argutuli. Et sic tandem omnis illa Hierarchia Ecclesiastica concidet, & merum chaos, mera confusio erit vndique. Quin & (quod tamen, scio, numquam concedent aut permittent Ministelli illi Caluiniani) vilissimus quisque nauta, vel à remis scurra sibi iure arrogare poterit, & dicere, sibi conuenire, imò præceptum à Christo esse, aliis Cœnam distribuere; quo fiet vt plebs Caluiniana Ministris ampliùs non opus habeat, & meritò illos dimittere poterunt.

Luc. 22. *Marc. 14.*

 Sed

15.

Communio sub vnâ specie à Christi vsque tempore vsitata fuit.

Act. 2. Ibidem.

a Serm. de Eucharistiâ. b Parte 2. Examinis. c Lib. 4 Instit. c. 17. §. 35. Act. 20. In eum locũ. Vbi suprà. 1. Cor. 11. Ioan. 6. Luc. 24. a In Apologiâ Confessionis Augustanæ. b In Epitaphio Paulæ ad Eustochiũ. c Lib. 3. de Consensu Euangelist. c. 25. Sermone 145. de Tep. & Epist. 59. ad Paulin. q 8. In cap. 24. Lucæ.

Sed ab vsque primitiuâ Christi Ecclesiâ communionem sub alterâ specie in vsu fuisse, ipsæmet Scripturæ sacræ nos edocent. Quid enim aliud sibi vult ille ex Actibus Apostolorum locus: *Erant autem perseuerantes in doctrinâ Apostolorum, & communicatione fractionis panis?* & ille: *Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem*, &c? An non hic expressè fit mentio alterutrius tantummodò speciei? & de Eucharistiâ hic verba fieri, vel ipsi aduersarij a Lutherus, b Kemnitius, c Caluinus, & alij plures fatentur. Addatur & hic: *Vnâ autem Sabbati, cum conuenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat*, &c. Quo iterùm loco vnius speciei vsum reperimus, & de Eucharistiâ eum intelligendum esse, Caluinus & Beza contendunt, vti etiam ipse Kemnitius. Quin & ipsemet Apostolus Paulus de Eucharisticis speciebus agẽs, sub disiunctione de illis loquitur, tamquam non necessariò inter se connexæ sint. ait enim: *Itaque quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Et clariùs adhuc ipsemet Saluator vnam speciem ad salutem prodesse affirmat, dum sic inquit: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* & iterùm: *Non sicut manducauerunt Patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Et non solùm affirmat verbo, sed ipsâ quoque praxi ostendit, de quo sic Lucas Euangelista: *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum.* Hunc porrò locum de pane Eucharistico intelligendum esse, ex aduersariis fatetur a Philippus Melanchthon, & ex nostris b D. Hieronymus, c S. Augustinus, Auctor Operis imperfecti in Matthæum, d Theophylactus, & alij: vt manifesta sint propterea ex ipsis Scripturis quæ de Eucharistiâ credunt Catholici, & tamen ea ipsa tanto molimine oppugnant hæretici.

16.

Nisi cæcutirent hæretici, facilè veritatem viderent.

De obitu Satyri fratris. Lib. 2. ad Vxorem, c 5. & lib. de Orat. in fine. Lib. 6. Hist. cap. 36. in Serapione.

Ecclesia rationabiliter calicis vsum tollere potuit, & de facto sustulit.

Hæc si diligenter inspicere dignentur aut dignati fuissent nostri Nouatores, viderent aut vidissent perquam facilè, tametsi plerumque cæcutiant, non Catholicos modò sibi coæuos, sed & qui mille & amplius annis eos præcesserunt, ita Scripturas exposuisse, ita Scripturarum permissu vnam Eucharistiæ speciem vsurpasse. Sanè ex S. Ambrosio constat, SS. Eucharistiam nauigaturis fuisse concreditam: ex Tertulliano, à Christianis olim domum secum delatam fuisse: ex Eusebio, ægrotantibus eam fuisse concessam. Sed & ratio naturalis dictat, ineptè omnem plebem Christianam ad Calicis vsum fuisse obligatam. Quis enim ignorat, multos reperiri abstemios, quibus vinum gustare sit horrori? Quis nescit, plurimas esse regiones, in quibus vinum tantâ copiâ vel nec reperiatur, vel asseruari nequeat, quòd omnes inde incolæ suam portionem habere possint? Taceo multa alia. Et an non decebat, vt Ecclesia cui mysteriorum Christi dispensatio commissa & concredita est, libertatem haberet, eadem pro temporum & locorum tum exigentiâ tum congruentiâ fidelibus exhibere? Scio quidem, à nonnullis vrgeri, per sacratissimi Sanguinis species effusionem Dominici Sanguinis, passionisque & mortis Christi mysterium aptissimè designari, ideoque etiam sub huiusmodi Saluatorem nostrum Eucharistiâ instituisse: sed etiam scio, significationem istius mysterij Sacerdotes potissimùm concernere, sufficere verò plebeiis atque laicis, si fructum Sacramenti percipiant, & edendo de altari participent. Duo namque sunt quæ in Eucharistiâ attendenda & distinguenda sunt, primum, ipsa Sacrificij oblatio, quæ necessariò significationem illam & sumptionem specierum cõplectitur; alterum, ipsius Sacramenti participatio & fructus, quæ sub vnâ æquè atque sub duabus speciebus reperiuntur: quandoquidem totus Christus quoad corpus, sanguinem, animam atque diuinitatem tam sit sub vnâ solâ, quàm sub vtraque specie simul. Argumento est, quòd certum sit, Christi corpus esse gloriosum, neque à sanguine vel animâ, & consequenter nec à diuinitate Verbi diuini, separari posse. Scripturis, vt solemus, rem stabiliemus: quas quia ab aliis quàm à nobis explicatas malumus, & in aliorum magis verbis quàm in propriis delectamur, sua nobis commodabit R. P. Martinus Becanus, è quo & aliàs nonnulla mutuati sumus. Sic ergo ille loquitur:

In Eucharistiâ duo sunt attendenda.

17.

Tom. 2. Opuscul. 1. de Cõmun. sub vtraque specie. c. 6. n. 7. & seqq.

Hæretici, negantes concomitantiam, refelluntur Scripturis.

Lutherani, qui fatentur Christum in Eucharistiâ præsentem esse, & tamen negant concomitantiam, hoc vno Scripturæ loco refelluntur, Rom. 6, 9. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.* Nam quæro ex ipsis, An caro Christi sit sola sub specie panis, an coniuncta cum Sanguine, animâ rationali, & diuinitate. Si sola est, mortua est: at Christus non moritur, vt inquit Apostolus. Si coniuncta cum Sanguine, animâ, & diuinitate, iam totus Christus est sub specie panis, quod contẽdimus. Et non est totus vi Sacramenti, quia vis Sacramenti consistit in illis verbis, *Hoc est corpus meum;* hæc autem verba vi suâ non significant totum Christum, sed tantùm corpus seu carnem: ergo caro Christi est sub specie panis vi verborum Sacramenti, reliqua per concomitantiam. Hoc clarius sic explico. Sicut in pomo multa spectari possunt, color, odor, sapor, quantitas, substantia; sic etiam in Christo, diuinitas, anima rationalis, caro, sanguis. Rursum, sicut oculi vi suâ non vident totum pomum, sed solùm colorem; & tamen, quia color realiter coniunctus est cum odore, sapore, quantitate & substantiâ, censetur videri totum pomum per naturalem concomitantiam: sic etiam verba illa, *Hoc est corpus meum*, vi suâ non significant totum Christum, sed tantùm carnem Christi; & tamen, quia caro Christi realiter vnita est Sanguini, animæ rationali & personæ Verbi, censetur totus Christus significari per realem vnionem seu concomitantiam. Porrò, quia verba quod significant, hoc efficiunt; quod de significatione dictum est, de efficientiâ quoque intelligi debet. Et quid hic monstri est, quod tantopere metuunt aduersarij? Nihil sanè. Perinde est, ac si dicam, me quidem inuitasse solum Ioannem ad prandium, sed tamen quia Petrus cum eo erat, à quo nolebat diuelli, venisse cum eo Petrum.

Simile à pomo.

18.

Siue illâ vel illâ Eucharistia specie vtamur, vtrobique totũ Christum accipimus.

Ex dictis sic concludo. Si totus Christus non minùs continetur sub vnâ specie, quàm sub vtraque, perinde erit, ceteris paribus, siue sub vnâ siue sub vtraque Eucharistiam accipiamus: semper enim accipiemus eundem Christum, & quidem totum atque integrum. At prius verum

Simile à legato.

rum est, ergo & posterius. Et confirmari potest à simili. Faciamus legatum mille florenorum à testatore tibi relictum esse, & totum in duplici codicillo descriptum contineri: nec minùs tibi profuturum, si vnum, quàm si vtrumque codicillum ab heredibus testatoris accipias. Sanè, si heredes alterum codicillum tibi offerant, cuius vigore totum legatum percepturus es; quid habes quod queraris? Nihil video: nam æquè certus es de totâ pecuniæ summâ per vnum quàm per vtrumque codicillum, nec aliunde quidquam patieris detrimenti. Planè sic res habet in nostro proposito: totum Christum accipis non minùs sub vnâ quàm sub vtraque specie; quid ergo queri potes? Sed multò luculentiùs Scriptura nobis hoc explicat similitudine manna, quod fuit figura Eucharistiæ. Sic enim legimus Exodi 16. 17. *Feceruntq; ita filij Israël, & collegerunt, alius plus, alius minus. Et mensi sunt ad mensuram gomor. Nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minus parauerat, reperit minus: sed singuli iuxta id quod edere poterant, congregauerunt.* Nimirum, voluit Deus quasi in figurâ multò antè significare, non minus percepturos ex Eucharistiâ qui vnâ quàm qui duas species accepturi essent; nec plus qui duas, quàm qui vnam sumpturi. Hinc vlteriùs infero, Catholicos meritò beatos, Lutheranos & Caluinistas infelices esse. Nam Catholici iuxta Scripturam non minus sub vnâ quàm sub vtraque specie percipiunt; semper enim exhibetur illis totus & integer Christus: Lutherani verò, siue sub vnâ siue sub vtraque specie communicent, numquam totum Christum, sed sub vnâ specie solam carnem, & sub alterâ solum sanguinem putant se accipere. Et quia id falsò putant, (Christus enim non moritur, vt ait Apostolus, ideoque caro non est sine sanguine, animâ & diuinitate) non plus accipiunt quàm Caluinistæ, id est, nihil. Perinde enim est, siue dicas cum Caluinistis, Christum omnino præsentem non esse in Eucharistiâ; siue cum Lutheranis, Christum mortuum præsentem esse: vtrumque enim impium & sacrilegum est. Sic ille. Nec extra propositum ita longè hæc deducta sunt: videre enim ex iis licet, quamuis adeò clara sit harum rerum è Scripturis probatio, nihil tamen ista sectarios nostros morari, quò minùs ea tum impiè reiiciant, tum impudenter impugnent.

Catholici hæreticis sunt feliciores, & quare.

19. *Hæreticorum porrò impudentia circa alios articulos fidei.*

Hoc ipsum vt minùs miremur ab iisdem circa Purgatorium fieri, aliquot circa Fidei articulos demonstrabimus. Quid enim illi ardentiùs oppugnant, quàm Sacramentum Pœnitentiæ, quàm cetera omnia, præter Baptismum & Eucharistiam, quæ vt plurimùm admittere tantummodò solent, Sacramenta? Quid impudentiùs negant quàm liberum arbitrium, S. Petri primatum, bonorum operum meritum? Quid insolentiùs affirmant, quàm fidem nudam & solam ad salutem sufficere; opera bona non requiri, nihil iuuare Sanctorum inuocationem, Reliquiarum cultum, virginitatis, paupertatis, obedientiæque obseruantiam, & alia plura? quæ tamen ipsa, æquè ac Purgatorium, clarissimis & copiosissimis Scripturis probata sunt. Antequam Scripturas adducam, quibus tam Pœnitentiæ, quàm reliqua etiam Sacramenta, talia esse qualia ea volunt Catholici, affirmem, haud inconcinnè præmittenda videtur descriptio vocis Sacramentum, vt hæreticorum error & confusio, Orthodoxorum verò veritas & victoria simul appareant. Ioannes Barclaius, iam toties adductus, Peto, inquit, quid per Sacramentum intelligant, an rem ac veluti tesseram, quâ à non Christiano distinguitur Christianus; an aliquid quo necessariò vti debeat Christianus ad salutem; an denique instrumenta quædam externa & visibilia signa à Deo instituta, per quæ nobis inuisibilem suam gratiam Deus infundat. Si tesseram, quâ Christiani distinguantur à ceteris; ergo & fides in Sacramentis numeranda, & spes, & virtutes ceteræ quotquot Christianis singulares; & si externa quærunt, ire ad fidelium cœtus, omne carnium genus, contra Iudæorum morem, edere, Christi nomen suppliciter venerari, Trinitatem publicè adorare: quidquid denique Christiani præter ceteros faciunt, erit nobis Sacramentum; ita Sacramenta non duo, non septem, sed plurima. Sin aliquid intelligis necessarium Christiano ad salutem, Baptismum in Sacramentis, Caluinista, quid numeras? cùm ex tuâ sententiâ, Christianorum liberi, si ante Baptismum decesserint, nihilo seciùs cælo fruantur. Hinc multorum Ministrorum crudelitas, nō alio quàm Dominico die, idque publicè, aquâ salutari infantes intingere: intereà si morbo soluuntur, parui rem ducunt. quod quid est aliud, quàm superfluum, certè non necessarium Baptismum asserere? quàm de Sacramento cærimoniam facere? Scio risisse ex Caluinistarum grege aliquot, cùm relatum à Baptismo infantem reddituta matri obstetrix, En iam diceret, recipe Christianum. Et, O te feminam simplicem! illi dixere. Cur nunc magis Christi sit, quàm cùm isthinc auferretur ad templum? Eucharistia etiam nec facit Christianum, nec omnibus necessaria ad salutem. Nam nec eâ infantes pascuntur, nec impotes mentis; imò nec, vt plurimùm, apud Caluinistas ægroti, quos prohibet à cœtu publico valetudo. Ergo nihil istorum necessarium Caluinistis ad vitam æternam, id est, nullum est illis Sacramentum, si huic Sacramenti definitioni adhæreas. Si denique Sacramentum exponas signum visibile inuisibilis gratiæ, à Christo institutum, Catholica quidem notio erit, sed vide an Eucharistiæ tantùm Baptismoque conueniat. Cur non enim & remissio peccatorum à Sacerdote concessa tibi sit Sacramentum? Signum visibile est ipsa actio Sacerdotis; & gratiam inde infundi, disertissimè ex Domini verbis habes Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* & Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Lib. 1 Paræneseos cap. 1.

Baptismus ex hæreticorum sententiâ est superfluus.

Pœnitentia Sacramentum esse probatur.

20. *Confirmatio vere est Sacramentum. Actuum 8.*

Confirmationem etiam esse Sacramentum vti à Catholicis sumitur, Actuum Apostolicorum nonnulli textus proclamant. *Cùm audissent Apostoli*, legitur ibi, *qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cùm venissent, orauerūt pro ipsis vt acciperent Spiritum sanctum: nondùm enim in quemquā illorū venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebāt manus super illos, & accipiebāt Spiritum sanctum.* Iterùm: *Factum est autem, cum Apollo*

Cap. 19.

Apollo esset Corinthi, vt Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, & inueniret quosdam discipulos, dixitq́; ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audiuimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis baptismate. Dixit autem Paulus: Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum, qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est in Iesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et cùm imposuisset illis manum Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Docuerunt id post Apostolos viri Apostolici, à primo vsque Ecclesię Catholicæ exordio. S. Melchiades Papa & martyr in Epistolâ quadam, vbi de Baptismo & Confirmatione loquitur, *Scitote*, inquit, *vtrumque magnum esse Sacramentum.* S. Eusebius Papa, *Manus*, inquit, *impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est; quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis Sacerdotibus.* Et ante illos S. Cornelius Papa & martyr, *Non fuit*, ait, *signaculo Chrismatis confirmatus, vnde nec Spiritum sanctum potuit promereri.* S. Vrbanus item sic ait: *Omnes fideles per manuum impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur.* Plura qui desiderat, videat S. Clementem Romanum, S. Dionysium Areopagitam, & alios Apostolorum discipulos. Quin imò si quis vnctionem, quæ in hoc Sacramento ex Apostolicâ traditione adhibetur, è Scripturis sibi demonstrari velit, legat ille hunc Apostoli locum: *Et vos vnctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium.* Inquit, *Vnctio eius docet vos*, nimirum iuxta illud Christi in Euangelio: *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quin, velit aliquis ipsum Confirmationis verbum, cum vnctione, signatione, ac pignore receptioneq; Spiritus sancti disertis sibi terminis edici è Scripturis sanctis? audiat Paulum Apostolum, & ille edicet, *Qui*, inquit, CONFIRMAT *nos vobiscum in Christo, & qui* VNXIT *nos Deus, qui &* SIGNAVIT *nos, & dedit* PIGNVS *Spiritus in cordibus nostris.* Clara res, amplius non quæramus.

Melchiades Papa in Epist. ad Episcopos Hispaniæ. Epistolâ 3.

In Epist. ad Fabianũ Antiochenũ. apud Eusebium lib. 6. Histor. c. 33.

In Epist. decretali.

Lib. 3. Cõstit. Apost. c. 10. 16. 17. & 17. cap. 44.

De Ecclesiast. Hierarc. c. 2. parte 2.

1. Ioan. 2.

Ioannis 16.

2. Cor. 1.

21\. Ordinem, Extremam Vnctionem, ac Matrimonium, prætereà Sacramenta esse dictante Fide scimus, cùm & externa ibi signa sint, & internam ea gratiam causare perhibeant Scripturæ. De Ordine in primis vt paucis dicamus, constat ex Apostolorum Actibus, per ordinationem esse gratiam collatam, constat ex S. Pauli Epistolis, constat ex Christi Euangeliis. Acta Apostolorum sic loquũtur: *Ministrantibus illis* (nempe discipulis Christi) *Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesq́; eis manus, dimiserunt illos.* En vt Spiritus sanctus ordinandos designet: en vt, qui anteà adhuc Spiritu sancto pleni erant, ab Apostolis, in ministerij ordinationem, manuum impositionem accipiant: en denique, vt à se missos, & ab Apostolis ordinatos, speciali gratiâ ac directione Spiritus sanctus assistat. Item: *Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos.* Opus ergo Spiritus sancti est, dum Episcopi consecrantur. Cumque indubitatum sit, Spiritum sanctum his, quos in officium & ministerium suum constituit, gratiam simul conuenientem conferre, negare id velle, proterui erit & effrontis hominis. Sed & differre Sacramentum Confirmationis, quo, vti diximus, conferebatur ad confessionem fidei Spiritus sanctus, ab Ordine, facilè iudicabit, qui Apostolorum Actus inspexerit, vbi electis septem Diaconis, plenis, vt disertè perhibetur, Spiritu sancto, manuum impositio ab Apostolis denuò fuit adhibita. *Conuocantes*, inquit sacer Textus, *duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum, nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto, & sapientiâ*, &c. Ad quid ergo hìc, si Spiritu sancto iam pleni erant, impositionis manuum repetitio? Quia scilicet per illam in ordinatione peculiaris gratia conferebatur, vt & apertè docuit S. Paulus Apostolus, dum sic Timotheo suo scribit: *Noli negligere gratiã, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuũ presbyterij.* Et: *Admoneo te, vt resuscites gratiã, quæ in te est per impositionem manuũ mearum.* Ex Euangeliis tandem constat, Christũ, cùm suos ordinauit, non gratiam solùm, sed & ipsum gratiæ datorem Spiritum sanctum cõtulisse. Vnicus, breuitatis ergò, sufficit e S. Ioanne locus, vbi sic legitur: *Dixit eis iterùm: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis*, &c. Rectè proinde Patres, Ecclesiæ ordinationem habere gratiam annexam, & esse Sacramentum, asseruerunt, vt videre est apud S. Gregorium Magnum, qui de Ordinis Sacramẽto loquens sic ait: *Is qui promouetur, benè foris vngitur, si intus virtute Sacramenti roboretur.* Vbi & Sacramentum vocat, & gratiam conferre ait, sacram ordinationẽ. Ante hunc duobus sæculis D. Augustinus, probans, Sacramentum Ordinis non magis quàm Baptismi iterari posse, ait: *Ipsi explicent, quo modo Sacramentum qui baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit amitti. Si enim vtrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento iniuria facienda est.* Cyprianus item, duobus adhuc sæculis ipso Augustino antiquior, ordinationem vocat Sacramentum, & cum Baptismo confert, his verbis: *Docemur, quæ sit Baptismi & aliorum Sacramentorum stabilitas.* & infra: *Nam Baptismum repeti, Ecclesiastica prohibent regulæ; & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere: nemo sacros Ordines semel datos iterùm reuocat*, &c.

Ordinem sacrum esse Sacramentum probatur.

Act. 13.

Act. 20.

Dum Episcopi consecrantur, est opus Spiritus sancti.

Act. 6.

1. Tim. 4.

2. Tim. 1.

Ioan. 20.

Lib. 4. Comment. in lib. Regum, c. 5.

Lib. 2 contra Parm. cap. 13.

In Sermonib.

22\. De Vnctione Extremâ æquè sumus certi, vel ex ipso illo D. Iacobi Apostoli loco, vbi sic inquit: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Quibus in verbis omnia, quæ ad Sacramenti substantiam requiruntur, inueniuntur, vt discutienti ea patet. Neque verò adeò inopes sumus, vt solo hoc Apostoli loco rem nostram stabilitam habeamus; quin, si ipsis nostris aduersariis Luthero & Caluino, tum & Kemnitio, aliisque istorum asseclis (vt modò, qui ex nostris castris prodeunt, taceam viros Catholicos, eosque grauissimos) fidem habemus, de hac eadem Vnctione locutus est D. Marcus Euangelista, sic inquiens: *Et exeuntes, discipuli Christi, prædicabant*

Extrema Vnctio verè est Sacramentum.

Iacob. 5.

Marci 6.

bant vt pœnitentiam agerent, & dæmonia multa eiiciebant; & vngebant oleo multos ægrotos, & sanabant. adeò vt, è doctrinâ sacrosancti Concilij Tridentini, non Iacobus Apostolus sit primus huius Sacramenti institutor sed ipsemet Christus illud ante suam passionem instituerit, quod & circa ægrotos, se adhuc in terris agente, exerceri iusserit: neque enim credere par est, discipulos Saluatoris, sub prædicationis suæ præsertim initium, aliud fecisse quàm quod à Magistro suo edocti & iussi fuissent. E Patribus, præter alios, habemus Innocentium I. Pontificem, qui expresse Vnctionem hanc Sacramentum esse adstruit, ideoque non esse conferendum iis qui aliorum Sacramentorum minimè sunt capaces.

Epist. 1. ad Decentium, cap. 8.

23. *Matrimonium esse Sacramentum probatur.*

Superest Sacramentum Matrimonij, quod antequam Sacramentum esse adstruatur, obiectioni prius respondendum est, quinam nouæ Legis Sacramentum esse possit; cùm non à Christo Domino, vt reliqua, sed in veteri Lege, sub ipsa mundi primordia institutum fuerit. Verùm licet à Saluatore non sit primariò institutum, ab eodem tamen ad Sacramenti dignitatem sublimatum fuit: & ne hoc probandi aliqua foret difficultas, prouidit Spiritus sanctus, expresse illud in Scripturis Sacramentum appellari, quod de aliis non perinde inuenitur. Verba Apostoli, per quem Spiritus sanctus id proloqui voluit, hæc sunt: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vnâ. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesiâ.* Audiamus etiam Patres. D. Leo, *Vnde*, ait, *cùm societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem, haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum, dubium non est*, &c. S. Augustinus etiam, *In nostrarum nuptiis*, inquit, *plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fecunditas vteri.* Et denique sanctus Ambrosius, agens de eo qui alteri nuptam ducere voluit in vxorem, *Qui sic egerit*, inquit, *peccat in Deum, cuius legem violat, gratiam soluit; & ideò quia in Deum peccat, Sacramenti cælestis amittit consortium.*

Ephes. 5.

Epist. 1. ad Rusticum, cap. 4.

Lib. de Bono coniugali, cap. 18.

Lib. de Abraham, cap. 7.

24. Quemadmodum hactenus compendiosè de septem Sacramētis, probare porrò possemus de libero arbitrio, Petri primatu, bonorum operum merito, Sanctorū inuocatione, Reliquiarū cultu, castitatis, paupertatis & obedientiæ obseruantiâ, & quidem æquè perspicuè, è Scripturis sacris & Orthodoxis Patribus; sed aliis hæc locis reseruamus, & ex Indice Generali rerum, quem huic nostro Operi accuratum satis subiunximus, Lectori facilis ea inquirendi & reperiendi facultas erit. Quæ modò dicta sunt, eum in finem diximus, vt appareat, quandoquidem Nouatores hanc tam apertam veritatem negare non verentur, mirandum adeò non esse, si & tam clarâ in luce Purgatorium iidem abnuant, & quæ pro mortuis refrigerij ergô fiunt suffragia derideant; adeoque impudentes omnino illos habendos esse & insolentes, & quisquiliarum instar facienda esse quæ contentiosi isti logodædali contra apertam veritatem friuolè & obstinatè oggamniunt. Iuuerit etiam, Lectoris tædio subleuando, quædam affinia pro veritatis assertione adduxisse in fidei hostes argumenta, tamen ne nimiùm fortè iis immorari cogamur, iis omissis, & commodiori tempore locoque reseruatis, ad magis propria reuertimur, atque in posterum ex Lege Euangelicâ, prout anteà ex Lege naturæ & Moysaicâ fecimus; tum ex Apostolis, quemadmodum suprà ex Prophetis, Purgatorij defunctorumque causam stabilitum imus.

CAPVT XIII.

Neque Purgatorij probationi multiplex Apostolorum confirmatio deest, signa quibus Romana Ecclesia adstruitur Apostolica.

Mirandum omnino est, quòd contra Purgatorij veritatem tantopere se hæretici nostri opponant, cùm interim plenis buccis inclamare soleant, firmissimè se omnia credere quæ in Scripturis reperiuntur. Ostendimus hactenus non ex vno tantummodò Scripturæ loco, sed ex singulis propè diuinarum Litterarum libris, à Lege veteri adstrui Purgatorium: & tamen miseri isti sectarij illud ipsum, quod sese amplexari atque profiteri iactitant, impudenter adeò reiiciunt atque impugnant. Mirari tamen desinamus, quandoquidem diuina prouidentia illo modo Catholicæ veritatis oracula solidiùs firmat, cùm ex aduersariorum quoque antilogiis hæc ipsa confirmat: vt proinde haud præter rationem à nobis modo Purgatorij soliditas è nouo Testamento probanda sit, quò & Ecclesiæ doctrina lucem, & Nouatorum error maiorem confusionem habeat. Quin & hoc hæreticorum aduersariorum ora obstruet, quorum nonnulli quandoque dicere ausi sunt, quamuis fatendum foret, priscis temporibus creditum fuisse Purgatorium, illud tamen hodie destructum esse, quippe quòd cum Lege antiquâ, lege inquam seruitutis, eiusdemque cærimonialibus cessauerit, & à Christo Domino abrogatum fuerit. Videant ergo quàm hoc falsum sit, & ex dicendis apertissimè agnoscent, vtrumque Testamentum, quoad hoc, euidentissimè, conspirare quantumuis ipsi æquè à nouo atque à Veteri longissimè deuient, & propterea nullum ab his, ad quæ prouocauerunt, patrocinium, sed vnanimi vtriusque calculo atque sententiâ damnationem expectare debeant. Quòd vt plurium Iudicum votis pronuntietur, singulos propemodum Euangelicæ legis libros perlustrabimus. 1.

Purgatorij fides quæ in antiquâ Lege viguit, in nouâ non est abolita.

Primus locus est Actorum 2. *Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Hoc ita intelligit D. Augustinus vt sensus sit, Christum, cùm descendit ad inferos, multos liberasse à cruciatibus inferni. Quod cùm non sit intelligendum de damnatis, de purgandis necessariò accipiendum est, quemadmodum asserit S. Epiphanius. Dicit enim, Christum, cùm ad inferos descendit, à cruciatibus exsoluisse illos, qui per ignorantiam quidem peccauerant, sed à fide tamen non recesserant. Præter quorum SS. Patrum auctoritatem ipsius quoque Scripturæ verbis res nostra stabilitur: verba enim hæc, *solutis doloribus*, intelligi non possunt de doloribus Christi, vtpote qui in cruce illius finiti sūt, vt patet Lucæ 23. vbi latroni dixit, *Hodie mecum eris in paradiso.* Neque de cruciatibus damnatorum, 2.

Acta Apostolorum Purgatorium adstruunt.

Augustinus Epist. 99. ad Euodium, & lib. 12. in Genes. cap. 33. Epiphanius in hæresi Tatiani, quæ est vltima Libri 1.

cùm huiusmodi æternis ignibus deputati sint. Nec denique de Patrum in Limbo existentium pœnis, quia ipsi dolores nullos sustinebant, vt S. Augustinus citatis iam locis affirmat, & sanctus Gregorius. Reliquum est, vt de Purgatorij ignibus & tormentis accipiatur. Huic Actorum loco addi potest ille ex octauo eiusdem libri capite: *Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.* Ex quo colligitur, ea quæ variis Capitibus præcedentibus ex Lege naturæ ac Moysaicâ, è veterum Iudæorum Patriarcharumque plangendi consuetudine attulimus, in Lege etiam nouâ pariformitatem & consensum reperire.

a Homil. 22.

3. At à generalibus Apostolorum Actibus ad singulares eorumdem doctrinas atque instructiones progressum faciamus. S. Paulus inter hos Princeps, egregia sanè & plura pro re nostrâ conscripsit. *Fundamentum,* inquit, *aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit: sic tamen quasi per ignem.* Quod de Purgatorio intelligendum esse, communis est Theologorum opinio, non Latinorum modò, sed etiam Græcorum. E Latinis videri possunt *a* Cyprianus, *b* sanctus Ambrosius, *c* sanctus Hieronymus, *d* sanctus Augustinus, *e* Alcuinus, *f* Rupertus, *g* Magister, sanctus Bonauentura, & alij Scholastici, item sanctus Anselmus, Haymo, S. Thomas in hunc locum, Innocentius III. & omnes Latini recentiores. E Græcis adiri poterunt Origenes, Oecumenius, sanctus Basilius, Theodoretus, & alij: vt magnæ propterea sit temeritatis & arrogantiæ, aliter velle sentire, maximè cùm Illustrissimus Card. Bellarminus hunc sensum ostendat propriissimè verbis Scripturæ sacræ conuenire, vt cuilibet eum legenti apparebit facillimè.

Apostoli quoque ipsi Purgatorium esse docuerunt, vt, S. Paulus, 1. Cor. 3.

a Lib. 4 Epist. 2. ad Anton. *b* In hunc locum. *c* In Amos 4. *d* In Ps. 37. in hunc locum, Serm. 41. d. Sanctis. &c. *e* Lib. 3 de Trinitate. *f* In 3. Genesis. *g* In 4. dist. 21.

4. Alter locus B. Pauli est, vbi sic ait: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? vt quid & baptizantur pro illis?* Cuius loci vera genuinaque hæc est expositio, quòd Apostolus loquatur de baptismo lacrymarum ac pœnitentiæ, qui suscipitur orando, ieiunando, eleemosynas elargiendo, & similibus exercitiis, ita vt sensus sit: Quid facient qui orant, gemunt, seque pœnitentiis affligunt pro mortuis, si mortui non resurgunt? Ita exposuere S. Ephræm in suo Testamento, Ven. Petrus Abbas Cluniacensis lib. contra Petro-Brusianos, Dionysius, Hugo, & alij in hunc locum. Et probatur Primò, quia non à Patribus solùm, sed Scripturâ etiam sacrâ, *baptizari* accipitur pro *Pati* seu *Affligi.* Loquens Christus de futurâ passione suâ, *Baptismo,* inquit, *habeo baptizari.* & à Zebedæi filiis rogans, vtrùm pro gloriâ suâ pati valeant, *Potestis,* ait, *bibere calicem quem ego bibiturus sum, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* quo modo item à sanctis Patribus accipi solet, Hieronymo, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Bedâ, &c. pro quibus videri poterit Bellarminus. Secundò, pœna insuper Purgatorij baptisma vocata est Matth. 3. de quo latiùs Capite sequenti. Tertiò, ista expositio optimè Textui quadrat, cùm statim sequatur; *Vt quid & nos periclitamur totâ die?* Demum, quia sententia hæc eadem est cum illâ 2. Machab. 12. *Nisi eos resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum, orare pro mortuis;* vt proinde nullus ampliùs dubitandi locus supersit. Pergamus.

1. Cor. 15.

Baptizari accipitur pro Affligi. Lucæ 12. Marc. 10.

Lib. 1. de Purgatorio, cap. 6.

Tertium locum adducit sanctus Augustinus ex cap. 5. Epistolæ D. Pauli ad Ephesios, *Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam.* vbi augustissimus ille Doctor, *Et ideò,* inquit, *continuis orationibus & frequentibus ieiuniis, & largitionibus eleemosynarum, & præcipuè per indulgentiam eorum qui in nos peccant assiduè redimantur* (peccata scilicet venialia.) *Quidquid enim de istis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum est.* 5.

Quartum eiusdem B. Pauli Apostoli locum adfert Ven. P. Canisius in Catechismo suo magno è posteriore ad Timotheum Epistolâ cap. 1. *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui: quia sæpè me refrigerauit, & catenam meam non erubuit: sed cùm Romam venisset, sollicitè me quæsiuit, & inuenit. Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino in illâ die.* Quod sanè sanctus Paulus minimè dixisset, nisi firmiter credidisset, non in vitâ solùm, sed etiam post mortem hominibus peccata dimitti. alioquin enim dixisset, Det illi Dominus inuenire misericordiam ante illum diem, mortis videlicet, aut Domini, quæ eadem sunt. Similem ferè locum infrà ex Euangelio producturi sumus.

de Purgatorio.

Quintus locus eruitur ab Illustrissimo Card. Bellarmino & aliis Scriptoribus ex cap. 2. Epistolæ ad Philippenses, vbi Apostolus ait: *Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloriâ est Dei Patris.* Ex quo elicitur argumentum eiusmodi: Dæmones & damnati non genuflectunt in nomine Iesu, nec confitentur illum esse in gloriâ Dei Patris, sed potiùs blasphemiis impetunt, Ergo debet esse alius inferni locus, in quo Saluatori benedicant; qui nō potest alius assignari, quàm Purgatorij, vt rectè proinde præcedentem sancti Pauli locum pro eodem Purgatorio adduxerit S. Augustinus.

inter scripturas Noui Testamenti.

Lib 12. de Genesi, c. 33.

6. D. Paulo adiungemus S. Petrum, qui non vno etiam loco eamdem materiam innuit. Nam priore suâ Epistolâ, *Christus,* inquit, *semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu. In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur arca.* Quem locum eximius ac Ven. D. Guilielmus Estius in Epistolarū Apostolicarū Cōmentariis de Purgatorio explicauit, & meritò: nam per carcerē non tantùm S. Lucas in Actis, vt superiùs patuit, sed & ipsemet Saluator noster, vt inferiùs patebit, intelligunt esse Purgatorium, ad quod Christum descendisse, ex D. Augustino ipsoque S. Scripturæ textu paulò antè declaratum fuit, vt propterea spiritibus illis, qui erant in Purgatorio, rectè Christus eò veniens dicatur prædicasse, & redemptionem ac remissionem peccatorum annuntiasse, illis quidem nomina-

S. Petrus. 1. Petr. 3.

Carcer in Scripturis intelligitur per S. Lucam & ipsum Saluatorem locus Purgatorij.

tim,

tim, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur arca; quia nimirum multi ex illis quos diluuium absumpsit, non in mortali, sed veniali tantùm peccato fuerunt mortui, vt varij docent Auctores.

7. Quorum nonnulli ad Purgatorium quoque spectare arbitrantur, ex eoque illud probari vel confirmari saltem credunt, quod idem D. Petrus Apostolus habet in posteriori suâ Epistolâ in hęc 2.Pet 1. verba: *Cui enim non præstò sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Quapropter, fratres, magis satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi.* Per quæ Apostoli verba asseritur inprimis, illum qui veterum delictorum, id est ante integram peccatorum remissionem, accipit, hoc est admittit purgationis obliuionem, nec pro culpis, licet condonatis, quoad pœnas restantes satisfacere studet, se cæcum quodammodò facere ac ineptum ad Dei visione statim à morte perfruendum; illos verò, qui sese in bonis operibus atque satisfactoriis exercent, abundanter sibi subministrari facere introitum in regnum cælorum, ad quod videlicet statim à morte sine Purgatorio proficiscuntur. Hæc illi: quæ quantum valeant, quilibet secum expendere poterit.

S. Ioannes Euangelista, Apocalypſ. 5. Ex S. Ioanne Euangelistâ itidem triplicem, qui Purgatorium concernat, locum proferimus. Primus est ille, quem is habet in Apocalypseos suæ cap. 5. vbi, sicut anteà D. Paulus, ostendit, apud inferos alium locum debere dari quàm infernum, seu potiùs, apud inferos alias esse personas quàm damnatas. Nam ita de Agno, id est Christo, agens est locutus: *Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius? Et nemo poterat neque in cælo, neque in terrâ, neque subtus terram.* Ad quod Bellarminus: *Per eos qui erant in cælis, intelliguntur Angeli; per eos qui in terrâ, homines iusti; per eos qui sub terrâ, non possunt intelligi nisi animæ Purgatorij: nec enim id damnatis tribueretur, Patres autem, qui fuerant in Limbo, iam liberati erant.*

8. Apocalypſ. 21. S. Augustinus Epistolâ ad Aurelium, ex eadem Apocalypsi secundum locum adducit, qui habetur cap. 21. vbi cùm S. Euangelista descripsisset Sanctorum in cælis gloriam, subiungit: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.* Neque immeritò locus iste à tanto Theologo ad probandum Purgatorium fuit adductus: nam si multa sint etiam hominum iustorum peccata, illaque exigua, & propter quæ damnari eos nequaquam censendum sit, dicendum profectò est, medium quoddam esse ordinatum, quo animæ in leuibus peccatis mortuorum purgari queant; alioquin quicumque vel in minimo peccato mortem obiisset, æternùm damnandus foret, quia nihil coinquinatum intrare cælum potest. quod nimirum dicere, tum in diuinam clementiam est iniurium, tum ab omni prorsus humano conceptu longè est alienum.

Tertium accedat B. Ioannis testimoniũ, quod ex illo in magno suo Catechismo retulit Ven. P. Canisius, & habetur prioris eius Epistolæ cap. 5. his verbis: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis. Omnis iniquitas, peccatum est: & est peccatum ad mortem.* 1. Ioan. 5. Quæ verba vel intelligi possunt de peccato vitæ præsentis, vel de peccato illo quod post mortem alicui adhæsit, & vtroque sensu nostrum propositum confirmabitur. Nam si de peccato vitæ præsentis intelligendum sit, iam declaratur, aliud esse peccatum ad mortem, seu mortale, aliud verò non ad mortem, seu veniale. Similiter si de peccatis post mortem reliquis accipi placeat, clarum est, peccatum aliud esse pro quo oratio valeat, vti videlicet ab igne purgatorio eximantur; aliud pro quo non prosit, si nempe fuerit mortale, & in eo mortui sint damnati. Quid clarius? Sanè omnia certissima sunt & clarissima, neque pluribus hîc opus est. Nam Apostolorum Acta duo Purgatorio fundamenta subministrauerunt, S. Paulus in Epistolis suis quinque, S. Petrus duo, S. Ioannes tria. Quibus si addideris locum illum D. Iacobi, quem Capite VI. ad confirmationem peccati venialis protulimus, videbis ex omnibus Apostolis, qui quidem aliquid scripsêre, adstrui Purgatorium, vno S. Iudâ Thadæo excepto, qui non nisi Epistolam vnius capitis ac versuum 25. scriptam reliquit. S. Iacobus. Verùm enimuero, nihil eum de animabus Purgatorij recensuisse, haud est mirum, cùm nec de aliis Fidei principiis quidquam agat: quamuis alij id asserant, eò quòd ignis æterni meminerit, quasi sit alius etiam temporalis, è quo nonnullos eripi diceret, dum ait: *Illos verò saluate, de igne capientes.*

9. Hæretici se iactant esse Apostolicos, sed ineptè. Haud ergo minùs Apostolorum quàm Prophetarum assertione stabilita manet Catholicorum de Purgatorio doctrina: & tamen Apostolicos se appellari volunt, qui eam temerariè negant & pernegant, hæretici. Qui verò appellandi sunt Apostolici, qui & ipsis Apostolis, & illis qui eos in sinceritate imitantur, è diametro aduersantur? An nos Ant-Apostolici, qui idem, quod Apostoli statuerunt, semper docuimus, & vsque modò docemus? Iuuabit certè, ad maiorem Purgatorij perspicuitatem, & firmiorem eius assertionem, paulò penitiùs inspexisse illa argumenta, quæ manifestissimè euincunt, modernos hæreticos ipsissimos esse Ant-Apostolicos, nos verò propriè & γνησίως Apostolicos. Inter alia quæ Tertullianus adfert, vt cognoscamus an quis ab Apostolis descendat, adeoque Apostolicus verè censendus sit, & hæc habentur: *Edant*, nimirum hæretici, quos ibi compellat, *origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit auctorem & antecessorem: hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt. Sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum, ab Ioanne collocatum refert: sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit, &c. Confingant tale aliquid hæretici.* Quæ, vt quis verè dicendus sit Apostolicus, requirantur. Lib. de Præscription. cap 32. Sic ille; qui vt Romanam Ecclesiam Apostolicam esse declararet, antiquitatem simul & primatum eius asseruit. Cap. 35. *Posterior*, inquit, *res nostra non est, imò omnibus prior est: hoc erit testimonium veritatis vbique occupantis principatum. Quod ab Apostolis non damnatur, imò defenditur: hoc*

erit

erit indicium proprietatis, &c. Deinde Ecclesias Apostolicas enumerans, de Romanâ nostrâ sic scribit: *Si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præstò est, statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apostolus Ioannes, postquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid dixerit, quid docuerit.* Quâ nos methodo ad Apostolicam Tertullianus Ecclesiam ducit & adducit. Eius porrò verbis hæreticos nostros adoriemur: *Qui estis? quando & vnde venistis? quid in meo agitis non mei? quo denique, Marcion,* (Luthere, Caluine, alij) *iure siluam meam cædis? quâ licentiâ, Valentine, fontes meos transuertis? quâ potestate, Apelles, limites meos commoues? Mea est possessio: quid hic ceteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? Mea est possessio; olim possideo, prior possideo: habeo origines firmas ab ipsis auctoribus quorum fuit res. Ego sum heres Apostolorum. Sicut cauerunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiurauerunt, ita teneo. Vos certè exheredauerunt semper & abdicauerunt vt extraneos, vt inimicos.* Quibus verbis vti sui olim temporis hæreticos Tertullianus, ita nos præsentes etiam iugulamus, nosque demonstramus Apostolicos, illos verò Ant-Apostolicos existere. Quòd vt euidentiùs adhuc certiusque, quoad causam Purgatorij constet, idem quoad alios etiam fidei articulos probabimus verum esse, adeò vt vna hæc causa, quæ præcipuè à nobis probanda ex proposito suscepta est, communem in Nouatores erroris ac perfidiæ ferat sententiam. Et quadruplex sanè pro eâ veritate fundamentum substruendum est, primumque ostendendum, hæreticos nostros nequidquam Apostolicos se iactare, vtpote cùm eiusmodi non sint, quandoquidem apertè sanctis Patribus, quos tamen esse viros Apostolicos vel inuiti confitentur, ex opposito contrariantur: secundò, quia sese Patribus aduersari suômet testimonio conuincunt: tertiò, quia Patres antiqui velut hæreses insectati sunt eosipsos, quos Nouatores hodie tam obstinatè propugnant, errores: denique, illorum sectas etiam Scripturis Apostolicis repugnare ostendendum erit. Iam ad rem.

Cap. 36.

Cap. 37.

10.

Hæretici Patribus antiquis aduersantur, non ergo Apostolici sunt. Patres enim docent, Deū non esse auctorem malorum; Caluinus sic.

Aduersari ergo nostros hæreticos, præsertim Caluinianos, iis quæ docuerunt Patres antiqui, quos ipsimet viros Apostolicos appellant, & pro talibus venerandos esse volunt, & venerari se confingunt, hæc quæ sequuntur præcipuè euincunt. I. Sanctorum Ecclesiæ primitiuæ Patrum doctrina fuit, Deum nequaquam esse auctorem peccati. Chrysostomus enim sic tradit: *Nullus dicat: Deus nobis auctor malorum est.* Et pòst: *Satius fuerit sexcenties defodi, quàm Deum audire talia per nos.* S. Augustinus: *Nullius culpæ humanæ in Deum referas causam.* Prosper: *Bonorum Deus auctor est, non malorum.* Fulgentius: *Deus non est vltor cuius est auctor.* Econtrà Caluinus, *Et iam*, inquit, *satis apertè ostendi, Deum vocari omnium eorum auctorem, quæ isti censores volunt eius otioso tantùm permissu contingere.* Et: *Homo iusto Dei impulsu agit quod sibi non licet.* Et: *Absalom incesto coitu patris thorum polluens, detestabile scelus perpetrat, Deus tamen hoc opus suum esse pronuntiat. Quidquid agitent homines, vel satan ipse, Deus tamen clauum tenet.* Et: *Dicitur satan excæcare infidelium mentes; sed vnde hoc, nisi quòd à Deo ipso manat efficacia erroris?* Et: *Excusabiles peccando haberi volunt reprobi, quia euadere nequeunt peccandi necessitatem, præsertim cùm ex Dei ordinatione sibi iniiciatur huiusmodi necessitas.* II. Patres primitiui asseruerunt, Deum non prædestinare quemquam ad mortem, nisi propter peccata. Sic docet S. Augustinus: *Bonus est Deus, iustus est Deus: potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest sine malis meritis damnare, quia iustus est.* Et: *Vt nascantur homines, est beneficium; vt autem pereant, præuaricatoris est vitium.* Tertullianus: *Deus de suo optimus, de nostro iustus.* Fulgentius: *Notum est, iram Dei dici non posse, nisi vbi creditur hominis iniquitas præcessisse.* Econtrà volunt hæretici nostri vicini, Deum solo suo arbitratu prædestinare homines ad mortem, sine vllâ ipsorum culpâ. Ita docuit Patriarcha illorum liliatus Caluinus. *Palàm est*, inquit, *Dei nutu fieri, vt aliis vltrò offeratur salus, alij ab eius aditu arceantur..... Perplexa, vt multis videtur, quæstio: quia nihil minùs consentaneum putant, quàm ex hominum turbâ alios ad salutem, alios ad interitum prædestinari.* Et: *Prædestinationem vocamus æternum Dei decretum, quo apud se constitutum habuit, quid de vnoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes: sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam vel ad mortem prædestinatum dicimus.* Et: *Vbicumque verò regnat hoc Dei placitum, nulla in considerationem veniunt opera.* Item: *Minimè consentaneum est, præparationem ad interitum aliò transferre quàm ad arcanum consilium Dei.* Et: *Homines nudo Dei arbitrio, citra proprium meritum, in æternam mortem prædestinantur.* Et: *Dico esse à Domino creatos, quos in exitium ituros sine dubitatione præsciebat, idq; ita factum, quia sic voluit.* III. Patres Orthodoxi & antiqui è primâ Ecclesiâ docuerunt, Corpus & sanguinem Christi esse verè in Eucharistiâ. nimirum S. Hilarius, qui sic ait: *De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus.* Cyrillus Ierosolymitanus: *Cùm Christus ipse sic affirmet, & dicat de pane, Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? ...... Sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis...... Hoc pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi.* S. Ambrosius: *Vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Et: *Fortè dicas: Aliud video. quomodo tu mihi asseris, quòd Christi corpus accipiam?* Contrà è noua Caluini scholâ Patres asserunt, Corpus Christi non esse in Eucharistiâ, sed tantùm in cælo. Sic didicerunt ex suo Archididascalo, qui hunc in modum blasphemat: *Tollenda est qualibet præsentiæ localis imaginatio. Nam cùm signa hîc in mundo sint, oculis cernantur, palpentur manibus, Christus quatenus homo est, non alibi quàm in cælo, nec aliter quàm mente & fidei intelligentiâ quærendus est. Quare peruersa & impia superstitio est, ipsum sub elementis huius mundi includere. Proinde qui in solemnibus cœnæ verbis, Hoc est corpus meum, Hic est Sanguis meus, præcisè literalem, vt loquuntur, sensum vrgent, eos tamquam præposteros interpretes repudiamus. Nam extra controuersiā posuimus figuratè accipienda esse, vt esse panis & vinum dicantur id quod significant. Neque verò nouū hoc aut insolens videri debet, vt per metonymiam ad signum transferatur rei figuratæ nomen, cùm passim in Scripturis eiusmodi locutiones occurrant; & nos sic loquendo nihil asserimus, quod non apud vetustissimos quosque & probatissimos Ecclesiæ Scri-* ptores

Homil. 23. in Acta Apost. Lib. 2 de Peccatorum meritis. In Respons. ad capitula Gallorum, cap. 14. Lib. 1. ad Monimum, c. 19. Lib. 1. Instit. c. 18 §. 3. §. 4. §. 1. §. 2.

Lib. 3. Instit. c. 23. §. 9.

Patres docēt, neminem à Deo prædestinari ad mortem; Caluinus sic.

Lib. 3. Contra Iulianū, cap. 18. Ad articulos falsò sibi impositos, art. 1. Lib. de Resur. carn. Lib. 1. ad Monimum, cap. 26. Lib. 3. Instit. c. 21. §. 1.

§. 5. *Quid Caluino sit prædestinatio.*

§. 7. Cap. 23. §. 1.

§. 4.

§. 5.

Patres docent, Christū substantialiter esse in Eucharistiâ, negat Caluinus.

Lib. 8. De Trinit.

Lib. 4. de Sacrament. Lib. de Mysteriis initiandis, ca. 9.

In Confessione cum Tigurinis in re Sacramentariâ.

ptores extet...... Quia corpus Christi finitum est, & cælo, vt loco, continetur, necesse est à nobis tanto locorum interuallo distare, quanto cælum abest à terrâ.

11\.

Patres Baptismum ad salutem esse necessarium asserunt.

Lib. 3. de Animâ & eius origine, cap. 9.

Epist. 28. ad Hieronymũ.

Caluinus negat.

IV. In primitiuâ Ecclesiâ creditum fuit, Baptismum infantibus esse necessarium ad salutem. Ita testatur sanctus Augustinus, qui sic loquitur: *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur morte præuentos, peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Et: *Quisquis dixerit, quòd in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vitâ exeunt, hic profectò totam condemnat Ecclesiam.* Secùs docuit Caluinus, & ex eo eius asseclæ (qui tamen, vt nuper ex friuolâ & ineptâ nonnullorum ex iisdem Prouocatione vidimus, veri Catholici audire volunt) nimirum Baptismum non esse infantibus fidelium necessarium ad salutem, eò quòd huiusmodi infantes ab vtero materno sint sancti, & heredes vitæ æternæ: ad quod producunt nescio quam Scripturæ promissionem, *Ero Deus tuus & seminis tui post te.* Audiamus Caluinum, sic enim deblaterat: *Verùm infantes à regno Dei arcere libuit, qui antè erepti sunt ex hac vitâ, quàm offerri ad Baptismum potuerint. Quasi verò de nihilo dictum sit, eos nasci sanctos qui ex fidelibus nascuntur? Nisi enim iam antè ad eos pertineret vitæ promissio, Baptismum profanaret, quisquis illis daret. Quòd si Deus in regnum suum eos adoptauit, quanta iniuria fit promissioni, quasi per se ad eorum salutem non sufficiat? Inualuit contraria opinio, fateor; sed iniquum est, hominum errore, quamuis diuturno, obrui Dei veritatem. Inclusa est infantium salus in promissione, quâ Deus fidelibus testatur, se fore illis & eorum semini in Deum. Hac ratione sibi nasci pronuntiabat, qui ex Abraham ducebant originem. Non à Baptismo igitur initium habet eorum salus, sed quæ iam in verbo fundata erat, Baptismo obsignatur.*

Genes. 17.

In Antidoto Concilij Tridentini sess. 6. c. 5.

Originale peccatum per Baptismũ tollitur, è doctrinâ Patrum.

Conc. 1. in Psal. 115.

Lib. 2. de Sacrament. c. 4.

Abnuit Caluinus.

V. Prisci & Apostolici Patres docuerunt, peccatum originale tolli per Baptismum, & ex illis præcipuè sanctus Augustinus, *Sicut,* ait, *Ægyptios in mari obrutos, ita in Baptismo delicta nostra demersa & extincta, luce clariùs intimat Propheta, dicens: Proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Item S. Ambrosius, cuius hæc sunt verba: *Meritò aqua dulcis est, in quâ culpa deuoratur.* Et Lactantius, qui concisè admodum sic loquitur: *Vno lauacro malitia omnis abolebitur.* Quid iam doceant hæretici, è Caluino est manifestum, nimirum peccatum originale non tolli per Baptismum, sed in nobis manere quam diu viuimus. Sic Caluini sonant verba: *Hæc peruersitas numquam in nobis cessat.* Et: *Iam perspicuum est, quàm falsum sit, per Baptismum solui nos & eximi ab originali peccato.* Et: *Manet verè peccatum in nobis, neque per Baptismum extinguitur.*

Lib. 2. Instit. c. 1. §. 8.

Lib. 4. Instit. c. 15. §. 10.

In Antidoto Conc. Trid. sess. 5.

Patrum fides fuit, fidẽ sine operibus ad salutem non sufficere.

Lib. 5. Stromat.

Orat. in S. Lauacrum.

Homil. 3. in Ioan.

In cap. 28. Isaiæ.

Lib. de Fide & operib. cap. 14.

VI. Primorum Apostolorum discipulorum doctrina fuit, fidem sine operibus & obseruatione mandatorum Dei ad salutem æternam non sufficere, vt videre est ex Clemente Alexandrino, qui sic loquitur: *Gratiâ saluamur, sed non absque bonis operibus.* Gregorio Nazianzeno, qui hæc scripsit: *Operare bonum, quia fides sine operibus mortua est.* Ioanne Chrysostomo, qui hæc habet: *Numquid satis est ad vitam æternam, in Filium credere? Minimè.* Hieronymo, apud quem hæc reperias: *Murus & antemurale ponetur in eâ. Murus bonorum operum, & antemurale fidei. Non enim sufficit, murum habere fidei, nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur.* Augustino, penes quem hæc lego: *Iam illud videamus, quod excutiendum est à cordibus religiosis, ne malâ securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere solam fidem putauerint.* Solam verò fidem iustificare, & ad salutem sufficere, vice versâ docuit Caluinus, sic inquiens: *Dicimus hominem solâ fide iustificari.* Infrà: *An non satis solidè soli fidei tribuit omnia quæ operibus adimit.* Item: *Vim iustificandi ac facultatem fidei in solidum vindicamus.* Et: *Sciendum est, à mandatorum obseruatione nequaquam pendere salutis fiduciam. Stat enim semper illud Pauli, in eo differre à lege Euangelium, quia non sub conditione operum, sicut illa, sed ex fide vitam promittat.* Perinde docent Lutherus & eius asseclæ, quorum testimonia adducere, longum nimis foret.

Caluinus aliter credit.

Lib. 3. Instit. cap. 11. §. 18.

In Antidoto Concilij Tridentini, sess. 6. can. 11

Ibid. can. 20.

12\.

Iustorum opera esse meritoria, credebant antiqui Patres.

Serm. 162. de Temp.

Orat. in init. Prou.

Aliter Caluinus.

Lib. Instit. cap. 12. §. 4.

Cap. 14. §. 9.

§. 11.

Cap. 15. §. 3.

VII. Credebant Patres primitiuæ Ecclesiæ, opera iustorum esse apud Deum meritoria. Id testatum fecerunt, S. Augustinus, quem sic dixisse recordor: *Deus pro meritis fidei atque bonorum operum dabit suis fidelibus regnum cælorum.* Et S. Ambrosius, è quo notaui hæc: *Omnes qui viam Euangelicam incedimus, mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem cælestium comparantes.* Contrà Caluinus cum suâ cohorte comminiscitur, omnia opera iustorum esse inquinamenta & peccata mortalia. Patet id ex hisce Caluini verbis: *Omnia hominum opera nihil sunt nisi inquinamenta & sordes: & quæ iustitia vulgò habetur, ea apud Deum mera est iniquitas.* Et: *Habemus, ne vnum à sanctis exile opus, quod si in se censeatur, non mereatur iustam opprobrij mercedem.* Et: *Duobus his fortiter insistendum, nullum vmquam extitisse pij hominis opus, quod si seuero Dei iudicio examinetur, non esset damnabile. Ad hæc si tale aliquod detur (quod possibile homini non est) peccatis tamen, quibus laborare auctorem ipsum certum est, vitiatum ac inquinatum gratiam perdere.* Et denique, *Nihil ab homine exit, quantumuis perfecto, quod non sit aliquâ maculâ inquinatum.*

Lex diuina, è Patrũ doctrinâ, seruatu est facilis.

Orat. in illud, *Attende tibi.*

Homil. 8. de Pœnitent.

Lib. 3. contra Pelagian.

Lib. de Naturâ & gratiâ, c. 43.

Contrà docet Caluinus.

Lib. 2. Instit. c. 7. §. 5.

In Antidoto Concilij Trid. sess. 6. cap. 12.

Iustitia, vt Patres docent, amitti potest.

Lib. de Corrept. & gratiâ, c. 13.

Vt Caluinus, amitti non potest.

Lib. 3. Instit. c. 2. §. 11.

§. 12.

VIII. Docuerunt item primi nostræ sanctæ Religionis mystæ, Legem Dei obseruatu non esse impossibilem. Basilius: *Impium est, dicere, impossibilia esse præcepta.* Chrysostomus: *Nequaquam Dominum accuses; haud mandat impossibilia.* Hieronymus: *Deus possibilia mandauit, hoc nulli dubium est.* Denique Augustinus: *Non igitur Deus impossibilia iubet.* At verò Caluinus, à contradictionis spiritu totus inl'essus, cum suis sequacibus non veretur docere, Legem Dei esse impossibilem, nec ab vllo, quantumuis sancto, hactenus seruatam esse, aut deinceps seruari posse. *Quòd autem,* inquit Caluinus, *impossibilem legis obseruationem diximus, id est paucis verbis explicandum simul & confirmandum.* Iterùm: *Mihi abundè sufficit, neminem extitisse vmquam qui legi Dei satisfecerit, nec vllum posse inueniri.* IX. Docuit Ecclesia primitiua, fidem & sanctitatem semel habitam amitti posse, nec esse propriam electorum, vt constat testimonio D. Augustini, qui sic scripsit: *Credendum est, quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseuerantiæ vsque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere viuere, & aliquamdiu fideliter ac iustè viuere, & postea cadere.* Sed quid Caluinus? Longè sanè aliter, fidem nimirum ac sanctitatem propriam esse electorum, & semel habitam amitti non posse. *Ergo,* inquit Thraso ille, *vt solos electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, vt numquam dispereat semen vitæ eorum cordibus insitum: ita solidè in illis obsignat adoptionis suæ gratiam, vt stabilis ac rata sit.* Et: *Hoc interim tenendum est, quantumuis exigua sit ac debilis in electis*

electis fides, quia tamen Spiritus Dei certa illis arrha est ac sigillum suæ adoptionis, numquam ex eorum cordibus deleri posse eius sculpturam. Et: *Iam neque dubium est, cùm orat Christus pro omnibus electis, quin idem illis precetur quod Petro, vt numquam deficiat fides illorum. Ex quo elicimus extra periculum defectionis esse.*

Cap. 21. §. 6.

13.

Deus, vt orthodoxi rectè docent, etiam reprobos ad vitam vocat sincere.

X. Denique, ne ampliùs tempus in demonstrandis hæreticorum nefandis contra primam, & suo vtique iudicio Apostolicam adhuc Ecclesiam, antilogiis tempus teramus, doctrina Apostolica semper fuit, Deum per internam gratiam omnes vocare ad fidem, etiam reprobos, & illorum salutem quærere quantum in se est; cuius rei testes habemus, è Latinis S. Ambrosium, qui sic ait: *Sol iustitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat, vt si quis clausis fenestris radios solis excludat.* E Græcis verò S. Ioannem Chrysostomum, cuius hæc sunt verba: *Illuminat omnem hominem, quantum in ipso est. Si qui autem sponte suâ, mentis oculis conniuentibus, ad huius lucis radios aciem dirigere noluerunt, non ex luminis naturâ, sed ex suâ malitiâ in tenebris perstiterunt.* Sed quàm alienum ab illius temporis Deo Deum nobis fingit & obtrudit Caluinus, quem vult vocare quidem reprobos ad fidem, sed voce tantùm externâ, & dicis causâ, non autem per internam gratiam; neque seriò, & animo iuuandi, sed simulatè, & animo nocendi? *Vocem ad eos*, verba sunt Caluini, *dirigit, sed vt magis obsurdescant: lumen accendit, sed vt reddantur cæciores: doctrinam profert, sed quâ magis obstupescant: remedium adhibent, sed ne sanentur.* Hinc ergo prima nostra assertio manifesta euasit, nimirum sectarios nostros non solùm non conuenire, sed è diametro aduersari Patribus primæ Ecclesiæ. Si ergo illi viri sunt Apostolici, sequantur illorum doctrinam; sin minùs, apertè se ab antiquâ & Apostolicâ Christi Iesu Ecclesiâ nequiter defecisse comprobant.

Serm. 8. in Psal. 118.

Homil. 7. in Ieremiam.

Vt impiè Caluinus, fictè saltem.

Lib. 3. Instit. c. 24. §. 13.

14.

Hæretici non solùm à Patribus dissentiunt, sed dissentiunt datâ operâ.

Iam ex propriâ aduersariorum confessione, à Patribus antiquis eos vltrò & datâ operâ dissentire, docendum est. Lutherus quidem fatetur se contemnere doctrinam Patrum antiquorum, dum sic scribit: *Hieronymum legere licet propter historiam: nã de fide & verâ religione ac doctrinâ ne verbum quidem in ipsius scriptis extat. Origenem iam dudum diris deuoui. Chrysostomum nullo loco habeo: non est nisi loquaculus. Basilius nihil valet: totus est Monachus, ne pilo quidem illum redimerem. Apologia Philippi Melanchthonis superat omnes Ecclesiæ Doctores, etiam Augustinum..... Tertullianus inter Ecclesiæ Doctores merus est Carolstadius. Cyprianus Martyr infirmus est Theologus..... Videte quales de fide tenebræ sint in Patrum scriptis. Nam quando articulus ille de hominis iustificatione tenebris obductus est, fieri omnino nequit, vt maiores errores vitentur. S. Hieronymus scripsit in Matthæum, & Epistolam ad Galatas & ad Titum; sed quàm frigidè? Ambrosius sex libros super Genesim Moysis, sed quàm ieiunos? Augustinus nihil singulare habet de fide...... Nulla est expositio Patrum in Epistolam ad Romanos, vel Galatas, in quâ aliquid purum & sincerum reperiatur.* Alibi: *Hieronymus inter Ecclesiæ Doctores numerari non debet, quia fuit hæreticus. Puto tamen, quòd per fidem in Christum saluatus sit. Nihil de Christo loquitur, nisi quòd nomen illius aliquando in ore habeat. Nullum scio ex Doctoribus cui æquè infestus sim, ac Hieronymo, quia tantùm scribit de ieiunio, de delectu ciborum, de virginitate*, &c. qui & similia per omnes suos libros crepat.

In Colloq. mensa l. c. 57. de Patribus Ecclesiæ. *Lutherus superciliosè Patres ineptiarum & hæreseos arguit.*

Cap. sequẽti, de Scholasticis Theologis.

15.

Caluinus quoque temerariè Patrum doctrinam reiicit, nimirum

De Caluino res itidem est clarissima. Mutuabimus, quæ ad hanc rem faciunt, è R.P. Martino Becano, cuius itidem operâ vti solemus aliàs, licet nomen illius haud semper apponamus: nec illud nobis dedecori æstimamus, præsertim cùm iam anteà præfati fuerimus, malle nos aliorum, quàm è domesticâ pharetrâ depromptas sagittas in aduersarios contorquere. Hic ergo Caluinus, probante eodem R. Patre diuersis in locis, apertissimè fatetur aduersari se priscis Ecclesiæ Catholicæ Patribus & Doctoribus, hisce in punctis. I. De cooperatione liberi arbitrij cum gratiâ Dei. Verba Caluini hæc sunt: *Non rectè à Chrysostomo scriptum est, nec gratiam sine voluntate, nec voluntatem sine gratiâ quidquam posse operari.* Et: *At voluntatem mouet, non qualiter multis seculis traditum est & creditum, vt nostræ posteà sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo.* Reprehendit Chrysostomum, sed immeritò, planeque in eo ipsimet Scripturæ sacræ aduersatur, Primò, dum putat non esse in voluntatis potestate, resistere motioni diuinæ, nimirum contra illud, *Vos semper Spiritui sancto resistitis.* Deinde, dum putat, voluntatem non concurrere actiuè, sed tantùm habere se passiuè, contra illud: *Gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboraui. Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* id est, vt interpretatur D. Augustinus, Non solus ego, sed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. II. De iustificatione. *Nec Augustini*, inquit, *quidem sententia recipienda est*, &c. III. De personâ Christi mediatoris. *Hic*, ait, *excusari non potest veterum error, qui dum ad Mediatoris personam non attendunt, totius ferè doctrinæ, quæ in Euangelio Ioannis legitur, genuinum obscurant sensum, seq; implicant multis laqueis.* Nota, Caluinum impiè statuere, Christum mediatorem subiectum esse Patri non solùm ratione humanitatis, sed etiam ratione Deitatis, quod omnes Patres antiqui negant. Putat autem Caluinus ipsos errare, cùm potiùs ipse turpissimè erret damnatum illum Arij errorem: ex eius enim sententiâ sequitur, Christum non esse Patri consubstantialem, quod est contra Symbolum fidei, & contra sanctũ Athanasium. IV. De concupiscentiâ in renatis. *Neque opus est*, nugatur, *multum inuestigando laborare, quid hic veteres senserint, quando vnus Augustinus sufficere ad id potest, qui fideliter omnium sententias collegit. Porrò inter illum & nos hoc interest, quòd ipse quidem, cùm fideles concedat sic illigatos teneri concupiscentiis, vt non possint non concupiscere, eum tamen morbum peccatum vocare non audet, sed ad illud designandum, infirmitatis nomine contentus, tunc demum fieri peccatum docet, vbi vel opus vel consensus ad conceptionem vel apprehensionem accedit. Nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quòd aliquâ omnino cupiditate contra legem Dei homo titillatur. Imò ipsam prauitatem, quæ eiusmodi cupiditates nobis generat, asserimus esse peccatum.* Vbi Caluinus tria paradoxa directissimè cõtra sanctum Augustinum, aliosque orthodoxos Patres Augustino antiquiores, & ab eo citatos, asserit. Primum est, Quòd concupiscentia in actu primo, quatenus nimirum est pronitas ad concupiscendum, sit peccatum ori-

Tom. 1. Opusc. 15. de Eccl. Rom. Conclus. 8. & Tom. 3. Opusc. 4. q. 3 conclus. 8.

Chrysostomi, de gratia diuina, cum libero arbitrio synergiâ.

Lib. 2. Instit. cap. 3. §. 7. §. 10.

Act. 7.

1. Cor. 15.

Lib. de Gratia & libero arbitrio, c. 5.

Augustini, in variis.

Lib. 2. c. 14. §. 3.

Ibidem.

Lib 3. cap. 3. §. 10.

originale. Alterum, quòd ipsi concupiscentiæ motus, qui ab illâ pronitate procedunt, sint peccata mortalia, etiamsi voluntas non consenserit. Tertium, quòd huiusmodi motus, quamuis sint inuoluntarij, istâ Decalogi lege, Non concupisces, prohibeantur.

16. V. De satisfactione prò peccatis. Sic nimirum inquit: *Parum autem me mouent quæ in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video omnes ferè, quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperè & durè locutos.* VI. De orationibus pro defunctis. *Cùm mihi,* inquit, *obiiciunt aduersarij, ante mille & trecentos annos vsu receptum fuisse, vt precationes fierent pro defunctis, eos vicissim interrogo, quo Dei verbo, quâ reuelatione, quo exemplo factum sit..... Atque ipsi etiam veteres, qui preces fundebant pro mortuis, legitimo exemplo hîc se destitui videbant.* At hoc ipsum est falsissimum, & mendacium Caluino & Caluinianis dignissimum. An non enim S. Augustinus allegat exemplum è Scripturis, cùm ait: *In Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis sacrificium? Quo itidem exemplo, vtpote irrefragabili, nituntur D. Prosper, & alij.* VII. De merito bonorum operum iterùm à Patribus se discedere fatetur, dum sic scribit: *Vsi sunt, fateor, passim vetustæ Ecclesiæ Scriptores nomine meriti,* &c. Non ergo tua, Caluine, doctrina vetustatem sapit, noua ergo est, & recenter excogitata. VIII. De solemni pœnitentiâ. *Quâ in parte,* inquit, *excusari nullo modo potest veterum austeritas, quæ & prorsus à Domini præscripto dissidebat, & erat mirum in modum periculosa ...... Quicumque igitur sano iudicio rem æstimabit, desiderabit hîc eorum prudentiam.* IX. De ieiunio Quadragesimali. *Et tunc,* ait, nimirum in primitiua Ecclesiâ, *passim inualuerat superstitiosa Quadragesimæ obseruatio: quia & vulgus eximium aliquod obsequium Deo se in eâ præstare existimabat, & Pastores eam commendabant pro sanctâ Christi imitatione, cùm planum sit, non ideò ieiunasse Christum, vt aliis exemplum præscriberet,* &c. X. De laicis in necessitate baptizantibus: *Quòd autem multis ab hinc sæculis, adeóque ab ipso ferè Ecclesiæ exordio, vsu receptum fuit, vt in periculo mortis laici baptizarent, si Minister in tempore non adesset, non video quàm firmâ ratione defendi queat. Ne ipsis quidem veteribus, qui hunc morem vel tenebant vel patiebantur, constabat an rectè id fieret.* Mentiris, Caluine, & omnes tui tecum: constabat omnibus, id rectè fieri à laicis Christianis; dubitabatur solummodò aliquando, an rectè fieret à laicis infidelibus, aut fidelibus nondum baptizatis; de quo videatur Bellarminus, & abundè vobis satisfactum erit.

Lib. 3. Instit. c. 4. §. 38.
Lib. 3. Instit. c. 5. §. 10.
Lib. de Curâ pro mort. cap. 1.
Lib. de Promissionib. & prædictionib. Dei, p. 2. c. 40.
Lib. 3. Instit. c. 15. §. 2.
Lib. 4. Instit. c. 12. §. 8.
Ibid. §. 20.
Lib. 4. Instit. c. 15. §. 20.
Lib. de Baptismo, c. 7.

XI. De Sacrificio Missæ item, *Sed quia,* inquit, *veteres quoque illos video aliò hanc memoriam detorsisse quàm institutioni Domini conueniebat..... excusari non posse arbitror, quin aliquid in actionis modo peccauerint. Imitati sunt enim propiùs Iudaicum sacrificandi morem, quàm aut ordinauerat Christus, aut Euangelij ratio ferebat.* XII. De exorcismo & aliis sacri Baptismi cæremoniis ac ritibus: *Quasi res esset contemptibilis, ex Christi præcepto baptizari aquâ, inuenta est benedictio, vel potiùs incantatio, quæ veram aquæ consecrationem pollueret. Additus postea cereus cum chrismate: exsufflatio verò ianuam ad Baptismum aperire visa est. Etsi autem me non latet, quàm vetusta sit aduentitiæ huius farraginis origo, respuere tamen mihi & piis omnibus fas est, quidquid ad Christi institutionem addere ausi sunt homines.* XIII. De descensu animæ Christi ad Limbum Patrum: *Hæc fabula tametsi magnos auctores habeat, & hodie quoque à multis seriò pro veritate defenditur, nihil tamen quàm fabula est.. Nam concludere in carcere mortuorum animas, puerile est: Christi autem animam illuc descendere vt eas manu mitteret, quid opus fuit?* Numquid hîc reiicit manifestè omnes antiquos Patres, Ignatium, Iustinum, Irenæum, Origenem, Eusebium, Cyrillum, Athanasium, Basilium, Gregorium Nyssenum, Nazianzenum, Epiphanium, Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, & alios, qui disertè omnes affirmant, Christum ad inferos descendisse, vt inde animas iustorum veteris Testamenti liberaret, quorum testimonia producta sunt apud Bellarminum; qui & ipse eadem ferè, quæ hactenus è R. P. Martino Becano hausimus, suis in Controuersiarum libris annotauit.

Lib. 4. Instit. c. 18. §. 11.
Lib. 4. Instit. c. 15. §. 19.
Lib. 2. Instit. c. 16. §. 9.
Lib. 4. de Christo, c. 14.
Tom. 2. Operum, lib. 4. de Notis Eccles. c. 9.

Verùm quia Lutherani hîc querelas deponere possent, quasi ipsos Patribus multum deferre censeamus, nì & ipsorum hac in re apertam contra antiquitatem & Ecclesiæ Catholicæ Patres seditionem recenseamus, notandum est, Centuriatores illos Magdeburgenses, sincerissimos vtique & puros putos, vt audiri volunt, Lutheranos, in singulis suis Centuriis ad finem annotare, omnes ferè Doctores illius sæculi docuisse ea dogmata quæ nos hoc tempore tuemur (quæ ipsi næuos sanctorum Patrum vocant) ac proinde, vel illorum confessione, ab antiquitate se dissentire. Sed quia de omnibus dicere longum esset, pauca solùm aliqua annotabimus. In secundâ ergo Centuriâ, cap. 4. colum. 59. de libero arbitrio fatentur, id ab omnibus Patribus istius prisci sæculi concessum fuisse. *Eodem,* inquiunt, *modo Clemens liberum arbitrium vbique asserit, vt appareat, in eiusmodi tenebris non tantum fuisse omnes eius sæculi Doctores, verùm etiam in posterioribus eas subinde creuisse & auctas esse.* Notandum autem est, vt benè Cardinalis Bellarminus aduertit, Lutheranos articulum de libero arbitrio habere pro fundamento totius suæ doctrinæ. Nam Lutherus ipse dixit, hunc articulum esse optimum, & summam rerum suarum, adeò vt articuli de Papatu, de Conciliis, aliisque similibus rebus, nugæ dici possint. Itaque in præcipuâ controuersiâ, & in ipsâ summâ rei, omnes veteres (testibus Magdeburgensibus) nobis fauent. Porrò colum. 60. sic inquiunt: *Doctrina de iustificatione negligentiùs & obscuriùs ab his Doctoribus tradita est, videlicet non docent, nos solâ fide iustificari.* Centuriâ 3. cap. 4. colum. 83. aiunt: *Videas in Doctorum huius sæculi scriptis non obscura vestigia inuocationis Sanctorum.* Et colum. 85. *Martyrium immodicè extulerunt omnes huius ætatis Doctores.* nolunt enim Lutherani, Martyrium esse genus quoddam Baptismi, aut peccata vllo modo per Martyrium expiari. Centuriâ 4. colum. 295. ponunt testimonia veterum ferè omnium illius sæculi (vt Athanasij, Basilij, Nazianzeni, Epiphanij, Ephrem, Ambrosij, Prudentij) pro inuocatione Sanctorum, quam ipsi tamen idololatriam vocant. Centuriâ denique quintâ, col. 500. ita inquiunt: *Sicut prioribus aliquot sæculis doctrina de libero arbi-*

17. *Et Lutherani fatentur, Patres antiquos cum modernis Catholicis sentire, sibique omnibus impugnantes eos reiiciunt.*
Lib. 4. de Notis Eccle. siæ, c. 9.
In Assert. art. 36.

arbitrio deprauata est, ita hoc etiam, &c. Et infrà: *Etiamsi autem interdum benè & sanè videntur loqui, tamen tandem liberum arbitrium, in rebus etiam spiritualibus, in suâ conuersione statuunt.* Et col. 506. *Nimirum hac ætas bonis hominum operibus adscripsit id quod ex deprauato articulo iustificationis emanat*: & statim citant omnium veterum illius sæculi, etiam Augustini, multa testimonia, quòd opera sint meritoria, quod ipsi pro magno errore habent. Eleganter ergo aduersus Caluinianos & Lutheranos, vt & contra omnes qui vniuersos antiquos Patres errasse dicunt, hunc in modum loquitur Tertullianus: *Age, nunc omnes Ecclesiæ errauerint, nullam respexerit Spiritus sanctus, vti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de Patre, vt esset Doctor veritatis. Neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere quàm ipse per Apostolos prædicabat. Ecquid verisimile est, vt tot ac tanta in vnam fidem errauerint? Audeat ergo aliquis dicere, errasse eos, qui tradiderunt? Quomodo sit erratum, tamdiu vtique errauit error, quàmdiu hæreses non erant. Aliquos Marcionistas & Valentinianos* (dicamus nos, aliquos Lutheranos & Caluinianos) *liberanda veritas expectabat: intereà perperàm euangelizabatur, tot millia millium perperàm tincta*, &c. Sic ille.

Lib. de Præscript.

18\. Tertium caput, è quo conuincere volebamus, hæreticos modernos non esse Apostolicos, etiamsi ad rauim vsque tales se frustrà & temerariè iactitent, erat, quòd illorum dogmata, quæ hodie seducto popello pro Dei verbo obtrudunt, iam dudum velut hæretica, imò satanica, damnata fuerint, quod ex nullo negotio in singulis illorum nouitatibus ostendi posset, nisi ad primariam nostri instituti materiam properaremus, & iam labor ille aliorum diligentiâ à nostris humeris sublatus esset; ne tamen omnino nihil dicere potuisse videamur, en pauca hæc. Docuit Caluinus, & paucis abhinc annis Caluiniani in suâ Pseudo-Synodo Dordracenâ Hollandiæ instar articuli fidei sanxerunt, fidelium liberos esse sanctos, idque beneficio fœderis gratuiti cum parentibus; & alibi, *Hoc verbo*, ait Caluinus, *continetur eorum salus.* Et proptereà Pseudo-Synodistæ addiderunt, pios parentes *de electione & salute suorum liberorum, quos Deus in infantiâ ex hac vitâ euocat*, dubitare non debere. Sed numquid idem olim docuerunt Pelagiani, idque ante mille ducentos annos, qui & eodem tempore à Carthaginensi & Mileuitano Conciliis sunt damnati, ipsaque hæresis tum profligata, & sancti Augustini diuino calamo iugulata. *Quisquis dixerit*, inquit sanctus ille Doctor, *quòd in Christo viuificantur paruuli, qui sine Sacramenti eius*, Baptismi nimirum, *participatione de vitâ exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam: vbi proptereà cum baptizandis paruulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo viuificari non posse.*

Hæreticorum modernorum placita iam dudum ab Orthodoxis pro hæreticis habita & damnata.

De verâ Ecclesf. reformandæ ratione.

Lib. 4 Instit. c. 15. §. 20.

Cap. de Prædest. art. 17.

19\. Auditis, Caluiniani? Contra Apostolicam vos prædicationem venire, ait Augustinus. Docet prætereà Caluinus, Baptismi aquâ nos nullatenus ablui à peccatis. En ipsissima eius verba: *Quis ergo nos aquâ istâ mundari dicat, quæ certò testatur, Christi sanguinem, verum esse atque vnicum nostrum lauacrum?* At numquid hoc ipsum traditum fuit à Manichæis, & ab orthodoxis ad orcum relegatum? Testatur id sanctus Augustinus, quem, qui volet, legere quilibet potest. Pergo. Caluiniani docent, remissionem peccatorum non à Sacerdote, sed à Deo solo petendam esse & expectandam. Sed damnata hæc hæresis, fuit à mille trecentis annis Nouatianorum, teste Socrate. Docent insuper, in Eucharistiâ sacrâ non contineri Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi carnem, sed per eam tantùm significari. Eadem verò hæresis à quingentis quinquaginta annis damnata est in Berengario, imò ab ipsomet Berengario; ante annos verò septingentos in Ioanne quodam Scoto, cuius etiam liber in Vercellensi Concilio combustus fuit; & ante mille quingentos annos in Simonianis, de quibus ita S. Ignatius: *Eucharistias & oblationes non admittunt, eò quòd non confiteantur, Eucharistiam esse carnem Saluatoris Iesu Christi.* Docent & suadét, virgines Deo sacras nuptiis iungi posse & debere: at eadem hæresis in Iouiniano ante mille & ducentos annos oppressa fuit, teste S. Augustino variis in locis. Docent, nomen & institutum Monachorum ridendum esse & detestandum. Idem fecerunt egregij illorum maiores (gaudete de tali prosapiâ, Caluinisecla) Donatistæ, teste S. Augustino, qui sic de iis loquitur: *Dicere consueuerunt, Quid sibi vult nomen Monachorum?* Et: *Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem monasteriorum & Monachorum, arguens etiam me, quòd hoc genus vitæ à me fuerit institutum.* Legantur quæ contra Monachomastigas egregiè scripsit S. Ioánes Chrysostomus. Hæretici nostri hostes sunt acerbissimi delectus ciborum quorumdam & abstinentiæ: at talis fuit & Iouinianus, quem SS. Augustinus & Hieronymus compescuerunt. Quòd verò stata præceptaque certis quibusdam diebus ieiunia, maximeque solemnem illam Quadragesimam, exsibilent, & libera esse velint, adhæsit ipsis ab Eustathio dudum damnato hæretico, qui, teste Socrate, præscripta ieiunia auersanda esse docebat: & ab Aërio, qui, teste S. Augustino, sentiebat, nec statuta solemniter celebranda esse ieiunia, sed cùm quisque voluerit, ieiunandum, ne videatur esse sub lege. De hoc videatur quoque S. Epiphanius. Sanctos non esse inuocandos aut colendos, totis viribus inculcant Lutherani & Caluiniani, nec nobiscum illis quidquã esse commercij; & Martyrum Reliquias detestantur, honoremque iis exhibitum, idololatriam esse clamant. Habent hoc à scelestissimo Iuliano Apostatâ, hæreticisq; Eunomio & Vigilantio, qui ante mille ducentos annos, sic testante S. Hieronymo, putorem spurcissimum contra sanctorum Martyrum proferebant Reliquias, & Catholicos, qui eas suscipiebant, appellabant cinerarios & Idololatras, qui mortuorum ossa venerentur. Imagines etiam sacras tamquam idola confringunt: sed eius rei præclaros patronos habent hæreticos Iconomachos, in Concilio Nicæno II. à totâ Ecclesiâ, Græcâ & Latinâ, damnatos, Constãtinum Copronymum, Leonem Isauricum, & impium istum Mahometem. Episcopum denique à Presbytero potestate non distinguunt. Didicit hoc Caluinus ab Aërio, de quo sic D. Augustinus: *Dicebat, Presbyterum ab Episcopo nullâ differentiâ debere discerni.*

Lib. 4. Instit. c. 15. §. 2.

Hæresi 46.

Lib. 4. Hist. cap. 25.

Apud Theodoretum Dialogo 1.

Lib. 3. de Peccatorum meritis, c. 7. item Hæresi 82.

In Psal. 32.

Lib. 3. Aduers. Petilianum, c. 40.

Contra Monast. vitæ vitup.

Tom. 4. Operum.

Hæresi 53.

Hæresi 75. n. 3.

Cyrill. L. 10. in Iulian.

Contra Vigilant. & Epistolâ 53.

Lib. 4. Instit. c. 4. §. 2. & seqq. & c. 3. §. 8.

Hæresi 53.

Sed etiam Scripturis diuinis aduersari dogmata hæreticorum, nobis iam, quod quarto 20.

loco

(*Hæreticorum figmenta item apertissimis S. Scripturæ placitis aduersantur.*) loco facturos nos suprà polliciti fuimus, ostendendum est: & breuitatis ergò præcipua saltem delibabimus. I. Liberum hominis arbitrium his Scripturæ locis manifestissimè asseritur: *Sub te erit appetitus eius*, scil. mali, dicebat Deus ad fra- (*Genes.4.*) tricidam Cainum, *& tu dominaberis illius.* Alio lo- (*Deuter.30.*) co: *Testes inuoco hodie cælum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & semen* (*Iosue 24.*) *tuum.* Iterùm alio in loco: *Optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui seruire potissimùm debeatis, vtrùm diis, quibus seruierunt Patres vestri in Mesopotamiâ, an diis Amorrhæorum, in quorum terrâ habitatis.* Iterùm: *Deus ab initio constituit hominem, &* (*Eccli.15.*) *reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua: si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Et tamen Caluiniani homini eam libertatem, à Deo & Scri- (*Deus omnes se homines velle saluos fieri profitetur.*) pturà concessam, adimere ausi sunt. II. Scriptura docet, Deum non prædestinare hominem ad damnationem vt necessariò pereat, sed optare potiùs vt se conuertat, & vitæ æternæ particeps (*Ezechiel.33.*) euadat. *Tu ergo*, inquit Prophetæ Deus, *fili hominis, dic ad domum Israël: Sic locuti estis, dicentes: Iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus: quomodo ergo viuere poterimus? Dic ad eos: Viuo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impij, sed vt cõuertatur impius à viâ suâ, & viuat. Conuertimini, cõuertimini à viis vestris pessimis: & quare moriemini domus Israël?* (*Mich.7.*) Apud Michæam conqueritur Deus, quòd tam pauci ad salutem se disponant, & ait: *Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autũno racemos vindemiæ: non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desiderauit anima mea. Periit sanctus de terrâ, & rectus in hominibus non est: omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur.* (*Isaiæ 1.*) Apud Isaiam quoque sic dicit Dominus Deus: *Venite, & arguite me. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd si nolueritis*, (*Matth.23.*) &c. Clamat item Christus: *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gal-* (*1. Tim.2.*) *lina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Et D. Paulus: *Hoc bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

21. Et tamen Caluiniani asserere præsumunt, Deum quosdam homines absolutè & decretoriè ad damnationem creasse, quos nolit omnino saluari, aut ad Beatorum consortium peruenire. (*Baptismus ad salutem necessarius esse asseritur.*) III. Baptismum ad salutem esse necessarium, ipsa (*Ioan.3.*) Christi verba adstruunt. *Amen amen dico tibi*, inquit Saluator Nicodemo, *nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et cùm discipulis suis prædicãdi munus committeret, addidit: *Qui crediderit, & baptizatus fue-* (*Negat Caluinus.*) *rit, saluus erit.* Et hoc tamen impudenter adeò pernegauit impudentissimus iste Caluinus, vt (*Baptismus peccata emundat.*) paulò superiùs vidimus. IV. Peccata item per Baptismum emundari, testatur S. Petrus Archi apo- (*Act.2.*) stolus. *Baptizetur*, inquit, *vnusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestro-* (*1. Petr.3.*) *rum.* Et alibi, loquens de Noë qui in diluuio saluatus est, *Et vos*, inquit, *nunc similis formæ saluos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dexterâ Dei, deglutiens mortem vt vitæ æternæ heredes efficeremur.* D. Paulus etiam, *An* (*Rom.6.*) *ignoratis*, ait, *quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Et alio in loco: (*Ephes.5.*) *Christus dilexit Ecclesiã, & seipsum tradidit pro eâ, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ.* Et: (*Coloss.2.*) *Consepulti Christo in Baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis.* Et: (*Tit.3.*) *Secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Quæ tamen impedire nequiuerunt, quò minùs Caluiniani hunc Baptismo effectum detrahant. (*Fides sola ad salutem non sufficit.*) V. Fidem solam ad salutem nequaquam sufficere, sed præterea etiam requiri bona opera, ideoque illa esse vitæ æternæ & beatitudinis meritoria, testis est sanctus Iacobus Apostolus, qui sic ait: (*Iacob.2.*) *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides saluare eũ?* (*Rom.2.*) Cui benè consonat D. Paulus, qui sic loquitur: *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Et alibi, (*1. Corin.13.*) *Etsi*, inquit, *habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Quin ipsemet Saluator haud obscurè illud ipsum significauit, dum se in extre- (*Matth.25.*) mo iudicio reprobis dicturum ait: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Quam verò ob causam, bone Domine? subdet: *Esuriui enim*, in membris meis, *& non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi potum; hospes eram, & non collegistis me; nudus, & non cooperuistis me; infirmus, & in carcere, & non visitastis me.* Ad electos verò sic: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Sed quâ re tantam gloriam sunt promeriti? *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; nudus, & cooperuistis me; infirmus, & visitastis me; in carcere eram, & venistis ad me.*

Nulla hìc mentio fidei solius, sed operum bo- 22.
(*Opera bona insuper sunt necessaria.*) norum, quæ sola, in fide facta dum fuerint, nobis post hanc vitam supererunt, testante id B. Ioanne Apostolo in Apocalypsi: (*Apocal.14.*) *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.* Insuper D. Paulus Apostolus idem alibi repe- (*Rom.4.*) tit, sic inquiens: *Ei autem qui benè operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm meritum.* Et: (*1. Cor.3.*) *Vnusquisque autem propriam mercedẽ accipiet secundùm suum laborem; Dei enim adiutores sumus.* Et denique S. Ioannes Euangelista ex ore Christi: (*Ioan.4.*) *Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam.* Operari ergo bene sub spe remunerationis accipiendæ, quis licere negabit? Saluator ipsemet noster, agens de operariis, quos sub patrisfamilias similitudine, vt in vineam suam laboratum veniant, conducit, hoc est, vt ad æternã salutem consequendam bona operentur & exerceant, conductionẽ illam factam esse ait per conuentionẽ pro denario diurno: & si quis tũ priscorum nouæ Legis viros sanctissimos, cur virtutes & bona opera excoluerint rogauerit, æternæ

remunerationis id intuitu se fecisse vnanimiter
respondebunt. Roga Dauidem, quare bona tam
studiosè egerit; & respondebit: *Inclinaui cor*
Psalm. 118. *meum ad faciendas iustificationes in æternum, propter*
retributionem. Roga Moysem, quare tot & tanta
æquanimiter pertulerit aduersa; & pro eo sta-
Hebr. 11. tim respondebit D. Paulus Apostolus: *Fide*
Moyses, grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pha-
raonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm tem-
poralis peccati habere iucunditatem; maiores diuitias
æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi:
aspiciebat enim in remunerationem. Roga etiā ipsum
2. Tim. 4. Paulum, & promptissimè respondebit: *Ego iam*
delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certa-
men certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reli-
quo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mi-
hi Dominus in illa die iustus iudex. Non solum autem
Præcepta Dei à nobis seruari possunt. *mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.* VI. Sed
an præcepta diuina fortè adeò sunt grauia, vt ea
implere nequeamus? Audiamus quantopere id
Philippens. 4 neget & perneget Scriptura. *Omnia,* inquit Apo-
stolus, *possum in eo qui me confortat.* Sanctus Ioan-
1. Ioan. 5. nes Apostolus: *Hæc est enim charitas Dei, vt mandata*
eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt. Ip-
Matth. 11. sa quoque Veritas æterna, *Venite,* inquit, *ad me om-*
nes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.
Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia
mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem ani-
mabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus
meum leue. Et ne quid causére de Testamento ve-
Psal. 83. teri, præuenit Regius Psalmædus, & ait: *Etenim*
benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in vir-
Psal. 118. *tutem.* Et: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lu-*
men semitis meis. & paulò ante: *Viam mandatorum*
tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum. Præuenit
Ezech. 11. etiam Propheta, dum sic intonat: *Dabo eis cor*
vnum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eo-
rum: & auferam cor lapideum de carne eorum, & da-
bo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent, &
iudicia mea custodiant, faciantq́; ea: & sint mihi in po-
Fides, licet semel habita, amitti potest. *pulum, & ego sim eis in Deum.* VII. Sed & adeptam
semel fidem ac gratiam iterùm deperire posse &
amitti, Scriptura contra modernos hæreticos
Hebr. 3. asserit. Patet id ex S. Paulo. *Videte fratres,* inquit,
ne fortè sit in aliquo vestrùm cor malum incredulita-
1. Tim. 1. *tis, discedendi à Deo viuo.* Et: *Hoc præceptum commen-*
do tibi fili Timothee, secundùm præcedentes in te pro-
phetias, vt milites in illis bonam militiam, habens fidem
& bonam conscientiam, quam quidam repellentes, cir-
ca fidem naufragauerunt. Patet etiam ex S. Petro.
2. Pet. 3. *Vos igitur,* ait, *fratres, præscientes custodite, ne insipien-*
Cap. 2. *tium errore traducti, excidatis à propriâ firmitate.* Et
capite præcedēti loquens de iis qui à fide & gra-
tia Dei deficiunt, sic inquit: *Facta sunt eis posteriora*
deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere
viam iustitiæ, quàm post agnitionem, retrorsum conuer-
ti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit
enim eis illud veri prouerbij: Canis reuersus ad suum
vomitum: &, Sus lota in volutabro luti.

23. Hæc abundè sufficere puto ad demonstran-
dum, nostros hæreticos, Caluinianos & Luthe-
ranos, aut quocumque tandem se nomine pallia-
uerint, non esse Apostolicos, sed verè Apostati-
cos: quoad enim reliqua fidei nostræ capita, vt-
pote de Eucharistiæ, Pœnitentiæ & Confirma-
tionis Sacramentis, iam è superiori Capite pa-
tuit, de reliquis verò, Sanctorum nimirum inuo-
catione, Reliquiarum cultu, obseruantiâ votoque
castitatis, paupertatis & obedientiæ, & aliis, quid
sacræ Litteræ statuant, variis occasionibus infrà
Libro II. patebit. Vsurpent igitur hæretici no-
men Apostolicorum quantum velint, rem cer-
tè non habent. *Veniunt* nimirum ad nos, vt Salua-
tor de illis præmonuit, *in vestimentis ouium, in-* Matth. 7.
trinsecus autem sunt lupi rapaces. Haud igitur mi-
rum, si & simulatorum præmia referāt, quos quā-
topere Deus oderit, probare opus non est; ipsa
Iudæorum Synagoga sat docuit, quibus punitio-
nibus fallaces eiusmodi homines reseruentur, &
quibus modis hinc abripiantur. Exempla non
sunt longè petenda; vnus Machabæorum liber
suppeditabit *a* Heliodorum, *b* Iasonem, *c* Me- *a* 2. Mach. 3.
nelaum, qui sanè atrocissimis à Deo pœnis pro- *b* 2. Machab. 5.
pterea afflicti fuerunt, quòd pietatem simulan-
tes, impietatem perpetrauerint. Ipsa Scripturæ *c* 2. Machab. 13.
verba suis locis iam designata legi poterunt, quæ
hîc, quia prolixiora sunt, studio omittimus.
Quàm ergo periculosa est veritatis affectatio? *Simulatio pietatis periculi plena res est, exēplo hæreticorum.*
quàm periculosa, inquam, Nouatorum hypocri-
sis? quæ omnem simul ipsorum detegit falla-
ciam, & omnem iniquitatem illorum toti mun-
do propalat. Nobis præcipuè de tot sectarum
abusu agendum fuit, vt in vnâ Purgatorij defen-
sione, aliorum mendaciorum falsitates confuta-
rentur, astus & doli detegerentur, atque insidiæ
superarentur. Quemadmodum enim ex solâ
Purgatorij impugnatione, vt & aliàs diximus, tan-
tarum cœpit nouitatum furia, tanta fidei strages,
tanta Christianorum perditio: ita ex eius asser-
tione remedium tot erroribus, lux tantis tene-
bris, reparatio tantis & tam grauibus animarum
ruinis haberi potest. Habet benignus Lector
causam ob quam longiusculè de tot fidei articu-
lis, quod non nemini præter locum factum vide-
ri poterat, egerimus: ad reliquas ex Euangeliis
desumptas Purgatorij probationes tandem de-
ueniendum est.

CAPVT XIV.

Credendum præterea esse Purgatorium, ipsum Euangelium variis argumentis docuit; quantum sit Ecclesiam nostram esse Catholicam.

LIbri sacri quos superius capite decimo I.
retulimus à S. Spiritu concepti, eoque
suggerente & dictante, selectorum ali-
quot hominum manu exarati atque de-
scripti sunt. Hos *Canonicos* appellamus, siue quòd *Libri sacri vnde vocētur Canonici.*
ita sit instituendus Christianus, ne illorum cano-
ni, id est regulæ ac præceptis, aduersetur; si-
ue quòd eo canone seu regulâ ac catalogo sint
recepti, quo illos annumerauit ac conclusit Ec-
clesia, cuius est iudicare, quid sacrum, quid pro-
fanum. Scripturas illas, nemo ex Catholicis
negat auctore sancto Spiritu omnes traditas
esse, vt repugnare illis nullus possit, quin sta-
tim Deum hostem habeat: sanctiones quippe
sunt à Deo latæ; & quem auctorem, vindicem *Hæreticorum circa libros sacros fraus & malitia.*
habent. Haud tamen secùs, quàm lectissimi flo-
res vespis aut serpentibus venenatorum sunt
mate-

materia, nonnullis quandoque sectariis Libri sacri, quos vel perperam intellexêre, vel omninò reiecêre, mortis occasionem accerserunt. Omitto quæ inde olim hæretici ad Ecclesiæ haud exiguam ruinam sint passi: nostrâ certè ætate, quid hîc illi adinuenerint quò se aliosque mactarent, nulli non obuium. Plures è Scripturarum Canone libros auferunt, siue quòd illis officiant, siue eâ nouitate ingenij famam quæsituri; fortè etiam vt nos saltem oppugnent. Quidquid sit, quamuis adeò essent effrontes, vt omnes tum Veteris tum Nouæ legis libros, quos hactenus in rem nostram produximus, explodere & exsibilare auderent, sacrum tamen Iesu Christi Euangelium, si Christiani dici velint, si Euangelici nominari, negare aut reiicere non poterunt. Illorum ergo subsidio, cum hæreticis Anti-Purgatoriis decertaturi, in arenam descendimus, eosque tot, vt statim

2. apparebit, ictibus transfodimus.

Euangelia dupliciter Purgatoriũ probant, Vel obiter quæ contigerint narrando,

Duplicia verò ex Euangelistarum scriptis proferuntur testimonia: quædam enim ex illis desumuntur, quæ solùm circa Christi tempora accidisse, & veluti laudabilia, παρέργως & incidenter ab Euangelistis describuntur; alia verò ex illis quæ ipsiusmet Saluatoris ore prolata fuisse asseruntur. Vtriusque auctoritate rem nostram stabilitam atque probatam cupimus, adeoque à priori ordiemur.

Luc. 23.

S. Lucas refert, bonum Latronem Christo dixisse, *Memento mei, dum veneris in regnum tuum,* quod haud dubie numquam vir ille, sanctum adeò à Spiritu sancto propositum edoctus, dicturus fuisset, nisi post hanc vitam peccata remitti posse, animasque auxilio indigere, iuuarique posse, indubitanter credidisset. Certè S. Augustinus lib. 6. in Iulianum c. 5. hinc probat, aliqua peccata post mortem remitti, vt non immeritò hic locus à Bellarmino, Becano, & aliis pro Purgatorio asserendo sit assumptus.

Matth. 3.

Sed à Latronis ad Præcursoris Christi suffragium deflectere lubet. Apud S. Matthæum inter varia quæ idem Baptista Præcursor Iudæis proposuit, quò eorum animos ad Messiam recipiendum disponeret, hoc ait: *Ego quidem baptizo vos in aquâ in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius nõ sum dignus calceamẽta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni. Cuius ventilabrum in manu suâ, & permũdabit aream suam: & congregabit triticum,* &c. Super quæ Ven. Beda,

Beda in ca. 3. Lucæ.

Sunt, inquit, *qui ita exponunt, quod in præsenti in spiritu, & in futuro baptizemur in igne: vt videlicet sicut nunc in remissionem omnium peccatorum, ex aquâ & spiritu renascimur, ita & tunc de leuibus quibusdam peccatis, quæ hinc euntibus nobis adhæserint, Purgatorij ignis ante vltimum iudicium baptismate permundemur, dicente Apostolo, Si quis superædificauerit super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam: vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.* Origenes obseruauit, Iordanem fluuium, in quo baptizabat sanctus Ioannes Baptista, significare Purgatorium, ait enim: *Quomodo Ioannes iuxta Iordanem fluuium venientes ad baptismum præstolabatur, & alios abigebat, dicens, Generatio viperarum; eos vero qui confitebantur peccata suscipiebat: sic stabit in igneo flumine Dominus Iesus iuxta flammeam rhomphæam, vt quicumque post exitum vitæ huius ad paradisum transire desiderat, & purgatorio indiget, hoc eum amne baptizet, vt ad paradisum trãsmittat.* Hæc ille, non absque fundamento, cùm Iordanus fluuium iudicij significet.

Homil. 24.

Neque extra metas nostras euagabimur, si ex Euangelio, quod antè ex Lege naturæ & Moysaicâ fecimus, pro Purgatorij commendatione adferamus fidelium in sepeliendis fidelibus curam & vehementem sollicitudinem: illud namque documento erit, eamdem Christi discipulos cum Patriarchis & Prophetis circa mortuos fidem habuisse; eodemque affectu & effectu defunctis solatium & requiem procurasse. Sanè Marci cap. vltimo non suffecit Mariæ Magdalenæ, Mariæ Iacobi ac Salome, semel Christi Domini corpus vnxisse, ac solemniter sepeliisse, sed proximis insuper à morte eius diebus *emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valdè manè vnâ sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam sole. Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valdè. Et introeuntes in monumentum,* &c. Vt hinc manifestè pateat, haud modò sanctas illas mulieres in defunctorum curatione vestigiis inhæsisse priscorum, sed & diuinam Maiestatem eisdem ostendisse, quam sibi gratum esset huiusmodi obsequium, vtpote quòd hisce feminis primùm annuntiari voluerit sanctissimæ resurrectionis suæ gaudium; & quod est amplius, quòd easdem huius mysterij apud Apostolos esse voluerit testes. 3.

S. Augustinus, *Sit,* inquit, *pro viribus cura, sepeliendi, & sepulchra constituendi; quia & hæc in scriptis sanctis inter bona opera deputata sunt. Nec solùm in corporibus Patriarcharum aliorumq́; Sanctorũ, & humanis cadaueribus quorumcumq; iacentium, verùm etiam in ipsius Domini corpore prædicati atque collaudati sunt qui ista fecerunt.* Quin & ipse Saluator noster Sepulturæ officium mirabiliter extulit, & magnâ remuneratione dignum iudicauit, cùm nimirum Magdalena in domo Simonis leprosi effudisset alabastrum vnguenti pretiosi super caput ipsius recumbentis, atque idcircò discipulorum aliqui indignati murmurarent, dicentes quòd potuisset vnguentum istud *venumdari multo, & dari pauperibus:* Christus non solùm Magdalenam defendit, sed hocce modo laudabilem esse causatus est: *Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Imò & ipsimet Pharisæi ac Principes Iudæorum, naturali lumine ad hoc instructi, sciebant, quàm humanum ac rationabile foret mortuis curandis intendere: nam Matthæi cap. 27. ex triginta argenteis, à Christi proditore in templum proiectis, consilio inito emerunt agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Quæ omnia non eò dicuntur, quasi ex singulis hisce Scripturæ locis indubitatè velimus asseri Purgatorium, sed vt omnibus vel ad oculum pateat, Euangelistas Patriarchis & Prophetis in funerum officio describendo curandoque consentire, quod ipsum toties iam suprà probatum est institutum fuisse, vt mortuorum spiritus, non artus tantummodò exanimis cadaueris, quibus nullus plane sensus inest, solatium ac refrigerium acciperent. 4.

Serm. 32. de Verbis Apostoli, cap. 1.

Matth. 26.

Sed fortè dum, obscuritatem euitaturi, dilucidiùs rem proponere satagimus, prolixitatis nimię 5.

Vel ipsa Christi Saluatoris verba recitādo. notam incurrimus; idcircò alterum membrum, quo iam Euangelistæ non sua sed Saluatoris ipsiusmet verba in medium adferunt, aggredimur. Ex pluribus verò quinque testimonia sufficient. Primum habetur apud Matthæū & Lucam. *Math. 5. Luc. 12.* *Esto consentiens aduersario tuo citò dum es cum eo in viâ, ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerē mittaris. Amen dico tibi, nō exies inde, donec reddas nouissimum quadrantē.* Via, est vita præsens; lex, aduersarius; iudex, Christus; ministri, Angeli; carcer, Purgatorium; quadrans, exiguum veniale peccatum. vt sit sensus: Dum viuis, fac legem Dei sequaris aut potiùs exequaris, alioquin Christo iudicandus tradêris, & Angeli te mittent in Purgatorium, ex quo non sis exiturus, donec pro minimo etiam veniali delicto satisfeceris. Quæ expositio ne noua dicatur, videri possunt antiquissimi Ecclesiæ tam Græcæ quàm Latinæ Scriptores, sanctus Hieronymus, S. Ambrosius, Eusebius Emissenus, Origenes, Cyprianus, Tertullianus, qui omnes vixere illo purissimo æuo, quo docuit suprà Caluinus non solùm nihil in doctrinâ Christianâ fuisse mutatum, sed in Dei scientiâ ampliores factos fuisse progressus.

Hier. in c. 5. Math. Ambr in ca. 12 Lucæ. Euseb. Emis. Hom. 3. de Epiphaniâ. Orig Hom. 35. in Lucā. Cypr lib. 4. Epist. 2. Tertul. li. de Animâ, c. 17.

6\. Secundus locus eodem Matthæi cap. 5. reperitur. *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit; fatue: reus erit gehennæ ignis.* Vbi sanctus Augustinus exponit omnia tria de pœnis animarum post hanc vitam. *August. l. 1. de Serm. Domini in monte.* Nota insuper, certum etiam esse, hìc distingui tria genera peccatorum, & pœnarum, vt ibidem sanctus Augustinus exponit, & damnationem æternam solùm tribui tertio generi peccatorum, id est criminibus; aliis autem, vtpote leuioribus peccatis, pœnas leuiores, ac proinde temporales. Ex quibus infertur, animas aliquas post hanc vitam puniri temporalibus pœnis. Hactenus Bellarminus lib. 1. de Purgatorio, cap. 8.

Locus tertius pro stabiliendo ex Christi verbis Purgatorio adduci potest ex eodem S. Matthæo cap. 12. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Quis autem credat, virum alioquin sanctissimum, ob aliquod verbum otiosum solummodò prolatum, in omnem æternitatem fore damnandum? Credant hoc Caluinistæ, ego non facilè credo. Et quamuis ipsi hoc credant, num propterea quisquam tam erit motæ mentis, aut eò prouenerit vesaniæ, vt cum insanis insanire malè sanus velit? Nobis sanè sanis nihil cum insanis istis commercij.

7\. Quartus ergo locus ex eodem Matthæi capite petendus, vbi Christus Dominus sic inquit: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritū sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Vnde colligunt SS. Patres, in futuro sæculo per orationes & suffragia quædam peccata remitti. Ita sanctus Augustinus, S. Gregorius, Ven. Beda, sanctus Bernardus, qui hoc solo testimonio sufficienter hæresim, quæ Purgatorium negaret, refutari arbitratus est. Idem docuit Petrus Cluniacensis, Rabanus & omnes Glossæ, vt Ordinaria, Interlinearis, &c.

August. l. 21. de Ciui. Dei, c. 24. & l. 6. in Iulian. c. 6 Greg. lib. 4. Dialog. c. 39. Beda in c. 3. Math. Bern. Homil. 8. in Cantica. Petr. Cluniac. in Epist. cōtra Petrobrus. Raban. l. 2. de Instit. Cleric. c. 4.

Quinto denique loco ponamus illud quod habet Saluator apud Lucam. *Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis: vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* *Luc. 16.* Per *deficere* intelligunt Expositores, mori: per amicos, accipiunt Sanctos qui cum Christo regnant. *Ex quibus*, inquit Bellarminus, *sequitur, homines post mortem iuuari precibus Sanctorum.* Vnde sanctus Augustinus ex hoc loco Purgatorium demonstrat. *Lib. 21. de Ciuit. Dei, cap. 27.* Ait enim, esse quosdam tam sanctos, qui post obitum suum rectà ad cælum euolent, & qui non modò saluētur ipsi, sed & alios iuuare possint. Rursùm quosdam alios tam esse malos, vt nec seipsos iuuare, nec ab aliis iuuari possint, sed sine remedio ad æternas pœnas descendant. Esse denique quosdam medios, qui ita moriuntur, vt nec æternâ morte sint digni, nec eis tamen propria merita ad salutem sufficiant, statim nimirum recipiendam. Et isti sunt, inquit, qui recipiuntur in æterna tabernacula precibus amicorum. Videri etiam poterunt de loco hoc Bellarminus & alij. Nobis hìc sufficit illa Scripturæ sacræ loca produxisse quæ primùm occurrerunt, & quæ passim à Catholicis notari solent. Quæ quidē haud omnia eo animo citauimus, vt ex illorum singulis irrefragabilem Purgatorij probationem elici credamus: sed quod multa sint eiusmodi, quæ vel moralem eiusdem adducant certitudinem, vel de Purgatorio loqui omnino negari non possint. Miranda proinde modernorum hæreticorum, Caluini maximè, stupenda proteruia, qui rotundè negare ausi sunt, vel vnum in diuinis Scripturis locum reperiri qui pro Purgatorio faciat, cùm ex mente solius Augustini supra viginti textus allati sint, & aliorum Doctorum vltra quinquaginta, quibus idipsum confirmetur. Si tanti apud illos sunt primitiuæ Ecclesiæ Patres, quare illos adeò reiiciunt. Vel si Nouatores, vix orbi cogniti, sibi in explicationibus suis fidem adhiberi volunt, cur eamdem vetustissimis Scriptoribus denegare præsumunt, qui primis illis quinque sæculis vixerunt, è quibus, si credi sibi volebant, hauriendus ipsis erat sensus & consensus Apostolorum, eorumque ritè successorum?

Hæreticorum proteruum mendacium, vel vnum in Scripturâ locum pro Purgatorio reperiri negantium.

8\. En probatum hactenus, de spirituum purgatione doctrinam esse Catholicam; Catholicam inquam atque vniuersalem Christo, Euangelistis, Apostolis, Prophetis, Moysaicæ Legis cultoribus, Patriarchis atque in naturæ Lege degentibus, omnium sæculorum Christianis, nationum quarumcumque gentibus, solis nostri temporis Sectariis exceptis: qui quoniam hanc legem seruant vt nullam legem obseruent, satis ostendunt quantum aberrent à vero, & à communi non solùm fidei sed rationis quoque & naturæ semitâ deflectant. Verè in illos quadrat illud Prophetæ: *Alienati sunt peccatores à vuluâ, errauerunt ab vtero: locuti sunt falsa.* *Psal. 57.* Alienauerunt enim hi sese à vuluâ naturæ rationalis, errauerunt ab vtero Scripturarum, locuti sunt falsa contra Ecclesiam. Quid hìc multis opus, vbi nulla probationi deest ætas, lex, natio? Suffecerat sanè vniuersalem Catholicamque mentem haberi, vt indubitatum crederetur Purgatorium; suffecerat inquam, sed iis qui certam fidei notam fidelium vnitatem agnoscunt, qui non ipsimet religionis sibi formam cudunt, sed à communi & generali credētium normâ se duci sinunt & cupiunt. Quæ quàm semper fuerit constans & apud antiquos omnes recepta sententia, omnis scit qui vel aliquid saltem scit:

Ecclesiæ Catholicæ assertio cuilibet instar solidissimi fundamenti esse debet.

vt

In notis ad Alexipharmacum.

vt propterea Iansenij iterùm verbis hanc materiam contrahere, & exclamare liceat: Hæc Ecclesia tamquam columna veritatis per clementissimum Imperatorem nostrum immobilis auctoritatis arce munita est, & apparatu inuictissimæ rationis armata, vt nec paruulorum nostrorum fides hæreticorum (quæ nulla est) auctoritatis egeat, nec maiorum eruditio argutulâ loquacitate terreatur. Quidquid enim velut nouum reformatumque cudunt & recudunt, iam per illam à mille ducentis, trecentis, quadringentis & amplius annis Antistitum eius auctoritate sæpiùs examinatum, sæpè damnatum, calcatum atque protritum est. Testes sunt ipsa Concilia antiquissima, non nisi à Sacerdotibus, Episcopis ac Pontificibus celebrata, quorum apud eos vestigium nullū est. Testis ipsa doctrina Conciliorum, ex quibus suos articulos, quibus à nobis dissident, conuellimus ac destruimus. Si enim quidpiam apud eos boni in Ecclesiasticâ doctrina superest, hoc nostrum, non eorum est. Pampinos illos ex nostrâ vineâ, velut præcisa sarmenta, tenuerunt. Quidquid reliquum in suâ doctrinâ propinant populo, non incertæ disputationis aleâ denuò ventilandum, sed certæ damnationis sētētia denuò profligandum est; non examine Præsulum explorandum, sed æterno anathemate sepeliendum. Ex diuersissimorum enim errorum sectarumque colluuie, quæ antiquitus viguerūt, & cum suis auctoribus, antequam nascerentur, proscriptæ atque damnatæ sunt, vnum corpus effectum est: cui si verborum phaleras, Scripturasq; adulteratas detrahas, nil supererit aliud, quàm quod in Ecclesiæ nostræ Sanctis, Gregorio, Ambrosio, Augustino, Irenæo, ceterisque antiquissimis Patribus cum vituperio commemoratur, cum horrore refellitur, cum execratione damnatur.

9. Verba quoque D. Bernardi hic vsu veniunt, qui hac apostrophe Abaillardum hæreticum alloquitur: *Numquid meritò omnium prouocat manus, cuius manus contra omnes? ..... Quid ergo tu, quid melius adfers? quid subtilius inuenis? quid secretius tibi reuelatum iactas, quod præterierit sanctos, quod effugerit sapientes?* Et paulò pòst: *Magister omnium suam doctrinam fatetur non esse suam. Non enim, ait, à me ipso loquor. Tu de tuo nobis tradis, & quod à nemine accepisti. Qui loquitur mendacium de suo loquitur. Tibi proinde sint quæ tua sunt: ego Prophetas & Apostolos audio, obedio Euangelio, sed non Euangelio secundum Petrum.* (Abaillardum intelligit.) *Tu nobis nouum condis Euangelium. Quintum Ecclesia Euangelistā non recipit.* Quæ D. Bernardi verba in omnem temporis nostri hæreticum contorquere, imò non contorquere, sed conuertere possumus, quemadmodum & illa quæ idem mellifluus Scriptor alibi edixit: *Ego vero quod ab illâ* (Ecclesiâ) *accepi, securus & teneo & trado.* Et posteà: *Alioquin nullâ ei ratione placebit contra Ecclesiæ ritum præsumpta nouitas; mater temeritatis, soror superstitionis, filia leuitatis. Non ita agitur cum Ecclesiâ: fundatur illa in maioribus suis continuâ vsque ad ipsos Apostolos successione; atque idcircò, quia domus hæc Dei fundata est supra firmam petram, non sentit ruinam, tametsi in eam venti conspirent, fluuij ascendant, irruant imbres.* Audiamus quàm confidenter S. Augustinus insultet hæreticis, quia in Orthodoxorum Patrum firmitate se stare securum videbat. Verba illius hæc sunt: *Quod credunt, credo; quod tenent, teneo; quod docent, doceo; quod prædicant, prædico. Istis cede, & mihi cedes: acquiesce istis, & quiescis à me. Postremò, si mihi per eos amicus fieri non vis, saltem peto, ne per me illorum efficiaris inimicus. Sed quomodo non efficieris, si in isto errore permanseris? Quantò ergo meliùs, vt his accedas, ab illo recedas?* Posteà iterùm: *Certè ipse dixisti, quòd omnes Iudices ab odio, amicitiâ, inimicitiâ, irâ vacuos esse deceat. Pauci tales potuerunt inueniri. Sed Ambrosium, aliosq; collegas eius, quos cum illo commemoraui, tâles fuisse credendum est. Verùm etsi tales non fuerunt in his causis, quas ad se delatas, & inter partes cognitas, cùm hic viuerent, suo iudicio definierunt; ad hanc tamen causam tales erant, quando de illâ sententias protulerunt: nullas nobiscum vel vobiscum amicitias vel attenderunt, vel inimicitias exercuerunt: neque nobis neque vobis irati sunt, neque vos miserati sunt. Quod inuenerunt in Ecclesiâ, tenuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderūt. Nondum vobiscū apud istos Iudices agebamus, & apud eos est acta causa nostra. Nec vos nec nos eis noti fueramus, & eorū pro nobis latas contra vos sentētias recitamus. Nondum vobiscum certabamus, & eis pronuntiantibus vicimus. Dicis, me, si sub potestate Iudicū premerer quales tibi ipsi cōponis, non habiturum fuisse quid facerem, quò confugerem, cùm tuis argumentationibus vnde occurrerem, reperire non possem. Ego planè haberem quod facerem: haberem quò confugerem. A Pelagianis* (dicam ego, à Lutheranis, Caluinianis) *tenebris ad hæc tam clara Catholica lumina prouocarem, quod & iam nunc facio. Tu ergo responde quid facias, & quò confugias. Ego à Pelagianis ad istos, tu ab istis ad quos?* Hæretice. Quantò essent isti tibi Iudices optabiliores, si teneres Catholicam fidē, tantò tibi sunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam fidem, quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cuius lac & cibum paruis magnisque ministrauerunt.

Epist. 190. ad Innocentium Papam.

Quia hæretici Ecclesiam contemnunt, meritò ab omnibus odio habentur.

Epist. ad Canonicos Lugdunenses.

Lib. 1. contra Iulianū, c. 8.

Lib. 2. cont. Iul. prop. finem.

10. Verùm enimuerò, quantumuis debacchetis, quicumq; estis Ecclesiam Catholico-Romanam impugnantes hæretici, quantumuis insultetis, nullū omnino Religioni Catholicæ à vobis metuimus periculum, quasi vestris insultibus, vestris armis (hic licet, aut ibi, in singularibus nonnullis regionibus aut ciuitatibus) ea in finem vsque mundi obscuranda, proterenda, aut eliminanda sit: firmiorem, quàm vos putatis, à Christo habemus promissionem cui innitimur, cui cōfidimus, & ab ipsâ illa nostra Ecclesia bonitate sapientiâque æternâ constituta est, vt nullâ vestrâ nouitate obrui, nedum extingui possit. Ait Veritas D. Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebūt aduersus eam.* Regnum ergo Ecclesiæ, est illud, *quod in æternum non dissipabitur.* Secùs fit cum hæreticis, qui, iuxta S. Paulum, *vltrà non proficient.* B. quoq; Cyprianus ait, schismaticos semper inter initia feruere, incrementa verò habere non posse, sed statim cum prauâ suâ æmulatione deficere. Huc & referendum est illud S. Augustini, qui in hæc Dauidica verba, *Ad nihilum deuenient tamquam aqua decurrens*, sic commentatus est: *Non vos terreant, fratres, quidam fluuij, qui dicuntur torrentes. Decurrens aqua ad tempus perstrepit, mox cessabit. Diu stare non possunt. Multæ hæreses iam emortuæ sunt, cucurrerunt in riuis suis quantum potuerunt: decurrerunt, siccati sunt riui, vix eorum memoria reperitur vel quia fuerint.* Quoad singulas à Christi vsque tempore hæreses id facillimo negotio demonstrare possemus,

Periculum nullū ab hæreticis vniuersali Ecclesiæ Catholicæ timendum.

Matth. 16.

Dan. 2.

2. Tim. 3.

Li. 4. Epist. 2.

Psalm. 57.

Hæreses & hæretici paulatim in seipsis contabescunt. Lutherus, ... hæresis ... diu ... regnauit.

ſemus, ſed noſtra potiùs tempora inſpiciamus, & quod circa Lutheranos & Caluinianos actum ſit, & porrò in poſterum vel ipſorum augurio agendum ſit expendamus. Lutherani certè vix nati areſcere cœperunt. Cœpit regnum Lutheri anno poſt Chriſtum natum 1517. ſed vix ſeptem annis feliciter & pacificè regnauit: ſurrexit enim anno 1525. Zvvinglius, biennio pòſt Anabaptiſtæ, qui maiorē Lutheranorum partem ad ſe pertraxerunt: qui verò ſuperfuerunt Lutherani, ita ipſam Patriarchæ ſui Lutheri doctrinam immutarunt, vt vix vlli iam inueniantur puri Lutherani, vt grauiter conqueritur Illyricus, ideoq; Centuriatores, videntes regni ſui ruinam ita vaticinantur de ſuo Lutheraniſmo: *Maxima in doctrinâ variationes & inclinationes impendere videntur, & ſic merentur hominum peccata, quæ fiunt indies atrociora. Ac tempora quidem Germanici Prophetæ, Martini Lutheri, cuius voce & miniſterio lux Euangelij quaſi è tenebris Aegyptiacis reuocata eſt, propemodum Apoſtolorum ætati reſpondent: nunc verò ipſo ſublato, quaſi alteram Euangelij ætatem ingreſſi ſumus, vbi plures phanatiſmi incipiunt pullulare, & paulatim regnare.* Et in Præfatione Centuriæ quintæ, poſtquam oſtendiſſent, præcipuos articulos, de libero arbitrio, de fide iuſtificante, de bonis operibus, non defendi ampliùs à Lutheranis plurimis Luthericè, ſed Papiſticè, hæc ſubiungunt: *Periit iam, idq; repentè, veritas pateſacta: Philoſophia, Papiſmus, & aliæ ſectæ longè lateq; in templo Dei primam cathedram occupant.*

In Præfationibus ſingularum Centuriarum.

11. Et certè, ad quantam paucitatem hodie ſunt redacti? vix iam in Saxoniâ & Daniâ ſuperſunt, & paulatim à fratribus ſuis Caluinianis expelluntur. De Caluino vt & aliquid addā, ſurrexit ille anno Chriſti 1538. breuique adeò inualuit, vt Heluetiam, Galliam, Germaniam, Belgium, Angliam, Poloniam & Tranſſiluaniam occupauerit eius hæreſis. Sed adeò ſagax erat Caluinus, vt facilè videret regnum ſuum & doctrinæ ſuæ nō admodum fore diuturnum, ideoque ſic vaticinatus eſt de ſuorum progreſſu: *De poſteritate ego ſic ſum anxius, vt tamen vix cogitare audeam: niſi enim mirabiliter Deus è cælo ſuccurrerit, videre mihi videor extremam barbariem impendere orbi. Atque vtinam non paulò pòſt ſentiant filij noſtri, fuiſſe hoc verum potiùs vaticinium quàm coniecturam!* Benè, non coniecisti, ſed vaticinatus es, Caluine: nam ſicut tui ex Heluetiâ pænè expulerunt Zvvinglianos, ita tuos viciſſim è Galliâ Libertini, ex Angliâ Puritani, ex Poloniâ Anti-Trinitarij, ex Tranſſiluaniâ Samoſateni, ex Hollandiâ Arminiani pellere cœperunt, qui & ipſi tandem ſuarum hæreſum pertæſi, tandem ad vnicum Chriſti ouile, Eccleſiam Catholicam Romanam, certò ſunt reuerſuri, cuius rei fauſtiſſima auſpicia iam videmus in Galliâ & Poloniâ, &, Deo propitio, in Belgio, Germaniâ & Angliâ videbimus. Fiat, ô fiat! Sed pergamus in Magiſtro noſtro D. Ianſenio, qui ſequentia annectit.

Lutherani à Caluinianis ... lentur.

In Præfat. Catechiſmi Geneuenſis, ad Miniſtros in Friſiâ Orientali miſ. *Caluinus de ſua ſecta interitu vaticinatur.*

12. *In huiuſmodi igitur Eccleſiæ, quæ vel ſolius eos magnitudine auctoritatis conterit, nouitateſq; eorum ſolâ antiquitate confundit; quæ illorum dogmata multis antequam ipſi ebullirent ſeculis, integris ſuorum Sanctorum voluminibus confutauit, Synodiſq; proſcripſit: in huius, inquam, Eccleſiæ magiſterio fideles eius ſecuriſſimè conquieſcunt. Vt mirum non ſit, ſi cum ſancto Paciano aduerſus omnes nouatores ante mille ducentos annos ſe inſtruente dicant:* Ego hucuſque ſecurus, ipsâ Eccleſiæ ſerie, congregationis antiquæ pace contentus, nulla diſcordiæ ſtudia didici, nulla certaminum argumenta quæſiui. Tu poſtquam à reliquo corpore ſegregatus es, & à matre diuiſus, vt rationem tui facti redderes, totos librorum receſſus aſſiduus ſcrutator inquiris, occulta quæque ſollicitas, quidquid exinde ſecurum inquietas. *Nec vero Catholicis noui Magiſtri in quacumque Synagogâ extra illam Eccleſiam ſe colligente quærendi ſunt. Tenet enim eos iuſtiſſimè id quod Auguſtinum in eâ conſtanter tenuit.* Tenet, *inquam*, conſenſus populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipsâ ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum: tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen. *Tenet eos id, quod antiquiſſimum Irenæum tenuit.* Maximæ, *inquit ille*, & antiquiſſimæ & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habent ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper ab his qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea quæ ab Apoſtolis eſt traditio.

Eccleſiæ iudicio veri & genuini Eccleſiæ filij acquieſcunt, ſecus ſpurij & abdicati.

Epiſt. 3. cōtra Nouat.

Auguſt. lib. contra Epiſt. fundamenti, cap. 4. *Auguſtinus ipſe, quamuis doctiſſimus & ſapientiſſimus, Eccleſiæ definitioni defert.*

Lib. 3. c. 3.

13. Meritò itaque S. Auguſtinus, & nos cum illo: *Dubitabimus nos illius Eccleſiæ condere gremio, quæ ab Apoſtolicâ Sede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtrà hæreticis circumlatrantibus, culmen auctoritatis obtinuit?* Et S. Hieronymus: *Breuem apertamq; animi mei ſententiam proferam, in illâ eſſe Eccleſiâ permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata, vſque ad diem hanc durat.* Et: *Hic in tres partes ſciſſa Eccleſia, me ad ſe rapere feſtinat, ego interim clamito: Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis atque Paulinus tibi hærere ſe dicunt. Poſſem credere, ſi hoc vnus aſſereret: nunc autem duo mentiuntur, aut omnes.* Et denique S. Leo, *Prædicationis*, ait, *Euangelij ſacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro Apoſtolorū omnium ſummo, principaliter collocaret: vt ab ipſo quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem ſe myſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere.* Quæ ſanè omnia ſat manifeſtè oſtendūt, maximam fidei Catholicæ notam eſſe, quòd tanta ſit inter Orthodoxos membrorum cum capite ſuo vnio & conſenſus. Secùs iterùm in Nouatoribus deprehendimus, qui non modò turpibus inter ſe mutuò odiis diſſenſionibuſque diuiſi ſunt, ſed ipſoſmet illorum Anteſignanos & fundatores variis ſecum antilogiis & contradictionibus pugnaſſe deprehendimus. Verè olim prædixit Deus de domeſticis hæreticorū noſtrorum pugnis & decertationibus: *Concurrere faciam Ægyptios aduerſus Ægyptios, & pugnabit vir contra fratrem ſuum, & vir contra amicum ſuum, &c.* Quantæ olim antiquorum hæreticorum mutuæ diſſenſiones exortæ fuerint, etiam inter eos qui vnum eumdemque parentem agnoſcebant, SS.

Lib. de Vtilitate credendi, cap. 17.

Dialog. extremo adu. Luciferianos

In Epiſt. ad Damaſum, de hypoſtaſis nomine.

Epiſt. 87. ad Epiſcopos Viennenſis Prouinciæ.

Iſaiæ 19.

Patrum

Tom. 2. Operum, lib. 4. cap. 10. Lib. de Concordiâ discipulor. Lutheri. *Hæreticorum discipuli in varias iterù à Magistris suis hæreses deflectunt.*

Patrum scripta, & variarum Historiarum docent monumenta, quæ apud Bellarminum producta reperiet Lector: & quas in sectas moderni nostri Nouatores sint dissecti, nemini non est obuium. Ex Frederico Staphylo constat, Lutheranos vix dum natos, cœpisse diuidi in Anabaptistas, Confessionistas, & Sacramentarios, & rursum singulas sectas in alias atque alias, vsque numero triginta quatuor, idque tempore Staphyli: modò verò vltra cētum diuersissimas sectas ex vno Luthero prognatas numerare licet. De Caluini discipulis res itidem est certa, varias eos in sectas abiisse. Ne longè eam, Hollandiam vicinam perlustremus, & nónne ibidem Gommaristas & Arminianos deprehendemus, vtrosque Caluini deuotissimos filios, tantopere verò à seipsis dissidentes, vt paucis abhinc annis persecutionibus, gladio, exiliis, aliisque truculentiis in inuicem deſæuierint. Appello ipsos Hollandos, negare non audebunt; recentior enim est memoria: & qui vel à quindecim aut viginti annis vixerunt, huius rei testes esse possunt amplissimi; nec hoc ipso tempore, quo hæc scribo, tempestas illa cessauit, sed potius maiorem stragem minatur. Porrò ipsius Lutheri contradictiones innumeras collegerunt Ioannes Cochlæus in Septicipite, vbi in fine adiecit triginta sex varias vnius Lutheri de Communione sub vtraque specie sententias; & D. Ioannes Faber Viennensis in Austriâ Episcopus, qui ducentas & nouem antilogias, è Lutheri scriptis excerptas, & viuo Luthero exprobratas, recenset. An ergo verus Propheta fuerit Lutherus, ipse sententiam contra se ferat. *Mendacia*, inquit, *certiùs dignoscere non potes, nisi quando sibimetipsis contraria sunt. A Deo enim ita ordinatum est, vt impij semper seipsos confundant, & quòd mendacia non consonent, sed semper contra semetipsa testentur.* Sic ille.

Lutherus sibi ipsi multoties contradixit.

Lib. de Votis Monasticis.

14. *Item Caluinus*

De Caluini contradictionibus, vt aliquid in gratiam Caluinianorum addamus, nullum est dubium. Excerpamus è Becano, qui nonnullas collegit, quàm breuissimè, & satisfactum erit qui fortè negare ausint. I. De auctore peccati. Calvinvs. a *Deus est auctor peccati.* Anticalv. b *Temulenti isti, à Deo omnia fieri perstrepentes, eum mali auctorem constituunt.* & infra: *Cum Deo nihil magis proprium sit, quàm sua bonitas, ipsum à se abnegari oporteret, & in diabolum transmutari, vt malum efficeret, quod ei ab illis tribuitur.* II. De certitudine iustitiæ. Calv. *Verè fidelis non est, nisi qui confidenter se regni cælestis heredem gloriatur.* Et: *Certò statuimus nobis remissa esse peccata.* &: *Suæ electionis certos esse conuenit vniuersos fideles.* Anticalv. *Tot vanitatis recessus habet, tot mēdacij latebris scatet cor humanum, tam fraudulentâ hypocrisi tectum est, vt seipsum sæpè fallat.* Et: *Experientia ostendit, reprobos interdum simili ferè sensu, atque electos, affici, vt ne suo quidem iudicio quidquam ab electis differant.* III. De fide iustificante. Calv. *Solam fidem iustificationis causam esse intelligimus.* &: *Vim iustificandi fidei in solidū vindicamus.* Anticalv. *Quoad iustificationem, res est merè passiua fides.* IV. De libero arbitrio. Calv. *In hac integritate libero arbitrio pollebat homo, quo, si vellet, adipisci posset vitam æternam.* & infrà: *Potuit Adam stare, si vellet, quando non nisi propriâ voluntate cecidit.* Anticalv. *Non dubitabo simpliciter fateri, voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atque id necessariò futurum esse quod ille voluerit.* V. De iustitiâ

a Ita docuit lib. 1. Instit. cap. 18. §. 3. b Instruct. contra Libertinos, cap. 14

Lib. 3. c. 2. §. 16. Antidot. Conc. Trid. sess. 6. cap. 10. & 15. Lib. 3. Inst. cap. 21. §. 10. §. 11.

Antid. Concil. Trid. sess. 6. con. 9. & 11. Lib. 3. Instit. cap. 13. §. 1. L. 1. c. 15. §. 8

L. 3. c. 23. §. 8.

inhærente. Calv. *Falsum esse contendo, vllam iustitiæ partem in qualitate sitam esse, vel habitu qui in nobis resideat.* &: *Vides, non in nobis, sed in Christo esse iustitiam nostram.* Anticalv. *Nunquam reconciliamur Deo, quin simul donemur iustitiâ inhærente.* VI. De Sanctis. Calv. *Verba Apostoli sine interprete hoc loquuntur, nos sensuros Dei præsentiam, cùm ab hoc corpore separabimur; iam non per fidem ambulaturos, sed per speciem: quoniam hoc terræ pondus quo nos premimur, nos à Deo, quasi maceries, longo interuallo separat.* Anticalv. *Semper in cursu est eorum desiderium.* &: *Expectant quod nondum habent, & suam mercedem eminus vident.* Alibi. *Valdè se torquēt multi, disputando, An Sancti cælesti gloriâ fruantur necne.* pòst: *Omnia tenentur suspensa, donec Christus appareat Redemptor.* VII. De Eucharistiâ. Calv. *Christus visibile illud symbolum nobis porrigendo, vnà dat etiam nobis suum corpus: neque enim fallax est, qui vacuis figuris nos ludat.* Anticalv. *Cùm signa hic in mundo sint, oculis cernantur, palpentur manibus, Christus non alibi quàm in cælo quærendus est.* & ibid. *Quis tamen corpus Christi finitum est, & cælo vt loco continetur, necesse est à nobis tanto locorum interuallo distare, quanto cælum abest à terrâ.* Alias contradictiones Caluini adhuc absurdiores hinc inde apud Auctores Catholicos, qui eas studiosè & sollicitè admodum annotarūt, est reperire; nos saltē aliquas delibauimus. Quo spiritu ergo Caluinus actus fuerit, iam satis apparet; & spiritus huius Eliæ, in Elisæis eius non duplicatus sed triplicatus est, adeò vt præter spiritum contradictionis, dissensionis & odij, à parente suo etiam hereditauerint spiritum impietatis & atheismi, & spiritum insuper perfidiæ, rebellionis & crudelitatis. Singula ad oculum monstrari possent, sed non sunt huius loci. Confudit nimirum Dominus Deus linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui. Pergit autem Iansenius excitare Catholicos, ne sectariorum mellitis, sed præsentissimo toxico infectis blanditiis à vero Ecclesiæ Romano-Catholicæ sensu se abduci sinant.

Antid. Conc. Trid. sess. 6. can. 8. Lib. 3. Inst. c. 11 §. 23. Lib. de Necessitate reformandæ Ecclesi. In Psychopannychiâ.

Ibid.

Lib. 3. Inst. cap. 25. §. 6.

In 1. Cor. 11.

In Consens. de Re Sacramentariâ.

Spiritus contradictionis qui in Caluino habitauit, in discipulis eius multiplicatus est. Genes. 11.

15. *Veri Catholici Nouatorū argutias contemnunt.*

Absit igitur, inquit, vt fideles Catholici, relictâ columnâ firmamentoq; veritatis, se ad argutulas istorum nouitates conferant, & ratiunculis humanis dedoceantur quod in illâ didicerunt. Iam pridem artes, quas cum omnibus Ecclesiæ nostræ profugis hæretici communes gerunt, ex Tertulliano perceperunt. *Hanc*, inquit ille, *magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur: quoniam & ipsum opus eorum non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, vt sua ædificent*, &c. Et rursum: *Ita fit, vt ruinas faciliùs operentur stantium ædificiorum, quàm exstructiones iacentium ruinarum. Ad hæc solummodò opera humiles, & blandi, & submissi agunt.* Quo etiā motiuo, seu potiùs propriâ conscientiâ ad veritatis confessionem extimulante, Catholicæ fidei perfectionem & necessitatem vel inuiti professi sunt, prout fecit ipsemet Lutherus, qui sic inquit: *Nos fatemur, sub Papatu plurimum esse boni Christiani, imò omne bonum Christianum, atque etiam illinc ad nos deuenisse. Quippe fatemur in Papatu veram esse Scripturam sacram, verum Baptismum, verum Sacramentum altaris, verum prædicandi officium, verum Catechismum, vt sunt, Oratio Dominica, decem præcepta, articuli fidei. Dico insuper, sub Papatu veram Christianitatem, imò verum nucleum Christianitatis esse.* Pariter fecerunt alij Nouatores, quorum

Tertul. de Præscript. cap. 42.

Lib. cont. Anabaptistas.

quorum laudes nobis vituperio ducimus, nisi ita accipiantur, vt inde sesemetipsos falsitatis condemnare euincantur. Ad Iansenium redimus, qui porrò ita deceptorios illorum sermones vitandos esse ait:

Hæretici Caluiniani stolidè se antiquam, Apostolicam Christiano-Catholicam fidem docere iactitant.

16. Quò igitur pertinet id quod miseri protestantur, se hactenus nec tradidisse, nec in posterum aliud velle tradere quàm antiquã, Apostolicam, Catholicam & Christianam fidem, nisi vt, iuxta Tertullianum, humiles & blandi & submissi per dulces sermones & benedictiones seducant corda innocentium? Omnium enim ex Ecclesiæ castris fugientiũ regularis est ista temeritas, & communis vox, se esse Catholicos, se Apostolicos, se puram putamque docere veritatem. Ita Caluinus, ita quibuscum Caluiniani odium gerunt implacabile, Lutherus & consortes eius, ita Mennon, ita Seruetus Caluino incitante combustus, ita maiores omnium, Pelagiani, Ariani, Manichæi, ceteræque damnatæ pestes iam olim vnâ voce protestatæ sunt. *Quid aliud clamat perdix* (hoc est, hæreticus) inquit Augustinus, *nisi apud se esse, & à se dari fontem vitæ, ad quem congregati recedant à Christo, Christi promissione decepti, cuius nomine iam tenebantur imbuti.* Nam quòd etiam Catholico nomine, deridente fatuitatem illam orbe terrarum, se insignire gestiunt, in hoc omnes, qui ab Ecclesiâ nostrâ deficiunt, imitantur. Audite fidelissimum testem Augustinum: *Quòd* (nomen Catholicum, inquit) *non sine causâ inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere.* Audite eundem Doctorem securissimum. *Tenenda est nobis Christiana religio, & eius Ecclesiæ communicatio quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solùm à suis, verùm etiam ab omnibus inimicis.* Velint enim nolintve, ipsi quoque hæretici & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nil aliud quàm Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab vniuerso orbe nuncupatur. Audite præcinentem Augustino S. Cyrillum Ierosolymitanum: *Si intraueris in aliquam vrbem, non petas, vbi sit Ecclesia vel domus Dei: nam etiam hæretici dicunt se habere domum Dei & Ecclesiam. Sed petas vbi sit Catholica Ecclesia: hoc enim nomen proprium est huius sanctæ Ecclesiæ, matris omnium nostrorum.* Ecce indolem hæreticorum à mille ducentis annis depictam: vt non mirentur Catholici, si quis etiamnum splendore istius nominis perstrictus, dignitati ipsius inhiet, vt Ecclesiæ Romanæ purpurâ nuditatem ac turpitudinem suam tegat.

Rom. 16.

Omnes, etiã opinionibus vel maximè discrepantes hæretici Catholicos se venditant;

August. l. 13. contra Faustum, c. 16.

Lib. contra Epistolam fundam. c. 4.

Catholica tamen si inquiratur congregatio, suam profiteri vel monstrare non audent

Lib. de Verâ relig. cap. 6.

Cyrill. Catech. 18.

Deo sic statuente, non ab Ecclesiâ, sed à suis auctoribus, hæretici sua nomina accipiunt.

17. Sed quod adeò subdolè vaneque contendunt, minimè consequuntur. Permittit vtique Deus, vel potiùs ita disponit, vt semper ab auctoribus suis, è quibus prodierunt, non ab Orthodoxis, nomen sortiantur. Obseruarunt hoc dudum SS. Patres, è quibus ita S. Iustinus Martyr: *Et sunt distincti cognominibus, denominati à quibusdam viris, vt quisque fuit auctor alicuius nouæ doctrinæ: ex iis alij vocantur Marcionistæ, alij Valentiniani, alij Basilidiani, alij Saturniniani, alij alio vocabulo, quisq; à primo inuentore sui dogmatis.* S. Irenæus quoque sic ait: *Habent & vocabula, à principe impiissimæ sententiæ Simone dicti Simoniani.* Insuper Lactantius hæc habet: *Cùm Marcionitæ aut Ariani nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana & externa vocabula induerunt.* Quin etiam D. Athanasius, *Numquam*, inquit, *populus ab Episcopis suis, sed à Domino in quem creditum fuit, nomen accepit. Certè à beatis Apostolis præceptoribus nostris appellationes adepti non sumus, sed à Christo Christiani sumus & nuncupamur: illi verò qui aliunde originem suæ fidei deducunt, meritò auctorum suorum cognomenta præ se ferunt. Quapropter cùm à Christo omnes Christiani essemus & diceremur, explosus est Marcion inuentor hæreseos: reliqui autem qui remanserunt, Christiani titulum retinuerunt; qui verò Marcionem secuti sunt, non iam inde Christiani, sed Marcionistæ appellati sunt. Ita quoque Valentinus, Basilides, Manichæus, & ceteri, sectatoribus suis nomina imposuerunt.* Denique sanctus Hieronymus definitiuè sic sententiam peremptoriam profert: *Sic vbi audieris eos, qui dicuntur Christiani, non à Domino Iesu Christo, sed à quoquo alio nuncupari, vt Marcionitas, Valentinianos, scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam.*

In Typhone.

Lib. 1. c. 20.

Lib. 4. c. 30.

Serm. 2. Cont. Arian.

Contra Luciferianos, in fine.

Nec solus Augustinus, quò minùs hæretici Catholicorum se cognomento palliare queant, obstitit, sed & Pacianus, antiquus admodum Scriptor, eo ipso veram Ecclesiam ab hæreticis separari ostendit, dum sic ait: *Cùm pòst Apostolos hæreses extitissent, diuersisq; nominibus columbam Dei atque Reginam lacerare, & per partes scindere niterentur, cognomen suum plebs Apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret vnitatem.* Addit: *Ne æstues, frater, Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat, hoc ostendit. Hoc prodor, inde significor.* Quod adeò verum est, vt numquam aliquis hæreticus in hodiernum vsque diem, rogatus ab occurrente sibi in plateis, vbi Catholicus quispiam habitaret, domum vel suam vel sui cohæretici ostendere ausus fuerit. *Ego fortè*, inquit Pacianus, *ingressus populosam vrbem hodie, cùm Marcionitas, cùm Apellecianos, Cataphrygas, Nouatianos, & ceteros eiusmodi comperissem, qui se Christianos vocarent, quo cognomine congregationem meæ plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur?* Et vt supra Augustinus, *Cùm omnes hæretici*, ait, *se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere.* Sed esto, nomen Catholicus, quatenus nudè sumitur pro eo quod per omnia loca dispersum est, adeò vt Caluinianos (quod ipsum tamen verum non est) per omnes orbis regiones dispertitos cõcedamus, hæreticis illis conueniat, res tamen ipsa, quæ est Vnitas, & quam hoc nomen importat & includit, eisdem omnino negatur, vt & suprà, ex parte, ex illorum à se inuicem in rebus fidei, discrepantiis ostendimus. Catholicus enim idem est quod Vniuersalis, & Ecclesia esse vniuersalis nequit, nisi sit vna; & nec vna, nisi sit vniuersalis; adeò vt hæc duo, vnum & vniuersale, hac in parte sint conuertibilia, vt in Scholis loquuntur. Et hæc ipsa Ecclesiæ Catholicæ vnitas, & Catholicorum per omnes orbis regiones tam animorum quàm fidei & cerimoniarum vnio, ad reuocãdos è tenebris ad lucem hæreticos efficacissima esse poterat. Inuitauit nimirum ad hanc sui æui hæreticos S. Augustinus. *Venite*, inquit, *fratres, si vultis, vt inseramini in vite. Dolor est, cùm vos videamus præcisos, ita iacere. Numerate Sacerdotes vel ab ipsâ Petri sede, in ordine illo*

18.

Epistolâ 1. ad Sempronium.

Catholici volunt audiri hæretici, & catholicorũ nomen abhorrent.

Ibidem.

Cõtra Epist. fundamenti c. 4.

Ecclesia quia est vna, est vniuersalis, & vice versâ.

In Psal. cõtra partem Donati.

illo Patrum, quis cui successerit videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.

19. Quo in loco duo voluit S. Augustinus, vnitatē scilicet Catholicam nō animorum solūmodò fidelium, sed omnium etiam tēporum successionem consensionemq́; cōplecti, quæ nullâ impugnantiū violentiâ perturbari posit. Vnitatē hanc ita commendat D. Cyprianus: *Vnitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesiâ præsidemus, vt Episcopatum quoque ipsum vnum & indiuisum probemus. Nemo fraternitatem mēdacio fallat, nemo fidei veritatem perfidâ præuaricatione corrumpat. Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia vna est, quæ in multitudinem latiùs incremento fecunditatis extenditur. Quomodo solis multi radij, sed lumen vnum; & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum: & cùm de fonte vno plurimi riui defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine. Auelle radium solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præcide riuum, præcisus arescet. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit: vnum tamen lumen est quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur: ramos suos in vniuersam terram copiâ vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latiùs expandit; vnum tamen caput est, & origo vna, & vna mater, fecunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est & pudica: vnam domū nouit, vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit.* Quam vnitatem & consensionem Catholicorum, nullis aduersariorum impugnationibus, quamuis validissimis, infringi aut conuelli posse, sic docuit sanctus Ioannes Chrysostomus: *Iactatur quidem nauis, sed non mergitur. Poterat quidem & in tranquillo nauigare, verùm non passus est gubernator; quò simul & nauigantiū perspicias tolerantiam, & gubernatoris prudentiam pleniùs cognoscas. A quàm multis oppugnata est Ecclesia, nec vnquam tamen victa? Quot tyranni, quot Duces, quot Imperatores. Augustus, Tiberius, Caius, Claudius, Nero, homines literis ornati, potentes, tot modis oppugnarunt recentem ac teneram, at non deiecerunt. Quin potiùs ij, qui oppugnarunt, silentur obliuioni traditi, illa verò oppugnata cælum transscendit. Neque enim illud mihi spectatu, quòd in terris sita est Ecclesia, sed quòd in cælo versatur. Vnde hoc dilucidum est? Nimirum ipsæ res demonstrant. Oppugnati sunt vndecim discipuli, totus orbis oppugnabat; verùm qui oppugnabantur vicerunt, qui oppugnabant sublati sunt, oues deuicēre lupos. Vidisti pastorem oues in medio luporum emittentem, vt ne fugâ quidem salutem consequerentur. Quis pastor hoc fecit? Christus hoc fecit, quò tibi demonstraret, quæ rectè geruntur, non accidere iuxta nostrarum actionum tenorem, sed præter naturam, præterq́; rerum tenorem. Nam Ecclesia radices in cælo potiùs fixas habet, quàm in terrâ.* Sed quid mirum est, Deum Ecclesiæ Catholicæ militibus adeò præsentem in omnibus opem adferre, quibus ita promisit; Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi? cùm & antiquæ legis zelatoribus eamdem cōcesserit, vt vel Eleazari perillustris historia edocere poterit. Ad Catholicum nomen ductore Iansenio redimus.

Vnitas illa est inuiolabilis. De Vnitate Ecclesiæ.

Homil. 4. de eo quod scripsit Isaias, *Factum est anno quo mortuus est Ozias.*

Matth. 28.

2. Machab. 6.

20. Redite igitur, misselli hæretici, redite ad nomē vestrum, quod vobis in ipsis cunis impositum, & ab auctore vestro deriuatum est, ne fortè ab eis, quibus fucum facitis, non possitis intelligi. Hoc enim Catholicæ nomen, frendētibus & blasphemātibus omnibus inimicis, quibuscum toto terrarum orbe pugnat Ecclesia, isti celeberrimæ, antiquissimæ, diffusissimæ, vnde & Catholicum fluxit, Romanæ Ecclesiæ & fidei, velitis nolitisve, relinquendum est. Hæc est possessio nostra fundatissima, testatissima, mille sexcentorum annorum antiquitate firmata: quam neque sæuitia Paganorum, neque calumniæ hæreticorum, neque languor schismaticorum, neque cæcitas Iudæorum, neque portæ inferorum nobis in hūc vsque diem auferre potuerunt. Hoc nomen nos ab omnibus satanę synagogis separat, hoc de omnibus eius aduersariis immobili veritatis connexione triumphat, hoc in isto errorum pelago omnibus errantibus velut pharos, vt possint in viam redire veritatis, ostenditur. Clama, sanctissime Augustine, clama, vt omnes profugi vel fluctuantes saluberrimam tuam vocem audiant: *Tenenda est nobis Christiana religio, & eius Ecclesiæ communicatio quæ Catholica est & Catholica nominatur, non solùm à suis, verùm etiam ab omnibus inimicis.* Clama iterùm atq; iterùm, ne temerè hoc dixisse censearis, *Quærenda est religio, sed apud eos solos qui Christiani Catholici vel orthodoxi nominantur, integritatis custodes, & recta sectantes.* Et quid ita, Doctor beatissime, cur apud illam solam tot inter hæresum labyrinthos quærenda religio? *Hæc enim*, inquit, *Ecclesia Catholica per totum orbem validè latèque diffusa omnibus errantibus vtitur ad profectus suos, & ad eorum correctionem, cùm euigilare voluerint.*

Ibid.

Lib. de Verâ relig. cap. 5.

Ibid. cap. 6.

CAPVT XV.

Quæ ab aduersariis contra Purgatorium confinguntur argumenta, leui ponderatione eneruantur.

QVandoquidē hactenus, plurima Scripturæ loca de Purgatorio exponenda, & 1.
à viris fide dignissimis, & ad quos Ecclesiæ vniuersalis iudicio Bibliorū spectabat interpretatio, ita esse exposita, multis exposuerimus, refellēdi iam nobis sunt isti Scripturæ sacræ minimè sacri interpretes, qui non solùm non consentiente, sed reclamante etiam Ecclesiâ, loca eius aliqua contra Purgatorij veritatem explicare seu potiùs distorquere conati sunt. Neque id mirum, cùm claudi frequentiùs ambulare, & qui vocem horridam habent semper cantillare ament: quod parum equidem esset, nì hoc in multarum adeò animarum ruinam & sempiternam perditionem redundaret. Benè sanè sanctus Petrus Apostolus ait: *Charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Vos igitur fratres præscientes custodite, ne insipientium errore traducti, excidatis à propriâ firmitate.* D. Hilarius lib. 2. ad Constant. *Memento*, ait, *neminem hæreticorum esse, qui non secūdùm Scripturas prædicare ea quibus blasphemat mentiatur.* Tertullianus etiam: *Hæreses esse non possent, si non & perperàm Scripturæ intelligi possent.* de quibus etiam alibi. *Sic*, inquit, *sunt ex Dei voluntate disposita, vt hæreticis materiam*

Scriptura sacra intellectu est difficilis. 2. Petr. 3.

Lib. de Resur. carn. c. 12 *& hæreticis errandi ansam præbet.*

Lib. de Præscrip. cap. 39. *teriam subministrarent*. Scripturæ textum adducere non sufficit: nam si eumdem sinistrè exposueris, Scriptura cibus tibi erit quo te inficias, lumē quo teipsum excæces, gladius quo temetipsum interimas. Non enim quilibet stomachus tam forte pabulum feret, non quilibet oculi tantam lucem capiunt: & qui imprudenter vtitur gladio spiritus, quod est verbum Dei, mirum non est si seipsum iugulet. Vt propterea S. Petrus istorum errorem meritò insipientium appellarit, eosque qui illos sequuntur, vocet traductos, & qui à propria firmitate exciderint: nam reuerà diabolica est ista deceptio, & ab ipsomet diabolo vsurpata, vt videre est apud SS. Matthæum & Lucam Euangelistas, vbi ipsi Christo Scripturam malè detruncatam obiecit, eique fucum facere est conatus. Sed quoniam nouum non est, in hoc hæreticos parentem suum imitari, dissimulabimus, & quæ ab illis improbè sunt traducta, nos probè reducemus, atque è variis quinque potissimùm, ad quæ reliqua reuocare erit facilè, proponemus. (Matthæi 4. Lucæ 4.)

2. *Hæreticorum in eludendâ veritate & tegendis suis erroribus versutia.* Causabuntur forsitan inprimis, ne semel quidem *Purgatorij* nomen in sacris paginis reperiri. Itáne? Nomen illi, non rem expendunt? Catholici quotidie noua adinueniunt nomina, nec auditos antea terminos, quò res fidei clariùs explicare queant; paruiq; faciunt quomodo quid vocetur, modò de eius veritate constiterit: econtrà hæretici nomina etiam ab antiquis vsurpata, vt rem simul extirpent, & errores suos faciliùs tegāt, vel apertâ vi detorquent, vel in dubium reuocāt, quod de Purgatorio in primis factitarunt; cuius nomen, etsi haud diu post Ecclesiæ principia vsurpatum fuerit, vt in S. Augustino aliisque reperire est, ipsi tamen, omnia reformando deformantes, nunc reiiciunt. Nimirum, dum rem nominis nequeunt, rei saltem nomen iustè abnegasse videri volunt. Si ita procedant, pleraque in posterum Fidei mysteria reiicere, eiurare, proculcare poterimus, etiam illa quæ de necessitate medij omnibus sunt ad salutē necessaria, qualia sunt *SS. Trinitatis* atque *Incarnationis Dominicæ*, quæ æquè à Nouatoribus quàm ab Orthodoxis credenda sunt, cùm tamen neque huius neque illius vel in toto tam antiquæ quàm nouæ Legis contextu expressum nomen inueniatur. At relinquamus istas ineptias: quin potiùs, dum in eas incidimus, non antè relinquamus, quàm ostenderimus nullo eas loco habendas esse; quod fiet, si reliqua Scripturę ac Patrum loca, ab illis deprauata, & in Purgatorium detorta, suo & vero sensui restituerimus.

Obiectio 1. contra Purgatorium. Obiiciunt ergo præterea, Purgatoriū inter mortem iustorum & hereditatē Domini seu gloriam sempiternam non intercedere: eo quod Psalmus dicat: *Cùm dederit*, inquit, *dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini*. (*Psal. 126. Dissoluitur.*) Sed verum potiùs somniū, quàm argumentum! Si namque ista de particulari cuiusque iudicio intelligenda sint, & sensus sit, omnes statim post mortem hereditatem cælestem adire, ac proinde non remanere Purgatorio locum, falsa haud dubiè fuerunt ista Psalmistæ verba dum ea conscripsit: nam etiam ex aduersariorum concessione tunc cùm illa scripta sunt, vtpote sub antiquâ adhuc Lege, nulli ad cælum patebat ingressus, sed solùm postquam Saluator noster in mundum venit, & passione suâ nos ab æternâ morte liberauit, cęlorum repagula ab ipso reserata fuerunt. Viden vt somniatores illi *somniarūt somnium suum, & nihil inuenerunt* viri fallaciarum *in manibus suis*. Longè vtique meliùs S. Augustinus aliique legitimi Expositores dictum Dauidis locum sunt interpretati de generali iudicio, ita vt sit sensus: Cùm dormierint per mortem omnes electi, *ecce hereditas Domini*, id est, tunc apparebit hereditas Christi resurgentibus in gloriâ Sanctis.

3. *Obiectio 2. Eccles. 9.* Scopulus alter in quem Purgatorij hostes impingunt, hic est: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Quibus, inquiunt, verbis Sapiens significat, nullum esse remedium in alio sæculo. (*Dissoluitur.*) Sed Catholicis ad illud facilis iterùm solutio, siue dicant, verba illa ex impiorum personâ esse enuntiata, qui neque Purgatorium, neque infernum, neq; vllam aliam nisi hanc mortalem vitam credunt: siue ea Salomoni attribuant, iis tamen dicta, qui prauis suis dissolutisq; moribus ad æternam ignis inferni gehennam prolabuntur, vbi certum est nihil ampliùs esse remedij, nihilque solatij; de quibus expositionibus legendus est S. Hieronymus in hunc locum: siue tandem cum S. Gregorio Magno illa omnia Purgatorij animabus adaptent; (Lib. 4. Dialogor. c. 39.) siquidem ij tantùm purgationis & subsidij precum nostrarum capaces sunt, qui suis bonis operibus in hac vitâ meruerunt post mortē operibus viuentium adiuuari. Vt proinde Orthodoxi meritò in Nouatores retorqueant illud quod Christus in Sadducæos: *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* (Matthæi 22.)

4. *Obiectio 3.* Tertia hæreticorum obiectio est, idcirco non existere Purgatorium, quòd Scriptura duo solùm ponat mortuorum receptacula, alterum beatitudinis in cælo, alterum damnationis in inferno. *Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* (Matthæi 25.) *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* (Marci vlt.) denique: *Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est.* (Ioannis 3.) Non igitur, inquit Brentius, locus vllus remanet Purgatorio, cùm duo solùm sint loca post hanc vitam. (*Diluitur.* Li. 1. de Purgat. c. 12.) Respondet Bellarminus; In extremo iudicio, de quo agitur Matth. 25. rectè duos tantùm fieri ordines, quia tunc Purgatorium finem accipiet, ac deinceps duo tantùm loca remanebunt, paradisus & gehenna. Porrò, (*Quatenus qui in Christum credit nō iudicetur.*) qui credit, saluus erit, & non iudicatur, id est non condemnatur, modò etiam addat cetera quæ requiruntur: fides enim ex se saluat & iustificat, si aliunde non sit impedimentum; quemadmodum dicere solemus, Ex hoc semine nascetur arbor, si videlicet non desint calor Solis, humor aquarum, & si quæ alia requiruntur: neque continuò qui saluus erit per fidem, saluus erit sine Purgatorio; multi enim saluantur, sic tamen quasi per ignem, vt suprà ex Apostolo demonstrauimus. Ita ferè Bellarminus.

5. *Obiectio 4. Eccles. 11.* Hisce Scripturæ locis addi posset ex Ecclesiaste, *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* nam inde aduersarij destructum planè volunt Purgatorium, dicentes, hinc colligi, duo tantùm à morte reliqua esse receptacula, è quibus exire nequeat spiritus, non autem superesse Purgatoriū ex quo aliquando ad cælum abeant. Sed respondetur, ad litteram Sapientem loqui de morte corporali, & velle dicere, homines ita necessariò morituros & cùm fuerint mortui, per se numquam resurrecturos, (*Refellitur.*)

ros, quemadmodum lignum tandem aliquando cadit, & ibi manet, ac putrescit vbi ceciderit. Si tamen velint hæc ad animarum statum pertinere, dicendum erit, eos qui in Purgatorium vadunt, ad Austrum cecidisse, id est ad statū salutis æternæ, in eoque statu perpetuò permansuros. Vel certè poterit dici per Austrum quidem intelligi gloriam cælestem, & per Aquilonem damnationem gehennæ, sed non omnes ad Austrum cadere, vel ad Aquilonem, sed quosdam medio loco, quòd tunc, cùm ista Scriptura consignata fuit, verum fuisse, vel ipsimet hæretici fateri coguntur. Caluinus namque in Psychopannychiâ asserit, Sanctos veteris Testamenti carcere fuisse conclusos, & redemptionem Christi ibidem expectasse: itemq; alij huius temporis sectarij confitentur, fuisse locum quemdam ad quem ante Christi aduentum descendebant SS. Patres, de quo parùm refert an sinus Abrahæ, an Limbus iustorum, an infernus superior nominetur, cùm vtique constet, Patriarchas & Prophetas in eodem non perpetuò mansisse.

Auster, typus gloriæ cælestis; Aquilo, dānationis.

6.

Plura fuisse quàm duo mortuorum receptacula.

Quæ tametsi sufficerent, obiter tamen tot Scripturæ loca percurrisse ne videamur, animus fuit ex ipsâ Scripturâ declarare, necessariò plura quàm duo mortuorum receptacula esse confitenda. Nam si non sint nisi duo, quo, quæso, loco fuerunt animæ illæ, quæ postliminiò ad vitam reuocatæ narrantur? Quo pacto ab Eliâ resuscitatus est filius Sarephtanæ, ab Eliseo viuente, filius Sunamitidis, ab eodem verò mortuo, homo ille cuius cadauer in ipsius sepulchrum proiectū fuerat, à Christo filia Iairi principis Synagogæ, & viduæ Naimiticæ filius, & Lazarus in Bethaniâ, ab Apostolo Petro Tabitha, Act. 9. à Paulo Eutychus adolescens, denique tempore passionis scribitur, Et monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Vbi, inquiunt Catholici, animæ horum fuerunt antequam reuocarentur ad vitam? Non in loco damnationis, quia ibi nulla est redemptio. Nec in loco beatitudinis, quia alioquin non fuisset beneficium, sed pœna, si cælesti beatitudine priuati, ad vitam hanc mortalem miseriisque plenam redire debuissent. Superest ergo, fuisse eas alio loco qui ab vtroque distinguendus sit. Ex quo satis appareat, Deum hæreticis huiusmodi, ne Scripturas intelligerent, sensum obuelasse, Catholicis verò, vt ex relatis hactenus manifestum euadit, reuelasse.

3. Reg. 17. 4 Reg. 13. Ibidem. Luc. 8. Luc. 7. Ioan 11. Act. 9. Act. 20. Matth. 27.

7.

Obiectio 5.

Quarta obiectio desumitur ex illis Bibliorum textibus, in quibus iusti asseruntur post hanc vitam statim in cælestem patriam admitti, nullâ factâ de Purgatorio mentione. *Hodie mecum eris in paradiso.* Item: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.* Item: *Desiderium habeo dissolui, & esse cum Christo.* & in Apocalypsi: *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodò iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.*

Luc. 23. 2. Cor. 5. Philipp. 1. Apoc. 14.

Respondetur.

Ad quæ generatim primò dicitur, iustos in nouo Testamento, qui nihil habent purgandum, statim post hanc vitam admitti ad æternam beatitudinem; quod non fiebat in veteri Testamento, quando cælum adhuc erat clausum: qui autem habent aliquid expiandum, saluantur quidem suo tempore, sed tamen quasi per ignem, vt ex Apostolo suprà declaratum est. Deinde speciatim ad singula. Et primum illud, *hodie mecum eris in paradiso*, fuit singulare priuilegium concessum latroni, cui Christus liberalissimè omnia peccata condonauit, sine vlteriore pœnæ tēporalis obligatione, exceptâ solâ morte, quæ omnibus communis est. At hinc colligent aduersarij, omnes latrones qui plectuntur, mox ad paradisum inuitari? aut omnes maleficos, qui semper flagitiosè vixerunt, in vltimo mortis articulo ad pœnitentiam subitò conuerti? Non ita se res habet. Vnum exemplum non trahendum est ad communem legem. Adde, ex hoc loco etiam superiùs Purgatorium confirmatum esse. Illud verò, *Si terrestris domus nostra*, &c. verissimè ab Apostolo dictum est, sed cum limitatione quæ sequitur, *Si tamen vestiti non nudi inueniamur*, vt notat Bellarminus; vel certè cum hac, *sic tamen quasi per ignem*, si nimirum aliquid in nobis expiandum sit. Ex illo autem, *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo*, nihil aliud colligi potest, quàm Apostolum habuisse magnum desiderium viuendi cum Christo, quod & nos habere possumus. Et quidem si omnes adeò sancti & perfecti essemus, quàm fuit Apostolus, non opus esset dilatione aut Purgatorio. Nunc sæpè aliter res habet, quia non omnes imitantur Apostolum qui de seipso dixit, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ac proinde reseruant sibi pœnam temporalem in Purgatorio luendam. Illud porrò, *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, &c. nihil aduersatur Purgatorio: nam in toto illo capite agitur de extremo iudicio, in quo illi qui Antichristo adhæserint damnandi sunt ad perpetuos cruciatus, qui autem fortiter illi restiterint, & pro Christo mortui fuerint, æternum sunt accepturi præmium. Vnde sicut de prioribus dicitur, *fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, nec habent requiem die ac nocte qui adorauerunt bestiam*; ita de posterioribus subiicitur, *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, &c. adeò vt hoc è loco aliud non sequatur, quàm post diem iudicij nullum fore statum, nisi æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis, quod vltrò concedimus: at inde non sequitur, ante diem iudicij non esse statum aliquem medium, in quo pœna temporalis expiari possit. Hactenus Becanus in Manuali controuersiarum.

Latro ex singulari priuilegio ad Paradisum admissus fuit.

8.

Obiectio 6.

Quinta demum obiectio fundatur in Scripturis, quæ dicere videntur, non post obitum, sed in vitâ remitti peccata. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis*, &c. *vitâ viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius non recordabor.* Et: *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu.* Et: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Ex quibus ab hæreticis infertur Primò, Deum nō punire iniquitates quarum pœnituerit peccator, de his enim nullam se vnquam memoriam habiturum est pollicitus. Secūdò, si non sit quidquam damnationis iis qui sunt in Christo Iesu, quo modo animæ Purgatorij, quæ tales sunt, damnantur ad atrocissimos ignis cruciatus? Tertiò, si post hanc vitam peccata remittuntur, quomodo tunc verū erit, quòd vnusquisque recipiet prout gessit in corpore suo, siue bonum siue malū? Sed facilis æquè & clara ad singula hæc datur respōsio. Quoad enim prius dupliciter respōderi potest, dicēdo, non recordari iniquitatū

Ezech. 18. Rom. 8. 2. Cor. 5.

Dissoluitur.

H nihil

nihil aliud esse, quàm non seruare inimicitiam cum eo qui peccauit: nam si recordari iniquitatum esset punire mala merita, recordari iustitiarum esset remunerari bona merita: at non concedunt aduersarij, recordari iustitiarum esse remunerari bona merita, ne videlicet merita iustorum admittere cogantur; igitur neque debent vrgere, recordari iniquitatum, esse punire iniquitates. Nam Ezechiel eodem modo de iustitiâ & iniquitate loquitur. Vel responderi potest, recordari iniquitatum, esse quidem punire, sed punire in æternum. Nam cùm ibidem legimus, *Si auerterit se iustus à iustitiâ suâ*, &c. omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur, cogimur ita exponere, vt dicantur iustitiæ tradi obliuioni, non quòd non remunerentur temporali aliquo præmio, sed quòd non liberent hominem à gehennâ, nec remunerentur præmio sempiterno: nam alioqui opera bona impiorum non fraudari temporali mercede, docent Patres, a Chrysostomus, b Hieronymus, c Augustinus & d Gregorius, & colligitur ex illis verbis, *Recepisti bona in vitâ tuâ.* Ita Bellarminus, qui & reliquos duos locos ibi soluit, nodosque implexos dissoluit.

a Homil. 67. ad pop. Ant.
b In cap. 39. Ezechiel.
c Lib. 5. de Ciuit. Dei, cap. 15.
d Hom. 40. in Euangelia.

Secundum quidem, dicens, S. Paulum ibi disputare de concupiscentiâ, ac solùm velle, hos, qui sunt in Christo Iesu, & eius gratiâ muniti non consentiunt motibus carnis, nihil peccati ex eiusmodi motibus contrahere; itaque locus ille non oppugnat Purgatorium, sed hæresim aduersariorum, qui vera peccata esse volunt tales etiam motus quos interdum iustus sentit, licet eis non consentiat.

Motus internos etiamsi quis eis non consentiat, hæretici peccata esse volunt.

9. Ad tertium denique locum idem Bellarminus respondet, verissimam esse B. Pauli sententiam; nam etiam illi qui remissionis & purgationis locum inueniũt in futuro, nihil recipiunt nisi quod gesserũt in corpore, id enim meruerunt perseuerando in fide & charitate vsq; ad mortem, vt post mortem purgari & iuuari possent: quâ etiam ratione Sancti post obitum, etsi nihil propriè merentur, tamen impetrant à Domino quidquid postulant, quoniã id meruerunt in hac vitâ rectè viuendo, vt post hanc vitã à Domino exaudiãtur. Vide hoc ipsũ quod nos docemus apud a S. Dionysium Areopagitam, apud b Augustinum & apud c Gregorium. Atque ad eumdem modum intelligenda sunt illa, *Reddet vnicuique secundùm opera sua*, & illa, *Vnusquisque onus suum portabit*; &, *Quæ seminauerit homo, hæc & metet.* Quæ omnia ad verbum è Cardinale Bellarmino transcripsimus.

a Lib. de Eccl. Hierarch. c. vlt. Part. 3.
b Li. Enchir. c. 110. & lib. de Curâ pro mort. cap. 1.
c Li. 4. Dialog. cap. 39.
Rom. 2.
Galat. 6.

10. Vel maximè proinde manifestum est, sectarios nostros, dum ex Scripturis nos erroris reos arguere conantur, ipsosmet potissimùm reos constitui; atque in eo illos aberrare, quòd nos in Purgatorij doctrinâ errasse contendant; mercedem, quam oportuit, secundùm verba D. Pauli, *erroris sui in semetipsis recipientes: & sicut non probauerunt Deum habere in notitiâ, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt doceant ea quæ non conueniunt.* O felices magis Orthodoxos! quia ipsis *datum est nosse mysteria regni cælorum*, istis autem non est datum, Matth. 13. Quibus ibidem Saluator occinit: *Adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis, Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Incrassatum enim est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt: ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.* Meliùs ergo, & optimè profectò Catholici Ecclesiam audiunt, in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Quin & vos potius sectarij ad veritatem accedite; cur detrectatis credere Ecclesiæ Catholicæ, quæ antiqua, quæ vna, quæ omnibus sæculis multorum sanctitate illustris, à quâ denique vos omnes non in vnum, sed in diuersa, vt cæci & errãtes, exiuistis? Nónne præstaret vnitati corporis Christi, quod est Ecclesia, viuum membrum annecti, quàm sectarum adeò diuersarum cuidã ceruices submittere? quarum vnus dumtaxat omnium nexus, à nobis dissentire; vna sententia, Scripturas ad suam mentem intelligere; sed multò deinde grauiores quàm nobiscum, inter se rixæ; quas denique constat ex Ecclesiæ nostræ corpore excidisse, & ab eâ, velut insana ac tabentia membra, esse præcisas.

Paranesis ad sectarios.

Adferenda modò sunt, quæ aduersarij ex Patribus contra nos argumenta producunt: inde, quàm etiam falsa sibi ratiocinationibus confingant inspiciendum. Quamquam ergo clarissima semper fuerint Sanctorum testimonia, quæ pro veritate Purgatorij, vt suprà vidimus, ipsi perhibuerunt, ea tamen moderniorum sectatorum est impudentia & fallacia, vt, relictis lucidioribus, ad obscuriora, veluti lucifugæ, se conferant, & vbicumque Patres quandoque obscuriùs locutos fuisse deprehendunt, ibi distorquendi illorum dicta occasionem captent, adeoq; velut in tenebris delitescere & volutari malint, quàm apertã lucem intueri. Producunt ergo primùm locum quemdam ex S. Augustino, qui sic ait: *In quo quemque inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouissimus dies: quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur.* Sed non aduertunt, Augustinum loco illo velle ostendere, meritorum atque demeritorum nostrorum cursum post hanc vitam sisti, ideoq; vel ad cælestem felicitatem vel ad gehennalem miseriam, & ad sublimiora trophæa vel atrociora tormenta assumendos nos fore, secundùm opera vel bona vel mala, quæ antequam vitæ nobis stamen abrumpebatur, commiserimus. Videntes itaque antagonistæ nostri, parum se ex hoc Augustini loco proficere, alium, quem fortiorem esse autumant, ex eodem S. Augustino adducunt, vbi dicit, post hanc vitam non esse locum corrigendorum morum. Sed nihil omnino ad farinam facit. Neque enim nos dicimus, in Purgatorio flagitiosos conuerti, aut suos ibi illos defectus & prauos mores corrigere aut emendare; sed leuia saltem iustorum peccata, quæ profectò flagitia aut scelera dici non possunt, ibi expurgari, & pro peccatis iam dimissis temporalem, quæ restabat, pœnam eos exoluere. Cùm & hîc deficerent hæretici, Tertio loco grauiorem catapultam adhibuisse sibi visi sunt, dum ex eodem S. Augustino hæc in medium adferunt: *Primum locum fides Catholicorum diuinâ auctoritate credit regnum esse cælorum; secundum gehennam, vbi omnis apostata, vel à fide Christi alienus, æterna supplicia experietur: tertiũ penitus ignoramus, imò nec esse, in Scripturis sanctis inuenimus.* Mirum, quantum hîc sibi gratulentur, & rem totam se perfecisse & peruicisse arbitrentur. Sed si tempora nossent distinguere, haud

II. *Aduersariorũ argumentis cõtra facientibus respondetur.*

Obiectio prima.
Epist. 80. ad Hesychium.
Solutio.
Obiectio secunda.
Epist. 54. ad Macedoniũ.
Solutio.
Tertia obiectio.
In lib. Hypognostici
Serm. 14. de Verb. Apost.
Li. 1. de Peccator. mer. & remiss. c. 28.
Solutio.

haud adeò tripudiarent: S. Augustinus enim hìc agit de æternis iis vel beatorum vel damnatorum locis, quæ post vltimum & magnum illum iudicij extremi diem inuenientur, quod & nos totis asserimus viribus, quia tum Purgatorium, qui est tertius, non æternus, sed temporalis locus, non erit. Quem verò hoc in loco tertium locum æternum Augustinus repudiat, Pelagianus ille est, quem nimirum inuenerat Pelagius pro paruulis baptizatis, quos ille beatos esse volebat naturali, æternâ tamen quadam beatitudine, extra infernum, & extra cælum, adeò vt neque inferni tormenta viderent aut sentirẽt, nec Beatorum gaudiis aut visione Dei beatificâ perfruerentur. Nihil ergo locus hic iuuat aduersarios.

12. Petrus Martyr, non ille è sancto Dominicanæ familiæ grege, sed iste ex putidâ Caluinianæ sentinæ harâ, pari dexteritate obiicit locum quemdam eiusdem S. Augustini, qui sic habet: *Si texit peccata, noluit aduertere: si noluit aduertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere.* Quin & hìc Sanctus ille de æternâ pœnâ loquitur: at verò temporalem à Deo exigi, docet pluribus locis S. Augustinus, & præcipue Tractatu 124. in Ioannem, & in Psalmum 50. Proferunt insuper ex S. Ambrosio locum quemdam, vbi sic loquitur: *Qui enim hìc non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit*, nimirum in patriâ beatorum. Sed mirum est, hæreticos tam esse cæcos, vt non aduertant simul quomodo idem S. Ambrosius seipsum explicet: *Non erit autem*, inquit, *quia ad vitam æternam non poterit peruenire, quia vita æterna remissio peccatorum est.* de remissione nimirum mortalium loquitur, siue de gratiâ iustificationis, quam vocat vitam æternã, cùm sit vita quasi quædam æterna inchoata. nisi enim in hac vitâ temporali æternam quis inchoauerit, ad Beatorũ gloriam numquam perueniet. Quasi suæ prætereà causæ patronum adferunt S. Hieronymum, cuius verba hæc sunt: *Quando anima vinculis laxata corporeis, volandi quò velit, siue quò ire compellitur, habuerit libertatem, aut ad inferna ducetur, de quibus scriptum est, In inferno quis confitebitur tibi? aut certè ad cælestia subleuabitur.* Sed & hìc non vident oculati isti cyclopes, agere eo loci sanctum Hieronymum de solutione animæ à corpore per extasim siue per speculationem, non verò de morte, quam naturæ lege quilibet subire debet. Disputat certè eo loco S. Hieronymus de animâ impiâ, quæ, quò se cumque cogitatione aut speculatione verterit, vltorem Deum & vindicem reperiet. Legantur quæ sequuntur, & verum à me dici deprehendes. *Vbi sunt spiritualia nequitiæ in cælestibus*; immediatè dicto loco subiungit S. Hieronymus, *etsi sibi veræ circũcisionis scientiam voluerit vindicare, & humilitate conceptâ habitare in mõtibus, & ibi scrutantem manum Dei euadere, non valebit. Quòd si desperans salutem, oculos Domini vitare tentauerit, & in vltimo salsorum fluctuum terminos peruenire, etiam ibi mandabit Dominus serpenti tortuoso & antiquo, qui est inimicus & vltor, & mordebit eam. Capta quoque vitiis atque peccatis gladio Domini percutietur, vt per cruciatus atque supplicia ad Dominum reuertatur.* Iterùm Petrus iste Pseudo-Martyr insurgit, & alium S. Ambrosij locum nobis obiicit, eò quòd apud eumdem hæc legantur: *Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego.* Sed tuam, ô Petre, fidem! ni malitiosè ageres, sat videres, satisfactioñe eo loco non significare eam Pœnitentiæ partem, quam Ecclesia Catholica satisfactionem propriè vocat, sed nudam excusationem, prout & communi loquendi vsu, si quid perperam vel præter mentem eius, qui nobis rem quampiam commisit, egisse videamur, ei nos satisfacturos dicimus, hoc est, eam præuaricationis rationem & excusationem allaturos, vt immunes nos ab omni prauitate pronuntiet. Ambrosius igitur non reprobat aut vituperat satisfactionem Sacramentalem, sed Petrum Apostolum commendat à pœnitẽtiâ verâ, quòd nimirum non excusauerit peccatum suum, sicut fecerũt olim primi parentes in paradiso, sed lacrymis potiùs diluerit. Et hanc esse S. Ambrosij mentem, elicimus ex illis quæ paulò ante dixerat: *Inuenio quod fleuerit, non inuenio quid dixerit, quia nimirum nihil Petrus dixerat in sui purgationem.* Quod ipsum etiam in sequentibus porrò ostendit, dum sic inquit: *Rectè planè Petrus fleuit, & tacuit: quia quod defleri solet, non solet excusari; & quod defendi non potest, ablui potest.* Apage ergo hæreticam istius Pseudo-Martyris, quam D. Ambrosio mendacissimè effingit, mẽtem. Chrysostomum quoque, vt è Græcis etiam Patribus Patronum aliquem habere videãtur, vel reluctantem attrahunt, qui sic scripserat: *Cum hinc discesserimus, non est in nobis situm pœnitere, neque commissa diluere. . . . . Neque enim qui in præsenti vitâ peccata nõ abluerunt, posteà consolationem aliquam inuenturi sunt.* At de mortalium peccatorum remissione hìc agit Chrysostomus, quæ in Purgatorio remitti, nullus vnquã vel docuit vel docet Catholicus. Sed fuit etiam qui hunc Cypriani locũ nobis aliquando opposuerit: *Quando isthinc excessum fuerit, nullus iam pœnitẽtiæ locus est, nullus satisfactionis effectus.* Hũc nodum vt dissoluamus, ex Bellarmino adnotandum est, geminam à Patribus satisfactionem assignari; vnam, quæ iustificationem præcedit, quâ Deus placatur de congruo, vt loquuntur, & ad culpæ remissionem permouetur, & de quâ loquitur S. Daniel dum inquit, *Peccata tua eleemosynis redime*: alteram, quæ iustificationem sequitur, quâ Deo nimirũ pro pœnâ ex condigno satisfit. De primâ ergo loqui Cyprianum, nullum omnino est dubiũ, cùm id doceant (quod hæretici aduertere debuissẽt) tum verba eius præcedentia, quæ sunt hæc: *Hortamur, dum adhuc aliquid de sæculo superest, Deo satisfacere, & ad veræ religionis cãdidam lucem de profundo tenebrosæ superstitionis emergere*; tum & sequentia, quæ sunt, *Hìc vita aut amittitur, aut tenetur.* Theophylactum deniq; alij citant, cuius hæc in nos verba torquent: *Anima egressa, in mundo non errat: iustorum enim animæ in manu Dei sunt, peccatorum verò & ipsæ hinc abducuntur vt anima diuitis.* Fortè telum, fateor, primâ fronte hoc apparet: sed mens Theophylacti non fuit Purgatoriũ euertere, sed adstruere solùm, animas è corporibus excessas haud ita per mũdum diuagari, vt faciunt dæmones, donec post vltimum iudicij diem tartaro includantur; sed sua ad loca iam tum esse destinatas. iustas ad cælũ, impias ad infernum. Et quamquã Theophylactus duorum tantummodò locorum mentionem fecerit, commodè tamen, & haud contra mentem eius, ad alterutrum suo modo purgandas animas assignare possumus, ita vt eas in manu Dei esse dicamus, quia in eius sunt gratiâ; & in inferno, quatenus nimirum temporaliter in Purgatorio, cuius pœnæ

Quarta obiectio.
In Expositione Psalm. 31.
Solutio.
Quinta obiectio.
Lib. de bono mortis.
Solutio.
Sexta obiectio.
In cap. 9. Amos.
Solutio.
Septima obiectio.
In c. 22. Lucæ Serm. 46.
Solutio.
Octaua obiectio.
Homil. 2. de Lazaro.
Solutio.
Nona obiectio.
Tract. 1. contra Demetrian.
Solutio.
Dan. 4.
Decima obiectio.
In cap. 8. Matthæi.
Solutio.

næ ab infernalibus eo solùm differunt, à scoriis vitæ humanæ excoquantur. Nihil ergo subsidij hæreticis est à Patribus.

Obiectio 1. ex infinitate meritorum Christi.

13. Ad ratiocinationes aduersariorum transimus, vnde nec ipsis suppetere posse quo doctrinam nostram conuellant, statim apparebit. Primò ergo aiunt, friuolum esse, nos docere, post dimissam culpam, superesse pœnam adhuc aliquam exoluendam, propterea quòd per infinitum Christi Saluatoris meritum omnia deleantur & obliterentur.

Solutio.

Sed si hoc verum, cur tot adhuc à Saluatoris passione, morte, meritis & satisfactionibus, agitamur miseriis? cur ipsa mors, quæ ob originale peccatum homini imposita fuit, quod tamen per Baptismum deletur, vt nobis ex Fide constat, subeunda est? Argumento id profectò est, non omnes peccatorum pœnas per Christum (nisi eius merita debitè fuerint applicata) auferri, sed iustitiæ quoque diuinæ locũ esse, vt in purgandis animabus fieri, piè credunt & sciunt Catholici, atque alibi à nobis, cùm nimirum infrà Libro II. de Indulgentiis agemus, probabitur.

Obiectio 2. ex comparatione ad Baptismum.

Altera, æquè infirma ratio succedit. Aiunt, per pœnitentiam simul cum culpâ omnem penitus pœnam remitti, quemadmodum fit in Baptismo, cuius hæc veluti quædam est repræsentatio.

Solutio.

Verùm ad id respondetur, pœnitentiam dupliciter compleri: vel perfectè, vt & satisfactionem includat, & tunc Purgatorio locum non esse; vel imperfectè, & tum non impedire Purgatorium, propterea quòd magna sit inter Baptismum & pœnitentiam discrepantia: in illo enim Deus liberalissimè omnia peccata tam quoad pœnam quàm quoad culpam remittit; in hac verò ita condonatur culpa, vt tamen pœna aliqua subeunda & sustinenda remaneat: quod vel ideò iustissimè fit, quia ille, qui post Baptismum in peccatum relapsus fuerit, ampliorem & grauiorem punitionem promereatur.

Obiectio 3. à persona Christi mediatoris.

Tertium à ratione contra nos euibratum iaculum hoc est, quasi nimirum Christo Redemptori fiat iniuria, si admittatur, mortuis per viuentes homines liberationem è Purgatorio obtineri, eò quòd, mediatoris munus obire, soli Dei filio competat.

Solutio.

Verùm enimuerò, id non magis Christo Redemptori præiudicat, quàm eleemosynarum elargitio, cui tamen sacræ Litteræ redemptionis effectum adscribunt, vt patet ex illo Danielis ad Nabuchodonosorem Regem effato: *Peccata tua eleemosynis redime.* Idem de charitate, fide, aliisque virtutibus facit Scriptura, vt pluribus haud opus sit.

Daniel. 4.

Obiectio 4. ab absurdo.

Vrgent aduersarij: Si fideles defuncti per viuorum preces, &c. liberari è Purgatorio permitteretur, gemina hoc vno in actu reperiretur satisfactio, nimirum Christi, & viuorum hominum, adeoque bis pro eodem solutio daretur, quod à ratione videtur alienum. Responsio haud est difficilis, solutio enim quam appendunt homines pro suis vel aliorum delictis, eadem est cum satisfactione Christi; à meritis nimirum Christi inchoatur, à nobis verò perficitur atque completur: seu potiùs per Saluatorem factum est vt Deo grata & acceptabilis fieret fidelium satisfactio, quæ aliàs omnino fuisset inutilis. Quæ prætereà à Theologis in scholis exercitij causâ adducuntur, commodioribus locis inserenda erunt: vnum tantummodò hæretici cuiusdam argumentum adscribimus, quod refert ille, de quo iam toties, R. P. Martinus Becanus, estque huiusmodi: Quidquid non est ex fide, est peccatum: orare pro mortuis non est ex fide; ergo est peccatum. Minorem probat hæreticus hunc in modum: Quidquid fit cum dubitatione vel hæsitatione aliqua, non est ex fide: orare pro mortuis, fit cũ dubitatione vel hæsitatione aliquâ; ergo non est ex fide. Probationis huius Maiorem sic probabat: quia fides est hypostasis rerum sperandarum; si hypostasis, non admittit hæsitationem. Minorem verò sic: quia qui orant pro mortuis, ignorant statum mortuorum, id est, vtrùm mortui sint ex numero saluorum vel damnatorum, pro quibus nullis opus orationibus; an verò ex iis qui Purgatorij pœnis ad tempus adiiciuntur, pro quibus forsan locum haberent aut habere possent preces pro illorum liberatione conceptæ.

To. 3. Opusc. pag 65.

Ridiculum hæretici obiectum.

Cui argumento cùm insigniter ac luculenter respondisset atque etiam satisfecisset idem R. P. Becanus, tandem idipsum ita in suum, à quo vibratum erat, auctorem dexterrime retorquet: Quidquid non est ex fide, peccatum est: oratio Caluinistarum pro absentibus non est ex fide; ergo est peccatum. Probatio Minoris: Quidquid fit cum dubitatione vel hæsitatione aliquâ, non est ex fide: oratio Caluinistarum pro absentibus fit cum dubitatione vel hæsitatione aliquâ; ergo non est ex fide. Huius probationis Maior probatur: quia fides est hypostasis rerum sperandarum; si hypostasis, non admittit hæsitationem. Minor probatur: quia Caluinistæ, qui orant pro absentibus, ignorant statum absentium, id est, vtrùm absentes sint ex numero viuentium, an mortuorum. Sic ille: ex quo Catholicæ fidei soliditas, & hæreticorum lubricitas, ne dicam peruersitas, abundè cognoscitur.

In opponentem retorquetur argumentum.

Concludamus verò huius disputationis materiam, quam hactenus (vt verissimam vetustissimamque Catholicorum de Purgatorio doctrinam contra Nouatores adstrueremus) vndenis Capitibus explicauimus. 14

Hæretici moderni omnibus sunt iniurij.

Vnum, quod ad hæreticorum modernorum perfidiã detestandam facit maximè, eorumq; toti mundo impudẽtiam notã facere potest, audire Lectori haud sit ingratum, quia isti nimirum non solùm in mortuos extiterunt impij, sed & in Deum ipsum & cum ipso in cælis regnantes Sanctos proterui & blasphemi, in præcipuos insuper Christianæ fidei articulos adeò iniurij atque impudentes, vt omnes omnium temporum, quotquot ab ipso Christo vsque huc vixerunt & viguerunt, hæreticos, quàm longissimè superauerint. In Deum fuerunt blasphemi, dum docuerunt apertè, & nec modò docere verentur, Deum solo suo arbitratu prædestinare homines ad æternam mortem & damnationem, adhuc sine vllâ ipsorum culpâ: eosdem occultâ vi impellere & necessitare ad omnia flagitiorum genera perpetranda, vt habeat occasionem eos damnandi & puniendi: insuper mandare, vrgere, ac incitare satanam, vt eos ad peccandum inducat. Ex quo sequitur necessariò, meritò Deum omnium peccatorum & flagitiorum auctorem dicendum esse; imò esse pessimum illusorem, vt qui homines iuuare se velle simulet, cùm nihil minus in animo habeat. In Sanctos sunt proterui, dum eos dicunt esse laruas, bestias, carnifices, nec vllo modo inuocandos,

uocandos, quia non habeant aures tam longas vt ad nostras voces porrigantur. Imò, quod peius adhuc est, imaginem Christi crucifixi nullo modo in templis tolerandam esse, omnesque eos qui eam tolerant, veros esse idololatras, sicut Gentiles qui imagines bestiarum coluerunt & colunt. *En quanta blasphemia!* Contra fidei articulos iniurij sunt, dum impudenter docent, omnia iustorum opera esse inquinamenta, & peccata mortalia: legem Dei esse omnino impossibilem, nec ab vllo, quamuis sancto, hactenus esse seruatam, aut deinceps seruari posse: peccatum originis non tolli per Baptismum, sed manere in nobis quamdiu viuimus: omnes filios fidelium esse sanctos & membra Ecclesiæ ab vtero materno, ac proinde non egere Baptismo: eos qui ex illegitimo toro nati sunt, æternæ esse damnationis obnoxios, nec ad Baptismum admittendos: peccata prædestinatorum, quantumcumque enormia, numquam illis imputari, reproborum verò numquam remitti, &c. Quotus ergo quisque est, qui has hæreticorum nostrorum in Deum & Sanctos horrendas blasphemias audiens, eos non ex animo execrandos esse concludat.

15. *Quot hæreticorum in Catholicos scommata!*

Sed non possum, quin hanc adhuc laciniam tam splendidæ hæreticorum, & præcipuè Caluinistarum, togæ adtexam, quò eos toti mundo exosiores reddam, cùm præcipuè sacris sacratissimorum Imperatorum, Regum & Principum tiaris exitium meditentur, ideoque Regem Hispaniæ vocent raptorem, tyrannum, inuasorem, & nescio quid non: Archiduces Austriæ, è quibus hodie Catholicissimi nostri leguntur Imperatores, nominent perfidos; Ducem Sabaudiæ, crudelem & perfidum, Regem Poloniæ non absimilem; omnes denique Principes Catholicos, mancipia satanæ, Antichristi satellites, Turcis deteriores, ideoque nec pacem cum illis excolendam esse. Egregium profectò huius sui genij specimen iam à tribus ferè lustris in Germania dederunt. Quæ insuper in Catholicos non mendacia confingunt? Vix enim quidpiam ab ipsis scribitur contra nos Orthodoxos, quin infinitis id mendaciis scateat. Secuti nimirum sunt suum Patriarcham stigmaticū Caluinum, qui vt verum se mendacij spiritum habere probaret, docuit, imò pessimè confinxit, Romanos Pontifices cum Cardinalibus docere, nullum esse Deum, nullum Christum, nullam resurrectionem. (Lib. 4 Instit. c. 7. § 27.) Et audi, quæso optime Lector, quid ad propagandum suum Caluinismum confinxerint. Simulant consensum cum Lutheranis, à quibus scilicet Fratres appellari volunt, vt sic faciliùs Papistas, vt nos vocant (quod profectò nomē minimè erubescimus) opprimant: quin si fortè inter Catholicos aut alios suos aduersarios habitent, externo schemate se vel Catholicos, vel alios gerunt, vt sic minùs deprehendi aut euitari possint; imò liberè æquiuocationibus & deceptionibus suos vti posse permittunt, vt saltē hac ratione aliis illudant, etiamsi prætereà variæ contradictiones admittendæ forent.

16. *Quàm necessario hæreses inueniantur.* 1. Cor. 11.

Sed quis omnes ipsorum nequitias enumerare posset? ideò hunc filum præcidimus, & ne quis ab ipsis scandalum concipiat, qualiter hæ similesque hæreses Ecclesiæ Catholicæ prosint, coronidis loco docemus. *Oportet*, inquit Apostolus, *hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Facit enim Deus, vt ex hæreticorum contra nos insultibus fidei lumen splendidiùs elucescat. Quamuis enim ipsi fiant in interitum, Ecclesiæ tamen prosunt ad veritatis claritatem, quemadmodum qui digitis candelam emungit, licet proprios digitos commaculet, vt ea tamen lucidiùs ardeat facit. *Necesse est ergo*, vt Saluator noster ait, *vt veniāt scandala, verumtamen væ homini illi per quē scandalum venit.* Matth. 18. Quid ergo vtilitatis Ecclesiæ conferant hæretici, Augustini verbis discamus, qui sic ait: *Ecclesia Catholica per totum orbem validè lateq; diffusa, omnibus errantibus vtitur ad profectus suos, & ad eorum correctionem, cùm euigilare voluerint. Vtitur enim Gentibus ad materiam operationis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis suæ.* (*Quàm vtilis Ecclesiæ.* Lib. de Verâ relig. c. 6.) Iterùm sic loquitur idem: *Hæretici cùm foris sunt, plurimum prosunt, non verum docendo, quod nesciunt, sed ad verum aperiendum Catholicos excitando. Vtamur igitur etiam hæreticis, non vt eorum errores approbemus, sed vt Catholicam disciplinam aduersus eorum insidias asserentes, vigilantiores & cautiores simus; etiamsi eos ad salutem reuocare non possumus.* (Ibid. cap. 8.) Denique hæretici faciunt, vt sese fortiter exercere Catholici possint, quemadmodum cum Israëlitis fecisse scribitur Deus (*Hæ sunt Gentes*, inquit sacer Textus, *quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israëlem, & omnes, qui non nouerant bella Chananæorum: vt posteà discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi..... Dimisitq; eos, vt in ipsis experiretur Israelem, vtrùm audiret mandata Domini quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non*) (Iudic. 3.) eodem modo cum Christianis agit Deus, ad quorum exercitium hæreses multas permisit, vt maioris certaminis ac victoriæ illustrioris eis ansam offerret. S. Augustinus, *Omnis*, inquit, *malus aut ideò viuit, vt corrigatur; aut ideò viuit, vt per illum iustus exerceatur.* (In Psal. 54.) Duo ergo hæc à nobis circa hæreticos fieri possunt: aut enim conuerti possunt, & tunc fiet quod sanctus Iacobus ait, *saluabit* nimirum *animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum*: (Iacob. 5.) vel si conuerti nolint, exercitio nobis erunt, vnde honorifica nobis in cælo victoria & corona expectanda est. Interim nos fortiter erroribus illorum opponamus, atque pro fidei Catholicæ defensione gloriosè, si opus fuerit, potiùs occumbamus, quàm vel latum vnguem ab Ecclesiæ Romano-Catholicæ doctrinâ discedamus.

17. Animabunt nos ad hoc infinita Martyrum Sanctorum exempla, qui vitam suam pro fidei Catholicæ defensione generosissimè profuderunt, numeris horum propemodum infinitus, aliqua saltem ex parte Capite 21. sequenti videri poterit, cùm eos nimirum omnium suppliciorum genere pro Ecclesiasticâ ac Christianâ veritate libenter affectos, comprobabimus. Sed quid inter hos opus est adire Catholicos, cum ipsi etiam Iudæi tam insignes pro legum obseruantiâ sese exhibuerint, (*Catholicos confundunt in generositate Iudæi.*) vt Christianis in hoc duces sint si illos sequi placeat, si verò non placeat, non modicam nobis pusillanimitatis notam inurant, & nos totos confundant; vtpote qui non mori tantùm parati fuerunt, cùm ad hoc à fidei hostibus ac infidelibus adigerentur, sed qui spontè etiam se in mortem obtulerunt, atq; intrepidè, vt ita dicam, iniecerunt, dum iniuriam quæ diuino honori inferebatur, ferre non possent. Egregium horum en-

encomium reperitur Iudicum. 5. vbi Debbora ac Barac inter alia cantici sui arcana retulere: *Qui spontè obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino.* & infra. *Cor meum diligit principes Israel: qui propriâ voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino.* Horum si si exempla velimus, non solùm antequam huiusmodi Canticum à Debbora ac Barac compositum est, reperientur, verum etiam & plura & maiora temporibus subsequentibus, vnum ex 1. libro Machabæorum ca. 6. deprompsimus, quod in hac materia fuit eximium. Ibidem enim narratur sese Eleazar in mortem generositer præcipitasse, vt Israelitarum hostem atque impugnatorem Aniochum Eupatorem secum occideret. Verba textus sacri audiamus: *Et vidit Eleazar filius Saura vnam de bestiis loricatam loricis regis: & erat eminens super ceteras bestias. & visum est ei quòd in eâ esset rex: & dedit se vt liberaret populum suum, & acquireret sibi nomen æternum. Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis, interficiens à dextris & à sinistris, & cadebant ab eo huc atque illuc. Et iuit sub pedes elephantis, & supposuit se ei, & occidit eum: & cecidit in terrã super ipsum, & mortuus est illic.* O generosam mortẽ quæ Eleazarum in proprio triumpho sepeliuit! ex quâ gloriosius quam ipsâ vitâ triumphauit! quemadmodum & Samson plures hostes occidit moriens, quàm occiderat viuens. Cuius factum quia adeò quoque generosum fuit, non displicuerit alicui hic esse annexum. Loquitur itaque Iudicum liber. *Adductus* (Samson) *de carcere ludebat ante eos* (Philistinos) *feceruntque eum stare inter duas columnas. Qui dixit puero regenti gressus suos: Dimitte me, vt tangam columnas, quibus omnis imminet domus, & reclinet super eas, & paululum requiescam. Domus autem erat plena virorum ac mulierum, & erant ibi omnes principes Philistinorum, ac de tecto & solario circiter tria millia vtriusque sexus spectantes ludentem Samson. At ille inuocato Domino ait: Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam Deus meus, vt vlciscar me de hostibus meis, & pro amissione duorum luminum vnam vltionem recipiã. Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dexterâ, & alteram læuâ tenens, ait: Moriatur anima mea cum Philisthiim. concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes & cæteram multitudinem quæ ibi erat; multoque plures interfecit moriens, quàm antè viuus occiderat.* Idem vniuersos qui verè Catholici sunt, facere oporteret, & in mortem se libenter offerre, quando id in fidei Christianæ defensionem, hæresumque destructionem deseruire aut proficere potest. dico in hæresum destructionem, non hæreticorum, quos cõuersos potiùs cupimus, & ab erroris, ad veritatis viã reductos. Hoc optamus, in hoc laboramus, pro hoc vitã & sanguinẽ profundere ex intimis præcordiorum medullis quãto possumus cordis affectu desideramus. Moriatur ergo anima nostra cum Philisthiim, id est cum hæresibus, quarum illi gessere figuram, vt ex nostrâ in morte sepeliantur, vt iis in morte nostrâ sopitis, euigilent & ad fidem Ecclesiamque conuersi, resurgant ac viuant hæretici. Dixerim sanè hac in causâ quod de Israelitis optabat Apostolus, vt is ipse anathema esset à Christo, pro fratribus suis: nec immeritò idem exposcam quod à Domino expostulabat Moyses Propheta: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti.* Esset, si mihi quid vnquam vel maximè iucundum exoptatumque posset accidere, hoc præcipuum, vt oues ab Ecclesiâ Catholicâ in varias hæresum labyrinthos abactas & adhuc num oberrantes mei corporis perditione possem reducere, sanguinisque ac vitæ profusione redimere. Ignoscent ergo, si qui hæc fortassis lecturi sunt nouarum doctrinarum sequaces, & aduertent stylo nos subinde acriori in errores eorum fuisse inuectos; non ipsos infectati fuimus, quos nostro sanguine, nostrâ morte vt diximus, saluatos vellemus; sed hæresum turpitudinem modo illo declarari oportuit, nec rarò ad exorbitantes adeò falsitates, blasphemiasque simili stylo ad clariorem iustitiæ defensionem respondere. Esto subinde inuecti simus in hæresiarchas, aut illos qui in erroris sui pertinacia obierunt, an hoc iniustum, an id vobis ingratum, contra huiusmodi nos opposuisse & inclamasse, qui vos à recto ad deuium, à fide ad hæresim, ab Ecclesia ad Babel, à Pastore ad lupum, à cælo ad infernum, à Deo demum ad dæmonem perduxerunt? istud vobis amoris in nos occasio fieri debuit, quod iis resistamus; atque in hos insurgamus, qui malè vobis cupiunt, malè consulunt, malè vos perdunt.

Insigne exemplum Eleazaris.

Samsonis, Iudic. 16.

Quare in hæreses stylo acriori scriptum.

Rom. 9.

Exod. 32.

Non ex odio.

18\. At quoniam Catholicos in præsenti potissimum excitamus, vt zelum suum etsi non in hæreticos, in hæreses tamen & obstinatos illarum propugnatores exerceant, exerantque, volumus nonnulla adhuc exempla proferre quibus in hoc admodum animentur. fiet inde vt cùm Capitibus aliquot præcedentibus (ob tractatas ibidem controuersias) nulla fuerit exemplorum interserendorum cõmoditas, tanto nunc maiori copiâ, lassatum fortassis tetricis istis argumentis, Lectorem, nonnihil recreare possimus. Mirabilis in primis est Historia quam alter Machabæorum liber ita prodidit. *Razias autem quidam de senioribus ab Ierosolymis delatus est Nicanori, vir amator ciuitatis, & benè audiens: qui pro affectu pater Iudæorum appellabatur. Hic multis temporibus continentiæ propositum tenuit in Iudaismo, corpusque & animam tradere contentus pro perseuerantia. Volens autem Nicanor manifestare odium, quod habebat in Iudæos, misit milites quingentos, vt eum comprehenderent. putabat enim, si illum decepisset, se cladem Iudæis maximam illaturum. Turbis autem irruere in domum eius, & ianuam disrumpere, atque ignem admouere cupientibus, cùm iam comprehenderetur, gladio se petiit, eligens nobiliter mori potiùs, quàm subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos indignis iniuriis agi. Sed, cùm per festinationem non certo ictu plagam dedisset, & turba intra ostia irrumperent, recurrens audacter ad murum, præcipitauit semetipsum viriliter in turbas: quibus velociter locum dantibus casui eius, venit per mediam ceruicem: & cũ adhuc spiraret, accẽsus animo, surrexit: & cùm sanguis eius magno fluxu deflueret, & grauissimis vulneribus esset saucius, cursu turbam pertransiit: & stans supra quamdam petram præruptam, & iam ex sanguis effectus, complexus intestina sua, vtrisque manibus proiecit super turbas, inuocans Dominatorem vitæ ac spiritus, vt hæc illi iterùm redderet: atque ita vitâ defunctus est.* Hactenus Scriptura sacra. Exemplum admirandum potiùs quàm imitandum, & nisi excusetur ex speciali Spiritus sancti impulsu factum, nec laudandum. Nobis tamen qui modò generositatem laudamus, & ad magna-

2. Machabæorũ 14.

Insignis historia.

Non imitanda.

magnanimitatem Catholicos vt se hæresibus opponant incitamus, non extra propositum, quoniam si ille hoc in Iudaismo, si in Iudæorum hostes, quid expectandum à nobis qui euangelicâ luce imbuti, qui ab Ant-euangelicis oppugnamur? Audire igitur licebit alterum æque mirandum, non imitandum tamen exemplum, in quo Christiani stratagema inauditum exhibuere, vt liberos suos atque vxores ab infidelium (qui eos fortè peruertissent) seductione eriperent. Refert id R. P. Benedictus Fernandius è Societate IESV Theologus Tom. 3. Commentariorum in Genesim in hæc verba:

19. Quo tempore vniuersa Hispania post Gothorum regum interitum à Mahometanis vastata, excisaque sub barbaro illo, nefandoque iugo tenebatur; in Portugallia tamen aliquot munitiora Christiani habitabant Castella, quæ Saracenum iugum adhuc nesciebant, erat vnum in campis illis valdè spatiosis, & fœcundis, quos peramœnus irrigat Munda, non procul à Conimbrica, quæ nunc diuinarum, & humanarum disciplinarum altrix est celeberrima. Visitur nunc illud castellum in monte maiore vetere, inter cetera totius regni oppido nobilissimo. Ad hoc obsidendum confluxerat infinita Sarracenorum multitudo sub Rege Corduba Abderrameno, aut Almancore; visebantur latissima illa camporum æquora, quoquouersum portenduntur, barbarorum copiis plena: equites, peditesque instar locustarum omnia occupabant. Acerrimum deinde cœptum est contra oppidanos bellum, qui numero pauci, animo tamen impigri, & præualentes grauem illam intra castelli angustias molem obsidionis tecti vsque ad triennium pertulerunt. Ceterum pertinaciùs instante barbaro, nouisque semper & machinis, & armis, & militibus in oppugnationem oppiduli succedentibus; Veritus, qui ducem gerebat Ioannes Abbas ex Ordine S. Benedicti capiendum haud dubiè castellum, seque deinde cum omnibus, qui intus erant, hostili ferro, ac probro mancipandum, consilium cœpit, re quidem impium, atque nefandum, nec vllis anteà sæculis aut patratum, aut auditum, sed ob ignorantiam ex pia intentione forsitan excusabile. Eia, inquit sociis, ad extremum iam res adducta, capiendum castellum, trucidandi omnes, quibus per ætatem licuit arma sumere, oppugnantibus obsistere. Feminæ, puerique in ludibrium, atque in prædam cessuri hostibus, quibus præter intolerandum seruitutis iugum impendet periculum, ne decepti aut compulsi Christianam religionem deserant, & ad nefandam Mahometis sectam transferantur. Igitur, quod honestius est, ac securius, trucidatis priùs feminis, ac pueris, ne barbarorum iniuriis exponantur, facta nos eruptione in obstantes hostium legiones irruamus, vt saltem fortiter ac viriliter depræliantes gloriosam inter Sarracenorum strages mortem oppetamus. Placuit omnibus Ioannis Consilium: omnesque breui mulieres, puerique ac vetuli cæso gutture ad vnum perempti: atque omnibus demùm opibus incendio absumptis, soli qui restabant viui propugnatores, apertis subitò portis, facto impetu in hostes Christum Dominum, & S. Iacobum de more implorantes inuolarunt. Fauet Deus bellatoribus suis, qui licet pauculi, barbarorum illam innumerabilem colluuiem cæsis nonaginta millibus profligarunt: fugientes deinde nostri sunt persecuti. Tum castra plena omnis barbaricæ opulentiæ à nostris direpta. Verùm vbi receptui datum est signum, ad saltum valdè condensum, ne introrsùm syluarum latebras temerè ingressi hostium paterent insidiis, substiterunt; læti quidē de prodigiosâ illâ victoriâ quam fere incruento Marte diuinitus pepererunt; at mœsti nimium, & animis plùs quam explicari, aut credi potest, exulceratis ob deplorandam feminarum & puerorum cædem, redeunt in castellum, vt suorum cadauera debitis lamentationum, & precationum officiis ad sepulturam vsque prosequerentur. Versam diceres cytharam in luctum, triumphi gloriam in pompam sepulchralem. Victis potiùs quàm victoribus similes eiulatu ad cælum vsque sublato suam, & suorum miserandam infelicitatem deplorantes domum miseri reuertebâtur. Accedētibus ergo iam ad portas Castelli (O immensam Dei clementiam pariter, atque potentiam!) occurrit obuiàm vniuersa cæsorum multitudo: mulieres ac pueri omnes viui, & incolumes festiuis cantibus, & victoriam bellatorum, & redditæ peremptis vitæ miraculum concelebrant. Quis obsecro incredibilem animorum lætitiam, ac voluptatem in vtrisque meritò explicabit? Ceterū ad perpetuum tam inauditi miraculi testimonium, ac monumentum admirabili quodā notati signo videbantur: in cuiusque scilicet gutture, qua vulnus priùs latè hiabat, quoddam veluti rubrum filum protendebatur. Nimirum quod de Iacob dixit Gennadius, claudum ex lucta remansisse, vt continentem atque perpetuam luctationem illius memoriam teneret, de nostris egregiè dicam sanguineo colore insignita illorum guttura fuisse, vti memoriam tam stupendi miraculi, & qui tum viuerent, & posteri subinde immortales perenniter Deo gratias agentes, concelebrarent. Magnam quoque Dei matrem Virginem debitis obsequiis, & colerent, & amarent, cuius in gratiam, ac preces illud esset tam insigne à Deo patratum miraculū. Nam prope illum saltum condensum vbi bellatores nostri substiterunt, extructum à Ioanne illo templum est, dicatumq; Virgini Deiparæ, cuius etiam effigies lignea, idem in gutture signum cruoris præferre visa est, aut quia sic diuinitus concessa imago apparuit; aut quia mortales illi grati, & pij, eam cui beneficium referebant acceptum illo suo signo prænotarunt. Latiùs fortasse quàm par erat, hanc historiam retulimus, sed ea tamen digna est, quā & nostri homines obliuionis ac taciturnitatis consepultam esse tenebris non patiantur: & gentes quoque vniuersæ in maiorem Dei gloriam, Virginisque matris honorem, & sciant, & admirentur. Testantur hoc, vti à me descriptum est, miraculum præter ipsam ab antiquis vsque ad nos deductam traditionem, archiui Cisterciensis monasterij; quod in eo loco saltus, vbi à bellando cessatum est, ædificatum hucusque visitur: demumque diligentissimus nostræ gentis Historiographus F. Bernardus de Brito lib. 6. Chron. Cisterci. ca. 27. & 28. patrio sermone conscripsit. Hactenus P. Fernandius ex quo vel illud patet, etsi imitandus nequaquam sit huiusmodi zelus, tam insigni tamen à Deo miraculo comprobatum fuisse.

Historia planè inaudita.

Mirandum non imitandum consiliū.

Mirum stratagema.

Mirabilius miraculum.

Q[illegible] hec historia.

encomium reperitur Iudicum. 5. vbi Debbora ac Barac inter alia cantici sui arcana retulere: *Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino.* & infra: *Cor meum diligit principes Israel: qui propriâ voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino.* Horum si si exempla velimus, non solùm antequam huiusmodi Canticum à Debbora ac Barac compositum est, reperientur, verum etiam & plura & maiora temporibus subsequentibus, vnum ex 1. libro Machabæorum ca. 6. deprompsimus, quod in hac materia fuit eximium. Ibidem enim narratur sese Eleazar in mortem generositer præcipitasse, vt Israelitarum hostem atque impugnatorem Aniochum Eupatorem secum occideret. Verba textus sacri audiamus: *Et vidit Eleazar filius Saura vnam de bestiis loricatam loricis regis: & erat eminens super ceteras bestias. & visum est ei quòd in eâ esset rex: & dedit se vt liberaret populum suum, & acquireret sibi nomen æternum. Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis, interficiens à dextris & à sinistris, & cadebant ab eo huc atque illuc. Et iuit sub pedes elephantis, & supposuit se ei, & occidit eum: & cecidit in terrã super ipsum, & mortuus est illic.* O generosam mortẽ quæ Eleazarum in proprio triumpho sepeliuit! ex quâ gloriosius quam ipsâ vitâ triumphauit! quemadmodum & Samson plures hostes occidit moriens, quàm occiderat viuens. Cuius factum quia adeò quoque generosum fuit, non displicuerit alicui hic esse annexum. Loquitur itaque Iudicum liber. *Adductus* (Samson) *de carcere ludebat ante eos* (Philistinos) *feceruntque eum stare inter duas columnas. Qui dixit puero regenti gressus suos: Dimitte me, vt tangam columnas, quibus omnis imminet domus, & reclinet super eas, & paululùm requiescam. Domus autem erat plena virorum ac mulierum, & erant ibi omnes principes Philistinorum, ac de tecto & solario circiter tria millia vtriusque sexus spectantes ludentem Samson. At ille inuocato Domino ait: Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam Deus meus, vt vlciscar me de hostibus meis, & pro amissione duorum luminum vnam vltionem recipiã. Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dexterâ, & alteram læuâ tenens, ait: Moriatur anima mea cum Philisthiim. concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes & ceteram multitudinem quæ ibi erat; multoque plures interfecit moriens, quàm antè viuus occiderat.* Idem vniuersos qui verè Catholici sunt, facere oporteret, & in mortem se libenter offerre, quando id in fidei Christianæ defensionem, hæresumque destructionem deseruire aut proficere potest. dico in hæresum destructionem, non hæreticorum, quos cõuersos potiùs cupimus, & ab erroris, ad veritatis viã reductos. Hoc optamus, in hoc laboramus, pro hoc vitã & sanguinẽ profundere ex intimis præcordiorum medullis quãto possumus cordis affectu desideramus. Moriatur ergo anima nostra cum Philisthiim, id est cum hæresibus, quarum illi gessere figuram, vt eæ nostrâ in morte sepeliantur, vt iis in morte nostrâ sopitis, euigilent & ad fidem Ecclesiamque conuersi, resurgant ac viuant hæretici. Dixerim sanè hac in causâ quod de Israelitis optabat Apostolus, vt is ipse anathema esset à Christo, pro fratribus suis: nec immeritò idem exposcam quod à Domino expostulabat Moyses Propheta: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti.* Esset, si mihi quid vnquam vel maximè iucundum exoptatumque posset accidere, hoc præcipuum, vt oues ab Ecclesiâ Catholicâ in varias hæresum labyrinthos abactas & adhuc num oberrantes mei corporis perditione possem reducere, sanguinisque ac vitæ profusione redimere. Ignoscent ergo, si qui hæc fortasis lecturi sunt nouarum doctrinarum sequaces, & aduertent stylo nos subinde acriori in errores eorum fuisse inuectos; non ipsos insectati fuimus, quos nostro sanguine, nostrâ morte vt diximus, saluatos vellemus; sed hæresum turpitudinem modo illo declarari oportuit, nec rarò ad exorbitantes adeò falsitates, blasphemiasque simili stylo ad clariorem iustitiæ defensionem respondere. Esto subinde inuecti simus in hæresiarchas, aut illos qui in erroris sui pertinacia obierunt, an hoc iniustum, an id vobis ingratum, contra huiusmodi nos opposuisse & inclamasse, qui vos à recto ad deuium, à fide ad hæresim, ab Ecclesia ad Babel, à Pastore ad lupum, à cælo ad infernum, à Deo demum ad dæmonem perduxerunt? istud vobis amoris in nos occasio fieri debuit, quod iis resistamus; atque in hos insurgamus, qui malè vobis cupiunt, malè consulunt, malè vos perdunt.

At quoniam Catholicos in præsenti potissimum excitamus, vt zelum suum etsi non in hæreticos, in hæreses tamen & obstinatos illarum propugnatores exerceant, exerantque, volumus nonnulla adhuc exempla proferre quibus in hoc admodum animentur. fiet inde vt cùm Capitibus aliquot præcedentibus (ob tractatas ibidem controuersias) nulla fuerit exemplorum interferendorum cõmoditas, tanto nunc maiori copiâ, lassatum fortasis tetricis istis argumentis, Lectorem, nonnihil recreare possimus. Mirabilis in primis est Historia quam alter Machabæorum liber ita prodidit. *Razias autem quidam de senioribus ab Ierosolymis delatus est Nicanori, vir amator ciuitatis, & benè audiens: qui pro affectu pater Iudæorum appellabatur. Hic multis temporibus continentiæ propositum tenuit in Iudaismo, corpusque & animam tradere contentus pro perseuerantia. Volens autem Nicanor manifestare odium, quod habebat in Iudæos, misit milites quingentos, vt eum comprehenderent. putabat enim, si illum decepisset, se cladem Iudæis maximam illaturum. Turbis autem irruere in domum eius, & ianuam disrumpere, atque ignem admouere cupientibus, cùm iam comprehenderetur, gladio se petiit, eligens nobiliter mori potiùs, quàm subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos indignis iniuriis agi. Sed, cùm per festinationem non certo ictu plagam dedisset, & turbæ intra ostia irrumperent, recurrens audacter ad murum, præcipitauit semetipsum viriliter in turbas: quibus velociter locum dantibus casui eius, venit per mediam ceruicem: & cũ adhuc spiraret, accẽsus animo, surrexit: & cùm sanguis eius magno fluxu deflueret, & grauissimis vulneribus esset saucius, cursu turbam pertransiit: & stans supra quamdam petram præruptam, & iam ex sanguis effectus, complexus intestina sua, vtrisque manibus proiecit super turbas, inuocans Dominatorem vitæ ac spiritus, vt hæc illi iterùm redderet: atque ita vitâ defunctus est.* Hactenus Scriptura sacra. Exemplum admirandum potiùs quàm imitandum, & nisi excusetur ex speciali Spiritus sancti impulsu factum, nec laudandum. Nobis tamen qui modò generositatem laudamus, & ad magna-

Margin notes: Insigne exẽplum Eleazari. — Samsonis, Iudic. 16. — Quare in hæreses stylo acriori scriptum. — Rom. 9. — Exod. 32. — Non ex odio. — 18. — 2. Machabæorũ 14. — Insignis historia. — Non imitanda.

magnanimitatem Catholicos vt se hæresibus opponant incitamus, non extra propositum, quoniam si ille hoc in Iudaismo, si in Iudæorum hostes, quid expectandum à nobis qui euangelicâ luce imbuti, qui ab Ant-euangelicis oppugnamur? Audire igitur licebit alterum æque mirandum, non imitandum tamen exemplum, in quo Christiani stratagema inauditum exhibuere, vt liberos suos atque vxores ab infidelium (qui eos fortè peruertissent) seductione eriperent. Refert id R. P. Benedictus Fernandius è Societate IESV Theologus Tom. 3. Commentariorum in Genesim in hæc verba:

19\. Quo tempore vniuersa Hispania post Gothorum regum interitum à Mahometanis vastata, excisaque sub barbaro illo, nefandoque iugo tenebatur; in Portugallia tamen aliquot munitiora Christiani habitabant Castella, quæ Saracenum iugum adhuc nesciebant, erat vnum in campis illis valdè spatiosis, & fœcundis, quos peramœnus irrigat Munda, non procul à Conimbrica, quæ nunc diuinarum, & humanarum disciplinarum altrix est celeberrima. Visitur nunc illud castellum in monte maiore vetere, inter cetera totius regni oppido nobilissimo. Ad hoc obsidendum confluxerat infinita Sarracenorum multitudo sub Rege Corduba Abderrameno, aut Almancore; visebantur latissima illa camporum æquora, quoquouersum portenduntur, barbarorum copiis plena: equites, peditesque instar locustarum omnia occupabant. Acerrimum deinde cœptum est contra oppidanos bellum, qui numero pauci, animo tamen impigri, & præualentes grauem illam intra castelli angustias molem obsidionis tecti vsque ad triennium pertulerunt. Ceterum pertinaciùs instante barbaro, nouisque semper & machinis, & armis, & militibus in oppugnationem oppiduli succedentibus; Veritus, qui ducem gerebat Ioannes Abbas ex Ordine S. Benedicti capiendum haud dubiè castellum, seque deinde cum omnibus, qui intus erant, hostili ferro, ac probro mancipandum, consilium cœpit, re quidem impium, atque nefandum, nec vllis anteà sæculis aut patratum, aut auditum, sed ob ignorantiam ex pia intentione forsitan excusabile. Eia, inquit sociis, ad extremum iam res adducta, capiendum castellum, trucidandi omnes, quibus per ætatem licuit arma sumere, oppugnantibus obsistere. Feminæ, puerique in ludibrium, atque in prædam cessuri hostibus, quibus præter intolerandum seruitutis iugum impendet periculum, ne decepti aut compulsi Christianam religionem deserant, & ad nefandam Mahometis sectam transferantur. Igitur, quod honestius est, ac securius, trucidatis priùs feminis, ac pueris, ne barbarorum iniuriis exponantur, facta nos eruptione in obstantes hostium legiones irruamus, vt saltem fortiter ac viriliter depræliantes gloriosam inter Sarracenorum strages mortem oppetamus. Placuit omnibus Ioannis Consilium: omnesque breui mulieres, puerique ac vetuli cæso gutture ad vnum perempti: atque omnibus demùm opibus incendio absumptis, soli qui restabant viui propugnatores, apertis subitò portis, facto impetu in hostes Christum Dominum, & S. Iacobum de more implorantes inuolarunt. Fauet Deus bellatoribus suis, qui licet pauculi, barbarorum illam innumerabilem colluuiem cæsis nonaginta millibus profligarunt: fugientes deinde nostri sunt persecuti. Tum castra plena omnis barbaricæ opulentiæ à nostris direpta. Verùm vbi receptui datum est signum, ad saltum valdè condensum, ne introrsum syluarum latebras temerè ingressi hostium paterent insidiis, substiterunt; læti quidē de prodigiosâ illâ victoriâ quam fere incruento Marte diuinitus pepererunt; at mœsti nimium, & animis plùs quam explicari, aut credi potest, exulceratis ob deplorandam feminarum & puerorum cædem, redeunt in castellum, vt suorum cadauera debitis lamentationum, & precationum officiis ad sepulturam vsque prosequerentur. Versam diceres cytharam in luctum, triumphi gloriam in pompam sepulchralem. Victis potiùs quàm victoribus similes eiulatu ad cælum vsque sublato suam, & suorum miserandam infelicitatem deplorantes domum miseri reuertebātur. Accedētibus ergo iam ad portas Castelli (O immensam Dei clementiam pariter, atque potentiam!) occurrit obuiàm vniuersa cæsorum multitudo: mulieres ac pueri omnes viui, & incolumes festiuis cantibus, & victoriam bellatorum, & redditæ peremptis vitæ miraculum concelebrant. Quis obsecro incredibilem animorum lætitiam, ac voluptatem in vtrisque meritò explicabit? Ceterū ad perpetuum tam inauditi miraculi testimonium, ac monumentum admirabili quodā notati signo videbantur: in cuiusque scilicet gutture, qua vulnus priùs latè hiabat, quoddam veluti rubrum filum protendebatur. Nimirum quod de Iacob dixit Gennadius, claudum ex lucta remansisse, vt continentem atque perpetuam luctationem illius memoriam teneret, de nostris egregiè dicam sanguineo colore insignita illorum guttura fuisse, vti memoriam tam stupendi miraculi, & qui tum viuerent, & posteri subinde immortales perenniter Deo gratias agentes, concelebrarent. Magnam quoque Dei matrem Virginem debitis obsequiis, & colerent, & amarent, cuius in gratiam, ac preces illud esset tam insigne à Deo patratum miraculū. Nam prope illum saltum condensum vbi bellatores nostri substiterunt, extructum à Ioanne illo templum est, dicatumq; Virgini Deiparæ, cuius etiam effigies lignea, idem in gutture signum cruoris præferre visa est, aut quia sic diuinitus concessa imago apparuit; aut quia mortales illi grati, & pij, eam cui beneficium referebant acceptum illo suo signo prænotarunt. Latiùs fortassè quàm par erat, hanc historiam retulimus, sed ea tamen digna est, quā & nostri homines obliuionis ac taciturnitatis consepultam esse tenebris non patiantur: & gentes quoque vniuersæ in maiorem Dei gloriam, Virginisque matris honorem, & sciant, & admirentur. Testantur hoc, vti à me descriptum est, miraculum præter ipsam ab antiquis vsque ad nos deductam traditionem, archiui Cisterciensis monasterij; quod in eo loco saltus, vbi à bellando cessatum est, ædificatum hucusque visitur: demumque diligentissimus nostræ gentis Historiographus F. Bernardus de Brito lib. 6. Chron. Cisterci. ca. 27. & 28. patrio sermone conscripsit. Hactenus P. Fernandius ex quo vel illud patet, etsi imitandus nequaquam sit huiusmodi zelus, tam insigni tamen à Deo miraculo comprobatum fuisse.

Historia plane inaudita.

Mirandum non imitandum consiliū.

Mirum stratagema.

Mirabilius miraculum.

Quàm authentica hæc historia.

CAPVT XVI.

Leuissimus purgandorum cruciatus quamlibet sæculi miseriam superat.

1. *Quò sectarij plus purgatorio aduersantur, eò Catholici id amplius defendere debent.*

CVm Purgatorij veritatem hactenus asseruerimus, exponendum porrò nobis est, qualia sint ibi supplicia, quibus, ob quæ delicta, & quamdiu infligantur, quis etiam, & quâ obligatione animas ibi detentas iuuare & liberare teneatur, vt hinc fideles Catholici ad mortuos iuuandos tantò ferantur diligentiùs, tantò lubentiùs, tantò feruentiùs, quantò nostri temporis hæreticos pertinaciùs ac impudentiùs detrahere iis iusta, conspexerint. Hoc vt fiat, inspiciendum præcipuè occurrit, quantâ inuidiâ, quanto odio moderni sectatores in mortuorum suffragia impetum faciant, quanto item molimine ea impedire imò tollere omnino conentur. Caluinus certè, tametsi, vt suprà ostendimus, vel inuitus confiteri debuerit, ante annos propemodum mille & quadringentos vsu receptum fuisse, vt pro defunctis in Ecclesiâ precationes fierent, hanc tamen adeò piam, adeò antiquam Orthodoxorum consuetudinem totis quibus potuit viribus, quibus valuit verborum lenociniis ac Patrum confictis excusationibus, quas denique eructare potuit detestationibus, scommatibus blasphemiisque impugnauit. Videte, quæso, fallacias, videte fucatas excusationes Patrum, quibus rem hanc adeò proficuam è mentibus fidelium eliminatam voluit. In suis Opusculis sic ait: *Non nego morem hunc esse antiquum, vt sæpè mos absque ratione dominatur: neque inficior, eiusmodi preces receptas esse à S. Chrysostomo, ab Epiphanio, à S. Augustino, & similiter ab aliis, quòd eas illi à suis tenerent prædecessoribus; quamquam non longè antè fuisse in vsu censeo. Verùm boni illi viri, quos recensui, nimiâ credulitate absque discretione ac iudicio id, quòd citò inualuit, secuti sunt.* Alibi iterùm, *Ipsi etiam veteres*, inquit, *qui preces fundebant pro mortuis, & mandato Dei & legitimo exemplo hîc se destitui videbant. Cur ergo audebant? In eo dico aliquid humani passos esse, ideoq; ad imitationem trahendum non esse contendo quod fecerint.*

Mansuetum se simulat, vt decipiat Caluinus. Editionis Geneuensis per Baptistã Pineteul, pag. 1101.

Lib. 3. Instit. c. 5. §. 10.

2. Ecce mansuetum hîc Caluinum, quomodo sanctos Patres excuset, & humani quidpiam eos passos esse prætendat, cùm pro mortuis orare consueuerunt. Sed talem hîc eum esse agnosco, qualem descripsit Psalmœdus, quales item cauendos esse iam diu Christus perhibuit. Psalmœdus sic ait: *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* Saluator verò sic: *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Sed prodidit se tandem ille lupus, dũ præfatis in verbis duo dixit quæ apertæ eum falsitatis arguunt. *Ipsi*, inquit, *etiam veteres qui preces fundebant pro mortuis, & mandato Dei & legitimo exemplo hîc se destitui videbant.* E suo hoc cerebro confingit impius iste Caluinus, & tamen adeò impudenter asserit, quasi quid indubitatum esset aut verissimum. Quis non in superioribus contrarium vidit? vbi septuaginta propè de Purgatorio defunctorumque suffragiis allatæ & expositæ fuerunt Scripturæ. Mendax ergo Caluinus, licet hunc lupum veste ouinâ tegat. Deinde quia in defunctorum officiis quid humani passos esse antiquos Patres sibi friuolè persuaserat, illorum factum in exemplum assumendum non esse contendit. Sed quis Caluinum docuit, hac in re antiquos quid humani esse passos? Nemo sanè, nisi fuerit fortè ille Magistellus, quocum Lutherus salis modium se consumpsisse gloriatur, & qui Zvvinglium docuit, quem miser ille, albus an ater fuerit, edicere non valuit. Sed benigniùs (scilicet!) de tanto viro sentiendum nobis est, ideoque saltem à seipso hoc docuisse eum interpretabimur. Nimirum αὐτὸς ἔφα, & non habebimus ipsi fidem? Mirum verò est, à quoquam huic impostori haberi fidem, qui contra omnes antiquos Patres sentire, adeoque eos oppugnare non solùm non veretur, sed & apertè profitetur.

Psal. 54. Matth. 7. Simulationẽ suam prodit Caluinus.

3. Sed ouinam, quâ se Caluinus contexit, amplius detrahamus, & lupinam omnibus manifestiorem reddemus. *Credibile est*, inquit loco superiùs adducto, *aliquâ ratione ad id impulsos: nempe solatium quærebant quo subleuarent suum mærorem.* Et rursum: *Amori autem nostro non debemus eousque indulgere, vt peruersum orandi morem in Ecclesiâ erigamus. Certè quisquis mediocri prudentiâ pollet, facilè agnoscet, quidquid de hac re legitur apud veteres, publico mori & vulgi imperitiæ fuisse datum. Abrepti etiam ipsi, fateor, in errorem fuerunt, nempe vt inconsiderata credulitas priuare solet iudicio hominum mentes.* Ita tractat Caluinus sanctorum Patrum ac veterum Ecclesiæ Christianæ Doctorum communitatem, quàm alibi, vt vidimus, se venerari velle simulat. Sed simulat: quia etiam, quem vniuersis prælatum cupit, & ad cuius doctrinam atque fidei normam, reformandam dixit Ecclesiam, D. Augustinum intelligo, impudenter posteà insectatur & exagitat: *Monicam matrem suam in libris Confessionum S. Augustinus narrat vehementer rogasse, vt sui memoria in peragendis mysteriis fieret ad altare. Anile scilicet votum, quod filius non exegit, ad normam Scripturæ, sed pro naturæ affectu aliis probari voluit. Liber autem de curâ pro mortuis agendâ ab eo compositus, tot hæsitationes continet, vt suo frigore meritò debeat stulti zeli calorem extinguere, si quis mortuorum esse patronus appetat. Frigidis certè similitudinibus securos reddet, qui priùs erant solliciti: hæc enim vna est fultura, quia inualuit consuetudo vt preces adhibeantur pro mortuis, non esse spernendum hoc officium.* Ita paulatim laruam ponit, & detecto vultu Purgatorij animas impugnare non veretur: quamuis hæc modesta sint appellanda, si cum insolentioribus, quæ subiungimus, conferantur. Ait enim, Purgatorium ex multis blasphemiis constructum esse, & nouis quotidie fulciri, multasq; & graues offẽsiones suscitare. Hinc totis cõtra illud buccis, totis buccinis inclamat, & inclamandum esse ab omnibus adstruit. *Clamandũ, inquit, ergo non modò vocis, sed & gutturis & laterum contentione, Purgatorium exitiale satanæ esse commentum, quod Christi crucem euacuat, quod contumeliam Dei misericordiæ non ferendam irrogat, quod fidem nostram labefacit & euertit.* Satisne vidistis, Orthodoxi, quod hactenus simulationis ac hypocriseos laruatum dæmonium illum continuit, modò erumpere? Deus bone! quantæ hîc blasphemiæ, quantæ Cruci Christi, diuinæ misericordiæ, atque Apostolicæ fidei, irrogatæ iniuriæ! Tertio id infrà Libro pece-

Infamiter tractat Sanctos Patres.

Lib. 3. Instit. c. 5. §. 10.

Nominatim S. Augustinũ.

§. 6.

Tandem totus in blasphemias erumpit Caluinus.

peculiari Capite ostensuri sumus: modò verò, quantum Diabolus per suos tam strenuos ministros, hæreticos inquam, aduersus Purgatorij fidem odium ostendat, porrò è Caluini verbis enucleabimus: *Quid enim*, inquit, *illis est Purgatorium, nisi quæ post mortem à defunctorum animis pendatur pro peccatis satisfactio?* Nimirū satisfactionis fidem è fidelium mentibus eliminatā cupit, vt sic ipsum Purgatorium ab imis radicibus euellatur. Sed *Quid superest*, pergit eximius ille satanæ miles, *nisi Purgatorium meram esse eamq́, horribilem in Christum blasphemiam? Prætereo sacrilegia, quibus quotidie defenditur, offendicula quæ in Religione parit, aliaq́, innumera quæ ex tali impietatis fonte prodiisse conspicimus.* Pluribus, vt Caluini impietatem agnoscamus, opus non est: sat enim hinc Catholicos intelligere opinor, totum simul inferni barathrum suas in vnum Caluinum vires contulisse, vt suis mundum blasphemiis inficeret, & Christianorum animos à defunctorum pio adiutorio absterreret. Omitto reliqua omnino putidissima, quibus puri insaniā in Catholicæ Ecclesiæ preces atque suffragia debacchatur, dum nimirum religiosissimum hoc à sanctissimis quibusque Patribus adeò frequentatum officium, *malè consutam vocis sedulitatem, peruersam æmulationem, profanationem inuocationis Dei, crassiorem & portentosam superstitionem, animarum fascinationem, turpissimam nundinationem*, &c. O digna tali Luciano scommata, mendacia, sacrilegia, quæ non nisi sodomitico & liliato isti hæresiarchæ, & multarum insuper hæresium parenti, ab infernali Lucifero, vt ab impuro & fœtidissimo eius gutture eructentur, reseruata sunt!

In iisdem semper magis ascendit.

4. Sed quid ad hæc Catholici? Tantò sese profectò ampliùs in pietate mortuis exhibendā confirmari sentiunt, quantò impudentiùs atque obstinatiùs eam ab Ecclesiæ hostibus vident impugnari. Sæpiùs idcircò, vt ingenuè fatear, sum miratus, imò & contristatus, à multis iam annis magnā satis industriā & labore quæsitum Auctorem, qui totam ex professo, Scholasticè simul atque piè, quæ purgandorum animas concernit materiam pertractaret, inuentum hactenus fuisse neminem. Sat equidem multi, dum alia scribunt, hanc rem obiter & ex incidenti tangunt; sed solùm tangunt, non exhauriunt: nonnulli verò, qui tamen admodum sunt rari, quamuis ex proposito illam describere videantur, adeò id faciunt breuiter, vt vel non nisi de controuersiis agant, vel, si de suffragiorum scribant differentiis, eorumq; motiuis, vix controuersiarum meminerint. Vtrumque ego, (vtinam pro voto cuiuslibet aut gustu!) præsenti Opere præstare sum aggressus; quo & labore & industriā, mihi constat: quā verò felicitate, alij iudicent & arbitrentur. Sed ad rem.

Cur Auctor hæc scripserit

Ad primum quod facit, certum est apud Theologos, Purgatorij pœnas omnino tremendas esse & horribiles; dubium tamen, an omnes qui ibi detinentur, eiusmodi patiantur quæ maximum huius sæculi dolorem exsuperent. S. Bonauentura docuit Primò, pœnam damni in Purgatorio non esse maiorem omni pœnā siue Purgatorij siue huius vitæ: Secundò, Purgatorij pœnas esse maiores pœnis huius vitæ hoc solùm sensu, quòd maxima pœna Purgatorij maior sit maximā pœnā huius vitæ, licet aliqua pœna Purgatorij reperiatur minor aliquā pœnā huius vitæ. Quam sententiam sibi placere, scripsit Bellarminus. *Nam licet*, inquit, *absentia summi boni ex se generet in amante summam tristitiam, tamen in Purgatorio mitigatur hæc tristitia, & leuatur magnā ex parte, propter certam spem illius boni acquirendi: ista enim certissima spes adfert incredibile gaudium: & quò magis propinquat finis illius exilij, tantò magis gaudium crescit. Itaque solùm in inferno pœna damni est summa, quā est annexa desperationi certissimæ. Et de hac loquitur Chrysostomus Homil. 24. in Matthæum, cùm mille gehennas dicit nihil esse, si conferantur cum amissione diuini conspectus; & Augustinus, qui in Enchirid. cap. 112. dicit minimam pœnam damni, si tamen æterna sit, maiorem esse omnibus pœnis huius vitæ.* Sic Bellarminus.

Purgatorij pœnæ omniū pœnarum sunt grauissimæ.

Bonau. in 4. dist. 20. art. 1. quæst. 2.

Lib. 2. de Purgator. cap. 14.

5. Nos verò hac in re Angelicum potiùs quàm Seraphicum Doctorem sequimur, & mystico minus quàm Scholastico D. Thomæ Professori tribuimus, qui disputans, vtrùm quælibet Purgatorij pœna maior sit maximā huius vitæ pœnā, concludit, maiorem esse minimam Purgatorij pœnam maximā pœnā huius sæculi. Quod vt manifestius euadat, operæ pretium duximus, integram hoc loco disputationem eius inserere, quæ ita se habet: *Videtur quòd pœna Purgatorij non excedat omnem pœnam temporalem huius vitæ. Quantò enim aliquid est magis passiuum, tantò magis affligitur, si sensum læsionis habeat: sed corpus est magis passiuum quàm anima separata, tum quia habet contrarietatem ad ignem agentem, tum quia habet materiam, quæ est susceptiua qualitatis agentis, quod de animā non potest dici; ergo maior est pœna quam corpus patitur in hoc mundo, quàm pœna quā anima purgatur post hanc vitam. II. Pœna Purgatorij directè ordinatur contra venialia: sed venialibus, cùm sint leuissima peccata, leuissima pœna debetur, si secundùm mensuram delicti sit plagarum modus; ergo pœna Purgatorij est leuissima. III. Reatus, cùm sit effectus culpæ, non intenditur, nisi culpa intendatur: sed in illo, cui iam culpa dimissa est, non potest culpa intendi; ergo in eo, cui culpa mortalis dimissa est, pro quo non plenè satisfecit, reatus non crescit in morte: sed in hac vitā non erat ei reatus respectu grauissimæ pœnæ; ergo pœna, quam patitur post hanc vitam, non erit ei grauior omni pœnā istius vitæ.*

D. Tom. in 4 dist. 21. q. 1. art. 1.

Obiectiones adductæ in contrarium.

6. *Sed contrà est, quod Augustinus dicit in quodam Sermone: Ille ignis Purgatorij durior erit quàm quidquid in hoc sæculo pœnarum aut sentire aut videre aut cogitare quis potest. II. Quantò pœna est vniuersalior, tantò maior: sed anima separata tota punitur, cùm sit simplex, non autem ita est de corpore; ergo illa pœna quæ est animæ separatæ, est maior omni pœnā quam corpus patitur.* Et infrà: *Ad tertiam quæstionem dicendum, quòd in Purgatorio erit duplex pœna: vna damni, in quantum scilicet retardantur à diuinā visione; alia sensus, secundùm quod ab igne corporali punientur: & quantum ad vtramque, pœna Purgatorij minima excedit maximam huius vitæ. Quantò enim aliquid magis desideratur, tantò eius absentia est molestior: & quia affectus, quo desideratur summum bonum, post hanc vitam in animabus sanctis, est intensissimus, quia non retardatur affectus mole corporis, & etiam quia terminus fruendi summo bono iam aduenisset, nisi aliquid impediret, & ideò de retardatione maximè dolent. Similiter etiam cùm dolor non sit læsio, sed læsionis sensus, tantò aliquis magis dolet de aliquo læsiuo, quantò magis est sensitiuum; vnde læsiones quæ fiunt in locis maximè*

In Purgatorio est pœna duplex, damni, & sensus.

mè sensibilibus, sunt maximum dolorem causantes: & quia totus sensus corporis est ab animâ, ideo si in ipsam animam aliquod læsiuum agat, de necessitate oportet quòd maximè affligatur. Quod autem anima ab igne corporali patiatur, hoc ad præsens supponimus, quia de hoc infrà Distinct. 44. dicetur; & ideò oportet quòd pœna Purgatorij, quantum ad pœnam damni & sensus, excedat omnem pœnam istius vitæ.

7. *Pœna Purgatorij non tam ex quantitate peccati, quàm ex dispositione puniti æstimanda.*

Ad obiecta autem respondet hoc modo. *Ad primum ergo dicendum, quòd quamuis anima sit minus passiua quàm corpus, tamen est magis cognoscitiua passionis: & vbi est maior passionis sensus, ibi est maior dolor, etiamsi sit minor passio. Ad secundum dicendum, quòd acerbitas illius pœnæ non est tantum ex quantitate peccati, quantum ex dispositione puniti, quia idem peccatum grauiùs punitur ibi quàm hic: sicut & ille qui est melioris complexionis, punitur magis eisdem plagis impositis quàm alius, & tamē iudex vtrique easdem plagas pro eisdem culpis inferens, iustè facit. Et per hoc etiam patet solutio ad tertium.* Hactenus D. Thomas, cuius auctoritate præuiâ, mirum cuipiam videri non debet, si Bellarmini rationes superiùs allatæ minùs placeant, cùm reuerà non adeò certæ sint, quin facilè ex dictis hactenus & posteà dicendis dissolui possint: nam in primis, etiamsi animæ in Purgatorio firmam spem habeant suæ liberationis, tamen actualiter visione beatificâ priuatæ sunt, & miris sensus tormentis expositæ, per quæ non implicat eas ita torqueri, vt plus patiantur quàm homo vel ferre vel imaginari hoc in mundo possit. Quod verò à Bellarmino adducitur ex S. Ioanne Chrysostomo, nobis non tantùm non obest, sed & à nobis stat: si enim mille gehennæ, seu ignis infernalis pœnæ nihil sunt, collatæ cum diuini conspectus amissione, & vtrumque Purgatorij spiritus certum ad tempus sustinere cogantur, probari & inferri inde videtur, quòd licet in Purgatorio non foret alia pœna quàm damni, illa eodem tempore superaret, millies etiam, pœnas sensus, atque adeò vniuersa tormenta quæ viuentes in sæculo perpeti possunt. Ad sancti Augustini prætereà locum haud minùs facile est respondere: ille enim agit de pœnâ damni, non priuationis diuinæ visionis, sed de minimâ pœnâ damni, hoc est de amissione minimæ gloriæ accidentalis, quæ si æternùm duraret, adhuc maior est quocumque sæculi cruciatu. Et hęc hactenus diximus ad ea quæ in contrarium superiùs Cardinalis ille Bellarminus attulerat.

Soluuntur obiecta Bellarmini.

8. *Pœnarum Purgatorij grauitas è mysticis nonnullis DD. probatur Ex Magistro. In 4. dist. 20.*

Nos, vt ostendamus quàm solida sit Doctoris Angelici sententia, producemus & alios multos auctores ac testes probatissimos, qui & idem senserunt, suisque scriptis confirmarunt: quos inter audiatur primus Sententiarum auctor, & ipsius D. Thomæ Magister, Petrus Lombardus. Hic ita habet: *Priùs purgandus est igne Purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conuersionis. Hic autem ignis etsi æternus non sit, miro modo grauis est, excellit enim omnem pœnam quam vnquam passus sit aliquis in hac vitâ. Numquam in carne tanta inuenta est pœna, licet mirabilia Martyres passi sint tormenta, & multi nequiter iniqui quanta sæpè sustinuerunt supplicia.* Quem vtrumque secuti meritò sunt plurimi Scholasticæ Theologiæ Scriptores, qui tum in ipsum D. Thomam, tum in Magistrum, insignia Commentaria ediderunt. Hos recensere longum nimis foret: ex pluribus igitur tres adduxisse suffecerit, a Paludanum, b Richardum, c Sotum, nec aliis, qui passim occurrunt, opus est. Vnicum si Schotum adiunxeris, qui tametsi disputationis & ingenij exercitij causâ in aliis multis probabilibus quæstionibus à D. Thoma dissideat, in præsenti tamen materia conuenit, nam vt apud eum videri potest in 4. distinct. 21. quæst. 1. fatetur minimam Purgatorij pœnam maiorem esse maximâ totius mundi: cuius etiam rationem adiungit quòd eò maior sit pœna quò ea magis est inuoluntaria. Nec Scholastici modò eamdem sententiã secuti sunt, sed varij quoque Mystici, è quorum classe præcipuus sit Venerabilis ille Lætiensium olim Abbas, Ludouicus Blosius, qui in Monili suo spirituali rem hanc insigni Religiosi cuiusdam apparitione confirmat. scribit enim sic: *Monachus quidam admodum pius, cùm, in mentis excessu positus, vidisset tormenta Purgatorij, reuersus ad se dixit: Nulla hominis lingua exprimere, nulla æstimatio concipere potest varietatem, multiplicationem & grauitatem suppliciorum, quibus, me adspiciente, purgandi subdebantur. Testis mihi est Deus, quia si quis me & cunctos charos meos affecisset omnibus iniuriis ac pœnis quæ possunt homini in hac vitâ irrogari, vel etiam occidisset, & viderem eum deputari tormentis à me conspectis, ego millies, si fieri posset, mortem pro eius ereptione subire paratus essem, adeò pœnæ illæ, quas in Purgatorio vidi, excedunt mensuram & modum cuiusuis doloris, angustiæ, amaritudinis ac miseriæ huius vitæ. Verumtamen qui ibi tam dirè cruciantur, paulatim ad tolerabiliora tormenta transeunt.* Hæc ille. Quibus & aliorum, qui de rebus mysticis egerunt, præclara scripta adiungere possemus, ni prolixitatem nimiam vitaremus; hoc tamen è S. Birgittæ Reuelationibus, quæ sanè variis à Conciliis atque summis Ecclesiæ Catholicæ Pontificibus approbatæ sunt, subnectimus. Legitur ibi, quòd sanctissimæ huic Matronæ infernalium pœnarum grauitas atque diuersitas ostensa fuerit, quibus hæc, quæ de Purgatorio vidit, scriptis commendauit: *Super verò tenebras istas est maxima pœna Purgatorij, quam animæ possunt sustinere.* Quàm paucis tormentorum Purgatorij magnitudo hoc in loco exprimitur, ea nimirum esse maxima, & maxima quæ ab animabus sustineri possint. Deus bone! multum dixisse sanctos Patres (quos inferiùs citabimus) existimare quis meritò poterit, dum affirmant, non posse quidquam maius à mortali ingenio concipi, aut ab humano corpore perferri, quàm quod in igne purgatorio tolerare coguntur defuncti; at multò nunc Birgitta loquitur ampliùs, non posse scilicet animam torqueri intensiùs (quoad pœnam sensus, vt Doctores loquuntur) quàm in Purgatorio reuerà torqueatur.

Aliis Theologis.

a In 4. q. 1. ar. 1. concl. 4. b Dist. 20. tract. 1. c. 1. c Dist. 30. art. 3. concl. 2.

Schoto.

Blosio.

Idem habet S. Birgitta.

Lib. 4. cap. 7.

Alia ex eadem S. Birgittâ huc spectantia aliis occasionibus reseruamus, Lectoremque curiosum, quò faciliorem prædictorum intellectum percipiat, ad loci eiusdem Expositores remittimus; quos inter, præter Cardinalem Turrecrematam, legi potest eximius ille in sacrâ Theologiâ Professor Constantius Durantus à S. Angelo in vado, qui nuper assensu Pauli V. Pontif. Max. doctissimis Notis D. Birgittæ Reuelationes illustrauit, atque in hunc locum scribens, è fundatissimis solidissimisque principiis demonstrauit (quod & nos hoc in loco agimus) pœnam Purgatorij non tantùm quoad damnum, 9.

Eius scripta quam solida.

num, vti paulò pòst ostendemus, sed & quoad sensum, maiorem terribilioremque esse vniuersis totius mundi tormentis. Sed iam aliorum Scriptorum auctoritates producere pergimus. Henricus Suso, vir quà eruditione quà mira sanctitate conspicuus, *Verto*, inquit, *nunc animum ad futurum illud sæculum, quò iam iamq; capiendus sum, adspicioq; Purgatorij carnificinam, vbi profectò inexplicabiles intueor angustias, miserias, calamitates. En flammæ crudeles, nimisq; feruentes: admodum in sublime feruntur, & supra miserorum capita complicantur & confluunt, animaq; in iisdem atris ac obscuris flammis haud aliter quàm scintillæ in igne sursum deorsum impinguntur & agitantur. Vox ibi omnium vna est, Heu! heu! Væ! væ! O diram calamitatem nostram! nec mortales omnes possint miseriarum, angustiarum, pœnarum nostrarum multitudinem, varietatem, acerbitatem cõprehendere.* Et infrà paulò: *Minimus huius loci cruciatus vincit immanissimos quos vllus vmquã Martyr in terris persenserit dolores. Vna hora hic prolixior esse videtur, quàm centum anni in terris.* Quæ vltima etiam verba à Ludolpho *a* de Saxonia eadẽ propè referuntur, ideoque infert, pœnam Purgatorij excedere omnem pœnam temporalem huius vitæ. Sãctus *b* etiam Bernardus illa quæ in hoc sæculo commissa sunt, centuplicitèr in alio docet esse castiganda. Verba eius hæc sunt: *Volat irreuocabile tempus; & dum creditis vos cauere pœnã istam minimam, incurritis ampliorem. Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerunt hìc neglecta, redduntur vsque ad nouissimum quadrantem.* Vnde in præcedentibus monet hìc cauere, ne posteà pœnam supra pœnam sustinere cogamur.

Suso Dialogi c. 21.

Vna hora in Purgatorio prolixior videtur quàm centum anni.

a Par. 1 Vitæ Christi, c. 20

b Serm. in obitu Humberti.

10. Pauca mellifluì Doctoris verba, non paucam, sed multam profectò proposito nostro probationem addunt. Notemus singula eius verba, quæ, vti communiter solent, insignem nucleum, præstantissimumque doctrinæ succum intra se conclusum habent. Vt ergo pœnam vitæ præsentis describat, eam vocat minimam: & verè, quia minima reuerà est respectu maximæ illius quæ occurret in vitâ futurâ. Addit deinde, pœnam alterius vitæ esse pœnam super pœnam, hoc est super omnem pœnam huius sæculi, seu, longè excedere id omne quod modò tamquam pœnam experimur & imaginamur. Tertiò ait, centupliciter, quæ hìc neglecta fuerint, post hanc vitam in purgabilibus locis esse reddenda. Quid amplius dixisse vir ille sanctissimus poterat, vt Purgatorij pœnam omnino intolerabilem adsereret respectu pœnæ præsentis? quantum enim numerus centenarius vnitatem excedit, tantum etiam, imò longè ampliùs, pœna alterius vitæ eam quam in præsenti sentire possumus. Quartò addit, quod etiam Christus Dominus in Euangelio maximè ponderauit, vsque ad nouissimum quadrantem ibi, hoc est pro minutissimis delictis ac negligentiis, satisfaciendum esse, ita vt nulla mitigatio, nulla partis alicuius, quantumuis exiguæ, remissio sit expectanda. Satis ergo dixit S. Bernardus, vt omnia diceret. Eâdem in sententiâ fuit D. Bernardo coæuus B. Gauricus Abbas, vtpote qui sic dicat: *Satius est, ô fratres, & suauius, fonte purgari, quàm igne. Prorsus qui fonte non fuerint modò purgati, igne habent purgari, si tamen purgari meruerint, quando scilicet Iudex ipse quasi ignis conflans sedebit, conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Nunc Christus aqua diluens, tunc ignis consumens: modò fons patens in ablutionem peccatorum & menstruatæ, tunc flamma sæuiens, & ignis vorans vsque ad medullas animæ. De ardore siquidem irati, foris ille purgatorius ignis exardescet in conspectu eius, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Ascendit, inquit, fumus in irâ eius, & ignis à facie eius exarsit, inde cadent super eos carbones pœnaliter Purgatorij, quibus non habentur modò carbones salubriter desolatorij.*

Expenduntur D. Bernardi verba.

B. Gauricus Abbas. Serm. 4 de Purific.

Psal. 49 & Psal. 139.

II. Et infrà clarissimè deducit, has Purgatorij pœnas omnem mundi cruciatum præcedere. *Væ nobis, inquit, si dies impleatur, & purgatio minimè impletur, & posteà necesse sit impleri, & illo nos igne purgari, quo nihil pœnalius, nihil acrius aut vehementius in hac vitâ potest excogitari. Sed quis ille tam perfectus, tam sanctus, qui cùm hinc exierit, nihil debeat illi igni? qui sic ad purum omnem in se scoriam excoxerit peccati, vt gloriari possit castum se habere cor, vt dicere possit, Mundum est cor meum, purus sum à peccato? Pauci quidem sunt electi, sed inter illos paucos paucissimi sunt, arbitror, ita perfecti, vt purgationem illam impleuerint, de quâ Sapiens dixit: De negligentiâ purgare cum paucis.* E quibus viri sancti dictis non solùm patet, tormenta Purgatorij maiora esse quàm vniuersa quæ in hoc mundo à nobis excogitari possunt; sed insuper paucissimos etiam esse, qui tantas hasce pœnas valeant euadere; ideoque & beatum dicendum, cui hoc priuilegium obtingit, vt à tam acerbis sese cruciamentis expediat. Allaboret itaque quilibet nostrûm, vt taliter seipsum à minimis quoque peccatis ac negligentiis, antequam diem suum obeat, perfectè expurget, vt illo futuro igne expurgatorio opus non sit. At quoniam de his plura in sequentibus acturi sumus, ad propositi nostri vlteriorem confirmationem redimus: cuius vt, quanta sit euidentia & certitudo, Lectori pateat, consilium impræsentiarum fuit, per antiquiora adhuc sæcula viros doctissimos sanctissimosque adducere, qui vnanimi acclamatione, verbis æquè disertis, & forsitan quoque manifestioribus adstruxerũt idem, quod Capitis huius inscriptio præfert, nimirum, Leuissime purgandorum cruciatus quamlibet sæculi miseriam superare. S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus sic habet: *Post mortem in Purgatorio erit aut nimius calor ignis, aut magnus rigor frigoris, aut aliud quodlibet genus pœnarum, de quibus minimum maius est quàm maximum quod in hac vitâ excogitari potest.* Quin &, *Sciendum*, inquit, *est etiam, quia grauior est ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vitâ: omnia enim tormenta quæ hìc sunt, multò faciliora sunt, & tamen homines ne ea patiantur, quidquid ab homine fuerit iussum faciunt: quanto melius est vt faciant quæ iubet Deus, ne illa grauiora patiãtur.* Venerabilis Beda: *Corripiuntur in irâ Dei, qui Christum fundamentum habent: sed non tantùm aurum, argentum, lapides pretiosos superædificant, sed etiam intermiscent ligna, fœnum, stipulas, id est, committunt quædam venialia peccata grauiora & leuiora. Et ideò necesse est vt hi tales in irâ corripiantur, id est, in purgatorio igne nunc interim ante diem iudicij ponantur, vt quæ in eis immunda sunt, per illum excurantur, & sic tandem idonei esse cum his, qui in dextrâ coronandi sunt, inueniantur. Nec immeritò tantum timat iste hanc correctionem: perpendit nimirum, eam esse grauiorem, quàm quidquid vmquam passi sunt latrones vel sancti Martyres.* In eadem Psalmistæ verba D. Gregorius Magnus hæc fuit commentatus:

Salubris exhortatio B. Gaurici.

Anselm. in Elucidario.

In 1. ad Cor. 3.

In Psal. 37. V. Beda.

In eundem Psalmum S. Gregorius.

Scio

Scio futurum, vt post vitæ huius exitum alij flammis expientur purgatorijs, alij sententiam æternæ subeant damnationis. Sed quia illum transitorium ignem omni tribulatione æstimo præsenti intolerabiliorem, non solùm in furore æternæ damnationis opto non argui, sed etiam in irâ transeuntis timeo correptionis purgari. Neque minus dixit Cæsarius Arelatensis Episcopus, qui alibi in suis Homilijs testatur, pœnam animarum esse maiorem quàm à crudelissimis tyrannis excogitari queat, & tamen quæ non illorum malitia adinuenit? additque vir sanctus, vt statim D. Augustinus: *Nemo hoc dicat, fratres charissimi, quia ille ipse purgatorius ignis durior erit, quàm quod possit pœnarum in hoc sæculo accidere, aut sentiri, aut cogitari.*

Homil. 8. *S. Cæsarius.*

12. Sed non multò pluribus in re adeò manifestâ fuerit opus. Sufficiet his adiunxisse Doctorem & aquilam Doctorum, S. Augustinum, qui varijs locis veritatem istam confessus est: nos è duobus verba eius mutuabimus. In Psalm. 37. sic loquitur: *Domine, ne in indignatione tuâ arguas me. Non sim inter illos, quibus dicturus es, Ite in ignem æternum. Neque in irâ tuâ emendes me, vt in hac vitâ purges me, & talem me reddas, cui emendatorio igne non opus sit propter illos qui salui erunt, sic tamen quasi per ignem. Quare? nisi quia hic ædificant supra fundamentum ligna, fœnum, stipulam. Ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretiosos, & de vtroque igne securi essent, non solum de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios; sed etiam de illo qui emendabit eos qui per ignem salui erunt. Dicitur enim, Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Et quia dicitur, Saluus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè, quamuis salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vitâ.* Sermone item 41. qui quartus est de animabus Purgatorij: *Sed dicet aliquis, Non pertinet ad me quamdiu moras habeam, si tamen ad vitam æternam perrexero. Nemo hoc dicat, fratres charissimi: quia ille purgatorius ignis durior erit, quàm quid potest in hoc sæculo pœnarum videri, cogitari, aut sentiri.* Quæ, præterquam quod ita clare nobis à tot sanctis Patribus sint proposita & declarata, confirmari etiam possunt ex ipsâ ratione, vti videre licebit apud Illustrissimum Card. Bellarminum, qui loquitur hoc modo: *Idem probat ratio, saltem de pœnâ sensus. nam tam ad dolorem quàm ad gaudium tria concurrunt, potentia, obiectum, & coniunctio vnius cum altero. In quantum ad potentiam, sine comparatione capacior est doloris potentia rationalis quàm animalis: nam quantum ad apprehensionem, intellectus est veluti fons, sensus veluti riuulus. Cùm ergo anima ipsa nuda immediatè torqueatur, maximus debet esse ille dolor ex parte patientis: nunc enim non tam anima quàm corpus torquetur, & per corpus aliquis etiam dolor ad animam transit. Quantum ad obiectum, si ibi est verus ignis, erit omnino acerrimus, cùm ad hoc solùm sit institutum, vt sit instrumentum iustitiæ diuinæ: si non sit ignis verus, erit aliquod horribilius, quale Deus parare potuit, qui potentiam suam in hoc ostendere voluit. Quantum demum ad coniunctionem, maxima erit: nam hic, vbi sunt corporalia omnia, non fit coniunctio nisi per contactum extremitatum & superficierum; at ibi animam ipsam intimè pœna illa penetrabit.*

In Psal. 37. D. Augustinus.

Idemque Augustinus.

Lib. 2. de Purg. c. 14. *Probatur res quoad pœnā sensus.*

13. Quid amplius? Idem probatur de pœnâ damni: *Quia sicuti possessio desiderati boni gignit gaudium, ita absentia desiderati boni gignit dolorem: sed bonum, quod animæ Purgatorij desiderant, est summum, & desiderium etiam est maximum; intellectus enim clarius cognoscit, quàm magnum bonum sit videre Deum, & appetitus tum naturalis tum etiam infusæ charitatis vires exerit & intensissimus est, nec impeditur à mole corporeâ, & sensibilibus delectationibus; vt in hac vitâ exempla dari possunt, vt si quis vehementissimè fame vexaretur, & arderet siti intolerabili, & videret ante se mensam instructam optimis cibis, dulcissimoq; vino, nec posset quidquam attingere, & tamen sciret alioqui sibi parata omnia illa fuisse.* Adiungi hisce possunt quæ habet R.P. Franciscus Suarez. *Ratio*, inquit, *à priore sumenda est ex ordinatione diuinæ iustitiæ, & grauitate offensionis eius, etiam minimæ; quæ altioris rationis est quàm omne malum creaturæ. Et ideò licet non sempiternam mereatur, meretur tamen pœnam grauiorem, & quasi altioris rationis; quam Deus in futurâ vitâ cum rigore exigit; quia homo in hac vitâ tempore sibi concesso vsus non est ad benigniorem compensationem faciendam. Quod autem anima capax sit huiusmodi pœnæ, facilè intelligi potest: quia malum spirituale, quod est obiectum illius tristitiæ, est grauius malum quàm sensibile obiectum doloris, & fortiùs apprehenditur ab animâ separatâ, quæ etiam expeditior est ad operandum affectiones etiam spirituales tam gaudij, quàm tristitiæ ex se sunt vehementiores, Deus etiam facilè potest necessitate quadam ad tantum dolorem mouere, ergo,* &c. Ita Suarez.

Idem de pœnā damni.

Tomo 4. Disp. 45. sect. 5. n. 4.

Constat eadem hæc res ex alijs pluribus quæ reuelationibus fide dignis apertè demonstrata fuerunt, quemadmodum patet in sanctæ Gertrudis de Saxoniâ Insinuationibus diuinis, in actis Christinæ mirabilis, in libro Dionysij Carthusiani de Quatuor nouissimis, in Historia Anglicanâ Ven. Bedæ, & multis alijs quæ passim legi poterunt: adducemus nos non nisi historias aliquot, quarum primam idem Dionysius Carth. & alij plures adscribunt S. Cyrillo Episcopo, qui eamdem transmisit D. Augustino inter alia miracula quæ tunc recens facta fuerant per intercessionem & merita S. Hieronymi paulò antè defuncti. Et, ne erremus, ipsissima Cyrilli verba proferamus. *Quadam vice ad vnum illorum trium iui,* quos nimirum per S. Hieronymū ad vitam resuscitatos fuisse antè descripserat, *quem dirè lacrymantem inueniens, interrogaui cur in tantum lugeret. Qui ex verbis meis nullam consolationem admittens, & sæpè interrogatus, tandem meâ importunitate victus respondit: Si scires quæ pridem expertus sum, iugiter fleres. Quales enim pœnas credis esse paratas non solùm damnatis, sed etiam in Purgatorio existentibus? Ad quod ego: Puto quod maiores sint pœnis præsentis vitæ. Et ille, Si omnes, inquit, quæ in mundo sunt pœnæ, tormenta & afflictiones, comparentur minori pœnæ quæ illic habetur, velut solatia apparebunt: mallet namque viuentium quilibet, si illas per experientiam nosceret, omnibus pœnis his simul sine remedio cruciari vsque in finem mundi, quas omnes homines ab Adam vsque in præsens sigillatim perpessi sunt, quàm vno die in inferno aut Purgatorio affligi minori pœnâ quæ ibi habetur. Idcircò causa fletus mei est timor pœnarum quæ peccatoribus iustè debentur: scio quippe me peccasse in Deum, quem iustum esse non dubito. Non ergo mireris si ploro, sed potiùs admirare, cur homines, qui se mortales agnoscunt, tantâ hic viuant securitate, neque verentur in pœnas illas incidere, neque solliciti sunt qualiter eas possunt euadere.*

Exemplum è S. Cyrillo de Purgatorij acerbitate.

Hactenus S. Cyrillus: cui annectere lubet aliud exemplum, quo Ven. Thomas Cantipratanus ostendit, Purgatorij tormenta, quæ breuissi- 14.

mo

mo aliquo spatio perferuntur, ratione inæstimabilis pœnæ ac intensionis superare dolorem maximum multorum annorũ in hoc sæculo. Verba Auctoris hæc sunt: *Quantæ autem prudẽtiæ sit, in hac vitâ pœnitẽtiam agere, exemplum subsequẽs demonstrabit. Erat vir fidelis & bonus, sicut prædictus Magister Albertus, Frater Ordinis Prædicatorum, & posteà Ratisbonensis Episcopus, sibi ab his qui rẽ familiariter nouerant traditum referebat, qui post diutinã pœnitentiam, quam sanus fecerat, in languorẽ grauissimum incidit: quo per annum non modicè tribulatus, cũ lacrymis rogauit Dominum, vt toto languori, concessâ morte, finẽ imponeret. Nec mora, missus ad eũ Angelus Domini, dixit ei: Exaudiuit Dominus precẽ tuam, sed eligas quod vis: aut tribus diebus Purgatorij pœnâ torqueberis si nunc decedas; aut si adhuc per annũ in languore manere volueris, sine vllo Purgatorio ad superos euolabis. Tunc ille præsentem pœnam recolens, nec futurã aduertens, respõdit: Mori potiùs elige, & non tantum tribus diebus, sed quantum Domino placuerit, in Purgatorio tribulari. Fiat, inquit Angelus, secundùm verbũ tuum. Nec mora, languẽs morte solutus est, & eius anima in Purgatoriũ deportata. Vno ergo die exacto, venit Angelus ad locum Purgatorij, vbi anima torquebatur, & dixit ei: Quid nũc agis, ô anima, quæ pro languore vnius anni tribus diebus elegisti in Purgatorio detineri? Cui anima, O seductor, inquit, non Angele, qui me in pœnis multis annorum curriculis pro triũ dierum spatio fefellisti. Et Angelus, Non morâ, inquit, sed inæstimabili torturâ decepta es; quia non nisi vnum diẽ de tribus in Purgatorio peregisti. Tui tamen adhuc, si retractare volueris quod elegisti, Dominus miseretur, vt ad corpus tuum, quod nondum sepultum est, reporteris, & per vnum annum languorem, quem expertus es, patiaris. Cui anima, Annuo, inquit, vt non per vnum annum tantùm, sed vsque in finem mundi languore etiam detineat acriore. Hoc dicto, anima reportatur ad corpus, & per annum in languore detenta, multos, quibus hæc retulit, ad pœnitentiam animauit, & post annum vnum iteratò defuncta transiit ad superna.*

Lib. 2. de Apib. c. 54.
Alterum exemplum è Cantiprata- no.

15. Atque hæc sunt, è quibus aliquatenus patuit differentia quæ inter mortalium ac defunctorum tormenta reperitur: quam quia Scriptores se non sufficienter explicare posse cõspexerunt, ingenuè professi sunt, alterius sæculi pœnas respectu præsentium adeò esse horribiles, vt illarũ notitia soli Deo & Christo sit perspecta. Hoc, præter aliorũ confessionem, Origenis verba testantur, qui de suppliciorum pœnarumq; alterius vitæ magnitudine & multitudine verba faciens, *Hoc nullus*, inquit, *ad integrũ nouit, nisi cui Pater omne iudiciũ tradidit*. Ceterùm aliorum Doctorũ est opinio, nonnullas Purgatorij animas ab omni sensus supplicio exemptas esse, soloque, vt aiunt, desiderio dilatæ visionis beatificæ torqueri. Probant id inprimis ex S. Birgittæ Reuelationibus, quæ postquam scripsisset, maximã esse Purgatorij pœnam, quam animæ perpeti possunt, sequẽtia adiungit: *Et vltra istum locum est locus alius, vbi minor est pœna, quæ nõ est alia quàm defectus virium in fortitudine, & pulchritudine & consimilibus; sicut per simile dico, quasi si aliquis esset infirmus, & cessante infirmitate vel pœnâ nihil haberet de viribus, donec paulatim recuperaret: Tertius verò locus superior est, vbi nulla alia pœna, nisi desideriũ perueniendi ad Deum. Et vt meliùs in consciẽtiâ tuâ intelligas, dico tibi per similitudinem, quasi si æs misceretur & caderet cum auro in igne ardentissimo, & tamdiu deberet purgari, donec æs consumeretur, & aurũ remaneret purum. Quantò verò æs fortius & spissius esset, tãtò ardentiori igne indigeret, donec aurum esset quasi aqua currens, & totum ardens. Deinde Magister eius profert aurum in locum alium, vbi obtineret verã formam in visu & tactu. Posteà mittit in tertium locũ, vbi custodiatur & præsentetur possessori. Sic est etiã spiritualiter. In primo loco supra tenebras est maxima pœna Purgatorij, vbi vidisti illam supradictam purgari: ibi est dæmonum tactus; ibi per similitudinẽ apparent venenosi vermes, & similitudo animaliũ ferocium: ibi calor est & frigus, vbi tenebræ & confusio, quæ procedunt de pœnâ quæ est in inferno. Ibi quædam animæ habent minorem pœnam, & quædam maiorẽ, iuxta quod erant peccata emẽdata pro eo tempore quo anima cũ corpore mansit. Deinde Magister, id est iustitia Dei, profert aurum, id est animas, in alia loca, vbi non est nisi defectus virium, in quibus animæ tamdiu morabuntur, donec refrigerium habebũt vel de specialibus amicis suis, vel de sanctæ Ecclesiæ continuis operibus; nam anima quò maius auxilium habebit de amicis, eò citiùs conualescit & liberabitur ab illo loco. Post hæc anima fertur in locũ tertium, vbi non est pœna nisi desiderium perueniendi ad Dei præsentiam, & eius visionem beatam. In hoc loco morantur multi, & nimis diu, præter illos qui in mundo dum vixerunt, non perfectum desiderium habuerunt perueniendi ad Dei præsentiam, & eius visionem.*

Homil. 8. in Numeros.
An Purgatorium desiderij
Lib. 4. c. 7.
Pulchra similitudine explicatur.

16. Hactenus S. Birgitta. Quibus conformia haberi possunt ea quæ refert Ven. Beda, qui ait, ostensum cuidam animæ fuisse, quæ ad corpus postmodum rediit, præter infernũ & regnũ cælorũ, quoddam quasi pratum florẽtissimum lucidissimumque, in quo animæ nonnullæ degebant nullis subiectæ tormentis, nisi quòd idoneæ nondũ forent vt beatificâ visione fruerentur. Similes prætereà visiones attulit D. Gregorius Magnus; & Dionysius Carthusianus. Aliorũ tamen grauissimorũ Theologorum sententia est, per metaphoram iam dicta intelligenda esse, & animas rectà ac statim è Purgatorij pœnis ad cæli gaudia Deique conspectum euolare. Quæ inter reliquos est sentẽtia R. P. Frãcisci Suarez, qui sic scribit: *Mihi non admodum probatur sententia eorum, qui asserunt, animas priùs puniri in quodam loco vbi ignis acriùs & intensiùs vrit; deinde transire ad alium vbi mitiùs puniuntur, posteà ad alium amœnum, vbi detinentur sine pœnâ sensus, vt ita tandem ad beatitudinem perueniant, non transeundo immediatè ab extremo ad extremum, sed per hæc media: quod etiam indicatum est in quibusdam reuelationibus, quas commemorat Dionysius Carthusianus Dialog. de Iudicio particulari, art. 30. & 31. Sed hæ reuelationes, nisi metaphoram aliquam contineant, mihi non faciunt fidẽ;* &c. *Finitâ pœnâ sensus, purgatio finita est, & anima est apta & expedita ad videndum Deum: quapropter nõ ampliùs detinetur; quia, vt suprà ostendi, numquam pœna damni, æterna vel temporalis, propter peccata actualia separatur à pœnâ sensus, quia reatus manens est maior seu diuturnior respectu vnius quàm alterius. Neq; oppositum potest probabili ratione suaderi, maximè si verũ est, reatum pœnæ temporalis non magis relinqui propter conuersionem quàm propter auersionem. Quapropter credibile non est, animas Purgatorij transire ad locum amœnũ, priusquam cælũ ingrediantur,* &c. Hæc P. Suarez, qui posteà etiam argumenta in contrariũ allata dissoluit. Quidquid sit, nihil hoc nostro instituto præiudicat, quandoquidem, vt ex S. Thomâ superiùs patuit, non solùm ex parte pœnæ sensus, sed etiam damni, quamcumq; sæculi miseriã superare leuissimè purgandorum cruciatum. Hoc vt euidentius fiat, specialiter explicabimus toto sequẽti Capite, vbi duo ostendemus, Primũ, vel momentaneã animæ à diuino cõspectu retardatione, to-

Lib. 5. Histor. c. 13.
Lib. 4. Dialog c. 36.
Dialog. de Iudicio particulari; art. 11.
Disp. 46. sect. 4. n. 7.
Tam ex parte damni quam sensus vera nostra sententia.

tius orbis iacturam longè exsuperari: alterum, minus esse, in cõparatione illius damni, omne supplicium, minus omne tormentum. Proderunt ista, vt quid sit damni pœna faciliùs intelligamus, & vt nobis atq; animabus (quarum afflictionem damnumq; plerumq; non satis põderamus) affectuosiùs prouideamus: nobis, vt dũ viuimus, & præuenire occasionem possumus, in hoc sedulò inuigilemus; animabus verò, vt quantò citiùs valuerimus, eorum damno, quod tantum & adeò ingens est, resarciendo manum adhibeamus.

CAPVT XVII.

Minùs facienda totius orbis iactura, minùs omne supplicium, præ momentaneo visionis beatificæ damno.

1. *Duo in omni peccato obseruanda, auersio à Deo, & conuersio ad terrena.*

IN qualibet peccati noxâ duo spectanda sunt, scilicet auersio à Deo, & conuersio ad terrena: auertit enim se à Creatore, & conuertitur ad creaturam, quicumque peccat. Vnde duplex Deo iniuria irrogatur, cui duplex etiam pœna respondet: auersioni quidem, vt loquuntur Theologi, pœna damni, seu priuatio conspectus diuini, à quo seipsum peccator elongauit; conuersioni verò, pœna sensus, seu afflictio orta ex violentâ applicatione rerum externarum, ad quas inordinatè sese transtulerat. Postquam igitur generatim ex doctissimis Ecclesiæ Magistris, quanta sit Purgatorij pœna, adstruximus, conueniens modò est ad particularia eiusdem tormẽta descendere. Et hoc quidem Capite de pœnâ damni, seu de iacturâ quam animæ patiuntur ex beatificæ visionis dilatione agendum nobis erit. Circa hanc scio inter Scholasticos magnã esse quæstionem, vtrum nimirum sit grauior omni sæculi cruciatu. Sed quia Doctor Angelicus D. Thomas adeò clarè præcedenti Capite id affirmauit, ille vnus nobis mille aliorum loco erit, eiusque vestigiis inhærebimus, quem docti omnes e Scholasticis sequi tutò possunt, & meritò deberẽt. Quare, suppositâ huius sententiæ veritate, rem potiùs ad animorum commotionem, atque erga defunctos commiserationem, ex similitudinibus naturalibus, quotidianis experimentis & exemplis declarabimus, quàm pro hac sententiâ citãdis Doctoribus, aduersariisque oppositionibus diluendis inhæreamus. Et quidem si minùs valida argumenta primùm excutere expediat, videri potest facillimè quantum purgandi spiritus ex dilatâ Dei visione crucientur, si expendatur, quanto viuentes adhuc homines, atq; adeò mortales, quibus adhuc dirum mortis debitum exsoluendum erat, se dolore affectos & confectos senserint, quòd Deum videndi gloria illis differretur.

2. *Sancti, dum in terris agerent, Dei visionem summoperè desiderabãt, vt Dauid:* Psal. 41. Psal. 62. Psal. 54. *Apostolus Paulus* Philipp. 1. 2 Cor. 5. Rom. 7.

Res æquè clara euadit è Sacris litteris ac SS. Patribus. Regius ille Psalmœdus inclamabat: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Item: *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* Item: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Similiter D. Paulus: *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.* Et: *Ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes: si tamen vestiti, non nudi inueniamur. Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati.* Item: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sed vt & SS. Patrum desideria adiungamus, de seipso testis est S. Ignatius Martyr, qui, vt ait S. Hieronymus, ita scripsit ad Romanos: *Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ videntur desiderans, vt Iesum Christum inueniam. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis cõtritio, & tormenta diaboli in me veniant: tantùm Christo fruar.* *S. Ignatius Martyr:* Hieronym. de Scriptoribus Ecclesiast.

Cumq;, inquit S. Hieronymus, *damnatus esset ad bestias, & rugientes audiret leones, ardore patiendi ait: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar.* Similia apud S. Chrysostomum, S. Hieronymum, S. Augustinum aliosque mysticos viros inuenies, quæ licet singula, longum esset enarrare, vel aliquo saltẽ modo referre, non fuerit extra propositũ. Diuus inprimis Ioannes Chrysostomus, exponens verba Patriarchæ Iacob quæ Pharaoni dixerat, *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parui & mali,* sic ea explicat: *Vide quomodo omnes iusti in hac vitâ ita affecti sunt. Audies enim & Dauid post hæc dicentem, Aduena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei. Et Paulus dicebat de iustis illis, quòd cõfitentes erãt, quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriã inquirere, qui meliorem appetunt patriã, id est cælestem. Sancti ergo cõfitentes se peregrinos, ostendunt ipsis inesse ingens beatitudinis desiderium, quâ fruerentur in cælesti patriâ.* Et alibi, *Neminẽ, ait, noui qui in præsentiâ ad cælũ euolare nollet; re tamen ipsâ voluntatem oportet confirmare: siquidẽ mercator ditescere cupit, non tamen eius animus soli acquiescit cupiditati, sed nauem parat, nautas cogit, hortatur gubernatorem, & alia, quæ nauigationi opus sunt diligenter disponit; aurum præterea mutuatur, maria traiicit, & innumeris periculis, quibus se mari credentes iactari consueuerunt, se exponens, ad peregrinas appellit terras. Itidem & nos oporteat voluntatẽ rei applicare. Nauigamus namq; à terrâ ad cælũ, quare totâ mẽte intendamus ad eã gubernationẽ quæ nos supernè erigat, & nautas rationi obsequentes & nauem nobis firmã comparemus, quæ leuis & expedita ad superna euadat.* En vt sanctus Pater non solùm doceat, vehemens iustis cæli desiderium inesse, sed & omnibus inesse debere. Et vt acriori nos stimulo vrgeat, alio in loco sic inquit: *Prima ergo virtus est, & tota virtus, peregrinũ esse mundi huius & hospitẽ, & nihil commune habere cũ rebus huius sæculi, &c.* ostenditq; in sequẽtibus, hac perfectione sanctos adeò Patriarchas excelluisse, vt vniuersa quę mũdi erãt despexerint. Gen. 47. Chrysost. Homil. 6. in Genesim. *Patres prisci Testamenti.* Prolog. super Ioan. Tom. 3. Homil. 24. super Ep. ad Hebr. Tom. 4.

3. Epist 27 ad Eustoch. *Paula Romana.*

S. Hieronymus, de Paulæ laudibus agẽs, hunc in modum scribit: *Cinerem sicut panem manducabat, & potionem suã cum fletu miscebat, dicens: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Vt in æternũ pane Angelorum vesceretur, Læta canebat: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarũ, ita desiderat anima mea ad te Deus: quãdo veniam, & apparebo ante faciẽ Dei? Sentiebat prudentissima feminarũ adesse mortem, & nihilominùs quasi ad suos pergeret, alienosq; desereret, illos versiculos susurrabat: Domine dilexi decorẽ domus tuæ, & locũ habitationis gloriæ tuæ. &: Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutũ, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. &: Elegi abiecta esse in domo Domini, magis quã habitare in tabernaculis peccatorum. Post hæc obmutuit, & clausis oculis, quasi iam mortalia despiceret, vsque ad expirationem animæ eosdem repetebat versiculos.* Idem explicans illa Psalmistæ verba, *Quemadmodũ desiderat ceruus ad fontes aquarum,* ait: *Mos est cerui, vt inuentum serpentem naribus hauriat, & post hæc exardescens extinguat sitim. Ergo homo Ecclesiæ, quãdiu in actu venenoso degebat, desiderat venire ad Christum, in quo est fons luminis. Sed & si quis hodie nostrûm extinctis vitiis* Psal. 41.

tius ignescat in desideriũ diuinæ contemplationis, potest & ipse dicere, Quia desiderat anima mea ad te Deus, hoc est, relicto sæculo ad te transire. Sitiuit anima mea ad Deum fontẽ viuũ: quando veniã, & apparebo ante faciẽ Dei mei? quasi diceret, Quando erit tempus, vt illa gloria quã efficiuntur sancti conformes gloriæ tuæ, ego in claritate cum illis appaream? Vel quãdo veniã, id est, quando erit illud tempus, quo Ecclesia vult dissolui à corpore & esse cum Christo? Et parebo ante faciem Dei mei, id est, ante conspectum diuinitatis, & tunc videbimus eum sicuti est. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus: fletus & gemitus erant mihi & lamentatio ob desiderium tui.

4. Perinde affectuosè de hoc ad cælum affectu locutus est augustissimus Augustinus; hic enim super illa eadem Psalmistæ verba sic scribit: *Sitiuit anima mea ad Deum viuum. Quod dico, Quemadmodũ ceruus desiderat ad fontes aquarũ, ita desiderat anima mea ad te Deus; hoc dico, Sitiuit anima ad Deũ viuum. Quid sitiuit? Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Hoc est quod sitio, venire & apparere. Sitio in peregrinatione, satiabor in aduentu. Sed quando veniam? Et quod citius est Deo, tardum est desiderio. Quando veniã & apparebo ante faciem Dei? Ex illo desiderio est & hoc, ex quo clamatur alibi: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. Quare hoc? vt contempler, inquit, delectationem Domini. Quando veniam & apparebo ante faciem Domini? Interim Deum meditor, dum curro, dum in viâ sum antequam veniam, antequam appaream.* Et infrà: *Quæsiui etiam ego ipse Deum meum, vt si possem, non tantùm crederem, sed aliquid & viderem. Video enim quæ fecerit Deus meus, non autem video ipsum Deum meum qui fecit hæc. Sed quoniã sicut ceruus desidero ad fontes aquarum, & est apud eũ fons vitæ, & intellectus scriptus est Psalmus filiis Core, & inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; quid agam vt inueniam Deum meum? Considerabo terram, facta est terra. Est magna pulchritudo terrarum, sed habet artificem. Magna miracula sunt seminum atq; gignentium, sed habent ista omnia creatorem,* &c. Et adhuc infrà: *Quæro ergo Deum meum in omni corpore, siue terrestri siue cælesti, & non inuenio. Quæro substantiam eius in animâ meâ, & non inuenio, &c.* Insignis locus hic est, sed prolixior quàm vt totus hîc describi possit, quare pium Lectorem ad ipsos D. Augustini fontes libens remitto, vt sitim suam è tam iucundâ scaturigine, pleno haustu expleat. Alibi hisce verbis D. Augustinus cælites interpellat: *Vos igitur qui meruistis confratres fieri supernorum ciuium, & perfrui æternæ claritatis gloriâ, orate pro me ad Dominum, vt educat me de isto carcere, in quo teneor captiuus & ligatus: ad Deum enim suspensa est anima mea, à quo formata est.* Et infrà: *Sæpè beatitudinis bona ingentia meditor, illuc ascendere nitor, suspiro, frendeo, precibus, votis ibi tendo, atque modo miro, quæ sint ibi quantaq;, gyro; mens hæret Christo, cor delectatur in isto, iã tantò dulciùs, quãtò sæpiùs, auiditate quidẽ multâ, sed satietate nullâ. Nulla tam rara est hora, tam breuis mora. O si vnquam in pace in idipsum dormiam & requiescam, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ! si vnquam videre potero illum tam desiderabilẽ, in quem desiderant Angeli prospicere! vt possim dicere: Ecce quæ concupiui video, quem optaui iam teneo: quando veniam & apparebo ante faciem Domini ad videndũ eum in bonitate electorum suorum, ad lætandum in lætitiâ gentis suæ, vt lætetur cũ hereditate suâ? Quando videbo ciuitatem illam, de quâ dictum est: Plateæ tuæ Ierusalem sternentur auro mundo, & in te cantabitur canticũ lætitiæ, & per omnes vicos tuos ab vniuersis dicetur Alleluia? O ciuitas sancta, ciuitas speciosa! de longinquo te saluto, ad te clamo, te requiro: desidero enim videre te, & requiescere in te, sed non sinor carne retentus. O ciuitas desiderabilis!* Idem denique sic Exclamat: *Gratias tibi ago lumen meum: ecce video, sed per speculum in ænigmate; sed quando facie ad faciem? Quando veniet dies lætitiæ & exultationis, in quâ ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, vt videam videntem me facie ad faciem, & satietur desideriũ meum. O fons vitæ, vena aquarum viuentium! quando veniã ad aquas dulcedinis tuæ? Fons vitæ, satia me. Sitio, Domine, sitio te Deum viuum. O quando veniã & apparebo, Domine, ante faciem tuam? Putásne videbo diem illã, diem quam fecit Dominus, vt exultemus & lætemur in eâ? O dies præclara & pulchra, in quâ audiam vocem exultationis, in quâ audiam, Intra in gaudiũ Domini tui! O gaudium super gaudium! gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium, quando intrabo in te, vt videam Dominum meum, qui habitat in te? Ibo & videbo visionem hanc magnam: quid est quod me detinet? Heu me! quia incolatus meus prolongatus est. Heu me! quamdiu dicetur mihi, Vbi est Deus tuus? quamdiu dicetur mihi, Expecta, reexpecta? Et nunc quæ est expectatio mea? Nónne tu Domine Deus meus?* Sic Augustinus.

S. Augustinus: In Psal. 41. Tom. 8.

Lib. de Spiritu & animâ.

In Soliloquiis.

Sed & mellifluum S. Bernardum in Scenã producimus, qui exponens illa libri Canticorũ verba, *Vox turturis audita est in terrâ nostrâ*, sic loquitur: 5.
Vbi regni cælorum promissio facta est, tunc intellexerũt homines se non habere hîc ciuitatem manentem, sed futuram inquirere totâ auiditate cœperunt, & primùm manifestè sonuit in terrâ vox turturis. Nam dũ sancta quæque iam anima Christi præsentiam suspiraret, regni dilationem molestè ferret, desideratã patriam gemitibus & suspiriis à longè salutaret; nónne tibi videtur voce fungi gemebundæ ac castissimæ turturis, quæcumq; anima in terris ita fecisset? Quidni moueat mihi crebras lacrymas & gemitus quotidianos Christi præsentia? Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Laboraui in gemitu meo: tu scis. Non solùm autem mihi, sed & omnibus qui diligũt aduentum tuum, gemitus isti comperti sunt: ablato enim sponso filios sponsi lugere necesse est, nã & ipsa creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc. Non solùm autem illa, sed & nos primitias spiritus habentes intra nosipsos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri. Nec vacuè gemitus, quibus è cælo tam misericorditer respondetur: Propter miseriam inopum, & gemitum pauperũ nunc exurgã, dicit Dominus.

S. Bernardus Serm. 59.

Nec tamen ista tantum adhuc Deum videndi ostendunt desiderium, quantum mors illorũ, qui ob eumdem extincti sunt, vti præter alios r factũ esse in S. M. N. TERESIA, declarauit riusXV. in Bullâ Canonizationis eiusdem; de quo etiam S. D. N. Vrbanus Papa VIII. huiusmodi sub illius Officio Hymnum composuit, & Ecclesiæ proposuit: 6.

TERESIA & vi diuini amoris mortua est.

Regis superni nuntia,
Domum paternam deseris,
Terris, Teresa, barbaris
Christum datura, aut sanguinem.
Sed te manet suauior
Mors, pœna poscit dulcior:
Diuini amoris cuspide
In vulnus icta concides.
O charitatis victima!

Mortuam verò esse ex nimia charitatis diuinæ violentiâ Teresiam, nemo mirabitur, qui hanc ipsam Seraphicam matrem in vitâ suâ continuis exclamationibus te[illegible] audiet, ideò se continuè

uè velut emori, quòd ex affectu Christum videndi non moreretur. Quin verò in pij Lectoris gratiam ex S. Matris operibus, quæ suâ ipsamet manu nobis scripta reliquit, illustre desiderij sui monumentum describamus:

Virgo clamat, quantum amat
Non iam sui patiens;
Deum amat, Deum clamat,
Cor in illum iaciens,
Ita cecinit Teresa,
Mundum, vitam, se pertæsa,
Et sponso vim faciens:
Viuo ego iam non ego,
Sine vitâ vitam dego,
Quodq; viuam, morior.
Morior dum cesso mori,
Tacta spe sublimiori
Vitæ, de quâ glorior.
Illa die charitatis
Vincla, quæ me implicant,
Deum meæ potestatis
Et captiuum indicant:
Indicant captiuum Deum
Et in libertatem meum
Cor ligando vindicant.
Sed dum video captiuum,
Me tenente, Deum viuum,
Præ dolore morior.
Morior dum cesso mori,
Tacta spe sublimiori
Vitæ, de quâ glorior.
Heu me! vita, longa vita!
Heu durum exilium!
Heu queis hæret irretita
Mens pertæsa vilium!
Carcer, compedes, catasta,
Domus mortis, terra vasta,
E quibus effugium
Dum iam spero, iam non spiro,
Omni voto dum requiro,
Præ dolore morior.
Morior dum cesso mori,
Tacta spe sublimiori
Vitæ, de quâ glorior
Vita tristis, plena fellis,
Quæ Deo non pascitur
Dulciori fauo mellis,
Quod Hyllæis nascitur.
Amor dulcis, amor Dei,
Sed amara mora spei,
Nec amor spem patitur.
Amans & amate, tolle
Onus ferto minùs molle,
Nam dolore morior.
Morior dum cesso mori,
Tacta spe sublimiori
Vitæ, de quâ glorior
Sola diu morientem
Spes mortis viuificat;
Illa flentem & lugentem
Sola spes lætificat.
Nam spem vitæ, quæ in luce,
Huius vitæ mors caducæ
Firmat & ratificat.
Datrix vitæ, mors, festina;
Te vocantem ne declina;
Nam, quòd viuo, morior.
Morior dum cesso mori,
Tacta spe sublimiori
Vitæ, de quâ glorior.
Ecce quanta vis amoris,
Quàm fortis dilectio!
In hac mihi intus, foris,
Omnis est refectio.
Fuge vita, satis fui:
Erigit iacentem tui
Sola me deiectio
Perdam te, ne perdam. Veni
Mors amica, luctum leni;
Nam quòd viuo morior.
Morior dum cesso mori,
Tacta spe sublimiori
Vitæ, de quâ glorior.
Vita quæ in cœlo sita,
Quæ supernæ sortis est,
Illa demum vera vita
Et ignara mortis est.
Nisi vita moriatur,
Non est vita. Vita datur,
Quando mors in portis est.
Veni, ne sis mihi dura,
Mortem mors abolitura:
Non viuo, ni morior.
Morior dum cesso mori,
Tacta spe sublimiori
Vitæ, de quâ glorior,
Quid in me viuenti dono,
Vita, Deo muneris,
Nisi te pro illo pono,
Onus facta funeris?
Nisi cum iacturâ tui,
Non licebit illo frui
Cum beatis numeris.
Vt hoc fruar, mori volo;
Est, quod volo, in hoc solo:
Nisi fruar, morior.
Morior dum cesso mori,
Tacta spe sublimiori
Vitæ, de quâ glorior.
Quam te sine vitam agam
Deus vita mentium?
Vitam, luctum, vitam plagam,
Vitam indigentium,
Quauis morte duriorem,
Quouis malo tristiorem,
Vitam morientium.
Vt me mei pudet, piget,
Dum sic malum meum viget,
Vt dolore moriar!
Morior dum cesso mori,
Tacta spe sublimiori
Vitæ, de quâ glorior.
Piscis aquâ destituti
Melior conditio,
Quàm quâ vitâ pergo vti
Tanto cum supplicio.
Meta mors calamitatis
Sola mihi facit satis,
Estq; pro delicio.
Nam quod vsquam genus mortis,
Vt hæc vita, duræ sortis?
Præ dolore morior.
Morior dum cesso mori,
Tacta spe sublimiori
Vitæ, de quâ glorior.
Quoties in Sacramento
Te contemplans gaudeo,
Vnde me solari tento,

Inde

Inde pœnam augeo;
Nam videre te non plenè,
Quàm sit graue, quantæ pœnæ,
Promere non audeo,
Vndecumque crescit luctus.
Dum cupitæ carpam fructus
Visionis, morior.
Morior dum cesso mori, &c.
Verùm illâ te videndi
Spe dum pascor, Domine,
Spem tam bonam amittendi
Duplici me nomine
Timor angit & affligit:
Nam dum humi pedem figit,
Quid certum in homine?
Inter spem metumq; sita
Lacrymosa pendet vita:
Spe metuq; morior.
Morior dum cesso mori, &c.
Mortis huius me indignis
Erue de manibus,
Deus meus, ne malignis
Me permitte canibus.
Rumpe vinculum immite,
Solue tricas, dona vitæ
Satiari panibus.
Morior amore tui:
Nisi te, & in te frui
Vitâ licet, morior.
Morior dum cesso mori, &c.
Quid iam super, nisi flere,
Flendo contabescere;
Quando vetat mortis fera
Mora quæ quiescere?
Heu me! stringor irretita
Illâ mortis instar vitâ;
Tu iube facessere,
Vita vitæ, vitam mortis.
Inserenda tuis hortis
Quando dicam, Morior?
Morior dum cesso mori, &c.

Et huic S.Matris nostræ vitæ altioris desiderio, & ad cælestē patriā tenerrimę adspirationi, testimoniū dedit ipsa Sedes Apostolica: in Bullà quippe Canonizationis, Gregor.XV. & in Officij eius Lectione sextâ, hæc de ipsâ scribit S.P. N. Vrbanus VIII. qui vsque hodie Ecclesiæ clauum feliciter tenet: *Deum alloqui solita, Aut pati, aut mori se semper miserrimâ morte pereuntem existimans, quamdiu à cælesti æternæ vitæ fonte abesset.* Hæc Pontifices. E quibus vehementissimis ardentissimisque desideriis vt cor nostrum quoque cōcaleat, quò inflammetur, quò teneriùs Purgatorij animabus compatiamur, earumque desideriis quantocyùs satisfaciamus, haud præter lineam futurū reor, si hic referatur quantâ tristitiâ perfusa fuerit Sancha Carillo, postquam illi à Deo reuelatum fuisset, anno vno demum exacto se morituram. *Hæc*, inquit Liber secundus vitæ eius, c.7. *continuò ex intimo corde productis suspiriis, ac scaturientibus affatim lacrymis, deplorabat hanc tantam suam miseriam, & exclamando dicebat: Quæ mihi erit sufficiens patientia, vt ferā vnius anni dilationem? quomodo tanto tempore viuere potero sine eo quod vitam videā? Hucusq; continui desiderium meum, eò quòd sperarem citò adimplendum, sicuti & id fieri citò poterat, & confidens eram quotidie futurum; sed cùm nunc certior facta sim longæ adeò dilationis, quā habebit consolationem anima mea, nisi Dominus meus & Deus tristitiæ meæ compatiēs, breuiores faciat dies exilij mei? O carcer! ô ergastulum! ô vita, quàm longum mihi es martyrium! ô mare infinitorum bonorum, quando me submersum videbo in profundo dulcedinum tuarum? O vtinam tempus volaret, & horæ festinarent, vt citò illa adsit hora, in quâ anima mea deserens hanc lacrymarū vallem, celeriter euolet ad cælestem paradisum, in quo sub vmbrâ Domini requiescat, eius quem amauit, ad quem semper profecta est, quem quæsiuit, vt per conspectum illius sine timore eum perdendi ipsum possideat.* Ita ferè ex Hispanico transtulimus, vt videre erit apud R.P. Martinum de Roâ.

Vener. Sancha Carillo, per reuelationem de suâ morte dilatâ certior facta, valdè indoluit.

Martinus de Roâ lib. de statu anim. Purgatorij, c.5.

7. Quamquam verò Patriarchæ & alij Sancti tempore Legis antiquæ in Limbo consolatione magnâ fruerentur, vti patet è verbis Abrahami ad Diuitem epulonem de Lazaro quem in sinu suo tenebat, aientis, *Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris*; ingens tamen iidem SS. Patres desideriū habuerunt videndi Deum: nam propterea Isaias, *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescā, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & saluator eius vt lampas accendatur.* Item in eorumdē Patrum personâ: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorem.* & iterùm: *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes; à facie tuâ montes defluerent.* Et Deus per Aggæum aduentum suum promittens, *Adhuc modicum est, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam. Et mouebo omnes Gentes: Et veniet desideratus cunctis gentibus: & implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituū.* Quod & similiter anteà per Patriarchā Iacob effatus fuerat: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittēdus est, & ipse erit expectatio gentium.* Vt hinc idem ipse S.Iacob moriturus, quamuis per Angelorum manus se ad Limbum, sinum nimirum Abrahæ, deferendum sciret, potissimùm se desiderasse ostenderit, vt ex Christi aduentu, visione beatificâ frui posset. ait enim: *Salutare tuum expectabo Domine.* vti etiam Abrahamum fecisse, Iudæis Saluator testatus est: *Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est.*

Patriarchæ Legis veteris Christum videndi desiderio flagrarunt ardentissimo;

Luc 16. Isaiæ 61. Isaiæ 45. Isaiæ 64. Aggæi 2. Genes. 49. Ioan 8.

8. Nec immeritò iusti illi tanto desiderio Deum videndi tenebantur, quia nulla reuera erat omnis eorum consolatio, respectu visionis diuinæ Maiestatis. Nam, vt benè mellifluus Ecclesiæ Doctor S.Bernardus, *ad imaginem Dei facta est anima rationalis: ceteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest; capacem enim Dei, quidquid Deo minus est non implebit.* Et D. Augustinus: *Creasti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrū donec requiescat in te.* Regius quoque Propheta: *In iustitiâ apparebo conspectui tuo, satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Quasi dicat: Non antè satiari possum, quàm in iustitiâ apparuero conspectui tuo, & tunc nimirum apparebit mihi gloria tua. Vnde Sancta Mater nostra Ecclesia desiderium priscorum Patrum in Limbo detentorum explicans, paulò ante Saluatoris Natalitiorum solemnia septem continuis diebus ad Magnificat varias Antiphonas, è Sacris litteris concinnatas, decantari voluit, quæ ab O, desiderij notâ, incipiunt, & vota continent quibus Messiæ aduentus à Patribus exposcebatur. Inter alia autē sic habent: *O Sapientia, &c. veni ad docendum nos viam prudentiæ. O Adonai, &c. veni ad redimendū nos in brachio extento. O radix Iesse, &c. veni ad liberandum nos, iam noli tardare. O clauis Dauid, &c. veni, & educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris, & vmbrâ*

Quia præter conspectum Dei nullum eis erat solatium.

Bernard. in Sermone Dedicationis. August. in Confession. Psal. 16.

Ecclesia quibusdam Antiphonis Patrum desideria exprimit

brâ mortis. O oriens splendor, &c. veni, & illumina sedentes in tenebris, & vmbrâ mortis. O Rex gẽtium, &c. veni, & salua hominem quem de limo formasti. O Emmanuel, &c. veni ad saluandũ nos, Domine Deus noster.

9. *Carentia visionis diuinæ, maxima Patribus in Limbo erat afflictio.* Atque hinc colligere possumus, omnes illas consolationes, quibus Sancti in Limbo affluebant, instar nihili ab ipsis habitas fuisse, quòd Deum needum intueri concederetur; sed quasi in carcere vincti fuissent, & in tenebris mortisque vmbrâ sedissent, adeò illos planctus edidisse. Verba allata sunt manifesta; neque desunt rationes: nam dato (quod omnino supponendum est) quòd Patres illi ante reseratas cælorum ianuas, passi fuerint damni pœnam, quid mirum, si sese incarceratos & vinctos, & in tenebris vmbraque mortis sedentes appellauerint? cùm, etiamsi non modò nullis sensus pœnis torquerentur, quin & maximis consolationibus reficerentur, à summo tamen illo Bono, cui fruendo inspiciendoque creati erant, & ad quod tantopere anhelabant, arcerentur. Certè quò Deum magis amabant, eò ipsos amplius eius contemplandi ac possidendi dilatio perurebat: quoniam, secundùm S. Augustinum, *ponderibus suis aguntur omnia, & loca sua petunt. Amor meus, pondus meum: illo feror quocumque feror.* (August. l. 3. Confession.) Vnde etiam S. Bonauentura docuit, istam beatificæ fruitionis dilationem per singula momenta dolorem adferre intolerabilem, iis nimirum qui eiusdem priuationis damnum intelligunt. Poëtæ desiderium quod impleri nõ posset, *infernum pœnarum* appellabant. Sapiens: *Spes, quæ differtur, affligit animam.* (Prouerb. 3.) Hæc aliaque permulta hanc rem extra omnem controuersiæ speciem constituunt.

10. *Animabus Purgatorij vel maximus cruciatus est quòd visione Dei destituantur.* Hinc proinde nobis elicere liceat argumentum, quo probemus, tantò ampliùs damni pœnâ affligi animas Purgatorij, quò illæ, reserato iam cælo, suis negligentiis atque defectibus illud sibi denuò reclusisse sentiũt. O inexplicabile damnũ, ipsisq; adeò spiritibus intolerabile! Verè hæc pœna vocata est *pœna dãni*, quę per singula momenta non dolorem solùm immensum, sed immensum etiam damnum adducit: damnum, inquam, quod nullis creatis in Vniuerso rebus æstimari, ne dicã æquari queat, cùm & ex Philosophorum axiomate constet, finiti ad infinitum nullam esse proportionem. Sicut ergo vno tantummodò momento Deum possidere, nullam admittit comparationem cum totius mundi atque omniũ adeò creaturarum possessione; ita damnum istud, quo Deo vel ad vnicum instans priuamur, tantum est, vt nullatenus cum totius mundi aut omnium etiam creaturarum priuatione comparandum sit. Ex quo tandem manifestissimum, minùs faciendam esse vniuersi orbis iacturam, quàm vel momentaneum diuinæ visionis damnum. (*Etiam momentanea diuinæ visionis priuatio, omnibus totius mundi afflictionibus est grauior:*) Quam in sententiam sancti quidam Patres explicarunt illud Christi apud Matthæum: *Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* (Matth. 16.) Non enim Auctores illi per detrimentum animæ intelligunt ipsius interitum aut damnationem, sed pœnam damni, ita vt sensus sit: Quid profuturum est homini si totum mundum sibi acquisiuerit, & pro eo teneatur detrimentum aliquod sustinere, id est, propterea minimo solùm tempore seu momento æternæ salutis lucro destituatur. Quæ explicatio quàm sit solida, quilibet secum facilè perpendere poterit.

Certè quodlibet damnum tantò maioris faciendum, quantò plus eripit bonorum. Grauis mulcta est, decem cogi Philippicorum millia soluere; grauior, viginti aut triginta; grauissima censetur centum millium; sed hanc ipsam longè superat, multis auri millionibus, imò thesauris omnibus ad omnem vitam spoliari. Par omnino est hoc visionis beatificæ damnum, quo non eripitur solùm, aut differtur, boni alicuius fruitio, quod maximum sit inter omnia bona creata, sed quod vniuersa illa simul comprehendat. Sanctus namque Augustinus de istâ visione sic loquitur: *Ergo visuri sumus quamdam visionem, fratres, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: visionem quamdam, visionem præcellentem omnes pulchritudines terrenas auri, argenti, nemorum atque camporum, pulchritudinem maris & aëris, pulchritudinem Solis & Lunæ, pulchritudinem stellarum, pulchritudinem Angelorum; omnia superantem: quia ex ipso pulchra sunt omnia. Quid ergo nos erimus, quando hoc videbimus? Quid nobis promissum est? Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* (Augustin. Tractat. 4. in Epist. D. Ioannis.) Et: *Alia de istâ visione dicta sunt, quæ copiosissimè sparsa per omnes Scripturas inuenit, quisquis ad eam quærendam amoris oculos defigit. Sola ea est summum bonum nostrum, cuius adipiscendi causâ præcipimur agere quidquid rectè agimus.* (Lib. 1. de Trin. c. 13.) Ita Augustinus: & propterea etiam Deus, cùm ab eo Moyses peteret vt sibi gloriam suam ostenderet, hoc modo respondit: *Ego ostendam omne bonum tibi.* (Exod. 33.) non obscurè hinc indicans, sicut omnia bona cum visione beatificâ simul conferuntur, ita omne quod sine illâ est, malum quodammodò dici posse.

11. *Id quod nonnulli etiam Patres asseruerunt.* Quod & verum esse, ampliùs ex sequentibus ostensuri sumus, quia plures SS. Patrum, & nonnulli quoque è præcipuis, docuerunt, pœnam damni non auferre tantùm lucrum istud quod toti mundo par foret, aut illud etiam longiùs excederet, sed & præterea inferre vehemens adeò tormentum, quod nullis præsentis vitæ cruciamentis explicari queat. Præter Doctorem Angelicum, quem haud longè superiùs attulimus disertissimis hoc ipsum verbis asserentem, notari poterunt quæ apud SS. Chrysostomum & Augustinum habentur. Chrysostomus siquidem ait: *Sunt quidam insipientes, qui sibi sufficere arbitrantur, si à sensibilibus ignis suppliciis eruantur: ego autem omni pœnâ grauius reor, à vultu Dei repelli, ac felici eius fruitione priuari.* Quòd sicut in dãnatis æternũ est, ita & in purgãdis animabus tẽporale: nec quia pro tẽpore, idcircò non graue. Addit his idẽ Sanctus: *Excludi à bonis æternis, & alienum effici ab his quæ Deus præparauit diligentibus se, tam grauem generat cruciatum, vt quamuis exterius nulla flamma torqueret, hoc solum sufficeret, & melius esset flammas mille tolerare.* His similia habet S. Augustinus variis locis, & inter alia, *Visio*, inquit, *Dei tantæ pulchritudinis visio est, & tanto amore dignissima, vt sine hac, quibuslibet aliis bonis præditum atque abundantem, non dubitet Plotinus infelicissimum dicere.* (Lib. 10. de Ciuit. Dei, cap. 16.)

12. *Cælestem gloriam desiderãtes parturientibus sunt similes.* Hanc diuinæ fruitionis dilationem vt SS. Patres vlterius explicarent, eiusque damnum quãtum sit, penitiùs mentibus humanis imprimerent, variis vsi fuere similitudinibus. D. Ioannes Chrysostomus eos, quibus huiusmodi gloria differtur, parturientibus comparat, dum ait: *O quanta differentia! Illi quidem parturiebant per singulos dies, liberari volentes de hac vitâ, & ad suam* (Homil. 24. in Epist. ad Hebr. To. 4.)

partiam

patriam remeare, nos autem econtrà facimus. Illi Patres festinabant, Paulus autem & congemiscebat. Nos, inquit, ingemiscimus grauati. Quin & ipse cælestem gloriam desiderantes similes etiã facit parturientibus. (Rom. 8.) *Scimus*, inquit, *quod omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc.* S. Basilius ait, hoc animæ desiderium *acre* omnino esse *& intolerabile*: item *intolerabilem desiderij stimulum in ipsis relinqui, qui mærentes ad præsentem vitam, dixerunt: Heu mihi quia cohabitatio mea elongata est; quando veniam & videbo faciem Dei? Et: Discedere, & esse cum Christo multò magis præstat, &: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. &: Nunc dimittis seruum tuum Domine, velut carcere hac vitâ grauati, ita ægrè contineri impetus eorum potuit, quorum animas diuinum desiderium attigit, qui sanè ob insatiabilẽ speculationis diuinæ pulchritudinem preces ad omnem æternam vitam fuderũt, vt coëxtenderetur speculatio iucunditatis Domini.* (Li. de Regul. fusiùs disput.) S. Gregorius, *Omne*, inquit, *desiderium in pœnam conuertitur, si non citò euenerit quod optatur: desiderium enim non sustinet, quia scriptum est, Cupiditati ipsa celeritas tarda est, & concupienti animo nihil satis festinatur. Cum ergo dixisset, Ante te omne desiderium meum, statim adiecit gemitum, dicens: Et gemitus meus à te non est absconditus. quasi dicat, Quia desiderium, quod à te non concipio, per iudicium approbas, ideò dolorem, quem in te sustineo, non ignoras.* (In Psal. 37.) Idem sanctus Pontifex in libris Moralium varia habet, quibus pœnam, quam patiuntur iusti ex dilatione beatificæ visionis, exponat. Et quidem ex S. Iob insignia aliquot loca eidem scopo accommodauit. Primus locus est ex septimo Iobi capite, *Desperaui, nequaquam vltrà iam viuam*; ad quem sic scribit: (Li. 8. Moral. cap. 15.) *Sunt nonnulli iustorum, qui sic cælestia appetunt, quòd habere de exterioribus consolationem nolunt, qui internis gaudiis dum mente appropiant, vitam in se funditus corporeæ delectationis necant. Horum vocem Psalmista expresserat, cùm dicebat: Concupiscit & deficit anima mea in atrio Domini. Concupiscunt enim, sed non deficiunt, qui iam quidem cælestia appetunt, sed adhuc tamen à terrenorũ delectationibus non lassantur. Concupiscit verò & in atrio Dei deficit, qui cùm æterna desiderat, in amore temporaliũ non perdurat. Horum igitur numero sanctus vir, diuisâ à terrenis desideriis mente, se inserit, qui ait, Desperaui, nequaquam vltrà iam viuam: iusti quippe desperare, est præsentis vitæ bona æternitatis electione deserere, & in rebus temporalibus fiduciam non habere. Ex quo vides, in solis iustis desiderium beatitudinis esse efficax, propter quod bona temporalia parui faciunt.*

13. (Li. 9. Moral. cap. 15.) Locus alter, quem idem D. Gregorius egregius Doctor ex Sancto Iob assumpsit, habetur capite nono, vbi sanctus Propheta dixerat, *Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentium rideat.* ad quem sic cõmentatus est: *Cunctis liquet, quòd omne desiderium pœna est, cùm differtur, Salomone attestante, qui ait: Spes quæ differtur, affligit animam, pœna innocentium sunt desideria iustorum. Quousque ergo electorum suorum vota Dominus non compatiens distulit? quid aliud, quàm quòd innocentium pœnas risit? Itaque vir sanctus votorum suorum dilationem grauiter tolerans, dicit, Si flagellat, occidat semel, &c. Vel certè risum Dei eius lætitiam appellat. De innocentium pœnis ridere Dominus dicitur, quia quò à nobis ardentiùs quæritur, eò de nobis suauiùs lætatur: quasi quoddam quippe ei ex pœnâ gaudium facimus, cùm per sancta desideria pro eius nos amore castigamus.* Et infrà: *Iustus igitur vir, quia impleri desiderium suũ appetit non differri, humiliter dicit, Non de pœnis innocentium rideat: ac si diceret: Vota nostra libenter accipiens, vltrà non differat, sed ostendendo exhibeat eum, qui nos in suâ expectatione castigat. In quibus verbis vides ingens iustorũ desiderium circa beatitudinem, & quàm Deo sit gratum & plausibile, vtpote quod risum ei generat & lætitiam.* Sed & exponens illa è capite 28. verba, *Lapidem quoque caliginis, & vmbram mortis diuidit torrens à populo peregrinante*, sic ait: (Lib. 18. Moralium c. 19.) *Per duo hæc nomina, lapidem caliginis, & populum peregrinantem, iustos intelligit ac peccatores. Iustos vocans populum peregrinantem, & viros sanctos, ait: Tale est desiderium meum, vt dignum sit in conspectu tuo. Quia enim requiem, pro quâ semper est orandũ, desidero, esse coram te desiderium meum confido. Sancti viri, quia mundi gloriam contemnentes, supernæ claritatis lumine illustrari solummodò cupiunt, diuinæ Maiestatis conspectui semper assistunt. Et quia quàm dulcis est Dominus, interiùs sentiunt, nũquam ab eo per prauæ voluntatis studium recedunt. Qui autem Deum desiderat, ad ipsum cordis voce clamare non cessat. Et nota omne desiderium meum, non diuisum, sed integrum; & gemitus meus à te non est absconditus.* Infinita propemodum alia Patrum sanctorum adiungi possent ad supernam patriam desideria & suspiria, sed agmen claudat S. Augustinus, qui hũc in modum alicubi exclamat: (In Soliloquiis.) *Infelices quorum est vita in exilio, vita in periculo: adhuc in pelagi fluctibus versamur, suspirantes ad portum maris. O patria nostra, patria secura! A longè te videmus: ab hoc mari te salutamus, ab hac valle ad te suspiramus, & nitimur cum lacrymis, si quo modo ad te perueniamus. Et tu Domine Deus meus, non me permittas ampliùs ex vno distrahi in multa, sed collige me de exterioribus ad me, de me ad te, vt dicat tibi semper cor meum: Exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requirã. Lætetur cor quærentium Dominum, sed multò magis cor inuenientium*, &c. Sed ad propositum nostrum redeamus.

14. (*Mortales, quanta sit pœna damni, intelligere nequeunt: quod elegãti simili declaratur.*) Damni itaque pœnam tantam esse dicimus, vt sicuti omne bonum elongat, ita malum accumulet: quod illis nimirum, qui eius scientiam habẽt ad oculum patet; nobis autẽ viuentibus nec particularem rei huius à Deo illustrationem habentibus, quia hac in parte cæci sumus & nõ satis quid æterna sint intelligimus, hoc nequaquam apparet, prout insigni id similitudine explicauit R.P. Hieremias Drexelius. verba eius sunt: (Drexelius in Rogo dãnatorum, c. 1.) *Falco auis dũ scorteo pileolo tectos habet oculos, nec picas, nec anates, nec ardeas insectatur: at vbi pileolo detracto auem conspicatur ad quam consectandam naturâ suâ fertur, iam non ampliùs retineri potest, nisi violentissimè: abrumpet lorum & vincula, atque, si aliter non possit, aut sibi ipsi pedem, aut venatoribus brachium, dum luctatur, grauiter lædet; tantâ vi naturæ rapitur ad illam quam eminus cernit volucrem. Non absimilis est cum homine ratio. Dum in orbe hoc agimus, oculos cucullo tectos gerimus, in tenebris sumus; hinc mirum non est, nos ad videndum Deum vi nullâ rapi; velamen oculis ac vultui præpansum impedit. At vbi animus, corporis exuuiis abiectis, cucullo per mortem detracto, iam in æternitate constitutus liberè circumspiciet, tantâ vi ad conditorem suum rapietur, vt inter supplicia omnia hoc ei futurum sit summũ maximumq́, à conditoris adspectu vel breui morulâ distineri.* Sic ille. vt mirum non sit, Ven. Henricum Susonem purgandorum inter alia huiusmodi lamenta referre: (Suso Dial. cap. 11.) *Heu! heu! excoquimur, assamur, vociferamur, opemq́, poscimus; sed maximè omnium id dolet, quòd à diuini vultus iucundissimâ contemplatione tam diu distinemur; id planè animum,*

mum, cor, sensusq́; pondere premit intolerabili.

15. Verùm enimuero rem tandem historiâ declaratum ibimus, visuri quâ ratione ipsemet diuinæ Maiestatis potissimus aduersarius professus fuerit, se pro fruitione aut visione beatificâ vel ad nictum oculi obtinendâ paratum esse sustinere omnium damnatorum tormenta vsque ad extremum iudicij diem. Habetur illud in Historiis PP. Prædicatorum, & refertur à Ioanne Heroldo in Promptuario, & ab aliis quoq; Auctoribus. Speculi exemplorum ipsissima verba sunt hæc: *Contigit aliquando, Fratrem Iordanem, Generalem Prædicatorum, loqui cuidam obsesso. Quæsiuit à spiritu immundo, vbi foret libentiùs. Respondit: In cælo. Et cùm scrutaretur causam quare magis desideraret esse in cælo; respondit, Vt faciem creatoris videret. Quæsiuit Magister, quàm libenter videret. respondit spiritus: Paulo amplius vidi quàm ad nictum oculi, sed propter tamdiu denuò videre faciem creatoris in nouissimo die, vsque ad diem nouissimum solus omnium damnatorum spirituum pœnas vellem sustinere. Quod audiens Magister, expauit vehementer, ita vt non videretur in eo spiritus. Posteà ad se reuersus dixit spiritui: Optimè dixisti mihi; sed oro te, vt alicuius pulchritudinis comparationem dicas mihi ad pulchritudinem Dei. Et respondit spiritus nequā: Stultè quæsiuisti, quia non potest enarrari; sed propter instantiam petitionis tuæ vnum tibi narrabo, quod tamen friuolum est, & penitus nihil respectu veritatis. Considera, inquit, quòd si omnes pulchritudines omniū pulchritudinum terrarum, siue cælorum, atque gemmarum, vitri, auri, argenti, florum atque omnium metallorum, & eorum omnium quæ pulchritudine suâ visum delectant, redactæ essent in vnum, & omnes stellæ ad solis similitudinem lucerēt, & Sol præ omnibus stellis iam prædictis lucem haberet, & omnes illæ pulchræ stellæ & Sol radios suos iactarent in vnam pulchritudinem, scias hoc pro certo, quòd omnis illa pulchritudo humanam æstimationem excelleret, & tamen ita incomparabilis esset illa pulchritudo ad pulchritudinem creatoris, sicut noctis cùm tenebrosior est ad diem cùm lucidior est.* Hactenus verba textus: quæ quò sunt simpliciora & sinceriora, eò magis fidem merentur. Vnde & docemur, quantum animabus Purgatorij tormentum sit, vno solùm momento Deo priuari; & quòd eius ad tam breue spatium carentia, comparanda non sit cum orbis vniuersi iacturâ.

Diabolus ipse, quanta & quàm superfelicissima sit diuina visio testimoniū perhibet.

Speculum exemplor. dist. 10. exēpl. 63.

CAPVT XVIII.

Grauissimus est Purgatorij spiritibus carcer infernalis.

1. INfame est, & homine alicuius notæ planè indignum, carcere includi, atque à suorum consortio violenter auelli; quod eò minùs ferri solet, quò id honestiori ac cordato magis viro contingit: vt proinde animabus, ad similitudinem ac imaginē Dei factis, molestissimum esse debeat carcere purgatorio mancipari, ac intereà dulcissimâ totius triumphantis Curiæ societate priuari. Et vel hoc illas premit multò acriùs, quòd iustissimam culpis negligentiisque suis vindictam irrogari sentiant illo potissimùm tempore, quo, disruptis tandem corporei ergastuli seris, pro labore mercedem, pro negotiatione lucrum, pro pugnâ coronam, pro excurso stadio brauium expectabant. Dubium sanè non est, quin durissima hæc spiritibus sit captiuitas, in quâ, exantlatis tot mundi laboribus, non stipendium aut lucrum, sed detrimentum & tormentū recipiunt; dum, enauigato periculosissimi sæculi pelago, nō portum, sed exilium obtinent; dum deuictis superatisque tot hostibus, non triumphū sed planctum agunt; dum emēso vitæ stadio non gloriam sed contemptum referunt. Neque hæc satis, aliæ similitudines supersunt, quibus adhuc ampliùs deploranda ista animarum miseria explicatur: è plurimis pauciores nobis sufficient, quas partim à R. P. Hieremia Drexelio, partim à Ven. Abbate Cornelio Columbano relatas proferemus. Ille: *Quàm acerbi*, inquit, *doloris est, si is qui iam iam in Regem fuisset vngendus, capiatur, & in furum ergastulum detrudatur. Videte orbis terrorem Nabuchodonosorem in ipso gloriæ culmine constitutum, subitò præcipitem ruere, & in saltum ad feras ablegari, vt qui malè hominem egisset, disceret iam agere bouem. Videte Hebræum Regem Sedeciam è solio in carcerem raptari, neque solùm fortunis omnibus, sed & oculis priuari. Tunc verissimè, quod Boëtius dixit, miseriarum maxima erat, meminisse felicem se fuisse.* Et initio capitis eiusdem, vt ostendat quàm sit tædiosus inferorum carcer ex breui etiam morâ, sic ait: *Hieme in nostris regionibus longissimæ noctes sunt, æstate multò breuiores. At verò fieri potest, vt alicui nox longior videatur æstate quàm quæ longissima est hieme. Quàm ea nox longa sit necesse est, quæ horis non multis canitiem antè nō visam adfert. Id fieri, certis testibus, & vel ipsâ docemur experientiâ. Nec docti negant fuisse qui nocte vnicâ canuerunt. Didacus Osorius à Rege Hispaniæ in carcerē coniectus Hispali, à mœrore nocte vnâ incanuit. Bilbilitanus Vates admirabundus cecinit:*

O nox quàm longa es, quæ facis vna senem.

Quæ etsi de molestiâ carceris infernalis quoad ipsos damnatos P. Drexelius scripserit, non malè tamen de purgandis quoque spiritibus accipi possunt.

Drexelius in Rogo dānator. cap. 2.

Exemplum cuiusdam qui vnâ nocte ex mœrore incanuit.

Hic verò, nimirum Ven. D. Cornelius Columbanus Abbas Gandensis, de hisipsis, quæ sequitur, egregiam adduxit comparationem. Quemadmodum, inquit, paupercula sponsa, quæ ditissimo cuipiam Regi iungenda erat, si ipso nuptiarum die, quo se insigni gloriâ & consolatione fruituram sperabat, ob delatum ad Regem leuis culpæ rumorem statim in fœtidissimum ac tenebrosum carcerem detrudatur, summo simul pudore ac dolore afficitur; ita quoque, & ampliùs multò, infamatur ac cruciatur anima quę Purgatorio adiudicatur. Nam profectò hæc iam iungenda erat non alicui terreno, nobilissimo quamuis & potentissimo, Monarchæ, sed ipsimet Maiestati diuinæ, Deo ac Domino omnium, qui vniuersorum est conditor, & Princeps Regum terræ. Sed ô lacrymabile infortunium! die illo, mortis nimirum, quo summo cum honore ac lætitiâ ad sponsi nuptias introducenda fuisset, seu potiùs dum iam iam introducitur, ob commissam leuem aliquam in vitâ suâ culpam subitò à conspectu illius violēter arcetur, ac veluti à Sponso infamiter repudiatur, atq; ab eodem ad teterrimum inferni carcerem, ardentissimumque ignis purgatorij furnum, donec plenè pro delicto satisfecerit, condemnatur. O quot simul hic miseriæ! adeò desiderato diu aspectu diuino priuari, sic turpiter atque insperatò ab eo repelli, omni simul præsenti gloriâ exui, ac confusione perfundi, spoliari gaudio atq; præparatâ 2.

Anima, in Purgatorio detenta, maximè è carcere suo infernali molestiam persentiscunt.

Colombanus in suo Consolatorio animarum. *Res à simili amplius declaratur.*

paratâ consolatione, horribili includi custodiâ atque exquisitissimis agitari tormentis, imo ad tempus ipsis sociari damnatis.

3. *Varia de loco Purgatorij sententia.* Latiùs hæc à nobis deduci conueniet; verùm id antequam fiat, præmittendam censemus illam Theologorum de loco Purgatorij disputantium diuersitatem, vtpote quorum nonnulli aliquando voluêre, loca, in quibus animæ puniuntur, non esse corporalia & materialia: quæ sententia fuisse videtur S. Augustini. (Lib. 2. de Genes. ad litt.) verùm ne opinio huiusmodi exotica tãto Doctore assereretur, & alij inde in errorem abriperẽtur, auctoritate viri ducti, eamdem posteà, meliùs sentiens, disertis verbis reuocauit. (Retract. l. 2. cap. 24.) Altera fuit Origenis, Purgatorium animæ haud esse aliud, quàm accusantem seipsam & de peccatis suis se exagitantem conscientiam. Videre id licet apud D. Hieronymum. (Epist. ad Auitum.) Idemque cum Origene sensit Philo: (Lib de Congress. erudit. quærendæ causâ.) quorum sententiam hoc nostro sæculo amplexus est Ioannes Caluinus. Sed si vera foret hæc doctrina, non minùs in Purgatorio & inferno existerent viui quàm defuncti. Nonnulli etiam pœnalem animarum locum hunc esse mundum crediderunt, in quo illæ tanquam in carcere detinerentur. Quam sentẽtiam retulit & refutauit S. Irenæus. (Li. 5. in fine.) Scriptura enim dicit, animas post hanc vitam ad infernum descendere, vt patet è S. Lucâ & aliis. (Luc. 16.) Porrò alij locum inferni, ac consequenter & Purgatorij, commenti sunt in Valle Iosaphat. Ita refert D. Ioannes Chrysostomus sẽsisse quosdam veteres. (Hom. de Beatorum præm. Tom. 3.) Similem quoque assertionem ex aliis refert S. Gregorius Magnus: (Lib. 4. Dialog. cap. 42.) quorum forsan argumentum fuit, quòd Saluator noster passim infernum vocet gehennam, quo etiã nomine vallis quædam, Valli Iosaphat ita contigua, vt vna cum illâ esse videatur, nominata est. Est & alia opinio, Purgatorium esse animæ statum in quo nihil videat; cuius expositionis, parum tamẽ veritati conformis, mentionem facit Theophylactus. S. verò *a* Gregorius Nyssenus, & *b* Auctor Operis imperfecti, voluisse videntur, pœnalem animarum locum non terram, sed caliginosum aërem esse, in quo dæmones versentur. (*a* Li. de Animâ & resurr. *b* Hom. 53. in Matth.) Quin & Ven. Beda refert, Sancto alicui, dum ab Angelis duceretur in cælum, maximum in aëre ignem ostensum fuisse, (Lib. 3. Hist. Angl. c. 19.) qui ad mundi quidem in generali iudicio futuram conflagrationem reseruaretur, & intereà hominum morientium opera examinaret. Neque defuêre Theologi qui docuerint, non esse certum aliquem ac determinatum purgandorum fidelium locum, sed eum pro diuersis personis, culpis aut circumstantiis esse diuersum. Alij denique, quod multò esse probabilius, inferiùs ostendemus, volunt, regulariter vnum esse eumdemque his animabus locum, ipsi inferno damnatorum contiguum, imò ab illo, vt Doctor Angelicus censuit, non distinctum.

4. In pœnultimâ opinione fuit Hugo de S. Victore, cùm ait, locum Purgatorij determinatum nõ esse, (Lib. 2. de Sacra. p. 16. c. 4.) præterquam quòd multis reuelationibus & exemplis constet, pœnam illam in hoc mundo exerceri. Vnde colligit, probabilius esse, vnumquemque purgari, vbi potissima peccata commisit, prout multis documentis sæpè probatum ait: Et hanc sententiam non improbabilem reputauit D. Bonauentura: (In 4 dist. 49. a. 1. q. 2.) cui etiam fauere dici potest modus loquẽdi S. Gregorij Magni, (Lib. 4. Dialog. cap. 25.) qui animas Purgatorij asserit quibusdam mansionibus detineri, indefinitè loquens, quasi indeterminatus & varius foret ipsarũ locus: sed & posteà dici, Paschasium virum sanctum in Thermis angularibus apparuisse Germano Episcopo Capuano, eiq; reuelasse, se in huiusmodi locum destinatũ fuisse, quia contra Symmachum cuidam Laurentio fauerat. (Cap. 40.) Similiaque habet alibi *a* idem, & *b* Petrus Damianus. (*a* Cap. 55. *b* Epist. 13. 2. Desid. cap. 7.) Arnoldus etiam Bonæ-vallis, agens de verbis Domini in cruce, (Cap. 2.) *Non ad loca purgatoria*, inquit, *non ad flammas peccatorum vltrices confitens destinatur.* significans illa loca esse varia & incerta. Aliorum verò fuit opinio, locum quidem Purgatorij vnum esse, sed supra terram, & infra cælum, in mediâ videlicet regione situatum. de quibus quia Doctor Angelicus mentionem facit, (In 4. dist. 21.) nos eorum fundamentum inferiùs suffodiemus, cùm ex eodem S. Thomâ argumenta & horum & præcedentium refutabuntur.

Est ergo, præmissis non obstantibus, communis Theologorum sententia, (*Communis de Purgatorij loco doctrina.*) vnum aliquem certum ac definitum locum esse Purgatorij, qui sub terrâ versus centrũ sit constitutus. Videri de hoc, præter Doctorem Angelicum inferiùs fusè citandum, poterunt *a* Richardus, *b* S. Bonauentura, *c* Paludanus, *d* Durandus, *e* Gabriel, aliique. (*a* In 4. dist. 21 a. 1. q. 3. & d. 45. a. 1. q. 2. *b* Ibid. a. 2. q. 2. & d 20. p. 1 illius quæst. vlt. *c* q. 3. & d. 21 q. 1. a. 1. *d* In 3. d 21. q. 4. *e* Ibid. a 3. d. 3.) Probatur autem præsens assertio tam ratione quàm Scripturâ. Rationem suppeditant Theologi: quia ad diuinam prouidentiam spectare videtur, vt locus ille certus, & vnus, & determinatus sit, quandoquidem enim quibuslibet peccatis certas assignauerit pœnas, noxis eiusmodi congruentes ac proportionatas, hoc etiam decet, vt certa quoq; loca talibus pœnis exsoluẽdis destinata sint; quoniam situs ille pars aliqua pœnæ est, cùm ex eo animas soleat affligere, vel quòd præter naturæ suæ dignitatem, vel præter affectus sui inclinationem ibidem detineantur. Adde, non esse verisimile, Deum pro arbitratu vniuscuiusque vnum in hoc, alium in alio loco purgandũ destinare: nam tametsi id merè à libertate suæ Maiestatis dependeat, non tamen conforme est æquissimæ eius ordinationi, vt hoc sine certâ aut lege aut ratione aliquâ fiat. Non potest autem rationem istius quis adducere, & proinde, quæ sunt dicta, solidiora habenda sunt.

5. *Cur non puniantur animæ locis quibus peccauerunt.* Quòd dicatur puniri animas illis locis quibus peccauêre, id omnino est incredibile, quia plerumque omnes plura habent delicta, quæ quoniam diuersis in locis commiserunt, de vno in alium, ad istorum purgationem, transire deberent, quod nõ satis est imaginabile, idcircò quòd duo simul peccata, quæ essent diuersis in locis admissa, purgari nequirẽt, & hoc modo nimis protenderentur purgãdorum pœnæ, quæ, prout Capite XVII. visum fuit, ex gloriæ damno, seu dilatâ diutiùs beatificâ visione, maximopere augeri solet. Conformius itaque diuinæ clementiæ est, certo eodemq; vno loco defunctorum spiritus expiari, vt in eo simul & semel pro variis delictis puniti, ad æternam citiùs gloriam transire mereantur. Neq; hinc quidquam decedit, quinimò multum accedit iustitiæ Dei: nam quemadmodum reliquis attributis diuinis certa aliqua loca, in quibus illa potissimùm exerceantur, destinata sunt, ita etiam quoad iustitiam tunc fieri videmus, si non vagus & varius, sed vnus & specialis in executionem illius designatus esse locus dicatur. Prætereà ratio iustitiæ nõ postulat, vt illo præcisè loco reus puniatur vbi deliquit, sed in loco potiùs communiter

niter ad malefactores castigandos constituto, nisi quandoque ob exemplum aliorum, in casu raro, aliter fieri expediat, quòd impræsẽtiarum locum non habet. Quin si & cæteris animarum statibus, iuxta conditionis suæ exigentiam & conuenientiam, vt loquuntur, determinatum locum inhabitent, vt in damnatis existentibus olim in Limbo Patribus, &c. obseruasse licuerit; cur non idipsum dicamus de purgandis? Cur, quæso, hîc circa sanctas eas animas diuinæ prouidentiæ ordo immutari debuerit? cur oportuerit? quid nos ad hoc asserendum credendumque vel cogitandum induxerit? cùm ex reuelationibus in contrarium adductis aliud potiùs constet, quàm ex iis probetur. Nam, vt propositionem hanc confirment, illis scilicet locis fieri purgationem mortuorum, in quibus, dum viuerent, peccauerant, adducunt ex D. Gregorio historiam, quâ Paschasius in thermis angularibus Purgatorium suum subiisse describitur, cùm tamen iste non illis in locis, neque ob balnearum excessum, sed ob factionem contra Symmachum deliquisset & puniretur. Similiter Episcopus ille sanctus, de quo agit Petrus Damianus in citatâ superiùs Epistolâ, non in flumine, in quo tamen excruciabatur, offenderat, sed in Cæsaris aulâ, propter sæculares nimirum curas aliquãtulo amplius quàm par erat assumptas, & propterea statutas Horarum Canonicarum intercalationes nõ satis obseruatas. Remanet itaque potiùs dicendum, Purgatorij animabus non minùs quàm aliis spiritibus, certum suum atque determinatum locũ esse assignatum, maximè cùm opus non sit, tot sine necessitate entia, tot loca multiplicari.

Obiecta retorquentur.

6. Sed Ecclesiæ auctoritatem consulamus. Videtur profectò sentire S. Mater nostra Ecclesia, Purgatorij locum subterraneum esse, damnatorumque inferno vicinum. nam inter alia de illis sub solemni Missæ Officio ita canere solet: *Libera Domine animas fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo Lacu.* Quâ in oratione non illas ex inferno, in quo nulla fit redemptio, sed ex Purgatorio liberari postulat, ac proinde apertè fatetur, has inferni pœnas sustinere, has in profundo lacu detineri. Idem probant Scripturæ, quas de Purgatorio sancti Patres intelligendas esse Capitibus prioribus, vt vidimus, docuerunt. Quid, quæso pro hac causâ distinctius aut enucleatius, quàm illa D. Pauli sententia: *In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Hic etenim locus tametsi de inferno etiam damnatorum accipi & explicari posit, vtpote quia dæmones Deum credunt, & ad illius potentiam contremiscunt; tamen multò est probabilius, non nisi ad Purgatorium spectare, in quo & Christus glorificari consueuit, iuxta illud quod à Scripturæ textu subiungitur, *Et omnis lingua confiteatur, quia Christus in gloriâ est Dei Patris.* Hoc autẽ inter damnatos dæmoniaque fieri, nemo facilè Catholicus affirmauerit, cùm certum sit, execrabiles istas creaturas Deo creatori redẽptorique, vti & Sanctis omnibus, ac sibimetipsis mille maledictiones imprecari. Vin' clariorem Paulini loci explicationem? En eam tibi dabit S. Ioannes Euangelista, qui ita loquitur: *Nemo inuentus est dignus aperire librum, neque in cælo, neque in terrâ, neque subtus terram.* Neq; enim verosimile videtur, Ioannem alios enumerare quàm iustos: hi enim tantummodò inter dignos illos, qui librum aperire cuperent, recenseri merentur: vt hinc supposuisse eum constet, sub terris animas extare quæ iustæ forẽt, & Deo ac Saluatori laudes decantarent; nam de ipsis æquè ac cælitibus, fidelibusque viuentibus subditur ita eos inclamasse: *Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.* Quæ verba haud dubiè iustorum sunt, non damnatorum.

Auctoritate Ecclesiæ res probatur.

Idem Scripturæ.

Philipp. 2.

Apocal. 5.

Nec quidquam hîc facit illorum obiectio, qui de Limbi Patribus ista volunt intelligi, quia tunc nullæ in Limbo animæ supererant quando hæc à Ioanne cernebantur: visiones enim Apocalypticæ accidêre annis pluribus post Christi Domini nostri resurrectionem, ante quam, vt omnes Catholici rectè supponunt, iam liberati erant Patres sancti, qui propter conclusum anteà cælum in Limbo delituerant. Quòd etiam dicatur huic ibidem Apostolo reuelatum fuisse statum, in quo ante Christi aduentum erat humana natura, non videtur propterea verosimile, quòd laus dicatur sedenti super throno, & Agno, aliaque adiungantur, quæ ad Christum iam glorificatum spectant. Sed esto, sic etiam intelligi queat, inde saltem probatur, Auctores eos, qui prædictum locum de Purgatorio exposuerunt, in nostrâ sententiâ fuisse, & voluisse ex Scripturâ probari quòd modò asserimus, prout & ipse D. Augustinus fecit, qui vult, Christum ad Purgatorium descendisse, vt inde animas multas eriperet, & non minùs, quàm Patriarchas atque Prophetas, ex inferorum carcere liberaret, iuxta illud: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Quibus in verbis, præter Theologorum de Purgatorij animabus clarissimam expositionem, duo notanda sunt: Primum, Scripturam sacram generatim loqui de omnibus dormientibus, id est mortuis in Christum sperantibus, ad quos vt penetraret, & quos vt inspiceret, ait se omnes inferiores terræ partes perscrutaturum, ideoque & Purgatorij animas hic necessariò comprehendi. Secundum, non videri dubium, quin purgandorum spirituũ locus infra terram sit, & in inferioribus terræ partibus. Nam si Patrum antiquorum (qui tamen apti erant vt cælestem gloriam statim adire possent, nisi vniuersale originis totius generis humani obstitisset peccatum) locus circa infernum designatus fuit, quantò id magis dicendum erit de purgandis fidelibus esse verum, qui vitio suo actuali ineptos se pro aliquo tempore reddiderunt quàm vt ad beatam æternitatem pertingere possint, quin insuper variis intereà eisque horrendis admodum suppliciis expiandi sunt, quò tandem ad Gloriosorum societatem subleuari promereantur? Qui plura hanc in rem desideret, superiora aliquot Capita perlegat, aut quæ perlegit in animum mentemq; reuocet, & tum ex Patribus sanctis, tũ ex ipsis diuinis litteris affatim ostensum esse recordabitur, Purgatorij situm nõ alibi quàm in inferioribus terræ partibus quærendum esse. Sanè, vt vel tenuiter rem quasi refricemus, Capite XIII. ex D. Augustino aliisque Doctoribus explicata de Purgatorio fuerunt illa Scripturæ verba, *Solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Et in Zachariâ Prophetâ legitur: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo*

7.

Epist. 99 ad Euodium.

Eccli. 24.

Si Patrum Limbus sub terrâ fuerit videtur & esse Purgatorium.

Actuum 2.

Zacharia.

non

non erat aqua. quem locum de Patrum Limbo intelligi non posse, sed de Purgatorio accipiendum esse, Capite XII. asseruimus. Quid plura? Consimilia loca enarrare quia operosum & superuacaneum foret, nostrum institutum prosequimur, & non solùm, sub terrâ Purgatorium existere, sed damnatorum quoque inferno planè contiguum esse, imò vnum cum illo, quoad situm & ignem, habendum esse, tamquam omnino probabile adstruimus.

D. Thom in 4. dist. 24. q. 1. art. 1. Locus Purgatorij & inferni vnus est & idem

8. Quod ne nos quispiam confinxisse arbitretur, quid S. Thomas Aquinas iam diu ante nos docuerit, audiamus. Is de carcere hoc ita disputat: *Videtur quòd non sit idem locus quo animæ expurgantur & quo damnati puniuntur, quia pœna damnatorum est æterna, vt dicitur Matthæi 25. Ibunt hi in ignem æternum: sed purgatorius ignis est temporalis, vt suprà Magister dixit, ergo non simul puniuntur hi & illi eodem igne, & sic oportet loca esse distincta.* II. *Pœna inferni nominatur pluribus nominibus, vt Psalmo* 10. *Ignis, sulphur, & spiritus procellarum, &c. sed pœna Purgatorij non nisi vno nomine nominatur, scilicet ignis; ergo non igne, & loco puniuntur eodem.* III. *Præterea Hugo de S. Victore dicit, Probabile est, quòd in his locis puniuntur, in quibus commiserunt culpam. Gregorius etiam in Dialogo narrat, quòd Germanus Episcopus Capuanus Paschasium, qui in balneo purgabatur, inuenit; ergo in loco inferni non purgantur, sed in hoc mundo. Sed contrà est quod Gregorius dicit, quòd sicut sub eodem igne rutilat aurum & palea fumat, ita sub eodem igne peccator crematur, & electus purgatur; ergo idem est ignis Purgatorij & inferni, & sic in eodem loco sunt.* II. *Præterea SS. Patres ante aduentum Christi fuerunt in loco digniore quàm sit locus in quo purgantur animæ post mortem, quia non erat ibi aliqua pœna sensibilis: sed locus ille erat coniunctus inferno, vel idem quod infernus, alias Christus ad Limbum descendens non diceretur ad inferos descendisse; ergo & Purgatorium est in eodem loco, vel iuxta infernum.*

Purgatorij locus duplex est:

9. Et infrà: *Ad secundam quæstionem dicendum, quòd de loco Purgatorij non inuenitur aliquid expressè determinatum in Scripturâ, nec rationes possunt ad hoc efficaces induci: tamen probabiliter, & secundùm quod consonat magis Sanctorum dictis, & reuelationi factæ multis, locus Purgatorij est duplex; vnus secundùm legem communem, & sic locus Purgatorij est locus inferior inferno coniunctus, ita quòd idem ignis sit qui damnatos cruciat in inferno, & qui iustos in Purgatorio purgat, quamuis damnati, secundùm quod sunt inferiores merito, & loco inferiori ordinandi sunt. Alius est locus Purgatorij secundùm dispensationem, & sic quandoque in diuersis locis aliqui puniri leguntur, vel ad viuorum instructionem, vel ad mortuorum subuentionem, vt, viuentibus eorum pœna innotescens, per suffragia Ecclesiæ mitigaretur. Quidam tamen dicunt, quòd secundùm legem communem locus Purgatorij est vbi homo peccat, quod non videtur probabile, quia simul potest homo puniri pro peccatis quæ in diuersis locis commisit. Quidam verò dicunt, quòd puniantur supra nos secundùm legem communem, quia sunt medij inter nos & Deum quantum ad statum. Sed hoc nihil est, quia non puniuntur pro eo quod supra nos sunt, sed pro eo quod est infimum in eis, scilicet peccatum. Ad primum ergo dicendum, quòd ignis purgatorius est æternus quantum ad substantiam, sed temporalis quantum ad effectum purgationis. Ad secundum dicendum, quòd pœna inferni est ad infligendum, & ideò nominatur omnibus illis quæ hîc affligere consueuerunt: sed pœna Purgatorij est principaliter ad purgandum reliquias peccati, & ideò sola pœna ignis Purgatorio attribuitur, quia ignis habet purgare & consumere. Ad tertium dicendum, quòd ratio illa procedit secundùm dispensationem, & non secundùm legem communem.* Ita Doctor Angelicus.

Vnus secundùm legem communem, infra terram prope infernum;

Alius secundùm dispensationē, etiā supra terram variis in locis.

Purgatorij locus non est is vbi quis peccauit, secundùm legē communem.

Ignis Purgatorij quoad substantiā est æternus, temporalis verò quoad effectum.

Cur sola ignis pœna Purgatorio tribuatur.

10. Hinc duo licet colligere. Primum, eumdem esse locum quo animæ damnatorum & purgandorum cruciantur. Secundò, eumdem etiam esse ignem. De posteriori posteà acturi sumus, modò loquimur de priori, & inde Purgatorij grauitatem ostendimus, quòd carcer sit infernalis, atque idcircò sanctis spiritibus omnino molestissimus. Nam inprimis ipsi corpori, quod ob grauitatem suam non sine difficultate mouetur, durum est vno dumtaxat loco concludi, nec se, quò libuerit, pro voluntate posse transferre. Cogitet quispiam, quantam sibi violentiam inferre deberet, vt in lecto aliquo, quantumuis molli & valdè commodo, per paucos aliquot dies immobilis & sine membri cuiuspiam motu persisteret: sanè id videtur impossibile, nec vllatenus humanæ vitæ conuenire. Et hoc circa corpus solùm agitur: quid in animâ futurum putamus, quæ carne suâ soluta, vel potiùs terreno suo carcere exempta, sine pondere effecta & omnis grauitatis expers, liberam habet & naturalem quocumque se voluerit transferēdi potestatem? Legitur in Speculo exemplorum ex Ioanne Iuniore Dominicano, histrionem quemdam ideò ad perfectam iniquitatum suarum pœnitentiam esse conuersum, quia secum iste expenderat, sibi impossibile fore per annos aliquot mollissimo quamuis lecto incubare, & propterea multò se minùs in carcere inferni perdurare posse, vbi tot insuper cruciatibus exagitaretur. Et reuerà si probè menti hæc imprimantur, efficaciam habitura sunt maximam, vt concipiamus quàm molesta spiritibus sit ista reclusio. Quid, quæso, acturus esset quispiam è nobis, aut quâ ratione toleraturus, si viuus in cauernâ vel monumento quopiam reclusus, nullam sibi euadendi spem superesse cerneret nisi post longos annos; quos non ploratus, quæ non lamenta ederet, quæ non vota conciperet? sed nihil hoc esse respectu carceris purgatorij, iam videbimus.

Corpori admodum molestum est, vno in loco concludi,

Quantò magis animæ?

Distinct. 9. exempl. 86. Histrio quidam mirabili modo conuertitur.

Anima violenter in inferiori detinetur, cùm naturâ suâ in sublime ad Deum feratur.

11. Res materiatæ quò à loco suo naturali magis distant, eò violentiùs aut mouentur aut retinentur, vt videre est in lapidibus aliisque rebus ponderosis, quæ & maximâ vi sursum feruntur & in alto detinentur, atque vehementissimo impetu deorsum relabuntur, prout econtrà corpora ignea vel aërea non minori sed maiori potiùs violentiâ alicubi sub terrâ detineri possunt, quemadmodum in vento aut puluere tormentario accenso intueri licet, qui tantâ festinatione & vehementiâ erumpunt, vt turres, ciuitates, imò & regiones subuertant. Cùm igitur defunctorum spiritus longè efficaciori naturæ & gratiæ instinctu non tantùm ad supremum sublunarium locum, sed ad altissimum cælorum Empyreum impellantur, totoque impetu sursum ad Deum ferantur, dubium non est, quin ipsis omnino sit cōtrarium, adeoq; vel maximè violentū, profundissimo infernorum barathro includi: cumq; eò fortiùs resistat quodlibet, quò à centro suo remouetur ampliùs, ab Empyreo verò cęlo nihil absit longiùs quā ipse infernus,

nus, euidens est, summâ violentiâ animas in Purgatorio detineri, ex quo tanta tamque vehemens molestia eis oriatur necesse est; vt non immeritò Saluator noster hanc miseriam, omissis aliis tormentis omnibus, per carcerem expresserit vbi ait: *Esto consentiens aduersario tuo citò dum es in viâ cum eo: ne fortè tradat te aduersarius Iudici, & iudex tradat te ministro: & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* quæ ad Purgatorium spectare, suprà ex S. Hieronymo, S. Ambrosio, Eusebio Emisseno, Origene, Cypriano, Tertulliano, aliisque, ad oculum comprobauimus.

Math. 5. Luc. 12.

12. Quandoquidem igitur purgandorum cruciatus ab ipsâ Dei Sapientiâ Christo Domino per carcerem est expressus, vel hoc ex capite vehementer admodum defunctos affligi necesse est: quod etsi pluribus insuper ostendere facile foret, paucis tamen ex adducto semel atq; iterùm Drexelio expedire nunc visum fuit. Hic in Æternitate infelici feliciter à se delineatâ, de inferni loco (quem eumdem esse tum damnatis tum animabus Purgatorij, suprà ex Angelico Doctore patuit) sermonem instituens sic ait: *Ex priscorum Patrum & Theologorum placitis est, illætabiles illos inferorum recessus medio terræ sinu latere. Affirmant id Sacræ Paginæ. Nam vbi rebelles Moysi à Dei populo secessionem fecissent, dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis & vniuersâ substantiâ eorum, descenderuntq; viui in infernum operti humo, Numer. 16. Iure suo hic improborum carcer loco infimo est, vti Beatorũ sedes amœnissima loco summo ac nobilissimo.* Hæc Drexelius: in quâ etiam opinione fuerunt SS. Patres, quos inter D. Gregorium Magnum adiisse sufficiet, qui ita loquitur: *Cùm ergo ad aperiendum librum nullus sub terrâ inuentus dignus dicitur, quid obstet non video vt sub terrâ infernus esse credatur.* De carceris autem infernalis strictissimâ clausurâ verba sunt S. Cyrilli Alexãdrini: *Inaccessæ fauces & immensum chaos; neque fugâ se subtrahere, quoniam occluditur; abitum parare non potest, quoniam coërcetur. Custodia murus insuperabilis, inhumani ergastuli tenebricosus carcer, insolubilia vincula, vi nullâ refringenda catena.*

Purgatorium ab ipsomet Saluatore Christo carceris nomine expressum fuit.

Cap. 8.

Lib. 4 Dial. cap. 42.

Cyrill. Alexandr. Orat. de Exitu animæ.

13. Sed pergit Drexelius: *De carceris illius capacitate sic ratiocinemur. Si æternæ mortis damnentur trigesies aut etiam centies mille milliones hominum, siue 100000000000. flammeus autem hic carcer secundùm omnem altitudinis, latitudinis ac longitudinis dimensionem vnum milliare Germanicum complectatur, satis omnino spatij habebit ad obstupescendum illum numerum hominum complectendum. Carceri conueniunt angustiæ. Pars libertatis est, laxè habitare. Atqui grex damnatorum, canes illi ac porci in arcto habitabunt, eruntq; sicut vua in torculari, aut salsæ haleces in orcâ, aut sicut lateres in fornace calcariâ, aut sicut ligna in rogo, aut sicut prunæ in ignitabulo, aut sicut oues iugulatæ in macello, arctè scilicet & compressè vincientur. Angustiæ carceris, & mutua rerum compressio, ad pœnarum acerbitatem facit. In exiguum hunc orbem contrahet Deus sentinam & fæcem orbis. In orbe hoc nostro vel maximum gaudium turbat loci fœditas. Quis in officinâ liquati seui, aut macerati corij; quis in Augiæ stabulo, aut in antro putrescentium cadauerum pleno voluptatem sentiat? præsertim si dies noctesq; illic hærendum? Tam inamœnus squallor loci aut fœtor omnem è pectore lætitiam expellunt. Quid ergo in illâ diuini furoris officinâ, in horrifico illo Æternitatis antro, amœnitatis sit, vnde omne gaudium, omnis voluptas exulat, vbi meri merissimi dolores. Et quantum iis augmentum erit locus ipse profundissimus; tenebricosissimus, fœdissimus, & quod lugubre cogitatu, remotissimus à cælo, mille clathris ac seris, repagulis ac claustris mille obseratus.* Et infrà: *E veteri historiâ liquet, complures nec tantùm infimæ sortis homines, velut peregrinas aues caueâ inclusos. Rex Macedo Alexander Callisthenem Olynthiũ insidiarum insimulatum, vel quòd Regi suasisset ne affectaret ab Atheniensibus Dominus appellari, auribus, labris ac naribus abscissis, ceterisq; mẽbris crudeliter truncatis, deforme ac miserandum spectaculum reddidit, & cum cane ferreâ clausum caueâ circumferri iussit: dum Lysimachus tãti viri misertus, & anteà illius etiam auditor, venenum ei præbuit, vt pœnam, quam non culpis sed libertati penderet, finiret. O beatam Callisthenis caueam, ad flammeam tot sceleratorum officinam! Quæ Callisthenem, eadem & alios sors inuoluit. Tamerlanes orbis terror, Baiazetem Turcarum Imperatorem vinctum, & caueâ inclusum, spectaculo & ostentui cunctis circumduxit triennio. Rex Daniæ Christiernus anno 1522. à priscâ Religione defecit: tribus deinde Regnis ob crudelitatem exactus, miserè tandem perpetuis vinculis addictus, & anno 1532. tamquam indomita bellua in clathratam caueam coniectus, nec ante mortem inde liberatus est. Verùm ô mites Baiazetis ac Christierni caueas ad illas damnatorum comparatas! Sed nec Valerianus Imp. Rom. à Sapore Persarum Rege suauiùs est habitus. Nam caueâ pariter inclusus, nec eâ vnquam egressus, nisi cùm Sapori equum ascensuro tergum præbere, scamni loco, coactus est. Demum Valeriano cutis detracta, & carnes sale conditæ sunt. Eodem modo Renzus Friderici filius in caueam contrusus vitam finiuit. Sic & Marcus Arethusiorum Episcopus eloquentiâ sanctisq; moribus ornatus, Martyr patientissimus, impio Iuliano Imp. primò pueris, vt aciculis cõpungeretur expositus; deinde garo ac melle perunctus, caueæ inclusus æstuante Sole sub dio suspensus, crabronibus, vespis, culicibus, muscis lacerandus est obiectus, vt diu se mori sentiret. Sed ô blanda hæc supplicia, ô caueas voluptate plenas, si flammeis inferorum caueis conferantur! Pictura est, vmbra est, quidquid cruciatus hic tolerandum. Itemq; posteà Isaias hunc æterni exilij locum graphicè describens, Et conuertentur, inquit, torrentes eius in picem, & humus in sulphur, & erit terra eius in picem ardentem, Isaiæ cap. 34. Ioannes hunc locum stagnum ignis & sulphuris vocat, Apocal. 19. Christus caminum ignis, Matth. 13. Iobus terram tenebrosam & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Hactenus R. P. Hieremias Drexelius, ex quo & plura in sequentibus transscribemus: modò sat erit inspexisse carceris infernalis terribilissimũ situm, qui purgandis cũ damnatis communis est, quemadmodum ex S. Thomâ sufficienter fuit ostensum, & ex aliis æquè sanctis Doctoribus ostendi posset, si tãta ipsius non esset auctoritas, vt adiicere plures, eius in hoc doctrinæ videretur esse derogare.

Carcer infernalis quanta sit capacitatis.

Damnati in inferno halecum instar compacti erunt.

In inferno erit fœtor maximè abominandus.

Exempla nonnullorum vinctorum, qui à se deuictos caueis incluserunt: vt Alexandri, qui Callisthenẽ Olynthium;

Tamerlanis, qui Baiazetẽ Turcarum Imp. inclusit: Exẽpla aliorum qui diro supplicio affecti perierunt: vt Christierni Regis Daniæ, Valeriani Imp.

Marci Arethusiorum Episcopi,

At quoniam de Purgatorij loco differere hic proprius locus est, non incongruè ad ampliorem scopi nostri dilucidationem adiungere nonnulla licebit de tribus aliis locis, quæ sub terrâ reperiuntur, & Purgatorio admodum vicina esse asseruntur; quæ nimirũ sunt, Limbus Patrum, Limbus infantium qui sine Baptismo vel in originali noxâ decesserunt, & damnatorum infernus. De hisce ita Cardinalis Bellarminus: Constituunt Scho- 14.

Quæna præter Purgatorium sub terra loca.

Lib. 2. de Purgatorio. cap. 6.

Scholastici communi consensu intra terram quatuor sinus, siue vnum in quatuor partes diuisum, vnum pro damnatis, alterum pro purgandis, tertium pro infantibus sine Baptismo abeuntibus, quartum pro iustis qui moriebantur ante Christi passionem, qui nunc vacuus remanet: quorum sufficientia sumitur penes genera pœnarum; sunt enim hæc omnia loca pœnalia. Omnis autem pœna aut est tantùm dãni, aut etiam sensus: & rursus aut æterna, aut temporalis. Pro pœnâ ergo solius damni æternâ, est Limbus puerorum; pro pœnâ solius damni temporali, erat Limbus Patrum; pro pœnâ damni & sensus æternâ, est infernus; pro pœnâ damni & sensus temporali, est Purgatorium. Et infra: Nunc de singulis locis. Ac primùm quòd infernus damnatorum sit in profundissimis terræ partibus, probatur Primò, quia intra viscera terræ est infernus, vt iam probauimus: sed Lucæ 16. anima Diuitis Epulonis dicitur fuisse in inferno, & non solùm in inferno, sed etiam in loco profundissimo, quandoquidem, vt videret Lazarum, qui etiam tunc erat in locis subterraneis, sursum versus adspicere debuit. Præterea ratio ipsa dictat, vt si locus Beatorum est in cælo, locus damnatorum sit in loco remotissimo à cælo; nihil autem remotius à cælo, centro terræ. De Purgatorio, quòd & ipsum sit sub terrâ, iam sat multa in superioribus allata sunt, nec crambe illa hîc est recoquenda. Pergit Bellarminus: Quòd autem Limbus puerorum sit in inferno, probatur, nam Concilium Florentinum Sessione vltimâ disertè definit, tam eos qui moriuntur cum peccato mortali, quàm eos qui cum solo originali, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendos: & B. Augustinus lib. 1. de Baptismo paruulorum, cap. 28. & lib. 5. Hypognostici dicit, Fidem Catholicam non nosse nisi duo loca, vbi homines sint futuri perpetuò, cælum Beatorum, & infernum damnatorum. Est tamẽ communis opinio Scholasticorum, Limbum puerorum esse in loco inferni altiore, quàm sit Purgatorium, ita vt ad eum ignis non perueniat; quam secutus est Innocentius III. c. Maiores, Extrauag. de Baptismo. Sed de hac re alibi disputandum est. Quòd denique Limbus Patrum sit in inferno, sed in parte supremâ, probatum est satis accuratè in lib. 4. de Christo, cap. 10. Similia habent alij scriptores, qui de prædictis locis similiter tractarunt.

Infernus damnatorum.

Limbus puerorum.

Et Limbus Patrum.

15. E quibus patet, tria illa, præter Purgatoriũ, apud inferos loca reperiri: modò sequitur, quomodo illa inter se mutuò quoad situm sint disposita; quâ de re luculẽter admodum & insigniter pro more suo hunc ferè in sensum loquitur R. P. Franciscus Suarez, verè magnus, si quis alius, nostrâ ætate Theologus. De gehennâ seu damnatorũ carcere, omnes ait opinari atq; fateri, esse in infimo loco, siue in terræ cẽtro; de sinu verò Abrahę, siue Limbo Patrum, esse in superiore vel digniore loco: de duobus reliquis, inter se collatis, opiniones variari. Asserere enim quosdam, Purgatoriũ esse infra Limbum infantium, adeoq; gehennæ vicinũ: quorum fundamentum sit, quòd duo hęc loca in pœnæ qualitate conueniant, cùm in vtroque sit ignis eiusdem rationis, ideoq; oporteat esse contigua, nullumq; interstare corpus densum aut solidum, sed habere potiùs eumdem ignem continuum, eumdẽmq; numero, distingui verò solùm quoad partes illius ignis, & quoad terminum durationis. Alios verò sentire, Limbum puerorum esse inferiorẽm, & propinquiorem inferno. Vtriusq; Auctores citat, & rationes eorum producit. Tandem tertiam quamdam ipsemet addit sententiam inter has mediam, scilicet, *hæc duo loca*, verba eius sunt, *non seruare ordinem inter se, sed æquè ab inferno distare, & æquè illi esse propinqua, secundùm diuersas eius partes.* & prolixè admodũ quatuor modos assignat, quibus hæc sentẽtia adstrui possit & solidari, quos curiosus Lector loco superiùs citato legere poterit; nec enim omnia huc trãsscribere vel libuit vel licuit, præsertim cùm, quoad Limbum infantium, Operi id nostro sit πάρεργον. Quæ tamen quæstioni huic resoluendæ scripsit, operæ pretium videtur vt addamus, idque ipsismet eius verbis, quæ hæc sunt. Inter has sententias, inquit, non potest ferri certũ, imò nec definitum iudicium, quia res occulta est, & nõ reuelata, potuitq; Deus, pro suæ prouidẽtiæ ac sapientiæ ratione, vel his modis vel aliis constituere; & ideò de situ Purgatorij hæc sufficiãt, atq; etiam de aliis, de quibus obiter diximus, quia non possunt in hac disputatione seu collatione separari. Sẽper autem vero similius mihi est, hęc loca non esse ita subordinata per circulos, vt non possit ad vnum nisi per alium transiri: quin etiam censeo incõueniens, quòd ante Christi aduentum omnes damnatæ animæ, & purgandæ, trãsirent per Limbum sanctorum Patrum, & sic de aliis. Nec modus ille ædificandi, seu architectandi, vt ita dicam, illa loca aliquâ ratione necessarius est, nec per se conueniens aut consentaneus diuinæ prouidentiæ. Reliqua verò probabiliter possũt cogitari, & dici. Satis autem verisimile est, Purgatoriũ esse vicinum inferno, tum propter cõuenientiam in pœnâ sensus & ignis, tum quia hoc spectat ad quamdã maiorem afflictionem & humiliationem purgandorum. Et ideò non refert, quòd illæ animæ sint absolutè digniores animabus puerorum, quia pro tunc merentur maiorem afflictionem & pœnam: tum præterea, quia verisimile est, post iudiciũ infernum dilatandum esse, & occupaturum totum purgatorium ignem; imò etiam fortasse ad Limbum puerorum & antiquorum Patrum extendetur, vt aliqui censent. Sed hæc magis incerta sũt, quia de Limbo puerorum non constat an sit euacuandus. Concilium autem Florentinum licet de hoc Limbo dixerit esse in inferno, non tamen fecit comparationem cum Purgatorio, sed consultò id prætermisisse videtur, imò & omnino de situ Purgatorij nihil significasse, quia est res quæ adhuc in disputatione Theologorum versatur. Quia tamẽ multum significat, Limbum esse coniunctum inferno, ideò aliæ etiam opiniones probabiles sũt.

Quomodo hæc loca inter se quoad situ se habeant.

Tom. 4. disp. 45. sect. 2. n. 8

Varia de hac re sententia.

Purgatorium an inferno vicinum.

An verò hæc loca distinguantur muris per interiectam alicuius terræ partis molem, vel solùm terminis à Deo præfinitis, mihi non constat, neq; ab Auctoribus aliquid expressè dici video, præter eos qui sentiunt, ignem inferni & Purgatorij esse continuum: nam hi planè putant, illa duo loca non habere murum seu molẽ terræ interiectam; quod non est improbabile propter rationes suprà factas, neq; inde sequitur aliquod absurdum. Nam ad distinctionem locorum satis est terminorũ præfinitio, & quòd non possit esse transitus, neq; permistio: quod etiam ad decentiam animarum sanctarum & conuenientem ordinem pertinet. 16.

An loca prædicta muris distincta.

net. De aliis verò duobus locis vel inter se, vel cum aliis comparatis, faciliùs credi potest distingui muris; quia nullum habent commercium, nec est vlla necessitas vel congruitas vt debeant aliter constitui, quamuis verba illa Abrahæ, *Inter nos & vos magnum chaos*, &c. indicare videantur, spatium illud fuisse quasi concauum, & subtili repletum. Nam vox *chaos* hæc indicat, & verbum etiam Græcū, quod hiatum seu voraginē significat. Sed quia spiritibus omnia penetrabilia sunt, ideò potuit tota illa distantia chaos appellari, etiamsi aliqua pars densa terrâ esset repleta. Paludanus verò & alij indicant, totum spatium omniū istorum locorum esse concauum, & post diem iudicij replendum esse corporibus damnatorum. Hæc Suarez. Hactenus de tribus aliis locis, quæ non solùm ideò latè descripsimus, vt omnes intelligant, quomodo ab iis quoad situm distinctum sit Purgatorium, sed magis, vt perspectum omnibus fieret, quanta ex vicinitate eorum qui his in locis commorantur, purgandis spiritibus accedat afflictio, quæ certè tanta est, & vsque adeò vehemens, vt non nisi peculiari Capite debitè explicari valeat, quod iam proximè sequitur.

Cur hæc latè descripta.

CAPVT XIX.

Nemini vmquam, quàm purgandis animabus, societas contigit luctuosior.

I.

Beatis in cælo iucundissimum est Angelorum atque aliorum Beatorum consortium.

INter Beatorum in cælis gaudia non minimum futurum est illud tot diuorū & hominum & Angelorum cōsortium, ex quo tantò maiorem singuli percipient voluptatem, quò mutuam in omnes ampliùs propendere intelligent charitatem. Quare S. Augustinus varios modos explicans quibus cælites in æternum præmiabuntur, *Verum*, inquit, *super hæc omnia est, consociari Angelorum & Archāgelorum cœtibus, Thronis etiam & Dominationibus, Principatibus & Potestatibus, omniumq; cælestium supernarumq; Virtutū contuberniis perfrui, & intueri agmina Sanctorum splendidiùs sideribus micantia, Patriarcharum fide fulgentia, Prophetarum spe lætantia, Apostolorum in duodecim tribubus Israel orbem iudicantia, Martyrum purpuratis victoriæ coronis lucentia, Virginum quoque choris candentia serta gestantes inspicere.* Et D. Cyprianus: *Patriam nostram paradisum computamus, parentes Patriarchas habere iam cœpimus; quid non properamus & currimus, vt patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat. Ad horum conspectum & amplexum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia est? Illic Apostolorum gloriosus chorus, illic Prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis & passionis victoriam coronatus, triumphantes illic Virgines, quæ concupiscentiam carnis & corporis, continentiæ robore subegerunt.* Vt propterea Purgatorij spiritus vel maximè affligi credendum sit, tum quòd societate illâ desideratissimâ, tantisper dum eorum expiantur delicta, priuentur, tum quòd ad infelicissimum intereà inferorum contubernium miserabiliter relegati sint.

Serm. 37. de Sanctis.

Lib. de mortalit.

Purgatorij animabus maximā parit afflictionem, eo consortio diutius priuari.

Ad separationem autem à cælesti Curiâ, Sanctorumque glorificatorum societate, quod attinet, etsi illa non nisi ad modicum temporis duratura sit, est tamen ipsis spiritibus in charitate ac gratiâ diuinâ defunctis, omnino molestissima, vtpote qui vehementissimo cordis affectu, & inexplicabili incomprehensibiliq; desiderio feruntur, vt in horum numerum atque conuictum assumantur, à quibus nunc turpiter adeò, adeò miserabiliter ad remotiora, quàm hactenus vixerint, loca relegantur. *Num paruam*, inquit S. Ioannes Chrysostomus, *esse putas pœnam, in choro Sanctorum non constitui, ineffabilem gloriam non assequi, ab illo cœtu & ineffabilibus bonis procul abiici?* Et S. Cyrillus Alexandrinus: *O temporis illius tribulationem! ô necessitatem! ô tempestatem! A Sanctis graue dirimi, grauius à Deo dissociari.* Quin & amplius S. Augustinus cùm diuersa mortuorum supplicia enumerasset, *Absentia*, ait, *Christi quoad visionem, sola, omnia supradicta superat, & omnibus pœnis est intolerabilior.* Et alibi: *Exulare à ciuitate Dei, alienari à vitâ Dei, carere tam magnâ multitudine dulcedinis Dei quam abscondit timentibus se, perfecit autem sperantibus in se, tam grandis est pœna, vt ei nulla possint tormenta, quæ nouimus, comparari.* Quæ tametsi de damnatis potissimùm dicta sint, & in illis maximè locum habeant, possunt tamen animabus Purgatorij non incongruè applicari, & de iis explicari, quamdiu à Sanctis, cælesti gloriâ, Christi consortio, ac visione beatificâ separati atque proscripti sunt. Sed quoniam de his abundè satis præcedenti capite locuti sumus, ad alteram huius Capitis partem transimus, vbi declaratum imus, quàm graue sit purgandis spiritibus, huiusmodi societati addici, ex cuius consortio adeò mirabilem ac verè maximam doloris & tristitiæ occasionem habet. 2.

Probatur ex SS. Patribus.

Homil. 10. in cap. 5. 2. ad Corinth.

Orat. de Exitu animæ.

Lib. de Triplici habitaculo.

Enchirid. cap. 112.

Vir ille notissimæ virtutis Cato Censorinus eos, qui empturi erant agros, monere solebat, viderent ante omnia, num bonos habituri essent vicinos. Grande malum, vicinus malus. 3.

Altera Capitis pars.

Mantua væ miseræ nimiùm vicina Cremonæ.

Proinde scitum est illud Themistoclis apud Plutarchum, qui prædium venditurus, hoc quoque præconem addere iussit, quòd vicinos haberet bonos. Domus incommoda & ruinæ proxima, si vicinos insuper malos habeat, emptorem habebit neminem. Omnes cælo proscripti eas habitationes incolunt, ad quas haræ nostræ, & canum caueæ, Palatia & Regum conclauia videri possint. Accedit, quod veteri verbo ferebatur, verè salsuginosa vicinia, diabolorum & damnatorum hominum tot centena millia, tot myriadum myriades, Dei capitales hostes omnes, qui vel paradisum adducant in fastidium: & horum vicinia non nisi vna pars dolorum ac mœstitiarum, quibus ex inferni sociis diuexantur Purgatorij animæ; aliorum etiam hominum societas illas non modicè cruciat, ceterorum scilicet purgandorum præsentia, prout etiam haud minùs facit lamentabilis illa ac verè deploranda paruulorum absq; sacro Baptismate defunctorum conditio. Ingens itaque sit dolor ille necesse est, qui ex consortio omni, quod penes se habent, oritur, quia nimirum hæc animarum afflictio ex tot capitibus, quot comitibus iunguntur, sumit incrementum. Ex dæmonum si non torturâ cruciantur, saltem aspectu concutiuntur horrore; ex dam-

Quàm grauis purgandis societas.

Animæ in Purgatorio ex dæmonum visione torquentur.

damnatorum blasphemiis ac sempiternis ruinis tanguntur dolore, atque ob reliquorum purgandorum societatem, puerorumq; in Limbo exsistẽtium vicinitatem compassione afficiuntur. Quantum ad prius membrum, haud videtur vllatenus esse dubitandum, quin existẽtes in Purgatorio dæmones videant, atq; ex illorum visione non modicum crucientur. Illud tamen vlteriùs cõtrouertitur, vtrùm ab his etiam velut tortoribus puniantur. Quorumdam equidem sententia est affirmatiua, quam & ratione probari volunt, & variis apparitionibus adstruunt.

An dæmones purgandos crucient?

Ratione quidem confirmant, aientes quòd dæmonibus competat, esse diuinæ iustitiæ in vindicandis post hanc vitã peccatis ministros; & quia hiipsi in iudicio diuino vnumquemq; de reatu peccatorũ accusant, etiam iustũ, quantumuis leuem solummodò culpam admiserit; volunt hinc sequi, iisdem suppliciorũ illationem vel executionẽ aut committi debere, aut saltem conuenire. Habent & alia; sed ista si aliquid efficere seu probare valent, sola facit ratio, magis itaq; apparitionibus innituntur, quas producunt ex Ven. Cantipratano, S. Birgittâ, vitâ S. Bernardi, Historiâ Ven. Bedæ, relatu S. Audoëni, & aliis.

Affirmatur ex Cantipratano. Li. 2. Apum, cap. 51.

Cãtipratanus describit militem quemdam, qui in vitâ suâ Deum vehementer offenderat, cum cõtritione quidem obiisse, sed vsq; ad extremum iudicium duobus dæmonibus exagitandum traditum fuisse. Referemus nos rei historiam Cap. XXVII. & Cap. XXIII. illa quæ in rei præsentis probationem attulit Dionysius Carthusianus.

Ex S. Birgit. Lib. 4 Reuelation. cap. 8

S. Birgitta describit animam quamdam à dæmonibus specialiter fuisse exemptam, vt hinc in Annotationibus suis super eiusdem Sanctæ Reuelationibus Consaluus Durantus ita scribat: *Ex verbis præsentis notæ videtur colligi posse, animas in Purgatorio existentes à dæmonibus torqueri. Dum enim legimus, Deum peculiari beneficio concessisse illi animæ, de quâ in superiori Capite & in præsenti agitur, ne ad tactum dæmonum perueniret, profectò deducitur, dæmones in Purgatorio vexare animas; iam enim illa ad Purgatorium aduenerat, vt in principio huius Capitis Angelus B. Birgittæ retulerat, Illa, inquiens, anima, cuius dispositionem vidisti, & iudicium audisti, ipsa est in grauissimâ pœnâ Purgatorij. Sed & hac sententia probari potest ex Ven. Bedâ, qui ex quadam reuelatione B. Fursei colligit, à dæmonibus animas in Purgatorio existentes torqueri.*

Ex Ven. Bedâ Lib. 3. Hist. cap. 19.

4\. *Ex Vitâ S. Bernardi.* Lib. 1. c. 10.

Sic ille. Quod verum esse, etiam apparet ex eo quod legitur in Vitâ S. Bernardi de Religioso quodam mellifluo huic Doctori post obitum apparente, & quatuor sese diabolis, vt ab iis torqueretur, traditum conquerente, à quibus tamen D. Bernardi intercessione liberatus sit.

Ex relatione S. Audoëni.

Idem ex D. Audoëni relatione firmat Cardinalis Baronius, qui asserit, Dagobertum Frãciæ Regem, à dæmonibus ad Purgatorium iam iam deferendum, SS. Dionysij, Mauritij ac Martini adiutorio ab iisdem exemptum fuisse. Quam historiam Libro sequenti ad longum recitabimus.

Cap. XII. Pars negatiua probabilior.

Alij tamen, hisce non obstantibus, probabilius esse autumant, animas Purgatorij à dæmonibus non torqueri. Ita communiter sentiunt Theologi in 4. dist. 20. & 21. D. Thomas, Richardus, S. Bonauentura, Paludanus, nec nõ Soto dist. 19. & alij passim. Quod omnino credibile est, cùm non videantur dæmones inclinari vt purgandas animas torqueãt, quia non sperant has se ad peccandum posse pertrahere, quã spe moueri solent ad vexandum viatores, quantumuis perfectos.

Rationes adferuntur.

Deinde aliunde vident, vexationem suam animabus potiùs profuturam, vt nimirum citiùs è suis manibus eripiantur: & ideò, quantũ coniecturâ assequi possumus, nisi dæmones à Deo cogantur, voluntate suâ, siue sponte, huiusmodi ministerium non assumere. Neq; aliqua apparet necessitas, ob quam ad hoc à Deo cogantur: prout nec expedire videtur, cùm ipsi diaboli non nisi prauâ voluntate atque odio tale sint officium executuri. Esset autem difficile, explicare, quomodo dæmones ministri dici possint ad torquendas animas per ignem: quia in hoc nec actionem physicam per se efficere possunt, quia ipsi non concurrunt cum igne, sed solus Deus, vt per se notum est; nec etiam per accidens concurrunt, quia nec applicant ignem, nec aliquid aliud operantur quod ad illam ignis actionem aliquo modo conferat. Solùm ergo cõcurrere posse videntur, aut animas deferendo ad illa loca pœnarum, aut eas violenter detinendo, aut ibi adspectu suo, conuitiis, & aliis similibus actionibus, mentalibus potiùs quàm externis, illas affligẽdo.

5\. *Non videtur Animabus conuenire vt à dæmonibus torqueantur.*

Primus modus etiamsi quoad animas quoque Purgatorij impossibilis non sit, non tamen apparet necessarius aut conueniens maximè quòd animæ illæ, agnitâ Dei voluntate, sponte eò tendant, & honoris potiùs ac consolationis causâ, illarum Custodes Angeli ad Purgatorium eas deducant. Vnde multò minùs indigent violentâ in eodem loco detentione, vtpote quæ libentissimè diuinę sententiæ ac iustitiæ se submittant, & in omnibus illi se conforment. Nullo igitur modo existimandũ est diabolos vllatenus concurrere vt animabus ignis tormentum inferant, ad illud deferant, aut in eo detineant. Sed nec reliquæ etiam dæmonũ actiones conuenientes sunt torquendis iustissimis illis Purgatorij animabus, nisi forte, vt posteà declaraturi sumus, eorũ adspectus, minæ, obstinatio & blasphemię illas contristare vel etiã terrere conueniat. Quis autem credat, ex Dei imperio fieri, vt dæmones, qui non nisi Dei in omnibus odium quærunt, nec vllo modo animarũ liberationem desiderant, à Deo deputentur vt illas discrucient quas adeò diligit, aut illi liberare festinent quas adeò oderunt?

Theologorũ tutior sententia.

Proinde hac in parte Theologorum tutiùs auctoritatem, quàm sanctissimorũ etiam virorũ, ab Ecclesiâ tamen non pro indubitatis declaratas, reuelationes sequamur. Ita faciendum nimirum censuit S. M. N. Teresa: quæ licet tantis, quantis fortassè à pluribus seculis vllus Sanctorum, reuelationibus abundauerit, quæ in solemni eius Canonizatione rigidissimè examinatæ, & fundatissimè à S. Rituum congregatione, atque duorum insuper Summorum Põtificum approbatione admissæ & laudatæ fuerunt, id tamẽ ipsa dicere fuit solita, & intimis suis, tam sana & vegeta, quàm iam moribunda, insusurrauit: præstare Theologorum sequi, & virorũ doctorum, maximè Superiorum, sententiam, quàm variis iisque sublimissimis reuelationibus inhærere. Cuius rei tùm rationem peremptoriam dedit, tum inauditum fortasse hactenus exemplum. Rationem quidem efficacissimam, dum plerumque ipsius esset prouerbium: malle se solidas virtutes in Monasteriis nostris, obedientiam verò maximè & submissionẽ reperiri, quàm multas easque rarissimas reuelationes, quia, inquiebat, mille fallere hominem reuelatio-

nes possunt, quod per obedientiam vel semel fieri nequit; ideoq; se pluris facere vnum Superiorum edictum, quàm mille reuelationes, vtpote quòd plus vnum hoc, quàm illæ simul mille, certitudinis, virtutis, veritatisq; adferrent. Exẽplum, quod ipsa dedit, Lectori suppeditabimus infrà Lib. II. Cap. xxv.

6. Iuxta hæc igitur nos meritò Theologorũ potiùs quàm Mysticorum principiis inhæremus, & vt certiore in Scholasticis viâ incedamus, Angelici in præsentibus Doctoris vestigia legenda esse arbitramur, qui in 4. Sentent. dist. 21. art. 1. sic habet: *Videtur quòd animæ in Purgatorio per dæmones puniãtur, quia, sicut infrà dist. 47. in fine dicit Magister, illos habebunt tortores in pœnis, quos habuerunt incentores in culpâ: sed dæmones incitant ad culpam non solùm mortalem, sed etiam venialem, quando aliud non possunt; ergo etiam in Purgatorio ipsi animas pro peccatis venialibus torquebunt. II. Præterea purgatio à peccatis competit iustis in hac vitâ, & post hanc vitam: sed in hac vitâ purgantur per pœnas à diabolo inflictas, sicut patet in Iob; ergo etiam post hanc vitam puniuntur à dæmonibus purgandi. Sed contrà*, pergit S.Thomas, *iniustum est, vt qui de aliquo triumphauit, ei subiiciatur post triumphum: sed illi qui sunt in Purgatorio, de dæmonibus triumphauerunt, sine peccato mortali decedentes; ergo non subiiciuntur eis puniendi per eos.* Et infrà: *Ad quintam quæstionem dicendum, quòd sicut post diem iudicij diuina iustitia succendet ignem quo dãnati in perpetuum punientur; ita etiã nunc solâ iustitiâ diuinâ electi post hanc vitam purgantur non ministerio dæmonũ, quorum victores extiterunt; nec ministerio Angelorum, quia ciues suos non tam vehementer affligerent: sed tamen possibile est quòd eos ad loca pœnarum deducant, & etiam ipsi dæmones, qui de pœnis hominum lætantur, eos comitantur & assistunt purgatis, tum vt de eorũ pœnis satientur, tum vt in eorum exitu è corpore aliquid suum ibi reperiant.* Hæc D.Thomas, qui & ex allatis ait patere solutionem ad obiecta.

Animas in Purgatorio à dæmonibus non torqueri asserit S. Thomas.

7. Quæ sanctissimi Thomæ Aquinatis doctrina, quãuis solidissima sit, & ab vniuersis pænè Theologis recipiatur, non tamen reuelationibus quæ in contrarium facere videntur, si probè ac prudenter excutiantur & explicentur, aduersatur, sed vnà cum illis subsistit: & mutuò sibi hæc duo, conciliata, claritatem adducunt. Loquitur ergo Doctor Angelicus de communi quoad purgãdos ordinatione, Deoque solitâ in his ipsis expiandis, illæ ex particularibus occasionibus, & hominum viuentium captui accõmodatis ostensionibus rẽ enarrant: quæ duo simul cõstare, quis refragatus fuerit? Meritò dixere Theologi, id ordinariè fieri nõ decere: meritò id aliquando ex certâ causâ, & iustissimâ Dei ordinatione, prẹter tamen cõmunem cursum, contingere posse non negarunt. & in his duobus, seu potiùs vno ex duobus, simul adunatis, totus quæstionis soluitur nodus, tota, inquã, tantæ, vt quidem apparebat, difficultatis & cõtentionis dissoluitur quæstio, imò simul, quod dissonum erat colligatur. Nam ita exponi possunt hæ visiones, vt videant quidem animæ dæmones, & ab illorum consortio quadamtenus discruciẽtur, quod D.Thomas & admittit & affirmat; nõ torqueantur verò aliis modis, quos idem Doctor negare intendit, & rectè negauit.

Hæc S.Thomæ doctrina non aduersatur reuelationibus præmissis

8. Ceterùm quàm terribile sit, dæmones vel exiguo solùm tempore intueri, multiiugâ Scriptorum relatione discitur. S.Cyrillus ad D.Augustinum scribit de Eusebio viro sanctissimo, quòd in agone constitutus, ex aspectu dæmonum tam terribiles ederet gestus ac sui corporis agitationes, vt præsentes omnes in admirationẽ raperet. S. Antoninus in Historiâ refert de Religioso quodam, qui reuocatus ad vitam affirmabat se malle transire per mundum aliquem ardentem, quàm iterùm dæmonia debere conspicere. Reu. admodum D. Columbanus Gandensis Abbas in suo Consolatorio habet, Religiosam quamdã se voluisse quodammodò in inferni ignibus abscondere, ne diabolum cogeretur videre. Sed & Speculum exemplorũ narrat de Religioso, qui idcircò quod adspexisset genium malũ, quasi in insaniam conuersus, horribili cœpit voce clamare: *Maledicta hora in quâ Religiosus factus sum.* Eiusmodi passim apud Auctores reperiuntur: atque illud est commune ferè hominũ dictum, hoc ipso cuipiam esse moriendum quo dæmonem conspexisset.

Terribile est, dæmonem vel breui temporis spatio cõspicere.

Dist. 9. exempl. 84.

Huic rei ex ipsâ etiam Scripturâ sacrâ & SS. Patribus fundamentum substrui posse videtur, dũ ab iis, quàm sit terrificus adspectus dæmonum, declaratur. Sanè Habacuc sic locutus est: *Et egredietur diabolus ante pedes eius. Stetit, & mẽsus est terrã. Adspexit, & dissoluit Gentes: & contriti sunt montes sæculi. Incuruati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius.* O tremendum reuerà adspectum! Quid hoc est? aut vnde sic est? Quia nimirum, vt apud S.Iobum describitur, adeò figura eius est horribilis, vt ad præsentiam eius cuncti deficiant. *Quis*, inquit, *reuelabit faciem indumenti eius? & in mediũ oris eius quis intrabit? Portas vultus eius quis aperiet? per gyrum dentium eius formido. Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se premẽtibus. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas: vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur. Sternutatio eius splendor ignis, & oculi eius, vt palpebræ diluculi. De ore eius lampades procedunt, sicut tædæ ignis accensæ. De naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque feruentis. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur. In collo eius morabitur fortitudo, & faciem eius præcedit egestas. Membra carnium eius cohærentia sibi: mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur. Cor eius indurabitur tamquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus. Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, & territi purgabuntur.* En vt Scriptura sacra adeo terribilem dæmonis esse intuitum profitetur, vt inde terrefacti, à consciẽtiarum suarum sordibus, quibus immundi erant, queant expurgari. 9.

Cap. 3.

Cap. 41.

Accedant his auctoritates SS. Patrum. Innocentius III. infernales cruciatus recensens, pro octauo hoc ponit: *Horribilis visio dæmonum qui videbuntur in excussione scintillarum de igne ascẽdentium.* Ioan. Cassianus (vel quisquis auctor est) in Cõfessione Theologica infernum describens ait: *Ibi sanè atroces angeli commorãtur, quorum brachia sunt vt capita draconum, quorum oculi igneas sagittas emittũt, quorum dentes vt elephantis prominent & stimulant ad tormentum vt caudæ scorpionum; quorum adspectus tremorem inducit, & dolorem atque mortem.* D. insuper Cyrillus Alexandrinus, *Sagitta*, inquit, *potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis, insidiatur tamquam leo in speluncâ suâ, draco magnus, apostata, orcus os suum expandens, Imperator noctis, dominator mortis, & vt vindex animam coërcens, conferens computansq; cunctos actus meos, rebus, verbis, scientiâ, ignorantiâ commissos reatus ac flagitia ab adolescentiâ* 10.

Li. 3. de Contẽptu mundi, siue de Miseriâ humanæ conditionis, cap. 4.

Parte 3.

Orat. de Exitu animæ.

lescentiâ in eam vsque diem quâ sum comprehensus. Exinde *quantâ formidine & tremore arbitraris animam die illâ percelli, horribiles intuentem, atroces, impios & aduersos dæmones, æquè atque Æthiopes caliginosos adstantes, ita vt forma ipsa quouis tormento sit grauior. Quos nimirum adspiciens anima subsultat, conturbatur, affligitur, exterretur, contrahitur.*

11. *Diabolus quò ante lapsum fuit pulchrior, eò post lapsum factus est horribilior.* Et si rem penitiùs introspiciamus, mirum id non est. Quantò enim in diabolo natura Angelica ante lapsum fuit sublimior, perfectior atque excellentior, tantò quoque per peccatum est effecta detestabilior, terribilior & crudelior. Et quidem, quantum ipsum diabolum attinet, certum est, eum omnem, quam potest, malitiam in Purgatorij animas exercere, ob varias sanè rationes. Primò, quia cùm nequeat odium suum, quod aduersus diuinam Maiestatem concepit, explere, id saltem in illos effundere conatur qui ei proximi sunt, & de æternâ eius societate certissimi. Vnde si, quantum ei licet, molestus est viuentibus, quos tamen in barathrum, à se cruciandos, se pertrahere posse sperat, quid in eos facturum putas, quos certò scit numquã ampliùs à se esse vexandos, & ad modicum saltem sibi tempus esse permissos? annon omnes vires suas hìc impensurum arbitraris, iuxta illud Apocalyps. *Væ terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet.* Maiori præthereà in spiritus illos fertur indignatione, quoniam iam iam illos ad eum locum assumendos esse nouit, è quo ipse suâ culpâ cum tantâ ignominiâ & infamiâ eiectus & exturbatus est. Accedit, quòd & pessimè eum habeat, gloriosè adeò se ab illis in morte fuisse deuictum: vnde credendum est tantò in eos tunc odio agitari atque debacchari, vt nec satiari tormentis ipsorum vllatenus possit, & vniuersos modos excogitet atque exerceat, quibus eos affligere, terrere aut exagitare valeat. Hæc tamen vna tantummodò est luctuosæ istius societatis miseria.

Apoc. 12.

12. *Animabus Purgatorij molestissimũ erit audire continuas dãnatorũ blasphemias.* Est & alia ex parte damnatorum, qui, ad maximum purgandorum tormentum, & sui & rationis obliti, in continuas & execrabiles aduersus diuinam Maiestatem prorumpunt blasphemias, eique maledicunt, à quo creati ac pretioso Sanguine sunt redempti; maledicunt Angelis & Sanctis omnibus, è quorum consortio longè beatissimo exciderunt; maledicunt diei in quo concepti & nati fuerunt; maledicunt parentibus à quibus progeniti, maledicũt denique sibi ipsis, vt qui suâ stultitiâ & malitiâ in tantas miseriarum voragines inciderint: quæ quin sanctissimas illas animas, Dei amantissimas, honorisque eius eximias zelatrices, immensissimo dolore & tristitiâ afficiant & conficiant, nullũ omnino est dubium. Si namque sanctum Prophetam Eliam tãtopere perturbauit, quòd nõ posset impias Iezabelis & Achabi factiones impedire, vt etiam extra omne hominum consortium in desertum profugus, à Deo animæ suæ peteret vt moreretur: si Regium Prophetam adeò punxit & confecit, quòd homines nonnulli scelerati Deum offendere non vererentur, vt proptereà diceret, *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* &, *Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* &, *Vidi præuaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* ac rursus: *Super inimicos tuos tabescebam;* si, inquã, hos & plures alios Sanctos, dum adhuc in carne viuerent, ita permouit Deo à peccatoribus irrogata iniuria, eò quòd mãdatis eius acquiescere nollent; quantò maiorẽ rationem habent animæ purgandæ in inferno, dum audiunt tot, tantas, tamq; frequentes & execrabiles à damnatis contra Deum, iustos, atq; semetipsos voces emitti? Certè quò clariùs, quippe iam à corpore solutæ, veritates æternas intuentur, eò & perfectiùs malorum enormitates cognoscunt, & prolatas in Deum summè diligendum contumelias acerbiùs ferunt.

3. Reg. 19.

Psalm. 118.

Psalm. 138.

Et quamquam multa in his damnatorum blasphemiis sint quæ meritò iustos purgandos affligant, vel duo saltem recensenda putauimus, quorum Innocentius III. mentionem fecit. Prius est, ita damnatos occupari circa suppliciorũ suorum acerbitatem, vt nihil minùs quàm de Deo cogitent: alterum, si quid de creatore suo memoriæ habeant, illud non esse nisi blasphemiam, atque eumdem offendendi desiderium. Audiamus, quæso, vtriusque ex Innocentio probationem. *Reprobi,* inquit ille, *non solùm exterioribus, sed etiam interioribus tenebris inuoluentur, quia spirituali pariter & corporali luce carebunt. Scriptum est enim, Tollatur impius, ne videat gloriam Dei, qui solus tunc erit in lucem sempiternam. Tantam autem in pœnis reprobi tolerabunt angustiam, vt vix aliquid cogitare valebunt præter pœnas, sed illuc dirigent impetum cogitationis, vbi sentient vim doloris. Sanè discipulus quidam fertur apparuisse magistro suo post mortem; quem cùm magister esse damnatum intellexisset, quæsiuit ab eo, si aliquæ quæstiones apud inferos verterentur. Qui dicitur respondisse: Apud inferos quæritur solummodò, quid non sit pœna.* Estq; hæc minima adhuc pars afflictionis, quam ex damnatorum cõsortio purgandi sustinent: alia maior est, quòd non solùm Deo non benedicant, sed ei maledicant, atq; peccandi voluntate insultent. Ita docet idem qui suprà Innocentius III. hisce verbis: *Reprobis irascitur Deus æternaliter, quia iustum est, vt quod impius in suo præuaricatur æterno, Deus vlciscatur in suo æterno. Nam licet peccandi facultas illum dimittat, ipse tamen non dimittit voluntatem peccandi. scriptum est enim: Superbia eorum qui te oderunt, ascẽdit semper. Nam non humiliabuntur reprobi iam desperati de veniâ, sed malignitas odij tantum in illis excrescet, vt velint illum omnino non esse, per quem sciunt se tam infeliciter esse. Maledicent Altissimo, & blasphemabunt Excelsum, conquerentes eum esse malignum, qui creauit illos ad pœnam, & numquam inclinatur ad veniam. Audi Ioannem in Apocalypsi dicentem: Grando magna descendit de cælo in homines, & blasphemauerunt homines Deum propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer. Voluntas ergo dãnati, licet amiserit potestatis effectum, semper tamẽ habebit malignitatis affectum; & ipsa erit in inferno supplicium, quæ fuerat in mundo peccatum: licet forsan & ibi peccatum sit, sed non meritum pœnæ.* Similia adiungi poterãt ex D. Augustino, sed quia & alia supersunt, quæ tũ dãnatos in maiores blasphemias adigũt, tum purgandos ex illorũ conspectu mirabiliter cruciant, iis modò supersedere visum est, & nonnihil horribilissimos eos, quos dãnati patiuntur, cruciatus diffusiùs explicare. Patebit inde, quomodo non tantùm sanctissimæ Purgatorij animæ ex maledictâ prædictorum societate acriter admodum diuexentur, sed quales & ipsæ ex eisdem ferè suppliciis (suppositâ tamen huiusmodi semper distinctione,

13.

Li. 3. de Cõtemptu mundi, cap. 7.

Duplices tenebræ damnatorum.

Isaiæ 26.

Ibid. c. 10.

Psalm. 73.

Apoc. 16.

quòd ipsarum, sicut illorum, æternùm non durent, aut nullam vel minimam admittant impatientiam) dolores sustineant, quandoquidem vtrorumque & idem continens locus sit, & crucians ignis.

14. Qualespœna damnatorũ.

Quid igitur sancti Patres de damnatorum tormentis? Nescio profectò quis ea veriùs, quis horribiliùs, vel per quam mali similitudinem quis accuratiùs explicet. Varias Doctorum adducam sententias, aut potiùs testimonia, ex his prudens Lector feret iudicium. Atque in primis mellifluus Doctor S. Bernardus ita, succinctè licet, horribiliter tamen describit infernum: *Procul à beatá paradisi patriá exulati, cruciabuntur in gehenná perpetuá, numquam lucem visuri, numquam refrigerii adepturi, sed per millia millium annorum in inferno cruciandi, nec inde vmquam liberandi. Vbi nec qui torquet fatigatur, nec qui torquetur moritur. Sic enim ignis ibi consumit, vt semper reseruet: sic tormenta aguntur, vt semper renouentur. Iuxta verò qualitatem culpæ, pœnam sustinebit vnusquisque gehennæ: & similis culpæ rei, suis similibus iungentur cruciandi. Nihil aliud ibi audietur nisi fletus & planctus, gemitus & vlulatus, mœrores atque stridores dentium: nihilq́; ibi videbitur nisi vermes, & laruales facies tortorum, atque teterrima monstra dæmonum.*

(Lib. Meditat. cap. 3. siue Lib. 1. de Animâ apud Hugonẽ, c. 3)

Vermes crudeles mordebunt intima cordis.
Hinc dolor, inde pauor, gemitus, stupor, & timor horrens.

Ardebuntq́; miseri in igne æterno in æternum, & vltra. In carne cruciabuntur per ignem, in spiritu per conscientiæ vermem. Ibi erit dolor intolerabilis, timor horribilis, fœtor incomparabilis, mors animæ & corporis, sine spe veniæ & misericordiæ. Ita D. Bernardus. Sed & alios Doctores audiamus. Innocentius III. damnatorum tormenta his refert verbis: Pœnæ infernales secundùm diuersa peccata sunt diuersæ. Prima pœna est ignis, secunda frigoris. De iis dixit Dominus: Ibi erit fletus, & stridor dentium. Fletus, propter fumum ignis; stridor dentium, propter frigus. Tertia erit fœtor. De his tribus dicitur in Psalmo: Ignis, sulphur & spiritus procellarum, pars calicis eorum. Quarta, vermes indeficientes. Vnde Isaias: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Quinta, mallei percutientes. Vnde dicit Salomon: Parata sunt iudicia blasphematoribus, & percutientes mallei stultorũ corporibus. Sexta, tenebræ palpabiles, exteriores & interiores. Vnde Iob: Terra miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, &c. Vadam ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine. Et in Psalmo: In æternum non videbunt lumen. & alibi: Impij in tenebris conticescent. Septima, confusio peccatorum. Tunc enim (vt legitur in Daniele) erunt libri aperti, id est, conscientiæ hominum erunt omnibus manifestæ. Octaua, terribilis visio dæmonum, qui videbuntur in excussione scintillarum de igne ascendentium. Nona, igneæ catenæ, quibus impij singulis membris constringentur. Prima pœna, est concupiscentium; secunda, malitiosorum; tertia, luxuriosorum; quarta, inuidorum & odio habentium; quinta, eorum qui in hoc sæculo per flagella non meruerunt castigari, quia tentauerunt & exacerbauerunt Dominum in multitudine iniquitatum suarum. vnde scriptum est: Exacerbauit Dominum peccator, secundùm multitudinem iræ suæ non requiret. Sexta, eorum qui in tenebris ambulantes, ad lumen verum, scilicet Christum, venire contempserunt. Septima, confitentium peccata sua, & pœnitentiam contẽnentium. Octaua, illorum qui in hoc sæculo libenter vident mala, & faciunt. Nona, illorum qui per singula vitia sunt defluxi, qui ambulant in desideriis suis, & eunt post concupiscentias suas.

(Lib. 3. de Contemptu mundi, c. 4. — Math. 13. — Psalm. 10. — Isaiæ vlt. — Prou. 19. — Iob. 10. — Psal. 48. — 1. Reg. 2. — Dan. 7. — Psal. 9.)

De animæ verò afflictionibus idem: Vindicta carnis impij, vermis & ignis. Vterque duplex, interior & exterior. Interior, qui rodit & vrit cor; exterior, qui rodit & vrit corpus. Vermis, inquit, eorum non morietur, & ignis non extinguetur, &c. Chrysostomus verò: *Cùm ignem audis, ne arbitreris esse similem huic igni: accensus enim deferuescit & mutatur; ille autem semel in flammam exurgens, ardet perpetuò, numquam intermoritur ...... Ab experimento rerum tenuium fieri potest vt accipiamus de magnis aliquid coniecturæ. Si quando in balneo fueris nimium efferuescente, tum gehennæ recorderis: & rursus si quando febre acriore conflagraueris, ad flammam, quæ tunc est, progredere; tum probè intelliges, quia balneum & febres adeò nos affligant ac territant, quo animo futuri sumus, quando in fluuium ignis inciderimus, qui ducitur ab illo horrendo tribunali. Profectò frendemus dentibus, propter labores & cruciatus illos indicibiles, nemo suppetias feret. Plorabimus omnes tristißimè, flammá nobis vehementiùs incumbente. Neminem videbimus, præter condemnatos nobiscum, & immanem solitudinem.* Et denique S. Augustinus: *Principalia duo sunt tormenta in inferno, frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis ..... De quibus duobus pendent innumera pœnarum genera, videlicet sitis intolerabilis, pœna famis, pœna fœtoris, pœna horroris, pœna angustiæ, pœna tenebrarum; seueritas tortoris, præsentia dæmonum, ferotitas bestiarum, crudelitas ministrantium, dilaceratio immortalium vermium, vermis conscientiæ, ignitæ lacrymæ, suspiria, miseriæ, dolor sine remedio, vincula sine solutione, mors æterna, pœna sine fine, absentia Christi, quoad visionem eius, quæ sola, omnia supradicta superat, & omnibus pœnis intolerabilior.* At ô quàm etiam est terribilis damnatorum vermis! sanctus Basilius hoc explicat hisce verbis: *Vermium item genus quoddam venenosum & carniuorum, quódque, licet mirandum in modum semper voret, numquam tamen exsatiare se potest, intolerandos dolores morsibus suis inurens.* Et denique cur infernus terra tenebrarum appelletur, sic D. Gregorius explicat: *Quid terræ tenebrosæ nomine, nisi tetra tartari claustra signantur? Quæ æternæ mortis caligo operit, quia damnatos quosque in perpetuum à vitæ luce disiungit.*

15. (Lib. 3. de Contemptu mundi, c. 2. — Epist. 5. ad Theodorum lapsum. — Lib. de Triplici habitaculo, cap. 2. — Orat. de Futuro iudicio. — Lib. 9. Mor. cap. 45.)

Quæ si cui necdum satis videantur, quàm grauis præterea damnatis futura sit damnationis æternitas, eloquatur S. Cyprianus. *Continuus erit*, inquit, *& superfluus illarum lacrymarum decursus, stridorem illum dentium flammæ inextinguibiles agitabunt. Immortales miseri viuent inter incendia, & inconsumptibiles flammæ nudum corpus allambent.* S. Gregorius hoc item testatus est, sic inquiens: *Fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu; quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit. Quia igitur & mors perimit, & non extinguit; dolor cruciat, sed nullatenus pauorem fugat; flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit; quantum per notitiam præsentis vitæ colligitur, supplicia ordinem non habent, quæ non suam per omnia qualitatem ne...*

16. (Serm. de Ascensione Christi. — Li. 9. Moral. cap. 46.)

nent, &c. Nec desunt qui eorum in inuicem odium delineent: è quibus est Hugo à S. Victore, qui sic ait; Omnis qui est in eo, odit se, & omnes alios. Si quis etiam scire aueat, quomodo maledictæ in inferno animæ in furiam quodammodò præ angustiis abripiantur, legat quæ variis in locis de eo habet S. Bernardus, & graphicè delineata omnia videbit.

Lib 4 de Animâ, c. 13.

Sed quorsum hæc? cùm non de damnatis, sed de purgandis noster sit Tractatus, quibus hæc nullatenus competunt: sunt enim patientissimi, Deoque se in omnibus eiusque diuino beneplacito conformant. Quorsum ergo hæc de damnatis narratio? Profectò haud adeò extra metam, quandoquidem eos ab animabus Purgatorij videri posse, omnino sit probabile, nec ab Euangeliorum textu admodum dissonum, cùm ibi legatur, Epulonem vidisse Abrahamum, eiusque in sinu Lazarum. Clamores ergo damnatorum audiri ab animabus Purgatorij, eorumque pœnas & horribiles, quos hactenus è Patrum scriptis descripsimus, cruciatus ab iisdem conspici, mirum quantum purgandorum afflictionem augebit, adeò vt vel hoc vno nomine, etiamsi nullis prætereà aliis tormentis exagitentur, dirissima patiantur. Sed de huiusmodi satis, inspiciamus tertium tristitiæ è societate purgandorum deductum motiuum.

Luc. 16.

17. Dolent ergo & plurimum condolent, tot prætereà alios iustos secum terribili igne illo torqueri; tantumque horum suppliciis afficiuntur, quasi ipsemet singulorũ tormenta subiret. Hęc ita se habere, tum plurimorum Scriptorum produnt testimonia, tum ipsa ratio manifestè dictat. Quoniam si verum est, prout reuerà est verisimum, quòd animæ illæ in charitate confirmatæ sint, in charitate inquam Dei & proximi, necessarium erit, suppositâ Fide Christianâ, admittere, has ipsas animas arctissimo inter se mutuò perfectissimæ dilectionis vinculo colligari, ac propterea non proprio solùm cruciatu, sed reliquarum etiam pœnâ diuexari. Quòd nisi ita se re ipsâ haberet, maiorem dicendum esset in damnatis reperiri charitatem: nam apud S. Lucam ipsius Saluatoris ore de Diuite epulone narratur, quòd is in tormentis constitutus, eleuans oculos suos, viderit Lazarum in Abrahæ sinu considentem, fratrumque suorum memor, de eorum salute sollicitus fuerit, & pro iis apud Abrahamum aliquid postulauerit. *Rogo ergo te*, inquit, *Pater, vt mittas eum in domum patris mei; habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Si ergo perfectior omnino habenda sit charitas purgandorum, certò ex eâ deducitur, maiori illos compassione ferri erga spiritus, quos actu secum in tormentis discruciari vident, sibique aliquando coheredes & regni cælestis comparticipes futuros sciunt. Vnde sat probatur, tot quodammodo in Purgatorio esse pœnarum genera quot animas, quæ non propriam tantùm, sed alienam quoque ex charitatis affectu sentiunt ac participant afflictionem.

Dolor earum augetur ex dolore quem sentire videt alias animas secum in Purgatorio reclusas.

Luc. 16.

Sunt & aliæ loci eiusdem circumstantiæ, quæ molestiam animarum haud parum aggrauent: nam, vt aliqui volunt, ex vicinis infantibus sine Baptismate mortuis, ac miserabiliter eiulantibus, non modicè perturbantur, vtpote quos iustè, sed frustrà deplorare audiant infelicem conditionis suæ sortem, quòd cùm nihil aut per se egerint mali, aut agere quidquam boni potuerint, beatificâ Dei visione ac glorioso Sanctorum consortio æternùm sint priuati, ac cum illis addicti carceri, qui diuinam & gratiam & iustitiam vilipendentes, propriâ sese malitiâ condemnarunt. Habet sanè hæc illorum infantium conditio & gemitus magnum ad compassionem excitandam fundamentum: vnde fuisse aliquando dicti sunt, qui ista Virgilij è libro 6. Æneidos verba non sine tristitiâ vmquam, & subinde etiam cum lacrymis perlegerent:

Infantium sine Baptismate defunctorum gemitus purgantibus animabus est molestissimus.

Continuò auditæ voces, vagitus & ingens,
Infantumq; animæ flentes in limine primo,
Quos dulcis vitæ exsortes, & ab vbere raptos
Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.

Verùm quia de fletus tormento Capite sequenti XXI. peculiariter acturi sumus, hocce Caput cum iam dictis absoluimus.

CAPVT XX.

Corporalis incendij tormento, quàm violenter spiritus incorporei torqueantur: difficilis explicatu grauis ille cruciandi modus.

QVamquam supra humanam experientiam sit, ac naturalem omnem iudicandi rationem excedat, quòd animæ corporum expertes, planeque spirituales, igne ac pœnis corporalibus excrucientur, hoc tamen apud Catholicos modò ita receptum est, vt licet de Fide non sit, contrarium tamen asserere, & improbabile sit, & temerarium appareat. Verum quidem est, Græcos, tametsi in Concilio Florẽtino admiserint Purgatorium, vti videre licet Sessione vltimâ, vbi ex eorum quoque consensu definita fuit Purgatorij veritas, in hoc ipso tamen Concilio apertè protestati fuere, se non admittere in Purgatorio ignem corporalem. Sed hæc tunc erat Græcorum opinio: Latini verò communiter & tunc & nunc hoc ipsum admittunt, & nituntur plurimis iisque solidissimis argumentis, tum Scholasticorum atque aliorum Sanctorum fundati sententiis, tum etiam nonnullis sacræ Scripturæ locis. Quapropter cùm hæc doctrina verior & sanior haberi debeat, atque exactè nobis tormentorum, quæ fideles in Purgatorio patiuntur, grauitatem declaret, non sine ratione hic eam probaturi sumus, quatenus viuentes Catholici ampliùs inde excitentur, quò afflictis animabus violentissimam illam lenire atque finire studeant pœnam. Maxima reuerà isthinc commiserendi occasio desumi potest, eò quòd ingẽtem magis atq; vehementiùs intensum esse cruciatum declaret: nam, vt infra dicemus, tantò anima dolorem magis percipit, quantò magis est sensitiua, ac tenerioris nobilioris q; conditionis; quin & naturalis ac quotidiana experientia docet, quò quid ad patiendum cogitur violentiùs, eò etiam pati vehementiùs, vt propterea terribilissimus & incomprehensibilis om- I.

Græci in Purgatorio ignem materialem non admiserunt.

Latini admittunt.

omnino esse debeat ille dolor, quo per ignem materialem Purgatorij spiritus exercetur. Quid enim violentius fieri potest, quàm cælestes illas creaturas non tantùm terrenâ seu potiùs infernali cauernâ concludi, sed modis etiam terrenis siue infernalibus exagitari? quod omnino præter ipsarum est naturam, adeò vt humanum non sit illud concipere. Sed quod non concipimus, ex Patrum auctoritate credamus.

2. *Doctorum consensus in rem aliquã, magna semper fuit auctoritatis.*

Magnam semper in Ecclesiâ auctoritatem habuit, & meritò habere debet, communis in rei alicuius assertione consensus Doctorum: nam ex eo constat, non leue aut immaturum super eâ latum esse priuati cuiuspiam hominis iudicium, sed probo atque accurato multorum examine, debitaque trutinatione atque discussione præuiâ assertum; quod apud cordatos ac eruditos viros maximum semper pondus habet: vt leuitatis proinde aut præsumptionis notam incurrat, qui tot ita sentientibus contranititur. Generali itaque propemodum Scholasticorum acclamatione asseritur, ignem inferni Purgatoriique esse corporeum, & proinde magnum ex illo capite veritatis argumentum habetur, cui solidiùs quis innititur, si SS. Patrũ testimonia, quibus res tota fulcitur, in medium adferantur. Hos inter in primis est doctissimus æquè ac sanctissimus Doctor Angelicus: qui postquam docuisset, eumdem esse ignem Purgatorij atq; inferni, vt Capite XVIII. adducta eius verba asseruerunt, docuit etiam eodem quo suprà loco, ignem inferni, quo corpora damnatorum cruciabuntur, esse corporeum; vnde admittere necesse est, D. Thomam tenuisse atque adeò asseruisse, in Purgatorio dari ignem corporeum. Nam si ignis Purgatorij non est alius, sed vnus idemque cum infernali, hicque sit corporeus, vtrique & ille Purgatorij corporeus sit necesse est; adeoque quidquid à sancto Thomâ assertum fuit quoad substantiam ignis infernalis, illud ipsum planè competere igni Purgatorij dicendum est. Videamus quomodo Doctor ille loco præfato rem in vtramque partem disputet.

D. Thom. in 4. Sent. dist. 44. q. 3 a. 2. Ignis inferni est corporeus, & proinde etiã ignis Purgatorij.

3. *D. Thomas Aquinas ignem inferni corporeũ esse disputat.*

Videtur, inquit, *quòd ignis inferni, quo corpora damnatorum cruciabuntur, non sit ignis corporeus. Dicit enim Damascenus in lib. 4. In fine tradetur diabolus & dæmones eius, & homo eius, scilicet Anti-Christus, & impij & peccatores, in ignem æternum, non materialem qualis apud nos est, sed qualem vtique nouit Deus. sed omne corporeum est materiale; ergo ignis inferni non erit corporeus. II. Prætereà, animæ damnatorum à corpore separatæ ad ignem inferni deferuntur: sed Augustinus dicit lib. 12. super Genes. ad litter. Spiritualem arbitror esse locum, scilicet ad quem anima deferatur post mortem, non corporalem; ergo ignis ille non est corporeus. III. Prætereà ignis corporeus in modo suæ actionis non sequitur modum culpæ in eo qui igne crematur, sed magis modum humidi vel sicci; in eodem enim igne corporeo videmus affligi iustum & impium: sed ignis inferni in modo suæ actionis sequitur modum culpæ in eo qui punitur; vnde Gregorius in 4. Dialogor. Vnus quidem est gehennæ ignis, sed non vno modo omnes cruciat peccatores, vniuscuiusque enim quantum exigit culpa, tantum sentietur pœna; ergo ignis ille non est corporeus. Sed contrà est quod dicitur 4. Dialogor. Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari. II. Prætereà Sapient. 5. dicitur, Pugnabit orbis terrarum contra insensatos: sed non totus orbis contra insensatos pugnaret, si solummodò spirituali pœnâ & non corporali punirentur; ergo punientur igne corporeo.* Ita D. Thomas, qui & paulò inferiùs alia habet. Sed quia hæc sufficiunt, & illa satis longa sunt, ad solutiones veniemus.

Ad primum ergo, inquit, *dicendum, quòd Damascenus non negat simpliciter illum ignem materialem esse, sed quòd non est materialis talis qualis apud nos est, eò quòd quibusdam proprietatibus ab hoc igne distinguitur. Vel dicendum, quòd quia ignis ille non materialiter alterat corpora, sed quadam spirituali actione cogit ad ea, ad punitionem, vt ex dictis patet: ideò non dicitur materialis, non quantum ad substantiam, sed quantum ad punitionis effectum in corporibus, & multò ampliùs in animabus. Ad secundum dicendum, quòd dictum Augustini potest hoc modo accipi, vt pro tanto dicatur locus ille, ad quem animæ deferuntur post mortem, non esse corporeus, quia anima in eo corporaliter non existit, per modum scilicet quo corpora existunt in loco, sed alio modo spirituali, sicut Angeli in loco sunt. Vel dicendum, quòd Augustinus loquitur opinando, & non determinando, sicut frequenter facit in libro illo. Ad tertium dicendum, quòd ignis ille erit instrumentum diuinæ iustitiæ punientis; instrumentum autem non solùm agit virtute propriâ & per proprium modum, sed etiam in virtute principalis agentis, & secundùm quod est regulatum cum eo: vnde quãuis ignis secundùm propriam virtutem non habeat quòd aliquos cruciet magis vel minùs secundùm modum peccati, habet tamen hoc secundùm quod eius actio modificatur ex ordine diuinæ iustitiæ. Sicut enim ignis fornacis modificatur ex industriâ fabri in suâ actione secundùm quod competit ad effectum artis*, &c. Sed à D. Thomâ ad S. Gregorium Magnum transeamus. 4.

Insignis hic Ecclesiæ Doctor & Pontifex disertissimis verbis asserit, ignem illum, quo puniuntur animæ, esse corporeum. Neque obstat quod lib. 15. cap. 14. Moralium, ignem gehennæ incorporeum esse dicat: quia, vt benè annotauit Illustrissimus Cardin. Bellarminus, est mendum scriptorum, qui posuerunt *incorporeum* pro *corporeum*, vt patet ex sequentibus, dicit enim statim eum corporaliter vrere. De quo vt nullus addubitet, alia loca quibus hanc rem clarè docuit, licebit inspicere. Alia inter loco è Dialogis eius adducto sic loquitur. GREG. *Si viuentis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cùm incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne teneatur?* PETRVS. *In viuente quolibet idcirco incorporeus spiritus tenetur in corpore, quia viuificat corpus.* GREG. *Si incorporeus spiritus, Petre, in hoc teneri potest quod viuificat, quare non pœnaliter & ibi teneatur vbi mortificatur? Teneri autem spiritum per ignem dicimus, vt in tormento ignis videndo atque sentiendo puniatur: ignem namque eo ipso patitur quòd videt; & quia cremari se adspicit, crematur. Sicq; fit, vt res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor ac dolor inuisibilis trahitur; vt per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporeâ flammâ crucietur. Quamuis colligere ex dictis Euangelicis possumus, quia incendium animæ non solùm videndo, sed etiam experiendo patiatur. Veritatis enim voce Diues mortuus in inferno dicitur sepultus. Cuius anima quia igne teneatur, insinuat vox Diuitis, qui Abraham deprecatur, dicens: Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam; quia crucior in hac flammâ. Dum ergo peccatorem diuitem damnatum Veritas in ignem perhibet, quisnam sapiens reproborum animas*

5. *D. Gregorius Magnus idẽ docet. Lib. 4 Dialog. c. 29. Bellar. lib 1. de Purgator. c. 11.*

Disputat S. Gregorius & concludit ignem inferorum esse corporeum.

animas teneri ignibus neget? PET. *Ecce ratione ac testimonio ad credulitatem flectitur animus, sed dimissus iterùm ad rigorem redit. Quomodo enim res corporea incorpoream teneat atq; affligere posit, ignoro.* GREG. *Dic, quæso te, apostatas spiritus à cælesti gloriâ deiectos, esse corporeos an incorporeos suspicaris?* PET. *Quis sanum sapiens, esse spiritus corporeos dixerit?* GREG. *Gehennæ ignem esse incorporeum an corporeum fateris?* PET. *Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari.* GREG. *Certè reprobis Veritas in fine dictura est: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Si igitur diabolus eiusq; angeli, cùm sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi; quid mirum, si animæ, & antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta?* PET. *Patet ratio, nec debet animus de hac vlteriùs quæstione dubitare.*

6. *S. Greg. l. 4. Dial c. 35. Ignis è terrâ hinc inde erumpens, indicium est inferni in terrâ latentis.*

Quid amplius? idem Sanctus non temerè putauit, varias eruptiones ignis quæ in terrâ apparent, esse indicia quædam inferni intra viscera terræ existentis. Et cap. 30. scribit, se certâ relatione cognouisse, eadem ipsâ horâ, quâ obiit Rex Theodoricus Arrianus, visam fuisse illius animam in foueam Vulcani, quæ est in Siciliâ, proiici. Huic rei simile narrat disertissimus ac religiosissimus D. Laurentius Surius ad annum Domini M.D.XXXVII. prope montem nempe Heclam in Islandiæ insulâ erumpere flammas, & audiri quædam quasi tonitrua valdè horrenda, sæpeque apparere animas quæ ad illum se montem dicant destinari. Vincentius etiam Beluacensis refert, quòd Religiosus quidam reuertens Ierosolymis, maris tempestate compulsus sit ad rupem aliquam, in quâ agebat tunc temporis sanctus quidam Inclusus: quocum vbi frequenter verba haberet, ab eodem hæc audierit: *Sunt vicina nobis loca, ex quibus grauissima flammarum euomuntur incendia, in quibus etiam locis animæ diuersa luunt pro meritorum qualitate tormenta, à quibus tamen interuentu S. Odilonis, eiusdemq; Abbatis Monachorum Cluniacensium, sæpiùs liberantur.*

Vincent. Beluac. in Spec. histor. c. 105.

7. *S. Augustinus in eadẽ est opinione. Lib. 21. de Ciuit. Dei, cap. 10.*

Tertius Auctor quem, vt Purgatorij ignem corporeum esse adstruamus, testem aduocamus, est maximus ille Doctorum Augustinus. Hic loquens de igne infernali, quem prioribus Capitibus corporeum esse affirmauerat, ac damnatorum corpora torsurum probauerat, quærit, num & de spiritibus dæmonum per illum vrendis possit intelligi. Et omnino affirmatiuè respondet. Verba eius hæc sunt: *Cur enim non dicamus, quamuis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœnâ corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, ipsi etiam profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhærebunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus dæmonum, imò spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non vt ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum iuncturâ inspirentur, & animalia fiant, quæ constent spiritu & corpore; sed, vt dixi, miris & ineffabilibus modis adhærendo accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam: quia & iste alius modus, quo corporibus adhærent spiritus, & animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest, & hoc ipse homo est.* Hæc D. Augustinus, qui satis indicat, cui opinioni hac in re calculum suũ adiicere pronus sit. Et quamuis expresè non dicat, idem fore intelligendum de spiritibus defunctorum, implicitè id tamen satis innuit, quia, quoad hæc, eadem est ratio respectu dæmonum & animarum suis corporibus solutarum: vnde Doctores pro iisdem accipiunt, & S. Augustini testimonium ratum habent. Et sanè, si oppositum foret verum, valdè vtique absurdum esset alio hominum corpora igne torqueri, alio illorum animas; aliâ flammâ cruciari hominum spiritus, aliâ spiritus dæmonum. Frustrà est tot modos statuere, quia frustrà fit per plura quod fieri potest per pauciora. Quia tamen iste modus nonnihil est intellectu difficilis, quid sanctus Augustinus eodem libro dicat audiamus, vbi variis exemplis aliis probat, mirandum non esse, si nequeamus intelligere quomodo ignis inferni vrat damnatorum corpora, nec tamen comburat. *Ibid. cap. 5.*

8. *Miracula aliquot naturæ contra ordinẽ communem.*

Agrigentinum Siciliæ salem perhibent, cùm fuerit admotus igni, velut in aquâ fluescere; cùm verò aquæ, velut in igne crepitare. Apud Garamantas quemdam fontem tam frigidum diebus, vt non bibatur; tam feruidum noctibus, vt non tangatur. In Epiro alium fontem, in quo faces, vt in ceteris, extinguuntur accensæ, sed, non vt in ceteris, accenduntur extinctæ. Asbeston Arcadiæ lapidem propterea sic vocari, quòd accensus semel iam non posit extingui. Lignum cuiusdam ficus Ægyptiæ non vt ligna cetera in aquis natare, sed mergi: & quod est mirabilius, cùm in imo aliquamdiu fuerit, inde ad aquæ superficiem rursus emergere, quando madefactum humoris pondere prægrauari debuit. Poma in terrâ Sodomorum gigni quidem, & ad maturitatis faciem peruenire, sed morsu pressuve tentata, in fumum & fauillam, corio fatiscente, vanescere. Pyritem lapidem Persicum tenentis manum, si vehementiùs prematur, adurere, propter quod ab igne nomen accepit. In eadem Perside gigni etiam lapidem Selenitem, cuius interiorem candorem cum Lunâ crescere atque deficere dicant. In Cappadociâ etiam vento equas concipere, eosdemq; fœtus non amplius triennio viuere. Tilon Indiæ insulam eo præferri ceteris terris, quòd omnis arbor quæ in eâ gignitur, numquã nudatur tegmine foliorum. De his atq; aliis innumerabilibus mirabilibus, quæ historia non factorum aut transactorũ, sed manentium locorum tenet (mihi autem aliud agẽti ea persequi nimis longum esset) reddant rationem, si possint. Vnde confirmat idem Augustinus, non ideò minùs credendum esse vero igne cruciari damnatorum corpora, quia non intelligitur modus quo id fiat: & eadem ratione vtendum est in spiritibus defunctorum purgandis.

9. *Quomodo ignis corporalis agat in anima. Sententia Suarez.*

Ceterùm quia graues etiam Theologi modum inuenire conati sunt, quo nobis aliquousque saltem explicarent quomodo is ignis agat in animas, quid de hoc dicant audiamus. Atque inprimis R. P. Franciscus Suarez ita loquitur: Assero, ignem agere in spiritus rem aliquam disconuenientem, quæ sit obiectum doloris seu tristitiæ. Hæc etiam est communis Theologorum, quamuis in modo explicandi differant. Nam qui dicunt ignem detinere & alligare damnatos, id ponunt tamquam obiectum & doloris & tristitiæ: qui etiam dicunt efficere aliquem cruciatum nobis inexplicabilem, illum ponunt vt obiectum illius doloris. Solùm à nobis differre videntur, qui dicunt, ignem solùm efficere species aliquas intelligibiles, vel apprehensionem aliquam, aut ipsam tristitiam. Sed horum sententia verisimilis non est, & ex eius improbatione demonstratur assertio. Primò, quia actus illi vitales fiunt è principio

cipio intrinseco, id est, ab ipsâ animâ & eius potentiis, non ergo ab igne; quia causa extrinseca non influit physicè in actum immanentem, nisi fortè per modum obiecti, mediâ specie: ignis autem non est obiectum talis doloris vel tristitiæ secundùm se, si aliud malum non operatur, vt per se notum apparet. Vnde licet daremus ignem vt instrumentum Dei concurrere ad producendas aliquas species intentionales, vel ipsos etiam actus vitales apprehensionis & tristitiæ (quod fortè non repugnat, dummodò non tollatur influxus potentiarum in eosdem actus) tamen adhuc oportet assignare obiectum verum talis doloris seu tristitiæ, & apprehensionis ex quâ causatur, vt suprà ostensum est: hoc autem obiectum esse debet aliquod malum verè & realiter existens in ipsis animabus, alioqui falsa esset apprehensio, & illusoria tristitia, vt suprà argumentabamur. Hoc autem malum debet esse distinctum ab ipso dolore, & prius illo, tum quia actus immanens non est primum obiectum suiipsius, vt egregiè probat D. Thomas 1. 2. q. 1. art. 1. ad 2. tum etiam quia est causa illius: ergo in efficientiâ talis mali consistit cruciatus; ergo cùm ignis verè ac physicè cruciatum efficiat, hoc malum efficit. Et hæc sufficit: nam reliqua efficientia actuum vitalium immediatè est impertinens, nam ex tali obiecto necessitate quadam naturali sequuntur illi actus, sicut ex combustione ignis in corpore sequitur necessariò sensus & dolor, licet ignis ipse non efficiat immediatè actus ipsos sensationis aut doloris. Vnde tandem confirmatur: nam tunc aliqua causa extrinseca dicitur efficere cruciatum, quando efficit obiectum proximum doloris: sed ita loquuntur Sancti & Scriptura de hoc igne; ergo.

Explicat se.

10. *Quid inde sequatur.*

Atque hinc sequitur, hoc malum, quod efficit hic ignis, esse rem aliquam positiuam: tum, quia realis actio non potest tendere directè & per se ad solam priuationem; tum etiam, quia nulla realis priuatio fieri potest in animâ seu spiritu; quia nec eius substantia minuitur, cùm indiuisibilis sit, nec priuatur potentiis aut naturalibus habitibus. Nam licet in inferno animæ habitibus priuentur, tamen neque hoc dici potest de animabus Purgatorij: neque in inferno talis priuatio est ab igne, sed vel supponuntur illæ animæ priuatæ in hac vitâ, vt gratiâ, charitate, & aliis moralibus infusis; vel in eo puncto priuantur, vt habitibus fidei & spei mortuis, non per actionem ignis, sed per suspensionem diuini influxus. Quo sensu dixit Cyrillus lib. 10. in Ioan. c. 14. *Aufertur ab illis humor, id est spiritus Domini, antequam igni tradantur. Nam si honoribus huius sæculi præditi, qui aduersus Regem aliquid commiserunt, non priùs puniuntur quàm Magistratu se abdicauerunt; quomodo non erit necesse, vt antequam igni anima infructuosa tradatur, penitus à gratiâ spiritus decidatur?* Et eodem fortasse modo priuantur habitibus virtutum acquisitarum, si quos retinebant, aut fortè illos retinent, donec propriis actibus obduratæ voluntatis illos amittant. nam per actionem ignis non est verisimile eos tolli, quia ille ignis non efficit vitia contraria, hæc enim per specialem Dei & miraculosum influxum infundi non possunt; talis autem esset ibi necessarius. Habitus ergo illi non amittuntur, præsertim in spiritu separato, nisi vel per suspensionem diuini concursus conser-uantis; vel per habitus & actus contrarios. Itaque actio illa ignis non potest consistere in priuatione solâ, ergo in effectione alicuius rei positiuæ. Imò discursus factus probat talem esse illam positiuam effectionem, vt ad illam non consequatur priuatio alicuius rei incompossibilis cum termino talis actionis, de quo statim dicam.

Necessarium autem omnino est, vt res illa, quæ per illam actionem fit, & fiat in ipsomet spiritu qui cruciatur, eique inhæreat, & sit illi disconueniens. Vtrumque patet ex eodem principio, scilicet, quia aliàs non posset esse aliquod verum malum spiritus qui cruciatur, & consequenter non posset esse obiectum veri doloris. Etenim si res illa non afficit ipsum spiritum, quomodo esse potest illi disconueniens, nisi fortè per extrinsecam habitudinem, sicut infamia vel contumelia est quoddam malum? Sed hic modus non habet locum in illo genere effectus vel actionis, vt per se notum est, tum quia hoc malum extrinsecum non causat proprium dolorem sensus, licet tristitiam inferat; tum etiam, quia nullam similem extrinsecam habitudinem habere potest ad dæmones, vel animam, res similis extrinseca, effecta ab igne, in aëre, vel alio corpore, vt magis in sequentibus declarabitur. Oportet ergo, vt illud quod ab igne fit, in spiritu fiat, inhæreat, & de potentiâ eius educatur, & consequenter vt sit illi disconueniens, aliàs non posset esse verum malum eius. Nam res positiua, vt sic, mala non est, sed malum in priuatione consummatur: quæ priuatio quando non est per exclusionem alicuius boni, saltem in disconuenientiâ aliquâ consistit, vt lariùs in Metaphysicâ Disp. 11. tractatum est. 11. *Dolor ignis corporei in anima vnde?*

Vltimò ex his concludo, per actionem ignis fieri in spiritu, qui cruciatur, qualitatem aliquam spiritualem disconuenientem illi, quæ dolorifera dici potest, quatenus est obiectum doloris & tristitiæ. Probatur: quia per illam actionem res aliqua fit, & illa non est substantia, cùm inhæreat substantiæ; neque est in aliquo prædicamento accidentium, vt facilè patebit discurrendo per omnia. Quantitas enim esse non potest, quia non potest habere effectum suum in re omnino indiuisibili. Nec est Vbi, vt ostensum est, quia non consistit cruciatus ille in solâ illâ detentione. Nec est duratio, quia hæc per se est æterna in his rebus, nec maior fieri potest, præterquam quòd duratio non potest fieri aliâ actione, quàm rei existentiâ. hoc autem non fit ab igne in his spiritibus, vt per se patet, nec ex eo cruciantur. Nec est actio vel passio, quia hæ non sunt termini actionum, sed via ad terminum; vnde iam supponimus, ibi interuenire actionem & passionem, sed illius mutationis terminum quærimus. Item de relatione constat, quia per se nihil est distinctum à fundamento, ideoque neque per se fit per actionem. Denique de habitu est res per se nota: superest ergo vt sit qualitas. dicere enim, esse rem alterius prædicamenti possibilis nobis ignoti, ridiculum est, & nihil deseruiens ad leniendas difficultates quæ de tali qualitate possunt occurrere. Idemque est si quis contendat non esse propriam rem, sed modum rei: nam & hoc difficiliùs intelligitur in re spirituali, eo modo quo excogitatus fuerit talis modus, debet *Concludit ignem animæ imprimere qualitatem.*

bet ad qualitatem reduci ex eodem discursu.

12. *Probat qualitatem animæ impressam esse spiritualem.* Denique quòd qualitas illa spiritualis sit, ex subiecto sufficienter probatur. Credimus enim, impossibile esse, qualitatem corpoream verè inhærere & afficere spiritum: & (vt daremus id non implicare contradictionem) esset impertinens, tale miraculum in præsenti fingere, aliisque illud addere sine vtilitate. Quia sicut ignis non potest naturali virtute efficere in spiritum qualitatem incorpoream, ita neque corpoream: & aliunde qualitas spiritualis est magis proportionata ad excitandum vehementiorem dolorem seu tristitiam. Sicut enim delectationes spirituales, id est, ex obiectis spiritualibus prouenientes, maiores sunt; ita de dolore & tristitiâ existimandum est. Est ergo illa spiritualis qualitas. Qualis autem illa sit, vel in quo posita sit eius malitia, vel disconuenientia aut cruciatus, ab homine non potest explicari. Atque hoc modo explicatum manet, quod Augustinus dixit, *veris licet miris modis.* Hactenus R. P. Suarez: quæ tametsi probabilia sint, in vno tamen videri possunt deficere, quòd nimirum per impressionem huiusmodi qualitatis in animâ, illa deformari nimis videatur, quàm deceat in gratiâ Dei constitutam, imò & confirmatam. Probabilior itaque nobis est Angelici Doctoris sententia, quâ docuit, modum huius pœnæ declarari per alligationem quamdam spiritus ad ignem, sibi inuoluntariam, de quâ contristantur. præfato enim loco in Summâ suâ de dæmonum agens dolore, sequentem attulit conclusionem: *Dolor non vt passio quædam, sed vt simplex voluntatis actus in dæmonibus est, prout multa quæ sunt esse non vellent, & quæ non sunt esse vellent.* Et consequenter, *Respondeo*, inquit, *dicendum, quòd timor, dolor, gaudium, & huiusmodi, secundùm quod sunt passiones, in dæmonibus esse non possunt: sic enim propriè sunt appetitus sensitiui, qui est virtus in corporali organo; sed secundùm quod nominant simplices actus voluntatis, sic possunt esse in dæmonibus. Et necesse est dicere, quòd in eis sit dolor; quia dolor, secundùm quod significat simplicem actum voluntatis, nihil est aliud quàm renisus voluntatis ad id quod est vel non est.* Ita D. Thomas. Quare cùm eadem ratio sit, quoad sensationem doloris, in animabus hominum atque dæmonibus, clarum est, illam Angelici Doctoris mentem existere: pro quâ, vtpote modo loquendi etiam aliis Sanctis familiari (vt suprà videre licet) & conformiori, multa possent argumenta adferri, nisi illa apud Commentatores in D. Thomam essent obuia, & minùs huic materiæ, qui non tam modum doloris, quàm ipsum dolorem describimus, quadrare viderentur.

Part 1. q. 64 art. 3. & Lib. 4. Contra gentes.

Probabilior D. Thomæ sententia.

13. *Quando nil sequitur absurdi, Scripturæ verba propriè capienda sunt: ideoque quādo de igne loquitur, verus ignis intelligendus est.* Vt autem è Scripturis ad rem nostram dicamus, aduertendum est Primò, eam esse omnium Doctorum traditionem, verba Sacrarum litterarum semper propriè accipi debere, quando inde nihil sequitur absurdi. Vnde quia in Scripturâ tū damnatorum tum purgandorum pœna passim ignis appellatur, satis intelligitur, de vero realique igne interpretandum esse. Matthæi 25. dicitur, damnatis hanc inferri sententiam: *Ite maledicti in ignem æternum.* at corpora non possunt vri nisi igne corporeo, estq; ipsius ignis spirituum non habentium corpus, quoniam statim subiungitur, qui paratus est diabolo & angelis eius. vt omnino fatendum sit, ignem, quo spiritus cruciantur etiam esse corporalem. Vt benè id notauit sanctus Augustinus, vbi ait: *Si non erit ignis incorporalis noxius, sicut est animi dolor, sed corporalis tactu noxius, vt eo possint corpora cruciari: quomodo in eo erit etiam pœna spirituum malignorum? Idem quippe ignis erit supplicio scilicet hominum attributus & dæmonum, dicente Christo: Discedite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Sapientiæ quoque 11. dicitur: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur:* sed mortales sæpiùs delinquunt, sensibilia oblectamenta inordinatè quærendo, ergo etiam videtur quòd pœna debeat esse proportionata, & propterea eos puniri sensibilibus pœnis. Ceterùm, haud minus in Purgatorio quàm in inferno ignem existere, dicendum esse, hoc ipsum superiùs manifestè patuit, cùm ex Prophetâ Regio, Isaiâ, Malachiâ, Paulo Apostolo ac aliis, paria attulimus testimonia, in quibus Purgatorij pœna ignis nominatur. Quod quia non absurdè ad litteram intelligitur, etiam secundùm Theologorum acceptiones, de vero corporeoque igne, nullum vltrà dubium video, quin spiritus in Purgatorio detenti vero corporeoque igne torqueantur. E quo cùm inferatur cruciatus istius acerbitas & vehemētia, alio prætereà Scripturæ loco explicare & deducere idipsum iuuat.

Augustinus lib. 2. de Ciuit. cap. 10.

In Purgatorio ignis reperitur.

Sancta Mater Ecclesia, ostendere volēs quàm sint grauia purgandorum tormenta, ad hoc inter alia vtitur verbis Psalmi: *Sagitta potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis.* Quod vt meliùs percipiatur, notandum est, distinctionem haberi inter punitionem huius sæculi, & punitionem sæculi futuri. De castigatione quæ in hac vitâ contingit, dictum fuit à S. Iob: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Tangit ergo solùm manu suâ Dominus quos hìc punit: at in futuro sæculo aliter, vbi sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. Vtrumque explicabimus, & quàm nostro sit proposito appositum, apparebit. Inuocabat atque obtestabatur Iob Propheta amicos suos, vt vel ipsi saltem sui misererentur. Et quorsum, quæso, tanta commiserationis ratio? *Quia*, inquit, *manus Domini tetigit me.* Quid hoc est? Iob ab omnibus velut præcipuum patientiæ exemplum suspicitur, & tamen ita vociferatur, quia tantummodò manus Domini tetigit eum? Inspiciendum ergo est, quis sit ille diuinæ manus tactus, quo tam vehementer Iob se persensit afflictatum. Respectu itaq; Dei solùm tactus fuit manus ipsius, respectu verò percussi vehementissimus, ac intolerabilis ictus: quātæ enim inde ei prouenerint miseriæ & afflictiones, vidêre licet apud eundē c. 1. & 2. vbi refertur, satanæ instinctu à Sabæis ei ablatos fuisse mille boues & quingentas asinas, à fulmine prostrata ouiū septē millia, à Chaldæis erepta camelorum tria millia, & à ventorum turbine euersam fuisse domū, omnesq; eius liberos enecatos. Quibus omnibus malis cū necdū exsatiatus esset diabolus, etiam potestatem in corpus eius à Domino expetiit. *Pellem*, inquit, *pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro animâ suâ: alioquin mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi.* Satanâ itaque tam instanter aliquam in S. Iobum potestatem exposcente, dixit Deus: *Ecce in manu tuâ est, verumtamen animam illius serua. Egressus igitur* Satan, hac potestate à Deo acceptâ, *à facie Domini, percussit Iob*

14. *Psal. 119.* *Castigatio præsentis sæculi à punitione sæculi futuri differt.* *Iob. 19.*

Iob vlcere pessimo, à plantâ pedis vsque ad verticem eius. Iob verò sic percussus *testâ saniem radebat, sedens in sterquilinio.* Sed & vxor eius, quæ solatio illi esse debuerat, infelicitati eius insultabunda aiebat, *Benedic Deo & morere.* Amici verò eius, de tantâ Iobi afflictione certiores redditi, postquam certum sibi eius adeundi diem condixissent, vt vel verbis & alloquio tantis eius malis solatium aliquod & lenimen adferre possent, *eleuantes procul oculos suos, non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt, scissisq; vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cælũ, & sederunt cum eo in terrâ septem diebus & septẽ noctibus, & nemo loquebatur ei verbum; videbant enim dolorem esse vehementem.* Quòd si hoc est manu solũ tãgere, quid erit alapas aut pugnos impingere? quid totis viribus virili brachio verberare, baculóve aut alio quouis flagello percutere? quid gladij ictus infligere? quid demum bombardâ traiicere, aut sagittâ transfodere? Et tamen hæc ipsa longè sunt minora respectu punitionis illius quæ aliquando fiet in futuro sæculo, in quo & sagittæ, & potentis, & acutæ cum carbonibus erunt desolatoriis: hoc est, propter carbones ignis, qui ibidem desolabunt, affligent, cruciabunt, adeò violenter, & veluti contra & præter naturam, tam purgandorum quàm damnatorum animæ torquebuntur, vt sagittari non à creaturâ aliquâ, sed ab ipso Omnipotente, acutis, id est acuatis sagittis, dici possint. Planè itaque terribilis erit ille ignis, non quidem ex se, quia non nisi materialis est, sed propter violentiam, quâ ad eum tolerandum spiritus incorporei detorquentur. Quæ vt mentibus omnium altiùs imprimantur, alias quoque Scripturas, quæ idem probent & euincant, attexere opportunum erit.

Tangere Dei, graue est; quid erit percutere?

15\. De se itaque inquit Dauid Propheta: *Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Percussus est Ozan, quòd ad arcam Domini extendisset manum suam, & subitò eodem in loco mortuus concidit. Omne primogenitum Ægypti tam ex hominibus quàm ex iumentis percussum est ab Exterminatore, & confestim interiit. Percussit Angelus die vnâ filios Israel peste, & ex iis septuaginta virorum millia obiisse narrantur. *Factũ est,* inquit Scriptura, *in nocte illâ, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* O tremendam Dei & Angeli percussionem! Quid futurum credimus, si ad sagittas deuenerit diuina Maiestas, & ex potentiæ suæ plenitudine, totoque conatu easdem in animas purgandorum euibret? Verè de iis dixit idem Psalmista: *Emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.* Et: *Misit sagittas suas, & dissipauit eos.* Item: *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent.* At videte, quæso, quomodo ex igne illo, de quo modò loquimur, sagittæ illæ vim habere perhibeantur. Minatur namque Dauid peccatoribus: *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Similiter Moyses, seu potiùs per ipsum Deus: *Ignis meus succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitq; terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet. Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis.* E quibus omnibus pro scopo nostro manifestum euadit, Purgatorij tormenta longissimè excedere tormenta huius sæculi, imò tãtum, quantũ leuem mollissimæ manus tactũ, violenta & pungentissima sagittarum acutissimarum infixio; eaque tela diuina parari quodammodò acui, ac compleri per desolatorios inferni carbones, quibus spiritus non affligantur tantùm exteriùs, sed & animæ desolentur, internâ tristitiâ afficiantur, ingentique tædio diuexentur.

Percutere Dei, durum est.

2 Regum 6.

Exod. 12.

2. Reg. 24.

4. Reg. 19.

Sagittæ iræ Dei quam tremendæ.

Psal. 143.

Psal. 17.

Psal. 44.

Psal. 7.

Deut. 32.

16\. Quod quia grauissimum omnino in animabus dolorem causat, idipsum nonnihil ex naturali experientiâ iure merito nos declarare posse putauimus. Certè, siue homines Ethnicos, siue SS. Patres, siue ipsam Scripturam diuinam euolueris, vbique reperies, tristitiæ passionem, aut affectionem potius, esse grauissimam. Ad Ethnicos quod spectat, sic de tristitiâ quam, vt nihil interea omittam de nominis etymologiâ, apud Latinos dictam volunt à verbo *tero,* quod est consumo, adeò vt *tristis* idem sit quod *tritus* vel *attritus*; Græcè λύπην vult Etymologus dictã ἀπὸ τοῦ λύειν τὰς ὦπας εἰς δάκρυα, *quòd oculos in lacrymas soluat*; Hebraicè *battsebah*, *betseb*, *bittsabon*, & *botseb*, à Verbo *batsab*, id est, *dolore & tristitiâ affecit, contristauit, conturbauit, mœrore affecit*, quod cognationem habet cum Verbo *batsah*, *sauciauit, vulnerauit*, quia ipsa cor hominis vulnerat & transfodit: adeò vt hæc à Philosophis tristitiæ assignetur definitio: *Est apprehensio disconuenientis in appetitu intellectiuo vel volitiuo, nobis nolentibus euenientis.* Menander Poëta cecinit:

Naturalis experientia edocuit, tristitiam affectum esse qui vel maximè affligat.

Tristitiæ etymon Latinũ,

Græcum,

Hebraicum.

Tristitia quid sit.

Multorum malorum causa omnibus est suapte naturâ
Tristitia: propter hanc etiam insania oboritur
Multis, & ægritudines incurabiles.
Interficiunt etiam aliqui seipsos præ tristitiâ.

Idem: *Non est tristitiâ peius hominibus malum.*

Et: *Nulla est, si quis rectè consideret, quàm tristitia*
Maior ægritudo, suapte natura inter homines res.

Philemon quoque Syracusanus Poëta:

Morbum ferre multò satius est, quàm tristitiam.

Et: *Tristitia per se reddere potest*
Duplo sanè maiora, quàm reuerà sint, mala.

Sed & alius quidam Comicus:

Cùm naturâ cunctis hominibus mala multa hæreant,
Maximum tristitia malum.

17\. E SS. Patribus tres tantummodò producemus. S. Thomas, *Tristitia,* inquit, *inter omnes animæ passiones maximè corpori nocet.* Cassianus: *Nihil est quod senectuti magis noceat, ac dies hominis abbreuiet, quàm tristitia,* &c. & D. Hieronymus, *Nulla res,* ait, *ita inebriat vt animi perturbatio, id est tristitia, quæ ducit hominem ad mortem. Hæc abominanda ebrietas est.* Denique hoc ipsum multæ sacrarum Litterarum sententiæ affirmant, inque iis præcipuè Salomon, cuius è libris, præter alia, quinque præcipuè loca excerpsimus. *Spiritus,* inquit, *tristis exsiccat ossa.* item: *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* Et: *Summa plaga est mœror animi.* Item: *Tristitiam longè expelle à te: multos enim occidit tristitia, & non est vtilitas in illâ.* & denique: *A tristitiâ festinat mors, cooperit virtutem, & tristitia cordis flectit ceruicem. In abductione permanet tristitia.* E quibus abundè satis constat, quàm graue sit tristitiæ malum, atque adeò quàm horribiles sint Purgatorij animabus carbones illi ignis, qui ideò rectè

1. 2. quæst. 37. art. 4.

In Epistolis.

Super Ioannem.

Prou. 17. & 25.

Eccli. 1.

Cap. 30.

Cap. 38.

rectè desolatorij appellantur, quia ingenti admodum tristitiâ hos, quibus applicantur, spiritus afficiunt.

18. *Ignem rectè pro animarū in Purgatorio purgatione poni porrò duobus modis probatur.*

Sed insuper duo ex carbonum huiusmodi comparatione pro nostro scopo elici possunt: Vnum, ignem, veluti iustitiæ diuinæ instrumentum, rectè assumi vt spiritus cruciet: alterum, quandoquidem hic cruciatus in violentâ adeò, ideoque ampliùs contristante ignis ad animam applicatione consistat, maximum ex igne purgandis animabus dolorem prouenire necesse esse. De vtroque nonnihil agemus. Meminerit verò Lector, paulò nos superiùs ex mente Doctoris Angelici adstruxisse, per corporalis ignis applicationem, non per impressam aliquam animæ speciem aut qualitatem, sed per tristitiam ex applicato materiali ad immateriale causatam, Purgatorij animas diuexari; cuius tormenti modus ex carbonum desolatoriorum similitudine aptè declaratur. Nam quemadmodum omne instrumentum, præter actionem quæ à causâ ei principali communicata est, habet quamdam aliam & propriam in subiectum in quod instrumentaliter agit; sic inditam dicimus huiusmodi ignis Purgatorij siue inferni carbonibus dispositionē, quâ animas eò duriùs, quò violentiùs & quo magis supra naturam, eo ampliùs adfligat. Angelicus Doctor quæstionem præsentem dissoluens & explicans, ait, nullam aliam huius ignis actionem in animas dari & excogitari posse, quàm quòd eas calore suo & scintillis circumsecus euibratis, veluti captiuas detineat ac constringat, eò quòd diuinæ iustitiæ instrumentum sit; ideoque magno eas cruciatu afficere, adeò vt sese quà libuerit mouere, aut quoties & quando visum fuerit nequeant operari, sed in pœnis hisce, haud secùs ac vinculis & compedibus constrictæ, permanere coguntur. Scotus subtilis ille Doctor, quantumuis D. Thomæ ferè in omnibus aduersetur, hac tamen in re eumdem cum illo funem trahit: ait enim, dolores illos sensibiles, quos infernalis ignis reprobis illaturus est, se in vinculo & captiuitate intellectus considerare: quippe qui tantopere ligandus & adstringendus sit, vt quid aliud præter pœnam quâ affligetur, & ignem quo velut captiuus circumuallabitur, cogitare nequeat. Quin addit, voluntatem ipsam, dum sic se constrictam deprehēdet, ignem apprehensuram veluti omnis mali sui originem, & diuinæ vindictæ instrumentum: quæ omnia tantum ei dolorem, pœnam atque cruciatum sint inflictura, vt nullis omnino verbis exprimi, nec vllâ oratione vel ratione comprehendi id queat. Alterum quod ex carbonum desolatoriorum comparatione declarare volebamus, erat, maximum mœroris tormentum in Purgatorio reperiri, quandoquidem nihil adeò hominem afficiat atque animi tristitia. Hoc vt non auctoritatibus solummodò, vt suprà, pateat, sed etiam è certis indubitatisque exemplis fidem habeat, visum est nonnullas ex ipsâ Scripturâ sacrâ historias referre, quæ doceant, quantum homini ex mœrore cruciatûs, quantum detrimenti accedat. Vnica de cæso populo Israëlitico, & captâ à Philisthæis Arcâ Domini tristitia, plura, & duo præcipuè maxima mala in Heli Sacerdote & nuru eius vxore Phinees causauit.

Lib. 4. dist. 44. q. 2. In quo consistat ignis cruciatus, e mente Doctoris Subtilis.

1. Regum 4.

19. Enarratâ itaque quam diximus clade, Scriptura hæc addit: *Currens autem vir de Beniamin ex acie, venit in Silo in die illâ, scissâ veste, & conspersus puluere caput. Cumq; ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans; erat enim cor eius pauens pro arcâ Dei. Vir autem ille postquam ingressus est, nuntiauit vrbi: & vlulauit omnis ciuitas. Et audiuit Heli sonitum clamoris, dixitq;: Quis est hic sonus tumultus huius? At ille festinauit, & venit, & nuntiauit Heli. Heli autem erat nonaginta & octo annorum, & oculi eius caligauerant, & videre non poterat. Et dixit ad Heli: Ego sum qui veni de prælio, & ego qui de acie fugi hodie. Cui ille ait: Quid actum est fili mi. Respondens autem ille, qui nuntiabat, Fugit, inquit, Israel coram Philisthiim, & ruina magna facta est in populo: insuper & duo filij tui mortui sunt, Ophni & Phinees: & Arca Dei capta est. Cumq; ille nominasset Arcam Dei, cecidit de sellâ retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est. Nurus autem eius, vxor Phinees, prægnans erat, vicinaq; partui, & audito nuntio quòd capta esset Arca Dei, & mortuus esset socer suus, & vir suus, incuruauit se & peperit: irruerant enim in eam dolores subitò. In ipso autem momento mortis eius*, &c. Sunt & alia in Veteri Testamento exempla, sed quod in Nouo de Saluatore nostro ipsomet habemus adducimus. En vt ipsum inualerit afflixeritque tristitia, vt imminente iam suâ, ad quam tamen antè adeò vehementer adspirauerat, passione, discipulis suis conquereretur, dicens: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Id est, aiunt Expositores, numquam ampliùs ad gaudium in vitâ redire potero, tanta est hæc mea animi adflictio. Vel, tantopere ex hoc quoque tempore contristatus sum, sicut ero ipso mortis articulo. Aut denique, hæc mea quam patior tristitia mortifera est, mortemque haud dubiè (nisi miraculo ad alia tormenta reseruarer) mihi adferret.

Christus ipsemet sub passionis suæ instantiam acerbissimo mœrore affectus fuit.

20. Sed cur illa in te, Saluator, tamque extraordinaria locum occupauit tristitia? Respondent sacri Doctores, id factum, non quòd tormenta, quæ sibi parata videbat, exhorresceret, sed quòd turpitudinem grauitatemque peccatorum timeret, quorum onus in se suscipere deberet, atque pro eis ipsis satisfacere, vnde adeò conturbaretur, adeò contristaretur, vt mors inde naturaliter subsecuta fuisset, nisi, vt antè dixi, modo quodam supernaturali id diuina Maiestas impediuisset. Neque ea quæ dicta sunt, ad Christi tristitiam explicandam suffecerunt, etiam alia ab Euangelistis addita sunt, quæ mœroris eius magnitudinem declarent. Sanctus Lucas Euangelista refert, Angelum è cælo fuisse missum, vt tantâ veluti tristitiâ Filium hominis obrutum consolaretur & confortaret. En quid tristitia efficiat: reddit quodammodò Omnipotentem imbecillem, sapientiam vacillantem, creatorem hominem, &c. Nec hæc satis; addit Euangelista: *Et factus in agoniâ prolixiùs orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* His si addideris quæ ipsemet de mœrore suo Saluator in cruce dedit indicia, multò res euadit durior. *Clamauit*, inquit S. Matthæus,

Cap. 22.

Cap. 27.

Iesus

Iesus voce magnâ dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? quasi diceret, Vt quid me ita afflictum ac desolatum relinquis, ac si me omnino dereliquisses? Super quæ verba (vt & hoc obiter datâ occasione inseramus) Expositores duo tradunt obseruanda. Primum, ingentem eam animi mœstitiam in Christo fuisse debere, cùm de eâ ita conqueratur ac si à Patre suo cælesti derelictus fuisset. Alterum, magnam subfuisse causam, quòd eum Pater in tam vehementem tristitiam deuenire permitteret. Vtrumque iam explicemus, & nostræ de Purgatorij animabus materiæ applicemus.

21. *Quo sensu Christus in passione suâ à Patre suo derelictus fuisse dicatur.*

Fuit itaque dolor ille Christi immensus, quem ex derelictione seu auersione sui, si ita loqui liceat, à se Patris æterni Saluator noster perpessus est. Nam cùm ita eumdem amaret vt vnum secum & alterum se, quatenus Deus erat, quatenus verò homo, vt plus quàm se, nullatenus dubitandum est, eum non tanti fecisse, nec grauiter adeò tulisse omnia reliqua, quæ libenter quidem nostrâ causâ perferebat tormenta, quàm illam à Patre suo dilectissimo (ob odium quod aduersus peccata habebat, & pro quibus in passione Redemptor satisfaciebat) quam pati videbatur auulsionem. Cruciabat id haud dubiè, & mirabiliter exagitabat cor Saluatoris, & ita quidem exagitabat, vt nequaquam se continere posset, quin ad doloris sui nimiam vehementiam patefaciendam exclamaret: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Sed cur, quæso, ita Vnigenitum suum discruciari passus fuit Pater æternus? Sanè non nisi magnâ ratione, nec absque ingenti mysterio, vt nimirum appareret peccati grauitas, peccati malitia, vt eam etiam in Filio suo, qui tamen eam non admiserat, sed ex charitate solummodò eluendam pro aliis susceperat, acriter adeò, adeò, vt ita dicamus, crudeliter ac seuerè vindicaret atque castigaret. Dilatari hæc & explicari latiùs possent, sed Libro ea tertio commodiùs reseruamus. Iam, vt animabus ea, vt promiseramus, applicemus, primum nos satis instruit, quàm acerbus omnino debeat esse mœror ille spirituum defunctorum, cùm ille viuentem adhuc & humanâ carne vestitum Saluatorem tantâ vehementiâ torserit: alterum, quòd si Deus ita quodammodò in proprium Filium, qui aliena solum peccata in se susceperat, deseuit, quid cum illis agi putabimus, quos propriæ voluntatis ac malitiæ reatus ligant. Certè si verum est, prout reuerà verissimum, quod ad mulieres ipsemet Christus dixit, *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* (Luc. 23.) confiteamur necesse est, & vehementem esse animarum Purgatorij tristitiam, & magnâ quidem causâ, vtpote quòd culpâ suâ & propriâ voluntate mœrorem huiuscemodi incurrerint. Haud opus est pluribus, finiamus cum Ven. viro Ioanne Mauburno, qui ita de aggrauantiis, vt ipse vocat, pœnarum seu tristitiæ Purgatorij loquitur: (Part. 2 dist. 4 tit. 6. ord. 31. de Aggrauantiis pœnarum Purgatorij, notab. 1.) *Notandum quoque, quòd quamuis pœnæ Purgatorij in se sunt grauissimæ, ex multis tamen aggrauantiis redduntur grauiores, & potissimùm ex istis; Communis, sensus, absens, grauis, haud iuuat vllus. Id est, Primò aggrauatur Purgatorij pœna ex eius communicatione vel grauitate, quæ scilicet totam animam generaliter in omni potentiâ ex parte affligit: tota enim anima patitur, quia simplex est. O verè grauis pœna, quia generalis! Altera est ex sensu & perceptibilitate: tantò enim aliquid magis dolet de aliquo læsiuo, quantò magis est sensitiuum & perceptiuum doloris; vnde dolores qui fiunt in locis maximè sensitiuis, grauissimi sunt: & quia totus sensus corporis est anima, ideò si in ipsam animam aliquod læsiuum agat, videtur quòd ista maximè affligatur, præsertim cùm sit nobilis, & tenerrimæ naturæ. Tertiò grauatur ex auiditate; quia affectus, quo desideratur summum bonum, post hanc vitam est in animabus sanctis intensior, quia non retardatur earum affectus mole corporis. quò ergo affectus in illud bonum intensior, eò absentia molestior. Similiter ex termini propinquitate: quò enim termino quis propinquior, eò mora grauior. Quartò aggrauatur hæc pœna ex grauitate & acerbitate, scilicet ignis affligentis. quamuis autem ignobilius non agat in nobilius, nec etiam per consequens corpus in spiritum naturaliter (quod tamen vniuersaliter non est verum, vt patet prospicienti) agit tamen ignis ille purgatorius, non naturaliter, sed vt instrumentum diuinæ iustitiæ, in animas, detinendo eas & affligendo, licet modo à nobis imperceptibili. Postremò aggrauatur hæc pœna ex subuenientium paucitate, citò enim viui mortuos tradunt obliuioni, vnde & illud lugubre Iob clamare videantur, Miseremini meî, &c. & cum Ioseph incarcerato, Memento mei cùm benè tibi fuerit. Sed heu! succedentibus prosperis, minima cura est pro animabus. Vnde quisque pro se sollicitus esse deberet in vitâ, & non confidere aliis, sunt enim socij mensæ, &c. & verè grauissimum est eis hoc videre.* Ita Ven. Abbas Mauburnus.

Alia non nulla circumstantia, è quibus Purgatorij afflictio molestior euadit.

CAPVT XXI.

Nullus est corporis sensus, secundùm quem non horrendos in Purgatorio cruciatus sustineant.

MIrabitur fortè quispiam, cur præsenti Tractatu alienis potiùs quàm propriis verbis vsi simus, aut quare ea quæ passim legimus & collegimus, non industriæ nostræ & labori nostro, stylo solùm sub inde aliquantulum immutato, inscripserimus: sed quoniam triumphanti Ecclesiæ nomē suum hoc Opus debet, nō absque ratione studio à nobis factum est, vt eorum, quantum foret possibile, non modò sensum sed & verba proferremus, qui vel regnare iam in Ecclesiâ triumphante piè creduntur, vel ita pro eadem scriptis nunc & factis militant, vt eius membra & conciues olim futuros, sit omnino sperandum. Vnde etiam fiet vt veritatem potiùs quàm vanitatem assequamur, & censuram euadamus, quam instar corniculæ, ex aliarum auium pennis subdolè ac vanè gloriam & iactantiam sibi aucupantis, incurrisse videremur. Hoc sanè consilio, dum Capite hoc de corporalium sensuum tormentis acturi sumus, illis potissimum Lectorem imbuendum putauimus, quæ breuiter & eruditè de his cōscripsere Ven. Patres Diony-

I. *Cum author aliorum potius quam suis verbis vsus.*

Facit id rei veritati amplius insinuandæ.

Dionysius Carthusianus. Eximius D. Petrus Bessæus in Tract. de Quatuor nouissimis, & R. P. Hieremias Drexelius in suo damnatorum Rogo. Ij variis capitibus ostendunt, quoad omnes ac singulos corporis sensus vehementissimè cruciari, quotquot inferorum carcere detinentur: quibuscum annumerandi sint, vt iam toties dictum est, spiritus Purgatorij, patebit ex relatione pœnarum quas damnati sustinent, easdem & illos, licet quoad tempus tantummodò, & pro leuioribus solum erratis, tolerare.

2. *Quos circa sensum Tactus Purgatorij animæ sentiant cruciatus.*

Sensum itaque Tactus quod attinet, habent in eo purgandi dolorem exquisitissimum, vt iam dicti Scriptores satis declarant, dum ignis tormentum acutissimum esse, ac grauissimè quoad tactum affligere, asseuerant. Singulos iam audiamus. Vener. inprimis Dionysius, *Sunt*, inquit, *diuersa genera tormentorum inferis, quorum primum ignis est, qui vnumquemque iuxta sua torquebit demerita: & quò peccatum ex feruentiore procedit affectu inordinato, tantò acerbiùs punietur, & intensiore vindicabitur intensione caloris tartarei. Quò etiam quis in peccato vehementiùs delectatur, eò igne infernali dolorosiùs & acriùs affligetur, quemadmodum in Apocalypsi Dominus loquitur: Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Et quoniam in vitiis carnis sunt ardor concupiscentiæ, immunditiæ fœtor, & delectatio maior, ideò vitia illa infernali incendio specialiter æstuante ac fœtido, vtpute igne sulphureo, acerrimè puniuntur. Vnde asserit Augustinus: Quantum hæsit amor, tantum affliget dolor.* Sic ille de ignis infernalis acerbitate. quin & alia quoad sensum tactus apud inferos tormenta reperiri ait, proinde sic in sequentibus subiunxit: *Secundum genus infernalium tormentorum, est acutissimum & vehementissimum frigus, quod etiam reprobos magis aut minùs punit, penetrat & constringit, secundùm quod magis aut minùs vitiosi existunt. Specialiter quoque hoc frigore cruciantur acediosi & pigri, qui tarditatis suæ torpore à diuino retrahuntur obsequio, ideò constringuntur gehennali algore, indicibiliter tremunt, & dentibus grauissimè strident. Tertia pœna inferni est morsus, turpitudo & horror vermium edacissimorum, iuxta illud Isaiæ, Vermis eorum non morietur. Et in Ecclesiastico, Vindicta carnis impij, ignis & vermis. Iudith quoque ait: Dominus omnipotens vermes dabit in carnes eorũ. Et quantò quis in vitâ præsenti turpioribus & innaturalioribus aut enormioribus inquinatur sceleribus, tantò illic à monstruosioribus, turpioribus ac horribilioribus vermibus affligetur, mordebitur & operietur.* Similia penè habet eximius D. Petrus Bessæus, qui vt probet, non tantùm illos qui apud inferos detinentur, cruciari igni seu excessu caloris, sed rigore etiam frigoris, illud Iobi adfert: *De aquis niuium transibunt ad calorem nimium*, quemadmodum non in damnatis tantùm, sed purgandis etiam animabus fieri, varij Scriptores asseruerunt, prout è multis videri potest in sancto Anselmo olim Cantuariensi in Angliâ Episcopo, qui ita scribit: *Post mortem purgatio erit, aut nimius calor ignis, aut magnus rigor frigoris, aut aliud quodlibet genus pœnarum.*

De Quatuor nouissim. Part. 3. art. 6. § 2. — Apocal. 10. — § 3. — Isa. 66. — Eccli. 7. — Iudith. 16. — Iob. 24. — In Elucidario.

3. Ceterùm nos qui Doctoris Angelici vestigiis insistimus, qui vel solùm vel potissimè Purgatorij cruciatum in igne vult situm esse, de igne aliquid amplius adferemus, pro quo nobis ad manum est R. P. Hieremias Drexelius, qui *Romanus*, inquit, *Scriptor* (Curtium innuit lib. 6. cap. 12.) *vbi suum diuersis suppliciis discrimen assignasset, demum pronuntiat: Ignis suppliciorum vltimum. Humana crudelitas, in pœnas ingeniosa, exquisitissima inuenit supplicia, nullum tamen acutius, nullum vehementius est igne. Romanus Cæsar Valerianus, qui Decij crudelitatem perpetuauit, si flammis atrocius tormentum excogitare potuisset, eo vtique Laurentium affecisset. Tyrannis prisca vix acerbiores cruciatus vllos reperit, quàm viuos flammis tradere, lentè exurere, assare, Ignis suppliciorum vltimum, grauissimum. Quòd si fieri posset, hominem læsæ Maiestatis aliorumq́; scelerum plurimorum reum, millies ita comburi, vt hoc supplicium semper æquaret horam, rectè diceretur, ignis suppliciorum vltimum. Cruciatus sanè acerbissimus est, comburi viuum. Sed ô mitem gehennam! ô temperatas flammas, vel millies viuum comburi! Feralis hæc sententia, mille horis tolerare flammas, captiuis inferorum longè clementior videtur, quàm si reo iam iam plectendo vitæ fiat gratia.* Et infra: *Sed igni infernalis & nosterni- mium quantum differunt. Et primò quidem vrendi sensu: noster ignis Augustino pictus videtur, sed ille alter verus. Discrimen ingens, imo vix vlla similitudo pictæ & veræ flammæ. Hic, quæso, tacitis progressibus in rem præsentem veniamus. Quanti & quàm acres dolores, per vnam duntaxat horulam vnum tantummodò & vel extremum digitum gracilis cerei igniculo admotum vri? quantò maiores sic vri manum integram? sed quantò vel maximis maiores erunt dolores, sic vri brachium? quàm verò infandus erit cruciatus, sic vri totum corpus, licet ignis qui vrit pictus videri possit. In Iapone hoc auo lentis ignibus dirissimè torquentur Christiani: inter hos Carolus Spinola fuit. Hic cum aliis viginti tribus tam immane supplicium hoc modo subiit. Ignis struebatur eminus, viginti quinque palmorum spatio à columnis Martyrum remotus, vt tantò acrior ac sæuior esset cruciatus, quantò prolixior, atque ita priùs lentè assarentur quàm arderent. Quin si quâ parte luculentior erumpebat flamma, protinus coërcebatur. Vincula verò non ferrea erant, sed viminea, quibus Christiani laxè obiter ac ferè in speciem ad palum ligabãtur, crudelissimo astu dæmonis, qui eò spectabat, vt Christi athletæ doloris acerbitate compulsi, & vinculis facillimè ruptis, expedire se atque flammis eripere nullo negotio possent. Hoc autem indicio conuentum erat, vt Christum eiurasse censeretur, quisquis se incendio eripuisset. Interim igitur, dum languido flammarum ardore ignis in viscera penetraret, corpore immoto stabat Carolus, oculis in cælum fixis, vbi post paucculas horas desideratissimis Christi amplexibus frueretur, cui corporis sui victimam in holocaustum destinabat. Durauit acerrimus ille cruciatus ignium ad duarum vel trium horarum spatium. P. Sebastianus Chrimura Iapon (vt certis tabulis testatum) manibus ante pectus in crucem decussatis, oculisq́; in cælum sublatis tres horas viuus stetit in ardenti rogo. Tormentum hoc horribile prorsus, nec verbis effabile, hominem in igne ac lentè admoto, tribus horis torreri viuum.* Sic Drexelius.

In Rogo Damnatorum, cap. 6. *Ignis tormẽtum, extremũ est quod humana crudelitas excogitare potuerit.* — *Ignis quo hic in mũdo vtimur, respectu infernalis videri possit tantũmodo pictus ignis.* — *Carolus Spinola è Soc. Iesu in Iaponiã igne combustus viuus.*

De Tactu iam satis constat. De Visu verò dicitur, quòd & ingens huic soleat inferre tormentum, dum nimirum non lucem, vt hoc in mundo, sed tenebras, vaporemque ac fumum densissimum offundit. Quare Micheas Propheta sub personâ animæ cuiusdam in Purgatorio detentæ, pœnas eius, per tenebras explicans, 4.

Visus quæ in Purgatorio tormenta patiantur. — Michææ 7.

Ne lœteris, inquiens, *inimica mea ſuper me, quia cecidi: conſurgam, cùm ſedero in tenebris, Dominus lux mea eſt. Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec cauſam meam iudicet, & faciat iudicium meum: educet me in lucem, videbo iuſtitiam eius.* quæ, iuxta D. Hieronymi & Gloſſæ ordinariæ expoſitionem, non immeritò de Purgatorij tormentis intelligi poſſunt; ſi aduertamus maximam etiam tantarum & tam ſpiſſarum tenebrarum moleſtiam. Legitur, inter alias quas Deus Pharaoni & Ægyptiis per Moyſen immiſit plagas, exortas fuiſſe tam intenſas tenebras, vt palpabiles forent: hæ tamen iſtis conferri nullatenus poſſunt, tum quòd iſtæ Purgatorij multò denſiores ſint, tum quòd multò ampliùs ſint horrori. Benè D. Iob ita loquitur: *Dimitte ergo me, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam & non reuertar, ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine: terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Vbi duo dicit: &, infernum propriam ac quodammodò naturalem eſſe tenebrarum terram; &, vmbram illius eſſe mortiferam, id eſt per ſe ſufficientem, vt mortalibus, ſi huc accederent, eriperet vitam. Sed quid hæc in Purgatorio reperiri miramur, cùm & qui in Limbo erant Patres, in tenebris & mortis vmbrâ ſe habitare arbitrati ſint, vt paulò ſuperiùs vidimus? Vnde rurſum R. Pater Drexelius poſt pauca: *Altera tartarei & noſtri ignis differentia, ſplendor eſt & lumen. Ardet noſter, & lucet; at tartareus, prout iuſtitia diuina ſanxit, ardet ſed non lucet, niſi in grauius tormentum, vt qui dum viuerent ſocietatem coierunt in nequitiis, ſocios ſeſe agnoſcant in tormentis: ita fur adiutorem furem, luſor colluſorem, adulter adulteram cernet, & tabeſcet, malletq; cæcus eſſe, quàm dolores alienos videndo facere ſuos.* S. Iſidorus. *Ignem*, inquit, *gehennæ ad aliquid lumen habere, & ad aliquid non habere, hoc eſt, habere lumen ad damnationem, vt videant impij vnde doleant; & non habere ad conſolationem, ne videant vnde gaudeant.* Apta fit comparatio de camino trium puerorum, ad exemplum ignis gehennæ. Nam ſicut ille ignis non arſit ad trium puerorum ſupplicium, ſed arſit ad comburendum ligamina vinculorum: ita ignis gehennæ & lucebit miſeris ad augmentum pœnarum, vt videant vnde doleant; & non lucebit ad conſolationem ne videant vnde gaudeant.

Tenebræ in Purgatorio denſiſſimæ.
Exod. 10.
Iob 10.
Ignis Purgatorij non lucet:
Lib. 1. de Summo bono, c. 31.

5. Ceterùm, infernalem ignem non lucere niſi ad deſolationem, aliorum etiam Patrum conſtans eſt doctrina. D. Cyrillus Alexandrinus: *Væ, væ! qualis eſt gehenna ignis extincti, ardentis quidem, ſed non lucentis, ſed & luce carentis?* Sanctus Proſper docuit, inferos non ſentire in illo igne quod illuminat, ſentire quod cruciat. Sanctus Baſilius: *Ad mentem mihi reuoca barathrum illud profundiſſimum, & tenebras impermeabiles, ignemq; planè obſcurum, qui vrendi quidèm facultatem habeat, ſed omni luce deſtitutus ſit.* Demum ſanctus Gregorius Papa: *Hìc flamma quæ ſuccendit illuminat, illic, vt ſuperiùs verbis Pſalmiſtæ docuimus, ignis qui cruciat obſcurat.* Et pluribus eodem libro: *Quæ adhuc ſubtiliùs loca deſcribuntur, cùm dicitur: Terram miſeriæ & tenebrarum. Miſeria ad dolorem pertinet, tenebræ ad cæcitatem. Ea ergo quæ à conſpectu diſtricti Iudicis expulſos tenet, miſeriæ & tenebrarum terra perhibetur: quia foris cruciat, quos diuiſos à vero lumine, intus cæcitas obſcurat. Natura ignis eſt, vt ex ſeipſo & lucem exhibeat & concremationem: ſed tranſactorum vltrix illa flamma vitiorum, concremationem habet, lumen non habet. Hinc eſt enim quòd reprobis Veritas dicit: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Quorum rurſum omnium corpus in vnius perſonâ ſignificans, dicit: Ligate ei manus, & pedes, & mittite in tenebras exteriores. Si itaque ignis qui reprobos cruciat, lumen habere potuiſſet, is qui repellitur nequaquam mitti in tenebras diceretur.* Hactenus ſanctus Gregorius. Ex quo patet, & damnatos & Purgatorij ſpiritus non cruciari tantummodò in Tactu quoad ignem, ſed & in Viſu quoad tenebras: quas vel inde grauiſſimas eſſe liquet, quòd Saluator noſter ſeruum illum, ligatum manibus & pedibus, mittendum dixerit in tenebras exteriores, qui tamen in ignem quoque erat proiiciendus. Accedet vltra denſiſſimas tenebras fumus mordaciſſimus & terribilis nimis, cuius meminit Pſalmus: *Aſcendit fumus in irâ eius.* & Iſaias: *Iſti fumus erunt in furore meo, ignis ardens totâ die.* & Apocalypſis: *Et fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum.* Quocircà D. Thomas docuit, ignem inferni non modò eſſe eiuſdem ſpeciei cum corporeo, ſed non videri, alium eſſe poſſe quàm fæculentum, turbidum & fumoſum. Poſtquam enim diſertis verbis affirmaſſet, ignem noſtrum & infernalem eſſe eiuſdem ſpeciei, hæc ſubiungit: *Quaſdam tamen proprietates differentes habet ab iſto igne, ſicut quòd ſuccenſione non indiget, nec lignis nutritur*: Sed iſtæ differentiæ non oſtendunt diuerſitatem in ſpecie quantum ad id quod pertinet ad naturam ignis. vt propterea fumum non neget, quem ſic adſtruit: *In terræ medio vbi infernus ponitur, non poteſt eſſe ignis niſi fæculentus, & turbidus, & quaſi fumoſus.*

Quod ex Patrum doctrinâ adſtruitur.
Cyrill. de Exitu animæ.
Proſper l. 3. de Contemplat. c. 12.
Baſilius Orat. de Futuro iudicio.
Gregorius lib. 9 Moralium, c. 48.
Cap 46.
Matth. 22.
In inferno & Purgatorio eſt fumus moleſtiſſimus.
Pſal. 17.
Iſaiæ 65.
Apocal. 14.
D. Tho. in 4 Sent.
Diſt 44. q. 3. articul. 2. quæſtiunc. 2.
Diſt. 50. q. 5. articul 3. quæſtiunc. 4.

6. Quin in hoc viſus cruciatu exponendo vtimur verbis eximij Theologi D. Bellæi, qui huc accommodat illud Prophetæ: *O vos omnes qui tranſitis per viam*, id eſt, qui iter adhuc vitæ calcatis & in terrâ ambulatis, *attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus*; & poſteà ſic pergit: Viſus horribiles ac denſiſſimas tenebras, ac teterrima & portentoſa ſpectra conſpiciet. Ita namque teſtati ſunt Prophetæ: *Per diem incurrent tenebras.* &: *Terram miſeriæ & tenebrarum.* & alius: *Fiant viæ illorum tenebræ.* item: *Sedentes in tenebris & vmbrâ mortis, vinctos in mendicitate & ferro.* item: *Vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, incluſi ſub tectis fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt.* &: *Via peccantium complanata lapidibus, & in finem illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.* & Iſaias: *Tenebras coram eis*: & Nahum: *Et inimicos eius perſequentur tenebræ.* ac poſt omnes hos Euangeliſta: *Eiicite in tenebras exteriores.* Deſúntne ergo nobis, quibus hoc adſtruamus, teſtimonia, aut damnatis, quæ patiantur, ſupplicia? nam ſicut tenebræ quas in Ægypto ſenſerunt, non poſtrema plaga fuit, quippe quæ triduo durarint; ita quoque non inter poſtremos damnatorum cruciatus erunt tenebræ illæ denſiſſimæ, in quibus ſemper viuent, ambulabunt, & quas manibus quodammodò palpabunt, ita vt nec Solem, nec Lunam, nec aliud lumen in æternum viſuri ſint, ſed talpâ cæciores futuri.

Thren. 1.
Concione 4. de Inferno.
Iob. 5. & 10.
Pſal. 34. & 106.
Sap 7.
Eccli. 21.
Iſai. 48.
Nahum 1.
Matth. 25.
Exod. 10.
Tenebræ inferni ſummum damnatorũ ſupplicium.

Q

O pœnam intolerabilem! Si pius ille senex Tobias, qui non nisi quadriennio oculorum lumine priuatus vixit, malum suum in tantum exaggerauit, vt assiduè ingemiscendo diceret: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* quanta lamenta, quos eiulatus, ecquas expostulationes esse putatis eorum qui carceribus illis obscurissimis mancipati, perpetuis in tenebris versabuntur, in æternum quodammodò cæci, nullum ampliùs cæli, aut Solis stellarumque lumen adspicientes. O cruciatum incomparabilem! Tanti porrò Anaxagoras Clazomenius Solem faciebat, vt non aliam ob caussam se conditum, & in hoc mundo positum diceret, quàm vt iucundissimum eius lumen contemplaretur, omnem scilicet hominis felicitatem & beatitudinem, licet perperàm, in eiusdem pulchritudinis contemplatione sitam existimans. At quamuis in eo errârit, non immeritò tamen tanti lucidum illud corpus fecisse visus est, cuius vt lumen hominibus iucundissimum est ac gratissimum, ita eiusdem priuatio tristissima: hinc siquidem inferre voluit, maiorem homini vix calamitatem posse accidere, quàm iucundissimo illo Solis conspectu priuari. Tunc scilicet Sol vertetur in tenebras, & tunc tenebræ erunt super faciem abyssi. Proh infelices ac miseri oculi, qui inani vos toties & lasciuo intuitu oblectastis, qui toties illicita conspexistis, toties in res & delicias exteriores effusi estis! Tunc præter crudelitatem & horrorem nihil videbitis: tunc loco iucundissimorum colorum, loco splendidissimi illius astri ac luminis gratissimi, horribilia spectra, Furias infernales, horrore & deformitate teterrimas, diabolos monstrosissimos conspicietis. Huc adeste stulti Cupidinis sectatores, audite, timorem Domini docebo vos. Tunc scilicet, ô Veneris mystæ ac potiùs mancipia, qui oculos huc & illuc gyratis, tot lasciuos hinc inde intuitus iactatis & emittitis, loco dominarum, loco nympharum formosarum, loco dearum illarum, quas vesanâ quadam impietate & stulto affectu colitis & adoratis, Megæros, Cerberos, viperas, hydras, diabolos, aliaque monstra horrenda & abominanda conspicabimini. At meliùs, meâ quidem sententiâ, egit sanctissimus Propheta Iob. Diuinum namque iudicium ob oculos habens & inferni supplicia, oculos suos, ne quóquam effluerent, velut freno quodam continebat, ne forsitan lasciuus ille conspectus, teterrimorum monstrorum intuitu puniretur. *Pepigi*, inquit, *fœdus cum oculis meis*, ne scilicet curiosè hinc inde euagarentur, & nihil nisi Deum eiusque creaturarum pulchritudinem conspicerent, vt ita ad Creatoris præstantiam contemplandam raperentur; ad imitationem nimirum Regis qui dicebat: *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu fundasti.* Quàm sapiens consilium! Hactenus ex Bellæo.

Tob. 5.

Ioel. 2. Genes. 1.

Iob. 31.

Psal. 8.

7. *Pœna gustus in Purgatorio in quo consistat.*

Gustus quoque in ore & gutture, propter ignis huius subtilissimam, penetrantissimam atq; perpetuam actiuitatem, sua haud inferiora reliquis patietur tormenta; vnde & sitis ardentissima & inexplebilis nascetur, & fames rabidissima atque vehementissima excitabitur; saporque sulphureus, & amarities, nauseæque sine modo, sine numero, sine intermissione & termino oborientur. A siti vt incipiamus, an quid clarius dici posset quàm quod proferre dignatus est ipsemet Saluator noster, vbi Diues epulo ab Abrahamo petiit vt sui misereretur, Lazarumque mitteret, qui extremum digiti sui in aquam intingeret, linguamque suam refrigeraret, *quia crucior*, inquit, *in hac flammâ?* De fame verò dicitur, *Ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum.* Quanta autem sit in Purgatorio fames atque sitis, ex adducendo Cap. XXVII. exemplo, aliisque alibi dicendis manifestum euadet. Hoc verò tormentum sic describit P. Ieremias Drexelius: *E Rhetorum scholâ optimus Magister Quintilianus dicere non est veritus: Felix pestilentia, felix præliorum strages, denique omnis mors facilis: fames aspera, durissima necessitatum, deformissima malorum.* Infandum malum sit necesse, quo mala maxima in pretio haberi possint: *talis est Quintiliano fames, inter mala maxima, non indignum sceptro malum. Nec sine ratione hoc asseritur: siquidem tam è veteri quàm recenti historiâ liquet, extremâ & letali fame hominem eò furiarum subinde redigi, vt suas ipse carnes auidissimis dentibus discerpat, & corpus infelix alat minuendo corpus. Zeno Imperator hoc fecit, priùs sepultus quàm mortuus. Itáne verò nouemdialis fames tam acerbum leti genus, vt ad illud mors omnis inter mitiora supplicia referri posit?* Et infrà: *Sed videte quàm nos nec æstimare nec capere possimus res orbis alterius, quod miseriæ nostræ pars maxima est. Quis nostrûm extremæ famis experimentum sumpsit? Inde nec nostræ quidem, nedum Stygiæ famis sæuitiam expendimus. In obsessis ciuitatibus, aut in sæuis carceribus eius rei specimen præbetur: eò enim rabies famis adigit, vt non solùm canes, equi, feles, sed & mures, glires, imò & serpentes ac bufones in cibum lixentur ac vorentur; gramen agris euellitur, corium scutis detrahitur, & cibus est: columbarum pecudumq́, aliorum excremẽta in hominum alimenta transeunt, fame rabidâ cogente, quæ nec charissimorum quidem corporibus parcit. Cambyses Rex, quod Annæus refert, ingente bello turbam per inuia perq́, arentia in Æthiopiam trahebat: sed commeatibus non prouisis, nec itineribus exploratis, intra primum iter necessaria deerant, nec quidquam subministrabat sterilis & inculta, humanoq́, vestigio ignota regio; sustinebant famem primò tenerrima frondium & cacumina arborum, tum coria igne mollita, & quidquid necessitas cibum fecerat. Postquam inter arenas herbæ quoque & radices defecerant, apparuitq́, inops etiam animalium solitudo, è militum numero decimum quemque alimentum habuerunt fame sæuius. Parum hoc; multò seueriora fames dedit spectacula. Quot matres suum sanguinem, liberos suos, velut pullos gallinaceos iugularunt, suis ausæ dentibus membra conuellere vel propriis membris chariora. Parum istud videri posit, ad immitiora collatum. Quoties in carceribus reperti, qui seipsos & suas ipsi carnes dentibus fame adacti lacerarunt? Quacumque morsus seu brachiis seu humeris infigi poterat, eò dentes properarunt, quantumuis irritâ crudelitate. Ad rem. Hanc famem, quam vel oculis est cernere, non satis capimus; & quomodo illam inferorum atrocissimam capiemus?* Sic Drexelius: quibus alij adiungunt, nõ fame solùm illâ vexari inferos, sed pasci etiam istis quibus non satiantur quidem, sed & maximopere cruciantur, & ad crudeliorem famem incitantur. Aiunt enim eos sulphure ac amarissimis cibis refereiri, iuxta Scripturas, quas

Sitis ibi maxima: Luc. 16.

Eccli. 14. *Et fames rabidissima.*

Cap. 4.

Homines se inuicem deuorare fames coegit.

Isaiæ 30. de infernalibus volunt intelligi. *Nutrimenta eius, ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Alibi: *De vineâ Sodomorum, vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ: vua eorum, vua fellis, & botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* quæ de damnatis propriè dicta creduntur, sed, vt ex Capite XXIII. patebit, de Purgatorij etiam animabus intelligi possunt. Secundùm quosdam tamen non materialiter, sed Metaphoricè tantùm; secundùm alios verò etiam corporaliter, qui nimirum ex igne isto corporeo corporeos hosce effectus gigni atque produci volunt: sed hac in re quod cuilibet congruentius & vero similius videatur, credere vel opinari fas sit.

Deut. 32.

8. Porrò si & aliorum, quas de gustûs apud inferos tormentis scripserunt, lucubrationes euoluere velimus (sunt ea, fateor, inferorum & damnatorum propriè tormenta, suo tamen sensu, debitoque intelligendi modo de purgandis rectè capiuntur) occurrunt mihi iterùm Ven. Dionysius Carthusianus & illud Ecclesiastarum iubar Bessæus. Ille hunc in modum, quæ de hoc tormento meditatus fuerat, effatur: Sexta inferni pœna est feruentissima fames: & quantò quis in vita hac gulosior est, & delicatiùs atque intemperantiùs viuit, ieiunia quoque Ecclesiæ frangit, & aliorum bona consumit, aut Ecclesiasticos reditus indignè deuorat & expendit, tantò intolerabiliori fame cruciabitur in inferno. Propter quod in Euangelio loquitur Filius Dei: *Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis.* In Isaiâ quoque loquitur Deus iniquis & condemnatis: *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis.* Hinc in Ecclesiastico sapienter consulitur: *Ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum.* Verumtamen est in inferno quædam damnatorum refectio, quæ potiùs dici potest infectio atque afflictio, quàm refectio; quoniam nullum præbet solatium, nec famem minuit, sed molestissimum supplicium inducit. Scriptum est enim in Psalmo: *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Et per Ieremiam Prophetam Dominus loquitur: *Ecce ego cibabo eos absinthio, & potabo eos felle.* Septima pœna inferni est ardentissima sitis, sicut iam tactum est, quâ cruciabatur Diues epulo, qui petiuit sibi guttam aquæ pro refrigerio suæ sitis præstari. Hac siti præcipuè torquebuntur potatores & ebriosi, ac vinolenti, quibus dicitur per Isaiam: *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam.* Vnde in Prouerbiis Salomon dixit: *Noli esse in conuiuiis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes symbola, cõsumentur.* Deniq; præfatâ fame & siti potissimè affligentur immisericordes, qui esurientes non pascunt pro posse, nec sitientibus poculum præbent. Hinc diuiti, qui non contulit inopi Lazaro micam, denegauit Dominus aquæ guttam. O quàm inæstimabiliter torquebuntur hac fame & siti, qui variis generibus pretiosorum ciborum ac potuum replét corpora sua: quod aliqui faciunt etiam ex Ecclesiasticis bonis, nec compatiuntur pauperibus, & vix siccum panem

De Quatuor nouiss. Part. 3. art. 6. §. 7.

Luc. 6.
Isaiæ 65.

Eccli. 14.

Psal. 48.
Ierem. 23.
Luc. 16.
Isaiæ 5.
Prou. 23.

aut haustum cereuisiæ tribuunt eis. Porrò quàm pœnale sit, magnâ siti affligi, constat ex eo quòd filij Israël circumuallati leguntur dixisse: *Sit finis noster breuis in ore gladij, qui longior fit ariditate sitis.* Iudith 7. De afflictione quoq; famis ait Ieremias in Threnis: *Melius fuit occisis gladio, quàm attenuatis fame.* Threη. 4. Cumque sitis oriatur ex calore atque labore, quemadmodum in Apocalypsi legitur, *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, & requiem non habebunt die ac nocte.* Apocal. 14. In Psalmo quoque scriptum est de iniquo: *Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem.* Psal. 48. Hæc Dionysius Carthusianus: Bessæus verò hæc quæ sequuntur habet: Conc. 4. de Inferno. Gustus quoque extremum cruciatum sentiet, nam fame & siti ardentissimâ torquebitur. *Conuertentur,* inquit Psalmista, *ad vesperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.* Psal. 58. Dilucidè quoque id ostendit Ioannes in Reuelationibus. describens enim calamitates quas meretrix illa Babylonia sustinebat, ait, famem non postremum inter eas locum tenuisse. *Ideò*, inquit, *in vnâ die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur, quia fortis est Deus, qui indicabit illam.* Apocal. 18. Ita quoque inter omnia animarum illarum, adulteriis infamium, supplicia non postremum erit amara quædam fames, & sitis ardentissima. Testis sit Diues ille epulo, qui iam à bis mille annis siti laborat, & cùm linguam habeat aridam, ardore adustam, flammis exsiccatam, vel vnicam aquæ guttam postulat, nec potest impetrare, imò nec vlla vmquam eius impetrandæ spes affulget. Non tamen negandum, interdum arescentia eos labra irrigari, sed non nisi felle, aceto & absinthio. ita namque comminatus est Propheta, *Cibabo eos absinthio.* Item Psalmographus: *Calix in manu Domini* Ierem. 23. & iustitiæ eius *vini meri, plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fex eius non est exinanita; bibent omnes peccatores terræ.* Psal. 47. Ille namque est calix æternæ damnationis, plenus suppliciis meracissimis, sine vlla relaxationis spe; plenus modò ardore, modò frigore, modò flammâ, modò niuibus algidissimis. vnde Iob: *De aquis niuium transibunt ad calorem nimium.* Iob. 24. Fex autem calicis huius ipsa est pœnarũ acerbitas, quam omnes peccatores bibant necesse est. O triste poculum! ô amaram potionem! Cyrillus Alexandrinus, qui circa annum Domini 430. in Ecclesiâ floruit, & Concilio Ephesino aduersus Nestorij impietatem coacto interfuit, omnes hosce cruciatus sensibiles vno velut fasce comprehendens, hunc in modum locutus est: *Mihi amarulentam timeo gehennam, quippe interminatam; exhorreo tartarum, vt cui nimium insit caloris; paueo tenebras, quoniam nihil admittunt lucis; formido pestiferum vermem, qui est perennis.* Oratione de Exitu animæ. Hactenus Bessæus.

9. Odoratus tormentum vnde proueniat. Odorem seu fœtorem potiùs teterrimum ex inferorum furno exhalari, atque omnes qui ibi sunt inficere, quisnam est qui dubitet? At quis eius horrorem sat explicare, qualisque quantusve sit sufficienter exponere poterit? Dum de illo cogito solùm, animus deficit, mens horret, manus obstupescit, vt non modò non describere, sed ne concipere quidquam valeam. Non ineptè quis illa Ioëlis verba hic proferre posset, *Ascendet fœtor eius, & ascendet putredo eius.* Ioel. Si enim impius ille Rex Antiochus, etiam dum viueret, ita fœtuit, vt totus exercitus inde grauaretur & sufferre odorem nequiret, quanto putamus infernum reple-

repleri fœtore, vbi conclusus est fœtidissimus ille ignis, tot dæmones, totque damnatorum putentissimi spiritus in perpetuum includentur? Audiamus Vener. P. Dionysium Carthusianum, qui loco iam suprà aliquoties adducto sic inquit: Quarta pœna inferni est pœnalissimus fœtor, quo odoratus damnatorum amarissimè affligetur, & specialiter nominatur fœtor sulphureus, qui lamentabiliter cruciat. Vnde in Apocalypsi asseritur, quòd *pars iniquorum erit in stagno ardenti, igni & sulphure.* Vna autem causa, quòd ignis & frigus & fœtor inferni sunt tanti vigoris & tantæ pœnalitatis, est, quoniam non exhalant, sed iugiter manent clausi in suis locis angustis, quemadmodum ardor clibani igniti & clausi est fortior. Audiamus & Bessæum. Non carebit, ait, cruciatu suo odoratus. sentiet enim fœtores intolerabiles, & odores pestilentissimos, quos causabunt tum sordium congeries tum fecium colluuies, quia, vt Theologi, & inprimis S. Basilius, asserunt, post iudicium peractum omnium elementorum fex, & proprietas eorum læsiua, virtute diuinâ separabuntur ab eis, & ad maiorem damnatorum cruciatum in infernale barathrum descendent. Et longo tempore id præuidens Dauid, & pœnam hanc præsagiens, infernum *lacum miseriæ* & feculentum ac lutosum appellauit. Ita Bessæus. Quæ porrò ampliùs ab Auctoribus istis adduntur de intolerabili fœtore, qui ex putridissimis damnatorum corporibus proueniet, capienda sunt de illo fœtore qui post extremum iudicium præterea ibi reperietur, quando corpora animabus sociabuntur, vt & illa sua supplicia luant; animabus verò Purgatorij minimè congruunt, cùm solæ ibi animæ reperiantur, prout & modò in inferno; nisi quis fortè admiserit, participare animas Purgatorij ex fœtore illo corporum istorum, quos viuos in infernum descendisse legimus. Sed eleganti comparatione rem hanc explicat R. P. Drexelius, qui ex his quæ mortales oculis suis inspexerunt rem hunc in modum exposuit: *Mezentius Rex Tyrrhenus, Antiocho non impar, hominum diuorumq; contemptor, eò ingeniosæ crudelitatis progressus est, vt plurimos non securi, non cruce, non rogo, sed fœtore iugularet. Nam homini mortuo iam iamq; tabescenti viuum colligabat, dum viuus adstricti cadaueris putore extingueretur. Maro asserit:*

Mortua quin etiam iungebat corpora viuis,
Componens manibusq; manus, atque oribus ora
(Tormenti genus) & sanie taboq; fluentes
Complexu in misero longâ sic morte necabat.

Supplicium horrendum, ingens, & tantò immanius, quantò lentius. Sed quid hoc ad inferorum supplicia comparatum? quid pauculorum dierum fœtor ad Erebi cloacam fœtoribus sempiternis execrabilem? Cùm igitur nostros ignes, cùm rotas crucesq; nostras, cùm nostros pædores ad illos tartareos expendimus, iure proclamamus,

O mites Diomedis equos! Busiridis aras
Clementes!

In Iaponum ergastulis hodieq; Christiana generositas sic exercetur, vt plures in fœdissimam caueam compingantur: nullus illinc egressus nisi ad gladium, aut ad crucem, aut ad ignem. Quidquid hic edunt captiui, quidquid ingerunt egeruntq;, secum retinent, incredibili narium tædio ac cruciatu. Hinc Iaponius ille carcer, & ergastulum & stabulum est, Augiæ Regis stabulo longè immundius, & ipsâ morte tetrius. Et infrà: *Reuerà hic talis carcer, quamuis ipsâ morte atrocior, si tamen ad inferorum carcerem comparetur, paradisus est.*

Sed nec auditus suo ibi cruciatu carebit, quò spectant illa quæ Bessæus loco iam aliquoties citato scribit. Ipse quoque auditus, ait, illic suos cruciatus singulares habebit: semper namque audiet strepitum illum horribilem, gemitus illos & lamenta inenarrabilia, & vlulatus illos per infernales regiones reboantes. Ipsæ blasphemiæ, maledictiones, rabies, furor, execrationes, aliaque horrenda tonitrua, erunt symphonia Aulæ Plutoniæ, erunt Horæ & cantica, quæ noctu dieque in templo Ditis personabūt. Vnde Iob: *Clamabunt, & vlulabunt, propter vim brachij tyrannorum* assiduè torquentium. & mox: *Clamabunt, & non exaudiet propter superbiam malorum.* & post illum Psalmista: *Confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos: clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, ad Dominum nec audiuit eos.* Cùm superba illa Babylon, de quâ in Apocalypsi suâ Ioannes, destrueretur, varij eiulatus & clamores exaudiebantur, quibus omnes circumcircà Prouinciæ percellebantur, adeò vt omnes prætereuntes, viso ciuitatis huius magnæ incendio, vociferantes ad inuicem dicerent: Quæ similis ciuitati huic magnæ? At alij in Babylone illâ infernali, inferno inquam, vbi mera est confusio, clamores & eiulatus audientur: aliter profectò omnes vociferabuntur, quando vastam illam ciuitatem ignibus & flammâ æstuantem videbunt, quando incendium illud vniuersale, quod in infinita sæculorum sæcula duraturum est, conspicient. Quot illic gemitus, quot suspiria, ecquæ lamenta & eiulatus? Illic nimirum noctes atque dies, manè & vesperi, omnique momento clamabunt tortores: Ad ignem, ad ignem; sæui, macta, trucida, iugula, in altum suspende. Ibidem hinc fœneratores & vsuris ditati clamabunt: Vah maledictæ opes & pecuniæ! illinc voluptuarij desperantes ingeminabunt: Próh infelices voluptates & amaræ deliciæ, quomodo nos perdidistis! Clamabunt illinc superbi & ambitiosi præ rabie & furore: Ad quid vnquam natus sum? cur mundum ingressus? O infelices honores! ô scelerata & fallax ambitio! His porrò cantibus damnatorum aures assiduè perstrepunt, hac symphoniâ demulcebuntur. Sic ille: quibus & ex aliis, vt in ore plurium stet hoc verbum, non displiceat à nobis aliqua esse adiuncta; quorum si non verba, saltem sensum adferamus. Aiunt illi,

Tormentum non solùm ex vicinorum damnatorum blasphemiis, vti suprà vidimus, sed & ex illorum eiulatibus & horrisonis vlulatibus per singula momenta incrementum accepere; adeò vt, quod sanctus Paulus de cælestibus deliciis est elocutus, *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se*; id damnatorum etiam de fletu sit asserendum: tam nimirum lamentabiles quæstus, tam horrendas vociferationes, tam terribiles rugitus edunt, vt verissimè dici possit, neminem quid vnquam simile audiuisse. In memoriam, quæso, reuocemus crudelissimos Neronis hortos, in quibus ipse cænare solitus, dum Christiani circumcircà suffixi palis, lento igne cremarentur in vsum nocturni luminis, quàm lugubres

Marginal notes: f. 5. — Apoc. 12. — Loco supra citato. — Fœtore nonnulli mori coacti. — 10. Auditûs sensus quos in Purgatorio & inferno cruciatus sit habiturus. — Iob. 35. — Psal. 17. — Apocal. 16. — Apoc. 18. — 11. — Enormis crudelitas Neronis.

 gubres

gubres ac miserandi horum eiulatus fuerint. Cogitemus vel mille solùm huiuscemodi crucifixos flammarum medios, & mille alios iam fractis cruribus rotis implexos etiamnum spirare, & luctuosissimis lamentis cruciatus maximos testari; quàm miserabilis eiulatio! Sed quid mille subiectis ignibus crucifixi, quid mille rotis inserti rei sunt ad tot millionum milliones cùm damnatorum tum dæmonum, quorum omnium formidabiles vociferationes vnusquisque, vt malum sibiproximũ, distinctè percipiet. Illud Deus sapientissimè decreuit, vt quod Beatos omnes mirificè oblectabit, eius contrarium damnatos incredibiliter excruciet. Cælestes modulos ac Beatorum Musicam commendant sæpiùs diuinæ Paginæ, quippe omnes, etiam exteriores sensus suâ quisque voluptate perfundetur: sic apud inferos singularissimũ erit tormentũ, perpetim audire tot centenorum millium horribilissimos mugitus, planctus, rugitus, perinde ac si meri boues assentur viui, aut si rabidi canes catenas rumpere luctentur, nec possint. Quàm insuauis Musica, si vicinus atrium canibus plenum habeat, qui noctu assiduis latratibus peruigiles, ægroti aures obtundant? Sed ô quàm dulcis est canina hæc Musica! ô quàm mitis est & minimè diuturnus hic orcus, ad flãmeos inferorum specus æternis eiulationibus exsonantes! Eam ob causam Bernardus, *Quis*, inquit, *dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt præueniam fletibus fletum, & stridorem dentium, & manuum pedumq́, dura vincula, & pondus catenarum prementium, stringentium, vrentium, nec consumentium. Ibi erit fletus. Vnius Matthæi ore hoc quater repetitum. Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Idem ingeminatur: Et mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentiũ. Inter nuptialia gaudia in malè vestitum pronuntiatur: Mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.*

Vt beati ex auditu solatium, ita inferi cruciatũ percipient.

Matthæi 8. 13. 22. 24. 25.

12. Vt autem specimen quoddam habeat Lector, quomodo non dãnati solùm, sed & animæ Purgatorij, quoad omnem corporalis sensus pœnam crucientur, præter illa quæ Capite XXIII. sequẽti in hanc rem adferemus, modò pro huius Capitis laciniâ ex S. Birgittâ apparitionem quamdam, quæ eidem B. Matronæ obuenit, adducere voluimus. Postquam enim dæmon militis cuiusdã defuncti animam, propter patrata ab illâ peccata, ad æternam damnationem à Deo postulasset, tãdem conuictus, non eam sibi deberi fassus est, petiit tamen vt in Purgatorio in suis, vt ibidem scribitur, sensibus acerbè & multipliciter torqueretur. Verba, quæ in Reuelationibus S. Birgittæ habentur, hæc sunt. Diabolus clamauit: *Ego perdidi, ego victus sum. sed dic mihi, Iudex, quamdiu tenebo animam istam pro peripsematibus istis. Respondit Iudex: Ego indicabo tibi. libri enim aperti sunt & lecti. Sed dic mihi, diabole (licet ego omnia sciam) vtrùm hæc anima debet intrare cælum secundùm iustitiam, an non. Ecce enim permitto te videre, & scire modò veritatem iustitiæ. Respõdit diabolus: Iustitia est in te, quòd si quis decesserit sine mortali peccato, non intrabit pœnas inferni; & quicumque habet diuinam charitatem, de iure tenetur habere cælum. Ergo quia anima ista non decessit in mortali peccato, & habuit diuinam charitatem, digna est, acceptâ priùs purgatione suâ, intrare cælum. Respondit Iudex: Ergo quia aperui tibi modò intellectum, & permisi te videre lumen veritatis & iustitiæ, dic audientibus quibus mihi placet, qualis debet esse iustitia illius animæ? Respondit diabolus: Vt purgetur taliter, quòd non sit in eâ vna macula. quia licet tibi adiudicata est iustitiâ, tamẽ adhuc immũda est, nec peruenire potest ad te, nisi perceptâ priùs purgatione. Et quia tu, Iudex, quæsiuisti à me, nunc etiam quæro à te, quomodo purgari, & quamdiu in manibus meis esse debeat. Respondit Iudex: Tibi præcipitur diabole, vt non intres in eam, nec absorbeas eam in te, sed debes eam purgare vsquequò fiet mũda & immaculata: ipsa enim secundùm modum culpæ patietur pœnam suam. Tripliciter enim peccauit in visu, tripliciter in auditu, tripliciter in tactu; & ideò tripliciter debet puniri in visu. Primò enim debet videre personaliter peccata sua & abominationes, secundò debet videre te in malitiâ tuâ, tertiò debet videre miserias & pœnas terribiles aliarum animarum. Similiter affligatur tripliciter in auditu: primò namque audiet væ horribile, quia audire voluit laudem propriam, & delectabilia mundi; secundò debet audire horribiles clamores dæmonum & irrisiones; tertiò audiet opprobria & intolerabiles miserias, quia audiuit magis & delectabiliùs mundi amorem & fauorem, quàm Dei, & quia feruentiùs seruiuit mundo quàm Deo suo. Tripliciter etiam affligatur in tactu suo: primò quidem ardeat ardentissimo igne interiùs & exteriùs, ita quòd non minima macula sit in eâ quæ non purgetur in igne; secundò patiatur frigus maximum, quia ardebat cupiditate suâ, & frigidus erat in charitate meâ; tertiò erit in manibus dæmonũ, vt non sit aliqua quantumcumque minima cogitatio, nec minimum verbum quod non purgetur, donec fiat tamquam aurum quod in fornace & formellâ purgatur, ad voluntatem possessoris.* Plura hisce possemus adiungere, sed audiuisse satis ista sit; iuuabit modò purgandorum tormenta ex viuentium etiam suppliciis, vti & mortuorum apparitionibus, ad oculum spectare.

Lib. 6. c. 39. paulo vltra medium.

CAPVT XXII.

Aliqualis dolorum Purgatorij adumbratio per ea quæ sufferre mortales potuerunt.

SAnctissimus Papa Gregorius idcircò docet terrenis ac transitoriis rebus comparari regnum cæleste, non quòd huic vlla in istis digna sit similitudo, sed quia à mortalium sensibus ita est elongata eius sublimitas, vt hanc nec concipere possint, nec quid sit diuinare, nisi corporalibus aliquibus exẽplis, quę ad oculũ quotidie cernunt, explicetur. Verba D. Gregorij sũt: *Cælorum regnum, fratres charissimi, idcircò terrenis rebus simile dicitur, vt ex his quæ animus nouit, surgat ad incognita quæ non nouit: quatenus exemplo visibiliũ se ad inuisibilia rapiat, & per ea quæ vsu didicit, quasi confricatus incalescat; vt per hoc quod scit notum diligere, discat & incognita amare.* Ita nobis in animarum Purgatorij causâ similiter & facere licebit & dicere: quia enim non omnes hanc materiã penetrant, imò vix vmquam de eâ cogitant, non extra aleam erit, si eiusdem grauitatem probauerimus ex iis quæ & sunt corporalia; & intellectu perquam facilia. Proderit id, vt animus per ea quæ nouit, surgat ad incognita quæ non nouit; quatenus exemplo visibilium se ad inuisibilia conuertat, & per ea quæ vsu didicit quasi confirmatus, abscondita

I. *Cælestia quare terrenis comparẽtur, & per ea exprimantur.*

Gregorius Homil. 11. in Euangelia.

Purgatorij pœnas per corporalia exprimi ad quid conducat.

abſcondita credat. Conſilium ergo noſtrum eſt, diuerſa præſenti Capite referre tormenta,ac cruciatus ingentes recenſere, quos viuentes adhuc in terrâ homines ſuſtinere potuerunt, vt vel hinc quilibet videat, quantò ampliùs tolerare valeant ſpiritus illi, quibus nullum eſt periculum, ob annexum corpus mortale, aut defectus aut interitus.

2. *Martyres quanta & quàm dira pro Dei nomine paſſi fuerint.*

Poteram in primis in rei noſtræ confirmationem multa & inaudita referre ſupplicia, quæ varij malefici ingenti animi conſtantiâ ſuſtinuerunt: ſed in re ſanctâ Sanctorum tantùm martyria producemus, vt videre poſſimus, tum quàm illuſtre per hos apud Deum pro Purgatorij animabus obtinere valeamus patrociniũ,tum quantis ipſi ſatisfactionibus, quæ fidelium animabus applicari poſſunt, abundent; tum, quanta eis à nobis gloria debeatur, & quàm magnis difficultatibus & moleſtiis eos Deus dignos reddiderit vt ſecuri ſempiternam gloriam intrarent. vnde anſa nobis dabitur, vt Sanctos pro merito honoremus,pro defunctorum liberatione eorum preces atque interceſſiones expetamus, imò & noſipſos diſponamus qui per voluntariam tolerãdorum patientiam cælo digni efficiamur, & libentiùs mala hic exigua ſuſtineamus, quàm poſteà tã ingentia & tremẽda in Purgatorio experiri cogamur. De Sanctis antiquæ Legis plurima in hanc rem reperiuntur, de quibus S. Paulus hoc modo in Epiſtolâ ad Hebræos: *Alij verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres: Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ.* Regius item Propheta Dauid crudelitatem & ſæuitiam, quam tum in templum Ieroſolymitanum,tum in Populum Iſraeliticũ Gentiles exercuerunt,hoc modo deſcribit: *Deus venerunt Gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam. Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum, eſcas volatilibus cæli, carnes Sanctorum tuorum beſtiis terræ. Effuderunt ſanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Ieruſalem, & non erat qui ſepeliret. Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, ſubſannatio & illuſio his qui in circuitu noſtro ſunt.*

Hebr. 11.

Pſal. 78.

3. *Machabæorũ tolerantia inſignis.* 2. Machab. 7

E plurimis aliis vnum inſigne exemplum addidiſſe ſufficiet, quod in ſecundo Machabæorum libro ſic narratur: *Contigit autem & ſeptem fratres vnà cum matre ſuâ apprehenſos compelli à Rege edere contra fas carnes porcinas, flagris & taureis cruciatos. Vnus autem ex illis, qui erat primus, ſic ait: Quid quæris, & quid vis diſcere à nobis? parati ſumus mori, magis quàm patrias Dei leges præuaricari. Iratus itaq; Rex, iuſſit ſartagines & ollas æneas ſuccendi. Quibus ſtatim ſuccenſis, iuſſit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam, & cute capitis abſtractâ, ſummas quoque manus & pedes ei præſcindi, ceteris eius fratribus & matre inſpicientibus. Et cùm iam per omnia inutilis factus eſſet, iuſſit ignem admoueri, & adhuc ſpirantem torrerian ſartagine. In quâ cùm diu cruciaretur, ceteri vnà cũ matre inuicem ſe hortabantur mori fortiter, dicentes: Dominus Deus aſpiciet veritatem, & conſolabitur in nobis, quemadmodum in proteſtatione cãtici declarauit Moyſes: Et in ſeruis ſuis conſolabitur. Mortuo itaque illo primo, hoc modo, ſequentem deducebant ad illudendum: & cute capitis eius cum capillis abſtractâ, interrogant, ſi manducaret, priùs quàm toto corpore per mẽbra ſingula puniretur. At ille, reſpondens patriâ voce, dixit: Non faciam. Propter quod & iſte, ſequenti loco, primi tormenta ſuſcepit: & in vltimo ſpiritu conſtitutus, ſic ait: Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti vitâ nos perdis; ſed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit. Poſt hunc tertius illuditur, & linguã poſtulatus citò protulit, & manus conſtanter extendit: & cum fiduciâ ait: E cælo iſta poſſideo, ſed propter Dei leges nũc hæc ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo me ea recepturum ſpero: ita vt Rex, & qui cum ipſo erant, mirarentur adoleſcentis animum, quòd tamquam nihilum duceret cruciatus. Et hoc ita defuncto, quartum vexabant ſimiliter torquentes. Et cùm iam eſſet ad mortem, ſic ait: Potius eſt ab hominibus morti datos ſpem expectare à Deo, iterùm ab eo reſuſcitandos: tibi enim reſurrectio ad vitam non erit. Et cùm admouiſſent quintũ, vexabant eum. At ille reſpiciens in eum, dixit: Poteſtatem inter homines habens, cùm ſis corruptibilis, facis quod vis: noli autem putare genus noſtrum à Deo eſſe derelictum: tu autem patienter ſuſtine, & videbis magnam poteſtatem ipſius, qualiter te, & ſemen tuum torquebit. Poſt hunc ducebant ſextum, & is mori incipiens ſic ait: Noli fruſtrà errare: nos enim propter noſmetipſos hæc patimur, peccantes in Deum noſtrum, & digna admiratione facta ſunt in nobis: tu autem ne exiſtimes tibi impune futurum, quòd contra Deum pugnare tentaueris. Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoriâ digna, quæ pereuntes ſeptem filios ſub vnius diei tempore conſpiciens, bono animo ferebat propter ſpem quam in Deum habebat: ſingulos illorum hortabatur voce patriâ fortiter, repleta ſapientiâ: & femineæ cogitationi maſculinum animum inſerens, dixit ad eos: Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis: neque enim ego ſpiritum & animam donaui vobis & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi, ſed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quiq́; omniũ inuenit originem, & ſpiritum vobis iterùm cum miſericordiâ reddet & vitam, ſicut nunc voſmetipſos deſpicitis propter leges eius. Antiochus autem, contemni ſe arbitratus, ſimul & exprobrantis voce deſpectâ, cùm adhuc adoleſcentior ſupereſſet, non ſolùm verbis hortabatur, ſed & cum iuramento affirmabat, ſe diuitem & beatum facturum, & tranſlatum à patriis legibus amicum habiturum, & res neceſſarias ei præbiturum. Sed ad hæc cùm adoleſcens nequaquam inclinaretur, vocauit Rex matrem, & ſuadebat ei vt adoleſcenti fieret in ſalutem. Cùm autem multis eam eſſet verbis hortatus, promiſit ſuaſuram ſe filio ſuo. Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patriâ voce: Fili mi, miſerere mei, quæ te in vtero nouem menſibus portaui, & lac triennio dedi & alui, & in ætatem iſtam perduxi. Peto, nate, vt aſpicias ad cælum & terram, & ad omnia quæ in eis ſunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus: ita fiet, vt non timeas carnificem iſtum; ſed dignus fratribus tuis effectus particeps, ſuſcipe mortem, vt in illâ miſeratione cum fratribus tuis te recipiam. Cùm hæc illa adhuc diceret, ait adoleſcens: Quem ſuſtinetis? non obedio præcepto Regis, ſed præcepto legis, quæ data eſt nobis per Moyſen. Tu verò, qui inuentor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei. Nos enim pro peccatis noſtris hæc patimur. Et ſi nobis propter increpationem & correptionem Dominus Deus noſter modicum iratus eſt: ſed iterùm reconciliabitur ſeruis ſuis. Tu autem, ô ſceleſte, & omnium hominum flagitioſiſſime, noli fruſtrà extolli vanis ſpebus in ſeruos eius inflammatus. nondum enim omnipotentis Dei, & omnia inſpicien-*

spicientis, iudicium effugiſti. Nam fratres mei, modico nunc dolore ſuſtentato, ſub teſtamento æternæ vitæ effecti ſunt: tu verò in iudicio Dei iuſtas ſuperbiæ tuæ pœnas exolues. Ego autem, ſicut & fratres mei, animam & corpus meũ trado pro patriis legibus: inuocans Deum maturiùs genti noſtræ propitium fieri, teq́, cum tormentis & verberibus confiteri quòd ipſe eſt Deus ſolus. In me verò & in fratribus meis deſinet omnipotentis ira, quæ ſuper omne genus noſtrum iuſtè ſuperducta eſt. Tunc Rex accenſus ira, in hunc ſuper omnes crudeliùs deſæuit, indignè ferens ſe deriſum. Et hic itaque mundus obiit, per omnia in Domino confidens. Nouiſſimè autem poſt hos & mater conſumpta eſt. O dignam reuerà hiſtoriam, quæ omnium cordibus inſculpi deberet. Vnde & ab Eccleſiâ iuſtè ſancitum eſt, vt numquam eius lectio in Romano Breuiario ſuo loco, ſicut fortè aliæ relinquuntur ob interueniens impedimentum Scripturæ, omittatur. *Quanti Ecclesia faciat hanc historiam.*

4. In horum Martyrum laudem S. Gregorius Nazianzenus, *Hi*, inquit, *qui martyrium ſubierunt ante Chriſti paſſionem, quid facturi erant, ſi poſt Chriſtum perſecutionem paſſi eſſent, eiusq́, mortem noſtræ ſalutis causâ ſuſceptam, ad imitandum propoſitam habuiſſent? Quorum enim nullo propoſito exemplo, talis tantaq́, virtus fuit, an non ij exemplum illud intuentes, fortiùs in certamen deſcendiſſent?* E quibus videre licet non ſolùm quanta Martyrum veteris etiam legis ſupplicia fuerint, ſed &, quàm facili negotio generoſiſſimi iſti Martyres, vtpote humanâ fragilitate circumdati, vitâ ſuâ deſtituti ſint, & in tormentis neutiquã perdurare valuerint: ſecùs verò in Purgatorij animabus euenit, quæ tametſi maiores multò cruciatus ſuſtinent, in iis tamen non deficiunt, ſed ad annos vt plurimum multos eos perferre coguntur; quæ res eſt ſanè miſerrima. Nam ſicuti tribulationibus, quibus in præſenti ſæculo exercemur, magna adiuncta eſt conſolatio, magnum adiunctum leuamen, quòd breui nimirum huiuſmodi miſeriæ finiantur, & minùs diu, quò ſunt duriores & aſperiores, continuare poſſint; ita viciſſim maximoperè ſpirituum in Purgatorio exiſtentium auget dolorem, quòd nihil, è naturâ quidem ipſorum, tantorum cruciatuum filum abrumpere, curſum ſiſtere, ardorem exſtinguere poſſit, ſed vti intenſione ita & extẽſione horrendùm adeò eorum tormenta inualeſcant, & longo vel ſæculorum aliquot nonnumquam tractu obdureſcere videantur. Quod quàm ſit miſerandum ſi cui libido ſit inſpicere, ſecum is ipſe recogitet, millies millieſque in vno eodemq; homine iterari illa ipſa ſupplicia, quæ ſuperiùs fratres Machabæos pertuliſſe retulimus. Concipiat, illos quidem nimiâ crudelitate conſumptos; non conſumi aut occidi tamẽ hominem, qui, vti diximus, in tormenta ſua millies millies iteranda ſeruatur: qui ſic viuit, vt in continuis mortis doloribus, imò ipſis, vt ita loquamur, mortibus, non moriatur; ita moritur, vt tot inter mortes ſemper viuat. Concipiamus inſuper non horum tantummodò Martyrum, ſed aliorum quoque quotquot vmquam inuenti ſunt, ſupplicia in vnum eumdemque hominẽ eſſe congeſta; congeſta inquam ſimul omnia, & vel millies in ſingula pænè momenta repetita; quis erit qui ea mente percurrere, nedum perferre valeat?

Homil. 10 de Machabæis.

Nihil ad Martyrum illorũ supplicia sunt Purgatorij.

5. Quid Sancti in nouâ Lege fecerint modò videamus. Huic verò narrationi noſtræ quis potiùs exordium dabit quàm D. Petrus Apoſtolorum Princeps, fundamentum Eccleſiæ? Is in Actis Apoſtolorum primus cum S. Ioanne Euangeliſtâ pro Chriſto captus atque in carcerem truſus ſcribitur, eò quòd, conſtitutâ nunc Eccleſiâ, miraculosè claudum, qui ad templi ianuam ſedẽs ſtipem emendicabat, curauiſſet. Nec capi Petro ſatis fuit, quin longum in continuis laboribus atque difficultatibus per annos vigintiquatuor duxit martyrium, donec, verus nimirũ Chriſti vicarius, ſub Nerone Imp. in crucem actus, Apoſtolatus ſui & martyrij digniſsimam in cælis accepit coronam. Quâ in gloriâ comitem & ſocium ſortitus fuit D. Paulum, qui, præterquã quòd eodem cum Petro die, anno, vrbe, tyranno martyr effectus ſit, eam inter Apoſtolos laudem promeruit, vt plus omnibus laboraſſe dictus ſit. Quâ in laude ſic profectò excelluit, vt poſteriore ſuâ ad Corinthios Epiſtolâ de ſe meritò ita ſcriberet: *Fui in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequẽter. A Iudæis quinquies quadragenas, vnâ minus, accepi. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus: in labore, & ærumnâ, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate, præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſũt gloriabor. Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula, ſcit quòd non mentior. Damaſci præpoſitus Gentis Aretæ Regis, cuſtodiebat ciuitatem Damaſcenorum vt me cõprehenderet: & per feneſtram in ſportâ dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius.* De duobus hiſce Apoſtolis ita apud Metaphraſtem locutus eſt S. Chryſoſtomus: *Quaſnam vobis, ô beati Apoſtoli, referemus gratias, qui tantum pro nobis laboraſtis? Memini tui Petre, & obſtupeſco. Recordor tui Paule, & excedens mente opprimor lacrymis. Quid enim dicam, aut quid loquar, veſtras contemplans afflictiones? Neſcio. Quot carceres ſanctificaſtis? quot catenas decoraſtis? quot tormenta ſuſtinuiſtis? quot maledicta toleraſtis?* Hactenus Chryſoſtomus. Neque hi duo tantùm, ſed & alij Apoſtoli omnes, illorumque diſcipuli varia pro Fide obiere certamina, vt illorum Acta à D. Lucâ variiſque aliis Auctoribus deſcripta teſtantur.

Quanta sustinuerint

Sancti noui Testamenti, S. Petrus, Actor. 4.

S. Paulus.

2. Cor. 11.

Quanta hic vnus Apostolus pertulerit.

Actorum 5. *Exurgens autem princeps Sacerdotum, & omnes qui cum illo erant, repleti ſunt zelo, & iniecerunt manus in Apoſtolos, & poſuerunt eos in cuſtodiâ publicâ.* Et infrà: *Et cõuocantes Apoſtolos, cæſis denuntiauerunt ne omnino loquerentur in nomine Ieſu, & dimiſerunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniã digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Actor. 6. *Summiſerunt* Iudæi aduerſus S. Stephanum *viros, qui dicerent ſe audiuiſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſen, & in Deum. Commouerunt itaque plebem, & ſeniores, & Scribas: & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium, & ſtatuerunt falſos teſtes, qui dicerent: Homo iſte non ceſſat loqui verba aduerſus locum ſanctũ, & legem.* Item c. 7. *Audientes autẽ hæc diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eũ.* Et infrà: *Exclamantes autẽ voce magnâ continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt vnanimiter in eũ. Et eiicientes eum extra ciuitatem* 6.

Quid reliqui Apostoli & eorum discipuli.

S. Stephanus.

tatem lapidabant, &c. Vnde & cap. 8. *Facta est autem in illâ die persecutio magna in Ecclesiâ quæ erat Ierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudeæ & Samariæ, præter Apostolos. Saulus autem deuastabat Ecclesiam per domos intrans, & trahens viros ac mulieres tradebat in custodiam.* De quo & cap. 9. dicitur: *Saulus autem spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit ad principem Sacerdotũ, & petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas, vt si quos inuenisset huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem.* Demum cap. 12. *Misit Herodes Rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesiâ. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem quia placeret Iudæis, apposuit vt apprehenderet & Petrum. Quem cùm apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo.* Hæc ex Scripturis.

7. *Apostoli varij variis in locis interempti pro Christo.* Quoad reliquorũ Apostolorum historias, eos variis in locis varia supplicia sustinuisse, imò & vitam profudisse (vnũ si B. Ioannem Euangelistam excipias) grauissimorum Scriptorum (quos modò, vtpote satis cognitos, nominatim haud adducimus) auctoritate constat. *S. Andreas,* D. Andreas in Achaiâ ab Ægeo Proconsule in crucem actus fuit, non eo modo quo Saluator noster suspensus fuit; nec etiam quo S. Petrus, capite nimirum versus terram, pedibusque sublimibus, sed pedibus manibusque nonnihil versùs latera extensis; atque hoc in supplicio viuus biduo pẽdens, & Christi fidem assiduè prædicans, ad eum tandem emigrauit, cuius mortis similitudinem ardenter adeò concupierat. *S. Philippus,* S. Philippus Hierapoli Phrygiæ primùm, ad eum modũ quo Saluator, cruci affixus, posteà lapidibus obrutus est. *S. Iacobus Minor,* S. Iacobus Minor, frater Domini, cognomento Iustus, Ierosolymis è summo templi præcipitatus fuit, ibiq; cruribus comminutis iacens exanimis, Deumque pro occisoribus suis deprecans, fullonis fuste in capite percussus, immaculatum Deo reddidit Spiritum. *S. Bartholomæus,* S. Bartholomæus in maiori Armeniâ iussu Astyagis, Polymij Regis fratris viuus toto corpore excoriatus, & capite pòst plexus obiit. D. Thomas Calaminæ in Indiâ sententiâ Regis condemnatus, telis confossus vitam posuit. *S. Matthæus,* S. Matthæus Apostolus & Euangelista ad altare, dum Sacris operaretur, interemptus fuit, Hirtaco Æthiopiæ Rege iubente, quòd Iphigeniam, cuius nuptias Rex ambiebat, matrimonium declinare, virginitatemque & castitatẽ excolere docuisset. *S. Ioannes Euangelista,* S. Ioannes Euangelista in feruentis olei dolium missus, & alio tempore calicem veneno imbutum ebibere iussus, mortem quidem euasit, palmâ tamen martyrij haud est priuatus. In Perside Gentiles *S. Simon,* S. Simonem serrâ medium dissecuere, & S. Iudam Thadæum prægrandi fuste mactauerunt. S. Matthiam Iudæi lapidibus obrutũ securibus dilaniarunt, *S. Barnabas,* & S. Barnabam in foueam proiectum, lapidatumque exusserunt. *S. Marcus,* S. Marcus Alexandriæ, fune ad collum ligato, per totam ciuitatem instar cadaueris tractus, aliisque posteà tormentis exagitatus animam efflauit. *S. Lucas,* Denique ipse S. Lucas, vt Baronius asserit, ex oleâ suspensus vitam finiit.

8. *Quantâ cõstantiâ tormenta tulerint, ex Episcopis* Sed quis dicendi finis, si aliorum quoque sæculorum Martyres adducere velimus? Inter Episcopos floruit *S. Ignatius,* S. Ignatius D. Petri Apostoli discipulus, eiusque in Antiochenâ Sede successor, qui tantâ constantiâ se leonibus obiciendum præbuit, vt magis, ne suum quoque corpus leones, quod aliis Martyribus obtigerat, attingere non auderent, extimesceret, quàm alij ab illis deuorari exhorrescerent. S. Apollinaris, item D. Petri discipulus, ac Rauennatium Episcopus, verberibus fatigatus, virgis cæsus, saxo os contusus, ferreis ponderosisque vinculis illigatus, infinitis aliis suppliciis oneratus, tot deniq; à militibus vulneribus confossus fuit, vt viuere desierit. *S. Apollinaris.* S. Timotheus, D. Pauli Apostoli discipulus, ab Ephesiis, quorum erat Episcopus, lapidibus obrutus fuit. *S. Timotheus* S. Dionysius Areopagita Galliarum Apostolus, virgis laceratus, ardenti craticulæ impositus, aliis tormentis excruciatus, capite demum plexus fuit. *S. Dionysius Areop.* S. Polycarpus viuus flammis exustus est. S. Clemens Romanus ad marmora secunda damnatus, anchorâ de collo suspẽsâ in mare proiectus fuit. *S. Clemens Rom.* S. Blasius Sebaste in Armeniâ virgis cæsus, equuleo tortus, ferreis pectinibus dilaniatus, abscisso tandem capite ad cælũ euolauit. *S. Basilius,* S. Marcellus Papa à Maxentio ad bestias damnatus, ex fœtore obiit. *S. Marcellus* S. Siluerius Papa à Theodorâ Augustâ in insulam Pontiam relegatus, prolixâ defatigatione maceratus superna petiit. *S. Siluerius,* S. Simeon Christi secũdùm carnem consanguineus, centum viginti annorum ætate decrepitus, cruci affixus extinctus est. *S. Simeon,* S. Stanislaus Cracouiensis Episcopus membratim concisus, feris volucribusque deuorãdus obiectus fuit. *S. Stanislaus,* Quæ non in vnum S. Erasmum congesta feruntur tormenta? *S. Erasmus,* plumbatis fustibusque dedolatus, resinâ perfusus, sulphure, plumbo liquefacto, feruenti pice, ceraque & oleo bulliente impletus, catenis ferreis grauissimisque innexus, tunicâ candente indutus, ignitâ in sede diu positus, tandem gladio feritur. S. Clemens Ancyranus varios viginti octo annorum spatio defatigauit tyrannos, ab vno ad aliũ per vices transmissus, vt quilibet suos quos excogitare posset in eum exerceret cruciatus: *S. Clemens Ancyranus.* exercuerũt illi crudeliter, sustulit ille fortiter, vt nõ immeritò S. Cypriani de ipso & aliis verba possint intelligi. *Li. 2. Epist. 6* *Quibus ego vos laudibus prædicem, fortissimi Martyres? Robur pectoris vestri, & perseuerantiam fidei, quo præconio vocis exornem? Tolerastis vsque ad consummationem gloriæ durissimam quæstionẽ, nec cessistis suppliciis, sed vobis potiùs supplicia cesserunt.* Et infrà: *Steterunt torti torquentibus fortiores, & pulsantes ac laniantes vngulas pulsata ac laniata membra vicerunt.*

Quod in aliis quoque quamplurimis aduertere fuit, 9. *Ex aliis verò inferioris gradus.* vt in S. Laurentio, qui post plurima tormentorum genera, carceris nimirum, verberum, flagellorum, fustium, plũbatorum, laminarumque candentium, tandem super craticulâ ferreâ assatus, alacri voce tyrannum compellauit: *S. Laurẽtius,* *Versa, & manduca.* S. Theodorus adeò vngulis excarnificatus, vt eius costæ nudarentur, lætus canebat, *S. Theodorus,* *Benedicam Dominum in omni tempore.* D. Bonifacius *S. Bonifacius,* cùm præter vngularum excarnificationem, sibi inter manuum vngues & carnem peracutos calamos infigi sentiret, ac liquefactum plumbum ori suo infundi, vnam tantummodò vocem emisit: *Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, fili Dei.* S. Tiburtius *S. Tiburtius,* prunas illas, quas inambulare cogebatur, rosas sibi videri affirmabat. Sancti Fratres Marcus & Marcellianus, cùm ad stipitem alligati, pedibus clauis confixis, à Iudice monerentur vt resipiscerent, hilares responderunt: *Numquam adeò iucundè epulati fuimus.* BB. Martyres Vitus, Modestus

ſtus & Creſcentia, cùm in vas, liquato plumbo, feruenti reſinâ ac pice bulliente repletum, immerſi fuiſſent, trium inſtar puerorũ Hebræorum diuinos hymnos concinuere. Baſilides, Cyrinus, Nabor & Nazarius Nobiles Romani, dum ſcorpionibus lacerantur, in deorum inanium irriſione Chriſtique laudibus perſiſtunt. E SS. Proceſſo & Martiniano, equuleo tortis, fuſtibus cæſis, candentibusque laminis aduſtis, nulla alia vox elici potuit, quàm Sit nomen Domini benedictum. S. Oreſtem adeò ignitus ille lectus, cui ſuperponebatur, conſolatus eſt, vt à diuinis ſe laudibus continere non poſſet. Idem in S. Iuſto effecit galea candens, quâ fuit indutus; & in S. Priſco pugiones, quorum ictibus per ſingula corporis membra punctim perforabatur; vti & in SS. Euſtachio, Theopiſtâ eius vxore, & Agapito Theopiſtoque eorum filiis, taurus ille æneus, in quem, flammis ſuppoſitis candentem, immiſſi, vnà cum diuinis laudibus vitam finierunt. Quæ tormenta omnia ſi in vnum quidem hominem congererentur, nimiſquam intolerabilia, imò crudelia viderentur; hæc tamen illorum ſingulorum congeries nihil æſtimãda eſt, ſi cum ſuppliciorum, quæ à Purgatorij animabus tolerantur, magnitudine collata fuerit. Sed & alia his addamus. S. Sebaſtianus priùs telis, poſteà virgis fuit dilaniatus. S. Vincentius verberibus punctus, equuleo tortus, in craticulâ aſſatus, ferreis vngulis excarnificatus, laminis candentibus peruſtus, & in teſtaceis fragmentis, ne ſomno fortè frueretur, volutatus fuit. Caſſianus Ludimagiſter crudeliſsimo diſcipulorum ſuorum ſupplicio, ferreis nimirum ipſorum ſtylis compungitur. S. Hippolytus equis indomitis, quibus alligatus erat, per tribulos & ſentes raptatur. S. Victor, quod idolis ſacrificare abnueret, in molâ piſtoriâ contritus eſt. S. Gorgonius flagellorum ictibus toto corpore perforatus, acetum ſale perfuſum in vulnera diffundi pertulit, poſt in craticulâ aſſatus, tandem laqueo ſuffocatus eſt. S. Agapitus, quindecim annorũ adoleſcens, Aureliani Imp. iuſſu diutiſſimè primò flagellatur, inde in caput eius candentes carbones impoſiti, mox dirißimis iterùm affectus verberibus, pedibus ab alto ſuſpenditur, ſubiecti ignis fumo cruciatur, poſteà feruens aqua in eius ventrem infunditur, maxillæ franguntur, feris tandem obiicitur, quæ omnia tantâ animi alacritate ſuſtinuit, vt victor omnia ſuperauerit. S. Timotheus Antiochenus cæſus acerbiſsimè, viuâ calce inunctus & gladio decollatus eſt. S. deniq; Georgius tanta pro Dei honore & ipſe pertulit, vt hi de eo vulgò celebrentur verſiculi:

Carcere, cæde, ſiti, vinclis, fame, frigore, flammis
Confeſſus Chriſtum, duxit ad aſtra caput.

Eiuſmodi exempla innumera planè huc adducere liceret, quę omnia, ſi cui ea percurrendi eſt libido, in Romano Martyrologio deſcripta reperiet.

Varij alſ.

10. Non poſſum tamen, quin grauiſsimorũ & fide dignißimorum duorum Scriptorum hoc in loco hiſtorias attexam. Alter eſt Victor Vticenſis, qui poſtquam retuliſſet, S. Eugeniũ Carthaginenſem Epiſcopum ab Honorico Wandalorum Rege Pontificalia exercere, ac Dei verbum gentibus prædicare fuiſſe prohibitum, *Statuit*, inquit, *in Eccleſiæ portis collocari tortores. Qui videntes feminã vel virum in ſpecie ſuæ gentis incedentem, illicò palis minoribus dẽtatis iactis in capite, crinibusq; in eiſdem collocatis, vehementiùs ſtringentes, ſimul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant. Nonnulli, dum hoc eis fieret, ſtatim oculos amiſerunt, alij ipſo dolore defuncti ſũt. Mulieres verò poſt hanc pœnam capitibus pelle nudatis, præcone præeunte, per plateas ciuitatis ad oſtenſionẽ ducebantur; ſed ipſæ hoc ſibi lucrum maximũ computabãt. Nec ſcimus tunc aliquem eorum, etiam pœnis vrgẽtibus, à recto itinere declinaſſe. At vbi iſto modo fidei firmitatẽ infringere non valuit, illum cogitat, vt noſtræ Religionis homines in aulâ eius conſtituti, neq; annonis, neq; ſtipendiis ſolitis potirentur. Addidit quoq; & laboribus eos cõterere ruſticanis, & dirigit viros ingenuos & admodum delicatos ad campum Vticenſem, vt ſub ardentis ſolis incẽdio ceſpites meſsium deſecarent.* Item infrà: *Amputatis in breui omnibus quos timebat, & ſolidans ſibi, vt putabat, regnum quod breue fuerat & caducum, ex parte odioſus & ſecurus, vniuerſa tela furoris in perſecutiones Eccleſiæ Catholicæ rugiens ſicut leo conuertit*, &c. *Præcepit deinde ſacras virgines congregari, dirigens VVandalos cum ſuæ gentis obſtetricibus, ad inſpiciendum & contrectandum contra ius verecũdiæ & pudoris, vbi nec matres aderant, nec aliqua Catholicarũ matronarum; aliter cruciantes ſuſpendio graui, atq; ingentia pondera pedibus colligantes, laminas quoq; ferri ignitas dorſo, vẽtri, mamillis & lateribus apponebant. Quibus inter ſupplicia dicebatur: Dicite quòd Epiſcopi vobiſcũ concumbunt & Clerici veſtri. Quarum acerbitate pœnarũ plurimas ſcimus tunc extinctas: aliæ quæ remanſerunt, cutibus areſcentibus factæ ſunt curuæ*, &c. *Quibus autem proſequar fluminibus lacrymarum, quando Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, & alia Eccleſiæ membra, id eſt, quatuor millia nongentos ſeptuaginta ſex ad exiliũ eremi deſtinauit, in quibus erãt podagrici quãplurimi, alij per ætatem annoſam lumine temporali priuati. In quorum numero erat beatus Felix Abirritanus Epiſcopus, habens iam in Epiſcopatu quadraginta quatuor annos: qui paralyſi morbo percuſſus neq; ſentiebat quidquã, neq; penitus loquebatur. De quo nos maximè cogitantes, quòd non poſſet iumento portari, ſuggeſſimus, vt à ſuis Rex peteretur, vt ſaltem eum propè moriturũ, Carthagini eſſe iuſſiſſet, quod ad exilium nullâ ratione poſſet adduci. Qui ita fertur tyrannus cum furore dixiſſe: Si animali ſedere non poteſt, iungãtur boues indomiti, qui eum colligatum funibus trahendo perducant vbi ego præcepi*, &c. *Tũc eis etiam viſitationis humanæ negata eſt cõſolatio. Puniuntur, & fuſtibus grauiter affliguntur. Iactantur Confeſſores Chriſti, anguſtiâ coarctante, vnus ſuper aliũ vt agmina locuſtarum, & (vt propriè dicitur) vt pretioſiſſima grana frumentorũ. In quâ conſtipatione ſecedendi ad naturale officiũ nulla ratio ſinebat loci, ſed ſtercoris & vrinæ vrgente neceſsitate ibidẽ faciebant, vt ille tunc fœtor & horror vniuerſa pœnarum genera ſuperaret. Ad quod, datis aliquãdo ingentibus muneribus Mauris, dormientibus VVandalis, vix clã permiſsi ſumus intrare. Qui introëũtes veluti in gurgite luti vſq; ad genua cœpimus mergi, illud Ieremiæ videntes cõpletum fuiſſe: Qui nutriti ſunt in croceis, amplexati ſũt ſtercora ſua. Quid multa? Præcepti ſunt, vndiq; perſtrepẽtibus Mauris, ad iter, vbi deſtinati fuerant, præparari. Exeuntes ergo die Dominicâ, linita habentes ſtercoribus veſtimenta, & facies ſimul & capita, à Mauris tamen crudeliter minabãtur, hymnũ cum exultatione Domino decantantes*, &c. *In his vocibus & laudibus nullus iam pergere admiſſus eſt conſolator, ſed arctabatur multitudo ad currendum, vt vbi tunc nauis erat præparata, laborioſam caperent manſionem. Qui cùm ſenes deficerent, & alij, fortè etſi iuuenes delicati, cœperũt primò haſtilium cuſpidibus ad currendum & lapidibus tundi, vnde magis deficientes, ampliùs laſſabantur.*

Lib. 2. de VVandalic. perſecutione.

VVandalorũ ingẽs aduerſus Catholicos crudelitas & perſecutio.

O magna crudelitas!

lassabantur. Pòst verò imperatum est Mauris, vt qui ambulare non poterant, ligatis pedibus, velut cadauer animalis mortui, traherentur per dura & aspera loca, vbi primò vestimenta, pòst membra singula carpebãtur, quia per gladios acutos petrarum hic capita conterebantur, alibi latera scindebantur, & ita inter trahentiũ manus spiritum exhalabãt, quorum numerum colligere nequaquam valuimus, multitudine cohærente: extat tamen per totum aggerem publicum vilis sepultura sanctorum, loquentibus tumulis. Reliqui habiliores ad solitudinis loca perueniunt, in quibus collocati, hordeum ad vescẽdum vt iumenta accipiunt, vbi etiam venenatorum animalium atque scorpionum tanta esse dicitur multitudo, vt ignorantibus incredibilis videatur. Et infrà: *Dum ergo gementes in circuitu murorum nudo sub aere iacerẽt, factum est vt Rex impius ad piscinas exisset; cui vniuersi occurrere maluerunt, dicentes: vt quid taliter affligimur? pro quibus malis fortè commissis ista perpetimur? Si ad disputationem sumus congregati, quare expoliati? Quare traducimur, quare deferimur, & sine Ecclesiis & domibus nostris foris ciuitatem fame & nuditate laborantes, mediis stercoribus volutamur? Quos ille toruis oculis aspiciens, priusquam suggestionem eorum audisset, iussit super eos equos cũ sessoribus superpositis dimitti, vt tali violentiâ possent non solùm conteri, verùm etiã enecari: quorum tunc multi contriti sunt, & præcipuè senes.* quin infrà Auctor: *Addidit bestia illa, sanguinem sitiens innocentem, Episcopis necdum in exilia directis per vniuersas Africanæ prouincias terræ vno tempore tortores crudelissimos destinare, vt nulla remansisset domus & locus, vbi nõ fuisset vlulatus & luctus, vt nulli ætati, nulli parceretur sexui, nisi illis qui eorum succumberent voluntati, hos fustibus, illos suspendio, alios ignibus cõcremabant. Mulieres etiam, præcipuè Nobiles, contra iura naturæ nudas omnino in spectaculo publico cruciabant.* Hactenus Victor Vticensis Episcopus.

Lib. 3.

II. Alter verò est Eusebius Historicus, qui de Martyrum pœnis atq; variis tormentis sic loquitur: *Inæstimabili furore succensus,* Imperator Diocletianus, *iubet omnes nostros aceruatim collectos, alios quidẽ gladio obtruncari, alios ignibus cõflagrari.* Et pòst: *Omnes Ecclesiarum principes carceribus retrudi edictis principalibus vrgebantur, simulq́, cum his ex plebe viri ac mulieres, nobilesq́, & ignobiles rapiebantur, & fiebat vbique spectaculum miserabile ac fœdum. Subitò namque in vrbe inueniebatur silentium, in carceribus locus vacuus nullus, vt non tam rei ad ergastulũ duci, quàm tota ciuitas migrasse videretur ad carcerem. Catenæ quæ homicidis, adulteris, venenariis, & sepulchrorum violatoribus fuerant fabricatæ, tunc Episcoporum, & Presbyterorum, & Diaconorum, & Lectorum, atq; omnium Religionum hominum colla cõstringunt, ita vt nec criminosis vincula superessent, nec locus ergastuli resideret.* Iterùm inferiùs: *Exquirebantur diuersa tormentorum genera, sibi inuicem succedentia. Flagris primò per omne corpus carpebantur, pòst hoc tradebantur ad bestias, adhibebantur leones, vrsi, pardi, atq; omne ferarum genus, apri quoque, sed & tauri, quibus ferri & ignis feritas addebatur. Ad hoc Dei cultores denudati statuuntur in medio arenæ loco. Additur adhuc arte intra caueas bestiis furor, & ita semetipsis seueriores effectæ prorumunt claustris: replent subitò stadium, circumdantes ecclesiam Martyrũ in medio sitam: circumeunt sæpiùs & oblustrant, & diuinæ virtutis adesse eis custodiam sentientes, procul ab eorum corporibus abscedunt. Mittũtur illicò, quibus artis est instigare bestias aduersum eos: verùm vt ostenderetur omnibus, non feritatem deesse bestiis, sed diuinam adesse custodiam, illos ipsos incredibili velocitate discerpunt. Et cùm iã nullus ex huiusmodi artificibus auderet accedere, iubentur ipsi sancti Martyres cõmotis manibus, & velut prouocãtibus incitare aduersum se belluas, sed nec quidẽ aliquid pati poterant. Verùm & si fortè fuisset ex belluis aliqua concitata, cùm venisset ad proximum, protinus in semetipsam conuersa repedabat. Cùm igitur nec sic quidem aliquid aliud egisset humana sæuitia, iubentur mutari feræ; quæ cùm & ipsæ similiter, vt priores, nihil triste Dei cultoribus intulissent, amotis etiã his, sæuiores feras Martyribus mittũt homines, qui soli possent crudelitate feras superare. Gladiis igitur peragũt quod bestiis nequiuerũt. Prohibebant etiã cadauera mandari terræ, sed iubebãt fluctibus dari.* Adhuc infrà: *Pro vngulis testas fictiliũ vasculorũ adhibebant, quibus omne corpus lacerabant, donec tõtam carnis eraderent cutẽ. Mulieres quoq; nudas, ita vt ne pudenda quidẽ contegerentur, arte quadam compositis machinis vno pede in excelsum suspensas, & capite in terrã versas, indignissimo spectaculo expositas pendere per diem continuè sinebant. Aliàs sicubi duæ vicinæ sibi arbores inueniebantur, vi quadam ab vtraque inflexis contra se inuicem ramis, eisq́, singulis singulos pedes Martyrum obligantes, subitò ramos, quos vi inflexerant, relaxabant. Qui cùm ad situm suũ naturali impetu referrentur, discerptis displicatisq́, visceribus auulsa secum membra rapiebant.* Iterùm: *Erãt expositi Martyres omnibus volentibus pro libidine inferre supplicia; & si quod ars per otium excogitans nouum pœnarũ genus detulisset, licebat inferri. Iam verò vngulis exarari, vetus & leue supplicium ducebatur. Quod etsi fortè genus supplicij cuiquam fuisset adhibitum, non (vt latronibus & homicidis solet) latera tantùm fodiebantur, sed & venter, & femora, & tibiæ, & vsq; ad vngues vngula perueniebat. Sed facies quidem & vultus ac frons à tormentis non manebat immunis, quosdam etiam columnis ligatos, & pòst tergũ distortis brachiis suis vinctos relinquebãt. Iam verò hi qui ante Præsidem suspendebantur, non id solùm tẽporis quo ab eo vel discutiebãtur vel cruciabantur, sed totũ penè diẽ, cùm alij arctiùs agerentur, in eculeis exigebant. Tãta verò in his crudelitas erat, & in tantũ ab eis omnis penitus humanitatis sensus aufugerat, vt posteaquam omne corpus vel tormentis vel verberibus fuisset absumptum, trahi nudis pedibus sursum iubetur ad carnem, atq; ibi neruo pedibus conclusis, recentibus adhuc terga vulneribus reiicerent in solum testarum fragmentis subter instratum.* Alibi narrat, *vrbem quamdam Christianorũ ciuium, in quã cùm & populus omnis, & honorati viri, & Magistratus Christianos se esse, nec acquiescere ad sacrificandum faterentur, circumdari militibus iussam, cunctosq́, simul cum mulieribus viros, cum paruulis senes, cum ciuibus ciuitatem ingenti igne concremari, ita vt nullus penitus ex illâ vrbe, etiam cùm ostio volentibus daretur, abscederet. Alij verò lento igne propè adhibito tormentis longioribus absumebantur.* Infra: *Arundines acutæ quibusdam sub vnguibus digitorum infigebantur: aliis plumbum igni liquefactum, & dorso diffusum vsque ad loca putentia (quibus naturalis egestio procurari solet) infundebatur. Ferra quoque candentia & reiista ardentia absque vllo humanitatis miserationisq́, respectu ingerebantur per pudenda viscerum, & naturaliũ secreta membrorum.* Hisce tam immanibus, tã grauibus, tam enormibus atq; atrocibus suppliciorum generibus non pro rei exigentiâ descripta, sed aliqualiter saltem adũbrata sunt Purgatorij supplicia. Quòd si in vnum aliquem hominem omnia hactenus recẽsita tormenta simul accumularentur, & non ad horas solum aliquot, sed menses, annos, lustra, imò sæcula in eum exercerentur, quantus, putas, foret ille, quàm incomprehensibilis, quàm intolerabilis cruciatus? & tamen om-

Lib. 8. Hist. cap. 6.
Diocletianus Imp. quàm in Catholicos sæuierit.
Cap. 7.
Cap. 9.
Cap. 10.
Cap. 11.
Cap. 13.

nis iste dolor, omne istud tormentum, omnis ista calamitas, si Purgatorio igni, & pœnis quæ inibi luendæ sunt & perferendæ, comparetur, haud verus dolor, sed imaginarius; non tormentum, sed blandimentum; non tortura, sed ludus videbitur: tanta nimirum nobis, ni diluamus hoc in sæculo probè peccatorum etiam leuissimas maculas, perferenda erunt & sustinenda.

12. *feminis verò plurimis, S. Agnes,*

Finieram, nisi à sanctis feminis, quòd eas præteriissem, inculpari timerem. S. Agnes itaque, tredecim annorum adolescentula, núquid ita ad tormenta properauit, adeoque iis sese refocillari sensit, ac si ad nuptiarū celebritates processisset. Audiatur, quæso, S. Ambro. *Nō sic ad thalamū nupta properaret, vt ad supplicij locum, læta successu, gradu festina virgo processit. Flere omnes, ipsa sine fletu. Mirari plerique, quòd tam facilè vitæ suæ prodiga, quam nondū hauserat, iam quasi perfunctæ donaret. Stupere vniuersi, quòd iam diuinitatis testis existeret, quæ adhuc arbitra sui per ætatem esse non posset.* S. Catharina de Maximino tyráno maximè insignem reportauit victoriam, vt quæ plurimis affecta verberibus, plumbatis contusa, vndecim diebus sine cibo sine potu vitam tolerauerit, tandemq́ue gladio, cùm rota ei præparata astu diaboli, Angeli ministerio cōfringeretur, vitam commutauit. S. Barbara post diram carceris macerationem, lampadarum adustioné, mamillarum præcisionem, aliaq; tormenta innumera, decollata fuit. S. Lucia, postquam nullâ adhibitâ vi ad lupanar ibi violanda duci potuisset, pice, resinâ, oleo atq; igne circumfusis nihil læsa, transfixo gutture morté adepta est. S. Agathæ inflictæ alapæ, equuleus adhibitus, torsiones acutissimæ illatæ, mamillæ præcisæ, additæq; in testulis & carbonibus volutationes. S. Thecla in ardenté rogum iniecta, ferarum ac taurorum tractibus exagitata, in fossam serpentibus plenam cōiecta, milleq; aliis immanibus & exquisitissimis tormētis vexata fuit. S. Euphemia post varia tormentorū genera, virgarū, equulei, rotarum, ignis, leonibus deniq; obiecta, dilaniata & deuorata fuit. S. Dorothea equulei extensione torta, palmis diutissimè cæsa, capite plexa quā vitam amisit vitam inuenit. S. Christina verberibus diu pulsata & veluti dilacerata, saxo de collo suspēso in lacum proiecta, in rogum ardentem imposita diutius arsit, pòst linguâ præscissâ, sagittis cōfossa est. B. Flauia Domitilla & sua lōgissimi carceris ac combustionis experta est tormēta. S. Bibiana tamdiu plumbatis cæsa, donec spiritum exhalaret. S. Dympna à proprio parente, Hiberniæ Rege, post plurima vexamēta decollata fuit. Quid opus est pluribus?

Ambros. l. 1. ad Virgines. *S. Catharina, S. Lucia, S. Agatha, S. Thecla, S. Dorothea, S. Christina, S. Domitilla, SS. Bibiana & Dympna.*

13. *Ad quid allata iam exempla prosint.*

Hæc autem à nobis eo consilio tam prolixè enarrata sunt, vt ex eorū notitiâ ad incognita assurgamus, & quanta sint Purgatorij supplicia, si tanta etiam mortales tolerare potuerunt, expendamus. Nec allatorum exemplorum farrago aut inutilis est aut superuacanea, quia non solùm hinc discimus purgādorum ex viuentium cruciatibus pœnam, sed & remedia quibus iisdem subueniamus, vtpote qui ex tot tantisque Martyrum passionibus videre facilè possimus, quantis inde satisfactionibus hi quoque ditati sint, ac propterea solutiones iis ad manus esse, quibus pro animarū delictis pretiū soluant, vt calamitatibus suis exemptę, in æternam libertatem asserantur. Alia quæ ex tantorum narratione martyriorum etiam viuis emolumenta proueniunt, sub Capitis initium retulisse suffecerit.

CAPVT XXIII.

Creberrimis illustrissimisque apparitionibus eadem res stabilitur. Harum discretio & interpretatio.

QVoniam in præsenti Opere frequētiùs allaturi sumus testimoniū V. P. Dionysij Richelij Carthusiani, eruditissimorum aliquot virorū de eo testimonia & elogia, quò tanto viro sua constet auctoritas atq; fides, præmittēda esse, operę pretiū duximus. Fuit profectò vir ille sanctimoniâ conspicuus, cōtemplatione sublimis, eruditione copiosus, ingenio mirabilis, memoriâ singularis, pietate incōparabilis, nō immeritò Doctoris ecstatici titulo condecoratus. Hunc Bellarminus vocat *virum sanctissimū & doctissimum.* Serarius *virum doctrinâ & sanctitate præstantem.* Posseuinus tanta eum scripsisse narrat, vt Operum numero, præter Augustinum & Tostatum, paucosque alios, apud Latinos parē fortasse habeat neminē. Thomas Bozius, *Dionysius,* inquit, *Carthusianus inter eminentissimos numerādus Theologos, septē vnus summa præstitit. Nam Primò in singulos diuinæ Scripturæ libros erudita cōposuit Cōmentaria, quæ priscis haud cedāt. Secundò, singulas quæstiones ad Theologiā spectantes, argumentis in vtramque partem doctissimè propositis disputans, Cōmentariis editis in Sententiarū libros,* &c. Molanus: *Festo S. Gregorij anno 1471. obiit Dionysius de Leu, natus in Richel vico Hasbaniæ: qui eruditione, sanctitate & reuelationibus claruit in Carthusia Ruremundensi.* Sixtus Senensis: *Dionysius Leuvius,* &c. *vir eruditionis & sāctitatis summæ, omnes vtriusq; Testamenti libros piissimis & clarissimis Cōmentariis illustrauit, & iuxta triplicem diuinæ Scripturæ sensū, & præcipuè litteralē, breuiter & apertissimè explicauit.* Petrus Sutor Doctor Parisiensis: *Dionysius Richel contēplationi & orationi tāto cum feruore instabat, vt nihil eū scribere vmquā potuisse putares. Rursus in scribēdo tā sedulus erat, vt nec orare nec legere eū posse vmquā æstimares: erat enim somni, cibi & potus abstinētiâ mirabilis.* Arnoldus Bostius Carmelita: *Dionysius contemplator eximius, & scriptor vberrimus, in otio negotiosus, & in negotio otiosus esse didicerat.* Trithemius Abbas Spanheimensis: *Dionysius, vir in diuinis Scripturis studiosissimus, & continuā exercitatione peritus, sæcularis quoque Philosophiæ nō ignarus, ingenio subtilis, sermone Scholasticus, vitâ & cōuersatione clarus, & singulariter deuotus, Adeò vt etiā diuinis reuelationibus dignus haberetur. Moritur non sine magnâ opinione sanctitatis.* Quare hunc eumdem virum Nicolaus Cusanus Cardinalis frequentibus litteris non tantùm dignū habuit, sed eum Monasterio euocatum, cùm Suæ Sanctitatis in Germaniam legatione fungeretur, adhibuit in negotiis grauissimis consiliarium. De quo & ipse summus Ecclesiæ Pastor Eugenius IV. aliquando meritò dixit: *Lætetur mater Ecclesia quæ talem habet filium.* 1.

Qualis vir & quantæ auctoritatis fuerit Ven. Dionysius Carthusianus.

Bellarm. lib. de Scriptorib. Eccles. Serar. in c. 8. Tobiæ, q. 15. Posseuin. in Apparatu sacro. Bozius l. 12. de Signis Eccles. c. 24. In Natalib. SS. Belgij. Lib. 4. Biblioth. sanctæ. Lib. 2. de Vitâ Carthus. cap. 7. Lib. de Viris illustr. Ord. Carth.

Hæc, maiorē vt dicendis fidem conciliaremus, instar fundamenti præmittere & substernere voluimus, eò quòd plurima ex eodē Doctore ecstatico, quæ tū incredibilia tū intellectu rudioribus & à fide alienis apparēt difficilia, in mediū iā producturi simus. Vir itaq; hic fide vndequaq; dignissimus, Libro suo, quem de Quatuor nouissimis cōscripsit, & alibi etiam, varias de Purgatorij pœnis retulit apparitiones: inter alia sic inquit: Psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Quemadmodum* 2.

Exempla nonnulla eorum quibus Purgatorij & inferni pœnæ velut materiales & corporeæ demōstratæ sunt.

Lib. de Quatuor nouiss. p. 3. a. 13. *admodum incomprehensibilia sunt ea quæ fides tenet Catholica, sic Deus omnipotens per euidentissima signa veritatem eorum copiosissimè demonstrauit. Nec verum est quod in Libro Sapientiæ impij dicũt, Non est qui agnitus sit reuersus ab inferu. Multi namque, & quasi innumerabiles, sub Euangelicâ Lege sunt resuscitati à morte, qui mirâ dispensatione diuinâ verbo & opere sunt testati, se vidisse, ac etiam sensisse, atque ad tempus sustinuisse pœnas Purgatorij & inferni. Horum vnus extitit Religiosus quidam in Angliâ, qui à die Cœnæ vsque ad vesperam Sabbati Paschæ raptus fuit in spiritu: & reuersus ad se, mirabilia ac terribilia multa narrauit quæ vidit: cuius visionis historiam descripsit non solùm quidam notabilis Religiosus, sed & Reuerendus Pater Dommus Petrus Abbas Cluniacensis. Itaque Frater ille post diuturnam & copiosam visionem ad se reductus, inter cetera ait: Ibamus ductor meus (videlicet S. Nicolaus) & ego per viam planam, quousque veniremus in regionem spatiosam, visu valdè horrendam, in quâ fuit multitudo innumerabilis, inenarrabilibus suppliciorum immanitatibus exposita, tamen tandẽ ab illis suppliciis liberanda, quia non erant damnati. Hi omnes gemebãt, flebant & eiulabant. Innumerabiles pœnarum species vidi ibi. Hi enim torquebantur igne, hi in sartagine fricabantur, hi vnguibus falcabantur vsq; ad dissolutionẽ compagum. Alij puniebantur in balneis confectis ex pice & sulphure, aliisq; liquaminibus ex ære, plumbo, aliisq; metallis, cum fœtore horrendo. Quosdam vermes monstrosi dentibus venenatis rodebant: alij aliis tormentorũ atrocissimis generibus cruciabantur. Eos verò qui præfuerunt, vidi duplici dolore torqueri. Testis mihi est Deus, quia si viderem quempiam hominem, qui me & omnes charos meos omnibus damnis atque iniuriis, quæ homini in hac vitâ possunt irrogari, imò & morte affecisset, illis suppliciis deputandum, millies (si fieri posset) pro eo temporalem potiùs mortem subirem, quàm tantis suppliciis eum tradi permitterem; ita mensuram & modum doloris & angustiæ, amaritudinis & miseriæ excedunt quæcumque vidi ibidem.*

Prelati in inferno duplici pœnâ puniuntur.

3. *Post hæc ad secundum tormentorum locum deuenimus, & vidimus profundissimam vallem, in quâ erat flumen altissimum, quod nebulam indicibilis exhalabat fœtoris. Erat quoque in eâ ignis, qui videbatur vsque ad cælum pertingere: atque ex alterâ parte fuit tanta immanitas frigoris, vt nihil pœnalius eâ me conspexisse putauerim. Ibi erãt innumerabiles animæ, quæ nunc in flumen illud fœtidissimum mergebantur, nunc inde erumpentes ignibus inuoluebantur, ac inde exeuntes, asperrimis frigoribus tradebãtur. Et pœnæ loci istius grauiores fuerunt tormentis loci prioris, tamen & pœnæ istæ Purgatorij erant. Post hæc venimus ad tertium Purgatorij locum, qui vltrà quàm mẽte concipi potest, horribilis extitit & pœnalis, imò nulla lingua exprimere posset minima loci illius supplicia. Venimus ergo ad maximũ campum, quem operiebat chaos horrendũ, cui admixtus fuit fluuius sulphureus immensi fœtoris: nebula & flãma instar picis nigerrimæ spargebatur confusè per campum, planities autẽ campi scatebat multitudine vermiũ, sicut area domorum solet iuncis operiri. Vermes illi super omnem æstimationẽ erant horribiles, monstrosi & deformes, rictu pauendi, & naribus ignem execrabilem spirantes, qui turmas miserorum voracitate insatiabili lacerabãt; & super miseros illos dæmones cursitabant, ac more insanientium sæuiebant in eos, atq; per ferramenta ignita eos frustatim per singula membra truncabant, nunc omnem carnem vsq; ad ossa funditus abradebant, nunc igni iniectos liquefecerunt velut metalla. Parum est, testor Deum, imò tamquam nihil est quidquid dicere nitimur de pœnis loci illius: in breuissimo enim tẽporis spatio intuebar eos centũ vel amplius pœnarũ diuersitatibus quasi annihilatos, & mox restauratos, & iterùm ferè in nihilum redactos, ac rursus integratos. Tantus fuit feruor atq; edacitas ignis illius, vt tepidum crederes omne incendium huius mũdi. Vermes quoq; dirupti ac mortui, & per frusta cõminuti, sub infelicibus cumulatim iacebãt, qui fœtore execrandæ putredinis in tantum cũcta replẽbant, vt fæculentia illa omnem prædictarum pœnarum excederet cruciatum. Et infrà: Insuper in primo loco pœnarũ vidi rectorem cuiusdam Religiosæ congregationis, & erat in maximis loci illius tormentis, & nũc in igne, nunc in balneis fœdis sulphure & pice mixtim feruentibus grauissima tolerauit supplicia. Qui interrogatus à me, cur talia sustineret, respõdit: Potiùs propter peccata subditorum meorum, quàm propter peccata propria, sustineo ista: propria enim peccata crebrâ confessione, disciplinarũ perceptione, orationibus assiduis, & aliis pluribus modis redimere ac castigare consueui; subditis verò non adhibui debitam disciplinam, ex vanâ quadam formidine, ne meo priuarer primatu ex resistentiâ eorũdem. idcircò pœna mea augetur quotidie, quia illorum peccata, quæ ex meâ negligentiâ adhuc incidunt, in me redundant, nec aliquem finem pœnarum agnosco.*

Hæc & alia plura ex visione Anglicanâ & Ven. Petro Cluniacensiũ Abbate refert Carthusianus, quibus ita subiungit: Ioan. 3. *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur.* Si (vt ait Scriptura) in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum, quantò magis ex plurimorum? Itaq; *veritatẽ eorum quæ credimus de suppliciis Purgatorij & inferni, Deus gloriosus & sanctus non solùm nobis patefecit in diuinis Scripturis, & visionibus quorumdam fidelium factis in raptu, ecstasi, atq; imaginariâ apparitione; sed & per contestationem resuscitatorũ à morte: neq; per hanc tantùm, sed & per corporalem & exteriorẽ contuitum aliquorum in carne viuentium, quemadmodum in historiâ ac Legendâ sancti continetur Patricij, qui cùm prædicaret Hibernis, nec eos per miracula, neq; per comminationem futurarum pœnarũ, neq; per promissa cælestiũ gaudiorũ posset conuertere, dicentibus Hibernis ipsis, se numquam credituros, nisi aliquis eorum tormenta impiorum & gaudia electorum conspiceret. Tunc Dominus monitu & precibus beati Patricij monstrauit eis locum, fossã seu puteum, per quem intraretur in Purgatoriũ quoddam; in quod aliqui intrauerũt, nec redierunt: aliqui verò ingressi fuerunt regressi, qui scilicet constantes manserunt in fide, in omni (quæ eis euenit) tentatione & pœnâ. Et quia historia illa de Purgatorio S. Patricij est vulgata & nota, non intendo multa narrare de eâ. Consonat autem his, quæ ex visione Anglicanâ præcedẽti articulo sunt relata. Insuper quæ in Aureâ Legendâ Sanctorum de Purgatorio recitantur eodem, concordant cum ipsis. Breuiter autem tangẽdo, prout in Tractatu illo describitur, temporibus S. Patricij introierunt quamplurimi Purgatoriũ illud, qui reuersi vnanimiter sunt testati, se grauissima ibi vidisse ac sustinuisse tormenta, ad quorũ contestationem multũ roboris ac fidei præbuerunt prædicationibus Patricij sãcti. Postmodum miles nomine Egneus Purgatorium illud ingressus, primò à dæmonibus in ignem validissimũ est proiectus: sed nomine Iesu Christi inuocato, protinus est ereptus. Deinde à dæmonibus tractus fuit ad campum latissimum, omni dolore atq; miseriis plenum, in quo erant innumerabiles homines vtriusq; sexus ac diuersæ ætatis, nudi, & in terram prostrati, ventre humo adhærente, qui omnes clauis ferreis & ignitis in terram transfixi extendebantur: inter quos & super quos dæmones percurrebãt, & flagris acerrimis miseros lacerabãt.*

4. Art. 14. proximè seq.

De Purgatorio S. Patricij in Hiberniâ: & quâ illud occasione ortum.

Nobilis quidam illud ingressus mirabilia vidit & horribilia.

Cumq; supplicia illa militi tentarēt inferre, ille Christo inuocato euasit: quem consequenter traxerunt ad alium campū maiorem, & miseriā plenum, in quo, sicut & in præcedenti campo, innumerabiles erāt resupini iacentes, super quos sedebāt dracones igniti, qui miseros comedere videbantur ac lacerare. Aliorum colla, vel brachia, totáve corpora serpentes circumcingebant, & capita sua miserorum pectoribus imprimentes, ignitum oris sui aculeum ipsorum cordibus infigebant. Busones quoq; miræ magnitudinis ignei super quorūdam pectora residebant, suaq; rostra deformia infigentes, corda illorum extrahere videbantur: quos etiam dæmones flagris durißimis affligebant. Inde traxerunt militem ad tertium cāpum, qui hominibus diuersæ ætatis ac sexus plenus fuit, qui omnes à summo capite vsq; ad infimum pedem ita erant clauis perfoßi, vt in eorum corporibus nullus locus vacuus apparuerit: qui nec vocem emittere poterant, nisi instar laborantium in extremis. Vento quoq; frigido & vrente, flagrisq; dæmonum torquebantur. Post hæc in quartum campum militem protrahebant, qui cāpus ignibus plenus fuit, & omni genere tormentorum: in quo quidā catenis igneis suspendebantur per pedes, quidam per manus, alij per capillos, nōnulli per brachia, quidam per tibias: quorum omnium capita erant ad ima versa, atq; sulphureis flammis immersa. Alij super ignem pendebant vncis ferreis fixis in oculis, vel auribus, vel naribus, seu faucibus aut mamillis, vel pudendis eorum: alij in fornacibus sulphureis cremabantur, alij super sartagines vrebantur, alij verubus transfixi igneis assabantur metallis. Omnia genera tormentorū quæ excogitari queunt erāt ibi. Eiulatus & clamores vniuersorum illorū, quos audiuit, nec lingua exprimere, nec sensus potest mortalium cogitare. Tandem venerunt in domum magnam, latam atque longißimam, horribiliter fumigantem, cuius pauimentum fuit plenum foßis rotundis, quæ erant impletæ metallis diuersis feruentibus, & ignitis liquoribus, in quibus non modica hominū puniebatur multitudo; & erant immersi balneis illis, alij magis, alij minùs: sicq; per diuersa pœnalißima, sulphurea, frigidißima, fœtidißima ac horribilia loca militem pertrahentes, venerūt ad flumen magnum & fœtidum, super quod pons erat à ripā in ripam, qui lubricißimus erat vt glacies, strictusq; valdè, vt in eo vix posset quis figere gressum: atque in tantam altitudinem protendebatur, vt horribile esset oculos ad eum erigere: quem miles, Christo inuocato, cum firmā fide cœpit incedere; & quò altiùs processit, eò pontem reperit latiorem: quem cùm dæmones vidissent pontem liberè pertransire, tantis clamoribus aërem concusserunt, vt horror illius clamoris intolerabilior videretur militi cunctis quas antè sustinuit pœnis. Sicq; pertransito ponte, ostensa sunt ei gaudia Beatorum. Quibus visis, purgatus à vitiis, ad homines huius sæculi est reuersus.

5. Artic. 15. *Tondalus miles in extasi ad Purgatoriū rapitur, & quæ ibi viderit.*

Idem Ven. P. Dionysius Carthusianus ita prosequitur: *Castigo te in iudicio, vt non tibi videaris innoxius, non autem te faciam in consummationē*, Ierem. 30. *Consonant prænarratis, quæ leguntur de Tondalo milite, qui à Feriâ quartâ vsque ad Sabbatū iacuit quasi mortuus, nullo vitæ signo apparente in eo, nisi quòd modicus calor in sinistro eius pectore à curiosè tangentibus sentiebatur. Infra quod tempus, ductus ab Angelo, vidit & sensit magna, & acerba, ineffabiliaq; tormenta. Venit ergo cū Angelo ad vallem terribilem, tenebrosam, mortis caligine coopertam, ardentibus carbonibus plenā, habentem operculum ferreum totum ignitū, spißitudinis quasi sex cubitorum, cuius fœtor ineffabiliter affligebat. Descendebat autem super laminam illam multitudo miserrimarum animarum, & illic cremabantur, donec instar cremij in sartagine cremati, omnino liquescerent: atque ita (quod grauius est) per laminam illam colabantur, sicut colatur cera per pannum, sicq; in carbonibus ardentis incendij reuocabantur ad pœnas. Post hæc venerūt ad montem miræ magnitudinis, magni horroris, & vastæ solitudinis, ex cuius vnâ parte fuit ignis putridus, sulphureus & tenebrosus; ex alterâ parte nix, grando, ventus horribilis; affligebanturq; animæ in his pœnis, & de igne sulphureo proiiciebantur ad frigora illa, & vice versâ de frigoribus ad flammas sulphureas. Dæmones quoq; tortores habebant furcas ferreas & ignitas, acutißimosq; tridentes, quibus animas iugulabant, & agitabāt in pœnis. Deinde venerunt ad vallem terribilem, profundißimam, caliginosam, de quâ fœtor inæstimabilis erūpebat, & flumen sulphureum erat in eâ, multitudo quoque infelicium animarum patientium ibi indicibiles pœnas. Inde venerūt ad terribilem bestiam quæ Acheron nominatur, de cuius ore inextinguibilis ignis diffundebatur, & incomparabilis fœtor, atque de ventre bestiæ audiebatur planctus, vlulatus virorum ac mulierum intus dira tormenta luentium. Dixitq; Angelus Tondalo: De bestiâ hac ait Scriptura:* Absorbebit fluuiū, & non mirabitur, & habet fiduciam quòd influat Iordanis in os eius. Iob.40. *Cumq; Angelus & anima starent ante os bestiæ, Angelus repentè disparuit, & mox dæmones tamquam rabidißimi canes desolatam & flagellatam animam traxerunt in bestiæ ventrem. Qualia autem & quanta tormenta passa sit ibi, etiamsi ipsa nunc taceat, in colore vultus eius & morum conuersatione monstratur: Passa est ibi namque morsus & ferocitates canum, vrsorum, leonum, serpentiū, & innumerabiliū aliorum animalium monstrosorum, dæmonum ictus, asperitatem frigoris, fœtorem sulphuris, & alia multa. Posteà venerunt ad terribile stagnum, super quod erat pons strictus. Dixitq; Angelus; Per pontem istum te ire oportet; nec vacua ibis, sed vaccam indomitam tecum duces, quam compatri tuo furata es. Tunc anima plorans ait: Nunc ego miserrima quomodo potero traducere vaccam in tali periculo, vbi stare non valeo? Videns autem quòd euitare non posset, accepit vaccam, & nitebatur eam ad pontem pertrahere. Vacca verò reluctabatur. Et cùm staret anima, cadebat vacca; & cùm staret vacca, cadebat anima: sicq; versâ vice modò stabant, modò cadebāt, donec ad mediū pontem venerunt. vbi obuiauit eis quidā manipulos portans, quos furatus fuerat, qui rogauit animam, ne pontem præoccuparet; econtrà ista rogauit, ne iter quod tam laboriosè pro parte compleuit, sibi prohiberet. Cumq; diu sic starent plangentes, viderunt se (nescientes qualiter) mutuò pertransiisse. Cùm autem pontem transisset, apparuit ei Angelus eam confortans, & duxit eam ad alia horribilia loca, & tormenta grauißima, omnibus pœnis præscriptis ineffabiliter acerbiora, prout in libello, qui Visio Tondali nūcupatur, describitur, de quo, ad vitādā prolixitatē, sufficit hæc pauca attigisse.*

Quin vltra subiungit idem Dionysius nonnulla huc pertinentia, ex libello de Vitâ Christinæ Mirabilis, quæ quia alibi dicenda reseruamus, ad alia, quæ ex Reuelationibus S. Birgittæ refert, transimus. *Deus*, inquit, *inultum abire peccatum non patitur*, Iob. 24. Spiritualia manifestat Deus per corporalia quædam. *Itaque S. Birgitta lib. 4. Reuelationum suarum ait: Videbatur mihi, quòd quasi vinculū esset ligatum in capite animæ cuiusdam peccatoris defuncti, per modum coronæ, & stringebatur tam fortiter, quod occiput & frons animæ pariter iungebantur, oculi verò deciderunt à sedibus suis, & depēdentes per radices suas ad genas: crines quoq; quasi ab igne cōbusti aruerūt; cerebrum autem rumpebatur defluens per nares & aures: lingua etiam extendebatur, dentes comprimebantur, ossi*

6. Artic. 16.

Artic. 17.

S. Birgitta animā cuiusdam in Purgatorio tormenta videt.

ossa in brachiis constringebantur, & tamquam funes contorquebantur; manus verò decoriata ad collum alligabantur: pectus item & vēter tam fortiter dorso coniungebantur, quòd costis confractis, cor cum omnibus interioribus euersum mox crepuit: sed & femora pendebant ad latera: ossa autem confracta extrahebantur eo modo, quo tenue solet filum in globum conuolui. Insuper alterius animæ pœnam describens, Aures ipsius, inquit, erant quasi sufflatio fusorum, quæ totum cerebrum cum continuo flatu commouebant: oculi autem euersi apparebant atque inuersi, & videbantur ad occiput intui esse affixi. Os erat apertum, & lingua extracta per aperturas nariū, & dependebat ad labia. Dentes erant quasi ferrei claui palato affixi. Brachia fuerunt tam longa, quòd pertingebant vsque ad pedes. Manus ambæ videbantur comprimere quamdam pinguedinem cum pice ardente. Ecce per miserabiles atque horribiles istas apparitiones imaginariâ visione monstratas designabantur inæstimabilia animarum illarum supplicia, quæ tamen damnatæ non erant. Alia multa horrenda leguntur in Reuelationibus Birgittæ sanctæ, qualiter animæ in inferno adiudicatæ maledixerunt Creatori suo, parentibus, ac cæteris, quorum obsequio ad adultam peruenerant ætatem. Hactenus Venerabilis ille Carthusianus.

7. His affinia adiungi possent ex Ven. Thomâ Kempensi in Vitâ B. Lidvvinæ virginis, ex S. Gertrude Saxonicâ è lib. Insinuationum diuinarū, ex Auctore Vitæ S. Bernardi, ex Chronicis Cistertiensium, Benedictinorum, Carthusianorū, Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, atq; aliorū Ordinum, ex Ven. Petro Abbate Cluniacense, ex S. Ioanne Damasceno, ex Ven. Bedâ, ex S. Gregorio Magno, aliisque quamplurimis; quæ cùm suis passim locis inserēda sint, hìc ea consultò omittimus, præsertim cùm ex allatis cuilibet videre obuium sit, quàm horribilia sint, atq; vltra omnem conceptū humanum immania, animarū in Purgatorio tormenta. Duo tamē hoc Capite inuestigāda supersunt, qualiter nimirum has apparitiones interpretari cōueniat, & qualiter etiam aliæ, an à Deo an à diabolo proueniant, sint discernendæ. De primo duplex inter Auctores est sententia. Quidam (quæ tamen opinio minùs est cōmunis, nec magnam veritatis habet similitudinem) opinātur, omnia & singula modò relata supplicia verè ac realiter ita in Purgatorio reperiri, eaque materialibus instrumentis, perinde ac si animæ in corpore forent, inferri. Sed hoc, vt dixi, exiguam, quin potiùs nullam habere videtur probabilitatē: quia nullo modo materialibus ibi ad hominē puniendum instrumentis opus est. Cur ibi sartagines, cur ollæ, cur tridentes? Ad quid ibi montes & valles, ad quid fluuios & pontes constituere opus est? Quid necesse ibi reperiri vaccas, vermes, serpentes, & similia? Frustrà per plura fit, quod fieri potest per pauciora, secundùm tritum apud omnes axioma. Metaphorica ergo ista censenda sūt, quod sanè perquàm optimè etiam ipsemet Carthusianus annotauit, *vti nimirum*, quæ verba sunt Carthusiani, *per miserabiles atque horribiles istas apparitiones, imaginariâ visione monstratas, designarentur inæstimabilia animarum illarum supplicia.* Et ibidem: *Spiritualia Deus manifestat per corporalia quadam,* &c. Hic vsui esse potest istud S. Io. Chrysostomi: *Si incorporeus esses, nuda tibi & incorporea dedisset dona; sed quoniam anima corpori conserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi præbet.* Non est ergo nobis vllo

Apparitiones, quibus Purgatorij tormēta per corporalia expressa sūt, quomodo intelligenda.

Artic. 17.

Hom. 83. in Matthæū.

modo ista opinio probabilis, quia etiam D. Augustinus sic ait: *Dicerem quidem sic arsuros sine vllo corpore spiritus, sicut ardebat apud inferos ille Diues, quando dicebat, Crucior in hac flamā; nisi conuenienter responderi cernerē, talem fuisse illam flammam, quales oculi quos leuauit & Lazarum vidit, qualis lingua cui humorem exiguū desiderauit infundi, qualis digitus Lazari de quo id ibi fieri postulauit, vbi tamen erant sine corporibus animæ. Sic ergo incorporalis & illa flamma quâ exarsit, & illa guttula quam poposcit; qualia etiam sunt visa dormientium, siue in ecstasi cernentium res incorporales, &c. Nā & ipse homo cùm spiritu nō corpore sit in talibus visis, ita se tamen tunc similem suo corpori videt, vt discernere omnino non possit. At verò gehenna illa, quod etiam stagnum ignis & sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum & dæmonum,* &c. Vt proinde ex D. Augustini doctrinâ præter ignem, & eiusdē concomitantes proprietates, nulla sint alia in inferno Purgatoriòve instrumenta corporalia; quæ & verior & communis est Doctorum opinio, in quâ tamen (si perfectè scilicet quis eam inspexerit) reperire etiam est effectus prioris sententiæ: nā etsi modus negetur, quo nempe animabus supplicia inferantur per corporalia instrumēta, cum eo tamen benè stat, quòd ex igne sibi applicato animæ non tantùm sentiant ardorem, sed & alias pœnas quæ per res corporales infligi possent: quia, vt & superiùs dictum est, spiritus violēter & contra naturæ ordinem ad tormenta detorquentur; quidni ignis igitur à Deo ita eleuari possit, vt præter naturalem agendi vim, simul valeat inferre omnes dolores quos quælibet supra terram corporalia tormenta valerent?

Lib. 21 de Ciuit. Dei, cap. 10.

Luc. 16.

Quoad visiones discernendas haud exigua adhibēda est cautela: nam & subinde tantummodò sunt imaginationes; vel si verę sunt, à malo genio prouenire possūt, adeoq; magnum annexū habent deceptionis & illusionis periculum: deniq; in veris etiam, & à spiritibus bonis prouenientibus apparitionibus prudentissimo opus est consilio. Quòd visiones aliquando non veræ sint, sed veræ potiùs imaginationes, S. Augustinus docet: *Aliquādo autem fallacibus visis homines in magnos mittūntur errores, quos talia perpeti iustū est; veluti si quispiam videret in somnis, quod Æneas vidisse apud inferos Poëticâ falsitate narratur.* Habet & alia in sequentibus quæ huc spectant. Explicari de hoc possunt illa S. Ioannis Apostoli verba: *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint:* nam, vti D. Paulus monuit, ipse satanas *transfigurat se in Angelum lucis*: quod non solùm fecit offerendo se aliis hominibus, sed & ipsimet Saluatori nostro, cùm ei triplicem illam, quā Euangelistæ descripserunt, tentationem obiecit. Cauendum ergo & omnino præcauendum est vnicuique, ne diabolicis apparitionibus deceptum se serius doleat, quod præter alios infinitos primis Parentibus nostris in Paradiso contigit, quos fallacibus & illusoriis promissis aggressus, adeò miserè infandeque decepit, vt omnes illorum posteri quotidie funestum successum deplangamus. Optimum ergo tanto huic malo est remedium, vt nobis ipsis minimè fidamus, sed si quid forsitan reuelationis aut visionis contingat, id spirituali Patri, vel alteri hoc in negotio perito atque exercitato viro fideliter atque apertissimè communicemus, cuius 8.

Apparitiones diuinæ quomodo à diabolicis sint discernendæ.

Lib. de Curâ pro mort. cap. 10.

1. Ioan. 4.

2. Cor. 11.

Matth. 4. Luc. 4.

ius in omnibus consilium exequamur. Id ipsum quoque faciendum suaserim, etiamsi à bono profectus esse spiritu certò constet: nam & hic directione indiget, si ex communicatis sibi à Deo gratiis progressum nancisci desideret.

9. *Spiritus defunctorum quòd verè appareant, & quomodo, adstruitur.*

Ceterùm quia Catholicis nobis est certissimũ & indubitatum, verè nonnumquam apparitiones spirituum fieri, non sine fundamento aut ratione me facere existimaui, si hoc in loco nonnulla adferrem, quæ nobis apparitionum tum veritatem tum vtilitatem aliasque cõditiones exponerent. Desumpsimus, quæ dicētur, è R.P. Martino Delrio, cuius ipsissimis verbis vtrumque illustratum cupimus. Quòd ergo verè apparitiones fieri soleant, & quibus modis eæ contingant, hũc in modum adstruit præfatus Doctor: Probatur nostra Cõclusio contra Philosophos illos nimis carnales, qui nihil credunt nisi quod vident, & ideò reuerà nihil credunt. Contra hos, inquam, probatur nostra sententia ratione vnicâ: Quia cùm Deus sit omnipotens, potest quidquid non implicat contradictionem: sed hoc quod asserimus, adeò nullam implicat contradictionem, vt etiam sit naturæ consentaneum; poterit ergo Deus, qui creauit animas, facere vt eædem separatæ iterùm appareant. Immò, si Deus non obstet, posset, naturali suâ vi, id ipsa anima: quia nihil hactenus aduersarij proferre potuerunt, quo probarent id animarum naturæ repugnare. Quid enim? cur natura animæ id non patitur? An, quia nullo in loco propriè sunt animæ? scio sic visum nonnullis, qui arbitrati, animæ separatæ naturâ suâ nullum locum comperere: quod quia de loco dixêre qui sumitur pro superficie corporis continentis, & proprius est rerum corporearum, huc non pertinet. Cùm enim sermo est de rebus spiritualibus & indiuisibilibus, locus sumendus est vniuersim pro spatio; quæ acceptio rebus corporeis cũ rebus incorporeis, quæ alium locum habere nequeunt, est communis: in huiusmodi ergo loco animas separatas esse de facto, negari nequit. Fides hoc docet, quæ docet bonorum animas Deo frui, & nõ esse in terrâ sed in cælo; damnatorum contrà non esse in cælo, sed infra terram, & ibi, vt certo in loco, torqueri. Ratio docet, quæ docet, impossibile esse quòd aliquid existat, & non in certo spatio, videlicet in toto & infinito spatio, (sic Deus existit solus) aut in parte spatij, ita vt non in aliâ, & sic omnes creaturæ existunt. Est autem in hoc loco definito anima, eò quòd eius substantia in eum potiùs locum quàm in alium fuit translata; vel per vim propriam & naturalem, quia seipsam ad eum locum trãstulit, etiamsi in eo loco non operetur actu, sufficit enim quòd possit: vel per vim alterius extrinsecam potentiorem eò delata sit, vt si ab Angelo bono, vel malo, inuita aliquò deferretur, vel etiam detineretur coacta, sicut mali in inferno. Et sic explicari possunt variæ Doctorum locutiones: vt D. Thomæ, qui vult esse in loco per applicationem virtutis: vt Scoti, qui per substantiæ præsentiam: vt Iul. Scaligeri, qui per designationem, omnium obscurissimè. Sic autem futura in loco est anima, & occupabit locum diuisibilem, licet sit ipsa indiuisibilis: & poterit occupare maiorem vel minorem locũ, quod peculiare est indiuisibilibus spiritualibus, & negatum indiuisibilibus quantitatiuis, si qua reipsâ sint talia à corpore quanto aliter quàm per intellectum separata, quod vix arbitror intra maximũ sphæræ, quam simul actiuitate suâ potest occupare, secundùm proportionem maioris vel minoris perfectionis essentialis quâ prædita erit; & ideò poterit sibi formare corpus quod assumat, & in quo appareat saltem tantæ quantitatis, quanta est sphæra actiuitatis eius: vel etiam (quod magis mirãdum) posset formare diuersa ac plura corpora minora, & hæc omnia assumere, & in his omnibus apparere, dummodò cuncta illa in sphærâ actiuitatis eius continerentur; sicut de Angelis, posse esse in pluribus non adæquatis suæ perfectioni, communiter receptum est. Possunt ergo esse, & sunt de facto in loco adæquato. quid ergo obstat?

Li. 2. Disquisit. Magic. quæst. 26. sect. 1.

Anima quomodo sit in loco.

An quòd ex vno loco in alium sese nequeant mouere? Verumtamen hoc esse falsum, docent Theologi. Posse animam separatam se mouere ex vno loco in alium, probatur, quoniam humanus animus vi suâ subsistit, & res absentes atque distantes cognoscit, estque inter illum & cælestes mentes quædam naturalis societas atque coniunctio; vnde fit vt conscius huius affinitatis, propiùs ad illas accedere, & earum frui suaui consortio concupiscat. Quid autem illo imperfectius, si frustrà concupiscit? Frustrà verò concupisceret, si se illis motu locali nequiret aggregare, & vi suâ in altum ascendere non posset. Prætereà, nónne anima corpori, quod animat, vim sese mouendi largitur? cur nõ & separata seipsam valeat mouere, cũ & in loco sit, & istâ vi vehementer indigeat, ne incassùm appetendo aliquid miserrimè torqueatur. Cur ergo, aliquis obiiciat, ad corpus suum anima regredi, vel patrios lares inuisere, cùm lubet, non potest? Obiecit hoc olim Platoni non satis gratus discipulus, cui respondeo, nudatam semel animam corporis integumento, illud pro arbitrio rursus induere non posse, neque huc illuc diuagari licere: quia vel inuita retinetur in sui receptaculi dirissimarum cruciabilitatum ergastulo, vel liberè obedit supremo totius vniuersitatis Dictatori, à quo in hanc coloniam deducta fuit. Ad corpus autem non regreditur, quoniam ingressus animæ ad corporis sui informationem vitamque, à naturalibus materiæ, quas vnio hæc arctissima subsequitur, præparationibus dependet. Neque hoc ergo obstat. 10.

Anima separata loco se mouere possunt.

Alij igitur dicunt, has apparitiones possibiles non esse: quia cùm spiritus corporis sint expertes, cerni corporeis oculis, vel humanis auribus exaudiri, vel vllo à nobis sensu corporeo percipi non possunt. Nam quod Lucretius de tactu cecinit, 11.

Spiritus quomodo videri possint vel audiri.

Tangere vel tangi, nisi corpus, nulla potest res,

in ceteris quoque sensibus locum habere: nihil enim externis sensibus percipi, nisi quod corporatum: nihil ad internum sensum, nisi per externos, se penetrare; nihil sciri aut intelligi, quod vtroque priùs sensu perceptum non fuerit: quare nec intelligi hæc visa, quæ nemo externo sensu percipit; nec sensu vllo percipi potuisse quæ spiritualia sunt. Fortis hic nodus & difficilis, fateor, cui perrumpendo fortis quærendus est cuneus. Futilis ille & ridiculus, quem suggerit Cardanus parum subtiliter; spiritus denatorum atque ipsos dæmones naturaliter ab homine visu, auditu, odore dignosci. Oculatior lynce, auritior Midâ vel Sileni asello, sagaciore naso quàm Plauti illa anus mero,

Cardanus explodutur.

merobibula fuisse oportet, si vis ista audiêdi, odorandi, cernendi & discernendi spirituales substantias ei à natura concessa fuerat. Sed ille fortassis ex corpore aëreo tenuiore animas formabat, qui multorum error olim fuit, & vtinam non hodie. Nec etiam credibile est, quod Cæsarius, recentior illo antiquo, & vno ex patribus, non semel asseruit, animæ figuram esse similē vasi sphærico, vitreo, vndique oculato. & alibi: Anima est substantia spiritualis, & in sui natura sphærica, ad similitudinem globi lunaris ex omni parte videt. Incredibile, inquam, hoc, si propriè loquitur. Arbitror esse locutiones allegoricas & metaphoricas, quibus animæ essentialem perfectionem, & multiplicem cognitionem volebat indicare, vt ex eiusmet verbis apparet. Sed Cardanus addit errorem errori, dum censet, apparitiones omnes imaginarias esse, & species illarum primas imaginando tantùm concipi opinatur. Quòd aliquando contingere lubens concedo; semper contingere, lubentiùs nego. Res est paulò luculentiùs explicanda, est enim cognitione dignissima, & quam D. Thomas mirabilem esse profitetur, & inter diuina miracula computandam. Sic P. Delrio.

12. *Qualia corpora assumant spiritus vt hominibus appareant.* Qui varios deinde apparitionum modos prolixè exponit, & tandem subiungit: Negamus spiritus sua assumere corpora, vt in iis appareant dumtaxat, non vt informent & viuificent: tum enim non redeunt vt sint tales quales cernuntur, sed vt hisce velut notis se præbeant agnoscendos; cui rei satis est idoneum corpus effictum. Elementaria hæc corpora non ipsæ animæ sibi componunt, sed Angeli ipsis illa vel dæmones fabricantur. Nec enim animæ separatæ queunt in hoc agere vt necesse, nam hoc motu locali faciendum foret; anima verò separata non potest vi propria alia à se mouere, ex veriore sententia, caret enim organis corporeis, quæ illi ad mouendum corpus erant necessaria, quando erat in corpore. Hinc instare quis poterit interrogando: Si in elementare corpus nequit agere, quo pacto in illo poterit apparere, aut illud subire? Respondeo, animas corpora hæc non arbitratu suo, sed Dei subire voluntate atque imperio. Quare quando hoc fit, tunc Deus illis largitur qualitatem aliquam quæ defectum suppleat: quod quoad animas beatas apertius puto, propter visionem Dei multa illis largientem dona, & eorum desideriis abundè atque per omnia satisfacientem; aliter autem à Spiritibus (etiam dæmonibus) corpora mouentur, aliter ab anima corpus informante. Hominis motus est organicus: nam homines à naturali appetitu sollicitati, per qualitatem quamdam neruis infixam membra mouent (ad quorum motum etiam nerui mouentur) non simul omnia membra, sed aliud post aliud. Sed animus corpore solutus appetentiam quidem retinet, sed organis corporeis destituitur; ideò corpus, cui se coniunxit, non membratim, neque per partes impellit, sicuti suum dum viuebat; sed integram eius molem protrudit, licet præstigiis quibusdam fieri queat, vt organicè mouere videatur. Sic ergo subit, sic mouet corpus assumptum. Hactenus ille.

13. *Spiritus dum apparent, quomodo illi cui apparent examinādus sit.* Priùs verò quàm pedem proferamus, haud absonè præmittendæ videntur conditiones ac circumstantiæ, è quibus veræ visiones sed apparitiones agnosci, atque pro talibus discerni solent, quæ nimirum habentur in Reuelationibus S. Birgittæ, vbi D. Alphonsus Giennensis primùm Episcopus, inde Eremita probatissimus, ita loquitur: Dicunt sancti Patres & Doctores Ecclesiæ quòd persona visiones videns, debet tali modo examinari: An scilicet sit persona spiritualis, vel an sit mundana & sæcularis. An etiam viuat sub disciplina & obedientia speciali continua alicuius senioris discreti, virtuosi & maturi, Catholici & experti Patris spiritualis, vel an in proprio arbitrio & voluntate. Item, vtrùm tentationes suas, quas habet, statim supposuerit examini & iudicio Patris sui spiritualis, vel aliorum discretorum seniorum Patrum spiritualium, cum humilitate, timens illudi; vel an eas occultauerit, nulliusque examini & iudicio eas supposuerit, aut ex illis de se præsumpserit & iactauerit, vel se reputando alios despexerit. Item examinari debet, vtrùm ab ista persona, vidente visiones, resultent veri actus & virtutes obedientiæ, humilitatis, & charitatis, & intentæ orationis; vel an procedant ab ea actus reputationis & iactantiæ, aut superbiæ seu ostentationis & elationis, vel appetitus laudis humanæ, aut negligentia orationis, siue ambitio honoris vel dignitatis. Item, vtrùm ista persona apud viros spirituales reputetur verè Catholica & fidelis, & obediens Prælatis & Rectoribus Ecclesiæ; vel an sit suspecta de fide, vel de obedientia Prælatorum & Rectorum Ecclesiæ. Item, vtrùm in vita spirituali virtuosè, & in pœnitentia, & in habendo frequentes visiones, humiliter & diu perseuerauerit, vel an in hoc sit recens & nouitia. Item, an ista persona visiones videns, habeat bonum intellectum naturalem, & spiritualem, & verum & discretum iudicium rationis & spiritus, vel an sit leuis intellectus, vel subita aut phantastica. Dicit enim Gregorius in Dialog. quòd sancti viri inter illusiones atque reuelationes ipsas, visionum voces aut imagines quodam intimo sapore discernunt, vt sciant vel quid à bono spiritu percipiant, vel quid ab illusore patiantur. Et, vtrùm ista persona fuerit aliàs examinata de materia & modo visionum per viros literatos & spirituales, & approbata, vel non. Et hæc sufficere videntur quantum ad examinationem personæ. Quantum verò ad modum videndi & audiendi spiritualiter, & recipiendi reuelationes seu visiones, dicunt sancti Patres & Ecclesiæ Doctores, quòd debet examinari subtiliter, Vtrùm ista persona videns visiones & audiens locutiones earum, videt eas vigilando, vel an dormiendo & somniando. Et, vtrùm in visione corporali, vel an in visione imaginaria & spirituali; vel, vtrùm fortè in visione intellectuali supernaturali: & vtrùm in illo raptu mentali, qui ecstasis vocatur, scilicet quando talia videt, senserit aliquam mentalem supernaturalem dulcedinem amoris diuini, vel an non. Et, vtrùm tunc videt & audit aliquem sibi aliqua mysteria loquentem, aut diuinas doctrinas & spirituales demonstrantem, vel an non, & in qua specie tales personas videt, & vtrùm tūc senserit illuminationem seu quamdam illustrationem supernaturalis luminis, intelligentiæ, manifestationis veritatis diuinæ illius materiæ illorum visorum, vel an non. De qualitate etiam & materia ipsarum visionum debet examinari, vtrùm visio-

In Prologo lib. 8. cap. 2.

1. De qualitate personæ.

2. De modo quo videt spiritus.

3. De qualitate ipsa apparitionum.

visiones illæ concordant cum diuinâ Scripturâ, vel an discrepant ab eâ: & vtrùm visio illa sit ad humanorum actuum virtuosam directionem, & salutem animarum, vel an inducat in errorem Catholicæ fidei, vel an inducat aliquod monstrum, & nouum, vel aliquid quod à ratione discordet, aut à bonis, virtuosis & humilibus moribus nos auertat: & an istæ visiones semper veræ sint, aut aliquando mendaces & falsæ, scilicet quòd illa quæ prædicunt, aliquando sint vera, & aliquando nō: & an prædicent nobis futuros honores, aut diuitias, aut laudes humanas, an humilitatem in omnibus. An etiam inducant nos quòd extollamur, aut quòd præsumamus & confidamus de aliquibus virtutibus nostris, an quòd humiliemur. Item, vtrùm nos monent ad obediendum, etiam puris & simplicibus virtuosis personis spiritualibus, & Præpositis nostris, an ad contrarium. Et causâ breuitatis finaliter dico, quòd ad perfectam examinationem faciendam in istâ materiâ, tam de qualitate personæ videntis visiones, quam de qualitate & modo videndi, quàm etiam de qualitate materiæ visionum, & de modo discernendi spiritus, qui illas ostendunt, infundunt, seu ministrant, vtrùm boni spiritus an mali sint. Vide plenissimè in libro cælestium Reuelationum ad istam beatam Birgittam de Sueciâ, de quâ hìc agitur in l. 1. c. 4. & in lib. eodem c. 54. & in lib. 3. c. 10. & in l. 4. c. 23. & 110. & in l. 6. c. 52. & 66. cum multis similibus, vbi prædicta Domina à Christo & virgine Mariâ plenè instruebatur de illâ materiâ discernendi spiritus, & visiones, & mentalia sentimenta. Nam si talis subtilis examinatio non præcesserit, error periculosus poterit euenire in approbante vel reprobante indiscusse & ex abrupto talia videntem, & eius visiones & reuelationes: quia fortè iste subitus & indiscretus ex abrupto approbans talem videntem & eius visiones, recipiet falsa pro veris, & vera vt falsa periculosissimè reputabit; & sic veræ & bonæ visiones & locutiones diuinæ respuentur, & non credentur, nec eis obedietur, etiamsi veraciter à voluntate Dei processerunt; falsis verò illusionibus fides præstabitur & obedietur, in damnum videntis & subitò approbantis aut reprobantis indiscusse & ex improuiso, quod sæpè contigit tam in veteri Testamento quàm in nouo, & adhuc hodie talis error sæpè contingit propter defectum discreti & maturi examinis. Hactenus ille, cuius doctrinam ita verbotenus describere consilium fuit, tum quia, vti sæpiùs diximus, in hac triumphantis Ecclesiæ Legatione, triumphantium potiùs in illâ Scriptorum, quàm propriis vti voluimus, tum etiam quia, cùm hæc difficilis sit atque periculi plena materia, non absq; ratione illa proferenda præferendaq; censuimus, quæ solidè adeò ac copiosè, quin simul compendiosè, à viro illo eruditione & sanctitate cōspicuo tractata fuere. Sed ad ipsissima R. P. Martini Delrio verba redeamus.

Examen illud, ni decipi velimus necessarium est.

14. Qui quòd apparitiones vtiles sint, & suum plerumque profectum secum adferant, hisce, licet prolixioribus probat: Decet & vtile est Deum hoc aliquādo permittere. Etenim si quod ad multorum demanat vtilitatem, si quod Dei honorem promouet, id fieri expedit, id decet Deum permittere: huiusmodi esse, de quo agitur, necesse est aduersarij fateantur. Nam non difficulter euincerem, hæc visa & commodi multum adferre nobis, & ad gloriæ diuinæ extrariam magnitudinem aliquid adiungere accessionis. Cedunt in animarum, quæ Deo gratæ decesserunt, vtilitatem hæ apparitiones: quia si in corpore proprio apparent, dixi quid sentiam. sed si tamen in exuuiis apparent suis, gratissimum id illis iucundissimumque fuerit: nam inest animabus ad sua corpora, quasi ad domicilium suum, insitus quidam ab incunabulis amor, à quibus vi abstractæ fuerunt, ad quæ sponte redeunt. Vnde & Philostratus inuitas scribit separari, & Plato φιλοσωμάτους dixit: & D. Paulus dixit, nos expoliari nolle, sed malle superuestiri, vt molestā cunctis animæ à corpore separationem ostenderet, sicuti Theophylactus interpretatur: quem amorem separatione non minui, sed coniunctionis pristinæ, & redintegrandæ vnionis appetitionem Theologi volunt manere. Sin autem alieno in corpore conspicuas se præbeant, non exiguam percipiunt voluptatem ex negotiorum nostrorum vtili gestione, & rerum procuratione, quæ ad diuinum spectant honorem: interim suam quoque causam agunt, non illæ modò quæ subsidij & opis indigæ, quòd etiamnum expientur, & à viuis eleemosynas, suffragia, ieiunia, Missarum sacrificia impetrant, quibus diuinæ iustitiæ faciant satis, & pœnarum diminutionem obtineant: sed & ipsi Beati, cælestis Ierosolymæ albo adscripti ciues, quos interdum Deus sese iubet ostendere, vt corporibus eorum debitos honores exhibeamus, quæ Spiritus sancti purissima fuerunt templa, quod de sanctis Geruasio & Protasio D. Ambrosius testatur. Hoc ergo ipsi lucro apponunt, quia sic in se Deum sentiunt & lætantur honorari. Nobis autem, Deus optime! quot inde commoda, quot emolumenta cumulantur? Docent, animam nostram corpori manere superstitem: ostendunt, non esse impossibilem corporum resurrectionem, cuius quædam sunt adumbrationes: clamant, Deum non viuis modò, sed & mortuis præesse, cuius imperio ista peraguntur: certa esse loca manifestant, vbi & sontes indesinenter excrucientur, & pij æuo immortali cum iucunditate iugi perfruantur: admonemur societatis & communionis, quæ nobis cum defunctorum fratrum spiritibus intercedit: perferunt ad nos Dei mandata, & mutuæ charitatis aliarumque virtutum fiunt auctores; nos de suo statu, & quæ nobis vitæ ratio instituenda, faciunt certiores: morientibus interdum se viæ comites, & ad cælestem patriam duces exhibent: horum monitu declinamus iram; ab his sæpè sanitas accipitur, & imminentia ceruicibus nostris mala depelluntur, vt ad proborum exemplum ab improbis pœnæ exiguntur: ipsis quoque damnatorum simulacris iuuamur, per quæ fides nostra fulcitur, & fit, vt firmiùs multò iis quæ de scelerum suppliciis & de Dei iustitiâ & prouidentiâ credenda suscepimus, assentiamur. Tu, bone Lector, considera, an non isti fructus egregij & lauti, quos ab apparitionibus decerpimus? An non hæ gemmæ quouis auro & margarita pretiosiores? Hæc nobis omnia, per nefas & inuidentiam, moliuntur eripere, si intelligunt; per stuporem & temeritatem miserandam, si non intelligant; qui visorum fidem ex animis mortalium euellere allaborant.

Apparere spiritus, Deo non est indecens.
Ibid. sect. 3.

In animarū cedit vtilitatem.

2. Cor. 5.

Hominibus viuentibus multiplex inde fructus.

15.

Quòd spiritus quandoque appareant, Scripturarum exẽplis asseritur.

In quo quantum à recto Sectarij deuient, imò plenè planeque cæci sint, ipsi Scripturarum sacrarum textus, ad quos vanè plerumque in vanâ & desperatâ suâ causâ vani appellant, eloquuntur. Vix aliquis Bibliorum liber, imò vix caput vnum in his sæpiùs repetitur, in quo non fiat visionum hominibus factarum mentio; neque illarum solùm quæ Angelos ac cælestes spiritus concernunt, sed & mortuos etiam homines qui ad viuos reuersi sunt. E pluribus pauca suffecerint exempla. In antiquâ Lege numquid Iudæ Machabæo Onias summus Sacerdos ac Ieremias propheta apparuerunt? Loquatur pro se ipse textus sacer quem suprà posuimus. Sed & Samuel Sauli apparuit. *Vidit Saul*, ait Scriptura, *castra Philisthiim, & timuit, & expauit cor eius nimis. Consuluitq́; Dominum, & non respondit ei neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas. Dixitq́; Saul seruis suis: Quærite mihi mulierem habentem pythonem, & vadam ad eam, & sciscitabor per illam.* Et infrà: *Dixit ei mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi suscita. Cùm autem vidisset mulier Samuelem, exclamauit voce magnâ, & dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul. Dixitq́; ei Rex: Noli timere: quid vidisti? Et ait mulier ad Saul: Deos vidi ascendentes de terrâ. Dixitq́; ei: Qualis est forma eius? Quæ ait: Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio. Et intellexit Saul quod Samuel esset, & inclinauit se super faciem suam in terrâ, & adorauit. Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietasti me vt suscitarer?* &c. Quid ad hæc aduersarij? Dicent fortè, non fuisse, illum qui apparebat, Samuelem, sed dæmonem in illius personâ. Sed & hoc SS. Patribus, & Scripturæ sacræ, & ipsi rationi aduersatur. Sanctis quidem Patribus; quorum licet nonnulli obscurè nonnihil de hac re locuti fuerint, alij tamen idipsum, quod nos, clarissimis verbis effati sunt, prout fecit *a* S. Iustinus, *b* Basilius, *c* Ambrosius, *d* Hieronymus, *e* Augustinus, quibus addi possunt *f* Iosephus Historicus, & è recentioribus Lyranus, Abulensis, Dionysius Carthusianus, Caietanus, alij. Scripturis verò quæ expressè & disertè Samuelem nominant, & addunt Saulem intellexisse esse Samuelem. Si intellexit, certè non putauit; alioquin hoc ipsum Spiritus sanctus, ne errori occasionem daret, expressisset; qui tamen alibi apertè iterũ confirmat, veram vtiq; fuisse, & pro tali habendam esse præfatam Samuelis apparitionem. Postquam enim illa, quæ in vitâ suâ Samuel laudabiliter gesserat, in Ecclesiastico recensuisset, ita subiungit: *Et post hoc dormiuit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem suam de terrâ in prophetiâ delere impietatem gentis.* Vnde nulli dubium, quin Samuel verè Sauli apparuerit. Quòd si qui aliter senserunt, vel sentire visi sunt, næ id inde factum autumo, quòd Scripturas sacras haud vsquequaque expenderint, aut fortè, quòd malim, hypotheticè & conditionaliter locuti fuerint. Ratio ipsa insuper abundans argumentum nobis suppeditat. quis enim credat, dæmonem præscire potuisse illa sic certè euentura, quæ tam asseueranter Samuel Sauli comminatur? Sed à pythonissâ vel magâ, quæ diaboli operâ fortè vsæ sunt, euocatus fuit. Quid tum? non enim hinc negatur, sed fortiùs vtique, verè Samuelem apparuisse, adstruitur, eò quòd id à Deo permissum fuerit ad maiorem Saulis castigationem. Cùm enim ille vsque adeò Dei sui oblitus fuisset vt diabolum consuleret per veneficam, iustè ipse ei Samuel apparuit, quò ei mortis sententiam intimaret ille, cuius sanioribus consiliis olim obtemperare & morem gerere noluerat. At verò ipsa mulieris consternatio rem prodit. Turbata fuit, videns Samuelem ascendere. Vnde turbata? quia nimirum rectà ascendisset, præter morem illorum spirituum qui carminibus & incantationibus excitati vel aduocati prodeunt. Nam, quod Rabbinorum est placitum, solent huiusmodi inuerso modo, hoc est, pedibus primò & capite vltimò apparentibus, sursum ex inferno emergere. Saul itaque vi quidem magiæ Samuelem euocari voluit, Deus autem per se id fecit, ratione iustitiæ suæ, quâ hoc & alia eius delicta grauia punienda & castiganda erant. Auersus enim erat Deus à Saule propter ipsius peccata, quorum cursum pessimum, quod Samuel dum viueret malebat & monebat, inhibere & sistere detrectauerat, ideoque ne responso eum, licet admodum rogatus, dignatus fuerat. Sed ad R. P. Delrio redimus, & ex eo mutuare pergimus, quæ perquam eleganter contra negantes spirituum apparitionem subiunxit.

2. Mach. 15.

1. Reg. 28.

An qui à Pythonissâ excitabatur, verus fuerit Saul, an diabolus sub illius specie.

a In Dialogo cũ Tryphone, vltr. med.
b Epist. 80. ad Eustach.
c In cap. 1. Lucæ.
d In cap. 7. Isaiæ.
e Lib. de Curâ pro mortuis. c. 15. quẽ librum posteriùs scripsit illo, quo 2. ad Simplicianũ de hac re dubitauerat.
f De bello Iudaico, l. 6. c. 15.
Eccli. 45.

Spiritus, qui incantationibus euocantur, pedibus sursum & capite deorsum prodire, Iudæorũ est opinio.

16.

Quomodo spiritus boni à malignis discerni possint.

Metum nobis hic inquit, obtrudunt: sed metuunt vbi nihil timendum. Ingens, inquiunt, hac ratione fraudis seges seritur, dolorum occantur sulci, & latæ superstitionis arantur noualia, tenduntur subtilia & rara retia, plagæ captendulæ instruuntur, quibus incauti capiantur & impedicentur. Satan se solet in hominem, & adeò in lucis angelum transfigurare; quo illum pacto à veris spiritibus distinguemus? Dei donum est discretio spirituum, nec omnibus concessum: malè ergo consultum sit generi humano, si tales contingant apparitiones, quibus discernendis non satis idonea Deus remedia reliquerit. Respondeo, difficilem verè esse spirituum huiusmodi discernendi rationem, neque id cuiuis peruium aut perspicuum: non deesse tamen hominum eruditorum scripta in his tenebris prælucentia, ne periculosè aberremus. Signa illi produnt singula verisimilia per se, quædam minùs, quædam ampliùs; si tamen valdè multa vel potiùs cuncta concurrerent, satis certa & luculenter futura. Scripsit olim Tractatum integrum circa annum Domini 1387. Bertramus Episcopus Theselicensis ad Cunonem Archiepiscopum Treuirensem, de Illusionibus dæmonum; & Ioannes Nagen, aliàs de Indagine, Carthusianus, librum de Apparitione cuiusdam defunctæ huc pertinentem: & fusiùs egit integro Opere Iacobus de Chusa Theologus, de Apparitionibus spirituum, & quo inquiri & agnosci debeant modo, verùm verè an fictè appareant. Conatur illum sugillare, vt omnia quæ Catholica & pia sunt, Wierus, sed nihil ex eo protulit, quod non pium, prudens, & religiosum. Paucis iste Scriptor notus. Notiores sunt Peltani labores, & Thyræi Theses, è quibus, quæ certiora, primo loco seligantur.

17.

Signa quedã & criteria pro discernendo spiritu malo à bono.

Sic P. Delrio: qui porrò, qualia ea signa sint, ex quibus cognosci possint apparentes spiritus, statim subdit; obseruatu sanè digna, vt quæ tum diaboli astum nobis aperiunt, tum & quâ ratione purgandorum spiritus ab illusoribus dignoscere debeamus, palàm facit. Ait itaque, malorum geniorum signum inter cetera esse,

esse, si apparentes signum Crucis, nomen Iesu, Mariæ, vel aliorum Sanctorum, eorúmve Reliquias, Agni Dei ceream effigiem, lustralem aquam, panem, salem, cereúmve benedictum, aut alia huiusmodi Sacramentalia, vel Catholicæ Religionis symbola fugiant aut detestentur. Si, postquam quod semel exegerunt præstitum, adhuc frustrà rursus appareant, & sint importuniores (nam animæ, cùm satisfeceris, vel nō redeunt, vel semel tantùm vt agant gratias; contrà dæmones causas ex causis vt funiculum nectunt, vt vel obsideant, vel saltem grauiter decipiant) His ergo concurrentibus, diabolus est. Si se dicat animam esse alicuius damnati, mentitur, & dæmon est vt plurimùm, vix enim vmquam damnatorum animæ sinuntur egredi. Si prætexit apparitioni causam falsam, vel malam, v. g. dicit se apparere coactum vi coniurationis magicæ, vel vt reuelet curiosa, parum necessaria, aut quæ nesciri expediret, dæmon est. Si aliter eius oratio sit falsa, superstitiosa, malesuada, desperati, superbi, libidinosi, vindictæ appetentis, aut aliter perturbati præferens animi ostentationem, dæmon est. Si appareat formâ nō humanâ, formosâ & benè formatâ, sed tetrâ, deformi, aut vili, vel canis, serpentis, suis, draconis, araneæ, bufonis, vel similium, vel nigri Æthiopis, malus est genius: si verò formâ humanâ, boni Angeli vel Beati, vel Dei, tunc consideranda operatio. Si illa ex genere suo sit improba, vt blasphemiæ, superstitionis, mendacij, homicidij, luxuriæ, & vel dolosa, ex modo operationis, vt si primo congressu lætitiam adferat animo & tranquillitatem, posteà horrorem, turbationem, vel desolationem, vel etiam magno cum fœtore, strepitu, vel clade abeat, dæmon est. D. Antonius hanc suis cautionem tradidit, his fermè verbis: Non est difficilis bonorū malorúmve spirituum discretio. Si enim post timorem successerit gaudium, à Domino sciamus venisse auxilium; si autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur. Hanc iuxta normam, quæ D. Thomæ, B. Catharinæ Senensi, Gersoni, & aliis in hac palæstrâ probè exercitatis non immeritò placuit; suos armauit P. Ignatius: Expertus id ipse fuerat, in fictitio illo & oculato monstro, quod præsens lætitiam adferebat, absens contristabat. Contrà bonis spiritibus peculiare, vel iucundum, quem attulerint animo, sensum conseruare, vel initio allatum metum tranquillitate maximâ compensare, vt Mambre, Gedeoni, B. Virgini, & aliis nouimus accidisse. In eamdem sententiam D. Macarius, Quæ à Deo & bonis Angelis (id enim ibi est, à gratiâ) procedunt, lætitiâ prædita sunt, charitate, pace, & veritate: quæ autem ab iniquitate (à diabolo) turbatione plena sunt, nec habent dilectionem aut gaudium erga Deum, hoc est spirituale.

Cautio à S. Antonio contra diabolicas apparitiones data.

3. p. q. 30. art. 3 ad 3.

18. Hæc puto (pergit R. P. Delriò) signa non obscura discernendi visiones malorum spirituum à bonis; & tunc non debere nos dubitare quin sint auersandæ: semper enim vel sunt dæmonum, vel damnatorum, si tamen damnatorum animæ vmquam compareāt. Nam etsi fatear, Deum id posse permittere, causam tamen vix video cur permittat. Sanè si permitteret, non video quomodo possint illorum visa discerni à dæmonum apparitionibus; nisi fortè, si qua denuntiarent indicarétve, quæ omnem hominum cognitionem superarent; item nisi occuparent corpus hominis viuentis: numquam enim animæ, vel Angeli boni, hominum viuentium corpora subintrant, sed hoc dæmonum proprium, vt Zoroastres in Magicis obseruauit. Vide Petrum Leloyerium lib. 4. de Spectris, cap. pænult. Hactenus R. P. Martinus Delrio, cuius doctrinâ & verbis (Lectoris tamen nostri interim patientiam appellamus) geminam insuper quæstionem, quæ tum damnatorum hominum, tum beatorum Angelorum apparitiones concernunt, cùm inde perfecta apparitionum cognitio dependeat, quàm poterimus compendiosissimè decidemus. Verba P. Delrio hæc sunt:

Quid igitur (dicat aliquis) tu de illis, quorum legimus animas iterùm in corpus ingredi iussas, 19.
& quidem nonnullas inferni suppliciis addictas inde liberatas? vt Andream illum Romanum anno 1070. cuius historiam habes lectu dignissimam in Vitâ S. Annonis Coloniensis lib. 1. c. 33. apud Surium die 4. Decembris. Equidem arbitror illos inferni pœnis non nisi ad tempus addictos à Deo: nam ex inferno nulla est redemptio, quando quis ad eum absolutè damnatur. Sed fieri aliquando potest, vt, quando paulò antè visi expirare, reuerà tunc animam non exhalarint, sed tantùm sint extasim passi, in quâ per visum & repræsentationem ob oculos mentis diuino ministerio obiectam, visi sibi sint & mori, & verè in iudicium rapi, & cetera illa quæ narrant; post quorum narrationem vel statim vel diu posteà verè animam exhalarint. Quæ sententia cùm aliorum, tum Baronij Cardinalis est Tom. Annal. XI. dicto anno 1070. Cùm tamen ibi dicat Andreas se verè mortuum fuisse, non verò dicat se ad æterna supplicia inferni damnatum, sed tantùm ad loca æternæ damnationis tractum (quod dici potest etiam de damnato ad tempus) probabiliùs multò dici posset, hunc ex priori illo genere fuisse, non absolutè damnatum, sed ad tempus puniendum secundùm præsentem iniustitiam, absolutâ sententiâ suspensâ, quæ est D. Thomæ, Durandi, Richardi, Abulensis, & aliorum Theologorum sententia. Lege Bellarminum nostrum lib. 2. de Purgator. cap. 8. vbi de animâ Traiani disputat, & Valentiam in 3. part. disp. 11. q. 1. punct. 2. & Franciscum Suarez in 3. part. Tom. 2. disp. 45. sect. 3.

Quid de animabus dicendum, quæ ad sua corpora redierunt.

Par difficultas est Angelorum apparitionis à beatorum hominum apparitione dignoscendæ. 20.
Nam & eorum qui in Purgatorio sunt apparitiones, bonorum Angelorum operâ vicariâ nobis vt plurimùm puto exhiberi. Scio viros eruditos signa quædam commemorasse, humanas animas, quæ iam beatæ, lætiore vultu apparere; quæ adhuc expiantur, nubilo ac tristiore: hoc sanè admodum probabile est. Addunt, sic Angelicas ab humanis discerni: humanas esse animas, si se barbatos, vel senes, vel pueros, vel feminas exhibeant, aut mœsto habitu; nihil enim horum Angelos decere, vt nec in vllâ quoque animalis vllius specie se exhibere, nec columbæ quidem: item si humanam cognitionem superantia prædicant aut doceant, si preces vel quid aliud subsidij postulent. Sed lubet ab his quærere, an nequeant Angeli custodes suscipere formam eorum quorum sunt custodes, & qui in Purgatorio expiantur. Certum est posse, & solere; neque id ipsi

Quomodo dignoscatur an spiritus bonus apparens sit beatus vel an adhuc in Purgatorio expietur.

ipsi negant: cur non igitur tum preces aut simile subsidium postulent? Cur non tunc in eadem, quâ illi erant, formâ, pueri, senis, barbati, mœsti, vel feminæ appareant, vt cognoscantur? Deinde, nónne Beati multa nunc norunt quæ viatorum superant cognitionem? futura quoque, vt Angeli, norunt, si Deus illa reuelarit. incertæ igitur sunt hæ notæ, quibus & historiæ nonnullæ repugnant. Nam & in Patrum Vitis habetur scriptum, Angelum Anachoretæ, iudiciorum Dei inscrutabilem abyssum intelligere desideranti, senili facie & vultu apparuisse. Notissimū quoq; quod de B. Augustino, Commentarios de Trinitate cogitante, refertur, puerum illi visum, qui casso & irrito conatu cū Amphitrite Nerea, quātus quantus est, in exilem scrobem cochleari infundere nitebatur: quem Angelum fuisse non est ambigendum, non magis quàm alium illum, quem peruetus historia certaminis D. Dorotheæ narrat similem puello quadrimo pulchellulo & tenellulo rosas suauè rubentes & mala recentia Theophilo, vt animosa & Deo fidens virgo promiserat, hyeme mediâ attulisse, cùm illis in locis cuncta gelu vi frigoris constricta rigerent. Narrat deinde aliquot visiones visibili formâ diuersis factas, post quæ tandem subdit: Hæc ergo & similia, ne notis ab illis traditis indubitanter assentiar, memorantur: sed inprimis, quia totam hanc spirituum discretionem, quod illi non diffitentur, ex diuinâ potissimùm reuelatione arbitror dependere, proptereà tutius & præstabilius iudico cum B. Augustino meam hîc ignorantiam fateri, & discipulum me præstare, quàm præcipiti temeritate aliquid definire, vel agere præceptorem: res enim hæc altior est quàm vt à me possit attingi; & abstrusior, quàm vt eruere; & profundior, quàm vt vadare queam. Huc vsque prolixè admodum R. P. Del-rio, subtilissimus rerum Magicarum, si quis vnquam disquisitor, ac fraudum diabolicarum insectator.

CAPVT XXIV.

Etsi Purgatorium molestias omnes includat, ab igne tamen eas & nuncupari & inferri decuit.

1. *Laudatissima FF. Excalceatorum constitutio.*

QVia sacri nostri Carmelitarum Excalceatorum Ordinis laudabilis inter alias est constitutio, quod eius Alumni in suis disputationibus, prælegendis statuendisque & definiendis conclusionibus atque sententiis, Angelicum Doctorem D. Thomam sequi debeant, & ab eo ne ad latū quidem vnguem, vt aiunt, in quibus videlicet clarus est, dissentire nequeant (vnicâ Genitricis Dei, omni gratiâ præuentæ, immaculatâ Cōceptione exceptâ) haudquaquam licitum fuisset, eiusdem sacri Instituti sectatorem, qui nimirum Opus hoc ex aliis cōpilauit, tueri aut defendere, ne dicā concipere opinionem, quæ ab eodem Doctore, in re præsertim manifestâ, vel in speciem discreparet aut discrepare videretur: cùm tamen ille docuerit, Purgatorij pœnam per ignem tantummodò explicandam fuisse, rursumque alibi idem affirmauerit; alij econtrà varia tormentorum genera, vt præcedenti Capite vidimus, & in progressu sæpiusculè videbimus, Purgatorio adscribant; subdubitare nonnihil cœpi, vtra sententia præponderare deberet. Verùm enimuerò, dum eiusdem Angelici Doctoris aurea scripta accuratiùs paulò inspectarem, & diligentiùs expenderem, aduerti, opiniones istas minimè sibi aduersari, sed ab ipsomet D. Thomâ, quomodo vtraque saluâ veritate consistere possit, explicatum deprehendi, adeoque dicendum esse statui, etsi Purgatorium omnes molestias simul includat, ab igne tamen tum denominari tum inferri. Quod vt clariùs explicemus, D. Thomæ verbis plerumque vtemur, aliorum Sanctorum probationibus hinc inde intertextis.

In 4. Sentēt. dist. 21. art. 2 ad 2. Ibid. dist. 50. art. 3. ad 2.

2. *Cur ignis pœna exprimatur, prima ratio, quia ignis vim habet purgandi.*

Quidam opinantur, ideò Purgatorij pœnas per ignem fieri & explicari, quòd huic elemento proprium sit purgare & abstergere, quod nimirū fit in Purgatorio. a Origenes, *Qui saluus fit*, inquit, *per ignem saluus fit, vt si quid fortè de specie plumbi habeat admixtum, id ignis decoquat & resoluat, vt efficiantur omnes aurum mundū.* b Theodoretus: *Hunc ipsum ignem purgatorium credimus, in quo animæ defunctorum probantur & repurgantur sicut aurum in conflatorio.* c S. Gregorius Nazianzenus: *In altero sæculo igne baptizabuntur, qui postremus est baptismus; nec solùm acerbior, sed diuturnior; qui crassam materiam instar ferri depascit, vitiiq; leuitatem absumit.* S. Thomas Aquinas, cùm asseruisset locum & ignem Purgatorij eumdem esse cum damnatis, contra id sibi obiicit, quòd pœna inferni nominetur pluribus nominibus, vt, *Ignis, sulphur, & spiritus procellarum*, &c. sed pœna Purgatorij non nisi vna nominetur, scilicet ignis, & ideò damnatos cum purgandis non vno loco & igne puniri. Sed id soluit hoc modo: *Ad secundum dicendum, quòd pœna inferni est ad affligendum, & ideò nominatur omnibus illis quæ hîc nos affligere consueuerunt: sed pœna Purgatorij est principaliter ad purgandum reliquias peccati, & ideò sola pœna ignis Purgatorio attribuitur, quia ignis habet purgare & consumere.* Ex quo in primis patet, S. Thomam hîc ignem purgandorum non distinguere ab igne damnatorum, iam enim vtrumque vnum & eumdem esse affirmauerat; sed quia contra id ei obiiciebatur, hoc non ita videri, eò quòd infernus multis nominibus, Purgatorium verò vno solùm vocabulo designetur: respondet, id non referre, cùm diuersitas non in re sed solâ appellatione consistat; cuius ratio sit, quòd damnati crucientur ad afflictionem, alij verò ad purgationem. Vnde & Scriptura sacra frequenter igni purgationis effectum tribuit, vt apparet ex illo Isaiæ, vbi Propheta sic ait: *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari* (ex igne nimirum oblationis) *& tetigit os meum, & dixit mihi: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Imò de Purgatorio dictum: *Ipse sedebit quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & purgabit filios Leui.* quod ex mente Origenis, S. Ambrosij, S. Augustini, S. Hieronymi, & aliorum, de Purgatorio intelligitur.

a Homil. 6. in Exodum. b In 1. Cor. 3 c In Orat. de sanctis Lumin.

In 4 dist. 21. q. 3. art. 1.

Psal. 10.

Isaiæ 6.

Malach. 3. Orig. Homil. in Exo. Ambros. in Psalm 36. August. l. 20. de Ciu. c. 25. Hieron. in eumd. loc.

3. Altera ratio, cur Purgatorij pœna per ignem tum explicetur tum executioni mandetur, est, quòd ignis præ aliis omnibus aptissimus sit ad designanda infligendaque supplicia quæ à ceteris omnibus rebus materialibus inferri solent. Do-

Secunda ratio, quia ignis aptissimus ad exquisita supplicia.

In 4 dist. 50. q. 2. a. 3 ad 1.

cet id S. Thomas manifestè. *Ergo dicendum*, inquit, *quòd quia ignis est maximè actiuus, propter hoc quòd abūdet virtute actiuâ, ideò nomine ignis afflictio omnis designatur, vt sit vehemens.* Quare diuina Maiestas sæpè iustitiæ suæ vindictam & expressit & perfecit per ignem. Cùm Cherubinus primos nostros parētes e Paradiso expelleret, à Scripturâ dicitur: *Eiecitq́, Adam, & collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Sodomam & Gomorrham ciuitates Deum igne absūmpsisse ita narratur: *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo, & subuertit ciuitates has & omnem circà regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.* Cùm Nadab & Abiud, filij Aaronis, obtulissent Domino ignem alienum, *quod eis præceptum non erat, egressus ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino.* Cùm filij Israel contra Moysen insurrexissent, cibumque è cælo sibi datum nauseantes, Ægyptum recogitarent, *misit Dominus in populum ignitos serpentes.* E conspiratoribus Dathan & Abiron *combussit ignis ducentos quinquaginta viros.* Alibi dicitur Deus *ignis consumens*, quia, vt ait S. Hieronymus, solebat ex altari Dei ignis in hostes exilire, eosque consumere, atque in cineres redigere, quemadmodum asserit factum fuisse cum exercitu Sennacherib Regis Assyriorum, è quo vnâ nocte consumpsit centum octoginta quinque millia hostium. Quin inter alia diuinæ vindictæ indicia & hæc à Deo enumerata sunt: *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima: deuorabitq́, terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.* At plurima eiusmodi diuinæ punitionis per ignem exempla Scriptura sacra frequentissimè subministrat, è quibus haud omittendum est & illud, quòd sanctissimus Propheta Elias bis precibus suis ignem è cælo elicuerit, quo illi, qui ab Ochoziâ Rege ad eum decipiendum missi erant, comburebantur; adeò vt tum è Scripturâ tum è S. Thomâ sufficienter demonstratum sit, ignis elementum ad omnem diuinam ostendendam iustitiam & aptissimum semper habitum, atque etiam assumptum fuisse.

Genes. 3.

Genes. 19.

Leuit. 10.

Num. 21.

Num. 26.

Deut. 4.

Hebr. 12.

4. Reg. 19.

Deut. 32.

4. Reg. 1.

4.

Tertia ratio, quia per ignē commodissimè Purgatorij grauitas explicatur.

Quid? quòd ignis ad Purgatorij explicationem vel maximè faciat, cùm præ reliquis mundi tormentis, pœnarum alterius sæculi grauitatem mentibus humanis imprimere sit idoneus: siquidem & visibilis est, & vniuersis Gentibus communis & domesticus, vt eius experimētum, quando & quantum libuerit, capere quilibet possit, quod in aliis cruciatuum generibus haud ita est obuium aut pronum. Quàm enim pauci sunt, qui reliquorum cruciatuum aut vidère aut sensère acerbitatem? quàm pauci qui crurifragij, per equos distractionis in partes, euiscerationis, ferarum dilacerationis, membrorum contusionis, ossium confractionis, corporis contritionis, atque aliorum similium numquam specimen nec speciem habuerunt? imò plerique nec intueri hæc velint, nec etiam de iisdem quidquam audire, vt proinde vix appareat, quomodo per ea moueri queant atque induci ad solamen aliquod animabus adferendum, aut quomodo ex illorum recordatione atque imaginatione sibi præcauere possint; cùm prius sit rem quampiam cognoscere, quàm per eam ad quidpiam moueri. Optimè sanè D. Augustinus asseruit, ex ignis consideratione omnino nos permoueri posse, vt à Purgatorij nobis pœnis caueamus; ait enim: *Sed dicet aliquis, Non pertinet ad me, quamdiu moras habeam, si tamen ad vitam æternam perrexero. Nemo hoc dicat, fratres charissimi, quia ille Purgatorius ignis durior erit quàm quidquid potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri.* Et infrà: *Et qui modò nec vnum digitum suum in ignem vult mittere, timeat necesse est vel paruo tempore cum animâ & toto corpore cruciari. Et ideò totis viribus vnusquisque laboret, vt capitalia crimina possit euadere, & minuta peccata ita operibus bonis redimere, vt de ipsis nihil videatur remanere quod ille ignis possit absumere.* Itemque posteà: *Et ideò qui ab istâ perpetuâ pœnâ & ab illo purgatorio igne desiderant liberari, crimina capitalia non admittant; aut si iam commiserunt, fructuosam agant pœnitentiam, & illa parua vel quotidiana peccata bonis operibus redimere non desistant.* Hæc S. Augustinus.

Serm. 41. de Sanctis, qui est 4. de Purgat.

5.

Quarta ratio, quia sic melius dura hominum corda emolliuntur.

Et reuerà, non potest non vehementem, etiam in homine alioquin obduratissimo, vel ipsa ignis apprehensio progignere timorem. Nam si quis se viuum post viginti aut triginta annos certò fore igne comburendum cognosceret, quàm ille semper timeret? quidnam ab hac cogitatione diuertere eum valeret? quidnam illum gaudio atque lætitiâ afficere posset? Certè nihil. & illa tamen combustio quàm breui tunc spatio duraret? citò deficeret, statim eum calor extingueret, flamma confestim eum absumeret. In Purgatorio autem diutiùs sæpè hærendum, & in flammarum ardore commorandum est. de quo iterùm D. Augustinus: *Cùm de die iudicij scriptum sit, quòd erit dies vnus tamquam mille anni, & mille anni tamquam dies vnus, vnde scit vnusquisque vtrùm diebus, an mensibus, an fortè etiam annis per illum ignem sit transiturus?* Vbi idcircò vnus dies dicitur mille anni, quia dies vna ignis istius, grauitate tormenti excedit pœnam quæ à communi igne nostro per mille continuos annos posset inferri: & rursùm mille anni tamquam dies vna, quia non tantum quis in Purgatorio pro peccatis suis per mille annos satisfaciet, quantum, dum hìc viuit, vnâ posset die. Audiamus Prophetam Isaiam. *Quis poterit*, inquit, *habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* quasi dicat: Qui non potestis perdurare in igne huius sæculi, qui tamen vos statim deuoraret atque consumeret; quomodo vobis possibile erit consistere in illo igne, qui vret quidem, sed non comburet? Nam sicut præsens hic ignis efficacissimus est ad omnia, quæ sibi applicata fuerint, comburendum; ita etiam ardores Purgatorij ardores sunt sempiterni, tum quia semper durabunt, cùm sint iidem qui inferni, vt sæpiùs dictum fuit; tum etiam, quia semper in illis perdurant spiritus, nec vnquam vllam vel consummationem vel diminutionem sui accipiunt. Quod quia mirum omnino est, rarum naturæ nobis miraculum videtur, cùm salamander in ignibus viuere scribitur; & propè cunctorum fidem excedit, vel exiguo solùm tempore quidpiam in igne sine læsione sui persistere, aut hominem in eo degere posse. Quàm id mirum, quòd D. Laurentius breui tempore in igne viuere potuit, nec eum à flammis superatum fuisse, sed flammas potiùs ab ipso supe-

Ibidem.

Isaiæ 33.

superatas? Non potuisset profectò naturaliter, nisi eum Spiritus sancti gratia sublevasset. Vnde & D. Leo Papa de eo sic loquitur: *Segnior fuit ignis qui foris vssit, quàm qui intus accendit.* & S. Augustinus: *Hoc igitur igne*, nempe Christi, *beatus Laurentius accensus, flammarum non sensit incendium: & dum Christi ardet desiderio, persecutoris pœnam non sensit.* Ex quibus facile est cognoscere, quanti pœna incendij facienda sit, & quanta hinc animabus tormenti grauitas oriatur, vt earum liberationi diligentiùs incumbere vel hinc admoneamur.

In Natali S Laurentii. Serm. 30. de Sanctis.

6\. Sed ad Doctorem Angelicum reuertamur, ex quo probauimus, ideò pœnam Purgatorij rectè per ignem exprimi, quòd is purgare soleat, adeoque propter naturæ suæ actiuitatem ad id aptus sit, & quòd omnes simul mundi pœnas & tormẽta includat: superest vt ea, quæ ex eodem D. Thomâ contra afferre quis posset, eiusdem verbis dissoluamus. Ille ergo dum disputat vtrum damnati in inferno solâ pœnâ ignis affligãtur, hoc modo ait: *Ad tertium sic proceditur. Videtur quòd damnati in inferno solâ pœnâ ignis affligantur, quia Matth. 25. vt eorum damnatio exprimatur, fit mentio solùm de igne, cùm dicitur, Ite maledicti in ignem æternum. II. Præterea, sicut pœna Purgatorij debetur peccato veniali, ita pœna inferni debetur mortali: sed in Purgatorio nõ dicitur esse nisi pœna ignis, vt patet per hoc quod dicitur 1. Cor. 3. Vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit; ergo nec in inferno erit nisi ignis pœna. III. Pœnarũ varietas refrigerium præstat, sicut in calido cũ transfertur ad frigidum: sed nullum refrigerium est ponere in dãnatis, ergo non erunt diuersæ pœnæ, sed sola pœna ignis. Sed contrà est quod dicitur in Psal. 10. Ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorũ. II. Præterea Iob 24. Transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.* E quibus coniectare possemus, D. Thomam in posteriore mutasse sententiam, vel saltẽ non docuisse quod suprà ex eo probare conati fuimus; Purgatorium scilicet non admittere alia pœnarum corporalium instrumenta præter ignem, & tamen cũ inferni igne eumdem esse, qui alia plura complectitur, vt ex iam dictis patuit. At facilis ad hæc ex ipso D. Thomâ responsio, quia loco illo non loquitur de præsenti damnatorum statu, sed de futuro, in quo nimirum erunt post vniuersale & extremum iudicium, quando ad eorum corpora torquenda aliis corporalibus instrumentis, congruenti corporibus modo, Deus vtetur.

Ratio D. Thomæ.

In 4. Sentẽt. dist. 50. q. 2. a 3.

7\. Hanc ipsam Angelici Doctoris esse mentem, nemo præter ipsummet meliùs explicabit, quippe qui, loco quem suprà adduximus, quæstioni respondens ita subiungat: *Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quòd secundùm Basilium in vltimâ mundi purgatione fiet quædam separatio in electis, vt quidquid est purgatum & nobile, remaneat superiùs ad gloriam Beatorum; quidquid verò est ignobile & feculentum, in infernum proiiciatur ad pœnã damnatorum. vt sicut omnis creatura Dei est Beatis materia gaudij, ita damnatis ex omnibus creaturis tormentũ accrescat, secundùm illud Scripturæ Sap. 5. Pugnabit cũ illo orbis terrarum contra insensatos. Hoc enim diuinæ iustitiæ competit, vt sicut ab vno recedentes per peccatũ in rebus materialibus, quæ sunt multa & vana, finem suum constituerunt, ita etiam multipliciter affligãtur & multis.* Constat hoc ex argumentorum solutione, ad quorum primum respondet, ideò ignẽ ibi nominari pœnam damnatorum, quia id elemẽtum est afflictiuum & abundat virtute actiuâ. Ad secundum dicit, illam ignis pœnam attribui Purgatorio, quia nimirum ignis ex se est purgatiuus, quæ vtique nostræ sententiæ patrocinari suprà ostendimus, quod etiam facit tertij obiecti solutio, vbi sat manifestè iterùm de damnatorũ corporibus post iudicium generale puniendis agit. verba eius hæc sunt: *Ad tertium dicendum, quòd dãnati transibũt ex vehementissimo calore ad vehementissimum frigus, sine hoc quod in eis sit aliquod refrigeriũ, quia passio ab exterioribus non erit per transmutationem corporis à suâ pristinâ naturali dispositione, vt contraria passio, ad æqualitatem vel temperiem reducẽdo, refrigerium causet, sicut accidit nunc; sed erit per actionem spiritualem, secundùm quod sensibilia agunt per sensum prout sentiuntur imprimendo formas illas secundùm esse spirituale in organum, & non secundùm esse materiale, vt suprà dist. 44. dictum est.* vbi sanè expressis & disertis verbis de damnatorum corporibus agit, adeoque hæc obiectis plenè & planè satisfaciunt.

8\. Quæ tametsi de ignis significatione & conditionibus dixisse sufficere poterant, haud malè tamen ab aliis prætereà additur, ignem etiam designare perficere & explicare Purgatorium, proptereà quòd hinc doceamur ad illum recurrere, qui eumdem potest & vult sopire & extinguere, Deum intelligo eiusq; misericordiam, è quibus, vti omnibus in confesso est, & posteà ad oculum ostendetur, purgãdorum prouenit & peti debet medela. Rem hanc, quia vtilis est eius cognitio, aliquantũ explicemus. Deum inprimis per ignem designari, ipsum nos lumẽ naturale, & Scripturæ sacræ veritas docuit. Vtrumq; horũ satis est euidens: primum ex ipsis infidelibus, alterum ex fidelibus. Et quidẽ quoad infideles, tanta solet esse dæmonis astutia, vt sacrosanctas diuini cultus cęrimonias quasi simia imitetur, seu potiùs fingat vel irrideat, quod non tantũ nostris temporibus, sed etiam antiquissimis, & longè ante Christum natum factitauit. vnde falsò sibi diuinũ honorem approprians, à variis se Ethnicis coli fecit in specie ignis, quia is scilicet declaratiuus est diuinæ Maiestatis. Inter alios autem Gentiles Platonici & Zoroastres suum Deum describebant: *Est primus ignis vitifer, ex quo reliqua sidera sunt genita.* Apollo dicebat Deum in igne habitare. Chaldęi Deum ignem esse affirmabãt: quod & Romani, Cappadoces, aliique secuti sunt. Vnde Poëtæ id variis ostendunt. Horatius enim, volens Cęsarem inter Deos relatum, sic cecinit:

Ignis ipsum prætereà Purgatorij suo nomine exprimit.

Diabolus sub ignis figurâ se ab Ethnicis coli & adorari fecit.

micat inter omnes
Iulium sidus velut inter ignes
Luna minores.

Et Virgilius: *qui fœdera fulmine sancit.* Item deos inuocans:

Vos æterni ignes, & non violabile Nũmen
Testor.

Adde, quòd Romani virgines Vestales ignem custodire pręceperint, & Cappadoces Pyretos. Persæ denique ignem non secùs ac deum coluerũt, ipsum adorarunt, & eius honori templum extruxerunt, vt patet ex 2. Machabæorum 1. In quibus licet diabolica fallacia sit detestanda, docet tamen, igni aliquid naturaliter inesse, quod diuinæ essentiæ sit declaratiuum. Et hinc est quòd fidelibus Deus Opt. Max. variis modis se suasq; perfectiones eadem ignis specie declararit. Nam Moyses Israëlitis ait: *Locutus est vobis*

Deus verus per se, ac suas ignis, suas perfectiones expressit. Deut. 4.

[1. Cor. 13.] est charitas. Nunc autem manent fides, spes, charitas: tria hæc, maior autem horum est charitas. Secundò, sicut ignis reliqua elementa complectitur, ita [Rom. 13.] charitas reliquas colligat virtutes. Plenitudo legis est dilectio. & : Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem [Ibid. suprà.] diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Tertiò, sine igne ac calore tota terra congelatur, omnia sublunaria mortales iuuare non possunt: sine charitate nihil animabus prodesset; vniuersa enim bona fierēt inu-[1. Cor. 13.]tilia. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem nō habeam, factus sum velut æs sonās, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Quartò, ignis mollia etiam indurat, quod & facit amor; charitas enim nos [Lib. de Diligendo Deū.] fortificat. S. Bernardus: O iugum sancti amoris, quàm dulciter capis, gloriosè laqueas, suauiter premis, delectanter oneras, fortiter stringis, prudenter erudis! ô felix amor, ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectionum, subtilitas intellectuū, desideriorum sanctitas, operum claritas, virtutum fecunditas, meritorum dignitas, præmiorum sublimitas. Quintò, vti ignis actiuissimus est, & omnibus effectuum suorum capacibus calorem communicat; ita vicissim charitas nulli, quoad locus ipsi datur, deest, vniuersa dile-[1. Cor. 13.]ctionis suæ participantia facit. Charitas non æmulatur, non agit perperàm, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Sextò, animus nihil aliud est quàm ignis, cui subministratur materia, perpetua charitas. Charitas numquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Et [In Homiliis.] S. Gregorius: Tantò quisque à superno amore disiungitur, quantò inferiùs delectatur. Numquam est amor Dei otiosus, operatur enim magna, si est; si autem operari renuerit, amor non est. Septimò, ignis tantò ardet copiosiùs, quantò diutiùs: ita & perficitur non hìc tantummodò quotidie charitas, sed multò [1. Cor. 13.] ampliùs post hanc vitam. Cùm venerit quod perfectū est, euacuabitur quod ex parte est. Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Octauò, ignis, si sibi relinquatur, & commodum subiectū in quod operetur reperiat, quaquauersum se diffundit: neq; id charitati deest. Non charitati Dei, in quo modum non esse, asserit S. Ber-[Lib. de Amore Dei.]nardus, Vultis, inquiens, à me audire, quare & quomodo diligendus est Deus? Et ego dico, quòd causa diligendi Deum, Deus est: modus sine modo. Ob duplicē causam dico Deum propter se diligendum, vel quia nihil iustiùs, vel quia nihil fructuosiùs diligi potest. Non charitati proximi, quia rectè S. Gregorius: Tantum [Super Ezechiel.] quilibet portat proximum, quantū amat. Si enim amas, [In Epistolis.] portas; si desistis amare, desistis & tolerare. & S. Hieronymus: Tunc pleniùs in Dei dilectione proficimus, cū in eiusdem dilectionis gremio, priùs proximi charitate lactamur. Nonò, amor omnia, quemadmodū ignis, perrumpit. testes sunt S. Augustinus, qui ita [Lib. de Moribus Eccles.] ait: Nihil tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. item: Verus amor non sentit amaritudi-[In Lib. Confess.]nes, sed dulcedinem, quia soror amoris dulcedo, sicut soror odij est amaritudo. item: Qui amor non laborat; [Ibidem.] omnis enim labor non amantibus grauis est: solùm amor est, quod nomē difficultatis erubescit. item: Nulla maior [Ibidem.] est ad amorem inuitatio, quàm præuenire amantem: & nimis durus est animus, qui si dilectionem nolebat impēdere, nolit rependere. S. Hieronymus: Nihil amātibus [In Sermone quodam.] durum, nullus labor difficilis. amemus nos Christum, & facile videbitur esse difficile. Petrus Rabanus: Nil du-[In Serm. quodam.]rum, nil amarum, nil graue, nil letale computat amor verus. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quæ mortes amorem præualent superare perfectum? Amor est impenetrabilis lorica: respuit iacula, gladium excutit, periculis insultat, mortem irridet. Si amor est, vincit omnia.

Decimò, ignis nutriri debet vstibili materiâ, 12.
[Super Ezechiel.] Charitas item operis exhibitione. vnde S. Gregorius: Amorem nostrum erga proximum plus bona opera loquantur, quàm lingua, vt in ipso bono opere proximus amari se videat, & cùm tantum non possumus quantum volumus operari, omnipotenti Deo occulta cordis nostri sufficiunt. & S. Iacobus: Quid proderit, fratres mei, [Iacob. 2.] si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides saluare eum? Si autem frater & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefamini & saturamini, non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? & D. Ioannes Euangelista: Qui habuerit substan-[1. Ioan. 3.]tiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatē habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate. Vndecimò, ignis frigida nimiùm corpora attingere nequit, nec dilectio frigida corda. S. Bernardus: Non potest capere igni-[In Serm. quodam.]tum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim Græce loquentem intelliget qui Græcam linguam non nouit? nec Latinè loquentem, qui Latinus non est. & ita de ceteris. Sic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit. Erit, inquam, æs sonans, & tintinnabulum tinniens. Duodecimò, materialia, quando iam ab igne correpta sunt, atque ardere incipiunt, vapores exhalant. ita & conscientia diligentis Deum, vapores pecca-[Super illud: Diliges Dominum Deum tuum.]torum. Petrus Rabanus: Ama ergo, ô homo, Deum, ama totus, vt possis omnia sine labore vincere & delere peccata. Teneræ militiæ, delicati conflictus est, amore solo de cunctis criminibus reportare victoriam. S. Petrus [1. Petri 4.] Apostolus: Charitas operit multitudinem peccatorum. Christus item ipse: Remittuntur ei peccata [Luc. 7.] multa, quoniam dilexit multum. Decimotertiò, sicut [In lib. Confess.] ignis disiuncta vnit, ita & charitas. S. Augustinus: Beatus qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te. Solus ille charum amittit, cui omnes in illo chari sunt qui non amittitur. Te nemo amittit, nisi qui dimittit. & quò itur, nisi à te placato ad te iratum? Decimoquartò, ignis nonnumquā coniūcta separat; ita & amor, dum nimirum hominem à se ipso [De Vtilitate cred.] & à creaturis quodammodò disgregat. D. Augustinus: Sordes animi sunt, amor quarumlibet rerum præter Deum & animum. Decimoquintò, ignis, vt & charitas, dura emollit. Richardus de sancto Victore: Amor est dulcedo saporis intimi: & quantò ardentiùs amat, tantò suauiùs gustat. Cingulū

quo cingitur amor, est gaudiũ spei: quia vbi est amor, ibi est spes, ibi gaudium. vbi spiritualis amor, ibi spirituale gaudium. Decimosextò, vtrumq; purificat. S. Hieronymus [Epist. ad Nepotian.]: *Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicatas, & oblatos ac degustatos cibos, blãdasq; ac dulces litteras sanctus amor non habet.* Decimoseptimò, tum ignis tum charitas cogit. S. Bernardus [De Præcepto & dispensat.]: *Nõ præsentior est noster spiritus vbi animat quàm vbi amat, nisi fortè magis putetur esse, vbi vinctus ex necessitate tenetur, quàm quò sponte & alacri fertur voluntate.* Decimo octauò, Ignis in tenebris lumẽ dat: facit id quoque charitas. S. Ioannes Euangelista [1. Ioan. 2.]: *Iterùm mandatum nouum scribo vobis, quod verum est & in ipso, & in vobis: quia tenebræ transierũt, & verum lumen iam lucet.* Decimononò, ignis omnia in se transmutat; præstat id haud minus ipsa charitas. Beda [Super Cantica.]: *Multum quidem vexat hominem, cùm relinquitur amor mundi; multò ampliùs tamen cruciat, cùm calcatur amor sui: verumtamen super omnia transfigit & penetrat cor hominis, & excoquit desiderium æstibus amor Dei. Vnde est illa vox: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* D. Paulus [Galat. 6.]: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi; per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Vigesimò, ignis semper sursum tendit, perinde charitas. Rabanus [In Sermone quodam.]: *Amor diuinus est ignis, lux, mel, vinum, sol. Ignis, in meditatione purificans mentem à sordibus. Lux est in oratione, mentem irradians claritate virtutum. Mel est in gratiarum actione, mentem dulcorans dulcedine diuinorum beneficiorum. Vinum est in contemplatione, mentem inebrians suaui & iucundâ delectatione. Sol est in æternâ beatitudine, mentem clarificans serenissimo lumine & suauissimo calore, mentem exhilarans ineffabili gaudio, & perenni iubilatione.* D. Paulus [Rom. 8.]: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?*

13. Sunt & alia igni charitatique communia, sed ista sufficient, vt agnoscamus, per ignem etiam charitatem designari, vt quoties vel ipsum nominamus Purgatorium, memores simus obstrictionis quâ in eo detentis succurrere tenemur. Addi etiam plura hic possent quæ nobis multum lucis adferrent, sed differo, vnicum hoc asfuisse contentus, per ignem etiam denotari perfectionem, [*Ignis insuper est perfectionis symbolũ*] per quã & nobis ipsis prouidere præcauereque valeamus, ne in Purgatorij tormenta deueniamus. Quid enim animas igni adeò terribili addicit, nisi imperfectiones? Sanè nihil. Qui ergo se perfectioni totum dederit, nequaquam habet vnde Purgatorium extimescat: & quantò sese ampliùs in eâ exercuerit, tantò timere debet minùs; quantò minùs, tantò ampliùs. Sed an ignem perfectionis symbolum esse dubitas? Ne quæso dubita; ex hoc enim solo id patet, quòd omnia in genere suo vel specie perfectiora per ignem explicentur. Oratio [Psal. 140.]: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Meditatio [Psal. 38.]: *In meditatione meâ exardescit ignis.* Dei verbum [Psal. 118.]: *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Inter virtutes, quò noster collimabat oculus, charitas [Cant. 8.]: *Fortis vt mors dilectio, lampades eius lampades ignis atque flammarum.* Inter creaturas Angeli [Psal. 103.]: *Qui facit ministros suos ignem vrentem*, seu flammam ignis. Inter nouem choros Angelorum, Seraphim, siue ardentes. Habes ergo, Lector, quæcumque ferè ex ignis purgatorij occasione dici poterant, & sic de tormentis agere ampliùs cessamus; de iis qui purgandi sunt, quas ob causas, & quàm diu plerumque purgentur, quia Lectorem audire quidpiam auere scio, in sequentibus nonnulla, quantum Deus vires addiderit, addemus.

CAPVT XXV.

Etiam sanctissimorum hominum defectus terribilibus hisce flammis excoquuntur.

Haud longè à scopo aberrabimus, si nostro proposito, dum Caput hoc ordimur, illam Saluatoris nostri sententiam, *Beati oculi qui vident quæ vos videtis*, applicuerimus. I. [*Hæc in vitâ præuidendũ quid in alterâ sit futurum.* Luc. 10.] Felicissimi profectò sunt, qui luendorum posteà suppliciorum causam hac in vitâ sic præuident, vt præcaueant, ne in illa incidere contingat. Ista verò Apostolorum visio non de corporis, sed de fidei mentisque oculis capiẽda atque intelligenda fuit, *Quoniam*, vt Ven. Beda ait [Lib. 3. c. 43. in Luc. 10.], *non ideò Apostoli beati fuerunt, quia visibilibus oculis Christum viderunt; quia sic & Pharisæis euenit, qui tamen eumdem crucifixerunt: sed quia ab illo quæ credenda erant, edocti sunt ad salutem.* Si ergo & nos probè instructi fuerimus, non in præsenti rerum scientiâ, sed illarum quæ post hanc vitam nobis euentura sunt dici nobis verè poterit, *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. dico enim vobis, quòd multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt* (S. Matthæus Euangelista hunc locum ita refert [Matth. 13.]: *Vestri autem beati oculi quia vident, & aures quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt*) quia plurimi, etiam maximi Sancti, vbi ex hoc mundo trasmigrarunt, inspexisse oculatiùs & audiuisse attentiùs, adeoque meliùs sibi prospexisse maluissent, ne rigidam illam in Purgatorio pro minimis etiã negligentiis, punitionem subire eos oportuisset. Sed seriùs erat, luendum erat: nil hic apparuit remedij. Beati quidem in æternum futuri; sed quia non satis hoc viderunt, nec sibi satis præcauerunt, necdum erant beati: beatitudo ipsorum dilata fuit, donec in tormentis redemerint atque exsoluerint, quod, dum viuerent, videre satis atque audire neglexissent.

2. [*Etiam iustissimi & sanctissimi viri in Purgatorio pœnas luunt.*] Quò nos ergo euadere possimus, quod iustissimis hisce animabus adeò flebiliter tolerandum fuit, & vt aliorum malo cautiores esse discamus, ex sacrarum Scripturarum Patrumq; auctoritate, & exemplis nonnullis fide dignissimis probabimus, non magnos solũ peccatores, aut mediocriter iustos, Purgatorij cruciatibus detineri, sed & non rarò sanctissimos quosq; ad eosdẽ experiendos iustissimè amãdari. E Scripturis sacris occurrit primùm illud Sophoniæ Prophetæ, qui ex personâ diuina sic ait [Sophon. 1.]: *Et erit in tempore illo, scrutabor Ierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fæcibus suis.* Per *Ierusalem* Doctores nonnulli vniuersalem intelligunt Ecclesiam, alij verò iusti cuiuslibet animam, vt S. Augustinus in Sermone quodam de Tempore. Vtraque expositio ad rem nostram facit: nam siue de toto corpore Ecclesiæ, siue de singulis eius membris

Digitized by Google

bris loquamur, perinde omnino est. Scrutari hanc mysticam Ierusalem Deus decreuit in articulo mortis, & quidem in lucernis. Quid hoc? De Ierusalem quidem ait S. Ioannes: *Vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo à Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* sed quomodo hæc ipsa à Deo parari soleat, Ecclesia in sacro Dedicationis Officio sic canit:

Apoc. 21.

Scalpri salubris ictibus,
Et tunsione plurimâ,
Fabri polita malleo
Hanc saxa molem construunt.

Breuiar. Vrbani VIII. Sed antequam gloriosa apparere vel esse queat, scrutanda dicitur in lucernis, vtpote quæ diligentissimè à Deo perlustranda sit & exactissimè inspicienda, si fortassis vel minimam imperfectionis labeculam in se retinuerit, quæ purgatoriis priùs flammis exuratur atque emundetur. *Dixit* enim *qui sedebat in throno, Ecce noua facio omnia.* Et benè quidem exactissima ista discussio lucernæ nomine exprimitur: nam & mulier illa quæ drachmam suam amiserat, illam quærere volens, lucernam accendisse scribitur, totamque euertisse domum, vt etiam abstrusiora quæque loca perlustraret, nec vllus quispiam angellus foret, quem oculi non attentissimè perspexerint. Hoc nimirum agere solet Deus cum iustis, quando illuminat abscondita tenebrarum, & manifestat consilia cordium.

Luc. 15.

1. Cor. 4.

3. Nimis quàm verum est illud D. Augustini: *Nullus sanctus & iustus caret peccato, nec tamen ex hoc definit esse iustus vel sanctus, cùm affectu teneat sanctitatem. Et ideò veraciter se omnes sancti pronuntiant peccatores, quia in veritate habent quod plangant, etsi non reprehensione conscientiæ, certè mobilitate & mutabilitate præuaricatricis naturæ.* Atq; idipsum vniuersa pænè Scriptura confirmat. *Quis potest,* inquit illa, *dicere, Mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Et: *Non est homo iustus in terrâ qui faciat bonum, & non peccet.* Iterùm: *Septies cadet iustus.* Item: *In multis offendimus omnes.* Et: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum,* Deum, *& verbum eius non est in nobis.* Quæ vtique non de peccatis mortalibus, sed de venialibus solùm & quotidianis defectibus intelligenda sunt, vt benè iterùm docuit S. Augustinus: *Quamuis diabolus sit auctor & princeps omnium peccatorum, non tamen filios diaboli faciunt quæcumque peccata. Peccant enim & filij Dei: quoniam si dixerint se non habere peccatum, seipsos seducunt, & veritas in eis non est. Sed eâ conditione peccant, quâ sunt filij adhuc huius sæculi; quâ verò gratiâ sunt filij Dei, non vtique peccant.* Hinc pro filiis suis sollicita pia mater nostra Ecclesia, sciens, morienti Catholico plurima tunc innotescere quæ viuens ignorabat, eius nomine sub solemni defunctorum Officio humiliter inclamat: *Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris Domine.* Suscipit namque affectu planè materno prolis suæ curam, &, sicut olim Regius ille Propheta, sollicita de negligentiis, hominibus quidem occultis, sed Deo probè perspectis, earum veniam deprecatur. Et prudenter quidem de incognitis remissio petitur, quoniam & multa sæpè sunt, & non exigua, quemadmodum idem Psalmista testatus est, inquiens: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo. Si mei nõ fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.* Quibus sanctissimus ille Rex insinuat, peccatũ quod iustum vrget, illud esse quod ei absconditum atque occultum est, non malitiâ quidem, sed numerositate suâ excedens aliâ quæcumque delicta. Cuius rationem dat S. Gregorius: *Nonnumquam in paruis deteriùs quàm in maiori peccatur: maior enim quò citiùs quæ sit culpa cognoscitur, eò etiam celeriùs emendatur; minor verò dum quasi nulla creditur, eò peiùs quò & securiùs in vsu retinetur.* de quo quandoquidem in sequentibus plura, iis modo supersedemus.

Lib. de Ecclesiast. dogmat. c. 88. *Etiam Sancti peccant, & se meritò peccati accusant.*
Prouer. 20.
Eccles. 7.
Prouerb. 24.
Iacob. 3.
1. Ioan 1.

Lib. 3. cõtra duas Epist. Pelagianorũ c. 4. Tom. 7.

Ecclesia mater pia, pro filiorum salute admodũ est sollicita.

Psal. 18.

Homil. 52.

Cap. 27.

Sed & ex alterâ quoque parte verissimum est quod S. Ioannes Euangelista asseruit: *Non intrabit in eam,* cælestem nimirum Ierusalem, *aliquod coinquinatum.* vt non modò à cælesti gloriâ excludantur qui mortifera ac grauissima cõmiserunt peccata, sed & illi, qui vel leuibus saltem sese imperfectionibus vel negligentiis contaminauerunt; quia absolutè dicitur, nihil omnino intraturum: & meritò sanè; quia, secundũ eumdem Apostolum, *cùm apparuerit* gloria Dei, *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est;* in Deo autem vel minimam peccati aut defectus alicuius maculã aut labeculam reperiri impossibile est, proinde etiam illi qui ei similes erunt, ne minutissimã in se culpam aut imperfectionem habere poterunt; & si quam fortassis habeant, illa priùs nitidissimè erit eluenda. Vnde D. Paulus Apostolus ait: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata.* adeo vt ex ipsâ D. Pauli mẽte & doctrinâ constet, mundissimum atq; omnis omnino labis expers esse debere, quod regnum cælorum aliquando intrabit. Haud incõgruè igitur, quod & innuit Ven. Beda, de strictissimâ purgatione post hanc vitam instituendâ & exigendâ capi poterunt illa D. Ioannis Baptistæ verba: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni: cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suã, & cõgregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Certè & huc quadrant illa Psalmistæ: *Eloquia Domini, eloquia casta, argẽtum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Quæ res ita se habere potest non ex parte Dei tantummodò, sed etiam ex parte illorum qui vel recipiũt vel proferunt eloquia diuina: quia ad laudes diuinas æternũ in gloriâ concinendas nõ poterit admitti, qui non sit castus, nec igne vt argentũ examinatus, nec terræ probatus, nec septuplum purgatus. Et sanè si Beati Deo similes esse debent, vt valdè casti, examinati, probati purgatiq; sint necesse est, cùm quò res pulchrior aut pretiosior, eò & macula, quantum exiguissima, magis in eâ apparet, quod vel quotidiana experientia docet in veste quapiam candidissimâ, vbi vel minima labes deformissima apparet, & difficulter admodum eluitur; & in raro aliquo adamante, qui ob tenuissimum næuum incomparabiliter minoris æstimatur atq; etiam æstimari debet. Quãtò id magis fieri par est in animâ humanâ, quæ tantò rebus omnibus terrenis ac cælestibus est præstantior? Facilè illa polluitur, & vel minutissimâ imperfectiunculâ fœdatur, nec nisi molestissimo negotio expurgari potest.

4.
Apoc. 21. *In cælum nihil, nisi mundissimum sit, admittitur.*

1. Ioan. 3. *Beati Deo similes esse debent.*

Ephes. 5.

Super Luc.

Luc. 3.

Psal. 11.

Adeoq; proinde etiam à minimis expurgari necesse est.

 Alius

5. Psal.74. *Omnes homines, tam iusti quàm iniusti, à Deo iudicandi sunt.*

Alius in rem nostram Scripturæ locus hic est: *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* E quo Doctores eliciunt, non modò quemlibet hominem, siue iniustus ille sit siue iustus, à Deo iudicandum esse, sed etiam quamlibet eius actionem, siue iusta siue iniusta fuerit; adeoque Deum omnia bona opera, virtutes, pœnitentias, &c. hominum rigidissime esse examinaturũ, vt quæ variis imperfectionibus obnoxia esse possint, quibus non solummodò obscurentur ac diminuantur, verùm à quibus etiam purgari debeant, haud minùs quàm ipsa peccata, cùm & venialium neglectum, ac subinde malitiam includant, cuiusmodi sunt voluntaria in oratione distractio, sensus & gaudium laudis ob aliquam aliis cognitam virtutem nostram, & similia: quæ licet bonum opus haud omnino destruant, hoc tamen agunt, vt has ipsas iustitias iudicari, & igne purgatorio emundari conueniat, antequàm ad cælum pro obtinendâ mercede admittantur: quod parum est in peccatis venialibus contingere, quandoquidem etiam bona opera adeò nonnumquam malè fiunt, vt peccata fiant mortalia, & proinde homines non purgatoriis tantùm flammis, sed ignibus etiam sempiternis immergant. Eius rei num voles exempla? Pharisæus ille perfectissimum orationis exercitium amplexus fuerat, & tamen, quòd illud malè adimpleuerit, Dei hostis & inimicus verissimâ Christi Saluatoris sententiâ pronuntiatus est. vbi de socio eius publicano, qui non superbè, vt ille, sed humiliter precatus fuerat, subiungitur: *Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.* id est, non sicut ille, qui vice versâ iniustus effectus est. Hinc aureum illud S. Ioannis Chrysostomi os aurea hæc verba prolocutum fuit: *Geminas aurigas & duas bigas in stadio positas præsens sermo proponit: in alterâ quidem iustitiam cum superbiâ, in alterâ peccatum cum humilitate. Et vides bigam peccati superare iustitiam, non propriis virtutibus, sed humilitatis coniunctæ: illam verò deuictam, non fragilitate iustitiæ, sed mole & tumore superbiæ. Nam sicut humilitas per sui eminentiam peccati pondus superat, & saliens attingit Deum; sic superbia ob sui molem de facili iustitiam deprimit. Si ergo plura facta strenuè geras, putas autem te posse præsumere, totâ caruisti oratione: si verò mille feras in conscientiâ fasces reatuum & hoc solum de te credas, quòd es infirmus omnium, multam obtinebis apud Deum fiduciam.* Ita aureè aureus Chrysostomus.

Opera bona quandoque peccata fiũt. — Luc.18. — Io. Chrys. in Luc. 18.

6. *Ob malum finem facta bona opera, mala fiunt.* Math.23. Luc.11.

Quantopere etiam Christus in Pharisæos reliquos inuectus fuerit, quòd bona opera malo fine agerent, suam videlicet inde non diuinam gloriam aucupando, satis superque declarat ictus *væ* toties apud Euangelistas eis intentatum, vbi & sepulchra dealbata eos appellat, quæ intus dolo & rapinâ repleta sint; ac posteà subiungit: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes, propter hoc amplius accipietis iudicium.* Quare sacri Doctores de eiusmodi hypocriseos malitiâ plura commemorant, dicentes, tantam olim in iudicio esse reddendam rationem, quantam se homines habere perfectionem coram hominibus ostendere voluerunt: hypocrisim item duplicem esse iniquitatem, quia Deũ suis quodammodò armis oppugnet. aliaq; similia hanc in rem passim ab eis referuntur, quæ latiùs alij prosequuntur; nos è pluribus vnum tantummodò sed illustre exemplum excerpemus, quod eleemosynam spectat, prout reliqua orationẽ. Cæsarius ita refert: Non multi anni sunt elapsi, quòd quidam ditissimus ministerialis Ducis Bauariæ defunctus est. Nocte autem quadam castrũ, in quo vxor eius dormiebat, sic concussum est, vt terræ motus fuisse videretur. Et ecce, ostio cameræ in quâ iacebat aperto, quodam gigante nigerrimo cum capillis impellente, maritus eius ingressus est. Quem cùm vidisset & nouisset, ad se illum vocans, super sedile lecti residere fecit. Nihil verò territa, eò quòd frigus esset, & ille solâ camisiâ indutus fuisset, partem operimenti sui scapulis eius superposuit. Quem cùm de statu suo interrogasset, multùm tristis respondit: Pœnis verò æternis deputatus sum. Ad quod verbum illa valdè multùm territa respondit: Quid enim est quod dicitis? nónne eleemosynas magnas fecistis? Ostium vestrum peregrinis patuit omnibus, non prosunt vobis ista beneficia? Respondit: Nihil mihi prosunt ad vitam æternam, eò quòd ex vanâ gloriâ, & tamen ex charitate illa à me facta sunt. Quem cùm de aliis interrogare vellet, iterùm respondit: Concessum est mihi tibi apparere, sed non licet morari. Ecce ductor meus diabolus foris stat, expectans me. Si enim omnia folia arboris verterentur in linguas, tormenta mea exprimere non possent. Post hæc euocatus & impulsus, in eius abscessu totum castrum vt priùs concutitur, voces eiulatus eius diutiùs audiuntur. Sed eas iustitiarum humanarum, quæ damnationem concernunt, non est instituti mei exponere; solùm ergo hinc ostendo, opera bona meritò posse ob admixtas imperfectiones igni purgatorio adiudicari, quandoquidem & hæc ipsa ad infernales etiam pœnas condemnari aliquando contingat.

Lib. Miraculorum, cap. 19.

Tertiò denique S. Malachias Propheta, quod ad rem nostram facit, Spiritu sancto inspirante & dictante, elocutus est: *Quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum.* Quo loco diuinæ iustitiæ rigor multiformiter demonstratur: nam Primò tantam eam futuram Propheta ostendit, vt non solùm hanc videre omnes timeant, sed & nemo de illâ cogitare queat, *Quis poterit*, inquit, *cogitare diem aduentus eius?* ergo minùs stabit quis ad videndum illum, quia nimirum, vt apud Matthæum habetur, *virtutes cælorum mouebuntur*, id est Angeli Dei. Quod mirum non est: *ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans, & emundans argentum. Et purgabit filios Leui*, id est, iam sanctificatos, & quibus hereditas æternæ felicitatis debetur: nam & filij Leui istorum figura fuerunt. Hos non purgabit tantùm, sed *colabit eos quasi aurum & quasi argentum*: quia postquam aurum iam penitus est perpurgatum, non continuò splendet, sed instrumento quodam ferreo triangulari violentè fricatur (quod idem est quod colare) donec splendorem suum ostendat. Et hoc facturus Deus dicitur, vt inde, quàm seuerè iustos sit purgaturus, euidens fiat. Quin vt idem iustitiæ rigor explicetur ampliùs, simile à fullone de-

7. Malach. 3. *Iustitia diuina rigor in examinãdis actibus nostris est seuerissimus.* — Matth. 24.

desumptum apponitur, qui pannum fœdatum purgaturus, herbarum velut pectinibus illud aggreditur, adeoque violenter sordes extrahere nititur, vt vel dilacerare pannum videatur. Imò, vt & hoc obiter amplioris lucis gratiâ addamus, plures è Doctoribus antiquis opinati sunt, neminem omnino, cuiuscumque tandem sit sanctitatis, ex hac vitâ decedere hominem, cui non, priùs quàm cælorum ei ianuæ pateant, per ignem purgatorium transeundum sit. Ita Origenes: *Omnes nos venire necesse est ad illum ignem, etiamsi Paulus sit aliquis vel Petrus.* S. Ambrosius, adducens illud Geneseos, *Collocauit ante paradisum flammeum gladium,* dicit illum esse Purgatorium, quod omnes experiri debere hisce verbis asserit: *Omnes oportet transire per flammas, siue Ioannes sit siue Petrus.* & infra: *Verum illum ignem sentire non potuit, qui est iustitia Christus.* & in Malachiæ superiùs allata verba: *Igne ergo purgabuntur filij Leui, igne Daniel.* Idem sensit D. Hilarius, qui etiam B. Virginem Mariam transiisse eum insinuat. Perinde docuit & Lactantius Firmianus, & S. Hieronymus, & plures alij sancti ac doctissimi Patres, qui tamen hac cum restrictione intelligendi sunt, vt omnes quidem ad ignem illum amandentur, inde tamen nihil lædi aut pati, qui nihil expurgandum habebunt, prout optimè distinxit Illustriss. Card. Bellarminus, qui & S. Furseum inter alia vidisse ait in viâ ad cælum maximos ignes, quos quidem omnes transire oporteret, neminem tamen, nisi qui aliquid eluendum retinuisset, vel minimum inde lædi. Paria ferè habet Ven. Beda, à quo non alienus videtur S. Paulus Apostolus, cùm dicit: *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur.* Quod ipsum exemplis quibusdam fiet euidentius.

Neminem à Purgatorio excusari, quorumdam esse opinio. Origen. in Psal. 36. S. Ambrosius in Psal. 118. Genes. 3. Hilarius in ea verba: *Concupiuit anima mea desiderare iudicia iustitiæ tuæ.* Lactant. l. 7. Diuin. inst. cap. 21. Hieronymus in ca. 7. Amos super illa verba: *Ecce vocaui ignem ad iudicium.* Bellarminus lib. 2. de Purgatorio. Beda lib. 3. Histor. c. 19. 1. Cor. 3.

8. *Exempla sanctissimorum virorū, qui nihilominus Purgatoriū experti sunt: Io. Rusbrochij,*

Nota inprimis est Vita Venerabilis, ac breuî, vti speramus, beatificandi, Domini Ioannis Rusbrochij Bruxellensis, primi Prioris Viridis-vallis in Soniâ; nota, inquam, est insignis ipsius sanctitas, non ex signis solùm atque prodigiis, de quibus iam pridem Apostolicâ auctoritate inquisitum esse dicitur, sed & diuinis eius scriptis, ac libris planè cælestibus, qui Contemplatiuorum passim manibus teruntur: & tamen hic, vt ex æquè venerabili & mysticè docto Thomâ à Kempis in Vitâ Gerardi Magni patet, purgatoriis ignibus, quamuis perexiguo tempore, debuit expurgari. In Actis S. Arnulphi * Suessionensis Episcopi refertur, virum hunc sanctissimum, Religiosum quemdam Ereboldum nomine, mirum in perfectione virum, dum iam in agone luctaretur, adiurasse, vt sibi post mortem suam, quid circa animam suam ageretur, manifestaret. Ereboldus hic, vir vtique planè sanctissimus, à corpore iam solutus, quod iurauerat præstitit, asseruitque se ignibus Purgatorij detineri propterea quòd modicum lactis, licet ferè moribundus, ebibisset, nec eius pretium pauperibus dari passus esset. Mirabile quoque prodidit Iacobus de Vitriaco in Vitâ B. Mariæ de Oignies, quam adstitisse refert morienti cuidam Sanctimonialium Præfectæ, rarissimæ conuersationis matronæ, cui gloriosa Virgo Maria in extremis laboranti sudorem detergere visa erat, & post mortem eius ipse quoque Christus Dominus cum innumerâ Cælitum turbâ exequias solemnes celebrare dignatus fuerat, cuius tamen anima flammis purgatoriis vehementer cruciabatur, & proinde à S. Mariâ Oigniacense, cui apparebat, adiutorium, vt liberaretur, humiliter expetebat. Ven. Petrus Damianus ad Desiderium scribit, S. Seuerinum Coloniensem Episcopum, eiusdem Ecclesiæ Presbytero cuidam apparuisse, eique significasse, se adhuc in Purgatorio grauiter torqueri, eò quòd Horas Canonicas non distinctis sat temporibus persoluisset, sed manè omnes simul coniunxisset, vt totâ liberiùs die negotiis Imperialibus vacare posset. Vnum tantùm, ne prolixitas tædium afferat, è S. Gregorio Papâ addere liceat. *Cùm adhuc iuuenculus essem,* inquit, *atque in laicali habitu, à maioribus atque scientibus audiui, quòd Paschasius, huius Apostolicæ Sedis Diaconus (cuius apud nos rectissimi & luculenti de Spiritu sancto libri existunt) miræ sanctitatis vir fuerit, eleemosynarum maximè operibus vacans, cultor operum, & contemptor sui. Sed hic in eâ contentione, quæ, inardescente zelo fidelium, inter Symmachum & Laurentium facta est, ad Pontificatus ordinem Laurentium elegit, & omnium vnanimitate superatus, in suâ tamen sententiâ vsque ad diem sui exitus perstitit, illum amando atque præferendo, quem Episcoporum iudicio præesse sibi Ecclesia refutauit. Hic itaque cùm temporibus Symmachi Apostolicæ Sedis Præsulis esset defunctus, eius dalmaticam feretro superimpositam dæmoniacus tetigit, statimq́; sanatus est. Post multum verò temporis Germano Capuano Episcopo Medici pro corporis salute dictauerant, vt in angularibus Thermis lauari debuisset. Qui ingressus easdem Thermas, prædictum Diaconum stantem & obsequentem in caloribus inuenit. Quo viso, vehementer extimuit, & quid illic tantus vir faceret inquisiuit. Cui ille respondit: Nullâ aliâ causâ in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laurentij contra Symmachum sensi. Sed quæso te, Domine, pro me deprecare. atque in hoc cognosces quòd exauditus sis, si huc rediens me non inueneris. Qua de re vir Domini Germanus se in precibus strinxit, & post paucos dies rediit, sed prædictum Paschasium iam in eodem loco minimè inuenit. Quia enim non malitiæ sed ignorantiæ errore peccauerat, purgari post mortem potuit à peccato. quod tamen credendum est, quia ex illâ eleemosynarum suarum largitate hoc obtinuit, vt tunc potuisset promereri veniam, cùm iam nihil posset operari.* Ita sanctus Gregorius.

*S. Arnulphi, * Soisson in Galliâ.* Lib. 2. cap. 3. *Præfectæ monialium,* *S. Seuerini,* *Paschasij Diaconi.* Gregor. Magnus lib. 4. Dialog. c. 40

Liber exordialis Ordinis Cistertiensis, & R. P. Ioannes d'Assignies, Religiosus Camberonensis, referunt quod hic subiungo: Balduinus quidam diues in sæculo doctrinam Reuerendissimi Patris Bernardi secutus, spreuit vniuersas mundi pompas & voluptates, & in Claravalle viuere cœpit. Cùm autem iam non sibi soli viueret, sed etiam multis aliis verbo & exemplo prodesset in salutem, vocante Deo, Pisanæ Ecclesiæ (quæ est metropolis Tusciæ) Archiepiscopatum sortitus est. Consecutus verò amplæ huius dignitatis eminentiam, tantâ spiritualis sapientiæ luce refulsit, tantaque auctoritate ac spiritus libertate officium suum exercuit, tantâ nihilominùs mansuetudine verum se Monachum in Pontificali culmine demonstrauit, vt non solùm Cistertiensis Ordo, verùm etiam vniuersi fideles intra Italiam gratularentur, gratias agentes Deo, qui splendidissimam hanc columnam, & fulcimentum inconcussum, sanctæ Ecclesiæ suæ temporibus ipsorum concessit. Sed quoniam in rebus humanis nihil ex omni parte posse beatum esse

9. In Conclaui Gallico recũ notabil. Ordinis Cistertiensis, ca. 39. *Balduini Pisani Archiepiscopi.*

plangimus, contigit, instigante diabolo, vt propter ipsum inter Pisanos atque Lucenses populos graue & periculosum bellum orirerur, quod etiam post obitum ipsius, contentione partium inflammatum atque protelatum per aliquot annos durauit, & vix tandem ad pacis concordiæq; vinculum reuocari potuerunt. Quis fuerit occasio huius dissensionis, nihil interest; solùm dicimus, damnosum & pœnale tanti Pontificis animæ bellum illud extitisse, sicut diuinâ reuelatione declaratum est. Post dormitionẽ nempe huius beati Præsulis aliquanto tempore elapso, fuit in insulâ Sardine sacerdos quidam honestæ cõuersationis, qui etiam ibi præerat cuidam Ecclesiæ parochiali. Erat autem Ecclesia extra villam ædificata, atque ab omni hominum habitatione remota. Quadam itaque die cùm Missam celebraret, hora perceptionis inuenit Hostiam sacram super corporale fractam, atque in duas partes à se ipsâ diuisam, quam antè consecrauerat integram & sanam. Quod vbi conspexit, turbatus & anxius, cum metu & admiratione Sacrificium consummauit. Expleto autem mysterio, ceterisque dimissis, solus ibi remansit. Cumque tristis esset pro signo quod acciderat, egressus foras venit, & stetit ad oriẽtalem plagam eiusdem Ecclesiæ, dorso adhærens parieti templi, & facie versâ ad Orientem: qui dum ita positus, aliquãdiu ibidem staret, & de re quæ sibi euenerat, timidè ac sollicitè cogitaret, infremuit spiritu, & inhorruerunt subitò pili capitis eius. Tunc irruente in eum nescio quâ virtute externâ, ita defigi atque arctari cœpit, vt nullo modo posset se mouere. Et ecce apertis oculis vidit innumeratæ multitudinis turbas equestres & pedestres coram eo citatis gressibus prætereuntes. Erant autem in eis homines promiscui sexus, diuersæ ætatis & conditionis: in quibus etiam multos deprehẽdebat, quos viuentes in carne anteà cognouerat. Vnus ergo ex eis ipsi Presbytero quondam notus & charus, accessit ad eum, & fixo gradu cœpit familiariter cum eo loqui. Percontante verò Presbytero, quænam esset, aut quid ageret tanta turbarum infinitas; respondit: Animæ hominum sunt carne solutæ, quæ omnes pro varietate culparum variis subditæ pœnis, ita semper discursu reciproco longè lateque vagantur hinc inde in mundo: quædam autem ex eis ocyùs quædã tardiùs liberandæ sunt, quarũdam verò pœnæ insolubiles manent. Dum hæc ille loqueretur, respiciens Presbyter vidit supradictũ Episcopum demisso vultu coram se prætereuntem, tamquam districti iudicis sententiam patienter ferentem. Viso ergo eo, Sacerdos vehementer obstupuit, & cum terrore magnæ admirationis exclamauit dicens: Væ mihi misero peccatori, quid est hoc quod video? numquid iste est dominus noster Balduinus Pisanus quondam Archiepiscopus, de monasterio Claræ-vallis assumptus? Respondit is qui loquebatur ad eum: Ipse est verè. Et Presbyter ait: Hiccine ergo tantæ professionis Monachus, & tantæ perfectionis Episcopus deputatus est pœnis, quem nos sperabamus iam in cælo gaudere cum Angelis? Ille verò respondens ait: Certò scias, & nullatenus dubites, quia ipse est verè sanctus celsique meriti Pontifex, & magna erit eius gloria coram Deo: sed quoniam propter ipsum inter Pisanos atque Lucenses populos diuturnũm iam bellum versatur, proptereà differtur à requie, donec inter illos ad pacem discordia reuocetur.

Quidam de illo sacerdos habuit visionem.

Quantus sãctus quid ferre cogatur.

10. Neque vnus solùm hic Religiosus, sed & turmatim alij horribilia in Purgatorio sustinuere tormenta. Loquatur Vincentius, è quo rem solidisimè addiscere poterimus. Monachus quidam, inquit, in extremis agens, antequam decederet raptus est in spiritu, ductusque est ad loca pœnarum infernalia, viditque quod sine horrore referre non possumus, animas scilicet multas verubus & contis acuminatis infixas, ad rogum maximum in modum anserum torreri & assari, ipsosque crudelisimos tortores sufflatoriis aliisque igneis instrumentis miserorum tormenta totis nisibus aggregantes. Alij verò patellas & sartagines ignitas de subtus iacentes ponebant, adipeq; qui de ardentibus iacentiũ membris fluebat, diligentisimè colligentes, eũdem rursus bullientem & feruentem super eos à quibus fluebat refundebant, quampœnam ceteris cruciatibus intolerabiliorem eis esse cõsiderabat. Post hæc ductus est ad quemdam refrigerij locum, vbi multitudinem animarum quasi post graue aliquem laborem quiescentium inuenit: interrogatusq; ab Angelo ductore suo, si sciret quæ hæc essent; se nescire respondit. Sanctus verò Angelus dixit ei: Hi quos vidisti ad ignem illum permaximum assari, homines sunt Ordinis tui, qui licet criminalibus peccatis se nequaquam fœdauerint, non tamen, sicut monet Scriptura, seruire Domino in timore & tremore curauerunt, non disciplinæ censuram tenere, non quietis & silentij patientes esse, non denique vigiliarum & orationum solemnem deuotionem, neque laboris sanctæ psalmodiæ executionem strenuè, sicut oportet, æmulari studuerunt, sed magis curiosi, faceti, vagi, superflui, desidiosi, pigri, somnolenti, signis, iocis & leuitatibus indulgentes Monasticæ professionis puritatem violare non timuerunt: qui postquam secundùm æquisimã Dei sententiam in supra visis pœnis alij breuiùs alij prolixiùs pro quantitate & qualitate excessuum suorum purgati fuerint, mediante gratiâ Dei in hunc refrigerij locum introducuntur, atque hic post horrenda supplicia illa pausantes, perfectionem beatitudinis suæ cũ patientiâ præstolantur. Sic vincẽtius.

Integri nonnumquam Monachorũ greges in Purgatorio expiantur.
Vincent. li. 7. Specul. hist. cap. 109.

11. Sed & e Prædicatorũ sanctisimâ familiâ exempla adducere possum illorum, qui tametsi perfecti aliàs fuerint, ob leues tamen admodum defectus aut negligentias Purgatorij ignibus expiari debuerunt. Habentur plura eiusmodi in Vitis PP. Prædicatorum. vnde hæc excerpsimus. Duo Fratres, habetur ibi, quorum vnus Nouitius, & alter prædicator erat antiquus, in Cõuentu Coloniensi eodẽ die defuncti sunt. Tertiã verò die pòst Nouitius gaudens Infirmario apparuit, dicens quòd propter feruorem conuersionis, quem habuit, ita citò purgatus est. Post menses autem prædicator dictus eidem Infirmario apparuit gloriosus, pulcherrimum monile habens in pectore, & multos lapides pretiosos in veste, & auream coronam in capite. Cumque Frater quæreret ab eo, quare Nouitius citò & ipse tardè purgatus fuerat, & quid illa insignia figurabant, respõdit: Ego propter familiaritates sæcularium & verba solatij diutiùs in Purgatorio fui, sed maiorem gloriam sum adeptus. Monile significat rectam intentionem in Deum,

Aliis exẽplis è Dominicanorum familiâ idem adstruitur.
Vitæ SS. PP. Ordinis Prędicatorum part. 5. cap. 5.

Deum, lapides pretiosi animas quas conuerti, corona ineffabilem gloriam quam à Domino sum adeptus. Appone aliud. Frater Gillardus Subprior fratrum Orthesij, cùm ad Capitulum generale venisset Tholosam, subitò paralysi percussus obmutuit. Cui cùm Prior Prouincialis diceret, Hoc tibi contigit, Frater, quia Priorem tuũ durè exacerbasti; & quia in linguâ peccaueras, puniris. Ille verò vultu supplici annuens, cœpit manum Prioris osculari, & per collum suum & labia circumducere frequenter. Prior autem compassus illi, & de hoc maximè quòd confiteri non poterat, conuocatis Fratribus in Capitulo orationẽ indixit. Eadem ergo die Frater, quamuis febre grauiter æstuaret, linguæ officio est plenariè restitutus, & generaliter & deuotè confessus, communicatus & inunctus, tertiâ die migrauit. Apparuit autem eadem die in somnis in Villâ Orthesij, quæ distat à Tholosâ quatuor dietis, cuidã viro honesto & sibi familiari. Videbatur autẽ ei in Ecclesiâ prædicans, indutus Diaconi dalmaticâ, facie perfulgidâ, collo quasi aureo toto. Cui cùm ille familiaris diceret (stupens insolitũ fulgorem) Nónne vos estis Frater Gillardus? respõdit: Ego sum, & noueris me Tholosæ esse defunctum. Vnde, inquit alter, tanta claritas faciei? Et ait: Ex purâ confessione quam habui. Quare, inquit ille, collum tuum est aureum? ait: Signum est prædicationis & zeli quem habui animarum. Post hæc traxit eum ad partem, & ostendit ei per manicam dalmaticæ quasi totum pectus & latus combustum. Cumque ille stupefactus quæreret quid hoc esset, respondit: Ardor nimius & distractio quam habebam pro ædificiis nouorum locorum, sic me cremant. Cui ille: Quomodo poterimus vos adiuuare? Respondit: Si Fratres instanter orent pro me, quàm citiùs liberabor. Sic Dominicanorum Chronica: quibus paria habent Chronica Minorum & Augustinianorum, aliorumque Ordinum.

12. De Iacobo de Vitriaco, Anconensi Episcopo, & Ecclesiæ Romanæ Cardinale narratur, quòd cùm pridie Calendas Maij Romæ functus esset vitâ, quarto inde die, id est in Festo S. Crucis, cùm Lutgardis in Brabantiâ esset, triginta dierum itineris procul ab eo loco in quo ille defunctus est, rapta spiritu in cælũ viderit eadem horâ animam eius adduci in paradisum, eique in spiritu gratulans dixerit: Nesciebam, reuerendissime Pater, te è corpore decessisse. Sed quando, oro, defunctus es? Respondit ille: Quarto abhinc die; interim tres noctes & duos dies exegi in purgatorio. Tum illa admirans, Et quare, inquit, non statim ab obitu mihi indicasti, vt Sororum nostrarum precibus pœnæ tuæ soluerentur? Dominus, ait ille, noluit te contristari pœnis meis, sed meâ potiùs liberatione & beatitudine exhilarari.

Iacobi item Vitriacensis, Thom Brabant. lib. 3. Vitæ S. Lutgardis, cap. 4. apud Suriũ. 16. Iunij.

13. Quàm ergo nihil omnino, quod vel minimã labeculæ aut coinquinationis vel leuissimæ fœditatem habeat, cælestem gloriã intrare posit, hoc S. Annonis, viri omnino sanctissimi, exẽplo patet. Dimidio enim ferè anno priusquam vitã excederet, visus est sibi domum quãdam omni decore intus & foris resplendentem intrare. Et ecce in subselliis iudicialibus, tamquam ad Concilium solemniter euocati residebãt, Heribertus Coloniensis Archiepiscopus, Bardo Moguntinus Archiepiscopus, Boppo & Ebergardus Treuirenses Archiepiscopi, Arnulphus Wormatiensis Episcopus, & alij quamplures Galliarũ Episcopi, quorum alios in carne nouerat, alios famâ tantùm & lectione comperetat, amicti omnes stolis Pontificalibus, & habentes vestem instar niuis candidam. Ipse quoque candidis admodum ac pretiosis indutus sibi videbatur, sed partem candentis vestimenti, eam scilicet quâ pectus tegebatur, sordida quædam ac fœda caligo obduxerat, ac ceterum cultus eius splendorem suâ fœditate plurimùm obfuscabat, quam tamen ipse, nimio rubore perfusus, obiectâ manu tegere ac celare, ne adspicientium offenderet obtutum, conabatur. Vidit inter eos sedem sibi quoque miri decoris paratam. Quam cùm occupare gaudio & exultatione æstuans procuraret, surgens Arnulphus Wormatiensis Episcopus modestâ voce eũ prohibuit, dicens, Reuerendos Patres, qui asiderẽt, nolle eum in suum admittere consessum, proptereà quòd vestẽ eius turpis hæc macula fœdaret. Cumque iussus loco cedere, flens, confectoque nimiùm animo egrederetur, insecutus eum idem Episcopus, Æquo, ait, animo esto Pater; maculã tantùm hanc, quæ vestem tuam infecit, maturiùs ablui præcipe, quia non post multos dies, beatæ huius mansionis consortium, & sanctorum Patrum, quos aspexisti, consessum voti compos percipies. Manè facto, cùm familiari cuidam suo visionem retulisset, ille sapienter rem coniiciens, Macula, inquit, hæc vesti tuæ illita, nihil aliud est Pater, vt æstimo, quàm memoria iniuriæ ciuium tuorum, qui te anno superiore Coloniâ expulerunt, quibus te, diuinæ pietatis respectu iam olim oportuerat admisi huius veniam dedisse. Hæc, quod bonâ veniâ dixerim, pectori tuo tenaciùs, quàm æquum sit, insidens, & amarissimo mœrore contra fas mentem tuã decoquens, ceteram sanctissimæ tuæ conuersationis claritatem molestâ quadam caligine obducit & obscurat.

Nulla vel leuissima macula cælorum regnũ ingredi potest. Lambert. Schafaburg. in Descript. Vitæ S. Annonis, ad annum Domini 1075.

Sanctissima insuper & Seraphica Mater nostra Teresia refert, varias à se conspectas fuisse animas sanctitate admodum conspicuas in cælũ deferri, sed non nisi medio Purgatorio. *Contigit, inquit, in Domo nostrâ, etiam Monialem quamdam, feruentem Dei ancillã, ex hac vitâ migrare. Vix sesquidies abierat, cùm ecce, dum in choro pro eius animâ officia peragerentur, & quædam è Sororibus ad Lectionis cuiusdam, eo in officio recitari solitæ, medium peruenisset, egoq; adstarem vt eam in versiculo adiuuarem, animam defunctæ vidi, quæ ab illâ, quâ priorem videram, parte exurgens, rectâ in cælum sursum ascendere videbatur. Aliam etiam Monialem, quæ octodecim vel viginti circiter ætatis annos habebat, in eodem nostro Conuentu mori contigit. Semper illa, quoad vixit, debili infirmaq; fuit valetudine, pietatis studiosissima, chori amantissima, & indefessa virtutum omnium cultrix: hinc putabam, illam ad Purgatorium non descensuram, sed merita plurima illi superfutura, quandoquidem plurimis in vitâ cum morbis luctata fuerat. Interim verò dum exequiæ celebrantur, antè quàm adhuc sepulturæ corpus traderetur, quatuor à morte horis, sentiebam illam è Purgatorio exire atque in cælum abire. Quodam tempore in templo cuiusdam Collegij Societatis Iesu agens, illamq;, quam aliquando me habuisse dixi, atq; etiamnum habeo, animæ & corporis angustiam passa, adeò me intus constitutam & affectã deprehendi, vt ne vnam quidem cogitationem bonam habere posse mihi viderer. Eâ ipsâ nocte quemdã è Fratribus Conadiutoribus illius* 14.

Vitæ suæ Cap. 38. circa finem.

Variæ excellentiores virtutis personæ ad Purgatorium destinatæ.

Collegij

Collegij mori contigit; pro cuius animâ cùm quoad possem orarem, & Sacerdotis cuiusdam Collegij eiusdem Sacro pro illius requie interessem, intimè ad meipsam introuersa, magnâ illum in gloriâ, & Dominum vnà cum ipso, in cælos ascendentem conspexi. E quibus satis apparet, etiam sanctissimos homines post obitum haud rarò Purgatorij pœnis addici; adeò vt Scriptores, si animam quampiam Purgatorium euitasse, rectaque è terrenis ad cælos ascendisse contigerit, rem veluti miram & inusitatam referre soleant.

15. Exemplum eius capere possumus in S. Matre nostrâ, quæ in Scriptis suis veluti quid extraordinarium retulit, quòd B.P.Petrus de Alcantara rectà à morte ad cælum non adiudicatus antè pœnis Purgatorij, euolauerit, cùm tamen & quantæ is esset sanctimoniæ probè sciret, atque ex certâ suâ scientiâ hæc de eo scripta reliquerit.

Vitæ suæ Cap. 27.
Quantus sanctitate B. Petrus de Alcantara.

Ipse mihi & alteri cuidam retulit, quadraginta se (si benè memini) annorum spatio haud vltra sesquihoram per diem noctemq; dormisse, & maximum austeritatis ac pœnitentiæ laborem, quem sub principium habuerit, fuisse somnum superare. Atque hinc semper aut genua flectebat, aut stabat erectus: cùm autem dormiret, dormiebat sedens, ac paxillo, qui eum in finem parieti infixus erat, capiti innixus: porrectus enim, quantumuis voluisset, dormire haud valuisset, cùm cella eius, vti omnes norunt, non nisi quatuor & medium pedes in longitudine haberet. Totis illis annis numquam caput caputio texit, quamuis sol admodum ferueret, aut cælo plueret. Semper insuper nudipes incessit: neque vestis eius alia fuit, quàm è rudi & nautico panno confecta, sine aliâ ad carnes interiore, quæ tamen ipsa angustissima erat & arctissima quàm fieri poterat. Palliolum quoque quod ei superinduebat, eadem materiâ constabat: quod ipsum, quando frigus intensius erat, deponere se solitum mihi retulit, ostium verò & fenestellam cellulæ aperta habere, vt posteà, pallio resumpto, ostioq; clauso, corpus suum refocillaret, quasi tum maiore calore frueretur. Vt plurimum non nisi tertio quoque die comedebat: nec id mirum mihi videri debere asserebat, cùm id facile esset ei qui huic se ieiunio assuefecisset. Sociorum eius quispiam mihi retulit, etiam ad octiduum eum nonnumquã cibo abstinuisse: quod tum fuisse arbitror, quando in oratione versaretur; magnos enim subinde raptus, atque intensos diuini amoris impetus sustinebat, vt ipsa meis semel oculis vidi. Paupertas eius extrema fuit, & in adolescentiâ suâ mortificationis studio admodum addictus erat. vnde mihi enarrauit, in quodam se Ordinis sui conuentu triennio commoratum, neminem Fratrum de facie sed de voce dumtaxat nouisse: oculos namque numquam attollebat, adeò vt nec loca, ad quæ necessariò ei eundum erat, nosset, sed alios Fratres, eòdem euntes, sequeretur. Mulieres numquam intuebatur, idq; multos ad annos obseruauit: tandem eò se pertigisse affirmabat, vt haud ampliùs moueretur videndo quàm non videndo.

Quàm felix eius mors.

Fratribus circumstantibus prædicando, & identidem eos admonendo, vbi mortem iam iam imminentem vidit, Psalmum illum Dauidicum, Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, adrecitauit, & genua sua flectens spiritum Deo reddidit. Placuit verò Domino, vt iam mortuus ampliorem mihi opem tulerit, benè mihi in pluribus rebus consulendo, quàm fecerat viuus:

Quanta illius gloria.

sæpè namque eum vidi maximâ gloriâ circumfusum. Cùm primùm se mihi spectandum daret, dixit, beatam & felicem esse pœnitentiam quæ tam amplo remunerata iam sit præmio. Vno antè quàm vitâ excederet anno, absens licet, mihi apparuit. Ego autem illum breui moriturum sciens, id ei significaui, esto aliquot hinc leucis abesset. Cùm verò spiritum Deo iam redderet, apparens mihi dixit, se iam ad requiem abire: ego autem id non credens, aliis nonnullis id narraui; & ecce octiduo post nuntiatum est, illum iam esse mortuum, vel, vt meliùs loquar, incepisse æternùm viuere. Hac igitur vitæ asperitas & rigor tam luculentum gloriæ præmium accepit, quo ille iam perfruens, magis magisq; me consolari videtur, quàm dum inter mortales mortalis ageret. Quodam tempore mihi Dominus dixit, nihil omnino homines in eius nomine abs se petituros, quin essent impetraturi. Posteà iterùm de eo hæc addit: *Inter alia mihi certò affirmatum est, eum viginti ipsis annis continuè cilicium ex albi ferri laminis cõtextum gestasse..... Primam S. Francisci Regulam ad vnguem & in rigore obseruauit, & alia multa præstitit, de quibus iam suprà actum est.* Cap. 30.

Quis iam nostrûm miraretur, si talem tantumque virum rectà ad cælos conuolasse inaudiret? De eo tamen veluti rem miram atque inusitatam narrat S. Mater quòd Purgatorium euaserit, & rectà ad cælestia conuolauerit. Cap. 39. Imò, vt mirere magis, alibi affirmat, quamuis de plurium animarum defunctarum statu reuelationes habuerit, etiam illorum hominum qui piissimè sanctissimeque in mundo vixissent, tres solummodò tamen illarum animarum Purgatorij pœnis non fuisse addictas. *Quamuis multarum animarum, ait, statum mihi Dominus reuelare dignatus sit, ex omnibus tamen quas vidi animabus, nescio an vlla Purgatorium euaserit, præterquam Religiosi illius de quo paulò antè verba feci, & sancti Patris F. Petri de Alcantara, nec non illius Dominicani, cuius suprà memini.* Stat ergo immota propositio nostra, sanctos etiam excellentissimos à Purgatorij cruciatibus haud esse immunes, vt iure proinde flammas istas, dùm in carne viuunt, extimescant.

Sed & plenissimi sunt Scripturarum libri timore illo, quo etiam viri alioqui iustissimi, concussi fuerunt propter consideratam solùm futuri aliquando iudicij seueritatem. 16.

Quantum etiam sancti iudiciũ Dei timuerint.

Quis Iobo sanctior? & tamen ille timida hæc verba protulit: *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* item: *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* paulò item ante: *Si repente interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest, cur ita facis? Deus cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur qui portant orbem. Quantus ergo sum ego, vt respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? qui etiamsi habuero aliquid iustum, non respondebo, sed meum Iudicem deprecabor.* (Iob. 31. Iob. 9.) Quis Dauide perfectior, qui etiam audire meruit, virum esse se secundùm cor Dei? (Dauid.) & tamen ille trepidè admodum hæc effatus est: *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.* &: *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meũ rigabo.* (Psal. 118. Psal. 6.) Sed quare, dic bone Dauid? Quia *turbatus est à furore oculus meus.* Iterũ ille ipse: *A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.* (Psal. 101.) Et quidni timeret Psalmista, etiamsi peccata sua ex Prophetæ denuntiatione sciret esse dimissa, essetque, vt dixi, vir secundùm cor Dei? Sciebat enim, quoniam & Sanctorum maximi rigorem diuinæ iustitiæ nequaquam ferunt, iuxta illud, *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra.* (Psal. 96.) Quidni, inquam, etiam timeret Iob? qui quamquam vir esset simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, vereque dixisse poterat, *Iustificationem meam quam* (Iob. 1.)

cœpi

cœpi non deseram, neque enim reprehendit me cor meum in omni vitâ meâ: tamen illud etiam verissimum esse nouerat, quod à spiritu Dei edoctum se fuisse affirmat, *Numquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem: quantò magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum consumentur à tineâ.* Atque hæc S. Iob.

Iob. 4.

17. *Quid de his Sapiens.*

Prou. 28. Eccli. 25. Ibid. c. 34.

Ita reuerà sapientissimè dixit Sapiens: *Beatus homo qui semper est pauidus.* &: *Beatus homo cui donatum est habere timorem Domini.* & eodem libro: *Timentis Dominum beata est anima eius.* Cuius rationem hanc præmisit: *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pauebit, quoniam ipse est spes eius.* Versibus item prioribus: *Qui timet Dominum, excipiet doctrinam eius, & qui vigilauerint ad illum, inuenient benedictionem. Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione illum Deus conseruabit, & liberabit à malis.* Quin & alibi: *Timenti Dominum benè erit in extremus, & in die obitus sui benedicetur.* item: *Qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia.* item: *Agnoscent qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est quàm timor Domini.* Imò &: *In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis erit spes. Timor Domini fons vitæ, vt declinet à ruinâ mortis.* item: *Timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur absque vllâ visitatione pessimi.* Adeò ex tot vnius Salomonis sententiis vnum istud certum habendum sit, per timorem mala illa iustos euadere, quæ sibi iustè timenda essent, nisi timendo præuenissent. Timuêre ergo etiam viri sanctissimi non sempiternam tantummodò damnationem, sed & temporalem insuper purgatorij ignis cruciatum, vt & illum hinc faciliùs euitarent, & simul omnes nos instruerent, quanta illa supplicia sint, à quibus ipsi, tametsi iusti essent atque perfecti, tantopere abhorrerent.

Eccle. 1. Cap. 2. Cap. 23. Prou. 14. Cap. 19.

18. *Qui Sancti Purgatoriũ timuerint.*

Duplicia autem sunt argumenta, quæ ad horrorem istum viuentibus incutiendum, atque exinde genus hominum ad faciliorem animarum liberationem excitandum, à sanctis personis possunt haberi: quorum primum est illorum, qui sese Purgatorium horrere disertis verbis sunt testati; alterum eorum, qui mortuos vel suos vel alios in Purgatorio detineri pertimescentes, eos affectuosissimè commendauêre. Vtrorumque exempla proferamus. S. Augustinus, explicans illum versum Psalmi, Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, ita subdit: *In hac vitâ purges me, talem me reddas, cui iam emendatorio igne non sit opus.* Qui certè timor in magno illo Augustino non est mirandus, quandoquidem illum à sanctissimâ sua matre B. Monicâ suxerat, quæ in extremo constituta, hoc vnum ab illo petierat, vt sui post obitum ad altare memor esset. quod & ab eodem exactè cõpletum fuisse, videre est Libro Confessionum eius nono, cap. 11. 12. 13. & 15. Sed & hunc suum Magistrum imitatus est S. Fulgentius Ruspensis Episcopus, qui, vt in eius Vitâ passim describitur, interim dum variis morbis diu longeque affictaretur, hoc vnicum ingeminabat: *Domine, hîc peto patientiam, ac posteà indulgentiam.* S. Papa Gregorius ita scripsit: *Quia illum transitorium ignem omni tribulatione æstimo præsenti intolerabiliorem, non solùm in furore æternæ damnationis opto non argui, sed etiam in irâ transeuntis timeo correptione purgari.* S. Barlaam post vitam sanctissimè transactam moriens, timuit, & aliorum se orationibus plurimùm commẽdauit, vt habetur in Vitis Patrum. S. Ephræm pro suâ in morte valedictione sic aiebat: *Hortor vos, vt loco suauis aromatum odoris, vestris me adiuuetis orationibus, in ipsis continuè mei memoriam faciatis.* Et in testamento suo ita posuerat: *Assiduè in vestris orationibus mei memoriam fatiatis, etenim in vanitate & iniquitate vitam meam peregi.* S. Eligius Nouiomẽsis Episcopus & in Belgio Apostolus, Clerum sic admonuit: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, vt nec ab æterno, quod absit, nec ab illo igne transitorio exuramur.* Sanctus Ambrosius, *Etsi*, inquit, *saluos faciet Dominus seruos suos, salui erimus per fidem, sic tamen salui quasi per ignem. Etsi non exuremur, tamen vremur. Quomodo tamen alij remaneant in igne, alij pertranseant, alio loco vos docet Scriptura diuina.* D. Hilarius: *Nobis est ille indefessus ignis obeundus, in quo subeunda sunt grauia illa expiandæ à peccatis animæ supplicia.* Boëtius: *Nullane supplicia animarum post defunctum morte corpus relinquis? Et magna quidem, quorum alia pœnali acerbitate, alia purgatoriâ clementiâ exerceri puto.* D. Eusebius Emissenus: *Hi vero qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per fluuium igneum, per vada feruentibus globis horrenda transibunt.* S. Malachias apud S. Bernardum dixisse refertur: *Nec parum spei mihi est repositum in illâ die, quâ defunctis tanta à viuis beneficia impenduntur.* Simile huic videtur illud S. Victoris: *Qui nos solemnibus orationibus sepulturi sunt morientes.* De S. Dominico Loricato hoc speciale legitur, quòd is loricâ ad carnem esset præcinctus, & ad singula ferè corporis sui membra catenis quibusdam constrictus, itemque septies in die se cædere solitus durissimis flagellis, idque vt pro peccatis & culpis suis plene in mundo satisfaceret, neque posteà subire purgatorias pœnas cogeretur. In quo & illud prætereà fuit notabile, quòd discipulos suos disciplinas, vt vocant, ad hoc frequenter facere docuerit, vt post mortem Purgatorium euaderent. Alij prætereà Sancti, vt hoc ipsorum desiderium omnibus constaret, atque etiam postquam loqui desiissent, cũctorum cordibus infixum remaneret, sculpi hoc atque incidi suis monumentis voluerunt, quos inter est S. Carolus Borromæus, qui dum adhuc superuiueret, quid viuentes post mortem suam ex se legere vellet & pro se facere, sat insinuauit, cùm hanc sepulchro suo inscriptionem apponi mandauit: *Carolus Cardinalis tit. S. Praxedis, Archiepiscopus Mediolani, frequentibus Cleri populiq; ac deuoti feminei sexus precibus commendatum se cupiens, hoc loco sibi monumentum elegit.* Sancta quoque Mater nostra Teresia aliorum se frequenter precibus commendare fuit solita, quò à Purgatorij pœnis immunis esse posset. Duo hoc e scriptis eius deprompta loca præcipuè eminent. *Ab eo autem*, inquit, *quicumque hæc legerit, Salutationem Angelicam peto, vt peream iuuer ad Purgatorio exeundum, &c.* Et alio loco: *Vos obsecro, vt quotiescumque hæc legetis, meo nomine Maiestatem eius (Dei) maximopere dilaudetis, ab eoq; Ecclesiæ ipsius incrementum, hæreticorum illuminationem, mihi verò peccatorum meorum remissionem, & è Purgatorio ereptionem liberationemq; postuletis.* S. Ludouicus Galliarum Rex inter plura quæ filio suo Philippo in mandatis dedit, ita ei suo in testamento locutus est: *Sub finem*

S. Augustinus. In Epistolis.

S. Fulgetius.

D. Gregor. In Psalmum tertium Pœnitentialem.

S. Barlaam

S. Ephræm.

S. Eligius. Homil. 8.

Quid de hoc alij. In Psalm. 36.

In Psal. 118.

Lib. 4. Prosa 4.

Homil. 3 de Epiphania.

Lib. 2. de Persecut. VVandal.

S. Dominicus Loricatus quid fecerit vt euaderet Purgatoriũ.

Ob hoc se Sancti aliorum orationibus commendarunt.

In fine Prologi Fundationum.

In fine Mansionis 7.

hortor,

hortor, & adiuro te, fili mi, vt si mihi contigerit ante te migrare ex hac vitâ, vt toto regno Franciæ pro animâ meâ cures offerri Deo preces & Missæ Sacrificia.

Indulgentias ob hoc petiere, S. Clara.

19. Alij, vt certiore adhuc viâ difficiles Purgatorij vias euitarent, ante obitum suum plenariam & culpæ & pœnæ remissionem atque indulgentiam procurarunt, quos inter fuit clarissima illa sanctitate & nomine Clara, quæ, vt Romanum de eâ loquitur Breuiarium, sacrâ Eucharistiâ sumptâ, animam Deo reddidit, Innocentio IV. Pontifice, qui ægrotantem virginem inuisit, eique suppliciter petenti indulgentiam plenariam impertiuit. Fuit etiam in hoc sibi medio procurando admodum prouidus S. Ignatius Loyola, Societatis IESV fundator, qui à Pontifice summo & ipse petiit indulgentiam plenariam, in quâ & oppetiit. Alij pœnitentias admirabiles libenter sustinuerunt, imò sponte etiam susceperunt, vt Purgatorij ignem euaderent. Sic patientissima illa Lidvvina, quam olim Hollandia protulit, purgatorias pœnas plurimùm extimescens, incredibiles corporis morbos & afflictationes maximo cum affectu tolerauit, ex eo potissimùm consolata, quòd nec easdem pœnas post mortem esset subitura. Refert quoq; Ven. Cantipratanus hoc exemplum. In Germaniæ, inquit, partibus quidam Nobilis Comes, sed ferus pauperum spoliator, ex misericordissimâ pietate diuinâ, graui infirmitate correptus, & amarissimâ pœnitentiâ contritus, omnia ad restitutionem posuit quæ habebat, & irremediabilibus lacrymis quotidie lectum rigans, Angelos ac Sanctos Dei ad impetrandam sibi misericordiam inuocabat. Decumbens verò corpori suo tantum supplicium ingerebat, vt talos pedum & crura fricaret ad lignum, & cutem & carnem & neruos violentâ assiduitate diuelleret. Aquam frigidam in hyeme tamquam ad bibendum acceptam, clam pectori superfundebat & membris, vt ex hac glaciali frigore torqueretur. Nec diu post hæc in agoniâ positus, tanto spiritu repletus est, vt sicut Christus de publicano Euangelistam, ita & de isto faceret Prophetam. De seipso enim prædixit quòd sine Purgatorio ad requiem euolaret, & eo mortuo, ac Henrico Rege defuncto, tota Thuringia maximis calamitatibus subiaceret. Sic Cantipratanus.

S. Ignatius Societatis Iesu auctor.

Lib. 2 Apum, c. 51. n. 2.

Qualia quidam tormenta hic sustinuerit, vt à Purgatorio esset immunis.

20. Est & animaduersione dignum, quod de seipsâ Ven. Anna de S. Bartholomæo, indiuidua olim S. Matris nostræ Teresiæ, dum viueret, socia: quæ tametsi adeò esset sancta, vt de illâ communiter assereret sancta Mater, Ego famam sanctitatis habeo, Anna virtutes & perfectionem; esset insuper illa, supra quam, veluti heredem diuinorum charismatum & gratiarum, requiesceret duplex S. Teresiæ spiritus, vt Eliæ super Eliseum, de quâ & aliàs dictum, & plura multò in sequentibus dicentur: tamen, ne post mortem Purgatorio adiudicanda esset, in viuis eius tormenta præsensit; siue potiùs, quia in vitâ hæc perpessa erat, post mortem ab iisdem exempta fuit. Verba Ven. Matris hæc sunt: Quietem capiebam in cellâ S. Matris Teresiæ, ac statim coram Domino Iesu Christo quasi Iudice pro tribunali sedente, visa mihi sum in igne Purgatorij esse. Erat instar tabulæ super ingentem fluuium stratæ, qui fluuius ignem spissum, non aquam, habebat, cui vmbilico tenus immersa stabam. Porrò complures animæ penitus erant mersæ, quædam non omnino. Ad me sic positam formosus & splendidus valdè Angelus venit, rogans num ignis vim acriter sentirem? Affirmaui me grauiter torqueri, sed spe visionis beatificæ in proximo nunc vexari. Ad oram fluminis incedebant dæmones furcinulis & harpagonibus instructi, ac minantes, qui tamen mihi non nocuerunt. Cùm autem propinquaret Angelus, euanuêre cuncta: meque expergefactam & tunicam madidam reperi, ac si per aquas transiuissem. Vt autem me in viuis relictam aduerti, non parum fui mœsta, quòd me præsentibus ærumnis subductam esse putauissem. Dies paucos in illo Conuentu habitaueram, cùm ea visio mihi exhibita fuit. Eram facie tam luridâ & terreâ, vt sancta Mater Sororesque me intuentes rogarent, quid hoc rei esset. Huic ego somnium aperui; quæ subridens, Facessat hoc, filia, inquit, nec enim ad Purgatorium ibis. At ego per iocum dictum accepi: timeo enim acres ignis purgatorij pœnas: Quinimmò magnum beneficium putarem has pati, & æternis subtrahi.

V. M. Anna à S. Bartholomæo quid passa sit.

Vitæ suæ l. 1. cap. 10.

Timuit tamē Purgatorium.

Alterum argumentum, in quo ostendendum erat, quanto affectu viri sancti animas Purgatorij precibus viuentium commendatas voluerint, ab eodem, vt suprà, Augustino inchoabimus, quippe qui augustissimè, si quis vmquam, pro mortuis est locutus. vbi enim matrem suam S. Monicam, iam à viginti annis mortuam, aliorum precibus & Sacrificiis adeò affectuosè adiuuari expostulat, vniuersos simul fideles admonet, quid ipsi pro suis defunctis agere debeant. Verba eius hæc sunt. *Ego autem iam sanato corde ab illo vulnere, in quo poterat redargui carnalis affectus, fundo tibi, Deus noster, pro famulâ tuâ longè aliud lacrymarum genus, quod manat de concusso spiritu, consideratione periculorum omnis animæ quæ in Adam moritur: quamquam illa in Christo viuificata, etiam nondum à carne resoluta sic vixerat, vt laudetur nomen tuum in fide moribusq; eius. Non tamen audeo dicere, ex quo eam per Baptismum regenerasti, nullum verbum exisse ab ore eius contra præceptum tuum. Et dictum est à Veritate Filio tuo: Si quis dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Et væ etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ discutias eam. Quia verò non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum inuenire indulgentiæ..... Ego itaque, laus mea, & vita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te. Exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum quæ pependit in ligno, & sedens ad dexteram tuam te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, & toto corde dimisisse debita debitoribus suis; dimitte illi & tu debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte, Domine; dimitte, obsecro: ne intres cum eâ in iudicium. Superexaltet misericordia iudicium, quoniam eloquia tua vera sunt, & promisisti misericordiam misericordibus: quod vt essent, tu dedisti eis. Qui misereberis, cui misertus eris; & misericordiam præstabis, cui misertus fueris. Et credo quòd iam feceris quod te rogo; sed voluntaria oris mei approba Domine. Sit ergo in pace cum viro, ante quem nulli, & post quem nulli nupta est: cui seruiuit, fructum tibi afferens cum tolerantiâ, vt eum quoque lucraretur tibi. Et inspira Domine Deus meus,*

21.

Quanto affectu Patres Animas commendarint. D. Augustinus.

Lib. 9 Confession. cap. vlt.

inspira

inspira seruis tuis fratribus meis, filiis tuis, dominis meis, quibus & voce, & corde & litteris seruio: vt quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patritio quondam eius coniuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam; quemadmodum, nescio. Meminerint cum affectu pio parentum meorum in hac luce transitoria, & fratrum meorum sub te patre in matre Catholicâ, & ciuium meorum in æternâ Ierusalem, cui suspirat peregrinatio populi tui, ab exitu vsque ad reditum, vt quod illa à me poposcit extremum, vberiùs ei præstetur in multorum orationibus, tam per confessiones, quàm per orationes meas. Hæc Augustinus, cui comes addatur S. Paulinus Nolanus Episcopus, qui hoc modo animam fratris sui commendauit: *Fac vt orationibus tuis condonetur tibi, & vt illius animam de minimo sanctitatis tuæ digito distillans refrigerij gutta respergat.* Et alibi his verbis: *Ob hoc impensè rogamus, vt quasi frater orandi labores conspires, vt misericors Deus refrigeret animam eius stillicidiis misericordiæ suæ per orationes vestras*, quem etiam adiuuari petit ab aliis. S. Cyrillus, *Pro omnibus*, inquit, *oramus qui inter nos vitâ functi sunt, maximum credentes animarum iuuamen, pro quibus offertur oblatio sancti illius ac tremendi Sacrificij.* S. Hieronymus Pammachium mirabiliter laudat, quòd non floribus tantùm, vt alij, sed balsamo eleemosynarum vxorem Paulam rigauerit. & rationem addit cur laudandus sit, *quia*, inquit, *sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna peccatum*: S. Gregorius Nazianzenus fratrem suum Cæsarium defunctum multis commendat, quod & facit S. Ambrosius quoad Gratianum & Valentinianum Impp. ita eos alloquẽs: *Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt, nulla dies vos silentio præteribit, nulla nox non donatos aliquâ precum mearum contextione transcurret, omnibus vos oblationibus frequentabo.* Aliæ aliorum sunt commendationes, quas, quia festinamus, & superioribus Capitibus allatas recordamur, transimus, vnicâ hac S. Bernardi, ne ille nobis excidat, contenti, qui ita scripsit: *Qui in Purgatorio sunt, expectant redemptionem, priùs cruciandi aut calore ignis, aut rigore frigoris, aut alicuius grauitate doloris.* Et infra: *Quia igitur primi redimi non possunt, tertij redimi non indigent, restat vt ad medios transeamus per compassionem, quibus iuncti fuimus per humanitatem. Vadam in istam regionem, & videbo visionem hanc magnam, quomodo pius Pater glorificando filios suos in manu tentatoris relinquat, non ad occisionem, sed ad purgationem; non ad iram, sed ad misericordiam; non ad destructionem, sed ad instructionem: vt iam non sint vasa iræ apta in interitum, sed vasa misericordiæ præparata ad regnum. Surgam ergo in adiutorium illis, interpellabo gemitibus, implorabo suspiriis, orationibus intercedam, satisfaciam Sacrificio singulari, si fortè videat Dominus, & iudicet, vt laborem conuertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam. His enim & huiusmodi officiis potest eorum pœnitentia resecari, finiri labor, destrui pœna. Percurre ergo quæcumque es fidelis anima regionem expiationis, & vide quid in eâ fiat, & in nundinis istis fac sarcinam tuam, affectum compatiendi.*

S. Paulinus, Epistol. ad Delphinum.

Ad S. Amandum.

S. Cyrillus, Catechesi S. Mystagogicâ.

S. Hieronymus, Epist. ad Pãmachium, de obitu Paulæ.

S. Gregorius Naziãzenus

S. Ambrosius In Orationibus pro eis habitis.

Demum etiã D. Bernardus, Serm. de Quinque negotiationib.

CAPVT XXVI.

Delicta sæpè fuere leuissima, ob quæ eluenda, graues adeò pœnitentiæ subeundæ fuerunt.

1\. *Aditus ad regnum cælorum est difficilis*, Matth. 7.

VT vniuersi homines agnoscerẽt quàm difficilis in cælum ingressus sit, ipsa Veritas suo monitu omnes instruere voluit. *Intrate*, inquit, *per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inueniunt eam!* Quemadmodum enim, cùm foramen aliquod rei cuipiam transeunti præcisè omnino proportionatum est, nihil simul cum illâ idem potest foramen transire; ita ne minima quidem recula cum homine ianuam cæli ingredi potest, si id nimirum ab eius animâ atque salute distinctum fuerit. Inclamabat in suis Confessionibus S. Augustinus: *Fecisti nos Domine ad te*; quasi dicat, Præcisa nostri mensura est diuina Maiestas tua; & proptereà inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. Sicut enim calceus pedi alicuius accommodatus, ne pisum quidem aut aliquod stramen, nisi cum ingenti pedis incommoditate aut etiam dolore, simul admittit; ita nec Deus animam hominis aliter in se recipit, nisi præcisè illa venerit sola, nihil aut venialis peccati aut imperfectionis non perfectè expurgatæ secum deferens. Vultne intelligere quàm angusta oneratis non dicam peccatis, sed diuitiis, ac terrenarum etiam rerum affectionibus, sit porta cælorum? Christus hoc effatur, de quo sic Euangelista: *Circumspiciens Iesus, ait discipulis suis: Quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt! Discipuli autem obstupescebant in verbis eius. At Iesus rursus respondens ait illis: Filioli, quàm difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire! Facilius est, camelũ per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.* Nec tantummodò pecuniis aut illarum affectibus onusti ab ingressu gloriæ æternæ secludũtur, sed & ij qui vel ipsa præsumptione magni sunt. Aliquando enim *accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas, maior est in regno cælorum? Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Verbum *nisi* necessitatem designat, quod patet in Baptismo: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum.* & de sacrâ Communione: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Non solùm sæculi huius diuitibus, Marci 10.

Sed & superbis & superciliosis. Matth 18.

Ioan. 3.

Ioan. 6.

2\. *Paruulus à Christo in discipulorum medio constitutus, quid designet.* SS. Chrysostomus & Hieronymus in eund. locum. In Catenâ.

Hunc paruulum plurimi sancti Patres accommodè satis nostro proposito exposuerũt. S. Chrysostomus: *Mihi videtur valdè paruulũ in medio statuere omnibus passionibus exutum.* & S. Hieronymus: *Vt in eo*, Christus nempe, *& ætatem quæreret, & similitudinem innocentiæ demonstraret.* Tandem D. Thomas: *Non præcepit Apostolis vt ætatem habeant paruulorum, sed innocentiam; & quod illi per annos possident, hi possideant per industriam. Vt malitiâ non sapientiâ paruuli sint.* Acsi dicat: Sicut paruulus,

cuius vobis exemplum tribuo, non perseuerat in iracundiâ, læsus non meminit, pulchram videns mulierem non delectatur, non aliud cogitat & aliud loquitur: sic & vos, nisi talem habueritis innocentiam & animi puritatem, in regnum cælorum non poteritis intrare. Vnde & à Regio

Psal. 14.

Prophetâ dictum fuit: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine maculâ, & operatur iustitiam: qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in linguâ suâ: nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximos suos.* In SS. Patrum Vitis legitur, sanctissimum Abbatem Antonium retulisse, vidisse se omnes inimici laqueos super vniuersam terram explicatos, ita vt exitus dari nô videretur. Se verò plurimùm contristatum & suspirabundû rogasse: Quis laqueos istos poterit effugere? atque è cælo se vocem audiuisse: *Humilitas sola, Antoni, pertransit, quam nullo modo possunt contingere.* quia nimirum qui paruuli sunt atque humiles, ij per terram quasi repentes, à diaboli retibus innecti nequaquam possunt; qui verò in altum mêtis elatione se euolare præsumunt, illos capi nihil est miri. Sed vt propiùs exponamus, quàm leuia etiam peccata purganda veniant igne sæculi futuri, & hoc loco Scripturarum sacrarum adyta, S. Patris Augustini recessus, & exemplorum celeberrimorum penuaria introspiciemus.

Humilitas sola cælos penetrat.

3\.

1\. Cor. 3.

Venialia peccata igne purgatorio expurganda sunt.

S. Paulus Apostolus sic ait: *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc,* scilicet Christû, *aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulas, vniuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Per lignum, fœnum & stipulas* ex consensu fere Doctorum significantur venialia peccata, quæ cùm sint leuia, facilè comburuntur, & comburi debent, antequam quis cælesti gloriâ perfrui queat. Angelicus Doctor id ipsum disertè asserit, cuius verba inter alia (nec enim ob prolixitatem singula hîc adscribi possunt) hæc sunt: *Respondeo ergo dicendum ad primam quæstionẽ, quòd venialia charitati adiuncta possunt per aliquam pœnam consumi, & ideò conuenienter secundum Metaphoram significantur illa quæ per ignem consumuntur. Et quia quantò aliquod peccatum est grauius, tantò difficiliùs purgatur, in peccatis autem venialibus inuenitur vnum altero grauius; ideo conuenienter eorum diuersitas significatur per diuersitatem eorum quæ faciliùs & tardiùs consumuntur ab igne. Et quia perfectio cuiuslibet quantitatis ternario comprehenditur, propter principium, medium, & finem; ideò triplex differentia ponitur: quia quædam sunt grauissima in genere venialium, & difficillimè purgabilia, & hæc per lignum significantur; quædam minima, quæ per stipulam; quædam media, quæ per fœnum significantur.*

In 4. dist. 21. q. 1. art. 2.

4\.

Redemptor & Saluator noster Christus in Euangelio sic nos præmonere dignatus est: *Esto consentiens aduersario tuo citò dum es in viâ cum eo, ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Ad quæ D. Hieronymus: *Quadrans genus nummi est, quod habet duo minuta. hoc est ergo:* Non egredieris de *carcere, donec etiam minuta peccata persoluas.* Et

Minutissima delicta ibi excoquuntur,

Matt. 5.

Lucæ 12.

D. Hier. in Matth. 5.

S. Augustinus: *Aut enim pro eo positum est, quòd nihil relinquitur impunitũ; sicut cùm volumus exprimere ita exactum, vt nihil relinquatur, dicimus vsque ad fæcem.* Quæ non in thesi tantùm aut generaliter, sed in hypothesi & in particulari, exemplo nos Saluator noster docere voluit, cùm de verbulo otioso sic locutus est: *Dico autem vobis, quoniam de omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* S. Hieronymus super hoc ait: *Otiosum verbum, quod nequaquam ædificat audientes, non est absque periculo eius qui loquitur, & in die iudicij reddet vnusquisque rationem verborum suorum.* S. Io. Chrysostomus: *Quidam autem dicunt, quoniam & vanum, quale est quod risum mouet, inordinatum, vel turpe, vel inuerecundum.* Sanctus etiam Gregorius in Homiliis: *Vel otiosum verbum est, quod aut vtilitate rectitudinis, aut ratione iustæ necessitatis caret, quod scilicet sine vtilitate loquentis dicitur & audientis. Si omissis seriis, de rebus friuolis loquamur, & fabulas narremus antiquas.* Ecce quàm minuta post vitam istam peccata & examinanda & diluenda sint. Sanè ex hoc exemplo verborum satis colligitur, idem etiam faciendum esse iudicium de operibus ac cogitationibus.

S. Augustin.

& vel otiosum verbũ.

Matth. 12.

S. Hieron.

S. Chrysost.

S. Gregor.

S. Augustinus: *Sanè cùm solâ cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volens libenter, quæ statim vt attigerint animum, respui deberent, non negandum est esse peccatum.* Et: *In ipsis alimentis, quæ vtique concessa sunt, si fortè excedat modum, & accipit amplius quã necesse est, peccat: & quotidiana sunt ista, & non leuia, quia plura.* Item fusissimè alibi: *Quæ autem sint minuta peccata, licet omnibus nota sint, tamen quia longum est vt omnia explicentur, opus est vt ex eis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis in cibo aut potu plus accipit quàm necesse sit, ad minuta peccata nouerit pertinere. Quoties plus loquitur quàm oportet, aut plus tacet quàm expedit: quoties pauperem importunè petentem exasperat: quoties, cùm corpore sit sanus, aliis ieiunantibus prandere voluerit, aut somno deditus tardius ad Ecclesiam surgit: quoties, excepto desiderio filiorum, vxorem suam cognouerit: quoties in carcere clausos & in vinculis positos tardiùs requisierit: quoties infirmos tardiùs visitauerit: si discordes ad concordiam reuocare neglexerit: si plus aut proximum, aut vxorem, aut filium, aut seruum exasperauerit quàm oportet: si ampliùs fuerit blanditus quàm expedit: si cuicumque maiori personæ aut ex voluntate aut ex necessitate adulari voluerit: si pauperibus esurientibus cibum non dederit; aut nimiùm deliciosa aut sumptuosa sibi conuiuia præparauerit: si se in Ecclesiâ, aut extra Ecclesiam, fabulis otiosis, de quibus in die iudicij ratio reddenda est, occupauerit: si, dum incautè iuramus, & cùm hoc per aliquam necessitatem, implere non potuerimus, vtique periuramus, & cùm omni facilitate vel temeritate maledicimus, cùm scriptum sit, Neque maledici regnum Dei possidebunt: & cùm aliquid suspicamur temerè, quod tamen plerumque non ita, vt credimus, comprobatur; sine vllâ dubitatione delinquimus. Hæc, & his similia, ad minuta peccata pertinere non dubium est, quæ, sicut iam dixi, enumerari vix possunt, & à quibus non solùm populus Christianus, sed etiam nullus Sanctorum immunis esse potuit aliquando, aut poterit. Quibus peccatis licet occidi animam non credamus, ita tamen eam veluti quibusdam pustulis & quasi horrendâ scabie replentia deformem faciunt, vt eam ad amplexus illius*

5\.

Lib. 12. de Trinitate.

Cogitationes quatenus sint peccata, adeoq; expurganda.

De Decem chordis.

Leuissimus in cibo & potu excessus peccatũ est.

Serm. 41. de Sanctis, qui est 4. de Purgatorij igne.

Minuta peccata, exurenda tamen in Purgatorio, quæ sunt

Sponsi

Sponsi cælestis aut vix aut cum grandi confusione venire permittant. de quo scriptum est: Aptauit sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. & ideò continuis orationibus & frequentibus ieiuniis, & largioribus eleemosynis, & præcipuè per indulgentiã eorũ qui in nos peccant, assiduè redimantur, &c. Hæc omnia D. August.

6\. Ex eodem quoque Doctore Ecclesiæ constat, quàm sit difficile discernere quæ sint leuiora quæ grauiora peccata: vt manifestè inde discamus, nõ maiora solùm crimina, sed minuta etiam delicta, in quibus etiam fallimur, eaq; minora putamus, cũ grauia sint, nobis cauẽda & euitanda esse. *Quæ sint autem leuia*, inquit S. Augustinus, *& quæ grauia peccata, non humano sed diuino sunt pensanda iudicio. Videmus enim quædam ab ipsis quoque Apostolis ignoscẽdo fuisse concessa, quale illud est quod venerabilis Paulus coniugibus ait, Nolite fraudare inuicem, nisi ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi; & iterum ad ipsum reuertimini, ne vos tentet satanas propter incontinentiam vestram. Quod putari posset non esse peccatũ, misceri scilicet coniugi non filiorũ procreandorũ causâ, quod bonũ est nuptiale; sed carnalis etiã voluptatis, vt fornicationis, siue adulterij, siui cuiusquã alterius immũditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quò potest, tentante satanâ, libido pertrahere, incontinentiũ deuitet infirmitas. Posset ergo, vt dixi, hoc putari nõ esse peccatum, nisi addidisset: Hoc autẽ dico secundũ veniã, non secundùm imperium. Quis iam esse peccatum neget, cùm dari veniam facientibus Apostolica auctoritas fateatur?* Addit tum aliud exẽplum, & tandẽ cõcludit, *Propter hæc atq; huiusmodi peccata, & alia, licet his minora, quæ fiunt verborũ & cogitationũ offensionibus, Apostolo Iacobo confitente ac dicente, In multis enim offendimus omnes, oportet vt quotidie crebroq; oremus Dominũ, atque dicamus, Dimitte nobis debita nostra.* Alio iterùm loco sic inquit: *Sed quis iste sit modus, & quæ sint ipsa peccata, quæ ita impediunt peruentionẽ ad regnum Dei, vt tamen sanctorũ amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimũ est inuenire, difficillimũ definire. Ego certè vsq; ad hoc tẽpus cũ inde satagerem, ad eorũ indaginem peruenire non potui. Et fortassis propterea latent, ne studiũ proficiendi ad omnia peccata cauenda pigrescat. Quoniã si scirentur quæ vel qualia sint delicta, pro quibus etiam permanentibus, nec profectu vitæ melioris assumptis intercessio sit inquirenda & speranda iustorũ, eis secura se obuolueret humana segnities, nec euoluita talibus implicamentis vllius virtutis expeditione curaret, sed tantũmodò quæreret aliorũ meritis liberari, quos amicos sibi de mammonâ iniquitatis eleemosynarũ largitione fecisset. Nũc verò dum venialis iniquitatis, etiã si perseueret, ignoratur modus, profectò & studiũ in meliora proficiendi, orationi instando, vigilãtiùs adhibetur, & faciẽdi de mammonâ iniquitatis sanctos amicos cura non spernitur.* Quin & è Scripturis sacris, peccata quædam esse grauia, quæ aliàs leuia putabantur, cognosci docet, dũ sic ait: *Sunt autem quædam, quæ leuissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione grauiora. Quis enim, dicentem fratri suo, Fatue, reum gehennæ putaret, nisi Veritas diceret? Cui tamen vulneri subiecit continuò medicinam, præceptum fraternæ reconciliationis adiungens. Mox quippe ait: Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, &c. Aut quis æstimaret, quã magnum peccatum sit, dies obseruare, & menses, & annos, & tempora, sicut obseruãt qui certis diebus siue mensibus siue annis volũt vel nolunt aliquid inchoare, eò quòd, secundũ vanas doctrinas hominum, fausta vel infausta existiment tẽpora, nisi huius mali magnitudinẽ ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait: Timeo ne fortè sine causâ laborauerim in vobis?* Similia apud eumdẽ Augustinum reperies lib. de Decem chordis, c. 11. item in Ps. 129. item Serm. 44. de Tempore, & Tract. 12. in Ioan.

Peccata leuia à grauioribus discernere, magni est laboris.

In Enchirid. ad Laurent. cap. 78.

Lib. 21. De Ciuit. Dei cap. 27.

In Enchiridio cap. 79.

Ex Isidoro nonnulla hic addere placuit, qui hũc in modum scribit: *Multi vitam sine crimine habere possunt, sine peccato non possunt. Nã quamuis in hoc sæculo magnâ iustitiæ quisque claritate resplendeat, numquam tamen ad purũ peccatorum sordibus caret, Ioãne Apostolo testante, qui ait: Si dixerimus quia peccatũ non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Quædam sunt facta similia peccatis: sed si bono animo fiant, non sunt peccata, vt potestas, si non se vlciscendi cupiditate, sed magis corrigendi studio, vlciscatur in reũ qui delinquit. Item sunt peccata leuia, quæ ab incipientibus quotidianã satisfactione purgantur, quæ tamen à perfectis viris velut magna crimina euitãtur. Quid autem homines peccatores de magnis sceleribus agere debent, quando etiã perfecti leuia quoq; delicta quasi grauissima lugent? Non solum grauia, sed & leuia sunt cauenda peccata. Multa enim leuia vnum grande efficiũt, sicut solent ex paruissimis guttis immensa flumina crescere: numerositas enim in vnum coacta, exundantem efficit copiam. Peccata quæ incipientibus leuia sunt, perfectis viris grauia reputantur. Tantò enim maius cognoscitur esse peccatum, quantò maior, qui peccat, habetur. Crescit enim delicti cumulus iuxta ordinem meritorum; & sæpe quod minoribus ignoscitur, maioribus imputatur.* Hæc Isidorus. 7.

Lib. 2. de Summo bono, cap. 18.

Quæ si vera sunt (at verò sunt verissima) & à nobis si probè excutiãtur, admonent, à Deo leuia etiam peccata grauiter puniri. nec immeritò: nã quæ exigua creduntur, sæpè magna esse possunt; imò eo ipso quo parui quis æstimat tenue peccatum, & voluntariè id multiplicat, grauem nõ modò pœnam promeretur, sed & ingenti sese periculo exponit. Audiamus, quæso, D. Bernardũ, qui *Ideò*, inquit, *Paulus consecutus est misericordiam, quia ignorans in incredulitate hoc fecit. Discite ex hoc, fratres, iustum iudicẽ Deum, non modò quid fiat, sed & quo animo fiat considerare; & cauete deinceps, ne quis parua reputet, quamlibet parua scienter delinquere conuincatur. Nemo dicat in corde suo, Leuia sunt ista, non curo corrigere, non est magnum, si in his maneam venialibus minimisq; peccatis. Hæc est enim, dilectissimi, impœnitentia, hæc blasphemia in Spiritum sanctum, blasphemia irremissibilis.* Et alio loco: *Esto, sit crimen, cui pœnalis illa gehenna vel gehennalis pœna assignatur: quale quæso illud definiemus esse crimen, quod Veritate indice reum tantum facit iudicio? Nec tamen diffitebimur esse reatum, quod vel hactenus reum statuit. Quòd si reatum, & peccatum. Porrò omne peccatum contra Dei mandatum præsumitur. Quod autem contra mandatum præsumitur, inobedientia dicitur. Hinc colligitur, quòd irasci fratri, & inobedientia sit, & crimen non sit. En vnum inuentum est Monacho leue ac veniale peccatum; quodq; non humani sed diuini mandati statuat transgressorem. In hoc genere sunt transgressionis nonnulla stultiloquia seu vaniloquia, & quæq; otiosè dicta, facta & cogitata. Huiusmodi enim numquam nisi contra mandatum, & Dei mandatum vsurpantur: peccata quippe sunt, & Deus prohibet omne peccatum, & tamen venialia non criminalia reputantur, excepto cùm per contemptum vertuntur in vsum & consuetudinem; & tunc non peccati species, sed peccantis intentio pensatur. Elatio quippe contemnentis, aut impœnitentis obstinatio, in minimus quoque mandatis culpam facit non* 8.

Quare venialia peccata tam grauiter in Purgatorio puniantur.

Serm. 1. de Conuersion. S. Pauli.

Tract. de Præcept & dispensat.

minimam, & conuertit in crimen grauis rebellionis, næuum satis leuem simplicis transgreßionis.

9. *Quare Deus minuta peccata castiget.* Lib. 6. Reuelat.

Causas verò alias easque iustissimas, ob quas Deus minuta peccata tam rigidè & seuerè puniat, idem benignus Dominus S. Birgittæ matronæ sanctissimæ singulari priuilegio reuelare dignatus est, quas ipsa etiam suis in Reuelationibus pro nostrâ cautelâ litteris consignare voluit, suntque hæ: 1. Quia qui peccauit venialiter, etiam peccato consensit. 2. Quia dignitatem & promissum spreuit sacri Baptismi. 3. Quia non curauit gratiam Confirmationis suæ ab Episcopo datam. 4. Quia non attendit pœnitentiæ tempus. 5. Quia non timuit in hoc Deū nec iudicia eius, sed ab eo recessit. 6. Quia cōtempsit patientiam Dei, quasi non esset, vel quasi iudicare nollet. 7. Quia de illius cōsiliis minùs curauit quàm humanis. 8. Quia non regratiauit diuinæ Maiestati pro suis beneficiis, sed eius cor totum tunc fuit in mundo. 9. denique, Quia passio Christi quasi mortua fuit in istius corde. Ecce nouem rationes, ob quas iustè punitur quodcumque veniale peccatum. Et quamuis Christus Dominus D. Birgittæ has causas retulerit occasione cuiusdam animæ quæ actualiter tunc in Purgatorio cruciabatur; tamen probè si inspiciantur, in omni, quantumuis leuissimo, delicto reperiuntur.

10. *Exempla nonnulla leuissimorū delictorum seuerissimè punitorum. Religiosi, quòd Diaconatum ambiuisset.*

Verùm enimuero ipsa exēpla, quæ modò adferemus, vel ad oculum commonstrabunt, quàm exigua etiam peccata punita ac punienda sint, & in Purgatorio vsque ad vltimum minutum exoluenda. Liber qui de viris illustribus Ordinis Cistertiensis conscriptus est, historiam narrat præsenti instituto valdè accommodam, & satis admirabilem de Religioso quodā idcircò grauiter in Purgatorio discruciato, quòd sacrum Diaconatus ordinem aliquādo ambiuisset. Monachus quidā, habetur ibi, Cistertiensis Ordinis, religiosā admodum conuersatione vitā suam consumēs, tentationibus & ærūnis huius miserabilis vitæ, morte interueniente subtractus est. Quo defuncto, Sacrista illius domus nocte quadam, imminente tempore vigiliarū, dum præstolaretur signū horologij, vigilās sedebat in lecto suo. Tūc ecce spiritus eiusdem defuncti Fratris, tamquā solido & palpabili corpore vestitus, repentè adstitit coram ipso, sicq; lamentabili voce allocutus est eū: Domine Sacrista, ego sum ille Frater nuper defunctus, sed cur ad te venerim, quæso vt pietatis intuitu pensare digneris. Ego enim, dū adhuc essem in corpore, licet per gratiā Dei vigilanter satis in obseruātiis Ordinis meipsum exercitarē, in vno tamen grauiter deliqui, quòd scilicet sacrū Diaconatus ordinē carnaliter concupiui, & vt ad hūc honoris gradum ascenderē, sine respectu timoris Dei, valdè inquietus fui. Quodq; adhuc grauius, absq; condignâ pœnitentiâ huius delicti de corpore exiui, quia nec tanti ponderis hoc fore putabam, quanti post mortem inueni. Sed pius Dominus mihi tibi apparere concessit, quatenus qui iam per meipsum mereri nil possum, Fratrū nostrorum, qui adhuc tam sibi quā aliis Dei misericordiā promereri possunt, orationibus debeam adiuuari. Itaque obsecro per pietatē Domini nostri Iesu Christi, quatenus calamitatē meā Priori exponas, ipsum roges vt in Capitulo me absoluēs, generalem orationē pro meâ liberatione Fratribus iniūgere dignetur. Vt autē noueris, hæc quæ

Apparet is alteri Religioso.

vides & audis, phantasticā nequaquam esse illusionem, in argumentū veritatis, Psalteriū, quod Portarius ante aliquot dies in Capitulo requisiuit, & nondū inuenit, illud tali loco repositū inuenies. Verùm cū Sacrista hæc audiret & videret, & multū miraretur tam insolitā nouitatē rei, tamen cum homo esset maturi cōsilij, ipso die nemini quidquā super hoc verbo locutus est, reputans, ne fortè tamquā somniator, aut à dæmonibus illusus, derisui haberetur. Nocte verò sequēti, dum sicut priùs vigilans, & sedēs in lecto suo, de his quæ sibi præteritā nocte contigerāt, attentiùs cogitaret, rursus ille defunctus, sicut anteà, vigilanti & stupenti apparuit, dixitq; ei: Nō rectè agis, Domine Sacrista, nō rectè agis erga me, qui iram Domini porto, quoniā peccaui ei, in cuius manus quā horrendum sit incidere, vtinam & tu non experiaris. O si scire posses, quā grauis est etiā minima pœna animæ à carne solutæ, profectò non tam negligēter ageres, sed totis viribus succurrere satageres. Quapropter etiā atque etiam contestor te propter Deū, ne vltrà dissimules, sed petitionem meā effectui mandare festines; quia spero me per orationes Fratrum nostrorum apud clementissimū iudicem Deum misericordiā adepturum. Vt autē totius dubietatis scrupulus de corde tuo tollatur, & meipsum esse, quem paulò antè viuētem in carne benè noueras, nō dubites, ecce tolle de manibus meis Psalteriū, quod Portarius in Capitulo requisiuit, & necdum inuenit. Tulit itaq; Sacrista de manibus eius Psalteriū, super tā inauditis mirabilibus Dei vehemēter obstupefactus. Porrò ipse idē Sacrista scire volens, vtrùmne solidum & palpabile esset corpus quod videbat, vtrùmne subiaceret tactui sicut visui, cū haberet prope se virgā, tulit eam, & quasi tangēdo experientiæ satisfacturus, leui ictu vibrauit illam, sed mox, nullo penitus obstaculo resultante, quasi per vacuum aërem, sic per corpus quod apparebat transducta est. Manè autem facto, Priori & Fratribus quæ viderat & audierat intimauit, Psalterium etiā quod acceperat tamquam veritatis pignus protulit: sicq; Fratris illius anima per communes Fratrum orationes & Missarum celebrationem, pœnis, vt creditur, absoluta, beatitudinis æternæ consortium Deo miserante promeruit. Ita Cistertiensis Ordinis monumenta.

Pœnam huius Purgatorij inculcat.

Liberatur.

11. *Part. 5. ca. 5. Alterius cuiusdam Religiosi exemplum.*

Paria è Dominicanorū libris hic attexere possumus, in quorū Vitis hæc leguntur: Fuit in Angliæ prouinciâ in Conuentu Derbeye F. Gerardus, iuuenis valdè deuotus, qui in villâ quadā, ad quam exierat, in domo FF. Minorū infirmatus ad mortem, præsentibus tribus Fratribus nostris & duobus Minoribus, manu suâ oculos clausit, & pleno ore subrisit. Cui Supprior Fratrum adstās quæsiuit cur risisset; & ait: Quia modò venit S. Haymundus Rex noster martyr, & ecce tota domus repletur Angelis. Et iterū intensiùs risit dicens: Domina nostra aduenit, salutemus eā. Cūque dixissent omnes, Salue Regina, &c. ait infirmus: O quā acceptauit B. Virgo hāc salutationē, & ipsa gaudēs subrisit! Post hæc Frater infirmus oculos ad ostiū dirigēs, vultu in pallorē mutato, ait: Iam Dominus Iesus venit ad iudicandum me. Et factus in agoniâ tamquā ductus ad iudiciū, in omnibus membris, priùs emortuis, tantum contremuit, & in tantum sudauit, vt, sicut testatus est dictus Supprior, vix ad tergendū sudorem vultus illius

illius sufficeret, & quasi coram iudice constitutus, cũ omni timore disceptabat, dicens aliquando, Verum est; aliquando, Non est ita: aliquando B. Virginem interpellans ne discederet ab eo; aliquando accusantes constãter redarguens. O (inquit inter cetera) bone IESV condona mihi hoc modicum. Cui Supprior ait: Quid est, Frater charissime? computantúrne peccata modica inter magna? Heu, inquit, ita! grauissimè gemens. Cùm autem moneretur à præfato Suppriore, vt nullo modo diffideret, etiãsi Angelus de cęlo aliud suaderet, quia Saluator noster misericors est; respõdit infirmus vultu exhilarato: Reuerà misericors est; & post modicum expirauit. Sed & hoc ibi legitur: Fuit in Conuentu Scaurensi Frater quidam Ferrãdus nomine, qui longâ infirmitate & multis languoribus fatigatus decessit. Cuius facies post mortem nimio splendore splenduit, sicut qui eũ præparauerunt testantur. Posteà vero cuidam illorum dormiẽti apparuit. Qui cùm quæreret, an non mortuus esset; respondit: Corpore quidem mortuus sum, sed animâ viuo. Tunc Frater ait: Quid est de F. Didaco? (hic de Conuentu illo decesserat in tempore illo) respõdit: Die parasceue futuro cælum ingredietur. Tunc iterùm Frater quæsiuit: Dicite mihi, qualem pœnam sustinuit? Tunc ille respondit: Pœna eius est pro vanâ gloriâ quam habuit in cantando. Aliud: Defuncto quodam Fratre qui circa ædificia nimis fuerat curiosus, Frater alius eiusdem Conuentus extrà in prædicatione positus, dixit socio suo: Hodie mortuus est apud Bononiam talis Frater senex; Cui cùm ille diceret, Quomodo scitis? respõdit: Vidi in somnis euntem illum per claustrum quasi manibus & pedibus reptantem, & portantẽ virgam quâ parietes mensurabat, & duos dæmones, vnum à dextris, & alium à sinistris cũ fortiter verberantes. Redeuntes igitur ad Conuentum, inuenerunt quòd eadem die dictus Frater obierat. Aliud: Narrauit venerabilis & religiosus Pater Episcopus Vlixbonensis, Frater Ordinis nostri, quòd Frater quidã, qui circa quaternos multùm fuerat sollicitus & tenax, apparuit exustus cuidam familiari suo, & quærenti cur ita arderet, respondit: Væ, væ, de quaternis illis qui tantum me cremant! Cùm autem Frater quæreret ab eo de suâ conscientiâ quâ erat admodum scrupulosus, respondit, Cõsule Discretos, & acquiesce eis. Aliud: In Conuentu Lemouicẽsi obiit F. Ioannes Balistarij, facundus & subtilissimus Prædicator. Qui die octauâ pòst apparuit cuidam personæ honestæ sibi familiari (vt ipsa retulit) in magnâ gloriâ existẽns, dixitq; se fuisse in Purgatorio septẽ diebus, maximè pro ingratitudine, & verbis solatij, & corporis recreatione. Interrogatus de pœnâ, respondit, quòd non poterit alicui alij cõparari. Interrogatus de statu illius cui apparebat, dixit quòd non erat ei reuelatum, sed si perseueraret saluus esset. Dixit autem, quòd venialia quæ hic parua reputabantur, postmodum grauia inueniebantur in pœnâ. Aliud: Quidam Frater religiosus & prædicator bonus apparuit in somnis post paucos dies à suo obitu cuidã Fratri sibi perchaŕo. Qui territus quęsiuit ab illo quomodo sibi esset. Respondit quòd optimè & in optimo. Interrogatus autem Frater, quomodo in suo fine tantũ territus fuerat, vt videntibus Fratribus faciẽ frequenter auerteret, & collum rotaret; respondit:

In morte valde anxiatur.

Varia aliorũ exempla.

Numquid non legistis quod scriptũ est, quia territi purgabuntur? Et in fine capitis additur post alia multa exempla recitata: Ex prædictis patet, quòd Fratres pro parentum affectu, pro vanâ gloriâ vocum, pro curiositate ædificiorũ & tenacitate librorum, pro vehementiâ quæstus, pro auiditate bibendi, pro tarditate confitendi, pro irreuerentiâ ad Prælatos, pro distractione secularium negotiorum, pro ingratitudine beneficiorũ, pro nimiâ recreatione corporum, pro solatiis & leuitate verborũ, & pro excessu quamuis vilis credatur, & pro aliis quæ nobis videntur leuia, grauiter in obitu & post obitum puniuntur. Vnde expedit cauere ab iis, & si contigerint, hìc vrere, hic secare, vt in æternum parcatur.

Quid ex prædictis concludendũ.

Quin & ipse D. Gregorius Papa disertis verbis asserit, Deiparam Virginem Musæ puellæ apparuisse, eiq; testatã esse, si cõsors esse cuperet Virginibus in cælo triũphantibus, nihil leue aut puerile ageret, atq; à risu & omni ioco abstineret. Sed quo maior dicto fides tribuatur, ipsa D. Gregorij verba in mediũ adferemus. *Sed neq; hoc silẽã, inquit, quod Probus Dei famulus de sorore suâ, Musâ nomine, puellâ paruâ narrare consueuerat, dicens quod quadam nocte ei per visionem sancta Dei genitrix virgo Maria apparuit, atq; coæuas ei in albis vestibus puellas ostẽdit. Quibus cùm illa admisceri appeteret, sed se eis iungere non auderet, B. Mariæ semper virginis est voce requisita, an vellet cum eis esse, atque in eius obsequio viuere. Cui cùm puella eadem diceret, Volo; ab eâ protinus mãdatum accepit, vt nihil vltrà leue ac puellare ageret, à risu & iocis se abstineret, sciẽs per omnia quòd inter eas virgines, quas viderat, ad eius obsequium die trigesimo veniret. Quibus visis, in cunctis suis moribus puella mutata est, omnemq; à se leuitatem puellaris vitæ magnâ grauitatis detersit manu. Cumq; eam parentes eius mutatam esse mirarentur, requisita rem, retulit quòd sibi beata Dei Genitrix iusserit, vel quâ die esset itura ad obsequium eius, indicauit. Tum post vigesimum quintum diem febre correpta est. Die autem trigesimo, cum hora exitus eius appropinquasset, eandem beatam Genitricem Dei cum puellis quas per visionem viderat, ad se venire conspexit. Cui etiam se vocanti respõdere cœpit, & depressis reuerenter oculis apertâ voce clamare: Ecce Domina venio, ecce Domina venio. In quâ etiam voce spiritum reddidit, & ex virgineo corpore, habitatura cum sanctis virginibus, exiuit.* 12.

B. Virgo Musam puellã vt à risu & ioco abstineret monuit, si virginum in cælo coronã adipisci vellet.

S. Gregorius l. b. 4. Dialog. c. 17.

Eiusmodi plura alia exempla ex variis Auctoribus transcribere liceret, sed ne nimiâ prolixitate Lectori fastidio simus atque tædio, compendiosè nonnulla alia recensebimus. Cæsarius refert de puero quodam, qui sine extremâ Vnctione obierat, quem diabolus accusauit, quòd germano suo obolum vnum surripuisset, nec pro eo furto pœnitentiam compleuisset. Cumque Deum puer quasi velatum atque omnino terribilem conspexisset, audiuit eum à dæmone petere, num vellet ipse animam ob tam leue delictum condemnari. Postquam verò pro eâ vigintiquatuor seniores Deo supplicassent, coniectus est puer in puteum planè horrendum & ardentem, in quo vbi per horam terribilissimè tortus fuisset, ad vitam rediit, tantáque se breui illo horæ spatio perpessum fuisse affirmauit, vt nullatenus sibi possibile fore dixerit tormentorum grauitatem explicare. Thomas Cantipratanus refert, Religiosum quemdam Canonicum Regularem Monasterij S. Ioan- 13.

Lib. 12. Mira. vtrorum, cap. 52.

Puer, quòd vnum obolũ à fratre suo surripuisset, pœna.

Lib 2. Apũ. cap. 5c.

Religiosi, ob leuiculum risum;

S. Ioannis in Vineis apud Suessionem in Galliis, dum in extremis ageret, cœpisse ridere, quasi omnes iam ei Sancti adessent, & cæli ipse gloriam prægustaret. Quod videns meritissimus quidam, vt loquitur, Walterus, non modicum tristabatur. Cuius ratio non ita diu pòst omnibus innotuit; nam ipse qui in agone erat mox flere incepit, atque vbi Fratrum Conuentum conuocasset, fateri, sese primùm à dæmone fuisse deceptum, sed posteà à Beatissimâ Virgine reprehensum, atque ad excitandam in se contritionem super risu isto admonitum, vt qui aliàs magna propterea tolerare supplicia debuisset. quapropter ad culpæ illius impetrandam faciliùs remissionem, Fratrum precibus humiliter sese commendans, lacrymando expirauit.

Specul. historial. l. 26. cap. 5. *Episcopi Tolosani, quòd in sermone facetior fuisset;*

Vincentius Belluacensis narrat, Abbatem Moysiacensem, ac posteà Episcopum Tolosanum, mirâ pietate ac eruditione excelluisse, fuisse tamen exiguæ cuidam imperfectioni addictum, quòd nempe in sermone suo lepidus ac facetus esset: quare & à Ven. P. Hugone fuerit præmonitus, nisi se ab isto defectu emendaret, post mortem eum apparitiurum deformem; quod & ita factum est: nam à Siguino Cappellano quasi spumans visus fuit, & auditus preces pro suâ liberatione ardentissimè implorare.

Distinct. 9. Exempl. 81. *Nobilis, quòd venationi nimiùm fuisset deditus.*

Speculum exemplorum ex diuersis Auctoribus refert, visum esse quemdam militem, qui tametsi fuisset iustus, castus & bonus, imò & hospitalis, crudeliter tamen lacerabatur ab aue humeris eius insidente, quam pœnam grauissimam esse affirmabat, eique se adiudicatum dicebat, quia nimiùm deditus fuerat venationi: vnde & amicos, quos in vitâ habebat, contestabatur, vt tam intolerabili suo tormento precibus suis subuenirent. Chronica Cistertiensium & Franciscanorum plena sunt eiusmodi apparitionibus, quibus sese viuis conspiciendos exhibuerunt Religiosi mortui spectrorum instar & in terribilissimis planè figuris, qui se quererentur in grauibus detineri suppliciis ob leues omnino causas: alij, quia inclinationem non fecerant satis profundam; alij, quia non satis oculos suos cohibuerant, vel Superioribus molesti fuerant, aut etiam quòd sæcularibus consanguineis atque amicis familiariores extiterant, & huiusmodi multa.

Distinct. 9. Exempl. 41. *Religiosi, quòd veteres, vt nouos acciperet, soccos abscondisset;*

14. Venerabilis Humbertus, Prædicatorum Generalis, narrare solitus erat de sociis duobus, quorum vnus alteri tristi schemate apparens significauerat, non ob aliam se rationem crudelissimè Purgatorij pœnis vrgeri, quàm quòd soccos suos veteres abscondenat, vt citiùs acciperet nouos: vnde & ab eodem sodali hoc petiit, vt illos de sub lecto, vbi absconsi adhuc iacebant, auferret, atque in Capitulo absolui se faceret, precibusque se redderet commendatum.

Distinct. 3. Exempl. 45. *Religiosi, quòd sine licentiâ scapulare consuisset.*

Item, Frater quidam iam agonizans partem sui scapularis, quam sine expressâ fuerat Superioris licentiâ, vidit à dæmone, in simiæ figurâ se spectandum præbente, exosculari, lambique, ac miris gesticulationibus affici, donec receptâ iterùm loquelâ eamdem culpam confessus est: quo facto iste cacodæmon celeriter in fugam conuersus est.

Distinct. 3. Exempl. 35. *Iuuenis, quòd in lusu modum excessisset,*

Chronica Cistertiensium produnt, iuuenem, eò quòd in lusu excederet, ictu manus vehementissimo à dæmone fuisse percussum, quare rogatâ, &, vt credebat, à Deo obtentâ remissione, Ordinem Cistertiensem est ingressus.

Alterius, quòd in templo respexisset; *Religiosi, quòd in Choro dormitasset;*

Alteri item in Ecclesiâ respicienti ab Angelo colaphus impactus fuit. Imò quod terribilius est, scribitur ipsemet Saluator in quodam sanctissimi cuiusdam Ordinis Monasterio, ex cruce, in quâ pendebat, descendisse, vt Religioso, qui ibidem sub Matutinis in choro dormitabat, alapam impingeret.

Distinct. 9. Exempl. 140 *Abbatis, quòd in officio diuino distractiones admisisset;*

Abbas quidam cum sociis quindecim infirmo Fratri visi fuerunt, eiq; contestati sunt, se maximis vrgeri Purgatorij pœnis propter distractiones quas in diuino Officio passi fuerant; nō posse autem se liberari ob tepiditatem ac negligētiam Monachorum, qui non recitabant, aut negligenter saltem recitabant preces, quas pro animabus suis persoluere tenebantur. Exposuerunt insuper, quantis post vitam istam pœnis subiacerent, qui sese non satis recolligerent, sed subinde cachinnarentur & riderent, vagabundi essent in oculis, nutibus sibi inuicem sub diuino Officio loquerentur, somno dediti forent, non profundè satis se inclinarent quando recitabant *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, aliaque huius generis plura.

Lib. de statu animarum, cap. 9. *Monialis, quòd silentij non fuisset obseruatrix;*

P. Martinus de Roa exemplum habet spectans ad fabulas extra tempus debitum euitandas. Refert enim, Monialem alteri Moniali, cum quâ sæpiùs in silentio defecerat, à morte præsentem adstitisse, monuisseque quomodo ob transgressas silentij leges grauiter torqueretur, & idcircò orationibus illius adiuuari enixè petebat.

Ioannes Iunior Dominicanus è Scalâ cæli. Speculum Exemplorũ distinct. 9. Exempl. 104

Sacerdos item quidam dæmonem vidisse scribitur, qui in templo factas confabulationes, & alias quàm de Deo habitas distractiones atque cogitationes calamo exciperet: cumque nimis multa haberet quæ scriberet, & pergamenum, in quo scribebat, non caperet omnia, ipsum, gaudio affectum plurimo, dentibus violenter extraxisse, caputque suum, ex vi quam corio extrahendo faciebat, parieti illisisse, sicque videntem ad risum concitasse, idque suo cum reliquis memoriali annotasse, mirabiliter affectum quòd in locis sacris fierent quæ Deum offenderent, eiusque vindictam exigerent.

De vestium luxu quid dicam? Non is tantùm sæpè est grauiter venialis, sed & frequenter 15.
mortalis, quod multis probare possem; duo tantùm exempla, enormi isti vestium luxui, qui moderno tempore, heu! nimisquam viget, restringendo atque coërcendo adscribemus.

Io. Iunior è Scalâ cæli. *Mulieris, ob nimium corporis ornatũ, damnata.*

Cùm quædam Domina frequenter Dominum Deum rogaret, vt sibi ostenderet quid maximè in muliere odisset, vt ab illo sibi cauere posset, rapta aliquando vidit Comitissam quamdam stare in tormentis maximis, & cruciari absq; misericordiâ à crudelissimis dæmonibus. Cùm autē de pœna ad pœnam raperetur, & coram istâ transiret (quia sibi, dum in viuis esset, fuerat familiaris) inclamaret: *Heu! heu misera! casta fui, abstinens fui, & eleemosynaria, & pro nullâ aliâ recrucior nisi pro ornatu, per quem fui peior quàm ignis infernalis, qui non comburit nisi peccatores & ipsi coniunctos, sed ornatus meus sanctos & iustos, non coniunctos & iunctos consumpsit.* Tunc illa quæ hæc videbat dixit ei: Ergo ornatus est illud quod plus displicet in muliere? Cui damnata: Vanus ornatus est fax inflammans omnem ignem peccati, & proditor, vendens & tradens castra Dei dæmonibus, & est imago damnationis æternæ. Tunc venerunt duo teterrimi dæmones cum lanceis igneis, & perforantes eam,

cam, posuerunt in ollam maximam plumbo liquefacto plenã. Tunc illa ad se reuersa cognouit, nimium ornatum esse, qui Deo in muliere displiceret. Fuit etiã quidã Religiosus & Sacerdos, qui pro matre suâ mortuâ celebrabat, & se pœnis magnis affligebat. Cùm autem quadam die cum lacrymis pro eâ Deum exoraret, vidit eam coram se stantem, & equitãtem super draconem qui sulphureum ignem spirabat, & ab vtraque parte ipsius stabat dæmon vnus cum catenis igneis, habentibus aculeos, quibus eam ligatam tenebant. E capite eius prorepebant lacertæ multæ & maximæ, quæ cerebrum eius exsugebant. In oculis eius erant scorpiones, & in auribus eius duo crudelissimi mures. Simia stabat ante eam, & durissimo lapide labia os & dentes eius contundebat. Serpens maximus collum cingebat, & vbera eius sugebat. In manibus erant annuli ignei, & pedes cingebantur sub ventrem draconis. Cumque iste hæc videns territus corrueret, nec verbum proloqui valeret, illa clamauit: *Noli timere, fili mi, quia nec ego nec illi qui mecum sunt, tibi nocere possunt. Ego sum illa maledicta & infelicissima mater tua, quæ damnata, æternaliter istis pœnis subiicienda sum.* Tunc filius resumptis viribus ait matri: *Cur estis damnata, cum fueritis confessa, suscepistisq; benè Ecclesiæ Sacramenta?* Respondit illa: *Ornamentum vanum nihil est, quàm saccus vel arca plena irâ Dei; & quia totam iuuentutem meam in lasciuiis & picturis, & in ornamentis vanis expendi, damnata sum. Et licet de istis confiterer, non tamen cum proposito dimittendi; quando verò dimisi, non voluntariè, sed propter honorem meum. Non fui contrita de præcedentibus, nec confessa de indignâ susceptione Sacramentorum, nec de inordinatâ confessione, & palleatione mea.* Tunc filius: *Quid significant istæ pœnæ?* Respondit mater: *Draco iste, cui insideo, est mihi datus pro consensibus corruptionum quos ego habui & affectaui, vt alij de me delectationem haberent, & dedi occasiones multas peccandi. Isti sunt duo dæmones qui in vtroque latere me affligunt: vnus est pro retributione bonorum quæ ego feci patri tuo, vt prouideret mihi in bonis ornamentis; alter pro prouocatione, quam ego faciebam ad alias mulieres, vt similibus ornamentis & picturis se componerent. Catenæ sunt mihi datæ propter vanitatem cingulorum & zonarum argentearum, quas libenter eundo in tunicâ ostendebam, & quot clauos argenteos habebant, tot ferrei de istâ catenâ intrant in me, qui cruciant me mirabili modo. Vinculum manuum est propter corruptos tactus factos. Annuli ignei propter ostensionem manuum. Coluber colli est propter ostensionem pectoris. Et quia sustinui ibi corruptos tactus, sugit mea vbera cum dolore horribili. Lapis frangens os, & labia, & dentes, & linguam, est propter corrupta oscula, propter immunda verba, propter lasciuos cantus. Mures aurium sunt propter corruptum & dissolutum auditum; sed scorpiones oculorum sunt propter alienos crines, & ornatus varios, & lotiones indebitas faciei & capitis mei. Vinculatio pedum subtus ventrem draconis, est propter chorizationes & inordinatos discursus, quos ego feci ad ostensionem pulchritudinis meæ. Et ideò maledicta sum in æternum, nec preces tuæ, nec cuiuscumque alterius possunt imminuere pœnam meam.* Et subitò cum furore se erigens draco qui eam portabat, tamquam fulgur cum horribili vlulatu recessit. O tremendum dæmonis stratagema! quis non hosce diaboli laqueos incidere pertimesceret, quos nobis etiam in superfluo corporis nostri ornatu procurando ponit? Quis non exhorrescet, audiens tantillis peccatis, prout à plerisque æstimantur, rigidissimos in omnem æternitatem reponi cruciatus? Sed iudicia Dei abyssus multa!

Ibidem. *Alterius mulieris, ob eamdem causam, damnatio.*

16. Immò verò quia iudicia hæc Dei, idcircò & hominum per quos locutus est Deus. nam illa à SS. Patribus longè antè, quàm prædicta contigerint exempla, decantata & recantata fuerunt, ob leues nimirum huiusmodi, vt mundani quidem iudicant, vanitatis excessus, horrendam illorum sectatoribus imminere damnationem. S. Ioannes ergo Chrysostomus sic inquit: *Quali veniâ dignandi sunt, qui & in vestimentis multam vanitatem ostentant, & vt vermium texturas gestent, solliciti sunt, & quod grauissimum, in his superbiunt. Oportebat tremere, & se abscondere, & vereri præ confusione, quòd ipsi quidem ob nullam vtilitatem, neque necessarij vsus gratiâ, sed tantùm ob vanitatem & inanem gloriam, & vt vulgo ac forensibus admirationi sint, talibus induantur. Obambulat autem eiusdem naturæ consors nudus, qui nec plenâ veste amicire se potest, & neque naturâ ad compassionem ducuntur, sed quasi lapideum cor habentes, ita se putant ob vestium cultus etiam aliis hominibus superiores esse.... Quo supplicio non sunt digni, qui modis omnibus dant operam, vt sericis & auro intertextis induantur, & post se pompam trahant in foro? Maximè autem sermo iste aduersus mulieres congruerit: maiorem enim apud eas inuenimus ornandi cupiditatem & intemperantiam, cùm auratis vestibus, & auro in capite, in ceruice, & in aliis corporis partibus ornantur, & intus quoque superbiunt. Quot pauperum ventres poterant inde pasci, & quot corpora nudè agentium contegi, ex his quæ à solo collo & humeris pendent, nullius alterius vsus gratiâ, quàm in damnum & nocumentum animæ? Propter hoc & Paulus, cum dixisset, Habentes victum & amictum, vertit ad mulieres sermonem, & dicit: Non in tortis crinibus, vel auro, vel margaritis, vel veste sumptuosâ ornent se,* &c. Idem ipse sanctus Pater alibi acriter inuehitur in eos qui in calceis aurum gestabant, & tandem ista subiungit: *Magnam animi mollitiem hoc ostendit, magnam leuitatem, vnà cum curiositate temerariâ. Nam quando rebus poterit, qui tantis diffluit luxuriis, diligenter vacare diuinis? Quomodo animæ suæ curam habebit? Virtutis penitus expers est, qui studium suum ad hæc contulit vniuersum. Nam qui gloriam serici, qui florem coloris, qui ad aureos intextus curiosè perspicit, quando in cælum suspiciet? quando illam pulchritudinem admirabitur, qui tincturas istas respiciens, & ad terram flexus, altiùs se non potest erigere? Tu verò ad terrena, quasi porcus, diaboli artibus persuasus, deuolueris. Deus qui cælum tibi offert, à diabolo serica tibi licia offerente superatur. Quid facis homo? Animam hac luxuriâ in cænum coniecisti, eam in terrâ negligis detineri, & calceamentorum tanto mærore angeris? Quid verò de reliquo corporis superfluo ornatu quis iudicabit, si tanta culpa est, tanta animæ pernicies, solùm in calceorum exorbitantiâ superbiam fouisse, luxumq; aluisse?* Iterùm idem Pater, exponens illa Apostoli verba: *Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundiâ & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosâ,* &c. ita scribit: *Habitum, profectò tunicam vndique honestam, compositam significare voluit. Ornatum non exquisitum intelligas, sed moderatum. Quid dicis? Deum pec-*

Idem à SS. Patribus longè antè traditum fuit.

Homil. 17. in Genesim.

1. Tim. 2.

Tom. 2. Homil. 50. in Matthæum. *Contra eos qui in calceorum exquisitam pompam feruntur.*

1. Tim. 2.

Homil. 8. in Epist. 1. ad Timotheum.

catura pergis, & ornamenta aurea circumfers, & flauos crines, & ipsos auro compositos? An verò saltatura ad Ecclesiam pergis? Numquid hic nuptias & lasciuiæ oblectamenta conquiris? Num vt tui spectaculum exhibeas aduenisti? Num tibi nunc instruendus est thalamus? Et post pauca: *Cum verecundiâ & sobrietate. Noli igitur eas imitari, quæ meretricio ferũtur incessu.* Et denique quid omnis ista vanitas præmij & laudis apud Deum consecutura sit sic exsequitur: *Timeamus, dilectissimi, ne nos quoque eadem audiamus, quæ Propheta Hebræis mulieribus huiusmodi ornatu exteriori gratulantibus comminatur dicens: Pro zona, funiculo cingeris; & pro ornamento capitis tui, caluitium habebis. Adeò autem plus ista quàm aurum ad lasciuiæ illecebram valent, vt etiam scorta plurima ad hoc huius studio intendant, vt per adspectum sui, capiant intuentes. Christum habes sponsum, quid amatores post te homines trahis? Meritò te ille adulterij damnat, quod ornatum sibi gratum tibi conquirere negligis, verecundiam scilicet, honestatem, habitumq; ornatum. Hic nempe habitus adulter est, atque adeò fœdus, vt meretrices ac virgines ferè discernere nequeamus.* Isaiæ 16.

17. S. Hieronymus perinde nimium in vestimentis luxum taxat, ne dicam condemnat. *Propheticus sermo*, inquit, *nequaquam proferatur à vobis, Filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi, & dealbatæ ad extra vt monumenta quæ extrà auro relucent, intus autem sunt turpissima & immunda. Huiusmodi non filiæ Regis Christi, sed Tyri. Hæ semper in muneribus, hæ vultus impudicitiâ, per diuites plebis capiuntur, & capiunt. Imperfectissimus mulierum affectus: semper in vestibus, semper in auro, lapidibus pretiosis & ornamentis extrinsecis gloriam putant. Non sufficit eis libido innata naturæ, sed occasiones quærunt explendæ libidinis. Affectant procul dubio, vt oculi virorum, aurum contemplantes & gemmas, tandem figantur in faciem, vt oculorum suorum nutibus faciliùs incitent ad libidinosum incendium. Quid exaltaris in pulchritudine panni? Non est omnis caro cinis & fœnum, massa putredinis, & fœtidissimum stercus?* &c. In Regulâ Monacharũ ad Eustochiũ c. 18. To. 9.

Idem sanctus Doctor, exponens verba illa, *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion*, &c. hæc habet: *Nunc ad mulieres Propheticus sermo conuertitur, ne se alienas arbitrentur à crimine, ob quarum delicias & luxuriam depasti sunt exactores vineam Domini. Præmiserat enim, Pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & pedibus suis composito gradu incedebant*, &c. Lib. 2. in c. 3. Isaiæ, To. 4.

18. Quid iam putatis de fucatis cerussâq; & stibio adulteratis faciebus SS. Patres protulisse? Sine vllâ exaggeratione verba illorum, vt minori cum inuidiâ loquar, adducam. Scripsit itaque S. Ioannes Chrysostomus, imperterritus vitiorum taxator, hunc in modum: *Illa glorificat Deum in animâ & in corpore, quæ exteriorem non quærit ornatum, quæ vnguentis non delibuta pergit, quæ faciem nequaquam fucu atque coloribus pingit, quæ Dei contenta opificio, nihil ex se addere quasi arte molitur. Quid enim studium tuum? quid artem consummato à Deo opificio admouere præsumis? Non tibi sufficit diuina formatio? An verò veluti excellentior opifex, diuinum opificem corrigere impiâ moliris audaciâ? atque ad auctoris iniuriam ornaris, vt post te greges iuuenum trahas. Et quid, inquies, ipsa facere possum? neque enim ego hæc volo, sed viri gratiâ facere ista compellor. Adamari non potest quæ non vult. Pulchram te condidit Deus, vt in hoc ipse lætetur, admirationiq; sit opificium suum, non vt iniurias patiatur. Noli ipsi huiusmodi referre vicem; verum pudicitia atque verecundia te ipsam ornare contende. Pulchram idcircò te creauit Deus, vt virtutis tibi adderet præmia: neque enim idem est, speciosam, & quæ à plurimis adamari posset, studere pudicitiæ; & quæ huiusmodi careat, nulliq; sit expetenda, castitatem seruare. Speciosam te creauit Deus, quid igitur teipsam deformem facis?* Contra eas quæ pigmentis facies adulterinam pulchritudinem mentiuntur. Homil. 4. in Epistol. 1. ad Timotheum.

Multa alia præclara eodem loco habet idem sanctus Pater, sed prolixiora quàm vt huc omnia transferri possint & debeant. Paria habet alicubi Origenes, qui nimirum explicans illa verba: *Exterminant enim facies suas*, sic inquit: *Benè dicit quòd exterminant, hoc est, immaculatas maculant, incoinquinatas coinquinant, mundas sordidant. Propterà digna illos exterminatio in hoc sæculo expectat. Tales sunt aliquæ mulieres, quæ album, & nigrum, & rubicundum super facies suas inducunt, quasi sapientiores plasmatore suo, tamquam non benè illum fecerit vultum, tamquam non prudenter istam faciem constituerit, huius creantis opus volunt emendare, & componere non erubescunt, & post fabricatoris, manus superaddere non verentur. Mortuis coloribus viuentes suas facies liniunt, & de viuentibus in mortem transmutant: ideò, vt imprudentium faciant euolare corda, vt minùs cautorum subuertant animas, vt multam perditionem sibimet parent.* Matth. 6. Tom. 5. Homil. 4.

Nec officio suo defuit S. Augustinus, qui sic mulieribus concionatur: *Fucari pigmentis, quò rubicundior vel candidior appareat, adulterina fallacia est, quâ non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittenda sunt feminæ ornari, secundùm veniam, non secundum imperium.* Epistolâ 73. ad Possidonium.

Idem alibi: *Num sinceritas perseuerat & veritas, quando quæ sincera sunt polluuntur, & colorum adulterinis medicaminum fucis, in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dicit, Non potes capillum vnum album facere aut nigrum, & tu, ad vincendam Domini vocem, vis te esse potiorem, audaci conatu, & sacrilego contemptu. Crines tuos inficis; malo præsagio futurorum, iam tibi capillos flammeos auspicaris, quales in inferno sunt futuri.* Lib. 4. de Doctrinâ Christiana.

Hactenus SS. Patres, quibus & Scripturæ sacræ plura testimonia, & ampliùs capillaturam & in vestibus luxuriam condemnantia, adducere possemus, quæ omnia tamen commodiore loco Libro nostro III. referenda erunt. Sat modò vidimus, in vnâ re, quam homines mundani rem credunt esse minimam, maximum latere peccatum: hanc itaque S. Ioannis Chrysostomi paternam planè admonitionem omnes non solùm ad aures corporis, sed & mentis, admittere debent: *Persequamur gloriam, fratres, quâ nihil dignius, nihil reuerentius est; relinquamus illam, quâ nihil abiectius. In amictu vestium ne glorieris. Tineæ, huius te gloriæ voluptate priuabunt. Gloriantur in re quam vermes & gignunt, & perdunt. Feruntur enim quidam ex India vermiculi huiusmodi facere vestes. Si vestem possidere cupis supernè intextam, amictum omnino mirabilem atque clarissimum; indumentum penitus aureum acquirere stude. nempe illud aurum non metallum est, cuiusmodi damnatorum effoderunt manus, verùm ex virtute generatur. Induamus nos stolâ illâ, quam non homines inopes, aut serui conficiunt, sed ipse Dominus se diligentibus præparat*, &c. In 1. Epist. ad Timoth. Homil. 1. Exhortatio salutaris ad delicatulos in vestitu.

CA-

CAPVT XXVII.

Ad longissima etiam tempora nonnumquam acerbissima ista supplicia extrahuntur.

1. *Deus quoquo modo nos à temporalium affectu nimio abstrahere studet.*

INfinita Dei bonitas, quæ homines omni tum bono perfrui, tum quocumque malo eximi amat, videns quàm ingentem ex inordinato rerum mundanarum, quæ citissimè præterlabuntur, affectu iacturam patiantur, nullis non modis annisus est, eos ab insanâ temporalium curâ (per quam posteà in grauissima & prolixissima tormenta incidunt) ad perfectam earumdem abnegationem reuocare. Inter alia Saluatoris consilia longè saluberrima, & hoc reperimus monitum: *Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis.* Ex quo colligi potest, vanum esse, imò culpabile, & homine Christiano indignum, hisce terrenis, quibus cælestia vel amittuntur vel saltem differuntur, inhiare. Nec mirandum est, si in alterâ vitâ longis & prolixioribus tormentis destinentur, qui breues istas, fluxasque consolationes amore vel timore Dei hîc dimittere noluerunt, vt iustè non in eos tantùm qui damnati, sed & qui purgandi sunt, quadret ista Apocalypseos sententia: *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum & luctum.* Neque enim hoc ex diuinâ nunc sanctione licitum est, vt in cælis simul ac terris quis temporalibus & æternis, corporalibus atque cælestibus bonis gaudeat. Nam rursum Saluatoris nostri est sententia, *Nemo potest duobus dominis seruire; aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget; aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Nemo potest Deo seruire & mammonæ.* quasi dicat: Si Deum sustinetis & diligitis, terrena odisse atque contemnere necesse est. Et ob hanc causam sæpè animæ diutiùs in Purgatorio detinentur, quia nimirum, dum in terris cum corpore viuerent, terrenis affectibus nimiùm inhæserunt. Hærent ergo in pœnis, & tantò diutiùs hærent, quantò se minùs à transitoriis subtraxerunt. Magna tamen hîc omnino cernitur differentia: quantumuis enim breuis admodum fuerit, quam ex sæcularibus bonis hauserunt, iucunditas, non tamen ideirco etiam breuis erit punitio quam ipsa promeretur. Adeò nimirum sæculi felicitas infelix est, suosque sectatores infelices reddit, vt quamuis ipsa momentanea sit & modica, pœnam tamen & grauitate & diuturnitate progignat longè miserrimam.

Matthæi 6.

Apocal. 18.

Matthæi 6.

2. *Apprehensio mali, illud peius facit.*

Serm. 41. de Sanctis.

Vnus dies in Purgatorio grauior est quàm mille anni in sæculo.

Grauitas pœnæ non modò longum, sed & apprehensione tormentorum longius multò apparere facit Purgatorium quàm reuerà sit, id quod superiùs ex S. Augustini loco probatum est, vbi dixit, de die iudicij scriptum esse, *quod in illo erit vnus ille dies tamquam mille anni*, hoc est, videbitur pœna diei vnius ob grauitatem suam esse mille annorum. Id quod & aliunde abundè probari potest: sanctissimus enim ille Psalmista, è quo S. Augustinus suum argumentum mutuauerat, opponit inter se breuitatem quæ Sanctis est in gloriâ æternâ ob diuinæ Maiestatis præsentiam, & longitudinem eorum qui ab eius conspectu remoti sunt. *Quoniam*, inquit, *mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna quæ præteriit.* quasi dicat: Ita absorpti sunt Sancti in cælo ex visione illâ beatificâ, vt cùm mille annis ibidem præsentes fuerint, videantur sibi solummodò à die præcedente adfuisse; econtrà verò, *Et custodia in nocte, quæ pro nihilo habetur, eorum anni erunt*, id est, qui ab adspectu diuino seclusi inter tormenta versantur, annos esse credent custodię vnius nocturnæ spatium, quæ pro nihilo habetur, seu nullius temporis æstimatur. Et certè si verum est id quod verissimè per eumdem Prophetam dicitur, *Melior est dies vna in atriis tuis super millia;* cur non à contrario sensu, vt aiunt Philosophi, sequatur, Ergo peior dies vna in Purgatorij suppliciis, super millia. Hoc enim experientiâ omnibus notum est: sicut breue videtur etiam tempus ex se longum, quod cum delectatione & in gaudio trāsigitur; ita & longū videtur illud, quamuis ex se breuissimum, quod in mœrore & afflictione degitur. Similiter cùm oneratus quis exiguo tempore pondus sustinuit, dudum sese putat id fecisse: afflictato febribus homini quot dies horæ paucæ efficiūtur: dū quis flagris cæditur, scinditur aut aduritur, numquid immensum putat quod est momentaneum? Numquid dum esurienti cibus, sitienti potus, aut frigenti focus aliquantulum differtur, diutissimè expectasse se putat? Eodem perinde modo, & longè vehementiùs, Purgatorij animæ, in quas omnia hęc simul congregata atque congesta sunt, exiguum temporis spatium, longissimum & prolixissimum arbitrantur.

Psalm. 89.

Visio beatifica Sanctis in cælo mille annos vnum diem videri facit.

Psal. 83.

3. Exemplis rem illustrasse iuuabit. Refert R. P. Martinus de Roâ, apparuisse defunctum, qui cùm per spatium tantummodò quo sacrum Missæ Sacrificium ageretur, Purgatorij pœnas expertus esset, multis se annis ibi cruciatum fuisse credebat. Ven. Abbas Gandensis Columbanus varios rediisse spiritus narrat, qui contestarentur se pro mundi totius lucro nolle per horam in Purgatorio degere; millies potiùs malle mori, & per integrum decennium omnia simul vniuersorum mortalium tormenta subire, quàm horâ vnâ in purgatione ignis torqueri, quòd nimirum vna hora ibi plus quàm centum anni reputanda esset. In D. Francisci Legendâ dicitur, Religiosum quempiam, pridem è latrone conuersum, post Matutinum ab Angelo ductum fuisse ad infernum, ac primùm ex monte altissimo in præcipitia deiectum, indeque in ardentem fornacem missum, tandem verò sub angustum expositum pontem, sub quo erant serpentes ac dracones innumeri, putasse centum quinquaginta annis in iisdem suppliciis exagitatum fuisse, cùm tamen à corpore suo per paucas tantummodò horas abfuisset, ab ipso nimirum Matutinorum fine vsq; ad Primæ initium, quo etiam tempore Paradisum aliaque loca lustrauerat. Meminisse hîc oportebat, quod Ven. Thomas Cantipratanus retulit de animâ cuiusdam infirmi, quæ vno tantùm die Purgatorij pœnas experta, maluit omnes sæculi morbos ad iudicium potiùs vsque sufferre, quàm

Lib. de Statu animar. c. 8. *Exempla.*

In Consolatorio.

Chronica Minorum.

Lib. 2. de Apibus, c. 51.

quàm duobus dumtaxat diebus in iisdem tormentis perdurare. Sed & suprà allatum est hoc exemplum. Speculum magnum exemplorum aliud subministrat. *Quidam Monachus*, dicitur ibi, *decedens petiit instanter Abbatem, vt solitam decedentium sibi impertiretur absolutionem. Cùm Abbas in vicino loco non posset haberi in promptu, ad eius aduentum migrauit. Cùm autem venisset, & dictum ei fuisset, quàm instanter Monachus ille petiisset eum pro absolutione habendâ, funere nondum sepulto, ante quoddam altare decumbens, & cogitans de prædictis, vidit subitò ante se defunctum (vt sibi videbatur) dicentem, Benedicite; expetentem debitum absolutionis. Cùm autem Abbas stupens resumpsisset spiritum, dixit: Misereatur, &c. Quo facto, Monachus petiit pœnitentiam. Abbas autem nesciens, cuiusmodi pœnitentia iniungenda esset defunctis, dixit quòd pro pœnitentiâ staret in Purgatorio quousque corpus eius sit sepultum. Quo audito, defunctus exclamauit ita horribiliter, quòd vox eius audita est per totam Abbatiam, dicens: O sine misericordiâ, præcepisti me tantum morari in Purgatorio.* Ecce pro quantillo temporis spatio quantus æstimatus Purgatorij dolor.

Tit. Purgatorium. exempl. 4.

4. *Quamdiu Purgatorij pœnæ sint duraturæ.* In 4. dist. 19. q. 3. art. 2. in fine.

Nunc autem ad extensionem temporis, quo plurium animæ in Purgatorio perdurare coguntur, deueniamus. Est nonnulla Doctorum de hac re quæstio, quamdiu nimirum continuare anima aliqua soleat in dictis tormentis. Soto quibusdam coniecturis iudicat, neminem vltra decennium in Purgatorio detineri, Primò, quia potuit Deus ita constituere grauitatem intensiuam illarum pœnarum, vt intra illud tempus possint delere omnem maculam ex peccatis relictam; ergo non est verisimile, voluisse Deum diutiùs detineri amicos suos. Secundò, quia per leues & temporales satisfactiones breuiores huius vitæ compensantur similes reatus, præsertim ex solis venialibus peccatis relicti. Tertiò, quia iuuant Ecclesiæ suffragia. Hanc sententiam nonnulli grauiore censurâ notant, Primò, quia variis reuelationibus constat, animas iustorum diutiùs in Purgatorio detineri. Secundo, quia vsus Ecclesiæ id videtur supponere tum in suffragiis pro defunctis particularibus, qui ante plures annos decesserunt; tum in formâ & modo concedendi indulgentias plurium annorum. Tertiò, quia illa annorum mensura nullo fundamento nititur, nec coniecturæ illæ magis probant de decem, quàm de quinque, vel de viginti aut triginta annis. Atque hæc vltima ratio vrgentior est ceteris, non vt directè probet, iudicium illud Soti esse erroneum, vel dignum aliquâ censurâ, sed esse incertum ac voluntarium. Ita ex Suarezio quoad Sotum.

Disp. 46. sect. 4. n. 6.

5. *Non durabũt vltra iudicij diem.* Lib. 21. de Ciuit. c. 16.

Certum igitur est, Purgatorij pœnas non fore extẽdendas vltra generalis & vltimi iudicij diem; sententiæque huius adstipulatorem habemus D. Augustinum, qui sic ait: *Purgatorias pœnas nullas futuras opinetur, nisi ante illud vltimum tremendumq́; iudicium.* Ratio hæc est, quia tum iudicabuntur omnes quotquot propria opera habere potuerunt, qui & vel in æternam beatitudinem recipiendi, vel in æternam damnationem ablegandi sunt, adeò vt purgationi non sit ampliùs futurus locus, cùm omnes ij qui saluandi fuerunt, iam purgati sint: & si qui fortè minùs ante resurrectionem expurgati fuerint, pœnam illorum ita augendam esse dicendum sit, vt quidquid residuum fuerit, statim in illis perfectè purgari, adeoque ipsimet futuræ resurrectioni & beatitudini adaptari & præparari possint. Resurgẽt enim omnes, quicumq; ad vitam æternam admittendi sunt, in gloriâ, impassibiles & immortales, prout indicatur illo Apostoli loco: *Seminatur corpus animale, surget spirituale: seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloriâ.* vt meritò Origenes dixerit, piaculũ esse maximum, cogitare, corpus resurgens esse sordidum, vel pollutum, aut purgatione indigens. Homil. 14. in Lucam.

Certum quoque est, durationem pœnarum Purgatorij in singulis animabus non esse eamdem. Si enim pro ratione delicti mensuratur pœna, quis neget hanc præ illâ animâ vel duriùs vel remissiùs fore puniendã, cũ vel maiore vel minore reatu vna præ alterâ ex hac vitâ discedat? *Quantò* igitur *magis minúsve transitoria dilexerunt*, vt S. Augustinus ait, *tantò breuiùs tardiúsq́; saluabuntur. nam quanta fuerit peccati materia, tanta erit transeundi mora.* Ex dictis ergo meritò fit incredibile, pœnas Purgatorij in omnibus promiscuè animabus ordinariè durare vsque ad iudicij extremi diem. Sanè maxima esset inæqualitas, ne dicam Iustitiæ impar distributio (quam de Deo vel suspicari absit) si vir aliquis, qui in vitâ mortali piissimè vixisset, & cum leuissimo aliquo reatu hinc emigraret, tamdiu in horrido & tenebricoso illo Purgatorij carcere detineretur, quã aliquis alius, qui vitâ pessimè traductâ, vix sub extremum vitæ diem aut momẽtum pœnitentiâ actâ, cum multis & innumerabilibus culpis & transgressionibus eò peruenisset. Quòd si ante Christi aduentum è Purgatorio transitus fuit animabus sanctis ad Sinum Abrahæ vel Limbum Patrum (fuit autem, aliàs Christus solas illas ibi animas reperisset quę ex hac vitâ sine vllo temporali reatu decessissent, quod per se est incredibile) multò vtique magis nunc erit transitus è Purgatorio in paradisum per iustam pœnarum solutionem. Vnde, si fortè ex reuelationibus quis audierit, adiudicatos fuisse nonnullos Purgatorio adusque diem iudicij, id de singulis aliquibus capiendum, haud verò de omnibus in vniuersum animabus interpretandum est, aut si talem expositionem non admittunt, illæ ipsæ reuelationes vt falsæ & deceptoriæ reiiciendæ sunt & improbandæ.

Pœna duratio in omnibus & singulis non est æqualis & æquè diuturna, sed pro ratione culpa.

Non singulæ animæ ad iudicij extremi vsque diem purgantur.

6. *Purgatorij pœna quandoque ad annos multos extenditur.*

Ceterùm & ex parte extensionis constat longissimam esse Purgatorij pœnam: quod SS. Patres, allatis in eam rem nonnullis S. Scripturæ locis, affirmant. D. Augustinus, animas quasdam ad extremum vsque iudicij diem in Purgatorio permansuras esse, probat ex illo Malachiæ, *Quis poterit cogitare diem aduentus eius*; quæ cùm superiùs explicata sint, hic non esse repetenda iudicauimus. Venerabilis & tum pietate tum eruditione eximius D. Guilielmus Estius, scribens in D. Petri Epistolas, hæc eiusdem Apostoli verba, *Mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu. In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë*, ad Purgatorium pertinere ostẽdit. Vnde sequitur, si iidem adhuc in Purgatorio à Christo inuenti sint, qui temporibus Noë fuerant ingressi, ex annorum supputatione colligere licet, spiritus illos duobus circiter annorum millibus in Purgatorio permansisse.

Lib. 20. de Ciuit. c. 25. Malach. 3.

1. Petri 3.

mansisse. Sic Patres illi è Scripturis fundamentum sumunt. Quibus addi possunt, Tertullianus, qui de summâ animarum quarumdam in Purgatorio morâ verba faciens, *In carcerem*, inquit, *te mandet inferni, vnde non dimitteris, nisi modico quoq; delicto morâ resurrectionis expenso.* ergo sensit ille, permanere animas aliquorum vsque ad iudicium in Purgatorio. Item Origenes, qui tamen sanè interpretandus est: dum enim dicit, se putare, etiam post resurrectionem opus fore purgatione, ita capiendus est, vt illi qui ante resurrectionem non fuerint planè purgati, post ipsam, id est, in instanti ante prolatam sententiam purgandi sint, quod & verum est, secundùm Theologorum doctrinam. Aliàs esset error exploratus: nam vt suprà S. Augustinus, *Purgatorias pœnas*, inquit, *nullas futuras opinetur, nisi ante illud vltimum tremendumq; iudicium.* Cyprianus: *Aliud est, pro peccatis longo tempore cruciatuum purgari, & emendari diu igne; aliud, peccata omnia passione purgasse.* Ven. Beda expresse docet, animas aliquas vsque ad iudicium purgandas esse. Idem ab exemplis ostendunt Cæsarius & Cantipratanus, de quibus posteà. Videri etiam potest Bellarminus.

Lib. de Animâ cap. 17. — Homil. 14. in Lucam. — Lib. 21. de Ciuit. c. 16. — Lib. 4. Epist. — Cæsar. in hist. Cantpr. lib. 2. de Apib. Bellarm. lib. 2. de Gem. colũbæ, c. 9.

7. Sed rationes etiam nonnullas assignemus. Ex communi Doctorum assertione constat, duo esse ob quæ animæ in Purgatorio torquentur; Primùm, ob peccati mortiferi per contritionem dimissi non impletam satisfactionem. Secundò, ob culpam ipsorum venialium: & vtriusque ratione non modica solet esse pœnarum productio. Nam quantum ad pœnam mortalium, hanc vtique decet esse longissimam, quia cùm materia sit crassa & omnino indurata, diu eam excoqui necesse est, vt leuis efficiatur, ad quod haud incongruè aptari possunt hæc D. Gregorij Nazianzeni verba: *In altero sæculo igni baptizabuntur, qui est postremus baptismus; nec solum acerbior, sed diuturnior, qui crassam materiam instar ferri depascit.* Quapropter etsi Dauidi dimissa fuisset culpa adulterij quod cum Bersabee commiserat, & homicidij quo Vriam virum innocentem interfecerat; longa tamen ei pœnitentia est imposita: quoniam præter extinctum ex adulterio prognatum filium, hæc ei à Deo facta fuit denuntiatio: *Quam ob rem non recedet gladius de domo tuâ vsque in sempiternum, eò quòd despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt esset vxor tua.* Grauis sanè punitio, quæ non Dauidem solum Regem, dum adiuueret, erat persecutura, sed & posteros eius. Huius rei luculentum in nobis ipsis experimur exemplum, & ingemiscimus: nam mortem omnes & expectamus, & posteà gustamus, mille interim calamitatibus & afflictionibus pressi, in pœnam transgressionis illius primæ Protoplastorum in Paradiso, quamuis culpa ipsa iamdudum dimissa sit. Ob venialia insuper peccata ipsa haud leuis mora purgãdis sustinenda est: nam si seuerè adeò Deus minuta ista frequenter hic punire solet, quid eum facturum putabimus in sæculo futuro, vbi iustitiæ ipsius rigor exactissimè omnia indagabitur?

Duas ob causas animæ diutiùs in Purgatorio affliguntur. — Orat. de SS. Luminibus. — 2. Reg. 12.

8. Exemplo sit nobis ille idem Rex Dauid, qui, quamuis, ex communi Theologorum calculo, non nisi venialiter peccasset, exercitum nimirum suum ob vanam quamdam præsumptionem lustrando, non ob id tantùm grauiter reprehensus, sed acriter punitus fuit. Optione namq; ei factâ, cum è triplici vindictæ genere, septem nimirum annorum fame, trimestri hostium persecutione, & triduanâ peste, hoc posterius elegisset, Angelus Domini vindex in populum Israel missus fuit, qui ex illo, tam exiguo tempore, interemit septuaginta millia virorum: & sanè plures occisi fuissent, nisi diuina Maiestas, Dauidis humillimis precibus flexa, Angelo, vt gladium suum reconderet, & à populi cæde abstineret, mandauisset. Et hoc ipsum præsenti in sæculo adhuc contigit, vbi misericordia diuina iustitiam, vt ita loquamur, reprimit & quasi continet ne vires suas exererè possit. Quid futurum arbitremur in altero sæculo, vbi, misericordiâ iam cessante, soli iustitiæ locus est? quâ putamus rigiditate, inexplicabili planè & incomprehensibili, in minuta etiam delicta deſæuiet? Quæ cùm sæpiùs plura sint quàm vel credere aut æstimare possimus, quantâ morâ opus erit, donec anima plenè ab iisdem expurgata fuerit? quæ enim leuia nobis, aut nulla videntur, grauia & enormia esse tum deprehenduntur. Veluti enim, sole intra nubes latente, atomos nullos videmus; statim tamen atque ille eluxerit, in maximâ & copiosissimâ multitudine inter se certantes conspicimus; pari modo defectus nostri & imperfectiones in numerosissimâ quantitate apparebunt, quando Sol iustitiæ in animas nostras claram nostri-ipsius cognitionem immiserit. Tunc nimirum quamplurima, quæ expiatione opus habeant, conspicientur, & quæ nobis in hac vitâ perfecta atque absoluta videbantur, flammis ibi purgatoriis, vt ad debitam maturitatem & perfectionem perducantur, excoqui debere deprehendentur. Sunt enim homines pictorum imperitorum instar, qui, cùm parum aut nihil in nobilissimâ arte versati sint, domi suæ quam habent imaginem, adeò exquisitè & peritè pictam arbitrantur, vt nihil omnino ei vel demi vel addi posse credant; at si Apelles aut Parasius illam inspexerint, plenam ineptiarum & imperitiarum arguent. Perinde omnino nobiscum agitur, quæ nobis, imperitis censoribus, videntur perfectissima, post hanc vitam à iustissimo Iudice castigatione digna iudicabuntur.

2. Reg. 24. *Ob veniale vnum peccatum Dauid Rex grauissimè punitus fuit.*

Sed & quantopere Purgatorij tormenta inde incrementum capiant, quòd venialia peccata ex se suique naturâ nata sint frequentiùs multiplicari, videre quiuis facilè potest qui dignatus fuerit expendere illa SS. Patrum loca, quibus iidem testati sunt, propterea leues etiam culpas negligentiasque vitari debere, quòd, nisi singulari curâ arceantur, veluti in immensum excrescant. Facem præferant nobis duo illustria Ecclesiæ Catholicę lumina, Augustinus è Latinâ, & Chrysostomus è Græcâ, & res erit aperta. Augustinus ergo sic inquit: *Si quæ delectationes sæculi surrepunt in animâ, exercete vos in misericordiâ, exercete vos in eleemosynis, in ieiuniis, & orationibus. His enim purgantur quotidiana peccata, quæ non possunt nisi surrepere in animam, propter fragilitatem humanam. Noli illa contemnere, quia minora sunt; sed time, quia plura sunt. Attendite fratres mei, minuta sunt, non sunt magna. Non est bestia quasi leo, vt vno morsu guttur frangat: sed bestiæ plerumque minutæ multa necant. Si proiiciatur quisque in locum pulicibus plenum, numquid non moritur ibi? Non sunt quidem maiores: sed infirma est natura humana, quæ etiam minutissimis bestiis*

9. *Pro venialiũ multitudine Purgatorij pœna est grauior.* — *S. Augustin.* Lib. de Decem chordis, cap. 11.

bestiis interimi potest. Sic & modica peccata attendite, quia modica sunt; & cauete, quia plura sunt. Quàm minutissima sunt grana arenæ? si arena amplius in nauim mittatur, mergit illā vt pereat. Quàm minutæ sunt guttæ pluuiæ? nónne flumina implent, & domos deiiciunt? Ergo ista nolite contemnere. Et infra: *Quotidiana sunt ista quæ dico, sed tamen peccata sunt, & non leuia, quia plura. Quia verò quotidiana & plurima, timenda est ruina multitudinis, etsi non magnitudinis. Talia peccata dicimus, fratres, quotidianis eleēmosynis posse mundari. Sed facite eleemosynas, & nolite cessare. Attendite vitam vestram quotidianam ipsis peccatis scaturientem, minutis ipsis dico.*

In Psal. 129.

Item alibi: *Si contemnebas minus peccatum, vel pœnæ magnitudine deterrere. Sed dicis, Minora sunt, minuta sunt, sine quibus non potest esse ista vita. Congere minuta, & faciunt ingentē aceruū. Nam & grana minuta sunt, & tamen magnam copiam faciunt: & guttæ minutæ sunt, & flumina implent, & moles trahunt.*

Serm. 144. de Tēpore.

id explicat alibi: *Sed dicis: Peccatum quidem est, sed tamen paruum est. Nec nos dicimus quia capitale peccatum est: sed tamen si frequentiùs exerceatur, & ieiuniis vel eleēmosynis non redimatur, nimis immundam animam facit. Noli despicere peccata tua quia parua sunt: nam & pluuiarum guttæ sunt, sed flumina implent, & moles trahunt, & arbores cum suis radicibus tollunt. Tu qui dicis, quia paruum peccatum est, velim scire, quoties tale peccatum admittis, si tot paruulas plagas in corpore, & tot maculas aut scissuras in vestibus tuis fieri velis? Cùm ergo in corpore tuo plagas, nec in veste tuâ scissuras vel maculas fieri acquiescis, quā conscientiā hoc facere in animâ tuâ non metuis?*

Tract. 12. in Ioannem.

Et denique: *Quomodo minuta plura peccata, si negligantur, occidunt? Minutæ sunt guttæ quæ flumina implent; minuta sunt grana arenæ, sed si multa arena imponatur, premit atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens: paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando, & non exhauriendo, mergit nauem. Quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere vt non obruant peccata, gemendo, ieiunando, tribuendo, ignoscendo?*

10.

S. Chrysostomus. Homiliâ 87. in Matth.

Chrysostomus verò hæc habet. *Repellenda*, inquit, *malorum initia sunt. Nam etiamsi ad maiora, prima non progrederentur peccata, non esset tamen negligendum: nunc verò per istam incuriam gradatim semper ascendunt. Quapropter omni studio atque operâ funditus principia peccatorum sunt euertenda. Non enim vim delicti solam consideres, nec quia paruum sit cogites: sed illud præcipuè tene, quia si radicem non euulseris, magnum inde peccatum succrescet. Mirabile quiddam atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnumquam non tanto studio magna videri peccata esse euitanda, quanto parua & vilia: illa enim vt auersemur, ipsa peccati natura efficit; hæc autem hac ipsâ re quia parua sunt, desides reddunt; & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere. Vnde citò ex paruis maxima fiunt negligentiâ nostrâ. Nemo enim repentè ad extremam improbitatem insiliit: habet quippe insitum quemdam anima pudorem atque innatum, quem subitò calcare atque proiicere non potest, sed sensim atque paulatim ex negligentiâ perit. Consideremus autem, si nimiùm quidam ac importunè risit, reprehensus à quopiam est; respondet alius, nihil esse id mali: quid enim est risus, aut quid vmquam ex risu mali sequetur? Orta tamen ex immoderato risu paulisper scurrilitas, à scurrilitate turpiloquium, à turpiloquio operatio turpis profecta est.*

Homil. 8. in 1. ad Corint.

Idem alio iterùm in loco, *Etenim corpus*, inquit, *si parum ab ense diuidatur, corrumpitur: & ædificium si parum satiscat, dissoluitur: & si vel minimum palmes à radice abscindatur, inutilis redditur. Itaque id parum non est, sed ferè totum existimandum. Cùm igitur parum peccauerimus, vel desidiâ torpuerimus, nolimus vt exiguum despicere; siquidem id neglectū quamprimùm in immensum euadet. Sic & vestis quæ scindi cœperit, neglecta, tota discinditur; & tectum paucarum tegularum casu contempto, totam domum diruit. Hæc nos reputantes, numquam paruum contemnamus, ne procidamus in maiora.* Et alibi: *Neque enim leue dicendum est quod hominem contemnendo occidit, aut contemptorem transgrediendo decepit, cùm scriptum sit: Qui modica spernit, paulatim decidit.*

Serm. de Leuium peccatorum periculis.

11.

Ex hactenus productis Patrum testimoniis duo manifestissimè euincuntur, nimirum, leuia peccata longum solere Purgatorium facere, quia multa sunt, cùm pro quolibet illorum in specie satisfaciendum siue potiùs satis patiendum sit; &, propter annexum ruinæ periculum, respectu temporalium pœnarum venialia delicta meritò dici magna: licet enim cum peccatis letalibus collata, parua sint, non tamen in se parua censenda sunt, quandoquidem vehementem adeò pœnam, & sæpe in longa tempora extensam, adducant. Quò enim grauius aliquod est etiam veniale peccatum, eò tardiùs difficiliusque expurgatur. Si itaque, vti diximus, propter annexum aliorum delictorum periculum, exiguum aliàs piaculum, ingens non infrequenter fiat, necessarium erit concedere, etiam ex qualitate & quantitate venialis peccati Purgatorium animarum excrescere & augeri posse.

12.

Sunt & alia quamplurima, quæ, quanto tempore durare possint Purgatorij tormenta, edocere queant; sed paucis nos ad istius rei concipiendam longitudinem opus habemus, ad quam confitendam nos manu ducit vel ipsa praxis consuetudo, quâ piissima Mater nostra Ecclesia Catholica olim longissimas & seuerissimas indicere solebat pœnitentias & satisfactiones peccatis illis, quæ iam per Confessionis Sacramentum ritè dimissa & condonata erant. Legi possunt pro eâ re Canones, è quibus apparebit, ob vnicum nonnumquam mortale peccatum hìc plenè expiandum, iniuncta fuisse ieiunia aliaque opera satisfactoria per annos continuos septem, decem, viginti, imò & ad totius vitæ tempus.

Ecclesiæ praxis in imponendis pœnitentiis, longissimas esse Purgatorij pœnas testatur.

Quæ licet modò propter nimium hominum teporem exoleuerint, inde tamen nobis apparet, diu nos puniendos fore pro vno delicto eluendo: & quamdiu putas pro centum, mille, infinitis? Etsi enim homines in detestandam mortificandi suiipsius prolapsi fuerint obliuionem, non idcircò remissior futurus est Deus, imò multò rigidior & seuerior, eò quòd, neglectâ pœnitentiâ, oblatam sibi satisfaciendi gratiam paruifecerint ne dicam despexerint. Egregiè hanc in rem D. Petrus Damiani: *Non tibi blandiaris, si grauiter peccanti leuior pœnitentia à mansueto vel à dissimulante dictatur, cùm in purgatoriis ignibus perficiendum sit, quidquid hìc minus feceris, quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus.*

Serm. 1. de Andreâ.

Addi prædictis possunt Ecclesiæ Catholicæ Anniuersaria, quæ ad aliquot centenos annos pro mortui vnius impetrandâ requie continuari solent: quod minimè fieret, nisi Ecclesia crederet, tot eum annorum spatio in Purgatorio puniri posse. Pontifex quoque sum-

summus Indulgentias pro mille & vltra annis sæpè confert, vt indicio esse hoc possit, tot aliquem seculis ibi hærere posse. Neque propterea veritati quidquam decedit, quòd fortassis tanto tempore Purgatorium non sit permansurum, ad quod Apostolicæ Indulgentiæ se extendunt: quia cùm post extremum iudicium Purgatorium nullum futurum sit, vt paulò antè ex S. Augustino probaui, in eodem illo iudicio tantumdem augebitur & extendetur purgandorum in vno momento tormentum, vt intensione suâ præfati temporis extensionem adæquet.

13. *Exempla, ob leue delictū, diu in Purgatorio punitorum.* *S. Vitalinæ, quòd curiosiùs choreas inspexisset.* De Gloriâ Confess. cap. 5.

Exempla multa sunt & varia, quæ tamen ad duas classes reduci possunt, vt alia sint quæ demonstrent, ob quàm leue haud rarò peccatum quàm longa purgationis indicta sit mora; alia, quòd vna anima longo admodum tempore, puta per duo aut tria annorum millia, atque etiam ad mundi vsque consummationem, ignibus purgatoriis addicatur. Prioris classis hæc sunt. S. Gregorius Turonensis scripsit, B. Martino sanctam Virginem Vitalinam apparuisse, eique significasse, se à longo satis tempore in Purgatorij flammis cruciatam esse, solùm quòd curiosiùs aliquando in platea tripudium quoddam conspexisset. R. P. Florentius Harlemius Carthusianus ait, S. Damiano apparuisse sororem, quæ ei contestata fuerit, se in maximis detineri Purgatorij tormentis a quindecim iam diebus, eâ solùm de causâ, quòd cum delectatione cantum aliquem è plateis audiuisset. Est etiam longè terribilius, quod Gotschalcus Auctor grauis narrat de Cellario quodam Monasterij S. Rufi prope Valentiam, qui dum ob nimias occupationes rerum externarum, pro gratiarum actione à prandio, loco Psalmi *Miserere mei Deus*, solitus esset recitare *Laudate Dominum omnes Gentes*; qui tamen aliàs erat deuotissimus, post mortem in officinâ suâ cellariâ terribilem persæpè excitauit tumultum, donec à viro sancto interrogatus cur sic tumultuaretur, & quid eum torqueret, respondit, quòd tantis exerceretur suppliciis, vt ex iis proculdubio ad desperationem adigeretur si forent perpetua. Aiebat autem se hæc ideò perpeti, quia locò *Miserere*, dixisset *Laudate*. vnde & rogauit, vt Fratres omnes pro se per annum Psalmum *Miserere* prædictum quotidie recitarent. Quod vbi factum, post annum etiam Purgatorio fuit exemptus. O leue peccatum, non leui tamen aut breui cruciatu expiatum! Quantâ hîc punitione, quanto tempore, quantorum precibus opus erat! Quid ergo futurum illis arbitramur, qui orationes suas aut omnino negligunt, aut adeò languidè recitant, vt quid dixerint ipsimet non intellexerint? Diutiùs ergo & illi mansuri sunt. Et vtinam non multi nostrûm per aliquot annorum millia, aut ad generalis vsque iudicij diem ibi pœnas luere cogantur! Exempla iam proferimus partis alterius. In Iure ciuili sanè ad præscribendam rei cuiuspiam possessionem longissimum tempus censeri solet quod est ducentorum annorum. Sed quid nos, dum animas nonnullas non modò ducentis solùm, sed bis quoque annorum millibus in Purgatorio detineri audierimus, quid, inquam, nos dicturi sumus? nónne longissimum id tempus haberi deberet? Ita profectò, cùm mille & octingentis annis hoc tempus illud Iurisconsultorum excedat; & tamen certum est, in Purgatorio tamdiu nonnumquam hæsisse animas, & vsque hodie hærere posse. Quòd olim hæserint, quodnam, quæso, solidius testimonium habere poteramus, quàm illam è D. Petro Scripturam, quam & suprà Cap. XIV. retulimus, de spiritibus illis, qui cùm tempore ipsius Noë aliquando fuissent increduli, pœnitentiam à Christo, ad se in inferorum loca descendente, prædicari audiuerunt, eo demum tempore postquam iam duobus circiter annorum millibus, à diluuio inquam ad vsque Saluatoris nostri Resurrectionem in tormentis hæsitant, Purgatorij nimirum, prout dicto iam Capite dignis Expositorum testimoniis comprobauimus. Quòd verò illud ipsum hoc etiam tempore fieri possit, imò fiat, plura nos docere poterant plurium exempla. Vnum, ne prolixitas in fastidium abeat, recitasse sufficiet.

Lib. 2. Instit. Christian. c. 25. *Sororis S. Damiani, quòd cātum cum oblectatione auscultasset.*

Cellarij, qui alium Psalmum pro alio recitauerat.

Nartat Cæsarius de quodam qui ab Ordine Cistertiensi apostatauerat, & latro factus, in agone demum constitutus pœnituerat: hic, quandoquidem à Sacerdote absolutionem impetrare nō posset, ipse sibi è vehementi contritione imposuit pœnitentiam duobus annorum millibus in Purgatorio exigendam; quam & pœnitentiam Deus ratam habuit, eamq; haud dubiè defunctus sustinere debuisset, nisi cuiusdam Episcopi precibus atq; eleemosynis, cuius ipse cognatus erat, spatium duorum millium in duorum solùm annorum cōmutatum fuisset. E quamplurimis verò, qui ad iudicij vsq; diem Purgatorio adiudicati fuerunt, vnum è Cātipratano adductum, multorum instar erit. *Venerabilis*, inquit ille, *& Deo digni Magistri Bonifacij, quondam Lausannensis Episcopi, veridicâ relatione cognoui, quòd quidam Nobilis suæ diœcesis, venatum circa montes Alpium pergens, familiam suam, inclinatâ iam die, cum canibus perdidit, solusq; in siluâ est relictus. Ille ergo horrente solitudinem, & quid audiret diutiùs expectante, tandem duos ex canibus latrantes auscultat, quos venabulo insonante confortans, repēdo manibus & pedibus, ad locum conatur ascendere vbi latrantes caniculos audiebat. At vbi cum difficultate peruenit, inuenit locum planum, pulchrum valdè, atque gramineum, inter montes, in quo quasi hominē magnū & elegantem formâ facietenus prostratum videns, duas clauas ferreas ad vtrumque latus iacentis, horrentibus oculis intuetur. Hunc miris plagis ac vulneribus cruentatum, dicti duo canes venatici latratibus circuibant, sed mox ad conspectum domini sui militis obmutescunt. Miles itaque post horrorem assumpto spiritu, prostrato dixit: Si ex parte Dei es, loquaris mihi, & qualis sis, aut vnde veneris, edicito. Cui ille, Ex parte, inquit, Dei sum, & ordinatione diuinâ tibi talis appareo, vt in me misero pœnitentiæ sumas exemplum. Mortuus sum, licet tibi corporalis appaream. Miles fui viuens, peccator immanissimus eâ tempestate quâ Richardus Rex Angliæ contra Philippum Regem Franciæ prælia concitauit. In illâ ergo expeditione, quæ à Brabantigenis in Pictauiam & Gasconiam facta est, ego infelicissimus luxuriis & homicidiis debacchabar: nec in his alicui conditioni aut sexui, flexus miseratione peperci. Medio igitur tempore validissimam febrem & acutam incurri, & tamen nec tunc contritus sum, nec confessus, nec Christi Corporis Sacramenta suscepi. Instante autem horâ mortis obmutui, & ecce, super speratum misericordiâ diuinâ præuentus sum, & validâ contritione cordis permotus: qui licet loqui non possem, excussi tamen lacrymas, & in his, propitiante Deo, vitam finiui. Nec mora, defun-*

14. Lib. 2. Miracul. cap. 2. *Exempla eorum qui in aliquot mille annos ad Purgatoriū adiudicati.*

Lib. 2. de Apibus, c. 51.

ctus duobus dæmonibus traditus sum nequissimis, instar clauarum istarum ferrearum tormentis vsque ad diem iudicij cruciandus. Et hodie quidem per ascensionem montium istorum miseram animam meam impulerunt, & per abrupta eorum eam cum dictis clauis ferreis præcipitem depulerunt. Scias tamen, tormentum istud tam magnum & diuturnum spe venia, quam in fine mundi habiturus sum, mirabiliter releuari. Nec mora, vbi spiritus ille verba ista finiuit, corpus quod videbatur aërium cum dictis clauis ferreis quasi fumus euanuit. Miles autem, qui hac audierat & viderat, à rapinis pauperum & malâ vitâ conuersus, correctiùs amodò vixit, & multos alios peccatores ad exempla pœnitentiæ suâ narratione permouit.

15. Cantipratano adstipulantur & alij nonnulli Scriptores, ex antiquioribus Ven. Beda, qui inter alia referens Drithelmi cuisdam (prout & suprà me retulisse recordor) terribilem visionem, hæc ab Angelo, qui eum per inferni loca deduxerat, ei dicta fuisse asserit: Scis quæ sint ista omnia quæ vidisti? Respondi, inquit Drithelmus, Non; & ait Angelus: Vallis illa quam aspexisti flammis feruentibus & frigoribus horrenda rigidis, ipse est locus, in quo examinandæ & castigandæ sunt animæ illorum, qui differentes confiteri & emendare scelera sua quæ fecerunt, in ipso tandem mortis articulo ad pœnitentiam confugerunt, & sic de corpore exierunt; qui tamen quia confessionem & pœnitentiam vel in morte habuerunt, omnes in die iudicij ad regnum cælorum peruenient. Multos autem preces viuentium, & eleemosynæ, & ieiunia, & maximè celebratio Missarum, vt etiam ante diem iudicij liberentur, adiuuant. Sic Beda: è quibus manifestum euadit, plures purgandorum spiritus vsque ad extremum & generale iudicium in tormentis hærere. E recentioribus verò & modernis fide dignissimum, pietateque ac pro Catholicâ fide asserendâ strenuitate eminentissimum Rob. Bellarminum, qui, quod modò diximus, non solùm vltrò admittit, sed & è Tertulliano & Cypriano iisdem, quibus nos suprà, verbis confirmat. Vsus est & Cantipratani, sed solemniori multò quàm nos anteà, exemplo, quòd licet etiam alias retulerimus, ab ipso, Lectoris in gratiam, mutuati repetemus. *Alterum*, inquit, *caput erat diuturna duratio suppliciorum Purgatorij. Quamuis enim non defuerit aliquis Scripto, alioqui egregius, & magni nominis, qui opinatus sit, neminem in Purgatorio cruciari vltra viginti annos, vel vltra decennium; tamen contrarium docet vsus Ecclesiæ, quæ anniuersaria Sacra celebrare solet pro animabus defunctorum non solùm ad annos decem, sed etiam ad annos centum, & eo amplius. Deinde in eâ visione, quam ex Ven. Bedâ retulimus, satis apertè indicatur, multas animas in Purgatorio cruciari vsque ad diem Iudicij. Quod confirmari potest ex verbis Tertulliani Auctoris antiquissimi, qui in libro de Animâ cap. 17. de Purgatorio loquens, sub inferni nomine, ait: In carcerem te mandet inferni, vnde non dimittaris, nisi modico quoque delicto morâ resurrectionis expenso. Et clariùs S. Cyprianus, de diuturnitate pœnæ Purgatorij loquens, in Epist. 2. lib. 4. sic ait: Aliud est, pro peccatis longo tempore cruciatum purgari diu igne; aliud, peccata omnia purgasse. Quod etiam confirmatur ex visione B. Ludgardis Virginis sanctissimæ & celeberrimæ; cuius Vitam scripsit ille idem Thomas Cantipratensis, qui scripsit Vitam Christinæ mirabilis. Et quoniam res est magna, & ad exemplum Prælatorum Ecclesiæ prodesse potest, adscribam hoc loco verba ipsa Auctoris, quæ habentur lib. 2. Vitæ S. Ludgardis apud Surium Tom. 3. ad diem Iunij 16. Hoc ferè tempore, inquit Auctor, Dominus Innocentius Papa III. post celebratum Lateranense Concilium ab hac vitâ migrauit, moxq; apparuit visibiliter Ludgardi. Illa autem, vt vidit illum ingenti flammâ cinctum, quisnam sit percunctatur. Respondit se esse Innocentium Papam. Et illa cum gemitu, Quid hoc est, inquit, communem omnium nostrûm Patrem tam dirè cruciari? Respondit ille: Tres ob causas ita crucior, quæ me etiam æternis suppliciis iustissimè addixissent, nisi per intercessionem piissimæ Matris Dei, cui Monasterium condidi, in extremis me pœnituisset. Et æternam quidem mortem euasi, sed pœnis atrocissimis vsque ad iudicij diem cruciabor. Quòd autem ad te suffragia petiturus venire potui, mihi à suo filio Mater misericordiæ impetrauit. His dictis confestim disparuit. Ludgardis verò eius necessitatem Sororibus, vt ei succurrerent, indicauit. Porrò admodum dolens vicem eius, mirabili se cruciatu illius causâ affecit. Nouerit Lector, nos, reuelante Ludgarde, tres illas causas non ignorare, sed pro tanti Pontificis reuerentiâ referre noluisse. Hæc ille; quod exemplum me quidem sæpè maximo timore & tremore afficere solet. Si enim tam laudabilis Pontifex, & qui in oculis hominum non probus & prudens solùm, sed etiam sanctus & imitatione dignissimus habitus est, tam parum abfuit à gehennâ, & vsque ad diem iudicij purgatoriis incendiis atrocissimis puniendus erat, quis Prælatus non trepidet? quis non accuratissimè conscientiæ suæ secreta timetur? Ego enim facilè mihi persuadeo, tantum Pontificem non potuisse lethalia peccata committere, nisi sub specie boni deceptum ab adulatoribus & domesticis, de quibus in Euangelio dicitur, Inimici hominis domestici eius. Itaque hoc tam magno exemplo discamus omnes sollicitè scrutari conscientiam nostram, ne fortè erronea sit, cùm nobis recta & sana videatur. Sed ad institutum, vnde digressi sumus, reuertamur, Purgatorij pœnas vltra decem aut viginti annos extendi, & fortasse vltra centum & vltra mille annos propagari posse, non est dubium. Sed esto, intra decem aut viginti annos terminetur pœna Purgatorij, quis pœnam atrocissimam sine vllâ intermissione ac sine requie viginti annis tolerare posset? Nam pœnam illam sine intermissione & requie cruciare, intelligi potest ex visione quam ex Bedâ Ven. paulò antè retulimus. Sanè si quis certus esset, se pedum, aut stomachi, vel capitis, aut dentium vel calculi dolore continuos viginti annos sine vllâ intermissione laboraturum, sic vt neque somnum capere, neque requiescere posset, mallet ille mori potiùs quàm sic viuere: & si optio daretur, an vellet sic tot annos viuere, an iacturam facere omnium fortunarum, promptissimo animo omnes fortunas abiiceret, vt à tam immani & tam continuo dolore liberaretur. Quantò igitur magis debet omnis homo sapiens eligere pœnitentiam cum fructibus suis, qui sunt, vigiliæ, orationes, ieiunia, eleemosynæ, ac potissimùm lacrymæ, quæ sunt signa verissimæ pœnitentiæ.*

Lib. 5. Hist. Anglic. c. 13

Lib. 2. de Gemitu columbæ, c. 9.

Matth. 10.

CAPVT XXVIII.

In omnibus hisce calamitatibus atque miseriis animæ semetipsas iuuare nequeunt: & ideò viuentium opem implorant.

1. *Rationes Mauburni, quæ à nobis opem animabus exterquere valeat.* ERuditissimus iuxtà ac pientissimus Abbas Ioannes Mauburnus, in Roseto exercitiorum spiritualium inter alia argumenta, quibus homines faciliùs ad animarum è Purgatorio solutionem procurandam inducantur: illa ex parte ipsarum animarum obseruanda ait. Primum quidem ratione grauitatis ipsorum cruciatuum quos patiuntur, reliqua verò quatuor ratione inhabilitatis atque indispositionis ad semetipsas iuuandum: quæ quia proposito nostro omnino cõgruunt, verbotenus ex illo mutuare placebit. Ait ergo: *Sed iam annotemus etiã inductiua ex parte animarum ipsarum. Et sunt ista, status scilicet earum consideratio:*

In pœnis, inopes, fracti, vincti, secùs & non.

Primum, quia sunt in durissimis, vt patet, pœnis constituti: vnde valdè durus est qui non miseretur, & subuenit, dum potest, illis. nam tantâ acerbitate affliguntur, tanto acerbitatis languore afficiuntur, vt nullus in mundo tam durus tyrannus, qui eis non succurreret, si hoc plenè nosceret. Alterum est, quia inopes sunt & pauperes, pretium redemptionis non habentes. Vnde oramus: Animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem. Tertiò compatiendum & succurrendum est eis, quia impotentes sunt ad operandum, quia sedent in tenebris, & confracti viribus, vnde eis operari impossibile est. Ioannis 9. *Oportet operari dum dies est, quando enim venit nox, nemo potest operari. O negligentiam nostram! videmus nos incarcerari, & negligimus operari, vt possimus liberari. Quartò, quia vincti sunt, ita vt meritorie nihil valeant operari (vt communiter tenetur) nec proficere in meritis, ac per hoc nec se liberare, neque iuuare. Vnde studiosè illis succurrendum. Postremò ideò vel maximè debemus eis succurrere, quia secùs non poterunt exire, nisi planè fuerit satisfactum: imò nisi ipsæ fuerint perfectæ, & thalamo dignæ; nil enim contaminatum intrabit in illum.* Apocal. 21. *Vnde nec malleus, nec securis, audita sunt in templo. Debemus ergo libenter eis succurrere, piâ oratione orantes, quò desiderium eorum compleatur in bono; nam nimis est crudelis, qui non compatitur illis.* Hactenus Mauburnus.

2. *Animæ Purgatorij mereri ampliùs nequeunt.* Eccles. 9. Hisce sunt conformia quæ passim in S. Scripturâ confirmandæ huic rei reperiuntur. Et sanè quidem, in Lege antiquâ diuersa sunt loca, quæ huc spectare, sanctorum Patrum auctoritas asseruit. Illud in primis Ecclesiastæ: *Mortui nihil nouerunt amplius, nec habent vltrà mercedem.* Super quo S. Hieronymus, quem velut Doctorem maximum in exponendis sacris Scripturis Ecclesiæ suæ Deus prouidere dignatus est, ita scribit: *Donec viuunt homines, possunt fieri iusti; post mortem verò nulla datur boni operis occasio.* & infrà: *Viuentes metu mortis possunt bona opera perpetrare, mortui verò nihil valent ad id adiicere quod semel secum tulêre de vitâ.* & infrà: *Nec iustè quippe possunt agere, nec peccare, nec virtutes adiicere, nec vitia.* Quin iterùm Ecclesiastes eodem capite: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Vbi de opere meritorio, & de inferno in genere, non de inferno inferiore agi, iterùm affirmat S. Hieronymus, adeoque propositum nostrum, quod modò discurimus, concernit. Et sanè ibi non de omni opere, aut scientiâ vel sapientiâ verba fieri, satis insinuat quod apud S. Lucam refertur de diuite Epulone, qui & Abraham Lazarumque cognouit, & pro se primò, deinde etiam pro suis fratribus opem implorauit. Adde & hoc eiusdem Sapientis: *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit ibi erit.* In quem locum DD. Hieronymus & Bernardus commentati sunt, eum intelligendum esse de immurabilitate animæ post mortem, quæ nec de bonâ fieri potest mala, neque de malâ etiam bona; quæ neque mereri ampliùs potest neque demereri. Proinde Siracides sic monuit: *Ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum.* & alibi: *Ne verearis vsque ad mortem iustificari.* Tam sedulò commendat ante obitum iustitiam operari, adeoque ad mortem vsque quemlibet iustificari debere inculcat, quia videlicet apud inferos non est inuenire cibum. non est, inquam, iustificationis materiam reperire. Vnde & Christus aiebat: *Tempus propè est. Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui iustus est, iustificetur adhuc; & sanctus, sanctificetur adhuc:* quasi dicat: Et impij impietatem suam, si adhuc velint, citò exerceant, & iusti suam iustitiam, quia posteà non eis ista licebunt, eò quòd tempus propè sit, id est, citò finietur. Vnde & ibidem à Saluatore adiungitur: *Venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.* Et ideò supra mortuum plorandum esse idem Siracides monuit, quia, vt suprà Cap. XII. ipse plorare ac pro peccatis satisfacere non potest: quoniam lux eius defecit, id est tempus lucis aut gratiæ, extra quam nemo potest in satisfactionem operari seu mereri.

Lucæ 16. Eccle. 11. Hieronym. in eum locũ. Bern. Serm. 49. in paruis. Eccli. 14. Eccli. 18. Apocal. 22. Eccli. 22.

Ipsemet quoque Gentium Doctor plurima habet loca in suis scriptis, è quibus indubitatum fit, post hoc sæculum nullam aut merendi aut satisfaciendi reperiri occasionem. *Ergo dum tempus habemus,* inquit, *operemur bonum ad omnes.* ad quæ Doctor Angelicus: *Ergo dum tempus habemus, id est in hac vita, quæ est tempus seminandi.* quod & ipse Christus Dominus confirmat, dum ait: *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est.* Idem quoque Apostolus alibi: *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum.* Quem locum exponens S. Augustinus, admonet, propria corporis non vocari hoc loco opera corporalia, quasi spiritualia iudicanda atque habenda non sint, sed intelligi hic vocarique vniuersa opera corporalia, quæ à nobis fiunt intereà dum in corpore versamur, quia nimirum post hanc vitam non superest tempus operandi aut promerendi, sed recipiendi tantùm aut pœnas aut præmia. S. Hieronymus quoque ex D. Paulo vrget hæc verba, *Quæ seminauerit homo, hæc & metet.* nam ait per seminandi tempus intelligi tempus præsens, & *seminare* aliud non esse quàm *benè operari*; & propterea quæ hic seminauerimus, nos præcisè posteà messuros. Cui accedit illud S. Ioannis, qui Angeli cuiusdam mentionem 3.

Galat. 6. Ioann. 9. 2. Cor. 5. De Prædest. Sanctorum, cap. 12. In cap. 6. Galat. Apocal. 10.

nem

nem facit, qui pedem vnum habens super mare, & alterum super terram, iurauit per Viuentem in sæcula sæculorum, quia tempus non foret ampliùs, nempe, vti Doctores exponunt, benè operandi. At, quod omnem auctoritatem superat, illud Christi Domini, *Venit nox in quâ nemo potest operari*, omnium propemodum Expositorum calculo, nostræ sententiæ stabiliendæ facit plurimum: per *noctem* enim, tempus vitæ futuræ; per *operari*, opera meritoria significari, ex professo asserunt *a* Origenes, Chrysostomus, Augustinus, *b* Euthymius, Theophylactus, *c* Hieronymus, & *d* Sanctus Gregorius. sed & *e* Sanctus Thomas, *Ibi ergo erit nox*, inquit, *vbi nemo potest operari, sed recipere quod operatus est. Cum viuis fac, si quid facturus es.* Villico iterùm illi, diffamato quòd Domini sui bona dissipasset, ita dictum asserit Saluator noster: *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris ampliùs villicare.* Per depositionem à villicatione, mortem Doctores intelligunt: per id quod dicitur ampliùs non posse villicare, significari aiunt, non ampliùs posse mereri aut satisfieri. Videri pro hac sententiâ possunt *a* Ambrosius, Theophylactus, *b* Hieronymus, *c* Augustinus, & alij plures, qui passim occurrunt.

Ioan. 9.
a Super Psalmum 36. *b* In eum locum. *c* In cap. 9. Ecclesi. *d* Lib. 4. Dial. cap. 19. *e* In Catenâ. Lucæ 16.
a In hunc locum. *b* Quæst. 6. ad Algasiam. *c* Lib. 21. de Ciuit. c. 27.

4. Apostolorũ & Christi Domini vestigiis mordicus inhærent SS. Patres, non quòd ipsi Sapientiæ diuinæ per sua scripta aliquid lucis aut perfectionis addere velint, sed quòd nos, idem sentire, monitos cupiebant. S. Cyprianus: *Quando hinc excessum fuerit, nullus iam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus.* Vnde superiùs, *Hortamur*, inquit, *dum adhuc aliquid de sæculo superest, Deo satisfacere.* S. Ioannes Chrysostomus, loquẽs de fine vitæ istius: *Vltrà neque fides est, neq; labores, neque pœnitentia.* Et alibi: *Cùm hinc discesserimus, nõ est in nobis situ͂ pœnitere, neque commissa diluere.* & rursum: *Neque enim qui in præsenti vitâ peccata non abluerunt, posteà consolationem aliquam inuenturi sunt.* Ac demum: *Præsens vita tam rectè quàm contrà tibi viuendi tribuit potestatem: postquam verò diem tuum obieris, iudicium & pœna consequetur.* S. Augustinus verò: *Quocircà hic omne meritum comparatur, quò possit post hanc vitam releuari quispiam vel grauari: nemo autem se speret, quod hic neglexerit cùm obierit, apud Deum promereri.* S. Ambrosius: *Qui hîc non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit.* D. etiam Hieronymus, *Mortui*, inquit, *nec iustè possunt agere nec peccare.* Denique S. Damascenus: *Quod est Angelis casus, idem hominibus mors.*

Tract. 1. contra Demetrian. in fine.
In Ioannem.
Homil. 2. de Lazaro.
Homil. 37. in Matth.
Augustin. in Enchirid. cap. 110.
Ambros. de Bono mortis cap. 2.
Hier. in c. 9. Ecclesiastæ.
Damascen. lib. 2. de Fide orthod. c. 4.

5. *Rationibus nonnullis id munitur.*

E quibus tametsi abundè satis constet, non posse Purgatorij animas seipsas, vt citiùs liberentur, per satisfactionem aliquam iuuare; vt tamen nihil huic probationi desit quod ad materiæ nostræ perspicuitatẽ facere possit, rationes aliquot è Scholasticis Doctoribus mutuatas hic annectemus, præsertim quæ apud R. P. Franciscum Suarezium, copiosissimũ nostro sæculo rerum Theologicarum Expositorem, referuntur. *Prima ratio*, inquit ille: *Quia priusquam animæ illæ ad Purgatorium deferantur, iudicium ac finalem sententiam accipiunt; ergo post illud iudicium non faciunt opera de quibus iterùm iudicandæ sint, atque adeò nec meritoria. Cui consonat illud Lucæ cap. 16. Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare. Vbi videri possunt Theophylactus, & Euthymius suo cap. quinquagesimo octauo. Sic etiam in parabolâ de talentis Matthæi 25. redditâ ratione vnusquisque accepit mercedem seu præmium iuxta opus suum. Item in parabolâ vineæ, & similibus. Denique ob hanc causam dictũ est Ecclesiastici decimo octauo: Nec verearis vsque ad mortem iustificari, quia tempus acquirendæ iustitiæ est ante iudiciũ; nam de his quæ posteà sequuntur, nulli iudicantur. Vnde nec animæ damnatæ de malis actibus, quos in inferno faciunt, nec beatæ de his quæ faciunt in patriâ, iudicantur. Idem est ergo de animabus Purgatorij. Secundò est ratio à priori diuina lex, quæ ita statuit terminum vitæ hominis. Congruentia verò est, quia humana anima vnitur corpori, vt mediante illo suam perfectionẽ vel etiam beatitudinẽ consequatur; & ideò ex supernaturali prouidentiâ spatium illud ei præfixum est ad supernaturalia dona promerenda. Tertiò est ratio à posteriori, quia aliàs fieri posset, vt animæ illæ commodum ex negligentiâ, quam in hac vitâ habuerunt reportarent: quia eâ occasione crescere possent in gratiâ & gloriâ perpetuâ. Vnde fieret, vt duæ animæ hinc decedentes cum æquali gratiâ, tandẽ in gloriâ perpetuâ essent inæquales, solùm quia vna, quæ plura peccata habuit, vel minùs in hac vitâ satisfecit, in Purgatorio crescere potuit; alia verò purior ac diligentior statim rapta est in paradisum. Id verò absurdum est, & rectæ prouidentiæ minùs consentaneum.*

Tom. 4. disp. 47. sect. 1. n. 3.

Verùm enimuerò hic non nemo insurgere posset atque obiicere: Animæ Purgatorij sunt in statu gratiæ; hoc indubitatum: atqui gratia illa vel est consummata, vel non. Si gratia est cõsummata, iam sunt beatæ & gloriosæ: sin verò non est consummata, quid obstat quò minùs ea crescere adeoque tandem consummari possit? Sed huic obiectioni reponimus, gratiam gemino modo posse dici consummatam: Vno, quia suo iam fini reipsâ est coniuncta, & actualiter, quæ est consummatio per operationẽ, quam animæ illæ Purgatorij necdum habent, quia non coniunguntur Deo per claram visionem, nec illum possident, adeoque adhuc per solam fidem illum cognoscunt. Secundùm enim legem ordinariam omnis vera iustitia, quamdiu necdum est consummata per visionem, in fide fundatur, sine quâ *impossibile est placere Deo*, vt Apostolus ait. Nec in animabus illis est quidpiam quod fidei vel aduersetur vel repugnet: non ex parte voluntatis, vt per se manifestum est, cùm sint iustissimæ; neque etiam ex parte intellectus, quia nondum clarè vident; neque aliquo fundamento probabili affirmari potest, eis scientiam aliquam nouam & supernaturalem infusam esse. Et quamuis fortè dici posset, eas sibi per aliquam rerum experientiam comparasse euidentiam quamdam fidei, id tamẽ haud obstat. Quantumuis enim hæc acquisita euidentia, suo forsan modo quodam, sufficere posset ad impediendam libertatem in credendo (saltem in specificatione actus) id tamẽ nullo modo ad gratiæ consummationem sufficit, neque veram fidei rationem excludit; tum quia non habent experimentum omnium veritatum & articulorum quos in mortali vitâ crediderunt, illorum præsertim qui Deum propriè spectant; tum, idque vel maximè, quia sublimioribus illis mysteriis assentiuntur non per experientiam illam aut acquisitam euidentiam quam in Purgatorio habent, sed quia firmiori Prophetico ac diuino sermoni magis iam attendunt, adeoque firmiùs & supernaturaliter credunt. Hoc intellectu igitur concedendum est aduersariis, Purgatorij animas 6.

Obiectio prima.

Responsio. Gratia quatenus in animabus Purgatorij sit perfecta. Non per operationem.

mas needum habere gratiam consummatam. Altero proinde modo dicere possumus gratiam esse consummatam per intensionem, quam in animâ illâ habere vel potest vel debet, quemadmodum calor in summo esse dicitur, quando omnes suæ intensionis gradus habet: & hoc in intellectu asserimus Purgatorij animas habere gratiam consummatam, quia quoad intensionem in eis crescere non potest, habuit enim in mortis suæ instanti omnes & quoslibet gradus, quos homo quispiam in hac vitâ vllo titulo promereri potuit, atque ideò gratia ibi augeri non potest, quia anima nec mereri potest, nec intensiùs operari quàm ipsi habitus connaturali modo operari valeant. Neque vero est simile, in aditu ad cælestem gloriam aliquam animæ addi intensionem gratiæ absque merito aliòve titulo, cùm id nec fundamentum habeat, nec Scripturis sacris consonet, quæ dicunt, vnumquemque relaturum prout gessit in corpore.

Sed per intensionem.

7. At vrgent aduersarij: Animæ illæ sunt in charitate & habent charitatem. ea verò charitas vel est perfecta, & sic fruuntur Deo; vel imperfecta, & sic perfici poterunt. Sed iterùm hic distinguo. Potest charitas dici imperfecta essentialiter, eoque modo nulla sane charitas, modò vera sit, est imperfecta, attestante D. Ioanne Apostolo qui sic ait: *Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est.* omnis quippe charitas animam Deo, vtpote vltimo fini supernaturali, vnit, virtutumque forma & virtus est essentialiter, adeoque imperfectio essentialis ei omnino repugnat. Sin verò loqui velimus de imperfectione aliquâ accidentali, sic charitas duplici modo imperfecta esse potest, Primò quoad statum, eò quòd needum actualiter aut immobiliter vnita aut coniuncta sit vltimo suo fini; hocque locum habet in animabus Purgatorij, quæ quoad hoc sunt imperfectæ charitatis, vel inconsummatæ, vt suprà de gratiâ dicebamus. caue tamen inde inferre velis, eam posse augeri, cùm sit in tali subiecto quod iam extra omnem merendi statum positum est. Secundò quoad intensionem, quia charitas illa nimirum needum habet totam illam intensionem quam in illo subiecto habere tum posset tum deberet, adeoque charitas illa animarum Purgatorij hoc modo perfecta est dicenda, non imperfecta.

Obiectio secunda. Animæ Purgatorij habent charitatem perfectam essentialiter. 1. Ioan. 2.

Non verò accidentaliter.

8. Pergit P. Suarez: Atque ex his vlteriùs colligitur, animas Purgatorij non esse propriè in statu satisfaciendi, sed satispatiendi. Hoc erit manifestum, si termini propositi explicentur: quod erit facile, suppositâ doctrinâ suprà traditâ de satisfactione. Ex peccato enim remisso, primò & per se relinquitur reatus pœnæ ignis & afflictionis Purgatorij, & hanc sustinere possunt animæ Purgatorij: & quia illa pœna temporalis est, per sufficientem illius durationem dicuntur posse satispati iuxta qualitatem seu quantitatem reatus, ad quod illis sufficit esse in statu gratiæ. Rursus verò concessum est hominibus iustis & viatoribus, vt possint quodammodò mereri remissionem illius pœnæ per alias pœnas volũtarias huius vitæ moraliter æquiualentes, iuxta diuinam legem, & iustam institutionem; & hæc vocatur propria satisfactio. Hanc ergo dicimus exhibere non posse animas Purgatorij: quia sicut tempus merendi tantùm fuit in hac vitâ, ita etiam status satisfaciendi per voluntarias pœnas vel afflictiones. Quod eisdem testimoniis, rationibus, & Ecclesiæ traditione ostendendum est, est enim eadẽ ratio. Nam hìc, priusquam feratur vltima sententia, est tempus misericordiæ: tunc autem, latâ iam sententiâ, est tempus rigorosæ iustitiæ, & executionis pœnæ, prout fuit per sentẽtiam declarata. Item, quia aliàs per feruentem actum contritionis, detestationis peccati, & amoris Dei, posset homo breuissimo tempore satisfacere, nec pœna ignis esset verè vtilis, nedum necessaria. Accedit, quòd licet illa pœna Purgatorij sit voluntaria concomitãter per conformationem cum diuinâ voluntate, non tamen est voluntariè assumpta; nec ex tali voluntate habet valorem compensandi debitum culpę, sed ex suâ acerbitate, iuxta mensuram diuinæ legis. Quamuis vt sit fructuosa, requirat, vt conditionem necessariam, statum amicitię diuinæ: quia quantumuis illa pœna rigorosa videatur, est pœna amici, quem Deus vt Pater, non vt inimicus castigat, vt tandem suo conspectu dignus, & ad illum omnino purus inueniatur. Vnde ipsæmet animæ sanctæ hanc diuinam iustitiam considerantes, nolunt inde exire, donec perfectè purgatæ inueniantur. Hoc autem non impedit, quò minùs suffragiis fidelium iuuari possint; neque etiam, quò minùs istinc per viuorum suffragia, à Deo ad earum liberationem ordinata, educi, & quantò citiùs fieri possit, à tormentis absolui & eximi desiderent. sic ille.

Animæ Purgatorij non sunt in statu satisfaciendi, sed satispatiendi.

9. Verùm enimuerò, credi vix potest, quantis infernalis serpens fallaciis eludere & elidere conatus fuerit illa officia, quę & piè & iustè erga defunctos à viuis compleri solent. Præter insigne enim illud mendacium, quo per suos Ministros Purgatorij fidem ex animis nostris euellere anisus est, aliud haud impar commentum ementitus est, vt, quandoquidem illud efficere hactenus omnino non potuit, saltem hunc mentibus nostris errorem iniiceret, ne nostras preces aut subsidia ab animabus illis desiderari aut expeti crederemus, eò quòd ipsæ, vtpote diuinæ iam volũtati omnino conformes, in tormentis illis perdurare contentæ sint, quamdiu & ipsarum culpæ exegerint, & diuinæ Maiestati cõplacuerit. Quod ne quis sibi incautiùs persuadeat aut persuaderi sinat, en & hũc scrupulum exemptũ imus. Nam tametsi animæ illæ in Purgatorio detentæ, libenter admittant, & patientissimè quoq; sustineant ea supplicia, ad quæ iusto Dei iudicio propter suas sese culpas destinatas esse agnoscunt, illa tamen minimè amant, sed vel maximum inde horrorem concipiunt: id quod etiam quotidie in ægrotis nostris experimur, quibus dum amarum aliquod pharmacum epotandum exhibetur; perlubenti quidem animo, sanitatis suæ consequendæ ergò, illud exhauriunt, non tamen propterea id eis amarum non est, nec sine horrore aut difficultate aliquâ sumitur. Perinde ergò cum animabus hisce fieri existimandum est, vt, dum sua peccata huiusmodi tormenta fuisse promerita cognoscunt, nec nisi impletâ istâ pœnitentiâ ad cælestem gloriam peruenire se posse vident, diuinum patienter quidem & libenter in se admittant iudicium, maximis tamen inde doloribus & horroribus afficiantur. Id quod etiam in ipso Saluatore nostro apparet,

Diabolus summoperè Purgatorij fidem abolitam cupit.

 qui

qui quamuis pro generis humani redemptione mortem vltrò adeoque libentissimè susceperit, extimuit tamen, atque hunc in modum Patrem suum rogauit: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.*

Math. 26.

10. *Animæ Purgatorij de pœnis suis dolent & gemunt; & inde liberari optant:*

Dolent ergo, & summopere dolent animæ fidelium, quòd hærendum iis sit in tormentis, omnique quo possunt conatu ab iisdem liberari desiderant: & vt citiùs liberentur, humillimis gemitibus & ardentissimis votis viuentium sæpiùs patrocinium implorant; quod non vnus tantùm Scriptor aut pauci, sed quotquot de purgandis scripserunt spiritibus, sunt testati. Hos inter principem locum obtineat S. Gregorius Pontifex verissimè Magnus, qui hoc ipsum variis affirmat tum sententiis tum exemplis. Alicubi in Dialogis suis, *Multum*, inquit, *solet animas etiam post mortem sacra oblatio Hostiæ salutaris adiuuare, ita vt nonnumquam hanc ipsæ defunctorum animæ expetere videantur.* Exemplo subiuncto rem illustriorem reddit. *Quidam enim Presbyter*, inquit ibidem, *in diœcesi Centumcellensis vrbis habitauit, atque Ecclesiæ B. Ioannis, quæ in loco qui Taurania dicitur sita est, præerat. Idem Presbyter in eodem loco, in quo aquæ calidæ vapores nimios faciunt, quoties necessitas corporis exigebat, se lauare consueuerat. Vbi dum die quodam fuisset ingressus, inuenit quemdam incognitum virum, ad suum obsequium præparatum, qui sibi de pedibus calceos abstraheret, vestimenta susciperet, & exeunti de caloribus sabana præberet, atque omne ministerium cum magno famulatu perageret. Cumq; hoc sæpius fieret, idem Presbyter die quodam ad balnea iturus, intra semetipsum cogitans dixit: Viro illo, qui mihi solet tam deuotissimè ad lauandum obsequi, ingratus apparere non debeo, sed aliquid mihi necesse est ei pro munere portare. Tunc duas secum oblationum coronas detulit. Qui mox vt peruenit ad locum, hominem inuenit, atque ex more eius obsequio in omnibus vsus est. Lauit itaque: & cùm iam vestitus voluit egredi, quod secum detulerat, obsequenti viro pro benedictione obtulit, petens vt benignè susciperet quod ei charitatis gratiâ offerret. Cui ille mœrens afflictusq; respondit: Mihi ista quare das, Pater? iste panis sanctus est, ego hunc manducare non possum. Ego etenim, quem vides, aliquando loci huius dominus fui, sed pro culpis meis hic post mortem deputatus sum. Si autem mihi præstare vis, omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, vt pro peccatis meis interuenias; & tunc exauditum te esse cognosce, cùm hic ad lauandum veneris, & minimè me inueneris. In quibus verbis disparuit, & is qui homo esse videbatur, innotuit quia spiritus fuit. Idem verò Presbyter hebdomade continuâ se pro eo lacrymis afflixit, salutarem quotidie hostiam obtulit, & reuersus postea ad balneum, eum iam minimè inuenit. Quâ in re, quantum prosit animabus immolatio sacræ oblationis, ostenditur, quando hanc & ipsi mortuorum spiritus à viuentibus petunt, & signa indicant, quibus per eam absoluti videantur.* Hactenus S. Gregorius.

Quod variis exemplis probatur. Lib. 4 Dialogorum, cap. 55.

11. Idem D. Gregorius pulcherrimam quæ huc facit historiam recenset, in quâ dicit, animam Paschasij in Thermis Puteolanis apparuisse S. Germano, eiusque sese precibus commendasse, ac liberatum fuisse; quam & suprà attigi. Similiter S. Gregorius Turonensis scribit, S. Vitalianam à B. Martino Turonensi tunc Episcopo expetiisse & impetrasse suis meritis & precibus ab igne purgatorio exemptionem. S. Petrus Damianus tria etiam, quæ huc pertinent, exempla

Lib. 4. Dialog. cap. 40.

De gloriâ Confessorum, c. 5.

recitat. Primũ, vbi refert, apparuisse Religiosum quemdam alteri Religioso, qui grauissimè in Purgatorio affligebatur propterea quòd illius, cui apparebat, in se susceptam pœnitentiam minime compleuisset: affectuosè ergo se aliorum Religiosorum pietati petebat haberi commendatum, vt nimirum eorum operâ liber euaderet à tormentis. Secundum, narrans, Benedictũ VIII. Pont. Max. cuidam Episcopo se conspiciendum dedisse, eique declarasse, se in Purgatorio vehementer torqueri, & proinde petiisse vt Romam contenderet, & Ioannem Papam successorem suum admoneret, quatenus certas aliquas pecunias in sui ab istis pœnis liberationem indigentibus erogaret. Tertium denique, S. Seuerini Coloniensis Episcopi, qui cuidam Ecclesiæ suæ Presbytero apparuit, eiusdemque pro se preces expetiit. Sed & hæc & sequentia etiam aliqua, quia alibi ad longum relata sunt, hic nonnisi ad memoriæ subsidium ac præsentis materiæ confirmationem vel breuiter enarrantur.

Epist. 4. ad B. Fratrem.

Epist. ad Dominicum.

Epist. ad Desiderium.

Mellifluus Ecclesiæ Doctor Bernardus in Vitâ S. Malachiæ auctor est, quòd eidem Sancto non semel apparuerit ipsius soror, quæ se in Purgatorio cruciari affirmaret, atque ab illo preces & Sacrificia, vt liberaretur, humiliter expeteret. 12.

Abbas Guilielmus, ille qui Vitam D. Bernardi conscripsit, meminit etiam Monachi cuiusdam in Purgatorio existentis, qui S. Bernardo precibus eius ac Sacrificiis se iuuandum obtulit, quod vbi is præstitisset, solitus fuit posteà idem exemplum suis Fratribus enarrare. Varia quoque in hanc rem adfert Vincentius Beluacensis in Speculo historiali. Inter alia narrat, Benedictum Pontificem defunctum Ioanni Portuensi Episcopo adstitisse, precesque ac Sacrificia S. Odilonis, cuius sese adiutoriis liberandum aiebat, per eumdem ardenter efflagitasse. Alibi affirmat, carbonario cuidam, vti & Comiti Nisternensi, visum esse militem equo insidentem, ac mulierem, quam is miles fugientem insequens occidere atque in ignem proiicere videbatur. Hi rogati quinam essent, responsum miles dedit, sese duas esse animas Purgatorio destinatas ob peccatum adulterij in vitâ simul perpetrati, ac non sufficienter expurgati. Vnde & se liberandos asseruit, si Comes prædictus vellet per vniuersas suæ ditionis congregationes curare, vt Presbyteri pro se orarent, sacrificarent, ac Psalmos decantarent. Scribit & alia, quæ commodioribus locis nos inseremus. Venerabilis Thomas Cantipratanus rara admodum pro nostro instituto obseruauit. Refert, adstitisse animam cuiusdam Religioso cuipiam Dominicano (è cuius ore se hæc accepisse testatur) quæ eum miserit ad heredes cuiusdam recèns defuncti atque necdum sepulti, vt hæc eis verba referret: *Legatione fungor pro animabus in Purgatorio purificandis; hæc enim mandant suis in derelictis possessionibus constitutis: Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Alibi asserit, Ottonem Imperatorem mortuum cuidam suæ cognatæ, Virginum Præfectæ, apparuisse, à quâ preces pœnitentiasque viuorum exposcebat. Porrò vt ostenderet quantum animæ in Purgatorio liberari desiderent, ibidem paulò infrà mirum quid hoc modo narrat. *Et nos*, inquit, *veridicâ valdè relatione didicimus, quemdam defunctum subitò,*

Lib. 1. ca. 10.

Lib. 24. c. 105

Lib. 29. c. 110

Lib. 2. Apũ, c. 49. n. 23.

Cap. 53. n. 19.

Cap. eod. n. 31.

subitò, & ita pœnas Purgatorij transeuntem, cuiusdam sanctissimi viri precibus reuocatum ad vitam. Hic tale quid visum & auditum in Purgatorio referebat. Animã cuiusdam, quem priùs in vitâ cognouerat, grauissimè torquebatur. In mediis ergo ignibus subitò illa exultabunda clamauit: Eia misericordissime Deus, nec in finem oblitus es mei. Cui anima consors in pœnâ, Vnde, inquit, tibi miserrimæ in tam horrendis supplicijs exultare? Et illa, Meritò, inquit, exultabunda tripudio, quia mihi scire à Domino datum est, in hoc instanti natum puerum, qui longè post futurus est Presbyter, in cuius Missâ, quam celebrabit primam, ab his pœnis ad requiem euolabo. Deus bone! quid est hoc? Vigintiquatuor minimùm annis expectandum erat vt puer iste Sacerdotio posset initiari, & tamen illa tamdiu interim excrucianda anima, tantâ lætitiâ perfusa, quòd in eius primitiis esset liberanda. Profectò vel meridiano sole hinc clariùs elucet, ingenti admodum, inexplicabili & inimaginabili animas desiderio teneri, vt viuentium bonis operibus adiutæ, tandem aliquando liberentur.

13. Admodum igitur apte vir quidam religiosus animæ in Purgatorio existenti applicauit ista Dauidis Regis verba: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ*, &c. *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. Quæ est*, inquit ille, *Ecclesia, quorum filij obliuiscuntur fratrum suorum, & ab eis velut extranei efficiuntur, dum ipsos à tormentis suis non eripiunt, neque eos audire dignantur.* Quod quàm sit crudele, Capite XXIX. sequenti demonstrabimus, modò exempla afferre pergimus, quibus ostendimus, animas defunctorum opem & subsidium viuorum enixissimè implorasse. Sed quid? an omnia producere velim? integro & peculiari volumine opus foret, indice itaque digito Auctores solummodò præcipuos, qui ea descripserunt, commonstrasse sufficiat, quos apud cuilibet ea legere pro lubitu & libitu integrum erit. Sunt verò hi: *a* D. Antoninus, *b* Iacobus de Voragine Archiepiscopus Genuensis, *c* Petrus de Natalibus, *d* Humbertus, *e* Ludouicus Blosius, *f* Surius, *g* Bartholomæus de Pisâ Franciscanus, *h* Baronius, *i* Chronica S. Francisci, Liber exordialis Ordinis Cisterciensis, & *k* Chronicon d Affignies, Reuelationes S. Birgittæ decem locis, Insinuationes S. Gertrudis de Saxoniâ, Thomas à Kempis pluribus in locis, & alij pænè infiniti, qui omnes varij generis variarumque conditionum homines diuersis apparuisse testantur, ab iisdemq; è Purgatorio liberationem per preces, eleemosynas, Sacrificia, ieiunia expertisse, scriptis suis asseruerunt. Eæ verò apparitiones non è vulgo aut rudioribus & indoctis hominibus solùm, sed & eruditissimis simul atque sanctissimis contigerunt, vt patet in S. Thomâ Aquinate, cui soror & Romanus frater; & B. Vincentio Ferrariense, cui soror apparuerunt, quos & ipsi suis suffragiis liberauerunt, quibus aliàs in Purgatorio vsque ad vniuersale iudicium hærendum fuerat.

Psal. 68.

a Part. 4. t. 19.
b In Variis Sermon.
c Lib. 10. c. 8. in die Commem. anim.
d In Spec. tit. Conuers. exempl. 31.
e Monili, c. 6.
f In vitâ S. Lutgardis, 16. Iunij.
g Lib. 1. c. 23
h Tom. 10. Annal. ad annum 647.
i Lib. 1. c. 7.
k Cap. 39.

14. Ceterùm vnum restat præsenti materiæ ampliùs enucleandæ, An nimirum animabus Purgatorij, pro auxilio à viuentibus suam ad liberationem petendo, exire liceat è suo loco, & mortalibus hoc in mundo apparere. Ad quod respondeti potest, communem eam legem esse, vt propriâ sponte, & absque speciali Dei permissu; animæ ex Purgatorio abire nequeant, quia carcer ille est veluti pars aliqua pœnam illarum aggrauans, prout videre licet ex *a* Tertulliano, *b* Chrysostomo, *c* Athanasio, *d* Augustino, & *e* Theophilo. Quare verò animæ illæ propriâ sponte è Purgatorio egredi nequeant, nonnulli inde prouenire aiunt, quòd anima separata non possit suo quidem arbitrio moueri localiter, nec etiam virtute motiuâ Angelorum vel dæmonum, sed quòd illarum motio omnino ex solo Deo pendeat. Sed à vero hosce abire dicendum, & animam reuerà moueri posse virtute sibi propriâ, quantumuis separata sit à corpore, haud minùs quàm Angelorum, nisi fortè, quò minùs posit, à Deo impediatur. Dæmones quoque eas naturali virtute mouere possent, si permitterentur: de facto tamen haud possunt, eò quòd dæmon ordinationi aut iustitiæ diuinæ resistere efficaciter nequeat. quia si sunt animæ sanctæ, nil habet in illas potestatis; sin verò damnatæ, non potest vllam educere è carcere illo, in quem Deus illas deturbauit, ibique vel semper vel ad tempus manere voluit. Vera igitur ratio in iustitiæ diuinæ legem reducenda est, quæ nimirum animas ibi detinet, damnatas, violenter & coactè; purgandas verò, voluntariè, quippe quæ iustam Dei voluntatem cognoscant, eique se vltrò submittant. Verùm enimuerò hæc lex haud est adeò stricta & rigorosa, vt in illâ quandoque dispensari non possit: ideoque S. Augustinus probabile credit, sæpè veras animarum eiusmodi apparitiones ex dispensatione diuinâ fieri; nec Tertullianus dissentit. Verisimile igitur est, ex dispẽsatione illâ Dei posse animas Purgatorij interdum hominibus apparere: solum tamen hoc aduerti velim, quando dispensatio hæc fit, pœnam non interrumpi, prout ratio sanè postulat: talis namque intermissio earum pœnam potiùs augeret, tempus beatitudinis ampliùs differendo; neque est necessaria, quia ignis ille sicut in aëre nostro cruciat dæmones, ita etiam animas torquere & purgare continuè potest.

An animabus Purgatorij pro suppetiis petendis exire liceat.

a De Animâ, c. 57.
b Homil. 29. in Matth.
c Quæst. 11. ad Antioch.
d De Curâ pro mort. c. 11. 12. 15. 16.
e In Matt. 8.

Lubet etiam aliam hîc addere quæstionem, Vtrùm scilicet animæ è Purgatorio reuocari possint pro dubij alicuius solutione. Vt simul quid de Beatis atque damnatis sentiendum sit cognoscamus, audiri poterunt quæ hanc in rem habet Cardinalis Bellarminus, cuius non quidem verba, sed sensum, & quasi verborum eius compendium referemus. Quoad Limbum quidem, inde animas apparuisse probat ex Augustino, qui animam Samuelis Sauli Regi apparuisse affirmat; & ex S. Euangelistâ Matthæo, vbi Moysem & Eliam in monte Thabor apparuisse refertur. Quòd ex Purgatorio apparuerint, probat ex S. Gregorio; & quòd ex inferno, probat memorabili illo exemplo Doctoris Parisiensis, de quo in Vitâ S. Brunonis. Denique ne quid omnino desit quod materiam nostram illustrare queat, quæri etiam posset, An sicut è Limbo & Purgatorio animas exire & liberari conueniebat, id similiter ex damnatorum loco fieri, aut aliquando factum esse admittendum sit. Ad quod iterùm eiusdem Bellarmini responsionem reponere possumus, qui loco quem suprà allegauimus, simpliciter negat

15. *An eadem reuocari possint vt dubia & incerta dissoluãt.*

Lib. 2. de Purgatorio, cap. 8.
Lib. de Curâ pro mortuis, c. 15. 16.
Matth. 17.

Lib. 4. Dial. c. 40. & 55.

An damnatis exire liceat.

gat eum qui absolutè ad æternas pœnas condemnatus est, eo modo ad vitam reuocari posse vt in terris iterùm viuat & degat: quia alioquin impiorum damnatio incerta fieret; atque Augustinum asserere, nimiæ præsumptionis esse, dicere, eos non mansuros in perpetuo igne, quibus Veritas dicit, *Ite in ignem æternum.* Nullum insuper fore damnatorum, qui salutem sperare non posset, & pro quo preces fieri ritè nequeant; cùm tamen Fides nos doceat, eos non posse saluari, adeoque pro iis non nisi frustrà imò impiè ferè preces fieri. Alio verò modo, nimirum vt ita ex inferno ad superiora reuocentur, vt paulò pòst statim eò sint retrudendi, incredibile esse posse ait, nisi eiusmodi exempla obstarent, quæ negari omnino nequeant. Verba Bellarmini hæc sunt: *B. Gregorius lib. 1. Dialog. c. 12. scribit, à S. Seuero excitatum quemdam virum pessimum, qui à dæmonibus in infernum deducebatur. Hegesippus scribit lib. 3. c. 2. B. Petrum excitasse affinem quemdam Cæsaris Ethnicum à morte. Nec dubitari potest, quin Apostoli aliquos Ethnicos excitarint. Maximus Serm. 2. de S. Agnete dicit, ab eâ excitatum filium Præfecti, qui in peccato mortali obierat. Et Euodius lib. 1. de Miraculis S. Stephani dicit, puerulum mortuum ante Baptismum, ad Reliquias S. Stephani excitatum.* Quia verò hi ita sunt excitati, vt simul in terris posteà superstites permanserint, ita respondet: *Dico, eos qui sunt excitati, cùm mererentur æternas pœnas, non fuisse damnatos, sed suspensam eorum sententiam, & interim punitos secundum præsentem iniustitiam, vt B. Thomas docet in 4. Sentent. dist. 45. q. 2. art. 2. quomodo etiam respondet Richardus, Durandus, & alij ibidem.*

Lib. 21. de Ciuitate, cap. 24.

CAPVT XXIX.

Detestanda est inhumanitas, ita derelictis manum & opem subtrahere. Ad hanc crudelitatem vt non perueniant, mirè suos in vitâ Deus castigat.

1. *Iudæorum in suos crudelitas describitur.* Thren. 4.

HAud immeritò Ieremias Propheta, pessimos pessimi Israelitici populi mores deplorans, inter alia sic exclamat: *Lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* Quamuis Lamiæ, inquit, feræ & bestiæ sint alioquin crudelissimæ, & vel maximè sanguinem sitiant, suorum tamen fœtuum miserentur, & ne vel fame inediaque pereant, lacte suo ipsos alunt. Sed filiæ Ierosolymitanæ ferissimas & sæuissimas istas bestias feritate atque sæuitiâ longè superant, adeoque ipsis struthionibus similes euasere, quos, qui rerum naturalium historias exposuerunt, oua sua derelinquere scribunt, vt à Solis radiis excludi, pullosque ab aliis feris educari necesse sit. Inueniebantur nimirum Ierosolymis matres, quæ, haud secùs atque sæuissimi struthiones, humanâ prorsus naturâ exutâ, liberorum suorum curam abiicerent, eosque inediâ vel siti enecari misertimè permittebant. Eadem inhumana certè feritas & sæuitia obiici & exprobrari poterit iure merito illis Ecclesiæ Catholicæ filiis, qui, quâ defunctis eos teneri posteà demonstrabimus, obligationis obliti, & velut naturæ & fidei immemores, adeò se exhibent crudeles atque inhumanos, vt ipsorum respectu lamiæ & dracones siluestres citiùs mammas suas nudare, fœtusque suos lactare velle putentur, quàm isti ingratissimi Christiani his manum auxiliatricem porrecturi videantur, ad quos tamen iuuandos eos & naturæ dictamen & fidei lumen existimulant. Et profectò hac in re maior filiorum Ecclesiæ quam Synagogæ elucet crudelitas, cùm Pharisæorum potissimùm in eo sita esset inhumanitas, quòd, vt infrà demonstrabimus, parentibus aliud munus prodesse nollent, quàm ab illis acceperant; Catholicorum autem plurimi nec illud volunt communicatum quod à parentibus suis in hereditatem receperunt; vnde & potiori iure illis ista lamiarum struthionumque applicari potest comparatio.

Eadem Catholicorum quorumdam inhumanitas in animas Purgatorij.

2. Michææ 1.

Apud Michæam dicitur: *Faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum.* vbi Hebraicè legitur, *sicut filiæ struthionum; id est,* inquit R. P. Cornelius à Lapide in Lamentationes, *sicut pulli à matribus struthionum derelicti, qui miserabiliter plangunt & eiulant.* Ita planè animæ Purgatorij planctum faciunt quasi planctum draconum, & luctum velut filiæ struthionum. Nam tametsi ardentissimis votis ac indefessis gemitibus viuorum continuè implorent auxilium, derelinquuntur tamen vt plurimùm, nec vel tantum obtinere valent assiduis suis inclamationibus, vt fidelis aliquis viuens, propinquus, aut amicus mammam denudet, easque velut catulos lactet, hoc est, ad cælestis gloriæ participationem promoueat. *Qui crudelis est,* inquit Sapiens, *etiam propinquos abiicit.* vt propterea ista etiam propinquorum & consanguineorum derelictio crudelitas dicenda sit, nec sanè crudelitas aliqua vulgaris aut inferioris ordinis, sed summa, & eminentissimi gradus, quâ maior aut grauior esse nequeat: qui enim iustus & à duri cordis notâ alienior haberi desiderat, non familiarium tantùm sibique sanguine iunctorum, sed & iumentorum suorum curam gerere tenetur, secundùm illud eiusdem Sapientis: *Nouit iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia.* Prouerb. 11. Prouerb. 12.

3. Serm. 44. ad Fratres in eremo.

Cum sancto igitur Augustino exclamare liceat: *Ora pro defunctis, vt dum fuerint in æternâ vitâ, pro te orare non negligant. Expectant enim nos, vt iuuentur per nos: tempus enim operandi profugit ab eis. Clamant igitur quotidie qui iacent in tormentis. Clamant, & pauci sunt qui respondeant. Vlulant, non est qui consoletur eos. O quàm grandis crudelitas, fratres mei! ô quàm grandis inhumanitas! Clamant ad nos quotidie, qui dum vixerunt, multa mala pro nobis sustinere voluerunt, nec eis subuenire curamus. O verè magna inhumanitas! Ecce enim infirmus iacet, & clamat, & à Medicis consolatur. Clamat porcus, & omnes cum eo clamare non cessant. Cadit asinus, & omnes eum subleuare festinant. Sed clamat in tormentis fidelis, & non est qui respondeat. Ecce vestra inhumanitas, fratres. Eia ergo non sic, sed mementote, fratres, quòd sancta & salubris, pia & felix, & suauis Deo & Angelis est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à pœnis, quas pro peccatis patiuntur, soluantur.* Hæc Augustinus.

4. Serm. 33. de Verbis Apostoli.

Sed & aliis locis idipsum docuit S. Augustinus, præsertim vbi inhumanum esse dicit, de amico mortuo non dolere; atque alibi, vbi hunc in modum inquit: *Hinc itaque necesse est vt tristes simus, quando*

quando nos moriendo deserunt quos amamus. Et infrà: *Permittantur itaque pia corda de charorum suorum mortibus contristari dolore sanabili, & consolabiles lacrymas fundant conditione mortali, quas citò reprimat fidei gaudium, quâ creduntur fideles, quando moriuntur, paululum à nobis abire, & ad meliora transire. Consolentur eos etiam fraterna obsequia, siue quæ funeribus exhibentur, siue quæ dolentibus adhibentur; ne sit ista querela dicentium: Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; & consolantes, & non inueni. Sit pro viribus cura sepeliendi, & sepulchra construendi: quia & hæc in Scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt.* Denique: *Verùm illa quæ adiuuant spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multò pro eis obseruantiùs, instantiùs, abundantiùs impendant, qui suos carne, non spiritu mortuos, non solùm carnaliter sed etiam spiritualiter amant.* Ita S. Augustinus.

5. Cæterum amicis in necessitate opē non ferre, inhumanū esse naturæ instinctus etiam ipsos Ethnicos edocuit, vt Seneca hūc in modum scripserit: *Homini iucundo & probo miserrimum est, si eum adiuuare oportet quem non iuuat.* Cicero etiam disertè affirmat, naturà illam humanitatē scilicet, hoc pacto esse institutam, vt semper duret. Tyrannorum vitam esse quæ illâ careat; atque homines vniuersos ad hanc aliis exhibendam procreatos esse. *Si vtilitas,* inquit, *amicitias conglutinaret, eadem commutata dissolueret: sed quia natura mutari non potest, idcircò veræ amicitiæ sempiternæ sunt.* Et iterùm: *Hæc enim tyrannorum vita, nimirum in quâ nulla fides, nulla charitas, nulla stabilis beneuolentiæ potest esse fiducia.* Demum: *Præclarè scriptum est à Platone, Non solùm nobis nati sumus, ortusq́, nostri partem patria vendicat, partem amici.* Atq; vt Stoicis placuit, omnia quæ in terris gignuntur, ad vsum hominis creantur, homines autem hominum causa generati sunt, vt ipsi inter se alij aliis prodesse possent; adeoque, ipsorum Gentilium iudicio, à creationis suæ scopo & à ratione ipsâ aberrant, & homines quasi non homines fiunt, qui aliis prodesse, & in necessitate constitutis succurrere minimè student. Imo hiipsi ipsis bestiis peiores sunt dicendi, istæ quippe fini suo, cui sunt creatæ, quotidie subseruiunt, hi verò minimè.

De Beneficiis. De Amicitiâ. De Officiis.

6. Quòd si rationes, quæ nos ad succurrendum Purgatorij animabus excitare valent, expendere voluerimus, magnæ eæ sunt & plurimæ, quas iam superioribus Capitibus partim retulimus, partim in sequentibus producemus. Hoc in loco tres solummodò expromemus, quarum prima sit Multitudo eorum qui expurgantur, quæ sanè ipsa quemlibet, quò animabus illis & celeriùs & feruētiùs opē adferret, permouere poterat. Si enim verū est quod ex Herodoto refert Valerius Maximus, Xerxem Regem Asiæ ad lacrymas coactum esse, quòd intra centum annos tam selecta iuuentus, quam tanto in numero coram se in armis stare conspiciebat, morte præuenta, minimè esset reperienda; an non Christianum quemlibet permouebit, si vel leui saltem cogitatione tantam fidelium copiam non morituram solùm, sed iam mortuam immanissimis suppliciis immersam obseruauerit? O vtinam Catholicus quisque cum Xerxe aliquando, à sæcularibus cogitationibus paululū eleuatus, ad mentis suæ altiora conscenderet, attenteque fidei oculis intueretur quàm ingens in Purgatorio sit numerus, qui, non dicam intra plurimos annos est absumendus, sed per tot annos in maioribus viuere cogetur tormentis, quàm si per singula tanti temporis momenta millies mori deberet. Itaque fleuit Xerxes, quòd tanta militum suorum esset multitudo, & rectè quidem: sed Purgatorij animarum numerus infinitè propemodum istum numerum excedit. Si namque dignis fide historiis atque Scriptoribus credere velimus, verum esse quod dicimus deprehendemus. Legimus in libro de ortu Carthusianorum, quòd Innocentius VI. Lemouicensis Canonista præcipuus, cùm adhuc Cardinalis esset, sanctum quempiam inuisere soleret Eremitam. Quadam autem vice ipso cum suis eò veniente, & fortiter ianuam pulsante, nemineque vel respondente vel aperiente, irruerunt famuli eius in cellam, Eremitamque velut mortuum excitarunt, qui voce magnâ clamauit, dicens: *O mi, ô mi! vidi mirabilia, vidi horribilia.* Sciscitante autem Cardinale diligenter quænam vidisset, respondit: *Ductus ad infernum, vidi incidere animas sicut niues densissimas, aërem obnubilantes: ad Purgatorium verò sicut niuem rarissimam; ad cælum verò & in Paradisum tres tantùm introire vidi animas, illius scilicet Episcopi, illius Prioris Carthusiani, & illius viduæ Romanæ,* singulas nominatim exprimens. Cardinalis igitur, vir prudens, scire volens visionis veritatem, missis hinc inde nuntiis, comperit animas illas eadem horâ corpore solutas. Ita Speculi Collector: quam etiam historiam refert R. P. Wernerus Rolenvinck Carthusianus. vnde patet, etsi non tot ad Purgatorium descendant quot ad infernum, innumerabilem tamen esse fidelium multitudinem quæ illuc deueniat, ibi hæreat, ibi excrucietur.

Suprà Ca. XVI. &c. *Alia accū miserandum animabus motiua: 1. Illarum multitudo, quæ demonstratur,* *ex historiis,* Tit. Damnatus, exem. 1. In Fasciculo temporum ad annum 1343.

7. Quod vt rem vel leuiter saltem expendenti manifestius euadat, computet, quæso, morientium numerum, qui vel paucis imò etiam subinde nullis viuentium precibus atque oblationibus iuuentur, & simul, quantas singuli illorum in vitâ suâ culpas negligentiasque commiserint aduertat, statim vel ipso Sole clariùs apparebit, infinitos, vt ita loquar, & humanam supputationem excedentes esse spiritus, qui Purgatorio contineantur. Quot enim variis in mundi partibus submerguntur, à feris lacerantur, subitaneâ morte extinguuntur, & mille aliis modis & calamitatibus pereunt, qui tamen in terrâ alienâ incogniti ac peregrini, nullius viuentis habent suffragium? Imò quot in suâ patriâ & inter amicorum amplexus moriuntur, qui & ipsi suffragiis destituantur, vel quòd amicis suis displicuerint, vel quòd ipsorum consanguinei sint omnino barbari, vel in peccato mortali existant, adeoque nec sibi nec animabus quidpiam salutare impetrare possint? Quot, putas, tempore contagionis & luis publicæ sustolluntur, qui, quòd neminem in terris qui pro iis oret superstitē habeant, in pœnis diutiùs detinentur? Aut si habeant cognatos & amicos superstites, vix tamen illi, timore ne & ipsi eadem peste capiantur perculsi, defunctorum recordantur, ne dicam pro eis orant. O res deploranda! Exemplo numeri sit inscriptio illa, quæ apud RR. PP. Carmelitas mitigatos Louanij ad S. Catharinam præ foribus templi adhuc legitur in hæc verba: *Viator sta, lege, &* *ora*

è multitudine subitò morientium, idq́ variis casibus, vt *submersione & naufragiis,* *peste,*

ora pro quadraginta septem millibus fidelibus, quos rapuit mors præuia peste, pars maxima quorũ hic dormit in puluere ad patrocinium Deiparæ de MonteCarmelo, & SS. Eliæ, Elisæi, Angeli, Cyrilli, Alberti, & Catharinæ. Anno M. D. LXXVIII. Imò nonnunquam priscis in historiis scribitur, nominatim apud Sigebertum ad annum 1008. quòd tanta fames & mortalitas per vniuersum propè orbem inualuerit, vt sepelientium tædio viui adhuc spiritum trahentes obruerentur cum mortuis. Aliàs, vt anno 1340. teste Genebrardo, tanta eàque epidemica per totum mundum pestilentia grassata est, vt dimidia generis humani pars absumpta fuerit. Tempore S. Gregorij Magni solâ sternutatione vel oscitatione, infinita hominum millia interempta sunt; atque anno 1630. septies centena millia peste variis in Italia & circa locis obiisse certis litterarũ monumentis affirmatur. Quibus iure merito annumerari potest innumerabilis illa militum quotidie prælio cadentium caterua, qui ibi pro Fide, Rege & Republicâ suâ fortiter mortem oppetierunt, nullum eorum erga se sentiunt affectum, quorum vitam morte suâ seruauerunt, nullum item reciprocæ humanitatis effectum: pro vtilitate publicâ omnia sua profuderunt, & neque publicè neq; priuatim vlla hisipsis remunerationis subsidia aut iusta stipendia rependuntur. O humanam inhumanitatem! O crudelitatem Christianorum!

bello.

8. Atque vt defectus hic tantò apertiùs appareat, vnum hic exemplum adiungere visum est, in quo videre poterimus, quot nonnunquam annis innumeræ militum copiæ (quibus tamen superstites adeò obstricti sunt) in Purgatorij tormentis hærere cogantur. Auctor est Venerabilis ille olim Spanhemensis Cœnobij Abbas Ioannes Trithemius, circa annum Domini 1098. non longè à Wormatia, multis diebus & noctibus maximam multitudinem armatorum equitum & peditum apparuisse, tamquam ad placiti colloquium, seu bellum processuram (pleraque Auctoris verba retinemus) & nunc huc nunc illuc, quasi turmas discurrentes, circa horam nonam noctis ad vicinum montem, ex quo prodire consueuerant, reuertisse. Tandem nocte quadam Monachum quemdam Limxurgensis Cœnobij, non procul à monte distantis de quo exire solebant, assumptis secum quibusdam aliis, ad locum montis accessisse, munientemque se signaculo S. Crucis, exeuntes de monte, qui essent, per virtutem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, vt dicerent, fortiter adiurasse. Vnum verò ex turmâ respondisse: *Non sumus phantasma, nec militum viuentium turba, sed animæ hominum quondam in hoc mundo Principi terreno militantium, non ante multos annos hoc in loco interfectorum. Arma, habitus, & equi, qua, dum viueremus, nobis instrumenta erant peccati, etiam nunc post mortem in nobis sunt quædam indicia tormenti. Omne quod iam cernitis circa nos, totum ignitum est nobis, quamquam vos ignem minimè videatis.* Monacho verò illo quærente, verũ iuuari ab hominibus possint; spiritus respondisse: *Ieiuniis & orationibus, & maximè oblatione Corporis & Sanguinis Christi adiuuari possumus & rogamus.* His dictis, omnem illam multitudinẽ spirituum quasi vnâ voce clamasse trinâ vice: *Orate pro nobis, Orate pro nobis, Orate pro nobis.* moxque omnes in ignem resolutos esse visos; sed & montem ipsum, quasi arderet, ignem & maximum fragorem arborum & strepitum emisisse. E quo inprimis sequitur, dolendum esse, milites eos, qui seipsos ac vitam suam in commune bonum generosissimè obtulerunt, tantam frequenter illorum, quibus suâ morte libertatem pepererunt, in se experiantur inhumanitatem & ingratitudinem, vt annis, ne dicam sæculis, in Purgatorij tormentis, sæpè admodum grauibus, perdurare cogantur. Pudeat vos, ô Catholici, tantæ in propugnatores vestros ingratitudinis! Appositè pièque valdè pro hac re Tractatum quemdam scripsit & edidit R. D. Iosephus Geldolphus Ryckelius, famosi D. Gertrudis in Louaniensi ciuitate Cœnobij Abbas, quem *Ancile sacrum* inscripsit, in quo Exercitus Regij per vtramque Germaniam Principes, Chiliarchas, ceterosque militiæ Catholicæ militares viros ita compellat: Dum vos in illo procinctu armorum intueor, libet de vnoquoque vestrûm dicere, quod Scripturæ sacræ textus de Iudâ Machabæo deque fratribus eius prædicat in hæc verba: *Et surrexit Iudas, qui vocabatur Machabæus: & adiuuabant eum omnes fratres eius: & vniuersi qui se coniunxerant patri eius, & præliabantur prælium Israël cum lætitiâ. Et dilatauit gloriam populo suo, & induit se loricam quasi gigas, & succinxit arma bellica sua in præliis, & protegebat castra gladio suo. Similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione.* Hæc enim insignia belli aptatis vobis, mori potiùs quàm tergiuersari parati: nam apud animum vestrum Mors & Mars pro eodem habentur in negotio Fidei. Et verò interest, cui quis moriatur & viuat: quia est mors quæ est causa viuendi, & est vita quæ causa est moriendi. Vobis autem vnica causa viuendi, quâ partâ, vestra nihil interest, mors an vita diuturnior vobis contingat. Scitis enim, nec inter vana nobis desipiendum, nec inter aduersa trepidandum, propter vitam aliquantò productiorem, cùm ab Auctore non malè dictum sit:

Summum crede nefas, animam præferre saluti,
Et propter vitam viuendi perdere causas.

Quia in lubrico huius vitæ diuersi casus lapsusque non desunt, armandus est animus spe ac cogitatione æternorum, ad quæ, velimus nolimus, celerrimè contendimus: vt mens intenta mansuris, ibi desiderium suum figat, vbi vitæ melioris prytaneum æternum est. Huius rei gratiâ collegi breuissimum hoc Enchiridion, in quo futuræ vitæ statum vobis obiter ante oculos pono, vt fortissimum solatium habeatis in periculis: quod vtique resultabit ex spe suffragiorum, quæ vobis & animabus exercitus totius ex visceribus charitatis libenter & liberaliter addicimus. Et ad hæc promouenda concinnaui quædam Erotemata de statu animarum quæ in Purgatorio post huius vitæ cursum expiantur: vt ex illius status cognitione tantò efficaciùs animus ad orandum excitetur, & accelerandum ea quæ post hanc vitam generosis fidei athletis debentur stipendia precum & Sacrificiorum. Et infra, modum subindicans, quo facilis animarum occisorum fieret redemptio, Aliam, inquit, insuper rationem excogitauit Iudas Machabæus iuuandis iisdem animabus impensè salutarem & vtilem, collatitiæ nimirum pecuniæ suffragium, quod ipse primus viritim collegisse legitur, vbi dicitur: Vir fortissimus Iudas, collatione factâ, duo- 1. Mach.12.

Eam in rem exemplum memorabile.

In Chronico suo anno 1098.

Meritò pro militibus pro patria salute occumbentibus orandum esset.

duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans. Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum, orare pro mortuis. Hoc genus suffragiorum in manu quoque vestrâ est, qui collatitio ære, consilio, fortitudine, Rempublicam iuuatis. Quid si & aliquot millia nummûm deputetis in preces, & sacrificia pro animabus exercitus vestri, ex ærario, communi vel ex collectis? Collecta certè minimis impendiis fit, & tamen in immensum excrescit; & sicut aqua extinguit ignem, ita & illa Purgatorium: aut sicut ignis vehementer incensus, quodcumque in illum inieceris, siue ligna, siue etiam aquam, aut quemuis alium liquorem, vertit in ignem: ita quidquid in redemptionem pœnarum purgatoriarum mittitur in ærarium, conuertitur in lytrum. Subducite calculum, & expendite, quanta fuerit collecta quam fecit Iudas Machabæus in singula capita. Exercitus eius, quem duxit in expeditionem aduersus Gorgiam præpositum Idumææ, constabat tribus peditum millibus, & equitibus quadringentis: ex quibus cùm contigisset paucos ruere, collationem instituit, collegitque duodecim millia drachmas argenti, siue, quod idem est, duodecim millia Regalium Hispanicorum, quæ mox misit Ierosolymam in sumptus funerarum & sacrificium offerri pro peccatis mortuorum. Pauperrimum erat ærarium Iudæorum, & diuturnis bellis pœnè exhaustum, & tamen quilibet stipendiarius miles in sumptus sacrificiorum de paupertate suâ contribuit vt minimùm duas aut tres drachmas. Sancta prorsus & salubris cogitatio pro defunctis exorare vel collectas instituere, vt à peccatis soluantur. Quàm rectè sibi consulunt, qui quod sibi vellent impendi, aliis liberaliter impendunt! Sic Abbas ille Venerabilis.

Capita militia remissâ promouere deberent.

9. *Vnde plerumque sinister bellorum successus proueniat.*

9. Haud immeritò quidam eximiæ sanctitatis viri ideò bella sæpiùs sinisteriùs succedere arbitrati sunt, quia tanta hac in parte Catholicorum est negligentia; affirmaruntque sese experientiâ didicisse, tunc ingentes atque miraculosas victorias de Fidei hostibus fuisse reportatas, cùm vel aliquot solùm fideles occisorum militum animas specialiter suis precibus adiuuissent: quod & Fidei ratio dictat, vti latiùs Libro tertio suo loco referemus. Quàm ergo crudele est, tot defunctorum centenis millibus, quæ non rarò, etiam nostrâ memoriâ, in vnius atque alterius ciuitatis obsidione, oppugnatione atque ex hæreticorum faucibus ereptione perimuntur, nullam omnino misericordiam, ne dicam iustitiam, rependere! Si enim inopis vnius curam negligere, impium est; quid erit, tot centenis tot millibus opem denegasse? Verissimum est, quod ait sanctus Gregorius: *Tot pæne quotidie diuites perimunt, quot morientium pauperum subsidia apud se abscondunt; nam cùm quælibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur.*

Gregorius in Pastorali.

10. *2. Quia cuilibet remedium, quòd illis afferat, ad manû est.*

10. Altera ratio hæc sit, quòd facillima & omnibus obuia sint remedia, quibus mortui adiuuari possunt, prout toto Libro secundo demonstrabimus. Indignissimum certè crudelitatis specimen hoc est, si ei, qui iam iam vndis abreptus submergitur, cùm nullo eum tuo incommodo facillimè educere, vitæque reddere & incolumitati posses, non modò opem deneges, sed insuper pereuntem despiceres, hominemque miserè interire malles, quàm extensâ saltem pigerrimâ manu eripere. Annon tu, quisquis es crudelis & inhumane, si vel canem vel felem in flammam vel ardentem rogum delapsum, à vicino tuo, qui facillimo negotio bestiam eximere posset, negligi aut despici cerneres, extremæ eum inhumanitatis & crudelitatis argueres? Quid de te ergo statuendum esse putas, qui crudelitate sanè execrandâ parentes & cognatos tuos, amicos, & in Fide Fratres tuos, in Purgatorio tam diro igne exuri permittis? Neminem sanè nostrûm tam ab omni commiserationis & humanitatis affectu alienum puto, qui si maleficum aliquem, quantæ etiam ille nequitiæ fuerit, lento ac diuturno igne assari, adeoque immanissimis tormentis ad horæ spatium diuexari videret, non aliquatenus saltem commoueretur, & cruciatus istos iam finiri optaret. Quòd si nostri ij sint consanguinei, fratres, sorores, aut etiam parentes, quos non intra viscera nostra dolores persentiscemus? quos non gemitus eiulatusque ederemus, & vel nos ipsos pati arbitraremur? Certè, vt mortem ab ipsis auerteremus, aut incendij pœnam in aliam mitiorem conuerteremus, aut saltem ipsos pœnarum cruciatus quoquomodo abscinderemus, toto annisu adlaborcaremus, & vel cælum terramque moueremus, nisi impiissimi & naturæ monstra haberi & dici malimus, omnique humanæ naturæ conditione excussâ, ferinos mores induisse videri velimus. Quid igitur dicam? Certè, cùm facillimo negotio infortunatas illas animas, non dico nobis ignotorum, sed fratrum, sororum, parentum, consanguineorum, truculentis illis flammis damnatas, eripere, & quò citiùs æternâ beatitudine & sempiterni Dei iucundissimâ visione perfrui possint, subsidio esse possimus, reperiuntur tamen (& vtinam non plerique tales essent) qui illas omnino negligant, & numquam, sine omni omnino conscientiæ remorsu, aut crudelitatis scupulo, de ope eis aliquâ ferendâ cogitant, vt proinde tantis in cruciatibus atque pœnis, vltimum tandem quadrantem pro fœno & stipulâ, hoc est pro leuissimis quibusdam negligentiis, exoluere cogantur. O crudelitas! ô inhumanitas!

11. *3 Quia nostri sibi parentes, consanguinei & amici, à quibus plurima bona accepimus.*

Sed, quod tertio loco dicere volebamus, iis auxiliares manus denegamus, pro quibus tamen maxima quæque ac laboriosissima suscipere, atque lubentissimè tollerare, iure tum diuino tum naturæ tenebamur. Illi enim sunt qui tanta pro nobis passi fuerunt, & quibus haud rarò nosmetipsi causa fuimus vt ad grauia istiusmodi tormenta deuenerint: vnde & haud immeritò ab illis exprobrari nobis poterit tam immanis & impia nostra improbitas & impudentia, nobisque ab omnibus applicari poterit tritissima illa apud omnes Gentes & nationes paræmia, Ingrato homine terra nil peius producit. Id quod diuina pietas tantopere in populo Israelitico execrata est, vt in flagitij tanti testes cælum terramque aduocauerit. *Audite, inquit, cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel me non cogno-* Isaiæ 1.

cognouit, & populus meus non intellexit. Idem planè ingratis filiis suis occinere licet parentibus in Purgatorij flammis cruciatus sustinentibus: nam & illi liberos suos enutrierunt, & quantum potuerunt exaltauerunt; hi verò illos spreuerunt, atque, bobus & asinis facti ingratiores, non cognouerunt possessores suos, aut potiùs illos per quos ipsis omnis terrenorum possessio obuenit. Vnde prudēs admodum illorum est consilium, qui sibi, antequam moriantur, prouident, atque de eleemosynis aliisque pro animabus suis operibus piis post obitum suum faciendis tabulis disponunt, Scripturæ sacræ monitum secuti, quæ hoc ingeminat: *In die consummationis dierum vitæ tuæ, & in tempore exitus tui distribue hereditatem tuam.* Quò spectat illud S. Ambrosij, *Quid homini pecunia nisi quoddam viaticum est?*

Parentes ergo ipsimet sibi dum viuunt prospiciant, ne post ob liberorum ingratitudinē diu expurgari eos contingat.
Eccli. 33.

Ambrosius Epistolâ 64.

12. *Exemplum ingratitudinis liberorū in suos parentes memorabile.*
Speculum exempl. tit. Parentes, exemplo 4.

Quò verò hoc mentibus illorum, quorum interest, altiùs imprimatur, subnectere placuit exemplum patris cuiuspiam, qui malo tandem suo viuus adhuc didicit, quàm in parentes suos ingrati soleant esse illorum liberi, quando iam ipsorum bona possident, tum vt huic ingratitudini, ne seriùs deplorent, prouideant, tum vt & liberi, hoc deterriti, sapere addiscant. Cùm quidam, inquit Collector Speculi exemplorum, Ioannes Conaxa nomine, ditissimus esset, nec haberet nisi duas filias, nuptui tradidit illas duobus Nobilibus ciuitatis. Quas cùm tradidisset, in tantum generos dilexit, vt aurum & argentum, & bona sua temporalia, succedente tempore, eis omnia partiretur. Cumque durantibus denariis ei grati viderentur, sed deficientibus eis redderentur ingrati, volens cautè suæ indigentiæ subuenire, tale adinuenit cōsilium. Adiit quemdam mercatorem sibi familiarem, & decem millia librarum ab eo sibi accommodari ad trium dierum spatium postulauit. Cumque pecuniam mutuò acceptam ad domum propriam deportasset, in quodam magno festo generis atque filiabus præparat nobile conuiuium. Postquam verò comederunt, intrauit cubiculum, & cistam, quam nouam fieri curauerat cum tribus firmis clausuris, aperuit, camerâ clausâ, & illam pecuniam quam mutuò acceperat, extraxit de scrinio, & posuit super pretiosa tapetia, & eam diligenter commouit cum magno sonitu, ita quòd filiæ possent audire sonum. Et illæ filiæ audientes sonitum pecuniarum, venerunt occultè ad ianuam, & viderunt per rimas magnam summam pecuniarum, & viderunt quòd pater recepit pecuniam, & diligenter posuit in cistam, & clausit eam; ipse verò rediit ad filias: & lætabantur, & nihil pro eo tunc audebant interrogare. Pater verò post egressum earum accepit pecuniam, & reportauit mercatori. Alterâ verò die filiæ & generi redierunt, & patrem interrogant, quanta esset pecunia in scrinio sic firmiter posita. Cumque ille fingeret, viginti quinque millia librarum esse quas in deposito posuerat, vt sibi testamentum faceret, & relinqueret generis & filiabus, si tamen modum, quem ipse ordinauit cùm eas nuptui traderet, obseruarent; & quæ sibi magis, dum esset in hac vitâ, beneuola esset, magis acciperet post mortem. Quo audito, nimiùm gauisi sunt, & cum magnâ diligentiâ ipsi honores vsque ad mortem exhibuerunt, & nullam penuriam sustinere permiserunt, neque in vestibus, neque in aliis necessariis corporis. Vbi antè solebant ei vnum cussinum locare, iam duos posuerunt, & hoc spe remunerationis. Appropinquante autem fine vitæ suæ, vocatis generis & filiabus, sic eas alloquitur: Antequam moriar, non intendens aliud facere testamentum, quàm in scrinio firmato reliqui: vidi enim charitatem vestram, quam mihi ostendistis satis magnam, de quâ Deo regratior & vobis; & ideò volo quòd testamentum meum soluatis in vitâ meâ antequam moriar, vt post mortem nullus aliquid inde acquirat quàm vos. Statim ergo coram me, dum adhuc viuo, Fratribus Prædicatoribus & Minoribus & Eremitis, vnicuique quinquaginta libras assignari curetis, à quibus, cùm mortuus fuero, claues scrinij mei & depositi, quas in suo habent deposito, repetatis. In qualibet claue meum apposui sigillum, in testimonium præmissorum. Vnicuique autem Ecclesiæ & Reclusorio certam pecuniæ quantitatem, cùm lecto decumberet, donari fecit: quod & libenter fecerunt spe testamenti quod in proximo expectabant. Cumque diem clausisset extremum, & celebratæ essent exequiæ apud prædictos Religiosos, depositas claues receperunt: quibus acceptis, scrinium, in quo depositam pecuniam putabant, aperientes, nihil in eo aliud inuenerunt nisi clauam enormiter grossam & magnam, cuius manubrio inscriptum erat: *Ego Ioannes Conaxa tale condo testamentum, vt quilibet mactetur hac clauâ, qui seipso neglecto alterius curam gerit.* Vtinam hæc in bonum suum retinerent parentes, meliùs posteà, quando obierunt, de eorum animabus ageretur!

13. *Deus suos, ne alterâ in vitâ puniri debeant, hîc paternè castigat.*

Cùm ergo tanta sæpè in mortuos, vt hactenus vidimus, à viuentibus ostendatur, & pro beneficio, ad quod obligabantur, refundatur inhumanitas ne dicam crudelitas, solet ob id Deus suos, quos ampliùs diligit, ne posteà eos seueriùs castigare, & ad nouissimi vsque quadrantis exsolutionem adigere necesse habeat, in hoc mundo variis tribulationibus exagitare, atque instar auri per afflictionis terrenæ ignem excoquere & expurgare: quod tum Patres Orthodoxi, tum vel maximè sacrarum Scripturarum auctoritas ita fieri comprobat. S. Augustinus variis in locis huius rei testimonia suppeditat, adeò vt alibi sic scribat: *Intelligat homo medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus vreris, secaris, Clamas: non audit Medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem.* Iterùm alio in loco: *In fornace ardet palea, & purgatur aurum: illa in cinerem vertuntur, & illud sordibus exuritur. Fornax, mundus; aurum, iusti; ignis, tribulatio; artifex, Deus. Quod vult ergo artifex, facio; vbi ponit me artifex, tolero. Iubeor ego tolerare, nouit ille purgare. Ardeat licet palea ad accendendum me, & ad consummandum me, illa quasi in cinerem vertitur, vt ego sordibus caream.* Rursus iterùm: *Sicut sub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat; & sub eâdem tribulâ stipulæ comminuuntur, & frumenta purgantur; & vno motu agitatur fœnum, & suauiter fragrat vnguentum: ita vna tribulatio irruens bonos probat, purgat, & eligit, malos reprobat, exterminat & annihilat.* Denuò alibi: *Flagellum interius & exterius glorificat creatorem, compellit nolentem, erudit ignorantem, custodit virtutem, protegit infirmitatem, excitat torpentem, humiliat*

Super Ps. 21.

Super Ps. 60.

liat superbientem, purgat pœnitentem, coronat innocentem, initiat ad mortem semper viuentem. S. Augustino consentit D. Gregorius Magnus, cuius

In Moralibus. hæc sunt verba: *Omnipotens electorum suorum aduersarios temporaliter permittit excrescere, vt per malorum sæuitiam purgetur vita bonorum. Numquam quippe Dominus aduersarios bonis permittet, nisi in quantum prodesse viderit. Nam dum iniusti sæuiunt, iusti purgantur, & vtilitati innocentium militat vita prauorum, dum hanc & premendo humiliat, & humiliando semper ad melius format; quia mala reproborum*

In Homiliis. *rum bonos dum cruciant, purgant.* Idem: *Cùm recognosco Iob in sterquilinio, Ioannem esurientem in eremo, Petrum extensum in patibulo, Iacobum decollatum ab Herodis gladio; cogito, qualiter Deus in futuro cruciabit quos reprobat, qui ita durè affligit quos amat.* Alibi: *Plerumque postquam in hoc mundo non possumus obtinere quod volumus, postquam in terrenis desideriis de impossibilitate lassamur, tunc mentem ad Deum reducimus, tunc placere incipit quod displicebat, & quæ amara fuerant præcepta, repentè dulcescunt in memoriâ. Peccatrix anima, quæ adultera ornata esse non poterat, decernit esse fideliter coniux. Qui ergo huius mundi aduersitatibus fracti, ad Dei amorem redeunt, atque à præsentis vitæ desideriis corriguntur, quid illi, fratres charissimi, nisi vt intrent*

Homil. 40. *compelluntur?* Item? *Mala Lazari purgauit ignis inopiæ, & bona diuitis remunerauit felicitas transeuntis vitæ. Illum paupertas afflixit & torsit, istum abun-*

In Sermonibus. *dantia remunerauit & repulit.* Quin & S. Bernardus, *Fratres,* inquit, *in hoc mundo quasi in campo certaminis positi sumus, & qui hîc dolores, aut plagas, aut tribulationes non susceperit, in futuro inglorius apparebit.* His accedit S. Ioannes Chrysostomus,

Super Matthæum. qui sic ait: *Si quis viam laboriosam æstimat, suæ desidia est accusatio. Si enim minacis pelagi fluctus, nautis, si tempestates atque hyemes agricolis, si vulnera cædesq; militibus, si grauissimi ictus pugilibus leues videntur, & tolerabiles sunt propter spem temporalium atque pereuntium commodorum; multò magis cùm cælum præparatur in præmium, nihil ex præsentibus asperitatibus debet sentiri. Maximè labores mitigat, in benignum venire finem promissum: nec aspicias quòd via est aspera, sed quò ducit; nec aliam quæ lata est, sed vbi desinit.* Ven. Beda: *Ne indignemini, si mali in hoc mundo floreant, & vos patimini: quia non est Christianæ Religionis, in mundo exaltari, sed deprimi. Mali nihil habent in cælo, vos nihil in mundo; sed spe illius boni ad quod tenditis, quidquid in viâ contigerit, gaude-*

In quadam Epistolâ. *re debetis.* Denique S. Petrus Chrysologus: *Hæc omnia operatur Dominus, vt det nobis vexatio intellectum. Trituratur granum, vt reponatur in horreo: quadratur lapis, vt sine sonitu mallei in ædificio templi collocetur: mouetur turbo, vt Elias rapiatur in cælum. Maximum est remedium interioris hominis, si in hac areâ mundi variis passionum flagellis trituretur exterior.*

14. Vidimus Patres, videamus & Scripturas. Et sanè vix aliquis est Scriptor Biblicus, quin huic rei plurimam materiam subministret: præcipuos saltem delibabimus. Narrat diuinissimus

Exod. 10. Moyses, quomodo diuina Maiestas populum Israëliticum miris prodigiis in legis traditione terruerit, vt meliùs ea mandata obseruarent quæ sibi offerebantur, & ne per illorum fortè præuaricationem necessum foret ad futuri posteà sæculi punitionem procedere. Hoc ipsum ipse Moyses abundè indicauit, cùm populo, ex visis nimiùm consternato, Dei monitu sic locutus est: *Nolite timere; vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis.* Tobias Tob. 3. sic aiebat: *Hoc pro certo habet omnis qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur.* Vnde etiam Tob. 12. S. Raphaël Archangelus eidem Tobiæ testatus est, quòd quia acceptus erat Deo, necesse fuerit vt tentatio probaret eum. S. Iudith, cùm Bethuliæ ciues ac Sacerdotes ex vrbis obsidione adeò perturbatos conspiceret, vt spem iam abiicere viderentur; ita eos alloquitur: *Non vlciscamur nos* Iudith. 8. *pro his quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quibus quasi serui corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem nostram euenisse credamus.* Beatus item Iob: *Beatus homo qui corripitur à Deo: increpatio-* Iob 5. *nem ergo Domini ne reprobes, quia ipse vulnerat, & medetur; percutit, & manus eius sanabunt.* Et addit insuper: *In sex tribulationibus liberabit te, & in septimâ non tanget te malum. In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij. A flagello linguæ abscondêris, & non timebis calamitatem cùm venerit,* &c. Quid sex tribulationes aliud significant, nisi tribulationes vitæ præsentis, quæ sex creationis diebus expressæ sunt; septima autem dies futurum æternæ quietis tempus designat, in quâ à malo pœnæ tangi non poterit, qui sex antè tribulationes fuerit expertus.

Hoc ipsum Regius ille Vates suis in diuinissimis Carminibus, quos Psalmos vocamus, inculcat. 15.

Nam *Disciplina tua correxit me,* inquit, *in finem.* Psal. 17. quasi diceret, Quia disciplinâ tuâ correxisti me, id fecisti in finem, vt tunc nimirum nihil superesset corrigendum. Iterùm: *Probasti cor meum, & visi-* Psal. 16. *tasti nocte; igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* Sed cur, quæso, non est in te inuenta iniquitas? Quia igne tribulationis examinatus fueras, quia in nocte desolationis visitatus eras, & cor tuum probatum erat afflictione. A generoso patre non degenerauit generosus item filius, quin imò parentem suum superasse visus est. En enim quot locis idem instillauerit. *Dis-* Prouerb. 3. *ciplinam Domini,* inquit, *ne abiicias, fili mi, nec deficias cùm ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus,* Sap. 3. *corripit; & quasi pater in filio complacet sibi.* Iterùm: *In paucis vexati, in multis benè disponentur; quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit re-* Sap. 11. *spectus illorum.* Item: *Hos quidem tamquam pater monens probasti, illos autem tamquam durus Rex interrogans condemnasti.* & infrà: *Cùm audirent per sua tormenta benè secum agi, commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitus.* Item: *Ad correptio-* Sap. 16. *nem in breui turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ.* Iterùm: *Omne* Eccli. 2. *quod tibi applicitum fuerit, accipe; & in dolore sustine, & in humilitate tuâ patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.* & deni- Eccli. 30. que: *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, vt lætetur in nouissimo suo, & non palpet proximorum ostia.*

Iam quid hanc in rem Prophetæ habeant, 16. inspiciendum est. Sanè Isaias sic loquitur: *Excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stan-* Isaiæ 1. *num tuum.* Item: *Cùm feceris iudicia tua in terrâ,* Cap. 26. *iusti-*

iustitiam discent habitatores orbis. Misereamur impio, & non discet iustitiam. Item: *Vexatio dabit intellectum.* & denique: *A voce Domini pauebit Assur virgâ percussus. Et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum.* Ieremias Propheta hæc nobis suppeditat: *Ecce in ciuitate, in quâ inuocatum est nomen meum, ego incipiam affligere, & vos quasi innocentes & immunes eritis?* Item: *Castigasti me Domine, & eruditus sum quasi iuuenculus indomitus.* Item: *Ecce quibus non erat iudicium, vt biberent calicem, bibentes bibent: & tu quasi innocens relinqueris? non eris innocens, sed bibens bibes.* Ezechiel quoq; symbolum huc suum confert, cuius hæc sunt verba: *Omnes isti æs, & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis, scoria argẽti facti sunt.* Daniel item: *Eligentur & dealbabuntur, & quasi nix probabuntur multi.* Ionas item: *Cùm angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum.* & Nahum: *Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis.* ac denique Habacuc: *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum.* Quibus ea quæ in Machabæorum libro habentur annecto: *Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, magni beneficij est indicium. Non enim, sicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, vt eas, cùm iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat, ita & in nobis statuit, vt peccatis nostris in finem deuolutis, ita demum in nos vindicet.*

Cap. 29. Cap. 30. Ierem. 25. Cap. 31. Cap. 49. Ezech. 22. Daniel. 2. Ion. 2. Nahum 1. Habac. 3. 2. Mach. 6.

17\. *Quàm tribulationes vtiles sint è nouâ lege probatur.* E nouo pariter Testamento quæ huc faciunt, haud sunt omittenda, quamuis & præcipua tantummodò seligamus. Apostolus itaque Iacobus hunc in modum concionatur: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se.* S. Petrus quoque: *In quo exultabitis, modicum nunc si oporteat contristari in variis tentationibus, vt probatio fidei vestræ multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem & honorem in reuelationem Iesu Christi.* Diuus item Paulus variis in locis. Alibi sic: *Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.* Alibi sic: *Gloriamur pro vobis in Ecclesiis Dei, pro patientiâ vestrâ, in omnibus persecutionibus & tribulationibus quas sustinetis, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini.* Alibi sic: *Gaudeo in passionibus meis pro vobis, & adimpleo quæ desunt passionum Christi in carne meâ, pro corpore eius quod est Ecclesia.* Et vt idem cum Salomone se sapere declararet, cuius sententia nimirum erat, Deum omnem quem diligit vt filium castigare, hæc in verba prorumpit: *Quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri & non filij estis.* Quin vt omnis hac in re scrupulus tolleretur, variis ipsemet Saluator id assertionibus confirmare, suoque infallibili calculo obsignare dignatus est, dum hæc diuinissimo ore suo proloqui voluit: *Quàm angusta porta, & arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam.* item: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* item: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Suum denique exemplum allegauit, dum inquiit: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*

Iacob. 1. 1. Petr. 1. Hebr. 12. 2. Thessal. 1. Coloss. 1. Hebr. 12. Matth. 7. Matth. 11. Matth. 16. Luc. 24.

18\. Exempla quod attinet (nec enim ea in re tam vtili & salutari sunt omittenda) habentur illa in omni genere amplissima eorum qui prudenter in vitâ quàm post mortem affligi elegerunt. Vnum, idque perillustre (ne breuitatis limites nimis transsiliamus) recensuisse, Lectori suffecerit, de Mauritio Imperatore, cui cùm Deus optionem daret, vtrùm ob peccata sua in mundo an post obitum castigari mallet, istud præ hoc acceptauit. Historiam eam refert Vincentius Belluacensis in Speculo historiali in hæc verba: *Mauritius Augustus Deum timens, malebat in hoc sæculo facinorum suorum corporalem vindictam persoluere, quàm tormentis gehennalibus cruciari. Quod cùm iugiter in orationibus suis Dominum deprecaretur, exaudiri meruit. Quadam igitur nocte, dum in strato suo quiesceret, videt per somnum ante se aneam stare Saluatoris effigiem quæ erat ante portam palatij, ex quâ est emissa vox ad eum, dicẽs: Date Mauritium. Et tenentes eum quidam iudiciarij ministri, exhibuerunt ei. Tunc ait ad eum Saluatoris imago: Vbi vis reddam tibi mala quæ meruisti, hîc, an in futuro sæculo? Et ille: O amator hominum Domine, hîc potiùs quàm in illo. Tunc iussit diuina vox tradẽ eum, & Constantiam eius vxorem, & omnem eorum cognationem, Phoca militi. Expergefactus verò misit ad accersendum Philippicum generum suum, cui sic assistenti dixit: Scis inter agmina nostra aliquem militem nomine Phocam? Cui ille: Scio vnum. Et Imperator: Cuius est qualitatis? Qui ait: Iuuenis tumidus & temerarius. Tunc referens Augustus Philippico somnium, glorificauit magnificè Dominum pro huiusmodi reuelatione. Post hoc autem Mauritius Augustus in hostili terrâ positus, cùm milites suos ferro & rapinis abstinere compelleret, nec tamen eis consueta stipendia largiretur, Phocam rogare cæperunt, vt imperij regnum super eos acciperet. Quibus obaudiens, Regalem purpuram sumpsit. Quod audiens Mauritius, animo dissolutus, rebus aduersum se fluentibus cessit, & in quamdam siluam mari contiguam fugit, in quâ cum vxore & quinque filiis iussu Phocæ Cæsaris interemptus est.* Hactenus Vincentius: cui addi illud etiam meritò debet quod alij habent Scriptores, qui referunt, Mauritium non mortem tantummodò libenter sustinuisse, sed tantâ cum alacritate in illâ egisse, vt rarissimum patientiæ exemplar extiterit. Quoniam dum vxor illius primum, ac deinde singuli eius liberi crudeliter in ipsius conspectu trucidarentur, non alia ex ore ipsius prodibat vox quàm illa: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Imò cùm nutrix filij eius natu minimi, hunc pro Imperij successione abscondisset, filiumq; proprium occidendum substituisset, non tulit id Mauritius, sed rem detegens, vltimum suum filium occidi curauit, inclamans: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* In quibus denique verbis ipse cædendum se præbuit, & modicâ hîc patientiâ, æterna euasit tormenta. Quod ô vtinam nos quoque à Deo peteremus & impetraremus! euitare sic possemus magna illa quæ paulò antè descripsimus supplicia, & frequentiùs in omnium mentibus obuersaretur purgandorum memoria, eisque maiori & affectu & effectu studeremus subuenire. Nunc autem quia hoc negligimus, nec illos iuuamus, nec nosipsos ab eorum tormentis subtrahimus.

Lib. 22. cap. 18.

CA-

CAPVT XXX.

Non videntur cælo nati, quorum corda super tremenda hæc post mortem Purgandorum supplicia, minimè commouentur.

1. *Meritò qui aliis opem suam denegat, & ipse ope aliorum destituitur.*

CVm tanta tamque execranda sit viuorum aduersus animas inhumanitas & crudelitas, Deus quoque eamdem haud rarò seuerè admodum castigare solitus est, non solùm in viuis, sed & in ipsis etiam mortuis, idque iure meritò, cùm æquitatis ratio dictet, vt, si suam ipsi aliis opem denegarunt, nullum & ipsi post obitum auxilium experiantur. Apertè satis hoc tum Patrum sanctorum tum sacræ Scripturæ auctoritatibus possumus ostēdere; è quibus illi præcipuè à nobis producendi sunt, qui testati sunt, meritò istos repelli atque auxilio destitui debere, qui, dum facilè potuerunt, aliorum misereri noluerunt. Agmen verò ducat ille hæreticorum mastyx D. Augustinus, qui, *Hæc*, inquit, *lex est diuinæ prouidentiæ, vt nemo à superioribus adiuuetur ad cognoscendam gratiam Dei, qui non ad eamdem puro affectu inferiores adiuuerit.* (De Verâ Religione.) Quod de Purgatorij animabus commodè posse intelligi, vel illud è Machabæorum historiâ manifestè ostendit, vbi dicitur, quòd fortissimus vir Iudas Machabæus idcircò duodecim drachmas argenti Ierosolymam miserit, vt pro iis (2. Machab. 12.) qui bello ceciderant Sacrificium inde offerretur, eò quòd sciret & consideraret, eosipsos mortuos, qui cum pietate seu in charitate Dei dormitionem acceperant, optimam habere repositam gratiam, id est spem æternæ beatitudinis ac visionis diuinæ perfruendæ. Æquè etiam huc quadrare potest illud S. Hieronymi: *Vult Deus* (In Epistolis.) *vnumquemque alterius angustias vt proprias sentire; & quomodo sibi, in tali tribulatione si esset, subueniri cuperet, ita & ipse alteri propter Deum subuenire non postponat.* quia, vt idem sanctus Doctor etiam alibi ait, *impudens postulatio, tempore necessitatis & angustiæ ab eo quærere auxilium, quem in prosperitate contempseris.* Cui illud etiam consonat D. Augustini: *Non facilè inueniuntur in aduersitate præsidia, quæ non fuerint in pace quæsita.* (In Sermonibus.) Et meritò: si enim quis, dum potuit, aliis suppetias ferre neglexerit, ille ipse vtique talionis pœnam meretur, & omni posteà adiutorio, quādo & ipse in necessitate constitutus deprehenditur, indignus est. Id quod vel ipsum naturæ lumen, ipsâ quoque Fide sepositâ, dictat, asserente S. Ambrosio, qui hoc quemlibet ad proximo (In Officiis.) opem ferendam exhortatur: *Necessitates aliorum quantum possumus iuuemus, & plus interdum quàm possumus. Nihil tam secundùm naturam est, quàm iuuare consortem naturæ. Habet in aduersis auxilia qui in prosperis commodat.*

2. *Locum id habet in materiâ Defunctorum.*

Sed rem ipsam acu tangamus. D. Ioannes Damascenus pluribus ostendit teneri viuos de mortuis opem ferre, maximasque minas intentat iis qui hac in re fuerint negligentiores, quoniam, vt ipse ait, *hoc etiam vult & consulit misericors Deus, vt vicissim nos tam in vitâ quàm post mortem beneficiis prosequamur.* (Orat. de Mortuis.) Venerabilis Beda, (Super Psalmos.) *Indignus erit*, inquit, *omni suffragio, qui defunctorum immemor fuerit in hoc seculo.* S. Gregorius Magnus, *Hoc tamen sciendum est*, ait, *quia illic saltem de minimis nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus, in hac adhuc vitâ constitutus, vt illic obtineat promereatur.* S. Augustinus (August. De curâ pro mortuis. c. 1.) etiam, referens sententiam D. Pauli, *Omnes adstabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque* (2. Cor. 5.) *secundùm ea quæ per corpus gessit, siue bonum siue malum; Hæc*, inquit, *Apostolica sententia ante mortem admonet fieri quod possit prodesse post mortem, non tunc quando iam recipiendum est quod quisque gesserit ante mortem. Verùm hæc ita soluitur quæstio, quoniam quodam vitæ genere acquiritur, dū in hoc corpore viuitur, vt aliquid adiuuent ista defunctos, ac per hoc secundùm ea quæ per corpus gesserint, eis quæ post mortem religiosè pro illis facta fuerint, adiuuantur: sunt enim quos nihil omnino adiuuant ista, siue pro eis fiant quorū tam mala sunt merita, vt neque talibus digni sint adiuuari; siue pro eis, quorum tam bona, vt talibus non indigeant adiumentis. Genere igitur vitæ quod gessit quisque per corpus, efficitur vt prosint vel non prosint, quæcumque pro illo piè fiunt cùm reliquerit corpus: nam meritum per quod ista prosint, si nullum comparatum est in hac vitâ, frustrà quæritur post hanc vitam.*

3. *Meritò Deus negligentes suis priuat adiutoriis.*

Ex quibus D. Augustini verbis Eminentissimus Cardinalis Caietanus colligit, omnes quidem animas Purgatorij iuuari posse, & iuuari (Tom. 1. Tract. 16. quæst. 5.) communibus Ecclesiæ suffragiis; at particularibus, quæ pro illis specialiter fiunt, non iuuari nisi illas quæ particulariter meruerunt vt sibi talia prodessent. Dicit autem eas particulariter mereri, quæ hic in terris habuerunt specialem deuotionem ad claues Ecclesiæ, & solliciti fuerunt pro animabus aliorum. Quæ Caietani sententia, licet non omnino certa sit aut planè probabilis, potest tamen cum aliquâ limitatione benignè explicari, & dici, licet non semper isto Deus rigore vti soleat, vt generaliter eum orationibus pro se fusis ac oblatis pro se Sacrificiis mortuum priuet, qui in vitâ suâ negligens extitit in Purgatorij animabus adiuuandis; id meritò tamen facere posse, ac frequenter fecisse, quemadmodum patuit è variis exemplis, quorum hìc primùm, è Chronicis Franciscanorum desumptum, referimus. (Parte 2. lib. 9. c. 22. §. 3.) Quidam Frater Ordinis S. Francisci in orando pro defunctis, prout Regula ipsorum exigebat, perquam negligens ac remissus fuerat. Moritur dictus Frater, & à morte cuidam suorum Confratrum apparens, reuelauit quantas in Purgatorio pœnas suæ negligentiæ in orationibus pro defunctis persoluendis commissæ lueret: subiungens etiam, se precibus, votis ac Sacrificiis Fratrum pro liberatione & satisfactione suâ oblatis nihil iuuari, eò quòd Deus animabus aliis in negligentiæ suæ pœnam illa applicuisset, vti scilicet æquum est eis nullam ab aliis impetrari misericordiam, qui nullam animabus proximorum exhibuere. Hæc ibi. Aliud non absimile exemplum legitur in Vitis Sanctorū Ordinis Prædicatorū ante trecentos annos iussu B. Humberti totius Ordinis Generalis conscriptis per R. P. Gerardum Lemonicensem

Parte.5. c.7. sem Prouincialem, cuius verba hæc sunt: Frater Kao Romanus, vir maximæ sanctitatis, dixit in collatione coram Fratribus, quòd vnum de illis, quæ semper magis timebat, erat, ne cum defunctorum debito moreretur. Contigit quemdam Fratrem discedere cum debito mortuorum, qui post longum tempus apparuit in somnis cuidam suo familiari tristis & totus exustus. Cumque ille quæreret quomodo tanto tempore nōn esset purgatus, respondit: Quia nullam subuentionem recepi, eò quòd defuncti alij receperunt suffragia quæ eis debebam, & sic misericordiam Dei & vestram adhuc expecto & expeto.

4. Scriptura quid dicant. Que si diligentiùs excutere voluerimus, inueniemus ea non à SS. Patribus solùm, sed & à diuersis Scripturæ diuinæ oraculis maiorem adhuc nancisci probationem. Sapiens asserit: Prou. 21. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Et: Prou. 28. *Qui dat pauperi, non indigebit; qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.* Ita reuera, & perquam meritò: adiutorium enim accipere non meretur, qui poscenti, cùm potuit, dare noluit. Nam, vt ait Lactantius, Lactant. lib. 6. *nullius ope indigere se putat, qui alteri suam negat.* & vt alibi loquitur S. Gregorius Papa, *qui potest emendare quid in proximo, & negligit, participem se procul dubio constituit: qui alterius bonum adiuuat, suum facit.* Vnde etiam Seneca: *Pœnam à quo merueris, frustrà expetis auxiliam. Expecta ab alio, alteri quod feceris.* Imò quod amplius est, quòd quisquam proximum exaudire contemnat, tanti facit Scriptura, vt hominem eiusmodi prædonibus accenseat, & cum peccatoribus & iniquè agentibus puniendum decernat. Isaias: Isaiæ 33. *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nónne & ipse sperneris? cùm consummaueris depradationem, cùm fatigatus desieris contemnere, contemnêris.* David: Psal. 124. *Declinantes in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Idem in alio quoque Psalmo, inter alias misericordiam non facienti debitas maledictiones; hæc exposcebat: Psalm. 108. *Non sit illi adiutor, nec sit qui misereatur pupillis eius. Fiant nati eius in interitum, in generatione vnâ deleatur nomen eius. In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini, & peccatum matris eius non deleatur. Fiant contra Dominum semper, & dispereat de terrâ memoria eorum, pro eo quòd non est recordatus facere misericordiam.* Quæ sanè singula nostro scopo quamoptimè collimant, vt proinde non tantùm post hoc sæculum, sed & in præsenti Deus illos castiget, qui mortuorum liberationem contemnunt. Nam, prout Libro tertio pluribus demonstrabitur, omnem etiam benedictionem temporalium ex diligenti purgandorum curâ prouenire, ita vicissim mirandum non est, ex illorum neglectu præsentem in vitâ punitionem frequenter causatam fuisse & causari solere, quod pluribus exemplis comprobari posset, & per singulas propè afflictiones, quæ in mundo euenire solent, ad oculum demonstrari. Sed quis dicendi esset finis, quis exitus? maximè cùm illud quod hactenus dictum est, non sit nisi quoddam quasi πρόθυρον aut vestibulum huius Capitis, per quod ingressi, tandem deueniamus ad interiorem aulam, vbi intentionem nostram apertiùs deducamus atque elucidemus, haud scilicet cælo videri natos, quorum præcordia super tremendis hisce purgandorum suppliciis minimè commouentur. Neque mirum cuipiam videri debet, exordij velut loco ea esse præmissa; quoniam meritò, rudis instar fundamenti, substerni potuit, quanta illos hoc in sæculo, qui Purgatorij animas negligunt aut despiciunt, pœna maneat, vt commodiùs inde ad grauioris vindictæ structuram fieret progressus, leuioremque præsentis sæculi castigationem, æternâ beatitudine seclusio ponderosiùs violentiusque premeret, suaque mole dura ad misericordiam concipiendam hominum corda contunderet atque contereret. Ostendam ergo, quàm sese cælo patum dignos, imò planè indignos reddant, qui duri & inclementes ad exhibendam proximis compassionem reperiuntur. Quam cælo indigni negligentes erga mortuos. In thesi hæc ita probasse proderit, vt postmodum in Purgatorij hypothesi res clarior euadat. Iniqua certè adeoque impia est illorum qui mortuos negligunt impudentia, vt in ipsam misericordiam, in proximi charitatem, in gratitudinis virtutem, imò & in ipsam iustitiam delinquere dici queant. En quot in vno illo facinore sunt crimina: & dubitabit quispiam, rectè à nobis assertum fuisse, ex horum negligentiâ colligi, non esse huiusmodi hominem ad æternæ beatitudinis participationem idoneum, non videri, inquam, Sanctorum consortio destinatum, qui, dum ipsi viuerent, miser icordissimi, charitate ardentissimi, imò gratissimi iustissimiq; extiterunt? Mirari id profectò desinet, qui nobiscum ad SS. Patrum adyta, aut Scripturarum volumina, accedere dignatus fuerit, in quibus cælo haud dubiè arcendus iudicatur, quisquis vel iustitiam, vel gratitudinem, charitatem aut misericordiam neglexerit. Singula inspiciamus, vt solidioribus propositio nostra fulcimentis innitatur.

De misericordiâ equidem hæc tu, Lector, Patrum asserta accipe. S. Cyprianus hunc in modum loquitur: 5. Patres asserunt misericordia necessitatem. De Opere & eleemosynâ. *Misericors monet misericordiam fieri: & quia seruare quærit quos magno pretio redemit, post Baptismi gratiam sordidatos docet denuò posse purgari. Agnoscamus itaque, fratres charissimi, diuinæ indulgentiæ munus salubre, & emundandis purgandisq; peccatis nostris, qui sine aliquo conscientiæ vulnere esse non possumus, medelis spiritualibus vulnera nostra curemus.* & infra: *Si autem nemo esse sine peccato potest, & quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus aut stultus est; quàm necessaria, quàm benigna est diuina clementia? quæ cùm sciat non deesse sanatis quædam postea vulnera, dedit curandis denuò sanandisq; vulneribus remedia salutaria. Numquam denique, fratres dilectissimi, admonitio diuina cessauit, numquam & tacuit, quò minùs in Scripturis sanctis tam veteribus quàm nouis, semper & vbique ad misericordiæ opera Dei populus prouocaretur: & canente atque exhortante Spiritu sancto, quisquis ad spem regni cælestis instruitur, facere eleemosynam iubetur. Mandat & præcipit Deus Isaiæ, Exclama, inquit, in fortitudine, & noli parcere, sicut tuba exalta vocem tuam, & annuntia plebi meæ peccata ipsorum, & domui Iacob facinora eorum. Et cùm peccata eis sua exprobrari præcepisset, cumq; eorum facinora pleno indignationis impetu protulisset, dixisset q;, eos nec si orationibus, & precibus, & ieiuniis vterentur, satisfacere pro delictis posse,*

posse, nec si in cilicio & cinere volutarentur, iram Dei posse lenire, in nouissimâ tamen parte demonstrans, solis eleëmosynis Deum posse placari addidit, dicens: Frange esurienti panem tuum, & egenos sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti eum, & domesticos seminis tui non despicias. Quibus sicuti docuit, misericordiam solam esse quæ efficaciter à damnatione liberat peccatores, ita aliquibus interiectis affirmat, ingens sibi homines in æternum parare supplicium, si proximis indigentibus misericordiam non præstiterint. Verba eius sunt ista: *Quid diuitiis tuis solus incubas? quid in pœnam tuam patrimonij tui pondus exaggeras, vt quo locupletior sæculo fias, pauperior Deo fias?* Habet & alia hanc in rem pulcherrima, sed ea alibi fortè à nobis commodè proferentur.

6. S. Augustinus, *Quàm multa*, inquit, *posset in impios dicere, si quærerent, Quare imus in ignem æternum? Quare, quæris adulter, homicida, fraudator, sacrilege, blasphemator, infidelis? Nihil horum; sed, Quia esuriui, & non dedisti mihi manducare. Video vos moueri, sicut moueor, & verè mira res! Huius autem admirabilis rei rationem colligo vt possum, quam vos non celabo. Scriptum est: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Et alia multa sunt diuini eloquij documenta, quibus ostenditur, multum valere eleemosynam ad extinguenda & delenda peccata. Proinde illis quos damnaturus est, imò plus illis quos coronaturus, solas eleëmosynas imputabit, tamquam dicens: Difficile est, vt, si examinem vos, & scruter diligentissimè facta vestra, non inueniam vnde vos damnem. sed ite in regnum, esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Non ergo itis in regnum, quia non peccastis, sed quia vestra peccata eleemosynis redemistis. Rursum & illis: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Et illi tamquam noxij, olim rei, serò trementes, attendentes peccata sua, quomodo auderent dicere, Iniustè damnamur? de quibus antè in Sapientiâ dictum est: Traducent eos ex aduerso iniquitates eorum. Sine dubio videbunt se iustè damnari pro sceleribus & criminibus suis, & quasi eis diceret: Non inde vnde putatis, sed quia esuriui, & non dedistis mihi manducare. Si enim ab illis omnibus vestris factis auersi, & ad me conuersi, illa omnia crimina atque peccata eleemosynis redemissetis, ipsæ eleemosynæ modò liberarent vos, & à reatu tantorum criminum absoluerent. Beati enim misericordes, quoniam ipsis misericordia præstabitur. Modò autem ite in ignem æternum. Iudicium sine misericordiâ ei qui non facit misericordiam.* Item: *Tacuit* (Christus) *omnia mala facta iniquorum, & solam sterilitatem eleëmosynæ increpandam esse iudicauit, non nisi ad nos commouendos. Quare hoc? quia omnia crimina eleemosynis redimuntur, ideò illam laudauit fecunditatem, istam culpauit & damnauit ariditatem.*

Quid de misericordia D. Augustinus. Serm. 5. de Tempore.

Homil. 19.

S. Ioannes Chrysostomus, *Quid*, inquit, *par virginitati, quæ nec in nouo Testamento propter excellentiam sub legis venit necessitatem? & tamen expellitur, si eleemosynam non habeat. Si verò virgines excluduntur, eò quòd hanc congruâ non habuerint cum largitate; quis absque eâ veniam assequi poterit? Nemo; sed hanc non habentem omnino perire necessarium est. Si enim in sæcularibus sibi viuit nemo, verùm & artifex, & miles, & agricola, & mercator, ad communem & proximorum vtilitatem omnes operantur; multò magis in spiritualibus oportet hoc facere: hoc enim est maximè viuere. Qui namque sibi viuit soli, & omnes negligit, superfluus est, & nec homo, nec generis nostri.* Diuus etiā Pontifex Leo de misericordiâ loquens ait: *Verùm hæc tanta est, vt sine illâ cetera, etsi sint, prodesse non possint. Quamuis enim quis fidelis sit, & castus, & sobrius, & aliis moribus ornatus insignibus, misericors tamen si non est, misericordiam non meretur. Ait enim Dominus: Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus. Illo magno summoq́; iudicio tanti æstimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis iniquitas, vt pro plenitudine omnium virtutum, & pro summâ omnium commissorum, & per vnum bonum isti introducantur in regnum, & per vnum malum illi mittantur in ignem æternum. Nemo igitur, dilectissimi, de vllis sibi bonæ vitæ meritis blandiatur, si illi defuerint opera charitatis, nec de sui corporis qualitate securus sit, qui nullâ eleemosynarum purificatione mundatur. Eleëmosynæ enim peccata delent, mortem perimūt, & pœnam perpetui ignis extinguunt. Sed qui ab earum fructu fuerit vacuus, erit ab indulgentiâ retribuentis alienus, dicente Salomone, Qui obturat aures ne audiat imbecillem, & ipse vocabit Dominum, & non erit qui exaudiat eum.*

Quid S. Ioannes Chrysostomus. Homil. 34. ad Populum Antioch. & Homiliâ 74. in Matthæū.

Serm. 5. de Collectis.

7. Sanctus porrò Isidorus, *Grauiter*, inquit, *in Deum delinquunt, qui diuitiis à Deo concessis non in rebus salutaribus, sed in vsibus prauis vtuntur. Nesciunt impartiri pauperibus, oppressis subuenire despiciunt: & inde magis augent delicta, vnde redimere debuerunt. Hoc habet tantum bonum possessio præsentium rerum, si vitam reficiant miserorum. Præter hæc, tentatio est mundi lucrum, tantoq́; maiora supplicia in futurum dabunt, quantò & maiora sunt. Potentes enim potenter tormenta patientur.* Et infrà: *His autem quos nulla præcedentia eleemosynarum facta sequuntur, æterni Iudicis voce sic dicitur: Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi bibere. quibus iustè dicitur: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Qui hic misericordiam non impartit, illic pietatis fructum non inuenit; exemplo ardentis Diuitis, qui in inferno ad tenuissima petenda compulsus est, qui hic tenuissima negare studuit. Quid tribui subtilius, quid districtius petere poterat? Guttam aquæ ardens petiit, qui micas panis negauit. Serò Diues oculos aperuit, quando Lazarum pauperem requiescentem vidit, quem iacentem ante ianuas videre despexit.* Sic ille. Quibus aliorum plurium Patrum testimonia adiungere possemus. sed cui fini, in re adeò manifestâ? Superest vt ille qui miserorum miserâ conditione non mouetur, misericordiam in morte nequaquam expectet, sed illud potiùs pertimescat, quod apud Ecclesiasticum habetur, *Cor durum malè habebit in nouissimo.* aut etiam illud Apostoli: *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? an ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera eius.* Denique illud S. Iacobi: *Iudicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam.* Et hæc quidem tametsi de vniuerso misericordiarum genere intelligi possunt, de præcipuâ tamen illius specie, quæ Purgatorij animas tam dirè ibi afflictas, concernit, specialiùs accipienda sunt.

Quid S. Isidorus. Lib. 3. de Summo bono, cap. 64.

Quid Scriptura. Eccli. 3. Rom. 2. Iacob. 2.

Quàm item ad electorum numerum minùs admittendi sint, qui charitatem hic in terris

Quid de charitate doceant SS. Patres.

exercere noluerint, tum sancti Patres, tum sacrarum Litterarum testimonia & auctoritas palàm faciunt. S. Augustinus docet, ex solâ dilectione filios Dei à filiis diaboli discerni. verba eius hæc sunt:

In primam S. Ioannis Epistolam.

Dilectio sola discernit inter filios Dei & filios diaboli. Signent se omnes signo Crucis, respondeant omnes Amen, cantent omnes Alleluia, baptizentur omnes, intrent Ecclesias, impleant parietes Basilicarum, non discernuntur filij Dei à filiis diaboli, nisi charitate. Qui habent charitatem, nati sunt ex Deo: qui non habent charitatem, non sunt ex Deo. Huius asserti sui fundamentum habuit D. Augustinus in S. Ioanne Apostolo & Euangelistâ, imò in ipsomet Christo. Apostolus quidem sic ait:

1. Ioan. 3.

In hoc manifesti sunt filij Dei & filij diaboli: omnis qui non est iustus, non est ex Deo, & qui nõ diligit fratrem suum. quoniam hæc est annuntiatio quam audistis ab initio, vt diligatis alterutrum: non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Saluator verò noster ita:

Ioan. 13.

In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. S. Gregorius Papa hæc habet:

In Pastorali.

Nihil est pretiosius Deo virtute dilectionis, nihil desiderabilius diabolo extinctione charitatis, & rectè; quoniam à dilectione omne bonum, sicut etiam ab illius absentiâ omne malum. Quòd autem a verâ charitate omne bonum sit, & ipse D. Gregorius alibi sæpè, & varia Scripturæ asserunt testimonia.

Homil. 27. in Euangelia.

Gregorius quidem, *Cùm*, inquiens, *cuncta sacra eloquia plena sint Dominicis præceptis, quid est quòd de solâ dilectione, quasi de singulari mandato, Dominus dicit, Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem; nisi quia omne mandatum de solâ dilectione est, & omnia vnum præceptum sunt? Quia quidquid præcipitur, in solâ charitate solidatur. Vt enim multi arboris rami ex vnâ radice prodeunt, sic multæ virtutes ex vnâ charitate generantur: nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis.*

Item quid Scriptura.

Cui correspondent pulcherrima iam Scripturæ testimonia e D. Paulo Apostolo deprompta, qui mox ita ait:

1. Tim. 1.

Finis præcepti est charitas de corde puro & conscientia bonâ, & fide non fictâ. mox:

Coloss. 3.

Induite viscera misericordiæ, benignitatem, &c. super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. mox denique:

Roman. 13.

Qui diligit proximum, legem impleuit. &c: *Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.*

9. At sine dilectione nec reliqua bona opera prodesse, ipse inprimis D. Ioannes sic affirmat:

1. Ioan. 2.

Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc. & paulò pòst: *Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.*

Cap. 3.

Iterùm: *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, & scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.*

Cap. 4.

Iterùm: *Charissimi, diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est; & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est.* & infrà: *Si quis dixerit, Diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim nõ diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?*

1. Cor. 13.

Sed & D. Paulus apertiùs hoc modo: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habuero, factus sum velut æs sonans, & cymbalum tinniens. Et si habuero omnem prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Proinde Saluator noster, vt charitatis necessitatem discipulis suis explicaret, & ad eius obseruationem fortiùs incitaret, decem Legis Moysaicæ præcepta ad duo Euangelica perfectæ charitatis redegit, vti videre hinc licet, vbi sic inquit:

Matth. 22. Marc. 12. Luc. 10.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ, & ex omnibus viribus tuis. Hoc est primum & maximum mandatum: secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa Lex pendet, & Prophetæ.

10.

Explicatur quis noster sit proximus.

Sed ne quis fortè obiiciat quod iste in Euangelio Legisperitus, qui seipsum iustum efficere & proximum declinare volebat, obiecit Saluatori, *Et quis meus est proximus?* ne, inquam, ex huius interrogatione aut ignorantiâ seipsum à iuuandis Purgatorij animabus quisquam excuset, videamus, qui proximi hìc nomine sint censendi. Respondebit vnus pro aliis plurimis D. Augustinus, qui hæc habet:

Serm. 57. de Tempore.

Proximus est omnis homo. Omnes enim proximi sumus conditione terrenæ natiuitatis & mortalitatis, & etiam spe cælestis hereditatis; quia nescimus quis quid futurus sit, aut Iudæus, aut hæreticus, aut paganus. Fortè enim per misericordiam Dei conuertetur ad Deum, & inter Sanctos primum locum habere merebitur. Et posteà alibi:

Serm. 53. de Tempore.

Et fortè quislibet quærat quis sit proximus, sciat omnem Christianum rectè proximum dici: quia omnes in Baptismo filij Dei sanctificamur, vt fratres simus spirituales in charitate perfectâ. Nobilior est generatio spiritualis quàm carnalis, de quâ in Euangelio ipsa Veritas ait: Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, &c. Qui autem taliter intelligens proximum diligit, sine dubio charitatem veram in semetipso tenebit. Sed & tertium eiusdem D. Augustini locum admodum illustrem adiungere placet, qui hic est:

Conc. 8. in Psal. 118.

Omnis homo est omni homini proximus, nec vlla cogitanda est longinquitas generis, vbi est natura communis, quamquam nec proximum nouerat qui Domino ait: Et quis est meus proximus? quando illi est propositum homo quidam, qui descendens ab Ierusalem in Iericho, incidit in latrones: cui proximum non fuisse nisi qui cum illo fecit misericordiam, ipse qui interrogauerat indicauit, patuitq;, in facienda misericordiâ neminem alienum esse putandum ab eo qui diligit proximum. Nemo igitur ab illâ lege, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, excludendus est; neque vllus quis eamdem impleuisse credendus, nisi qui, vbi oportuit, charitatem ac misericordiam proximo fecit.

Dilectionis proximi legem Christus renouauit.

Quam legem, ne quis ignoraret, de nouo reiterare & promulgare voluit Saluator, inquiens,

Ioan. 13.

Hoc est mandatum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. & antè: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* Quam quomodo interpretari debeamus, idem Christi Domini Secretarius, qui legem illam à dictante Magistro suo excepit, & in programmatis publici formam redegit, explicauit, dum sic ait:

1. Ioan. 3.

In hoc cognoscimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus ani-

animas ponere. Si ergo Christi est mandatum, vt inuicem diligamus sicut ipse dilexit nos; & ipse animam pro nobis posuit, vt & nostram pro fratribus ponamus; quæ istis à damnatione erit euasio, qui hoc ignorauerint? qui neglexerint? Fiet illis profectò quod Paulus scripsit, *Quicumque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt; & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur,* seu quod idem est, damnabuntur. Et hæc quidem de misericordiæ charitatisque neglectu in thesi seu propositione generali dicta sufficiant; de ingratitudine quoque & iniustitiâ idem statim dicturi, modò paululum ad animarum materiem in speciali, quæ est velut in hypothesi, regressi fuerimus, vt tota illa, quam in præcedentibus struximus, machina aptè ad propositum facere videatur. Solummodò ergo nonnulla exempla hic in medium adferemus illorum qui præmaturâ morte extincti referuntur, eò quòd Purgatorij spiritibus, suum debitum exsoluere neglexissent; vt iis commodius postmodum adiungere liceat, terribilem ingratitudinis notam quàm multi sæpe incurrunt, & ob hanc seuerè puniuntur, quòd suos quibus obligati tenentur, in Purgatorij tormentis derelinquant.

Roman 2.

11. Primum exemplum habetur apud Ven. Thomam Cantipratanum & iisdem quibus à nobis hic verbis refertur: *In Gestis Caroli Magni Regis legimus quod subiungo. Eidem Regi miles quidem, in armis strenuus, seruierat annis multis. Hic ad extrema perductus, ad se consobrinum suum clientem, quem solum habebat superstitem, euocauit, dicens: In comitatu Regis annis iam perstiti sexaginta, nihil in mundo proprij possidens nisi quod ad militiam pertinebat: & ecce solum equum optimum habeo, & ex hoc statuo testamentum. Me ergo mortuo vendes equum, & pecuniam pro animâ meâ totaliter erogabis. Pollicitus est cliens vt ei præceperat auunculus. Mortuo ergo milite, satelles vidit equum validum & audacem, & eum vendidit, nec pecuniam pro eo soluit, sed eum retinuit, statutum auunculi paruipendens. Circa dimidij verò anni transactum spatium, anima defuncti apparuit satelliti manifestè, dicens: Non curasti facere, quod pro animâ meâ statueram liberandâ, & ideò medio tempore, quo per eleemosynas liberari debueram, passus sum graues pœnas. Sed ecce nunc iudicium dedit operum ponderator omnipotens, & omnes eius assessores Angeli esse iustum decernunt, vt anima mea ad requiem transeat, & anima tua pœnas recipiat quas exacturus adhuc fueram in tormentis. His dictis repentè disparuit: & mox satelles grauissimam infirmitatem incurrens, quæ gesta erant confessus est Sacerdoti, & mortuus pœnas quas merebatur exsoluit.* Vide ergo, Lector, quantum peccatum sit & delictum, amicorum aut parentum tardare vel negligere testamentum: si namque pia & bona opera, quæ ipsi post obitum suum è suis bonis fieri voluerunt, citiùs ad effectum deducantur, citiùs defuncti ad gloriam desideratam transuolabunt; sin tardiùs, à gloriâ tantisper in tormentis exclusi detinentur. Et licet dicatur, auunculum nepotem suum obligasse, vt equum istum in animæ suæ refrigerium diuenderet, adeoque illud tantùm hinc probari videatur, quòd ij qui testamenta maiorum non exequuntur, vitâ suâ, naturæ filo præmaturiùs abrupto, priuentur; quia tamen vnicuique liberorum aliorumque heredum, qui bona à defunctis sibi relicta recipiunt, tacitam siue implicitam ex rei naturâ eam habent obligationem, vt pro ipsorum mortuorum requie curam gerant, adeoque exorare & satisfacere debeant, vt superiùs latè probauimus. Non ineptè sanè præcedens exemplum nostro proposito applicuimus, adferrique id potest non solùm vt horrorem incutiat illis, qui maiorum suorum extremâ testamenti dispositione in mandatis habent aliquid vel distribuendi vel procurandi; sed & aliis, quibus etsi nihil expressim iniunctum sit, hac tamen in parte communi heredum obligatione sunt obstricti.

Terribile exemplum negligentis voluntatem defuncti
Lib. 2 de Apib. c. 53

Applicatur & aliis heredibus.

Sed ne cui, quoad rem illam, dubitatio, vel suffugium, aut excusatio sit reliqua, en alterum æquè illustre exemplum, quod haud minùs euidenter demonstrat, cuilibet, qui hereditatem alicuius adit, incumbere, vt extremis viribus summoque studio è tantis Purgatorij pœnis eripere & saluare allaboret illum, cuius e bonis factus est ditior, & à quibus recepit illa bona, quæ defuncti miseriis remedia esse possunt opportunissima. At ipsa Auctoris, qui illud descripsit, verba subdere præstat, quæ propemodũ hæc sunt: *Apud diuersos legitur, quòd anima cuiusdã defuncti post dies octò suo clienti apparuit, & dixit ei: Quia de te confidebam, res meas distribuendas fidei tuæ commisi; tu verò tamquam infidelis & proditor res meas retinuisti, quapropter conquestus sum de te summo Iudici, quia liberationem meam è Purgatorio retardasti. At ego iam purgatus ad regionem viuorum gaudens vado, tu autem noueris, quòd cras hac horâ pœnas tantæ infidelitatis exsolues. Cùm igitur confusus & stupefactus miser ille rei euentum expectaret, ecce eâ horâ quâ defunctus prædixerat, corui nigri ipsum rapientes leuauerunt in aëra, & eo dimisso, super rupem cecidit, & fractis ceruicibus expirauit.* O casum calamitosissimum! quis vel minimum mortuo cuipiam debens, non centies milliésve quoquo modo opem ferre malit, quàm terribilem adeò experiri fortunam? Plura adducere possem, sed breuitatis studium hic subsistere iussit. Certè si rigidam adeò atque seueram de animarum neglectoribus etiam hac in vitâ sumit Deus vindictam, quid post hanc vitam, ni propediem, culpam agnoscentes, ea quæ debent exsoluant, de iis statuendum fore quis arbitretur? Profectò vel sola hæcce in defunctos ingratitudo, Deo hominibusque exosa, grauissima supplicia merebatur. Nihil enim, vt Petrus Rauennas in quadam Epistolâ inquit, *est quod adeò indignationem prouocet Altissimi, atque ingratitudo; ipsa est malorum prouocatio, beneficiorum exinanitio, meritorum exterminatio.* Et mellifluus ille Ecclesiæ Doctor Bernardus, suis ingratitudinis vitium coloribus depingens, hæc de illo asserit: *Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus vrens, siccans fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* Et iterùm: *Gratiarum cessat decursus, vbi recursus non fuerit: nec modò nihil augetur ingrato, sed quod accipit vertitur in perniciem. Fidelis autem in modico, censetur dignus munere ampliori.* Hæc Bernardus. Vt verissimè exclamauerit S. Augustinus: *Scio quòd ingratitudo multum tibi* (Deo loquitur) *displiceat, quæ est radix totius mali spiritualis,*

12.

Exemplum aliud magis terribile.
Specul. exemplor. dist. 10.

Quàm nociua ingratitudo.
Super Cantica.

In Soliloquiis, cap. 18

& ventus quidam desiccans & vrens omne bonum, obstruens fontem diuinæ misericordiæ tuæ super hominem, quâ & mala mortua iam oriuntur, & viua iam opera moriuntur, & vltrà non adipiscuntur.

13. *Nihil Deo ingratitudine ingratius.*

Imò quod est amplius, Patres aiunt, nihil Deo, quàm ingratitudinem, magis esse exosum. *Peremptoria res est*, inquit mellifluus Bernardus, *ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis; quoniam nihil ita displicet Deo, præsertim in filiis gratiæ, quemadmodum ingratitudo.* Petrus item Rauennas, *Nihil est*, ait, *quod ita indignationem prouocet Altissimi, sicut ingratitudo.* Sed quid Auctores sacri? Sanè Salomon graues minas intentat ingratis, dum sic ait: *Ingrati fides tamquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet tamquam aqua superuacua.* Et D. Paulus Apostolus inter reliqua grauia peccata ingratitudinem recenset, *Hoc autem*, inquiens, *scitote, quòd in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, parentibus non obedientes, ingrati, sine affectione.* Exigua igitur, quòd saluandi sint qui in re præsenti se ingratos præbuerint, spes apparet, & timendum iis meritò est, ne parentes aliique maiores cælum ac terram in ipsorum aliquando execrationem implorent, eò quòd, dum sibi gratitudinis vices rependere debuissent, contempserint, quemadmodum olim Deus ipse per Prophetam contra Iudæos intonauit, inquiens: *Audite cæli, & auribus percipe terra. Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis!*

Serm. 11. in Cantica.
In Epist. quadam.
Sapient. 4.
2. Tim. 3.
Isaiæ 1.

14. *Terribilis hominis ingrati damnatio.*

Neque hoc vno loco, sed & variis aliis tam noui quàm antiqui Testamenti, in ingratos vehementer inuehitur diuina Maiestas, suppliciaque temporalia & æterna minatur. Res certè multò est manifestior quàm vt probatione, aut locorum adscriptione indigeat. Antiqua Ordinis Cisterciensis Chronica referunt, animam nouitij cuiusdam varia damnatorum vidisse tormenta, eamdemque à comite Angelo admonitam esse, vt sursum lumina eleuaret. Quod cùm fecisset, terribilem eminus rotam adspexisse totam igneam, & innexum hominem super eam. Quæ cùm rotatu agitaretur horribili, dictum esse stupenti atque expauescenti nouitio, Terribile est valdè quod intueris, sed ecce terribiliora videbis: cœpisse namque, dum hæc dicerentur, rotam à summo quo eminebat vsque ad infernum inferiorem, intempestiuis impetibus, minosis anfractibus, infestisque crepitibus proruere, factumque esse tantum in inferis fragorem, ac si totus mundus cum suis ædificiis funditus euerteretur, & cælum desuper cum omni firmamento corrueret. Dumque rota hæc in puteum barathri se terribiliter immergeret, omnes animas, quæ in morte captiuæ detinebantur, cum spiritibus malignis, furibundis vocibus conclamasse, & misero homini, qui in rotâ vertebatur, insultando, omnes eum pariter percussisse, detestantes & anathematizantes, & maledictiones maledictionibus addentes. Ecce quomodo homo ille ingratissimus ipsis etiam dæmonibus ac damnatis hominibus inuisus sit, quantoque eum odio infectentur; vt meritò credi non debeat, ingratum aliquem aut Sanctis in cælo acceptū aut consorté futurū.

15. *Quam ethnici inimici ingratitudini.*

Quin & Ethnicos in ingratos homines calamum stringentes audire placet? aut inspicere vultis quomodo in gratitudinis commendationem à bestiis homines confundantur. M. Tullius Cicero quantopere hoc vitium accuset, audite. *In ingratitudine*, inquit, *nihil mali non inest.* Et: *Nihil est tam inhumanum, tam ferum, quàm committere, vt beneficio non dicam indignus, sed victus esse videare.* Item alibi: *Improbus est homo, qui beneficium scit sumere, & reddere nescit.* Vnde ingratos vniuersis hominibus exosos esse affirmat, cùm post reditum suum ad Senatum ait: *Nemo gratiarum immemor est gratus inuentus.* Et iterùm: *Omnes immemores beneficij oderunt.* Quod etiam adeò verum est, vt illud commune sit Gentium adagium, *Ingrato seruire nefas.* Et meritò quidem, quoniam illi ab hominum naturâ degenerare videntur, imò & ipsis brutis inhumaniores fieri. nam & canes, leonesque, & aliæ bestiæ miram suis benefactoribus exhibere reperiũtur gratitudinē, ex quibus modo ciconię, ad hominum erga suos ingratorum confusionem, ex D. Ambrosio hic referre lubet argumentum. *Quàm verò rationabilium excedat*, inquit, *pietatem ac prudentiam ciconiæ clementia, considerandum, quam nec post exemplum quidem rationabilium quisquam nostrûm imitari poterit. Nam depositi patris artus, per longæuum senectutis plumarum tegmine alarumq; remigio nudatos, circumstans soboles pennis propriis fouet. Et quid dicam collato cibo pascit, quando etiam ipsa reparat naturæ dispendia, vt hinc atque inde subleuantes senem fulcro alarum suarum ad volandum exerceant, & in pristinos vsus desueta iam reuocent pij patris membra? Quis nostrûm leuare ægrum non fastidiat patrem? quis fessum senem suis humeris imponat, quod in ipsâ historiâ vix credibile habetur? quis, vt pius sit, non hoc seruulis mandat obsequium. At verò auibus non est graue, quod pietatis est plenum. Non est onerosum, quod soluitur naturæ debito. Non recusant aues pascere patrem, quod etiam præscriptâ necessitate, sub terrore pœnarum, plerique hominum recusarunt. Aues non scripta sed nata lex stringit. Aues ad hoc munus nullo præcepto conueniunt, sed gratiæ naturalis officio. Aues non erubescunt reuerendi senis membra portare: est enim vectura pietatis. quod eò vsque frequenti testificatione percrebuit, vt congruæ mercedem remunerationis inuenerit. Nam Romanorum vsu pia auis vocatur: & quod vni Imperatori consulto Senatus delatum dicitur, hoc istæ aues in commune meruerunt. Habent ergo aues istæ decreta patrum ad propriæ insigne clementiæ: pios enim filios, patrum oportuit priùs indicio prædicari. Habent etiam vniuersorum suffragia: nam retributio beneficiorum ἀντιπελάργησις nominatur. πελαργὸς enim ciconia dicitur. virtus itaque ab his nomen accepit, cùm relatio gratiarum ciconiæ vocabulo nuncupatur.*

Epist. 18. ad Atticum.
Pro Plancо.
Lib. 2. Officiorum.
Lib. 5. Hexaëmer. c. 16
Magna ob gratitudinē ciconiæ laus.

Quàm ergò homine Christiano indignum est, suis non esse gratum benefactoribus: nam non fidem tantùm ac rationem in eo repudiare videtur, sed & naturam, cuius solâ lege ductæ ciconiæ tanto affectu & conatu suos honorare atque adiuuare conspiciuntur parentes. Qui hoc igitur in officio exequendo negligentes & frigidi inueniuntur, non fidei solùm Christianæ & Catholicæ præcepta contemnere conuincuntur, sed & rationem abnegasse, omnemque exuisse humanitatem credi possunt: imò, quod est om- 16.

omnium turpissimum, naturam ipsam, quæ & in irrationabilibus, vti patuit, locum inuenit, abiecisse dicendi sunt. O infamis ingratitudo, quæ hominem quasi non hominem efficis! quæ hominem bestiis facis inferiorem! Non tibi satis est, virtutibus te eum suis exspoliare, reliquis hominibus inuisum reddere, corpore sæpiùs ac vitâ ante mortis tempus priuare; sed insuper creaturam rationis participem, ac beatitudinis æternæ capacē, brutis ac feris inhumaniorem & contemptibiliorem efficis. Cupitne lector Christianus exempla belluarum aliquot intueri quæ benefactoribus suis gratæ, humanam ingratitudinem condemnarunt? Huius rei confirmandæ non est opus plures scriptores percurrere, cùm in vnis sanctorum Patrum Vitis, multiplex propositi confirmatio reperiatur. Palladius Helenopoleos Episcopus in historiâ Lausiacâ in vitâ S. Macarij cap. 20. sic de illo commemorat. Narrauit autem nobis Dei quoque seruus Paphnutius, præclari huius sancti discipulus, quòd cùm quodam die sederet in aulâ sanctus Macarius, & Deum alloqueretur, hyæna acceptum suum catulum qui erat cæcus, attulit ad sanctum Macarium: & cùm capite pulsasset ostium aulæ ingressa est, eo adhuc sedente, & proiecit catulum ad eius pedes. Cùm autem accepisset catulum sanctus Macarius, & spuisset in eius oculos, orauit & statim vidit. & cùm mater eum lactasset & accepisset, ita exiit. die autem sequenti pellem magnæ ouis attulit ad sanctū Macarium, & cùm sanctus vidisset pellem, hæc dixit hyænæ: vndenam hanc habuisses, nisi ouem alicuius deuorasses? quod ergo proficiscitur ab iniuriâ, ego à te non accipio. Hyæna autem humi inclinato capite, genu flectebat ad pedes sancti, & ponebat pellem. ipse autem ei dicebat: dixi me non accepturum, nisi iuraueris te non amplius offensuram pauperes, comedendo eorum oues. illa vero ad hoc quoque capite suo annuit, vt quæ sancto assentiretur Macario. tunc accepit pellem ab hyæna. Beata autem Christi ancilla Melania dixit mihi, se illam pellem accepisse à Macario illo, quod appellabatur munus hyænæ. Quid verò mirum est apud viros mundi crucifixos, si hyæna beneficio affecta, ad Dei gloriam & honorem seruorum eius, id sentiens ad eum munera attulerit? nam qui in Daniele Propheta mansuefecit leones, huic quoque hyænæ largitus est intelligentiam. Hactenus Palladius.

Sancto Macario hyæna in gratitudinis signum pellem defert.

17. Cui adiungere etiam placet quod in Prato spirituali in vitâ Abbatis Gerasimi habet Ioannes Moscus qui cap. 107. ita loquitur. Vno ferè milliario distat à Iordane monasteriū, quòd Abbatis Gerasimi dicitur. In hoc monasterium aduenientibus nobis narrauerunt qui illic morabantur senes de Abbate Gerasimo, quod die quodam ambulās super Iordanis ripam, obuium habuit leonem valdè rugientem, suspenso pede, cui infixus erat ex calamo aculeus, adeò vt ex hoc pes ipse intumuisset, & sanie plenus effectus esset. Cùm igitur vidisset leo senem, ostendebat illi vulneratum ex infixo aculeo pedem, flens quodammodo & obsecrans, vt illi curam adhiberet. Cùm ergo vidisset eum senex tali necessitate cōstrictum, sedens apprehendit eius pedem, aperiensque vulnus eduxit aculeum infixum, cum magnâ putredinis copiâ, diligenterque depurgato vulnere, & panno alligato, dimisit eum. Leo autem cùm se curatum vidisset, noluit senem deserere, sed vt charus discipulus, quocumque pergeret magistrum sequebatur, ita vt admiraretur senex tantam feræ gratitudinem. igitur ex tunc senex nutriebat eum, mittens ante illum panem & insulsa legumina. O fidelitatem belluę! ô gratitudinem feræ! & tamen homines facillimè benefactorum suorum obliuiscuntur; quos vt ampliùs confundamus pergimus ex Mosco. Habebat autem, inquit, ipsum monasterium asinum vnum, ad ferendam aquam pro necessitate fratrum de Iordane. consuetudinem autem fecerat senex, vt curam pascendi asini leo haberet. itaque abiens cum illo iuxta Iordanis ripas, pascentem obseruabat. Quadam autem die dum pasceretur asinus, leo se ab illo longiusculè auertit, cùm ecce camelarius ex Arabiâ veniens, inuentum asinum accepit, & secum duxit. Leo verò amisso asino, rediit in monasterium tristis valdè, & deiectâ facie & ceruice, ad Abbatem suum. Abbas igitur Gerasimus putauit, quòd asinum comedisset leo, & ait illi: vbi est asinus? ille verò quasi homo stabat tacens, & deorsum aspiciens. dicit ei senex: comedisti eum: benedictus Dominus. quidquid faciebat asinus, amodò facies tu. Ex tunc igitur leo, iubente sene, portabat canthelium capientem amphoras quatuor, ferebatque aquam in monasterium. Sic ille. quin & pergamus egregiam hanc historiam prosequi: vt ingratos etiam homines confutando lepidâ eâ bestiæ humanitate, fastidium quod hinc lector incurrit, aliquantulum subleuetur.

Abbas Gerasimus leonem sanat qui ei ministrat.

Asinum servat & hoc ablato eius onus subit.

Verba itaq; Mosci continuant: Die quadā venit miles quidā ad senē benedictionis gratiâ. qui cū videret leonem baiulantem aquam, didicissetque causam, misertus est eius, proferensque tria numismata dedit senibus, vt emerent asinum ad ipsius aquæ ministerium, & liberarent eâ necessitate leonem. Breui autem transacto tempore, postquam liberatus à labore fuerat, camelarius ille, qui asinum abstulerat, veniebat ferens triticum, vt venumdaret illud in sanctâ ciuitate, habens & asinum secum. & cùm transisset Iordanem, accidit vt occurreret leoni: quo viso, dimisit camelos & fugit. Leo autem cognito asino, cucurrit ad eum, & ore vt solebat, eius capistrum mordens, traxit eum cum tribus camelis, & gaudens simul & rugiens, quod perditum asellum reperisset, venit ad senem. senex autem putabat, quòd asinum leo comedisset: tunc verò didicit, quia insidias passus fuisset leo. imposuit autem nomen leoni Iordanem. egit itaq; leo in monasterio cū Fratribus plusquā quinque annos, numquam recedens à sene. At hæc quidā inquiunt, in vitâ Gerasimi facta sunt, nos verò modò agimus de eâ gratitudine quæ exhiberi debet post mortem. cuius nō defuit etiam in eodemmet Gerasimi leone, rarissimum si Mosco historiam prosequenti credimus, exemplum. Cùm autem (pergit ille) migrasset ad Dominum Abbas Gerasimus, & à Patribus sepultus esset, per dispensationem Dei leo tunc in monasterio inuentus non est. post modicum verò venit leo in Monasteriū, & quærebat senem suum. Abbas autem Sabbatius Cilix, qui & discipulus fuerat Abbatis Gerasimi,

18.

Leo asinum reducit.

simi, viso illo dixit ei: Iordane senex noster dimisit nos orphanos, & migrauit ad Dominum; sed accipe & comede. Leo autē comedere nolebat, sed iugiter huc atque illuc se vertens circumspiciebat, quærens videre senem suum, ac rugitu magno ipsius absentiam se ferre non posse significans. Abbas autem Sabbatius, & sepes reliqui fricantes eius ceruicē dicebant ei: Migrauit senex ad Dominum, & dimisit nos. sed ista dicentes non poterant tamen illius voces & eiulatus mitigare; sed quantò ampliùs ipsum verbis fouere & solari se existimabant, tantò ipse magis eiulabat, maioreque rugitu vtebatur, & lamenta adiiciebat, ostendens ex voce, facie, & oculis mœrorem, quem habebat non videns senem. Tunc ait illi Abbas Sabbatius: Veni mecum, ex quo non credis nobis, & ostendam tibi, vbi positus est senex noster. sumensque eum duxit, vbi illum sepelierant. distabat autem ab Ecclesiâ quasi passibus quinque. Et stans Abbas Sabbatius supra sepulchrum Abbatis Gerasimi, dixit Leoni: Ecce hic senex noster sepultus est. & inclinauit genua sua Abbas Sabbatius supra sepulchrum senis. Cùm ergo id Leo audisset, & vidisset prostratum super tumulum Abbatem Sabbatiū, & flentem, tunc & ipse prostrauit se, percutiens in terram caput suum vehementer, & rugiens: atque ita continuò defunctus est super sepulchrum senis. Quid amplius, quidve clarius pro excitandâ in mortuos gratitudine, pro condemnandâ in eosdem ingratitudine adduci possit? certè nihil video. sique vetera illa nequaquam sufficiant, addere his recentia & planè nouitia facile fuerit.

Leo tristitiâ moritur supra Gerasimi sepulchrum.

19. Rem narrabo omnino recentem, quam & oculis nostris inspeximus, & ex infinitis testibus ita probatam habemus, vt negare illam velle, negare sit Solem diem causare. Accidit itaque ab annis non ampliùs tribus, vt prænobilis quidam Marchio, vnius ex Hispaniæ vt vocamus, primoribus, filius, ex Veluâ Rinsberkam redux ex infirmitate vehementi quam in Catholicæ suæ Maiestatis atque adeò fidei Catholicæ obsequio incurrerat, non ingloriosè mortem obiret; cuius corpus dum iuxta morientis voluntatem Bruxellas ad Conuentum nostrum vt ibidem sepeliretur rhedâ veheretur, hoc ipsum canis quem idem Marchio viuus fidelem habuit, & mortuus vt statim videbitur expertus fuit multò fideliorem, per tota ferè triginta milliaria insecutus est. quid postea? idem hic canis heri sui sepulchro ita constanter velut incubuit, vt nullâ vi, nullis minis aut verberibus, nullâque adulatione, inde amoueri per dies aliquot posset. Religiosi nostri cuius is canis foret primū ignari, vidētes eū nullo victu refici, aut per tres circiter dies refici nolle, modis omnibus ex nostrâ illum vt par erat Ecclesiâ, amouere conati sunt, donec tandem heri ibidem sepulti canem intelligentes, quâ potuerunt humanitate eum vix aliquando ad aliquid sumendum induxerunt, fidelemque ob hero fidelitatem præstitam, appellarunt. Nec id immeritò, nam & Conuentui nostro qui heri eius corporis custos est, fidelissimus factus est custos, custos inquam vsque adeò fidelis vt in hodiernam etiam diem nullis minis, nullis pollicitationibus (etsi frequenter multumque tentatus) extra claustri septa, quod est omnibus sanè videntibus mirum, potuerit auocari. Quid igitur facturi in dominos & parentes suos erunt homines, si talia bestiæ exempla præbuerint? possem multa quoque adducere ex quibus pateat quàm fuerint puniti qui in defunctos ingrati extiterunt, sed longiores ne simus, omittimus.

De fideli cane Conuentus nostri Bruxellensis.

Vnum adhuc exemplū subiungere liceat, quod ipsos purgandos concernat, & ne nostris benefactoribus hac in materiâ ingrati simus, omnes deterrere, & istam Deo exosam ingratitudinem nostris è visceribus exscindere potest. *Ante illud tempus*, inquit Cæsarius, *quo occisus est Conradus Episcopus Hildensheimensis, peregrinus quidam in villâ quadam moriens sclauiniam suam Sacerdoti legauit, animam suam illi commendans: quam vestem Sacerdos quidem suscepit, sed de animâ modicùm curauit, serui verò siue pueri noctibus se illâ tegebant. Non multò pòst idem Sacerdos in Ordine nostro,* Cistertiensi nimirum; *factus est Nouitius. Nocte quadam in Dormitorio iacens & dormiens, per visionem raptus est ad loca pœnarum, in quibus maximus erat dæmonum concursus & occursus: alij animas adducebant, alij adductas suscipiebant, alij susceptas tormentis debitis immittebant. Magnus illic erat clamor, & tumultus, & genitus, & planctus. Interim prædictus Episcopus claustris infernalibus præsentatur; sed Princeps tenebrarum voce lugubri præsentantes sic affatur: Reducite, reducite illum, non enim est noster, innocenter occisus est. Sacerdos talia videns & pauens, post ostium se occultauit. Videns diabolus prædictam in angulo quodam sclauiniam, dixit: Cuius est vestis illa? Responderunt: Sacerdotis illius qui stat post ostium, quam cùm à quodam peregrino in eleemosynam recepisset, nihil beneficij animæ illius impendit. Ad quod diabolus: Validè occupati sumus, expediamus nos statim ab illo; tolleusq; vestem, quasi in fœtidum atque bulliens lixiuium intinxit: de quâ cùm faciem & collum Sacerdotis percussisset, ille excitatus fortiter inclamauit: Adiuuate, adiuuate. Quem cùm signo vocis compescerent, respondit: En morior, en incendor. Tunc surgentes inuenerunt caput eius totum inustum: sicq; in Infirmitorium deportauerunt semiuiuum, nullam enim fecerat de eadem negligentiâ confessionem.* Ita Cæsarius. Vnde duo notare licet. Primum, si ille adeò crudeles pœnas luit qui non nisi vestimentum vnum peregrini receperat, quid istis expectandum, qui tot tantaque per totam vitam suam à parentibus suis bona receperunt, nec tamen vmquam de eis è Purgatorio eximendis cogitant? Alterum, si hoc diuina bonitas impunitum abire nequaquam passa fuit in illo qui sese iam Religioni sacræ totum addixerat, reliquamque vitæ in pœnitentiâ transigere statuebat; quid cum istis agendum quis credat, qui neque de faciendâ pœnitentiâ hic multum cogitant, neque vllum se ob neglectos maiores delictum contraxisse arbitrantur? Sed aliud hominum, aliud Dei iudicium, qui vsque adeò ægrè nonnumquam sese ferre huiusmodi mortuorum neglectum demonstrauit, vt & corpore & animâ viuos mortales propterea ad inferna transferri permiserit. Sanum ergo omnino consilium est, quod olim mellifluus ille Sanctus, Bernardus inquam, suggessit: *Descendant in infernum viuentes, vt non descendant in infernum morientes.* Verè namque, si quis historias excutere voluerit, plures idcircò damnatos fuisse reperiet, quòd animarum Purgatorij curam contempsissent.

20. *Terribile exemplum.* Lib. 11. Histor. Cistert. cap. 41.

In speculo exemplor. & alibi.

Atque

21. Atque hæc sunt quæ circa misericordiæ, charitatis & gratitudinis defectum dicenda habuimus, vt eos qui in animarum Purgatorij causâ negligentes sunt, haud cælo natos esse ostenderemus. Fieri idem etiam quoad iustitiam poterat, nisi Libro sequente, statim primo Capite, commodior locus foret agendi de obligatione quâ viuentes erga defunctos tenentur, quò & defessum Lectorem ablegamus. Nisi is per modum præludij aut prouisionis annotare hîc non immeritò vellet, valdè illos decipi, qui solû damnandos illos credunt qui rapiunt aliena, quandoquidem Sancti Patres veluti ex indubitato præsupposito (vt aiunt Scholastici) eos quoque damnari affirment, qui non tribuunt sua. *Quid*, inquit Petrus Rauennas, *recipiet qui tulit aliena, si semper ardebit qui sua non dedit?* Sanctus verò Fulgentius. *Si sterilitas in ignem mittitur, rapacitas quid merebitur? aut quid merebitur qui alienum tulerit, si semper ardebit qui de suo nô dederit? & si iudicium sine misericordia erit illi qui non fecerit misericordiam, quale iudicium erit illi qui fecerit & rapinam?* Quin & D. Augustinus: *Si in ignem mittitur qui non dedit rem propriâ, vbi putas mittendus erit qui inuasit alienâ! si cum diabolo ardet qui nudum non vestiuit, vbi putas arsurus est qui expoliauit?* Ex quibus duo colliguntur: primum, non tantummodò illos condênandû iri qui alienis inhiant & abutuntur, sed etiam eos qui vbi sua potuere, nô obtulerunt. alterum, quia illi quoque damnandi perhibentur, qui non obtulerunt sua, comparari & similes haberi cum huiusmodi qui furtum rapinamque aduersus iustitiam commiserunt. Quæ sanè non exigui sunt momenti, nam siue per minorem, siue per maiorem iniustitiam eueniat æterna damnatio parum interest modò quis damnetur. Si autem damnatur, non solùm consortio Beatorum vt in præsenti vrgemus, nô videtur idoneus, proùt reuerà idoneus non est, verùm etiam quod inde necessariò sequitur, & ex præcedentibus apertè colligitur, gehennalibus incendiis adiudicatur. Quid plura? cùm certum sit, & nihilominus toties prætereà probatû fuerit, inter misericordiæ opera ad quæ allata Patrum loca obligant, computandum esse & inter illa potissimè recensendum mortuorum adiutorium, satis liquet etiam ex defectu iustitiæ (de cuius circa Purgatorij Animas obligatione, Libro & Capite sequentibus plura) Non videri cælo natos, quorû præcordia super acerbissimas mortuorû pœnas, minimè commouêtur. Atque in hoc iam trigesimo Capite Libro huic primo ...ronidê imponimus, nec absq; mysterio quodâ finimus, eò quòd numerus trigesimus peccatorû malitiam designet, ob quam Saluator noster triginta argenteis est venditus; & quòd eiusdem quoque castigationem designet, cùm totidem à Psalmistâ peccatoribus maledictiones ingerantur. Toto autem hoc Libro illa potissimùm explicauimus, quæ ipsam Purgandorum culpam pœnamque concernunt, quemadmodum sequenti nunc Libro ostensuri sumus, quàm iis relaxandis varia sint, faciliaque penes viuos remedia. Interim sufficienter vt credimus, hactenus probatum:

In Matthæum. — *Serm. 4. de verbis Domini.* — *Ob mysteriû Liber hic triginta Capita continet.* — *Psal. 108.*

Quàm vera & tremenda post mortem Purgandorum Supplicia.

LEGATIO ECCLESIÆ TRIVMPHANTIS AD MILITANTEM PRO LIBERANDIS ANIMABVS PVRGATORII COMMVNIBVS CONCIVIBVS.

LIBER SECVNDVS.

Quàm iis relaxandis, varia faciliaque penes viuos remedia.

CAPVT PRIMVM.

Ad viuos spectat Purgatorij tormentis defunctos eripere.

1. VEMADMODVM vera atque admodum terribilia mortuorum existere supplicia, Libro præcedenti ostendimus, ita præsenti exponere statuimus, facilia omnino ac copiosissima esse remedia, quibus acerbissima ista purgandorum incendia atque tormenta à viuentibus Catholicis extingui atque deleri possunt: parum enim animabus prodesset, quòd illarum pœnæ mortalibus essent cognitæ, nisi remedia itidem, quibus illæ terminentur, perspecta habeant, & vt quàm citissimè finiantur, solertem manum adhibeant. Certè hîc vsu venit quod de Philosopho quodam refertur: qui cùm in puteum aut magnum aliquod præcipitium fortuitò incidisset, & ab amico prætereunte magnis clamoribus compellaretur, vt nimirum, quomodo in fossam istam delapsus fuisset, exponeret, scitè respondit: ***Noli modò quærere quomodo hanc in cloacam inciderim, quin potiùs de medio cogita quo me quantocyùs extrahere valeas.*** Pari modo Purgatorij animæ dicere possent, si scire tantùm, quantis in angustiis ac cruciatibus detineantur, nobis sufficeret, nec animum aduerteremus, aut modos, quibus adeò vehementes illarum dolores citò finiri possint, reipsâ compleuerimus. Totius ergo secundi huius Libri scopus & intentio sit, proponere & explicare remedia redemptoria, quibus afflictæ illæ animæ promptissimè & quàm facillimè iuuari tantisque pœnis eximi possint: & vt quilibet apertè videat, quanti eadem scire defunctisque applicare intersit, priùs, ostendere conueniens erit, ad viuos spectare, Purgatorij tormentis defunctos eripere. Quod vt euidentiùs fiat, duo sunt quæ hoc Capite, ad reliquorum veluti basim ac fundamentum, discutere decreuimus: prius, ad cælites propriè non spectare mortuos redimere; alterum, cuilibet fidelium obligationem incumbere ad defunctorum animas suis è tormentis eripiendas. Hæc quantum poterimus demonstrabimus. Quantum ad secundum spectat, id etsi respectu diuersarum conditionum, quæ in hominibus reperiuntur, fieri à nobis facilè posset, ad tres tamen classes reuocabimus & contrahemus, parentes nimirum, benefactores, & reliquos Christianos in communi: modò videamus, non propriè Sanctis glorificatis competere, vt mortuos (pro quibus satisfaciendum est) liberent.

Remedia mortuis à Purgatorio liberandis non sunt longè petenda.

Libri secundi finis est, suggerere media quibus animæ iuuentur.

2. Mirabitur fortasse quispiam, quòd negare ausus fuerim, Beatorum cum Christo regnantium esse muneris, Purgatorij animas è tormentis ad cælorum gaudia (quod tamen hominibus competere asserimus) transferre, cùm & id magnam

lætitiæ illorum occasionem præberet, & viuis onus, cui sufficere nequaquam possint, imponi videatur. Verùm enimuerò, si penitiùs hanc rem mecum expendere lubuerit, rem aliter se non habere, cordati omnes iudicabunt. Tametsi enim Sancti proni sint, quemadmodum & ipse Deus, ad omnem afflictis impendendam misericordiam; omnemque suis amantissimis famulis, secum in cælis conregnantibus, gaudij atque exultationis, quam potest ac conuenit, Deus copiam faciat; ipsi tamen triumphantis Ecclesiæ ciues, grati creatori, eiusque voluntati per omnia conformes, iustitiam eius violari nullatenus cupiunt, sed quod ex ordinatissimâ diuinæ Maiestatis sententiâ puniendum seu eluendum conspiciunt, perfectè puniri & ad amussim elui volunt. Imò, quod est amplius, cùm sese extra satisfactionis viam, vt quæ viatorum sit, constitutos videant, meritò ipsi viuos in vitâ mortali ad id, quod sibi non conuenire sciunt, extimulare solent. Sunt vtique superni illi gloriæ cælestis incolæ Deo suo, ac perfectissimæ ipsius voluntati quodammodò immersi, neque aliud aut desiderant, aut desiderare se quidquam aliud posse, maximopere delectantur. Hoc vt vnusquisque faciliùs capiat, intueri licet, non minùs Dei iustitiæ quàm misericordiæ rationem esse habendam: posteà, Sanctos pro peccatis animarum Purgatorij satisfacere non posse, sed viuorum hoc esse muneris, subiungendum erit. Quoad prius, clarissimos testes habemus SS. Chrysostomum, Augustinum, & Thomam Aquinatem, qui soli plurium instar esse possunt. Chrysostomus sic ait: *Misericordia tunc est verè misericordia, si sic facta sit vt iustitia per eam non contemnatur. Si autem, contemptâ iustitiâ, misericordia obseruetur, ipsa misericordia non est misericordia, sed fatuitas: iustitia enim sine misericordiâ non est iustitia, sed crudelitas; sicut & misericordia sine iustitiâ non est misericordia, sed fatuitas.* Ne ergo quis existimet, gloriosos in cælo Beatos vllo modo diuinæ iustitiæ contrauenire velle, quam ipsi tantò euidentiùs vident esse æquissimam, quantò vultûs diuini speculo sunt proximiores, in quo omnia, etiam absconditissima, apertissimè conspiciunt. Augustini hæc sunt verba: *Iniquitas omnis, parua magnáve sit, puniatur necesse est aut ab ipso homine pœnitente, aut à Deo vindicante; nam & quem pœnitet, punit seipsum. Ergo, fratres, puniamus nostra peccata, si quærimus misericordiam Dei. Non potest Deus misereri omnium operantium iniquitatem, quasi blandiens peccatis, aut non eradicans peccata. Prorsus aut punies, aut punit. Vis non puniat? puni tu: nam & illud fecisti quod impunitum esse non potest; sed à te puniatur potiùs, vt facias quod illo Psalmo scriptum est: Præueniamus faciem eius in confessione. Quid est, Præueniamus faciem eius in confessione? Antequam ipse attendat vt puniat, tu præueni confitendo, & puni. Non ille inueniat quod puniat: quia cùm tu punis, iniquitatem facis æquitatem. & ideò tui miserebitur Deus, quia te operantem æquitatem inuenit Deus. Quid est, operantem æquitatem? Quia hoc in te odisti quod & ille odit: vt incipias placere Deo, dum hoc in te punis quod displicet Deo. Nam non potest impunitum relinqui peccatum, quia verum est, Non miserearis omnium qui operantur iniquitatem.* Ex hisce D. Augustini verbis abundè constat, omne peccatum, etiam exiguum, suam habere debere punitionem: quod adeò, iuxta æquissimam Maiestatis diuinæ sententiam, rigidè obseruatur, vt Augustinus asserat, non posse Deum quodammodò in hoc dispensare, id est, secundùm iustissimum à se naturæ ordinem constitutum non conuenire nec expedire, vt relaxetur. Quid enim aliud est, *Non potest impunitum relinqui peccatum?* quia verum est, imò verissimum, ordinatissimum, iustissimum, *Non miserearis omnium qui operantur iniquitatem.* Et propterea nullatenus credibile est, Sanctos huiusmodi Factoris sui decreto aut refragari velle, aut posse contrauenire. Quin etiamsi aliàs misericordissimi sint, atque omnem, impetrandi à Deo hominibus misericordiam, occasionem obseruent arripiantque, tamen iustitiam etiam diuinam requirere, eamque ipsimet exequi, in Scripturis sacris perhibentur. Requirunt sanè, quemadmodum in Apocalypsi legitur de iis animabus quæ subtus altare visæ sunt à S. Ioanne, quæ nimirum erant animæ interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, & clamabant voce magnâ, dicentes: *Vsquequò Domine (sanctus & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terrâ.* Iustitiam item Dei in malos exequuntur, quod constat ex illis Psalmœdi verbis: *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum. Gloria hæc est omnibus Sanctis eius.* En vt Sanctorum gloria non in misericordiâ solùm Dei hominibus impetrandâ, sed etiam in exequendâ iustitiâ, à Spiritu sancto per os Dauid adstruatur. Angelicus Doctor S. Thomas de Aquino egregie, suo vtique more, deducit, in omni operatione diuinâ reperiri simul iustitiam & misericordiam, neque vnam alteri præiudicare. Verba eius hæc sunt: *Cùm in cunctis Dei operibus, quod sibi & creaturæ debetur, nullo prorsus modo à Deo prætermitti oporteat, & debitum omne in aliquid ex diuinâ bonitate collatum reducatur, necesse est, in quouis illius opere iustitiam & misericordiam inueniri.* Et infra: *Huius autem necessitatis ratio est, quia cùm debitum, quod ex diuinâ iustitiâ redditur, sit vel debitum Deo, vel debitum alicui creaturæ, neutrum potest in aliquo opere Dei prætermitti. Non enim potest facere aliquid Deus, quod non sit conueniens bonitati & sapientiæ ipsius, secundùm quem modum diximus aliquid esse debitum Deo. Similiter etiam quidquid in rebus creatis facit, secundùm ordinem conuenientem & proportionem facit, in quo consistit ratio iustitiæ; & sic oportet in omni opere Dei esse iustitiam.* Quibus Angelici Doctoris verbis satis liquet, eum esse in eadem cum D. Augustino sententiâ, ac proinde dubitari non posse, quin Sancti quoque iustitiam fieri in purgandos & permittant, & iuxta æquissimum Dei sui, cuius vnius voluntati toti inhærent, ac veluti quodammodò immersi sunt, decretum, omnino fieri exoptent. Imò quia clarè adeò coram Deo, omnia iis reuelante, conspiciunt, non posse hoc illum ex conuenientiâ, ordinis scilicet ac agendorum ratione, vt impunita in animabus Purgatorij relinquat peccata, vrgent potiùs vt acceleretur earum pœna, quatenus citiùs, quò intensiùs punitæ fuerint, ad æternum secum refrigerium & gloriam cælestem peruenire liceat.

Sancti iam glorificati nō impediunt imò promouent Dei iustitiam.

Misericordia sine iustitia iniustitia est.
In Matthæū.

Conc. 1. in Psalmum 58.
Necessarium omnem iniquitatem puniri.

Sancti nonnunquam à Deo iustitiā exigunt.

Apocal. 6.

Psalm. 149.

Part. 1. q. 21. art. 4.

Vrgent vt citò Animæ purgentur.

Et

Et hæc quidem etsi vera sint, tamen etiam verum est, malle eos vt satisfiat mitiori modo ac viâ, diuinæ iustitiæ, pro admissis culpis. Quia enim vident sic Deum esse iustum, vt per homines nihilominùs alios pœnitentiæ satisfactionisque fructus pro defunctorum liberatione acceptare pronus sit, seque iam faciendæ pœnitentiæ & satisfactionis acquirẽdæ tempus esse emensos, solumque horum remediorum occasionem apud viuos adhuc fideles superesse; non absq; ingenti fundamento nos mortales requirunt, atque affectuosissimè obtestantur, vt quod in manu nostrâ situm est, & facillimo hic negotio perfici potest, pro mortuis, in condignam iustitiæ diuinæ satisfactionem, pœnitentialia aliqua exercitia, tantis ipsorum incendiis restinguendis, relaxandisque terribilissimis ipsorum suppliciis, assumamus. Quæ iusta Sanctorum à nobis postulatio vt tantò appareat rationabilior, tantoque æquior, duo adhuc, præter superiora, probãda mihi sumo, primum, non posse Sanctos in cælo pro peccatorum pœnis satisfacere; alterum, id in hominum viuentium esse potestate: ex quo concludetur, quàm meritò Sancti à nobis exigant id quod nos possumus, & quod ipsi nequeunt.

3. *Sancti in cælis non merentur nec satisfaciunt.* Doctorum omnium apud Catholicos constans est assertio, Beatos, qui cum Deo in cælis regnant, neque satisfacere neque mereri quidpiam posse, id verò vtrumque posse mortales in carne degentes. Probemus è S. Thomâ vtramque assertionis partem. Quoad ergo satisfactionem Doctor ille sibimetipsi obiicit hunc in modum: *Orationes totius cælestis curiæ, si aliquid impetrare possunt, efficaciora essent quàm omnia præsentis Ecclesiæ suffragia: sed multiplicatis suffragiis præsentis Ecclesiæ factis pro aliquo in Purgatorio existente, totaliter absolueretur à pœnâ. Cum ergo Sancti qui sunt in patriâ, eadem ratione orent pro illis qui sunt in Purgatorio, sicut & pro nobis; si nobis aliquid impetrant, illos, qui sunt in Purgatorio, totaliter orationes eorum à pœnâ absoluerent, quod falsum est: quia sic suffragia Ecclesiæ facta pro defunctis superflua essent.* Et ad hoc ita respondet: *Dicendum, quòd suffragia Ecclesiæ sunt pro defunctis quasi quadam satisfactiones viuentium vice mortuorum: & secundùm hoc mortuos à pœnâ absoluunt quam non soluerunt: sed Sancti qui sunt in patriâ, non sunt in statu satisfactionis, & ideò non est simile de eorum orationibus & de suffragiis Ecclesiæ.* En clarissimam D. Thomæ de Beatis doctrinam, eos nimirum non esse in statu satisfactionis: secùs verò dicendum de viuentibus, quos in hoc à Beatis distingui asserit, quòd ij in statu satisfactionis existant. Quoad meritum suprà citato loco idem Doctor expressè docuit, Sanctos, qui sunt in patriâ, non esse in statu merendi: & alibi ostendit, ex eo non minui, sed augeri Beatorum felicitatem perfectionemque, quòd mereri ampliùs nequeat. Verba S. Thomæ hæc sunt: *Ei autem quod est in vltimo termino, non conuenit moueri, sed mutatum esse. Vnde charitatis imperfectæ, quæ est viæ, est mereri; charitatis autem perfectæ non est mereri, sed potiùs præmio frui. Sicut & in habitibus acquisitis operatio præcedens habitum est acquisitiua habitus; quæ verò est ex habitu iam acquisito, est operatio iam perfecta cum delectatione. Et similiter actus charitatis perfectæ non habet rationem meriti, sed magis est de perfectione præmij.* Sic ille. Pari modo dici potest quoad satisfactionem Sanctorum, quibus, quia modò ad illum beatitudinis gradum euecti sunt, conuenit vt nihil ampliùs pati aut tolerare possint; & propterea neque satisfacere, eò quòd in patientiâ tolerantiaque satisfactio fundamentum habeat. Rectè igitur Theologi asserunt, Sanctis propriè tribuendum non esse, quasi immediatè & per seipsos, defunctis gratuitam culpæ seu potiùs pœnæ in Purgatorio luendæ remissionem conferant. Vt proinde consequens videatur, neque à Deo id ipsos exposcere. Audiamus pro hac re nonnullas Theologorum aliquot rationes, quas ex Francisco Suarez describere placuit. *Primò quidem, quia vident hoc non esse consentaneum diuinæ iustitiæ, neque interuenire causam aliquam dispensandi, vel vtendi solâ misericordiâ, cùm iam illæ animæ sint in statu, in quo iustitiæ æquitas potiùs, quàm gratia aut misericordia seruanda est. Secundò, quia aliàs preces Sanctorum facilè Purgatorium euacuarent, quia preces Sanctorum efficaciores sunt, & frequentiùs, generaliùs & feruentiùs fiunt.* Hæcq; eadem posteà, vt solidiùs procedat, e D. Thomâ iisdem quæ suprà attulimus verbis confirmat. Ne tamen quis ea forsitan nimis generaliter intelligeret, aut exinde concluderet, Sanctos pro mortuis nullatenus orare (quod tamen verum est, & speciali Capite infrà hoc libro à nobis probabitur) cautelam adhibendam esse censet, obseruandumque in quo Angelicus Doctor distinctionem ponat inter gloriosos & peregrinantes homines quoad defunctorum liberationem. Cùm enim dixisset, *Suffragia Ecclesiæ sunt pro defunctis quadam satisfactiones viuentium vice mortuorum, & secundùm hoc mortuos à pœnâ absoluunt, quam non soluerunt: sed Sancti, qui sunt in patriâ, non sunt in statu satisfaciendi, & ideò non est simile de eorum orationibus & de suffragiis Ecclesiæ;* ita P. Suarez commentatur: *Quibus verbis videtur dissimilitudinem constituere non in hoc, quòd Ecclesia militãs oret pro animabus Purgatorij, & non Ecclesia triumphans; nam potiùs in argumento assumit, Sanctos orare pro animabus, & in solutione id non negat, sed admittit; differentiam verò in hoc ponit, quòd orationes Ecclesiæ militantis sint suffragia quæ per se & immediatè sufficiunt ad remissionem pœnarum: orationes verò Sãctorum huiusmodi non sint. Et ratio differentiæ est, quia orationes Ecclesiæ sunt satisfactoriæ, ideoq; sufficientes ad soluendum pro illis, quod non habent orationes Sanctorum. In quâ ratione & solutione planè videtur D. Thomas supponere, pœnas Purgatorij non remitti, nisi per modum solutionis & satisfactionis, ideoq; orationes Sanctorum per se non efficere immediatè talem remissionem, & consequenter nec ad eam sic obtinendam ordinari aut fundi.*

Sancti propriè mortuos non iuuant.

Tom. 4. disp. 48. de Suffragiis, sect. 5. n. 8.

In 4. dist. 45. art. 3.

Art. 4.

Part. 1. q. 62. a. 9. ad 1.

4. *Similitudo corporis & Ecclesiæ.* Quamuis iam hactenus sufficienter viderimus, satisfactionis munus & officium penes viuos reperiri; ad clariorem tamen eorum quæ sequentur explicationem in memoriam hic reuocari poterunt quæ à S. Paulo Apostolo referuntur ad declarandam membrorum Ecclesiæ dispositionem. *Sicut*, inquit ille, *vnum corpus est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum tamen corpus sunt: ita & Christus. Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in vno spiritu potati sumus.* E quibus Apostoli verbis id in primis patet, ita fideles omnes Ecclesiæ totius respectu eius se habere, velut membra se habent ad idem corpus. Quam similitudinem vt magis illustraret, adiungit: *Nam corpus*

1. Cor. 12.

non est vnum membrum, sed multa. Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore; non ideò non est de corpore. Et si dixerit auris, quoniam non sum oculus, non sum de corpore; non ideò non est de corpore. Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore sicut voluit. Quòd si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus. Non potest oculus dicere manui: Operâ tuâ non indigeo. aut iterùm caput pedibus: Non estis mihi necessarij. Certum igitur ex Apostolo est, ita membra Ecclesiæ inter se ad mutuum adiutorium disposita esse, sicut eiusdem corporis materialis membra inter se naturaliter in mutuum subleuamen ordinata atque connexa sunt. Sed quænam, quæso, in mystico Ecclesiæ corpore distincta sunt membra? Sunt illa in tres classes diuisa: Sanctorum nimirum in cælo regnantium, Peregrinantium in terrâ mortalium, & Purgantium in igne animarum: de quibus singulis quoniam suprà probatum fuit, eos ad Ecclesiam pertinere, modò ostendendum superest, quomodo se mutuò tamquam vnius corporis membra, iuuare possint ac debeant. *Lib. 1. cap. 1.*

5. *Viui defunctis iuuare debent.* Et quidem si de mortalibus quoad animas Purgatorij quæstio oriatur, dubium non est, quin his illi quà possunt, vti diximus, viâ succurrere teneantur. Nam vbi, quæso, locum habebit allata Apostoli comparatio, si non in hominibus adhuc viuentibus, quibus, & non Sanctis, satisfactionis copia suppetit: per quam tamen defunctos à pœnis suis grauissimis liberare necesse est, si ordinario ac consueto eos ordine adiuuare quis velit. Videbitur fortè cuiquam mirum, quòd sanctas illas Purgatorij animas, in gratiâ Dei confirmatas, ac de æternâ salute certissimas, curandas, ac tormentis suis eripiendas dicamus per viuos fideles, de quibus adhuc magnum est dubium, vtrùm aliquando saluandi sint, vtrùm de prædestinatorum numero existant, vtrùm non perpetuò à Deo condemnandi sint. Ita sanè, ita tamen est atq; hoc ipsum ex sequentibus Apostoli verbis euidenter colligitur. *Sed*, inquit ille, *multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt: & quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus.* Licet ergo homines viuentes de statu salutis æternæ adhuc sint dubij & planè incerti, ad hoc tamen ordinati sunt, vt per illos purgandi mortui adiuuentur. Neque miranda est huiusmodi corporis Ecclesiastici quoad diuersorum membrorum officia ordinatio, quia idem Apostolus hinc educit insignem quam adiungit vtilitatem. Nam ait: *Sed Deus temperauit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, vt non sit schisma in corpore, sed idipsum pro inuicem sollicita sint membra. Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Et, idcircò asserit D. Paulus potestatem illam membro vni alterum adiuuandi factam esse, vnumque ab alio tantam habere dependentiam, vt non sit schisma, seu diuisio vel separatio membrorum Ecclesiæ inter se, sed vt pro se inuicem, sicuti loquitur, sollicita sint membra, hoc est, vnus fidelis alteri subuenire ac pro desse quibus potest mediis satagat: ex quâ nimirum sollicitudine, mutuâ curâ ac subuentione insignis partium singularum inter se vnio atq; connexio sequi solet, quæ corporis totius perfectionem profectumq; vel maximè causat. Quin & si misericordiam à superiore tantummodò fieri velimus, iuxta D. Augustinum, qui ait: *Est autem iustum consilium, vt qui se à potentiore adiuuari vult, adiuuet & infirmiorem in quo est ipse potentior. Itaque beati misericordes, quia ipsorum miserebitur Deus.* Dici etiam poterit, in eo viuentes mortuis superiores esse, quòd per satisfactionem illos iuuare queant: quamquam illi his alio respectu etiam superiores sint, vtpote qui confirmati in gratiâ, peccare non possint. Audiamus super eo Angelicum Doctorem S. Thomam Aquinatem, qui cùm sibi obiecisset, quòd proptereà Sancti in patriâ existentes pro nobis non videantur orare, quia pro nobis non orant animæ Purgatorij, quæ etiam, propter impeccabilitatem nobis viuentibus superiores existunt; respondet, *Dicendum, quòd illi qui sunt in Purgatorio, etsi sint superiores nobis propter impeccabilitatem, sunt tamen inferiores quantum ad pœnas quas patiuntur.* Ex quibus omnibus mirabilem colligere possumus diuinæ prouidentiæ dispensationem, quæ ideò infirma mundi elegit, vt sanctioribus, seu in sanctitate amplius cōfirmati membris, animabus dico Purgatorij, possint succurrere, quò tantò inter se arctiùs hæc illis constringeret, his illa obligaret, quatenus sibi mutuò & opus sint, & opem ab inuicem requirant obtineantque. *Ecce*, inquit Psalmœdus, *quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum! Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Quasi dicat: Quemadmodum caput Aaronis, dum in id vnguentum effunditur, idipsum vnguentum diffunditur in barbam, ac cetera membra & vestimenta inferiora (*quod descendit*, enim ait, *in oram vestimenti eius*, id est, vsque ad oram seu vltimam fimbriam vestimenti eius) ita similiter in Ecclesiâ, in quâ bonum iucundumque omnino est habitare, & quæ per vnctionem Aaronis designatur, vnguentum, quod in caput effunditur, paulatim descendit vsq; ad oram vestimenti, siue vltimam partem ac fimbriam eius, id est vsque ad Purgatorij animas, quæ, vti diximus, propter pœnas quas patiuntur, inferiores adhuc respectu viuentium dici possunt.

Lib. 1. de Serm. Domini in monte, c. 3.

Quo sensu viuentes Purgandis sint superiores. 1. 2. q. 83. art. 11. ad 4.

Psalm. 32.

6. *Insignis vnguenti comparatio, vt intelligamus quomodo viui mortuos iuuent.* Explicemus igitur aliquantùm ampliùs hunc conceptum, & insigniter, vti potest, animarum materiæ applicemus. Aaronem inprimis designare Ecclesiam, nemo dubitabit, qui id viderit à Doctoribus multis assertum: quemadmodum & vestimentum dici possunt Sancti, seu potiùs eorum iustificationes, vt testatum inuenimus apud D. Ioannem in Apocalypsi, vbi legitur: *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se. Et datū est illi vt cooperiat se byssino splendēti & candido. Byssinū enim iustificationes sunt Sanctorum.* Vnguentum etiam, quo hæc vestis Ecclesiæ ex capitis destuxit vsque ad vltimam oram perfunditur, misericordia est diuina, quæ in Ecclesiæ caput, hoc est Christum, à Spiritu sancto effusa est. Quoniam, vt legitur, vnxit eum Deus Deus suus oleo lætitiæ. In reliqua Ecclesiæ membra, siue Aaronis vestimenta, cursum habuit, & ad vltimos vsque, animas

Origenes in Homil. super Numeros. Cyrillus in Ioannem. Apocal. 19.

Psalm. 44.

mas scilicet Purgatorij, quæ extra misericordiam constitutæ videbantur, Christianos peruenire consueuit. In quo tamen vnguenti descensu illud obseruandum venit, quòd paulatim à superioribus ad vsque inferiores partes tandem perueniat, non immediatè quidem, sed mediantibus iis quæ viciniores sunt capiti. Optima profectò similitudo, quâ diuinæ gratiæ ac misericordiæ in distincta Ecclesiæ membra defluxus aptè significatur. Nam eodem omnino modo misericordia Dei, quæ à Christo veluti capite in omnes fideles sese dispergit, primùm Beatis, iisque mediantibus mediatoribusque, viuentibus, atque his iterùm intercedentibus, animabus, demùm Purgatorij communicatur. Mediatores propterea hominum Sancti, purgandorum verò, rectè viuentes dicuntur, quandoquidem vnguentum, quod ad defunctos descendit, hominum, vt sufficienter anteà vidimus, satisfactione impendatur. Ob quæ meritò Regius Psaltes: *Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum!* Vnitas enim corporis Ecclesiæ hoc emolumenti adfert, hoc vtilitatis producit, vt vnguentum diuinæ clementiæ vni ab altero membro, velut in corpore humano accidere solet, conferatur. Quid hîc opus est pluribus?

Psal 132.

7. *Ab Angelis similitudo sumitur.*

Non erit extra propositum, si illa hîc rursum adducantur, quæ Lib. I. Cap. I. quoad Angelos ex cælesti illo de cælesti hierarchia Scriptore, S. Dionysium Areopagitam intelligo, citauimus. Docet is, Deum huiusmodi inter Angelos ordinem constituisse, vt suas ipsemet reuelationes, seu, vt ille ait, patefactiones, primùm supremis Angelorum choris communicet, hi verò secundis, secundi tertiis, & sic deinceps vsque ad postremos. Dionysij verba Latinè exposita hæc sunt: *Sed hoc etiam Theologia nos docet, eam* (scilicet Legem) *Angelorum ad nos operâ peruenisse, quasi illud ordo diuinæ legis sanciat, ea quæ secundum locum obtinent, ab iis qui primum, ad diuinitatem erigi atque excitari. Etenim non solùm in summis atque infimis mentibus, sed in iis etiam qui sunt eiusdem ordinis, hæc lex à Deo sancita est, vt in vnaquaque hierarchiâ & primi sint, & medij, & postremi ordines, inferiorumq́ superiores Doctores sint, eisq́ quasi digito viam monstrent, aditumq́ ostendant ad diuinitatem, illustrationem atque consociationem.* Sic D. Dionysius. Ad quem similiter modum Ecclesiasticam hierarchiam dirigi atque gubernari dicere licet, in quâ tres etiam hominum ordines modo quodam reperire est, qui sibi, non minùs quàm spiritus cælestes, illustrationes patefactionesque diuinas vicissim, iuxta ordinem superioritatis ac præeminentiæ ad Dei fruitionem assequendam communicare dici possunt, dum Beati peregrinantibus, peregrinantes purgandis fidelibus opem ferunt atque operam tribuunt. Nec ad eius rei declarationem opus est Angelorum, qui nobis adhuc mortalibus haud adeò cogniti sunt, similitudine, etiã in materialibus Vniuersi istius plurima eaq; notissima sunt exempla, quibus declaremus, superiorum ad inferiores mundi partes, influentias diuitiarumque suarum abundantiam redundare. S. Basilius ait, Deum in magno idem orbe fecisse, quod fecit in paruo, & in paruo quod in magno. Magnum mundum vocat terrarum orbem, paruum ipsam humanam naturam, quam Ethnici etiam Scriptores μικρόκοσμον appellauêre. Quod ergo in magno mundo fieri conspicimus (& inspiciamus modò id) indicium nobis, in paruo mundo seu homine idem fieri, suppeditabit. In Genesi ita scriptum est: *In principio creauit Deus cælum & terram. Terra autem erat inanis & vacua.* Mirari quis hîc meritò posset, cur cælum Deus adeò sole, lunâ atque astris exornârit, terram autem vacuam reliquerit: cur tot cælo diuitias contulerit, terrâ quodammodò sterili atque aridâ relictâ. vt nempe cælum in terram influentias, caloremque ac pluuias dimitteret, vt hæc ab illo terra reciperet, inferius à superiori mutuaret. vt simile in viuentibus fieri respectu mortuorum commonstremus, cælum, eorum intuitu qui sub terrâ in Purgatorio habitant, dici potest Ecclesia militans, quæ vel idcircò omnes satisfactionum thesauros comprehendere non iniquè perhibetur, quòd communicare illos debeat purgandis spiritibus ad caueam terrenam atque infernalem amandatis. Licet ergo terra, seu terrena illa societas, inanis sit & vacua occasionibus satisfaciendi, & pro culpis suis exsoluendi; ditatur tamen & perfunditur cælestibus quodammodò influentiis ab eo cælo, quod secundùm D. Gregorium præsentis temporis Ecclesia dicitur.

Idem deducitur ex rebus visibilibus.

Genes. 1.

Ex sole lunâ & cælestibus.

In Mattheũ.

8. *A mari similiter datur exemplum.*

Alterum ex eodẽ libro & capite accedat exemplum. Quænam, quæso, fuit ratio, quòd Deus dixerit: *Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt, & appareat arida?* Quid hîc rursum mysterij? cur tot in vnum locum congestæ sunt aquæ? cur aquis omnibus, succoque suo ac vigore terra exhausta est? Certè non aliâ, quàm priùs, ratione; vt nimirum mare per varias terræ venas eò dulciores, quò remotiores, fõtes ac riuulos deriuaret. An non perinde fit in purgandorum spirituum materiâ? Imò sanè. Congregatæ sunt in Ecclesiæ militantis fundum aquæ istæ satisfactionum, quibus per diuersas operum pœnitentialium venas terra arida ac tenebrarum Purgatorij, ad incendij sui extinctionem fontes fluuiosque recipiat. Quæ si ad superiorem de cælo comparationem conferantur, non minùs quàm illa sunt conformia. Nam quemadmodum idcircò præsens Ecclesia rectè cælum dicitur, quòd ex eâ sole lucis æternæ illustrentur Purgatorij animæ, quodq; in nocte bonorum operum seu operationum satisfactionis sedentes, cælestes illius illustrationes atq; influentias adipiscantur; ita fluuij quasi consolationum in mortuos per viuentium actus non secùs ac per terræ meatus trãsmittuntur, dum pro defunctorum culpis satisfaciẽtes, eorum maculas eluunt, sitim, quâ pro visione beatificâ obtinendâ premuntur, sedant, ipsasque tantorum incendiorum, quibus animæ exuruntur, flammas penitus obruunt sopiuntque. Clara sunt hæc, nec ampliori indigent explanatione: sufficiet ergo vnam etiam ex D. Ioanne Chrysostomo in rem præsentem attulisse similitudinem. Est ea de stomacho, quæ viuẽtibus fidelibus intuitu mortuorum accommodari potest. Nam sicuti stomachus, licet in se quidem cibum priùs recipiat, id tamen non facit vt sibi soli retineat, sed vt ad alia quoque membra in eorumdem alimenta transmittat: ita quoque viuens fidelis solus quidem est inter Ecclesiæ membra, qui in se recipere debeat & possit satisfactionis alimentum; sed non sibi soli id recipit, cùm inde animabus

Similitudo quoque stomachi.

Purgatorij, velut alter quidam stomachus, transmittere teneatur.

9. Hoc vt breuiùs ostendere possimus, audiamus D. Ioannis Chrysostomi verba, qui hunc in modum loquitur: *Stomachus si cibum solus continuerit, reliquum corpus fame corrumpet, & seipsum suâ inexplebili improbitate perdet: si autem acceperit quantum pro suâ portione satis, & reliquum aliis membris transmiserit, & seipsum & reliquum corpus in bonâ valetudine conseruat.* Quibus è verbis duo, quæ mirè ad propositum faciunt, eliciuntur. Primum, stomachum ordinatum esse, vt sibi ac aliis etiam corporis sui membris alimentum communicet. Alterum, si hoc membris aliis officium non præstet, se quoque ipsum perdere atque destruere. Vtrumque hoc iam præsenti tractatui applicemus. Quantum ad prius, certum in primis est, id fieri in nobis viuentibus, qui instar stomachi sumus respectu animarum Purgatorij: nam ad illas necessarium est, vt spiritualiter sustententur, & ad gloriæ diuinæ alimentum participandum pertingant, satisfactionis cibos transmittamus. Id si fecerimus, satiabimus eas atque saturabimus eo victu, de quo locutus est Dauid: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* quod magnum profectò & mortuis beneficium, & viuis priuilegium est; super quo non minùs, imò ampliùs, quàm de pauperum viuentium pastu exclamare possumus cum D. Leone, qui, *O mira,* inquit, *prouidentia & bonitas Creatoris, vt vno facto duobus esset succursum! Pauperibus posset Deus eas, quas vobis contulit, tribuere facultates, nisi pro ineffabili misericordiâ suâ & illos instruere vellet de patientiâ laboris, & hos de opere charitatis.* Ecce quàm insigniter hæc quadrant quam tractamus materiæ, in quâ & viuens ex operibus satisfactoriis patientiâ laboris instruitur, & mortuus per viuentem opere charitatis. Quin & æquè verum est, languere tunc & quodammodò se perdere stomachum illum hominem viuum, cùm alimentum huiusmodi satisfactionis commembris suis, id est defunctis, non communicat, quia seipsum gratiâ sanitatis & salutis tum haud dubiè priuat, cùm hac in parte obligationi suæ nequaquam satisfacit. Docebimus hoc nunc ex triplici hominum genere, in quibus statim videri poterit, magnam atque strictam obligationem esse, vt mortui iuuentur.

Deus est vt stomachus pro mortuis. Homil. de Curâ solicitis proximi.

Psalm. 16.

Serm. 3. de Collectis.

10. Quod priùs quàm fiat, rem præclarâ Scripturâ velut face illustriorem reddemus. Sanctorum *a* Ambrosij, *b* Hieronymi, & *c* Augustini est doctrina, Ecclesiam Catholicam rectè paradiso comparari, in quo nimirum sit omne lignum à Deo plantatum, quod fructum suum facere debeat, fructum, inquam, iuxta genus suum. Istud si in mysticum mihi sensum conuertere liceat, dicam, in Ecclesiâ Catholicâ plantatum fuisse omne lignum pulchrum visu, & suaue ad vescendum: lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum; cùm in eâ scilicet destinati sunt mortales, vt pœnitentiæ ac mortificationis actus elicerent, meritorumque ac satisfactionum fructus procrearent. Qui reuerà fructus sunt iuxta genus suum: quoniam, vt superiùs apertè monstratum est, proprium iis est, & solis eis competit, veniam delictorum, ac solutionem pœnarum per opera mortificatoria pœnitentialiaque promereri. At si arbores illæ fructus hosce non producant, quid futurum existimamus? Certè non aliud, quàm quod à S. Ioanne Christi Præcursore prædictum fuit: *Iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Non aliud quàm quod ab ipso Saluatore factum in Euangelio, vbi ideò ficus à radicibus vsque arefacta esse scribitur, quòd Christus ei maledixisset, eò quòd fructum, quem ille in eâ quærebat, non haberet. Non denique aliud, quàm quod idem Saluator in extremo iudicio dicturus est misericordiæ fructum negligentibus, *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius.* Sed quare in ignem æternum? Quia *omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Sed cur non fecit fructum bonum? Quia *esuriui, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi bibere,* &c. Quid opus est pluribus? Aliàs hæc prolixiùs de fructibus applicandis animabus Purgatorij explicabimus; nunc autem videamus, quomodo homines omnes & singuli obligati sint mortuis. Vtque clariùs & distinctiùs, solidiùs & succinctiùs in eodem negotio procedamus, ad tres classes totius rei substantiam, vt suprà diximus, reducemus. Fiet id facilè, si primùm de parentibus, deinde de benefactoribus, denique de fidelibus in genere locuti fuerimus.

Ecclesia similis Paradiso. *a* Epist. 2. ad Sabinum. *b* Super Isaiæ 51. *c* In Genesim.

Matth. 3.

Marci 11.

Matth. 25.

Matth. 7.

11. A parentibus itaque vt initium faciamus, eximius quidam temporis huius Ecclesiastes audiri poterit, qui dum, ad auditorum suorum animos efficaciùs excitandos, Prophetarum, Apostolorum, ipsiusmetque Christi Saluatoris nostri exemplo, solitus esset res suas parabolis quibusdam explanare, de Purgatorij animabus, seu potiùs de viuorum erga illas obligatione, sequens stratagema excogitauit. *Est,* inquit, *hac in communitate filius, qui à parente multis sumptibus enutritus, ad insignem tandem euectus fuit dignitatem. Sed quid? Parens, vt filium hunc in studiis aleret, atque ad eundem statum educaret, non modò omnia quæ habuit media insumpsit, verùm & debita quamplurima, eaque satis magna, contraxit; &, quod omnino dolendum, tanta debita congessit, vt posteà soluendo non esset, citatusque à creditoribus, & à Iudice carceri mancipatus, in vincula sit coniectus: quin miser, interpellato sæpiùs filio (qui mediis vsquequaque modò abundat) indignè sanè passus est repulsam; & hanc perpessus ab eodem calumniam, debuisse patrem sibi prouidisse, & ne debita, quàm soluendo foret, maiora contraheret, tempori præuidisse.* O indignum responsum! ô filium indignissimum! ô infelicem & infelicissimum parentem! Haud fuisset filius ille talis qualis erat, nisi pater ista debita contraxisset. Non credebat genitor talem se filium genuisse, qui ad maximas à se euectus opes, minuta quædam debita pro eo soluere detrectaret.

Parentes nostri à nobis maximoperè sunt iuuandi. R. P. Bernardus Baubusius è Soc. IESV.

12. Quid iudicatis qui hæc auditis? An non putatis lapidibus obruendum esse talem filium, quemadmodum diuina lex sanxit? An dubitatis à Christo condemnandum, & meritò condemnatum esse, prout nouâ in Lege videre est? Ita reuerà, ita est, reus est mortis istiusmodi filius, reus æternæ damnationis. Sed attendite, Lectores; peiora nos facimus: in nosmetipsos sententiam modò allatam diximus. An non enim parentes nostri, dum viuerent, plurima & ingentia debita nostri causâ contraxerunt; peccata inquam

Deuteron. 21. *Filius qui parentes suos nō iuuat, morte dignus est.* Matth. 15. Marc. 7.

Parentes nostri quanta nobis beneficia conferãt.

quam venialia, & mortalia fortasse non pauca, pro quibus necdum, dum moretentur, satisfecerant, commiserunt? Non expenderunt tantummodò omnia sua media ac facultates quas habuerunt, vt nos filios suos enutrirent, & ad eam in quâ modò sumus conditionem perducerent, sed plurimas insuper admiserunt imperfectiones & negligentias, culpasque non exiguas, pro quibus quia ante obitum suum non satisfecerunt, ab æterno iustissimoque Iudice carceri mancipati sunt purgatorio, in quo non duris solùm innexi vinculis patienter sustinent donec ad vltimum vsque quadrantem debitum soluant, sed terribilibus quoque atque intolerabilibus exercentur suppliciis, & diris intereà excoquuntur incendiis: quapropter eorum quisque continuis ad nos suspiriis, ingentibus desideriis, ac ardentissimis votis hasce voces emittit: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei*, vos filij mei, *quia manus Domini tetigit me.* Manus Domini percussit me: sagitta potentis confodit me: &, eheu! seriùs nunc & seriò experior, quia *sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis.*

Iob. 19.

Psal. 119.

13. Sed quid illis à nobis datur responsi? quid auxilij? quid consilij? Vel planè nihil, vel certè parū. Liceret eis meritò nunc dicere, quod Iob in maximam adductus calamitatem inclamabat: *Fratres meos longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerant, obliti sunt mei.* Imò cum defunctis parentibus plerumque ita agimus, vt licet non verbo, facto tamen dicamus nos cum illis nihil habere commune; ad nos, vtrùm crucientur, parum spectare; nihil nos id afficere, si ipsi puniantur; sibi, dum viuerent, prouidere debuisse; & alia huiusmodi, quæ & planè crudelia sunt, & non homini tantùm Christiano, sed & Ethnico & barbaro omnino homini prorsus indigna. Vnde non alia nobis sic ingratis atque inhumanis sententia expectanda est, quàm anteà, nostri ipsimet Iudices, attulimus, nimirum nos hic, dum viuimus, lapidibus dignos esse quibus obruamur; & computandos nos esse cum Scribis & Pharisæis, quorum error erat, parentibus nihil amplius à filiis conferendum esse quàm quod ab illis acceperant, prout Christus docuit. vnde diuinum illud fulmē capitibus nostris imminet, quod idem Saluator strinxit: *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* In quo & nos magis rei videmur quàm ipsi Pharisæi: nam illi saltem prodesse volebant parentibus munus quod ab illis prouenerat; nostrûm verò plurimi nec illa quidem maioribus refundere volumus media, quæ ab ipsis proueniunt, imò nec eos in his agnoscere, aut partem aliquam eis communicare.

Iob. 19.

Filiorum in parentes defunctos ingrata seuitia.

Pharisæorum & scribarū error.

Matth. 15. Marc. 7. Matth. 5.

14. Videndum ergo iā est quid de hac obligatione sancti Patres senserint: è quibus, vt generatim loquamur, audiendus primū est Doctor Angelicus; qui disputans, cui in necessitate potiùs subuenire teneamur, duos modos assignat, è quibus cuiuslibet obligatio colligi possit. Et primum quidem ponit à parte eorum quibus quid debetur; *vtputa*, inquit, *si aliquis habet pecuniam, aut rem aliam alterius, vel furto sublatam, vel mutuo acceptam, siue depositam, vel alio aliquo simili modo: & quantum ad hoc debet homo priùs reddere debitum quàm ex eo benefacere coniunctis*, &c. *aliud autem est debitum, quod computatur in bonis eius qui debet, & non eius cui debetur; puta si non debeamus ex necessitate, sed ex morali aliquâ æquitate, vt contingit in beneficiis gratis susceptis.* Nullius autem benefactoris beneficium est tantum sicut parentum, & ideò parentes in recompensandis beneficiis sunt omnibus aliis præferendi. Item anteà statim à conclusione, *Respondeo*, inquit; *dicendum, quòd gratia & virtus imitantur naturæ ordinem qui ex diuinâ sapientiâ est institutus. Est autem talis ordo naturæ, vt vnumquodque agens naturale per prius magis diffundat suam actionem ad ea quæ sunt sibi magis propinqua: sicut ignis magis calefacit rem sibi magis propinquam; & similiter Deus in substantias sibi propinquiores per prius & copiosius dona suæ bonitatis diffundit, vt patet per Dionysium cap. 7. Cælestis Hierarchiæ. Exhibitio autem beneficiorum est quædam actio charitatis in alios, & ideò oportet quòd ad magis propinquos simus magis benefici: sed propinquitas vnius hominis ad alium potest attendi secundùm diuersa, in quibus sibi inuicem homines communicant, vt consanguinei naturali communicatione, ciues in ciuili, fideles in spirituali, & sic de aliis. Et secundùm diuersas coniunctiones sunt diuersimodè diuersa beneficia dispensanda: nam vnicuique est magis exhibendum beneficium pertinens ad illam rem secundùm quam est magis coniunctus, simpliciter loquendo.* Ita ad verbum S. Thomas.

S. Thomas Aquinas 2. 2. q. 31. art. 3.

Duplex obligationis genus.

Natura propinquiori benefacere docet.

Propinquitas variis è rebus æstimatur.

15. E quibus quidem ostenditur, quanta sit liberorum adhuc viuentium erga iam defunctos parentes obligatio, vt eos videlicet extremæ necessitati atque atrocissimis cruciamentis, vti facilè possunt, eripiant. Ad quod variis se titulis & rationibus adstrictos esse scire debent: nā in primis hoc naturæ ratio, sicut ostēsum est, dictat, maximè cùm ista quoq; fuerit Ethnicorū assertio, neq; diis immortalibus, neq; parentibus aut magistris vllo vnquam vel tēpore vel gratitudinis modo satisfieri posse. Cui lex ciuilis quoque subscribit: nam cùm Purgatorij animæ omnes ciues sint sanctæ Ecclesiæ, quæ ex triumphantibus & militantibus constat, vt satis è D. Augustino suprà constitit, infertur, vltra naturalem eamque arctissimam obligationem, vinculum prætereà ciuile reperiri, quo filij tenentur suis in igne Purgatorio ardentibus progenitoribus, tanquam vnius eiusdemque Ecclesiæ aut communitatis conciuibus subuenire. Quod posterius membrū quia non parentes modò ac cōsanguineos carnis attinet, sed etiam quoscumque Christianos, quibus spiritualiter quilibet fidelis arctissimè est coniunctus, infrà commodiùs pertractabimus, vt & alia quæ pro re præsenti ex Diuo Thomâ huc adducere possemus, quale est illud quod habet quæstione proximè citatam sequente, eleemosynam esse sub præcepto, &, eleemosynas spirituales potiores esse corporalibus, & similia, quæ Libro III. loco suo genuino, referemus: pergendum modò nobis est ad alios Patres, qui non tantùm in genere de prolium ergà parentes obligatione locuti sunt, sed in particulari ostenderunt, quàm arctè eædem sint obstrictæ post mortem animas illorum debitis pietatis officiis prosequi.

Liberi parentibus suis è lege naturæ succurrere tenentur.

Lib. 1. cap. 1.

2. 2. q. 32. a. 5. art. 4.

16. Prodeat ergo primò loco sanctus Ioannes Chrysostomus, qui in D. Pauli ad Philippenses & Galatas Epistolas commentaria scribens, ab Ethnicorum consuetudine hunc in modum argumentatur: *Cùm Gentiles simul cum iis qui mortem obierunt*

Post obitum parentum, liberos pietatis [illegible] Purgatorij

tormentis eripiantur, operari debent.

obierunt bona sua comburant, quantò tandem æquius est, te, qui fide præditus es, operam dare, vt eius qui fide præditus erat bona eum prosequantur; non vt ea in cinerem, velut illa, delabantur, sed vt maiorem ipsi gloriam concilies, ac, si peccator erat is qui fatis concessit, eius peccata deleas; si autem probus ac iustus, ea illi mercedis ac remunerationis cumulum augeant. Et rursus: *Excogitemus quemadmodum de iis qui obierunt benè mereamur; auxilium, quod nobis in promptu est, illis offeramus,* &c. Sanctus verò Augustinus, *Existimemus,* inquit, *ad mortuos, pro quibus curam gerimus, peruenire, quod pro eis siue altaris, siue orationum, siue eleemosynarum Sacrificiis solenniter supplicamus.* Et infrà: *Diligentiùs tamen facit hæc quisque pro necessariis suis, quod pro illo fiat similiter à suis.* E quibus non solùm patet, Christianis curam incumbere, vt defunctos studeant adiuuare, cùm & ipse S. Augustinus librum illum inscripserit de curâ pro mortuis, sed etiam diligentiùs eam à necessariis cuiusque defuncti adimplendam esse, vtpote ad quam ex iustitiâ quadam obligati sint, vti omnes ex charitate tenentur, prout posteà manifestum erit.

Homil. 3. ad Philipp.

August. lib. de Curâ pro mortuis, cap. 18.

17. *Coniux quæ defuncti coniugis curam non habet eum repudiare censetur.*

Antiquissimus ille Scriptor Tertullianus ita hanc propinquorum obligationem exaggerat, vt etiam repudiasse asserat coniugem suum quæ anniuersarium eius celebrare neglexerit. Verba eius hæc sunt: *Pro animâ eius* (coniugis nimirum defuncti) *oret, & refrigerium interim adstipuletur ei, & in primâ resurrectione consortium, & offerat annuis dormitionis eius: nam nisi hæc fecerit, verè repudiauit quantum in ipsâ est.* Vtque nemo seipsum decipiat, credens inultum fore illum, qui parentum suorum animas neglexerit, D. Ioannes Damascenus affirmat, crassissimum illorū esse errorem, qui putant, in extremo iudicio non agnoscendos esse vniuscuiusque propinquos. quinimmò ait nos ab eis accusandos, si illorum animas adiuuare, atque è Purgatorij tormentis eripere neglexerimus. *Nos enim,* inquit, *pro virili nostrâ prouideamus, ne in horrendo illo & extimescendo die, hoc est in secundo Iudicis aduentu, à propinquis necessariisq; nostris eo nomine accusemur, quòd eorum saluti consulere neglexerimus; iisq; præsertim, quibus id ab illis mandatum fuit, velutq; fidei nostræ commissum: neque enim hoc quisquam existimet, nos in formidabili illo cœtu ignotos inter nos fore; nam profectò proximum suum quisq; agnoscet, non quidē ex corporis figurâ, sed perspicaci animæ oculo.* Quibus Auctoribus Christianis Ethnici etiam Scriptores addi possent, qui pluribus asseruerunt, filios omnes atque cognatos suis post mortem parentibus obligatissimos permanere. Sed vel vnus solùm apud eos loquendi modus satis explicabit, quæ quoad hæc ipsorum mens, & communis omnium fuerit calculus, dum videlicet mortuorum suorum officia *iusta* appellare soliti essent. Cur enim dixerunt illa *iusta*? cur, inquam, hæc iusta mortuis soluenda esse affirmabant? nisi vt hoc ipso declararent, sese vel naturali instinctu edoctos, debitum esse, atque adeò ex iustitiâ quadam debitum funeris officium quod parentibus aliisque mortuis exhibetur.

Lib. de Monochamia, vltra med.

Orat. pro defunctis. *In alterâ vitâ nos inuicé agnoscemus.*

Quomodo in cælo inuicem agnoscemus.

18. *Pro benefactoribus nostris orare tenemur, vt citiùs è Purgatorio liberentur.*

Neque solùm parentibus ceterisque propinquis, à quibus bona multa, dum viuerent, recepimus, vt post obitum suum eos charitate prosequamur, sumus obstricti, verùm etiam omnibus, quorum liberalitate ac fauore aliquod nobis beneficium obuenit: & eò maior erga illos est obligatio nostra, quò maius est munus & donum quod accepimus; vt proptereà Religiosi, Bursarij, Cappellani, imò & ipsi Canonici sæculares, pro redituum, fructuum, distributionum, aliorumque similium emolumentorum, quibus perfruuntur, fundatoribus mortuis orare, atque alia pietatis exercitia præstare teneantur. Vnde nec immeritò inter alia sanctæ Matris nostræ Ecclesiæ documenta, in Oecumenico Tridentino Concilio hoc de Purgatorio decretum est sancitum: *Curent Episcopi, vt fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, orationes, eleemosynæ, aliaq; pietatis opera quæ à fidelibus fieri consueuerunt secundùm Ecclesiæ instituta, piè & deuotè fiant, & quæ pro illis ex testamentorum fundationibus vel aliâ ratione debentur, non perfunctoriè, sed à Sacerdotibus, & Ecclesiæ ministris, & aliis qui hoc præstare tenentur, diligenter & accuratè persoluantur.* Sed & rigidiùs in hoc genere locutus est Vener. Dionysius Carthusianus, qui alibi hæc habet: *Certū est, quòd hi qui de viuorū aut defunctorū eleemosynis viuunt, videlicet Prælati, Sacerdotes, Canonici, Religiosi, ac ceteri, specialissimè obligētur per orationes, celebrationes, seu actus consimiles succurrere illis, quorū sustentantur stipēdiis. Fr. Graue est ergo de talibus suscitari, nisi legitima fiat subuentio. Dion. Planè sic est: imò iuxta SS. Patrum doctrinam furtum, rapina, ac sacrilegium perhibetur.* Quod vtinam omnium illorum cordibus, ad quos spectat, insculptum foret! credo, nō tam diu illorum benefactores purgatorio carcere atque igne detinerētur, vt nunc sæpè solent, quandoquidem inter Ecclesiasticos vix est vllus, qui non alicuius mortui emolumento gaudeat, & tamen satis pauci sunt, qui huius suæ obligationis vel sunt memores, vel ei pro rei exigentiâ satisfaciunt.

Sess. 25.

In Colloq. de Iudicio animarum.

Firmum denique & fixum permaneat, vniuersos Christi fideles animabus è Purgatorio liberandis operam impendere debere: pro quo audiatur sanctissimus Apostolorum Princeps D. Paulus. *Alter alterius,* inquit, *onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Vbi nota, sic adimplebitis legem Christi, quia is apud S. Lucam ita locutus est: *Date, & dabitur vobis: mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Quid clarius? non solùm vt videamus, liberalibus abundantem promissam esse remunerationem, sed etiam, vt misericordiam negligentibus, atque adeò Christi mādatum velut contemnentibus, eamdem vindictæ mensuram ac pœnam imminere cognoscamus: quia nimirum paulò superiùs eodemmet S. Lucæ capite doctrinam hanc Christus tradidit: *Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* quod mirum non est, quandoquidem alterum è binis Saluatoris nostri mandatis est, vt proximum suum vnusquisque diligat sicut seipsum. Quod Saluatoris mandatum ne quis leue crederet, illud adiecit, *In his duobus mandatis vniuersa Lex pendet, & Prophetæ.* Magnum ergo habendum est hoc Christi præceptum, & omnino ab omnibus obseruandum est, *Diliges proximum tuū sicut teipsum.* Quod idcircò minùs mirū, quia etiā Sapiens scripsit: *Et mandauit* (Deus) *illis vnicuique de proximo suo.* Quod adeò strictè seruādum censuit, vt eodem in libro promulgauerit, non ex-

19. *Generaliter item pro quibuscumque defunctis Catholicis est orandum.*

Galat. 6.

Lucæ 6.

Eccli. 17.

expectandam esse peccatorum remissionem ei, qui in hominem eiusdem secum naturæ consortem misericordiam non exercuerit. *In hominem*, inquit, *similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur?* q. d. Ausúsne est à delictis veniam petere, qui alteri homini misericordiâ indigenti illam non præstiterit? Non itaque est quòd à Deo quis peccatorum suorum remissionem sibi polliceatur, qui proximi necessitati succurrere recusauerit. Sanctorum vox erat: *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ipse animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Item: *Super omnia autem mutuam in vobis charitatem habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Item: *Quid proderit, fratres, si quis fidem dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides saluare eum. Si enim frater & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis, Ite in pace, calefacimini; non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?* Cuius Apostoli mentem vt meliùs percipiamus, obseruanda sunt eius verba quæ proximè præmiserat. dixerat enim: *Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Iudicium enim sine misericordiâ illi qui non fecit misericordiam.* Quid hoc est, sic facite, *sicut per legem libertatis incipientes iudicari?* nisi quòd, tametsi lex quæ de misericordiâ in proximos exercendâ lata est, lex libertatis dici etiam possit, quòd in nostrâ potestate sita sit, & quodammodò eius exercitium nobis quoad occasiones sit liberum relictum, tamen à nobis in illius obseruatione ita procedendum, quasi per illam *iudicari incipientes*, hoc est, non secùs eam adimplentes, quàm si rigorosè & ex iustitiâ ad illam obligaremur. quia, vt sequitur, *iudicium sine misericordiâ illi qui non fecit misericordiam.* prout è contrario adiunctum est, *Superexaltat autem misericordia iudicium.* quia nimirum misericordiæ, & alia, etiam supererogationis, vt Doctores vocant, opera, licet libera dicantur, & reuerà sint respectu particularium occurrentiarum; talia tamē sunt, à quorum exercitio veluti dependeat misericordia Dei, vt nobis communicetur. Si namque negligens quis in eis fuerit, iudicium illi fiet sine misericordiâ, sin verò diligens, superexaltabit misericordia iudicium, hoc est, nostra in proximos misericordia seueram alioquin Dei iustitiam nonnihil placabit, vt quæ iam delictorum nostrorum erat futura vindex. Quod ita omnino fieri, frequenter à nobis expositum est; & ita fieri debere, ipsa fides & ratio dictant. Dictum id est tum aliàs, tum Libri I. Cap. III. vbi in misericordiæ commendationem ex Doctoribus SS. & Christi Domini verbis asseruimus, saluandorum beatitudinem diligentiæ in operibus misericordiæ, impiorum verò damnationem eorumdem negligentiæ esse adscribendam. Sed numquid misericordiam promeretur, qui illam aliis exhibuit? numquid eâ indignus est, qui & aliis eamdem pernegauit? ait Sapiens: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudiet.* Item: *Qui dat pauperi, non indigebit; qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.* Item: *Propter mandatum assume pauperem, & propter inopiam eius ne dimittas eum vacuum. Perde pecuniam propter fratrem tuum, & ne abscondas illam sub lapide in perditionem.* Quid amplius? Quemadmodum ergo misericordia superexaltat iudicium, ita & sine misericordiâ meritò fit iudicium illi qui non fecit misericordiam. *Pereat*, inclamat Propheta, *memoria eorum de terrâ, eò quòd non est recordatus facere misericordiam.* In memoriam, quæso, reuocentur, quæ posteriore Libri primi Capite de misericordiâ diximus, & facilè apparebit, ob neglectam solùm misericordiam, æternaliter quandoque homines condemnari. Sed ad animas, quibus, vt Lib. I. Cap. IV. docuimus, potissimus clementiæ actus exhibetur & debetur, conuertamus sermonem. Tradidit S. Augustinus, non esse omittendas supplicationes illas quæ in mortuorum adiutorium fiunt. Alij tradunt alia. Singulorum dicta expendamus.

Eccli. 28.
1. Ioan. 3.
1. Petr 4.
Iacob. 2.
Quomodo lex misericordiæ libera sit, & obliget.
Prouer. 21.
Ibid. 28.
Eccli. 29.
Psal. 108.

20. S. Augustinus ita scripsit: *Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christianâ ac Catholicâ societate defunctis, etiam tacitis nominibus, quorumq; sub generali Commemoratione suscepit Ecclesia: vt quibus ad ista desunt parentes aut filij, aut quicumque cognati vel amici, ab vnâ eis exhibeatur piâ matre communi.* Et posteà: *Quia non discernimus qui sint* (quibus nempe prosunt viuorum orationes) *oportet ea pro regeneratis omnibus facere, vt nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possunt & debent peruenire: melius enim supererunt ista eis quibus nec obsunt nec prosunt, quàm eis deerunt quibus prosunt.* Vnde non immeritò variis olim in Conciliis constitutum est, vt non pro domesticis tantùm, sed etiam pro peregrinis & aduenis; non pro iustis solùm ac probis, sed etiam pro peccatoribus ac pœnitentibus officia fierent mortuorum. Exemplum habemus in Carthaginensi IV. cui & ipse S. Augustinus interfuit, vbi ita legitur: *Pœnitentes qui attentè leges pœnitētiæ exequūtur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, vbi eis subueniri non possit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.* In quo eodem Concilio quoque sancitum est, vt *qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate reddunt, tamquam egentium necatores excommunicentur.* Et hoc quidem iustissimè, cùm etiam in sexto Italiæ Concilio, quod sub Symmacho Pontifice fuit celebratum, *sacrilegium* esse dicatur, *fraudare animas defunctorum orationibus.* Ex quibus omnibus satis constat, quibuslibet Christi fidelibus incumbere obligationem mortuos adiuuandi.

De curâ pro mort. cap. 4.
Omitti defunctorum suffragia nō debent.
Cap. 18.
Conc. Carthag. IV. Can 79.
Can. 95.
Qui defunctis oblationes denegāt, excommunicantur.
Sacrilegium est, mortuis preces subtrahere.

Et licet pluribus opus non sit, haud inutiliter tamen annecti poterit breuis ille catalogus eorum quos in suâ mortuorum commemoratione Sacerdos sub Missæ Sacrificio conuenienter recensere solet, qui nimirum tum alibi sæpiùs, tum etiam Romę anno 1617. apud Iacobum Mascardum Superiorum permissu impressus est, quemque verbotenus hic repeto, vt cuilibet notum fiat defunctorum compendium, pro quibus potissimùm orare oporteat: *Memento mortuorum, 1. animarum parentum, fratrum, sororum, consanguineorum & amicorum meorum: 2. animarum quæ occasione mei purgantur in Purgatorio: 3. animarum omnium benefactorum meorum in spiritualibus & temporalibus: 4. animarum omnium Sacerdotum & ministrorum Ecclesiæ Dei Catholicæ: 5. animarum omnium mihi commissorum in genere & in specie: 6. animarum quarum non est specialis memoria: 7. animarum improuisâ morte corporibus exutarum; 8. animarum existentium in Purgatorio*

Catalogus eorum, quorum commemorationem Sacerdos ad altare facere tenetur.

rio, & omnium pro quibus vis & scis me orare debere.

CAPVT II.

Non quæ mundus effert, sed quæ Deus designauit, defunctis prosunt remedia.

1.

Luc. 18.

Error est, nolle credere nisi quod videas.

MAgnâ sanè de causâ diuina Sapientia conquesta est: *Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?* Plurimorum etenim animos pestifer hic error inuasit, vt nisi corporalibus oculis rem videant, omnino non credant; vel si malint impij esse, non dici, verbis quidem fateantur, operibus autem negent. vnde non tantùm accidit miserabilis illa quotidianaque tot animarum in omnem æternitatem damnatio, sed & amicorum etiam Dei, qui facillimo viuentium negotio durissimis Purgatorij flammis eripi possent & deberent, grauis adeò prolixaque tortura. Quarum profectò miseriarum nulla alia est origo, nisi quòd viuentes mortuorum tormenta, quia ea corporeis oculis nō aspiciunt, velut figmenta concipiant; vel si vera esse credant, non aliis eos remediis iuuari existiment, quàm quæ caro sensibiliter cognoscit, & mundus, ob vanum sæculi plausum, solet extollere. Et in his ergo ignorantia detinetur humana: nam S. Gregorius Magnus ad Bonifacium Archiepiscopum scribit: *Curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt viuorum solatia, quàm subsidia mortuorum.* D. item Augustinus, *Pompa*, inquit, *funebris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, viuorum sunt qualiacumque solatia, non adiutoria mortuorum.* Vt proinde mirum non sit, eumdem S. Augustinum Christianos admonere, ne nimiùm pro honorificâ post mortem sepulturâ sint solliciti. Verba eius hæc sunt: *Multa itaque corpora Christianorum terra non texit, sed nullum eorum quisquam à cælo & terrâ separauit, quam totam implet præsentiâ sui, qui nouit vnde resuscitet quod creauit. Dicitur quidem in Psalmo, Posuerunt mortalia seruorum tuorum escam volatilibus cæli, carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ: effuderunt sanguinem eorum sicut aquam in circuitu Ierusalem, & non erat qui sepeliret; sed magis ad exaggerandam crudelitatem qui ista fecerunt, non ad eorum infelicitatem qui ista perpessi sunt. Quamuis enim hæc in conspectu hominum dura & dira videantur, sed pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Proinde omnia ista, id est curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt viuorum solatia, quàm subsidia mortuorum. Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis aut nulla. Præclaras exequias in conspectu hominum exhibuit purpurato illi Diuiti turba famulorum, sed multò clariores in conspectu Domini vlceroso illi Pauperi ministerium præbuit Angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ gremium sustulerunt. Rident hæc illi, cōtra quos defendendam suscepimus ciuitatem Dei; verumtamen sepulturæ curam etiam eorum Philosophi contempserunt: & sæpè vniuersi exercitus, dum pro terrenâ patriâ morerentur, vbi posteà iacerent, vel quibus bestiis esca fierent non curarunt; licuitq; de hac re Poëtis plausibiliter dicere:*

Pompa funebris defunctos nil iuuat, sed viuorum tantū aliquale est solatium.

S. Gregorius ad S. Bonifacium Archiepiscopū. August. Ser. 22. de verbis Apostoli. Idem l. 1. de Ciuit. Dei, c. 12.

Bonis, sepulturâ carere, non nocet.

Psal. 78.

Psal. 115.

Quemadmodum sepulturâ carere piis non obest, ita magnifica sepultura nō prodest impiis.

Cælo tegitur, qui non habet vrnam.

Hæc ex S. Augustino transscripsimus non tantùm vt videamus nihil morientium animabus obesse si non sepeliantur eorum corpora, sed contemnendam quoque hinc probare volumus istorum consuetudinem, qui corporalem sepeliendi pompam sumptuosè atque exquisitè adeò peragunt, quasi ex illâ mortuorum solatia dependerent. Sed errant illi, procul inquam aberrant: obest enim non rarò potiùs quàm mortuis prosit huiusmodi exequiarum splendor, mundana hæc & superba sæcularium pompa. Aliter iudicarunt, atque corporibus suis tumulandis Sancti fieri voluerunt, quod ex eodem similiter S. Augustino satis patuit, cùm is S. Monicam matrem suam ideò ampliùs diuinâ clementiâ dignam ostendit, quòd non curasset honorificam corporis sui sepulturâ. Loquitur verò hunc in modum S. Augustinus: *Credo iam feceris quod te rogo; sed voluntaria oris mei beneplacita fac Domine. Namque illa, imminente die resolutionis suæ, non cogitauit corpus suum sumptuosè contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit sepulchrum patrium: non ista mandauit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare fieri desiderauit, cui nulliusdiei prætermissione seruierat, vnde sciret dispensari victimam sanctam, quâ deletum est chirographum quod erat contrarium nobis, quâ triumphatus est hostis computans delicta nostra, & quærens quod obiiciat, & nihil inueniens in illo in quo vincimus.*

Quin potiùs eis noxa est.

August. l. 9. Confess. cap. vltimo.

S. Monica magnificos funeris apparatus auersata fuit:

Psal. 118.

tantùm preces ad altare pro se fieri expetiit.

Neque ista solùm de matre suâ scripsit S. Augustinus, sed alij etiam viri sanctissimi hoc suis cauerunt testamentis, vt iuuarentur quidem ipsorum animæ precibus ac Sacrificiis viuentium, non verò funeris externa solemnitas adhiberetur. Testis inter plures sit S. Ephræm, qui ita in Testamento suo locutus est: *Et nunc volo, fratres mei, commonefacere & adhortari vos, firmiterq; constabilire vt post meum exitum ac transitum assiduè memoriam mei in vestris precibus faciatis.* Et paulò inferiùs: *Oro vos quoque, dilectissimi, ne cum aromatibus me sepeliatis: at date vaporem fumi boni odoris in domo Domini, & me orationibus potiùs vestris comitamini; & pro suaui odore, aromatibusq; pellucentibus, vestris me orationibus atque deprecationibus adiuuate, obsecro, semper mei in ipsis memoriam facientes.* 2.

Plerique viri sancti non de funeris sui pompâ, sed de precibus pro se fundendis solliciti fuerunt: vt S. Ephram,

S. Ioannis itaque Chrysostomi consilium sequamur, qui sic inquit: *Vis mortuum honorare? alia viâ aggrediendum est. Fac eleemosynas, fac Liturgias.* quasi dicat: Non honor ille sæcularis, quem homines huius mundi defunctis adhibere consueuerunt (qui nimirum vanam huiusmodi gloriam honori sibi & saluti arbitrantur) animæ felicitati quidpiam confert, sed aliâ, id est contrariâ viâ eò procedendum est, eleemosynis videlicet & Liturgiis. Quod inter alios probè intelligens Ven. P. Ioannes a Cruce, Ordinis nostri Carmelitarum Excalceatorum primus Parens, obnixè à Deo petiit, vti & in Conuentu aliquo Ordinis minùs celebri, sine Officio Prælaturæ ac honore relictus, posset mori, & vt corpus suum inglorium sine solemnitate ac pompâ terræ mandaretur. Cuius desiderij vt quilibet æquam inspiciat rationem, exemplum hîc aliud è D. Pachomij vitâ transscribimus.

Io. Chrysost. Homil. 61. in Ioannem.

Quis honor defuncto præcipuè deferendus.

Ioannes à Cruce Carmel. Excalc. despectam sepulturam à Deo optauit.

Cùm

S. Pachomius egregio facto mundanas funeris pompas defuncto esse noxias ostendit.

3. *Cùm sanctus Pachomius Monasteria, quorum curam gerebat, quadam vice inuiseret, contigit, vt cùm vni ex ipsis appropinquasset, cuiusdam Fratris exequiis occurrerit, qui vitam suam negligenter consumpserat. Fratres autem Monasterij funus honorificè prosequebantur, Psalmos solitos concinentes, præsentibus defuncti parentibus ac propinquis. Qui cùm vidissent Pachomium, feretrum deponunt, vt pro mortuo nec non & pro se Domino supplicaret. Qui mox vt orationem debitam persoluit, conuersus ad Fratres ait: Desinite psallere. Præcepitq; defuncti vestimenta splendida, quibus indutus erat, auferri, & coram omnibus exui; & ita cadauer efferri iussit præter aliquam psalmodiam, atque sepeliri. Fratres igitur cum parentibus, & vniuersis qui tunc aderant, precabantur senem, vt consuetam super eo psalmodiam celebrari permitteret. Quibus cùm non acquiesceret, cœperunt parentes eius dicere: Quod est hoc spectaculum nouum? noli, quæsumus, inferre mortuo, quod nec tuam penitus condecet sanctitatem; nam & nos hinc maximo notamur opprobrio. Quibus respondens Pachomius ait: Verè, Fratres ac filij, plus vobis præsentis mortui misereor, quia vobis de re visibili ac temporali curantibus, ego de inuisibili eius substantiâ sollicitudinem geram, & idcircò hæc erga eum fieri iubebam. Et vos quidem maiores illi dolores per hunc honorem, quem paratis, acquiritis, ego autem quantulamcumque requiem vel satisfactionem per hanc iniuriam præparabo. Sepelite ergo eum sine psalmis, vt dixi: potens est Deus benignus pro supplicatione nostræ paruitatis eum in æternam suam requiem collocare. Hæc cùm dixisset, abierunt, & sicut Vener. Pater præceperat fecerunt.* Sic Gesta S. Pachomij §. 39.

Tormenta Purgatorij animæ cuius cadauer honorificentiùs sepelitur, exasperantur.

4. Clarissimè itaque patet, superbas funerum pompas non inutiles tantummodò censendas esse respectu liberationis purgandorum, sed & mortuis aliquando officere, eorumque tormenta, quæ minuere atque auferre debuissent, aggrauare. Cuius si quispiam occasionem scire desideret, non alio teste opus habet quàm ipso Christo Saluatore nostro, qui S. Birgittæ sponsæ suæ inter alia plura quæ diuinitus reuelauit secreta, hoc ei familiariter est conquestus, quòd mortui cuiusdam prædiuitis heredes non solùm non allaborarent acerbissimis, quibus in Purgatorio torqueretur, cruciamentis eximere, sed sumptuosis & splendidis in illius sepulturâ factis exequiis, tormenta multiplicassent, vtpote qui loco eleemosynarum, orationumque & Sacrificiorum, quæ ab iis curari fas erat, pecunias sibi relictas in mundanas vanitates, sæculique luctus aut potiùs luxus expendissent. En quàm diuersum hominum & Dei iudicium: quàm, inquàm, longè distat à mortuorum experientiâ mortalium opinio. Putant enim hi, charissimis suis defunctis insigne præstare se obsequium, si sumptuosè illorum cadauera sepeliant, si magnifica construant monumenta, si lauta instituant pro exequiis conuiuia, si pretiosa assumant lugêtium vestimenta; & tamen hæc defunctis non solùm non prosunt, sed plurimum etiam obsunt, quia nimirum participes redduntur excessuum atque sumptuum, quos viui ex eorum relictis bonis superfluis incautè faciunt.

Defuncti, si bona temporalia à se relicta, inutiliter profundi compererint, dolent.

5. Et sanè, vehementem mortuis afflictionem parere credibile est, si temporalia eorum media in res vanas profundantur, quibus accumulandis illi, dum in viuis essent, tanto labore atque sudore concertarunt, ob quam nimiam nimirum curam & sollicitudinem terribilibus adeò suppliciis modò exagitantur, præsertim si ea à suis heredibus, quibus illa reliquerunt, non in suum subsidium, sed in sui potiùs contemptum atque tormentum expendi atque disperdi conspicantur: vt huc non ineptè quadret illa D. Bernardi de acquisitis diuitiis vera sententia, easdem scilicet magno labore obtineri, timore possideri, dolore amitti. Et vtinam verè ac omnino fuissent deperditæ, nulla tunc ex iis post mortem superesset molestia; iam verò, quamuis ita sint ereptæ vt nihil prosint, non sic tamen sunt ablatæ quin plurimùm adhuc obsint, tum quia, vt antè dictum est, heredibus suis peccati & prodigalitatis ansam reliquerunt, atque noxam huiusmodi eluere coguntur, tum etiam, quia hos ipsos heredes, à quibus in tormentis suis auxilium expectabant, sibi illudere ac veluti ludibrium facere Deo reuelante cognoscunt: illudunt enim illi, dum inutiliter adeò rem magnis difficultatibus partam consumunt; illudunt, dum hanc ipsam in luctus ac tristitiæ ostentationem profundunt, & verò non tam defunctorum remedium, quàm proprium luxum, sæculi plausum, & vanam gloriam in Dei vtique despectum intendunt; illudunt denique, cùm in solatium offerunt quod cedit in tormentum; honori exhibent, quod infamiam parit; atque eis, quorum mederi doloribus videri volunt, maximopere pœnas atque luctum adaugent.

Mortuis illudunt, qui eorum bona sibi relicta vanè consumunt.

Quod vt Lectori fiat manifestius, ipsa D. Birgittæ verba huc adscripsisse voluimus: quæ vbi narrasset, quomodo Deipara Virgo Maria pro animâ cuiusdam defuncti, sui clientis, deprecata fuisset, adiungit, quales Saluator noster querelas egerit contra heredes illius animæ, eò quòd loco suffragiorum, quæ ex pietate pro illâ offerre debuissent, in superbiæ ac mundani luxus peccatum ex his prolapsi fuissent. Verba Saluatoris hæc sunt: Ego sum similis homini, qui emit paruulum agrum quasi quinque pedum pro maximo pretio, in quo aurum optimum est absconditum. Hic ager homo iste est quinque sensuum, quem pretiosissimo Sanguine meo comparaui & redemi, in quo erat aurum pretiosum, id est anima à Deitate meâ creata, quæ nunc à corpore sublata est, & terra sola remanet. Eius successores sunt similes homini potenti, qui vadens ad iudicium, lictori clamat: Separa cum gladio caput eius à corpore eius, non permittas eum diu viuere, nec parcas sanguini eius. Sic faciunt illi: ipsi enim quasi ad iudiciũ vadunt, cùm pro salute animæ patris decenter laborant. sed lictori clamant, Separa caput eius à corpore. Quis est ille lictor, nisi diabolus, separans animam consentientẽ sibi à Deo suo. Huic clamãt, Separa, quando, contemptâ humilitate, illa bona quæ agunt faciunt pro superbiâ & honore mundi plus quàm ex diuinâ charitate. Per superbiam enim caput, id est Deus separatur ab homine, & coniungitur ei per humilitatem. Ipsi enim clamant, Non permittas diu viuere, quando non curant de morte eius, vt obtineant bona. Clamant & non parcere sanguini, quando non curant de amarâ pœnâ eius, nec quamdiu in eo fuerit, si voluntatem suam perficere possint: eorum quippe cogitatio tota est ad mundum, & pro modico est eis 6.

Lib. 6. Reuelationum.

Conqueritur Christus de heredibus suis mortuos negligentibus.

passio

Cap. 4.

passio mea. Hæc ibi. Addo & aliam ex eodem libro Saluatoris de defuncti cuiusdam heredibus querimoniam, siue potiùs pro negligentiâ & contumaciâ promeritæ vindictæ comminationem. Veniet, inquit, citò tempus quo proferam iudicia mea, & faciam iustitiam contra progeniem huius defuncti cuius est anima ista: quia cum superbiâ ascendit hæc generatio, sed ad retributionem superbiæ descendet. Quanta ergo potiùs in mortuorum animas crudelitas quàm humanitas aut pietas æstimanda est illorum, qui ex funerum pompâ sæculi potiùs gloriam, quàm defunctorum requiem aucupantur? Neque iste solùm error mundanos homines inuasit, verùm etiam alios nonnullos gula, edendique & epulandi excessus ex relictis decedentium bonis præoccupat: suorum enim statim obliti, plus solliciti sunt de lautis conuiuiis quàm debitis funeralibus instituendis, aut exequiis debitè adimplendis. Quorum item quàm detestabilis ac formidabilis sit, conditio, ad oculum patebit ex historiâ Patriarchæ Ioseph, qui à fratribus suis in cisternam dimissus, non solùm hanc ab illis perpessus est contumeliam, sed omni ipsorum priuatus auxilio, dum illos deprecaretur, ab iis repulsam passus est. Confidentes enim inceperunt comedere, & videntes præterire Ismaelitas, eisdem fratrem suum, vt in Ægyptum abduceretur, vendiderunt: quare etiam posteà huius sui delicti, tam declaratione Prophetæ Amos, quàm etiam propriâ confessione, pœnas luerunt. Hoc ipsum nimirum quotidie fit ab hominibus huius sæculi circa defunctorum animas: confestim enim vt quispiam ad demortui cuiusdam hereditatem capessendam deuenit, id facit quod Scriptura fratres Ioseph fecisse commemorat. Nudat enim illum tunicâ talari & polymitâ, id est vestimentis illius ac bonis velut exuuiis expoliat; in cisternam, hoc est in sepulchrum demittit, non corpus solùm defuncti in terram recondens atque sepeliens, sed & animam illius in animâ ac mente suâ, ita vt memor eius non sit ampliùs, sed æternâ eam obliuione defodiat. Demisso iam ita corpore in terrâ, animâque illius, cuius spoliis ditatus est, obliuione sepultâ, sedens manducat panem, hoc est, quietus ac veluti omnis curæ sollicitudinisque expers, epulatur atque comessatur, & tempus doloris, quod iuuandæ animæ eius, cuius iam bonis fruitur, impendere debebat, impendit conuiuiis, quibus in obliuionem veniat, & quodammodò excludatur atque arceatur memoria defuncti, à quo tot tantaque beneficia recepit. O sæculi nostri pessimum morem, qui iam nequam illam consuetudinem inuexit, vt in defunctorum exequiis, perinde atque in nuptiis, ad biduum, triduum, & vltrà, lautè comedatur, ingurgitanter bibatur, & ad æquales haustus prouocationes fiant! Pudeat, iterùm dico pudeat Christianos, pudeat Catholicos, qui Purgatorij fidem habent, committere, quæ nec Iudæi & Gentiles committerent, imò tantum abest vt commiserint vnquā, vt semper eum morem detestati auersatique fuerint. Videant, quæso, qui hac in re adeò tum sui tum mortuorum sunt immemores, quàm turpe sit, quàm infame, domum luctus in compotatorum contubernium, lugentium cibos in ebriosorum epulas, defunctorum funus in luxuriantium nuptias transmutare. Consulant Historicos, an quid vnquam simile vel apud Iudæos vel apud Gentiles factitatum fuisse referant. Animæ suorum, Purgatorij ignibus immersæ, tantis tormentis inuolutæ, quæ leuibus fortè pœnitentialium operum remediis iuuari possent, adiutorium & solatium inclamant; inclamant, inquam, quod eorum nomine toties quotidie inclamat Ecclesia, *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.* Sed quid responsi accipiunt? Nolumus: quid ad nos? vos videritis. Quæ quamuis nemo verbis, factis tamē omnes, vel saltem plerique respondent, eo ipso nimirum, dum suffragia mortuis impendenda negligut. Vera profectò sunt illa S. Bernardi verba, dum sic inquit: *Cadit asinus, & inuenit qui se subleuet; cadit anima* (patris, matris, fratris, sororis, benefactoris) *& non est qui manum apponat.* Et licet animæ illæ, & pro illis clamet Ecclesia, vt remedium iis applicetur, sedent tamen ingrati isti, barbari, infideles homines, ac lugentes helluones, & comedunt; veste quidem lugubri exterius induti, sed ob defunctorum obitum intus in animo lætantes, luxuque & dissolutione diffluentes. Non hoc est charorum obitum lugere, sed mundo imponere, & ipsos defunctos irridere. Et multū hoc vitâ solutos mordere necesse est, dum suos heredes, quorum commodo, dum viuerent, tantopere laborauerunt, audiunt luctus assumpsisse speciem, vestem scilicet pullam, luctui interim, animarumque vtilitati nihil dignum præstare? Quin, quod sanè tantò est intolerabilius, quantò iniquius, sub togâ & pallio lugubri lætitiam, quam ex lautâ adeptâ iam hereditate conceperunt, dissimulare & contegere? An hæc homines istiusmodi impunè patrare quis arbitretur? Haud profectò innoxium illis erit, quod ipsa, de qua suprà, Iosephi Patriarchæ historia satis docuit, vbi fratres eius castigatos fuisse deprehendimus, eò quòd misericordiam roganti exhibere noluerint. Fatentur ipsimet, dū conscientia ipsos vrgente sic ad inuicem locuti sunt: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: ideo venit super nos ista tribulatio.* Quid verò Ruben? *Numquid*, inquit, *non dixi vobis, Nolite peccare in puerum, & non audistis me? en sanguis eius exquiritur.*

Res ostenditur ex Ioseph afflictione. Genes. 37.

Reprehenditur in exequiis luxus & gula.

Suorum malè obliuisc. uatur heredes.

In Cantica.

Qualis in fratres Iosephi punitio

Gen. 42.

Hanc ipsam fratrum Ioseph punitionem rectè 7.
euenisse, eorum exaggerato crimine, Amos Propheta affirmauit, dum sic inquit: *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* quasi non solū describere velit Propheta, quàm indigna fuerit illa fratrum Ioseph inhumanitas, qui bibentes & edentes nihil patiebantur siue compatiebantur super contritione seu afflictione fratris sui; sed & subindicare velit, punitiones omnes, quas posteà in Israëlitarū successoribus exercitas fuisse enarrat, ex illo velut fonte originem suam accepisse, quòd adeò duriter, & absque vllâ omnino commiseratione, in fratrem suum Ioseph egerint. Sed quænam erant eæ castigationes? Erant sanè admodum terribiles, & apud Prophetam dicto loco legi poterunt, adeò vt omnia quæ ex S. Birgittâ suprà per Saluatorem contra ingratos heredes dicta adstruximus, modò per Prophetam con-

Amos. 6.

confirmata, seu potiùs Christum iis, quæ à Propheta dicta fuerant, adstipulatū fuisse videamus.

8. Alterius quoq; consanguineorum ineptiæ meminit Ven. Thomas Cantipratanus, inquiens: *Est & sextus alius tinnitus dæmonum, damnabilis valdè & nociuus fidelliū animabus, ludus scilicet, qui in defunctorum excubiis solet multipliciter exerceri. De hoc Fratrē quemdā Ordinis Prædicatorum narrantem audiui, cui accidit quod subiungo. Ad prædicandū venerat in quādam villā, & ascēderat solarium vesperi ad pausandū: & ecce in oppositā domo duo perditi adolescētes ad funus defuncti conuenerant, & obscœnis vacantes lusibus vigilabant. Hoc vt vidit Frater, & audiuit per oppositā fenestram cui incumbebat, flere cœpit vberrimè, perditorum insanias miseratus. Nec mora: vbi se deposuit super lectum, vigilanti quidam adstitit dicens: Legatione fungor pro animabus in Purgatorio purificandis. hæc enim mandāt suis in derelictis possessionibus constitutis, Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. & mox Fratri, Ex his, inquit, verbis cras tibi Sermonis thema suscipias, & refelles ludos execrabiles quos vidisti, & induces per contrarium homines vt defunctorū amicorum piè subueniant animabus. Nec distulit Frater in crastinū, sepulto corpore mortui, iniunctam legationē conuenientibus populis indicare, tantumq; in illo Sermone profecit, vt omnes à minimo vsq; ad maiorem ad tantam lacrymarum abundantiam commoueret, vt mirus feruor excitaretur in populo defunctis proximis subuenire, & ludos, quos prædiximus, execrabiles remouere.* Sic Cātipratanus.

Lib. 2 de Apib cap. 49
Nugatorij litui ad mortuorum cadauera excubantium quàm sint noxij.

Cui adiungi etiam potest error ille siue superstitio, de quā loquutur S. Augustinus agens de Festo Cathedræ S. Petri, vbi inquit: *Cùm solemnitatem hanc Ecclesiis meritò religiosa obseruatio introduxerit, miror, cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increuerit, vt super tumulos defunctorum cibos & vina conferant: quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant.* Vbi obseruandū est, nō reprehendi à S. Augustino illā eleemosynarū distributionem quæ adhuc in Catholicā Ecclesiā viget, & ab antiquā lege originem habuit: laudatissima enim eius est consuetudo, & à Sanctis viris plurimum semper cōmendata fuit, & in Scripturis sacris etiā suis laudibus extollitur. Inter alia salubria cōsilia, quæ filio suo Tobias dedit, & hoc legitur: *Panem & vinum super sepulturā iusti constitue, & noli ex eo manducare cū peccatoribus.* Quid hic aliud Tobias vel potiùs Spiritus sanctus voluit, nisi commendatum haberi morē illum, qui & modò vsq; apud Catholicos viget, & tanto iam tempore viguit, quoad eleemosynarū super mortuorum cōsolatione distributionē fieri solitā. Explicata hæc sunt Libro I. loco suo, nec magnā, vt intelligātur, indagatione opus habent. Meminisse saltem Lector poterit, ideò ad distributionem huiusmodi conuocādos esse pauperes iustos, quia illi, vtpote Deo grati ex gratiā, & grati hominibus ob beneficia, oraturi creduntur pro istorū defunctorum spiritibus, quorum intuitu eleemosynas sibi datas fuisse sciunt. Sed & si cui malū aliquod imminere & infaustum post mortem Scriptura indicare voluit, huius consuetudinis eū fructu cariturū elocuta est. *Morientur*, inquit Deus apud Prophetā, *grandes & parui in terrā istā: nō sepelientur neq; plangentur, & non se incident, neque caluitium fiet pro eis. Et non frangent inter eos lugenti panē ad consolandum super mortuo, & non dabunt eis potū calicis ad consolandum super patre suo & matre.* Vbi nota, in pœnā peccati, non dandum prædici quidpiam lugenti, hoc est illi pauperi, qui ideò alioquin eleemosynam accipiebat vt lugeret, hoc est, Deum oraret & deprecaretur pro defuncto, ne defunctus ille aliquam inde consolationē perciperet. Et hunc eleemosynas pro defunctis erogandi morē communiter & religiosè obseruatum fuisse, inde liquet, quòd Deus futurum cōminetur, vt in terrā illā quæ eum offenderit, mos ille cessaret: quare enim Deus alioquin hanc piam consuetudinem tollendam esse diceret, ni vel in vsu quotidiano obseruata fuisset? aut quare hoc in peccatorum vindictam ita futurum comminaretur, si non egregius aliquis in animarum commodum fructus inde promanaret?

Serm. 15. de Sanctis.
Erroneè nonnullis iccos olim ad mortuorum sepulchra apponebant.
Non hic reprehenditur pro mortuis data eleemosyna.
Tob. 4.
Distributio eleemosynarum pro mortuis probatur ex Scripturā.
Ierem. 16.

9. S. Ioannes Chrysostomus suo adhuc tempore pium hunc morē in Ecclesiā Catholicā obseruatum fuisse, hisce verbis innuit: *Cur post mortē tuorum, pauperes conuocas? cur Presbyteros, vt pro eo velint orare, obsecras? Non ignoro te responsurū, Vt defunctus requiem adipiscatur, vt propitiū Iudicem inueniat.* Et alij Patres antiqui miris eum in cælos vsque laudibus efferūt, quos hic adduceremus, nisi ipsa eiusdem pia continuatio hodiernum in diem obseruata, manifestum ei testimonium perhiberet: qui profectò nullibi sublatus est, nisi in hæreticorū terris, quos Deus ita, vt ex Ieremiā vidimus, in hæreseos suę vindictam punit, ne saltem aliquem pietatis fructum vmquam haberent; aut apud tepidos & languidos Catholicos, qui loco pauperū, quibus hæc eleemosyna pro animæ defuncti requie debebatur, conuocant ditiores, aut alios quosdam potatores & helluones; vnde ipsi defunctorum spiritus quantā tristitiam concipiant, dici vix potest. At quid mirum est, temporū tractu optimas atq; sanctissimas consuetudines, pro animarum vtilitate, Spiritu sancto hortante institutas, ab improbis in nefandos abusus distrahi? Nonne idipsum fieri videmus in festis Regalibus, Ante-quadragesimalibus, Martinalibus? Sācta profectò primitus illorum fuit institutio, & à sanctā origine ortum habuerūt. Vt Diui Martini, Turonensis olim Episcopi, admiranda in egenos liberalitas omnium mentibus, festo illius præcipuè die, imprimeretur, & non viri tantùm, sed & à cunis ipsimet infantes ad tam sanctæ charitatis exercitium prouocarentur, laudabiliter instituit veneranda Maiorum antiquitas, vt pauperes illo die festo ad mensam conuocarentur, puerisque varij fructus abundanter distribuerētur. Sed heu! quàm procul ab istā sincerissimā antiquitate, nouitia temporum nostrorū non iam liberalitas sed prodigalitas deuiauit? In eleemosynæ locū apud plurimos gula successit: in pauperum locum suffecti sunt diuites, consanguinei, potatores. Quis iam pauperes ad mensam adhibet? Quis paterfamilias, dum fructus suis liberis distribuit, in honorem id D. Martini fieri, & ad imitandā sanctissimam illius in pauperes & egenos charitatē, eos simul admonet? Ita veterum pia intentio è mentibus nostris euanuit, easque vice versā luxus & vanitas occupauit. Idem de reliquis iudiciū esto: hoc solummodò eum in finem diximus, ne cui mirum aut incredibile videatur, tam pia conuocationis pauperum, pro mortuorum solatio, primordia, in turpissimos ingurgitationis & compotationis excessus turpiter deuiasse. Hæc si dixisse profuit, vt abusus, qui in mortuorum curā

Item ex Patribus.
Homil. 32. in Matthæum.
Huius abusus ex simili reprehenditur.
In festo S. Martini solebant pauperes conuocari.

committuntur, euitentur atque tollantur, proderit haud dubiè ampliùs, semitas illas aperire atque inambulare, per quas eisdem, instruente nos per sanctissimos suos præcones atque Doctores Ecclesiâ, absque dubio lucem ac requiem sempiternam obtinere possumus. Hoc vt fiat,

10. *Mortuis prosunt Preces, eleemosyna & Sacrificia viuorum.* Lib. de Curâ pro mortuis, cap. 18. Serm. 32. vel vt alij 34. de Verbis Apostoli.

Ostendere nunc superest, quænam sint illa quæ verè ac indubitanter animabus Purgatorij prosint. Pro quo notanda inprimis veniunt D. Augustini verba, quæ sic habent: *Non existimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, peruenire, nisi quod pro eis siue altaris, siue orationum, siue eleemosynarum sacrificiis solemniter supplicamus.* Et alibi: *Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubium mortuos adiuuari, vt cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis qui in Corporis & Sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum loco suo commemorantur, oretur, & pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum causâ opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est ista prodesse defunctis, sed talibus qui ita vixerint ante mortem, vt possint hæc eis vtilia esse post mortem.* Sic Augustinus: quibus similia habent alij, pluribus locis, Sancti Patres. Vt proinde ex eis constet, præter sanctissimum Missæ Sacrificium (quod etiam mortuorum respectu propitiatorium meritò dici, patebit inferiùs) & orationes viuentium, & opera misericordiæ ab illis facta, iuuare spiritus Purgatorij.

11. Isidorus l. 1. de Offic. Ecclesiast. cap. pænult. *Ieiunium item.*

Sed istis ieiunium addit S. Isidorus Hispalensis; ait enim: *Sunt autem quatuor modi suffragiorum generales, ad quos omnes alij reducuntur, scilicet oratio, ieiunium, eleemosyna, & Sacramentum altaris.* Diuus quoque Gregorius ieiunium tribus enumeratis mortuorum suffragiis annumerauit, licet à S. Augustino fuisset omissum. cuius rationem inquirens ac explicans Angelicus Doctor S. Thomas, ita sibi primùm obiicit: *Gregorius tribus connumerat ieiunium, vt habetur can. 13. quæst. 2. Animæ defunctorum quatuor solummodò modis iuuantur, aut oblationibus Sacerdotum, aut orationibus Sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum; ergo insufficienter ab Augustino hæc enumerantur tria prædicta.* Sed eam deinde obiectionem soluit hoc modo: *Ad secundum dicendum, quòd etiam ieiunium potest prodesse defunctis ratione charitatis & intentionis in defunctos directæ, sed tamen ieiunium in sui ratione non continet aliquid quod ad charitatem vel ad directionem intentionis pertineat, sed hæc sunt ei quasi extrinseca; & ideò Augustinus non posuit, sed Gregorius posuit ieiunium inter suffragia mortuorum.* Ceterùm communis est omnium Theologorum doctrina, inter opera satisfactoria non solùm orationem atque eleemosynam debere numerari, sed & ieiunium. Et idcircò cùm indubitatum sit apud Catholicos, viuorum suffragia eapropter defunctis prodesse, quòd membra sint eiusdem mystici corporis, quod est Ecclesia, ex consequenti etiam liquet, sicut oratio & eleemosyna, ita ieiunium à viuis ex mortuorum charitate fieri posse, atque ideò hisce ad liberationem non minùs quàm ista prodesse.

D. Thom. in 4. Sentent. dist. 45. art. 4.

Quo fundamento viuorum bona opera mortuis prosint.

Hæc verò quatuor suffragiorum genera ab aliis Scriptoribus in plures species subdiuiduntur, è quibus Thomas Cantipratanus, & ipse, quemadmodum S. Thomas Aquinas, B. Alberti re ac nomine magni discipulus, scripsit vt sequitur: *Septem autem modis suffragiorum iuuari animas in Purgatorio, liber Machabæorum primus ostendit, vbi Simon septem pyramidas circa sepulchrum parentum suorum & fratrum legitur statuisse, & possunt sumi hæc septem pyramidum suffragia in vno versu:* 12.

Septem alij suffragiorum genera consistunt. Thomas Cantiprat. lib. 2. Apum, c. 53.

Fle, pete, ieiuna, vigila, da, redde, celebra.

Fle, hoc est, inquit, *plora, non sicut ceteri qui spem non habent, sed secundùm Ecclesiasticum, In mortuum produc lacrymas, id est, in altum duc, ad Deum scilicet. Secundum suffragium notatur, vbi dicitur, Pete, id est, ora. vnde illud: Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Tertium est ieiunium, quartum vigilia, vel labor alius in afflictione corporis tui: quintum, dare eleemosynam; sextum, reddere si quid iniustè habuerint vel rapuerint; septimum & vltimum, celebratio Missarum.*

2. Machab.

Hæc latiùs deducta seu explicata sunt, & in nouem classes discreta per S. Birgittam, quæ Christum sibi reuelasse refert, quomodo anima quædam e Purgatorio, quæ ibi terribiliter torquebatur, liberari posset. Verba Christi erant huiusmodi: *Verumtamen quia anima ista duo bona habuit; vnum, quia habuit fidem Passionis meæ, & restitit quantum potuit contra eos qui obloquebantur mihi; secundum, quòd dilexit Matrem meam & Sanctos, & ieiuniis eos honorabat, ideò propter preces amicorum meorum orantium pro eo, dicam tibi quomodo saluari possit. Primo saluabitur propter Passionem meam, quia tenuit fidem Ecclesiæ meæ. Secundò propter immolationem Corporis mei, quia hoc est antidotum animarum. Tertiò propter preces electorum meorum qui sunt in cælo. Quartò propter opera bona quæ fiunt in Ecclesiâ sanctâ. Quintò propter preces bonorum viuentium in mundo. Sextò propter eleemosynas factas de bonis iustè acquisitis, & si restituantur ea quæ sciuntur malè acquisita. Septimò propter laborem iustorum, qui pro salute animarum peregrinantur. Octauò propter Indulgentias à Pontificibus concessas. Nonò propter pœnitentias aliquas pro animabus assumptas, quas viuentes non compleuerunt. Ecce, filia, hanc reuelationem promeruit tibi Patronus sanctus Ericus, cui hæc anima seruiuit: quia veniet tempus quo refrigescet malitia terræ huius, & zelus animarum in multorum cordibus consurget.* Ita ad Birgittam Saluator. 13.

Christus Dominus S. Birgittam nouem modos iuuandi mortuos docet, qui sunt Birgitta l. 6. Reuel. c. 66.

1. *Passio Christi:* 2. *Sacrificiũ Missæ:* 3. *Intercessio Sanctorum:* 4. *Opera bona viuorum:* 5. *Preces viuorum:* 6. *Eleemosynæ:* 7. *Peregrinationes sacræ:* 8. *Indulgentia Ecclesiæ.* 9. *Vltrò assumpta corporis castigationes.*

Addi his possunt ea quæ à Doctore Angelico referuntur: qui agens de exequiarum cultu, disputat vtrùm is prosit animabus, & quidem ait, licet is per se nihil iis suffragetur, id tamen per accidens præstare. *Videtur*, inquit, *quòd cultus exequiarum defuncto prosit. Damascenus Sermone de Dormientibus inducit verba Athanasij sic dicentis, Licet in arcâ, qui in pietate consummatus est, depositus fuerit, ne renue oleum & ceras Domini inuocans in sepulchro accendere; accepta enim ista sunt Deo, & multam ab eo recipientia retributionem. Sed huiusmodi pertinent ad cultum exequiarum, ergo cultus exequiarum prodest defunctis.* Quam propositionem tametsi sibi veluti per modum argumenti obiiciat, ac posteà reiiciat, tamen vt sequitur eamdem explicat atque distinguit. 14.

D. Thom. in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. *Ritus exequiarum ab Ecclesiâ obseruatus quatenus defunctis prosit.*

guit. *Ad primum ergo dicendum, quòd oleum & cera ad sepulchra defunctorum perlata per accidens defunctis prosunt, vel in quantum Ecclesiæ offeruntur, siue pauperibus dantur, vel in quantum huiusmodi in reuerentiâ Dei fiunt. unde & verbis præmissis subiungitur: Oleum enim & cera holocaustum sunt.* Docet præterea idem D. Thomas paulò superiùs, etsi sepulturæ mortuorum cæremoniæ non prosint ex opere operato, iuuare tamen eos ex opere operantis, tum quia alij fideles inde excitantur vt feruidiùs animas liberēt, tum quia hæc ipsa Deo offeruntur atque ipsius honori consecrantur. *Illa, inquit, quæ ad ornatum sepulturæ exhibētur, prosunt quidem viuis, in quantum sunt viuorum solatia, sed possunt & defunctis prodesse, non quidem per se, sed per accidens, in quãtum scilicet homines per huiusmodi excitantur ad compatiendũ, & per consequens ad orandum, vel in quãtum ex sumptibus sepulturæ vel pauperes fructum capiunt, vel Ecclesia decoratur. sic enim Sap. 4. sepultura inter ceteras eleemosynas computatur.* Imò idem sanctissimus Doctor affirmat, quæcũque opera bona è charitate pro mortuis facta, ipsis prodesse. Nam postquam egisset de tribus animarum suffragiis quæ has potissimùm iuuãt, ita subiungit: *Ista tria ponuntur quasi præcipua mortuorum subsidia, quamuis quæcumque alia bona, quæ ex charitate fiunt pro defunctis, eis valere credenda sint.* Vniuersa itaque bona in gratiâ facta, ex D. Thomæ sententia defunctorum animas adiuuare possunt: iuxta quem sensum etiam intelligendus est D. Ioannes Chrysostomus, qui ait, vitã optimam, id est, exercitia bonæ vitæ ac conuersationis offerri posse prodesseque defunctis. ita enim loquitur: *Honor enim mortuo non fletus est, non eiulatus, sed hymni & psalmi, & vita optima.* Vbi eodem ordine enumerat vitam optimam seu laudabilem conuersationem, atque hymnos & psalmos, qui ad orationem relati, omnium Doctorum vnanimi calculo suffragiis mortuorum annumerantur. Quod ne quis miretur, obseruari hic poterit, omne opus bonum reduci posse ac contineri sub aliquo è tribus satisfactionis operibus. Audiatur super hoc rursus S. Thomas qui sic ait: *Dicēdum, quidquid ad afflictionem pertinet, totum ad ieiunium refertur; & quidquid ad proximi vtilitatem expenditur, totum eleēmosynæ rationem habet; & similiter quæcumque latria exhibeatur Deo, orationis accipit rationem: & ideò etiam vnum opus potest habere plures rationes satisfaciendi.* E quibus patet, Primùm, quæcumque opera bona defunctis posse prodesse, vtpote quæ satisfactoria sint, vel ad illa referri debeant. Iam apud omnes Catholicos indubitatum habetur, ex viuorum satisfactionibus mortuos subleuari, & proinde non modò mirũ non esse, si ex vnoquoq; viuẽtis opere bono satisfieri dicatur pro defuncto, sed mirandũ potiùs, si quis contrarium adstruere velit, idq; omni modo esse pernegandum. Adde, quòd &, S. Augustino auctore, interno aduersus inimicos motu suppresso, seu iniuriæ condonatione, præcipuè pro peccatis satisfiat, id est, plus quàm per alia ordinaria satisfactoria opera. Audiamus ipsum. *Aptauit sibi, inquit, Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, & ideò continuis orationibus, & frequentibus ieiuniis, & largioribus eleemosynis, & præcipuè per indulgentiã eorum qui in nos peccant, assiduè peccata redimantur.* Asserit ergo magnus ille Augustinus, nõ orationibus tantùm, aut ieiuniis & eleemosynis, sed & indulgentiã eorũ qui in nos peccãt, id est, offensę remissione, atque iniuriæ acceptæ condonatione, peccata præcipuè redimi, aut quod idem est, pro iisdem satisfieri quodãmodò ampliùs, quàm per orationem, ieiunium atq; eleemosynã, quæ propriè satisfactorij actus appellantur. Ostendemus nos quoq; in sequentibus præter alia multa, tribulationes, etiam quas non sponte suscipimus aut nobis ipsis imponimus, sed coactè ac contra inclinationẽ nostram à Deo vel aliunde immissas, cum patientiâ tamen & resignatione animi toleramus, vim satisfactionis, quæ communicari mortuis possit, continere: neq; externorũ solùm, sed internorum præterea actuum, omniumque virtutum exercitationẽ Deo pro Purgatorij animabus offerri posse, distinctis tractatibus exponemus. Sed quoniam singula mortuorum remedia specialiùs explicabimus, filum hîc discursus abrumpimus, atque ab eorum fonte, diuinâ nempe misericordiâ, exordium sumimus.

Cerei in exequiis oblati quatenus mortuis prosint.

Quæcumque bona prosunt mortuis.

Ibid. respon. ad quæst. 1.

Homil. 61. in Ioannem.

Omnia pœnalia ad satisfactionem referuntur.

In 4. dist. 15. q. 1. art. 4. quæstiunc. 3. ad 5.

Serm. 41. de Sanctis, de animabus Purgatorii 4.

Huc spectat & iniuriarum condonatio.

CAPVT III.

Maiestatis diuinæ implorata misericordia, certissima est purgandorum medela.

INsigne Ecclesiæ lumen D. Thomas, postquam plura sibi argumenta obiecisset, quibus probari videbatur, non inueniri in omnibus Dei operibus misericordiã & iustitiã, tandem ita resoluit: *Sed contrà est, quod dicitur in Psal. 24. Omnes viæ Domini misericordia & veritas.* Ex quo huiusmodi elicit argumentum & conclusionem facit: *Cùm in cunctis Dei operibus, quod sibi & creaturæ debetur, nullo prorsus modo à Deo prætermitti oporteat, & debitum omne in aliquid ex diuinâ bonitate collatum reducatur, necesse est, in quouis illius opere iustitiam & misericordiam inueniri. Vnde S. Augustinus Enarratione in Psal. 50. ad illa verba, Et à delicto meo munda me, Quo, inquit, merito? Medicus est, offer mercedem: Deus, offer sacrificium. Quid dabis vt munderis? Vide enim quem inuoces. Iustum inuocas, odit peccata. Si iustus est, vindicat in peccata. Si iustus est, vtique non poteris auferre à Domino iustitiam eius. Implora misericordiam, sed attende iustitiam. Misericordia est, vt ignoscat peccanti; iustitia est, vt puniat peccatum. Quid ergo? Quæris misericordiam? peccatum impunitum remanebit? Respondeat Dauid, respondeant lapsi; respondeant cum Dauid, vt misericordiam mereantur sicut Dauid, & dicant: Non, Domine, non erit impunitum peccatum meum; noui iustitiam eius, cuius quæro misericordiam.* Sic Augustinus; qui etiam alibi omnes adhortatur, vt nunc, dum viuimus, ita misericordiæ diuinæ correspondeamus, ne post mortem eiusdem iustitiam experiri cogamur. Verba eius sunt: *Nos ergo, fratres charissimi, pro quorum salute ista omnia & prædicta sunt & impleta, gratias agamus diuinæ misericordiæ, & quantum possumus, totis viribus laboremus, vt beneficia Dei non nobis iudicium pariant, sed profectum: vt cùm tremendus iudicij dies & tempus reddendæ rationis aduenerit, quidquid nobis Dominus & Saluator noster contulit iudicatus, integrum inueniat iudicaturus. Equidē ille cũ venerit, redditurus est quod promisit, sed requisiturus est quod redemit; & quod in primo aduentu contulit, exacturus est in secũdo.*

Vnde colligitur, nõ tantùm, in Deo iustitiam si- 2.

1.

Part. 1. q. 21. art. 4.

In omnibus Dei operibus simul cum misericordiâ ipsius spectari potest iustitia.

Libr. 50. Homiliar. Homil. 36.

In vitâ hac sic misericordia diuina acceptanda, ne post vitã iustitia eius sit experienda.

mul

Vita præsens, tempus misericordiæ; futura, iustitiæ & retributionis.

mul cum misericordiâ esse coniunctam, sed & præsentis vitæ spatium tempus esse misericordiæ, iustitiæ verò futurum post mortem, ita vt & fidelium animabus solùm videatur supermansisse delictorum punitio, & misericordiæ diuinæ ianua illis esse præclusa, vtpote quæ pœnitentiæ ac satisfactionis (quibus placari potest ac debet Dei iustitia) terminos excesserint, & ingressæ sint ineuitabilem, vt apparet, promeritæ castigationis viam. Sed hisce non obstantibus, pietatis diuinæ à viuis fidelibus requisita misericordia, certissima est purgandorum medela: quia sicuti Deus, cùm miseretur alicuius, etiam iustus est, ita, cùm aliquẽ punit, modò misericordiæ capax sit, ab eodẽ clementiam suam non auertit. Nam vt superiùs ex Angelico Doctore ad oculũ patuit, in omnibus diuinis operibus, adeoque in mortuorum causâ, misericordia ac iustitia inueniuntur. Idẽ habetur & ex Psalmistâ, *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* Quod vti clariùs adhuc D. Thomas explicaret, nostroque instituto vnusquisq; applicaret, iterùm ait: *Dicẽdum, quòd Deus misericordiã agit, non quidem cõtra iustitiam suam faciendo, sed aliquid supra iustitiam operando. Sicut si alicui, cui debentur centum denarij, aliquis donet ducẽto: de suo, tamen non contra iustitiam facit, sed liberaliter seu misericorditer operatur, & similiter si aliquis offensam in se commissam remittat: qui enim aliquid remittit, illud quodammodo donat. Vnde Apostolus remißionem donationem vocat. Donate inuicem, inquit, sicut & Christus vobis donauit. Ex quo patet, misericordiam non tollere iustitiam, sed esse quamdam iustitiæ plenitudinem. Vnde dicitur quòd misericordia superexaltet iudicium.* Posteà idẽ etiam Doctor loquitur hunc in modum: *Opus autẽ diuinæ iustitiæ semper præsupponit opus misericordiæ, & in eo fundatur.* Et iterùm infrà: *In quolibet opere Dei apparet misericordia quantum ad primam radicẽ eius: cuius virtus saluatur in omnibus consequẽtibus, & etiam vehementiùs operatur in eis, sicut causa primaria vehementiùs influit quàm secunda. Et propter hoc etiam ea quæ alicui creaturæ debentur, Deus ex abundantia suæ bonitatis largiùs dispensat quàm exigit proportio rei: minus enim est quod sufficeret ad conseruandum ordinem iustitiæ quàm quod diuina bonitas confert, quæ omnem proportionem creaturæ excedit.*

Psal. 24.

Part. 1. q. 21. art. 3. ad 4. *Miseretur Deus operãdo aliquid supra iustitiam. Offensam item remittendo.*

Ephes. 4.

Iacob. 2. Artic. seq.

3\. *1. 2. q. 113. a. 4.* *Misericordia Dei circa peccatum per modum satisfactionis operatur.*

Hæc D. Thomæ doctrina quàm sit veritati consona, vberiùs adhuc cõstat ex illis quæ docuit alibi, vbi ait: *Actus autem misericordiæ operatur circa peccatum per modum satisfactionis*; ita vt, sicuti dictũ est, misericordia diuina suppleat defectum eius quod meritò exigebat in peccatorum castigationem Dei iustitia. Vnde conformiter S. Augustinus: *Non sic est Deus misericors vt iniustus sit, nec iustus vt misericors non sit.* Et alibi idipsum explicans: *Hoc ergo est,* inquit, *tempus misericordiæ, erit & iudicij. Ne putetis autem, fratres, quia ista a se possunt in Deo aliquo separari modo: videntur enim sibi aliquando contraria, vt qui misericors est non seruet iudicium, & qui iudicij tenax est, obliuiscatur misericordiam. Miseretur enim, quia considerat imaginem suam, fragilitatem nostram, errorẽ nostrum, cæcitatem nostram, &c.* Vt proptereà ex D. Augustini sententiâ, idcircò Deũ non iniustè peccata dimittere asserere possimus, quia ob fragilitatem nostrã, nostram miseriam meritò illa condonat. Neq; his dissimilia habet Psalmœdus, cùm volens omnes ad interpellandam Dei misericordiam incitare, inter alia plura hæc attulit: *Non secundùm peccata nostra fecit nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis: Quoniam secundùm altitudinem cæli à terrâ corroborauit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat Ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. Recordatus est quoniam puluis sumus: homo sicut fœnum dies eius, tamquam flos agri sic efflorebit. Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet: & non cognoscet ampliùs locum suum. Misericordia autem Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eũ.*

In Psal. 39.

In Psal. 32.

Psal. 103.

Ex quo inprimis patet, ideò Deum iustè misericordiam exercere, quòd fragilitatem humanam perspectam habeat, eique proptereà non immeritò ignoscendum esse iudicet: quare cùm Purgandorum delicta, ex infirmitate potissimùm admissa sint, non est dubium quin in illis etiam locũ habeat Dei clementia: maximè cùm omnibus perspicuum sit, misericordiam eius in his cõsistere, quæ erga Purgatorij animas fieri comperiuntur, vt nimirum peccata iis dimittat, & vitam tribuat æternam, prout tamquam speciales misericordiæ effectus recensuit D. Augustinus asseruitque hoc modo in Psalmum 32. commemorato: *Misericordia est certè vt dimittantur peccata, misericordia est vt tribuatur vita æterna.* & ista quidem ad Deum spectant.

Prima Dei misericordiæ ratio, nostræ fragilitatis cognitio.

Præter hæc in animarum causâ aliud misericordiæ fundamentũ subest, dum videlicet viuentes à Deo misericordiam pro defunctis petunt & impetrant: illi namque inuocatione suâ aliquo modo clementiam hanc promereri, iustitiæque satisfacere dici possunt. & proptereà sanum omnino est consilium, quo vti solet in mortuorum iuuamen S. Mater nostra Ecclesia, cùm in suffragiis suis, quibus eisdem requiem apprecatur & expetit, Dei solet misericordiam implorare. Hic enim orandi modus est eiusmodi, vt & opus satisfactorium, ipsam nimirum orationẽ, includat, & nihilominùs clementiam diuinam mereatur, prout testatus fuit S. Augustinus, inquiens: *Suauis Dominus & mitis, fratres charissimi; habet ianuã pietatis, nec repellit inde pulsantes, sed culpat potiùs negligentes: neque enim aliquid petitur quod non habeat, vt cùm non dederit erubescat. diues est & pius, affluens & benignus; dat, & non improperat: imò tunc thesauri domus eius tristitiam patiuntur, quando desunt delectabilia fastidia petitionum.* Ac infrà: *Pulsate, & aperietur. Stant Angeli ad ianuam vt introducant, non vt repellant; vt suggerant, non vt terreant. Nulla est pompa in ianuâ meâ. Ego sum ianua, qui sustinui crucis ignominiam. Quare timeant petentes egentiam, cùm nulli aliquando negauit misericordiam? Quis sperauit in Domino, & confusus est?* Fecit ergo sancta Mater Ecclesia quod S. Augustinus consuluit. *Non est,* inquit ille, *quò fugias à Deo irato, nisi ad Deum placatum.* E quibus D. Augustini verbis mirum quantus humor affluat, quibus fugere est animus; humor inquam sapidissimus, atque adeò copiosus, vt pleno haustus gutture, in miram insuper redundet effluentiam, & in vniuersos Christianorum animos exuberet. Quid enim iis, qui tum pro alienis tum pro suis peccatis Deum exorare cupiunt, vt fortiùs cœptis insistant, dici potest efficacius? quid mortales, vt pro Purgatorij animabus instantiùs orent, & certiùs, quod petunt, impetraturos se esse cõfidãt, excitare atq; animare viuaciùs potest, quàm quòd audiant, à Deo irato

4\. *Misericordia Dei viuorum precibus excitatur ad defunctis suppetias exhibendum.*

Serm. 171. de Tempore.

Eccli. 2.

In Psal. 74. *Verborum D. Augustini explicatio.*

fugæ

fugæ locum esse ad eumdem placatū, à iusto peccatorum Iudice, ad benignum eorumdem oblitteratorem? Si reo appellandi locus concedatur, si latæ iam condemnationis & mortis sententiæ rescissio promittatur; num iustè de misericordiæ & veniæ impetratione dubitaret? an timendum ei esset ampliùs? an de successu prospero ambigendum? Nihil omnino.

5. Sed vt id fidelium animos tantò accendat ampliùs, quantò à nobis explicatum fuerit abundantiùs, duo hîc meritò obseruanda veniunt. Primum, D. Augustinum dicere, à Deo irato fugæ locum esse ad Deum placatum: alterum, non esse alium fugæ locum, quàm ab irato Deo ad Deum placatum. in quibus tota eius, quod modò declaratum imus, substantia & medulla consistit. De priori res sat est euidens, quoniam affirmat, non esse quò fugiamus nisi ad placatum, supponit ergo, posse fugam ad eum capi in quantum placatus, id est propitius & misericors existit. Si de hoc dubium esset, quid esset quod diceret? Ridiculum, vanum, falsum esset, quod absit tanto Doctori affingere velimus. Admittendum itaque, & iustissimè admittendum, præcipuè in animarum causâ, à Deo irato fugæ locum relictum esse ad Deum placatum. Exemplo res fiet illustrior. Ferunt inter alia Gentilium historiæ, reum quemdam è Iuris dictamine morti adiudicatum, à Cæsaris tunc præsentis sententiâ appellationis locum sibi dari petiisse. A quo cùm Cæsar interrogasset, ad cuius tribunal, cùm ipsius omnium supremum esset, appellare cuperet; respondit ille: A iustitia Cæsaris ad ipsius clementiam appello. Quâ ex responsione ita Cæsar ad misericordiam flexus scribitur, vt iustè mortem promerito vitam benignè condonauerit. Quòd si hoc fecit homo gentilis, vt misericordiam eius imploranti malefactori, liberalissimè veniam vitamque indulserit; quid non facturum existimabimus benignissimum Dominum, si in difficili animarum Purgatorij causâ à tribunali iustitiæ eius seuerissimæ ad misericordiæ indulgentissimæ tribunal appellatum fuerit? Nullum profectò Catholicis dubium esse poterit, modò illam à Christo Domino allatam comparationem inspexerint. Vt enim nos ad certam impetrandæ salutis à diuinâ Maiestate fiduciam informaret, Patrem suum cælestem improbo Iudici assimilauit, qui viduæ instantissimis precibus, etsi ipse nec Deum timeret, nec homines reuereretur, flexus, quidquid ab ipso petierat, ei impenderat: quò nimirum hinc nos confunderet, si firmam in Creatore spem non habuerimus impetrandæ illius, quam implorantibus se infallibiliter promisit, misericordiæ. Si enim durus omnino & alioquin inexorabilis Iudex precum instantiâ ad misericordiam præstandam inflecti potest, non poterit Deus, cuius, vt mox videbimus, natura bonitas, cuius opus misericordia? Sed nec alium reperire est ad quem cōfugere possimus, nisi ad Deum placatū. Quis enim alius, quàm ille extra quem nullus? Rectè vtiq; D. Augustinus: *Domine si debeam fugere à te, da mihi alium à te, vt fugiēs à te, possim fugere ad te.* Meritò proinde Catholici in defunctorum causâ ad Dei misericordiam appellant: etsi enim fideles illi, qui adhuc viuunt, non possint ex iustitiâ petere defunctorum à tormentis & infernali carcere liberationem, possunt tamen à diuinæ iustitiæ tribunali ad eiusdem benignitatis & gratiæ thronum, quemadmodum diximus, prouocare; vt, sicut ait ilipsus Doctorum acutissimus S. Augustinus, *cùm eis misericordiùs agatur à Domino quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis qui in Corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum Sacrificium loco suo cōmemorantur, oretur, ac pro illis quoq; id offerri commemoretur.* Plura eiusdem loci consectaria videri poterunt Capite præcedenti; nobis modò videndum est, quàm variis modis Ecclesia sancta in Officiis publicis diuinam misericordiam Purgatorij animabus imploret.

Pulchra de appellante ad Cæsaris clementiam historia.

Lucæ 18.

In Confessionib.

Quatenus viui defunctis misericordiam à

Deo petere possint.

Serm. 32. de Verbis Apostoli.

In Missali Romano certè Collectæ defunctis iuuandis propriæ multipliciter hanc exquirunt. In Commemoratione in primis omnium fideliū defunctorum hæc legitur Oratio: *Fidelium Deus omnium conditor & redemptor, animabus famulorum famularumq́, tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; vt indulgentiā quam semper optauerunt, piis supplicationibus consequantur.* In die verò obitus seu depositionis defuncti: *Deus cui proprium est misereri semper & parcere, te supplices exoramus pro animā famuli tui.* In anniuersario etiam defunctorum habetur: *Deus indulgentiarum Domine, da animabus famulorum famularumq́, tuarū.* Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus, Postcommunio: *Prosit, quæsumus Domine, animabus famulorum tuorū Pontificum, seu Sacerdotum, misericordiæ tuæ implorata clementia.* Pro defunctis fratribus, propinquis seu benefactoribus Oratio: *Deus veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuā.* Item Secreta: *Deus, cuius misericordiæ non est numerus, suscipe preces humilitatis nostræ.* Et Postcommunio: *Præsta quæsumus omnipotens Deus, vt anima fratrum,* &c. Pro vno defuncto: *Inclina Domine aurem tuā ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur.* Pro vnâ defunctâ: *Quæsumus Domine pro tuâ pietate miserere animæ famulæ tuæ.* Pro his qui in cœmeterio requiescunt: *Deus, cuius miseratione animæ fidelium requiescunt.* Pro pluribus defunctis Oratio: *Animabus, quæsumus Domine, famulorum famularumq́, tuarum misericordiam concede perpetuam.* Quibus alia permulta liceret adiungere, sed satis id vnum esse deberet, quod indies omnibus ferè Horis Breuiarij annectit Ecclesia, ac veluti Officio coronidem imponit: *Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace, Amen.* 6.

Ecclesia variis modis misericordiā diuinam defunctis exhiberi petit.

Quam iustissimam piæ Matris nostræ pro filiis suis defunctis misericordiæ diuinæ implorationem explicare nonnulli voluerunt tum ex aliis variis Scriptoribus, tum ex ipsâ etiam Scripturâ; & quidem è quarto libro Esdræ (qui licet canonicus non sit, apud viros tamen doctos non exiguæ est auctoritatis) hæc proferunt verba: *Mater quæ eos generauit dicit illis: Ite filij, quia ego vidua sum & derelicta. Educaui vos cum lætitiā, & amisi vos cum luctu & tristitiā; quoniam peccastis coram Domino Deo vestro, & quod malum est coram eo fecistis; modò autem quid faciam vobis? Ego vidua sum & derelicta: ite filij, & petite à Domino misericordiam.* Hactenus Ecclesia suam impotentiam quasi contestata est, quâ succurrere mortuis liberis nequeat; sed verba paulò pòst sequentia indicant, quomodo Deus eā per Esdram consolatus fuerit, & promiserit certissimā suam misericordiam erga illos, si pro hac diuinam ipsa 7.

Ecclesia in orando pro filiis suis defunctis, verè se matrem eorum esse cōmonstrat.

4. Esdr. 2.

maiestatem implorauerit. *Hæc*, inquit, *dicit Dominus ad Esdram: Nuntia populo meo, quoniam dabo eis regnum Ierusalem, quod daturus eram Israël. Et sumam mihi gloriam illorum, & dabo eis tabernacula æterna, quæ præparaueram illis. Lignum vitæ erit illis in odore vnguenti, & non laborabunt, neque fatigabuntur. Ite, & accipietis. Rogate vobis dies paucos, vt immorentur. Iam paratum est vobis regnum: vigilate. Testare cælum & terram. Contriui enim malum, & creaui bonum, quia viuo ego, dicit Dominus. Mater amplectere filios tuos, educa illos cum lætitiâ. Sicut columba confirma pedes eorum: quoniam te elegi, dicit Dominus. Et resuscitabo mortuos de locis suis, & de monumentis educam illos, quoniam cognoui nomen meum in Israël. Noli timere mater filiorum: quoniam te elegi, dicit Dominus.* Et clariùs adhuc inferiùs: *Iucundare mater cum filiis tuis, quia ego te eripiam, dicit Dominus. Filios tuos dormientes memorare, quoniam ego eos educam de lateribus terræ, & misericordiam cum illis faciam, quoniam misericors sum, dicit Dominus omnipotens. Amplectere natos tuos vsque dum venio, & præstem illis misericordiam: quoniam exuberant fontes mei, & gratia mea non deficiet.*

8. Nec profectò mirum est, ad Ecclesiæ luctum super defunctos filios suos misericordiarum patrem commoueri, atque ad faciendam cum illis clementiam præstò esse, cùm vnigenitus eius Filius super defuncto quoque viduæ filio, qui ex ciuitate Naim ad sepulchrum efferebatur, misericordiâ motus fuerit, & ad vitam cum mirabiliter reuocauerit: vbi D. Ambrosius per matrem viduam intelligi vult Ecclesiam, quæ suis lacrymis quotidie ad vitam spiritualem mereatur suos filios reuocare. Audiamus quid dicat, & proposito nostro applicemus. *Et hic*, inquit, *locus ad vtramque redundat gratiam, vt & citò flecti diuinam misericordiam matris viduæ lamentatione credamus, eius præcipuè quæ vnici filij vel labore vel morte frangatur; cui tamen viduæ grauitatis meritum exequiarum turba conciliet: & hanc viduam populorum turbâ septam, plus videri esse quàm feminam, quæ resurrectionem vnici & adolescentis filij, suis lacrymis meruerit impetrare, eò quòd sancta Ecclesia populum iuniorem à pompâ funeris atque à supremis sepulchri, suarum reuocet ad vitam contemplatione lacrymarum.* Et posteà: *Et si graue peccatum est, quod pœnitentiæ lacrymis ipse lauare non possis, fleat pro te mater Ecclesia, quæ pro singulis tamquam pro vnicis filiis vidua mater interuenit: compatitur enim quodam spirituali dolore naturæ, cùm suos liberos letalibus vitiis ad mortem cernit vrgeri.* Quæ D. Ambrosij verba quis defunctis animabus facilè applicari posse non videat, etiamsi de viuentium culpis ac pœnis potissimum & intellecta fuerint & scripta? Mihi declarasse suffecit, viduæ Ecclesiam repræsentantis lacrymas tam extitisse efficaces, vt misericordiâ super eisdem Saluator commotus sit, & inde similiter intulisse quòd Deus Ecclesiam, clementiam eius exposcentem, suâ petitione frustrare nequaquam soleat.

Luc. 7.

Vidua Naimitica filiũ mortuum lugens, typus Ecclesiæ Catholicæ liberos suos defunctos & in Purgatorio constitutos lugentis.

9. Cuius rei fundamentum si quis penitiùs inuestigare desideret, reperiet profectò id ex Dei naturâ sibique connaturali benignitate procedere, vtpote qui omnem miserendi occasionem aucupetur, & non misericordiæ solùm, sed etiam iustitiæ tempore, quamquam extra tempus sit, præstare omnino contendat & abundantissimè eam præstet. Nam, vt S. Leo asseruit, *Deus omnipotens & clemens, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est.* Vnde Saluator (qui diuinam humanæ naturæ coniunxit, &, vt S. Ioannes inquit, etsi Deum nemo viderit vmquam, tamen qui est in sinu Patris, ipse enarrauit) protestatus est frequenter, nihil Patri naturalius esse quàm misereri, atque eapropter se non ob aliud magis è cælo ad terram descendisse, quàm vt mortalibus diuinam eamdem misericordiam & notam faceret, & communicaret. Quod ex multis quidem locis, & illis potissimùm constat, quando discipulos suos & Pharisæos ita instruxit, vt omnes docerentur, se misericordiam quàm sacrificium malle. *Euntes autem*, inquit vno in loco Saluator, *discite quid sit, Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Alio verò in loco, *Si autem sciretis*, ait, *quid sit, Misericordiam volo, & non sacrificium, numquam condemnassetis innocentes.* Quibus explicandis varia attulerunt Interpretes, è quibus hic illos sequi animus est, qui asserunt, tam Deo esse gratum misericordiam facere, vt omnem præ eâ cultum suum, & quidem præcipuum, Sacrificium nimirum, reiiciat. D. Hieronymus in hunc locum ait, de Prophetâ Oseâ sumptum esse hoc testimonium, vt suggillaret Scribas & Pharisæos, qui sese iustos æstimantes, peccatorum & Publicanorum consortia declinabant. Et S. Ioannes Chrysostomus in Homiliis: *Ac si dicat*, inquit, *Cur accusatis me? Quoniam peccatores colligo? Ergo & Deum Patrem in hoc incusate. Sicut enim ille vult peccatorum emendationem, ita & ego. Et sic ostendit non solùm non esse prohibitum quod incusabant, sed & secundùm Legem maius esse sacrificio.*

Deus ad misericordiam exhibendam quàm ad iustitiam exercendam pronior.

Serm. 2. de Natiuit. Domini.

Ioan. 1.

Mat. 9. & 12.

Deus adeò misericordiã amat, vt eam Sacrificio & cultui suo præferat.

10. E quibus colligendum esse constat, declarari qualis naturę Deus sit. Quid enim efficacius, quid apertius dici poterat, vt omnes facillimè intelligerent, diuinam naturam bonitatem esse, è quâ, velut eius opus, profluat misericordia, quàm adstruendo, nihil æquè, nec ipsum quidem Sacrificium, illum oblectare, quàm vt occasionem habeat exercendæ in afflictos atque tribulatos misericordiæ & clementiæ? Numquid naturale hoc est omnibus creatis quæ vel imaginatione quidpiam percipiunt, vt ferantur in illud, quod naturæ, conditioni seu complexioni suæ norunt esse conformius? Si hoc in creaturis, quæ Creatoris sui aliqualem saltem similitudinem referunt, ita esse videmus, an non potiùs in eodem ipso verum id esse concedendum est, à quo naturam hũc veluti emutuãt! Sed ab iis quę ὀφθαλμοφανῶς interim dum hic viuitur, cernimus, exemplum capiamus. Vnde, quæso, euidentiùs cuipiam constabit, eiusdem naturæ esse parentes & filios, quàm si viderit illos tam vehementi in hos ferri amore, vt tamquam seipsos ament, nec minùs illis, quàm sibi, benè cupiant atque faciant. E gallinæ itaque cum pullis, & matris cum filiis comparatione suprà docuimus, Filium Dei, atque adeò ipsum Deum Patrem, cui is omnino connaturalis est, vehementissimè genus humanum amare: quia nempe quod in corde suo Christus habuit, opere declarauit; & quòd in Patris sui sinu reconditum vidit, homo factus hominibus enarrauit. Enarrauit, inquam, Dei naturam non esse aliam quàm bonitatem, & affectum eius potiùs misericordiam & benignitatem ambire quàm Sacrificium. *Discite*, inquit, *quid sit, Misericordiam*

Dei natura bonitas esse ostenditur.

Lib. I. Ca. II

cordiam volo, & non sacrificium. Quid hoc est, an non, piissime Saluator, ideò in mundum venisti, vt Patris tui potiùs causam quàm propriam ageres? Nónne dixisti, *Non quæro voluntatem meam, sed eius qui misit me?* & iterùm, *Ego autem non quæro gloriam meam?* Cur ergo Sacrificium, quod Patrem tuum concernit, postponis misericordiæ, quæ homines spectat? Sed respondebis, Magis ad eum pertinet misericordia quàm sacrificium, magis ad eum spectat quod amplius amat, & quod naturæ ipsius est congruentius. Ad hominem quidem pertinet, offerre sacrificium, quia homo est, & vt se talem agnoscat; ad Deum verò, misericordiam præstare, quia natura eius est bonitas, & opus eius est misericordia. Redeamus ad similitudinem amoris inter naturales præcipui, matris nimirum in filium. Si is tantus est, vt omnia superet; si is, quia tantus est, matris cum filio naturæ est declaratiuus; quis mirari possit, supernaturalem atque ipsissimam Dei bonitatem, quis æterni Patris Filium, misericordiæ inquam diuinæ consubstantialem, tantò maiori quantò perfectiori affectu, desiderare ac procurare omnibus suæ naturæ consortibus clementiæ atque pietatis effectum? At quoniam in purgandis spiritibus locum hunc quoad Christum habere, sat multis posteà occasionibus demonstraturi sumus, nunc de totius Trinitatis misericordiâ agere instituimus, & ostendere, omnes personas diuinas in illam, velut in scopum proprium, collimare, vt in quibuscumque, quandocumque, quotiescumque & quantumcumque possunt (iustitiâ conniuente) clementiam operentur. Licet ergo connaturalis Patri ac Spiritui sancto Deus Filius abundantissimè palàm fecerit, quanta sit ad commiserendum vniuersis diuina propensio, tamen quia hoc loco omnes & singulos excitare nostri est animi, vt pro mortuis misericordiam Dei planè confidenter exposcant, toti sanctissimæ & superbeatissimæ Trinitati eam competere inprimis adstruemus. Vt aliud quoque ex hoc videamus, esse misericordiæ fundamentum, quòd Deo obediamus, gratificemur atq; obsequium quodammodò præstemus, expetendo misericordiam.

Ioan. 5. & 8.

Offerre sacrificium hominis est, Dei verò misereri.

11. Certa in primis est præstantissimorum Scholasticorum doctrina, Dei attributa, quæ *ad extra* vocant, tribus Diuinitatis personis esse communia: vnde Ecclesia Catholica de misericordiâ id quàm plurimis declarat, prout in Festo eiusdem SS. Trinitatis videre licet, quando Patri & Filio & Spiritui sancto eamdem perfectionem multoties disertis verbis attribuit. In Introitu primùm statim initium Missæ, *Benedicta sit*, inquit, *sancta Trinitas atque indiuisa vnitas: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.* In Offertorio similiter: *Benedictus sit Deus Pater, vnigenitusq; Dei Filius, sanctus quoque Spiritus, quia fecit nobiscum misericordiam suam.* Ac demum in Postcommunione: *Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.* Vt eapropter non absurda aut inutilis sit Mysticorum quorumdam pia & vsitata deuotio, qui, vt efficaciùs, quod petunt impetrent, mente sese atque animo veluti in medium trium personarum diuinarum insinuant atque constituunt, & vt misericordiam ab iis obtineant, Patris omnipotentiam, Filij sapientiam, & Spiritus sancti bonitatem ardenter implorant. Quâ ex consideratione, aut conceptâ Dei præsentia, euenire solet, vt homo vehementer ad fiduciam accendatur, ac faciliùs desiderij sui compos fiat. Nam ad hæc an aliquid efficacius esse possit, quàm cogitare ac firmissimè credere, Patri æterno omnia possibilia existere, omnia vnigenitum eius Filium per infinitam suam sapientiam ad salutem & gloriam nostram perfectissimè disponere, ac Spiritum sanctùm non minori bonitate suâ velle vniuersa, quæ potest Pater & nouit Filius, ad hominum profectum exequi atque complere? Neque hæc dicimus, quòd inter personas illas æquales istorum attributorum distinctionem vel faciamus vel esse adstruamus, cùm, vt anteà dictum est, attributa huiusmodi *ad extra*, vt vocant Theologi, tribus personis communia sint; sed quòd à doctis plerumq; ista fiat applicatio, tum, quia in aliquo horum prædictæ personæ ad extra ampliùs excelluerunt, tum etiam, quia faciliùs perfectiones eædem à nobis concipiuntur, si inter se clariùs distinguantur. Concipiuntur, inquam, tantò clariùs, quantò articulatiùs distinguuntur, vt & tantò ampliùs concipiantur & distinguantur, nobisque innotescant diuinæ misericordiæ: quia, vt suprà exposuimus, omnes reliquæ Dei perfectiones clementiæ ipsius subseruiunt, ipsam commendant, ipsam extollunt. In primis omnipotentia; quia Ecclesia sic orat: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas.* Sapientia verò, quia iterùm sic orat eadem Ecclesia: *Dirigat corda nostra, quæsumus Domine, tuæ miserationis operatio.* aut sic: *Deus, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus, vt noxia cuncta submoueas, & omnia nobis profutura concedas.* adeò vt misericordiam Dei secundùm prouidentiæ ac sapientiæ eius ordinatissimam dispositionem meritissimè exposcat. Sed quoniam de his aliisque attributis diuinis, eius clementiam prouocantibus, loco suprà assignato satis in communi dictum est, hoc loco ad particulares diuinarum personarum proprietates, omnipotentiam nimirum, sapientiam & bonitatem, descendere malumus, atque ostendere, tribus illis personis ideò huiusmodi perfectiones speciatim esse attributas, quia per easdem misericordiam singulæ quodammodò exercuerunt.

Misericordia Dei est opus ad extra, vt vocãt, adeoq; toti SS. Trinitati commune.

Attributa personarum SS. Trinitatis, à Theologis assignata, nullam in sacratissimâ Diuinitate diuisionem constituunt.

Li. I. Cap. II

Orat. Domin. 2. post Pentec.

Dom. XVIII.

Domin. VII.

Omnipotentia ac Sapientia Dei ad misericordiã exercendam concurrunt.

Aurea sunt illa Apostoli verba: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis, Amen.* in quibus Deo Patri charitas, Filio gratia, Spiritui sancto communicatio tribuitur, tamquam singuli operam suam ad misericordiam hominibus exhibendam contulerint, Pater charitatem, Filius gratiam, & Spiritus sanctus communicationem. Quid hoc est, charitas, gratia, charitatisque seu gratiæ communicatio? numquid hæc tria sunt eadem? Cur igitur, veluti diuersa essent, diuersis sanctissimæ Trinitatis personis attribuuntur? Vt nimirum hinc intelligamus, etsi omne opus Dei, charitas, gratia, eiusque communicatio, in se vnum sit, quemadmodum & vniuersa Dei attributa vnum sunt, hanc eamdem tamen atq; vnam misericordiam pluribus viis ac modis in creaturas à Creatore diffundi. Et quidem per omnipotentiam suam Pater charitatem, per sapientiam Filius gratiam, per bonitatem suam Spiritus sanctus

12. 2. Cor. 13.

Quare Patri charitas, Filio gratia & Spiritui sancto communicatio tribuatur.

 ctus

ctus charitatis & gratiæ communicationem exercere solet: omnipotentiæ verò effectus charitas, gratia sapientiæ, bonitatis communicatio nominatur, quia videlicet Pater, cui omnipotentia tribuitur, omnia quæ potuit ex merâ charitate præstitit; Filius, cui sapientia, mirâ nos adinuentione per Incarnationem, cùm à Dei charitate excidissemus, reuocauit in gratiam; Spiritus etiã sanctus, cui bonitas adscribitur, per omnimodam illam bonitatem nobis totam diuinam charitatem & gratiam conferre consueuit: vt proinde & Pater in suâ omnipotentiâ charitas, Filius in sapientiâ gratia, Spiritus sanctus in bonitate suâ communicatio appelletur. Rem hanc antequam ex Scripturis vlterius stabiliamus, aptâ cumprimis similitudine ad faciliorem sequentium intelligentiam elucidabimus. Aiunt in hominibus à Deo fieri, quod à Medico in ægro. Vnica adhibenda est & adhiberi potest infirmæ secundùm spiritum humanæ naturæ medicina, diuinæ misericordiæ participatio. Quis hanc Medicus præscribet? quis pharmacum hoc ordinabit? Pater æternus. Sic enim *Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*: qui & *Filium suum misit in mundum, non vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Ecce desperato mundo præsentissimum antidotum, cuius confectionem, haud secùs ac peritissimus pharmacopola, in se Filius Dei suscepit, naturamque humanam, in quâ vt homo moreretur, vt Deus culpam malitiæ infinitæ dissolueret, assumpsit. Accessit qui ægro hanc potionem ebibendam suauitate atque efficaciâ suâ porrigeret, Spiritus sanctus. Ecce quid Pater, quid Filius, quid Spiritus sanctus in vnâ misericordiâ faciant, ex triplici vnius infirmo exhibendæ potionis medicæ officio declaratum habes: singula nunc, quoad præfatas personarum diuinarum functiones, in misericordiæ executionem ordinata probabimus.

Res explicatur similitudine.

Ioan. 3.

13. *Patris omnipotentia in misericordiâ quàm prona.*

Inprimis, quàm effusa sit ad clementiam hominibus exhibendam Patris omnipotentia, Psalmista Dauid notum facit, dum Deum omnia misericordiæ causâ condidisse profitetur. Cùm enim vniuersa, quæ Deus in creatione potenter fecit, recensuisset, singulis subiunxit, *quoniam in æternum misericordia eius*. Quæ in creatione atque conseruatione hominis præstita misericordia quanta & quàm potens fuerit, paucis accipe. Produxerat reliqua omnia vno verbo *Fiat* (*Fiat lux, & facta est lux; fiat firmamentum, & factum est, &c.*) cùm verò ad hominem ventum est, qui nimirum clementiæ diuinæ capax est, *Faciamus*, inquit Pater omnipotens ad Filium & Spiritum sanctum, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* En non solo vnico verbo, vt reliqua creata, sed præuio consilio homines producere voluit, vt nimirum quidpiam efficeret quod tum potestate suâ esset dignum, & misericordiæ capax. Secutus est dignus tantæ deliberationis effectus: *Formauit* enim *Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* O potens verè Patris misericordia, misericors Patris potentia! Hominem, licet miserrimum, aut potiùs nihili, quàm potenter efformasti! *Formauit hominem de limo terræ.* O misericordia, quæ tam miserò, ex vilissimâ materiâ creato, succurristi! O omnipotentia, quâ ad imaginem tuam & similitudinem illum ex bonitatis tuæ abundantiâ fecisti! quâ violento potentiæ tuæ afflatu, in faciem eius inspirasti vitæ spiraculum, ex quo factus fuit homo & humus in animam viuentem, immortalem, in omnem nempe æternitatem victuram!

Psalm. 135.

1. Omnia creata in misericordia.

Genes. 1.

Genes. 2.

Alterum indicium effusæ pro misericordiâ declarandâ omnipotentiæ hoc est, quòd vniuersa quæ fecit, hominum vsui imperioque subiecerit. ait enim Psalmographus: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersâ terrâ!* Sed quid homini ex tantâ magnificentiâ, tantâ ex potentiâ accessit? *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, gloriâ & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* En misericordiam: sed quàm effusam? *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi: volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.*

2. Omnia homini ex misericordiâ subiecta.

Psalm. 8.

Tertium argumentum capiamus ex peccatorum punitione. Satis, credo, ex dictis l. 1. cap. 2. constat, quantam in Deo reperire possimus misericordiam erga hominem, licet subitò mortuum & damnatum: & hoc quidem quoad ipsum damnatum, quantò id verius erit, si dicamus respectu bonorum, quorum vexæ scandaloque resecando causâ facta aut saltem accelerata fuit ista punitio, in potentiâ suâ Deum clementer egisse. Moysis & Israelitarum de submerso in mari rubro Pharaone & eius exercitu, hoc erat epinicium: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est: equum & ascensorem proiecit in mare. Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Iste Deus meus, & glorificabo eum. Deus patris mei, & exaltabo eum. Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius.* & infrà: *Dux fuisti in misericordiâ tuâ populo quem redemisti, &c.* In quo & omnipotentia & misericordia non solùm coniuncta reperiuntur, sed istius ad huius executionem dispositio facile agnosci potestque quoniam de Patris diuini potentiâ, clementiæ subseruiente, abundum præbeat testimonium, idem in Filij æterni sapientiâ declaratum imus.

3. Ob quam & iniqui puniti.

Exod. 15.

14. *Filius Dei omnē in misericordiæ exhibitionem sapientiam adhibet.*

Quantum ad misericordiam nobis exhibendam potestate suâ infinitus est Pater, tantum & Filius sapientiâ: cuius quotquot acta leguntur, rei, quam probamus, habemus argumenta. An non insigniter sapientiâ vsus est, dum in desperatâ hominum salute (vtpote cùm Deus iustitiæ suæ satisfactum vellet, nec id finitus homo pro infinitæ malitiæ culpâ valeret) Incarnationis mysterium adinuenit & adimpleuit, vt sic tamquam homo patiendo satisfaceret, qui secundùm naturam suam diuinam infinitus esset vt solueret? Mysterium istud quis Verbi Dei sapientiæ negabit esse adscribendum, si ad voces solùm eas attenderit, quas pro obtinendâ Incarnatione sanctos in Limbo Patres emisisse supponit sancta mater Ecclesia in Antiphonis ante-natalitiis, quarum prior est huiusmodi: *O Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti, attingens à fine vsque ad finem fortiter, suauiterq; disponens omnia: veni ad docendum nos viam prudentiæ.* Sapientia ergo Dei fuit, quæ medium humanæ naturæ saluandæ adinuenit, quæ venit vt doceret nos viam prudentiæ. Quantum ergo Pater fecit potentiâ, tantum & Filius sapientiâ. *Omnia in sapientiâ fecisti, impleta est terra possessione tuâ.* Idcircò enim Dei Filius, qui sapientia dicitur, è cælo descendit, vt vniuersam terram adimpleret. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem*

Psalm. 103.

Prouerb. 8.

vocem suam. In capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua, dicens: Vsquequò paruuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt scientiam? Conuertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. Ceterùm quanta fuerit, dum nobiscum viueret, Christi sapiētia, tum ex libris Sapientialibus, tum ex aliis sacræ Scripturæ textibus abundè colligitur: obiter solummodò nonnulla tam sublimis sapientiæ indicia insinuamus. Assumptione humanitatis non solùm hominem redemit, sed in illa infirmitatem humanam expertus est, vt disceret ex illis quæ passus est, obedientiam, vt in illo non haberemus Pontificem qui non posset compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato; vt in seipso omnes non verbo solùm, sed & exemplo instrueret, quemadmodum inter alias virtutes de humilitate professus est, inquiens: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*; vt afflictos ac peccatores etiam desperatos à se non deterreret, quod Iudæis contigit, qui Moysem Dei loco expetebant adire; sed eos ad se peramanter allíceret, atque per semetipsum familiariter inuitaret, inclamans: *Venite ad me omnes qui laboratis atque onerati estis, & ego reficiam vos.* Quid quòd & in se Imaginem exhibuerit, quam imitari oporteret eos qui ad cælestem gloriam adspirant? nimirum *quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui.* Adde quòd, vt S. Thomas ait, vnigenitus Dei Filius, suæ diuinitatis volens nos esse participes, naturam nostram assumpserit, vt homines deos faceret factus homo. Sed & S. Leo Magnus aliud ex Incarnationis mysterio magnum sapientiæ Saluatoris attulit argumentum; hac nimirum viâ deceptum etiam fuisse diabolum. Quid autem, inquit, inter omnia opera Dei, in quibus humanæ admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis nostræ oblectat & superat, sicut passio Saluatoris? Qui vt humanum genus vinculis mortiferæ præuaricationis absolueret, & sæuienti diabolo potentiam suæ maiestatis occultauit, & infirmitatem nostræ humilitatis obiecit. Si enim crudelis & superbus inimicus consilium misericordiæ Dei nosse potuisset, Iudæorum animos mansuetudine potiùs temperare, quàm iniustis odiis studuisset accendere, ne omnium captiuorum amitteret seruitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem. Infinita alia hisce conformia liceret adiungere, sed paucis, quæ sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum & alia duo concernunt, allatis absoluimus.

Quanta Christi Sapientia docet Scriptura.

Hebr. 5.

Hebr. 4.

Matth. 11.

Ibidem.

Rom. 8.

Opusc. 57.

Serm. 10. de Passione Domini.

14. Multam sanè misericordiam Dei Ecclesia per Verbi incarnati sapientiam acquisiuit dum in mundum venit, multò tamen maiorem quando è mundo discessit. Mirum profectò videri potest, quòd Dei sponsa, quæ Ecclesiam designat, initio statim Canticorum libri, Filij Dei Sponsi sui aduentum ardenter admodum desideret. *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui; quia meliora sunt vbera tua vino.* In fine verò libri eiusdem, postquam iam copiam habuisset dilecti sui, veluti illius pertæsa clamet: *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloq; ceruorum super montes aromatum.* Mirum, inquam, istud videri posset, nisi dicendum esset, Spiritum sanctum, cuius illa instinctu eadem hæc verba protulit, indicasse, diuinam Sapientiam maiora emolumenta a mundo recedentem, quàm in eūdem venientem attulisse. Tria in computum veniant præ reliquis aliis. Ratione sui è mundo discessus inprimis Christus Eucharistiæ instituendæ occasionem sumpsit. Vt enim, inquit suprà adducto loco S. Thomas, huius charitatis immensitas fidelium cordibus insigeretur, in vltimâ cœnâ, quando Pascha cum discipulis celebrato transiturus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacramentum instituit, tamquam passionis suæ memoriale perenne, figurarum veterum impletiuum, miraculorum ab ipso factorum maximum, & de suâ contristatis absentiâ solatium singulare. Explicemus, quæso, rem ampliùs, & facilè videbimus, quàm sapienter Christus ex suo discessu misericordiam in vtilitatem nostram promouerit. Bellum quodammodò ciuile & intestinum gerebant in Saluatoris corde amor & amor, an nimirum potius cum hominibus diutiùs secundùm carnem visibiliter versandum esset, an opus salutis citiùs moriendo perficiendum. Quid agat in hac luctâ? Ab iis separari, quos adeò diligebat, vix poterat: differre diutiùs liberationem illorum à damnatione omnino nolebat. Quid itaque agendum? Medium suggessit sapientia, sanctissimæ Eucharistiæ institutionem, quâ & abiret à suis vt redimeret, remaneret cum ipsis vt efficaciùs redemptionem, passionem & mortem iis communicaret. O sapientissimum æquè ac misericordissimum consilium! Abit, vt propiùs accedat: accedit propiùs, vt abire sibi liceat. Nam quia visibiliter recessit, inuisibiliter tamen, imò & corporaliter, intus in animam intrauit. Et quia corporaliter moriebatur, spiritualiter viuere cœpit. Quò ampliùs diuisus est, ampliùs vnitus nobiscum fuit: imò tantum potuit ab oculis nostris sola Christi separatio, vt mente & corpore vnum atque vnus nobiscum esset. Quod vt exprimeret S. Augustinus, in illa Saluatoris verba, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo,* sic commentatur: *Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere.* Alterum, quod Christi sapientia in eius è mundo abitu nobis exhibuit beneficium, est, quòd cælum, hactenus seris & vectibus fortissimis obseratum, aperuerit, & illuc, in eo nobis paraturus locum, ascenderit. Fatetur hoc ipsemet apud S. Ioannem, vbi, vt discipulos animet, *Vado*, inquit, *parare vobis locum. Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterùm venio, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis.* Pulchra sunt, quæ S. Leo scripsit hunc in finem. *Quia igitur*, inquit, *Christi ascensio, nostra est prouectio; & quò præcessit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis.* Item: *Tunc igitur, dilectissimi, filius hominis, Dei Filius excellentiùs sacratiùsq; innotuit, cùm in paternæ maiestatis gloriam se recepit, & ineffabili modo cœpit esse diuinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior. Tunc ad æqualem Patris Filium eruditior fides gressu cœpit mentis accedere, & contrectatione in Christo corporeæ substantiæ, quâ Patre minor est, non egere; quoniam glorificati corporis manente naturâ, eò fides credentium vocabatur, vbi non carnali manu, sed spirituali intellectu par Genitori Vnigenitus tangeretur.* Tertium denique beneficium, quòd post suum à nobis discessum, de cælo demiserit

Etsi licet in vitâ suâ multis ostenderit, pluribus tamen in fecit in absentia.

Occasionem primò accepit instituendæ Eucharistiæ.

Parandi nobis etiam in cælo locum.

Ioan. 14.

Serm. 1. de Ascensione Domini.

Serm. 2.

Tertiò mittendi Spiritum sanctum.

ferit Spiritum sanctum, cum vniuersarum gratiarum ac charismatum affluentiâ. Quod quantum sit declarabimus, modò priùs attulerimus verba Christi, quibus asseruit, non potuisse eumdẽ Spiritum, nisi post Ascensionem suam, à discipulis

Ioan. 16. recipi. ait enim: *Ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Misit igitur Saluator, postquam abiisset, Spiritum sanctum. Quantum, inquam ergo, hoc est?

Sap. 1. Quantum non est quod omnia est? *Spiritus enim Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Quid est id quod continet omnia, nisi misericordia & charitas Dei,

Li. I. Cap. II. quæ, vt suprà diximus, omnia complectitur? at-

Hebr. 12. que illa scientiam habet vocis, vtpote quæ, iuxta id quod de efficaciâ aspersionis sanguinis Christi dicitur, meliùs loquitur quàm sanguis Abel. Meliùs; quia ille ad vindictam clamabat, vox verò Spiritus sancti inuitat ad gratiam. Meliùs, quia ille contra vnum clamat, hic pro omnibus. Meliùs, quia quod ille clamauit, non obtinuit, datâ scilicet veniâ Caino; hic verò ita clamat, vt simul

Rom. 5. efficaciter cogat. *Continet omnia, & scientiam ha-*

Psal. 118. *bet vocis. Misericordiâ Domini plena est terra. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Ecce quomodo Dei Filius sapienter ascenderit, vt diuinam in nos bonitatem diffunderet, vt charitatem vniuersam Dei, eiusq; fructus omnes & effectus, dona & gratias, vno quasi impetu in animas nostras immitteret. Fi-

Insignis figura Christi mittentis Spiritum sanctum.

Ezech. 10. guram rei huius habemus in Ezechiele, vbi visus est homo indutus lineis: cui cùm è cælis dictum esset vt sursum ascenderet, & ingrederetur inter medium rotarum subtus Cherubim, ignemque inde sumeret & effunderet super Ierusalem; manum suam prunis impleuit, easque in Ierusalem ciuitatem proiecit. Quid homo iste, nisi Filium Hominis significat; qui rectè lineis vestitus describitur, quòd veluti linum contusus, pulsatus & pectinatus fuerit in suo quo vestitus fuit corpore. Iussus est ille in cælum ascendere; quia expleto vitæ suæ ac passionum curriculo, à Patre æterno ad æternam gloriam pro humilitatis atque obedientiæ remuneratione accipiendâ vocatus est, interque rotas cælestium orbium ordinumque, inter ipsum diuinæ Maiestatis ignem collocatus fuit: vnde iussus quoque ignis prunas, Spiritus sancti dona atque gratias, imò vniuersas ignis diuini diuitias, assumere, & super ciuitatem Ierusalem, hoc est Ecclesiam effundere. Idipsum perfecit ipso sacrosancto Pentecostes die, quo, vt

Act. 2. in Actis legimus, *apparuerunt* Apostolis *dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditq; super singulos eorum.* Iam quid porrò actum? *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Ecce quid sit, *Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.* vnde & apud Ezechielem in præfatâ visione additum est: *Et sonitus alarum Cherubim audiebatur vsque ad atrium exterius, quasi vox Dei omnipotentis loquentis.*

15. Bonitatem porrò, charitatem & misericordiam, quæ per Spiritum sanctum tota diffusa est, & quam nos pro Purgatorij animabus potissimùm requirendam adstruimus, inspiciamus: pro quo notari poterit differentia quæ est inter Legem antiquã & Legem gratiæ. Lex antiqua tempus illud continet, quo, necdum diffusâ diuinâ

Quomodo per Spiritum S. communicata hominibus Dei bonitas.

in nos clementiâ, graue illud Iudæorum, veluti mancipiorum aut seruorum, onus portandum erat: Lex verò gratiæ illo tempore inchoari cœpit, quo ab legis seruitute ac diuinæ iustitiæ rigore exempti per Spiritus sancti missionem Christiani, eiusdem charismatibus præueniri ac superabundare cœperunt. Intelliget hæc facilè, qui vel ipsam Pentecostes solemnitatem inspexerit. Vbi obseruandum, duplex reperiri Pentecoste, Legis veteris, & præsentis. Istud huius fuit *Declaratur*
figura, & meritò: nam quemadmodum in illo *ex festo Pen-*
data est Lex diuina, ita eadem in hoc est imple- *tecostes.*
ta, vt Christus apud S. Matthæum dixit, *Non veni* Math. 5.
legem soluere, sed adimplere. In illo *cœperunt audiri* Exod. 19.
tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem: in hoc *factus est de cælo sonus tamquam* Act. 2.
aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi Apostoli *erant sedentes, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ,* &c. Ibi offerebant Iudæi duos panes azymos primitiarum: hic post aduentum Spiritus sancti cœperunt Apostoli metere regiones, quas Christus Dominus ad messem albas esse dixerat, & obtulerunt duos panes primitiarum, id est duas gentes, Iudæorum & Gentilium. Vnde & tunc mysticè immolari cœperunt agni, id est innocentes; & arietes, id est Pastores; & vituli, id est superbi; & hœdi, id est peccatores fœtidi: qui omnes propter Christi conuersionem martyrio immolari cœperunt. Sed quantò res ipsa vmbrâ suâ est præstantior, tantò & nostrum Legis nouæ Pentecoste illo Iudæorum longè est excellentius. Differentiam sane inter Legem nouam & antiquam ostendit S. Ioannes in suo Euangelio, dum ita ait: *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* quasi diceret: Longè alia lex est, quam Deus Moysi tra- *Iudæi serui,*
didit, & quam per Christum: nam vetus illa, quæ *sed liberi*
Christiani.
in monte Sinai tradita fuit, in seruitutem generat, estque adumbrata per Agar quæ cum filiis suis seruit; nostra verò & noua tradita fuit in Sion, quo libertas illa significatur quâ nos Christus donauit. Nos igitur, instar filiorum, amore & teneritudine ad implendam Christi legem inducimur; Iudæi verò, vtpote serui, timore & rigore adigebantur. Deinde, Lex vetus mirum in modum erat difficilis. Dicit enim Abulensis, tot Iudæos habuisse præcepta, quot in anno sunt dies; & Galatinus docuit, Moysaicæ Legis præcepta esse sexcenta & tredecim. Vnde D. Petrus in Actis aiebat: *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque Patres nostri neque nos portare potuimus.* Et D. Paulus: *Non accepistis spiritum seruitutis iterùm in timore.*

Aliquot legis nouæ & veteris differentiæ.

Lib. 1. Serutinij.

Lib. de Fide & legib.

Act. 15.

Lex verò noua facilis est, dicente Christo Domino, *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Insuper maximæ fragilitati obnoxia erat lex antiqua, vnde & omnis populus Israëliticus, & ipse legifer Moyses, murmurarunt contra Dominum iuxta Aquas contradictionis; vnde non potuerunt Terram promissionis intrare, nisi Caleb & Iosue. Imò ipse Apostolus Petrus, visis licet tot Christi miraculis, filiæ Archisynagogi à morte excitatione, & Domini in monte Thabor transfiguratione, eumdem ter posteà abnegauit. Lex verò gratiæ sui obseruatores adeò confirmat & stabiles reddit, vt ne trãsuersum quidem vnguem ab eâ deflectant, nec vllis se ab illâ periculis dimoueri patiantur. Vnde Christus: *Ecce ego mitto* Math. 10.
vos

Math. 11.

vos sicut oues in medio luporum. Item: *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Quapropter ille qui anteà

Rom. 8.

Ecclesiam persecutus fuerat, sic ait: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* & infrà: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Videtur profectò adimpleta illa figu-

1. Regũ. 10.

ra, vbi Samuel ait ad Saülem: *Insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alterum.* quod in Apostolis & Martyribus abunde apparuit: qui in tormentis suis veluti

Iudicum 14.

Sampsones effecti sunt; de quo legitur: *Irruit Spiritus Domini in Sampson & dilacerauit leonem quasi hædum in frusta discerpens, nihil habens in manu suâ.* Sed & alia tertiò distinctio est inter legem seruitutis & Spiritus: nam in illa difficulter admodum peccatum originale dimittebatur, vti facillimè fit in hac. D. Paulus ad Romanos 4. Abraham, inquit, signum accepit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei, vt sit pater omnium credẽtium.

Genesis 34.

& tamen ex Scripturis cõstat quòd dolor grauissimus atque acutissimus esset, quandoquidem filij Israel habitatores vrbis Salem facillimè occidere potuere propterea, quòd tertio post circumcisionem eorum die seipsos defendere non

Exodi 4.

valerent. Sephoræ de marito suo Moyse vox lamentationis fuit, *Sponsus sanguinis mihi es.* Idque non aliam ob causam quàm quia circumcidere filium suum ex voluntate Moysis debuerat. accedit quòd non rarò ex violento circumcisionis dolore homines morerentur. Quæ si cum remedio quo in noua Lege peccatum originale dimittitur conferantur, plusquam crudelia videri possunt. Ioannis etenim 3. capite Christi fuit effatum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.* Porrò quanta sit differentia inter circumcisionis incisionem & aquæ ablutionem nemo est qui non videat, modò videat. Quartò; si de peccato quoque actuali aliquid velimus hic annotare, statim videbimus, quam sit magna remissionis huius in Euangelicâ, quam sub lege Moysaicâ erat, distãtia. Licet enim in priori pronus quoque foret Deus ad peccati remissionem: tamen longa restabat remissis culpis exigenda pœnitentia, vt non inter vulgares solùm personas, sed præcipuas etiam, Moyse nimirum, Aarone, Dauideque & aliis actam nimis

Vide Cap. xxvj. sequẽti.

quàm constat. Sed quid de actualium remissione in Lege nouâ? Ioannis 20. *Insufflauit eis* (IESVS) *& dixit: accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur illis.* Quintò denique in Lege antiquâ obdurabantur peccatores in malo iuxta Isaiam: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, &c.* In præsenti autem Testamento locum habet quod ad Romanos 8. D. Paulus: *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram, nam quod oremus, sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus;* id est, aiunt Patres, excitat nos, neque desinit donec eliciat gemitus & lacrymas ad pœnitentiam.

16.

Spiritũ sanctum misericordiâ suâ homines ab interitu vindicare prolixo sed illustri exemplo demonstratur.

Hoc autẽ vt clariùs omnibus pateat, & vniuersos ad eamdem Spiritus sancti clementiam participandam expetendamque confidentiores efficiat, exemplo rem illustrare conabimur cuiusdam, quem Spiritus sanctus, à Patre iam æterno vnigenitoque eius Filio æternæ damnationis reum iudicatum, misericorditer liberauit, atque cælesti gloriâ donauit. *Erant*, inquit Speculum exemplorum, *duo fratres vterini honestu satu orti parentibus, qui causa discendarum litterarum missi ad studium Parisiense, etsi parili voto ciuitatem intrauerant, dispari tamen & nimis contrariâ viâ incedebant.*

Speculum exemplor tit. Confessio. Exempl. 29.

Nam iunior, vtpote timens Deum, negotium, ob quod ad studium venit, diligentiùs prosequens, litteris operam dabat, lectioni instabat, deuotioni animum inclinabat, & (ne se se alienâ malitiâ ab ingenitâ probitate subuerteret, prauorum sodalitia, vt perniciosissimam salutis suæ pestem studuit euitare, ornabat moribus pueriles annos, ætatem virtute vincebat. Senior verò per alios tramites non tam incedens quàm devians, velut erratica ouis per vitiorum anfractus ferebatur, & dimisso studio, oblitáq; causæ ob quam & venerat, insolentibus quibusdam sociis iunctus, nobile tempus lusibus deducebat, vacabat potibus, taxillis paternam substantiam distrahebat, & (quod his omnibus infelicius erat) vsqueadeo femora sua meretricibus inclinabat, vt velut ingentem quamdam iacturam passus ingemeret, si quauis occasione vel vnum diem absque fornicationis crimine transegisset. Cumq; sic continuatâ malitiâ miser plurimos dies perageret, cresceretq; vehementiùs semel inchoata peruersitas, cœpit improba iuuenis fama aërem ipsum inficere puriorem, & ad omnium nares tam horrendum quemdam scelerum fœtorem ingerere, vt non solum Studentes, sed etiam plebeia multitudo reprobam eius vitam inciperet abhorrere. Quod cùm iunior frater didicisset, semel, bis, ter, iterùm atque iterùm fratrem postulabat, vt intuitu tremendi iudicij à tãtis sceleribus animum reuocaret. Sed cùm ille ferreo quodam seu æneo pectore saluberrima monita in dies refutaret, nolletq; finem dare tantæ miseriæ, iuuenis zelo fraternæ salutis accensus lacrymatus est, dicens: Spernis, germane dulcissime, Spiritum Dei, te nũc per me admonentem, & quasi ludum paruulorum quidquid minatur irrides; veniet, veniet dies illa, & cito veniet, quâ te Spiritui sancto tam obstinata mente restitisse pœnitebit. Et his dictis abscessit: interim tamen anxiè satis petens Dominum, vt ipse durissimum fratris animum ad pœnitentiam emolliret. Dominus autem, qui non spernit vota piorum, nolens piissimum iuuenis animum tam acerbis tristitiarum procellis diutiùs agitari, repentinâ & grauissimâ infirmitate fratrem percussum ad lectum prostrauit. In quo cùm iaceret, & pauidâ mente quæ fecisset recoleret, incepit miser, multitudine scelerum pressus, ad barathrum desperationis proruere. Quadam igitur nocte vidit virum quemdam venerandâ tectum canitie, vultu decorum, & fulgidâ stolâ vestitum sibi assistere, seseq; seueriùs intueri. Vnde, quia semper præsumit sæua perturbata conscientia, animo & mente consternatus, cœpit toto corpore tremere, & territis luminibus in seniorem versis, quisnam esset qui intempesta noctis caligine ad se terrendum venisset, inquirere. Et senior, Ego sum, inquit, Pater cælestis, qui te cùm non esses creaui, qui tabidis tuis membris vitam infudi, qui animam potentiis & corpus sensibus illustraui, qui Solem, & Lunam, & sidera ad tuum obsequium cælis infixi, qui te nimiâ charitate diligens, vt desertâ malitia virtutibus animum dares, vt ageres pœnitentiam, vt corrigeres vitam, frequenter admonui. Sed nunc, eò

Iuuenis quidam totum se improbæ vitæ mancipat.

A fratre monitus, nec quidquam emendatur.

Ægrotat.

Deus Pater illi apparet, & barathro eum adiudicari mereri ait.

quod

quòd obstinatâ mente monita salutis hactenus semper abieceris, veni ad te, vt dicerem tibi quòd sis filius mortis perpetuæ. Hac igitur responsione confusum & graui sudore madentem reliquit. Cumq; iam miser per totum reliquum noctis, & posteram diem, timens ac tremens illam horrendam horam expectaret, quâ secundùm cælestis Patris oraculum ad æterna fuerat supplicia meaturus, proximâ nocte venit ad eum iuuenis quidam, viro priori vultu haud multum dissimilis, nudus corpore, coronatus sentibus, crucis grauissimam trabem ferens in humeris, qui per lacerum vulneribus pectus abundè satis sanguinem videbatur effundere. Hic cùm propiùs accessisset, & iuuenem, vtrùmne se agnosceret, interrogasset; respondit ille: Non agnosco, sed meo iudicio illi, qui hesterno vesperi malâ denuntiatione deterruit, videris esse simillimus. Et ille, Ne mireris, inquit, me similem illi, cum quo mihi est vna diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas: sum enim Christus Iesus filius Dei, qui humani generis miseratus errores, de cæli sedibus in intemeratum Virginis vterum descendi, vnde tanquam sponsus egressus thalamo, te vt redimerem, misero apparui mundo; vbi post famem, sitim, algorem, tandem captus sum, iudicatus sum, morte turpissimâ condemnatus sum. Verùm quia tu infelix tantis beneficiis te præbuisti immemorem, nunc veni ad te, vt filium æternæ mortis pronuntiarem. Et his dictis, profluentem à latere cruorem manu comprehensum in iuuenis vultum proiecit: Sume, inquit, in confusionem pretiosum Sanguinem, qui ceteris in redemptionem effusus est; & hæc agens disparuit. Tunc iuuenis omni vigore corporis amisso, perditâ spe obriguit, tremuit, expalluit, & quò se de cetero verteret ignorauit: misit tamen nuntium ad fratrem suum. Qui cùm venisset, vidissetq; flebilem fratris effigiem, concussis vehementer visceribus cum eiulatu plorauit, Quomodo, inquiens, tam velociter expalluit quondam illa facies decora, & solitum robur fortissimi amisere lacerti? Quid tibi factum est, frater mi, quòd me iam nunc illâ miserabili fronte deterres, quam paulò antè desiderauerunt oculi inuisere puellarum? Quò abiit purpureus ille rubor genarum tuarum, quem, me reclamante, velut acerbum laqueum feminei pudoris ante oculos ferebas concinentium in choro feminarum? Vbi nunc sunt illi insolentissimi sodales tui magistri, qui te toties à meo latere rapuerunt, & nunc in barathro tam vastæ desperationis reliquerunt? Oportuerat certè, frater mi, saluberrima illa monita mea, quibus te paulò antè à nefandis operibus cohibere nitebar, non refelli, ne in hanc miseram iacturam florentis iuuentutis deuenires. Vide ergo nunc, an me falsum vatem acceperis, cùm te Spiritui sancto restitisse doliturum non tam dixi quàm prophetaui. Dic tamen mihi, quid est quòd consternatâ facie & tremulis membris tanto sudore madescis? Si aduersa valetudo in causâ est, forti esto animo, plures è grauioribus etiam infirmitatibus conualuerunt. Si te peccata terrent, propone emendationem, veniam pete, dole, non despera: quippe est clementissimus Dominus omnipotens Deus, qui in puncto temporis pœnitenti latroni non modò veniam tribuit, quin etiam paradisum spopondit. Ad quæ verba paululum erigens moribundum caput, & omnem rei gestæ narrans historiam, Damnauit, inquit, me scelestum filium cælestis Pater; Christus Iesus filius Dei, cruore in meum vultum proiecto, Sanguinem pro me effusum omnino ac penitus perditum designauit. quocircà, dulcis germane, non valeo sub tantis testibus damnationis meæ, etiamsi sanguinem fleuero, de salute præsumere; stat namque firma super me, æterni Iudicis censura, remedia pœnitentiæ vacillabunt. Tunc frater cum ingenti fiduciâ, Et si te, inquit, Pater, cui adscribitur Veritas, impœnitentem adhuc damnare visus sit, & Filius Dei, cui assignatur Iudicij æquitas, te in peruersâ voluntate iacentem, Sanguinis sui participatione indignum ratus sit, nec vel sic desperandum est illi, cui tempus datum est pœnitendi. Acquiesce igitur vel serò monitis meis, & proponens emendationem, scelerum maculas pio lacrymarum imbre deterge, lugubri ore, profundis suspiriis Presbytero vulnera detege; quis scit, si Spiritus sanctus, qui, teste Bernardo, est Benignitas Dei, & idem ipse Deus, ita pœnitentem absoluat? His verbis fratris paululum consolatus, iussit adesse Presbyterum. Qui dum venisset, totus in lacrymas resolutus, cum tanto dolore animi sua peccata, quibus Deum offenderat, confessus est, vt interrumpentibus sermonem gemitibus, vix mentis conceptum valeret exprimere, vix lacerata & semirupta verba proferre. Quâ confessione ritè celebratâ, & sacrâ Vnctione & participatione Dominici corporis munitus, tempus quo ex hac vitâ esset migraturus expectabat. Sequenti igitur nocte venit ad eum alius quidam vir prioribus non disparem habens vultum, fulgenti albâ vestitus, habens in dexterâ scapulâ niueam quamdam columbam. Is cùm propiùs accessisset, dulci quadam beneuolentiâ vultum serenans, clementes oculos in infirmum contorsit. Quod cùm iuuenis aduertisset, tum ob veram pœnitentiam, tum etiam ob beneuolentissimos vultus personæ apparentis, animæquior factus est, Quis es tu Domine, inquiens, qui ad me venire dignatus es, quippe me tam piis conspectibus consolari videris prioribus visionibus perterritum? Et ille, Ego, inquit, Spiritus sanctus, qui à Patre Filioq; procedens, vnius sum cum ipsis potentiæ, & idcircò nunc veni ad te, vt nuntiarem tibi, dimissa esse peccata tua, & peruium iter patere ad regna cælestia transituro. Ad quæ verba quasi ex barathro desperationis resurgens, ait: O pater pauperum! ô consolator mœrentium animorum! ô omnium miserorum dulce refugium! quid est quod audio? num patebunt cælestes valuæ mihi, quem Pater & Filius reum mortis esse contestati sunt? cui perennes flammas minati sunt? à quo tam crebrò tam impudenter offensi sunt? Num hac meâ exili pœnitentiâ hoc terribile decretum incommutabilis veritatis poterit immutari? Ad quæ Spiritus sanctus respondit: Forti animo esto, nec de salute vacilles; validos habet pœnitentia vera lacertos. Ipsa terrificæ Maiestati violentiam infert, vincit inuincibilem, mutat incommutabilem, placat irascentem. Sed ne te diutiùs protraham, perseuerans in pœnitentiâ quam cœpisti, dispone domui tuæ, & virtutibus, quibus potes, interim thalamum orna, post triduum veniemus ad te, vt animam tuam supra astra ferentes, gaudiis cælestibus inuehamus. Et cum his Spiritus sanctus disparuit, iuuenis post triduum obiit, & ad regna cælestia, ob veram, quam habuit, pœnitentiam felix migrauit.

Deus Filius ei apparet, & perinde eum inferno addicit.

Penè desperat.

Frater eum consolante, in spem veniæ erigitur.

Pœnitet & confitetur.

Spiritus sanctus ei apparet.

& de peccatorum veniâ certiorem facit eum.

triduo post ad cælum euocat.

E quibus omnibus iam liquidissimum euadit, prudenter facere illos, qui seipsos inter Patris omnipotentiam, Filij sapientiam, & Spiritus sancti bonitatem, medios nimirum inter diuinam misericordiam, mente atque affectu constituunt, & ibidem veluti perfectionum carceribus inclusi validam spem concipiunt, peccatorum remissionem pro se aut aliis obtinendi. Vident enim cum eo rem sibi esse, qui vt ex bonitate suâ non nisi bonum nostrum exoptat, illudque vehementer quantum est ex se procurat, ita etiam sapientiâ suâ modos ad hoc vberrimos & facillimos nouit. Porrò quia omnipotentiâ quoque suâ omnia potest, quid est quod in Deum firmiter 17.

Quàm prudenter se quis affectu inter Dei personas constituat.

miter confidentem remorari possit, quid quod impedire, quin quod exposcit acquirat. Ait Psal- Psal. 31. mœdus: *Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* Quid est, *misericordia circumdabit?* nisi, vti diximus, inter perfectiones diuinas, ad misericordiam exhibendam pronas, sperans includitur, vt quod Spiritus sanctus cupit ex bonitate, Eccli. 2. iuxta sapientiam disponat Filius, & per omnipotentiam Pater efficiat. *Respicite*, monet Sapiens, Psal. 70. *filij nationes hominum, & scitote, quia nullus sperauit in Domino, & confusus est.* & *In te Domine speraui*, in- Rom. 5. quit eius pater, *non confundar in æternum*; *spes* enim, vt Apostolus asseuerat, *non confundit*. Idem iam *Spiritus S. mortuis requiem procurat.* misericordiæ pharmacum, quod viuentibus à Spiritu sancto propinatum est, etiam in defunctos redundat, vt à Purgatorij tormētis exsoluti, ad gloriam æternam citò peruenire possint. Quod vt manifestum euadat, obseruandum in primis est, Spiritui sancto mortuorum requiem Apocal. 14. in Scripturis adscribi solere. *Beati mortui*, inquit textus sacer, *qui in Domino moriuntur, amodò iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Et alibi eidem Spiritui sancto eorumdem deductio ad gloriam tribuitur, dum sic legimus: *Spiritus tuus bo-* Psal. 142. *nus deducet me in terram rectam*, &c. Apostolus quoque Paulus apertissimè asserit, Spiritus desiderium esse, vt quod Sancti optant, assequantur. Rom. 8. verbis enim hisce à se prolatis, *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, subiungit, *Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quia secundùm Deum postulat pro Sanctis.* An non sancti sunt spiritus Purgatorij? quis dubitat? Si qui verò sancti sunt pro quibus Spiritus postulat, certè illi ipsi sunt. Non enim pro his, qui in gloriam cælestem recepti sunt, credendus est postulare, quoniam iis nihil quod postuletur deest. An igitur pro viuentibus? At nemo illorum verè sanctus est, antequam mortales artus deposuerit. Soli igitur Purgatorij spiritus sunt illi sancti pro quibus Spiritus postulat: propterea etiam admodum animæ illæ desiderant vt Spiritus sancti charitas viuentium corda accendat & permoueat, quò de illarum liberatione sint solliciti. Cùm Lib. 4. Reuelationum, cap. 7. aliquando S. Birgitta in spiritu ad Purgatorij locum ducta fuisset, audiuit varias ibi voces, quæ dicebant: *O Domine Iesu Christe, Iudex iuste, mitte charitatem tuam his qui spiritualiter potestatem habent in mundo; tunc plus participare poterimus, quàm* Lib. 6. c. 66. *nunc, de illorum cantu, lectione, & oblatione.* Nec omittendum est, quòd eidem Sanctæ reuelatum fuerit, fore temporibus futuris, vt in multorum cordibus, ex instinctu haud dubiè Spiritus sancti, zelus iuuandarum animarum accendatur.

18. Ceterùm non ipsum tantùm zelum, sed & media illa quibus iuuentur eædem animæ, à Spi- Homil. 21. in Acta. ritu sancto originem ducere, sanctorum Patrum est doctrina. En quid S. Ioannes Chrysostomus dicat. *Non frustrà*, ait, *oblationes pro defunctis fiunt, non frustrà preces, non frustrà eleemosynæ.* Quare? *Hæc enim omnia Spiritus disposuit, volens vt nos mutuò* Homil. 41. in 1 ad Corinth. *iuuemus.* Quin alio in loco eiusmodi media non esse paruipendenda affirmat, propterea quòd à Spiritu sancto ordinata sint. *Non sunt*, inquit, *res nostræ ludi scenici; absit: hæc enim fiunt ordinatione* *Hostia Animarum, est etiam sancti Spiritus.* *Spiritus.* quasi dicat, Ille qui huiusmodi mortuorum officia contemnit, non solùm illum cōtemnit per quem vel pro quo exercentur, sed ipsum eorumdem auctorem, à quo instituta sunt, Spiritum sanctum, quemadmodum in simili propemodum sensu Ananiæ dixit S. Petrus Apostolus: Act. 5. *Cur tentauit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venumdatum in tuâ erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Porrò ex his euincitur, sicuti quoad alios peccatores & iustos diffusus meritò dicitur in cordibus eorum Spiritus sanctus; ita & quoad purgandos esse dicendum: neq; id verum solùm esse interim dum hic viuimus, sed & postquam hinc demigrauerimus. Vnde vt iudicium in misericordiâ acciperet Regius Propheta, illud fieri petebat in virtute Dei, siue Spiritu sancto. ait namque: *Deus in nomine tuo saluum me fac, & in vir-* Psal. 53. *tute tuâ iudica me.* Saluum fieri in nomine Dei, est saluum fieri in nomine ac merito Saluatoris; iudicari verò in virtute, est iudicari in Dei clementiâ & Spiritu sancto, qui virtus dicitur in Scripturis. Sic nimirum eum appellabat Archangelus Gabriel, dum B. Virginem Mariā alloqueretur: *Spiri-* Luc. 1. *tus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Christus item Saluator discipulis suis in sermone suo valedictorio Spiritum sanctum promittens, ait: *Accipietis virtutem Spiritus sancti in vos.* Act. 1. & clariùs apud Lucam: *Vos autem sedete in ciuitate,* Luc. 24. *quoadusq; induamini virtute ex alto.* Dum ergo petimus vt misericordiùs agatur cū mortuis, quàm eorum peccata commeruerint, nihil aliud petimus, quàm vt iudicentur in virtute Dei, iudicentur secundùm misericordiam Dei, iudicentur ex virtute charitatis ac benignitatis Spiritus sancti, vt in illorum iudicio Spiritus virtutem suarum miserationum exerere, & ad peccatorum remissionem exercere dignetur: quoniam, vt canit sancta Mater Ecclesia, ipse est remissio omniū peccatorū. Maiestatis ergo diuinę implorata misericor- In Postcommunione Fer. 3. post Pentec. dia, est potissima purgādorum medela: quia quos ipsius maiestas omnipotentiæ punitione dignos iudicat, quos iustitia illius in Filio, quem Iudicem posuit, ad pœnas condemnat, illos ipsius misericordia in Spiritu sancto, prout paulò ante in iuuene patuit, clementer à pœnis absoluit, & ad gloriam æternam assumit. At quoniam Psalmista priùs petit à Deo, vt in nomine eius saluus fiat, posteà verò vt in illius virtute iudicetur, videamus & nos quomodo saluari debeamus in nomine Dei, hoc est Saluatoris nostri, quem pro salute omnium in mundum misit, vt mundus per Ioan. 3. ipsum saluetur: quem & è terris ad cælos reuocauit, vt cælestis Ierusalem ruinas, ac lapsus Angelici damna repararet. Vnde meritò cum Regio Propheta decantare liceat, *Verbo Domini cæli* Psal. 32. *firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* vtrumque enim ad restituenda cælestia detrimenta clementissimus misericordiarum Pater impendit, & Verbum suum, & Spiritum: Verbum, vt fundamentum salutis collocaret; Spiritum, vt opus perficeret. Quod dudum præuidens idem Psalmœdus, vt doceret hac viâ obduratissimos quoque peccatores, & quorum corda essent frigida & velut glacies congelata, emolliendos esse, atque ad misericordiam diuinam efficaciter aptandos & disponendos, iterùm sic inclamat: *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea; flabit spiritus* Psalm. 147. *eius, & fluent aquæ.* Sed pergimus.

CAPVT IV.

Facilis ad clementiam impetrandam via est, si quis actus suos meritis Redemptoris iunctos offerat.

I. QVamquam igitur omnibus Deitatis personis, ac maximè Spiritui sancto, misericorditer operari & parcere proprium sit, illi tamen ampliùs misericordiæ participes fiunt, atq; aliis eam promerentur, qui sese huic recipiédæ capaciores reddũt, adeoq; mediis vtuntur quibus illa potissimùm obtineri solet. Inter hæc, efficacissimam impetrandi rationem eam esse Doctores asserunt, quando fidelis quispiam bona sua opera sic Deo cõsecrat, vt illa Christi meritis cõiungantur, & ea accepta haberi aut quidpiam impetrare velit, non tam ex parte sui offerentis, quàm ex parte Saluatoris, à cuius meritis illa suam efficaciam accipiunt. Non itaq; à ratione discedere arbitrati sumus, si hoc loco ostenderimus, faciliorem ad misericordiam & indulgentiam diuinam impetrandam methodum esse, actuum nostrorum cum Christi meritis cõiunctionem oblationemque. Pro quo inprimis annotasse iuuabit, omnis meriti atq; clemẽtiæ participationem in solo Iesu Christo primũ fundari, quemadmodum D. Paulus asseruit, dum sic ait: *Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat. Vnusquisq; autem videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Quæ Apostoli verba etsi præcipuè intelligi debeãt de gratiâ per Christum in redemptione generis humani obtentâ, per quam videlicet iustificati atq; capaces facti sumus meritorum & impetrationis ex operibus bonis; haud tamen incongruè aliam etiam admittunt, imò & volũt interpretationem, vt nimirum dicamus, ibi nos doceri, vt omnia nostra opera faciamus in vnione meritorũ Christi, iisdemq; veluti solidissimo fundamento innitamur. *Omnis ergo qui audit verba hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificat domum suam supra petrã, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram. Et omnis, qui audit verba hæc, & non facit ea, similis est viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam: & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Ita Veritas ipsa.

Præstantior impetrandæ misericordiæ diuinæ modus est operũ suorum cum meritis Christi cõiunctio.

In Christi meritis omnis nostrorũ meritorum ratio est fundata. 1. Cor. 3.

Matth. 7.

2. Hæc vt præsenti rei haud absq; insigni ratione applicata esse appareat, ante omnia pulchrâ historiâ, quæ efficaciæ meritorũ Christi figura fuit, institutum nostrum adornabimus, in quâ nimirum duo illa, quæ nobis probãda sunt & deducẽda, egregiè declarantur, alterum, opera, quæ sine communione meritorum Christi fiunt, mortalibus planè infructuosa esse & inutilia; alterũ, fructuosissima & vtilissima esse illa quæ eisdem meritis vniuntur. In Libro Esther luctuosissimum quid refertur de latâ in Israëlitas omnes vno die interimendos sententiâ: Aman etenim, filius Amadathi, hostis Iudæorum iratissimus, apud Regem Assuerum obtinuerat, vt crudele aduersus illos edictum scriberetur, eodemque die per totum Regnũ omnibus iis moriendum esse proclamaretur. *Tulit ergo rex annulũ,* inquit Scriptura, *quo vtebatur, de manu suâ, & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hosti Iudæorum, dixitq; ad eum: Argentum, quod tu polliceris, tuum sit, de populo age quod tibi placet. Vocatiq; sunt scribæ Regis mẽse primo Nisan, tertiadecimâ die eiusdem mensis: & scriptum est, vt iusserat Aman, ad omnes satrapas Regis, & Iudices prouinciarum, diuersarumq; gentium, vt quæq; gens legere poterat & audire pro varietate linguarum, ex nomine Regis Assueri: & litteræ signatæ ipsius annulo, missæ sunt per cursores Regis ad vniuersas prouincias, vt occiderent atque delerent omnes Iudæos, à puero vsq; ad senem, paruulos, & mulieres, vno die, hoc est tertiodecimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, & bona eorum diriperent. Summa autem epistolarum hæc fuit, vt omnes prouinciæ scirẽt, & pararent se ad prædictam diem.* Neq; hoc satis; videndum est, quis inde inter Iudæos & fideles Dei populos, quales tum erãt, luctus gemitusque exortus fuerit. *Quæ cùm audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti. In omnibus quoq; prouinciis, oppidis ac locis, ad quæ crudele Regis dogma peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus, & fletus, sacco & cinere multis pro strato vtentibus.* Quodnam verò tanto dolori atq; luctu condignũ fuit vel esse potuit remedium? Inuenta est vna Esther quæ omnium tristitiam in lætitiam, mortem in vitam, interitum in salutem commutauit: illa namq; fuit quæ Iudæos recõciliauit Assuero, illa quæ Aman suspendi fecit in patibulo quod Mardochæo parauerat, illa quæ Israëliticæ condẽnationis litteras in Regiæ protectionis rescriptum transmutauit. Via est, vt impium decretum tolleret, stratagemate prudentissimo, armis nimirum muliebribus, formæ speciositate, & linguæ blandiloquentiâ: induta namq; habitu Reginæ congruo, Assueri se conspectui a longè exhibuit, qui eius eximiâ pulchritudine delectatus, eam accersiit, & quidquid vellet petere iussit. En sapiẽtiam! inuitauit illa Regem, simulq; Amanum hostem suum, quem Regi in deliciis esse nouerat, ad conuiuium: quâ occasione, Rege iam exhilarato, pro Iudæorũ salute intercessit, Regiq; omnes Amani technas & frudulẽtias detexit. Illo ergo cum omni suâ familiâ, Regis iustissimè indignati iussu, per suspendium sublato, priores litteras annullari, & alias, quæ Iudæis salutẽ & immunitatem adferrent, scribi procurauit. Bellã historiam! nostro eam proposito accõmodemus, & singula quæ nos iuuare possint expendamus. Quemadmodum Aman apud Assuerum Iudæos traduxerat, Regisq; contra eos iram & indignationẽ prouocauerat, ita apud supremum omnium Regem, Deum inquam deorũ, & Dominũ dominantium, Aman ille infernalis, serpens antiquus, diabolus, fratrum accusator, homines propter admissam iniquitatem detulit, iustamq; illius contra eos indignationem excitauit, quâ factum est, vt seuerissima illa & rigidissima contra totum humanum genus sententia proferretur: *Maledicta sit terra in opere tuo, in labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vescẽris pane, donec reuertaris in terram de qua sumptus es; quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Et meritò, *stipendia enim peccati mors,* adeoque *per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit,* &

Sine Christi meritis nihil boni esse, optima verò cum ipsis ex historiâ docetur.

Esther 3.

Esther 4.

Consilio Esther tota Iudæorum gens seruatur.

Applicatur res illa præsenti proposito.

Genes. 3.

Rom. 6.

Rom. 5.

Quanta humana miseria. *& per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Quotquot itaque nati, naturâ fuère filij iræ Dei: ex quo non minor luctus atque tristitiæ vniuersis mortalibus occasio, quàm olim illis Iudæis, cùm Regis sententiâ ad mortem destinati fuerunt. Profectò *occupatio magna*, vt Ecclesiasticus conqueritur, *creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ, in matrem omnium. Cogitationes eorum, & timores cordis, adinuentio expectationis, & dies finitionis: à residente super sedem gloriosam, vsque ad humiliatum in terrâ & cinere*, &c. In dolore omnes nasci, quis nesciat? in labore viuere, quis non sentiat? in tristitiâ mori, quis non videat? De natiuitate loquitur Sapiens: *Sum quidem & ego mortalis homo; similis omnibus, & ex genere terreni illius qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, & delectamento somni conueniente. Et ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans. In inuolumentis nutritus sum, & curis magnis.* Hoc vitæ humanæ exordium. sed quis progressus? quis finis?

Eccli. 40.

Sap. 7.

3. Meritò humano generi applicari potest illud quod Noëmi de se dixit: *Ne vocetis me Noëmi (id est, pulchram) sed vocate me Mara (id est, amaram) quia amaritudine valdè repleuit me Omnipotens.* aut potiùs illud Ieremiæ, *Cui comparabo te? vel cui assimilabo te filia Ierusalem? Cui exæquabo te, & consolabor te virgo filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui?* Sed nullúmne tanto malo remedium? Ante Saluatoris sanè in carnem aduentum haud magis hominibus ad Deum accessus erat, quàm cuilibet è subditis, imò ipsimet Estheri, ad regem Assuerum. Quemadmodum enim illius decretum erat, vt omnis qui nõ vocatus ad ipsum accedere auderet, mortem necessariò subiret, ita & à Deo dictum fuerat Moysi: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet.* quare etiam ad ipsum Moysen Iudæi: *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Quid igitur consilij? quid spei? quid remedij? Nil profectò, nisi id quod S. Ioãnes Euangelista innuit, nempe vt ad lacrymas cõfugiamus. *Vidi*, inquit ille, *Angelum fortem, prædicantem voce magnâ: Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius? Et nemo poterat neque in cælo, neque in terrâ, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum.* Pòst addit: *Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum, nec videre eum.* Quid verò nostræ lacrymæ effecerint? sequitur: *Et vnus de senioribus dixit mihi: Ne fleueris: ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius.* Christus ergo Dominus Estheris personam apud cælestem Patrem pro naturâ nostrâ suscepit. Illa, depositis vestibus ornatus sui, *circumdata est gloriâ suâ*, &c. *Ingressa* verò *cuncta per ordinem ostia, stetit contra Regem, vbi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auroq; fulgens & pretiosis lapidibus, eratq; terribilis aspectu.* Hic in Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tamquam Sponsus procedens de thalamo suo, & omnipotẽs sermo Domini de cælis à regalibus sedibus venit. Assuerus, visâ Esther, ei occurrit, inquiens: *Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere. Non morieris; non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Accede igitur, & tange sceptrum*; & tulit *auream virgam, & posuit super collum eius, & osculatus est eam.* Iam quid Christus Dominus fecit, humanam naturam, ad Deum accedere trepidãtem, assumens, eam exosculatus est. *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui.* &: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te.* Verè enim factus est frater hominum: debuit enim *per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, & repropitiaret peccata populi.* Nimirum *prædestinauit* Deus nos *conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Quadrant optimè huc illa S. Ioannis Chrysostomi verba: *Hæc igitur audiens mente consurge, nihilq́; humile suspiceris, sed potiùs propter hoc ipsum maximè mirare: quia cùm verus & dilectus filius sit sempiterni Dei, etiam Filius Dauid esse dignatus est, modò vt te filiũ faceret Dei. Dei seruum, patrem habere dignatus est, vt tibi serue Patrem faceret ipsum Deum.* Quemadmodum ergo Estheris interuentu omnis Iudæorum mœror & luctus in gaudium & tripudium conuersus est, ita & per corporalem Christi natiuitatẽ vniuersa humani generis tristitia & luctus occasio in lætitiam atq; triumphum conuersa est. *Annuntio vobis*, ait Angelus ad pastores, *gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator mundi in ciuitate Dauid.* Ad quæ S. Leo, *Saluator noster*, inquit, *dilectissimi, hodie natus est; gaudeamus. Neq; enim fas est locum esse tristitiæ, vbi natalis est vitæ, quæ consumpto mortalitatis timore, ingerit nobis de promissâ æternitate lætitiam. Nemo ab huius alacritatis participatione secernitur. Vna cunctis lætitiæ communis est ratio: quia Dominus noster peccati mortisq́; destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit. Exultet Sanctus, quia appropinquat ad palmam. Gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniam. Animetur Gentilis, quia vocatur ad vitam.*

Ruth. 1.

Thren. 2.

Meritò sese homines deplorant.

Exod. 33.

Exod. 20.

Apocal. 5.

Esther 15.

Psalm. 18.

Quomodo per Christũ occasionem gaudij habeamus ex historiâ Esther declaratur.

Cant. 1. & 8

Hebr. 2.

Rom. 8.

Homiliâ 2. in Matthæũ.

Luc. 2.

Serm. 1. de Natiuitate.

Variæ autẽ rationes sunt ob Christi aduẽtum gaudẽdi. Prima, quam insinuat Apostolus: *Et vos cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta; delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Altera, quia Aman iste, qui erat causa perditionis nostræ, omni suâ potestate exutus, & vel puerulis cõtemptui factus est. Probãt id hæc Apostoli verba: *Expolians Principatus & Potestates traduxit confidenter, palàm triũphans illos in semetipso.* Tertia denique, quia non tantùm condẽnationis ad æternam mortem litteræ sunt dispunctæ, sed & aliæ hereditatis æternæ scriptæ, quibus data est nobis potestas, vt filij Dei, omniumq; eius bonorum participes esse possemus. *Dedit* quippe *potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Si autem filij, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Accedat his aurea Chrysostomi sententia. *Vides*, inquit, *ab ipso statim principio, quàm læta sint hæc nuntia. Quòd si ambigis de his quæ ad tuum spectant honorem, ab iis quæ illius sunt, etiam tua disce credere. Quantum enim consequi potest humana ratio, multò est difficilius Deum hominẽ fieri, quàm hominem Dei filium consecrari. Cùm ergo audieris, quia Filius Dei filius sit & Dauid & Abrahæ, dubitare iã desine, quòd & tu, qui filius es Adæ, futurus sis filius Dei. Non enim semetipsum ita humiliasset, nisi nos esset exaltaturus. Natus est enim secundùm carnem, vt tu nascerere spiritu. Natus est ex muliere, vt tu desineres filius esse mulieris.*

4.

Coloss. 2.

Quot rationes sint ob Christum gaudendi.

Ibid.

Ioan. 1.

Rom 8.

Vbi supra.

E quibus omnibus patet, salutis humanæ fundamentum solum esse Saluatorem nostrum Iesum Christum. Quia ergo ipse solidissimum est fūdamentum, quàm is est sapiens, qui super hoc ipsum extruit operam ac meritorum suorum molèm. Quia verò ipse solus est, neq; aliud, præter ipsum, fundamentum reperiri potest, viro stulto & insipienti cōparandus est, qui aliud quærit: quidquid enim in illo alio superædificauerit, super arenam stabit, exortaque fluuiorum, imbrium aut ventorum tempestate, corruet, & fiet ruina satis magna. Postquam verò (vt alia omittamus, quæ ex eadem Estheris historiâ huc applicari poterant) tandem mirabili adeò modo liberati fuissent Israëlitæ, decretum est, vt in posterum, æternis sæculis, beneficij huius solemnitas celebraretur, & si quæ prouincia aut ciuitas hoc decretum vel respueret aut negligeret, maledicto subiaceret: ita & omnibus illis æterna imminet maledictio, qui tantarum, quas per Verbi diuini Incarnationem receperunt, gratiarum immemores, gratitudinis etiam, ad quam iure tenentur, obliuiscūtur. Hinc nos, qui & grati esse volumus tantis beneficiis, & è tantis meritis partem in nos deriuari peroptamus, hoc Capite, quæ ad meritorum Christi efficaciam spectant, explicanda suscepimus: vtque feruentiùs & cōfidentiùs, totis veluti præcordiis, Redemptoris nostri meritis incumbamus, videndum est, quanta sit illius ad iuuandum tum nos, tum pro quibus supplicamus, vis atque potentia.

Hoc capite explicare volumus quæ sunt de meritis Saluatoris.

5\. Et quidni Christi meritis innitamur? cùm ipse sit in cuius manus potestas omnium ab æterno Patre tradita fuit, vt ex variis Scripturæ locis apertè videre licet. Ipse enim ait: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ.* Et: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui Filius voluerit reuelare. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ecce quomodo Saluator miseros omnes ad se vocat vt eos iuuet, eò quòd omnia sibi à Patre tradita essent. Quod ipsum posteà Euāgelistæ & Apostoli asseruerunt. Ioannes nimirum, dum ait: *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manus eius.* & iterùm, *Sciens Iesus quia omnia dedit ei Pater in manus.* & S. Paulus, qui sic ait: *Et omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, quia omnia in omnibus adimpletur.* Quod verum esse tam in iustitiâ quàm in misericordiâ, ipsamet iterùm Saluatoris verba nobis declarant. De misericordiâ: *Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te: Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* De iustitia verò: *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit: & maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini. Sicut enim Pater suscitat mortuos, & viuificat; sic & Filius, quos vult, viuificat. Neque enim Pater iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.*

Meritò in Christi meritis fulcimur, quippe qui omnium potestatem habet, Matth. 28. Matth. 11.

Ioan. 3. Ioann. 13. Ephes. 1.

tam in iis quæ misericordiam, Ioan. 17.

quàm quæ iustitiam diuinam spectant. Ioann. 5.

6\. Neque hic substitit Scripturarum auctor & dictator Spiritus sanctus, quin etiam Christum frequenter Mediatorem, Reconciliatorem & Aduocatum appellat, ne ita iustam peccati pœnam à Iudice infligendam formidemus, vt eius clementiæ obliuiscamur. Nam licet omnis illi iudicij faciendi sit collata potestas, Aduocati tamen Mediatorisq; & Reconciliatoris nomen atq; officium assumpsit, vt nemo eum consequēdæ misericordiæ ergô adire reformidet; quin potiùs, si fortè improbi de veniâ obtinendâ addubitarent, illum sibi adsciscerent Patronum, quò prosperum & fortunatum desperatæ causæ suæ nanciscantur exitum. Ex innumeris propemodum, aliquot tantummodò hic probationes adferemus. *Filioli mei,* inquit S. Ioannes Euangelista, *hæc scribo vobis, vt non peccetis. Sed si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Qui & ipse non longè pòst idcircò Saluatorem nostrum humanâ carne indutum fuisse affirmat, vt noster apud Patrem esset propitiator. *In hoc apparuit,* inquit, *charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Quid clariùs, quid efficaciùs, quid solidiùs dici posset, vt sine trepidatione, & plurimâ cum fiduciâ Christum inuocemus, quò eius interpellatione diuinam misericordiam nos indubitanter obtenturos speremus, & omnem nobis peccatoribus tam culpā quàm pœnam dimittendam esse confidamus. Sanum reuera D. Pauli est consilium, qui hisce Catholicos omnes verbis exhortatur: *Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ: vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno,* per Christum nimirum, de quo ibi est sermo. Quin idemmet Redemptor ac Saluator noster, *eò quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium; vnde & saluare in perpetuū potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper viuēs ad interpellādum pro nobis. Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus: qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo. Lex enim constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post Legem est, Filium in æternum perfectum.* Et iterùm: *Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non huius creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ adspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti? Et ideò noui Testamenti mediator est: vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hereditatis.* Et infrà: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundò sine peccato apparebit expectantibus se, in salutem.*

Ne velut seuerum eum Iudicem extimescamus,

Mediator & Aduocatus noster appellatur,

1\. Ioan. 2.

Ibid. c. 4.

Hebr. 4.

Intrepidè ergo eius patrocinium implorare possumus.

Hebr. 7.

Hebr. 9.

7\. Ex quibus iterùm patet, quàm insigniter, & magno sanè fundamento, nos ad sui confidentiam Saluator noster allexerit: Sacerdotium nempe assumpsit, vt reconciliaret nos Deo, vt seip-

Christus in congregandâ Ecclesiâ Dei, Romulo in Romanâ ciui-

tate conden-da similis. seipsum offerret in hostiam cui repulsa timenda non esset, per quem & peccata exhaurirentur, & qui in se delictorum expiationem pœnamque susciperet, atque omnem à nobis timendæ alioquin punitionis timorem auerteret. Hoc vt explicemus, insigni iterùm historiâ vtemur. S. Augustinus refert, Romulum, vrbis illius dominæ orbis conditorem, fecisse sibi templum, Asylum dictum, cunctis eò confugientibus impunitatem pollicitus: quò innumera vndequaque multitudo confluebat illorum qui apud suos offensam contraxerant, adeò vt taliter aucta fuerit illa vrbs, vt tandem in vniuersum mundum fasces suos miserit. Viuum sanè ac verum exemplar sanctæ Ecclesiæ, quam Christus Iesus extruere voluit: nam in eâ cōstituit templum, excelsissimam Humanitatem suam, de quâ apud Ioannem: *Hoc autem dicebat de templo corporis sui.* Sed quali id nomine appellandum censuit? Asylum seu protectionem, nimirum IESVS, id est Saluator. S. Isidorus hanc nobis templi etymologiam suggerit, vt dictum sit quasi amplum tectum, videlicet à tegendo siue protegendo: nimirum *protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.* elegit enim Ierusalem, vt sit nomen eius ibi; proinde omnibus eò confugiendum est. *Vnde putas*, rogat sanctus Bernardus, *in toto orbe tanta & tam sublimis lux fidei, nisi de nomine* IESV? quippe *dedit se vt liberaret populum suum, & acquireret sibi nomen æternum*, vt verè *turris fortissima* sit *nomen Domini; ad ipsum currit iustus, & exaltabitur.* Quòd si & nos ad turrim illam fortissimam, nomen Domini Saluatoris, confugere velimus, haud dubiè saluandi atque exaltandi erimus. Ad quod faciendum vt maiores animos sumamus, duo nobis consideranda sunt: primum, nostræ & omnium hominum miseriæ, in quibus ex nomine Saluatoris opem atque liberationem speramus; alterum, huius nominis sublimitas & excellentia, vtpote per quod non solùm omnia perfringimus, sed & in iis quæ patimur exaltamur recreamurque. Quantis sanè miseriis homo circumdatus sit, Scriptura diuina non vno loco docet. Dauid pertæsus militiam, *Educ*, exclamabat, *de custodiâ animam meam.* vbi nimirum *caro militat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem*, quæ duo velut canes se mutuò vexant ac continuè arrodunt. Inquit enim Apostolus: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Vnde infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* In his ergo miseriis ad nomen Domini, ad nomen Saluatoris suspirandum & anhelandum est, quod omni tempore fecerunt Sancti, vt innumeris è Scripturâ petitis exemplis demonstrare ad oculum possemus, ni id faciendo paulò limites nostros, quibus nosmetipsos quasi inclusimus, transgrederemur. Nominis porrò IESV tanta est præstantia, tanta item super omnia præcellentia, vt non sit *aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri:* imò vt sit *super omne nomen*, in quo nimirum flecti debent omnia genua, *cælestium, terrestrium, & infernorum.* Sponsa ex amore quo erga suum sponsum flagrabat, ita dicebat: *Oleum effusum nomen tuum.* Moris olim erat vt athletæ, qui contra aduersarios suos luctari deberent, totos se oleo perungerent, ne aduersarij illos apprehendere atque in terram prosternere possent. Luctandum nobis est contra diabolum, mundum, & propriam carnē, item contra aduersitates & infortunia: perungamus nos hoc oleo antè & pòst, supra & infrà, ab vtroque item latere, per omnes artus & membra, ab hostibus certò certiùs immunes erimus, nec vel minimum illi in nos, nedum contra nos præualere poterunt. Secus autem si absq; hoc vnguento arenam ingredi ausi simus, haud dubiè non tantùm non vincemus, sed & obruemur ab hostibus, atque ab iisdem in nihilum veluti cum omnibus machinamentis ac conatibus nostris redigemur. Vti Scriptura sacra satis declarat; cùm nihil nos sine Christo posse, atque rursum omnia posse in ipso variis locis declarat.

Marginal notes: Lib. 5. de Ciuit. Dei. — Psal. 90. — 2. Par. 6. — Super Cantica. — 1. Machab. 6 — Prouerb. 18. — *Quæ vt è Iesu nomine armemur consideranda.* — Psalm. 141. — Galat. 5. — Rom. 7. — Act. 4. — Philip. 2. — Cant. 1.

8. Huc tendunt quæ idem met Apostolus alibi dicit, vt: *Omnes peccauerunt, & egent gloriâ Dei. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum.* Et: *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum: per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in quâ stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Et: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, immò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Et: *Quid igitur Lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per Angelos in manu Mediatoris. Mediator autem vnius non est: Deus autem vnus est.* Et: *Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longè, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne suâ: Legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem iis qui propè: quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno Spiritu ad Patrem.* Et: *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: vt sit in omnibus ipse primatum tenens. quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* Denique: *Hoc bonum est & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, &c.*

9. Plura huiusmodi ex S. Paulo & aliis adferre possemus, nisi ipsum potiùs Christum, qui Veritas est infallibilis, audire luberet. *Quodcumque*, inquit, *petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam: vt glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Alibi etiam, *Amen amen dico vobis*, ait, *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* In quem locum S. Augustinus hæc scribit: *Quidquid ergo petitur quod pertinet ad hoc gaudium,* gloriæ nimirū cælestis, *consequendū, hoc est in nomine Christi petendum: isto enim bono in petēdo perseuerātes* suos

Marginal notes: Rom. 3. — Rom. 5. — Rom. 8. — Galat. 3. — Ephes. 2. — Coloss. 1. — 1. Tim. 2. — *Ne trepidemus, ipsemet vt se imploremus inuitat.* — Ioan. 14. — Ioan. 16. — *In nomine Christi petere quid sit.*

suos nequaquam misericordia diuina fraudabit. Quidquid autem aliud petitur, nihil petitur: non quia nulla res est, sed quia in tantæ rei comparatione quidquid aliud concupiscitur, nihil est. Et certè, sicut omnia per Christi mediatoris inuocationem haud dubiè impetramus, ita absque eiusdem interuentu nemo quidpiam impetrabit. *Ego sum*, inquit Christus, *ostium ouium.* Item: *Ego sum via, veritas & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me.* Iterumque: *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere.*

Sine Christi patrocinio impetrare à Patre cælesti nihil possumus.

Ioan. 10.
Ioan. 14.
Ioan. 15.

10. Quæ cùm verè ita sint, paratissimum se quoque atq; auidissimum nobis exhibet Redemptor noster, vt cuilibet suam operam ad sui inuocationem præstet, adeò vt nullam sibi gloriam futuram æstimet, nisi implorantium se necessitatibus succurrerit. Hanc in rem opportunè adducere possumus quæ sanctissima illa virgo Gertrudis Saxonica scripta reliquit. Die sanctorum Innocentium, dum in præparatione ad Communionem tumultibus cogitationum impediretur, & diuinum super hoc auxilium postularet, talem à dignantissimâ Dei miseratione responsum accepit: *Si quis humanâ tentatione impugnatus, firmâ spe sub protectionem meam confugerit, inter ceteros est de quo possum dicere: Vna est columba mea, tamquam electa ex millibus, qui in vno oculorum suorum transuulnerauit cor meum diuinum; in tantum, quòd si scirem me non posse subuenire illi, hæc tam molesta esset desolatio cordi meo, quòd eam omnes calestes deliciæ non possent alleuare: quia in corpore meo, quod Diuinitati coniunctum est, electi semper habebunt Aduocatum, qui me cogit compati ipsis in diuersis indigentiis suis.* Et illa: *Domine mi, quali modo immaculatum corpus tuum, in quo numquam habuisti aliquam contradictionem, poterit te cogere ad compatiendum in deiectionibus tam diuersis?* Ad quod Dominus: *Intelligenti facilè persuasum est: nam Apostolus dicit de me: Debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret.* Et subiunxit: *Vnum oculorum electæ meæ, quo transuulnerat cor meum, secura confidentia est, quam habet de me, quòd verè possim, sciam & velim sibi in omnibus fideliter adesse: quæ confidentia tantam vim facit pietati meæ, quòd nullatenus possem ipsi abesse.* Et illa: *Domine mi, cùm fiducia tantum sit bonum, quòd nullus ipsam absque tuo dono habere possit, quid demereri potest qui eâ caret.* Cui Dominus: *Quilibet tamen pusillanimitatem suam aliqualiter deuincere potest saltem testimonio Scripturarum, etsi non integro corde, tamen ore dicere potest mihi illud Iob: Etsi in profundo inferni demersus fuero, inde me liberabis. Et illud: Etiamsi occideris me, tamen in te sperabo*, & similia. Quæ D. Gertrudis Insinuationum verba adeò sunt efficacia, vt indubitatam ex Christi meritis confidentiam in nobis parere valeant. Nam præterquam quòd securos planè nos faciant de Saluatoris in quodcumque adiutorium nostrum propensionem & facilitatem, nos etiam instruunt, quâ ratione excitari facilè queamus, vt, in quacumque spiritus ariditate fuerimus, fiduciam concipere possimus: quod profectò haud exiguum homini pusillanimi & afflicto est subsidium.

Christus ad patrocinium nobis exhibendum, promptissimũ se offert.

Lib. 3. Insinuationum, cap. 7.

11. Sed nunc, quàm sit efficax actionum nostrarum cum Christi meritis coniunctio, visum ibimus. Inter alia plura quæ speciali diuini Spiritus instinctu S. M. N. Teresia supernaturaliter edocta fuit, hoc in Monitis suis tradit documentum: *Vt efficaciùs*, inquit, *vnusquisque desideratum precum ac operationum suarum consequatur effectum, offerre hæc ipsa debet æterno Patri, in vnione meritorum Filij sui vnigeniti Domini nostri Iesu Christi.* Cui communis sanctæ matris Ecclesiæ irrefragabilis spiritus suffragatur, dum post omnes ferè Officiorum ac Sacrificiorum Collectas hæc verba addere consueuit, *Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus*, &c. quasi fideles suos doceat id quod iam Seraphicam matrem Teresiam inculcasse retulimus. Nec pluribus huic rei probandæ est opus, quin addere alia superuacaneum foret, eò quòd sit certissima & constantissima Catholicorum omnium doctrina, hausta ex antiquâ Fidei regulâ, & ex sacrâ etiam Scripturâ, operum nostrorum bonitatem à Christi meritis dependere, & in illis fundari, prout sufficienter hactenus comprobatum fuit: ideò opportuniùs similitudines nonnullæ adferri possunt, è quibus euidens fiat, quantò meliores à Deo habeantur actus nostri, si cum meritis Christi Redemptoris, cælesti Patri offerantur.

Actiones nostra Christi meritis coniuncta, euadunt efficacissima.

D. Gertrudis Saxonica refert, visum sibi fuisse Christum Dominum in throno gloriæ suæ residentem, ac iuxta pedes illius S. Ioannem Euangelistam assidentem atque scribentem. Cùm verò ipsa, quid hoc esset, percontaretur, Saluator ei respondit, in chartâ illâ merita sui Conuentus describi, vt ea Patri æterno offerret. Beatus itaque Ioannes scribens videbatur quandoque calamum intingere in cornu quod manu tenebat, & ex eo litteras nigras exarare; quandoque verò in vulnus amatorium lateris Christi, quod vt cornu apertum patebat, & exinde rursus litteras faciebat, distinguens ea rubea scripta partim nigro colore partim aureo. Intellexit verò B. Gertrudis, per ea quæ nigro colore erant scripta, designari opera illa quæ ex vsu tantummodò fiunt; per illa autem quæ rubro colore erant conscripta, designari opera illa quæ fiunt in memoriam Passionis Iesu Christi. Per hoc quoque quòd eadem rosea scripta partim erant nigro colore partim aureo distincta, intellexit, illa quæ fiunt in honorem Dominicæ Passionis pro beneficio aliquo proprio consequendo, discerni nigro colore, & aureo ista quæ fiunt in vnione Passionis Christi ad salutem aliorum merè propter Deum. Cumque illa postmodum Dominum interrogasset, quomodo laudabiliter possent opera in Passionis memoriam fieri, ac praxis hæc in consuetudinem deduci, Christus respondit: Si omnia quæ facitis in ieiuniis, vigiliis, ceterisque Regularibus disciplinis, faciatis in vnione meæ Passionis; & quandocumque ab aliquâ re abstineris in visu, auditu, verbo, & similibus, semper illud mihi offeratis in vnione illius amoris, quo ego omnes sensus meos continui in Passione meâ. Eodem præterea libro illos qui sua offerre cõsueuerunt in vnione operum Christi, manibus assimilat, quibus inest operandi virtus: quia enim, inquiebat illi Saluator, per manus signatur operatio, studeat etiam omnia opera, tam corporalia quàm spiritualia, perficere in vnione perfectissimorum operum meæ sacratissimæ humanitatis, vnde miro modo nobilitata sanctificabuntur vniuersa.

12.

Lib. 4. Insinuat. cap. 16.

Idipsum B. Gertrudis Saxonica mirabili visione edocetur.

Cap. 6.

Hæc

13\. *Et quomodo ea ipsa Purgatorij animabus omnia applicari possint.* Lib. 4. ca. 17.

Hæc omnia quomodo etiam vsu veniant in liberandarum animarum causâ, Christus in iisdem Insinuationibus S. Gertrudi factis manifestè ostendit. ita namque ibidem scribitur: *In nocte beatissimâ gloriosissimæ Resurrectionis Domini, dum ante Matutinas deuotiùs orationi incumberet, apparuit ei Dominus Iesus, florens & amœnus in gloriâ diuinæ Maiestatis, & decore perpetuæ immortalitatis. Ad cuius pedes ista procidens eum humiliter ac deuotissimè adorauit, dicens: Cùm tu sponse floride, decus Angelorum & gloria, me omnium creaturarum extremam tibi eligere dignatus sis in sponsam, & ego solius tui laudem & gloriam ex intimis cordis & animi medullis desiderem & sitiam, & tuos amicos, meos propinquissimos reputem; ergo peto, Iesu amantissime, vt hac horâ ob reuerentiam iucundissimæ Resurrectionis tuæ absoluere digneris animas omnium spiritualium tuorum: ad quod citiùs obtinendum, in vnione innocentissimæ Passionis tuæ offero tibi omnem tolerantiam cordis & corporis mei, quam pertuli in continuis infirmitatibus meis. Tunc Dominus cum mirâ blanditate ostendit illi multitudinem animarum à pœnis absolutam, dicens: Ecce pro dote sponsali has animas assigno tuæ dilectioni, quia æternaliter apparebit in cælis, quòd tuis sint precibus liberatæ; & hoc coram omnibus Sanctis meis cedet tibi iugiter in honorem. Tunc illa: Et quantus est earum numerus? Respondit Dominus: Numerum earum solius Diuinitatis meæ scientia complectitur. Cumq; ista intelligeret, animas, quamuis à pœnis liberatas, nondum tamen æternis gaudiis sociatas; præbuit se totam diuinæ pietati ad tolerandum in corde & corpore quæcumque placerent, pro eo vt animabus illis plenam beatitudinem conferre dignaretur. Tunc placatus Dominus, omnes eadem horâ subleuauit ad gaudia cæli.*

14\. Consilium itaque saluberrimum est, vt vniuersa quæ agimus aut patimur, Christi meritis coniuncta, Patri illius æterno offeramus, quod, vt solidiùs nostra procedant, paucis adhuc enucleabimus: quæ enim ex mysticâ S. Gertrudis Saxonicę doctrinâ protulimus, Scholasticorum quoq; auctoritate sunt firmata, quos inter vnus eminet & sufficit D. Thomas Aquinas, qui affirmat, Christum duplici templi Ierosolymitani altari designatum fuisse, vt omnia per ipsum offerenda esse edoceremur. verba eius hęc sunt: *Ipse etiam Christus significatur per duplex altare, scilicet holocaustorum & thymiamatis, quia per ipsum oportet nos Deo offerre omnia virtutum opera, siue illa quibus carnem affligimus, quæ offeruntur in altari holocaustorum; siue illa quæ maiore mentis perfectione per spiritualia perfectorum desideria Deo offeruntur in Christo quasi in altari thymiamatis, secundùm illud ad Hebræos vltimo, Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo.* Quapropter etiam S. Dauid Propheta pro peccatis suis indulgentiam petens, quò oratio, quam fundebat, efficaciùs ab æterno Patre exaudiretur, vt respiciat faciem Christi sui exoptat, inquiens: *Protector noster adspice Deus, & respice in faciem Christi tui.* Et Iudæorum Synagoga cantare fuit solita, *Propter Dauid seruum tuum non auertas faciem Christi tui.* Cuius rationem alio in Psalmo reddit, *Ostende faciem tuam, & salui erimus.* Et: *Auertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur.* ita vt ad Christi solius intuitum & nos petitionum nostrarum effectum, & Deus Pater ad nostri miserendum affectum sumamus. Quoad fructum verò qui nobis prouenit si nos Christus intueatur, sumi potest auiculæ istius comparatio, quæ à naturaliũ indagatoribus narratur in Arabiâ reperiri, eamque virtutem habere refertur, vt quemcumque hominem ægrotantem adspexerit, is sanitatem consequatur; sicut econtra is mori debet, quem illa intueri noluerit. Idem de Christo patuit in Matthæo Apostolo & Euangelistâ, quem cùm intuitus esset, duobus verbis è Publicano ad Apostolatũ conuertit. At æquè efficax est, si Pater æternus in nostri gratiam Vnigenitum suum respicere dignetur: nam ex eo non solùm, vt iustos meritis augeat, permouetur, verùm etiam ne peccatores puniat, quin potiùs vt eorum preces exaudiat quodammodò cogitur. Pro quo nonnulli elegantem similitudinem adferunt, dicentes, Christum, vt Patrem pro nobis placet, sese velut mediatorem inter nos & illum collocare: & cùm sit veluti vitrum pellucidum, nos, qui retrò illum consistimus, similes sui coloris apparere facere; vnde Patrem cælestem ex ipsius affectu & effectu, non vt peccatores, sed vt iustos exaudire. Quemadmodum enim Ioseph Patriarcha in Ægyptum venditus, fratres suos, frumenti emendi causâ eò aduentantes, antequam Beniaminum, vterinum eius fratrem, adduxissent, agnoscere noluit; illo verò adducto, vlteriùs dissimulare nequiuit, sed in lacrymas diffluens, se Iosephum esse, qui ab illis venditus fuisset, professus, omnique illos beneficiorum genere prosecutus est: ita similiter vniuersorũ Pater, etiamsi subinde homines ob promeritã delictorum pœnam, ceu ignotos ignotus, recipere nolit; si tamen electum eius Filium, quem ab æterno sibi connaturalem genuit, secum adducant, eique spectandum offerant, protinus ad omnem misericordiam commouetur, illosque omni charitatis & benignitatis affectu dignatur: adeò vt cuiuspiam rei impetrandæ non sit vlla semita certior & tutior, quàm Christi meritorum cum actibus & orationibus propriis summo Patri facta oblatio.

D. Thom. Aquin. 1. 2. quæst. 102. art. 4. ad 6.

Psalm. 83.

Psal. 131.

Psalm. 77.

Psalm. 103.

Auicula Arabica, quæ ægrotum si adspexerit, ei vitam, sin minùs, mortē præsagit. Christi nos vel intuentis & recipientis, vel auersantis typus.

Genes. 44. & 45.

Huius rei firmissimam habemus ab ipsomet Christo promissionem. Nam dicas quæso, num quid pro eius certitudine dicere potuerit firmius aut solidius, quàm ea quæ & suprà ex S. Ioannis Euangelio retulimus verba, *Amen amen, dico vobis, quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis?* Mirum quid est, quòd Saluator hominum asserto suo iuramentum apposuerit, cùm ipse, vtpote Veritas, falsum dicere non posset. Num sufficiebat, olim eum ita effatum fuisse, *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt?* Quid opus erat iuramenti, & quidem duplicis, adiectione? Opus profectò non erat; fecit tamen, vt nostram in se fiduciam vehementiùs excitaret, nullamque omnino vel hæsitationis vel incredulitatis occasionem relinqueret. Nostra ergo in credendo infirmitas causa illius fuit, non verò quòd in verbis eius aliquid dubitandum esset: quemadmodum & in Patre æterno circa Filij sui sacerdotium factum reperimus. *Iurauit*, inquit Dauid, *Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* De quo Dei omnipotentis iuramento ita locutus est D. Paulus: *Quantum est non sine iureiurando (alij quidem sine iureiurando Sacerdotes facti sunt, hic autem cum iureiurando, per eum qui dixit ad illum: Iurauit Dominus, & non pœnitebit* 15.

Ioan. 16. *Cur duplex iuramentum adiderit Christus suo promisso.*

Matth. 24.

Psal. 109.

Hebr. 7.

eum, Tu es sacerdos in æternum:) in tantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus. Ex iuramenti itaque appositione ipsa Christi promissio multò nobis firmior certiorq; habenda est, nō quòd alioquin dubia sit, sed quia, si nec tunc de eius veritate vllatenus dubitandum esset, multò magis nunc, propter adiectum iuramentum, fidem ei habendam euincitur. Obseruari porrò poterit, Christum iuramenti & promissionis suæ certā solidamque rationem habuisse. Nam præterquam quòd omnia Pater in manus illius tradiderit, adeoque ipsum nostrum apud suam diuinam Maiestatem mediatorem, intercessorem atque aduocatum constituerit, vt pro nobis ipse, & nos per illum exaudiamur; vna insuper est ratio, quæ nos vehementer, & ampliùs fortasse quàm præcedentes, accendat, vt illius sub alas confidentissimè, misericordiæ nobis aliisque consequendæ ergò, confugiamus. Propheta ille Regio diademate redimitus, sub Redemptoris nostri personâ de futuro eius in mundum aduentu prophetizans ait: *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi; holocaustum & pro peccato non postulasti. Tunc dixi: Ecce venio.* Quibus è verbis SS. Patres colligunt differentiam quæ est inter preces Christi & aliorum: sine respectu enim aut intuitu ad Saluatorem, generaliter omnium Sacrificia postulataque repulsam patiebantur; quare meritò Christus: *Aures autem perfecisti mihi.* quibus è verbis Apostolus insigne elicuit mysterium, dum pro *aures* ipse posuit *corpus. Hostiam,* inquit, hunc Prophetæ locum citans, *& oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi;* vt nimirum, quemadmodum in sequentibus explicauit, *sanctificati essemus per oblationem corporis eius.* At quæ hæc connexio, *Aures* seu corpus *perfecisti*, & *corpus aptasti mihi?* Egregia prorsus: vnius videlicet aliud est explicatio.

Psal. 39. *Sine Christo nihil prodesse tant omnia Sacrificia.*

Hebr. 10.

16. *Hoc vt D. Paulus explicet & Dauid, quomodo locuti.*

Pro quo notandum est, duas circa Christi corpus fuisse hæreses: vna Manichæorum, qui dicebant, Saluatorem habuisse corpus fictitium; altera Valentinianorum, qui admittebant quidem verum ac naturale fuisse corpus Christi, non tamen verè sed phantasticè passum fuisse, ita vt licet pati videretur & mori, oculos tamen mortalium eluderet, & reuerà neque pateretur neque moreretur. Visus est itaque, vt vtramq; hanc hæresim præfocaret, Spiritus sanctus diuerso hoc in Dauide & Paulo loquendi modo; cùm verbum *perfecisti* satis indicet, Saluatorem habuisse verum & perfectum corpus; dictio verò *aptasti*, corpus eius ita, vt verè pati posset, aptatum fuisse. Et in hac posteriore dictione illud præterea obserua, ideò Christi corpus dici aptatum fuisse vt pateretur, quia non solùm pati oportebat quæ alij homines naturaliter sustinent & sufferre possunt, sed & multò maiora, atque adeò plurima, quæ supra communem mortalium erant naturam. Ipse enim erat, qui, vt Apostolus dixit, venit *ad multorum exhaurienda peccata*, & qui *tradebat iudicanti se iniustè, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*: qui *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit; & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.* ad quæ omnia sufferenda, & ad exhaurienda peccata, opus erat corpus idoneum aptatumque. Alij verò & aliud ex illo verbo *aptasti* colligunt, aiuntque, per illud indicari mirabilem dispositionem quam ad sentiendum tormenta Christus habuit. Nobilis enim, quia corpus delicatius rustico nactus est, iisdem suppliciis, quibus ille forte leuiùs afficeretur, ampliùs torquetur. Et ideò quia Saluator corpus habuit tenerrimum, maximeque proportionatum, necesse fuit illud etiam fuisse maxime sensitiuum, & dolores ei illatos vltra modum eum affecisse atque torsisse.

Hebr. 9.

1. Petr. 2.

Isaiæ 53.

Quid circa hæc Doctores.

17. *Quare tot est passus Christus.*

Sed quorsum tam crudelia & pati voluit, & tam eximiè inde discruciari? Vt ampliùs suam in nos charitatem ostenderet, ad maiorem in se confidentiam prouocaret. Vnâ Sanguinis sui effusâ guttulâ totum mundum, imò mille mundos, vt infrà satis videbimus, saluare potuisset, imò vnico suspirio, vnico cogitatu: quid igitur se totum & patientiæ obtulit, & ad crudeliùs patiendum aptauit? Certè non alio fine id fecit, quàm vt amorem suum in homines ex hoc ampliùs demonstraret, eisdemque maiores gratiarum satisfactionumque thesauros congregaret. Non enim sibi, sed nobis filiis suis hosce meritorum cumulos coaceruauit: *nec enim*, vt Apostolus ait, *debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* Ergo Christus, quem Isaias vocat *Patrem futuri seculi*, id est noui Testamenti, quidquid congregauit, nobis thesaurizauit. Quàm porrò superabundans sit ipsorum Christi Saluatoris meritorum thesaurizatio, vel solus ille Psalmus, qui plerumque pro defunctorum liberatione ab Ecclesiâ recitari consueuit, sufficienter edicit. *A custodiâ matutinâ*, ait Dauid, *vsque ad noctem speret Israel in Domino: quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio; & ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.* Similitudine meritorum Christi abundantiam adumbrabimus. Ponamus aliquem apud Turcas detineri captiuum, pro cuius lytro soluendi sint mille floreni: si quis verò, charitate ductus, millies centena millia pro eo non tantummodò offerret, sed reipsâ numeraret, numquid copiosissima dicenda esset illa redemptio? Eodem planè modo agit Christus nobiscum. Vnâ guttulâ, vnico suspirio, vnico cogitatu abūdantissimè nostræ captiuitatis lytrum exsoluisset; & ecce omnia sua Patri obtulit, seipsum totum in redemptionem dedit. hinc Pater ad illum: *Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Historiam sacram, instituto nostro haud incongruam, apponimus. *Erat Berzellai Galaadites senex valdè, id est octogenarius, & ipse præbuit alimenta Regi Dauid, cùm moraretur in castris; fuit quippe vir diues nimis. Dixit itaque Rex ad Berzellai: Veni mecum, vt requiescas securus mecum in Ierusalem. Et ait Berzellai ad Regem: Quot sunt dies annorum vitæ meæ, vt ascendam cum Rege in Ierusalem? Octogenarius sum hodie: numquid vigent sensus mei ad discernendum suaue aut amarum? aut delectare potest seruum tuum cibus & potus? vel audire possum vltrà vocem cantorum atque cantatricum? quare seruus tuus sit oneri Domino meo Regi? Paululum procedam famulus tuus ab Iordane tecum: non indigeo hac vicissitudine, sed obsecro vt reuertar seruus tuus, & moriar*

2. Cor. 12.

Isai. 9.

Psal. 129.

Similitudine explicatur meritorum Christi abūdantia.

Psal. 2.

2. Reg. 19.

Historia quomodo illam in nos deriuarit.

riar in ciuitate mea, & sepeliar iuxta sepulchrum patris mei & matris meæ. Est autem seruus tuus Chamaam, ipse vadat tecum, Domine mi Rex, & fac ei quidquid tibi bonum videtur. Dixit itaque ei Rex: Mecum transeat Chamaam, & ego faciam ei quidquid tibi placuerit, & omne, quod petieris à me, impetrabis, &c. En Berzellai, cùm esset vir ex se ditissimus, beneficia à Rege Dauid sibi oblata honestè à se remouit, nec ea desiderauit, filio verò suo Chamaam ea impetrauit. Berzellai noster, est Dominus & Saluator IESVS Christus, qui quoniam est *splendor gloriæ, & figura substantiæ* Patris, *portans omnia verbo virtutis suæ*, adeò vt ad gloriæ suæ augmentum ipsemet non indigeret tot quibus abundabat meritorum copiis: petiit ergo à cælesti Rege Patre suo, vt nos illius loco apud se haberet, & quam ipse promeritus fuerat gratiam, in Chamaam, hoc est in humanum genus refunderet. O felicem humanæ naturæ conditionem, vt talem tantumque redemptorem haberet, tam ardenter ab illo amaretur, omnia ille in eam transfunderet, omnia illa ab ipso acciperet!

Hebr 1.

18. Cùm Propheta Elias diuinitus cognouisset, assumendum se esse in paradisum, ideoque à discipulo suo Eliseo segregandum, ita illum compellasse legitur: *Postula quod vis vt faciam tibi antequam tollar à te. Dixitq; Eliseus: Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus. Qui respondit: Rem difficilem postulasti: attamen si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti; si autem non videris, non erit. Cumq; pergerent, & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumque: & ascendit Elias per turbinem in cælum. Eliseus autem videbat, & clamabat: Pater mi, pater mi, currus Israël, & auriga eius. Et non vidit eum ampliùs: apprehenditq; vestimenta sua, & scidit illa in duas partes. Et leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Eodem planè modo fecit Redemptor noster cùm discessurus esset ad cælum: obtulit enim discipulis suis, & in illis omnibus nobis, facultatem illam non pro vnâ vice, sed semper petendi & obtinendi quidquid vellemus; nec ad id probandum aliis verbis, quàm quæ toties hactenus, repetiimus, opus est, *Amen, amen dico vobis, quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Cuius promissionis arrham & pignus, vti Elias Eliseo, chlamydem suam nobis reliquit, vestimentum inquam iustitiæ suæ, quo ex Iobi assertione indutus fuit. *Iustitiâ*, inquit ille sub huius personâ, *indutus sum, & vestiui me, sicut vestimento & diademate, iudicio meo.* & apud Isaiam ait: *Induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me.* vbi per iustitiam non intelligitur virtus illa moralis, quâ vnicuique ius suum tribuitur, sed accipitur pro complexione atque vnione omnium virtutum, ita vt sensus sit, Christum suam iustitiam nobis reliquisse, cuius efficaciâ, quemadmodum Eliseus, Iordanem huius sæculi transiremus, omneque postulatum obtinere possemus. Meminerit Lector illius fabellæ, quâ olim Poëtæ commenti sunt, Mortem & Amorem aliquando ad eamdem tabernam diuertisse; manè verò alterum alterius pharetram per errorem arripuisse, adeò vt posteà Amor occidere, Mors verò corda succendere cœperit. In personâ Christi hoc non est figmentum, tam enim vera eius erga nos est dilectio, tam euidens charitas, vt minus sit *quod illa*, fictio nimirum Poëtica, *finxit*, *quàm quod ille gessit*. quod enim illa, vt diximus de Amore & Morte, Christus, qui verus & merus est amor, egit cum homine, quem, vtpote mortis mancipium, non malè appellaueris mortem. At non pharetras, sed vestimenta sua mutarunt Christus & homo. Indutus erat Amor noster iustitiâ, Mors verò, id est homo, peccato: induit ille peccatum, hæc iustitiam: indeque factum est, vt Amor, qui immortalis erat, occisus sit, Mors verò, quæ viuere nequibat, viuere cœperit.

Christus nobis Elias vt Eliseo chlamydem meritorum suorum reliquit.

4. Reg. 2.

Ioan. 16.

Iob. 29.

Isaiæ 61.

Etiam fabula hanc veritatem declarat.

Ambr. lib. 1. de Abraham, cap. 1.

Mysterium hoc à piâ Matre nostrâ Ecclesiâ Catholicâ eleganter & prouidè admodũ adumbratur, dum festiuissimæ Saluatoris Christi Iesu Natiuitati, cruentam S. Stephani, in martyrio primogeniti, mortem adiunxit, quæ alioquin, vti reuerà contigit, die tertiâ Augusti recolenda fuisset. Quid, quæso, ibi tristitiæ cum gaudio, fletui cum iubilo, morti cum vitâ, ingressui cum exitu, funeri cum natiuitate? Nihil sanè, si seorsim singula spectes; plurimum verò, si vtramque intermisceas. Videamus primò, quomodo hæc Festa sibi inuicem opponantur, posteà quàm mutuò conueniant exponamus. Natiuitatis Dominicæ festo tota in lætitiam prorumpit Ecclesia; die verò postero omnis velut gaudij oblita, tristitiam induit ex Stephani lapidatione: quæ sanè varietas in variis deprehenditur. Primò, in ipsâ Natalis Christi solemnitate Ecclesia in Introitu ad sacrum Missæ officium canit: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*: in Officio verò B. Stephani, *Quoties volui congregare, quemadmodum gallina congregat pullos sub alas, & noluisti?* Deinde, in Natalitiis auditur, Apparuit gratia Dei saluatoris nostri, &c. in Festo verò S. Stephani, *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Tertiò, Priore die Christus lætam faciem monstrat, inquiens, *Ecce ego qui loquebar, adsum*: posteriore eamdem corrugat, sic aiens: *Dico vobis, non videbitis me amodò, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Quartò, in priore Officio legitur, *Lux fulgebit hodie super nos, quia natus nobis Dominus*: in posteriore, *Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam: sanguis qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ.* Quintò, ibi dicitur, *Maria peperit filium suum primogenitum*; hic, *Lapidauerunt Stephanum.* Sextò, ibi, *Bos cognouit possessorem suum & præsepe domini sui*; hic, *Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum.* Septimò, pastoribus ait Angelus, *Euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo*, idque ratione natiuitatis Redemptoris; ratione verò Iudæorum in peccatis suis obstinatorum alter, qui velut Angelus apparuit in medio eorum, *Durâ ceruice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* Octauò, Ibi *facta est cum Angelo multitudo cælestis exercitus, laudantes Deum*; hic *exclamantes* Iudæi *voce magnâ, continuerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in Stephanum, & eiicientes extra ciuitatem lapidarunt.* Nonò, ibi Angeli cecinerunt, *Gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax hominibus*; hic *curauerunt Stephanum viri timorati, & planctum magnum fecerunt super eum.* Deniq; decimò ibi *reuersi sunt pastores laudantes & glorificantes Deũ*; hic *facta est persecutio magna in Ecclesiâ quæ erat Ierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ.* Ha-

19. *Cur Natiuitatis Dominicæ & S. Stephani Martyrij festa coniuncta sint.*

E multis sibi maximè videntur contraria.

20. *Ex pluribus verò multò, planè conformia.*

Hactenus omnino sibi opponuntur Festa ista, modo videamus quomodo rectissimè coueniant, adeoq; meritissimè coniungantur. Primò igitur cum Christo venit plenitudo téporis, quo Deus Filium suum misit in mundum: tum Stephano inchoata est felix æternitas, ita vt intraret hic illuc vnde venerat Christus, illuc venerit Christus vnde abierat Stephanus, iuxta ipsius verba, *Ecce video cælos apertos.* Deinde, Christus in mundum descendens, miseriam nostram experiri cœpit; Stephanus verò miseriâ, quam Christus assumpserat, exemptus, intendens in cælum, vidit gloriam Dei. Tertiò, in Christi natiuitate descriptio fiebat per totum orbem. *quia*, vt ait S. Gregorius, *ille apparebat in carne, qui suos describeret in æternitate*, quod tunc, cùm mortuus est S. Stephanus, adimpletum fuit: primus enim ille miles erat qui è Christi exercitu gloriosè occubuit, & cælo palmam intulit; cùm natus vero Christus, arenam, quæ longissimum certamen requirebar, ingressus est. Hic itaque ingressus pugnæ locum, ille coronæ; hic aggressus molestias hostium, ille ab iis digressus. Quartò, Christus in Bethlehem, id est *domo panis*, ait S. Gregorius, natus fuit, vt esuriret; Stephanus in locum satietatis æternæ auolauit, vbi ampliùs non esuriret neque sitiret. Quintò, Maria peperit filium suum primogenitum cunctis ignotum; Ecclesia Stephanum genuit protomartyrem vniuersis cælicolis patefactum. Sextò, Christum mater in stabulo peperit, & reclinauit eum in præsepio; Mater Ecclesia Stephanum, quia orbis ei non sufficiebat, in cælo. Septimò, In viâ prognatus Saluator, quia nimirum non in domo Patris nascebatur: natus in termino Stephanus, quod improprium eatenus fuerat peccatori. Octauò, In propria venit Dei Filius, & sui illum non receperunt, vt Stephanus hominum filius in cælestia ab Angelis reciperetur. Nonò, Christi natiuitas pacem mundo adduxit, ac Iani bellique fores claudi fecit, quia ille in carnem venerat, qui omnium in se bella susciperet, rebelliumque pœnas suo portaret in corpore, quò Stephanus omni hac miseriâ curâque careret. Decimò, vix mundum ingressus Saluator Herodem persecutorem expertus est, vt omni hoste Stephanus liber, eò transiret quò nullus hostis accedere posset. Sed quid, quæso, hominem similem facimus Deo? quia nempe, quemadmodum diximus, vt homo vestimenta Dei indueret, Deus ipse vestimenta hominis sumpsit, cuius non plures tantùm sed & fortiores sunt probationes. Vndecimò ergo Christus factus est puer tener ac imbecillis, vt Stephanus plenus fieret fortitudine. Duodecimò, Christus exinaniuit semetipsum, ac peccator apparuit, vt Stephanus repletus esset gratiâ. Decimotertiò, Stephanus faciebat signa & prodigia magna in plebe, quia veluti innocens, ac potestate suâ spoliatus videbatur Messias. Decimoquartò, Stephanus abundauit sapientiâ, cui non poterant resistere omnes aduersarij eius, eò quòd scilicet Christus suâ se quodammodò in cunis ac fasciculis sapientiâ exuit. Decimoquintò, quia Saluator pannis inuolutus, idcircò & Stephanus cælesti decoratus est stolâ. Decimosextò, Mariæ infans vagit inter arcta conditus præsepia, vt Ecclesiæ filius abstergerentur omnes lacrymæ ab oculis eorum. Decimoseptimò, pauperrimus Christus effectus est, ita vt non haberet quò caput reponeret, quatenus omnium commoditatum cælestium Stephanus compos esset. Decimooctauò, angustus præsepis locus Christum recepit, vt Stephanum cæli immensitas admitteret. Decimononò, vniuerso suo comitatu se velut seruus ipse priuauit, vt comitantibus Angelis anima Stephani euolaret. Vigesimò, Angeli, qui in Christi natiuitate lætati sunt, in illius morte amarè fleuerunt, vt timorati viri, qui Stephanum in vitæ eius egressu planxerunt, in introitu cælestis gloriæ ei congauderent. Vigesimoprimò, Stephanus iuxta nominis sui etymologiam, auream coronam adeptus est, quoniam spineam sibi Dominus imponi passus est. Vigesimosecundò, rectè ex morte suâ Stephanus vitam obtinuit, quia vitam Christus inchoauit vt moreretur. Plura sunt huiusmodi sed abundè satis ex prædictis constitit, Saluatorem cum S. Stephano, seu alio quouis cælesti gloriâ coronato cuius is Sanctus figuram habuit, vestimenta commutasse, & propterea duo illa festa, Natiuitatis Dominicæ, & S. Stephani Martyrij, non absque insigni mysterio ab Ecclesiâ coniuncta fuisse: quò nimirum omnes hinc intelligerent, quanta in homines sit meritorum Christi abundantia, quanta efficacia. Hinc & illud insuper patet, prudens ad faciliùs Dei misericordiam impetrandam esse consilium, meritis Christi preces suas actusque omnes coniungere, illasque sic adornatas, maximâ cum fiduciâ Patri æterno offerre. Ad quod exercitium vt feruentiùs etiam in animarum causâ nos accingamus, haud extra aleam futurum arbitrati sumus, si affectum, quo erga purgandos fertur Saluator, peculiari Capite explicaremus. Sit itaque

In Euang.

Ibidem.

Idem patet ex 10. & ampliusc 8 uenientiis;

Ex quibus omnibus tandem concluditur, optimũ esse sua Christi meritis coniungere.

CAPVT V.

Saluator noster Christus Iesus ea Vulnera, quæ viuus accepit, viuis solandis retinuit; quod verò mortuus, mortuis.

1. *Christus non pro viuis tantùm, sed & pro defunctis vulnerum suorũ stigmata retinuit.*

SAT puto manifestè hactenus probauimus, Aduocatum in omnibus necessitatibus nostris à nobis assumendũ & cooptandum esse humani generis Redemptorem Christum Iesum, vt virtute potissimùm Passionis eius, quidquid à Patre cælesti exposcimus, assequamur: modò probaturi sumus, illum ipsum Saluatorem nostrum, Vulnus illud lateris sui ideò in glorioso suo corpore permanere voluisse, vt illius merito & beneficio tum defuncti iuuarentur, tum viuentes hinc ampliorem illos liberandi fiduciam & feruorem conciperent, memores, quotiescumque pendentem de cruce Saluatorem conspiciunt, illum non viuum tantùm pro viuis, sed & mortuum pro mortuis vulneratum esse.

Quem viui è Vulneribus Christi fructum consequantur, & quem in

De fructu itaque, quem è quatuor Vulneribus viuo Christo inflictus viui consequuntur, Doctores varia tradiderunt. Primùm dicunt, eum post suam resurrectionem in impassibili & immor-

finem Vulnerum stigmata in corpore suo deferat.

1. Vt eûdem, qui passus fuisset, resurrexisse sciremus. Chrysost. Hom. 86. in Ioan. Cyrillus. Augustinus super Psalmum 47. Ven. Beda.

mortali carne suâ Vulnera retinuisse, vt mortales inde discerent, ac firmiter crederet, eumdem à mortuis resurrexisse, qui passus & sepultus fuerat. D. Ioannes Chrysostomus scribit ita: *Vt ipsum Dominum crucifixum fuisse, & neminem pro eo resurrexisse intelligas, propterea cum signis crucis resurrexit.* S. Cyrillus verò: *Passionis notas Christus retinuit, vt resurrectionis mysterium rectè intelligamus, non aliud corpus resurrexisse credentes, quàm cruciatu mortuum fuit.* Et S. Augustinus: *Ego confirmaui columnas eius. Columnas dicit Apostolos: & quid essent istæ columnæ, nisi ab illo firmarentur? Columnæ quæ in passione nutauerunt, resurrectione firmatæ sunt. Terruerunt eos vulnera, firmauerunt cicatrices. Habere voluit cicatrices, vnde nutantes columnas confirmaret.* Et tandem Ven. Beda: *Ad dubitantium corda sananda, Vulnerum sunt seruata vestigia.*

2.

2. Vt tanto beneficio nos gratos præstaremus. S. Ambrosius. Ven. Beda.

Aliam rationem adducunt sancti Patres, quòd nimirum ideò cicatrices suas Seruator retinuerit, vt viuentes ad tanti beneficij, Passionis scilicet suæ, gratitudinem excitaret. S. Ambrosius de Vulneribus hisce ita loquitur: *Non solùm fidem firmat, sed deuotionem acuit, quòd Vulnera suscepta pro nobis cælo inferre maluit, abolere noluit.* Ven. Beda, *Seruauit*, inquit, *signa mortis, vt suâ morte redempti, quàm misericorditer sint adiuti, propositis semper eiusdem mortis innouet indiciis, ideoque misericordiam Domini cantare non cessent.*

3.

3 Vt promius in eumdem crederemus. D. Bernardus Serm. 61. in Cant. Isaiæ 49.

Tertia ratio hæc est, vt ex iis firmam erga Christum spem fideles concipiant. D. Bernardus, *Vbi est*, inquit, *tuta firmaq; infirmis securitas & requies, nisi in Vulneribus Saluatoris? Tantò illic securior habito, quantò ille potentior est ad saluandum. Fremit mundus, premit corpus, insidiatur diabolus; non cado: fundatus enim sum supra petram. Ait Dominus Iudæis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dicebat autem de templo corporis sui. Ecce Christi templum à Iudæis solutum ac dirutum, & in tribus diebus à Christo excitatum.* Et paulò infrà: *Illos quos Regis iustitia insequitur, in templa confugiunt: si Dei sequitur iustitia, in templum hoc amplissimum, velut asylum, velociter confugiunt. Sed & Isaias Prophetes: Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te.*

4.

4. Vt vicissim ad quidlibet pro illo perferendum incitaremur. Ven. Beda in Luc. cap. 24. August. l. 22. de Ciuit. Dei, c. 20. Ambros. in Psal. 47.

Quarta ratio fuit, vt sciremus & excitaremur qui viuimus, ad libenter etiam quidlibet pro Dei gloriâ sufferendum, cùm tantum ad triumphum Vulnera Seruatori inseruierint. Ven. Beda, *Si*, inquit, *aliquis fortissimus miles, iubente Rege suo, pro totius gentis salute singulari certamine desudans, multis quidem vulneribus exceptis, hostem tamen interficiat, & victoriam suæ gentis reportet, interrogatusq; à Medico, velitne curari vt nec vestigia vulnerum vlla resideant, an magis ita vt cicatrices quidem remaneant, deformitas verò prorsus omnis absit, respondeat, se potiùs ita velle sanari, vt toto salutis decorisq; pristini statu recuperato, perpetua secum tanti circumferat signa triumphi: sic Dominus ob signum perpetis victoriæ Vulnerum cicatrices cælo inferre maluit quàm abolere.* Quò etiam pertinent quæ D. Augustinus tradit, *Nescio*, inquiens, *quomodo sic afficimur amore Martyrum, vt velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices: non enim deformitas in eis sed dignitas erit, & quædam in carne quamuis non corporis pulchritudo fulgebit.* Et S. Ambrosius in illud Psalmi, *Refloruit caro mea, Floruit*, inquit, *caro Christi, cùm de Mariæ virginis vuluâ processit; refloruit, cùm de sepulchro germinauit. Refloruit caro Domini in resurrectione, sic reflorebit Martyrum caro extremo mundi die; eius verò latissimi flores erunt Vulnera fulgentia.* Nec iusti solùm ex Vulnerum intuitu emolumenta percipiunt, sed iniusti ac peccatores etiam hinc terrentur, vt caueant, ne eadem in perpetuam sui fiant confusionē.

5 Vulnera Christi reprobis & malignis sunt terrori & horrori. Haymo. Zachar. 13. Hebr. 6. Matth. 24. Luc. 23.

Meritò ergo Haymo: *Noluit oblitterare Vulnera corporis, vt veniens in die iudicij ostenderet Iudæis, quale genus mortis illi intulerint: videbit enim omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Vnde S. Cyrillus, Doctor Angelicus, & Rupertus huc referenda censuerunt verba Zachariæ: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* Si itaque tanto opprobrio futura sint huiusmodi Vulnera Iudæis, qui Christum corporaliter occiderunt; quid futura eis credimus qui spiritualiter illum per peccata sua in quæ toties relapsi sunt, quantum in se fuit necauerunt, & veluti publicæ ignominiæ exposuerunt, iuxta id quod à D. Paulo dictum est: *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes?* Nec mirandum est, eiusmodi hominibus Saluatoris Vulnera terrori esse, quandoquidem de solius crucis, in quo Christus pependit, adspectu legatur: *Tunc parebit signum Filij hominis in cælo: & tūc plangent omnes tribus terræ.* Imò etiam à Redemptore nostro dicitur: *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos; & collibus, Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

5.

Lateris Vulnus ad mortuorū profectum à Saluatore reseruatum fuit.

Quia illud accepit, postquam iam omnia consummata essent quæ viuos concernerent.

Ioan. 20.

Quamuis verò plures aliæ rationes è Doctoribus adferri possint, quare Christus Vulnerum suorum, quæ viuus accepit, cicatrices retinuerit, ad Vulnus tamen lateris, quod mortuus accepit, & quod mortuos vel maximè concernit (de quibus nostrum potissimùm est institutum) orationem conuertimus. Et licet etiam circa hoc Saluatoris Vulnus quamplurima dici possent quæ ad viuos spectant; quæ mortuos attinent, quò noster præcipuè sermo collimat, seligemus, & nostro proposito applicabimus. Et primò, quamquam Dei Filius Dominus noster in vitâ suâ tormēta omnia, quæ pro salute generis humani subire constituerat, compleuisset, prout testatus est ipsemet, cùm iam in crucem actus inclamauit, *Consummatum est*, quidquid videlicet pati in vitâ suâ debebat; post mortem tamen iterùm vulnerari exanime corpus suum voluit, lanceaque pectus suum à milite crudeliter aperiri passus est. Quod non casu reuerà, sed ad insigne mysterium designandum factum esse, sanctorum Patrum docet auctoritas, vt hinc nimirum fideles discerent, Christum non viuorum solùm, sed & mortuorum esse Saluatorem, quibus adiuuandis vnum Vulnus, prout pro viuis plura, accipere voluit, & post resurrectionem suam retinuit, quod ipsum etiam discipulis suis, dum pacem illis apprecaretur, ostendit. *Venit*, inquit Euangelista, *Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus*, quasi stigmata illa pacem mortuis æquè ac viuis conferrent: viuis quidem, demonstrando manus, quibus operatio designatur; mortuis autem latus, quod vul-

vulneratum Patri suo æterno ostenderet, vt quibus benefaciendi, promerendi seseque iuuandi tempus iam pertransisset, pacem quoque ac requiem sempiternam impetraret. De pace defunctis obtinendâ an non sufficiens τεκμήριον esse potest, familiarissimum illud tritumque vniuersis Catholicis fidelibus votum, *Requiescant in pace?* Vnde sicuti Spiritus sanctus Ecclesiæ filios hoc mortuis quotidie vouere speciali instinctu edocuit, ita Christum eamdem Apostolis gratiam per lateris sui ostensionem insinuasse, non inutiliter credi potest.

6. *Deinde, vt illud æterno Patri ostentaret ad remissionem nobis impetrandam.* Beda in cap. 24. Lucæ. Ambrosius.

Certum in primis est, idcircò Christum pectoris sui vulnus in glorioso suo corpore remanere voluisse, vt illud Patri cælesti in peccatorum nostrorũ remissionẽ semper offerret. Vnde Ven. Beda, *Noluit*, inquit, *oblitterare signa mortis, vt pro nobis supplicans, quale genus mortis pro mortalium vitâ pertulerit, semper ostendat.* Sanctus verò Ambrosius ita ait: *Vulnera retinuit, vt Deo Patri pretia nostræ libertatis ostenderet.* Nihil certè manifestius, ex quo nimirum videre possimus, Saluatorem eam pacem, quã defunctis precamur, per Vulnus lateris sui, quod mortuus accepit, nõ secùs quàm per alia quatuor quæ viuus retinuit, ab æterno Patre expostulare atque obtinere. S. Cyprianus Christum hoc lateris sui Vulnus cum reliquis seruasse adstruit, *vt salutis humanæ pretium exigat, & obedientiæ donatiuum requirat.* Diuus insuper Bernardus hoc modo loquitur: *Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis sacramentum, patent viscera misericordiæ Dei nostri. Quidni viscera per vulnera pateant? in quo enim clariùs quàm in Vulneribus tuis eluxisset quod tu suauis & mitis es & multæ misericordiæ?* Et ob id Doctores varij testati sunt, Vulnus pectoris Christi præcipuè illius erga nos amorem manifestasse, vtpote hinc, veluti fenestrâ factâ, cor suum cunctis aperuisse videatur, accessumque dedisse, vt omnia eius bona, merita, ac satisfactoria eius opera assumere, nobisque illa appropriare valeamus. Quod quia maximum est beneficium, non solùm mortalibus actu viuentibus, sed & vitâ functis esse salutare, paulùlum diffusiùs explanare est animus.

Cyprian. Sermon. de Baptismo. Bernardus.

Est amoris Christi erga nos signum euidentissimum.

7. *Per illud Christus suũ erga nos affectum ostẽdere voluit.*

Philosophi nonnulli antiquitus cor fenestram & linguam habere optabant, vt securi esse possent de affectu hominum, qui proximum suum sæpiùs decipiunt, dum verbis aliud promittunt, operibus aliud præstant. Timorem hunc eximere Christus suis fidelibus voluit, nec solùm reliquis quamplurimis, sed insuper & lateris Vulnere, quàm nos sincerè, quàm ex intimo cordis affectu diligat, aperire. D. Augustinus, qui veluti Doctorum aquila hæc omnia & perspicaciùs est intuitus, & clariùs intellexit, sic ait: *Non dicitur, Percussit latus, aut Vulnerauit, sed Aperuit, vnde Sacramenta salutis manarent.* Nam sicut, cùm Deus Adamo formare vellet adiutorium simile sibi, sopore in illum immisso, è latere eius costam eduxit, ex quâ Euam, omnium viuentium matrem, fabricauit; ita vniuersorum Pater & conditor, cùm Ecclesiam veluti gloriosam Christo sponsam facere vellet, è latere ipsius mortui ac dormientis ceu costam eduxit, vbi lanceâ perfodi permisit: nam virtute ac robore eiusdem Saluatoris exædificata est cælestis Ecclesiæ mater, & triumphans viuentium cœtus, ex inferis item producta copiosâ tum Patrum in Limbo tum animarum in Purgatorio societas, quæ Angelorum è cælis ob transgressionem deturbatorum loca adimpleret, & Christo suo Saluatori ingentem consolationem adferret. Aut potiùs, si effectus ipsius lateris trãsfossi interpretari velimus, sanguinem & aquam inde profluxisse annotare possumus: quæ licet variam ex mente Scriptorum explicationem admittant, haud incommodè tamen, sed potiùs eximiè mortuis applicari possunt. Aquæ ergo hominis mortem designant, sanguis verò per Christum à culpâ & pœnâ emundationem. Aquam verò mortis esse symbolum, præter plura quæ adducere poteramus, vel vnicus è Sacrâ Scripturâ desumptus euincere potest locus. *Omnes*, inquit, *morimur, & quasi aqua dilabimur in terram.* Quis verò ignorat, Christi sanguinem designare atque operari peccatorum remissionem? Discipulis suis Christus ait: *Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur.* Paulò pòst scriptum est, Sacerdotum principes proiectos à Iudâ proditore Christi in templum argenteos in agri emptionem pro peregrinorum sepulturâ expendisse. *Non licet eos*, inquiebant, *mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filiis Israel; & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Vnde non casu id factum videmus, sed ex ordinatione diuinâ, vt Redemptoris Sanguinem, mortuorum esse requiem ac liberationem innueretur.

Cyrill. Serm. 120. in Ioannem. Genes. 2.

Aqua & sanguis inde profluentia quid designent.

2. Reg 14.

Matth. 26. Matth. 27.

8. *Sanguis Christi quãta sit efficacia.*

De Sanguinis præterea Dominici vi & efficaciâ D. Paulus Apostolus variis in locis scripsit præclarissima, è quo, quæ in suâ ad Hebræos Epistolâ capite 9. disseruit, præcedenti Capite adduximus; quibus & hunc locum addimus: *Accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, & Testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem meliùs loquentem quàm Abel.* Ad quæ Doctor Angelicus, *Effusio enim*, inquit, *sanguinis Christi figurata fuit in effusione omnium iustorum qui fuerunt ab origine mundi. Apocalyps. 13. Agnus qui occisus fuit ab origine, id est, occidi præuisus. Et ideò effusio sanguinis Abel signum fuit istius effusionis. Sed sanguis Christi meliùs loquitur quàm sanguis Abel, quia iste clamat vindictam, sed sanguis Christi clamat veniam. Luc. 23. Pater, ignosce illis. Isaiæ 53. Pro transgressoribus orauit. Matth. 26. Hic est sanguis noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Vel meliùs loquentem, id est meliùs loqui facientem; quia sanguis Abel facit nos loqui, Abel esse hominem purum & iustum; sed sanguis Christi facit nos loqui, Christum verum Deum iustificantem.* Sic D. Thomas. D. Gregorius Magnus in illa Psalmistæ verba, *Similis factus sum pellicano solitudinis*, hunc Christo esse similem hisce verbis innuit: *Ferunt Philosophi, quòd pellicanus filios suos statim vt nati sunt interficit, & posteà sanguine suo resuscitat. Quis Pater noster, nisi mediator Dei & hominum, qui occidit in nobis omnem iniquitatem, vt melio-*

Hebr. 12.

Gregorius in Psalm. 7. *Pellicanus auis, typus Christi.*

rem

rem inueniamus resurrectionem? Si igitur in pellicano virtutem agnoscunt Philosophi, vt extinctos filios ad vitam reuocare poßit; qui Christo Domino ad sanguinis sui adspersionem, animarum liberationem, & ad vitam æternam assumptionem, poterit negare? Certè admodum pulchra hæc est similitudo, tum vt credamus, sanguinem Redemptoris omnino efficacißimum existere ad omne peccati debitum condonandum, tum præcipuè vt hinc edoceamur, per Vulnus quod in pectore suo accepit, effudisse sanguinem in viuificationem mortuorum suorum filiorum, seu animarum Purgatorij. Nam sicuti pellicanus pectus aperit vt occisos pullos sanguine suo à morte excitet, ita similiter Salvator latus aperuit, vt defunctas proles suas ad æternæ vitæ gaudia renoaret.

9. *Aqua & sanguis lateris Christi à varijs variè exponuntur.*

Nonnulli verò sanguinem & aquam, quæ ex Christi corde profluxerunt, aliter interpretantur, & per ea designari affirmant culpæ ac pœnæ peccatorum remißionem: alij peccatum mortale ac veniale: alij viuos & mortuos: nonnulli præsens sæculum & futurum, vel satisfactionis impetrandæ pro seipsis & aliis, aut etiam donationem seu augmentum gratiæ & gloriæ: vnionem iterùm aliqui militantis ac triumphantis Ecclesiæ, ab inferno liberationem & cæli apertionem, & plura huiusmodi; quæ omnia purgandis applicari possunt. Illis tamen hoc loco omnibus supersedemus, vnum tantummodò notari cupientes, Christum, postquam in vitâ suâ abundè pro viuentibus satisfecisset, pro mortuorum haud minùs pœnis satisfacere voluisse, idque ex impactâ pectori suo lanceâ, quâ dubium non est quin plurimum commeruerit. Nam si mortuus haud parum proficit, si corpora illorum minùs honorentur, quid de infamiâ & iniuriâ Crucifixo illatâ dicendum erit? qui & propter futurorum notitiam haud dubiè Patri sempiterno pro hominum vtilitate hoc viuens æquè ac defunctus obtulit; & cuius meritum & perfectio non minora fuisse dici possunt, quàm Vulnerum & tormentorum illorum quæ viuus adhuc accepit, tum quia tunc omnia quæ pro salute nostrâ perferenda erant adimpleuerat, tum quia crudelius vulnus id vnum fuisse tradunt sancti Patres, quàm reliqua quæ viuo ipsi inflicta fuerunt. Sanctus enim Ioannes Chrysostomus, *Illudere*, inquit, *mortuo*, *quàm ipsum crucis supplicium, longè peius est: nam, quod narrari de leone solet*, *parcit ille homini quem prostratum mortuum putat, etiamsi, vt S. Petrus ait, circumeat quærens quod deuoret*. Similia habent alij Doctores, quibus producendis ne immoremur, attendere sufficit quod eam in rem canit Ecclesia in Hymno, *Vexilla Regis prodeunt*, vbi reperire est:

Iuxta. Vrb. VIII.

Quæ (vita Christus) *vulnerata lanceæ*
Mucrone diro, *criminum*
Vt nos lauaret sordibus,
Manauit vndâ & sanguine.

de vulneribus verò, seu potiùs instrumentis, quæ dum viueret pertulerat, vicissim sic canit:

Dulce ferrum, dulce lignum,
Dulce pondus sustinent.

10. Sed & reliquæ inflicti lanceâ Vulneris circumstantiæ animabus iuuandis prodesse poterunt. De tempore primùm res est clara: nam eodem momento quo gloriosißima Saluatoris anima inferos visitauit, hæc lateris eius vulneratio facta fuit, Purgatoriique ac Limbi spiritus consolati & à pœnis suis exempti fuerunt. E Scripturis hoc manifestè colligitur. *Tu quoque*, inquit Zacharias Propheta, *in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* id est, inquiunt Doctores, è Purgatorio, in quo nulla erat aqua, nulla consolatio; vt propterea de Limbo accipi locus hic nequeat, cùm ibi consolatio inueniretur, vti Abraham de Lazaro Epuloni testatus est: nec de damnatorum inferno, è quo nullus vmquam nec liberatus antè fuit, nec liberari posteà potuit nec poterit, quippe in quo nulla omnino sit speranda redemptio. Sed en & alium Scripturæ locum. *Quem Deus suscitauit*, inquit Apostolorum Coryphæus, *solutis doloribus inferni*. quem locum S. Augustinus de Purgatorio intelligit; & aliter explicare vix possumus, quia damnatorum dolores numquam soluti sunt, & Patrum Legis antiquæ in Limbo existentium dolores nulli fuerūt, vtpote qui mirabiliter consolabantur. Vnde Doctorum hic euidens & constans est traditio, dum omnes vno propemodum ore multas ex igne purgatorio animas liberatas fuisse docent, quando statim à morte suâ Christi spiritus eas visitauit & consolatus fuit. Imò multorum Patrum opinio est, omnes purgandos per Redemptoris ad se descensum à suis tormentis exemptos, ac gloriæ cælestis adipiscendæ capaces redditos fuisse: à quibus quia dissident alij, singulorum verba dabimus, cuiuslibet arbitrio sententiæ prolationem relinquentes.

Tempus illati Vulneris in latere, defunctis illud prodesse, suffragatur.

Zachar. 9.

Luc. 16.

Actor. 2.

11. Angelicus in primis Doctor S. Thomas Aquinas hunc in modum loquitur: *Videtur quòd* (Christus nimirum ad inferos descendens) *liberauerit illos qui erant in Purgatorio*, *quia maius erat impedimentum peccati originalis quàm peccati venialis: sed ab impedimento peccati originalis liberauit trahens de Limbo, ergo multò fortiùs ab impedimento venialis, & sic videtur quòd è Purgatorio animas eduxerit*, &c. *Sed contrà, Paßio Christi æqualem habet virtutē nunc quam tunc habuit: sed nunc virtute Paßionis non liberantur omnes qui sunt in Purgatorio*, *ergo nec tunc*. vt proptereà ipsius opinio fuisse dici poßit, quòd non omnes Purgatorij animæ ex Christi ad se descēsu pœnis exemptæ fuerint. quā tamē doctrinam paulò infrà in datâ ad quæstionē responsione tēperauit, seq; explicauit his verbis: *Et ideò non decebat, vt per solā Christi Paßionem* (ordinariè) *à Purgatorio liberarētur: vel hoc è speciali gratiâ fuit*, *quòd illi qui in Purgatorio inuenti fuerunt, absoluti sint per Paßionem Christi, quāuis nunc illi qui in Purgatorio sunt, non consequantur effectum plenæ liberationis ex solâ Paßione Christi*. Quam D. Thomæ assertionē amplectēdam potiùs esse quàm primā, pleraq; Sanctorum testimonia probant: quæ priùs quàm adferamus, ratio ab iis allata attendenda est. Aiunt enim, Christum tempore descensus sui ad inferos egisse velut insignem aliquem victorem, qui ob certaminis feliciter peracti lætitiam carceres omnes aperit, & reos inde dimittit, non quòd hinc Imperij seu Regni sui disciplinam dissolutam cupiat, sed quòd præ victoriæ gaudio plenariam omnibus captiuis indulgentiam libera-

In 4. Sent. dist. 22. q. 2. art. 2.

An Christus in descensu suo ad infernum animas Purgatorij liberauerit?

liberaliter impendat. Hoc Christum etiam fecisse iidem Patres volunt, & in Purgatorio factum esse adstruunt, prout in viuis cum latrone, qui par crucis supplicium exsoluebat, cum fecisse ostendunt, cui ex specialissimo priuilegio ad pauca solùm verba totalis collata est tot tantorumque criminum condonatio, atque insuper facta eodem die ad paradisum intrandi promissio.

12. S. Anselmus (vt iam ipsa Patrum loca proferamus) hæc scribit: *Omnes* (animas videlicet purgandas) *absoluit & in gloriam duxit Rex gloriæ, secundum illud: Dices his qui vincti sunt, Exite; & his qui in tenebris sunt, Reuelamini.* S. Gregorius apertè & disertissimis verbis adstruit, Christum ad inferos descendisse, ac omnes ibidem, quos iustos inuenit, pœnis exsoluisse, prout & D. Augustinus docuit, vbi ait: *Christus nullum apud inferos iustum reliquit.* Et alibi item similiter tradit, Christum, quos potuit, de potestatis suæ plenitudine ab infernis cruciatibus redemisse. Loquitur autem sanctus Doctor in hunc modum: *Et Christi quidem animam venisse ad ea loca, in quibus peccatores cruciabantur, vt eos solueret à tormentis, quos esse soluendos occultâ nobis suâ iustitiâ iudicabat, non immeritò creditur. Quomodo enim aliter accipiendum sit quod dicitur, Quem Deus suscitauit à mortuis, solutis doloribus inferorum, quia non poterat teneri ab eo, non video, nisi quorumdam dolores apud inferos eum soluisse accipiamus eâ potestate quâ Dominus est, cui omne genu flectitur, cælestium, terrestrium, & inferorum: per quam potestatem etiam illis doloribus, quos soluit, non potuit teneri.* Sic Augustinus, vbi & varia subiungit, per quæ exponit, dolores huiusmodi non posse dici fuisse in Limbo, sed de Purgatorij pœnis omnino esse accipiendos.

Anselm. in Elucidario.
Isaiæ 49.
S. Greg. l. 13. Moral. c. 20.
S. Augustin. Serm. 137. de Tempore.
Lib. 12. de Genes. ad litter. ca. 18.
Act. 2.
Philipp. 2.

13. Idem, de modo quo res gesta est si perscrutemur, inueniemus. Quemadmodum enim lancea violenter ad cor vsque Saluatoris penetrauit, ita potentissimâ eius virtute purgandi cælum adipiscuntur, sine ipsius adiutorio atque interuentu repulsam certò passuri, vtpote qui nunc extra merendi satisfaciendiq; semitam sint collocati, & iustitiæ, vt suprà ostendimus, viam ingressæ, misericordiæ quæ tẽpus egressæ sint. Quã gratiam vt omnibus notam faciant sacri Scriptores, Vulnus hoc lateris Christi cæli quodammodò ianuam esse dicunt, adeò vt has & similes Scripturas de prædicto cordis vulnere exponere soleant, *Ego sum ostium; per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* & : *Hæc porta Domini, iusti intrabunt per eam.* Atque ipsemet Dominus Iesus sponsæ suæ charissimæ S. Gertrudi Saxonicæ indicauit, quomodo fidelis anima in illo suo latere nidificare possit, ibique latitando, impetrare, quidquid velit, pro omnium hominum salute atque vtilitate. Verba hæc sunt: *Item pro aliâ deuotius exorans personâ, hanc accepit instructionem, secundùm quod totam suam complere deberet conuersationem, vt scilicet nidificaret in cauernâ maceriæ sanctissimi lateris Domini Iesu, & in summo foraminis repausando, sugeret mel de petrâ, id est dulcedinem intentionis de corde Iesu deifico; sicq;, secundùm quod diligentissimè in Scripturis sacris conuersationem Christi perpendere posset, eius per omnia exempla imitari studeret; & specialiter in tribus, quorum primum est, quòd Dominus sæpiùs pernoctabat in orationibus, vnde & ipsa in omnibus tribulationibus suis & aduersis ad orationis semper subsidium confugere deberet: secundò in hoc, quòd sicut Dominus prædicando circuibat ciuitates & castella, sic ipsa studeret non solum verbo, sed etiam in omni opere, gestu, vel quocumque motu corporis sui proximum per bonum ædificare exemplum: tertiò, vt sicut Christus Dominus beneficia diuersa indigentibus impendit, sic ipsa verbis & factis proximus hoc impendat beneficium, vt quandocumque aliquid agere vel loqui disponit, semper tali præueniat intentione, vt in vnione perfectissimorum operum Domini illud commendet ipsi secundùm suam laudabilissimam voluntatem regendum ad salutem vniuersitatis.*

Modus inflicti Vulneris in latere Christi quid doceat.
Ioan. 10.
Psal. 117.
Lib. 3. Insinuat. cap. 74.

14. Sed ad mirabiles prorsus atque stupendos aperti lateris effectus deueniendum est. S. Ioannes Euangelista narrat, militem quemdam lanceâ sua Christi latus aperuisse, vnde statim sanguis & aqua profluxerit. Ad quæ D. Isidorus contemplari nos iubet, quàm copiosum Vulnus & liberale id sit, quod eum quoque qui intulit, ex crudelissimo hoste & carnifice Christi præclarum Sanctum effecerit: conuersus enim ad fidem, ab Apostolis baptizatus est, & Eremita primùm, posteà Episcopus factus, sanguinem demum pro Saluatoris gloriâ, cuius ipse sanguinem profuderat, fudit. S. Matthæus quoque cùm Christum altâ voce clamantem spiritum emisisse scripsisset, & hæc subiungit: *Et monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt: & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* En tanti vulneris efficaciam: quid igitur mirum, ingentia etiam dona mortuis frequenter, à pœnis nimirum liberationem, & cælestis gloriæ consecutionem, attulisse, prout è pluribus Sanctorum Viris & mysticorum apparitionibus videri potest? In B. Gertrudis Saxonicæ Insinuationibus (vt inde vnum alterumve, quandoquidem eam viam iam instituimus, exemplum desumamus) dicitur, quòd, cùm deuotissimâ intentione exoscularetur Vulnus sanctissimi lateris Christi, mox inde vapor quidam sanguineus & aqueus exhalare appareret: vnde intellexit, animam illam, pro qua hoc fecerat, totaliter intus conualuisse, & vulnera quæ adhuc exteriùs apparebant, viuifico eiusdem aquæ & sanguinis liquore percurari. Alibi in iisdem libris hunc in modum scribitur: *Sequenti verò die sub Missâ post oblationem Hostiæ intellexit Dominum dicentem: Nos conuiuati sumus cum his qui parati erant, & huc venerunt; sed nunc mittimus partem his qui nondum potuerunt adesse.* nempè ex lateris profluuio. Cùm item aliquando Vigiliæ pulsarentur, vidit agnum quemdam niuei candoris (eâ formâ quâ Agnus Paschalis depingi solet) quasi è vulnerato corde suo emittentem roseos riuos sanguinis in aureum calicem, & dicentem: Ego ipse sum propitiatorius omnibus illis animabus quibus hodie in isto loco paratur conuiuium. Finiamus mellifluam hanc de melliflui lateris Christi Vulneris materiam cum mellifluі Doctoris verbis, qui sic mellifluè loquitur: *Quatuor itaque fontes istos adhuc in carne viuentibus*

Effectus Vulneris lateralis explicantur.
Ioan. 19.
Matth. 27.
Lib. 5. ca. 17.
Lib. 3. eod. cap. 30.
Serm. 1. de Natiu. Domini.

uentibus nobis in semetipso Christus exhibet, quintum, qui fons est vitæ, post hoc sæculum repromittens, ad quem anhelabat Propheta cùm diceret: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Fortasis etiam propter hos quatuor fontes, quatuor in locis vulneratus est Christus adhuc viuens in cruce; propter quintum, cùm tradidisset iam spiritum, transforatus est in latere. Viuebat adhuc, quando foderunt ei manus & pedes, vt nobis adhuc viuentibus quatuor fontes ex seipso proferret: quintum pertulit vulnus, cùm iam expirasset, vt in se nihilominùs quintum nobis fontem post obitum aperiret.

CAPVT VI.

Augustißimum SS. Missæ Sacrificium defunctis non minùs quàm viuis redemptionis pretium communicat.

I. QVò plura Capite præsenti, tam quoad hæreticorum confusionem, quàm Catholicorum instructionem tractanda sunt, eò compendiosiùs singula horum perstringenda erunt. Obiiciunt itaque in primis moderni sectatores, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento Christi Corpus ac Sanguinem nequaquam contineri. Ita Ioannes Caluinus, & quotquot impia ipsius imprudenter vel impudenter castra sequuntur. Secùs Ecclesia Christi Catholica, quæ per annos à Christo mortuo iam mille sexcentos vnanimi omniũ fidelium sensu & consensu indubitatum semper habuit, Christum verè, realiter ac substantialiter sub speciebus panis & vini in sanctissimâ Eucharistiâ existere. Pro cuius veritatis vberiore probatione solutionem illarum cauillationum, quas nobis opponũt hæretici, exordij loco præmittemus, vt difflatis huiusmodi paleis, verissimum esse probetur, Christum verè in Eucharistiâ contineri, & hoc ipsum Sacramentum verè esse propitiatorium sacrificium; vnde solidiori fundamento procedere poterimus ad instructionem & inflammationem Catholicorum, quatenus Missæ Sacrificio spiritus mortuorum adiuuari credant, simulque eorum adiutorium promoueant.

Obiectiones circa veritatem corporis Christi in Eucharistiâ. Prima. Obiiciunt itaque Primò, In Epistolæ 1. ad Corinthios cap. 10. & 11. item Ioannis 6. Eucharistia vocatur panis. Ad quod respondetur Primò, ideò sic vocari, quia fuit antè panis, sicut Heua dicitur os Adami, & virgæ conuersæ in dracones vocantur virgæ: item in nouo Testamento cæci dicuntur videre, & surdi audire, &c. & Publicani & meretrices dicuntur præcedere in regno Dei. Deinde, Scriptura ordinariè vocat res vt apparent exteriùs. Sic serpentem æneum vocat serpentem, Angelos apparentes vocat viros, boues æneos boues, malogranata aurea, malogranata, & similia. quare ergo Eucharistia, quæ panis apparet, non possit sic vocari? Tertiò, quia phrasi Hebraicâ panis generatim est omnis cibus. Quartò, quia panis est præcipuus inter omnes cibos substantiales. Quintò, iterùm retorquetur in aduersarios: nam volunt ipsi apud Ioannem panem comedi per fidem, vbi non est communis panis, sed mysticus. *Genes. 3. Exod. 7. Math. 11. & 21. Solutio.*

Secunda. Altera: *Deus non in manufactis templis habitat,* Actorum 17. non igitur manet Christus inclusus. *Solutio.* Respondeo, hoc intelligẽdum de diuinitate quæ est vbique, ita vt sensus sit, non habitat, id est, non concluditur. Posse autẽ magnum corpus esse in paruo loco, dicitur Matt. 7. quòd videlicet camelus posit transire per foramen acus. Deinde non est ibi corpus modo naturali, sed supernaturali, & argumentum est contra eos: nam si Deus non potest concludi templo, est tamen in templo, & totus; ergo potest per suam omnipotentiam ibi esse totus.

Tertia & Solutio. Tertia: Corpus probatur per ossa Luc. 24. *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Respõdeo, esse bonũ Christi argumẽtum, non verò aduersariorum: nam aliud est, Ego habeo ossa; ergo non sum spiritus; & aliud, Ossa mea non videntur, ergo non sum homo, quia potest corpus esse inuisibile, quod absit vt Deus non posit facere, cùm etiam Magi id soleant; & de Christo legitur, quòd cùm vellent eum de monte præcipitare, transiens per medium illorum ierit. Lucæ 4.

Quarta soluitur. Quarta: Variis locis dicitur Christum cælum ascendisse vsque ad diem iudicij, ergo non est in terrâ. Ad quod respondeo Primò, intelligendum de conuersatione more humano. Deinde, apparuit Paulo, Act. 9. & apud Lucam ipsemet ait: *Hæc locutus sum vobis, cùm adhuc essem vobiscum:* apud Matthæum verò, *Et ecce vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* *Luc. vlt. Math. vlt.*

Item quinta. Quinta: Apud Matthæum ita monet Saluator, *Si dixerint vobis, Ecce hic aut illic est Christus; nolite credere.* Respondeo, sermonem esse de impostoribus, se nomine Christi venditantibus. subiungit enim, *Surgent pseudo-Christi.* Duæ item in illo Saluatoris loco conditiones repetiuntur, quæ Eucharistiæ minimè conueniunt: vna, quòd impostores illi venturi sint clanculùm, Ecce in deserto, ecce in penetralibus: altera, quod dicatur illos venturos visibiliter & futuros homines.

Demùm sexta. Ioan. 6. Denique apud Ioannem ita concionatur Christus: *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quidquã.* Sed respondeo, Non benè sequitur, Caro non prodest, ergo nõ est. Deinde non potest sic intelligi, quia Verbũ caro factũ est. Tertiò, Christus sibi contradiceret; ait enim, *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam.* &, *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam æternam.* Quin & Paulus Apostolus per eamdem Christi carnẽ nos Deo reconciliatos esse asserit. Quartò, eodẽ modo concludi posset cõtra hæreticos, Caro non prodest quidquam, ergo nec panis. Sensus proinde verus & genuinus hic est: Intellectus carnalis non prodest, qualem habebant Capharnaitæ, qui volebant Christum diuidere. E quibus omnibus iam fit abundè patet, nullum omnino fundamentum habere eos qui Eucharistiam oppugnant, firmiter verò stabilita esse quæ Catholici de eo credunt, prout euincere possunt argumenta, quæ ex lege antiquâ & nouâ, è figuris, è promissione, institutione, & denique ex vsu Eucharistiæ desumuntur. *Coloss. 1.*

2. *Ex antiquâ lege veritas Catholica quoad* Vt ergo legem antiquam inspiciamus, notandum inprimis est, maximam esse vtriusque legis inter se differentiam, quod præter ea quæ iam superiùs annotauimus, vnicus Paulus Apostolus variis in locis ostendit. Primò sic inquit:

SS Sacramentum probatur.
Hebr. 1.

quit: Multifariam multisque modis Deus olim loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio. ex quo tanta nouæ legis præ veteri patet excellentia, quanta est Filij Dei respectu Prophetarum. Deinde Lex vetus neminem poterat ad perfectionem adducere, melior verò spes noui Testamenti. Insuper ait Iudæis omnia contigisse in figuram, ac propter nostram informationem scripta esse: quin & cõparat figuras veteris Testamenti vmbris, veritatem imagini; & alibi figuras vmbris, impletionem corpori: deniq; legem probat esse litteram occidentem, Euangelium verò spiritum viuificantem. Iam dico, si ea quæ in veteri Lege facta sunt, vmbra & figura fuerunt eorum quæ in nouo fieri debebant & fiunt, multas figuras fuisse Eucharistiâ, cuius typus erant, perfectiores, & plurimas saltem æquè perfectas, si in eâ non existeret realiter Corpus & Sanguis Christi Iesu. Inter æquè perfectas numerandæ veniunt Primò, Sacrificium seu oblatio Melchisedech in pane & vino, quæ fuit figura Christi offerentis. Deinde, panis propositionis, vt deducitur ex SS. Hieronymo, Damasceno, Cyrillo, & D. Paulo Apostolo. Tertiò, panis primitiarum, Leuit. 23. vt fatentur S. Irenæus & ipsimet hæretici. Quartò, panis ille qui diuinitus subministratus fuit Eliæ Prophetæ proficiscenti in Horeb. Hæ, inquam, figuræ æquè perfectæ sunt atque panis ille nudus quem Caluiniani nobis obtrudere volunt. Quin imò multæ figuræ essent Eucharistiâ, si nudus panis esset, superiores, inter quas, vt multas alias transeamus, Primò est Agnus paschalis, qui secundùm Tertullianum, Leonem, Cyprianum, Hesychium, Hieronymum, Chrysostomum & Augustinum est figura Venerabilis Sacramenti: sed hic Agnus non tam in immolatione quàm in manducatione consistebat, vt patet Exodi 12. ergo. Quòd autem esset nostro pane præstantior, patet ex reipsâ; nam Agnus præstantior est pane: item ex significatione, quia agnus occisus meliùs significat Christi mortem, agni mansuetudo meliùs Christi perfectionem, eiusque esus multò meliùs nutrit. Secunda figura perfectior esset sanguis testamenti, quo non solùm Moyses populum aspersit, sed & ait: *Hic est sanguis testamenti quem misit ad vos Deus.* Sanguinem illum figuram fuisse Eucharistiæ, demonstrant S. Matthæus Euangelista, qui similia planè Christi verba refert, *Hic est sanguis meus noui testamenti*; Lucas, qui sic ait, *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*; Ioannes, qui ait, *Mandatum nouum do vobis*; & D. Paulus Apostolus, cuius verba hæc sunt, *Omnia mundantur in sanguine*, &c. Et hæc figura non minùs quàm Agni paschalis pane Caluiniano est præstantior tum re tum significatione. Tertia figura est manna: at manna est præstantior pane, quia fiebat manibus Angelorum, illorumque panis vocatur in Psalmo; panis verò Caluinianus manu pistoris: manna pluebat è cœlo, panis venit ex furno: manna habebat omnem saporem, & miraculo sapiebat cuique quod desiderabat, &c. Quapropter optimè Christus non solùm dicit, manna figuram fuisse Eucharistiæ, sed Eucharisticum panem multò quid præstantius. *Non sicut patres vestri manducauerunt manna, & mortui sunt: qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Verissima est igitur Ecclesiæ Catholicæ doctrina, Eucharistiam non nudum tantùm panem, sed verum Christi corpus continere.

Hebr. 7. — 1. Cor. 10. — Coloss. 2. — Hebr. 10. — 1. Cor. 3.

Quæ in lege veteri fuere nouæ legis figura.

Psal. 109. — Hebr. 5. — Hebr. 9.

Si in Eucharistiâ non nisi panis, erãt illâ vetera perfectiora.

Exod. 24. — Matth. 26. — Luc. 22. — Ioan. 3. — Hebr. 9. — 1. Cor. 10. — Ioan. 6. — Psal. 77. — Sap. 16. — Ioan. 6.

Alterum nostrum, è nouâ Lege desumptum, Argumentum hoc est. In Euangelij S. Ioannis sexto capite fit promissio per ipsum Christum Dominum dandæ nobis Eucharistiæ. At sunt qui negent ibi de Eucharistiæ Sacramẽtali sumptione verba fieri: fieri ergo, hisce probatum imus. Primò, hæretici ne vnum quidem Auctorem ex antiquis proferre possunt, qui dicat, de spirituali solummodò manducatione debere illud caput intelligi. Deinde, infiniti vero sunt qui de Sacramentali explicent, inter quos cõmentatores eiusdem loci fuerunt Dionysius Carthusianus, Nicolaus Liranus, S. Thomas, Rupertus, Euthymius, Theophylactus, Chrysostomus, & alij plures. Quibus addi possunt ij qui idipsum variis aliis occasionibus atq; tractatibus affirmarunt. S. Bernardus *serm. 1. de Vigilia Natiuitatis*, Haymo, Sedulius, Primasius *serm. 1. de Paschate*, Cassiodorus *in Psal. 109.* Item inter antiquiores sæculo 6. D. Gregorius Magnus *lib. 1. Moralium*, Hesychius *in Leuiticum*, S. Ioãnes Damascenus *l. 4. de Fide.* Quinto sæculo S. Leo Magnus *serm. 6. de Ieiunio*, Theodoretus *lib. 4. Historiarum.* Quarto Eusebius *hom. 5. de Paschate*, Hieronymus *ad Hedibiam, & in ca. 1. ad Ephesios*, Ambrosius *lib. 6. de Sacramentis*, Augustinus *in Leuiticum, Psalm. de verbis Apostoli, de Consensu Euangelist. in quæst. homil. &c.* S. Hilarius *libro de Trinitate.* Sæculo 4. S. Basilius *lib. 1. de Baptismo*, Theophilus Alexandrinus *lib. 2. Paschal.* Epiphanius *heresi 50.* Cyrillus Ierosolymitanus *Catechesi 4.* Athanasius *in homiliis.* Tertio Origenes *homil. 7.* & D. Cyprianus *de Oratione Dominicâ.* Imo si caput istud Ioannis non explicetur de Eucharistiâ, sequerentur tria absurda. Primum, Ioãnem non dixisse quidquam de Eucharistiâ, cùm tamen D. Augustinus dicat, eum in Cœnâ de eâ tacuisse, eò quòd sexto capite sufficiẽter dixisset. Alterum, Christus nusquã explicuisset fructum aut excellentiam huius Sacramenti, quod fecit sæpiùs de Baptismo. Vnde S. Ioannes Chrysostomus fatetur, aliàs in cœnâ discipulos fuisse conturbandos, vbi audiuissent, Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Tertium, sequeretur, nullum exstare præceptum diuinum de hoc Sacramento percipiendo, cũ alij Apostoli solũ describant institutionẽ, & hæretici ipsimet fateãtur, ad Sacramentum propriè dictum requiri diuinum mandatũ, ex quo hoc loco multa contra nos argumenta producũt. Ergo cùm tam secũdùm Catholicos, quàm etiã secundũ plurimos hæreticos hoc S. Ioannis caput de promissione Eucharistię sit intelligendũ, producamus ex eo argumẽta pro re nostrâ. Primò, Non potest intelligi de manducatione per fidem, nã dicitur, *caro quam dabo.* vbi loquitur de futuro, Patres autẽ veteris Testamẽti etiam per fidẽ salui facti sunt; ergo. Patet clariùs ex Græco quod hæretici præferunt, in quo bis dicitur *dabo*, id est, *Panis quem dabo, caro mea est quam dabo.* Neque potest intelligi de humanitate assumptâ: nam sic antè datus erat, & Christus facit hanc distinctionem, *Pater meus dat vobis panem de cælo verum*, de se autem, *Panis quem ego dabo.* Deinde probatur ex collatione verborũ cum cœnâ, vbi dicitur, *Accipite & manducate, hoc est enim corpus meum quod pro vobis datur in remissionẽ peccatorũ;* hic

3.

Res nostra patescit ex Christi promissione.

Locum Ioannis 6. quot SS. Patres de Eucharistiâ exponant.

Si aliter explicetur, quot inconuenientia.

Quàm insignia ex vno hoc loco pro Catholicis argumenta.

hic verò, *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ.* Tertiò ex verbis Christi, cũ dicit, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: nã verba Christi proprie debẽt intelligi, quando non cogit nos Metaphora, vti fit cùm Christus dicitur leo, lapis, agnus, imò & vitis vera; quia à falsâ tũc se discernit. Nunc autẽ dixit *verè*, certumq; est fortiora esse aduerbia quàm nomina. Quartò ex verbis, *Non sicut manducauerunt*, in quibus intelligitur propriè manducatio, ergo & hic. Vnde Christus ex professo toties facit distinctionem inter manducare & bibere, cibum & potũ: quod opus non fuisset, si spiritualiter essent intelligenda, quia spiritualiter hæc sunt eadem. Quintò: obiiciebant Iudæi Christo, quòd magno miraculo pluisset manna; Christus autem respondet, se daturum panem de cælo verum. non est autem miraculum, in pane communi significari Corpus Christi, neque in manducatione per fidem, & promisit Christus aliquid quod Patres non habuerunt, sicut nec nos manna: sed Patres habuerunt significationem panis, & manducationem per fidem; ergo, &c. Item multiplicatio panum præcesserat, vt ex eâ declarationis occasionem haberet multiplicandæ Eucharistiæ. Sextò patet ex verbis, *Amen amen dico vobis*, quæ certitudinem significant, & obligationem important. Sicut ergo capite 3. actum de Baptismo, *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto*, ita hic de Eucharistiâ. Et sicut Nicodemo illic Christus dixit, qui rem illam non satis capiebat, *Si terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo, si dixero vobis cælestia, credetis?* ita similiter murmurantibus Iudæis hic respondit, *Hoc vos scandalizat. Si ergo videritis Filium hominis ascendentem vbi erat priùs?* Cuius explicatio prima, quòd Christus rem minùs mirabilem mirabiliori confirmarit, vti & alibi, cùm dubitantibus Iudæis vtrùm posset peccata dimittere, sanauit paralyticum, quasi sit sensus, vt per Eucharistiæ Ascensionis mysterium declararet: secunda, quòd reprehendantur Iudæi, ac dicatur, Si non creditis me præsentem posse corpus tradere, quomodo fiet post Ascensionem? Septimò ex litigatione Iudæorum, qui dicebant, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare.* vnde non dubitabant quòd Christus hoc diceret, sed inquirebant quomodo Christus, hoc facere posset. Item, licet dicerent, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Christus, qui tantopere salutem ipsorum sitiebat, non ipsis, vti potuisset, de spirituali sumptione explicauit, sed iterùm inculcauit, vt patet ex textu, & antè murmurantibus responderat, *Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Matth. 9.

Quin & probatur ex ipsis etiam Iudæis litigantibus.

4. *Explicatio verborum Institutionis clarissima est.*

Sed de figuris & promissionibus hactenus satis, de institutione hic iterum paucis agendum est. Quantum ergo ad illam, habetur ea Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. & 1. Cor. 11. his fere verbis: *Accepit Iesus panem, & gratias agens benedixit, fregit, & dixit: Accipite, & comedite, hoc est enim corpus meum quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo Sanguine, &c.* Quæ verba licet breuia sint, & facilia intellectu, multis tamen nostri temporis hæreticis scandalo ac offendiculo fuerunt: nam ea non secundùm omnium ætatum vsq; ad annum millesimum explicationem, sed secundùm Berengarium, qui non solùm ab omnibus hæreticus habitus est, sed etiam tertiò hæresim suam publicè reuocauit, detorquent, atque in tot tantosque errores deuoluuntur, vt etiam ante annos viginti inuentæ sint plus quã ducẽtæ & postmodum adhuc plures diuersæ eorum verborum explicationes: quibus omissis, sensus non detortus non tropicus aut figuratiuus, sed planus & clarus hic est, sub specie panis & vini verè, realiter & substantialiter contineri corpus & sanguinem Christi. Qui sensus vti obuius ac perspicuus est, ita omnium facillimè ac lucidissimè declarari potest, Primò ex materiâ de quâ agitur, vtpote, Sacramentum, testamentum, pactum, lex, & dogma, quæ omnia requirunt propriam non figuratiuam locutionem. Sacramentum esse nemo negat: Sacramenta autem à Deo institui propriis verbis, vt in eorum vsu non erretur, perspicuum est ex institutione omnium vtriusq; legis. Nam in antiquis, in institutione Circumcisionis, Agni paschalis, tot Sacrificiorum & expiationũ, vix est aliqua figura: in nouis omnia propriis vocibus explicantur. Quod autem apud Ioannem ponitur vox renascẽdi, exponitur, ex aquâ & Spiritu sancto: ac proinde non tam essentiam Sacramenti, quàm effectũ significat. Quis ergo credat, Christum in primario Sacramento instituendo figuratè voluisse loqui, atq; tot disceptationum occasionem præbere. Deinde, testamentum nouum fuisse, patet ex Matthæo, *Hic est sanguis meus noui testamenti*; & Lucâ, *Hic est calix nouum testamentum in meo sanguine.* Iam verò nihil magis propriè explicari debet quàm testamẽtum, ne videlicet detur occasio litigandi de voluntate testatoris. Ita videmus factum in Exodo, vnde & S. Paulus idẽ declarat. Sic etiam solẽt omnes in suis testamẽtis facere: Iacob enim, licet anteà inter vaticinandũ figuras attulisset, testamentum tamen clarissimè condidit. Sic etiã Dauid, Tobias, Mathatias, &c. ergo potius Christus, in re presertim quæ hereditatẽ spectabat; nisi velimus vsum nobiscũ figuratis, cùm antiquis totũ traditũ sit propriis. Accedit quòd verbis testatoris nihil addi debeat aut demi. Leges ita Imperatoriæ volunt. Quare sicut ridiculũ foret pro legatâ domo pictam dare, sic & hic. Tertiò, Pacta seu fœdera similiter clarè explicanda sunt. Nouum itaq; testamentum, cùm sit conditionatum, est pactum quod nobiscum æterna Patris cælestis Sapientia iniit, vt patet ex veteri Testamento, quod huius figura fuit, & pactum vocatur. Habet autem hanc conditionem, Si dignè sumatur, hereditatẽ tribuet. Quartò, est lex seu præceptũ, vt innuunt verba, *Accipite, edite, hoc facite*, in quibus omnes præceptũ admittunt, non quidẽ vt omnes sumant, sed saltẽ vt Apostoli; aut etiam quando nos sumimus, vt illo modo sumamus. Verba verò legis clarissima esse debẽt, ne detur occasio præuaricationis. Vnde non tantùm perspicuũ est, Decalogum, sed & quodcumque cærimoniale præceptum, esse clarissima & manifestissima. Neque sufficit, vt quidam, verba esse clara præcepti, *Accipite, edite, facite*, sed etiam quid præceptum sit intelligi debet: longè enim aliter accipiendũ est frustum panis, quàm Corpus Christi. Quintò, Dogma similiter propriè tradi debet: nam in figuris aut Prophetis potuit quidẽ Metaphora adhiberi, non autẽ in doctrinis.

Hoc ipsum ex multis ostenditur.

Genes. 17. Exod. 12. Leuit. per tot. Ioan. 3.

Matth. 26. Luc. 22. 6.

Exod. 24. Hebr. 9. Genes. 49. 3. Reg. 2. Tob. 4. 1. Mach. 2.

Galat. 3. L. 3. ff. de Legatis.

Exod. 24. Hebr. 9.

Nec ei concluditur in his verbis figuram non admittendã.

nis. Sed in Eucharistiâ præcipuum documentum contineri, nemo est qui neget; ergo verba illa clarissima & intellectu facillima esse côueniebat.

5. *Argumentũ ex personis quibus exhibitum.* Secundò idem probatur ex personis quibus verba illa sacra dicta sunt: Apostolis enim clarè & perspicuè loqui volebat, secùs Pharisæis. *Vobis datum est*, inquit, *nosse mysterium regni, ceteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Luc. 8. Imò post ipsam Cœnam fatentur discipuli, verba ea, quæ ad ipsos Saluator locutus fuerat, esse clarissima, & absque tenebrarum inuolucris aut amphibologiarum nodis intellectu facillima. *Ecce nunc*, inquiunt, *palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis: nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget, & in hoc credimus quia à Deo existi.* Neque vllum in verbis institutionis tropum latere, insuper patet, quia Dominus numquam eum explicauit, quod in aliis fecisse legitur, vt apud Matthæum de semine, & apud Ioannem de vite. Math. 13. Ioan. 13. Quin & Euangelistæ solent se inuicem supplere vel explicare, vt quod vnus obscuriùs, alter dicat clariùs: hic autem quatuor Scriptores, Matthæus, Marcus, Lucas & Paulus, diuersis locis & temporibus scribentes, idem dixerunt, nec vllum tropi vestigium addiderunt. Iterùm considerandum est, Apostolos tunc simpliciores fuisse, ac propterea Christum vsum claritate, quâ intelligerent quid susciperent, atque id præparati facerent, cùm primi essent qui Sacramentum susciperent. *Suffragatur regula communis Scripturas explicandi.* Denique probatur ex communi regulâ explicandæ Scripturæ, quæ est, vt non dimittamus proprium sensum verborum, nisi cogamur à Scripturâ, Fidei articulo, aut communi Ecclesiæ explicatione; alioquin peribit fides, & remanebit opinio de rebus diuinis, atque aperietur porta infinitis erroribus. Quod patet in exemplo: nam hæretici de hoc Sacramento habent meram opinionem, neque enim nititur expresso Dei verbo, quia non dicitur, quod verbum *est* idem sit quod *significat*. cur enim potiùs ibi quàm alibi, vbi non debet sic explicari. Neque nititur articulo Fidei, quia quod de Ascensione dicunt, tunc nondum erat quando hæc verba dicta sunt. Deinde, quomodo spatio mille annorum non vidissent hoc omnes Doctores? De communi explicatione certum est contrarium: nam præterquam quòd contrariæ sententiæ semper habitæ fuerint hæreticæ, inter se ita dissentiunt, vt, quemadmodum & iam paulò antè monui, ante viginti annos repertę fuerint ducentæ se inuicem oppugnantes & opprimentes opiniones hæreticorum.

6. *Transimus ad Eucharistiæ vsum, vt hinc veritatem eius stabiliamus.* Quoad argumentum ex vsu desumptum duo illa potissimũ loca, de quibus & Libro I. conducunt. Prior est: *Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio Sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nónne communicatio Corporis Christi est?* 1. Cor. 10. quibus ex verbis benedictionem seu consecrationẽ necessariam esse intelligimus: quod nõ esset, si solùm repræsentatio esset, sicut nec fuit in manna, agno Paschali, item in Baptismi aquâ. Deinde, *panis quem frangimus*, id est immolamus, 1. Cor. 11. vti &, *hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur*, vt etiam exponit Caluinus. Confirmatur ex simili: quia Apostolus descripsit calicem per verba consecrationis, non verò distributionis. Si autem frangere idem est quod immolare, non potest intelligi de communi pane qui non immolatur, sed de Christo. Vnde sicut antè non accipitur pro proprio pane, cùm Apostolus de Ecclesiâ dicit, *Vnus panis, vnum corpus multi sumus*; sic hìc cùm dicitur panis immolari, significat corpus Christi. Tertiò, Communicatio Sanguinis Domini, & Corporis Domini communicatio est: in quibus patet, communicationem Corporis & Sanguinis Christi propriè intelligendam. nam sensus litteralis eligendus est, nisi contrarium obstet. Quare ridiculum est petere, cur sumamus sensum proprium: quia idem est ac interrogare, quare quis vadat viâ rectâ, non curuâ; intret per portam, non per fenestram. *Quàm ridiculum sit, his in verbis figuram quærere.* Sic quoque Doctores vnanimiter explicarunt, & videtur esse intentio Apostoli: nam is vult auertere Corinthios à sacrificiis Gentilium, & esu carnium immolatarum, quod conatur facere ex declaratione perfectioris sacrificij participationis. Sed hoc secundùm aduersarios non valeret, cùm esset tantùm panis. Alter Pauli locus est hic, vbi præter institutionis verba subiungit: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* 1. Cor. 11. & suprà, *Reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Hìc clarè reprehenditur sumptio in peccato: & additur ratio, quòd non diiudicet corpus Domini, seu quòd corpus Domini non æstimet magis, aut reuerentiùs accipiat. vt proinde pateat, non significare nudam imaginem, sed corpus Christi verum: alioquin secundùm Caluinistas iniuria non est imagines demoliri. Nihil item tale de Baptismo dicitur, licet etiam sit Sacramentum: & propterea sancti Patres non solùm sic explicant, vt Basilius, Origenes, Hesychius, Hieronymus, Ambrosius, Theodoretus, & alij; sed etiam pulchras adferunt similitudines: Chrysostomus, docens, non minùs peccare in Regem qui eius purpuram in sordes proiicit, quàm qui lacerat; Theophylactus, ostendens, solem ægris nocere propter debilitatem ipsorum, & Eucharistiam peccatoribus ob indignitatem; *Similitudines quibus cernitur Cõmunicantiũ indignitas.* Oecumenius, comparans indignè sumentes crucifixoribus Christi, qui non tantùm peccarunt, quia Christum non receperunt, sed quia eum iniuriis affecerunt. Sed de indignè sumentibus Eucharistiam plura Capite sequenti.

7. *Quàm verè sit Eucharistia Sacramentum, Sacrificium.* Superest vt adstruamus, Sacrificium esse Eucharistiam, quò Catholici ad illud pro mortuis offerendum excitentur. Sacrificium dicitur oblatio externa, facta soli Deo, quâ ad agnitionem humanæ infirmitatis, & professionem diuinæ Maiestatis à legitimo ministro res aliqua sensibilis & permanens ritu mystico consecratur, & transmutatur. Dicitur Primò *oblatio*, vt accipiatur pro actione sacrificandi, quia Sacerdoti proprium est munus offerre. Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Secundò, *externa*, quia debet esse publica. Tertiò, *facta soli Deo*, eò quòd sit cultus latriæ. Vnde *Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli.* Exod. 22. Quartò, ad agnitionem humanæ infirmitatis, & professionem diuinæ Maiestatis; hic enim est finis omnium sacrificiorum. Hebr. 5. Quintò, *à legitimo ministro*; nam *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron.* Sextò, *res sensibilis & permanens*: nam preces, genuflexiones, & alia, non sunt sacrificia. Septimò, *ritu mystico*, quia res ex profanâ debet fieri sacra, cùm id verbum

1.2.q.85.a.3. verbum *sacrificare* significet, vt S. Thomas docet. Denique *transmutatur*, Primò, quia Deus per hoc summè cognoscitur, quòd substantia rei consumatur: Deinde, quia omnia sacrificia ordinabantur tamquam figuræ ad nouum, vt proinde Deus Abeli ac ceteris inspirarit eos ritus vsurpare quibus res transmutaretur. Definitio hæc Sacrificio nouæ Legis, seu Missæ optimè conuenit, quod iam ex sacra Scripturâ probamus. Et Primò quidem ex sacrificio Melchisedech, de quo sic: *Melchisedech rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi.* quem locum Christo attribuunt Psalmista & Apostolus, vt non dicant, Melchisedech figuram tantùm gessisse Christi, quod etiam de Aarone dici potuisset, sed Christum Sacerdotem fuisse secundùm ordinem Melchisedech, & non Aaronis. Duæ autem erant differentiæ inter horum sacrificia, è quibus duplex nobis argumentum. Prima in externâ specie: nam licet omnia sacrificia mortem Christi præsignarent, eò quòd cruenta essent, Melchisedechi tamen fuit incruentum, quia panem & vinum obtulit, vnde & Sacerdos dicitur Dei altissimi, ergo similiter Christus. Altera, quia Aaronis sacrificium fuit multorum sibi inuicem succedentium; Melchisedech verò nec sibi habuit priorem, nec sequentẽ, vt designaret Christum esse Sacerdotem in æternum. *Iurauit Dominus*, ait Propheta Basilicus, *& non pænitebit eum, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Vnde colligitur quòd eius ritus debẽt manere in æternum, id est quamdiu mundus durabit, alioquin esset otiosum Sacerdotium. Sic exposuerunt hactenus Cyprianus, Eusebius Cæsariensis, Ambrosius, Epiphanius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus, Leo Magnus, Eusebius Emyssenus, Arnobius, Eucherius, Primasius, Cassiodorus, Remigius, Euthymius, Oecumenius, Theophylactus, & infiniti alij intra sex sæcula primæ Ecclesiæ, quam veram fuisse, aduersarij admittunt, vt suprà vidimus: Deinde testimonium pro Missæ sacrificio sumitur ab Agno paschali: nam illa oblatio erat figura Eucharistiæ, & erat verum sacrificium, ergo & Eucharistia, cuius figura ille fuit: *etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.* Quam figuram in Eucharistiâ impletam fuisse, patet ex Euangelio: nam in primis constat, Apostolos ante passionem manducasse carnem Christi in cœnâ, ac proinde verum agnum Paschalem, ad cuius epulas nos hortatur Apostolus: *Itaque epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.* sed epulum sequitur immolationem, debuit ergo præcedere immolatio Christi illam manducationem cœnæ quam fecerunt Apostoli ante passionem Domini: non ergo passio sola & immolatio, sed etiam consecratio & oblatio Eucharistiæ est per agnum figurata. Deinde statim post cærimoniam agni celebrauit Christus Eucharistiam, vt videlicet figuratum declararet. Concordant item circumstantiæ, nam agnus immolari debebat die decimaquartâ Lunæ; immolabatur item in memoriam transitus Israelitarum ex Ægypto: sic similiter Eucharistia in memoriam transitus Christi ad Patrem, & nostri ad gratiam. Agnus erat viaticum peregrinorum, vt patet ex festinatione, succinctione, baculis & calceis; Eucharistia est viaticum ad cælum. Agnus denique non poterat manducari nisi à circumcisis & mundis, & in Ierusalem: ita Eucharistia non nisi à baptizatis, & intra matrem Ecclesiam.

Sacrificij definitio Missæ conuenit. — *Genes. 14.* — *Psal. 109.* — *Hebr. 7.* — *Ex Sacrificio Melchisedech sit argumentum.* — *Hebr. 7.* — *Psal. 109.* — *Ab Agno paschali similiter.* — *Exod. 12.* — *1. Cor. 5.*

Aliud porrò argumentum desumitur ex vaticiniis Prophetarum. Hinc D. Augustinus: *Nostrum sacrificium non solùm Euangelicis sed etiam Propheticis libris demonstratum est.* Prædicitur Heli, suum sacerdotium cessaturum, venturumque Sacerdotem qui ambulet coram Christo Domini omnibus diebus. Sed hoc de Eucharistiâ intelligendum esse, optimè declarant Cyprianus, Augustinus, Eusebius, Gregorius, Beda, & alij. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.* Et hoc de Eucharistiâ explicant Cyprianus, Augustinus, alij. *Cognoscent Ægyptij Dominum in die illâ, & colent eum in hostiis & muneribus.* & antè: *In die illâ erit altare Domini in medio terræ Ægypti.* quæ necessariò de Christianis intelliguntur, etiam secundùm Caluinum, nam illi numquam ante Christum conuersi fuerunt. Porrò pergit Isaias: *Assumã ex eis in Sacerdotes, & Leuitas, dicit Dominus,* scilicet ex Gentibus, quod modò fit: & apud Ieremiam minatur Dominus Deus, quòd non velit assumere Sacerdotes ex Iudæis, ergo ex Gentibus, & consequenter ex Christianis. Prædicit Daniel, Antichristum, quando ille in mundo principatum obtinebit, sublaturum iuge sacrificium. Sed quod illud? Procul dubio sacrificium Christianorum Catholicorum qui soli hodie habent sacrificium, nec enim Iudæi ampliùs habent, & in Gentiles Antichristus non desæuiet, cui etiam Iudæi adhærebunt. Sed & hunc Malachiæ locum, *Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus,* aliter quis explicare non poterit, nisi de Sacrificio nouæ Legis. Primò, quia agit contra Iudæos. Nec potest intelligi de cruce aut sacrificio cruento in cruce peracto, quia illud non nisi semel fuit oblatum: nec de Gentilibus tunc viuentibus, quia etsi aliqui eorum *Deum cognouerunt, non tamen veluti Deum glorificauerunt.* Loquitur ergo Propheta de futuro, quod nos habemus, tamquam sibi præsenti, quia Prophetæ res futuras ita certò cognouerunt ac si eas coram se præsentes haberent. Deinde patet id ex voce *munda*, quia opponit Propheta illud oblationibus immundis Sacerdotum Iudaicorum; & reuerà Christus non solùm mundus est, sed &, quãuis offeratur à Sacerdotibus immundis, munditiam præstat. Colligitur insuper ex verbis illis, *Non accipiam munus de manibus vestris*, oblationem Ecclesiæ non solùm esse mundam, sed etiã nouam. Et verè nullum omnium sacrificiorum est recentius quàm sacrificium Ecclesiæ. Sed antitheses Propheticas inspiciamus. Opponit ergo Propheta Malachias contemptum & gloriam Dei; dicit enim, Deum fuisse contemptum per sacrificium Iudæorum, vt proinde debeat esse sacrificium nouum, honorificentius, & magis publicum. Opponit Sacerdotes, non tamen loquens de omnibus, sed tantùm de Sacerdotibus ad offerendum destinatis. *Ad vos*, inquit, *ô sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis, In quo despeximus nomen tuum?* Quem locum sic exposuerunt S. Iu-

8. *Argumenta ex Vaticiniis Prophetarũ.* — *Epist. 49. q. 3.* — *1. Reg. 2.* — *Prouerb. 9.* — *Isai. 19.* — *Isai. 66.* — *Ierem. 33.* — *Dan. 8.* — *Malach. 1.* — *Rom. 1.* — *Pulchrè Malachias sacrificium vetus nouo opposuit.*

a In Dialog. b Li. 4. c. 32. c Lib. 3. Præscript. a S. Iustinus Martyr, b Irenæus, c Tertullianus. Hoc ipsum Malachiæ vaticinium explicare videtur Saluator, cùm inquit: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem.* Ioann. 4. & infrà: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.* Adoratio idem est quod sacrificium, vt patet è Scripturis, vnde iam sic concludo, illud, *Veri adoratores adorabunt in Spiritu & veritate,* intelligendum esse de Sacrificio Missæ & Eucharistiæ. Patet, quia Samaritanam, dum sic Saluatori loquebatur, *Domine, video, quia Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus vbi adorare oportet,* necessariò de Sacrificio loqui exponendum est, & hic est sensus: Patres nostri in monte hoc obtulerunt sacrificium, quia numquam vel rarissime Iudæi preces Deo offerebant abiq; sacrificij oblatione. Ad hoc respondet Christus: Mulier, crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc neque Ierosolymis adorabitis Patrem, id est, non erit alligatum sacrificium, sed secundùm Malachiam in omni loco offeretur nomini meo oblatio munda: & veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate, id est, Christiani, qui Deum legitime colent, sacrificabunt in Spiritu, id est sacrificio spirituali & vero, non carnali & typico: nam opponitur Spiritus carni, & veritas figuræ. *Venit hora, & nunc est,* clarè demonstrat, esse adorationem nouam & a Christo inchoatam.

Genes. 22. Ioann. 12. Actuum 8.

9. *Ex Actibus Apostolorum vnus additur & sufficit locus.* Sed quid in re tam aperta & manifestâ adeò anxie desudamus? vel vnus hic ex Actis Apostolicis locus totam litem definire poterat: *Ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam,* &c. vbi sanè illud *ministrantibus*, etiam secundùm explicationem ipsius Erasmi, vt taceam alios magis orthodoxos, idem est quod *sacrificare.* quam in rem facit quòd Græci Missam appellent λειτουργίαν, id est *ministerium.* Nec audiendus est quisquis inde *concionantibus* explicare velit; concionari enim non est ministrare Domino, sed populo: vt nec ille qui forte hic virtutum exercitium sibi imaginatus fuerit; quia alioquin illud *& ieiunantibus* non addendum fuisset, cùm tautologiam importasset. Plura alia sunt, quæ hoc ipsum quod modò tractamus, confirmant, sed sufficiunt hactenus dicta, vt hæreticorum errores confundantur. Superest vt cum Catholicis verba faciamus, quatenus ij agnoscant fundamentum, quo asseritur, æquè mortuis atq; viuis prodesse sacrosanctum Missæ sacrificium. Neque extra propositum erit, si ad maiorem ex illo concipiendam fiduciam, maioremque eidem exhibendam religionem, subiungamus, quàm ingentis affectus atque amoris argumenta erga nos in hoc reliquerit Saluator, quot in illo gratiarum atque charismatum dona ac media accumularit, vt vno veluti bolo in os & cor nostrum omnia illa ingereret. Priùs tamen è Scholasticis Doctoribus stabilitum ibimus, Sacrificium Missæ non minùs defunctis quàm viuis opem præstare.

10. Parte 3. q. 79. art. 2. *In SS. Eucharistiâ & Missa Sacrificio duo spectāda.* Sanctus ille Doctor Thomas Aquinas hanc conclusionem posuit: *Siue in Eucharistiâ id ex quo effectum habet, Christus scilicet & Passio eius, siue vsus Sacramenti consideretur, eius effectus est vitæ æternæ consecutio.* Et in responsione ad obiecta, *Dicendum,* inquit, *quòd in hoc Sacramento potest considerari & id ex quo habet effectum, scilicet ipse Christus contentus, & Passio eius repræsentata, & id per quod effectum habet, scilicet vsus Sacramenti, & species eius. Et quantum ad vtrumque, competit huic Sacramento, quòd causet adeptionem vitæ æternæ. Nam ipse Christus per suam Passionem aperuit nobis aditum vitæ æternæ, secundùm illud Hebr. 9. Noui Testamenti mediator est, vt morte intercedente, qui vocati sunt, accipiant repromissionem æternæ hereditatis. Quid mirum igitur Sacrificio iuuari defunctos, si ad hoc id ordinatum, vt vitam æternam consequamur?* pergit S. Thomas: *Refectio cibi spiritualis, & vnitas significata per species panis & vini, habentur quidem in præsenti, sed imperfectè, perfectè autem in statu gloriæ. Vnde Augustinus dicit super illud Ioannis 6. Caro mea verè est cibus, Cùm cibo & potu id appetant homines, vt non esuriant neque sitiant, hoc veraciter non præstat nisi iste cibus & potus, qui eos, à quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit in societate Sanctorum, vbi pax erit, & vnitas plena atque perfecta.* Et suprà ad contrariorum argumentorum obiectionem sic respondit: *Sed contrà est quod dicitur Ioan. 6. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Sed vita æterna, est vita gloriæ; ergo effectus huius Sacramenti est adeptio gloriæ.* Itemque præcedenti Articulo multis exponit, Eucharistiam operari gratiam, gloriæ videlicet adipiscendæ necessariam. postquam enim adduxisset obiecta, subiungit dicens: *Sed contrà est quod Dominus dicit Ioan. 6. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ. Sed vita spiritualis est per gratiam, ergo per Sacramentum gratia confertur.*

11. Ibid. q. 79. art. 7. *Prodest etiā aliis quàm iis qui illud sumunt.* Idem Angelicus Doctor alibi disputat, vtrùm hoc Sacramētum prosit aliis quàm sumentibus: ac postquam rationes quæ in contrarium facere videbantur proposuisset, eas soluit hoc modo: *Sed contra est, quod in celebratione huius Sacramenti fit pro multis aliis deprecatio; quod frustrà fieret, nisi hoc Sacramentum aliis prodesset. Hoc ergo Sacramentum non solùm sumentibus prodest.* Cui rei stabiliendæ hanc posuit conclusionem: *Quamquam Eucharistiæ Sacramentum sumentibus prosit, non modò vt Sacrificium est, verùm etiam vt Sacramentum, aliis tamen non sumentibus non nisi per modum Sacrificij prodest.* Quod vt ampliùs explicet, *Respondeo,* inquit, *dicendum, quòd, sicut priùs dictum est, hoc Sacramentum non solum est Sacramentum, sed etiam est Sacrificium. In quantum enim in hoc Sacramento repræsentatur Passio Christi, quâ Christus obtulit se hostiam Deo, vt dicitur Ephes. 5. habet rationem Sacrificij; in quantum verò in hoc Sacramento traditur inuisibilis gratia sub specie visibili, habet rationem Sacramenti. Sic ergo hoc Sacramentum sumentibus quidem prodest & per modum Sacramenti, & per modum Sacrificij, quia pro omnibus sumentibus offertur. dicitur enim in Canone Missæ: Quotquot ex hac Altaris participatione sacrosanctum Filij tui Corpus & Sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratiâ repleamur. Sed aliis qui non sumunt, prodest per modum Sacrificij, in quantum pro salute eorum offertur. vnde & in Canone Missæ dicitur: Memento, Domine, famulorum famularumq; tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro se suisq; omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ. Et vtrumque modum proficiendi Dominus expressit, dicens: Qui pro vobis, scilicet sumentibus, & pro multis, scilicet aliis, effundetur in remissionem peccatorum.* Matth. 26. Luc. 22.

Vt

12. *Quâ ratione pro aliis quàm pro fidelibus offeratur.* Vt verò intelligatur quomodo pro aliis Sacrificium offeratur, notandum est, Sacramentum istud dici Ecclesiasticæ vnionis, tum quia per hoc Christo coniungimur, tum quia inter nos eius membra adunamur, adeoque quoad effectum eius reddimur participes. Quam in rem iterùm Angelicum Doctorem audire iuuat; hic namque, postquam nonnulla sibi argumenta obiecisset, quæ Eucharistiam non vnum sed plura Sacramenta esse videbantur euincere, sic tandem definit: *Sed contrà est quod dicit Apostolus, Vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus. ex quo patet, quòd Eucharistia est Sacramētum Ecclesiasticæ vnitatis.* Et posteà: *Aliam autem significationem habet respectu rei præsentis, scilicet Ecclesiasticæ vnitatis, cui homines aggregantur per hoc Sacramentum. & secundùm hoc nominatur Communio vel Synaxis. Dicit enim Damascenus lib. 4. quòd dicitur Communio, quia communicamus per ipsam Christo, & quia participamus carne & Deitate, & quia communicamus & vnimur ad inuicem per ipsam.* Itemque de vnione nostri inter nos mutuò: *Quartò consideratur effectus huius Sacramenti ex speciebus in quibus traditur hoc Sacramentum. Vnde Augustinus dicit: Dominus noster Corpus & Sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur ex multis: nam aliud (scilicet panis) ex multis granis in vnum constat; aliud (scilicet vinum) ex multis acinis confluit. & ideò ipse alibi dicit: O Sacramentum pietatis! ô signum vnitatis! ô vinculum charitatis!* Et infrà, *Dicendum*, inquit, *quòd hoc Sacramentum confert gratiam spiritualiter cum virtute charitatis. Vnde Damascenus comparat hoc Sacramentum carboni, quem Isaias vidit. Carbo enim lignum simplex non est, sed vnitum igni; ita & panis Communionis non simplex panis est, sed vnitus Diuinitati. Sic Gregorius dicit: Amor Dei non est otiosus, magna enim operatur si est.*

(Margin: p. 3. q. 73. art. 2. — 1. Cor. 10. — art. 4. in corp. — q. 79. art. 1. — Tract. 26. in Ioannem. — ad 2. — Isaiæ 6. — In Homiliis Pentecostes.)

13. *Non viui tātùm, sed & mortui per Sacrificij oblationem iuuantur.* Communis itaque Catholicorum omnium & constans est doctrina, non viuos tantummodò, sed etiam mortuos nouæ Legis Sacrificij oblationibus adiuuari, cui S. Thomæ aliorumq; Patrum adstipulatur auctoritas. *Offertur*, inquit S. Thomas, *in Ecclesiâ pro viuis & mortuis, vt omnibus prosit, quod est pro salute omnium institutum.* S. Damascenus refert, quòd ij qui cum fide ex hac vitâ excesserunt, viuorum Missis & beneficiis iuuentur, idemque ab Apostolis traditum esse affirmat, atque vniuersum per orbem terrarum ita obseruari, suique dicti S. Athanasium testem adducit. *Magnus quoque Athanasius*, inquit, *in elegantissimâ illâ Oratione, quam de iis qui è vitâ discesserunt edidit, his verbis vtitur: Etiamsi in aere collocatus sit ille, qui cum pietate diem vitæ extremum egit, tamen imploratâ Christi Dei ope, oleum ac ceram ad ipsius sepulchrum accendere ne recuses: grata enim & accepta hæc Deo sunt, ingensq; ab eo præmium referunt; oleum enim & cera holocausti instar sunt, incruentum autem Sacrificium Deum placat.* Et posteà: *Nam & diuinarum rerum Apostoli, & sacri Magistri, & Spiritu sancto inspirati Patres, ac Numine diuino quantum fas est correpti, potentiaq; eius quæ hominem extra se rapit vtcumque participes effecti, diuino ore, vti Deo gratum erat, ista omnia, id est Missas, & preces ac Psalmorum cantus, anniuersariasq; eorum, qui morte prærepti sunt, commemorationes instituerunt atque sanxerunt: quæ quidem ad hunc vsque diem benignâ Dei gratiâ, ab ortu Solis vsque ad occasum, & Septemtrionem ac Meridiem, in Domini Dei, qui regium in Reges imperium obtinet, laudem atque gloriam augentur, & nouis subinde accessionibus amplificantur.*

(Margin: Opusc. 57. — Orat. pro mort.)

14. *D. Thomæ, Damasceno, Athanasio S. Chrysostomus adiungitur.* S. Ioannes quoque Chrysostomus pluribus in locis nostrum propositum iuuat. *Abierit*, inquit, *mortuus peccator, sanè gaudere decet peccata impedita esse & non accumulatum malum, nitiq; quantum fieri potest, vt iuuetur non lacrymis, sed prece, supplicationibus, eleemosynis, oblationibus. Non est temerè hoc excogitatum, nec frustrà memoriam mortuorum inter Sacra celebramus, aut accedimus pro istis Agnum illum iacentem, & peccata mundi tollentem deprecantes, sed vt his consolatio aliqua fiat. Nec temerè qui altari assistit, inter horrenda mysteria clamat, Pro omnibus in Christo dormientibus, &c. Opitulemur igitur his, fratres, memoriam pro ipsis faciamus. Nam si Iobi illius liberos patris victima purgauit, quid dubites è nobis quoque, si pro dormientibus offeramus, solatij quidquam illis accessurum? Gratificari Deus propter alios aliis solet, quod Paulus hic ostendit. Vt ex multis, inquit, personis pro dono in nos collato per multos gratiæ agantur pro nobis. Ne defatigemur mortuis auxilium ferentes; preces pro ipsis offerendo: communis totius orbis victima, preces sunt. Hinc pleni fiduciâ pro toto etiam orbe supplicamus, inter Martyres, inter Confessores, inter Sacerdotes, mortuos recensemus: vnum enim corpus omnes sumus. Sint membra licet alia aliis illustriora, vndique veniam ipsis impetrare licet, precibus pro ipsis effusis, muneribus datis, consortio eorum inter quos velut commune corpus referuntur.* Sic Chrysostomus, qui & in multis locis aliis apertissimè & abundantissimè de commodis, quæ defuncti ratione Eucharisticæ oblationis percipiunt, egit. Inter quæ hæc potissimùm loca recenseri possunt: *Homil. 32. & 61. in Ioannem. Homil. 21. in Acta. Homil. 41. in 1. Epist. ad Corinth. Homil. 3. in Epist. ad Philippens. in Liturgiâ Sacerdotum. Homil. 69. ad populum Antiochen. & totâ Homiliâ ab ipso inscriptâ, Pro defunctis non lugendum sed orandum potiùs.*

(Margin: In 1. Corinth.)

15. Succenturiantur hisce S. Augustinus, qui, *Neque negandum est*, inquit, *defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm Sacrificium Mediatoris offertur.* Et S. Cyprianus, qui, *Ex quo*, ait, *à Domino dictum est, Hoc facite in meam commemorationem, Hæc est caro mea, Hic est sanguis meus. Quotiescumque his verbis & fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam salutemq; proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens.* Idem: *Antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter prouidentes censuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam Clericum nominaret, ac qui hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros voluit auocare.* An quid clarius à Cypriano dici potuisse arbitraris, quod nobis persuaderet, hunc Ecclesiæ morem, pro defunctorum requie nimirū Sacrificium Missæ offerendi, antiquum & pium esse, non nouitiū & recenter, quod hæretici cauillantur & calumniantur, excogitatum, aut in Christi iniuriam adinuentum? Sed Dionysium, illum ab Areopago dico, antiquissimum & Apostolis ipsis coæuum Doctorem audiamus, & quid ille ab Apostolis Magistris suis didicerit addiscamus. Hic cùm sepeliendi ritum enarrasset, *Posteà*, inquit, *accedens venerabilis Præsul, precem* super

(Margin: In Enchirid. ad Laurent. cap. 11. Item additur S. Augustin. Ser. de Cœnâ Domini. — Epist. 66. ad Cler. & pleb. Furnit. Episc. — Li. de Eccles. Hierarch. c. 7)

super eum sacratissimam peragit, & post orationem ipse quoque Pontifex defunctum salutat, & post illum qui adstant omnes, &c. & explicans quomodo super defuncto in Sacrificio oret. *Precatur*, ait, *oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto.*

16. *Testimonia Apostolorum.* Quin ipsos Apostolos, testes omni omnino exceptione maiores, adeamus, & illorum sententiam exquiramus. Varias illorum Liturgias ad manum habemus, quarum & Libro superiore Cap. IX. mentionem fecimus; è quibus S. Iacobum Minorem in suâ Liturgiâ ita loquentem adducere placuit: *Nostras animas sanctifica, corporaq́, & spiritus, nec non cogitationes nostras ad pietatem conuerte, vt purâ conscientiâ tibi dona offeramus, munera, fructuum oblationes, vt ea deleantur delicta quæ admisimus, & vt toti populo tuo sis propitius.* Ibidem: *Vt tibi grato & diuino oblato Sacrificio, digni abs te habeamur vita æternâ.* item: *Ne auerseris nos peccatores, verendum hoc & incruentum Sacrificium attrectantes, supplicamus & imploramus bonitatem tuam, ne mysterium hoc, quod ad salutem nobis dispensatum est, in condemnationem populo sit, sed in abolitionem peccatorum, animarumq́, & corporum renouationem,* &c. *Admitte nos accedentes ad sanctum tuum altare, secundùm multitudinem misericordiæ tuæ, vt digni simus qui offeramus tibi munera, & Sacrificium pro nobis, & pro iis quæ populus per ignorantiam admisit: daq́, nobis Domine, vt tibi cum omni metu ac purâ conscientiâ hoc Sacrificium spirituale atque incruentum offeramus. quod vbi admiseris in sanctum, supercæleste ac intellectuale altare tuum, in odorem suauitatis spiritualis, vicissim mitte nobis gratiam Spiritus tui sanctissimi. O Deus, respice in nos, & ad nostrum hoc rationale obsequium intuere, idq́, accipe vt Abel dona accepisti, Noë sacrificia, Moysis & Aaronis sacerdotia, Samuelis pacifica, Dauidis pœnitentiam, Zachariæ incensum, vt de manu Apostolorum tuorum verum hunc cultum accepisti; ita quoque è manibus nostris, qui peccatores sumus, recipe munera hæc proposita per tuam benignitatem, & fac vt oblatio nostra grata & acceptabilis sit, per Spiritum sanctum sanctificata, in propitiationem peccatorum nostrorum, & eorum quæ populus per ignorantiam admisit, & in requiem animarum eorum qui ante nos dormierunt.* Hactenus S. Iacobus Minor, quæ diffusè satis retulimus, vt vel hinc euidens fiat, sacrosanctum Missæ Sacrificium non tantùm mortuis prodesse, sed & esse verè propitiatorium, vnde Christi discipuli (qui tanto, vt patet, tum viuos tum & defunctos prosecuti sunt charitatis affectu) omnem benedictionem, & à malis vniuersis liberationem obtinere confiderent.

17. *In Cœna Christus Eucharistiam ideò instituit, vt inde significaret, nostram hinc quietem prouenturam.* Ceterùm non absque ratione obseruatum à nonnullis fuit, ideò Christum noctu & in cœnâ venerabilem suam Eucharistiam instituisse, vt inde significaretur, requiem per eam (quæ mortuis ab Ecclesiâ potissimùm exoptari solet) obtineri. Quid enim supererat, nisi vt postquam diuinæ huic mensæ accubuerimus, in Domino feliciter ad vitam æternam obdormiremus? Huc facere potest insigne illud Ægyptiorum hieroglyphicum, dum nimirum, vt solebant ingeniosissimè, ad exprimendum vera atque solida bona, iuuenem effigiabant, qui manu alterâ spicas aliquot tritici, alterâ vuas (aut, secundùm alios, pateram vini) præferebat, de collo verò papauer gerebat; quod indicio erat, eos quibus panis & vini copia suppetit, securè posse somnum capere, & omnium aliarum rerum, quibus mortalium cura & sollicitudo inhiat, obliuisci. Christus igitur Dominus & Saluator noster prouidentissimus, vt & nos, terrenarum rerum anxietate depositâ, suauiter obdormiscere, & sempiternæ felicitatis, quietisque felicissimæ dulcissimum somnum obtinere possemus, testamento suo, paulò ante mortem suam condito, de panis & vini abundantia nobis prospexit, hoc est alimenta vitæ, Corpus & Sanguinem suum reliquit; quæ, ne aliquando defutura nobis suspicaremur, iuramento dato certiores nos reddere voluit. *Iurauit Dominus*, inquit Dauid, *& non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum.* qui nimirum nullo non tempore eius copiam sit facturus. Psalm. 109.
Quandoquidem ergo à Christo ipso carnis & sanguinis eius instituti sumus heredes, hoc diuino cibo contenti, longè à nobis remotis omnibus terrenis affectibus, cum Prophetâ in pace in idipsum dormiamus & requiescamus. Typum huius rei & figuram insignem habemus in Esau, qui à patre suo Isaac benedictionem postulans, hoc responsi accepit, *Frumento & vino stabiliui eum*, scilicet Iacob, *& post hæc, fili mi, quid ampliùs faciam?* quod hisce Isaiæ verbis confirmare possumus, *Cibabo te hereditate Iacob*; vbi doctiores ex Hebræo legunt, *Comedere te faciam hereditatem patris tui.* Sed quæ hæc hereditas Iacob? Non fuit argenti, non auri, non opum vel censuum, sed panis tantùm & vini. *Det tibi Deus*, inquiebat Isaac ad Iacob, *de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini.* quæ profectò abundantia tanta fuit, vt petenti posteà Esau, vt si quam adhuc benedictionem reseruasset, sibi impertiret, Isaac responderit, *Frumento & vino*, &c. quasi diceret, Nulla mihi superest benedictio quam tibi impertiri possim; nec vlla tanti pretij hereditas, vt eâ fratre tuo euadere possis locupletior. Sed & huc facere Ezechielis verba, facilè probauero. Cùm enim Deus priùs magna & singularia beneficia, quibus populum Iudaicum, & sub eius typo animam fidelem exornauerat, dicens: *Iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum. Laui te aquâ, & emundaui sanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo. Et vestiui te discoloribus, & calceaui te ianthino: & cinxi te bysso, & indui te subtilibus. Et ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro, & argento, & vestita es bysso & polymito, & multicoloribus*; post hæc omnia, velut omnium pretiosissimum, tandem subiungit, *Similam & mel comedisti*, id est, in alimoniam tibi dedi panem similagineum melle conditum. Non verò hoc in loco loqui Deum de pane communi & materiali, manifestum est, cùm frustum panis nō sit maioris æstimationis quàm torques aureus vel corona. Quare ergo Deus hoc in loco tanti hoc fecit? Nimirum de sacratissimo Corporis sui pane loquitur, sicque piam animam alloquitur: Ecce ego te, ô anima, laui aquâ quæ à latere meo profluxit: ego te sanguine meo redemi, & pretiosâ gratiæ veste indui, veste polymitâ virtutum superimpositâ. Collum tuum torque obedientię, aures tuas inauribus fidei, caput tuum diademate charitatis exornaui, & totum denique in te profundens amoris mei cumulum,

Psal. 4.
Res illius figura in benedictione Iacob.
Genes. 27.
Isai. 58.
Genes. 27.
Ezech. 16.
Applicatur etiam pro Missio facta Ezechielis.

mulum, faciam vt similam & mel comedas, hoc est, dabo tibi corporis mei Sacramentum, vbi panis est florens humanitatis meæ, cum melle diuinæ suauitatis, omne delectamentum omnemque saporem præbens. Cùm igitur carnem suam in cibum, sanguinemque suum in potum nobis Saluator reliquerit, nihil iam superest vnde amorem suum demonstrare possit apertiùs, nihil quod communicare nobis posset excellentius, aut quod maioris dignitatis & præstantiæ esse queat: vt verè dixerit Euangelista, cùm amorem quem Christus in eius Sacramenti institutione ostendit exprimere vellet, *In finem dilexit eos.* quæ verba procul dubio innuunt, ita discipulos, totumque genus humanum, à Christo fuisse dilectos, tantaque amoris vehementia, vt vis & efficacitas eius ad vltimum & extremum beneuolentiæ terminum peruenerit, explens totam amoris sui capacitatem.

Nihil superest vltra SS. Eucharistiã homini præstandum.

Ioan. 13.

18\. Et sanè, quia amoris, quem in sanctissimæ Eucharistiæ institutione Christus monstrauit, meminimus, nonnulla adiungere libitum fuit, è quibus, quantum sit in eodem Sacramẽto amoris argumentum, apertiùs intueamur. Philosophorum doctrina est, amoris & bonitatis esse similitudinem, quòd appetant sui communicationem: vnde depingebant amorem nudum, quasi seipsum bonis omnibus expoliasset, habentem à zona pendens marsupium apertum, ad innuendam eius liberalitatem. Bonum item secundum S. Dionysium, S. Thomam, & reliquos, sui est diffusiuum, & comparatur Nilo, qui fluuius rapidissimo impetu in Ægypti agros irrumpit, omniaque obstacula, quò se diffundat, disrumpit, quascumque enim occasiones sibi obsistentes retundit, vt se ac sua bona communicet. Quod vt Doctores sacri in infinitâ bonitate diuina demonstrẽnt, adducunt duplicem eius communicationem. Primam nominant *ad intra*, quâ Deus Pater ab æterno naturam suam communicauit Filio quem genuit, & vterque naturam illam communicauit Spiritui sancto qui ab vtroque procedit. Alteram vocant *ad extra*, quatenus bonitatem suam infinitam ad creaturas etiam extendit, creatis nimirum sublimibus illis ac spiritualibus Angelis, atque aliis sublunaribus creaturis, vt ex opere sex dierum in sacris Litteris videre est; quas inter tamen hominem maximè dilexit. illum enim non tantùm reliquis omnibus præfecit, verùm etiam, vt suprà vidimus, ipsemet è luto efformauit, *& inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem; ad similitudinem quippe & imaginem Dei creauit eum.* Neque his limitibus diuinus amor contineri potuit, verùm etiam familiaritatem maximam cum mortalibus Deus inire voluit, nam *deliciæ meæ*, inquit, *esse cum filiis hominum.* Sed quomodo id fiet? *Non videbit me homo, & viuet*, inquit in veteri Testamento. Vide quid adinuenerit, *& notas facite in populis adinuentiones eius.* Inuenit Primò modum quo ad nos ipse descenderet, quandoquidem nos ad eum ascendere non poteramus, & *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, & Deus *cum hominibus conuersatus est.* Exiuit namque à Patre, & venit in mundum, *non rapinam arbitratus, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Sed quid? constat quidem hinc, Deum, in amoris indicium, nostram miseriam in se suscepisse, parum tamen hoc iuuare nos videri poterat, nisi nos suæ felicitatis faceret participes. quid enim in luto & cœno hærenti mihi proderit, si Regis filius & ipse inuoluatur, nisi eo medio ego inde eripiar? Quare vt suprà S. Augustinus & alij docent, aliam reperimus inuentionem Christum excogitasse, vt & homines suæ diuinitatis redderet participes, videlicet cùm discessurus ad Patrem secum nos ducere voluit, vel potiùs nos se habere præsentem. Pugnabant, vt S. Augustinus loquitur, in corde Christi, tamquam in stadio, duo amores, vnus, ne Ecclesiam suam desereret, aspectu suo orbaret, aduersariorum & luporum morsibus dilaniandam relinqueret; alius, ne redemptionem differret, sed sanguinem suum quantocyùs effunderet, clausas cæli portas reseraret, & viam quâ ad æternam felicitatem perueniretur, infelicissimo humano generi non solùm commonstraret, sed & primus suo vestigio calcaret. Et hæc quidem ex superioribus eo repetita sunt, quatenus fiant clariora, & nihilominus ad præsentia seruiant. Græci in suis Epigrammatibus depingebant duos iuuenes qui nudi pugnarent, quorum alter designabat amorem virtutis, alter vitiorum: sed superato illo qui vitia propugnabat, eius arcus, sagittæ & pharetra confracta sunt. Ingeniosa quidem hæc, sed nihil ad Christum; nam duo ipsius amores sic depugnarunt, vt neuter vinceretur, vterque vinceret: inuenit enim medium hoc vt moreretur & ad Patrem ascenderet, & nihilo minùs nobiscum in terris permaneret; dum nimirum Venerabilem Eucharistiam instituit, in quâ tantum abest vt vere realiter & substantialiter nobis non adsit, vt etiam seipsum adhuc viuentibus nobis vniuerit.

Quantus Dei sit in nos amor variis exprimitur.

Genesis 1.

Hoc Lib. Cap. III.

Prou. 8.

Exod. 33.

Isai. 12.

Ioan. 1.

Baruch 3.

Philippens. 2

Quæ Capite 5. dicta non-nihil latiùs exponuntur.

19\. Mirabilis fuit Artemisiæ, vxoris Regis Cariæ Mausoli, erga suum maritum dilectio, quæ in morte eiusdem doctissimos atque eloquentissimos quoslibet conuocauit, amplissimisque præmiis induxit, vt demortui laudes deprædicarent. Quin eidem tam magnificum monumentum construxit, vt inter [illegible]tem mundi miracula numeratũ fuerit illud Mausoleum, vel Mausoli Regis monumẽtum. Tandem, nimio amore coacta, ossa eius in pulueres minutissimos redigi curauit, quos vino commixtos ebibit, vt intra semetipsam suaque viscera viuum & mobile excitaret Mausoleum. Christus Dominus, vt infinitissimum suum erga nos viles ostenderet amorem, carnem suam & sanguinem præbuit, quâ vesceremur, & quo potaremur. *Declinaui*, inquit apud Prophetam, *ad eum, vt vesceretur*, hoc est, vt S. Hieronymus interpretatur, descendi & demisi me ad humanam naturam, vt cibus hominis fierem. Et sicut in incarnatione Verbi diuini mirabilis est insitio Dei in homine, vnde Iacobus Apostolus, *Suscipite insitum verbum*: ita de Eucharistiâ Christus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Et: *Sicut me misit viuens Pater, & ego viuo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Super quod Sanctus Augustinus: *Non tamen me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.* & Sancti Pauli Apostoli adfert similitudinem: *Tu autem cum oleaster esses, insertus es bonam oliuam.*

Admirabilis Artemisiæ historia.

Mirabilius fecit Saluator.

Oseæ. 11.

Lib. 3. Comment.

Iacob. 1.

Ioan. 6.

Rom. 11.

Ad

super eum sacratißimam peragit, & post orationem ipse quoque Pontifex defunctum salutat, & post illum qui adstant omnes, &c. & explicans quomodo super defuncto in Sacrificio oret. *Precatur*, ait, *oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto.*

16. *Testimonia Apostolorum.* Quin ipsos Apostolos, testes omni omnino exceptione maiores, adeamus, & illorum sententiam exquiramus. Varias illorum Liturgias ad manum habemus, quarum & Libro superiore Cap. IX. mentionem fecimus; è quibus S. Iacobum Minorem in suâ Liturgiâ ita loquentem adducere placuit: *Nostras animas sanctifica, corporaq́, & spiritus, nec non cogitationes nostras ad pietatem conuerte, vt purâ conscientiâ tibi dona offeramus, munera, fructuum oblationes, vt ea deleantur delicta quæ admisimus, & vt toti populo tuo sis propitius.* Ibidem: *Vt tibi grato & diuino oblato Sacrificio, digni abs te habeamur vitâ æternâ.* item: *Ne auerseris nos peccatores, verendum hoc & incruentum Sacrificium attrectantes, supplicamus & imploramus bonitatem tuam, ne mysterium hoc, quod ad salutem nobis dispensatum est, in condemnationem populo sit, sed in abolitionem peccatorum, animarumq́, & corporum renouationem*, &c. *Admitte nos accedentes ad sanctum tuum altare, secundùm multitudinem misericordiæ tuæ, vt digni simus qui offeramus tibi munera, & Sacrificium pro nobis, & pro iis quæ populus per ignorantiam admisit: daq́, nobis Domine, vt tibi cum omni metu ac purâ conscientiâ hoc Sacrificium spirituale atque incruentum offeramus. quod vbi admiseris in sanctum, supercæleste ac intellectuale altare tuum, in odorem suauitatis spiritualis, vicißim mitte nobis gratiam Spiritus tui sanctißimi. O Deus, respice in nos, & ad nostrum hoc rationale obsequium intuere, idq́, accipe vt Abel dona accepisti, Noë sacrificia, Moysis & Aaronis sacerdotia, Samuelis pacifica, Dauidis pœnitentiam, Zachariæ incensum, vt de manu Apostolorum tuorum verum hunc cultum accepisti; ita quoque è manibus nostris, qui peccatores sumus, recipe munera hæc proposita per tuam benignitatem, & fac vt oblatio nostra grata & acceptabilis sit, per Spiritum sanctum sanctificata, in propitiationem peccatorum nostrorum, & eorum quæ populus per ignorantiam admisit, & in requiem animarum eorum qui ante nos dormierunt.* Hactenus S. Iacobus Minor, quæ diffusè satis retulimus, vt vel hinc euidens fiat, sacrosanctum Missæ Sacrificium non tantùm mortuis prodesse, sed & esse verè propitiatorium, vnde Christi discipuli (qui tanto, vt patet, tum viuos tum & defunctos prosecuti sunt charitatis affectu) omnem benedictionem, & à malis vniuersis liberationem obtinere confiderent.

17. *In Cœna Christus Eucharistiam ideircò instituit, vt inde significaret, nostram hinc quietem prouenturam.* Ceterùm non absque ratione obseruatum à nonnullis fuit, ideò Christum noctu & in cœnâ venerabilem suam Eucharistiam instituisse, vt inde significaretur, requiem per eam (quæ mortuis ab Ecclesiâ potissimùm exoptari solet) obtineri. Quid enim superererat, nisi vt postquam diuinæ huic mensæ accubuerimus, in Domino feliciter ad vitam æternam obdormiremus? Huc facere potest insigne illud Ægyptiorum hieroglyphicum, dum nimirum, vt solebant ingeniosissimè, ad exprimendum vera atque solida bona, iuuenem effigiabant, qui manu alterâ spicas aliquot tritici, alterâ vuas (aut, secundùm alios, pateram vini) præferebat, de collo verò papauer gerebat; quod indicio erat, eos quibus panis & vini copia suppetit, securè posse somnum capere, & omnium aliarum rerum, quibus mortalium cura & sollicitudo inhiat, obliuisci. Christus igitur Dominus & Saluator noster prouidentissimus, vt & nos, terrenarum rerum anxietate depositâ, suauiter obdormiscere, & sempiternæ felicitatis, quietisque felicissimæ dulcissimum somnum obtinere possemus, testamento suo, paulò ante mortem suam condito, de panis & vini abundantia nobis prospexit, hoc est alimenta vitæ, Corpus & Sanguinem suum reliquit; quæ, ne aliquando defutura nobis suspicaremur, iuramento dato certiores nos reddere voluit. *Iurauit Dominus*, inquit Dauid, *& non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum.* qui nimirum nullo non tempore eius copiam sit facturus. Psalm. 109.
Quandoquidem ergo à Christo ipso carnis & sanguinis eius instituti sumus heredes, hoc diuino cibo contenti, longè à nobis remotis omnibus terrenis affectibus, cum Prophetâ in pace in idipsum dormiamus & requiescamus. Psal. 4. Typum huius rei & figuram insignem habemus in Esau, qui à patre suo Isaac benedictionem postulans, hoc responsi accepit, *Frumento & vino stabiliui eum, scilicet Iacob, & post hæc, fili mi, quid amplius faciam?* Gen. 27. quod hisce Isaiæ verbis confirmare possumus, *Cibabo te hereditate Iacob*; vbi doctiores ex Hebræo legunt, *Comedere te faciam hereditatem patris tui.* Isai. 58. Sed quæ hæc hereditas Iacob? Non fuit argenti, non auri, non opum vel censuum, sed panis tantùm & vini. *Det tibi Deus*, inquiebat Isaac ad Iacob, *de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini.* Genes. 27. quæ profectò abundantia tanta fuit, vt petenti posteà Esau, vt si quam adhuc benedictionem reseruasset, sibi impertiret, Isaac responderit, *Frumento & vino*, &c. quasi diceret, Nulla mihi superest benedictio quam tibi impertiri possim; nec vlla tanti pretij hereditas, vt eâ fratre tuo euadere possis locupletior. Sed & huc facere Ezechielis verba, facilè probauero. Ezech. 16. Cùm enim Deus priùs magna & singularia beneficia, quibus populum Iudaicum, & sub eius typo animam fidelem exornauerat, dicens: *Iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum. Laui te aquâ, & emundaui sanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo. Et vestiui te discoloribus, & calceaui te ianthino: & cinxi te bysso, & indui te subtilibus. Et ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro, & argento, & vestita es bysso & polymito, & multicoloribus*; post hæc omnia, velut omnium pretiosissimum, tandem subiungit, *Similam & mel comedisti*, id est, in alimoniam tibi dedi panem similagineum melle conditum. Non verò hoc in loco loqui Deum de pane communi & materiali, manifestum est, cùm frustum panis nō sit maioris æstimationis quàm torques aureus vel corona. Quare ergo Deus hoc in loco tanti hoc fecit? Nimirum de sacratissimo Corporis sui pane loquitur, sicque piam animam alloquitur: Ecce ego te, ô anima, laui aquâ quæ à latere meo profluxit: ego te sanguine meo redemi, & pretiosâ gratiæ veste indui, veste polymitâ virtutum superimpositâ. Collum tuum torque obedientiæ, aures tuas inauribus fidei, caput tuum diademate charitatis exornaui, & totum denique in te profundens amoris mei cumulum,

Rei illius figura in benedictione Iacob.

Applicatur etiam prouissio facta Ezechieli.

mulum, faciam vt similam & mel comedas, hoc est, dabo tibi corporis mei Sacramentum, vbi panis est florens humanitatis meæ, cum melle diuinæ suauitatis, omne delectamentum omnemque saporem præbens. Cùm igitur carnem suam in cibum, sanguinemque suum in potum nobis Saluator reliquerit, nihil iam superest vnde amorem suum demonstrare possit apertiùs, nihil quod communicare nobis posset excellentius, aut quod maioris dignitatis & præstantiæ esse queat: vt verè dixerit Euangelista, cùm amorem quem Christus in eius Sacramenti institutione ostendit exprimere vellet, *In finem dilexit eos.* quæ verba procul dubio innuunt, ita discipulos, totumque genus humanum, à Christo fuisse dilectos, tantaque amoris vehementia, vt vis & efficacitas eius ad vltimum & extremum beneuolentiæ terminum peruenerit, explens totam amoris sui capacitatem.

Nihil superest vltra SS. Eucharistiã homini præstandum.

Ioan. 13.

18. Et sanè, quia amoris, quem in sanctissimæ Eucharistiæ institutione Christus monstrauit, meminimus, nonnulla adiungere libitum fuit, è quibus, quantum sit in eodem Sacraméto amoris argumentum, apertiùs intueamur. Philosophorum doctrina est, amoris & bonitatis esse similitudinem, quòd appetant sui communicationem: vnde depingebant amorem nudum, quasi seipsum bonis omnibus expoliasset, habentem à zona pendens marsupium apertum, ad innuendam eius liberalitatem. Bonum item secundum S. Dionysium, S. Thomam, & reliquos, sui est diffusiuum, & comparatur Nilo, qui fluuius rapidissimo impetu in Ægypti agros irrumpit, omniaque obstacula, quò se diffundat, disrumpit, quascumque enim occasiones sibi obsistentes retundit, vt se ac sua bona communicet. Quod vt Doctores sacri in infinitâ bonitate diuina demonstrent, adducunt duplicem eius communicationem. Primam nominant *ad intra*, quâ Deus Pater ab æterno naturam suam communicauit Filio quem genuit, & vterque naturam illam communicauit Spiritui sancto qui ab vtroque procedit. Alteram vocant *ad extra*, quatenus bonitatem suam infinitam ad creaturas etiam extendit, creatis nimirum sublimibus illis ac spiritualibus Angelis, atque alijs sublunaribus creaturis, vt ex opere sex dierum in sacris Litteris videre est; quas inter tamen hominem maximè dilexit. illum enim non tantùm reliquis omnibus præfecit, verùm etiam, vt suprà vidimus, ipsemet è luto efformauit, *& inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem; ad similitudinem quippe & imaginem Dei creauit eum.* Neque his limitibus diuinus amor contineri potuit, verùm etiam familiaritatem maximam cum mortalibus Deus inire voluit, nam *deliciæ meæ*, inquit, *esse cum filiis hominum.* Sed quomodo id fiet? *Non videbit me homo, & viuet*, inquit in veteri Testamento. Vide quid adinuenerit, *& notas facite in populis adinuentiones eius.* Inuenit Primò modum quo ad nos ipse descenderet, quandoquidem nos ad eum ascendere non poteramus, *& Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, & Deus *cum hominibus conuersatus est.* Exiuit namque à Patre, & venit in mundum, *non rapinam arbitratus, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Sed quid? constat quidem hinc, Deum, in amoris indicium, nostram miseriam in se suscepisse, parum tamen hoc iuuare nos videri poterat, nisi nos suæ felicitatis faceret participes. quid enim in luto & cœno hærenti mihi prodesset, si Regis filius & ipse inuoluatur, nisi eo medio ego inde eripiar? Quare vt suprà S. Augustinus & alij docent, aliam reperimus inuentionem Christum excogitasse, vt & homines suæ diuinitatis redderet participes, videlicet cùm discessurus ad Patrem secum nos ducere voluit, vel potiùs nos se habere præsentem. Pugnabant, vt S. Augustinus loquitur, in corde Christi, tamquam in stadio, duo amores, vnus, ne Ecclesiam suam desereret, aspectu suo orbaret, aduersariorum & luporum morsibus dilaniandam relinqueret; alius, ne redemptionem differret, sed sanguinem suum quantocyùs effunderet, clausas cæli portas reseraret, & viam quâ ad æternam felicitatem perueniretur, infelicissimo humano generi non solùm commonstraret, sed & primus suo vestigio calcaret. Et hæc quidem ex superioribus eo repetita sunt, quatenus fiant clariora, & nihilominus ad præsentia seruiant. Græci in suis Epigrammatibus depingebant duos iuuenes qui nudi pugnarent, quorum alter designabat amorem virtutis, alter vitiorum: sed superato illo qui vitia propugnabat, eius arcus, sagittæ & pharetra confracta sunt. Ingeniosa quidem hæc, sed nihil ad Christum; nam duo ipsius amores sic depugnarunt, vt neuter vinceretur, vterque vinceret: inuenit enim medium hoc vt moreretur & ad Patrem ascenderet, & nihilo minùs nobiscum in terris permaneret; dum nimirum Venerabilem Eucharistiam instituit, in quâ tantum abest vt verè realiter & substantialiter nobis non adsit, vt etiam seipsum adhuc viuentibus nobis vniuerit.

Quantus Dei sit in nos amor variis exprimitur.

Genesis 1.

Hoc Lib. Cap. III.

Prou. 8.

Exod. 33.

Isai. 12.

Ioan. 1.

Baruch 3.

Philippens. 2

Quæ Capite 3. dicta non nihil latiùs exponuntur.

19. Mirabilis fuit Artemisiæ, vxoris Regis Cariæ Mausoli, erga suum maritum dilectio, quæ in morte eiusdem doctissimos atque eloquentissimos quoslibet conuocauit, amplissimisque præmiis induxit, vt demortui laudes deprædicarent. Quin eidem tam magnificum monumentum construxit, vt inter septem mundi miracula numeratũ fuerit illud Mausoleum, vel Mausoli Regis monuméntum. Tandem, nimio amore coacta, ossa eius in pulueres minutissimos redigi curauit, quos vino commixtos ebibit, vt intra semetipsam suaque viscera viuum & mobile excitaret Mausoleum. Christus Dominus, vt infinitissimum suum erga nos viles ostenderet amorem, carnem suam & sanguinem præbuit, quâ vesceremur, & quo potaremur. *Declinaui*, inquit apud Prophetam, *ad eum, vt vesceretur*, hoc est, vt S. Hieronymus interpretatur, descendi & demisi me ad humanam naturam, vt cibus hominis fierem. Et sicut in incarnatione Verbi diuini mirabilis est insitio Dei in homine, vnde Iacobus Apostolus, *Suscipite insitum verbum*: ita de Eucharistiâ Christus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Et: *Sicut me misit viuens Pater, & ego viuo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Super quod Sanctus Augustinus: *Non tamen me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.* & Sancti Pauli Apostoli affert similitudinem: *Tu autem cùm oleaster esses, insertus es bonam oliuam.*

Admirabilis Artemisiæ historia.

Mirabilius fecit Saluator.

Oseæ 11.

Lib. 3. Comment.

Iacob. 1.

Ioan. 6.

Rom. 11.

Ad

20.

Varijs modis SS. Patres vnionem Ven. Eucharistiæ exposuere.

a Orat. 21.
b In Orat.
c Lib. 4. in Ioann.

Ad quam vnionem declarandam, sancti Patres varijs vtuntur similitudinibus. a S. Gregorius Nazianzenus dat tres similitudines; stillæ aquæ mutatæ in copiosum vinum, ferri igniti, & aëris Sole illuminati. b S. Gregorius Nyssenus comparat fermento totam massam peruadenti. c S. Cyrillus Alexandrinus comparat ceræ, quæ liquefacta cum aliâ cerâ vnum efficitur. Vnde & videtur Christus id facere pro se amando, quod facere solent qui philtra & amatoria pocula præbent. Sanctus item Thomas de Aquino nostram cum Christo in sacrosanctissimâ Eucharistiâ vnionem sic deprædicat: *Quidquid adiungitur naturæ superiori, purificatur & nobilius fit.* Vnde S. Ioannes Chrysostomus: *Manduca me, vt magna fiat commixtio, temperies & vnio.* & alibi ita explicat vnionem: *Nos, vt ita dicam, non solùm fide, sed reipsâ suum corpus efficit.* Et Cyrillus Alexandrinus: *Non negamus; rectâ nos fide, charitateq; sincerâ Christo specialiter coniungi, sed nullam nobis coniunctionis rationem secundùm carnem cum illo esse, id profectò pernegamus, idq; à diuinis Scripturis alienum dicimus.* Quod posteà confirmat, cùm ait: *Considerandum est, non habitudine solùm quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verùm etiam & participatione naturali.* S. Augustinus quoque: *Caro quia erat peccato obnoxia, & ideo mortua, carni eius vnita & incorporata, vnumq; cum illo effecta, viuit spiritu eius, sicut viuit corpus de spiritu suo.* Iterùm S. Ioannes Chrysostomus: *Non solùm per dilectionem, sed re ipsa in illam carnem conuertamur per hunc cibum*, &c. Denique S. Thomas: *Magnum quidem fuit, Christum Dominum seipsum in peregrinationis nostræ seruum dedisse, magis verò in pretium redemptionis; hoc tamen Domini mysterium adhuc est in aliquâ separatione ab eo: cui autem datur in cibum, datur non ad aliquam separationem, sed ad omnimodam vnionem; vnitur enim in vnitate corporis.* Verè ergo cum Apostolo hic exclamare possumus: *Viuo ego, iam nō ego, sed viuit in me Christus.* Et, *Mihi autem viuere Christus est, & mori lucrum*, cum eodem. *Agnosce* ergo, dicamus cũ S. Leone Magno illo Catholicæ Ecclesiæ Pastore, *ô Christiane dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, [illegible]i in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire. Memento cuius capitis & cuius corporis sis membrum: reminiscere, quòd erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & regnum.*

In c. 18. Actorum.
Homil. 55.
Homil. 45.
Lib 4. in Ioann.
Refertur de consecr. dist. 2.
In Matth. xũ.
In Opusc. de Sacramento altaris.
Galat. 2.
Philipp. 2.
Serm. de Natiuit.

21.

S. Eucharistia pro defunctis vis & valor nonnullis similitudinibus explicatur.

Vt verò hinc non minorem in præsenti circa defunctos materiâ fiduciam concipiamus, tanti Sacramenti pro mortuis efficaciam similitudinibus nonnullis illustrare conabimur. Sanctus ergo Ephræm in Testamento suo de illis loquens officiis, quæ post mortem à suis pro se fieri exposcebat, ita scripsit: *Comitamini me in psalmis atq; orationibus vestris, & assiduè pro mea paruitate oblationes facere dignemini: & quando diem trigesimum compleuero, mei memoriam faciatis; mortui enim in precationibus atque oblationibus, commemorationis Sanctorum viuentium beneficio afficiuntur. Et videte in rebus etiam creatis singulis aliquid simile. Veluti germen vitis, racemusq; in agro, & vinum expressum in doliis est atque in ædibus. Quando igitur racemus in vite maturuerit, tunc vinum agitabitur, & de suâ quodammodò naturâ recedet, quamuis immotum domi esse videatur. Similiter & de cepâ intelligite. Cùm enim in domo fuerit aliqua arida, & aliqua in agro sata, eodem tempore quo hæc viriditatem suam explicat, etiam illa domi arida germinat. Si igitur creaturarum fœtus sic inter se consentiunt, quantò magis mortui in viuentium commemorationibus atque oblationibus recreabuntur? Quòd si mihi scitè respondeas, hæc naturam rerum creatarum sequi; intelligas te esse primitias quasdam creaturarum Dei. Quòd si adhuc non te simile conuincit, nisi testimonium quoque adduxero; audi patienter quæ scripta sunt, &, si volueris, prudenter etiam intelliges quæ dicuntur. Seruus Dei Moyses in benedictionibus nónne Ruben ad tertiam vsque generationem benedixit? Si ergo non redimuntur mortui, quâ de causâ Ruben vsque ad tertiam generationem benedixit Moyses? Et si non est resurrectionis memoria, audi quid clamet Apostolus, dicens: Si omnino mortui non resurgunt, cur & baptizantur pro mortuis? Qui enim erant sub Lege, ad expectationem resurrectionis in mysterio detinebantur conclusi in eam fidem quæ reuelanda erat. Sicut legistis, quòd in oblationibus Sacrificiorum Sacerdotes in Lege mundabant etiam eos, qui suis iniquitatibus in bello vulnerati erant; pleni enim operibus iniquitatis, & iis quæ scripta sunt tenebantur. quantò autem magis noui Testamenti Sacerdotes Christi delere merito poterunt debita eorum qui decedunt, in sanctis oblationibus & precationibus linguarum suarum.* Sic ille.

Homil. 21. in Acta.

Eucharistia est Christi triumphus, in quo omnia ergastula exonerantur.

D. Ioannes item Chrysostomus loquens de effectu quem defuncti ex Sacrificio Missæ consequuntur, *Quando enim*, inquit, *Regum trophæa statuuntur, tum celebrantur & quicunque victoriæ socij fuerunt. Dimittuntur autem qui sunt in vinculis per illud tempus. Vbi autem transierit tempus hoc, qui nihil assecutus, nihil obtinet. Ita & hic* (in celebratione nimirum mysteriorum) *trophæorum & celebrandæ victoriæ tempus est.* B. verò Cyrillus Ierosolymitanus, cùm in Catechesi 2. dixisset in altari memoriam fieri defunctorum sub tremendo Sacrificio, rem hac similitudine declarat. *An*, inquit, *si Rex eos à quibus offensus est in exilium pepulerit, posteà verò illorum propinqui coronam aliquam conficientes, pro his qui sunt in supplicio exulibus eidem offerrent, nónne condonationem aliquam suppliciorum ipsis daret? Ad eumdem modum & nos pro defunctis precationes adhibentes, quamuis sint peccatores, non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, & vt nobis & illis eum qui est benignissimus propitium reddamus.* His non absurdè illud exemplum adiungere possumus, quod in Vitis FF. Prædicatorum legitur in hæc verba:

Cyrill. Catech. 2.

Est corona, cælesti Regi pro exulum in Purgatorio liberatione oblata.

Frater Iuo, natione Brito, quondam Prior Prouincialis in Terrâ sanctâ, humilis, gratiosus, & deuotus, semel post Matutinas erat in Ecclesia orans. Cumq; eleuasset oculos versus lampadem chori, vidit vmbram quasi Fratris stantis, in habitu sordido & peregrino. Cumq; quæreret quis esset, respondit: Ego sum Frater talis, qui nuper obij, & viuens tibi speciali sui amore adstrictus. Et quærente F. Iuone quomodo sibi esset, respondit: Malè & durè; in durissimâ pœnâ esse debeo per quindecim annos. Cumq; quæreret ab eo, quare tamdiu & tam durè deberet puniri, qui tam religiosè, & deuotè, & feruenter vixisset, respondit: Non quæras quare, quia secundùm iudicium Dei, quod æquissimum est, benè merui tantam pœnam, sed rogo te vt mihi subuenias. Quod se libenter pro viribus facturum promisit. Cumq; dies illuxisset, cœpit dictus F. Iuo pro prædicto defuncto offerre Deo hostiam salutarem. Cumq; iam hostiā consecratam teneret in manibus, cœpit rogare Dominum quasi sub his verbis: Domine Iesu Christe, si Sol- 22.

Lib qui dicitur Vitæ FF. Prædic. p. 5. c. 4.
Spec. exemp. Tit. Defũcti. Exemplo 15.

Vnâ Missæ Sacrificij oblatione liberatur, qui quindecim annis in Purgatorio hærere debuisset.

danus

danus Babylonis teneret vnum captiuum in vinculis, & camerarius eius qui viginti annis seruiuisset ei, quando surgeret, quando intraret lectum, pro seruitio suo dictum captiuum peteret dari, Soldanus ei de facili non negaret. Domine, non es durior Soldano Saracenorum. Camerarius tuus sum, adstiti tibi iam per multos annos, & deuotè seruiui. Tenes quasi captiuum illum dilectum fratrem meum; igitur pro seruitio meo peto illum mihi dari à clementiâ tuâ. Cumq; verba ista cum multis lacrymis iam non semel tantùm, vel bis, sed pluries inculcasset, post multas lacrymas Missam finiuit. Sequenti verò nocte stans in Oratione post Matutinas, dictum Fratrem vidit stantem ante se in habitu candido & praeclaro: quaesiuit ab eo quis esset. Qui respondit: Ego sum Frater qui apparuit tibi heri. Cumq; quaereret ab eo quomodo ei esset; respondit: Benè per gratiam Dei, petiisti enim me à Domino, & dedit me tibi, & iam liberatus à Purgatorio, vado ad societatem spirituum beatorum. Et hoc dicto, statim disparuit.

23\. Sed & aliud exẽplum aequè illustre audiamus. *Cùm S. Ioannes de Aluernâ celebraret Missam in Commemoratione omnium defunctorum, obtulit cum tanto charitatis affectu & compassione illud altissimum Sacramentum, (cuius efficaciam super omnia suffragia desiderant animae defunctorum) quòd liquefiebat totus in dulcedine pietatis, & mellifluâ dilectione supernâ. Quando ergo in dictâ deuotâ Missâ Corpus Domini sanctissimum leuaret in altum, offerens illud Deo Patri, vt amore illius qui in cruce pependit, animas illas ab ipso creatas & etiam redemptas, de carcere misericorditer liberaret, vidit quasi infinitas animas de Purgatorio egredi, quasi multitudinem scintillarum de ignitâ fornace prodeuntium, & vidit illas ad caelestem patriam aduolãtes, propter merita Christi, qui pro humanâ salute in cruce pependit.* Neq; hoc mirandum est, si charitatẽ illam inspiciamus, quâ seipsum nobis in Eucharistiâ Christus cõmunicat. Videri hoc inter cetera potest apud S. Gertrudem Saxonicam, quam Christus hoc modo allocutus fuisse refertur: *Post sumptam Communionem, dum ad intima se recollegisset, exhibuit se illi Dominus in specie pellicani, sicut depingi solet, rostro transfodiens cor suum. Quod cùm illa admirans diceret: Quid mihi, Domine mi, per similitudinem niteris persuadere? Dominus respondit: Vt consideres, quàm inaestimabilibus amoris stimulis propulsus hoc tam praenobile donum porrigo: quòd si incongruum non esset ad dicendum, post hoc donum magis eligerem mortuus remanere, quàm hoc donum ab amante animâ continere. Insuper etiam consideres, quàm excellenti modo anima tua sumpto hoc dono viuificatur in vitam aeternaliter permanentem, sicut cùm pullus pellicani viuificatur ex sanguine cordis paterni.* Et infrà: *Item cùm die quodam in praedicatione sermo de diuinâ iustitiâ protenderetur, illa eo modo intendebat, quòd expauescens trepidaret accedere ad diuina Sacramenta. vnde à benignitate Dei his verbis est animata: Si negligis interioribus oculis benignitatem meam attendere tibi multiplicibus modis exhibitam, respice saltem corporalibus oculis; intuere quàm paruâ pixide conclusus tibi obuiàm procedo, & scito pro certo, quòd rigor iustitiae meae ita plenè conclusus est mansuetudine misericordiae meae, quam in exhibitione huius Sacramenti erga genus humanum dignanter praetendo.* Et pòst: *Item vice aliâ, horâ simili, nec dissimili inductione, ad degustandam suae suauitatis dulcedinem diuina pietas allexit eam his verbis: Attende minutam formulam substantiae illius, in quâ totam Deitatem & humanitatem meam tibi exhibeo, & confer quantitatem illius cum quantitate humani corporis, & inde aestima dignationem benignitatis meae: quia sicut humanum corpus excedit in quantitate corpus meum, id est quantitatem speciei panis sub quâ est corpus meum, sic misericordia & charitas mea trahit me in hoc Sacramento, vt sinam amantem animam aliqualiter praeualere mihi, sicut corpus humanum in quantitate corpus meum.*

Antonin. p. 3. tit. 24. c. 8. §. 15. ex Chronico Minorum. Spec. Exẽpl. Tit. Defũct. Exemplo 14.

Infinitae animae vnicâ Sacrificij oblatione poenis absolutae fuerunt.

Insinuat. li. 3. c. 17.

Christus in pellicani figurâ se B. Gertrudi Saxonicae exhibet: ad demonstrandum quãto amore in Eucharistiâ erga humanum genus feratur.

Quòd Christus ad tãtas angustias se coëgerit, vt sub paruâ admodum figurâ nobis se tradat, amoris immensissimi opus est.

24\. Sed longè tamen est mirabilius, quod in eodem libro scribitur, Christum Dominum nostrum summum Põtificem huic sponsae suae (dum adhuc in corpore viueret) Missam decantasse, eique sacram Communionem tradidisse, vt nobis hinc per varias similitudines insinuaret, quòd quotidie seipsum Patri pro fidelibus suis offerat in caelis, quoties per Missarum Sacrificia eidem Patri aeterno immolatur in terris. Cumq; reuelatio illa diuina prolixior sit quàm vt totam hic èam adscribere possimus, tria tantùm ex eâ adducturi sumus, è quibus quid de reliquis sentiendum sit colligere poterimus. *Cum igitur ad Sacrificij oblationem peruentum fuisset, cantatum est ab vniuersâ caelestium turbâ, Domine Deus in simplicitate: adiuncto, Sacrificauit Moyses; quod dum cantaretur, factum est, vt cor Domini Iesu vnice dignissimum de pectore suo visum sit prominere in similitudinem aurei altaris, ignifero splendore mirificè rutilantis, vnde tunc aduolantes omnes Angeli, qui in ministerium hominum erant deputati, super altare illud Dominici corporis obtulerunt cum ingenti gaudio viuentes aues, per quas figurabantur omnia bona opera, & orationes à sibi commissis peracta. Deinde omnes Sancti accedentes, singulatim sua merita offerebant super idem altare Domino suo in laudem aeternam, & ad salutem animae ibi praesentis.* De consecrationis verò ritu & circumstantiis postmodùm sequitur: *Quo finito,* (Sanctus videlicet & cetera) *Dominus Iesus verus Sacerdos & Pontifex summus de solio suo Imperiali exsurgens, videbatur cor suum beatissimum, quod in similitudine aurei altaris comparuit, propriis manibus eleuando, Deo Patri praesentare, se quemetipsum tam ineffabili & inaestimabili modo pro Ecclesiâ suâ immolare, quòd nullius creaturae dignitas ad hoc comprehendendum valet, saltem aliquatenus adspirare. In ipsâ verò eadem horâ, quâ Filius Dei diuinum cor suum obtulit Deo Patri, pulsabatur campana ad eleuationem Hostiae in Ecclesiâ, sicq; factum est, vt vno eodemq; momento Dominus hoc perficeret in caelis, quod per Sacerdotis ministerium agebat Ecclesia sua in terris, ipsâ penitus ignorante quaenam esset hora, aut quid caneretur in Missâ. Cumq; anima in admiratione tam incomprehensibilis operationis diuinae multum delectaretur, innuit ei Dominus, vt legeret Pater noster in vnione illâ quâ eadem Oratio in dulcissimo corde suo multo tempore fuit dulcorata, & ad salutem omnium fidelium ex maximo affectu prolata. Quod cùm illa legens complesset, Dominus hoc ab eâ gratissimè suscipiens, omnibus Angelis & Sanctis per talem eius effectum donauit, quòd cum illo Pater noster perficerent omne quod vnquam per aliquam orationem perficere potuissent, ad salutem totius Ecclesiae, & etiam fidelium defunctorum.*

Insinuat. li. 4. cap. vltim.

Ipsemet Christus Missam decantans apparet, vt semet quotidie Patri suo pro fidelibus offerre se demonstraret.

25\. Conueniẽtissima profectò haec sunt proposito nostro, qui sacrosancti Missae Sacrificij oblationẽ mortuis, quò à poenis Purgatorij liberentur, prodesse probatum volebamus: sed quae praetereà de sumptione ipsius sacrę Cõmunionis eadem temporis instantiâ viderit B. Gertrudis, hîc non negligenda. *Tunc illa,* pergit Auctor illius libri: *Eia mi Domine, quae iam debet esse Communio? Cui Dominus*

Quid de venerabilis Eucharistiae sumptione viderit S. Gertrudis.

blandè respondit: Hoc nō solùm aure percipies cordis, sed etiam in omnibus medullis animæ suauiter persenties. Et aduocans eam ad se, & in sinu suo delicatis eam stringens amplexibus, & osculis prædulcibus demulcens, tātâ dignatione ipsam suæ Diuinitatis virtute mirabiliter penetrando influxit, eamq; vice versâ reintrahens, & in se transmutans, secumq; vnum efficiens beatificauit, quātum possibile creditur hominem fragili carne granatum experiri posse. Et sic in tali vnione ipsam etiam Sacramentaliter sanctissimi Corporis & Sanguinis sui perceptione sibi coūniuit. Cumq; communicata esset, tunc Cantor cantorum, imò zelator ardentissimus suorum dilectorum, penetratiua sonoritate inchoauit: Ecce quod concupiui iam teneo, illi sum iunctus in spiritu, quem in terrâ positus totâ sinceritate dilexi; in illo verbo, in terrâ positus, palàm protestatus, quòd omnes labores, tribulationes & aduersitates quas pertulit in terris, adeò singulariter pro salute huius animæ perfecit, quòd si nullum alium totius suæ sanctissimæ Passionis & amarissimæ mortis potuisset obtinere fructum, satis sufficienter iudicaret sibi satisfactum in tam praexcellēti vnione, quam illâ horâ perfecerat in istâ animâ. O inæstimabilis diuinæ dignationis suauitas, quæ tam auidè desiderat delectari in anima humanâ, quòd omnem suæ dignissimæ Passionis & mortis dolorem iudicet recompensatum ex vnione vnius, cui tamen iustissimè pro vnâ guttâ sui pretiosissimi Sanguinis iure obligatur totus mundus! Sic apud Auctorem illum.

26. Quamuis verò hæc abundè sufficeret, vt firmiter credamus, indubitanterq; confidamus, per sacrosanctum Missæ Sacrificium defūctos adiuuari, tamen vt insuper pateat, quàm ingētes gratiarum gazas hoc in Sacramento Saluator recondiderit, aliquantulum in illâ tractatione persistamus. Etsi ergo verum sit, in singulis operibus Dei refulsisse simul bonitatem, sapientiam & omnipotentiam (prout antè diximus, Deo Patri tribui omnipotētiam, Filio sapientiam, & Spiritui sancto bonitatem) in duobus tamen præ ceteris omnibus singulariter illa ipsa insigniùs emicāt, Verbi inquam diuini Incarnatione & sacrosanctissimæ Eucharistiæ institutione: & si inter hæc ipsa duo comparationem facere velimus, reperiemus, illā ab hac, Incarnationem scilicet ab Eucharistiâ, admodum differre, & tria quæ diximus diuinæ naturæ attributa, in hac longe diffusiùs emicare. De bonitate quidem si loquamur, cui proprium est, secundùm Philosophos & Theologos, semetipsā cōmunicare aliis, quamuis non diffitear, quod Deus per Incarnationē multùm se homini cōmunicauerit, in hoc tamē nempè Eucharistia ampliorē diuinæ bonitatis cōmunicationem demōstrat, quòd ibi solū vni, Christi scilicet humanitati se permiserit, hic verò omnibus vniuersim hominibus, vt meritò D. Ioannes Chrysostomus alicubi Eucharistiæ Sacramētum *Incarnationis extēsionem* appellauerit, eò quòd Incarnationis mysterium in solo Christo terminū habuerit (quia diuinitas nulli alteri vnita fuit) in hoc verò mysterio adeò se dilatauerit atq; intēderit, vt in singulis quodāmodò incarnari, totus esse in omnibus, vnaq; & eadem res cum illis velle fieri videatur. Quis etiam abnuat, quin tunc magis vera bonitas resplēdeat, quādo in sui communicatione expensas facit ampliores; vbi nimirū vera elucet magnificentia. Verè hic summa quædam diuinitatis apparet magnificētia, dum ad SS. Eucharistiæ institutionem ingentes & incōparabiles illos sumptus impēdit, sanguinis & vitę propriæ profusionē. Volebat scilicet mortis suæ memoriam in hoc Sacramēto insculpere, quod primùm in pane, deinde in vino fecit separatim, vt Christi corporis & animæ separatio significaretur. Verè Dauid olim dixit, *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentiâ*; quoniam magnæ virtutis est vox illa Saluatoris, quæ panem in carnem transmutat; vox est magnificentiæ, quæ corpus, sanguinem, diuinitatem, animam, ipsamque personam eius, cum totâ beatitudine & vitâ sempiternâ, nobis communicat.

Licet in omnibus Dei operibus eluceant Dei opera, maximè tamen in Eucharistiâ.

Videlicet bonitas diuinâ.

Psal. 28.

27. Sapientiam quoque hoc in mysterio abundantissimè eminere, probatu est facillimum. Dare voluit nobis comedendam suam carnem, & sanguinem suum ad potandum: at quis nescit, carnem comedere humanam, & sanguinem bibere humanum, esse rem non solùm horribilem, sed & omnibus omnium gentium sapientibus, beneq; institutis nationibus semper vel maximæ fuisse detestationi? Hinc non nisi extremâ fame cogente, & hoste ciuitatem vel arcem obsidente, ad humanæ carnis comestionem (Scythas & barbaros excipio) adigi potuerunt homines, vt variæ idipsum testantur historiæ: vt propterea ratio naturalis abhorreat, lex prohibeat, consuetudo auersetur, & nemo non odio prosequatur. Iam tu mihi considera summam & excellentissimam Saluatoris nostri sapientiam, quæ adeò nostrum in commodum atque emolumentum est ingeniosa, vt modum adinuenerit, quo, absque horrore, carnem humanam comedamus, & sanguinē bibamus. Carnem ergo suam, ne inde nauseam concipiamus, intra panis accidentia, & sanguinē intra vini species conclusit, adeoq; omnem crudelitatis & barbariei speciem exclusit, huncq; esum & potum inter pietatis & religionis nostræ opera retulit, carnemq; illam manducantibus & sanguinem bibentibus vitam promisit sempiternam. Quin tu, Lector, & aliam eminentissimę sapientiæ cape speciem. Vnde enim generis humani aduersarius mortem intulerat, inde nobis Christi sapientia vitam attulit, inobedientiæ opponens obsequium, liguritioni temperantiam, escæ mortiferæ alimentum salutare, morti denique immortalitatem. Non possum, quin ex historiis, quod nostrum institutum haud parum illustrare videtur, Lectoris in gratiam proferam. De Protogene scribitur, eum (erat enim eximius admodum pictor) aliquādo Apellis officinam ingressum, vt eum officij causâ inuiseret atq; salutaret, eo non inuento, subtilissimæ ab Apelle formatæ lineæ aliam alterius coloris superinduxisse, dixisseque Apellis ministris, Dicite Apelli dum domum redierit, quæsitum se fuisse ab eo qui hanc lineam sua superinduxit. Apelles paulò post domum reuersus, lineamque intuitus, Protogenis artificium agnouit, sumptoque penicillo, eam quam Protogenes formauerat, inductâ tenuiore diuisit, maximo adstantium stupore, cùm supra omnem artem visum fuisset, subtiliorem eâ quæ à Protogene efformata erat, ducere. Applico iam hoc meo proposito. Deus hominibus quondam reuelauerat triangularem, vt ita loquar, Trinitatis & vnius diuinitatis lineam. volens verò sapientiam suam ostentare is qui æqualis est Patri, lineam hanc, inductâ aliâ alterius coloris, intersecauit; dum nimirum se *exinaniuit*, in Verbi personâ *formam*

Sapientia diuina.

Pulchra de Apelle comparatio.

mam serui accipiens, quæ media est inter diuinam & humanam. Quis iam hanc lineam aliâ subtiliore discerneret? Vt ergo ampliùs & mirabiliùs sapientiæ suæ thesauros aperiret, lineam hanc, personam scilicet Verbi humanitate indutam, etsi linea esset (vt mihi sic loqui permittatur) indiuisibilis & subtilissima, ductu alterius lineæ subtiliori, mysterio nimirum mirabiliore diuidit atque intersecat, sine aliquâ prioris offensione, relinquens eam integram quoad propriam substantiam, diuidens tamen quoad Sacramentum: siquidem virtute verborum quibus panis consecratur, tantùm adest Christi corpus, & verbis Calicis solus adest sanguis, etsi per naturalem (vt Theologi loquuntur) concomitantiam integrum vtrobique & perfectum Christi corpus existat.

28. *Elucet etiam omnipotentia Dei hoc in Sacramento.* Iam omnipotentia diuina quomodo hoc in mysterio suas etiam partes habeat, breuiter demonstrandum est. In hoc nimirum Sacramento accidentia sustentantur sine aliquo supposito illa suppositante aut subiecto sustentante. Nam licet Christi corpus panis & vini substantiæ succedat, non tamen adest vt illorum subiectum, verùm ipsam panis & vini quantitatem, cui reliqua adhærent accidentia, sine aliquo subiecto Deus effectiuè sustentat, non minore firmitate eius, quàm si proprio & naturali supposito niteretur. Pergo. Quid carne & sanguine humano est imbecillius? & tamen hoc in Sacramento omnipotentia Christi tantum effecit, vt per carnem & sanguinem spiritui præbeatur fortitudo & vita: vt quemadmodum carni ab Adamo propagatæ anima infusa tactu carnis inficitur & maculatur, sic anima nostra tactu purissimæ carnis Christi reddatur pura, sancta, & æternæ vitæ particeps. Cùm enim diuinum Verbum (in *Psal. 35.* quo est fons vitæ) sit Christi carni vnitum, virtutem carni eius communicat, vitam dandi eam manducantibus, prout S. Cyrillus testatur. *Li. 4. in Ioan. c. 12. & 14.* *Viuificatiuum*, inquit, *Dei Verbum vniens seipsum propriæ carni, fecit ipsam viuificatiuam.* & posteà; *Cap. 14.* *Si enim mel, cùm naturaliter dulcescit, ea dulcia facit quibus immiscetur; quantò magis viuifica Dei natura dedit homini, in quo habitat, viuificandi virtutem?*

29. *D. Thomas in Eucharistiâ ostendit inueniri quasi decem Prædicamenta mirabilia.* Sed & D. Thomas per decem suprema rerum genera, quæ Dialectici Prædicamenta appellant, discurrens, longam nectit catenam mirabilium, quæ in singulis illorum resplendent circa Sacramenti huius fidem, & quæ illam reddere possunt faciliorem. Breuiter nos quæ huc facere possunt excerpemus. In Prædicamento *substantiæ* considerare possumus mysterium transsubstantiationis, quo tota panis substantia in carnem, & tota vini substantia in Sanguinem Christi conuertitur. Quod vt faciliùs credas, perpende quomodo vxor Lot in statuam salis sit trans- *Genes. 19.* mutata, quomodo Moysis virga in serpentem, *Exod. 7.* quomodo aqua in vinum: considera quomodo *Ioan. 2.* cibus & potus, quo quotidie aleris, mediâ virtute caloris naturalis in carnem & sanguinem tuum transformatur; quomodo vapores è terrâ in aërem surgentes in aquam, & posteà in alios vapores, nonnumquam etiam in parua animalcula & insecta formantur. Sed quòd corpus Christi sub paruâ Hostiæ particulâ, corpus inquam tantæ proceritatis & staturæ, quantam iam habet in cælo dum sedet ad dexteram Patris, sub tantillo corpusculo contineatur, miraris & prodigij instar habes: considera quomodo è Virgine matre suâ, absque virginitatis eius læsione, natus sit, quomodo non amoto lapide è sepulchro egressus, *Marci 16.* & quomodo ad discipulos clausis ianuis ingressus fuerit: *Ioannis 20.* considera quomodo anima tua tota toti corpori & singulis eius partibus infusa sit; quomodo pupilla tua, licet parua, visibili specie montium, ciuitatum, turrium, &c. magnitudinem intra se comprehendat. Taceo quæ humana industria adinuenit, de quibus consulendi sunt Historici. In Prædicamento *qualitatis* considerare possumus, quòd in hoc Sacramento abscondatur corpus Christi cum omnibus suis gloriosis qualitatibus, pulchritudine, claritate, splendore, atque aliis ornamentis, solumq; detegatur & sensibus exhibeatur Hostiæ figura, odor & sapor, quæ sunt accidentia substantiæ in Christi corpus conuersæ, sine subiecto ibi subsistentia. Hoc vt faciliùs credas, expende quomodo Christus in monte Thabor gloriosus appa- *Matth. 17.* ruerit in corpore mortali; post resurrectionem *Ioan. 20.* verò in corpore glorioso velut habitu peregrini aut hortulani: considera quomodo sol pallidus, luna rubicunda & sanguinea; baculus rectus aquis immersus appareat fractus, & nummus similiter in aquâ maior quàm reuerà sit; quomodo cibus, qui in se est dulcissimus, ægrotantis palato sit acerbus. Quòd si præstigiatores & magi ope diabolicâ efficere possunt vt res, quæ alia est, alia appareat, vt nimirum virga repræsentet viperam, capilli angues; tu omnipotentiam diuinam minùs posse arbitraberis? In Prædicamento *relationis* considera, quòd eadem consecrationis verba ad vnam & simul quoq; ad innumerabiles alias hostias dirigantur & referantur. Hoc ne tibi incredibile videatur, expende, quod visus tuus, vno oculorum intuitu res procul positas, diuersas atque plurimas attingat; quòd vnus Magister vnâ eademq; voce plures discipulos doceat. In Prædicamento *actionis* considera quòd hoc Sacramentum sit viuificans & animam ad vitam æternam corroborans, simulque animi nostri famem expleat, quod ne absurdum putes, expende quomodo panis, quem Angelus dedit Heliæ, eúdem interiùs & exteriùs refecerit & roborauerit, vt ad môtem vsque Horeb, longissimo quadraginta dierum itinere, absq; alio cibo vel potu proficisci potuerit. In Prædicamento *passionis* considera, quòd dum Hostia in varias particulas frangitur, corpus Christi non patiatur fractionem. Ne hic hæsites, *Fusa prædicatorum explicatio.* expende, quòd vno fracto speculo, in quo integrum vultum intuemur, plures eiusdem vultus repræsententur imagines, nec tamen proinde hominis vultus, qui in iisdem repræsentatur, aliquam dissectionem patiatur. In Prædicamento *vbi* considera, Christum simul in cælo & in Hostiis innumerabilibus, diuersisq; ac remotissimis in regionibus esse præsentem. Ne hic diffidas, expende conceptionem mentis, quæ in vocem externam emissa, ab intellectu loquentis non recedit, & tamen in aures plurium auditorum penetrat; expende item, quomodo anima rationalis omnes ac singulas humani corporis partes informet, & tamen à principaliore suâ sede non recedit. In Prædicamento *quando* considera, hoc Sacramentum ab exordio nascentis Ecclesiæ

vsque in hodiernum diem durasse, & duraturum vsq; in finem sæculi, absq; vllâ sui diminutione & detrimento. Minùs assentiris? expende quomodo farina & oleum, quibus vidua illa Prophetam
3. Regum 17. Ioan. 6. Heliã pauerat, non defecerint; quomodo quinq; illi panes, quibus Dominus quinque hominum millia pauit, augmentati adhuc fuerint; & quomodo lux lucernæ non minuatur, quantumuis plurimæ aliæ de eâ lucernæ accendantur. In Prædicamento *situs* (per quod certa corporis positio & loci occupatio notatur) considera duo: primum, quòd in hoc Sacramento Corpus Christi non habeat situs positionem: nam quamuis sit quantum in hoc Sacramẽto, illud tamen est non per modum quantitatis, sed per modum substantiæ. Alterum, quòd Christus in cælo empyreo sit eâ loci positione, quæ omnium perfectissima est, videlicet stans & quiescens. Sin dubitas, expende quomodo quiescat ille, qui in naue velocissimè à ventis actâ vehitur, & quomodo anima in dextero brachio sursum sublato moueatur & surgat, in sinistro verò non moto quiescat. Denique in Prædicamento *habitus* considera, quòd Deus non solùm velauerit faciem suam amictu humanitatis, *habitu nimirum inuentus vt homo*, sed etiam panis & vini tegumento se induens, panis albedine, vinique rubore, quo eum colore vestitum vidit Sponsa, cùm dixit: Sponsus meus candidus & rubicundus. Sed & alia mysteria, quæ hoc in Sacramento velut in reconditissimo thesauro sunt reposita, nobis explicanda sunt.

Philipp. 2.

Cant. 5.

30. *In Eucharistiâ omnis meritorum Christi thesaurus, & omnia eius pro humani generis restauratione gesta continentur, imò superantur.* Psalm. 110. Psal. 28.

Quapropter vt Saluator noster è Missæ Sacrificio, quo nos sibi arctissimè copulat, atque adeò cunctorum meritorum suorum participes facit, homines, ex hac vnione pro aliis quoq; fidelibus, defunctis æquè ac viuis, quod petunt impetrandi amplius idoneos reddat, vniuersum meritorum mysteriorumque suorum compendium, Eucharistiæ Sacramentum, in Ecclesiâ Catholicâ proposuit; verè vt illa Psalmistæ verba, *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se*; & illa, *Circumdabo altare tuum, vt audiam vocem laudis tuæ, & enarrem vniuersa mirabilia tua*, huc accommodare possimus. Inter ergo infinita Christi Domini facta, septem præcipuè seligemus, quorum primum est *Creatio*, de quâ dicitur quòd Verbo suo Deus fecerit omnia, quod idem de Eucharistiæ consecratione affirmant S. Basilius, & Innocentius III. qui panis in corpus Christi conuersionem, mirabilem vocant *creationem*. D. Thomas, *Conuersio*, inquit, *panis in corpus Christi, quantum ad aliquid conuenit cum creatione: nam licet fiat transsubstantiatio, tamen ex vi fit creatiuâ, quoniam aliquid desinit, & aliquid creatur.* S. Ambrosius: *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt. Ergo tibi vt respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi quia est corpus Christi. Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt. Quia maius omnino est quod fit in consecratione Missæ, quàm creaturarum omnium ex nihilo productione*: quoniam, vt S. Augustinus ait, *Ille qui creauit me sine me, creatur mediante me; & ille qui ex nihilo cuncta creauit sine me, si fas est dicere, dedit mihi creare se.*

Creatio:

Basilius l. 4. de Sacramentis. Innocent. III. lib. 4. *quia Christi corporis productio vi perficitur creatiuâ.* Ambros. de Sacrament.

Augustinus de Dignitate Sacerdotum.

31. *Incarnatio:*

Alterum eius opus est *Incarnatio*. Quemadmodum in illâ, accedente Verbo Dei ad Virginis carnem, Verbum caro factum est, ita S. Augustinus inquit, *Accedit Verbum ad elementum, & fit Sacramentum*. Et sicut ex vnione carnis & Verbi, Deus factus est homo, sic etiam ex coniunctione Eucharistiæ cum homine, fit homo Deus. Vnde B. Virgine Gabrielem Archangelum interrogante, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* ei respondit: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Eodem modo S. Ioannes Damascenus de Transsubstantiatione loquitur. *Si quis*, inquit, *interroget, Quomodo panis fit corpus Christi? respondeo: Spiritus sanctus obumbrat, & hoc operatur.* Optimè ergo D. Augustinus: *O veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in vtero Virginis, Filius Dei incarnatur.* Imò per Eucharistiæ consecrationem Incarnatio excedi videtur, quoniam ibi vna solùm Diuinitatis persona, hic omnes tres simul operari videntur. *O caleste mysterium*, inquit S. Augustinus, *quod per vos, Sacerdotes videlicet, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus tam mirabiliter operatur!* D. verò Ioannes Euangelista per Eucharistiam nobis totam SS. Trinitatem communicari asseruit, cùm ex Veritatis ore prodiisse annotauit illa verba, *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

quia per illã homo Deus vnitur. Luc. 1.

Damascenus lib. 4. c. 14. Augustin. de Sacerdotum dignitate.

Ibidem.

Ioan. 14.

32. Tertium Saluatoris opus, cuius mysterium in Eucharistiæ consecratione quasi in compendio elucet, est *Natiuitas*, cuius & tempus & reliquæ circumstantiæ cum Eucharistiâ optimè conueniunt. Nam vti de Christi natiuitate Sapiens prophetauit, *Cùm quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cælo à regalibus sedibus prosiliuit*; ita D. Paulus etiam de Eucharistiâ scribit: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in quâ nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Item sicut Christus prodiit de vtero Virginis, ita hìc de substantiâ panis. Videatur S. Thomas. Tertiò, sicut ibi in præsepio angustus, ita hìc in Hostiâ paruus. Quartò, illic in Bethleem fuit, id est in domo panis, hic verò inuenitur in accidentibus panis. Ibi porrò pannis inuolutus, hic speciebus. Rursus in Natiuitate Angelus, *Annuntio*, inquit, *vobis gaudium magnũ, quia natus est vobis hodie Saluator*; in Eucharistiâ verò: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Excedit autem Natiuitatem Communio, quòd ista hominibus Christum cõmunicet corporaliter, & pro externâ solùm conuersatione, hæc verò spiritualiter, & ad internam contrahendam, intimamq; seruandã familiaritatem.

Natiuitas Sap. 18.

1. Cor. 11. *quia Christus ibi ex Virgine, hic ex panis substãtiâ prodit.* D. Thom. 3. q. 75. art. 8.

Luc. 2. Ioan. 1.

33. Quartum est *Circũcisio* Dominica, in quâ Christi innocentiâ tegitur, ipseque velut peccator circũciditur: ita in hoc Sacramento Christus à mundo quasi absconditur, & creatura insensibilis secundùm hominem reputatur. Quemadmodum item in Circumcisione Iesu nomen imponitur, ita, inquit D. Thomas, *in hoc Sacramento totum mysterium nostræ salutis comprehenditur*; vnde Secreta Dominicæ 9. post Pentec. *Quoties huius Hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur.* Deinde offertur in Sacrificio Christus, iuxta illud Ecclesię, *Sanctum Sacrificium, immaculatam Hostiã.* Sicut ergo in Circumcisione pro fidelibus æterno Patri oblatus fuit, offertur in Eucharistiã. Imò hostias simul omnes, seu earum virtutes, cõplectitur atque excedit: nam Oratio secreta Dominicæ 7. post Pentec. hoc modo habet: *Deus, qui legalium differentiam hostiarum, vnius Sacrificij perfectione*

Circumcisio.

D. Thom. 3. part. q. 83. art. 4.

quia etiã hic Patri æterno offertur.

fectione sanxisti. Et D. Thomas in Rythmo quem de augustissimo Sacramento composuit, à Sacrificiis antiquis comparationem sumit in hæc verba:

Vetustatem nouitas,
Vmbram fugat veritas,
Noctem lux eliminat.

quasi dicat multum excedere illa omnia Eucharistiam necesse est, cùm vniuersa legalia & antiqua Sacrificia essent respectu Missæ Sacrificij, sicut se habet vetustas ad nouitatem, vmbra ad veritatem, nox ad lucem:

34. *Passio.* 1. Cor. 11. Quintum est *Passio*, de quâ Sanctus Apostolus Paulus Corinthiis suis ita est locutus: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Hinc sub duabus speciebus, corpus quod tradetur, sanguis qui effundetur. Et Angelicus Doctor in Officio Ven. Sacramenti: *O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius:* & alibi apertè docuit, quidquid effectûs est passionis, esse & Eucharistiæ. Quin &, vt comparationem aliquam demus, in Communione perinde atque in crucifixione suâ ingentia frequenter opprobria sustinet, quando nimirum vel a malignis impiè sumitur aut indigne habetur, vel ab incredulis irridetur: locum enim tunc habent quæ scripsit D. Augustinus, dum ait: *Cur me grauiori criminum tuorum cruci, quàm illa in qua olim pependeram, affixisti? grauior enim apud te peccatorum crux est, in quâ inuitus pendeo, quàm illa in quam tui misertus ascendi.* Sed fortè ait Sacrificium hoc aliqua in re Passionem superat? Ita sanè; quia maior in Sacrificio fides habetur Christo quam in eius cruce & morte, id quod suo in Rythmo, sic innuit Doctor Angelicus:

Part. 3. q. 79. in corp. q. 83. in corp.

quia ab indignè sumentibus opprobriis afficitur.

Serm. 181.

In cruce latebat sola Deitas,
At hîc latet simul & humanitas.

In suâ etiam Passione Saluator operatus fuit hominum salutem & redemptionem, in Eucharistiâ eamdem & communicat, & hominibus applicat.

35. *Resurrectio, & Ascensio; quia vtrobique Christus triumphat; quod variè explicatur.* Sextum & Septimum sunt *Resurrectionis & Ascensionis* triumphabunda mysteria. Et prius quidem vt sacræ Synaxi applicemus, notandum est, D. Ambrosium huc accommodare illa Canonis verba: *Vnde & memores, Domine, nos serui tui, sed & plebs tua sancta, eiusdem Dei & Domini nostri Iesu Christi tam beatæ Passionis, nec non ab inferis resurrectionis, sed & in cælis gloriosæ Ascensionis.* Ex sepulchro & terrâ tam in Resurrectione quàm in Eucharistiâ Saluator prodiit. *Educas panem de terrâ: Eduxit de mortuis pastorem magnum.* De terrâ ergo seu pane, & de terrâ seu sepulchro Saluator eductus est; quod, præter plures alios, de consecratione exposuerunt SS. Cyprianus & Chrysostomus. Aliam, & præclariorem, duorum horum mysteriorum comparationem ex Ezechiele Prophetâ eruo. Refert hic, campum ossibus cadauerum plenum, quæ omnia, prophetante se, in corporis modum sint coniuncta, neruis, pelle & carne vestita, & animâ tandem suâ donata, vnde hominum ingens tunc multitudo adstitit, & Resurrectionis prototypum ac figura facta fuit. D. quoque Paulus ex Redemptoris nostri Resurrectione idem colligit & confirmat. *Si enim,* inquit, *credimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit; ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo.* Quæ haud minùs, quàm de Resurrectione Christi, vera sunt & certa de Corporis & Sanguinis eiusdem participatione. nam Christus ipse de Communione loquens, *Ego,* ait, *resuscitabo eum in nouissimo die.* pro quo S. Ioannes Damascenus egregiam adducit comparationem de carbone, iuxta illud Psalmi; *Carbones succensi sunt ab eo,* Christo scilicet, quem sub panis ac vini speciebus sumere consueuimus. vt proinde Doctor Angelicus non immeritò docuerit, in Eucharistiâ dari fidelibus spem immortalitatis. & iterùm in suo quod excellentissimum composuit de Festo sanctissimi Sacramenti officio: *Et futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Vin' etiam cognoscere, in quibus quodammodò resurrectionem corporalem excedat Missæ Sacrificium? Hoc in nobis efficit vt & spiritus viuificetur, & corpus resurrectionis compos fieri possit; adeoque Christiani non solùm fiunt pars vnius Deitatis personæ, sed omnium, vt colligere licet ex Secretâ Dominicæ 8. post Pentecosten, in quâ legitur: *Deus, qui nos per huius Sacrificij veneranda commercia vnius summæ Deitatis participes efficis.* Et sicut à resurrectione nobis proueniunt dotes corporis gloriosi, ita non minùs à Synaxi huiusmodi effectus, præter gratias quascumque alias quibus à Communione supereffluenter donamur, quemadmodum in Opusculis scribit S. Thomas de Aquino, *Et mens inde omnium spiritualium charismatum abundantiâ impinguatur.*

Psalm. 103. Hebr. 13.

Ezech. 37.

1. Thessal. 4.

Ioan. 6.

D amasc. lib. 4. c. 14.

Psalm. 17.

Christus in Eucharistiâ, velut carbo est ignitus, resurrectionis nobis spem præbens.

Part. 3. q. 79. a. 2.

Per eam omnium SS. Trinitatis personarum participes fimus.

Est prætereà etiam Ascensionis mysterium admodum mirabile, cui tamen Eucharistiæ Sacramentum non solùm par, sed etiam maius ac salutarius dici queat. Rem primùm quoad æqualitatem, deinde quoad præeminentiam mecum, quæso, expendite. Tantam inter sese hæc sublimissima Christi miracula habent connexionem, vt aliam explicationem ipsa Sapientia æterna adhibere noluerit, quàm vtrumque sibi mutuò comparare, prout videre est in Sancti Ioannis Euangelio, vbi dum Capharnaitæ contra dicta Saluatoris, corpus & sanguinem suum manducari à fidelibus debere asserentis, oblatrassent, &, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* oppoluissent; Christus respondit: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem vbi erat prius?* hoc est: Si nunc admiramini cùm adhuc vobiscum sum, quid tunc facturi estis, cùm me ascendisse videbitis, & tamen credere debebitis, quotidie me à fidelibus manducari? Prætereà, sicut Christus, dum ad cælos adscendit, in se credentes animauit, vtpote qui in certissimam spem erigebantur, & se aliquando illuc assumendos fore, (iuxta D. Leonem Magnum, qui sic inquit: *Quia igitur Christi ascensio, nostra est prouectio, & quò præcessit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis*) ita similiter sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum Catholicos excitat, vt se indubitanter ad gloriam peruenturos credant. quod abundè videri potest ex Postcommunione Missæ in Festo Corporis Christi, quæ sic habet: *Fac nos, quæsumus Domine, Diuinitatis tuæ sempiternâ fruitione repleri, quam pretiosi Corporis & Sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat.* Quod si quoque inspicere velimus, qualiter in hoc Sacramento

36. *Eucharistia mysterium Ascensionis mysterium superat.*

Ioan. 6.

Serm. 1. de Ascens. Domini.

Est certissimum signum, nos ad cælum aliquando assumendos esse.

Saluator non minùs quàm in Ascensione triumphet, audiamus illa tantummodò, quæ hanc in rem sacrosanctum & Oecumenicum Concilium
Sess. 13. c. 5. Tridentinum sanxit hunc in modum. *Declarat præterea sancta Synodus, piè & religiosè admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, vt singulis annis peculiari quodam & festo die præcelsum hoc & venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, vtq; in Processionibus reuerenter & honorificè illud per vias & loca publica circumferretur. Æquissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, cùm Christiani omnes singulari ac rarâ quadam significatione gratos & memores testentur animos erga communem Dominum & Redemptorem pro tam ineffabili & planè diuino beneficio, quo mortis eius victoria & triumphus repræsentatur. Atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæresi triumphum agere, vt eius aduersarij in conspectu tanti splendoris, & in tantâ vniuersæ Ecclesiæ lætitiâ positi, vel debilitati & fracti tabescant, vel pudore affecti & confusi aliquando resipiscant.* ita vt non solùm semel, vti in Ascensione apud homines, Christus triumphet, sed quoties solemniter in Processionibus sub Eucharistiæ speciebus circumfertur.

Eucharistia rectè in Processionibus circũfertur: quia tum Christus triumphum agere creditur.

37. Præterea, vt ad Eucharistiæ fructus enarrandos progressum faciamus, Christus in terris sub panis ac vini accidentibus existens, haud minùs quàm gloriosus assumptus in cælos, hominum factus est paracletus, consolator & aduocatus: nam effectus eosdem tam in vno quàm in altero mysterio operatur. Sicuti ergo gloriam cælestem ingressus Spiritum sanctum in terras dimisit, ita quoque huius Sacramenti refectione suos fideles ipso Spiritu sancto & omnibus eius donis ac consolationibus copiosissimè perfundit. vt inde meritò dixerit apud Apostolum & dilectissimum suum: *Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*, id est, exponunt interpretes, dant Spiritum sanctum & vitam æternam. De lætitiâ insuper quam Eucharistia confert, prophetatum fuit: *Educas panem de terrâ, & vinum lætificet cor hominis.* De fortitudine verò ac perseuerantiæ dono, quamquam & plura exempla, & Scripturæ sacræ testimonia possemus adferre, non aliud hic recensere opus est, quàm mirabilem illam S. Eliæ Prophetæ ac Carmelitarum Patriarchæ historiam, quâ refertur, spatio quadraginta dierum ac noctium eum sine cibo & potu perdurasse, atque ad montem Oreb, in quo Deum videret, peruenisse. Quæ sanè figura pulcherrimè explicat quomodo nos similiter per Eucharistiam roborari ac solidari possimus, si panem illum non Angelorum tantùm, quemadmodum S. Elias, sed Deificum comederimus; istomet enim confortati, securè ambulabimus per huius sæculi desertum, donec ad montem Dei Oreb, æternæ nimirum gloriæ, ad visionem beatificam peruenerimus.

Eucharistia in terris eosdem in nobis operatur effectus, quos Christus paracletus in cælo prò nobis interpellãdo: nimirum tribuit dona Spiritus sancti; consolationẽ, Ioan. 6. *gaudium,* Psal. 103. *fortitudinem & perseuerantiam.* 3. Reg. 19.

38. Denique Eucharistia terram facit cælum, & cælum terram: Nam vbi Rex est, ibi inuenitur aula. Quod licet etiam de Ascensione dicere possimus, haud tamen ita propriè atque de Eucharistiâ, de quâ dixit Saluator: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi*; de Ascensione verò: *Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis; sed quia hæc dixi vobis, tristitia impleuit cor vestrum.* Ascensio ergo Christum viuentibus quodammodò eripuit, Eucharistia verò eum retinuit; & proinde licet aduentu suo terram fecisset veluti cælum, hoc Ascensione tamen iterùm mutauit, & è cælo terram effecit, dum homines terrestres in id induxit. vnde & cælum à Christo terra vocatum est, cùm diceret, *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Vtrumque verò præstat Eucharistia, quæ & homines cælo inuehit, & nihilominus terram ad cælicam aulæ dignitatem eleuauit. Hoc apertè ab iis videbitur, qui aduertent, quantâ gloriâ ac magnificentiâ Eucharistiæ locus honoretur. S. Ioannes Chrysostomus scribit, visos coram Venerabili Sacramento fulgentes Angelos, qui instar copiosi exercitus stabant ob reuerentiam capite inclinato. S. Eutychius Abbas, teste S. Cyrillo, ministrantes secum habuit etiam Angelos: & D. Gudvvalus, vt in eius Vitâ habetur, cælos vidit aperiri, ac spiritus hos cælestes coram Eucharistiâ laudes intonare. S. Basilius numquam sine Angelorum visione Missam dixit. Referunt Vitæ Patrum, venerabili cuidam seni Angelum confessum esse, quòd iugiter altari adstitisset. Seuerus Sulpitius prodit in Vita D. Martini Turonensis Episcopi, super caput illius celebrantis igneum globum mirabiliter apparuisse. Ioannes Diaconus ait, S. Gregorio Magno Angelos ad *Pax Domini sit semper vobiscum*, respondisse *Amen.* Quæ, præter innumera alia, sufficienter declarant, cælum quodammodò terram factum esse per Eucharistiam & augustissimum Missæ Sacrificium, vt meritò D. Chrysostomus ita locutus fuerit: *Quod Angeli videntes horrescunt, & liberè non audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos vnimur, & facti sumus vnum corpus & vna caro.*

Eucharistia hunc mũdum in cælum mutat & vicissim. Matth. 28. Ioan. 16. Matth. 5. *Angeli venerabundi SS. Eucharistiã honorant, & eam celebrantibus assistunt.*

39. Sed quid de mirabilibus atque effectibus sacrosancti Missæ Sacrificij multa producimus? illa potiùs inter infinita seligenda erant quæ mortuos potissimùm spectant. Ad remissionem peccatorum profectò Sanguinis Christi tantus est valor & præstantia, vt Apostolus Ioannes illum vocauerit propitiationem pro peccatis. qui nimirum sufficit tum ad bibendum tum ad satisfaciendum. Ad bibendum quidem, vt constat è verbis Christi Saluatoris dicentis, *Bibite ex eo omnes.* Ad satisfaciendum, vt ex iis liquet quæ adiunxit, *in remissionem peccatorum.* Hinc S. Cyprianus: *Noua est huius Sacramenti doctrina, & doctore Christo primum hæc mundo innotuit disciplina, vt biberent sanguinem, cuius esum legis antiquæ auctoritas districtissimè interdicit. Lex prohibet esum sanguinis, Euangelium præcipit vt bibatur.* Origenes quoque felicem Catholicorum sortem considerans, quòd pro pastu & potu habeant Christi sanguinem & carnem, sic inquit: *Tu ergo esuries, populus Israel, qui non nosti carnem Dei comedere, & sanguinem bibere illius vuæ quæ est ex verâ vite.* Velut balsamum à putrefactione conseruat, ita & sanguis Christi ab omni corruptione peccati nos præseruat, vt cum Concilio Tridentino loquar. Modus certè quo balsamum legitur, optimè Christo conuenit: educitur enim ex arbore solâ ruptione corticis, absque aliâ læsione arboris, & ab illatis cortici foraminibus suauis ille liquor guttatim colligitur. Ita Christus, vera vitæ arbor, rupto cortice suæ humanitatis, sine aliquâ læsione

Quanta sanguinis Christi efficacia! 1. Ioan. 2. Ser. de cœnâ Domini. Homil. 6. *A balsami similitudo.* Sess. 13.

læsione intus reconditæ diuinitatis, pretiosum balsamum sui Sanguinis exstillauit. Insuper, quemadmodum ad rimas & scissuras arborum, è quibus profluit balsamum, applicari solent exigui è vitro scyphuli, in quos exstillatus liquor recipitur: sic & foraminibus Vulnerum Christi, mystici quidam scyphi seu mysticæ phialæ apponuntur, quibus diuini sanguinis inæstimabile balsamum haurimus, quarum aliæ sunt deuotæ animulæ, quæ velut phialæ crystallo lucidiores, propter vitæ puritatem & candorem, ab hac arbore pendentes, meditando excipiunt guttas nobilissimi liquoris, Sanguinis inquam Christi Iesu. de quibus accipiẽdus est S. Bernardus, cùm dixit: *Scio quòd merita mea non sufficiunt, & quod mihi deest, audacter vsurpo ex visceribus Christi, quæ misericordiam effluunt, nec desunt foramina per quæ defluunt.* Aliæ phialæ sunt Sacramenta Ecclesiæ, quia per illa Sanguis Christi eiusque efficacia in nos deriuatur. Hic pretiosissimus Christi sanguis, cùm in passione Saluatoris in terram deflueret, atque à profanis Iudæorum & militum pedibus conculcaretur, cælum obscurauit, solem & stellas caligine inuoluit, petras scidit, sepulchra reclusit, mortuos ad vitam reuocauit, peccatores reconciliauit, cæli portas aperuit, cælestes thesauros deprompsit: & dubitabit quis, ab eodem sanguine iam glorioso, & per hoc diuinum Sacramentum intra pectora nostra diffuso, fieri posse eadem & alia mirabiliora longè opera? Obtenebrabit vtique aërem nostræ vanitatis, operiet solem fallacium delitiarum, cordium duritiem confringet, conscientiarum sepulchra reserabit, nosque in gratiam cum Deo redire faciens, cæli ostium ad beatitudinem aperiet. Quos huius Sacramenti planè admirabiles effectus S. Ioannes Chrysostomus eloquenter & doctè ita describit: *Hic Sanguis facit, vt imago in nobis Regia floreat. Hic Sanguis pulchritudinem & nobilitatem animæ, quam semper irrigat, & nutrit, languescere non finit. Hic mysticus Sanguis dæmones procul pellit, Angelos & Angelorum Dominum ad nos allicit. Dæmones enim cùm Dominicum sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur, Angeli autem procurrunt. Hic Sanguis effusus vniuersum abluit orbem terrarum; hic Sanguis adyta & Sancta sanctorum purgabat. Quòd si eius figura tantam habuit vim, in templo Hebræorum, in mediâ Ægypto liminibus adspersus; longè magis veritas. Sine hoc princeps Sacerdotum in penetralia ingredi non audebat. Hic Sanguis Sacerdotes faciebat; hic Sanguis in figurâ peccata purgabat: in quâ si tantam habuit vim, si vmbram ita mors horruit, quantopere, quæso, ipsam formidabit veritatem? Hic nostrarum animarum salus est, hoc lauatur anima, hoc ornatur, hoc incenditur: hic igne clariorem mentem nostram reddit, & auro splendidiorem: huius Sanguinis effusio cælum peruium fecit. Ex paradiso fons scaturiit, à quo sensibiles fluuij emanarent. A mensâ hac prodit fons, qui fluuios spirituales diffundit. Hic orbis terrarum decus est, quo vniuersam ornauit Ecclesiam.*

Quid de his S. Bernardus.

Quid S. Ioannes Chrysostomus. Homil. 45. in Ioan. c. 6.

40. Finieram, nisi D. Thomæ Aquinatis & totius Ecclesiæ Catholicæ exemplo in admirationem & exclamationem abriperer: *O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius: mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Angelicus Doctor, occasione huius exclamationis, tria signorum genera distinguit, ita inquiens: *Triplex est genus signi, aliud rememoratiuum, aliud ostensiuum, aliud prognosticum.* quæ & ipsa tribus temporibus, præterito, præsenti & futuro assignat. Rememoratiuum respicit præterita, cuiusmodi signa sunt, quæ Duces inclyti ad memoriam suorum præclarorum facinorum retinere solent. Ostensiuum siue Demonstratiuum est, quod rem præsentem indicat, sicut clauis aurea à zonâ dependens ostendit & notat hominem nobilem cubili Regio seruientem; & gestatio monilis Aurei velleris de collo, indicat Equitem vel Sodalem nobilissimi illius ordinis. Prognosticum futura respicit, eaque prædicit, vt solent Cometæ, quorum ortu res aduersæ vel prosperæ prænotantur & portenduntur. Vniuersa hæc signorum genera vnum & solum complectitur Eucharistiæ Sacramentum. En explicationem. *Recolitur memoria passionis eius*, est signum rememoratiuum, quia per hoc Sacramentum nobis in memoriam reducitur sacratissima Christi Saluatoris passio, quam pro nobis in cruce moriens tolerauit. *Mens impletur gratiâ.* En signum ostensiuum, quo demonstratur effectus huius sacri cibi præcipuus, videlicet participatio copiosissimæ ambrosiæ, hoc est gratiæ diuinæ, quâ mens recreatur & sustentatur. *Et futuræ gloria nobis pignus datur.* Ecce signum prognosticum, quoniam digna huius Sacramenti perceptio nobis pollicetur & prænuntiat vitam æternam, estque velut Vigilia festiuitatis, quam in cælo & supremâ patriæ cælestis beatitudine celebrabimus. De tribus hisce signis Lectoris in gratiam paulò diffusiùs agemùs, quò omnium voluntati fiat satis.

Triplex Eucharistia signum continet iuxta verba S. Thomæ, O sacrum conuiuium.

Est igitur sacrosancta Eucharistia signum *rememoratiuum*, quia per illud renouatur memoria triumphi atque celeberrimæ victoriæ, quam Christus pro nostrâ salute in ligno crucis moriendo obtinuit, prout docuit sancta & Oecumenica Synodus Tridentina, cuius verba de hoc ipso altaris Sacrificio hæc sunt: *Quo mortis eius victoria & triumphus repræsentatur.* Sanè triumphus nihil aliud erat apud Romanos, quàm ad viuum expressa imago earum rerum quæ in bello egregiè atque fortiter gestæ erant. Vnde Alexander ab Alexandro, pompam & apparatum describens, quo veteres Romani celebrare triumphos solebant, inter alia multa, quæ in triumpho spectanda portabantur, ait deferri solitam tabulam, quæ omnia triumphantis præclara facinora depicta gestaret palàm omnibus inspiciẽda. Meritò igitur, imò perquam optimè sacra Tridentina Synodus per Sacramentum altaris triumphum & victoriam mortis Christi repræsentari ait: consecratæ enim panis & vini species simulacrum quoddam sunt, aptissimè nobis repræsentans passionem Christi; quandoquidem vi & virtute verborum quibus panis consecratur, solum Christi corpus sub panis specie continetur, vt & paulò hinc superiùs nos dixisse meminimus; vi autem verborum quibus calix consecratur, Christi tantùm sanguis adest, reliqua vtrobique per concomitantiam. Diuisio autem carnis & sanguinis mortem indicat, cùm viuere corpus sine sanguine nequeat. Est etiam signum *ostensiuum*, quoniam nobis quasi extenso digito commonstrat mirabiles gratiæ suæ effectus, cùm per illud *mens* nostra im-

41. *Rememoratiuum:* Recolitur memoria passionis eius. Sess. 13. c. 5.

Lib. 6. Gen. dier. cap. 6.

Ostensiuum: Mens impletur gratiâ.

impletur gratiâ, cuius certè tanta virtus est, vt omnem à nobis depellat imbecillitatem, adferatque constantiam & fortitudinem, quâ rebellantibus aduersus nos hostibus reluctari valeamus. Hoc si creditu aut intellectu vobis videtur difficile, hoc quod iam proferam exemplo percipietis faciliùs. Cùm quis ita morbo languet, atque ægritudine deficit, vt de consilio Medicorum, ad cor ipsius erigendum & recreandum, propinari ei aurum, ambarum siue coralium oporteat, non datur ei calculus ambari vel coralij, nec globulus auri, sed ex benè tritâ aliquâ horum quantitate, saccaroque scitè commixto, buccellæ, vel tessellæ fiunt, in quibus licet non appareat ambarum, aurum vel coralium, reuera tamen ægrotus buccellata ista frusta comedens, ambaro, coralio atq; auro vescitur. Eodē prorsus modo homo propè exanimis, & penitus viribus naturæ & gratiæ destitutus, pro mentis suæ corroboratione necessariò indigebat carne Christi. dictum enim à Christo est: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* At quia carnem & sanguinem Christi in formâ & materiâ propria suscipere, magnum manducantibus incutere poterat horrorem, vt & ipsi cum priscis illis Iudæis dicerent, *Durus est hic sermo, & quis eum potest audire?* ad euitandum istud incommodum, substat Christi caro panis & vini accidentibus, fitque ex illis mystica placenta & buccella, quam qui comederit, simul etiam aurum, ambarum, & coralium pretiosissimum carnis Christi comedit, non tamen in figurâ propriâ visibile, sed per modum & sub imagine cibi; quo sumpto, mens alitur & roboratur. Sed, vt tandem finem dictis imponam, Sacramentum hoc etiam signum est *prognosticum*, quoniam pollicetur nobis vitam, quam præstolamur, beatam; daturque instar pignoris æternæ felicitatis, vt profitetur Ecclesia, dum inquit, *futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Nemini non manifestum est, rem illam, quam pignoris loco damus, oportere esse maioris pretij quàm id pro quo illa in pignus datur. Vnde cùm hoc Sacramentum sit pignus futuræ hereditatis, necessarium est, id quod Christus nobis hoc in cibo præbet, pluris valere quàm ipsam beatam visionem, in quâ formaliter vita beata consistit, vt plerique Theologi docent. Iam absolueram, sed priùs obiectioni cuidam, quam fortè nonnemo opponere posset, satisfacere me oportet. Ea verò hæc est: Si diuinum istud Sacramentum nobis in pignus æternæ gloriæ datur; quando pignus aufertur, adueniente nimirum tempore solutionis, & restitutionis illius, numquid ipso pignore, & consequenter Christo, carebimus? quod omnium grauissimum esse damnum, diffitetur nemo. Respondeo, Tunc ad pignoris restitutionem tenebimur, quando ipsa gloria, cuius loco pignus illud tantisper nobis datum fuit, nobis dabitur: & quamuis pignore illo priuabimur quatenus Sacramentum est, non tamen Christo qui Sacramenti substantia est. imò illum possidebimus & videbimus, amoto iam & sublato accidentium velamine: nec quidem pro aliquanto tempore, sed per omnem sempiternitatem Deo perfruemur.

Ioan. 6.

Prognosticū: Et futuræ gloriæ nobis pignus datur.

CAPVT VII.

Quibus Sacrificium consecrare & per se offerre non licet, triplici modo ad eiusdem participationem accedere possunt.

QVandoquidem tanta in se beneficia complectitur Venerabilis Eucharistia, non ineptum fore mihi visum fuit, si explicare pergam, quotuplex sit ad eius participationem accessus. Vniuersalis certè Catholicorum omnium est sententia, Missæ Sacrificium pro defunctis oblatum, illis magnopere prodesse, quinimmò & sanctam Communionem eisdem haud parum subuenire, vti etiam facit actus ille quo Missam audimus. De horum singulis vt agamus, ex Angelico Doctore meminisse iuuabit quæ sub Capitis præcedentis medium diximus, vbi exposuimus, Eucharistiam, in quantum est Sacrificium, non sumentibus tantùm, sed & aliis, pro quibus offertur, fructum adferre. In cuius rei solidiorem confirmationem etiam hæc D. Thomæ verba notanda sunt. Is postquam sibi hoc argumentum obiecisset, *Præterea effectus huius Sacramenti est adeptio gratiæ & gloriæ, & remißio culpæ ad minus venialis. Si ergo hoc Sacramentum haberet effectum in aliis quàm in sumentibus, posset contingere, quòd aliquis adipisceretur gratiam & gloriam & remißionem culpæ absque actione & paßione propriâ, alio sumente vel offerente hoc Sacramentum;* ad id respondet: *Ad secundum dicendum, quòd sicut paßio Christi prodest quidem omnibus, quantum ad sufficientiam, & ad remißionem culpæ & adeptionem gratiæ & gloriæ; sed effectum non habet nisi in illis qui paßioni Christi coniunguntur per fidem & charitatem: ita & hoc Sacramentum, quod est memoriale Dominicæ paßionis, non habet effectum nisi in illis qui coniunguntur huic Sacramento per fidem & charitatem. Vnde & in Canone Missæ non oratur pro his qui sunt extra Ecclesiam: illis tamen prodest, plus vel minùs secundùm modum deuotionis eorum.* 1.

Eucharistia, quatenus est Sacrificium, non tantùm eam sumētibus, sed & iis pro quibus offertur vtilitatē affert. Part. 3. q. 79. art. 7.

Hinc colligitur, Primò, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum idcircò tantæ etiam in non sumentibus esse efficaciæ, quia est communicatiuum Dominicæ Passionis: Secundò, fructum eiusdem Sacramenti incrementum sumere ex deuotione participantium, imò & conficientium, vt idem Doctor Angelicus docuit, qui disputans vtrùm efficacior sit Missa à malo Sacerdote quàm bono oblata, *Contrà est*, inquit obiectis respondens, *quod habetur in Decretis, quantò Sacerdotes fuerint digniores, tantò faciliùs in necessitatibus, pro quibus clamāt, exaudiuntur.* Conclusio verò, quam subiungit, est huiusmodi: *Quoad Sacramentum, mali Sacerdotis Missa non minus valet quàm boni; quoad orationes tamen, melioris Sacerdotis magis est fructuosa, quamquam fructu non careant Sacerdotis etiam mali orationes in personâ Ecclesiæ prolatæ.* & statim subiungit: *Dicendum, quod in Missâ duo est considerare, scilicet ipsum Sacramentum, quod est principale; & orationes quæ in Missâ fiunt pro viuis & mortuis. Quantum ergo ad Sacramentum, non minus valet Missa Sacerdotis mali quàm boni, quia vtrobique conficitur idem Sacramentum. Oratio etiam quæ fit* 2.

Eucharistia Passionem Dominicam cōmunicat, & pro deuotione sumentium eā plus minúsue operatur. Part. 3. q. 82. ar. 6. quæst. 1.

Missa à malo Sacerdote celebrata paris est valoris quoad rationem Sacrificij, non quoad valorem orationum.

sit in Missâ, potest considerari dupliciter, vno modo, in quantum habet efficaciam ex deuotione Sacerdotis orantis, & sic non est dubium, quòd Missa melioris Sacerdotis magis est fructuosa; alio modo, in quantum oratio in Missâ profertur à Sacerdote in personâ totius Ecclesiæ, cuius Sacerdos est minister, quod quidem ministerium etiam in peccatoribus manet, sicut suprà dictum est de ministerio Christi. Vnde etiam quantum ad hoc est fructuosa non solùm oratio Sacerdotis peccatoris in Missâ, sed etiam omnes eius orationes quas facit in Ecclesiasticis officiis in quibus gerit personam Ecclesiæ, licet orationes eius priuatæ non sint fructuosæ, secundùm illud: Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Hæc D. Thomas. E quibus patet, etiamsi non sit efficacius Sacrificium quod à peruerso Sacerdote quàm à iusto perficitur, quantum nimirum ad Sacramentum spectat, fructuosius tamen esse, quantum ad orationes à Celebrante in propriâ personâ prolatas; vt proptereà consultius sit, pios Sacerdotes pro Missis defunctorum offerendis requirere, qui & ex vniuersali Sacrificij bono, & simul ex particulari deuotione mortuis prosint. Vsus fuit huiusmodi consilio S. Tobias filium suum instruens, cui inter alia documenta & hoc suggerit: *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* Verùm hæc suprà Libro I. explicata sunt.

Prou. 28.

In Missis defunctorum pij & deuoti Sacerdotes adhibendi sunt.

Tob. 4.

3.

Pretium vel eleemosynam Missam pro alio celebrāti dare licet,

At modò ostendamus, quomodo in Ecclesiâ licitum sit ad Missæ oblationem non celebrantes habere accessum, per eleemosynam videlicet seu stipendium aliquod oblatum Presbyteros, vt ipse suam intentionem dirigat in illius bonum, pro quo sacrificare requiritur, quo contrà quamuis multi nonnumquam submurmurauerint, ex communi tamen totius Ecclesiæ praxi & ex ipsis sacris Litteris refelluntur. Vnus profectò locus Scripturarum si adducatur, ora obloquentium retundere abundè potest. Habetur is in Machabæorum libris, vbi de Iudâ Machabæo dictum est, quòd factâ collatione, duodecim millia drachmas misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium, verè & religiosè de resurrectione cogitans. Quotidianus verò vniuersalis Ecclesiæ vsus ita Catholicis omnibus innotuit, vt plura de eo velle adducere, temporis esset iacturam facere: qualiter verò id licitum sit, & à Simoniæ vitio alienum, explicabimus; pro quâ re excutiendâ haud opus habemus variorum Scriptorum elucubrationes euoluere, cùm vnus D. Thomas Aquinas ad manum sit qui solidissimè hoc iam olim explicuerit. Conclusionem is posuit huiusmodi: *Pro spiritualium administratione aliquid dare vel accipere tamquam mercedis pretium, Simoniacum atque illicitum est, non autem tamquam necessitatis & subuentionis stipendium.* Et subiungit: *Respondeo dicendum, quòd Sacramenta nouæ Legis sunt maximè spiritualia, in quantum sunt causa spiritualis gratiæ quæ pretio æstimari non potest; & eius rationi repugnat, quòd non gratuitò detur. Dispensantur autem Sacramenta per Ecclesiæ ministros, quos oportet à populo sustentari, secundùm illud Apostoli, Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui altari deseruiunt, cum altari participant? Sic ergo dicendum est, quòd accipere pecuniam pro spirituali Sacramentorum gratiâ, est crimen Simoniæ, quod nullâ consuetudine potest excusari, quia consuetudo non præiudicat Iuri naturali vel*

2. Machab. 12.

nec est Simoniacum.

D. Tho. 2. 2. q. 100. art. 2.

1. Cor. 9.

diuino. Per pecuniam autem intelligitur omne illud, cuius pretiū potest pecuniâ æstimari, vt Philosophus dicit. Accipere autem aliqua ad sustentationem eorum qui Sacramenta Christi ministrant, secundùm ordinationem Ecclesiæ & consuetudines approbatas non est Simonia nec peccatum; non enim sumitur tamquam pretium mercedis, sed tamquam stipendium necessitatis. vnde super illud, Qui benè præsunt Presbyteri, &c. dicit Glossa Augustini: Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino. Lib. 4. Ethic. 1. Tim. 5.

4.

Stipendium illud quale esse debeat.

Ne verò vllus errori aut auaritiæ subrepat prætextus, debiti stipendij ab Ecclesiæ Prælatis facta est determinatio, in his quidem partibus sex assium pro vnaquaque Missâ, alibi aliter, secundùm regionis & Sacerdotum exigentiam: quod tametsi pretium sit perexiguum (cùm vix aliquis honestus seipsum hinc possit sustentare, neque sit vllus mechanicus qui non amplius multo lucretur) facit tamen ita obligatum acceptantem, vt non peccet solùm, sed & ad restitutionem teneatur, nisi Missam dixerit, aut ab alio dici curet. Quod in Religiosis etiam locum habere docet R. P. F. Emanuel Rodericus, qui adfert concessionem quamdam Leonis X. per quam licebat FF. Minoritis vnâ Missâ pluribus pitantiis satisfacere. Sed adiungit, hoc priuilegium & perperàm extortum, & reuocatum iustè fuisse. vnde has inferiùs conclusiones apponit: Prima, *Si stipendium Missæ lege aut consuetudine taxatum sit, & Commendantes Missas non totum illud sed diminutum stipendium persoluant, in hoc casu licet pauciores Missas dicere, accipiendo pro illis vsque ad quantitatem stipendiorum sibi debitam secundùm legem & consuetudinem, nec est obligatio restituendi.* &c. Secunda: *Si certum stipendium sufficiens vel insufficiens pro vnâ Missâ lege vel consuetudine taxatum non sit, non licet Guardiano nec Prælato plura stipendia pro vnâ Missâ accipere, sed tantùm vsque ad quantitatem necessariam pro decenti sustentatione vnius diei subditi sui Missam celebrantis.* Tertia: *Potest Sacerdos per dispensationem Papæ prædicta plura stipendia pro vnâ Missâ accipere, etiam quando stipendium Missæ taxatum sufficiens est, aliquâ causâ rationabili interueniente.* Horum omnium atque singulorum auctoritates atque rationes adducit, quas ibi apud eumdem videre licet. Interim secuta quoque est illa Ordinariorum dispensatio, quâ reducere solent numerum Missarum, quæ iustâ taxâ, vtpote antiquitus fundatæ, carent, ad stipendium temporis præsentis; &, si dici certis locis ac temporibus Missæ debeant, saltē celebranti intentionē seu applicationē respectiuè liberam statuunt. Licitum item, imò omnino laudandū & inprimis commendandum est, vt is qui Sacrum expetit, vltra ordinarium stipendium aliquid adiungat, tum vt fideles se gratiores erga Ecclesiasticos ostendant, tum vt Sacerdotes seipsos commodiùs alant. Duo tamen vitanda eis sunt, ne videlicet multa nimis Sacra aggregent, & sic animæ diutiùs in Purgatorio hærere cogantur, cuius rei terribilia feruntur exempla: & ne applicent Sacra antè celebrata, quoniam horum valor thesauro Ecclesiæ aggregatus fuit, vti docuit Soto, Aragon, Corduba, Dimas, &c.

Roderic. Quæst. Canon. & Regul. Tom. 1. q. 43. art. 17.

Gratitudinē ergò aliquid, vltra debitū stipendium addere licet.

5.

Facere celebrari pro defunctis

Ceterùm quantum prosit defunctis, pro eisdem curare offerri Missæ Sacrificium, infinitis propemodum exemplis liquet. Vnum è quamplu-

Missam, admodum illis prodesse, exemplis probatur. Serm. diei Commemor. Defunctorũ.

plurimis seligemus, vt quilibet videre possit, etiam viuentibus prodesse Sacrificium pro eis veluti mortuis oblatum. Adfertur hoc à Iacobo de Voragine Dominicano ac Genuensi Archiepiscopo, cuius verba hæc sunt: *Cùm quidam in quadam rupe argentum foderent, subitò rupes cecidit, & funditus cunctos extinxit. Vnus autem eorum subtus in quodam sinu ipsius rupis mortem euasit, inde tamen exire non valuit. Vxor autem illius defunctum æstimans, omni die pro ipso Missam celebrari fecit, & panem vnum, & vrceum vini cum candela quotidie offerebat. Cui diabolus inuidens, per tres continuos dies eidem in formâ humanâ apparuit, & quò tenderet requisiuit. Cui cùm illa sui itineris causam exponeret, ille aiebat: Noli frustrà vexari, quia iam Missa celebrata est. Et sic illa tribus diebus Missam intermisit, nec Missam celebrari fecit. Quidam autem post hæc in prædictâ rupe argentum fodiens, quamdam vocem audiuit de subter dicentem, Planè percutias, quia capiti meo imminet magnus lapis. Cum autem ille tremeret, & ad hanc vocem audiendam plurimos conuocasset, iterùm fodit, & similem vocem audiuit. Tunc omnes propiùs accedentes, dixerunt: Quis es tu? Qui respondens, dixit: Planè percutiatis, quia magnus lapis quasi super me cadit. Qui à latere fodientes, & ad eum vsque peruenientes, eum sanum & incolumem extraxerunt. Et sciscitantes quomodo ibi tamdiu vixisset, dixit, quòd qualibet die panis vnus & vrceus vini cum candelâ accensâ, nisi tantùm in tribus diebus, sibi oblatus fuit. Quod vxor eius audiens, & vehementer exultans agnouit, quòd de oblatione suâ fuerat sustentatus, & quòd diabolus eam deceperat, ne illis tribus diebus Missam cantari faceret.* Simile habent Petrus Cluniacẽsis lib. 1. Mirac. c. 2. & Beda lib. 4. Hist. Angl. c. 22.

6.

Quænam Missa defunctis magis prosint, de Festo occurrente cum commemoratione defunctis, an de quæ specialiter ab Ecclesiâ pro defunctis assignata sunt.

Sed & hoc discutiendum est, quænam Missæ defunctis maximè prosint, an illæ quæ de Festo occurrente, vel de Tempore, an verò eæ quę pro defunctis specialiter ab Ecclesiâ ordinatæ sunt. Cui antequam respondeamus, notandum est, nonnullam in his admittendam esse distinctionem, ita videlicet vt licet multorum sit ista opinio, Sacra propria defunctorum mortuis potissimùm prodesse, id tamen ita accipiendum sit, nisi Ecclesiæ rationabilis sanctio, aut communis fidelium vsus, vel iusta alia causa Missam aliter celebrari iubeat aut suadeat, in quâ & ipsius Sacrificij, & orationum sub illo factarum effectus nihilominùs potest fidelium animabus applicari. Ad membrum itaque primum quod spectat, defunctorum propria Sacra ipsis regulariter præcipuè subuenire, satis clarum est ex tot diuersis Missarum ritibus, quos sancta Mater nostra Ecclesia suo Missali Romano pro defunctis inseruit. Præter enim Missam, quâ diei Commemorationis omnium fidelium defunctorum propriam assignauit, addidit alias pro die obitus cuiusque fidelis, pro diebus à decessu tertio, septimo, nono, trigesimo & quadragesimo, pro anniuersario, pro Sacris quotidianis orationes item speciales, pro summo Pontifice, pro Episcopis, Sacerdotibus, parentibus, benefactoribus, viris, feminis, pro in templo vel cœmeterio sepultis, &c. quæ omnia innuunt, Ecclesiam fructum aliquem particularem hinc animabus procurare velle. Nisi enim hoc intenderet, ad quid & Missas pro mortuis speciales ordinasset, & tam diuersis formis à celebrantibus recitari Introitum, Collectam, Epistolam, Euangelium, Secretam Postcõmunionemque Missarum iussisset? Certè nullum est Catholicis dubium, quin illa quæ ab Ecclesiâ, per efficacissimum Spiritus sancti instinctum specialiter ordinata, perficiuntur, & ex Ecclesiæ personâ diuinæ Maiestati offeruntur, sortiantur effectum extraordinarium, vt non communi solùm influxu, sed raro aliquo misericordiæ diuinæ priuilegio illos iuuent & consolentur pro quibus hæc eadem offeruntur. Vt proinde mirandum non sit, defunctos potissimùm Missis atque officiis sibi propriis adiuuari, quemadmodum ex variis quoq; Scriptoribus ac reuelationibus fide dignissimis constat. Vt videri possit, quantâ remuneratione dignus habendus Sacerdos qui Missam pro defunctis libenter celebrat, & quanto animas gaudio perfundat, duas hoc loco apparitiones appono. Prima est ex Insinuationibus B. Gertrudis Saxonicæ. Cùm enim eadem virgo alteri cuidam Sanctimoniali post mortem multa reuelaret, hoc inter alia de Sacerdote pro se mortuâ celebrante quod sequitur asseruit: *Ille duplicatum mihi lucrum reportabit; quia sicut Dominus ab eo suscipit & in me refundit salutem, sic hoc idem à me refundetur in ipsum etiam meo adaucto, sicut aurum distinctu coloribus magis gratum apparet. Tunc ista,* (Monialis scilicet viua:) *Verbis tuis videris mihi affirmare, quòd fructuosius sit celebrare Missam pro defunctis quàm aliam. Ad quod illa, Propter charitatem, inquit (quâ animas cum illâ iuuat) est fructuosius quàm si aliam Missam solum propter debitum Sacerdotij celebraret: si verò ex commotione cordis fertur ad Deum, hoc est fructuosissimum.* Altera facta est B. Nicolao de Tolentino, & refertur in Vitis FF. Eremitarum S. Augustini hunc in modum: *B. Nicolaus de Tolentino cùm staret conuentualiter in quodam Eremitario quod Vallemanes dicitur, prope ciuitatem Pesaurensem, ex magno deuotionis feruore quotidie multum tempestiuè Missam fuit solitus celebrare. Cùm autem quadam vice fuisset scriptus pro Hebdomadario ad Missam conuentualem nocte die Dominico, eo in strato suo quiescente, ecce anima quædam voce magnâ & eiulatu miserabili vocauit eum dicens: Frater Nicolae, vir Dei, respice in me. Qui in ipsam respiciens, etiam recognoscere satagens, sed non valens, quis esset concitus requisiuit. Quæ respondit dicens: Ego sum anima Fratris peregrini de Ansino, quem viuentem seruum tuum nosti, nunc autem crucior in hac flammâ, in quâ me Deus non ad pœnam æternam, quam merui, sed ad temporalem pœnam de suâ misericordiâ deputauit. te ergo humiliter deprecor, vt hodie digneris Missam pro mortuis celebrare, vt eripiar ab his flammis. Qui respondit: Iuuet te, frater mi, Saluator meus, cuius Sanguine es redemptus; ego autem, quia ad conuentualem Missam celebrandum sum deputatus, præsertim die Dominicâ, cuius officium mutari non decet, Missam pro mortuis celebrare non possum. At illa ait: Veni, venerande Pater, veni & respice, vtrùm te decet acquiescere tantæ multitudini miserrimæ, quæ me misit tuam misericordiam propulsare. Ipsum igitur ad alteram partem Eremitorij ducens, quamdam planitiem iuxta Pesaurum ei ostendit, vbi erat promiscui sexus multarum ætatum, statuum, ac etiam ordinum diuersorum innumerabilis multitudo. Miserere, inquit, Pater, miserere turbæ tam miseræ, vtile tuum auxilium expectanti: nam si pro nobis dignatus fueris celebrare, maxima pars ab his atrocissimis pœnis eruetur. Euigilans ergo vir sanctus, magnâ horum pietate motus, cum maximâ lacrymarum effusione,*

Quæ ab Ecclesiâ præscripta sunt, specialiter prodesse creduntur.

Lib. 5. cap. 5.

Lib. 2. c. 18.

sione, cœpit pro omnibus Saluatorem omnium exorare. Manè autem ante Priorem suum prostratus, & euitans iactantiam, non plenè, vt viderat, sed aliqualitèr cum opportunitate oraculum reserauit, supplicans, vt ipsum pro mortuis illâ hebdomadâ permitteret celebrare. Qui deuotis eius precibus annuens, alium substituit vice eius. Ipse verò per totam hebdomadam pro mortuis celebrans, die ac nocte pro ostensâ sibi multitudine cum præcordialibus lacrymis affectuosissimè exorabat. Et ecce, transactâ hebdomadâ illâ, eidem dictus Frater peregrinus apparuit, & de iam impetrata misericordiâ gratias egit, asserens se cum magnâ parte prædictæ multitudinis à pœnis atrocissimis Dei misericordiâ, & ipsius Sacrificiis liberatos esse, & ad cælestem gloriam conuolasse. Liberasti, inquit, nos de affligentibus nos, & Psal. 34. *odientes nos confudisti.* Vnde iam patet, ingentem defunctis lætitiam ac profectum ex Missis de Requiem, vt vocant, prouenire.

7. *Aliquando tamen ob legitimas rationes illæ quæ appellantur Requiem omittuntur.*

Verumenimuerò, in his Sacris perficiendis limitationem aliquam adhibendam esse negari nequit, ita nimirum vt quandoque ex Ecclesiæ constitutione, Catholicorum consuetudine, vel simili rationabili ex causâ de Festo aut occurrente Tempore sit celebrandum, applicato Missæ ipsius valore & intentione defunctis. Cui argumento in primis est, quòd in Romano Missali sancitum sit, vt Festo Duplici aut Dominicâ de iisdem & non de aliis fieret. Patet idem ex Decretis Sacræ Congregationis rituum, inter quæ & illud est constitutum die 24. Aprilis anno Domini 1627. *In altari certis diebus priuilegiato non potest in iis dici Missa de Requiem in Festo Duplici, de præcepto.* Eodem verò anno, die Augusti 28. ab eadem Congregatione dispositum fuit, vt in diebus, quibus prohibetur fieri de Festo Duplici, non possint dici Missæ votiuæ, neque de Requiem. *Nimirum,* inquit R.D. Bartholomæus Gauanto, eiusdem Congregationis Consultor, *infra Octauas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in Hebdomadâ maiori, Feriâ iiij. Cinerum, & in Vigiliis Natiuitatis Domini & Pentecostes.* Qui etiam Auctor in Commentariis Rubricarum Breuiarij sic loquitur: *Officium Dominicæ est valdè venerandum, est enim officiũ primarium Domini, & ideò non prætermittendum, nisi ob Festum Duplex, & dummodò non sint Dominicæ priuilegiatæ, vt Aduentus, Quadragesimæ,* &c. Perinde etiam probatur ex priuilegiis illis Summorum Pontificum, quibus per vniuersos anni dies altaribus aliquibus per modum suffragij conceduntur, vt ad quamlibet Missam in illis celebratam anima vna ex Purgatorio liberetur: nam in iisdem excipi solet, ne Festis & Dominicis de defunctis dicatur, sed Missæ tantummodò effectus illis applicetur. Hoc inprimis manifestum est in nostrâ Carmelitarum Excalceatorum Congregatione, in quâ sequentes gratias concessione Apostolicâ Altare nostrum priuilegiatum obtinuit.

8. *Priuilegia quoad defunctorum Missas Carmelitis Excalceatis à Pontificibus concessa.*

Anno M D C. VI. haud ita diu post erectionem Congregationis nostræ Italicæ, seu potiùs eiusdem à Congregatione Hispaniæ segregationem sub proprio Generali, Paulus V. ad instantiam Reuerendi Patri N. Petri à Matre Dei, tunc concionatoris Suæ Sanctitatis, & apud nos Procuratoris Generalis, pro decennio priuilegium concessit, vt qualibet Missâ, à Fratribus nostris in altari à Superiore designando, in Ecclesiis Ordinis nostri pro defunctis celebratâ aliquibus diebus hebdomadæ Festo Duplici non impeditis, anima, pro quâ Sacrificium offerretur, à pœnis Purgatorij per modum suffragij liberaretur. Et pòst die 17. Martij anno M.DC. XVII. Reuerendo admodum P.F. Ferdinando à S. Mariâ, tunc Præposito Generali nostræ Congregationis supplicante, singulis diebus hebdomadæ, Festo Duplici non impeditis, ac die Dominicâ exceptâ, eamdem indulgentiam concessit, idemque priuilegium confirmauit omnibus Ecclesiis Congregationis nostræ vsque ad prædictum diem erectis, ita tamen vt soli nostri Sacerdotes eam lucrari possent: ac etiam expressit, nullo modo hanc gratiam nec per viam communicationis, nec quouis alio modo vlli Religioni aut personæ communicari. Postmodum Gregorius XV. die 9. Octobr. anno D.DC.XXI. ad humilem R. P. F. Pauli à IESV Mariâ, Vicarij nostri Generalis, supplicationem, præfatam gratiam confirmauit, extendit & concessit omnibus Ecclesiis nostri Ordinis, etiam Congregationis Hispanicæ, vsq; ad præsentem tunc diem erectis, pro omnibus diebus hebdomadæ, etiam Festo Duplici siue Dominicâ impeditis, dummodò in Festo Duplici applicetur Sacrificium animabus Purgatorij, etiamsi de Festo celebretur. Insuper idem Pontifex concessit & indulsit, vt quaibet Missâ, quæ in obitu nostrorum Religiosorum & Monialium, iuxta nostras Constitutiones in quouis altari celebratur, ita per modum suffragij à pœnis Purgatorij ea anima pro quâ Sacrificium offertur, liberetur, ac si in ipso altari priuilegiato celebrata fuisset.

Huc & militant ea quæ habet Soto, qui sic ait: *Missæ quæ pro defunctis offerri ordinariâ lege debent, sunt illæ quas Ecclesia pro illis ordinauit. Quare ratione huius Ecclesiasticæ institutionis sunt magis satisfactoriæ. Nihilo minùs ratione singularis deuotionis, quâ defunctus erat circa sanctissimam Virginem vel ergà aliquem Sanctum affectus, potest fieri compensatio, quia ipsi pro defuncto Deum exorare curant.* Quæ doctrina conformis est apparitionibus plurium Sanctorum, & à variis insigni sæpiùs fructu in vsum deducta fuit: nam hoc iustum videtur, vt efficaciùs defunctus adiuuetur deuotionibus illis, quibus, dũ viueret, sese feruentiùs applicauit. Seruanda tamen etiam in huiusmodi non minor discretio quàm in Missis de Requiem, quibus, vtpote mortuis vel maximè proficuis, hæc etiam Sacra Rituum Congregatio in animarum fauorem ordinauit Anno 1630. die 15. Maij, vt possit celebrari Missa pro defunctis ritu de Requiem in Dominicis & Festis, insepulto & in Ecclesiâ præsente corpore. *Vbi nimirum,* inquit Gauantus, *viget consuetudo sepeliendi defunctos simul cum Missâ. Si quis autem moriatur in die Paschæ, corpus eius reseruetur in diem sequentẽ propter reuerentiam Paschæ.* Ex Rituali vero Romano Pauli V. anno M.DC. VII. die 1. Septembris: *Tolerari possunt Missæ de Requiem in Festo Duplici, quod nõ est de præcepto, pro voluntate testatorum implendâ. Non est,* inquit Gauantus, *ad arbitrium viuorum, quòd benè nota, sed pro implendâ lege defunctorum.* Anno M.DC. VIII. die 27. Septembris: *Missæ defunctorum certo die dicendæ, eo impedito transferuntur in sequentem.* Ita S. Congreg.

9. *Soto in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. Nonnunquã Missæ extraordinarium defunctis amplius prosunt.*

10. *Missæ Gregorianæ quæ, & quanti valoris.*

Ne verò quidpiam, quod huc facere possit, prætereamus, recensebimus Missas illas triginta Gregorianas, quas defunctis plurimum prodesse docet

Rodericus Quæst. Canon. & Regular. Tom. 1. q. 43 art. 3.

docet Antiquitas, de quibus Emanuel Rodericus hoc modo: *Data est cuidam Monasterio quadam eleemosyna, vt eius Prælatus Missas D. Gregorij pro animâ defuncti faciat celebrari. Quæritur, vtrum satisfaciat, dicendo alias Missas de Sanctis & Dominicis occurrentibus, recordatione solùm habitâ in Memento de dictâ animâ, ibiq; valorem Missæ ei applicando. Respondeo dicendo, quòd ratio huius dubij pendet ex Missali Romano antiquo, & maximè ex impresso Parisijs anno M.D.XXXVII. in quo dicitur, Missas D. Gregorij cum commemoratione defuncti celebrandas, esse has. Prima, de Dominicâ I. Aduentus; secunda, de Natiuitate Domini; tertia, de S. Stephano protomartyre; quarta, de S. Ioanne Euangelistâ; quinta, de Innocentibus; sexta, de Epiphaniâ Regum; septima, de Octauâ trium Regum; octaua, de Purificatione B. Virginis; nona, de Septuagesimâ; decima, de Dominicâ primâ Quadragesimæ; vndecima, de Dominicâ secundâ Quadragesimæ; duodecima, de Dominicâ quartâ Quadragesimæ; decimatertia, de Annuntiatione B. Virginis; decimaquarta, de Dominicâ in Ramis palmarum; decimaquinta, de Cœnâ Domini; decimasexta, de Resurrectione Domini; decimaseptima, de Ascensione Domini; decimaoctaua, de Festo Pentecostes; decimanona, de Festo Trinitatis; vigesima, de Dominicâ primâ post Pentecosten; vigesimaprima, de Dominicâ secundâ post Pentecosten; vigesimasecunda, de S. Ioanne Baptistâ; vigesimatertia, de SS. Petro & Paulo; vigesimaquarta, de S. Mariâ Magdalenâ; vigesimaquinta, de S. Laurentio; vigesimasexta, de Assumptione B. Mariæ; vigesimaseptima, de S. Cruce; vigesimaoctaua, de S. Michaele; vigesimanona, de S. Gregorio, vel Omnibus Sanctis; vltima, de Mortuis. Et post celebrationem harum Missarum recitandæ erant Vigiliæ mortuorum, & omni die ieiunandum. Referuntq; Innocentium Papam concessisse plures indulgentias dicentibus vel dici facientibus dictas Missas. Hoc supposito, dico non esse obligatum Prælatum dicti Monasterij ad eas dicere aut celebrare facere, cum iam suæ obligationi satisfecerit, quamuis neque illas Missas antiquo Missali præscriptas, nec quotidie celebrauerit; dummodo tamen aliæ triginta Missæ de Festis occurrentibus dictæ sint, & actualem seu virtualem intentionem habuerint in Memento illarum pro tali defuncto offerre. Quod probatur Primo: nam pactum nudum vt obliget, necessum est quod sit honestum, licitum & possibile, vt innuit D. Thomas 2. 2. qu. 1. Iam autem, relinquere eas Missas quas Missale nouum Romanum, post Concilium Tridentinum editum, singulis diebus & maximè solemnibus celebrandas ordinat & præcipit, est illicitum, tum quia indecens & absurdum esset, Quadragesimali tempore dicere Missam de Resurrectione vel Ascensione, quæ tamen dicendæ essent ab eo qui iuxta illum antiquum ritum vellet primo die illo Cineris incipere illas triginta Missas; tum quia in diebus Festis, etiamsi non de necessitate, ex congruitate tamen tenetur quilibet audire Missam de Festo occurrente, argumento aliquorum Canonum. Ex quibus colligit Angelus, non excusari à peccato celebrantes, qui relictâ proprij Festi Missa, aliam particularem votiuam dicunt, & tales Sacerdotes reprehensione dignos affirmat. Tandem in officio Missæ, vt ait D. Thomas, non solùm reperitur Sacrificium, sed etiam oblationes, & ex Sacrificij oblati æqualiter prodest viuis & defunctis, de quocumque Missa dicatur. Ex parte verò orationum, negari nequit, prodesse quamplurimum Missam quæ incipit Requiem æternam, institutam pro defunctis, in qua sunt orationes ab Ecclesiâ determinatæ pro mortuis. Iste tamen fructus & vtilitas compensari posset propter maiorem deuotionem vel eius qui dicit Missam, vel per intercessionem Sancti cuius suffragium imploratur in Missâ: idcircò æquè satisfit per Celebrantem obligationi, dicendo Missam de Sanctis, siue de Dominica, ac si diceretur illa de defunctis. Vnde Hostiensis refert, Hugonem Cardinalem solitum dicere, quòd celebrando de Dominicâ faciebat celebrari de defunctis. Ita Rosella, Siluester, Armilla, Tabiena. Præterea huiusmodi triginta Missæ sunt dicendæ de necessitate continuè, & absq; interruptione singulis diebus celebrandæ: at obligatio, quâ quis obligatur singulis diebus celebrare iuxta terminos Iuris, debet interpretari, quod debet celebrare quantò frequentiùs poterit, saluâ honestate suâ, & debitâ reuerentiâ ac deuotione ad Sacramentum percipiendum: iam autem, quòd in die Resurrectionis, vel in aliis solemnitatibus fiant Collectæ pro defunctis, non est Ecclesiæ consuetudo. imò Bulla Pij V. quæ confirmat Missale nouum Romanum, tollit vsum ceterorum Missalium, & nihil addendum ipsi præcipit.*

Quænam Missæ sint Gregorianæ.

An Superior harum loco [illegible] possit alias substituere.

Non est ordinatum Ecclesiæ ordinem interturbare.

11\. Ita Rodericus: cuius verba tam prolixè descripsimus, tum vt ipsas triginta Missas omnes callerent, tum vt videremus, rationabile fundamentum subesse posse, vt de Dominicâ ac Festo, loco Missarum de Requiem (Sacrificio tamẽ defunctis applicato) dicamus, ac vnusquisque cognoscat, istam Roderici sententiam esse probabilem. Quamquam ei addendum putemus, laudabile omnino esse, vt prædictæ Missæ non omnino abrogentur, sed vbi fieri commodè poterit, non celebrentur tantùm, sed & frequententur: omnia enim quæ ex ordinatione Ecclesiæ & Pontificum Rodericus attulit in contrarium, auctoritate Apostolicâ postmodum sunt explicata, quando nimirum Sacra rituum Congregatio anno M. DC. XXVIII die 5. Aprilis varias alias Missas reiecit ac prohibuit, & declarauit, hoc decreto non comprehendi triginta Missas Gregorianas. Verba sunt: *Missas quæ circumferuntur, à Sacra rituum Congregatione non approbatas, S. Gregorij pro viuis & defunctis, quindecim Auxiliatorum, de Patre æterno, & quascumque alias, exceptis iis quæ sunt permissæ certis Regularibus tantùm, veluti Rosarij, S. Mariæ de Carmelo, & alias, sicuti etiam Officia ab eadem non approbata, sacra eadem Congregatio prohibuit, reiecit omnino, & damnauit respectiuè, & pro prohibitis, reiectis & damnatis haberi voluit.* Declarauit autem nouissimè eadem Sacra rituum Congregatio, per hoc Decretum non prohiberi Missas triginta pro defunctis à D. Gregorio institutas.

Missæ illæ Gregorianæ haud planè sunt abrogandæ.

A Sacrâ Rituum Congregatione non sunt prohibitæ.

Lib. 4 Dialog. c. 55.

12\. Quid apertius, quòd Sacra huiusmodi licitè celebrari possint, dici queat? Sanè diuersis hæc olim à Pontificibus indulgentiis donata sunt, variis Sanctorum apparitionibus illustrata, plurimorum Sanctorum exemplis frequentata, de quorum primo ipse quoque Rodericus suprà locutus est: de altero vide Insinuationes diuinas S. Gertrudis Saxonicæ: de tertio Vitam S. Theobaldi. At nobis hîc annectere placuit Missas illas, quæ S. Vincentio Ferrerio Dominicano, ac diuini verbi concionatore, si quis vmquam, famosissimo cælitus ab Angelo delatæ fuerunt, vti scribit F. Franciscus Didacus in Vitâ eiusdẽ Sancti, per quas nimirum Franciscam Ferreriam sororem suam germanam ab atrocissimis Purgatorij tormentis eximeret: Missæ tres de SS. Trinitate, quinque de Vulneribus Christi Saluatoris, septem de Gaudiis Deiparæ Virginis, vna de Circumcisione Domini, tres de sancto Ioseph &

Variis Pontificum indulgentiis sunt approbatæ.

Missæ a S. Vincentio Ferrerio reuelatæ, quæ sint.

& SS.Patriarchis, quatuor de SS.Euãgelistis, tres de S.Ioanne Baptistâ, quinque de SS. Apostolis, vna de Dominicâ Palmarum, vna de Feriâ quartâ Hebdomadæ sanctæ, vna de S.Angelo Custode, vna de S. Michaele, nouem de SS. Angelis, vna de SS.Martyribus, vna de SS.Confessoribus, vna de SS. Virginibus, & vna pro defunctis. Summa in vniuersum quadraginta octo: quarum obligatio cùm non sit vt continuè dicantur, & diebus non impeditis ex Missali tamquam votiuæ desumi possint, non video quid obstet quò minùs ex S. Vincentij imitatione celebrari valeant.

13. Alia plura huiusmodi Sacra passim reperiuntur, sed nos, vt ad Communionem sacram citiùs veniamus, non nisi illa priùs referre volumus, quæ in D. Getrudis Saxonicæ Insinuationibus recitantur his verbis: *Ceterùm his non absurdè adiiciendas putamus septem Missas B. Gregorio Papæ diuinitus (vt maiorum nostrorum habet traditio) reuelatas, eò quòd ad liberandum animas à pœnis suis miræ sint virtutis & efficaciæ, vtpote quæ meritis Christi (quibus omne debitum soluitur) potissimùm sunt subnixæ. Debes autem sub qualibet harum Missarum (si facultas adsit) in honorem Passionis Christi septem luminaria accendere, & septem diebus quolibet die quindecim Pater noster & Aue Maria legere, & septem eleemosynas dare, & vnam Vigiliam defunctorum legere quolibet horum dierum. Prima itaque Missa est, Domine ne longè, cum Passione integrâ, vt in die Palmarum, sub cuius memoriâ rogandus est Dominus per captiuitatem suam (quâ sponte tradidit se in manus peccatorum) vt liberet animam à captiuitate pœnarum, quam suâ propriâ meruit voluntate. Secunda Missa, Nos autem gloriari, cum Passione Domini, vt Feriâ tertiâ post Palmarum: sub quâ rogandus est Dominus per iniustam sui condemnationem ad mortem, vt animam liberet à iusto iudicio suo, cui propriâ suâ voluntate se ream fecit. Tertia Missa, In nomine Domini, cum Passione, sicut Feriâ iiij. post Palmarum: sub quâ rogandus est Dominus per innocentem sui affixionem pendentiamq́; dolorosissimam in cruce, vt liberet animam à debitis pœnæ, quibus se suâ voluntate affixit. Quarta Missa, erit etiam, Nos autem gloriari, vt suprà cum Passione, Egressus Iesus, vt in die Parasceues; sub quâ rogandus est Dominus per acerbissimam mortem & transfixionem cordis, vt sanet animam à pœnis & vulneribus peccatorum, quæ suâ voluntate contraxit. Quinta Missa, Requiem æternam; sub quâ rogandus est Dominus per sanctam sepulturam suam, quâ ipse cæli terræq́; dominator dignabatur in terrâ recondi, vt animam eruat à foueâ peccatorum quàm suâ voluntate incidit. Sexta Missa, Resurrexi, vt per gloriam iucundæ Resurrectionis suæ animam ab omnibus peccatorum maculis mundare, & suæ gloriæ participem facere dignetur. Septima Missa est, Gaudeamus, vt in die Assumptionis B. Mariæ, quâ Dominus Iesus & Mater sua rogandi sunt per gaudium quod in die Assumptionis suæ suscepit ipsa Mater misericordiæ, vt detur animæ precibus & meritis ipsius gloriosæ Virginis, ab omni impedimento absolui, & cælesti Sponso feliciter sociari.* Quæ Sacra celebrata quantæ sint remunerationis ac meriti, è Libro III. patebit.

Septem Missæ Gregorianæ è D. Gertrudis Insinuationibus referuntur. Li. 5. cap. 21.

14. Ad sacram itaque Communionem, per quam etiam ad Sacrificij effectus participandos acceditur, vt veniamus, notandum est, clarissimè è superiùs dictis patere, non sacrificantes tantummodò, sed & communicantes, Eucharistiæque sumptione refectos, de venerabilis istius Sacramenti virtute & fructu gaudere: quod cùm Scriptores varij peculiaribus Tractatibus exponere soleant, nos modò breuiter tantùm attingemus, & quæ Ven. P. Petrus Canisius compendiosè hac de re è Scripturis Sacris & Patrum auctoritatibus perstrinxit adducemus. Quæstione itaque nonâ, de fructu sacræ Communionis ita interrogat: *Quem fructum exhibet ritè sumpta Eucharistia:* Et respondet: *Plurimum sane maximumq́; præbet. Hoc enim sacrum est conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis eius, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur, vt præclarè horum fructuum sensu experientiaq́; excitata decantat Ecclesia. Hic est panis qui de cælo descendit, & dat vitam mundo, nostrosq́; animos in vitâ spirituali sustentat atq; confirmat. Hæc Sacra Synaxis siue Communio, quæ fideles tamquam eiusdem corporis membra inter se iungit, ac Sanctorum piorumq́; omnium meritis associari significat atque præstat, tum, quod augustius est, eosdem capiti suo Christo arctissimè vnit, vt in eo illi maneant & ipse in illis, atque ita vitam æternam consequantur. Hoc est viaticum nostræ peregrinationis, quod in huius vitæ deserto militiaq́; versantibus, & hinc ad cælestem Ierusalem tendentibus, veluti manna Patribus datum, adfert consolationem, delectationem, virtutem & gratiam longè efficacissimam. Ac præcipuè quidem duo (vt egregiè docet Bernardus) in nobis operatur hoc Sacramentum, vt & sensum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrûm non tam sæpè modò, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut ceterorum huiusmodi, gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo; & gaudeat quòd pessimum vlcus accedat ad sanitatem.* Et idem alibi: *Hoc corpus Christi ægris medicina, peregrinantibus via, quod debiles confortat, valentes delectat, languorem sanat: per hoc homo mansuetior efficitur ad correptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obedientiam promptior, ad gratiarum actionem deuotior. Quare nihil mirum à magno Ignatio scribi, vt ad Eucharistiam Deiq́; gloriam, sicut ille appellat, frequenter & properè accedamus. Quando enim assiduè hoc ipsum agitur, expelluntur potestates satanæ, qui actus suos in sagittas ignitas conuertit. Medicamentum est panis ille immortalitatis, antidotum moriendi, sed in Deo per Iesum Christum viuendi.*

Communio sacra homines viuifici sacrificij

eiusq́; fructus participes reddit.

In Catechismo suo magno.

Duo præcipuè sacra Communio in homine operatur:

In peccatis minimis minuit sensum, & in maximis tollit consensum.

Quàm insignia Canisij verba, nisi potiùs sint dicenda Scripturæ ac Patrum, ex quibus ille eadem tam pulchrè contexuit. Multis sanè hinc ostendit, non viuos tantùm, sed & per viuorum Communionem mortuos adiuuari. Nec obest quòd superiore Capite luculenter ex D. Thomâ retulimus, sacrosanctam Eucharistiã sumentibus prodesse quidem per modum & Sacramenti & Sacrificij, non sumentibus verò per modũ dumtaxat Sacrificij: quia ista intelliguntur de opere, vt loquuntur Theologi, operato, id est ex vi ipsius oblationis intrinsecâ. Soli enim viuentes sic Sacramentorum capaces inueniuntur, his enim solis Sacramentum visibile applicari potest. Verumtamen ex opere operantis nemini dubium esse potest, quin multis è capitibus sacra Communio à viuis deuotè percepta, etiam defunctis fidelibus plurimum adiumenti cõferat. 16.

Communio viuorũ mortuis prodest, duas ob rationes.

Pri-

Primò enim, quantò magis à culpis suis mortales ipsi purgantur, quantò donis ac diuinis gratiis potioribus augmentantur, tantò sunt aptiores, ac maiorem habent impetrandi facultatem, vt igne Purgatorio defunctos exsoluant. Deinde ingens etiam animarum vtilitas ex perceptâ pro ipsis Communione redundat, prout paucis videre licebit ex illis fontibus, ex quibus superiora sua Venerabilis P. Canisius hausit. Ad prius quod attinet, homines scilicet ad impetrandum pro mortuis magis disponi, id est purgari à propriis defectibus, ornari virtutibus, donari Dei beneficiis quæ fundamentum impetrationis sternunt, probat de peccatorum in sumentibus remissione ac gratiarum perceptione ex Petro Ven. Cluniacensium Abbate, cuius hæc citat verba: *Non est superfluum Christi Corporis & Sanguinis Sacramentum, in quo viuacior memoria excitatur, quo feruentior dilectio prouocatur, quo plenior peccatorum remissio comparatur. Non est superfluum, quia non tantùm per id quòd Deus est, sed etiam per id quòd homo est, nobiscum est vsque ad consummationem sæculi. Non est superfluum, quia per Corpus suum redimit nos, per idem Corpus suum reficit nos, vt redempti per Corpus eius, & refecti per Corpus eius, nutriamur & pascamur humanitate eius, donec satiemur Deitate & gloriâ eius.* Et ex S. Cyrillo profert hæc verba: *Pias quæso cogitationes suscipias, studiosè sanctéq; viuas, & de benedictione participes, quæ (mihi crede) non mortem solùm, verùm etiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cùm in nobis manet Christus, sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.* Ibidem: *Sicuti parum fermenti (vt Paulus ait) totam massam fermentat, sic paruula benedictio totum hominem in seipsum attrahit, & suâ gratiâ replet: & hoc modo in nobis Christus manet, & nos in Christo.*

Primò: quia hominem viuū à propriis defectibus purgat, & gratiam præstat vt pro defunctis efficaciùs orare possit. Ex lib. 2. Epist. 2. cont. Petro-Bruhan.

Lib. 4. in Ioannem cap. 17.

16\. *Hæc ipsa Conciliorum auctoritate confirmatur:* Sess. 13. c. 1. Tridentini.

Consonant hisce quæ hanc in rem habent sacrosancta atque Oecumenica Concilia. Tridentinum quidem, cùm dicit: *Saluator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo diuitias diuini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum, & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamq; annuntiare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat. Sumi autem voluit hoc Sacramentum tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viuentes vitâ illius qui dixit: Qui manducat, & ipse viuet propter me; & tamquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur. Pignus prætereà id esse voluit futuræ gloriæ & perpetuæ felicitatis: adeoque symbolum vnius illius corporis, cuius ipse caput existit, cuiq; nos tamquam membra arctissimâ fidei, spei & charitatis connexione adstrictos esse voluit, vt idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.* Et Concilium Florentinum: *Huius Sacramenti effectus, quem in animâ operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris eius vnitur, consequens est, quòd per hoc Sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur, omnéq; effectū, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem sustentando, augendo, reparando & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem, in quo gratam Saluatoris nostri recensemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum.* Vt exindè manifestum sit, communicantem non prodesse tantùm defuncto posse, quia à vitiis purgatus ipse, ac diuinis charismatibus repletus, ad impetrandum factus est multò capacior; sed quia cum Christo vnitus, eique intimus, ac cum ipso idem effectus, communicare alteri potest quæ sibi Christus exhibuit, quoniam Sacramentū istud, vt anteà hoc eodē Capite patuit, *Communio* dicitur tum quòd hinc vniamur Saluatori, tum quòd inter nos veluti membra participemus.

Et Florentini.

Secundò: quia per ipsam Christo vnimur, adeoq; illa quæ ab ipso accepimus aliis communicare possumus.

Plura ex Vener. Canisio adferri possent, sed, quandoquidem altiùs in mare, prospero lati vento, impulsi sumus, paulatim ad littus nobis remigandum erit, ideoque pauca de multis quæ mortuos ipsos immediatè contingunt, in medium adferemus. S. Cyrillus Alexandrinus solidè adstruit, mortuis perceptā à fidelibus Eucharistiā leuamen adferre, hisce verbis: *Hac de causâ in exsuscitandis mortuis non solummodò verbo atque imperio vt Deus vtebatur, verùm etiam carnem suam, quasi cooperatricem nonnumquam adhibebat, vt reipsâ ostenderet, carnem quoque suam, quoniam sibi coniūcta est, viuificam esse; atque fideles doceret, suum, non alterius corpus esse. Nam quando Synagogæ Principis filiolam suscitabat, manum eius apprehendit, vt scribitur, & erexit, dicens, Puella surge; ita vt Deus & verbo & carnis suæ tactu eam excitauit, vnam ab vno se Christo, Deo videlicet atque homine, operationem producens. Quando etiam in ciuitatem Naim vocatam ingrediebatur, & efferebatur vnigenitus matris filius iam mortuus, tetigit corpus eius, dicens: Adolescens tibi dico, Surge. Non ergo verbo solo semper (vt diximus) verùm etiam tactu mortuos excitabat, vt ostēderet, corpus quoque suum viuificare posse. Quòd si solo tactu suo corrupta redintegrantur, quomodo non viuimus qui carnem illam gustamus & manducamus? reformabit enim omnino ad immortalitatem suam participes sui.* Quid? quòd & nonnullis Defunctorum Missis assignata sint Euangelia, quibus & Communionis Sacræ necessitas & vtilitas exprimitur, quod haud dubiè signum est, per hanc ipsam defunctis opem ferri. Sed ad exempla veniamus.

17\. *Idipsum ex S. Cyrillo manifestè adstruitur.* Comment. in Ioan. c. 14

Math. 9.

Luc. 7.

Quamuis infinita propemodum recenseri queant, duobus tantùm è D. Gertrudis Saxonicæ Insinuationibus desumptis contēti erimus. Prius est: *Die alterâ communicaturæ incidit desiderium vt se demergeret in profundam vallem humilitatis, vt in eâ lateret ob reuerentiam dignationis illius, quâ Dominus pretiosum Corpus & Sanguinem suum communicat electis. Vnde patuit illi profundissima illa humiliatio, quâ Filius Dei descendit ad Limbum, vt ipsum euacuaret. Vnde in vnione descensionis illius nitens, videbatur sibi ad profundum Purgatorij descendisse: & ibidem, quantum potuit, se deprimens, intellexit Dominum sibi dicentem: In susceptione Sacramenti te mihi sic intraham, vt tecum pertrahas omnes ad quoscumque peruenerit odor desideriorum tuorum, qui inæstimabilis est in vestimētis tuis. Post hoc verò promissum cùm ad sumptum Sacramentum desideraret, vt sibi Dominus de Purgatorio tot animas præstaret, in quot partibus Hostia in ore ipsius diuideretur, & ideò conaretur illam in plures partes diuidere, Dominus dixit ad eam: Vt intelligas quoniam miserationes meæ sunt super omnia opera mea, & quia non sit qui abyssum pietatis meæ possit exhaurire, ecce præstò sum, vt per pretium viuifici istius Sacramenti multò plus accipias quàm orare præsumis.* Alterum est hoc: *Dominicâ quâ agitur communis memoria pro animabus parentum Congregationis, dum*

18\. *Exemplis idem asseritur.* Insinuat. l. 3. c. 18. circa fin.

Insinuat. lib. 5. cap. 20.

post

post sumptam sacram Communionem Hostiam illam offerret Domino in remedium prædictarum animarum, & statim magnam multitudinem videret de quibusdam infimis tenebris ascendere, sicuti scintillæ sparguntur, quasdam in similitudinem stellarum, quasdam verò alterius speciei; illa perquirens, si numerosa illa multitudo esset ex parentibus nostris, tale à Domino accepit responsum: Ego propinquissimus vester sum pater, & frater & sponsus, ergo affinissimi vobis sunt mei speciales, quos nolo expertes esse à communi memoriâ parentum vestrorum; vnde cum his sunt intermixti, & ideò ipsa disposuit semper orare potiùs pro specialibus Domini.

19. Neque verò mirum est, Communionem sacram flammas ignis purgatorij restinguere, cùm etiam flammis ignis elementalis vrendi facultatem abstulerit, vt patuit in puero cuiusdam Iudæi, qui casu particulas Hostiarum consecratarum cum aliis Catholicorum filiis absumpserat. Historia sat est lepida, & omnino authentica; proinde eam alleuiando tædio hîc referamus.

Communio sacra etiam elementarem ignem restinguit.

Euagrius Scholasticus lib. 4. cap. 35. Histor. Ecclesiast.

Epiphanio mortuo, in Sede Constantinopolitanâ successit Menas, cuius temporibus miraculum editum fuit planè memorabile. Vetus fuit consuetudo Constantinopoli, vt si quando multæ admodum particulæ puri & immaculati Corporis Christi Dei nostri superessent, pueri impuberes, qui scholas frequentabant, accerserentur, easq; manducarent. Quòd cùm factum fuit, filius cuiusdam hominis, Hebræi quidem opinione; arte autem vitrarij, vnà cum pueris versatus est: qui quidem, parentibus percontantibus ab eo causam moræ, respondit vti res se habuit, seq; cum aliis pueris pariter comedisse. Hebræus bile, furore & iracundiâ inflammatus, in clibanum ardentem, in quo vitrum formare solebat, puerum coniicit. Postquam verò mater puerum quæritans, reperire non potuit, passim per totam vrbem ibat, Deum cum gemitu obtestans, & flebilibus lamentis se dedens. Triduo autem post, ad ostium officinæ viri sui consistens, luctu miserabiliter dinexata, nomine puerum compellat. Puer, matris vocem vt agnouit, è clibano responsum dat. Mater effractis foribus, intrò irrumpit; videt puerum in mediis carbonibus candentibus consistentem, illæsum ab ignis incendio. Qui cùm rogaretur, quo pacto illæsus manserit, Mulier, inquit, veste amicta purpureâ, crebrò ad me venit, porrexit aquam, quâ carbonum flammas corpus ambientes extinguerem; cibum denique dedit quoties esuriebam. Quare ad Iustinianum delatâ, puerum cum matre lauacro regenerationis tingendos decernit; patrem autem pueri, qui recusabat in numerum Christianorum adscribi, in Sycis cruci suffigendum curauit.

20. Sed & dignam Communionis percipiendæ præparationem explicabimus, vt sic ad tertium Sacrificij participandi modum posteà trãseamus. R. P. Petrus Canisius iterùm hic audiri debet, qui, licet succinctè, neruosè tamen & solidè ex SS. Patribus & Scripturâ in suo Catechismo totam huius materiæ substãtiam sic explicat. Interrogat: *Quænam ad Eucharistiam dignè sumendã, eiusq; fructus consequendos requiruntur?* Et respondet: *Expedita est Apostoli responsio, Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat; quemadmodum & Augustinus dixit: In Christi corpore vita nostra consistit; mutet ergo vitã, qui vult accipere vitam. Hæc autem probatio sui, & vitæ mutatio, in quatuor potissimùm rebus versatur, videlicet vt adsit fides, pænitentia, mentis attentio, & Christiani hominis habitus decens. Fides hoc postulat, ne de his quæ diximus, aliisq; similibus ad hoc mysteriũ pertinentibus, quidquam dubites. Id fiet, si simpliciter quidẽ in fide atque sententiâ Ecclesiæ, vt est sane necessarium, per omnia acquiescas. Pænitentia, peccatorum detestationem, & explicatam coram Sacerdote confessionem, impetratamq; absolutionem exigit. Animus deinde præsens accedat opus est qui se per meditationem & precationes pias ad hoc tantum Sacramentum seriò cõuertat. Postremò decens habitus, & compositio postulat, ad sacram Synaxim neminem nisi castum, ieiunũ, modestum, humilem, supplicem, minimeq; sordidum accedere. Qui verò sacram Eucharistiam indignè sumunt, non vitam sed iudicium sibi sumunt, & rei sunt Corporis & Sanguinis Domini, Apostolo teste: quales cũ Iuda & Iudæis, sanguinariis Christi hostibus, grauissimè condemnabuntur.* Sic Canisius, qui singula Scripturis ac Patrum Conciliorumque dictis confirmat, prout apud eum videre erit. Sed hæc pro rudioribus præparatio est, qui vel peccatores magni sunt, vel non satis instructi in illis quæ ad Sacramentorum frequentationem requiruntur: nobis verò, quia res potissimùm est cum his qui deuotiores sunt, & magis spiritualem aliquam opus habent præparationem, eadem ex D. Gertrude Saxonicâ transscribenda.

Communio sacra quomodo dignè sumatur.

Quæst. 10. de præparat. ad Commun.

1. Cor. 11. Serm. 1. de Tempor.

Probatio sui in quatuor potissimùm consistit.

21. In illius Insinuationibus hæc leguntur: *Accedens quoque ad sumendum viuificum Sacramentũ, dum in Antiphonâ, Gaude & lætare, cantaretur, Sãctus, Sanctus, Sanctus, procidens ad terram in humilitate cordis, exorabat Dominũ vt ipsam præparare dignaretur, quò ad laudem suam, & profectum vniuersitatis, cælestibus epulis dignè posset participare. Ad quam Filius Dei, tamquam dulcis amator, se repentè acclinans, & osculum suauissimum animæ ipsius imprimens, dum cantaretur Sanctus, Ecce in hoc, inquit, osculo, cum isto Sãctus quod attribuitur personæ meæ, do tibi omnem sanctitatem tam diuinitatis quàm humanitatis meæ, vt cum illâ satis dignè præparata accedas. Sequenti verò proximè die Dominicâ, cùm iam pro dicto dono gratias Deo persolueret, ecce Filius Dei, præ millibus Angelorũ formâ speciosus, suscipiens in brachia sua quasi glorians de ea, ipsam Deo Patri in perfectione sanctitatis illius, quam ipse sibi donauerat, ex personâ sui iucundè præsentabat. Vnde & Deus Pater per Vnigenitum suum in tantũ sibi complacuit in animâ eius, quòd quasi non valens se continere, etiam ipse cum Spiritu sancto suum sibi Sanctus largitus est, ad obtinẽdam plenam benedictionem totius sanctitatis tam omnipotentiæ quàm etiam sapientiæ & benignitatis.* Ecce ergo, mysticam illam præparationem fuisse profundissimam sui ipsius humilitatem. Quin alteram quoq; adiungere lubet, quæ valdè est notabilis. *Die quoque aliâ diuinis participatura, dum recoleret Dei beneficia erga se, venit illi in mentem illud libri Regum, Quis ego sum, aut quæ domus patris mei. vnde reiiciens illud, Quæ domus patris mei, quasi illi fuissent homines qui secundum Dei ordinationem vixerunt tempore suo, seipsam considerabat quasi plantulam paruam, quæ ex proximitate inextinguibilis ignis diuini cordis recipiens beneficia, velut naturaliter in seipsâ ignescens, & ex culpis negligentiarum suarum de horâ in horam quasi incineranda deficiens, & iam quasi in nihilum redacta, iaceret similis minimo carboni extincto. Hinc cùm ad benignissimũ propitiatorẽ Iesum Dei Filium conuerteretur, orans vt ipse eam qualemcumque Deo Patri reconciliatam præsentare dignaretur; ipse amantissimus Iesus per vaporem amoris sui vulnerati cordis eam sibi attrahere videbatur, & abluere in aquâ inde profluẽte, deinde irrigare ipsam in Sanguine viuificãte sui cordis. Ad quod illa ex minutissimo-*

Lib. 3. c. 18. Mystica ad Communionem sacram præparatio.

Ibidem statim post.

mo carbone conualescens, creuit in viriditatem arboris, cuius rami in tres partes ad modum lilij diuidebantur: quam arborem Filius Dei assumens, cum gratitudine & gloriâ semper venerandæ Trinitati præsentauit. Quâ præsentatâ, tota beata Trinitas tantâ dignatione se ipsi inclinauit, quòd Deus Pater ex diuinâ omnipotentiâ suâ in superiores ramos illius posuit omnem fructum quem anima illa protulisse potuisset, si se debito modo diuinæ omnipotentiæ habilitasset. Similiter Filius Dei atque Spiritus sanctus in alteras duas partes ramorum videbantur ponere fructus sapientiæ & benignitatis. Post hæc, dum illa Corpus Christi sumpsisset, & (vt suprà dictum est) animam suam in similitudinem arboris conspiceret radicem habere fixam in Vulnere lateris Iesu Christi, per ipsum vulnus, tamquam per radicem, nouo quodam & mirabili modo sensit se quasi per singulos ramos simul & fructus & folia penetrari à virtute humanitatis & diuinitatis, in tantum, quòd fructus totius conuersationis ipsius per ipsam nouum reddidit splendorem, sicut aurum lucet per crystallum. Vnde non solùm beata Trinitas, verùm omnes Sancti, miræ iucunditatis susceperunt delectamentum: in cuius reuerentiam omnes surgentes, & quasi genua flectentes, singuli obtulerunt merita sua in specie coronarum, pendentes ea super ramos arboris prædictæ, ad laudem & gloriam illius, qui per ipsam refulgens, nouo delectamento eos dignabatur iucundare. Ipsa verò cùm oraret Dominum, vt omnibus in cælo, & in terrâ, & in Purgatorio (qui omnes iure habuissent profectum de operum suorum fructu, si ipsa non neglexisset) saltem nunc daret profectum ex fructibus diuinâ benignitate sibi collatis, cœperunt singula opera (in quorum specie apparuit arboris fructus) efficacissimum liquorem desudare, cuius pars defluens in superiores, ipsis gaudium cumulauit; pars verò defluens in Purgatorium, pœnas eorum mitigauit; pars autem defluens in terras, iustis dulcedinem gratiæ, & peccatoribus amaritudinem pœnitentiæ augmentauit.

Quantus sacra Communionis effectus.

22\. Quàm ergo imprudenter illi faciunt, qui sese Communioni sacræ sine iustâ ratione subducunt! Legendus illis esset D. Cyrillus, qui damna & incommoda rarò communicantium recenset; & S. Ioannes Chrysostomus, qui huiusmodi neglectum, pestem vocat & interitum. Sanè D. Thomas conclusionem istam posuit: *Cùm virtus huius Sacramenti hominibus in primis salutaris sit, expedit quotidie illud sumere, si quis se quotidie debitâ cum deuotione præparatum inueniat, quod propter multa impedimenta non omnibus contingit.* Quod vt vberiùs explicaret, *Dicendum*, inquit, *quòd circa vsum huius Sacramenti duo possint considerari; vnum quidem ex parte huius Sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris, & ideò vtile est quotidie ipsum sumere, vt homo quotidie eius fructum percipiat. Vnde Ambrosius dixit: Si, quotiescumque effunditur Sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere, quia semper pecco, debeo semper habere medicinam. Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, vt cum magnâ deuotione & reuerentiâ ad hoc Sacramentum accedat. Et ideò si quis se quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile est quòd quotidie sumat. Vnde Augustinus, cùm dixisset, Accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit, subiungit, Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius deuotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animæ, non est vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo inuenerit præparatum. Vnde dicitur: Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero.* Et infrà: *Secundùm diuersum statum Ecclesiæ, diuersa circa hoc statuta emanauerunt. Nam in primitiuâ Ecclesiâ, quando magna vigebat deuotio fidei Christianæ, statutum fuit, vt quotidie fideles communicarent. Vnde Anacletus Papa dicit: Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia. Postmodum verò, diminuto fidei feruore, Fabianus Papa indulsit, vt si non frequentiùs, saltem ter in anno omnes communicarent, scilicet in Pascha, Pentecoste, & Natali Domini. Soter etiam Papa in Cœna Domini dicit esse communicandum. Postmodum propter iniquitatis abundantiam refrigescente charitate multorum, statuit Innocentius III. vt saltem semel in anno, scilicet in Pascha, fideles communicarent. Consulitur tamen in libro de Ecclesiasticis dogmatibus, omnibus diebus Dominicis esse communicandum.*

Communio sacra non est negligenda aut intermittenda.

Cyrill. lib. 3. in Ioan. c. 37. Chrysost. Homil. 24. in 1. Cor. Thom. Aquin. p. 3. q. 80 art 10.

Quando & quatenus sacra Eucharistia quotidie sumi possit.

Lib. de Sacram.

Lib. de Dogmatibus Ecclesiasticis. Ad 5.

In primitiuâ Ecclesiâ fideles quotidie communicabant.

Decret. de Consecrat. dist. 2.

Propter Christianorum in deuotione languorem annua Communio introducta est.

23\. Sed de frequentiori SS. Eucharistiæ communione paulò quid amplius dicendũ est, tum propter fidei nostræ hostes & aduersarios, tum vel maximè propter nonnullos malè sanos Catholicos, qui nescio quâ simulatâ religione, fictoque zelo venerationis quæ tam sublimi Sacramento debeatur, frequentiorem eius vsum & perceptionem improbant, ne dicam omnino damnãt. Longè verò alia mihi, & omnibus probis rectèq; sentientibus Catholicis mens est, cùm firmissimè sciamus ipso nascentis Ecclesiæ tempore huius Sacramenti cultum & reuerentiam, imò vt apertè me explicem, frequẽtiam & quotidianũ vsum floruisse & viguisse, vt illa Actorum verba indicant, *Erant perseuerantes in communicatione fractionis panis*, & illa quæ paulò pòst sequuntur: *Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis.* quæ à multis celebrioribusque Doctoribus de quotidianâ corporis & Sanguinis Dominici communione exponuntur. Hanc nimirum D. Hieronymus plurimis annis apud Romanos & Hispanos viguisse testatur; & apud Suarem legimus, nostrâ adhuc ætate sub Imperio Presbyteri Ioannis in Indiâ obseruari. Quid, quòd sanctus Dionysius Areopagita, qui tempore Apostolorum vixit testetur, eos qui nolebant in Missâ, quam audiebant, accipere Eucharistiam, solitos fuisse expelli ab Ecclesiâ veluti excommunicatos? Hinc rectè Tridentinum hisce verbis ad frequentiorem eius vsum hortatur: *Optaret sancta Synodus, vt singulis Missis adstantes communicarent.* Quod à sanctis & priscis Patribus sancta illa Synodus didicit, nimirum à S. Ambrosio, cuius hæc sunt verba: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? Quotidie accipe, vt quotidie tibi prosit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere.* atque iterùm, *Qui semper pecco, debeo semper habere medicinam.* Hanc ipsam doctrinam, à suo Magistro traditam, amplectitur S. Augustinus: & S. Ioannes Chrysostomus iis, qui audaciæ accusabant illos quos frequenter ad hoc diuinum Sacramentum accedere videbant, sic respondet:

Act. 2.

Epist. ad Luc.

Part. 3. q. 80. dist. 69. sect. 3

Sess. 22. c. 6.

Lib. 4. de Sacram. cap. 4.

Serm. 28. de Verbis Domini.

Non

Hemil. super Epist. Pauli.

Non est audacia quotidie accedere, sed indignè accedere. Sed sunt, vt antè monui, qui se tuentur & excusant prætextu nescio cuius humilitatis, fictæ an veræ: quibus ego illa D. Gregorij verba repono, quæ & S. Thomas Aquinas recitat: *Illa est vera humilitas, quæ ad recipiendum quod vtiliter præcipitur pertinax non est.* Sunt item alij, qui prætexunt timorem, vtentes illis D. Petri verbis: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Verùm & hosce non audiendos esse, sed amorem præualere debere, ita sanctus Augustinus docet: *Amor & spes, ad quæ semper Scriptura nos prouocat, præferuntur timori. vnde & cum Petrus dixisset, Exi à me Domine, quia homo peccator sum, respondit Iesus: Noli timere.* Qui & timidis hisce animum addens, sic ait: *Securus accede, panis est, non venenum.* Sunt iterùm qui propter reuerentiam & honorem, qui tam præcellentissimo Sacramento debetur, vt aiunt, ab eius frequentiore vsu abstinent: quibus illud sancti Cyrilli oppono: *Sciant igitur baptizati homines, si longo temporis spatio propter simulatam religionem mysticè Christo communicare recusent, ab æterna se vita procul repelli; quippe recusatio huiusmodi quamuis ex religione proficisci videtur, & scandalum facit, & laqueos instituit.* Sunt denique, quibus illud D. Augustini frequens in ore est, *Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero.* vnde elicere volunt, sanctum illum Doctorem incertum reliquisse, nec definire voluisse an quotidiana aut saltem frequens Eucharistiæ participatio probanda esset, ideoque omittere malunt, quàm in incerto fluctuare. Sed his regerendum existimo, D. Augustinum illic non loqui de hominibus piis & religioni intentis, sed de illis qui negotiis sæcularibus, variis rei tum publicæ tum familiaris & domesticæ curis, diuitiis, honoribus, aliis addicti & implicati, sæpiùs à diuinorum meditatione auocantur, de quorum quotidianâ communione dixit, *nec laudo nec vitupero.* Et notandum est, eos, qui contra assiduum Eucharistiæ vsum oggannire & oblatrare non verentur, hac ipsâ Augustini sententiâ potiùs damnari quàm iuuari. Cùm enim magnus ille Doctor Ecclesiæ, tam doctus, tam pius, tam prudens, tam solers, communionem quotidianam in mercatoribus & eiusmodi distractis damnare non fuerit ausus, hi longè inferiores, minùs pij, imperitiores, incautiores, negligentiores, improbare eam audent in his qui ab omni negotiorum temporalium tumultu & strepitu liberi & quieti degunt. Et, quod est amplius, cùm D. Augustinus non damnet in negotiatoribus & sæcularibus supremum quotidianæ cōmunionis vsum, hi scioli & nasutuli, & nihil non, quod pium & à vulgari improborum vsu remotum est, culpare adsueti, in iis qui negotiis mundi se subduxerunt, nec iis vllo modo implicantur, moderatam Communionem, quæ singulis octo vel quindecim diebus à nonnullis timoratis fit, reprehendere audent.

Quæst. 80. art. 10.

Lucæ 5.

Nihil in sumptione V. Eucharistia timendum.

Lib. 12. super Ioan. c. 26.

Rationes cur sæpius communicandum.

Sed rationes audire volunt, quare frequentiorem Communionis sacræ vsum ita approbemus, rati nos ab iis destitui. Verùm enimuerò errant boni isti viri, errāt: variæ & multiplices sunt, quibus hanc nostram doctrinam roborare possumus. Ordine igitur & distinctè, vt meliùs percipiantur, eas proferemus. Primò ergo ipsius naturæ ductu & instinctu edocemur, rationi esse consonum, vt, ni aliquando errare velimus, in actionibus nostris sequamur antiquam Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ consuetudinem, veluti regulam certissimam & infallibilem, præsertim si etiam Patrum doctrina & consensus accedat, secundùm illa Prophetæ verba: *Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in eâ.* Iam verò præcedenti paragrapho ex solemni Ecclesiæ Catholicæ vsu, & sacrorum Doctorum concordi doctrinâ probaui, magnam quondam in Ecclesiâ antiquâ fuisse huius Sacramenti frequentationem. Illorum ergo opinio, qui contrà sentiunt, meritò sanè suspecta est, cùm per illam damnetur, quod viri sanctissimi, integerrimi, sapientissimique vnanimiter amplectuntur. Secundò, si propter culparum, in quas labuntur, assiduitatem, sibi videntur indigni, minusque dispositi vt hoc diuinissimum Sacramentum octo vel quindecim dierum spatio recipiant; multò magis indigni minusque dispositi erunt post transactum vnius anni curriculum. Si enim propter vnius hebdomadis peccata sibi videntur indigni, numquid multò indigniores erunt propter peccata vnius anni? vt verè dixerit S. Ambrosius: *Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum.*

Ratio prima.

Ierem. 6.

Altera ratio.

24. *Ratio tertia.*

Tertiò, numquid insanum arbitrareris eum, qui rogatus causam edicere quòd ad luculentum focum non accedat, respōderet, ideò se non accedere, quòd valdè frigeat? cùm eapropter potiùs accedere debuisset. Similiter in hac re putandum est, insanum esse eum, nec mentis satis compotem, qui ideò se minùs frequenter communicare dicit, quòd tepidus sit & frigidus. Hoc enim diuinum Sacramentum copiosissimus ignis est, ad quem qui sæpiùs accedit, etiamsi animo sit frigidissimus, & in virtute atque pietate gelidissimus, plus satis incalescet, & in feruore virtutum & religionis exercitio calidissimè ardebit. Quò spectat quod D. Bonauētura scribit, sic inquiens: *Licet tepidè accedens, fiducialiter confide de misericordia Dei; quia quò magis es æger, eò magis indiges medico.* Quartò, Si bona communicandi voluntas bonæ mentis dispositioni iuncta fuerit, haud minus habet meriti quàm voluntas abstinendi propter timorem; excepto, quòd communicans non communicantem excedat in fructu quem ex communione recipit. Denique, Diuinum hoc Sacramentum datur nobis sub nomine alimenti aut cibi, (*Caro mea verè est cibus*, inquit Saluator) non tamen cuiuslis, aut quo rarissimè vtamur, sed nomine panis, cuius vsus est quotidianus & frequētissimus (*Ego sum panis qui de cælo descendi.*) Sicut ergo cibi corporalis sumptio ad vitæ temporalis sustentationem necessaria est, & nisi eo frequenter vteremur, paulatim deficeremus; & tandem eneruati omninò moreremur: ita diuini huius Sacramenti vsus præcisè ad animæ robur nutriendum necessarius est, alioquin ea clangueseeret, & denique morte æternâ periret.

Lib. 7. de Processu Relig. c. 2.

Ratio quarta.

Quinta.

Ioan. 6.

Ibid.

25. *S. Communionem dissuadentes, quâ digni punitione.*

Videant ergo illi, qui fideles à cælestis huius cibi frequentatione auocant aut deterrēt, quàm grauis & perniciosi mali causa sint. Verè dixit in spirituali sensu Ecclesiasticus: *Panis egentium vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Panem pauperum vocat diuinum hoc Sacramen-

Eccli. 34.

Psal. 76.
Eccle. 7.
mentum, quod ſpiritu pauperibus inſtitutum fuit, non ſuperbis mundi diuitibus. *Paraſti in dulcedine tuá pauperi Deus*, ſed *faſtidioſos diuites* dimittis *inanes*. Qui ergo, vt Spiritus ſanctus ait, fratrem ſuum fructu huius diuini panis defraudat, iure dicendus eſt homicida ſeu vir ſanguinis, adeoque in illum dici poteſt illud S. Ambroſij: *Paſce fame morientem; ſi non paviſti, occidiſti*: & Deus ab eo rationem exiget, obiiciens ei illud Iobi,
Iob 22.
Eſurienti ſubtraxiſti panem. Faciunt hi quod olim fecit Holofernes, qui cùm Bethuliam obſideret, vt ciues aquæ inopiâ ad deditionem cogeret, *incidi præcepit aquæductum illorum*.
Iudith 7.
Quam male faciat qui S. Communionem diſſuadent.
Cùm enim aquæductus, per quos Deus aquam gratiæ ſuæ mentibus noſtris infundit, ſint ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, nituntur illi, quantú poſſunt, hoſce aquæductus obſerare. quod aſſequi cùm non valeant, conantur impedire, ne quis ad claram gratiæ diuinæ aquam participandam accedat. Sciant tamen quicumque hoc faciunt, quàm prauó operi incumbant, quando à diuini huius Sacramenti aſſiduâ participatione fidelium animos auocant. Sciant, vnum ex grauiſſimis damnis, quæ, ſicut Daniel Propheta vaticinatus eſt, Antichriſtus Eccleſiæ inferet, eſſe huius diuini cibi ſubtractionem, & Sacrificij prohibitionẽ & abrogationem.
Dan. 12.
Cùm ablatum fuerit, inquit Vates, *Sacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem*. in quem ſenſum hunc locum exponunt varij Patres, D. *a* Hieronymus, *b* Irenæus, & *c* Primaſius. S. *d* Hippolytus Martyr hæc habet: *Pretioſum corpus & Sanguis Chriſti non extabit in diebus illis.*
a In Comment. ſuper Danielem.
b Lib. 5. aduerſ. hæreſ.
c Super c. 12. Daniel.
d In Orat. de Cõſummatione mundi.
Quòd ſi ergo modò aliqui reperiantur, qui frequentiorem corporis & Sanguinis Chriſti vſum impediant aut diſſuadeant, aut quocumque modo contradicunt, illi ſunt reuera inſtrumenta ſatanæ, inferorum nuntij, Antichriſti præcurſores, qui eidem viam parant & ſternunt, vt quando venerit, Catholicorum animos, tepidos, negligentes, & minùs feruidos inueniens, faciliùs queat ſummum frigus, ignauiam & faſtidium inducere.
1. Reg. 14.
Legimus in libris Regum, Saul Regem ſuis militibus aliquando præcepiſſe, vt ab omni prorſus cibo abſtinerent donec de hoſtibus, quos inſequebatur, victoriam reportaſſent; Principem verò Ionatham, filium eius, fame & labore defatigatum, animoque languentem, ſumpſiſſe pauxillum mellis aut faui, eiusq; oculos ſtatim factos fuiſſe alacriores. Cumque ei patris eius edictum indicaretur, optaſſe vt omnes comederint, quò maior de hoſtibus victoria referri potuerit. Quòd ſi iam aliquis adhuc Saul ſuperſit qui ſpecie religionis & reuerentiæ ſuadere voluerit à diuino cibo Euchariſtiæ abſtinentiam, ſcitote, fraudulenter illum agere. Si enim, tamquam Ionathan, hunc diuini mellis fauum omnes, vt par eſt repurgatis conſcientiæ ſordibus comederint, proculdubiò fidei oculi illuminabuntur, ſpei alacritas erigetur, charitatis feruor accendetur, & ingens ab hoſte infernali, carne & mundo victoria reportabitur.

26. Sunt qui rogent, quænam regula ſeruanda ſit, ne in huius Sacramenti frequentatione excedere atque labi contingat, cùm varij eius gradus exiſtant.
Quænam ſit regula in Euchariſtiæ frequentatione.
His ego cum Catholicis Doctoribus reſpondendum arbitror, quemadmodum in omnibus rebus fugienda ſunt extrema, ſic etiam faciendum eſſe in ſumptione Euchariſtiæ, propter periculum quod in vtrolibet extremo reperitur. Ideoque huius Sacramenti vſus & frequentatio non ſit tam aſsidua vt eius reuerentia minuatur, nec etiam tam rara, vt mirabilibus eius effectibus atque fructibus frui non poſſimus. Mediocritas ſanè eſt laudabilis, quæ ideò *aurea* appellatur; & verè

——— *Medium tenuere Beati.*

Qualiter verò illa mediocritas definienda ſit, certò definiri non poteſt: cùm enim egeſtas & deuotio in omnibus non ſit eadem aut æqualis, neque etiam æqualis regula præſcribi poterit; nullumque hac in re melius eſt arbitrium, quàm prudentis & deuoti Confeſſarij conſiliũ.
Optimum hic confeſſarij conſilium.
Quemadmodum enim Medicus arbitrari debet, conſideratis ægroti naturâ & ſymptomatibus, quoties ille comedere debeat, ideoque huic vt ſemel, illi vt bis, iſti vt ter de die comedat præſcribit: ſic etiã prudẽs Confeſſarius, qui eſt ſpiritualis Medicus, tactò pulſu animæ, explorataque deuotione & affectu cuiuſlibet, vel frequentiorem vel rariorem Euchariſtiæ ſumptionem imperabit. Dico igitur cum S. Ioanne Chryſoſtomo, *Communionis tempus non eſt feſtum atque celebritas, ſed conſcientia pura, vitaq; à peccatis repurgata.*
Orat. de S. Philogonio.
adeò vt, quãuis feſtum nullum occurrat, dummodò quis rectè diſpoſitus ſit, Euchariſtiæ vſum non improbẽ, cùm hoc in animæ ſemper ſalutem & vtilitatem cedat. Magna tamen ſemper cautela adhibenda eſt, ne quis ad eam indignus accedat: quia hic cibus tam eſt noxius indiſpoſitis, quàm iuſtis eſt vtilis & proficuus. Idem lumen noctuas excæcat, & homines illuminat: ex iiſdem floribus araneæ venenum, & apes mel colligunt: idem vinum intemperantem obruit, & temperantem corroborat, Ita ſimiliter ſacra Communio

Mors eſt malis, vita bonis:
Vide paris ſumptionis
Quàm ſit diſpar exitus.

Quemadmodum enim Chriſtus dixit, *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*; ita viciſſim D. Paulus, *Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.*
Ioan. 6.
1. Cor. 11.

Continere me hoc loco nequeo, quin cũ eximio quodam Eccleſiaſte (cuius etiam verbis atq; inuentis alioquin haud rarò vtimur) cõtra nonnullos exclamem atque vociferer, qui impurâ & ſordidâ conſcientiâ, hoc eſt, grauioris reatus atque peccati ſibi conſcij, vel etiam cum propoſito eadem peccata repetendi, ad tam purum atq; ſanctum Sacramentum accedere non verentur. 27.
Agitur aduerſus malè communicantes.
Dicite, ſi aliqua in vobis eſt fides de verâ Chriſti hoc in Sacramento præſentiâ, quomodo peccato mortali contaminati ſacratiſsimum hoc corpus ſumere audetis? Quomodo tu, detractor effeminate atque iniurioſe, Chriſtum audes intra fœtidum pectoris tui ſepulchrum condere, illumque qui te cælo beare cupit, in turpiſsimum animi tui morumque infernum immittere? An te diuinũ latet edictũ? An ignoras, cùm D. Ioanni in ſpiritu oſtẽſum fuit cõuiuium quod Chriſtus ſuis miniſtrat fidelibus, exiiſſe præconẽ, qui Dei erat Angelus, altaq; voce, antequã conuiuãtes menſæ accumberent, ita exclamaſſe: *Foris canes, foris impudici*?
Apocal. 22.
Ecce excluduntur ab hoc conuiuio omnes illi qui turpiter viuunt, vel inſtar canum poſt Pœnitentiæ Sacramentum ad vomitum redeunt. Exclu-

cluduntur etiã, qui rabidis canibus similes, aliorum virtutibus oblatrãt, & de proximorum famâ & honore detrahũt: panis enim hic solummodò est panis filiorum, hoc est illorum qui dignè ad illum accedunt; nec est dandus canibus. Vultis dicam vobis quid huiusmodi hominibus accidat? Dicam. Contingit illis quod contigit olim misero Amano, qui à conuiuio Estheris ad patibulum abreptus fuit: quod contigit ei qui ad nuptias Euangelicas sine congruâ veste se ingerens, in tenebras exteriores missus fuit: quod Iudæ proditori, qui primus omnium indignè huic Sacramento communicans, à satanâ correptus fuit: quod vrsis simul cum fauo apes deuorantibus, quarum aculeis grauiter punguntur: quod piscibus, qui simul cum escâ hamum deglutiunt, adeoque vnde vitam sperabant, mortem accipiunt. Sic & illi miselluli à conuiuio cælesti, ad quod indignè accesserant, ad infernalia tormenta abripiuntur: sic congruâ & conuiuali veste destituti in tenebras exteriores includuntur: sic à satanâ inuaduntur & occupantur: sic cum fauo aculeum, & cum vitæ escâ mortis hamum deglutiunt, qui indignè ad dulcissimum illum fauum accedere præsumũt. Sed & hoc in memoriam illis reuocandum est, quòd Rex Baltassar,
Dan. 5.
templi vasa in profanos vsus vertens, antequam à conuiuio surgeret, viderit in pariete manum sententiam mortis suæ ferentem. Quid iam fiet aduersus sacrilegum & impium hominem, qui Dei carnem & sanguinem sacratissimum profanat? S. Anselmus explicans illa D. Pauli verba,
1. Cor. 11.
Ideò inter vos multi imbecilles, & dormiunt multi, ait, huiusmodi homines non solùm in futuro, sed etiam in præsenti sæculo puniri, multosque suo tempore post Pascha, in pœnam sacrilegæ Communionis, morbis correptos fuisse testatur. Quod an nostris etiam temporibus eueniat, nouit Deus; ego saltem nimis quàm vereor, obseruaui enim iam ab aliquot annis, sæpiùs circa id tempus plurimos variis morbis corripi, videorque mihi audire Christum per Ieremiam in hoc Sacramento de illis conquerentem & di-
Ierem. 51.
centem: *Comedit me, deuorauit me Rex Babylonis, repleuit ventrem suum teneritudine meâ.* & apud Daui-
Psal. 16.
dem, *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, sicut catulus habitans in abditis.* vbi prioribus Ieremiæ verbis peccatores publici, posterioribus verò Dauidis occulti taxantur & reprehenduntur.

28. *Iis omnibus ad S. Communionem accedentibus, maximè tamen ministris necessaria dispositio.* *Ilai. 1.*

Et sanè si in omnibus communicantibus necessaria est digna dispositio, quantò ea ampliùs necessaria est in ipsismet eiusdem sacrosancti Sacrificij ministris? Magnam profectò munditiem & vitæ integritatem requirit Deus ab illis, idque iam olim præcepit per Prophetam: *Mundi estote, qui fertis vasa Domini.* ad quã munditiã significandam, iubebat Deus in ipso templi Ierosolymitani aditu esse vas aquâ plenum cum speculis, vt accedẽtes Sacerdotes aquâ lauarẽtur, seq; in speculis contuendo componerent atque ornarent ante Sacrificij oblationem; ingredientibusque ad Sancta sanctorum, præceperat mutari vestimenta, vsque ad vltimam tunicam. Hinc eos vocabat
Malach. 2.
Angelos per Prophetam, sic inquientem: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, quia Angelus Domini exercituum est.* Refert Clemens Alexandrinus, supra ianuam templi Epidauri scriptum fuisse hunc versum:

Esse decet castum, sancti qui limina templi
Ingreditur. ——

Quòd si templum falsi numinis ingressurus debet esse integer vitæ scelerisque purus, multò vtique candidior & purior sit oportet, qui carnem & sanguinem veri Dei tacturus est & tractaturus.

Si punitionem porrò quis indignè sumentium & administrantium Eucharistiam cognoscere velit, ea legat quæ hic ex Petro Venerabili Cluniacensium Abbate descripsimus. *Apud castrum Liziniacum*, inquit, *quod in Pictauiensi pago situm est, nuper quidam Presbyter erat, qui mundissimam & omnia mundantem Christi carnem & Sanguinem in altaris Sacramento, frequenter officio non deuotione sumebat, nec ab immundis tamen carnis operibus se cohibebat. Cumq; vt sus immundus multo tempore in cœno luxuriæ versaretur, & suiipsius fœtoribus delectaretur; territus conscientiæ malo, sicut & aliquando mali compunguntur ad horam, familiaritatem quorumdam virorum expetiit, & Abbati Bonæ-vallis, ac Fratribus eiusdem Monasterij, se in amicitiâ specie tenui copulauit. Qui longo tempore eum de vita emendatione commonentes, & vt sæculo renuntiaret assiduè exhortantes, nihil ab eo impetrare præter inanem spem aliquando potuerunt. Nam libenter, quæ dicebat, audire se fingens, & semper eos de conuersione suspendens, de societate Sanctorum illorum gloriabatur, nec admonitione vel exemplis eorum à malis retrahebatur. In his atque aliis perditæ atque perdendæ vitæ suæ actibus perdurans, & obstinatione impiâ iram sibi in die iræ thesaurizans, in morbum incidit; quo post aliquot dies ingrauescente, ad extrema peruenit. Aderat eum, visitationis gratiâ, Prior iam dicti Monasterij, atque cum eo per aliquantum diei spatium, ipso quoque rogante, permanserat. Et ecce nocte superueniente, cùm cunctis discedentibus solus lecto eius assideret, clamare terribiliter æger ille ad Priorem cœpit. Succurre, ait, succurre. Ecce duo supra omnem feritatem expauendi leones in me impetum faciunt, hianti ore ac rictu feroci per frusta discerpturi, me totum consumere volunt. Deprecare citò Dominum, vt ab his eripiar, antequam morsibus eorum consumar. Dicebat hæc, & tremebat, ac velut deuoraturos fugiens, timore defecto corpori vires addente, retrocedebat. Prior verò vocis illius ac gestus terrore turbatus, non sine multo & ipse timore erat: ad preces tamen ipsâ necessitate impellente conuersus, pro misero illo, vt poterat, Dominum exorabat. Quo orante, mutatâ voce æger, Benè, inquit, benè; recesserunt crudeles bestiæ, & per orationes tuas iam vltrà nusquam apparent. Et quia vsque ad vltimum spiritum semper sui compos extitit, nec, vt quidam morientium solent, vel in modico sensu imminutus fuit, conuersus ad Priorem, loqui cum eo de quibuslibet velut sanissimus cœpit. Cumq; tam de his quàm de aliis multa inter se verba conferrent, horâ ferè vnius spatio elapso, rursum inclamare longè terribiliùs, quàm primò, exorsus est. En, inquit, en ignis de cælo vt torrens inundans descendit, & super hunc lectum meum veniens, iam iamq; me in fauillam vsque conuertet. Festina, adiuua, ora, si fortè & ab hac morte eripi valeam. Et hæc dicens, manibus & brachiis opertoria subleuabat, eaq;, velut aliquid iuuare possent, inuisibilibus ignibus turbatus opponebat. Sed nec quidquam: non enim corporalia tegmina à spiritualibus incendiis tegere poterant, quem cælesti vindictæ impia opera exponebant.*

29. *Quæ damna indignè sacrificantes sequantur.* Petrus Venerabilis lib. 1. de Miraculis, cap. 15.

Horrendum exemplum!

bant. Prior, adaucto timore, denuò ad orationem conuertitur, & quantum in tali casu possibile erat, Domini misericordiam deprecatur. Illo vt suprà orationi instante, post paululum, patiens gratulationis vocibus preces eius interrupit, dicens: Quiesce, iam ab igne tutus sum. Nam dum super me, vt dixi, cum impetu descenderet, interpositus est linteus, vsq; ad quem ignis peruenit, sed eum transire non potuit. Iam & ab isto periculo ereptus, oro ne à me discedas, quousque quis istorum finis futurus sit agnoscas. Tunc Prior, qui tam timore quàm hospitandi necessitate recedere volebat, substitit, & ab oratione surgens, rursum ei assedit. Cumq; eum tantis terroribus anxium consolaretur, & vterque ad inuicem, vt priùs, colloqueretur, subitò ægrotus, ad inuisibilia raptus, obmutuit. Prior eum raptum ab humanis intelligens, rei exitum præstolabatur; cùm ecce post multum noctis spatium homo ad se rediit, & miserabiliter ingemiscens ait: Ha ha, ad iudicium æternum raptus sum, & heu! miser æternâ morte damnatus sum. Traditus sum horrendis tortoribus, igne inextinguibili cum diabolo & angelis eius perpetuò cruciandus. Ecce, ecce, ignita sartago plena bullienti adipe, quam coram me tormentorum ministri detulerunt, eamq; ad me frigendum vndique succenderunt. Et cùm Prior orationi, sicut iam bis fecerat, tertiò quoque incubuisset, ille ait: Cessa, cessa pro me orare, nec pro illo vltrà fatigeris, pro quo nullatenus exaudieris. Priore verò dicente, Frater redi ad cor, & misericordiam, dum adhuc viuis, à Deo require; ille adiecit: Putas me vt insanum loqui? Non insanio, sed sanâ mente quæ dixi confirmo. Et cucullam Prioris manu tenens, eum interrogauit: Nonne hoc quod manu teneo cuculla tua est? Quo respondente, Est; adiunxit: Sicut hæc vestis cuculla est, & sicut hoc quod substratum mihi est palea est, sic & hoc quod coràm cerno, ignita sartago est. Et dum hæc loqueretur, gutta inuisibilis ignis de illâ, quam dicebat, sartagine exiens, in manum eius, Priore vidente, cecidit; &, mirabile dictu! cutem & carnem vsque ad intima ossa consumpsit. Tunc ille acri cum gemitu, En, inquit, indubia rei probatio. Nam sicut ista, quam vides, de sartagine prolapsa gutta, carnis partem consumpsit, sic me totum confestim ignea vorago consumet. Priore ad ista stupente, iterùm dixit: Ecce sartaginem ipsam ministri infernales propiùs afferunt, & vt me in illam iniiciant, iam iamq; manus adaptant. Et post modicum: En linteum, in quo iaceo, vndique concurrentes accipiunt, & me in ignitam sartaginem æternùm frixuram proiiciunt. Hoc velut vltimum vale mox vt Priori atque his qui ad hoc horrendum spectaculum conuenerant, dixit, subtractâ voce, ac reflexâ ceruice, puniendum spiritum condemnatis spiritibus tradidit. Tantus verò terror omnes inuasit, vt illicò vniuersi aufugerent, neque aliqui in domo, vbi cadauer mortui remanserat, remanere auderent. Facto manè, miserum cadauer sepulturæ mandatum est. Post aliquot autem dies, cùm ad vniuersos circà positos hæc tam terribilis fama peruenisset, rei veritatem probare volentes, tumulum aperuerunt, atque fossam illam, quam in manu adhuc viuentis Presbyteri gutta prænuntia damnationis fecerat, in mortui cadauere inuenerunt. Quæ omnia, secundùm quod B. Gregorius dicit, nullo modo propter se infelix Presbyter vidit, cui nihil visio ista profecit; sed quantâ cautelâ Sacerdotale officium administrandum, quàm reuerenter diuina mysteria tractanda, superna per eum dispositio demonstrauit.

Desperat hic malus sacerdos.

Infelicissimè moritur.

Ista sic ibi, quæ non idcircò à nobis producta sunt, vt fideles à Communionis perceptione deterreamus, sed vt per dignam eiusdem perceptionem sese talibus iusti Dei iudicij punitionibus eximant, diuinumque hoc pabulum salutis sibi pharmacum efficere annitantur, quod aliàs indignè sumptum, haud dubiè esset venenum.

30. Ne quis verò indignè ad tam sublime mysterium accedat, nec pœnas corporales aut æternas incurrat, bona & congrua dispositio præmittenda est: cuius sanè egregium typum habemus in veteri Testamento, vbi Panes propositionis, qui Corpus Christi præsignificabant, in loco mundo & sacro comedebantur; quod, vt Origenes explicat, significabat, pectus humanum, intra quod diuinum hunc panem claudimus, esse oportere purissimum, id est sine terrâ, & absque misturâ aliquâ terrestris affectus. Sic & manna, quæ diuini huius cibi itidem typus & figura fuit, ne terram attingeret, indeque aliquid sordium contraheret, rore priùs cælitus misso excipiebatur, adeoque in locum mundum ac rore contectum; veluti super candidas mappas, delabebatur. Obseruatione quoque dignum est, quòd quamuis Christus in stabulo, aranearum telis onusto, fuerit natus, & in præsepio, fœno & straminis segmentis pleno, collocatus, totam insuper vitam in magnâ pauperie & egestate transegerit, tandemque in Caluariæ monte immundissimo, qui nimirum cadauerum ossibus & aliis immunditiis erat refertissimus; ad hoc tamen Sacramentum instituendum, & discipulis suis porrigendum, elegerit locum amplum, cœnaculum nimirum magnum & stratum; sanguinemque suum non in poculo aliquo argenteo aut aureo, sed in vase gemmeo ex lapide quem agatham apellant, consecrauerit. Quæ sanè omnia ornatum & nitorem, quem secum adferre debet qui huic diuinæ mensæ assidere voluerit, præsignificarunt. Pericles Philosophus, alioquin omnis in corpore suo ornatus negligens, ad nuptias formosi cuiusdam adolescentis iturus, diligenter admodum crines comebat, vestes expurgabat, pallium à puluere excutiebat, femoralia adaptabat. Rogatus verò causam ab iis quibus hoc insolens videbatur, respondebat, *Vt pulcher ad pulchrum vadam.* Cùm verò Christum, qui est speciosus præ filiis hominum, in diuinissimo Eucharistiæ Sacramento intra animam nostram simus suscepturi, numquid par est, vt & nos, quò pulchri ad pulchrum veniamus, cordis & mentis nostræ exquisito ornatui & singulari elegantiæ studeamus? Iacob patris sui accepturus benedictionem, & pacis osculum ei daturus, mutauit vestimenta, induens se fratris pretiosioribus vestibus quas ei sua mater suppeditabat. Scriptura Christum fratrem nostrum esse ait, eiusque vestimentum esse pulchritudinem & decorem; quo indui debet quicumque ad hoc Sacramentum accessurus est. Apud Romanos ea erat consuetudo, vt ad conuiuia ituri candidis vestibus induerentur. Mos hic ortum inde habuit, quòd nullæ non nationes mensam haberent sacram, & infamiæ imputarent, si quis inter epulandum fraudes dolosue meditaretur. Sic Tacitus vt perfidiam & crudelitatem Neronis exaggeraret, Britannicum ab eo *inter sacra mensæ* occisum fuisse refert. Sinceritatis ergo symbolum sunt vestes candidæ quibus Romani in conuiuiis vtebantur, vtpote quòd ibi animi sinceritas & rectitudo vel maximè necessaria esset: & tu miraris, quòd Christus

Digna ergo debet ad Cõmunionem S. esse dispositio.

Homil. 13. in Leuiticum.

Docetur exemplo Christi.

Matt. 14.

Exemplis item Ethnicorum.

Rom. 8. Psal. 92.

Christus eamdem à nobis exigat, dum sacrosancto eius Corpore & Sanguine pasci volumus? Noli, inquam, mirari: auersatur Christus cane peiùs & angue sordidam mentem, & si inuitus eò pertrahitur, nullas secum defert gratias & benedictiones, sed iudicium atque punitiones grauissimas.

31\. Sed vel maximè illas sordes horret Saluator, quæ ex libidinis pruritu & affrictu adhærent. Hinc D. Hieronymus: *Cùm me nocturnum phantasma deluserit, Basilicas Martyrum intrare non audeo.* Abulensis, agens de Ozâ, inquirit quodnam eius fuerit peccatum ob quod à Domino percussus fuerit & interfectus. Adfert autem ex doctissimis quibusque Iudæorum Rabbinis hanc caussam, quòd nimirum proximâ nocte cum vxore fuerit, & posterâ statim die Arcam contingere ausus sit. Hinc Concilium Elibertinum coniuges admonet, vt communicaturi, octiduo, quatriduo, triduóve saltem à coniugij vsu abstineant. *Omnis homo*, inquit, *ante Communionem à propriâ vxore abstinere debet tribus, quatuor vel octo diebus.* Quod idem a D. Augustinus & b S. Hieronymus consulunt. S. c Dionysius Alexandrinus tantam ait debere esse animi & corporis puritatem ad hunc diuinum cibum manducandum, vt menstruis mulieribus ad Communionem accessum interdicat. *Si piæ & fideles sint*, ait, *non debent sic affecta attingere Corpus & Sanguinem Domini.*

De corporali continentiâ ante Communionem seruanda.
1\. Reg. 6.
c. Omnes de Consecrat. dist. 2.
a Serm. 116. & 124.
b Lib. 1. contra Iouin.
c Epist. ad Basilidem.

32\. Ad eamdem animi puritatem commendandam facit quoque illud Salomonicum: *Quando sederis vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo.* Quid hoc est, *Statue cultrum in gutture tuo?* an spectaculum hoc Principi iucundum erit? Non puto, sed potiùs abhorrebit. Sed audi: secundùm litteram sensus hic est, quòd nimirum eo loco Salomon hominem rusticum & aulicæ consuetudinis ignarum doceat & instituat, quomodo conuiuio exceptus gerere se debeat; vrbanitatisque ei leges præscribat, vt scilicet nouerit æstimare cibos sibi appositos, & gutturi imponat cultrum temperantiæ, procliuemque ciborum appetitum & sine lege ruentem libidinem coërceat atque moderetur. Sensu verò allegorico alloquitur hic Spiritus sanctus sacrosancti Corporis & Sanguinis Iesu Christi conuiuas, & sic ait: *Cùm sederis ad mensam Principis* (siue vt alij transferunt *potentis*, scilicet Christi, qui per excellentiam potens dicitur) *attentè considera quid tibi apponatur ad comedendum.* Duo bonorum genera in Christi conuiuio consideranda veniunt, Intrinseca & naturalia, qualia sunt quæ ipsum Dei Filium naturalem constituunt; nempe diuina eius persona, natura, bonitas, omnipotentia, & sapientia, quibus reliqua diuinorum attributorum copia cumulatur. Externa item, inter quæ nonnulla ei data fuerunt gratis, qualis est vnio hypostatica, habitualis gratia, & quas vocant gratias gratis datas, cum ceteris donis quibus Christi anima locupletata est. Acquisita insuper ipsius virtute & donis, propria nimirum eius merita, cum aliis quæ sibi ieiunando, famendo, sitiendo, algores & alias necessitudines perferendo lucratus est. Hæc omnia nobis in hoc Eucharistiæ cibo communicat, qui tantæ celsitudinis atque diuinitatis est, vt si Deus eo quod nobis dat destitueretur, exinaniri eum & exhauriri oporteret. Quandoquidem ergo tanta huius sacri cibi sit præstantia & eminentia, iure exigit Spiritus sanctus, vt is qui ad hanc mensam accedere proponit quid sibi apponatur probè animaduertat. Inquit igitur: *Cùm sederis ad mensam potentis, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam.* Eleua paropsidem, inspice, dapes illas volue, reuolue, earum excellentiam & pretium inæstimabile contemplare, agnosce, æstima. Tum *statue cultrum gutturi tuo*, cultrum inquam mortificationis: quoniam qui mensam hanc accedere desiderat, cultro illo succidere debet omnes suorum sensuum affectus, delectationes & voluptates mundano sapore infectas.

Prou. 23.
Duo bonorũ genera in Eucharistiâ expendenda sunt.

Probè nouerat Apostolus, quàm eo dispositionis modo indigeremus, ideò ait: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* quasi diceret: Examinet homo seipsum, & ponderet suam vel dignitatem vel indignitatem, inspiciatque attentè, an mereatur litteram A vel R. hoc est approbationem vel reprobationem, admissionem vel repulsionem: fitque hoc in conuiuio omnino secùs quàm in aliis & mundanis; ibi enim probari seu gustari solet cibus qui comedẽdus est, non ab illo qui eum est comesturus. Nihilominùs commodè locutus est Apostolus, hausitque hanc doctrinam ab his quæ in cœnâ Domini gesta fuerant: quibus licet ipse non interfuerit, vt omnes sciunt, ea tamen didicit non *ab homine, sed per reuelationem Iesu Christi.* Sed quomodo Apostoli seipsos ante Corporis Dominici sumptionem probauerunt atque examinauerunt? Audi. Dominus Iesus, hoc Sacramentum instituturus, illudque omnium primùm suis discipulis distributurus, præmonuit illos, vnum ex illis esse diabolum, qui se Iudæis in diram mortem esset traditurus, adeoque cœnam hanc indignè comesturus: quod nimirum dixit, vt quilibet intra semetipsum descenderet, cõscientiamque suam examinaret, num ipsemet esset quem Christus innueret. Fecerunt hoc discipuli ad amussim, dicentes, *Numquid ego sum, Rabbi?* Ablutio quoq; pedum quæ illam vltimam Christi cum discipulis suis cœnam præcessit, manifestè indicat, magnam animi & cordis nostri debere esse puritatem, vt sanctissimum hoc Corpus recipere valeamus. Hinc igitur & Patres, Apostolicæ doctrinæ insistentes, omnimodis nobis illam inculcant. S. Augustinus sic ait: *Vnusquisque consideret conscientiam suam, & quando se aliquo crimine vulneratum esse cognouerit, priùs studeat eam emundare; aliàs potiùs se debet excommunicare, & ab altari remouere, quàm aliter accedere.* Quibus conueniunt quæ Theophylactus in allata D. Pauli verba commentatur, *Non alium*, dicens, *tibi iudicem tribuo, sed teipsum tibi commendo. Iudica igitur, & explora conscientiam tuam, & sic accede.*

33\. *Quàm rectè de his scripserit Apostolus.*
1\. Cor. 11.
Galat. 1.
Serm. 252. de Tempore.
In 1. Cor. 11.

Sed quomodo, inquis, me probare potero? quid mihi, vt hoc ritè fiat, faciendum est? Docet te hoc Ecclesia sancta & Catholica per Concilium Tridentinum, quo tibi manifestè innuitur, hanc probationem esse oportere Confessionem Sacramentalem, iuxta piam veteremque eiusdem Ecclesiæ consuetudinem. Sic ergo ibi legimus: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumuis sibi contritus videatur,* absque

34\. *Necessaria est ante sumptionem S. Eucharistiæ confessio.*
Sess. 13. c. 7.

absque præmissâ sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Ipsamet ratio naturalis hoc nos docet: & ipsa medendi ars, si palato cibum gratum & sapidum esse velimus, vult priùs palatum tergi & sanari; & vt vniuerso corpori alimenta seu pharmaca prosint, requirit stomachum ab humoribus malis & noxiis expurgari debere. Ergo vt hoc Sacramentum, eiusque sanctissimum alimentum comedētes iuuet, opus est vt ipsi priùs per confessionem Sacramentalem omnia peccata foras expellant. Rerum naturalium Scriptores mira de leænâ & lupo referunt, quæ optimè huc quadrant. Leæna igitur, si quando leonem maritum suum decepit, cum pardo adulterata, priùs quàm ad leonis consortium redeat, semetipsam in fonte aut fluuio aliquo abluit, vt tollatur fœtor ex pardi coitu contractus, quo leo grauiter offenditur. Lupus, si fame oppressus cibum non inueniat, terram comedit, quam posteà, carnibus inuentis, euomit, vt iis saturare se queat. Sic qui Christo fidem violauit, antequam ad illum veniat, in fonte confessionis Sacramentalis abluatur, & malum præteritarum culparum fœtorem deponat, quo alioquin Deus grauissimè offenditur. Qui item vult dulcissimâ Christi carne ali atque refici, euomat priùs ad Confessarij pedes omne peccatorum virus, quod ipsum Deo infestum & inimicum fecit. Sed & rei huius aliquot apertissimas in veteri Testamento habemus figuras. Manna non priùs de cælo pluit, quàm vniuersa farina, quam Israelitæ ex Ægypto secum deportauerant, defecisset. Ioseph priùs fuit lacrymatus quàm cùm fratribus ad manducandum assideret. Iob, antequam cibos caperet, suspirabat. Dauid panem suum lacrymis commiscuit. Booz deniq; secum conuiuaturæ Ruth dixit, *Intinge buccellam in aceto.* Hæc nimirum est necessaria dispositio ad hunc diuinum panem dignè comedendum, vt peccata plangamus & detestemur, firmo facto proposito numquam in posterum peccandi. Sed & S. Anselmus notat, Melchisedechum non priùs obuiam processisse Abrahamo cum Sacrificio panis & vini, donec ille hostes suos deuicisset: quo nimirum significatum fuit, non debere hoc diuinissimum Sacramentum sumi, nisi priùs motus animi, & turpes omnes affectus, per culpæ mortalis expulsionem, subiectos habeantur.

Res declaratur similitudinibus.

Item exēplis. Exod. 16.

Genes. 43.

Iob. 3.

Psal. 101.

Ruth. 2.

35. De circumstantiis dignæ præparationis necessariò quædam addenda sunt. Prima ergo est, vt ad cælestem hanc mensam accedamus cum profundissimâ cordis atque animi humilitate. Hoc est quod Origenes, in illa Centurionis verba, *Domine non sum dignus*, &c. commentarium scribens, à nobis exigit, dum sic inquit: *Quando manducas & bibis carnem & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum.* Imitare, ô Christiane, Miphibosēth, filium Principis Ionathæ, qui à Dauide vocatus vt secum Regiæ mensæ accumberet, humillimè ita se subducendum putauit, dicens: *Quis ego sum seruus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?* Si ergo Principis filius, & nepos Regis, indignum se iudicauit regiâ Dauidis mensâ; quam suæ indignitatis & nullitatis cogitationem habere debet qui ad cæleste corporis & Sanguinis Dominici epulum accedit? Illam nimirum, quam ostendit Daniel, quando ad illum panis frustum Dominus misit, quo accepto dixit: *Recordatus est mei Deus.* Quid, putas, dixisset, si pro pane illo, fortè cibario & rustico, accepisset delicatissimum & sapidissimum corporis & sanguinis Christi cibum, quem nos in hoc Sacramento tam liberaliter accipimus? Secunda est reuerentia. Si enim hæc rebus omnibus, aliquam sanctitatem habentibus, iure debetur; multò sanè maior obseruantia & veneratio exhibenda est illi, qui per essentiam & naturam suam ab omni æternitate sanctissimus, & fons omnis sanctitatis existit. Hoc est quod sacrosanctum Tridentinum Concilium tam tenere commendat, inquiens: *Certè quò magis sanctitas & diuinitas cælestis huius Sacramenti pio Christiano comperta est, eò diligentiùs cauere ille debet, ne absque magnâ reuerentiâ & sanctitate ad id recipiendum accedat.* Disertè exprimit Scriptura, quòd, cùm Dei iussu Seraph prunam ignitam ab altari sumeret, id fecerit non manu, sed forcipe. Quòd si homo fuisset ille, arbitrari poteramus id factum fuisse ne digitos ambureret: sed cùm Spiritus esset Angelicus, & beatus, quem ignis nullatenus lædere poterat, id facit propter reuerentiam. Quare si cælestis spiritus tam reuerenter accessit ad sumendum ignem de altari, manifestum est, eum qui non ignem, sed carnem & sanguinem Christi-Dei accepturus est, & intra se repositurus, magno cum tremore, reuerentiâ atq; sanctitate accedere oportere. Tertia circumstantia est vera cibi huius fames & appetentia. Sicut enim appetitus ciborum gustum comedentis iuuat, delectationem facit, & vt alimenta stomacho insideant corpusque meliùs nutriant efficit: ita cælestis hic cibus spirituali esurie & desiderio sumptus, animam magis delectat atque reficit. Hoc dispositionis genus Christus nos docuit, quando ante cœnam, in quâ hoc Sacramentum instituit, discipulis suis dixit: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum.* quasi diceret: En iam triginta & amplius anni abierunt, quibus semper fames me vrsit, & desiderium torsit, hunc, quem vobis præbeo Angelorum panem, comedendi vobiscum. Atque hunc in modum locum illum explicant S. Hieronymus & Tertullianus: qui sensus (quamuis alij hoc Ecclesiæ Patres explicent de fame & desiderio moriendi pro redemptione generis humani) sat est obuius. Possumus enim dicere, Christum desiderasse mortem tamquam diem festum, cœnam verò, suique corporis communicationem, velut eiusdem festi optauisse vigiliam siue profestum: vel, sin fortè magis placeat, dicere licebit, Christum anhelasse mori, Sacramento prius corporis sui veluti viatico suscepto. Quarta denique circumstantia est gratitudo animi, & deuota gratiarum actio propter tam singulare acceptum à Deo beneficium. Magni certè momenti atq; eximij fructus est hæc præparatio ad ampliora posteà in aliis Communionibus accipienda cælestia charismata. Nihil enim est quod magis benefactorem nostrum Deum ad noua beneficia in nos accumulanda excitet, quàm gratitudo, & susceptorum memoria. At heu! heu! hac in re vel maximum, non solùm apud laicos, sed & apud Ecclesiasticos (pudet

Circūstantiæ ad dignam præparationem sunt: 1. Humilitas:

Super c. 8. Marci.

2. Regum 9.

Daniel. 14.

2. Reuerētia.

Sess. 13. c. 7.

Isaiæ 6.

3. Spiritualis esuries.

Luc. 22.

4 Gratitudo pro beneficio.

Abusus magnus tum Laicorum tum

Ecclesiasticorum reprehenditur. (pudet dicere, sed dicendum est, & vlcus hoc duriùs paullò est exprimendum) video vigere abusum. Vix ab hac diuinâ mensâ redeunt, quin statim ad solita studia reuertantur, nihilque morentur propriæ salutis negotium tam opportuno tempore negligere, quo suæ causæ iudicem intra seipsos hospitio exceperunt. Nam præterquam quòd sit inurbanum, ne dicam prope sacrilegum, Deo ad te visitandum veniente, & domum tuam intrante, te ei, non salutato, terga obuertere; Medicorum etiam praxis docet, ipsaque experientia satis confirmat, cibo refectis opus esse quiete, & ab externis negotiis cessatione, cùm ea valdè sit necessaria, vt cibus stomacho adhærescat, & sufficienter digeratur. Opus est igitur ab hac mensâ surgentibus, vt tacitè & silenter quiescant, tanti Sacramenti mysterium meditentur, & cum Christo post acceptum tam cæleste alimentum paululum conuersentur: vt sicut externæ facultates & sensus hoc diuino Sacramento fruuntur, illud videndo, odorando, gustando; ita quoque interiores animi facultates, memoria & intellectus cum meditatione, & voluntas cum affectu, participes sint & fiant dulcedinis & suauitatis quæ in hoc Sacramento percipitur. At hæc fortè longiuscula.

36. *Tertius Sacrificij participandi modus est, dum Missæ celebrationi interfumus.* Insinuat. lib. 3. cap. 18.

Tertius iam Eucharistiam participandi modus explicandus superest. Is nimirum est, cùm Sacrificio sancto assistimus, & Missam audimus, pro quo aptissimè sanè producentur ea quibus S. Gertrudis Saxonica probat, fructuosum esse Missam audire. *Horâ*, inquit ille liber, *quadam eleuationis Hostiæ sub Missâ, dum eamdem Hostiam offerret Deo Patri in emendationem dignam omnium peccatorum, & in suppletionem omnium negligentiarum suarum, cognouit animam suam conspectui diuinæ Maiestatis præsentatam in beneplacito illo, quo Christus Iesus, splendor & imago paternæ gloriæ, Agnus Dei, sine maculâ seipsum eadem horâ obtulit Deo Patri pro salute vniuersitatis in altari, quia per innocentissimam Iesu Christi humanitatem respiciebat eam Deus Pater ab omni peccato puram & immaculatam, & per excellentissimam ipsius Diuinitatem ditatam & ornatam omnigenâ virtute, quâ ipsa gloriosa Diuinitas floruit per sanctissimam ipsius humanitatem. Cùm verò gratiarum actiones pro posse suo Domino persolueret, delectata in tam mirâ diuinæ pietatis dignatione, hunc ab ipso percepit intellectum, quòd quotiescumque aliquis cum deuotione interest Missæ, intendens Deo qui seipsum offert in Sacramento pro communi salutis vniuersitate, ille veraciter respicitur à Deo Patre pro beneplacito Hostiæ sacrosanctæ sibi oblatæ; ad similitudinem, sicut qui de tenebris calcat in radium luminis solaris, totus repentè illustratur. Tunc illa requisiuit à Domino, dicens: Numquid, Domine mi, statim vt quis in peccatum labitur, amittit etiam istam beatitudinem, sicut qui de lumine solis redit in tenebras, perdit gratam lucis charitatem? Respondit Dominus: Non. licet enim peccans aliqualiter lumen diuinæ placabilitatis sibi obumbret, pietas tamen mea semper in eo vestigium illius beatitudinis homini conseruat in vitam æternam, quam totiens sibi multiplicando accumulat, quotiens cum deuotione studet Missæ interesse ac Sacramentis.* Hæc ibi.

37. *Qui Missam deuotè audit ipsi Christo cooperatur.* Lib. 3. c. 6.

Quinimmò, qui deuotè Missam audit, ipsi Christo cooperari dicitur; quod iterùm ex iisdem Insinuationibus hunc in modum probatur. *In die verò*, dicitur ibi, *sancti Mauritij, cùm Missa celebrata esset vsque ad secretum quo Hostia consecratur, illa dixit ad Dominum: Tam inæstimabiliter tamq; excellenter reuerendum est opus istud, Domine, quod nunc operaberis, quòd paruitas mea nequaquam audet ad hoc respicere. vnde demergens me iacebo in profundissimâ valle humilitatis quam potero inuestigare, expectans ibi portionem meam, quia omnibus electis inde salus proueniet. Ad quod Dominus: Cùm mater aliqua artificiosa operari voluerit de serico vel margaritis, quandoque paruulum suum in eminentiori loco ponit, vt sibi filum vel margaritas teneat, vel aliquod tale adiuuamen impendat: sic ego te in gradu eminentiori statuens, Missæ huic interesse disposui: tu verò si extenderis voluntatem tuam ad hoc, quòd libenter quantumcumque difficili labore ad hoc seruire velles, vt hæc oblatio (quæ omnibus Christianis, tam viuis quàm defunctis, prodest) secundum dignitatem suam plenum sortiretur effectum, tunc optimè pro modulo tuo me adiuuisti ad opus meum.*

38. *Modus, quo Missæ spiritualiter interesse possumus.* Lib. 3. cap. 8.

Modum verò, quo spiritualiter Missæ assistere possimus, sic eodē in libro annotatum describimus. *Decumbens die quodam cùm Missæ interesse nequiret, & esset communicatura, turbato corde dixit ad Dominum: Ecce mi amantissime, cui nunc, nisi tuæ diuinæ præordinationi, adscribere possum, quòd hodie impedita sum à Missarum solemniis? & qualiter nunc possum præparari ad tui sacratissimi Corporis & Sanguinis perceptionem, cùm, vt mihi videtur, summa semper præparatio mea soleat esse intentio Missæ? Ad quod Dominus respondit: Ex quo mihi hanc imponis causam, intende mihi, & dulcisona & amatoria tibi decantabo epithalamia. Audi ergo me, quòd Sanguine meo es redempta, & perpende quòd totum tempus triginta annorum, quo in hoc exilio laboraui pro te, nihil aliud extitit quàm legatio desponsationis tuæ. Et hoc sit tibi pro primâ parte Missæ. Audi me, quòd Spiritu meo sis dotata; & disce, quòd sicut in legatione illâ totos triginta tres annos (vt dixi) corpore laboraui, sic in Spiritu celebrari iucundissimas exoptabilissimasq; nuptias pro tui coniunctione. Et hoc sit tibi pro secundâ parte Missæ. Audi etiam à me, quòd sis Diuinitate meâ adimpleta, & cognosce, quòd Diuinitas mea præualet inter exteriores corporis molestias, interiores, suauissimas gratissimasq; spirituales ministrare delicias. Et hoc tibi pro tertia parte Missæ. Audi insuper à me, quòd sis amore meo sanctificata, & agnosce, quòd nihil omnino ex te, sed solùm habes ex me, vnde placere potes. Et hoc tibi sit pro quartâ parte Missæ. Audi postremò à me, quòd conglutinatione meâ sis sublimata; & agnosce, quia cùm data sit mihi omnis potestas in cælo & in terrâ, impediri non possum te pro beneplacito meo mecum exaltare, sicut coniunctam Regis thalamo decet Reginam nominari, & per consequens dignè venerari. Ergo his intendendo delectare, nec amodò causeris te Missâ caruisse.*

39. *Oblatio Sacrificij nō per Sacerdotem solùm fit, sed etiā per eum qui Missam audit.* D. Thom. P. 3. q. 79. Alcuin. de diuin. offic. cap. de celebrat. Missarū. Rupert. li. 2. de diuin. offic. c. 6. & 7.

Porrò quòd non modò Sacerdotes celebrantes, sed etiam fideles Missam audientes, idem Sacrificium offerre dicantur iam probamus. Patet id Primò ex communi Catholicorum doctrinâ, pro quâ Doctorum aliquot testimonia adducere æquum est. Docuit hoc inprimis S. Thomas, qui expressiùs loquitur de orationibus quàm de Sacrificij substantiâ. Docuit idem Alcuinus, Rupertus, Rabanus, Petrus Damianus, Innocentius, Gabriel, Turrianus, & ex antiquioribus Patribus S. Irenæus, sed & S. Augustinus, dicens: *Quotidianum esse voluit Ecclesiæ Sacrificium, cùm ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipse sit*

Raban. lib. 1. de Instit. Cleric. c. 32. Pet. Damian. Epist. 12. cap. 7. & 8. Innoc. lib. 3. de mysterio Missę. cap. 5. & 6. Gabr. Lect. 26. in Canon. Turrian. in Scholiis ad Clem. lib. 8. Cōstit. c. 12. Iren. lib. 4. cont. hæres. c. 32. & 34. Augnst. l. 10. de Ciuit. c. 20. Leo Epist. 8. cap. 2. Innoc. loco sup. cit.

sit corpus, tam ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam sue- tus offerre. & D. Leo dicit, iuxta populi amplitudinem plures eodem die Missas esse dicendas, *ne aliqua pars populi Sacrificium offerre non possit.* in quibus verbis supponit, populum audientem Missam simul cum Sacerdote offerre. Quod ipsum etiam colligitur ex ipsius Canonis Sacrificij verbis, vbi quotidie dicitur: *Et omnium circumstantium, quarum tibi fides cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro se suisq; omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ; tibiq; reddunt vota sua æterno Deo, viuo & vero.* Horum verborum Innocentius duas adfert expositiones. Prior est, *Pro quibus tibi offerimus,* id est, pro populo seu fidelibus laicis non sacrificantibus. Posteriorem insinuat hisce verbis: Vel ideò dicit, *Pro quibus tibi offerimus,* quia non solùm offerunt Sacerdotes, sed & vniuersi fideles. Et hæc est communis expositio, quæ manifestiùs ex aliis in eodem Canone recitatis verbis colligitur, *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ.* ideò namque oblatio totius familiæ dicitur, quia tota ad illam offerendam aliquo modo concurrit; vnde & infrà insuper additur, *Vnde & memores Domine nos serui tui eiusdem Filij tui Domini nostri Iesu Christi, offerimus præclaræ Maiestati tuæ,* &c. Ergo plebs fidelis simul cum Sacerdote offert. Quibus similes loquendi modos in aliis etiam Liturgiis inuenire est.

Idē loquendi modus Scripturæ familiaris. Exod. 5. Num. 28. Leuit. 22. Augustin. lib. Quæst. vet. Testamenti q. 46.

40\. Sed & in Scripturis nostra assertio fundamentum habet. Pharaoni ex Dei personâ à Moyse dictum fuit: *Dimitte populum meum vt sacrificet mihi in deserto.* Ipsemet quoque Deus, *Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis,* &, *Offeretis holocaustum Domino,* ad plebem Israeliticam ait. nam, vt S. Augustinus, *ille dicitur offerre, cuius sunt oblationes quas super altare ponit Sacerdos; ipsiq; imputatur Sacrificium, cuius munera offeruntur.* Ratio autem reddi potest ex ipsâ ipsius Sacrificij naturâ, vtpote quod commune omnibus esse debet, quia est cultus publicus & solemnis totius populi; & quia offerre Sacrificium Deo, omnibus hominibus est quodammodò naturale: ergo necesse est, vt in omni lege omnes offerre possint Sacrificium, vel per se, vel per manus Sacerdotis; ergo idem seruari debuit in lege gratiæ, vt scilicet non solùm Sacerdotes, sed etiam reliqui fideles offerre possint. Quo sensu dixisse videtur Concilium Tridentinum, Christum Dominum dilectę sponsæ suæ, Ecclesiæ, reliquisse visibile, prout hominum natura exigit, Sacrificium. Datum est ergo hoc Sacrificium vniuersali Ecclesiæ, vt ipsa illud offerat, quamuis per Sacerdotes, quibus potestas offerendi specialiter est commissa, vt inferiùs idem inquit Concilium: & ideò addit, Missas omnes, quantumuis priuatim dicantur, communes esse censendas, quia à publico Ecclesiæ ministro non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur: dicuntur enim pro eis celebrari, non tantùm quia pro eis offeruntur, sed etiam quia ipsorum nomine tamquam eorum Sacrificia offeruntur. Et hanc rationem tetigit Paschasius. Sic ferè R. P. Franciscus Suarez.

Sess. 22. c. 1.

Ecclesia Sacrificium offert, se l per Sacerdotes.

Cap. 6.

Paschas. lib. de Corp. & Sanguine Domini, c. 9. Suarez in 3. disp. 83. sect. 3.

41\. Huc etiam faciunt illa quæ scripsit R. P. Lucas Pinellus, alter è Societate IESV Theologus. Ille, *Accedit huc,* inquit, *quòd, cùm omnibus hominibus quasi à naturâ insitum sit Sacrificium offerre Deo tamquam Domino supremo, omnes quoque suo certo modo possint Deo sacrificare. Dispiciendum igitur est de modo, quo reliqui quoque fideles ad oblationem ita concurrant, vt & ipsi offerentes rectè dici possint. Petrus Damiani fideles offerre dici inquit, quatenus id quod operatur Sacerdos, mentis quoque deuotione ipsi comprobant ac ratum habent. Alij asserunt, Sacerdotem nomine totius Ecclesiæ offerre, & vice versâ Ecclesiam dici offerre pro Sacerdote suo ministro: & quia fideles membra sunt Ecclesiæ, ideò rectè dici, ipsos etiam sacrificare & offerre. Tertius modus est hic, vt illi fideles dicantur offerentes, qui actu quoque aliquo externo ad oblationem sacratissimi huius Sacrificij concurrunt, & ita quasi Sacerdoti cooperantur; puta hi qui procurant vt legantur Missæ, eleemosynas elargiuntur Sacerdoti vt Missam legat, Missam legentibus ministrant, aut sanè ipsi Missæ attentè assistunt: pari modo vt homicida dicitur non solùm qui ipsemet aliquem occidit, sed & qui consilium auxiliúmve ad id præbet, aut homicidæ mercedem soluit. Atque hic tertius modus maximè probatur Francisco Suarez in loco citato.* Sic Pinellus, quem vt clariùs quid dicat percipias, ipsius Suarez verba addere libuit, quæ loco suprà citato habentur: *Alio ergo modo potest hæc denominatio esse magis specialis, & sic requirit aliquem specialem concursum, non tantùm internum, vt rationes supradictæ probant, sed etiam externum, qualis erit petere & procurare Sacrificium, dare eleemosynam seu stipendium Sacerdoti, inseruire illi sacrificanti, denique assistere consentiendo ac moraliter cooperando. Et hæc est magis propria denominatio offerentis, non tamquam principij per se ac immediatæ actionis sacrificandi, quod est proprium Sacerdotis, sed tamquam cooperantis aliquo modo Sacerdoti: nam in moralibus, qui aliquo ex prædictis modis cooperatur actioni, potest ab illâ denominari; sic enim dicitur homicida qui consulit vel comitatur homicidam, protegendo illum. Sic ergo in præsenti dicuntur offerentes, qui aliquo modo cooperantur exteriùs oblationi. Vnde fit vt tantò perfectiùs hanc rationem participent, quantò vel magis vel pluribus modis cooperentur. Et ita magis offert qui in Missâ ministrat quàm qui assistit. Et sic de aliis.* Hactenus R. P. Franciscus Suarez.

Lib. 1. de Missâ, c. 4.

Quomodo quilibet fidelis offerre Sacrificium dicendus sit.

42\. Exemplis denique rem totam illustramus. Lucas Pinellus ita loquitur: *Quàm grati & accepti Deo fuerint omnes quotquot vmquam S. Missæ Sacrificium digno honore ac reuerentiâ sunt prosecuti, ex admirandis beneficiis, quibus tales cumulare solitus est, facilè perspicitur. Certum & exploratum est, eum, qui res diuinas magni facit propter Deum, magis quoque à Deo æstimari. Et quia Deus ter opt. max. à nemine se beneficiis ac liberalitate vinci patitur, hinc est quòd in hac etiam vitâ cælestibus gratiis ac donis cohonestet qui illum honorant, sacram Missam debito honore ac reuerentiâ prosequendo: quæ cùm res diuina sit, ac Deo multis modis gratissima, certò credendum est, honorem qui Missæ exhibetur, ipsi quoque Deo ter opt. max. exhiberi. Beneficia porrò quæ diuersi hoc mediante Sacrificio sunt consecuti, quia maxima sunt & propè infinita, è multis pauca dumtaxat recensebo.* Atque ex Hieronymo Mego primùm refert, socios duos ad venationem profectos esse, & alterutrum fulmine occisum qui Missam die illo non audierat, seruato altero qui eam audiuisset; quod ob Sacrificium, cui interfuerat, actum esse, vox illa, quæ audiebatur, Illum non possum occidere, quia hodie audiuit, Verbum caro factum est, satis ostendit.

Lib. 1. de Missâ, cap. 3.

Missam quotidie Deo offerre, vel ei assistere, quas vtilitates secum ferat.

Missam qui non audierat fulmine perit.

Ex

Serm. 77. *Dux quidam, Missâ auditâ, victor in prælio euadit; non auditâ, occiditur.*

Ex Sermonario *Dormi securè* adducit Ducem Galleatum sæpiùs ab hostibus suis fuisse impetitum, non tamen læsum diebus quibus Sacro adstiterat, mactatum verò cùm illud neglexisset. Ex Surio in Vitâ B. Wolphelmi narrat, cæcam mulierem subitò visum recepisse, quæ Sacro eius interfuerat, & aquâ, quâ is in Missâ vsus erat, fuerat abluta. Ex D. Dominici historiâ Pinellus recitat, virum hunc sanctissimum, cùm celebraret, ad vitam reuocasse Napolionem Cardinalis S. Stephani nepotem. Ex Augustino refert, domum à malis geniis infestissimam, Sacrificij celebratione remansisse immunem. Ex Sermonibus Discipuli commemorat historiam sanè mirãdam, videlicet, duos mercatores fuisse, quorum vnus quidem quotidie Sacro intererat, ac omnia sibi vxoriq; ac liberis sustentandis ex voto recipiebat, alter verò, etsi nec liberos aut aliud onus haberet, festisque etiam diebus assiduè & sine vllâ intermissione laboraret, pauper tamen ac miserabilis semper manebat, donec à primo mercatore Missam quotidianam audire edoctus, & diues ipse factus fuit, iuxta illud: *Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.* Denique ex Æneâ Siluio, qui posteà Summus Pontifex creatus, Pius II. appellatus est, nobilem quemdam à tentatione, quâ vt seipsum suspenderet vrgebatur, omnino fuisse exemptum. Præter hæc breuiter assignata, duo alia hìc recensere libuit, quorum prius fructum ostendat audientium Missam, aliud eidem inseruientium.

D. Dominicus dum Missam celebrat, mortuum excitat. Augustin. lib. 10. de Ciuit. Dei, cap. 8. *Mercatores duo, alter Missam quotidie audiens ditescit, alter non audiens, egenus manet.* Matth. 6. Luc. 12. Æneas Siluius in Europâ, c. 21. *Nobilis per Missæ auditionem à desperatione liberatur.*

43. Prius ergo in magno Exemplorum Speculo hæc in verba refertur: *Miles quidam à Rege valdè dilectus iam morti appropinquans, vocauit filium suum, dicens: Fili, ego vado ex hac luce sperans misericordiam Dei, te relinquens vnicum filium. Impetraui ergo vt vicem meam habeas apud Regem. Nunc autem omnem substantiam tibi soli relinquo. Doctrina autem mea, quam sollicitè te volo seruare, omni auro tibi melior erit. Primò, quando quouis modo praeuales, quotidie Missam integram audire ne negligas. Secundò, vt Sacramentale coniugium seruans, beatæ virgini Mariæ tota vitâ tuâ deuotus perseueres. Si autem, præter virginem beatam Mariam, sponsam nullam habueris, multò ei gratius seruitium facis, quia virginitas fructum habet centesimum, coniugium trigesimum, viduitas sexagesimum. Qui verò fornicatus fuerit, exceptâ propriâ vxore, non solum non habet fructum aliquem, sed non sunt tot capilli in capite eius, quot ei in inferno præparata sunt propter hoc supplicia. Tertiò, quòd semper gaudeas cum Domino & Dominâ gaudentibus, fleas cum flentibus. Hoc obserua, fili mi, memor animæ meæ quo modo poteris: & sic expirauit. Adeptus ergo filius patris dignitatem, memor testamenti accepti à patre, omnia deuotè studuit obseruare. Propter ergo amabilem eius & castam eius conuersationem, amatur ab omnibus. Tantus deniq; pudicitiæ amator, vt impetentes Reginæ pedissequas ad concubitum acriter reprehenderet. Sed quia inuidia ex bonis alterius torqueri solet, accusatur à quodam seruo de suspecto amore cum Reginâ. Rege autem talibus non credente, ait ille inuidus accusator: Hoc tibi signum sit me verum dicere, Si tua pietas imposito quouis crimine quod Reginam contristet, quem diligit tam singulariter, mox cum illâ vsq; ad lacrymas contristabitur. Hoc enim sæpè nouit, quia dolentibus secundùm doctrinam patris sui condolere solet. Ait Rex secundùm consilium accusantis, & inuenitur etiam innocens condolere. Accessit igitur ille impius iterùm ad Regem, dicens: Probasti, Domine, me verum dicere, & cauto scrutinio illud probasti. Vt ergo sine tumultu populi pereat, quia diligitur ab omnibus quasi bonus, consilium meum est, vt dicas eis qui coquunt calcem aut lateres, vt primum quem crastinâ die ad eos miseris, præcipitent in fornacem ignis. Placet Regi consilium: iubet, vt audiuit ab impio, faciendum. Manè ergo facto dixit Rex innocenti illi militi: Perge ad fornacem calcis aut lateris, & dices magistris, Citò implebitis mandatum heri acceptum à Rege. Qui statim abiens, audiuit pulsum campanulæ in Ecclesiâ paruâ in medio viæ, declinauit ad eam volens audire Missam, vel orare, secundùm consilium patris sui. Fusâ igitur ad beatam Virginem oratione, commendans ei animam cum corpore, mox Dei nutu ibi dormitari cœpit quasi ad horam dulciter satis. Accusator autem eius tunc ait Regi: Vis vt vadam videre quid factum est, vt latum tibi referam nuntium, mortem scilicet adulteri? Annuente itaque Rege, anhelo cursu eques peruenit ad fornacem, dicens: Perfecistisne adhuc mandatum? cui adstantes iuxta eum dixerunt: Non, minimè tamen moram faciemus: arreptoq; illo præcipitarunt in ignem, Illo reclamante, eiulanteq; ac dicente, quòd ipse non esset qui comburi deberet, sed alius missus à Rege. Mox subsequitur innocens ille, humiliter dicens eis: Perfecistisne absque negligentiâ, quod heri de secreto consilio Regis audistis? Qui dixerunt: Fecimus. Ille verò rediit ad domum, nesciens de consilio. Magistris verò serò redeuntibus, ait Rex ad illos: Quare venientem ad vos hunc militem non tradidistis igni? Responderunt: Quia alius eo prior venit, quem deuorauit ignis. Correptus verò innocens à Rege pro tarditate, respondit: Paululum ad Ecclesiam declinaui, vt Missam audirem, commendans beatæ Virgini meipsum, rogans vt me protegeret, quatenus propositum virginitatis, quod integrum adhuc in me est, vsque in finem inuiolabiliter conseruarem. Post hoc ignorans tam dulciter obdormiui, vt me ad paradisi delicias raptum fuisse putarem: expergefactus autem mox tuum, ô Rex, compleui mandatum. Cui Rex ait: Quid loqueris de proposito virginitatis, cùm non ignorem, te iam ex longo insidiatum esse castitati Reginæ? licet enim de opere illicito nihil mihi certi constiterit, signa tamen dilectionis experientiâ secretâ didici; signans ei quòd Reginâ tristante non gauderet cum ceteris ex familiâ, sed ei collacrymari soleret. Tunc iuuenis cum admiratione ait: Audi me, ô Rex: moriente patre meo, quem deuotum Deo, & fidelem tibi nouisti militem, hæc tria ab eo accepi pro testamento (narrans ei prædicta documenta) quæ pro meo modulo complere laboraui. Tunc Rex valdè exhilaratus, exposuit ei per ordinem de inuidiâ, & consilio mortis, & dilexit eum super omnem familiam suam.* Alterum hisce verbis narratur: *Erat quidam Frater in ciuitate Reatinâ, nomine Ioannes, simplex, humilis, & semper iucundus: omnibus obsequiosus fuit, præcipuè infirmis & hospitibus. Sacerdotibus insuper omnibus indifferenter, quibuscumq; potuit, ad Missam cum summâ diligentiâ libentissimè ministrauit. Quadam autem die ministrante ipso ad Missam, vidit super altare lucem cælicam, & eadem die cœpit decumbere, & cum magnâ deuotione spiritum reddidit ei qui fecit illum: & infra eumdem annum Deus per ipsum sanctum Fratrem fecit circiter centum quinquaginta signa gloriosa.*

Spec. Exẽpl. tit. Inuidia, exemplo 10. ex Martino Polono in Promptuar. exempl. c. 8. Bernardino de Busto p. 2. Rosarij. Ser. 3. p. 3. litt. H Ioanne Herolt, seu Discipulo Serm. 48. de SS. circa fin. Chronico FF. Capuccinorum idiomate Lusitanico, & Ludouico Granatense p. 2. Catech. c. 27. §. 10. *Nobilis, dum Missã audit, ab insidiis hostium sucrum, & ab iniquâ in se latâ sententiâ liberatur.*

Spec. Exẽpl. tit. Fletus, exempl. 5. ex Vitis FF. Eremitarum D. Augustini lib. 1. c. 5. *Missæ qui ministrat, post obitum miracula patrat.*

Solent varij variè sacrosanctum Missæ Sacrificium variis applicare: insignior tamen est modus ille, quem obseruasse dicitur Venerabilis Mater Anna à IESV, S. M. N. Teresiæ quondam socia, cuius etiam aliis locis meminimus, quæ sic illud defunctis attribuere consueuerat. 44.

Qualiter Missæ Sacrificium applicari per omnes partes possit defunctis.

rat. In illo Missæ puncto, *Hæc commixtio*, quando scilicet particula Corporis Christi miscetur Sanguini, simul etiam in calicem mittebat vnam animam Purgatorij, hoc pretioso Sanguine purgandam. Quod gratum & acceptum sibi esse, Deus speciali ei reuelatione indicauit. Iam inde occasione sumptâ, hæc pia praxis audiendi Missam pro animabus Purgatorij excogitari & institui poterit, vt videlicet attendendo ad singulas illius partes & cærimonias, easdem applicemus proposito, hunc fortasse in modum: Ad *Confessionem*, confiteamur, non solùm nos, sed etiam animas esse peccatores, solâ tamen Dei gratiâ inniti. Ad *ascensum ad altare* rogandum erit, vt Deus eas dignetur ad sublime altare admittere. Ad *Kyrie eleison* imploranda pro eis erit piissima Dei misericordia. Ad *Gloria in excelsis* desiderandum est, vt animæ quamprimùm cum ceteris Sanctis gloriam Deo dicant. Ad *Orationes* offerendæ sunt Deo omnes omnium Sanctorum orationes & intercessiones pro animarum refrigerio. Ad *Epistolam*, per quam designatur spes & expectatio Patrum veteris Testamenti, seu illorum prædicatio, proponenda est Domino Deo spes & confidentia quam in eum eiusque benignitatem habuerunt & habent animæ. Ad *Graduale*, quo significantur opera actiuæ vitæ, offerenda Deo sunt bona animarum opera. Ad *Euangelium* memoranda est fides defunctorum, quâ in sanctam Trinitatem & cetera diuinæ & Catholicæ Religionis mysteria crediderunt. In *Offertorio* offerendum est Sacrificium pro ipsarum animarum salute & requie. In *ablutione* desiderandum est vt stolæ illarum in Sanguine Agni dealbentur. In *Præfatione* & ad *Sanctus* dolendum est, quòd retardentur à laudibus diuinis cum Angelis in cælo decantandis. Ad *Canonem* reuerenter mens ad tanta mysteria componenda, & simul inuocandi Sancti, eorumque participatio pro animabus expetenda est. Ad *eleuationem* Hostiæ & Calicis, adorandus est Deus, & piissima Humanitas Christi in hoc Sacramento, & desiderandum vt ab omnibus adoretur. Ad *demissionem* orandum, vt Christus dignetur ad Purgatorium descendere per misericordiam suam, animasque ibi detentas benignissimè liberare & exsoluere. Ad *reliquam partem Canonis* quæ sequitur, offerendum est Deo Corpus & Sanguis Christi pro pretio peccatorum tum animarum tum totius mundi, & facienda est peculiaris aliquorum defunctorum memoria. Ad *Pater noster* oratio illa velut ex ipso ipsius Christi ore pro animabus recitanda est. Ad *fractionem Hostiæ* recordari debet pius Missæ auditor descensus Christi ad inferos. Ad *Agnus Dei* rursus applicandum est huius immaculati Agni Sacrificium pro redemptione animarum purgandarum. Ad *Communionem* spiritualiter (quandoque etiam Sacramentaliter) pro ipsis communicandum est. Ab *ablutionem* iterùm animæ in Sanguine Christi lauandæ sunt. Ad *Postcommunionem* & quæ sequuntur, gratiæ Deo sunt agendæ; & porrò alia, quæ cuiuslibet pia vel feruida deuotio cuilibet suggesserit, exequenda.

Durandus in Rationali, lib. 4.

45. Quòd si etiam Lectorum aliquis compendiosam præcipuorum mysteriorum, quæ sub sanctissimo Missæ Sacrificio peraguntur, summulam desideret, obseruari poterunt ipsi inprimis Celebrantis actus, gestus, aliæque circumstantiæ. *Altare* Christi sepulchrum designat: *crux*, passionem & mortem: *luminaria*, lumen illud quo Christus resurgens sedentes in regione vmbræ mortis illuminauit: *Reliquiæ Sanctorum*, animas Martyrum & aliorum Diuorum sub altari, id est in Christi morte quiescentium: *tobalea*, vestimenta Saluatoris, quibus nunc exutus nunc iterùm indutus fuit, quæ diuisa fuerunt, & militibus in sortem cesserunt: Sacerdotis *amictus*, linteum, quo Christus in Caiphæ domo, dum alapis cæderetur & sputo fœdaretur, velatus erat: *alba*, vestem illam quâ Christus ab Herode indutus, spretus & illusus fuit: *cingulum*, *manipulus*, & *stola*, designant vincula quibus in corpore suo benedicto & lumbis propter cogitationum nostrarum sordes, in collo propter maligna è faucibus nostris eructata verba, & in brachiis propter iniqua nostra opera ligatus fuit: *casulæ* anterior pars designat columnam in qua flagellis & virgis cæsus fuit Saluator; posterior crucem, in quâ tam diram mortem perpessus fuit: denique Sacerdotis in capite corona, spineam Saluatoris, quæ tot punctionibus adorandum eius caput transfixit. Cærimoniæ quoque ipsæ & ritus, quos sancta Romana & Catholica Ecclesia in eiusdem intemerati Sacrificij celebratione obseruat, non sunt, vt impij hæretici calumniantur, nugatorij aut histrionici, sed mysteriis prægnantissimis atque piissimis omnino referti, adeoque nullatenus carpendi vel irridendi, sed potiùs attento animo venerandi & suspiciendi. En igitur eorum, prout ab insigni quodam viro traduntur, explicationem. Primùm Sacerdos confessione dictâ altare osculatur, significans pacis osculum à Deo nobis præbitum. Dum recitat *Introitum*, indicat Dei de Virgine nascentis in mundum aduentum, claudensq; versiculo *Gloria Patri*, totius sanctissimæ Trinitatis, cuius simul mysterium profitetur, opus esse Incarnationem declarat. Dum nouies *Kyrie* & *Christe* repetit, laudes innuit, quas Deo nouem Angelorum chori decantant; vel etiam nouem illos menses designat, quibus Christus intra matris suæ purissima & virginea viscera delituit. Dum dicitur *Gloria in excelsis*, in memoriam reuocatur cælestium spirituum canticum, quo sanctissimam Christi IESV recens nati solemnitatem celebrarunt. *Orationes* quæ ante Epistolam recitantur, denotant, antequam prædicaret Christus, eum orationi vacasse, de quo nimirum scribitur, *Erat pernoctans in oratione Dei*. *Epistola* denotat præcursorem Christi Baptistam, qui eum ad pœnitentiam prædicandam præcessit. *Euangelium* succedēs indicat, post Baptistæ doctrinam successisse legem Christi. Recitatio *Symboli* ab Apostolis compositi, significat ipsos mysteriorum fidei fuisse præcones. *Oblatio* in hoc Sacrificio significat illam quæ in cruce pro peccatoribus facta est: *Orationes secretæ* tempus illud in quo Christus ante passionem latuit. Præfatio, eius festiuum in ciuitatem Ierosolymitanam ingressum, vbi lætis vocibus & canticis excipiebatur. *Eleuatio Hostiæ*, corpus illius in cruce eleuatum; *calix*, sanguinem eius pro nobis effusum; secunda eleuatio, ab ipso tandem in cruce spiritum emissum. *Remotio velaminis*, velum templi scissum; & quod tunc fit *Crucis signum*, nos per ipsam Patri reconciliatos esse. *Orationes secretæ*,

Quid sacerdotis indumenta designent.

Quid Missæ Sacrificij ritus.

secretæ, & obseruati in eis ritus, sacrum eius corpus in secreto sepulchro positum. *Hostiæ partitio*, scissionem lapidum, propter mortem Saluatoris dolentium. *Hostiæ particula sanguini adiuncta*, coniunctionem quæ facta est in Resurrectione Christi, quando sanguis eius corpori fuit restitutus. *Pax vobis* significat pacem à Christo datam Apostolis. *Hostiæ absumptio*, & *calicis haustus*, quo fit vt Sacramentum ab oculis remoueatur adstantium, Christum in Ascensione abscondisse se ab oculis discipulorum, & à visibili conuersatione cum illis. Dum Sacerdos ait, *Ite missa est*, docet, per hoc Sacramentum à Christo nostræ redemptioni finem impositum: tandemque benedicens præsentibus, designat benedictionem, quam Deus impertiet prædestinatis, Christo ipsis dicente, *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Math. 25.

CAPVT VIII.

Praxis ad actus nostros vniuersos per Sacrificij directionem multiformiter nobilitandos. Cui præcipuorum exercitiorum diei Christianæ adiuncta descriptio.

1. *Mercatores spirituales vt simus, Saluator præcipit. Luc. 19.*

SAluatoris nostri, inter plurimas alias, salubris hæc fuit instructio, quâ nos præsenti in sæculo spirituales mercatores esse, atque ex omni occasione, meritorum augmentum capere suasit. Hinc discipulis suis in mandatis dedit, *Negotiamini dum venio.* Vbi sub Nobilis cuiuspiam personâ fidelibus insinuauit & inculcauit illam quam habent obligationem, vt gratiam à se datam non tantùm non negligant, verùm etiam eam ita expendant, vt ingentem inde meritorum copiam referant, ac veluti prouidi & diligentes mercatores, imò & vsurarij, infinitum quasi fœnus ex omnibus actibus suis conquirant. Quod ne quis fortè leuipendat, eodem loco Christus allatam comparationem prosequitur, seque in iudicij die rediturum profitetur (veluti Nobilis ille, qui famulis suis pecuniam ad negotiandum erogauerat, & ab iis quantum quilibet negotiatus esset examinat) & ei qui talenta sua proficuè atque vtiliter expenderit, insignem remunerationem promittit, terribilem verò castigationem illi minatur, qui eadem aut contempserit, aut inutiliter consumpserit, aut aliquod exinde lucrum acquirere neglexerit. Ipsa Euangelij verba audiamus. *Venit autem primus dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisiuit. Et ait illi: Euge bone serue, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque ciuitates.* Ecce, quantum fœnus, quanta remuneratio. Sed & negligentiam atque punitionem alterius inspiciamus. *Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario. timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti. Dicit ei: De ore tuo te iudico serue nequam. Sciebas quòd ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui: & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, vt ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam?* Vnde & ab illo mnam, quam habebat, auferri curauit, darique ei qui decem mnas habuerat. & quod est amplius, S. Matthæus Christum addidisse ait: *Inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium.* Math. 25.

2. *Vt spiritualē mercaturam gnauiter obeamus, sæcularium in lucro sectando studium nos incitare debet.*

Et re verà, perquam indignum est, sæculi huius sectatores tanto conatu, tanto molimine ad rerum transitoriarum lucrum adspirare, Dei autem filios mille meritorum occasiones negligere, atque in rebus spiritualibus adeò esse negligentes. Verè vtique conquesta est Veritas æterna: *Filij huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione suâ sunt.* Illi enim mare, siluas, montes, regiones peruagantur, vt vile aliquod & exile corpori emolumentum assequantur; & serui Dei, diuinorum charismatum capaces, non adhibebunt diligentiam, nec solliciti erunt, vt infinitum sibi lucrum, quod possunt ex modicâ curâ, imò pænè faciei reflexione & manus inuersione, accumulent? Vsurpare hìc liceat illa Sapientis verba: *Infinitus thesaurus est hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* Possunt enim Catholici, si velint, ex participatione Sanguinis & meritorum Christi infinitum veluti thesaurum sibi conquirere, atque etiam è minutissimis suis actibus incomparabilem gratiarum abundantiam congregare, si nimirum opera sua aut desideria, ex seipso quamuis valdè tenuia & propè nulla, in spiritualem confœderationem ac societatem Corporis & Sanguinis Christi conferant, quæ indies, tamquam mercimoniorum omnium in Missæ Sacrificio oblatorum moderatrix, diuinæ illa Maiestati diuendit, atque inexplicabilem inde profectum incrementumque infinitum producit.

Lucæ 16. *Sapient. 7.* *Infinitum thesaurum è Corporis & Sanguinis Christi communione sibi acquirere, possunt Catholici, & quomodo.*

3. *In Missâ, quam celebramus vel cui interfuimus, omnia quæ nos, aut creatura quælibet, agimus & patimur, offerre debemus.*

Vniuersa itaque quæ quis agit, aut patitur, imò & quæ ab omnibus aliis creaturis fiunt, quotidie dirigat ad illud Missæ Sacrificium, quod celebrat, in quo communicat, vel cui præsens interest, si non corpore, saltem affectu; & dum illud peragitur, capacissimo Christi Sanguinis calici veluti immergat actus suos omnes quos eodem die, aut etiam totâ vitâ suâ, fecit seu facturus est, malos quidem, vt ibi purgentur, bonos verò, vt perficiantur. Idem mente quoque extendere licet ad omnes quarumcumque creaturarum operationes, prout statim patebit. Poterunt verò illa quæ Sacrificium ipsum antecedunt, dirigi ad illius præparationem; quæ verò sequuntur, in gratiarum actionem. Et vt feruentiùs quodlibet agamus, & plura meritorum lucra, non ex oblatione tantùm ipsius Missæ, verùm etiam ex singulis nostris aliarumque creaturarum actionibus referamus, totum quod per Sacrificium offerendum vel oblatum obtinere seu efficere intendimus, consequi etiam velimus & agere per quemlibet nostrum seu creaturarum aliarum actum: nam is & ad Missam totus, vt diximus, dirigitur, eumdemque cum illa finem respicit, & ad scopum ipsius adæquatum collineat. Sed ad ipsam rei totius explicationem specialiorem veniamus.

4. *Offerre item possumus* Intentio itaque nostra erit, siue per ipsum Sacrificium, siue per actum quemlibet à nobis aut ab aliâ quacumque Deo gratâ creaturâ profectum, primùm obtinere, vt singula quæ agimus aut patimur, creaturæ aliæ agunt aut patiuntur ex Sacrificij aut Sanguinis Christi, cui ea immersa omnia voluimus, participatione, diuinæ Maiestati oblata sint atque accepta. Quæ non tantùm locum habere cupiamus in meritoriis nostris aut aliorum functionibus, sed & in planè adiaphoris atque indifferentibus, vtpote illis quæ naturaliter fiunt, nec vllam cum libero arbitrio aut ratione habent connexionem: cuiusmodi sunt quæ ab irrationalibus creaturis proueniunt, aut fiunt in hominibus quando rationis vsu priuati sunt, atque interim tamen mouentur, respirant, &c. *Irrationalia;* Ab irrationalibus autem inchoantes, offeramus in primis res inanimatas, Solem videlicet, Lunam, stellas, cælos, elementa, corpora mixta; item & animata, plantas, pisces, aues ac bestias, horumque omnium non solùm indiuiduales substantias, sed & singulos eorum effectus, vt illa omnia, vnà cum Sacrificio à nobis directo, in sempiternam Dei gloriam atque laudem cedant. *idq; exemplo trium Puerorum Hebræorum.* Quæ ne cuipiam absurda videantur, aduerti velim, hunc ipsum modum & morem etiam tribus pueris in camino ignito, quinimmò ipsi Regio Prophetæ fuisse vsurpatum. Pueri siquidem, furnum istum ignibus & flammis plenum illæsi obambulantes, vno velut ore cantabant: *Benedicite sol & luna Domino: benedicite stellæ cæli Domino: benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite ignis & æstus Domino*, &c. Daniel. 3. Dauid verò Rex: *Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ & lumen. Laudate Dominum de terrâ, dracones, & omnes abyssi, Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum*, &c. Psalm. 148. Cui exemplo vt sancta nos Mater nostra, Catholica & Romana Ecclesia, insistere assuescat, quotidie ea sub diuino Officio decantanda esse præcepit.

5. *Item ratione prædita.* Quòd si irrationalia & inanimata ad Dei honorem dirigi conuenit, quàtò id ampliùs in creaturis ratione præditis, atque in Dei laudem & glorificationem præcipuè conditis atque productis, locum habere debet? vt ex lege proinde charitatis, quâ proximum nostrum velut nos ipsos diligere præcipimur, omnium mortalium functiones & opera, haud minori quàm propria, affectu, sacratissimo Sanguinis Christi calici immergi, ab eoq; omni gratiarum abundantiâ perfundi, optare debeamus, quatenus & ipsa diuinis charismatibus, temporalique & æternâ benedictione à Deo donentur, tantoque ampliùs homines ad laudandum eum hîc & posteà excitentur, quantò per gratias ampliores ad hoc ipsum magis dispositi & obligati fuerint. Et quoniam tanta laudis ac gratiæ creaturis communicandæ materia in Deo reperitur, vt omnem etiam possibilium creaturarum capacitatem quàm longissimè excedat, ex intimo cordis affectu possidere optabimus innumera illa perfectorum hominum corda, quæ diuina sua omnipotentia ab æterno creare potuisset, ac in æternum adhuc poterit: hæc omnia, inquam, & singula eorum opera quibus abundassent, præconiaque quibus sine fine Factorē suum dilaudassent, offerri optabimus simul cum Sacrificio, adeoque cum vnoquoq; actu proprio, ac quocumque alterius creaturæ, qui Sacrificium etiam, vt suprà dictum est, tamquam scopum suum respiciunt, omneq; quod ex Sacrificio consequi poterant meritum gaudiumque. Quantò verò iustiùs, & vtiliùs, offeremus Deo omnes illos Sanctos Sanctasque simul, qui cum ipso regnant, & in sempiternum regnabunt? *Item omnes Sanctos & Sanctas: B. Virginem, Angelos,* Serenissimam videlicet cælorum Reginam, beatissimos Angelos, hominesque gloriosos, illorum singulas gratias naturales & supernaturales, gratiarum actiones, orationes, virtutes, austeritates, afflictiones, labores, fructus, atque gloriæ remunerationes. Protestari iuuabit, hæc omnia denuò & offerri à nobis cum Sacrificio, & cum quolibet illorum quæ à nobis ad illud directa & destinata sunt: vnde omnes simul Sanctos humiliter obtestabimur, vt vniuersa sua huc conferre merita & bona opera, eaque simul nobiscum Deo optimo maximo offerre dignentur. *cum obsecratione, vt sua ipsi merita huc conferre velint omnia.*

6. *Porrò offerri à nobis potest Christus ipse cum omnibus suis meritis,* Ampliori verò deuotione & fructu à Saluatore nostro & Domino Iesu Christo, qui meritorum omnium, salutisque ipsius causa & fundamentum est, omnisque sanctitatis fontem in sanctissimo Corpore & Sanguine suo sub Missæ Sacrificio constituit, requiri potest, vt pro cordiali quo erga nos fertur affectu, calicem suum, cum omni illo quod intra eumdem à nobis inclusum est, benignissimo suo & nostro misericordiarum Patri pro nobis indesinenter offerre dignetur, & illi adiungere superexcellentissima sua desideria, merita, mysteria, exempla, tormenta, emolumenta atque præmia. Nec hoc satis: profundissimâ quoque demissione nostram vndequaque indignitatem nullitatemque contestati, à sanctissimâ atque indiuiduâ Trinitate, singulisque Diuinitatis personis, adiungi ac præfatis vniri rogabimus ipsarum perfectiones; *& omnes totius SS. Trinitatis perfectiones & attributa.* vtque immensissimâ suâ bonitate, sapientiâ, potentiâ, ceterisque attributis, numero ac perfectione incomprehensis, præuenire dignentur oblatum à nobis Sacrificium, illudque taliter aptare, ne ei (quò minùs ad omnium creaturarum profectum se extendat) obsistat, quòd à nobis exhibeatur qui ineptissimi sumus vermiculi, homines ingratissimi, ac indignissimi peccatores; quales cùm, vt par est, omnes nos agnoscamus, nec à nobis quidquam, quod dignum sit, offerri posse certò credamus, incomprehensibilem rursus Dei clementiam humillimè contestabimur, vt oblationem hanc nostram benignè tum respiciat tum acceptet, non tamquam à nobis exhibitam, sed veluti dignam suæ Maiestati effectam per adiunctas creaturarum vniuersarum in suam laudem directiones, iustorum adhuc viuentium & in cælo regnantium perfectiones, Saluatoris nostri merita, ac Diuinitatis suæ attributa infinitissima & absolutissima.

7. *Faciliùs Deo omnia offerendi modus per quinque capita:* In quibus ne, veluti in inexplicabili labyrintho, diuagemur, ac variâ cogitatione oberremus, haud ab instituto nostro alienum erit, totam istam materiam ad quinque capita reuocare, atque ad maiorem intellectûs & memoriæ facilitatem quinque his propositionibus, vel potiùs vnicâ propositione quinque membris constante, vti: *Deus est in quo*

omnia,

omnia, ex quo omnia, per quem omnia, pro quo omnia, & ad quem omnia. Licet enim Domino Deo infinitæ sint perfectiones, ipseque innumeris sese modis nobis communicet, vt proinde & infinitis quoque titulis totos nos in eius honorem & cultum refundere teneamur; quia tamen nec sensus nostri, nec nos infiniti sumus, opus habemus facili aliquâ methodo, quâ iuxta nostrûm agendi ac concipiendi modum rem illam comprehendamus & practicemus. Hoc quàm facilè fieri possit, per quinque enarratæ propositionis membra statim videbimus.

8. *I. In Deo sunt omnia.*

Ad primum quod attinet, *in quo omnia*, continetur hisce verbis latriæ cultus vni ac soli Deo congruens, quo nimirum creatura duo testatur, & omnia reperiri in Deo, & in se (homine scilicet) aut aliis creaturis nihil omnino aut esse aut esse posse. Explico vtrumque. IN QVO OMNIA, id est, omnia Deus in se continet. vnde hic discursum instituere licet per omnia ipsius vti numero ita & perfectione infinita attributa: quæ tametsi ex sui abundantiâ comprehendi nequaquam valeant, à Doctoribus tamen aliqualiter adumbrata sunt, & ad captum nostrum explicata, dum eorum quædam ab illis dicta sunt *absoluta*, quæ videlicet ad ipsam diuinam essentiam spectant; alia *respectiua*, quæ ordinem habent ad creaturas; alia denique *negatiua*, quæ, cùm Dei natura explicari non posit, aut quid sit à nobis intelligi nequeat, docent quid non sit, id est, declarant quòd nulla in ipsum possit cadere imperfectio.

Attributa Dei alia sunt absoluta, alia respectiua, alia negatiua.

9. *Attributa Dei absoluta quæ sint.*

Attributa Dei absoluta inter alia sunt, primò, quòd sit Ens, id est per se existens; deinde, quòd sit vnum, hoc est, non possit habere parem aut æqualem, tertiò, quòd sit simplex, sine parte aut diuisione aliquâ; quartò, quòd sit perfectum, vtpote cui nihil desit; quintò, quòd sit absolutum, cui nihil addi queat; sextò, quòd sit necessarium, sic vt non posit non esse, septimò, quòd sit æternum, non habens initium; & octauò, quòd sit perpetuum, non habens finem. Attributa Dei respectiua numerari solent, primò, quòd sit Ens primum, à quo videlicet omnia creata dependeant; secundò, quòd sit Ens vltimum, ad quod hæc eadem ordinentur; tertiò, quòd sit omnipotens, quòd nimirum omnia valeat & efficere posit; quartò, quòd sit sapiens, omnia nimirum intelligens; quintò, quòd sit Ens bonum, vtpote sine vllâ aduersus aliquem malitiâ; sextò, quòd sit Ens verum, sine falsitate; septimò, quòd sit Ens iustum, sine iniquitate. Attributa denique Dei negatiua sunt, quòd sit Ens infinitum, immensum, independens, impassibile, immutabile, infallibile & inscrutabile. Personales insuper perfectiones ad intra sunt, quòd Pater sit ingenerabilis, Filius à Patre sit genitus, Spiritus sanctus ab vtroque procedat, quod hæ tres personæ vnus sint Deus: ad extra, quòd Patri scilicet adscribitur creatio, Filio assignatur redemptio, Spiritui sancto tribuitur iustificatio. Reperitur prætereà tribus hisce in personis essentiæ identitas, singularum proprietas, gloriæ æqualitas, coæterna Maiestas, perfectionum paritas, voluntatis conformitas, communis omnium potestas. Ceterùm plures alias Dei perfectiones omnes enumerare non possumus, cùm illæ infinities plures sint, quàm sint, fuerint vel erunt herbulæ & frondes, arenulæ & pulueres, diuisibiles liquores, rerum motus, momenta temporum, Vniuersi puncta, imò res possibiles.

Quæ attributa respectiua.

Quæ attributa negatiua.

10. *Creata omnia respectu Dei nihil sunt, & nihil valent;*

Alteri quoque latriæ membro, quo nimirum, sicut in Deo omnia sunt, ita in nobis atque vniuersis rebus creatis nihil esse profitemur, optimè quadrant illa verba, *in quo omnia.* Nam si omnia in Deo, superest nihil esse extra Deum. Pro cuius consideratione annotasse iuuabit, vniuersas simul creaturas, Dei respectu minus esse quàm sit vermis respectu hominis, vmbra respectu corporis, folium respectu arboris, arena respectu montis, gutta respectu maris, punctum respectu vniuersitatis, vel momentum respectu æternitatis. Obseruare quoque licebit, neminem, sine speciali Dei concursu, posse staturæ suæ addere cubitum, nec vel vnum capillum facere album; neminem ex se sufficere quidpiam cogitare, aut aliquid efficere, imò sine Deo nihil prorsus posse existere, sed vel vnico momento totum vniuersum debere corruere, atque in pristinum nihilum abire. Quin, neque omnes creaturas simul posse producere vnam arenulam, neque productæ mutare naturam, non augere substantiam, non conseruare existentiam, non æquare præstantiam, aut annihilare essentiam. Superest igitur, vt omnia in Deum referantur, & vniuersa quæ ab ipso habemus, ipsi nos, veluti propria, refundere debere agnoscamus. Quæ omnia etsi numquam creasset, nec vmquam nobis communicasset, sed omnia nostra & ex nobis forent, propter tamen infinitam bonitatem atque perfectionem suam ipsi omnia hæc offerri deberent; neque honori diuino dignum quid fieret, etiamsi creaturæ omnes ac singulæ, tam existentes quàm possibiles ab æterno sustinuissent, & in æternum sustinerent vniuersas naturæ incommoditates, corporis infirmitates, cordis afflictiones, viuentium passiones, inferorum cruciatus, damnatorum pœnas, ac quascumque miserias possibiles.

ideoq; omnia in Deum creatorem referenda.

11. *II. Ex Deo sunt omnia.*

EX QVO OMNIA. Denotatur hisce verbis alia diuini cultus ratio, quatenus nimirum ob beneficia à Deo accepta grati simus, eaque omnia, quæ ab ipso habemus, illi tamquam auctori & largitori referamus. Et hæc iter alia licet planè sint innumera, recenseri inter illa potissimùm debent quæ sequuntur. Beneficia quæ Patri æterno adscribi solent, hæc sunt, quòd ad suam nos finxerit imaginem, quòd in homine omnium creaturarum coniunxerit perfectionem, quòd ei destinauerit inanimatorum obsequium, animatorum dominium, Angelorum ministerium, cælorum domicilium, & suiipsius in æternum consortium. Filio hæc, quòd pro hominibus carnem assumpserit, his exemplo suo præiuerit, merita sua illis transscripserit, Corpore ac Sanguine suo eos pauerit, diuinæ secum naturæ vniuerit, in illos Spiritum sanctum effuderit, & participationem hereditatis æternæ eis contulerit. Spiritus sancti effectus, præter septem illa dona quæ κατ' ἐξοχὴν vocantur, sunt, aquarum fecunditas, cælorum stabilitas, Patriarcharum fidelitas, Prophe-

Beneficia Dei Patris in humanum genusque,

quæ Filij,

quæ Spiritus sancti.

Prophetarum veritas, Deiparæ maternitas, Apostolorum firmitas, & credentium vnitas. *Beneficia Dei in Angelos quæ sint.* Angelorum choris collata beneficia hæc numerantur, spiritualis naturæ creatio, à peccato conseruatio, in gratiâ confirmatio, dæmonum expugnatio, Diuinitatis ministratio, eiusdem gloriæ contemplatio, & humanæ salutis procuratio. Dotes hominibus collatæ hæc recensentur, naturæ perfectio, vitæ conseruatio, malorum sublatio, peccatorum remissio, virtutum inspiratio, ac totius perfectionis occasio. Verumenimuerò si quilibet specialia sibi priuatim à Deo beneficia collata expendere cupiat, cogitabit, illi sese obligatum esse, quòd ipsius sit creatura, quòd sit ratione præditus, quòd homo, quòd Christianus, quòd Catholicus, quòd litteratus, quòd Sacerdos, quòd Religiosus, & consequenter quilibet pro status sui ratione & qualitate.

12. *Incarnatio Filij Dei, nona hominibus benefaciẽdi ratio.* Neque solùm omnipotens Deus & clementissimus Pater, vniuersa quibus potitur, in genus humanum congessit, sed quia id per peccata sua his sese indignum atque æternâ morte dignum reddiderat, medium aliud diuinâ suâ benignitate adinuenit, vt videlicet per vnigeniti Filij sui incarnationem ac mortem hominis culpa redimeretur, ac veluti in integrum restitueretur. Vnde hinc specialis nata est obligatio in nobis, nouiq; cultus ratio, qui commodè satis exprimitur per illa verba, PER QVEM OMNIA: *III. Per Deũ sunt omnia.* disposuit enim diuina Maiestas hunc incarnationis modum, per quem veluti redduntur vniuersa quæ anteà quidem dederat, sed per peccatum aut ablata erant, vel auferenda. Quòd autem per Filium omnia mundo restituta sint, manifestiore testimonio, quàm quod Christus Dominus ipsemet eiusque prælectus Apostolus dixerunt, probare non poterimus. Christus igitur, *Sic Deus,* inquit, *dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* (Ioann. 3.) Apostolus verò, *Qui proprio,* ait, *Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum;* & adiungit, *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Per quem omnia* (Rom. 8.) itaque cultum illum designat, quo & Deum in humanitate Christi, & Christi humanitatem in Deo per Sacrificij quotidiani, omnisque operis ad hoc directi, oblationem honoramus. Qui vt in nobis sit feruentior & frequentior, incitamenta nonnulla, quæ ad illum nos inducere validissimè poterunt, à me cape.

13. *Humanitas Christi quomodo à nobis honoranda.* Christi humanitatem venerari atque honorare debemus, quia ea vnita est Verbo diuino, quia est vna cum Deo persona, quia Pater Christo omnia tradidit, quia omnia sibi ipse subiecit, quia per eius humanitatem ad Diuinitatis vnionem accessimus, quia in eius nomine, quod est IESVS, omne genu est flectendum, neque in vllo alio sub cælo salus inuenienda aut quærẽda est. *Actiones Christi internæ quæ sint,* Actus Christi interni à quibusdam numerantur, gratitudines, postulationes, resignationes, actus omnium virtutum, desideria, suspiria, desolationes: *quæ externæ.* externi; motus, respirationes, verba & voces, operationes, exempla, miracula, fructus conuersionum. Christi incommoditates, inedia & sitis, fel, acetum, frigora & calores, itinera & labores, lassitudines & sudores, ieiunia & vigiliæ, lacrymæ & guttæ sanguinis, insidiæ & persecutiones. Passiones sunt ignominiæ, blasphemiæ, alapæ, sputa, flagella, spinæ, crux, claui, lancea. Præcipua verò Christi mysteria, incarnatio, natiuitas, circumcisio, prædicatio, passio, resurrectio, ascensio. *Mysteria diuina quomodo consideranda & meditanda:* Quòd si quis latiorem desideret meditationis materiam, eam quoad singula iam recensita mysteria hoc modo extendere poterit. *Incarnatio,* Puncta ad Incarnationem spectantia sunt, Patribus facta prænuntiatio, Angelica ad Deiparam legatio, Virginis consensus & acceptatio, Spiritus sancti obumbratio, Præcursoris in materno vtero sanctificatio, Christi carnis formatio, accretio, nouemque mensium intra matris viscera commoratio. *Natiuitas,* Puncta Natiuitatis, pax totius orbis, ascensus parentum in Bethlehem, partus inuiolatus & sine dolore, Angelorum applausus, pastorum aduentus, Magorum adoratio, Simeonis exultatio. *Circumcisio,* Ad Circumcisionem reduci possunt hæc, forma peccatoris, impositio nominis, fuga in Ægyptum, erga parentes subiectio, baptismus, ieiunium quadraginta dierum, tentatio diabolica. *Prædicatio,* Possunt & reduci ad Prædicationem, Doctorum argumentatio, discipulorum electio, Iudæorum confutatio, transfiguratio, palmarum triumphus, lotio pedum, institutio Eucharistiæ. *Passio,* Ad Passionem reuocabis, hortum, captiuitatem, illusionem, flagellationem, coronationem, crucifixionem, mortem. Et quia sacratissimæ Passionis Christi meritum & mysterium omnibus aliis præeminet, en breue hìc tibi compendium præcipuorum quæ eam concernunt articulorum.

I. *In cænaculo.*

1. Cum suis Pascha comedit,
2. Ipsorum pedes abluit,
3. De proditore monuit,
4. Corpus suum exhibuit,
5. Sacrificos instituit,
6. Pium sermonem habuit,
7. Hymnumq; Patri concinit.

II. *In horto.*

1. Coram suis contristatur,
2. Et ab illis separatur,
3. Patrem tertiò precatur:
4. Illum Angelus solatur:
5. Iudas eum osculatur:
6. Gens Iudæa solo datur,
7. Sed à Christo eleuatur.

III. *Circa captiuitatem.*

1. Vt nequam latro capitur,
2. Et vinculis innectitur:
3. A Petro mox defenditur,
4. Sed ille reprehenditur:
5. Malcho auris restituitur:
6. Solo Iesus deiicitur,
7. Et per torrentem trahitur.

IV. *In domo Annæ.*

1. Per Annam fit rogatio:
2. Ei datur responsio.
3. Per militem reprẽsio,
4. Et alapæ inflictio;
5. Pòst Iesu increpatio.
6. Ancillæ porrò quæstio,
7. Et Petri abnegatio.

V. *In*

V. *In domo Caiphæ.*

1. A Concilio expectatur,
2. A falsaris accusatur,
3. Et à Caiphâ adiuratur,
4. Mox ab illo condemnatur:
5. Bis à Petro abiuratur:
6. Sputus, faciem velatur:
7. Iudæ morte contristatur.

VI. *In domo Pilati.*

1. In plateis conculcatus,
2. Mox Pilato præsentatus,
3. Per Iudæos infamatus,
4. Strictè sat examinatus,
5. Innocensque declaratus:
6. Falsis rursus oneratus,
7. Silet, & stupet Pilatus.

VII. *In domo Herodis.*

1. Hinc ad Herodem mittitur:
2. Hic gaudio recipitur:
3. Prodigium requiritur:
4. Sed hic nec verbum loquitur:
5. Proinde malè spernitur,
6. Vt morio contemnitur,
7. Albaque veste illuditur.

VIII. *In Prætorio.*

1. Cum latrone comparatur,
2. Illo peior iudicatur:
3. Dirè nimis flagellatur,
4. Atque spinis coronatur,
5. Veste regiâ donatur,
6. Et popello præsentatur,
7. Mox ad mortem conclamatur.

IX. *In viâ ad mortem.*

1. Cruce ponderosâ oneratur,
2. Cum latronibusque deputatur:
3. Sed succumbit, atque dum lassatur,
4. Per Simonem parum adiuuatur:
5. A femellis inde deploratur,
6. Sed à vulgo dirè blasphematur,
7. A tortoribusque verberatur.

X. *In monte Caluariæ.*

1. Felle sitiens reficitur;
2. Tunicâ venustâ exuitur,
3. A proteruis quæ diuiditur:
4. Inde dirè crucifigitur,
5. Sed in cruce blanda loquitur,
6. Spiritumque tradens moritur:
7. Latus lanceâ transfoditur.

XI. *Verba in cruce.*

1. Pro se necante Patri supplicat:
2. Latroni paradisum stipulat:
3. Suam Ioanni Matrem deputat:
4. Et sese derelictum clamitat:
5. Sitire porrò se significat:
6. Et cuncta consummata prædicat:
7. Animamque Patri summo consecrat.

XII. *Circa sepulturam.*

1. Ioseph corpus hinc obtinuit,
2. Quod de cruce mox deposuit,
3. Pretiosò aromate liniit,
4. Mundo linteo circumdedit,
5. In sepulchro nouo condidit;
6. Quod ingenti saxo operuit,
7. Et Pilatus milite muniit.

Resurrectio. Ad Resurrectionem spectant, descensus ad inferos, ligatio dæmonum, liberatio Patrum, resumptio corporis, suis manifestatio, pacis apprecatio, potestatis remittendi peccata collatio. Denique ad Ascensionem hæc faciunt, captiuitatis è limbo liberatio, cæli reseratio, hominis exaltatio, Christi super omnia eleuatio, peccatorum per eum reconciliatio, Patri æterno Vulnerum ostensio, atque iudicij extremi executio. *Ascensio.*

14. En imperfectam quidem, atque fortè mendosam, breuem tamen & facilem vitæ Christi atq; actorum ipsius præcipuorũ enarrationem, è quâ & copiosissima meditandi materia elici, & vnusquisque occasionem captare possit, Sacrificium, quod quotidie offert, eò offerendi feruentiùs, quò & maioribus ad hoc, ex parte etiam humanitatis Christi, rationibus se prouocari agnoscit, & sibi ampliora merita multiplicanda clarissimè videt. Quot enim Christi actus recensiti sunt, tot & incitamenta habentur ad gloriam illius promouendam, & excitamenta ad copiosiorem vtilitatem capessendam. Sed quid significat hæc verba, PRO QVO OMNIA? Non aliud sanè, quàm duliæ cultum, quo Sancti, qui Deo placuerunt, honorari solent. Etsi enim Sacrificium, quo, vti suprà diximus, creaturæ protestantur se omnia in Deum referre, non alteri quàm ipsi Deo principaliter exhiberi liceat, illud tamen hunc in finem ei dicari potest, vt honor quoque Beatorum promoueatur, quatenus hos vt Dei amicos ac familiares veneremur, & illi intercessionibus ac meritis suis acceptabilem faciant exhibitam à nobis oblationem. Commodè verò titulus hic *Pro quo omnia* dicitur, propterea quòd Sancti vniuersa sua pro Deo faciant, & ad eum dirigant. Duliæ, siue Sanctorum cultûs, fundamenta inter cetera hæc habe: Deus Sanctis omnia sua communicat, sibi fieri reputat quod fit ipsis: per Christum cum ipso vnum sunt: Sancti dicuntur gaudium & præmium Christi. Honor membrorum, capitis est. Qui socij contumeliæ ac passionis fuêre, honoris quoque esse debent ac lætitiæ. Denique omnia sua Sancti in Deum & Christum referunt, coronasque suas ante pedes eius deponunt.

IV. Pro Deo sunt omnia.

Cultus Sanctorum in quo præcipuè fundetur.

15. Modi, quibus Sanctos colere possumus, huiusmodi sunt: Pro illorum beneficiis Deo gratias agere, ipsis de acquisitis gratiis, perfectionibus ac gaudiis collætari, eos interiùs affectibus, vel exteriùs deuotionibus honorare, alios ad eorum cultum excitare, ipsorum virtutes imitari, Deum per illorum preces ac merita exorare, ipsorumque intercessionem postulare. Quamquam autem Beatus quilibet maiore honore dignus sit, quàm à nobis affici possit, quia tamen dulia considerari debet non tam ex parte eorum qui eam exhibent, quàm ex parte illorum quibus exhibetur, à Doctoribus ea distingui ac diuidi solet in duliam simpliciter sumptam, ac in hyperduliam: nam beatissimæ Deiparæ Virgini, certum est, non solùm cultum exhibendum esse qui tribui solet aliis communiter Sanctis, sed multò excellentiorem. Ipsa enim est, quæ & meliùs est merita de vniuerso genere humano, & quam hauddubiè Saluator noster, vtpote matrem suam, digniori veneratione à fidelibus suis celebrari voluit. Præcipua ergo B. Virginem Mariam colendi motiua hæc sunt, quòd ipsa omni ex parte peccatum deuicerit, serpentis caput contriuerit, omni perfectione plenissima fuerit, gratiam Dei in salutem generis humani inuenerit, Patris æterni primogenita, vnigeniti mater,

Quot modis Sancti à nobis honorari possint.

Cultus quo D. Virginem Mariã prosequimur, hyperdulia; quo Sanctos reliquos, dulia.

Spiritus sancti sponsa, viuorum mediatrix, & Sanctorum omnium Regina existat. Emicuerunt puritas in eius Conceptione, Regium, Propheticum ac Sacerdotale stemma in ipsius natiuitate, spes in præsentatione fides in annuntiatione, humilitas in visitatione, obedientia in purificatione, & charitas (ex quâ obiit) in assumptioné. Deiparæ verò virtutum effectus fuere admirabiles: Christum è cælo traxit castitate, eumdem concepit fide, nouem in vtero mensibus spe portauit, inuiolatâ genuit charitate, annis plurimis illi seruiuit humilitate, commortua ei fuit compassione, corregnat ipsi misericordiâ.

16. *V. Ad Deum sunt omnia.*

Hisce iam addi potest titulus AD QVEM OMNIA, quatenus videlicet singulæ hominum necessitates ad Sacrificium etiam diriguntur & offeruntur, in adiutorium ac subsidium & consolationem quarumcumque creaturarum, diuinâ gratiâ aut capacium aut indigentium. Præter enim quatuor scopos seu operum fines, quos in singulis actibus haberi, & ad Sacrificium dirigi posse modò retulimus, etiam quintum adiungere possumus, & omnia nostra non tantùm offerre Deo, vt non protestemur modò, in ipso, ex ipso, per ipsum & pro ipso omnia esse, sed etiam, quantum in nobis, hoc nos desiderare, ac vniuersis actibus nostris obtinere contendere, vt omnia, quæcumque inter homines fiunt, ad diuinam quoque Maiestatem glorificandam procedant, ac quàm possunt optimè disponantur. Hoc ergo titulo, *Ad quem omnia*, congruè ea exprimuntur, & in quinque denuò membra, quæ quinque Christi Vulneribus correspondeant, subdiuiduntur. Ad Vulnus namque pedis sinistri commendari possunt peccatores, nominatim ij qui in peccato mortali existunt, qui hæretici sunt, schismatici, Iudæi, Athei, Gentiles aut malefici, vt nempe à Deo gratiam obtineant, quâ salutis suæ viam intelligant, peccata à se perpetrata agnoscant, perfectè de ipsis doleant, integrè confiteantur, validè absoluantur, plenè satisfaciant, ac verè sese ab omnibus emendent. Ad Vulnus pedis dextri commendari poterunt quicumque miseri & afflicti, pupilli & viduæ, pauperes & angustiati, infirmi & carcerati, itemque moribundi siue naturali siue violentâ morte, vt patientes sint, vt inde mereantur, proficiant, Deo gratias agant, & sese plura multò promeruisse flagella agnoscant, vel si patientes non forent, malis suis eximantur, Deoque grati sint. Ad Vulnus manus sinistræ offeruntur status sæcularium, & in primis commendantur Imperator & Reges, Principes & Magistratus, exercitus, & vniuersus populus Catholicus, parentes præsertim, fratres ac benefactores, quò illi à Deo obtinere valeant, vt legem eius atque Ecclesiæ obseruent, pietati se ac Sacramentorum frequentationi dedant, proximos ædificent, charitatem ament, misericordes sint, & temporalem simul ac æternam benedictionem consequantur.

Ad singula Christi Vulnera singula humani generis necessitates offerenda.

17. Ad Vulnus manus dextræ computantur Ecclesiastici, summus nimirum Pontifex, Cardinales, Episcopi, Pastores, Sacerdotes, alij Clerici, ac potissimùm Religiosi. Et illis quidem petitur vt suis officiis satisfaciant, perfectionem adipiscantur, Deum nudè quærant, exemplo præeant, zizania eiiciant, multos saluent, maximâ in cælis gloriâ perfruantur. Quoniam verò inter præcipuos Ecclesiæ status, Religiosus admodum elucet, non contemnenda, sed laudanda potiùs atque imitanda illorum consuetudo, qui specialem quotidie in precibus atque directionibus suis memoriam faciunt Ordinum singulorum, quorum hunc vel similem habent catalogum: Augustiani, Basiliani, Benedictini, Camaldulenses, Carthusiani, Cistertienses, Norbertini, Dominicani, Franciscani, Carmelitæ, Eremitæ, Ordines militares, Religiosi de Mercede B. V. seu redemptionis captiuorum, Iesuatæ, Minimi, Patres Societatis IESV, Patres Oratorij, &c. Itemque feminarum cœtus, Augustinianarum, Benedictinarum, Bernardinarum, Carmelitarum, Carthusianarum, Norbertinarum, Clarissarum, Annuntiatarum, Birgittanarum, Begginarum, &c. Quorum omnium non tantùm singulares Congregationes, sed etiam personæ & necessitates ita simul Deo commendari possunt quoad vnumquemque cuiuslibet iusti actum, quasi pro singulis eorum in particulari speciatim is Deo fuisset oblatus. Ex quâ charitate adeò affectu multiplicatâ, non est dubium, quin admirandi impetrationum effectus proueniant & multiplicentur, & oblationis sacræ communicatio efficacissima fiat.

Ordines Religiosi præcipuè Deo commendandi sunt.

In quinto Saluatoris nostri sacratissimo Vulnere, quod in latere suo habet, recondi, ibique ablui & glorificari possunt animæ Purgatorij: nã superiùs viuis reliqua stigmata, quæ viuus Christus accepit, mortuis verò id potissimùm Vulnus quod mortuus suscepit, ex D. Gertrudis reuelatione, plurium attestatione, & ex variis circumstantiis rectè applicauimus. Inter defunctos autem in primis prosequendi sunt parentes, Superiores & Magistri, fratres & sorores, tam carnales quàm spirituales, cognati alij, benefactores, Ecclesiastici omnes & qui pro Dei Ecclesiâ laborauerint, item qui à nobis læsi scandalizatique sunt, aut quibus Purgatorij vel peccati dedimus occasionem. His addi possunt, improuisè atque sine Sacramentis extincti, quique suffragio carent, qui maximè in Purgatorio torquentur, aut diutissimè illic hærere coguntur. Atque horum animabus petendum est, vt à tormentis suis eximantur, infernali carcere educantur, Beatorum gaudiis perfruantur, Deum videant, eum glorificent, huic vniantur, pro nobis aliisque preces fundant, & exaudiantur. Nec Purgatorij tantùm animæ in sacratissimo illo Christi latere includi possunt, sed & seipsum quilibet simul cum omnibus suis debet offerre, vt nimirum & ea omnia sibi consequatur quæ hactenus viuis defunctisque expetenda diximus, & præsertim peccatorum remissionem, passionum victoriam, gratiarum abundantiam, virtutum complementum, diuinam vnionem, animarum multarum lucrum, finalem perseuerantiam, ac æternum in cælis cum Beatorum agminibus consortium adipiscatur. 18.

Defuncti quinam & quomodo Deo in Sacrificio commendandi, & quid iis à Deo petendum.

19. E quibus adeò multiplicatis intentionibus, dubium non est, quin Sacrificij fructus ac impetratio, quæ veluti fundamentum ac mensuram meritum habet, ac iuxta illud amplior aut minor esse solet, eximium incrementum accipiant, ita vt, adiunctis illis quæ in sequentibus de Indulgentiarum defunctis applicatione referentur, faci-

facilè pateat, innumerabilem inde meritorum copiam aggregari, & impetrari à Deo, vt animæ multæ vno eodemque actu cruciatibus suis eximantur. Vnde piissimè & laudatissimè faciunt deuotorum nonnulli, quòd huic lucro adeò strenuè & assiduè incumbât, vt non solùm aliquoties per mensem, hebdomadam aut diem, hæc quæ diximus, in actuum suorum directionibus renouent, sed sæpiùs eadem Deo offerant, ac Sanctorum iustorumque omnium gratiis, Christi meritis diuinisque perfectionibus adunata, oblata velint cum Sacrificiis quibuscumque, cunctis viuentium orationibus, pœnitentiis, eleëmosynis, qualibuscumque operibus bonis, virtutibus, afflictionibus, fructificationibus, item cum actibus singulis aut suis aut aliorum, cum factis, & dictis, & cogitationibus quæ per totum orbem eliciuntur, cum singulorum respirationibus, mutationibus, motibus, existentiis, punctis, momentis, &c. Sed hæc iuxta deuotionem, capacitatem ac commoditatem vniuscuiusque dilatari vel contrahi poterunt: nobis ea retulisse suffecit, ad illorum fouendam pietatem qui nullam merendi occasionem negligere solent.

Laudanda piorum consuetudo, qui quotidie hāc praxim exercent.

20. Vt ampliùs tamen cuilibet satisfaciamus, notandum præterea duximus, titulos hosce iam explicatos, & sacratissimo Missæ Sacrificio applicatos, inter se posse commisceri, & veluti sibi mutuò maioris gratiæ & incrementi causas constitui; hoc est, vt titulo *in quo omnia* perfectiùs assequendo reliqui omnes tituli adiungantur, siue pro illo specialiter offerantur; vicissim pro titulo secundo, *ex quo omnia*, primus & tres vltimi; pro tertio, *per quem omnia*, duo priores & duo posteriores, & sic deinceps: ita videlicet, vt ex his omnibus vnum quodammodò fiat spirituale aggregatum, quod se diffundat ad vniuersa etiam tituli cuiuslibet indiuidua, non generali modò directione aliquâ, sed intentione vsque adeò speciali, quasi pro vnoquoque eorum particulariter oblatum fuisset; puta pro quolibet Dei attributo, in titulo primo; pro quolibet eius in creaturas deriuato beneficio, in titulo secundo; & sic de ceteris. Quæ sic multiplicata pro vniuersis ac singulis titulorum omnium indiuidualibus intentio magis insuper dilatari tunc potest, cùm aliquis omne id quod aut agit aut patitur affectu toties multiplicatum vult, quoties finis seu scopus multiplicatus est in quem omnia (vti toto hoc Capite dictum est) sua acta collineat. Sed quoniam difficile fortasse esset hæc ita singulatim memoriâ retinere, aut sæpè cogitatione percurrere, sufficiet ea aliquoties per diem, septimanam aut mensem maximè in directione seu oblatione matutinâ, vel diebus saltem certis ad hoc designatis, expendere, tuncque Deo ex intimo corde omnia huiusmodi ad Sacrificij directionem offerre, & tot intentionibus actus omnes suos perficere. Pro reliquis verò temporibus hunc cum Deo spiritualem licebit inire contractum, vt toties prædictam suam iteratam seu renouatam velit intentionum oblationem, quoties corde vel ore dixerit: *Benedictus Deus, Deo gratias, Laudetur Iesus Christus*, aut quid simile.

Alius eadem quinque Capita exercendi modus.

21. Hactenus de operum vniuersorum ad eximium meritorum cumulum directione, ex quâ & multa quidem emolumenta viuentibus, & ipsis quoque defunctis liberationis acceleratio prouenire nata sunt. De viuentibus satis è iam dictis constat, haud tamen à ratione alienum erit, si vel tribus verbis id quoad defunctos declaremus. Dico igitur, mortuos insigniter admodum è præmissâ actuum directione iuuari, quantum est ex parte ipsius viuentis qui pro ipsis suffragium offert. Quò enim is Deo gratior existit (qui se verò huius directionis exercitio dederit, in gratiâ Dei per singula momenta mira facit incrementa, ex quo & Deo continuè gratior efficitur, & aptior redditur, vt pro aliis quod postulat consequatur) tantò & in virtute & in charitate Dei ampliùs proficit; & tantò magis in proximi charitatem inflammatur, quò magis accrescit in amore Dei. Vt propterea meritò dici possit eò vehementiùs ad mortuos iuuandos accendi, quantò feruentiùs directionis istud munus excoluerit. Neque tantùm vt ampliùs iuuet defunctos hinc instigatur, sed certiùs etiam, quod diligentiùs petit, pro mortuis obtinet; quia impetratio fundamentum habet amicitiam Dei, in quâ quò quis profundiùs radicatus fuerit, liberaliorem etiam diuinæ benignitatis in petitionibus suis obtinendis largitatem experitur. Sed de hoc infrà Cap. XIII. pluribus. Iam quòd vniuersa simul, quæ singula purgandos liberant, in vnam hanc directionem concurrant, probandum est. Intueamur singula, & ne vnum quidem fuerit, quin se hìc annumeratum velit. Numquid Dei misericordia, Christi merita, Sanctorum patrocinia, viuorum impetratio, satisfactio, orationes, ieiunia, eleemosynæ, Ecclesiæ cærimoniæ, Pontificum indulgentiæ, & alia quæcumque mortuos iuuare possunt, hac in directione includuntur? Imò sanè: nec id probari aliter poterit, nisi iterùm, Lectoris cum tædio, hactenus dicta repetere velimus. Eam verò ob causam dicimus directionem illam plurimum facere ad defunctorum causam, quòd locum hìc sortiatur illud Philosophorum Axioma: *Causæ sunt frequenter sibi mutuò causæ.* Nam & quia prodesse simul volumus mortuis, iuuamus viuos; & quia simul viuis, certiùs mortuos. Sicuti enim non est dubium, & Libro nostro tertio peculiari Capite explanaturi sumus, certissimam ad viuos iuuandos viam esse, eorum causâ è pœnis ereptos defunctos ad cælestem Curiam aduocatos destinare; ita vicissim, quia ob liberandos è Purgatorio mortuos oratur & laboratur pro viuis, dubium non est, ampliùs mortuis prodesse, tum quia opus istud duplici tunc charitate instructum est, tum etiam, quia certissimè participant ex viuorum bono mortui, quod ipsorum intuitu fuit procuratum. Et quid quæso hìc difficultatis esse potest, cùm nequaquam aliter putandum sit, quàm eum, qui sibi facultatem videt dari per viuum iuuandi mortuos, speciali curâ ac diligentiâ, adeoque intensiore labore & satisfactione rem eam curaturum?

Quomodo præcedens directio applicari possit defunctis.

Sed ne quis nouam credat hanc nostram multiplicatæ intentionis praxim, referri huc poterit edita nuper à quodam Societatis Iesu Theologo Negotiatio spiritualis, quâ vnico anno tantum lucremur atque decem: cuius fundamentum est in illo Prophetico: *Sicut fuit sensus vester vt erraretis à Deo, decies tantum iterùm conuertentes requiretis eum.* Hæc verò negotiatio in eo consistit, vt priusquam opus quodpiam inchoëmus, plures eliciamus 22.

Negotiatio spiritualis à quodam Societatis Iesu Patre edita. Baruch. 4.

mus intentiones bonas, siue varios fines aut rationes ob quas opus illud aggredimur. Exempli gratiâ: Incipio hoc opus, primò, vt honorem ac sanctificem Deum; secundò, vt merear regnum cælorum; tertiò, vt faciam voluntatem Dei; quartò, vt impetrem quotidiana corporis & animæ bona; quintò, vt dimittantur mihi debita siue peccata; sextò, ne incidam in tentationes; septimò, vt ab omni præsenti & futuro malo liberer; octauò, vt pro acceptis beneficiis infinitis Deo me gratum exhibeam; nonò, vt sequar ductum rectæ rationis; decimò, vt potissimùm ostendam me amare Deum. Et hæc quidem generatim in omni opere possunt intendi, siue illud per se bonum sit, quale est orare, confiteri, communicare; siue sit indifferens, quale est negotiari, studere, laborare, &c. Neque solùm res hæc exerceri potest dum aliquid est agendum, sed vel maximè dum aliquid patiendum occurrit, v. g. in aliquâ corporis vel animi afflictione, vel aduersitate fortunæ.

23. *Quæ inde proueniant commoda.*

Vtilitas negotiationis huius est eximia. Primò, quia quæuis bona intentio primò satisfacit Deo pro peccatis, deinde aliquod beneficium ab eo impetrat, & tertiò meretur in hac vitâ gratiæ & in futuro gloriæ incrementum. Secundò, quia vnico opere sic facto tantum facio satis, tantum impetro, tantum mereor, quantum eodem illo opere decies repetito, vel decem diuersis operibus eiusdem generis. Tertiò, quia res hæc omnibus potest prodesse, primò tam illis qui benè quàm qui malè vixerunt: si quidem malè, vt iam annos perditos per breue compendium quasi recuperent; si benè, vt breuì se perficiant, & expleant tempora multa: deinde similiter hac in re & inopes & ægri adiuuantur, quorum illi in eleemosynis, hi in pœnitentiis exercere se non possunt. Quartò vtiliter hanc negotiationem quàm plurimos poterunt edocere, in primis illi qui subinde proximos vel consilio, vel motibus, vel doctrinâ ad vitia incitarunt; pariter illi qui animarum se saluti impendunt cum Apostolo & superimpendunt. Hoc verò opus tot intentionibus particularibus adornatum, simile est conuiuio, vbi plura sunt fercula; viridario, vbi plures flores; coronæ, vbi plures gemmæ; vesti, vbi plures lymbi; officinæ, vbi plures merces; viti, vbi plures vuæ; fonti, vbi plures riui; templo, vbi plura ornamenta; patrimonio, vbi plures reditus; bursæ, vbi plures nummi.

24. *Intentiones plures quomodo simul coaceruari possint.*

Ratio præterea plures intentiones reperiendi admodum est facilis, Primò, quia ex supradictis intentionibus priores septem elici possunt è septem Orationis Dominicæ notissimis petitionibus: scilicet, Hoc opus aggredior, primò, vt honorem Deum, eumque sanctificem, quod idem est ac si dicam, vt hoc opere meo sanctificetur nomen Dei; deinde, vt merear regnum cælorum, quod idem est similiter, atque, vt per hoc opus mihi adueniat regnum Dei. Eadem est ratio in reliquis. Deinde, quia plures generatim intentiones prioribus adiungi possunt. Exempli gratiâ: Aggredior hoc opus, primò, vt colam B. Virginem, Angelum meum custodem, vel alios patronos: deinde, vt succurram necessitatibus Ecclesiæ vel amicorum: tertiò, vt opem feram fidelibus defunctis: quartò, vt lucrer Indulgentias, si quæ fortè tali operi per numismata vel alio quouis modo indultæ sint: quintò (quod & in multis addi potest,) vt sim aliis bono exemplo: sextò, vt debitè fungar meo officio: septimò, vt hoc modo exequar animi decreta, vel item promissis vel votis meis. Tertiò insuper singulatim plures rationes suggeret operis cuiusque natura, conditio, & adiuncta. Exempli gratiâ: Ieiuno vt edomem carnis sensusque desideria; deinde, vt castitatem statui meo consentaneam seruem; tertiò, vt imiter Christum & Sanctos, &c. Idem potest fieri in omnibus rebus indifferentibus. Exempli gratiâ: Negotior, studeo, laboro, &c. primò, vt vitem otia & consortia; deinde, vt iuuem meipsum & proximum; tertiò, vt proficiam Reipublicæ, &c.

25. *Quando & quo tempore præcipuè ille negotiandi modus exercendus.*

Hîc nonnulla occurrunt notanda. Primò, hanc negotiationem saltem manè fieri posse opportunè; per diem verò ante opera saltem maioris momenti; siue illa per se bona sint, siue indifferentia. Deinde, admodum vtile esse, prædicta omnia Deo offerre, atque coniungere cum meritis Christi omniumque Sanctorum. Insuper, si mihi vacat, possum aliquot intentiones dilatare ex supradictis. verbi gratiâ: Hoc opus aggredior, vt impetrem corporis & animæ bona. possumque tum mente designare illa & illa bona quibus maximè egeo. Eodem modo, vt mihi dimittantur illa & illa peccata, vt ab illo & illo malo liberer, vt gratus sim pro illis & illis beneficiis, &c. Tertiò, generales fontes intentionum inueniendarum esse diuersas virtutes, partim Theologicas, scilicet Fidem, Spem, & Charitatem; partim morales, scilicet prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam; denique Deum, proximum, nosipsos. Hæc ad verbum propè descripsimus è tabellâ, à Reuerendissimo Domino Iacobo, tum Gandensi Episcopo, modò verò Mechliniensi Archiepiscopo, Belgiique nostri Primate, approbatâ, & per Gualterium Manilium Gandaui anno M. DC. XIX. impressâ.

26. *Breuis descriptio, quomodo diem Christianus transigat.*

At quoniam meritorum augendorum, atque adeò impetrationis ipsius, quâ insignem mortuis operam præstare possumus, materiam discutere cœpimus, haud abs re visum fuit vlteriùs ostendere, quibúsnam adhibitis obseruationibus, quibus conditionibus, omne id, quod alioquin expendere necesse est, tempus vtilissimè, & ad perfectionem ordinatissimè transigere valeamus. A die qui quotidie recurrit, ordiamur. Sanum, vt ex Patribus patet, consilium haberi debet, vt sic diem vnumquemque obseruemus, sic expendamus, quasi foret vltimus, quasi esset vnicus. D. Augustini verba hæc sunt: *Latet vltimus dies, vt obseruentur omnes dies. Serò parantur remedia, cùm mortis imminent pericula.* Item: *Nescis quâ horâ veniet. Semper vigila, vt quod nescis quando veniat, paratum te inueniat cùm venerit. Et ad hoc fortè nescis quando veniat, vt semper paratus sis.* Item: *Numquam, si longè est dies iudicij, longè est dies tuus. Vnde scis quando est? Nônne multi sanè dormierunt, & obdormierunt? nônne casus nostros nobiscum in hac carne portamus? nônne fragiliores sumus quàm si vitrei essemus? Vitrum enim etsi fragile est, tamen seruatum diu durat.* Quin & S. Cyprianus & D. Hieronymus: *Qui se quotidie recordatur esse moriturum, contemnit præsentiâ, & ad futura festinat.* S. Gregorius verò: *Ad hoc autem conditor noster latere nos voluit*

De Doctrinâ Christianâ,

De vitâ Christianâ,

In Sermonibus.

voluit finem nostrum, diemq́, mortis nostræ esse incognitum, vt dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur; & tantò quisque sit feruentior in operatione, quantò & incertus est de vocatione: vt dum incerti sumus quando moriamur, semper ad mortem parati debeamus venire. Similia plura apud hos & apud alios Patres reperiuntur: vidisse nobis sufficit, omnem sic diem quasi vltimum ac proximum, id est extremum & vnicum, obseruandum transigendumque esse. Sed quonam pacto id vtilissimè fiet? Hoc pacto. Dies totus in tres partes diuidi potest, in principium videlicet, medium, & finem. Diei initium illud voco, quo homo à quiete excitatus directionem suam facit, eaque disponit quæ per reliquum diem facturus est. Ab hoc licet multi parum emolumenti prouenire arbitrentur, totus tamen diei sequentis fructus & profectus inde dependet: est enim veluti radix, à quâ horarum sequentium directio atque commoda proueniunt. Si enim primo diei instanti omnia illo die facienda, ad Dei gloriam, proximi animæque propriæ salutem & vtilitatem destinentur, meritoria ea omnia efficiuntur; nec dubium, quin illa, quæ vt oportet debitè præuidentur & disponuntur, meliorem successum habeant, & fructum ampliorem nanciscantur. Varios ergo inter modos, quos ad matutinam hanc directionem aptè faciendam adferunt mystici Scriptores, vnum selegimus, & per distincta puncta hic apposuimus. Ad primum igitur sonum horæ, quâ surgendum tibi esse proposueris, è lecto, veluti si succensus esses, prosilies, & tamquam terribili illâ tubâ, *Surgite mortui, & venite ad iudicium,* citatus esses, Deumque intonantem tibi concipies: *Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare.* ex quo ad timorem, qui initium est sapientiæ, te excitare poteris, & cum Hymnographo Regio inclamare: *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.* Secundò, quia negligentem te hactenus fuisse & multis peccatis obnoxium conspicies, coram diuinâ Maiestate te profundissimè humiliabis, pœnitentiæque spatium, pro die præsenti saltem, quàm poteris enixè deprecaberis, inquiens: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Qui etiamsi habuero quidpiam iustum, non respondebo, sed meum Iudicem deprecabor.* Tertiò confisus de misericordiâ Dei, in spem eximiam te eriges, planeque tibi persuadebis, diem sequentem tibi esse concessum, vt de malis anteactis pœnitentiam agas, & seriò te emendes. vnde in gratiarum actiones prorumpes pro omnibus tibi beneficiis eò vsque à Deo liberalissimè concessis, nominatim quòd nocte præcedenti, vt quidem merebaris, non fueris extinctus, sed ad nouas gratias & noua beneficia reseruatus sis: *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius. Benedicimus Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Repleti sumus manè misericordiâ tuâ, & exultauimus, & delectati sumus omnibus diebus nostris. Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* Quartò firmiter propones, diem, quem inchoas, ad maiorem Dei gloriam expendere; omniaque ea quæ facturus es, in illius honorem, animæque tuæ & proximorum salutem affectuosissimè consecrabis. *Viuens viuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie. Dixi: Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi. Dum ergo tempus habemus, operemur bonum: quia veniet nox in quâ nemo poterit operari.*

Diuidi potest dies in tres partes.

Quid in directione matutinâ faciendum sit.

Luc. 16.

Psalm. 118.

Math. 18.

Iob. 9.

Thren. 3.

Tob. 12.

Psalm. 89

Isai. 38.

Psal. 76.

Galat. 4.

Ioan. 9.

27. Quintò, diei præsentis actus, quantum tunc fieri poterit, dispones: vtque omnia meliùs procedant, tria vtiliter obseruabis. Primò præuidebis occasiones eas ex quibus te ordinariè in peccatum labi contingit, atque contra has te insigniter munies, ne per eas in leonis & draconis infernalis fauces, à quo deuoreris, deuenias. Cogita, diem illum viam esse in quâ tot sint bestiæ ad te deuorandum præparatæ, tot latrones ad te interimendum, quot inuenientur peccati occasiones. *Quasi à facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum. Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, plaga illius non est sanitas.* Deinde vt viâ breuissimâ ac securissimâ incedas, comitem aut ducem potiùs tibi assume Saluatorem, qui de seipso profitetur, quod sit *via, veritas & vita. Tamquam diceret,* inquit S. Augustinus, *Quà vis ire? ego sum via. Quò vis ire? ego sum veritas. Vbi vis manere? ego sum vita.* Illum ergo sequi, illum in omnibus imitari debemus, qui verissimè dixit: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Illum, de cuius perfecto imitatore intelligendum est. *Perfectus autem omnis erit, si sit sicut Magister eius.* de quo ita Deum disposuisse asserit Apostolus, *Quos præsciuit, hos & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui.* Mensuram ergo actionum suarum quisque habere poterit ex actionibus Christi, ita vt nihil velit agere, nihil omittere, omnia sic exequi, sic perficere, vt Christum facturum fuisse arbitratur. *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.* Et vt meritorum cumulum adaugeas, hic addere poteris intentionum multiplicationem, de quâ suprà. Sextò, diei actionibus sic præordinatis, confugias velim ad auxilium diuinum: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Omnia possum in eo qui me confortat. Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus viis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.* Septimò denique non parum iuuabit, vt omnia tua quæ facturus es meliùs disponas, fructuosiusque exequaris, si perpendas, neque diem illum, neque has ipsas occasiones, quas in eo ad benè operandum es habiturus, vmquam esse redituras: itemque, si eas iam neglexeris, tantam id fore iacturam, vt in æternum reparare damnum amissi semel temporis nequeas. imò, ab arreptis fortassis aut neglectis illâ die virtutum vitiorumque occasionibus dependere profectum tuum spiritualem, aut etiam saluationem vel damnationem æternam. Lubet hic mellifluum Bernardum audire, & cum illo initium diei quoad illius integram directionem concludere. *Nil,* inquit, *pretiosius tempore: & heu! nil hodie eo vilius inuenitur. Transiuit dies salutis, & nemo recogitat: nemo sibi perire diem, & numquam rediturum causatur; sed sicut capillus de capite, nec momentum peribit de tempore.* Iterùm ibidem: *Volat tempus,* inquit, *irremediabile, nec aduertit insipiens quid amittat. Licet fabulari, dicunt, donec hora prætereat. O, donec hora prætereat! quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, & ad promerendam gloriam, miseratio Conditoris indulget. Donec transeat tempus, quo diuinam propitiare debueras pietatem, properare ad* Ange-

Quomodo diei totius actus praeuidendi.

Eccli. 21.

Ioan. 14.

In Math.

Psalm. 120.

Philipp. 4.

Prouerb. 3.

Quantum sæpè ab vno die dependeat.

Serm. ad Scholares.

Angelicam societatem, suspirare ad amissam hereditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. Hactenus ille & nos de tempore vtiliter dirigendo: pro quâ matutinâ directione tametsi longa quotidie mora necessaria videatur, haud tamen ita est; quia semel hæc diligenter memoriæ impressa, suâ sponte paulatim fiunt consuetudo. Sed & si quid opus foret spatij, numquid ob quadrantem aut mediam etiam horam totius diei profectus diminui debet? Sanè sæculares, vt mercimonia sua venalia exponant, horas expendunt; & pro spirituali lucro non mediam applicare licebit, non decebit? Christianus non est, qui hic tergiuersatur.

28. Per diem varia occurrunt exercitia, pro cuiusq; vocatione & commoditate: nos de singulis aliquid, vt perfectiore illa modo, quàm ex tepidâ solùm consuetudine, obeamus. Tritus est versiculus, qui hìc vsui venit:

Nunc lege, nunc ora, nunc cum ratione labora.

Vtilitas & conditiones lectionis librorum sacrorum.

in quo tria adferuntur, in quibus quilibet fidelis, maximè cui gloria Dei & perfectionis studium cordi sunt, exercere se debet. Primum est, *Nunc lege*, vbi lectio libri alicuius sacri proponitur, omnibus omnino Christianis & vtilissima & perquam necessaria: illa enim est, in quâ, velut apes ex floribus, nos è libris mel atque animæ pastum colligimus. Annotemus, quæso, illa quæ hanc potissimùm materiam concernunt. Et quidem quod attinet ad lectionis necessitatem, quisnam inter Catholicos vel tantillum deuotus aut religiosus est, qui nesciat, sacrorum librorum lectione fouendas esse ac nutriendas fidelium mentes, & absque illâ animam, veluti terram sine aquâ, exarescere. Vide quid sancti Patres dixerint.

In Moralib.

S. Gregorius: *Diuinas Scripturas sæpiùs lege; imò numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. In Scripturis diuinis, per quas solas potes planè Dei intelligere voluntatem, videbis prohiberi quædam, præcipi quædam, concedi aliqua, suaderi nonnulla. Prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, suadentur perfecta.*

In Prologo Moralium.

Item: *Scriptura sacra mentis oculis quasi speculum quoddam opponitur, vt ibi interna facies nostra videatur. ibi enim fœda, ibi pulchra nostra conspicimus: ibi sentimus quantum proficimus, quantùmve à profectu longè distamus.*

Lib. 3. de Sūmo bono.

Et S. Ioannes Chrysostomus: *Geminum confert donum lectio sanctarum Scripturarum, siue quia mentis intellectum erudit, seu quòd à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit.* Conditiones verò lectionis sunt, Prima, vt non vana aut curiosa legamus:

De li. Gentium.

nam, vt S. Isidorus ait, *Quid prodest in mundanis proficere doctrinis, & inanescere in diuinis? caduca sequi figmenta, & cælestia fastidire mysteria? Cauendi igitur sunt tales libri, & propter amorem sanctarum Scripturarum vitandi; qui exteriùs eloquentiâ verborum nitent, & interiùs vacui virtutis sapientiâ manent. Eloquia autem sacra exteriùs incorrupta verbis apparent, intrinsecus autem mysteriorum sapientiâ fulgent.* Potestque hìc locum habere illud D. Hieronymi:

Epist. ad Demetriad.

De Scripturis disputantem non decet Aristotelis argumenta conquirere, nec ex flumine Tullianæ eloquentiæ ducendus est riuulus, nec aures Quintiliani flosculis & scholari declamatione mulcendæ; sed pedestris & quotidianæ similitudinis, & nullâ lucubratione redolens oratio necessaria est quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet. Altera conditio est, vt in lectione librorum sacrorum non tam verba quàm sensum ac succum attendas.

Lib. 1. super Epist. ad Ephes.

Diui iterùm Hieronymi pro hoc verba sunt; *Non putemus in verbis Scripturarum esse Euangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medullâ; non in sermonum foliis, sed in radice rationis.*

Super Psal. 5.

Cassianus item: *Schola cælestis, eruditio vitalis, auditorium veritatis, disciplina certissimè singularis, quæ discipulos occupat sensibus fructuosis, non inanium lenocinatione verborum.* Meditanda itaque sunt quæ leguntur, pro quo obseruandum illud D. Chrysostomi:

Super illud Matthæi, Omnia parata.

In Scripturis ignorans inuenit quid discat, contumax quid timeat, laborans præmia, pusillanimis mediocris iustitiæ cibos, qui etsi pinguem non faciunt animam, mori tamen non permittunt. Qui autem magni animi est, inuenit ibi spirituales escas, quæ perducant eum propè ad Angelorum naturam. Qui verò est vulneratus à diabolo, inuenit ibi cibos medicinales, & salutem per pœnitentiam. Opus etiam, vt Lector ad lectionem adferat animum non inflatum, sed humilem & compunctione cordis timoratum, vt Hugo de S. Victore requirit, cuius hæc sunt verba:

Lib. de Anima.

Ad sacræ Scripturæ cognitionem opus est intimâ compunctione potiùs quàm profundâ inuestigatione; suspiriis, quàm argumentis; lacrymis, quàm sententiis; oratione, quàm lectione; gratiâ lacrymarum, quàm scientiâ litterarum; cælestium potiùs contemplatione, quàm terrestrium occupatione. Continuandum quoque esse in lectione, D. Ambrosij est monitum.

Lib. de Cain & Abel.

Cælestium, inquit, *Scripturarum eloquia diu terere ac polire debemus, toto animo ac corde versantes, vt succus ille spiritualis cibi in omnes se venas animæ diffundat.* Quò etiam ducit S. Hieronymus, dum sic inquit:

Ad Demetriadem virginem.

Sint Scripturæ diuinæ semper in manibus, & iugiter mente voluantur, nec sufficere tibi putes mandata Dei memoriâ tenere, & operibus oblinisci, sed ideò illa cognosce, vt facias quidquid didiceris. Non enim auditores legis iusti sunt, sed factores. Quibus verbis etiam monemur, opere id esse perficiendum quod mens legit & audit; ad quod & alia eiusdem Doctoris loca cōducunt, vt:

Super Psal. 1.

Meditatio legis est non solùm in legendis Scripturis, sed in his etiam quæ scripta sunt faciendis. Et:

Super Psal. 22.

Plus didicit qui plus facit. Ceterùm si quod tu edicis ego facio, magis mea opera Scripturas tenent, quàm tuus sermo qui vanè resonat. Cui comitem dabimus D. Gregorium Magnum, qui hæc scribit:

Homiliâ 10. in Ezechielem.

Liber qui viscera replenit, dulcis in ore sicut mel factus est, quia ipsi de omnipotente Deo sciunt suauiter loqui, qui hunc didicerunt in cordis sui visceribus veraciter amare. In eius quippe ore Scriptura sacra dulcis est, cuius vita viscera mandatis illius replentur: quia ei suauis est ad docendum, cui interiùs impressa ad viuendum fuerit. Sed & vtilitates & commoda quæ ex lectione piorum & sacrorum librorum hauriuntur, cape: nimirum ne mentem mundana iniquitas obnubilet, præcauet; & ne aduersitas superet, custodit.

Super Epist. ad Ephesios.

Si quidquam est, inquit S. Hieronymus, *quod in hac vitâ virum sapientem teneat, & inter pressuras & turbines mundi æquo animo manere persuadet, id esse primum reor, meditationem & scientiam Scripturarum.* Si delicias desideras, ibi eas abundè reperies.

Hieronym. super illud Psalmi 147. Et adipe frumenti satiat te.

Pinguissimus scilicet *sermo diuinus est, omnes in se habens delicias.* Quidquid volueris, ex sermone diuino nascitur, sicut tradunt Iudæi: quoniam manna quando comedebant, secundùm voluntatem vniuscuiusque sapiebat in ore. Scientiam & eruditionem desideras? ibi sufficienter habes.

In Moralib.

Sacra Scriptura, inquit Gregorius, *omnes scientias locutionis suæ more transcendit; quia in vno eodemq; ser-*

mone

mone dum narrat textum, prodit mysterium: & sicut mysteriis sapientes exercet, sic superficie simplices refouet; habet enim in publico, vnde paruulos nutriat & seruet in secreto, vnde mentes sublimium admiratione suspendat, quasi quidam fluuius, vt ita dixerim, planus & altus, in quo & agnus ambulat, & elephas natat. Mirabilis fluuius est iste, qui est ita planus, quod ibi agnus, id est simplex & illiteratus, potest siccis pedibus transire; & elephas, id est magnus & subtilis, potest natare, imò potest se submergere.

Circa secundum, *Nunc ora*, & tertium, *Cum ratione labora*, quæ & ipsa longiorem explicationem desiderant, remittimus Lectorem ad Caput huius Libri decimum quintum, & decimum sextum, vbi de Oratione, & ad Caput vigesimum tertium, vbi de labore prolixiùs egimus. Quæ corporis refectionem atque recreationem attinent, quippe quod opus etiam de die necessariò occurrat, paucis percurrenda nobis erunt.

29. *Conditiones & vtilitas etiam refectionis.* Indubitatum igitur sit, non meritorium satisfactoriumque tantùm esse illud opus quod ad lectionem, orationem, atque ipsum corporis laborem conducit, verùm & quod ad spiritus corporisque relaxationem facere videtur, quale est comestionis atque recreationis actus. *Omne*, inquit Apostolus, *quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum*. Et: *Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Neque vnius solummodò inter comedendum virtutis occasio offertur: nam Primùm ipsa Gratitudo siue gratiarum actio, de quâ Apostolus locutus est dum agit de *cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognouerunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciẽdum quod cum gratiarum actione percipitur.* Altera virtus est, vt sumatur cibus ad corpus corroborandum, vt posteà generosiùs & feruentiùs Deo seruiatur, quemadmodum Prophetæ & Patri nostro sanctissimo Eliæ ab Angelo datus est cibus, vt in fortitudine illius ambularet ad montem vsque Dei Horeb. Verba Scripturæ obuia sunt. *Angelus Domini*, inquit sacer Textus, *tetigit eum*, scilicet Eliam, *& dixit illi: Surge, & comede. Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rursum obdormiuit. Reuersusq; est Angelus Domini secundò, & tetigit eum, dixitq; illi: Surge, comede: grandis enim tibi restat via. Qui cùm surrexisset, comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Horeb.* Tertium virtutis, quod inter comedendum seruari potest, exercitium, est ipsa temperantia, vt non vltra naturæ ac sanitatis exigentiam alimenta sumantur. Pro quâ audiendus est Seneca, qui egregia ad eam rem monita subministrat. *Hanc sanam*, inquit, *ac salubrem formam vitæ tenete, vt corpori tantum indulgeatis, quantum bonæ valetudini satis est. Cibus famem sedet, potio sitim extinguat, vestis frigus arceat, domus munimentum sit aduersus infesta corporis. Hanc vtrùm cespes erexerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil interest. Scitote tam benè hominem culmo quàm auro tegi. Cogitate, nihil præter animum esse mirabile, cui magno nihil magnum est.* Idemque quanta hac ex virtute commoda & vtilitates proueniant, sic recenset: *Voluptatibus imperat, alias odit atque abigit, alias dispensat, & ad sanum modum dirigit, nec vmquam ad illas propter ipsas venit: scit optimum esse modum cupitorum, non quantum velis sed quantum debeas sumere.* Et paulò prolixiùs S. Prosper, qui hunc emolumentorum indicem texuit: *Facit abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, & tacitum, & verecundum. Hæc virtus si in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, cogitationes prauas remouet, scientias inserit, ignem libidinosæ voluptatis extinguit, mentem placidâ tranquillitate componit, & totam ab omni semper tempestate vitiorum defendit.* Et denique D. Augustinus eò ducit, licet aliis verbis. *Sobrietas*, ait, *est mentis & sensus, membrorum omnium, corporisq; tutela, castitatis pudicitiæq; munimentum, pudori proxima, amicitiæ pacisq; serua, honestatiq; semper coniuncta, criminumq; & vitiorum omnium profuga. Est recti iudicij tenax, memoriæ recordationisq; inseparabilis sapientia, secretorum custos, arcani velamen, lectionum & doctrinæ capax, studiorum & artium bonarum disciplina pariter & magistra ingeniorum: bonæ famæ semper auida, salubria atque vtilia creans, virtutis singulare auxilium, cuncta cum ratione dispensans, in congregatione honestorum se semper ingerens.* Quarta virtus est actus mortificationis, dum vel patienter ferimus quidquid nobis deest, vel oblatum nobis edulium sponte & ex Dei amore reiicimus, aut nobis ipsis subtrahimus vt indigenti erogetur. Audiatur quid D. Gregorius Papa dicat. Is explicans illud Apostoli, *Scio abundare & penuriam pati*, ita scribit: *Qui acceptis rebus non extollitur, qui eas ad vsum vanæ gloriæ non intorquet, qui non solus possidet quod accepit, sed hoc indigentibus misericorditer diuidit, scit abundare. Qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem ventris vtitur, sed ad reparationem virtutis; nec plus carni tribuit quàm necessitas petit, scit satiari. Qui autem alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate victus agit aliquid vnde anima laqueum peccati incurrat, scit esurire. Quem ergo nec in abundantiâ superbia eleuat, nec in necessitate cupiditas irritat, nouit abundare, nouit penuriam pati.*

Sed & quàm sit insigne ipsum temperantiæ officium, docuere tum S. Augustinus, tum & Cicero gentilis. Ille, dum sic inquit: *Munus temperantiæ est in coërcendis sedandisq; cupiditatibus, quibus contrariamus in ea quæ nos auertunt à legibus Dei, & à fructu bonitatis eius, cuius officium est contemnere omnes corporales illecebras, laudemq; popularem.* Hic verò dum ait: *Temperantia est quæ in rebus aut fugiendis aut expetendis, vt rationem sequamur monet; quæ animis pacem affert, & eos quasi quadam concordiâ lenit ac placat.* De Corporali quidem hæc refectione sufficerent, sed haud absque vtilitate obseruari & alia nonnulla possunt, tempus videlicet & qualitas ciborum, quæ magnum ad mortificationem momentum habent. De tempore sic loquitur Cassianus: *Recens escæ perceptio tam in vespertinis quàm nocturnis orationibus leuem tenuemq; sensum non sinit inueniri; ideoque satis commodum & vtile hora nona refectionis tempus indultum est, in quo reficiens stomachus non solùm in nocturnis vigiliis leuis ac vacuus, verùm etiam in ipsis vespertinis solemnitatibus digesto iam cibo aptissimus inuenitur.* De qualitate verò ciborum sic Boëtius: *Si quod naturæ satis est, replere indigentiam velis, nihil est quòd fortunæ affluentiam petas: paucis enim minimisq; natura contenta*

Margin notes: Coloss. 3. — 1. Cor. 10. — 1. Tim. 4. — 3. Regum. 19 — Epist. 8. — Epist. vlt. — De Vitâ cõtemplatiuâ. — Ad sacras Virgines. — Phil. 4. — Homil. 1. super Ezech. — 30. Quàm insigne temperantiæ exercitium? — De Moribus Ecclesiæ. — De Finibus. — Collat. 26. — De Cõsolat.

contenta

contenta est, cuius satietatem si superfluis velis regere, aut iniucundum quod infuderis fiet, aut noxium. & Chrysostomus hunc in modum: *Simpliciter victus, & mensa mediocris plurimum iucunditatis habet & voluptatis: econtrà verò diuitum mensæ execrabiles quidem & horridæ, ac membrorum contaminationis plenæ.* Et ne quis deceptum se conqueratur si in qualitate solùm appetitum restrinxerit, in quantitate verò excedere & diffluere eum passus fuerit, annotari poterunt quæ D. Bernardus habet, qui sic monet: *Melius est exiguo sanguine ad vsum vesci, quàm ventoso legumine vsque ad ructum exsaturari, præcipuè cùm & Esau non de carne sed de lente sit reprehensus; & de ligno Adam non de carne damnatus; & Ionathas de gustu mellis non carnis morti iudicatus. Econtrà verò Elias innoxiè carnem comedit: Abraham Angelos gratissimè carnibus pauit, & de ipsis sua fieri Sacrificia Deus præcepit.* Item quæ D. Augustinus scripsit, qui *Non propter porcum*, ait, *sed propter pomum, mortem primus homo inuenit, & Esau primatum suum non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit. Scio enim Noë omne genus carnis, quod cibo esset vsui, manducare concessum. Eliam cibo carnis refectum, Ioannem mirabili abstinentiâ præditum, animalibus, id est locustis in escam cedentibus, non fuisse pollutum. Et scio Esau lenticulæ concupiscentiâ deceptum, & Dauid propter aquæ desiderium à seipso reprehensum; & Regem nostrum non de carne sed de pane tentatum.* E quibus patet, non solùm gulam esse cùm delicata & exquisita esculenta sumuntur, sed cùm inordinatè eadem quæ vilia sunt appetũtur. Et hæc omnia defunctis applicari posse, aut in eorum materiâ vsu venire, postmodum, cùm de ieiunio agemus, palàm fiet; ad actus internos, quos inter comedendum elicere possumus, transimus.

In Apologet.

Super illud Roman. 14. *Noli propter escam, &c.*

Eximium hac in materiâ S. Bernardi exemplum.

Quidam ergo, S. Bernardum imitati, toties ad tormenta se rapi arbitrantur, quoties ad mensam accedendum est: alij econtrà vel maximam animi lætitiam concipiunt, non sanè propter corporalem cibum, sed propter refectionem mentis atque spiritus, lectionem inquam sacram, quæ Religiosorum mensis adhibetur, quâ anima nutritur & alimentum capit. Sunt nonnulli, quorum à cogitationibus fel & absinthium Christi numquam abest, sed omnia illorum fercula quodammodò inspergit. Quidam pauperes sese, hospitesque & peregrinos existimant; & si quid appositum fuerit quod vel minùs sapiat aut delectet, vel etiam quod abhorreant nauseamque eis pariat; nihil sibi deberi, omniaque gratis offerri arbitrantur. Varios quoque reperias, qui mortificationis studio bolos aut cibos minùs sapidos eligunt: alij, vt gulam faciliùs refrænent, quàm illa quæ apponuntur sint vilia, ex vilioribus prouenerint, & in viliora transmutanda sint, recogitant. Ad propositum quoque erit, nolle illud corpus delicatiùs nutrire, ne pinguior & lautior vermium esca euadat, quò hic ingurgitantiùs repletum fuerit. Quin, an non meritò opiparo conuiuio adsidens subinde cogitare poterit & debebit, quanti sint qui ciborum & alimentorum inopiam patiantur, ideoque sibi frugalitatem & commiserationem excolendam esse? Religiosis etiam familiaris esse debet huiusmodi cogitatio, peccatorum se peccata comedere, in Christi mensâ pauperum cibo nutriri, cum Sanctis atque Angelis ibi assidere, & plura alia, quæ non modicam modestiæ temperantiæque ac circumspectionis occasionem præbent. Quid si prætereà, id quod sanè verissimum est, expendere velimus, honorificentius nobis esse, aliis comedentibus ministrare, quàm ab iis ministerium recipere, cùm & ipsemet Filius Dei in mundum venerit ministrare non ministrari; suosque fecerit discumbere, & transiens illis ministrauerit? aliaque huc spectantia non pauca. Quàm insuper delectabile est, ex obsequio aliis præstito omnibus gratum esse; quàm insipidum, ob ingurgitantiam omnibus, & maximè probis, fieri inuisum: quàm denique vtile, ex ciborum temperantiâ sanum & vegetum, passionumque carnis suæ dominum esse; quàm econtrà parum generosum atque proficuum, nutrire equum suum, id est corpus, quod frequenter in sessorem suum calces attollit, quod pastorem suum impugnat, quod eum à quo vitam suam veluti consequitur, æternaliter damnat. Hæc profectò sunt eiusmodi, vt si intra mentis conclaue ad animæ mensam comedantur, masticentur, ruminentur, digerantur, in nauseam vertant omnes cibos corporis, omnes palati gustus, omnes gulæ oblectationes.

Quæ & ipsa non in comestione solùm, sed in reliquis omnibus corporis recreationibus locum habent. O magna & verè maxima hominum miseria, quibus necesse est aliquando nonnihil à vitæ rigore & communiore agendi viâ recedere, ne equum carnis nostræ, quem insidet anima, nimiùm defatigemus, ne simul obtuamus & spiritum! Et hoc tamen ita faciendum est, ne à perfectionis cursu, quem cœpimus, deuiemus: ne, dum illi, quod necessarium est, indulgemus, in præceps abire, atque in ruinam vergere faciamus. Quid hîc acturi sumus? quam partem eligemus, in quâ vtraque ingens periculum inuenitur. Recreationem subinde necessariam esse quis nesciat? Ethnicorum voces sunt: 31.

Necessarium esse recreationis exercitium ostenditur.

Quod caret alternâ requie, durabile non est:
Nullum violentum perpetuum. Non semper arcum tendit Apollo. Cui adstipulantur fidei nostræ Primipili, ipsimet sancti Apostoli Domini. De S. Ioanne Euangelistâ legitur, ei venatorem quemdam occurrisse, dum ad suum & suorum spiritum nonnihil releuandum, cum discipulis in agrum deambulatum exiisset, admiratumque hominem fuisse, quòd vir tantus & tam sanctus à rigore disciplinæ, tantisper dum recreationi vacaret, remitteret. Quem D. Ioannes rogauit, vt sagittas aliquot eliceret. Cumque idem frequentiùs peteret, venator tandem respondit, non esse neruum arcus tam continuè intendendum, ne rumpi eum contingat, sed opus esse aliquantulum remitti. Hac occasione Apostolus eumdem confutauit, eaque similitudine instruxit, immeritò se admiratum fuisse suam discipulorumque suorum exiguam respirationem, sed velut neruum arcus à iaculando, ita animum à seriis quandoque remittendum esse. Hinc omnium, qui ordinem aliquem aut viuendi rationem præscripserunt, hoc velut commune est axioma: Necesse esse subinde spiritum per honestam aliquam recreationem alleuiare, & ab ordinario interim labore atque rigore nonnihil

Egregia illius à S. Ioãne Euangelistâ probatio habetur.

nihil cessare, ita tamen, ne in dissolutionem procedatur, aut ab omni animi exercitio abstineatur. Pro quo obseruatu dignissimū est, ipso etiam recreationis tempore intermisceri posse actus aliquos perfectionis tam internos quàm externos. Internos, vt totum hoc recreationis opus ad maiorem posteà progressum faciendum dirigatur. Qui fossam aliquam transilire conatur, vt maiore cum impetu id fiat, priùs aliquantùm retrocedit, vt sumpto celeriore cursu alacriùs fossam transiliat. Perinde agendum est ei qui seipsum recreare volet: nam ideò tantillum relaxationis, veluti si retrocederet, admittere debet, vt velociùs postmodum virtutis stadium decurrat. Interim etiam frequentiùs cor suum ad conditorem suum attollere, & quarumcumque virtutum actus exercere potest. Per terrenas hasce recreationes ascendere poterit ad æternorum considerationem, indeque descendere ad terrenorum contemptum, vtpote quæ fluxa sint, caduca, nulla, illorumque comparatione exhorrescenda. Insuper, vt nihil inordinatum admittatur, assiduè potest ac debet ob oculos versari Dei præsentia, cogitando se ibidem videri à Deo, & Angelis, totaque Curiâ cælesti, qui spectent & expectent, qualis erit, & quàm propositorum tenax in occasionibus remissionis. Externos verò, rescindendo primùm, quantum est possibile, occasiones peccatorum, verborum inutilium, detractionum, querelarum, & similium; econtrà inducendo pia colloquia, de virtutibus, Sanctis, Deo. Secundò, reliquos exhilarare conaberis, illaque vel in sermonem vel in exercitium deducere, quæ & corpus simul & animum honestâ voluptate perfundant. Tertiò, exemplo aliis esse studebis modestiæ, pietatis, & aliarum virtutum. Quartò, nihil vel facturus es vel omissurus, quod à Saluatore nostro (cuius exemplum atque exemplar ad vnguem imitandum proponere quis sibi debet) non credis actum vel omissum iri. Quintò, illo præcipuè tempore charitatem fraternam, ministrando ac seruiendo aliis, adimplere satages. Neque intereà, sexto loco, omne intermitti debet mortificationis exercitium, sed, tametsi nonnihil recreandus sit animus, corpus aliquâ saltem in re priuari appetitu & consolatione conueniet; bolos aliquot delicatiores aut potum præstantiorem relinquendo, conformando se aliorum voluntati in lusu, colloquio, cibo; conuersando cum iis qui minùs delectant, molestiores sunt aut morosiores, &c. Denique ante omnia diligēter aduertendum est, vt nullum spiritui nimiâ diffusione, vel corpori aliquo excessu præiudicium fiat; ne dum recreatur homo exterior, interior destruatur; ne dum alleuiare corpus volumus, aggrauemus. Sed de his aliis occasionibus plura.

Quot in hac prædicari virtutes queant.

32. Diem iam concludamus cum examine conscientiæ, quod ab omnibus fidelibus meritò vsurpari solet, vt si quid die præterito benè factum sit, pro eo Deo gratiæ referantur; si quid verò malè, pro illo ab eodem expetatur venia; & qualiter illud sequentibus diebus emendandum sit inspiciatur. Examinis porrò conscientiæ quinque partes assignantur, quarum Prima est gratiarum actio pro beneficiis die illo & reliquo totius vitæ tempore obtentis. Hæc

Vltima diei pars cōsuntia examen complectitur.

vt rectè fiat, expendendi non absque diligentiâ erunt vniuersi præteritæ lucis actus & circumstantiæ, quatenus ex horum singulorum consideratione colligi possit, quanta sint in nos Dei beneficia. Neque exiguus hinc est expectandus fructus, vtpote cùm sancti Patres inter se certasse quodammodò visi sint, quis eorum hanc virtutem potissimùm commendaret, quis eius vtilitates copiosiùs describeret. S. Augustinus sanè ita neruosè ait: *Quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo explanemus, quàm Deo gratias? Hoc nil dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest.* S. Ioannes Chrysostomus, *Optima*, inquit, *beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua confessio gratiarum.* Iterùm: *Admoneo vos, vt Dominum semper benedicatis. Si venerint mala, benedicite, & dissoluentur mala: si prospera venerint, benedicite, & perseuerabunt bona & prospera.* Cassianus quoque breuiter, at valdè benè: *Omnis profectus ad diuinitatis est munera referendus: quia nihil constat fore bonum, nisi quòd ab ipso dignoscitur esse collatum.* Quin & Seneca homo gentilis: *Sapiens omnia examinabit secum, quantum accipit, à quo, & quando, vbi, quemadmodum.* Et alibi: *Credamus nil esse gratò animo honestius. Omnes hoc vrbes, etiam omnes ex barbaris regionibus gentes conclamabunt; in omni iudiciorum diuersitate referendam benè merentibus gratiam, omnes vno ore affirmabunt, in his discors turba consentiet.* Altera pars examinis est sui ipsius cognitio atque confusio ex admissis præterito die defectibus: in quo & alter iterùm isque eximius perfectionis actus, ad cuius frequentationem Patrum nos elogia excitare valent. Augustinus: *Supra te Deus, infra te pecora. Agnosce eum qui supra te est, vt agnoscant te quæ infra te sunt. Ideoque dum Daniel agnouisset supra se Deum, agnouerunt eum supra se leones.* Chrysostomus: *Alter alterius culpam citò intelligit, suam autem difficilè: quia homo in causâ alterius tranquillum habet cor, in suâ autem turbatur; perturbatio autem cordis non permittit hominem considerare quod bonum est.* Cassianus: *Magnus accessus est ad Deum, cognitio infirmitatis suæ. Locis corpora continentur, animi autem locus est affectio sua. Magna est vtilitas serui Dei, propriam infirmitatem recognoscere, atque in suis viribus aut meritis nullam fiduciam habere.* Hugo: *Redi ergo ad cor tuum, & subtiliter discute teipsum. Considera vnde venis, quò tendis, quomodo viuis, quid agis, quid amittis, quantum quotidie proficis vel quantum deficis, quibus cogitationibus magis incusaris, quibus affectibus frequentiùs tangeris, vel quibus tentationum machinis à maligno spiritu acriùs impugnaris. Et cùm totum interioris & exterioris hominis statum, & habitum, & quantum possibile est, plenè cognoueris, non solùm qualis sis, verùm etiam qualis esse debeas, de cognitione tui poteris subleuari ad contemplationem Dei.* Bernardus: *Spiritualis homo omne opus suum ternâ quadam consideratione præueniet: priùs quidem an liceat, deinde an deceat, postremò an expediat.* Tertia pars examinis est, imploratâ luce diuinæ gratiæ, peccatorum illo præcipuè die per loca temporaque & alias circumstantias diligens exactaque discussio: in cuius commendationem non opus est adducere multas sāctorum Patrum exhortationes, aut multa piorum exempla, quandoquidem ipsi etiam Ethnici hac in re insignē nobis facē prætulerint,

Qualiter illud faciendum sit.

Epist. ad Marcell.

Super Matth. 25.

In Epistolis.

Epist. 3.

Epist. 83.

In c. 8. Epistolæ S. Ioānis.

In Matthæi illud, *Va vobis Scribæ, &c.*

Super illud, *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.*

Lib. 3. de Animâ, c. 3.

De Consideriat. ad Eugenium.

vt videre est ex illis apud ipsos frequentatis versibus:

Non priùs in dulcem declines lumina somnum,
Omnia præterita quàm computes acta diei.

Egregia examinis conscientiæ in Ethnicis documenta.

Ad quod etiam propositum confirmandum pulchrum est, quod de faciendo quotidie examine lib. 5. de Irâ legitur apud Senecam. *Animus*, inquit ille, *quotidie ad rationem reddendam est vocandus. Faciebat Sextius, vt consummato die, cùm se ad nocturnam quietem recepisset, interrogabat animum suum, Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? quâ parte melior es? Moderatior erit qui sciat quotidie ad iudicem veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? quàm tranquillus? quàm altus ac liber?* Plura nos alia hac de re Cap. XIV. allaturi sumus, cùm de Confessione agemus: intereà quartam examinis partem expendamus, quæ agnitæ culpæ emendandi propositum complectitur: in quâ iterùm tria notari possunt, Primò, culpæ confessio; Secundò, emendationis propositum; & Tertiò, inquisitio atque ordinatio mediorum, quibus idipsum propositum ad executionem efficaciter deduci poterit. De confessione sufficient infrà dicenda cùm de externâ confessione faciendâ Sacerdoti latè agemus; licet enim hîc in examinis materiâ non agamus de confessione auriculari, vt illic facturi sumus, tamen loci istius probatio, & pro præsenti quoque plusquam sufficientem satisfactionem exhibitura est, quoniam si necessaria sit ad peccatorum remissionem externa siue oris confessio, quantò ampliùs necessaria erit ipsa confessio interna aut cordis, vt vocamus, ex quâ &, si rectè fiat, prouenire debet confessio oris, & sine quâ non potest vnquam haberi aut dici cõtritio, quæ ipsius auricularis tamen confessionis atque etiam absolutionis basis ac veluti fundamentum existit. De emendationis proposito, an non & de eo prædicto cõmodiùs loco, agi potest? Ita reuerà fieri posse, prudẽs ibidem Lector inspiciat; vt non nisi tertium hîc nobis membrum explicandum supersit, quo præmeditanda asseruimus remedia, ad in futurum præcauenda peccata, in quæ illo potissimùm die, vel per malitiam, vel per fragilitatem aut surreptionem lapsi fuimus.

33. *Quænam aduertenda in emendationis proposito.*

Obseruanda itaque erunt illa inprimis delicta, in quæ frequentiùs reincidere solemus, aut à quibus maius nobis damnum prouenit, vel progressus in virtutibus ac perfectione impedimentum. His cognitis, vti facilè per quotidianam examinationem cognosci possunt, inquirenda erit illorum origo atque occasio, vt ei remedium adhiberi queat; neque satis est vnum semel peccatum euitasse, cùm satis non sit herbam aliquoties desuper auellere, nisi & radix penitus extirpetur, ex quâ rursum iterùm vt anteà herba pullularet; non satis etiam fuerit aranearum telas scopis abrumpere, nisi ipsæ araneæ quæ noua quotidie fila contexunt, enecentur: non igitur hunc in modum peccatum aliquoties solùm declinasse sufficerit, si origo illius atque occasio non inquiratur, non occludatur; quapropter omnibus viribus adlaborandum erit, & à Deo humillimè expostulandum, vt defectuum nostrorum perspecta nobis fiat origo, perspecta occasio; parum enim foret medico infirmi dolores parumper mitigare, nisi morbi causam, aut, vt vocant, malitiam, dispelleret. Sed quid multis? necessaria adeò est ad salutem diligens horum inquisitio, vt de eâ possint intelligi D. Bernardi verba, cùm in Epistolis ait: *Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuriâ, aut discendi desidiâ, aut inquirendi verecundiâ, & quidem huiusmodi ignorantia non habet excusationem.* D. verò Ambrosius super, Beati immaculati. *Ordinis*, inquit, *ignorantia conturbat negotiorum naturam, formamq́; meritorum, statutis facere contraria, non est intelligere, sed ignorare.* Et S. Gregorius Magnus lib. 17. Moralium sic ait: *Qui enim lucem videt, scit quid de tenebris æstimet; nam qui candorem lucis ignorat, etiam obscura pro lucidis approbat.* Instanter itaque à Deo petendum est, vt peccatorum nobis originem occasionemque demonstret, quatenus adhiberi efficax remedium possit. Quinimmò & in hoc non parum adlaborandum est, vt internoscamus quodnam verè peccatum sit necne, quia mellifluus idem Doctor Bernardus optimè suâ in Apologiâ ita scripsit: *Magna abusio, parcitas putatur auaritia, sobrietas austeritas creditur, silentium tristitia reputatur. E contra, remissio discretio creditur, tristitia silentium reputatur, loquacitas affabilitas, cachinnatio iucunditas, mollities vestimentorum & equorum fastus honestas, lectorum superfluus cultus munditia.* Vtq; vel breuiter quisque suo in statu agnoscat, quid faciliùs delicti incurrere plerumq; & periculosissimè soleat, & quid proinde diligẽtiùs se euitare conueniat, abusiones aliquot hominum ex D. Augustino de 12. Abusionibus recitamus, sunt sublimissimi Doctoris istius hæc verba: *Duodecim sunt abusiones sæculi, scilicet sapiens sine operibus, senex sine religione, adolescẽs sibi obedientiâ, diues sine eleemosynâ, dominus sine virtute, Christianus contentiosus, pauper superbus, Rex iniquus, Episcopus negligens, plebs sine disciplinâ, populus sine lege.* Vin' & abusiones nonnullas, à quibus & sibi præcauere religiosi homines debeant? recitat illas lib. de Claust. Animæ Hugo vt sequitur: *Duodecim sunt abusiones claustri, quibus tota religionis summa corrumpitur: scilicet Prælatus negligens, discipulus inobediens, iuuenis otiosus, senex obstinatus, Monachus curialis, Religiosus causidicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, tumor in claustro, lis in Capitulo, dissolutio in Choro, irreuerentia iuxta altare.* Satis hæc sunt, vt ex aliis similiter fiat iudicium. At nos adiungere pergamus quæ ipsum emendationis propositum concernunt, duo enim adhuc sunt quæ vtiliter in eiusdem promotionem obseruari possunt, Primum non esse prudens consilium omnia simul vitia violenter velle extirpare, quia id cùm plerumque impossibile sit, hoc efficit, vt dum quod proposuimus ad effectum nequimus perducere, in victoriæ, si non desperationem, minorem saltem fiduciam atque ad hanc necessariam generositatem incidamus: vnum proinde vitium animosè, pertinaciterque, vt ita loquar, aggredi & expugnare consultus est, eoque deuicto procedere ad secundum, & sic deinceps; multitudo enim obruit & confusionem parit.

Qui duos insequitur lepores neutrum capit.

Quomodo prudenter in eo procedendum.

Alterum est consilium, vt vires vnusquisque suas expendat, atque secundùm has cum defectibus in arenam præliaturus descendat. Si debilem sese nimis vt magnum aliquod atque inueteratum vitium primùm aggrediatur, agnoscat, à minimis incipiat, vt paulatim ad certamina maiora sese assuescat. Sin verò ge-

generosior

nerosior est, quàm vt à minoribus facilioribusque cursum inchoet, non suis viribus, sed Dei benignitate confisus, peccatum illud quo potissimùm vrgetur, etsi fortassis ingens sit & ad victoriam omnino molestum, imperterritus aggrediatur; fiet inde, vt generositati difficultas cedat, & vnico illo quod quidem reliquorum capitale erat, expugnato peccato, reliqua facilè & à seipsis quodammodò in prædam veniant, aut emoriantur. Hocipsum in pluribus Sanctis visum est, qui dum speciali Spiritus sancti illustratione inter plura sese maximaq; delicta ac crimina deprehensos cognouissent, atque ad altissimæ perfectionis semitam eò affectuosiùs anhelarent, quò se longiùs anteà ab illà declinasse conspiciebant; subitò hi ita planè conuersi sunt, vt vno veluti saltu vniuersorum vitiorum ambages transilierint, fortiorique quo laborauerant scelere proculcato, alia simul delicta etsi copiosissima penitus disturbarint. Aiebat S. David Propheta: *Viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilatasti cor meum. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, posteà accelerauerunt.* Habacuc verò, *Deus Dominus fortitudo mea: & ponet pedes meos quasi ceruorum. Et super excelsa mea deducet me victor in Psalmis canentem.* Quin & S. Paulus: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Et ipsemet Saluator noster: *Omnia possibilia sunt credenti.* Vt propterea consultius sit Sanctorum in hac generositate animos æmulari, vnoque veluti impetu, omnes simul hostes vno duce eorum interempto, obruere, quàm pedetentim & flegmaticè, labore semper nouo, nouâ inquam, maioreque difficultate prælij onus & periculum continuare. Porrò ad peccatorum remedia quod attinet, insignem de his S. Gregorius Papa doctrinam tradidit, inquit enim, *Quia Dominus ac Redemptor noster nouus homo venit in mundum, noua præcepta dedit mundo. Vitæ etenim nostræ veteri in vitiis enutritæ contrarietatem opposuit nouitatis suæ. Quid enim vetus, quid carnalis homo nouerat, nisi sua retinere, aliena rapere, si posset; concupiscere si non posset? sed cælestis medicus singulis quibusque vitiis obuiantia adhibet medicamenta. Nam sicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur; ita Deus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem.*

Psalm. 118. Psalm. 15. Habacuc 3. Philipp. 4. Marci 9. Homil. 32. in Euang.

34\. Quintum demùm examinis conscientiæ exercitium est, præmissis nunc peccatorum scrutinio, detestationeque, ac proposito emendationis concepto, diuinam opem implorare; vt quod Benignitas Dei nunc præueniendo inspirauit, id etiam adiuuando prosequatur, atque ad effectum deducere feliciter dignetur. De quo quia tum Capitibus 15. & 16. huius Libri, tum alibi sufficienter dictum, hîc ei supersedemus, & cum quietis seu somni explicatione à Christianâ die atque adeò etiam Capite præsenti quiescimus. Multa ergo & ex ipsâ dormitione emolumenta nata sunt prouenire, nostrum erit pauca ea perstringere. Prima sit ergo quæ ex compositione ad quietem nobis esse potest vtilitas, si concipiamus dum ad lectum procedimus, morituros nos, atque sepulchrum ingressuros cogitemus. Illud ne extra propositum esse quis dixerit, notet quid gentiles etiam homines de somno verè locuti sint. Homerus v. Odyss. de somno scribit: *Suauissimus morti proximè similis.* Menander: *Somnus mortis præmeditatio est.* Seneca in Hercule fur.

Obseruanda dum quieti incidamus.

Placidus fessum, letusq; foues,
Pauidum lethi genus humanum
Cogis longam discere mortem.

Virgilius 6. lib. Æneid.

Dulcis & alta quies, placidaq; simillima morti.

Quin & Ouidius de Amore lib. 2. Eleg. 9.

Stulte quid est somnus? gelidæ nisi mortis imago.

Philo etiam sciscitatus quid foret somnus? respondit, *Imago mortis, & cessatio sensuum.* Homerus rursùm somni fratrem appellabat mortem. Epaminondas hominem somno oppressum, ac mortuum, in eâdem esse sorte ac conditione affirmabat, &c. Ex quâ mortis consideratione quiescens intereà quod somnum præstolatur, mirabilem acquirere sibi potest vtilitatem, quotidie enim vt diebus sequentibus viuere meliùs incipiat, admonetur; quod enim tunc si in sepulchro iaceret, à se rectè factum vellet, vt in posterum faciat, nunc efficacissimè incitatur. Neque huiusmodi solum inter indormiscendum iuuare potest cogitatio, sed & si vel de æternâ quoque requie meditari delectat, an non corporis illa requies huius figura est? est sanè, nam & D. Paulus mortuos dormientibus assimilat cùm ait: *Nolo vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini sicut & ceteri qui spem non habent.* Et S. Ioannes Euangelista audiuisse se vocem scribit quæ diceret, *scribe: Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodò iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.* In quo & illud notandum, idcircò requiem à laboribus prouenire, *quia sequuntur opera*, hoc est post laborem requies sequitur, seu quod idem est, sese mutuo hæc duo concomitantur. Vt propterea qui requiem futuram desideret, laborare hîc strenuè debeat, quemadmodum & laboranti etiam in corpore somnus naturalis multò solet esse iucundior, Ecclesiast. 5. *Dulcis est somnus operanti.* Et Prouerb. 3. *Custodi legem atque consilium.* sed quid istinc? *Si dormieris non timebis: quiesces, & suauis erit somnus tuus.* En laboris & executionis obligationum dignum præmium; qui diem diligenter transegit, securè placidèque quiescit. Secus qui negligenter, secus qui malè, stratum enim veluti torturam hi conscendunt, quia eò sensibiliùs conscientiæ vermis ex malo perpetrato aut bono neglecto hominem exagitat, quò secretiùs illum inuenerit. *Quæ dicitis in cordibus vestris; in cubilibus vestris compungimini.* Hæc vti in sæculo quotidiana sunt, ita post vitam hanc æterna; optimumque proinde consilium, vt & diem vnumquemque & vitæ totius cursum laborando percurramus, quatenus noctibus singulis & per omnem æternitatem nobis requies secura contingat. Quin & vt fructuosè dormitum concedamus, videndum est vt spiritualem aliquam cogitationem nobiscum conferamus. Verba enim sunt D. Bernardi ad Fratres de monte Dei: *Iturus ad somnum aliquid tecum defer in memoriâ & cogitatione: in quo placidè obdormias, quod etiam somniare iuuet. Sic tibi nox vt dies illuminatur, & nox illuminatio in delitiis tuis, placidè obdormies, in pace quiesces, facilè euigilabis: surgens facilis eris ad redeundum in id, vnde non totus discessisti.*

Quid inde vtilitatis accipi queat, quòd somnus sit mortis imago.

1. Thessal. 4. Apocal. 14. Psalm. 4. Cubiturum iteris pia aliqua cogitatio comes esse debet.

 Ita

Ita Bernardus & rectè, sæpe namque sæpiùs & illa inter somniandum occurrit cogitatio, & dum à somno excitamur recurrit, quæ in mente versata est ante somnum; estque hoc commune, vt quod in die potissimum homo exercuit, inter dormiendum in memoriam veniat. Senecam Oct. Act. 4. audire lubeat, qui ait:

Quæcumque mentis agitat infestus vigor,
Ea per quietem sacer & arcanus refert,
Veloxq; sensus.

Et Claudianus Præfat. 4. Honor.

Omnia quæ sensu voluuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.
Venator defessa toro cùm membra reponit,
Mens tamen ad siluas & sua lustra redit.
Iudicibus lites, auriga somnia currus,
Vanaq; nocturnis meta cauetur equis.
Furto gaudet amans, permutat nauita merces,
Et vigile lapsas quærit auarus opes:
Blandaq; largitur frustra sitientibus ægris
Irriguus gelido pocula fonte sopor.
Me quoque Musarum studium sub nocte silenti
Artibus assiduis sollicitare solet.
Namq; poli media stellarum in arce videbar
Ante pedes summi carmina ferre Iouis.

Ad eumdem itaque modum ille qui diem operibus virtuosis impendit, solet inter somniandum etiam eorumdem piis cogitationibus atque motibus veluti reliquiis quibusdam cogitationum foueri, animarique. *Quoniam*, vt inquit Psalmœdus, *cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi.* Quid reliquiæ cogitationum aliud sunt, quàm ex præhabitis per diem cogitationibus piis, inter somniandum recurrentes, ad virtutis incitamentum, species? omnes oues Christi sumus, & non secus atque illæ cibum quem per diem delibauimus, nocte rursum masticamus, ruminamusque. Aiebat sponsa: *Ego dormio, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis.* De beatisimâ verò Deiparâ Virgine, inter sanctos alios habemus ruminationis eiusdem præclarum exemplum, de quâ S. Ambrosius scribit: *Dormire non prius cupiditas, quàm necessitas fuit. Et tamen cùm quiesceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronuntiat.* Quid amplius? clara satis res est. Aliquid etiam de somni directione dicamus. D. Bernardus ad Fratres de monte scribēs: *Quantum*, inquit, *ad debitum continui processus, nihil temporis tam perit de vitâ nostrâ, quàm quod somno deputatur.* Et suprà: *Caue, serue Dei, quantum potes, ne totus quandoque dormias, ne sit somnus tuus, non quies lassi, sed sepultura corporis suffocati; non reparatio, sed spiritus extinctio.* E quibus patet & ex nulla ampliùs nobis actione iacturam temporis, quàm è somno, prouenire; & tamen huius quoque vsum pro frequentantium illum dispositione esse diuersum; dum nimirum quidam totos sese somno dant sine vllâ ad Dei gloriam factâ reflexione, & amittunt tempus; alij verò quia ad eumdem non accedunt, nisi adhibitis iis conditionibus, ex quibus magna meritorum copia prouenit, nihil intereà temporis perdunt; vnde fit vt primi tamquam campi pecora somno prostrata videantur, deque horum singulis dici verè possit illud Poëtæ:

Procumbit humi bos.

Psalm. 75.

Ioan. 10.

Cantic. 5.

Lib. 2. de Virginib.

Somnus qualiter ad Deū dirigendus.

Alij verò quia non nisi ex necessitate Deique ordinatione, præmissis nempe solitis directionibus, quieti sese tradunt, vt fortificatâ inde naturâ, feruentiores à somno exsurgant, exercitioque animosiùs se perfectionis accingant, non tempus dormiendo amittunt, sed quod actione non possunt, directione compensant. Quo in genere insigniter nostra S. M. Teresia excelluit, quæ & per seipsam exercuit, & nobis filiis suis verbo exemploq; proposuit eam cōsuetudinem, vt ante somnum huiusmodi aut similem directionem eliciamus, quoties videlicet respiramus, toties respirare cupiamus ad mortem pro diuinâ gloriâ, quâ generositate, quâ tormentorum tolerantiâ, obeundam. Alij alia habent huc spectantia, vnum saltem non omittamus, quin si in periculo versemur status peccati mortalis, nullatenus fine actu contritionis excitato, nos somno fidamus. Fieri enim potest, & frequenter solet, vt in æternum ex temporali somno incidamus, èque nocte naturali in noctem infernalem iam, vt loquuntur historici, quam plurimi cecidere. Quod ne nobis eueniat, cum Psalmœdo dicamus: *Illumina oculos meos, ne obdormiam in morte.* Atque omnia hactenus dicta, quia satis ex sequentibus, defunctis applicari posse constabunt, hic pro talibus supponimus, vt non putemus ea esse modò declaranda.

S. Matris N. Teresiæ exemplum.

Psalm. 12.

CAPVT IX.

Sanctissima Deipara Maria animarum Purgatorij mater, patrona & adiutrix est.

SAnctus Paulus Apostolus, Christi gloriam explicare volens, sic ait: *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine* IESV *omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* E quibus verbis D. Augustinus Purgatorium probat, vtpote quæ de damnatis, vt & suprà Libro I. me annotasse memini, intelligi nequeant, quia illi Deum neque laudant neque glorificant, sed potiùs execrantur & blasphemant, quemadmodum innuitur in Psalmo, vbi dicitur: *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. Sed nos qui viuimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc & vsque in sæculum.* Per genua ergo infernorum, non damnati, aut æternaliter & secundùm animam mortui hìc exponi debent, sed Spiritus fidelium purgandi, qui tametsi apud inferos quoque ad tempus incarcerati sint, & infernalibus suppliciis torqueantur, sunt tamen in gratiâ Dei, ac diuinæ Maiestati Verboque incarnato debitas gratiarum actiones exsoluunt. Quo pariter modo S. Bernardus, verus sacratissimæ Virginis Mariæ præco & Secretarius, perfectionem illius gloriamque dignis encomiis cumulare volens, non honorari eam tantùm ac inuocari ab iis qui in cælis ac terrâ versantur adstruit, sed ab animabus etiam quæ penes inferos degunt in Purgatorio. Audiatur, quæso,

I.

Philipp. 2.

In nomine IESV *genu in inferorum flecti, est pars gloriæ ipsius.*

Augustin. lib. 12. de Genesi c. 33.

Psal. 113.

Genua infernorum quæ in IESV *nomine flectuntur, sunt animæ Purgatorij.*

B. Virgo Maria à Purgatorij animabus colitur & inuocatur.

in Sermonib. quæso, mellifluus ille Doctor. *Ad beatam Virginem*, ait, *sicut ad Medicum, sicut ad arcanum Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum, respiciunt & qui in cælo sunt, & qui in terrâ, & qui in inferno habitant, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequuntur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cælo, vt restaurentur; & qui in inferno, vt eripiantur; & qui præcesserunt, vt Prophetæ fideles inueniantur; & qui sequuntur, vt glorificentur.*

2. *Christus pro laboribus suis à Patre suo accepit Misericordiã & Iudicium.*

Vnde plures Ecclesiæ Doctores affirmant, Christum Redemptorem nostrum, cùm exhausto passionum suarum ac mortis calice, morteq; & peccato deuictis, cælos gloriosus ac triumphabũdus, conscendit ab æterno Patre in tantorum laborum simul ac obedientiæ remunerationem accepisse hereditatem omnium Gentium, iuxta illud Psalmi: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* (Psalm. 2.) Quod regnum, vt aiunt, duas continet partes, misericordiam & iudicium. In Psalmis legimus: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* (Psal. 100.) Et: *Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas.* (Psal. 24.) Et: *Misericordia & veritas præcedent faciem tuam*, &c. (Psal. 88.) Misericordia, vt peccatoribus contritis ignoscat; iudicium verò & veritas, seu iustitia, vt puniat impios obstinatos. Harum partium alteram, iustitiam scilicet, Dei Filium sibi reseruasse aiunt, alteram verò, hoc est misericordiam, matri suæ in cælum quoque pòst assumptæ, communicandam hominibus obtulisse, vt gratitudinem suam erga illam, veluti cælestis Pater ascendenti sibi in gloriam fecerat, pro tot laboribus atque ingenti in se affectu ostenderet. (*Iudiciũ sibi reseruauit, Misericordiã Matri suæ communicauit.*) Quapropter iure merito misericordiæ matris titulum à Catholicâ accepit Ecclesiâ, prout D. Bernardus in *Salue Regina* optimè commentatus fuit, cùm ait: *Salue Regina. Vocatur Regina misericordiæ, quòd diuinæ pietatis abyssum, cui vult, & quando vult, & quomodo vult, creditur aperire.* (*Inde B. Virgo appellatur Mater misericordiæ.*) Cui adstipulatur id quod Guilielmus Parisiensis habet: (Lib. de Ret. diu. cap. 18.) *Adibo te, immò etiam conueniam, gloriosissima Dei Genitrix, quam matrem misericordiæ & Reginam pietatis vocat omnis Ecclesia Sanctorum. An poteris denegare peccatoribus interpellationis tuæ gratiam, tu, cuius gratiositas numquam repulsam patitur, cuius misericordia nulli vmquam defuit, cuius benignissima humilitas nullum vmquam deprecantem, quamcumque peccatorem, despexit?*

3. *B. Virgo validissimè, quod pro nobis petit, à Filio suo impetrat: I. Quia erga miseros omnes summo perè afficitur.*

Minora haud sunt, quibus alij, multis quidem nominibus efficacissimam esse debere hanc Dei Matris impetrationem, comprobant. Primùm, propter affectum illum, quo in afflictos ac miseros clementissima Virgo Deipara fertur: cupidissima namque est omnibus subuenire; & in illo gloriam suam maximoperè sitam ostendit, si huiusmodi opem exhibere iis queat, qui aduersitatem aut aliquam passionem aliam perpetiuntur. In quam rem rectè adduci possunt S. Victoris verba, de eadem Dei Matre sic loquentis: *Sicut vbicumque fuerit corpus, congregantur & aquilæ, ita vbicumque fuerit miseria, tua currit & succurrit misericordia. A Deo pietate replentur vbera tua, vt tactâ alicuius miseriæ notitiâ, lac fundant misericordiæ. Nec potes miserias scire, & non subuenire.* Itemque: *Tantâ opitulandi nobis cupiditate fertur, vt petitionibus nostris occurrat: immò etiam cordis nostri silentium, & miseriæ nostræ vociferationes intelligit.* Guilielmus præterea Parisiensis loco supradicto, *Dum*, inquit, *te oro vt me Filio reconcilies, hoc peto quod maximè gratum tibi certissimò scio. Non potes igitur mihi negare quod peto.* Et tandem D. Bernardus in quodam Sermone: *Ille solus, ô Virgo beata, tuas laudes sileat, qui te fideliter inuocatam senserit vmquam sibi defuisse. Et quid mirum, si inuocata ades, quæ etiam non inuocata præsto es?* Et Sermone alio: *Maria omnibus, sapientibus & insipientibus, copiosissimâ charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filij persona humanæ carnis substantiam, vt non sit qui se abscondat à calore eius.*

4. *II Quia Filius ei nihil negare potest.*

Alteram Marianæ impetrationis rationem desumere possumus inde, quòd efficacibus adeò mediis Virginis huius intercessio innitatur, vt vix pati queat repulsam. Nam & ipsa à Filio petit quod sibi promisit, & per Filium à Patre, qui omnia in eius manus tradidit. Quoad hoc audiri potest. Ven. Idiota, qui vt propriam æstimationem euaderet, ac veram sui humiliationem obtineret, & excellentissimam quâ pollebat scientiam occultaret, id sibi nominis assumpserat. Is, *Sicut*, inquit, *nemo venit ad Filium tuum nisi Pater traxerit eum, sic etiam quodammodò ausim dicere, quòd nemo venit ad Filium tuum gloriosum, nisi tuis sanctissimis subsidiis traxeris eum. Trahe igitur me torpentem, vt me reddas currentem.* (De contemplat. B. Virginis, c. 1.) Hæc ingeniosissimus ille Idiota à Dei Matre petebat, quam hac vti praxi sciebat, vt ipsa Filio vbera, & ipse Patri Vulnera pro peccatorum reconciliatione ostenderet, prout docuit etiam R. D. Arnoldus Abbas Bonæ-vallensis, dum sic ait: *Securum accessum iam habet homo ad Deum, vbi mediatorem causæ suæ Filium habet ante Patrem, & ante Filium matrem. Christus nudato latere Patri ostendit latus & Vulnera, mater Christo pectus & vbera. Nec potest esse repulsa, vbi concurrunt & orant, omni linguâ disertiùs, hæc clementiæ monimenta, & charitatis insignia.* (De Laudib. B. Mariæ.) Quapropter tum S. Bernardus tum etiam D. Bonauentura, Dei Matrem fecisse asserunt quod Abigail fecisse scribitur, vt Regem Dauidem iratum, domum eius deuastare volentem, placaret. (D. Bonauẽtura in Speculo, c. 14.) Abigail, aiunt, placauit Dauid verbis & muneribus, Maria placat Dominum precibus & meritis: Abigail vltionem temporalem, Maria æternam auertit, dum illa humanum, ista verò diuinum gladium conuertit. Nemo tam idoneus, ô Domina, qui gladio Domini manum obiiciat, vt tu.

5. *III Quia nonnumquam certior ad eius inuocationem salus.*

Tertiam suppeditant illi Scriptores sacri, qui profitentur, contingere posse vt per Deiparæ potiùs quàm per Saluatoris inuocationem, votum nostrum assequamur, idque ideò, quia Christus, cùm Iudex omnium sit, à iustitiâ suâ præpediatur, ne misericordiam faciat; clementissima verò misericordiæ Parens non aliam habet quàm miserendi curam: & si peccatum officij sui executionem impediat, propriis meritis reorum defectum supplet. Quem in sensum D. Anselmus hoc modo scripsit: *Velocior est nonnumquam salus inuocato nomine Mariæ, quàm inuocato nomine* IESV *vnici Filij Dei.* (Lib. 6. de Excell. Virgin. c. 6.) Et id quidem ait, non ideò fit quòd ipsa maior sit & potentior: nec enim ipse magnus

gnus & potens per ipsam, sed illa per ipsum. Quare ergo propitior salus in recordatione eius quàm Filij sui sæpè percipitur? Dicam quid sentio. Filius Dominus est & Iudex omnium, discernens merita singulorum: Dum igitur ipse à quouis suo nomine inuocatus non statim exaudit, profectò id iustè facit: inuocato autem nomine Matris, etsi merita inuocantis non merentur vt exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt vt exaudiatur. Hoc denique vsus humanus quotidie probat, cùm quis proposito Dominico nomine efficaciter ab alio aliquid impetrat, quod simpliciter suâ prece nequaquam impetrare potest. Ita D. Anselmus. Ven. autem Idiota, *Tanta est*, inquit, *Mariæ misericordia, quòd nemo ab eâ repellitur*, &c. *Ipsa est aduocata nostra apud Filium, sicut Filius apud Patrē, & Filius procurat negotia & petitiones nostras: & sæpè quod iustitia Filij damnare potest, matris misericordia liberat; quia thesaurus Domini est, & thesauraria gratiarum eius.* E quibus vltimis verbis iam quartum efficaciæ impetrationis Marianæ colligitur fundamentum, vtpote quòd ipsa omnem à Deo gratiam accipiat, & in nos mortales deriuet.

6. Quod quia plurimum etiam facit ad Matris misericordiæ dignitatē explicandam, & nostram erga eamdem confidentiam excitandam, nonnullis Patrum dictis illud declarabimus. Venerabilis igitur Abbas Guerricus, S. Bernardi discipulus, Deum in Mariâ thronū suum constituisse ait, quatenus vniuersam felicitate & gloriâ suâ lætificaret Ecclesiam. *Sicut*, inquit, *lætantium omnium habitatio est in te, sancta Dei Genitrix. Nullatenus autem crediderис, maioris esse felicitatis & gloriæ, habitare in sinu Abrahæ, quàm in sinu Mariæ, cū thronum suum in eâ posuerit Rex gloriæ. Veni*, inquit, *electa mea, & ponam in te thronum meum.* D. Epiphanius: *Sancta puella virgo Maria est sponsa Trinitatis, & thesaurus dispensationis planè arcanus.* Eutychianus: *Domina mea, defensio generis humani, portus & protectio eorum qui ad te confugiunt. Quis vmquam hominum fideliter omnipotentem tuam rogauit opem, & fuit vmquam derelictus? Reuerà nullus.* Et idem: *Spem tuam habens, ô Deipara, seruabor; defensionem tuam possidens, non timebo, persequar inimicos meos, & in fugam vertam, te solam habens, vt thoracem, protectionem tuam, & omnipotens auxilium tuum.* Ecce vt Auctor hic opem Mariæ appellet omnipotentem, & auxilium eius omnipotens, vtpote per quam omnia Deus nobis concedere soleat. Vnde D. Bernardus: *Quidquid illud est quod offerre paras, Mariæ commendare memento, vt eodem alueo ad largitorem gratiæ gratia redeat quo influxit. Neque enim non omnipotens erat Deus, vt sine hoc aquæductu infundere gratiam, prout vellet, non posset, sed tibi vehiculum voluit prouidere*, &c. *Ideoq; istud modicum quod offerre desideras, gratissimis illis & omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Ergo per Mariam Deo, quidquid à nobis offertur, est præsentandum, sicut quidquid per illam petimus impetramus.*

IV. *Quia in ipsâ Deus gloria sua solium constituit.*

Serm. de Laudib. Mariæ.

In vitâ Theophili, ad annum 600.

Orat. 2. de Dormit. B. Virginis.

7. Quinta & longè excellentior ratio, quæ & omnes validissimè ad eius miserationem implorandam compellere queat, est, quòd Deus nihil beneficij, nihil gratiæ aut salutis donet aut largiatur, quod per Virginis Deiparæ manus non transierit. Auctoribus ad id probandum pluribus opus non est, cùm vnicus eiusdemmet misericordissimæ Matris Secretarius S. Bernardus copiosissimis id atq; disertissimis verbis confirmet. *Altiùs*, inquit, *intuenti quanto deuotionis affectu à nobis Mariam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Mariâ, vt proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab eâ nouerimus redundare*, &c. *Totis ergo medullis cordium & votis omnibus Mariā hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Qui & alibi eadem repetit, atque insuper hæc addit: *Trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Filioli: hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ*, &c. *Nimirum sola est gratia quâ saluamur; quid nos alia concupiscimus? Fratres, quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia quod quærit inuenit, & frustrari non potest.*

V. *Quia Deus nulla hominibus beneficia concedit nisi per eam.*

Serm. 1. de Natiuit. Virg. Mariæ.

Sed enim, licet quispiam nos longè extra semitam nauigasse causari queat, vtpote quòd à scopo nostro (qui erat, sanctissimam Iesu Parentem animarum Purgatorij matrem & patronam esse comprobare) deuij, altiùs in profundum delati, de generali misericordiâ, quæ & viuis præstatur, sermonem hactenus instituisse videamur; hoc tamen nihil est aliud, quàm rectissimo cursu ad destinatum portū remos & clauum direxisse. Quid enim vel dici vel excogitari posset accommodatius, quàm virginem Mariam inde purgandorum fidelium matrem esse ostendere, quòd ipsa sit mater misericordiæ, illis verò misericordia maximè sit necessaria, cùm gratiæ iam tempus illis effluxerit, tēpus verò strictissimæ iustitiæ aduenerit. Quinimmò obseruare liceat, in nullo adeo hominū genere amplissimum istud Matris misericordiæ officium locum habere atque in Purgatorij spiritibus. Nam si verum est, vt est omnino certissimum, misericordiam deriuari à *miseria*, vt suprà Lib. I. Cap. IV. è plurimorum Patrum sententiis patuit; & maior miseria non reperiatur quàm animæ purgandæ sustinere coguntur; quid superest, nisi vt dicamus, locum potissimum obtinere B. Deiparæ prærogatiuam, quâ clementiæ mater fuit constituta, in ipsis defunctis; & ea quæ hactenus produximus, haud extra propositum, sed ad id stabiliendum aptissimè prolata esse? Quid namque solidius, quid ad viuos animandum efficacius, vt per B. Mariæ Virginis opem solari defunctos annitantur, quàm ostendere, illam totam exhibendæ misericordiæ incumbere, illam à Filio suo, & Filium à Patre cælesti clementiam ardentissimè expostulare, ipsam peccatorum impedimenta suâ impetratione ac merito supplere, ipsi à Deo gratiarum dispensationem esse concessam, neque aliquod hominibus diuinitus beneficium impendi, quod ipsius manus non pertransierit? 8.

Quæ omnia quamuis sint eiusmodi, vt plura iis adiungere non sit opus, quia tamen tanta hic se diffundendi & dilatādi copia offert, quàm potero breuissimè nonnulla tum è Patribus tum ex diuino Officio adducemus, ac denique exemplis quibusdam rem totā concludemus. Et sanè quod ad Patres; generalis illorum & constans est doctrina, Deiparam Virginem non viuis tantummodò, sed & mortuis misericordiam impetrare. E plurimis paucissima delibabimus. Venerabilis inprimis Idiota sic eam alloquitur: *Adiuuas in vitâ præsenti tam bonos quàm malos: bonos, eos in gratiâ con-* 9.

D. Virgo non pro viuis tantùm, sed etiam pro mortuis salutem à Deo petit & impetrat.

Contempl. de B. Mariâ c. 6.

conseruando, vnde canimus, Maria mater gratiæ; malos, eos ad misericordiam reducendo, ideò dicitur, Mater misericordiæ. Adiuuas etiam in morte, ab insidiis diaboli protegendo, ideò dicitur, Tu nos ab hoste protege. Adiuuas quoque post mortem, animas suscipiendo, & eas in cælum deducendo, ideò dicitur, Et horâ mortis suscipe.

Serm. de Laude & Maria. S. Fulgentius: *Facta est Maria cæli fenestra, facta est Maria scala cælestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, vt per ipsam homines mereantur ascendere ad cælos.* Germanus Patriarcha Constantinopolitanus: (In Adorat. c. 11.) *Quis ea quæ corrigi non possunt adeò repurgando excusat sicuti tu? Tu enim cùm habeas maternã apud tuum filium fiduciam & potentiam, nos qui sumus condemnati, & non audemus intueri ad cæli altitudinem, tuis intercessionibus efficis familiares, & das salutem, & ab æterno supplicio liberas.* Et D. Bernardus in sermonibus, *Quis*, inquit, *misericordiæ tuæ, ô benedicta, longitudinem, profunditatem, sublimitatem queat inuestigare? Nam longitudo eius vsque ad nouissimum diem inuocantibus eam subuenit vniuersis: latitudo eius replet orbem terrarum, vt tuâ misericordiâ plena sit omnis terra: sic & sublimitas eius ciuitatis supernæ inuenit restaurationem, & profundum eius sedentibus in tenebris & in vmbrâ mortis obtinuit redemptionem.*

10. *Ecclesia Catholica suis D. Virginem Officiis vt mortuorum auxiliatricẽ veneratur.*

Eapropter mirandum non est, S. Matrem nostram Ecclesiam tot sub Officio diuino locis, quòd homines in cælum ingrediantur, Deiparæ tribuere, quemadmodum videre licet in Litaniis Lauretanis, vbi *ianua cæli* appellatur: & in Antiphonâ, *Aue Regina cælorum*, vbi dicitur: *Salue radix, salue porta.* Item in Antiphonâ, *Alma Redemptoris Mater, quæ peruia cæli Porta manes.* In officio Matutinali Assumptionis B. Virginis canitur: *Per te paradisi portæ nobis apertæ sunt.* In Hymno, *O gloriosa Virginum*, dicitur, *intrent vt astra flebiles, cæli recludis cardines. Tu Regis alti ianua, & aula lucis fulgida.* Quomodo etiam in horâ mortis pro nobis oret, satis ostendit Ecclesia, quandò post Angelicam Salutationem à fidelibus peti voluit: *Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in horâ mortis nostræ.* Quomodo item iam mortuis Christum filium suum ostendat, discitur ex Antiphonâ, *Salue Regina*, vbi hæc adduntur: *Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* Item ex Hymno, *Aue maris stella*, vbi hæc leguntur: *Vitam præsta puram, iter parà tutum, vt videntes Iesum semper collætemur.* Quin si & expressam specialem velimus de beatissimâ Virgine Mariâ sub Defunctorũ Officio memoriam, nónne hæc reperitur in Oratione pro fratribus & benefactoribus, vbi dicitur: *Deus veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsumus clementiã tuam, vt nostræ congregationis fratres, propinquos & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beatâ Mariâ semper virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concede.* Et in sepulturâ mortuorum: *Satisfaciat tibi, quæsumus Domine Deus noster, pro animâ famuli tui, beatissimæ Virginis Mariæ omniumq; Sanctorum tuorum Oratio.* In Officio quoque funeris apud nos additur hæc Oratio: *O intemerata, & in æternum benedicta virgo Maria, totius angustiæ & misericordiæ adiutrix, famulo tuo succurre dulciter, & omnes inimicos eius in virtute suauissimi filij tui Domini nostri* IESV CHRISTI *& sanctæ Crucis disperde, & à potente dracone infernali, & ab eius horribili visione, & ab omni fraude malorum spirituum defende illum, & ex omni angustiâ libera eum, quatenus tibi cum beatis Spiritibus Domino Deo in cælorum beatissimo regno spirituales persoluat laudes, Amen.*

Quæ sanè omnia tot tantisque apparitionibus atque exemplis constabilita sunt, vt impossibile foret vniuersum & plenum agmen huc in aciem producere. Ruth itaque nos imitati, quæ spicas solùm aliquas, post messores à longè incedens, colligebat, nonnulla saltem ex infinitis exempla dabimus, ne nos ipsos nimio labore fatigemus, & Lectori tædium vel nauseam pariamus. 11. *D. Virgo, matrẽ & auxiliatricẽ mortuorum se esse, variis apparitionibus manifestauit.* In Reuelationibus S. Birgittæ legimus, eidem sanctæ B. Virginem apparuisse, hisque eam verbis compellasse: (Reuela. S. Birgittæ lib. 4. c. 138.) *Sum mater animarum quæ sunt in Purgatorio, quia omnes pœnæ quæ debentur purgandis pro peccatis suis, in qualibet horâ propter preces meas quodammodò mitigantur. Ita placet Deo, vt aliquæ ex his pœnis, quæ debentur eis de rigore iustitiæ diuinæ, minuantur.* Et alibi, (Lib. 6. c. 10.) *Nulla etiam*, inquit, *pœna est in Purgatorij igne, quæ propter me non remissior erit, & leuior ad ferendum, quàm aliter esset.* Inferiùs autem referuntur remedia, quibus Princeps quidam, qui S. Birgittæ apparuerat, eique seipsum commendauerat, liberari posset. *Ego enim*, inquit, *misericors sum, & à Filio meo misericordiam consecuta. Ostendere tibi volo, quomodo amicus tuus defunctus, de quo doles, saluari potest de septem plagis quas tibi Filius meus dixit.* Et consequenter adiungit varia media quibus eam animam suis pœnis exsoluat.

12. Sed & eodem in Libro Filium suum Dei Genitrix ita alloquitur: (Lib. 6. c. 21.) *Benedictum sit nomen tuum, fili mi. Tu es Rex gloriæ, & Dominus potens, habens iustitiam cum misericordiâ. Corpus tuum mihi charissimum, quod in ventre meo generabatur & nutriebatur, sine peccato, hodie pro animâ istius defuncti consecratum est: rogo te igitur fili charissime, vt prosit animæ eius, & miserere ei.* Respondit Filius: *Benedicta sis tu mater, benedicta ab omni creaturâ, quia misericordia tua innumerabilis est.* Cumque iustitiam suam Saluator proponeret, iterùm beata Maria respõdit: *Vidi iustitiam tuam, fili mi, seueram, ad quam non loquor, sed misericordiam tuam piissimam, ideò propter preces meas miserere isti, quia toties legebat Horas meas in honore meo. Ne imputes ei superbiam successorum eius quam prò eo exercent: isti enim gaudent, & iste plorat, & punitur inconsolabiliter.* Cui Filius: *Benedicta sis tu mater charissima: verba tua plena sunt dulcedine, & dulciora melle. Verba tua procedunt de corde quod misericordiâ plenum est, & ideò misericordiam sonant verba tua. Iste pro quo oras, triplicem misericordiam habebit propter te. Primò saluabitur de manibus dæmonum, secundò ex grauiore ad leuiorem ardorem transibit, tertiò consolabuntur eum Angeli, & tempore totus liberabitur.* Paria habentur in apparitionibus S. Gertrudis de Saxoniâ & aliorum Sanctorum; ad exempla transitum facimus. Surius Tom. 13. ex Thomâ Cantipratensi hæc narrat de Innocentio III. in vitâ B. Lutgardis Virginis lib. 2. *Anima Innocentij III. B. Virginis interuentione in Purgatorio iuuatur.* *Dominus Innocentius Papa tertius post celebratum Lateranense Concilium ab hac vitâ migrauit, moxq; apparuit visibiliter Lutgardi. Illa autem vt vidit eam ingenti flammâ cinctum, quisnam sit percontatur. Respondit, se esse Innocentium Papam. Et illa cum gemitu, Quid hoc est, inquit, communem omnium nostrum Patrẽ tam dirè cruciari? Respondit ille: Tres ob causas ita crucior, quæ etiã æternis suppliciis me iustissimè addixissent, nisi per intercessionem piissimæ Matris Dei, cui Monasterium condidi, in extremis me pœnituisset: & æternam quidem mortem euasi, sed pœnis*

pœnis atrocissimis ad iudicij diem cruciabor. Quòd autem ad te, suffragia petiturus, venire potui, mihi à suo Filio Mater misericordiæ impetrauit. His dictis confestim disparuit.

13. Serm. 2. de Assumpt. *D Virgo quotannis aliquoties Purgatorium visitat, & animas quasdã secum ad calũ educit.*

Neque est silentio inuoluendum exemplum quoddam Dionysij Carthusiani, in quo Deiparæ benignitas erga defunctorum animas, in Purgatorio cruciatas, perspicuè cernitur. *Duo,* inquit, *socij erant se inuicem diligentes, quorum vnus circa Festum omnium Sanctorum defunctus est; alius verò continuis fletibus se affligens, nihil pro defuncto orauit, cui post festum Natiuitatis Christi defunctus apparuit, dicens: Nihil mihi profecisti solùm plorando. & quasi improperans ei fletum, Ecce, inquit, beatissima virgo Maria singulis annis in Festo Natiuitatis Christi ad Purgatorij loca cum multitudine Angelorum descendit, & multas inde animas eripit, quoniam in nocte solemnitatis illius Christum Regem gloriæ peperit. Cumq; in proximâ Natiuitatis Christi solemnitate descenderet, & multas eriperet animas, sperabam quòd precibus tuis fuissem etiam eductura, sed non fecit. Verùm quoniam proximâ nocte Dominicæ Resurrectionis solet descendere ad Purgatorium pro eductione animarum, eò quòd Christus illâ nocte Sanctos de Limbo eduxit; rogo, ne cesses pro me cum lacrymis exorare, vt me illâ nocte dignetur eripere. Et in hoc scies te exauditum, si tibi vltrà non apparuero. Et quia defunctus ille ad viuentem non rediit, creditur per Virginem gloriosam nocte illâ ereptus. Ex hoc quoque exemplo docentur fideles pro amicis suis defunctis magis orare quàm flere, nisi pro illorum liberatione fleant orando.*

14. Lib. 3. Epist. ep. 10. *Mulier quædã Romana defuncta, D. Virginis adiutorio è Purgatorij pœnis se liberatam esse profitetur.*

Imò & B. Petrus Damianus, S.R.E. meritissimus Cardinalis, hoc etiam scitu dignissimũ scribit. *Religiosus planè Presbyter Ioannes rem mihi retulit ante paucos annos Romæ contigisse quam narro. In Assumptione scilicet beatæ Dei Genitricis Mariæ, cùm nocturno tempore populus Romanus iuxta morem orationibus & Litaniis insisteret, & accensis luminibus diuersarum regionum Ecclesias perlustraret, mulier quædam in Basilicâ, quæ est ad honorem eiusdem B. Virginis in Capitolio constituta, commatrem suam vidit, quæ scilicet ab anno ferè fuerat iam defuncta. Cumq; per multitudinem confluentium, ad eius attingere non potuisset alloquium, studuit eam in tali cuiusdam angiportus angulo præstolari, vt dubium non esset, quòd egressa Basilicam, ab eâ declinare non posset. Hanc itaque transeuntem protinus inquisiuit: Non, inquit, tu commater mea es, Marozia videlicet, quæ dudum defuncta es? hoc illi vocabulum fuerat, dum adhuc viueret. Quâ respondente, Ipsa sum; Et quomodo, inquit, tibi nunc est? Ait: Vsque hodie non leuis pœna me constrinxit, quia videlicet per lasciuiæ petulantis illecebras cum coætaneis me puellis in tenerâ adhuc ætate fœdaui, & hoc ipsum, proh dolor! obliuioni quodammodò tradens, Sacerdoti quidem confessa fui, sed iudicium non accepi. Verùm hodie Regina mundi pro nobis preces effudit, meq; cum multis aliis de locis pœnalibus liberauit, tantaq; multitudo per interuentionem eius hodie est de tormentis erepta, vt numerum totius Romanæ plebis excedat. Vnde sacra eidem Dominæ nostræ gloriosæ dicata passim loca visitamus, actionesq; sibi gratiarum pro tantis misericordiæ beneficiis alacres exhibemus. Cumq; super hoc commater illius ambigeret, nec fidem facilè sermonibus adhiberet, Vt experiaris, inquit, pro certo, verum esse quod loquor, scias te, transacto hoc anno, in hac eadem festiuitate proculdubiò morituram. Quod si, quod fieri non potest, vlterius vixeris, me protulisse mendacium liquidò comprobabis. Et his dictis, ab oculis eius euanuit. Mox illa cilicium induit, & de obitu suo sollicita, quæ audierat, viuere cautiùs cœpit. Quid plura? Peracto ferè anno, pridianis cœpit ægrotare vigiliis, in ipso verò festiuitatis die vitam, sicut demonstratum fuerat, terminauit. Vbi notandum, & non leuiter expauescendum, quia de peractâ culpâ, quam præfata mulier obliuioni tradiderat, vsque ad interuentum intemeratæ Dei Genitricis supplicia perferebat.*

Quæ tamen haud adeò videntur admiranda, si inspicere velimus præfatum sanctum Cardinalem, qui ostendit alio in loco, eamdem sanctissimam Dei Matrem à damnatione etiam animam præseruasse, quod haud dubiè & longè est excellentius & magis incredibile quàm à pœnis suis defunctos purgatoriis eximere. Verba eius hæc sunt: *Spem meam illud roborat, quod mihi vir religiosus & prudens ante quintum ferè diem Stephanus Apostolicæ Sedis Cardinalis Presbyter intimauit. Ait enim, quia Bassus quidam, genere Burgundio, Aniciensis Episcopatus, Ecclesiam beatæ Dei Genitricis semperq; Virginis insigni titulo decoratam, quæ vocatur in Podio, orationis gratiâ deuotus adiit, & peractis omnibus, ac deuotione completâ, redire cœpit ad propria. Cumq; venisset ad pagum quemdam, in quo cella cuiusdam Monasterij, cuius me vocabulum fugit, à religiosis Fratribus incolebatur, languore correptus, cecidit, ægrotauit, & obiit. Dehinc, cùm iam lotum, atque ex more linteis obuolutum in medio iaceret cadauer exanime, ac pia fidelium circa feretrum custodia pernoctaret, intempesto iam ferè noctis emenso, ac gallicinio propinquante, qui mortuus iacebat repentè prosiliuit, & sic omnes vndique circumstantes admirationis stupor & intolerabilis horror inuasit. Tunc ille magni clamoris animaduersione vociferans, tremens, ac horribiliter expauescens, rogare cœpit adstantes, vt psalmodiæ piisq; votis valenter insisterent, quatenus tetros nequitiæ spiritus, qui per angulos ac parietes domus vndique videbantur, sanctis orationibus effugarent. Cumq; fusis ad Deum precibus, more fumi, vento perflati, dæmones euanuissent, ille terrore deposito, & securitatis animatus audaciâ, quod sibi in occulto contigit, publicè coram omnibus enarrauit. Egredienti, inquit, mihi de corpore, duo protinus Angeli splendidæ claritatis occurrunt, qui me secum ducere in superiora cœperunt. Sed ecce, me nigrantes dæmonum turbæ, velut phalanges Aethiopum, vndique circumfundunt, me, tamquam sui iuris hominem acri nimis & importunâ vehementer exactione reposcunt. Noster, inquiunt, hic homo est, sub nostris ditionibus vixit, nostris obtemperare legibus non omisit: semper enim illi lex carnis inuiguit, legem verò spiritus funditus ignorauit. At contrà beati Angeli responderunt, Non, inquiunt, diffitemur, fuisse vestrum, dum in propriis viueret, non enim licet resistere veritati; sed quia nunc in obsequio Reginæ cælestis Dominæ nostræ defunctus est, nequaquam impietati vestræ pro vita suæ reatibus subiacebit, qui vitam suam pio fine conclusit; nec ad æterni Iudicis poterit perire conspectum, qui Genitricis eius sibi prouidit auxilium. Ad hæc illi, Cùm Deus, inquiunt, procul dubio iustus sit Iudex, numquam, quod nostrum est, auferet, nec aduersum nos præiudicialiter aget, cùm iniustitiam prorsus ignoret. Cumq; vim Angelis inferre tentarent, Angeli verò leniùs & remissiùs, iam cognitâ veritate, resisterent, affuturum tamen sibi continuò pollicentur & profitentur auxilium, & Dei Genitricis celerem comminantur accursum. Sed cùm hinc isti modestâ circa me tuitione contenderent, illi è diuerso ad reposcendum sui iuris hominem furiosiùs ac truculentiùs ebullirent, ecce, velut igneum fulgur repen-*

15. Lib. 2. Epist. ep. 14. *D Virgo animam quamdã ab æternâ damnatione liberat.*

tinum

tissimè radiantis splendor corusci illuxit, cunctisq; mirantibus cæli Regina, Angelicis vallata reuerenter obsequiis, Dei Mater aduenit. Tunc reprobi spiritus, licet ad primum tantæ gloriæ terrerentur aduentum, eorumq; nimius splendor reuerberaret obtutum, tamen illatam sibi conqueruntur iniuriam, & Angelicæ violentiæ protestantur ex propriâ possessione rapinam, dicentes: Quia si Deus est iustus, numquam de manibus nostris auferet impium. Quibus è diuerso B. Virgo respondit: Licet hic homo, vt asseritis, vestra per prauitatem operis possessio fuerit, & impiè siue carnaliter vixerit, numquam tamen piissimus & clementissimus Filius meus ac Dominus patietur eum vestris fieri crudelitatibus subditum, quem sub mei famulatus obsequio cernit in peregrinatione defunctum, præsertim cùm iste confessus peccata sua Sacerdotibus fuerit, iudiciumq; pœnitendo ac ingemiscendo perceperit, quanquam, subitâ morte præuentus, implere nequiuerit. Ad hæc illi, quasi nactâ occasione victoriæ tripudiantes, & velut insultantes obiiciunt: Cùm tu sis mater veritatis & æternæ iustitiæ, num ignorare potes, quoniam hoc tam immane tamq; cruentum facinus perpetrauit, quod nulli tamen vmquam per vocem confessionis innotuit? quoddam scilicet graue scelus à me commissum, nomine tenus inclamabant. Quod peccatum cùm B. Virgo, licet ab auctoribus mendacij, veraciter cognouisset, modestè paulisper obticuit, & quodammodò veritati reuerentiam præbuit; at reparato rursus eloquio, Verum quidem, inquit, est, quod obiicitis, sed quoniam apud misericordem Dominum meum ac Filium misericordia superexaltat ex more iudicium, eumq; non tam delectet pœna peccantium quàm remissio peccatorum, me confestim intuens ait: Ad corpus, homo, prestò regredere, scelus hoc, quod ab iniquis tibi iure obiectum est, Sacerdoti coram vicinæ huius cellulæ Monachis confitere, eosq; ex auctoritatis meæ iussione deposce, vt pœnitentiæ modum, qui tibi iniunctus fuerit, ipsi suscipiant, & implere pro tuâ mox obeuntis absolutione contendant. Quo peracto, ad me protinus sine dilatione reuertere, hic enim ego non desino te, donec redeas, expectare. Cumq; per ordinem hæc ille narrasset, pœnitentiamq; sibi inditam sancti Fratres cùm pro charitate illius tum pro Deificæ Virginis obedientiâ suscepissent, mox lætus & hilaris, velut obdormiens obiit, & sic vera esse quæ viuens dixerat, moriens approbauit.

16. *D. Virgo tria præcipuè mortuis iuuandi remedia disposuit:* At quid hisce historiis enarrãdis inhæremus? recenseamus potiùs nõnulla remedia, quæ hæc ipsa benignissima clementiæ Parens liberandis è Purgatorio spiritibus in Ecclesiâ assignauit; è quibus (cùm infinita propemodum sint) non nisi tria delibabimus, quæ veluti certam hereditatem clientibus suis reliquit, & priuilegiatis Ordinibus specialiter Deiparæ Virginis obtentu à Deo concessa sunt. Agmen ducat sanctissimus ille atque eruditissimorum virorum copiâ refertissimus Ordo Prædicatorum, qui, quemadmodum in tot mille animarum millionibus conuertẽdis, atque ad omnem perfectionem instruendis, insignem cæli partem sanctitate & doctrinâ suâ instaurauit, ita quoque non modicam sed ingentem purgandorum fidelium turbam atrocibus suppliciis suis exemit. Factum est enim, cùm Religionis illius institutor zelosissimus D. Dominicus mundum vniuersum flammis amoris Dei succenderet, pœnarumque infernalium ignes restingueret, vt Serenissima cælorum Regina, in cuius affectum ille viuentes omnes pertrahebat, sanctissimi Rosarij gratiam publicandam ei offerret. Fecit hoc ille, sicut feruenter, ita & vtiliter. Nam & sese plures, non tantùm plebeij, sed etiam Magnates, Rosarij albo inscripserunt. Illis Pontifices Indulgentias & plurimas & maximas contulerunt, atque ipsemet Deus omnipotens miracula varia, ingentia beneficia, & rara gloriæ præmia, sancti Rosarij cultoribus abũdè adiecit, quæ haud secùs in mortuis quàm in viuis locũ olim habuerunt, & adhuc indies habent: instituta namque fuit hæc ipsa Rosarij Sodalitas, vt in illam mortuorum æquè atque viuorũ nomina possint inscribi, si nimirũ viuens aliquis eorũ loco recitare velit quæ Fratribus vniuersis, citra tamen peccati vllius labẽ, at magno cum meritorũ cumulo, per singulas hebdomadas recitanda præscripta sunt, puta tria Rosaria quinque decadũ, aut Rosarium vnum quindecim decadum, quindecim mysteriis beatissimæ Virginis pulcherrimè accommodatũ.

1. In Ordine Prædicatorũ Rosarium:

At enim enumerare iam incipiamus quæ per pientissimum sacri Rosarij exercitium defunctis solandis passim assignata reperiuntur. 17. *Rosarij beneficio multa & illustria priuilegia impetrantur.* R.P. Ioannes de Carthagenâ Minorita, ac Theologus excellentissimus, sic ait: *Lib.16. Homiliarum, Homil. 16. §. 11.* Pro liberandâ è Purgatorio animâ, Primum, Quicumque de Fraternitate curat legi Missam de Rosario, is liberat animam è Purgatorio: Alexander VI. in Breui, Illius qui perfecta, anno M. CD. XCIV. & Paulus III. anno M. D.XXVII.13. Augusti. Secundum: Quocumque die aliquis de Confraternitate dixerit Rosarium pro defunctis, vnã is animam liberat è Purgatorio in vigore Indulgentiæ plenariæ quam Paulus III. impertit orantibus Rosariũ, vt suprà dictum: Paulus III. in Breui, anno M. D. XXXVII. die 13. Augusti. Tertium: Qui modo supradicto Feriâ quartâ quacumque visitauerit quinque altaria in Ecclesiâ Rosarij, aut vnam aràm Rosarij, is eo die liberat animam è Purgatorio. Item: Idem in quacumque Dominicâ die per annum, & insuper subiectis diebus istis: primùm in Festo Purificationis Mariæ, & S. Blasij; secundùm, Feriâ tertiâ post Dominicam Quadragesimæ; tertiùm, Feriâ sextâ ante Dominicã Passionis; quartò, Feria quartâ, quintâ & sextâ Maioris hebdomadæ; quintò, die S. Ioannis ante Portam Latinam, 6. Maij, item Feriâ quartâ Paschæ, Feriâ quintâ & Sabbato post Pentecosten; item Sabbato Quatuor Temporum in Septembri; item die 27. Ianuarij & 27. Decembris, &c. atque ista vigore Bullæ Leonis X. Stationum Indulgentias concedentis, & Successorum Pontificum concessas nominatim confirmantium: sic in Patenti Brixianâ, quia Romæ omni die visitari aliqua potest Ecclesia, vbi animam ex Purgatorio liberare licet visitanti, & præscripta inibi oranti. Et pòst: De Stationum vrbis Romæ indulgentiis. Nota, Stationum Romanarum Indulgentias excerptas à me esse partim ex libello Romæ impresso, & approbato per Sixtum V. anno M.D.LXXXVIII. 7. Ianuarij, partim ex Brixianâ Patente & Tabulâ Neapolitanâ. §. 12. Verùm ad eas consequendas, has obseruare conditiones oportet. Primò sis in statu gratiæ, secundò sis in Confraternitatem Rosarij inscriptus, tertiò visites Ecclesiam Rosarij seu Prædicatoris Ordinis, aut si hanc non queas, quamcumque; quartò ores vt minimùm quinque Pater & Aue pro vniuerso nomine Christiano: Pius V. Sed non ego singulas cuiusque diei aut loci in Vrbe recensuero; longum enim nimis & tædiosum foret, neque eas nouisse magnopere desiderabit, vbi præter iam dictas alias generales quasdam quotidianas atque perpetuas cognouit, cuiusmodi sunt primò, quotidie in S. Ioanne Lateranensi, si quis voluerit, sexies plenaria Indulgentia: secundò, omni die in qualibet de septem Vrbis Ecclesiis, semel plenaria Indulgentia: tertiò, in aliis com-

compluribus longè maxima indulgentia; quartò, omni Feriá quartá in S. Laurentio extra muros plenaria Indulgentia; quintò, quotidie remißio peccatorum partis tertiæ ad S. Praxedem; item tertiæ ad S. Potentianam; item septimæ ad S. Mathiam. Hasce omnesq́; alias Vrbis Indulgentias concessit Leo X. anno M. D. XVIII. *ad instantiam Patrum Ordinis Prædicatorum in Capitulo generali anno eodem Romæ congregatorū (sic Brixiana Charta) confirmauit Clemens VIII. 8. Maij, secundo sui Pontificatus, in Breui, Etsi temporaliū cura, &c. Confirmauerunt & ceteri successores Pontifices. Tanta sunt ista, quibus maiora, tamq́; certa & testata, quibus certiora nemo vel attulerit vel expetierit.* Hucusque R. P. de Carthagenâ: quibus alia multa statim possent adiungi, nisi potiùs integri libri hac de re scripti consulendi forent. Vnum tamen attexere exemplum è re fore censuimus, vnde ad oculum patere possit, B. Virginem Mariam propter sacratissimi Rosarij excellentiam mortuos à peccatorum sordibus ac pœnis promeritis abluere, vitæque æternæ participes facere. Habetur hoc exemplum in libro de Rosario à Ven. P. Alano Rupensi eiusdem sacrosancti Rosarij restauratore conscriptum, in hæc verba: *Florentiæ mulier quædam Dominici viuebat ætate, fortuná & formâ percelebris, quæ Benedicta dicebatur nomine, factis alieno. Nam parentum socordia in formosæ diuitisq́; educatione filiolæ, iucundorumq́; adultæ frequentia conuiuiorum, lautæq́; mensæ luxuries, & vitæ licentia, paulatim ac sensim Benedictam, alioquin honoratam, ad lupanar prostibulumq́; traxerunt, dedecus vltimum feminarum. Illo ipso tempore Dominicus non vnam ciuitatem, sed cunctam suis concionibus commouebat Italiam. Benedicta tunc dictum præconem, vna è multis, audiuit verba ad populum facientem: cuius oratio tam altè in huius meretriculæ pectus animumq́; descendit, vt abeuntem prosecuta, confessionem cum fletu poposcerit. Haud grauatè Dominicus, cui nihil erat cælesti illá animarum mercaturá iucundius, auditam, admonitam, reprehensam, & sine numero sceleribus absolutam, vt Christo se despondere hortatur, Virginemq́; Patronam adoptet, & pœnitentiæ vitæq́; austeræ septa præsidiis, pro castitate propugnet, ac ceteras virtutes nouas hospites tueatur; haustamq́; cum nutricis lacte lasciuiam prorsus exterminet. Christianæ scholæ nouitiam malus dæmon inuasit, annumq́; vnum, Deo sinente, cruciauit. Post annum, precante Dominico, noua Christi discipula à diaboli torturá liberatur. Eam Prædicatorum Pater, ne fallatur atque erret, præceptis informat, ad cetera remedia integri Rosarij pietatem adiungit, in quo centum & quinquaginta Salutationes Angelicæ insunt, ac Dominicæ quindecim precationes includuntur:* IESV *&* MARIA *crebá appellatione ab illis sordibus mundum fore animum, quibus se toties inquinasset. Patri dicto audiens Benedicta, religiosum illud munus impleuit, sed breui temporis spatio in idem relapsa cænum, facta est multò deformior. Vt enim fluuij, oppositâ mole, vehementiùs valentiusq́; profundunt, ita Florentina hæc meretrix quò se diutiùs casta tenuerat, eò auidiùs impurißimas voluptates hauriebat. Vt primùm ad aures Dominici venit, Benedictam recidisse, eò magis doluit, quò plures illi erant quos Benedictæ forma capiebat, & captos trudebat ad mortem. Ergo in ædes Benedictæ venit, porcorumq́; gregem inde depulit, quos Circe illa de mentis statu deiecerat: ad templum adductæ confeßionem audit, & lacrymis testatur, quanti mulieris sibi staret interitus: Rosarij rursus arma capere iubet, & in Christianâ vigiliá permanere. Cùm autem malus dæmon iterùm miseram distorqueret, tamen ad duo illa* IESV *&* MARIA *sacra augustaq́; nomina, quæ sine fremitu ac rabie immanißima bestia audire non poterat, nouam hanc Thaidem agitare intermittebat. Post aliquot dies tracta est in viso ad Dei tribunal præpotentis, viuorumq́; & mortuorum Iudicis incorrupti. Proposito libro vitæ, omnia scelera & maleficia legere cogitur, ac multorum videre tormenta quos ipsa ad æternum interitum præmisisset. Hoc illa spectaculo vehementer exclamat, se erebi seminarium, & charybdim adolescentiæ compellat. Væ, inquit, parentibus meis, quorum dissoluta negligentia in hoc decidi pelagus vitiorum. Væ autem illis, qui me primis suis blanditiis puellulam deceperunt, ac delinitam deprauarunt. Talia ingemiscenti D. Dominicum adfuisse, suadentem vt ad Deiparæ pedes pudibunda, scelerum pertæsa, & supplex accideret, eiusq́; illo in iudicio patrocinium lacrymosa & gemens imploraret. Id fecisse confestim flentem & eiulantem, beatißimaq́; Virgini: personam, interponentem, vt pænitendi tempus spatiumq́; daretur, impetrasse. Et hic quidem illius visionis & finis & fructus. Mox dum Sacrū audit quod idem Dominicus faciebat, scelerum recordata quæ legerat, vt ex libro delerentur, inanesq́; paginas videret quas scriptas in suum dedecus & probrum aspexerat, vehementer exoptauit. Hæc meditans subito arripitur, & à sensibus procul ablata, de manu Virginis quinque sibi rosas dari vidit, quibus peccata litteris signata deleret. In primâ rosá hæc verba inerant aureis litteris exarata: Tuorum scelerum ac diuinæ pariter misericordiæ memento, quæ tam tibi propitia fuit. Alterius rosæ illa erat inscriptio: Recole acerbißimam Christi Domini nostri paßionem, quæ vnà cum Sanctorum vitis asperrimis, quàm sit peccati fæditas Deo inuisa, monstrabit, quando vel innocentißimi sui nece Filij hominum scelera luenda vlciscendaq́; esse iudicauit. Flos tertius ita erat inscriptus: Adamū Adamiq́; recordare progenię. Illi vna tantùm culpa deliciarū paradisum ademit: hanc eadem illa culpa felicißimæ conditionis expertem, in hanc compulit malorum miseriarumq́; congeriem. Quin & illa perpende, qualibus suppliciis peccantes affici soleant, quorum profectò magnitudine, quanta sit mortiferæ culpæ deformitas, declaratur: teq́; tantò pluribus obstrictam flagitiis, nullas pœnas tales dependere, quæ longè grauiores merebaris. In quartá rosá hæc legebantur: Agnosce Dei beneficium singulare, vt in Christianorum terris nascerere tantò antè prouidentis, quò illorum sacris imbuereris, inter quos nata esses ac genita. Quo bono quàm multæ regiones, regna, prouinciæ, quantaq́; orbis destituta sit portio, te minimè fugit. Nam mundi incolæ maximâ ex parte à fide viuunt alieni, cùm tibi, quamuis indignæ, veritatis lumen affulserit, & ex interitu ad vitam sis reuocata, tuis te factis accusantibus, suppliciumq́; immane poscētibus. Etiam atque etiam cogita, tali ac tanto Dei clementißimi dono nullam vitæ nec religionem nec sanctitatem parem esse futuram, tantamq́; Christi Domini liberalitatem nullis nostris meritis posse adæquari. In quintæ rosæ foliis atque pagellis hæc monita continebantur: Pœnas memoriâ teneto, quibus sontes in hac miserâ vitâ Iudex ille rectißimus punire consueuit. Repete à Caino sui parricidá germani, repete à Cham sui parentis irrisore. Illos reminiscere, quos ob leue furtum furca suspendit, cùm tibi longè turpiori supplicium, Dei misericordiâ, nemo Iudex imponat. Considera permultos, qui ob errata leuiora, tamen quia mortifera, æternis inferorum pœnis cruciantur, quibus huius vniuersi orbis poßeßio tanti nō esset, dummodò ad has oras vnius horæ reditus concederetur, sceleribus expiandis. Tu interim*

Rosarij beneficio meretrix quædam Florētina ad frugem perducitur.

Insignißimū profectò exemplum.

O mirabilem beatissimæ Virginis apud Deum efficaciam!

terim otio abundas quod illis denegatur, tempusq́ tibi suppeditat ad vitam corrigendam. Post visionem hanc, illius philosophiæ interpretem quæ morum est præclara emendatrix, Benedicta eiusmodi vitam instituit, quæ omnium admirationem commoueret. Nam & suos Florentinos quamplurimos ad Rosarium inuitauit, cuius medicina tam salutaris extitisset. Alio quodam tempore eidem Benedictæ Seruator Christus affulsit, ostensoq́ superiorū libro visionis, qui errata omnis vitæ sceleraq́ claudebat, En, inquit, liber ille de rebus tuis, insolitisq́ flagitiis, ex nigro factus est albus, quippe quem & candida mea rosa parētis, & tuæ ipsius lacrymæ dealbârint, atrasq́ tuorum scelerum notas niueo candore mutauerint. Nunc igitur in chartâ mundâ atque albâ puritatem vitæ conscribe, quā esse oportet æternam, exaratam patientiâ: amorem mihi debes albis his paginis, tersisq́ mandatis. Visa iterùm Deipara est, monēs, vt ad illa præstanda quæ Christus imperauit, Rosarij vteretur auxilio.

18\. *2. In Ordine Minoritarū, Indulgentias Sacelli de Portiunculâ.*

Ad Ordinem Seraphicum transitum facimus. In illo videre etiam possumus, quantâ beneuolentiâ & charitate misericordiæ mater deuotos eiusdē Ordinis cliētes prosecuta sit, atq; in æternū sese prosecuturam spopóderit. Fixit reuerà in hac Religione cultui suo deuotissimâ perpetuam sedem, vt & Religiosos omnes, & eorū cultores, in viuis ac post mortē solaretur. Quid opus est multis, vbi vnicum pro omnibus sufficienter locutum esse deprehenditur Sacellum illud, quod *B. Mariæ de Portiunculâ* seu *B. Mariæ de Angelis* nominatur, in quo Seraphicus Seraphici Ordinis huius institutor S. Franciscus ab ipsomet Christo per Virginis Deiparæ intercessionem Indulgentiam illam maximam atq; perpetuam impetrauit, quâ viuis, atq; etiam mortuis, totius non modò culpæ sed etiam pœnæ largissima fit remissio: de quâ difficile esset pro rei exigētiâ plenè disserere, & Seraphinus potiùs aliquis de tāto Seraphico priuilegio, quàm homo loqui deberet. Verumtamen quia locus præsens hoc requirit, vt vel breuiter saltem rem tantam commemoremus; omissis aliis prolixis Scriptoribus, omissis Ordinis Chronicis, Pontificum Bullis, & huiusmodi multis, compendiosè solummodò referā, quæ prolixè satis in suo Consolatorio animarum describit Reu. admodum D. Cornelius Columbanus Vranxius, Gandaui ad D. Petrum nuper dignissimus Abbas, qui hunc ferè in modum loquitur: Sancto Francisco aliquando apud Portiunculam in cellâ suâ deuotiùs orante, adfuit Angelus, ac Christum Matreq́; eius in Ecclesiâ illum expectare denuntiauit. Vnde S. Franciscus festinanter eò se contulit, atq; à Christo petere iussus beneficium aliquod quod saluandis solandisq; hominum animabus deseruire arbitraretur, petiit, & B. Virginis interuētu impetrauit plenariam Indulgētiam pro omnibus iis qui in templo illo verè contriti & confessi essent. Hoc priuilegium vt à Pontifice Maximo confirmaretur, ad eumdem à Christo S. Franciscus missus est: vnde factum, vt Honorius Papa pro vno quotannis die prædictam Indulgentiam in perpetuum approbaret. Sed cùm nec dies designatus esset, nec Bulla publicationis eiusmodi Indulgentiæ esset conscripta, remisit Saluator (qui iam cum sanctissimâ Matre suâ denuò ei apparuerat) S. Franciscum ad Pontificem Romam, volens vt is diem statueret primam Augusti, hoc est, incipiendo à secundis Vesperis Festi D. Petri ad Vincula tum occurrentis, vsq; ad secundas Vesperas diei sequentis, quæ est secunda Augusti. Quâ in re vt maior Francisco à Papâ fides haberetur, iussit ipsum Christus secum deferre rosas aliquot tum albas tū rubras, quæ miraculosè iuxta Portiunculæ Ecclesiam Ianuario mense excreuerant. Vnde Honorius non solùm viri sanctissimi votis statim annuit, sed etiā diuersis Episcopis dictam Indulgētiam publicandam indixit. Quod dum faciunt, & ad decennium tantùmmodò extendi, promulgare volunt, omnes, licet inuiti, pro perpetuis futuris temporibus, vti Franciscus obtinuerat, & populo inculcabat, eam durare conclamant. Mira ergo isthinc fideliū fuit excitata deuotio, ita vt è singulis orbis partibus & remotissimis nationibus Assisiū annua & copiosissima fieret peregrinatio. Et quia non omnibus opportunum erat, longum adeò iter suscipere, varij posteà Pontifices eamdem Indulgentiam ad vniuersas FF. Minorū Ecclesias extenderūt, prout & in hodiernum vsq; diem prædictæ gratiæ quotannis à primi Augusti Vesperis adusq; sequentis diei occasum, à verè contritis & confessis, digneq; communicantibus, atq; in eisdem Ecclesiis orantibus promereri possunt.

S. Frācisco diuinitus concessa Indulgentia.

Ceterùm hanc Indulgentiam Seraphico Patri Francisco concessam, defunctis quoq; prodesse & applicari posse, varij Scriptores, Ordinis Chronica, & variæ exemplorum historiæ demonstrant, è quibus nonnulla infrà, quando de Indulgentiis agemus, referemus.

19\. *3. In Ordine Carmelitano, Scapulare.*

Sed & in Ordine quoq; suo Carmelitano hæc ipsa benignissima misericordiæ mater specialissima & efficacissima defunctis remedia designauit: quod eò quidē fecit iustiùs & efficaciùs, quo particulariùs cultui illius seipsam totam Carmelitana Religio consecrauit. de quibus etsi multa dici queant, vnū tamen præ ceteris silentio præterire non possumus, quòd nimirum de Bullâ, vt vocamus, Sabbatinâ à maioribus acceptum est, & aliquoties Apostolicæ Sedis auctoritate firmatum. Audiamus, quæso, quàm insigniter & luculenter de hac re iterùm scripserit celeberrimus ille ex FF. Minorum de Obseruantiâ Ordine Concionator R. P. Ioannes de Carthagenâ, qui præfatū Ordinem Carmelitanum ostendens vere esse propriū B. Virginis Deiparæ, ita loquitur: *Solius Sixti IV. Pont. Max. verba in Bullâ super hoc editâ recitabo. Dum attēta, inquit, meditatione pensamus, quòd gloriosissima Dei genitrix virgo Maria produxit Sacrum Ordinem B. Mariæ de Monte Carmelo, quem eiusdem Virginis Mariæ speciali titulo voluit insigniri, vt ob eiusdē Virginis reuerentiam Ordo ipse à Christi-fidelibus ampliùs veneraretur. At Ordinem ipsum, & eius singulares personas, vti ceteros Regularium Ordinum professores, in firmamento Catholicæ fidei militātes, tamquam Religionis speculum & exemplar, speciali charitate fulgentes, sanctorumq́ Prophetarum Eliæ, Elisæi, Henoch, & aliorū sanctorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli iuxta fontē Eliæ habitarunt, successionem hereditariam tenentes, &c. Quam Bullam totam referre cuperem ad prærogatiuam, & sacri huius Ordinis excellentiam ostendendam: sed breuitatis illa consultò prætereo, contentus dicere, Ordinem tantâ matre taliq́ Dominâ cohonestatum, æquum esse appellare beatum. Beatus venter qui te portauit, & vbera doctrinæ quam à Mariano vbere suxisti. Postquam autem sacra hæc Religio à Summis Pontificibus confirmata, multisq́ priuilegiis & Apostolicis prærogatiuis donata fuit, S. P. Simon Stock Anglus, in Generalē istius Ordinis creatus, Christo Redemptori nostro ac sacratissimæ Virgini inseruiēs, vt Religio simul tota grata illi obsequia præstaret, quoad poterat satagebat. Et quāuis nō ignoraret, Ordinē hunc gratiis & prærogatiuis Apostolicis,*

Lib. 17. Homiliarum, Homil. 1. de Festo S. Mariæ de Monte Carmelo.

cis, necnõ illustri titulo beatissimæ Virginis ac P. Eliæ successorũ, mirum in modum condecoratũ esse; multis tamen lacrymis & orationibus honorificum illum titulũ ab ipsâ Virgine Religioni concessum, peculiari aliquo stemmate confirmaret, quod velut sigillum pendens esset, litteras filiationis, quam eius Fratribus dederat, constabiliens, enixè ab ipsâ Dei Parente postulabat. Oratio à Sancto solita recitari hæc erat: Flos Carmeli, vitis florigera, splendor cæli, Virgo puerpera, singularis mater, mitis, sed viri nescia, Carmelitis da priuilegia, stella maris. Hæc quidem Oratio sanctissimæ Virgini adeò pergrata fuit, vt nocte quadam sanctus intra suam cellam genuflexus orans, iubar quoddam cæleste, copiosumq; Angelorum cœtum intueretur, in quorum medio sanctissima Virgo ei apparuit, quæ scapulare quoddam manibus deferens, sic illum est allocuta: Dilectissime fili, hoc recipe tui Ordinis scapulare, meæ Confraternitatis signum, tibi & cunctis Carmelitis priuilegium, in quo quis moriens nõ æternum patietur incendium. Ecce signum salutis, salus in periculis, fœdus pacis & pacti sempiterni. Etenim ad eũdem modũ, quo diuinitus factum est, vt flaui & albi coloris varietate agni Patriarchæ Iacob ab aliis discriminarentur, ita & filios huius Religionis voluit beata Virgo ab aliis discerni flauo & albo indumento. Rei ergo illius mirandæ fama atq; rumor totam illam regionem inuasit, adeò vt iam videres neminem Scapulari hoc atque Virginis stemmate non insignitum, etiam & Principes, inter quos recensentur Ludouicus Galliæ & Eduardus Angliæ Reges, Henricus Alancastri Dux, Henricus Northumbriæ Comes, Angela Bohemiæ Regis filia, aliiq; permulti filij & filiæ Regum & Principum, qui die ac nocte Scapulare gestabant; alij grauissimis ægritudinibus affecti, Scapulare tangentes, salui euadebant. Cupiẽs autem beatissima Virgo magis ac magis Ordinem hunc illustrare, præcipuisq; gratiarum prærogatiuis sublimare, priuilegium quoddam singulare à filio obtinuit. Etenim, vt narratur in Bullâ Ioannis XXII. quæ incipit, Sacratissimo vti culmine, data Lugduni die 3. mensis Martij anno M.CC.XXI. eius Vicario in terris Ioanni XXII. Sũmo Pontifici B. Virgo apparuit, ei præcipiens, vt euulgaret, Carmelitis Fratribus, & omnibus cum illo Scapulari sepulturæ traditis, Purgatorij ergastulo detentis, meritis & assiduis intercessionibus, piisq; suffragiis, ac singulari eiusdem Virginis protectione, primo Sabbati die ab ipsorũ obitu adueniente, Purgatorij pœnarum integrã relaxationem dandam. Eamdem Indulgentiã concesserunt Clemens VII. Gregorius XIII. in Bullâ quæ incipit, Vt laudes; necnon Sixti V. Gregorij XIV. & Clementis VIII. singularissimâ certè gratiâ, quâ nulla alia Religio potitur. Quamuis enim Seraphici nostri Patris S. Francisci habitum portantibus plenaria Indulgentia concedatur, eius tamen reliqui Mendicãtium Ordines participes redduntur, eamdemq; Carmelitanæ familiæ concessit Clemens VII. fel. record. gratia verò Sabbatinæ Bullæ propria est illius, & non aliis communis. Scapulare ergo hoc signum est futuræ salutis, pignus vitæ æternæ, ac Symbolum fœderis, seu pacti sempiterni argumẽtum. Vt enim Deus pepigit olim cum Abrahã fœdus, signumq; ei tribuẽs inquit: Hoc est pactum meum quod seruabitur inter me & te, & semen tuũ post te. Protestabatur ille Christum ex genere Abraham oriundum fore, modò autem Virgo signum præbet, quo se Sacræ huius Religionis alumnos matrem amantissimam protestatur, Carmelitanos fratres in filios sibi adoptans. Hæc Carthagena.

S. Simoni Stock hocce diuinitus concessum priuilegium.

Quid Bulla Sabbatina valoris contineat.

Genes. 17.

20. Hisce consonant omnia sacri Carmelitani Ordinis munimenta, & ea quæ tradunt vetustissimi eiusdem Religionis & alij Scriptores, vt non immeritò paucos ante annos, cùm nonnulli de hisce addubitare viderentur, Paulus V. ita in Bullâ quadam, ad eãdem rem expressè declarandam editã, locutus sit hunc in modũ: Fratribus Ordinis Carmelitarum permittatur prædicare, &c. quòd populus Christianus possit piè credere de adiutorio animarũ, fratrum & confratrum Sodalitatis B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo, videlicet, beatissimã Virginem animas fratrum & confratrum, in charitate decedentiũ, qui in vitâ habitum gestauerint, & castitatem pro suo statu coluerint, Officiumq; paruum recitauerint, vel si recitare nesciant, Ecclesiæ ieiunia obseruauerint, & Feriâ quartâ & Sabbato à carnibus abstinuerint, nisi vbi in istis diebus Natiuitas Domini inciderit, suis intercessionibus cõtinuis, piisq; suffragiis ac meritis, ac speciali protectione, post eorum transitum, præcipuè in die Sabbati, quæ dies ab Ecclesiâ eidem beatissimæ virgini Mariæ dedicatus est, adiuturam. Quorum verborum originales litteræ existunt in Conuentu B. Mariæ de Transpontinâ Fratrum Carmelitarum de Obseruantia Romæ. Sed vt omnem dubitationis scrupulũ euellamus, adscribendũ hîc arbitrati sumus quod sibi circa hoc obiicit ac dissoluit idem qui suprà Carthagena.

Defenditur eadem Bulla.

21. Hoc, inquit, singulare priuilegiũ multi lacerant, sed immeritò: quia summus Pontifex Ioannes XXII. in Bullâ quæ incipit, Sacratissimo vti culmine, datâ Lugduni die 3. mensis Martij, anno sexto sui Pontificatus, his verbis illud confirmauit: Istam ergo sanctam indulgentiam accepto robore in terris confirmo, sicuti propter merita Virginis Christus concessit in cælis. Meminit huius Bullæ Paleonydorus lib. 3. c. 11. vbi obiter obseruatione dignum arbitror, quòd in eadem Bullâ fatetur ipse Pontifex, B. Virginem sibi apparuisse, ac dixisse, Propter deuotionem quam erga me habes, ab aduersario tuo te liberabo, & ad supremum dignitatis Ecclesiasticæ culmẽ te promouebo. In cuius rei compensationem volo te beneuolum exhibere erga fratres meos filios Eliæ. Et inter alia præcepit, vt Indulgentiam hanc Sabbatinam per propriã Bullam confirmaret. Eamdem etiam posteà acceptarunt & confirmarunt Alexander V. in Bullâ quæ incipit, Tenore cuiusdam priuilegij fel. record. Ioannis XXII. Clemens VII. in Bullâ cuius principiũ est, Dilecti filij, datâ in Vrbe-veteri die 15. Maij, anno M.D.XXVIII. vbi hæc verba habentur: Die quo à sæculo huiusmodi Purgatorium accesserint, ipsa Virgo gloriosa Dei genitrix Maria Sabbato sequenti post illorum confratrum seu Religiosorum ac sororum obitu visitando à pœnis Purgatorij huiusmodi eorum animas liberabit. Eamdem etiam Indulgentiam cõfirmauit Gregorius XIII. in Bullâ quæ incipit, Vt laudes gloriosissimæ Mariæ. Ac tandem Academia Salmanticensis, exploratis Apostolicis his Bullis, declarauit validam esse hanc Sabbatinam Indulgentiã; & in suo robore semper permanere, nisi per summũ Pontificem aut Concilium aliquod derogetur: nosq; testamur, insigniũ Doctorum illius Academiæ subscriptiones illam approbantes legisse & vidisse. Quare cùm non solùm auctoritate tãtorum Doctorum, sed expressis summorum Pontificum oraculis Indulgentia hæc Sabbatina sit corroborata & stabilita, non video quâ ratione quisquam, absque ingenti temeritate, illam inficiari queat. Quibus Carthagenæ verbis & hoc adiũgere placuit, penes me videlicet authenticam Gregorij XIII. Bullam existere, datam Romæ die 10. Septembris, anno M.D.LXXVII. Pontificatus eiusdem Papæ anno sexto, in quâ reperiuntur verba sequentia: Idemque Ioannes XXII. pro animabus quæ in Purgatorio existunt, & habitum huius Religionis gestarunt, vel eorum Confraternitatem ingressi fuerint, vel confratrum numero adscripti

Quanta sit auctoritatis.

in

in honorem eiusdem B. Mariæ Matris Dei, die Sabbati post earum transitum intercessionibus eiusdem continuis, piis suffragiis & meritis, ac speciali protectione adiuuandas, priuilegium publicauit, corroborauit & confirmauit. Nemo ergo in tantâ hac luce cæcutiat; &, si lubet, ad nos pro legendis eiusmodi Apostolicis litteris accedat.

CAPVT X.

Hæc cælorum terraéq; Regina, Deo longè gratissima, mira & penè impossibilia impetrare potest.

1. CVM mirabilia planè sint quæ præcedenti Capite de Deiparæ Virginis erga defunctos affectu & effectu, mediisque ab illâ, vt animæ è Purgatorio vendicentur, ordinatis diximus; vt admirationem hanc fortè addubitantium adhuc mentibus eximamus, & ostendamus quàm iustum tantæ apud Deum impetrationis, quâ Diua Virgo pollet, fundamentum habeamus, bina hîc Capita inserenda duximus, quorum altero patebit, quantâ perfectione atque gratiâ apud Deum Maria excellat, ideoque ex naturali quadam amicitiæ obligatione ab eo quamplurima obtinere valeat; altero, quàm ingentes operum satisfactoriorum thesauros collegerit, quibus cùm ipsa, vtpote quæ numquam peccauit, non indigeat, meritò illi Filius concedere potuit, vt eosdem in animarum subsidium distribueret. Quid opus est pluribus? Ad oculum hæc ipsa demonstrant, mirandum potiùs esse, si quis non credat quæ præcedenti Capite sunt adducta, quàm si quis iudicium suum suspendat, ac proprium sensum in fidei obsequium captiuet, cùm fundata sint hæc in sacræ Theologiæ ac Religionis Catholicæ primis, vt aiunt, principiis. Rem videamus. Indubitatum est apud vniuersos Scholasticos, in omni opere in gratiâ facto, præter essentiale meritum, reperiri etiam impetrationem & satisfactionem, quibus non tantùm nobis, sed aliis prodesse valemus: impetratione quidem, cùm veluti diuinæ Maiestatis amici in proximorum fauorem aliquid ab illâ consequimur; satisfactione verò, cùm pro aliorum debitis, laboris nostri pretio ipsimet soluimus. Quid vltrà requiritur? Vnum est sufficiens, cùm vtrumque in Virgine gloriosâ superabundantissimè reperiatur. Et hoc est quod hisce duobus Capitibus probare statuimus, vt qui ad tantam Deiparæ potentiam ac miserationem in mortuos attoniti, aut etiam fortè dubij fuerunt, obstupescant nunc ampliùs, dum duas vident vias per quas id iustè valeat ac debeat, cùm anteà forsitan suspicati fuerint, nullam aut vix vnam, rem tam extraordinariam asserendi, rationem subfuisse.

Duplex fundamentũ ex quo constat B. Virginem quamplurimum prodesse defunctis.

2. Vt ergo primo loco adstruamus, & palàm faciamus quàm altas in Dei gratiâ Dei mater egerit radices, præmittenda est historia quædam de quâ agit facundissimus ille eloquentissimorum Oratorum princeps Cicero, Heronem nimirum tyrannum à Simonide Philosopho postulasse vt deorum sibi naturam describeret; pro cuius resolutione dum ille triduum petiisset, post illud triduum iterùm aliud, & sic consequenter multa successiuè tridua. tandem respondisse, ingenuè sibi fatendum esse, quantò rem illam magis inquireret, eò se eam minùs assequi posse. Idem nobis hoc in loco euenit, cùm beatissimæ perfectissimæque Dei Matris gratias ac prærogatiuas explicare volumus. Testati hoc idem sunt Patres sanctissimi, testati sunt & Angeli, Homines quidem sancti, quales fuerunt Bernardus, Hieronymus, Augustinus, Dionysius, &c. Angeli verò, de quibus posteà videre erit ex Canticis cãticorum. S. Bernardus in quodam Sermone, *Nihil est*, inquit, *quod me terreat magis, nec est aliquid quod tantum delectet, sicut de beatâ Virgine sermonem habere.* Quid ais Bernarde? te quod maximè delectat, illud te maximè terret? Imò terret me, inquit ille, indignitas propria, sed me delectat Virginis laus & excellentia. Sanctus verò Hieronymus, *Quid*, ait, *nos tantilli, quid actione pusilli, quid in eius laudibus referamus, cùm etiamsi omnium nostrûm membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus: altior enim cælo est de quâ loquimur, abysso profundior cui laudes dicere conamur. Si cælum*, inquit, *te vocem, altior es; si matrem gentium, præcedis; si formam Dei te appellem, digna existis; si Dominam Angelorum, prima esse probaris. Quid ergo de te dicam?* S. Petrus Damiani: *Qualiter eam laudare poterit mortalis hominis transitorium verbum, quæ illud de se protulit Verbum, quod manet in æternum? quæ lingua in eius laude inuenietur idonea, quæ illum genuit, cui omnia benedicunt & cum tremore obediunt elementa?* S. Dionysius Areopagita, prout refert D. Epiphanius Hæresi 7. *Cùm*, ait, *ductus fui ad conspectum Virginis, tantus me diuinus splendor circumfulsit exteriùs, & pleniùs irradiauit interiùs, tanta etiam odoramentorũ ipsius fragrantia in me redundauit, vt nec corpus infelix, sed neq; spiritus tanta possent felicitatis insignia sustinere. Testor Deum qui erat in Virgine, nisi diuina me docuissent, hanc Deum verum putauissem, quoniam nulla videri poterat maior gloria meritorum.* S. Augustinus itidem exclamat: *O femina super feminas benedicta, quibus te laudibus efferam nescio*, &c.

Li. 1. de Natu. à deorũ.

D. Virginis laudes & perfectiones explicare pro dignitate nemo potest: Nõ homines,

Serm. 4 de Assumpt.

Serm. de Assumpt.

Serm. de Natiuit. B. Virginis.

Iam & Angelici Spiritus, gloriam se Marianam non comprehendere, frequenter protestati sunt. Licet id intueri in Libro Canticorum, vbi non semel sed sæpiùs inter se sciscitati fuerũt, quænam & qualis hæc Virgo foret. *Quæ est ista*, inquiunt, *quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Item: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Item: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum.* Quibus locis non tam eam, qualis sit, Angeli describunt, sed velut attoniti, & quid dicere debeant dubij, interrogant quænam sit ista, cui omnia nimirum illa, quibus ipsam compararunt, conueniant. Si igitur nec sapientissimi sanctissimiq; homines, nec etiam cælestes spiritus excelsam hanc præ creaturis omnibus Deiparæ personam describere laudareq; nequiuerunt, quantò minùs nos, qui & miseri mortales & indigni peccatores sumus, efficere idem poterimus? Vsu tamen hîc venit quod aliquando de Christi Natiuitate dixit S. Leo Papa: *Excedit quidem, dilectissimi, multumq́, supereminet humani eloquij facultatem diuini operis magnitudo; & inde oritur difficultas fandi, vnde adest ratio non tacendi.* Eloquendum est ergo, & in laudem Reginæ Ange-

3. *Neq; Angeli ipsi.*

Cantic. 3.

Cantic. 4.

Cantic. 8.

Serm. 9.

Et tamen de ipsius laudibus nequaquam tacendum est.

Angelorum & hominum vel breuiter aliquid depromendum: in laudem inquam, Reginæ Angelorum atque hominum aliquid depromamus, propter ea quæ & Angeli & homines in Principis ſuæ præconium extulerunt; Angeli quidem, dum prædictis Scripturę verbis materiem nobis ſuppeditarunt; homines, dum de illa Virgine glorioſâ ſcripſerunt, quæ Angelorum dictis explicandis ſubſeruiunt.

Explicatur hoc Capite locus Cantic. 4. Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens.

4. Sed ecce, vnus ſecundus nimirū ex ſupradictis locus, qui eſt, *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata*, quatuor nobis potiſſimas & præcipuas B. Virginis excellentias & prærogatiuas ob oculos ponit, quarum prima, complexa hiſce verbis, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, eſt eius ab omni peccato, veniali, mortali & originali, exemptio, & contra dæmones atque inferni ſuperbias victoria. Ea quippe eſt totius humani generis miſeria, quòd nō tantùm in peccatum prona ſit, & facilè, quin & grauiter ſæpè, in eadē labatur & relabatur, ſed quòd, antè quàm corpore ſit natū, ſpiritu ſit mortuum, idque quod ad ſalutem ſempiternam ſuſcipitur, in damnationis perpetuæ ſtatu concipiatur. Heū miſerabilem hominum ortum! & tamen indubitatus apud omnes Patres ac in Scripturâ ſanctâ huiuſmodi caſus, quo non tam homines exiſtere incipiāt, quàm à ſpirituali vitâ exciderint. Probant hoc verba Pſalmœdi, Iobi, Apoſtoli.

Pſam. 50. Pſalmœdi: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.*

Iob 14. Iobi: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?* nam, vt & alibi dicitur, *Nemo mundus à ſorde, nec infans cuius vita vnius diei ſuper terrā.*

Rom. 5. Apoſtoli: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Quæ verba quamquam generaliter de totâ humani generis maſſâ ſecundùm rigorem Theologicum videantur intelligenda, benignam tamen admittere poſſunt interpretationē, vt nimirum per ſpecialiſſimum Dei omnipotentis priuilegium exempta fuerit eius genitrix Maria, adeoque extraordinariâ quadam gratiæ præuentione, ſine originali peccato concepta. Quod licet haud adeò certum ſit, vt de Fide teneri debeat, id tamen credere, pium eſt admodum & laudabile, maximè cùm Paulus V. fel. mem. Eccleſiæ præſcripſerit, vt (ſine præiudicio contrariæ ſententiæ) publicè nec in concionibus nec in diſputationibus doceri aliter poſſit, quàm beatiſſimam Virginem ſine peccati originalis culpâ fuiſſe conceptam, quemadmodum & modò, & ante Bullæ iſtius quoque promulgationem, tenuit noſtra Carmelitarum excalceatorum S. P. N. Eliæ Congregatio.

Deipara Virgo abſque originali peccato concepta defenditur.

5. Hanc autem ſententiam vt explicemus, rationes primùm aliquot, fauentes inde Patrū auctoritates, ac demum Angelicorum verborū de aurorâ progrediente applicationes adducere decreuimus. Inter rationes adferri poteſt, ita decuiſſe, vt Virgo, Deum aliquādo in vtero ſuſceptura, ac vitæ mater futura, morti atque dānationis noxæ minime ſubiaceret. Quàm enim hoc fœdum fuiſſet atque à Dei benignitate alienum, ex corpore illo carnem à Filio Dei aſſumi, quod dæmoni priùs ac peccato ſubfuiſſet? ex illâ parente iuſtitiam concipi, quæ nuper filia iræ Dei ac maledictionis extitiſſet? Refugit id pia mens credere, & iis potiùs aſſentitur, qui Patrem æternum, ex præuiſâ Filij ſui morte, præueniſſe eam atque à culpâ præſeruaſſe perhibent.

Primùm ex conuenientiâ.

Pro quo notandum eſt, Doctorem Angelicum docere, idcircò Deiparam nullum aut mortale aut veniale commiſiſſe peccatum, quòd hoc Dei Filium non decuiſſet, eiuſmodi matrem habuiſſe, quæ peccaſſet. En ipſa Doctoris verba: *Cùm*, inquit in Concluſione, *eximio & ſingulari quodam modo Dei Filius in beatâ Virgine habitauerit, ſimpliciter fatendum eſt, eam nec mortale nec veniale peccatum vmquam commiſiſſe; hoc enim in Filij ignominiā quodammodò vergeret.* Quòd ſi hoc verum eſt, ſequitur in grauiorem Filij Dei ignominiam cedere debuiſſe, ſi non veniali, at originali noxâ Maria fuerit cōſpurcata: hæc enim macula, ſecundùm S. Dionyſium, eſt *habitus diſſimilitudinis à Deo*, & iuxta ſacroſanctū Concilium Tridentinum *mors eſt animæ*; veniale verò peccatum nec Dei ſimilitudinem ab animâ aufert, nec ei mortem adſciſcit. Deum verò potuiſſe à matre ſuâ originis culpam auertere, nullus dubitat; & quòd id fecerit, licet apud omnes non ſit æquè indubitatum, præſenti tamen ſæculo apud pleroſque perfectiſſimos & eruditiſſimos viros probatum habetur.

1. Ex collatione cum veniali peccato.

D. Thom. p. 3. q. 27. art 4.

De Cæleſti hierarch. p 3. c. 2.

Seſſione 5.

3. Ex Patribus.

Et rectè, cùm, iuxta S. Hieronymum, omnem Virgini Deiparæ gratiam Deus contuliſſe dicendus ſit. *Si diligenter*, inquit ille, *attendas, nihil eſt virtutis, nihil ſplendoris, nihil gratiæ, & nihil candoris, quod non reſplendeat in Virgine glorioſâ.* Et alibi, *Talibus*, inquit, *decebat Virginem oppignorari muneribus, quâ maior ſub Deo nequit intelligi.*

Serm. de Aſſumpt.

Non ineptè ergo huc adduci poſſunt illa D. Auguſtini verba, qui ſic de B. Virgine loquitur: *Vbi Scriptura diuina nihil de illâ*, Beatâ Virgine, *commemorat, inquirendum eſt quid conueniat rationi, ſiatq; ipſa ratio auctoritas.*

Serm de Aſſumpt.

Quod in Deiparæ Virginis immaculatâ Cōceptione locum habere vt appareat, à naturæ inſtinctu id non Catholicis modò, verùm & ipſis hæreticis & Gentilibus inditū fuiſſe videbimus. Catholici quidem hanc ſententiam modò non ſolùm paſſim defendunt, ſed nec docere aliter poſſunt. Hæretici verò ipſique Turcæ ſuffragantur, cùm primus & præcipuus noſtri ſæculi hæreticorū Archidux & Anteſignanus Martinus Lutherus, ſuper Magnificat ſcribat hūc in modum: *Eo ipſo quòd Maria Dei mater facta eſt, tam ingentia ei dona data ſunt, vt ſuperet captum cuiuſcumque. Hinc omnis beatitudo & honos prouenit, vt in vniuerſo genere humano vnica perſona ſit ſuperior cunctis, cui nemo ſit par, quòd cum Patre cæleſti filium habeat communem*; docetque ideò omni planè eam culpâ caruiſſe.

4. Ex hæreticis.

Idem diem Conceptionis Marianæ frequenter ſacro ac cōcione veneratus eſt, hæcque alia inter ad populum verba habuit: *In Virginis Mariæ Conceptione, cuius corpus progreſſu temporis iuxta aliorum infantulorum ritum factum eſt vſque ad animi infuſionem, non opus fuit tali conceptione, quemadmodum Chriſti videlicet, quem ſolum Deum & hominem citra viri operam omnibus membris abſolutum concipi oportebat. Potuit enim Maria ab omni originali peccato præſeruari, donec anima infundenda eſſet.* Et ſtatim poſteà: *Mariæ Conceptio piè creditur ſine originali peccato facta eſſe, vt ſcilicet in ipſâ animæ infuſione, vnà etiam ab originali peccato purificata fuerit, diuinis dotibus redimita, ad accipiendam ſanctam animam à Deo ipſo infuſam. Atque ita in primo momento cùm viuere inciperet, omnis peccati expers erat.*

Lutheri

Lutheri loca plura & plures etiam eius sequaces possemus adiungere, sed vnico Erasmo, qui nonnihil iis fauisse visus est, modò contenti erimus, is Apolog. ad lib. Alberti Pij: *Quàm magnificè*, inquit, *sentiam de sacratissimâ Virgine, declarat pæan meus, & obsecratio quæ toties excusa, præterea Liturgia cum concione, quam edidi aduersus obtrectatores Virginis, semperq; sani sententiæ, quæ liberat eam ab omni peccato etiam originali*, &c. Turcæ similiter

5. *Ex Turcis.* in suo Alcorano Macho Azo. art. 5. & 75. *O Maria omnibus viris & mulieribus splendidior, & mundior atque lotior, soli Deo perseueranter studens. Nullus nascitur de filiis Adam, quem non tangat satan, præter Mariam & eius Filium.* Quin & ipsi Græci ante mille annos Conceptionis Marianæ festum cele-

6. *Ex Græcis.* brarunt per vniuersam Græciam, adeò vt cùm anno M. CCC. XXII. sub Ioanne XXII. vt refert Episcopus Chrysopolitanus, Romam ex Græcia appulisset doctissimus quidam vir, magni videlicet Soldani filius, atque interesset concioni quæ coram Pontifice habebatur, audissetq; in eâ dici, beatissimam Virginem originali peccato subiecisse, totus in eo scandalizatus dixerit, *Possibiléne est, vos Dei matrem peccati ream facere?* & propterea statim ex Vrbe in patriam suam redierit.

6.

Non aduersantur huic opinioni Scripturæ.

Neque piæ huic opinioni quidquam aduersantur Scripturæ, quas tamen contrà facere quidam volunt. Tametsi enim in textu nulla, quòd beata Virgo ab originali culpâ excepta fuerit, explicita mentio reperiatur, implicitè tamen per alias eiusdem Deiparæ prærogatiuas id sufficienter colligitur. Certum namque apud omnes Catholicos est, Mariam nec cum dolore peperisse, nec post mortem in cinerem abiisse, & tamen generaliter de omnibus omnino feminis dictum

Genes. 3. est, *In dolore paries*; & de vniuersis hominibus pronuntiatum est, *Cinis es, & in cinerem reuerteris.*

D. Thom. 2. 2. q. 157. art. 3. Docet Angelicus Doctor, Prophetam Moysen & Paulum Apostolum diuinâ essentiam in mortali vitâ adspexisse, cùm tamen ipsius Moysis, ac posteà S. Ioannis Euangelistæ, generalis sit regula; illius ex personâ Dei, *Non videbit me homo, & viuet*; huius, *Deum nemo vidit vnquam.* Quis dubitet, in Scripturis sacris plurima loca reperiri, quę tametsi generaliter prolata fuerint, suis tamē exceptionibus benignè intelligēda veniant? qualia inter cetera sunt illa: *Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* Et: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.* Et: *Omnes qui venerunt ante me, fures sunt.* Et: *Omnes quæ sua sunt quærunt.* & cętum huiusmodi, quæ non de omnibus ita strictè accipienda sunt, vt nullius exclusionem patiantur, sed de plerisque solùm & commodè possunt intelligi. Quemadmodum etiam Philosophi loqui solent, qui communiter commodæ acceptionis exemplum ponunt, Omne animal fuit in arcâ Noë; præter nimirum pisces, quos non erat necessarium extra diluuij aquas conseruari. Denique, si omnis generalis propositio sine vllius exceptione accipi debeat, cur inter alia omnium Gentium, vt dicimus, axiomata commune hoc dictatum excludi volunt, Nulla est tam generalis regula, quin patiatur exceptionem? Cur hoc faciunt quoad Conceptionem B. Virginis, cùm eam admittant quoad partum eius sine dolore, & mortem sine corporis corruptione, quod vtrumque generaliter, vt diximus, in Scripturâ hominibus negatum est?

(Exod. 33. Ioan. 1. Luc. 15. Psal. 13. Ioan. 10. Philip. 2.)

Aduersæ partis argumento, nimirum Mariam in originali peccato concipi debuisse propter Filij sui gloriam, qui aliàs non fuisset eius Redemptor, optimè respondetur, si dicamus, ex præuisis Christi meritis Mariam quidem ab omni originalis peccati noxâ seruatam fuisse, non tamen à peccati debito: hoc est, eam, vtpote Adami filiam, debuisse communi legi peccati subiacere, sed ex gratiâ speciali à Filio suo præuentam fuisse, atque ab illâ originali noxâ, quam sine particulari hac præuentione haud dubiè incurrere debuisset, præseruatam. Quod non modò Redemptoris excellentiam nullatenus minuit, sed eam maximoperè auget, cū illi hinc tribuamus, non solùm talem potestatem habuisse vt peccatores meritis suis absoluere valuerit, sed etiam homines præuenire, ne in peccati maculam ac pœnam inciderent; ne diabolus, inquam, ipsum præoccuparet, & priùs illum, seruum & mancipium suum efficeret, quàm ipsemet eius creator. Rem similitudine explicemus. An non excellentius est & Principi honorabilius, si aduenas ad se vindicare queat ab inimicorum prædonumque aut piratarum insidiis & captiuitate, quàm si eos tantummodò, iam raptos expoliatosque, liberare atque suo iuri restituere possit?

7. *Non concludunt opponentium argumenta.*

8. *Scriptura in fauorem plurima.*

Sed & Scriptura ipsa sacra à nobis stat. Cùm namque in Psalmo dictum esset, *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus*, quando id sanctificauerit adiungitur, *Deus in medio eius, non commouebitur. Adiuuabit eam Deus manè diluculo.* q. d. tam citò adiuuabit quàm poterit. In Canticis Sponsus sponsam alloquitur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* quæ à maximis Doctoribus explicātur esse verba Saluatoris ad matrem, quos inter est Doctor Angelicus, qui *Ideò*, inquit, *simpliciter fatendum est, quòd beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale nec veniale, vt sic in eâ impleatur quod dicitur Canticorum 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Si ergo in illâ generaliter loquendo non est macula, cur in ipsâ fingamus fuisse originalem, quæ vtique macula est, & macula damnationis æternæ? Sunt qui totum Psalmum 86. de immaculatâ Virginis Conceptione exponunt. *Fundamenta enim*, aiunt, *eius in montibus sanctis, ergo non in peccatis & culpâ originali. Diligit Dominus portas Sion, id est ingressum eius, super omnia tabernacula Iacob. Si eius ingressum diligit, ergo non odit, quemadmodum odit omne peccatum.* Et sic de ceteris quæ in eodem Psalmo sequuntur. In Prouerbiis: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram*, &c. quæ omnia sancta mater Ecclesia Dei Genitrici applicat, & ipso quidem die Conceptionis de eâ recitat sub diuino Officio: quæ nisi immaculata foret, non rectè sub illo titulo celebraretur, quod nimirum voluerunt contra sentientes, qui abrogatum hunc festum diem cuperent, & in suis Officiis loco *Conceptionis, sanctificationis* dicendum censuerunt. In Ecclesiastico: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis.* vbi absque vllâ exceptione omnis ei gratia collata esse dicitur. Denuò eodem in libro: *Confitebor tibi Domine*

(Psal. 45. Cant. 4. D. Thom. p. 3. q. 27. art. 4. Prouerb. 8. Eccli. 24. Eccli. 51.)

mine Rex, & collaudabo te Deum saluatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum à perditione, &c. *Liberasti me secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui à rugientibus, præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum quæ circumdederunt me.* En vt à dæmonibus in peccati prædam se expectantibus, atque à portis tribulationum, pœnâ nimirum & culpâ, immunem fuisse per Regem & Saluatorem suum, profitetur.

9. *S. Augustini testimonium.* Lib de Naturâ & gratiâ, c. 36.

Ad Patrum testimonia transeo. S. Augustinus de peccatis loquens, *Exceptâ*, inquit, *sanctâ Virgine Mariâ, de quâ, propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Vnde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruerit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine exceptâ, si omnes illos Sanctos & Sanctas cùm hic viuerent, congregare possemus, & interrogare, vtrùm essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? vtrùm quod Pelagius dicit, an quod Ioannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentiâ sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nónne vnâ voce clamassent, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est?* Certum autem est, eo loco Augustinum egisse contra Pelagium, quem & citat, & cuius error circa originale peccatum maximè fuisse deprehenditur. S. Ephræm, *Immaculata*, inquit, *& intemerata, incorrupta & prorsus pudica, atque ab omni sorde ac labe peccati alienissima, Virgo Dei sponsa, Domina nostra.* Abdias antiquus Auctor hæc S. Andreæ verba esse refert: *Sicut primus Adam formatus est ex terrâ antequam esset maledicta; ita secundus Adam formatus est è terrâ virgineâ numquam maledictâ.* Scribit vir quidam grauis, Hispanus natione, quòd anno M.D.XCV. circa Granatam in Hispaniâ in monte quodam, Vallis-paradisi nominato, inuentum sit scriptum quoddam ab Apostolorum discipulis exaratum, quod astrueret, Apostolos in suo primo Concilio credidisse immaculatam Deiparæ Conceptionem. Quòd si quis alios tam Patres quàm Doctores desideret, hos inter reperiet *a* S. Bernardinum Senensem, *b* Richardum à Victore, *c* Cardinalem Aureolum, *d* Nicolaum Liranum, *e* Alexandrum ab Alexandro, *f* Scotum Doctorem subtilem, & ipsius Scoti Magistrum *g* Varronē Theologum subtilissimum: insuper Franciscum de Maironibus, Thomam de Argentinâ, *h* Magistrum Sententiarum, Almainum, Carthusianum, Ioannem Bacconū, Driedonem, Abulēsem, Lipomanum, Gersonem, Couarruuiam, Ambrosium Catharinum, Cordubam, Vegā, Roffensem, Clitoueum, & infinitos propemodum alios. Imò si ad anteriora multò sæcula lubeat ascendere, pro huius sententiæ auctoritate stetisse comperiemus *a* S. Fulbertum Carnotensem, *b* S. Anselmum, *c* Sedulium, *d* S. Ioannem Damascenum, *e* S. Cyrillum Alexandrinum, *f* S. Gregorium Thaumaturgum, S. Ildefonsum Archiepiscopum Toletanum, *g* S. Athanasium, & multos alios. E recentioribus verò occurrunt Pet. Canisius, Fr. Suarez, Rob. Bellarminus, Iac. de Valentiâ, & reliqui omnes quotquot è Societate IESV, ex Ordine D. Francisci, & aliis plurimis Religionibus, & nonnulli quoque sæcularis ordinis, de hac re vel ex professo, vel etiam incidenter saltem & παρέργως scripserunt.

Et aliorum. Orat. ad SS. Dei Genitricem.

Lib 4. de Gestis Apostol. Synoc. 6. can. 33.

a Tom 1. Serm. 33.
b Serm. *Nondum erant abyssi*
c Sent. 3. dist. 3.
d In 1. cap. S. Lucæ.
e De b. Virgine.
f Sent. 3. dist 3.
g Sent. 3. dist. 3.
h Sent. 3. dist. 3.
a Tract. in *Aue Maria.*
b Lib. de Concep. Virg.
c Lib 6.
d Orat. 1. de Natiuit. B. Virginis.
e Lib. 6. in Ioannem.
f De Annuntiat.
g Epist ad Epictetum.

Reuelationes si præterea adiungere luberet & miracula, quæ pro hac eadem re stabiliendâ illustrissimorum testimoniorum vice funguntur, equidem & hic diffusus esse possem; verùm quia hæc solùm obiter tractamus, quantum videlicet pro mortuorùm causâ facere videntur, vnicâ adductâ reuelatione contentus ero. Ipsamet Virgo Deipara, S. Birgittæ apparens, ita ad eam locuta est: *Si alicui volenti ieiunare, qui desiderium haberet comedendi, sed voluntas resisteret desiderio, præciperetur à Superiore cui obediendum esset, quòd propter obedientiam comederet, & ille propter obedientiam contra velle suum comederet, illa comestio maiori remuneratione digna esset quàm ieiunium. Per similem modum coniunctio parentum meorum fuit quando ego concepta fui. Et veritas est, quòd ego concepta fui sine peccato originali: quia sicut meus filius & ego numquam peccauimus, ita nullum coniugium fuit quod honestius esset, quàm illud de quo ego processi.* Scio Caietanum huic reuelationi opponere contrariam, factam S. Catharinæ Senensi: sed eam confictam esse, & postmodum ab alterius opinionis sectatoribus assutam fuisse scriptis Diuæ Senensis, satis apparet, quandoquidem nec in D. Antonino, nec in D. Raymundo, aut Scriptore quopiam alio, qui Vitam illius compilauerit, reuelationis huiusmodi vestigium est inuenire. S. autem Birgittæ libri quantæ sint auctoritatis, satis constat ex litteris Apostolicis Bonifacij IX. Vrbani VI. Martini V. Pauli V. Gregorij XV. &c. ex Conciliis Constantiensi, Basileensi, &c. è plurimis iisque doctissimis viris, è miraculis & contradicentium punitionibus. Nota est historia de Rege Catholico Ferdinando & eius coniuge Isabellâ, ex Hispaniæ Annalibus, quòd, cùm longo satis tempore Granatensem ciuitatem obsedissent, eamque expugnare videretur impossibile, voto facto Ecclesiæ in honorem & memoriam immaculatæ Conceptionis B. Virginis Mariæ construendæ, præter omnem spem subitò iisdem tradita & dedita fuerit.

10. *Reuelatio S. Birgittæ de immaculatâ B. Virginis Conceptione.*

Reuelat. S. Birgittæ lib. 6. cap. 9.

Ex miraculis hæc probata.

Quin & Summi vniuersalis Ecclesiæ Catholicæ Pontifices huic nostræ sententiæ suffragantur. Sixtus IV. inter alia quibus fideles ad Conceptionem Marianam colendam adhortatur, ita scribit: *De ipsius immaculatæ Virginis mirâ Conceptione gratias & laudes referant, & institutas propterea in Dei Ecclesiâ Missas & alia diuina Officia dicant, & illis intersint, indulgentiis & peccatorum remissionibus inuitati, vt exinde fiant Virginis meritis & intercessione diuinæ gratiæ aptiores. Hac igitur consideratione inducti*, &c. Concessit nimirum Indulgentias easdem quas celebrantibus Festum Corporis Christi Vrbanus IV. assignauerat, vt videri potest in Extrauag. Cùm præcelsa, & Graue nimis, de Reliquiis & vener. Sanctorum. Idem prætereà Sixtus IV. eodem loco adiecit sequentia: *Sanè cùm sancta Romana Ecclesia de intemeratæ semper Virginis Cōceptione publicè Festum solemniter celebret, & speciale ac proprium super hoc Officium ordinauerit, nonnulli, vt accepimus, diuersorum Ordinum Prædicatores in suis Sermonibus ad populum publicè per diuersas ciuitates & terras hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare nō cessant, omnes illos, qui tenent aut asserūt, eamdem gloriosam & immaculatā Dei Genitricem absque originalis peccati maculâ fuisse conceptam, mortaliter peccare,*

11. *Fauent Pontifices*

Lib. 3. de Extrauag. commun. Tit. de Reliquiis & vener. Sanctorū cap. 1.

Cap. 2.

peccare, vel esse hereticos; eiusdem immaculatæ Conceptionis Officium celebrantes, audientesq; sermones illorum qui eam sine huiusmodi maculâ conceptam esse affirmant, peccare grauiter, &c. Nos igitur huiusmodi temerariis ausibus & peruersis assertionibus & scandalosis, quæ in Ecclesiâ Dei exinde exoriri possent, quantum Nobis ex alto conceditur obuiare volentes, &c. postquam de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, à quâ ab alio quàm à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo nequeant absolutionis beneficiũ obtinere. Excõmunicat etiam statim posteà eos, qui contrariam opinionem damnauerint, cùm nihil circa id ab Ecclesiâ adhuc decisum esset. Quibus subscribit sacrosanctum & œcumenicum Concilium Tridentinum, cùm in fine decreti de peccato originali sic ait: *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Dei genitricem Mariam, sed obseruandas esse Constitutiones fel. rec. Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innouat.* Paulus verò Papa V. anno M. DC. XV. Bullam promulgauit, quâ omnino prohibuit, vt neque in scholarum neque Ecclesiarum suggestibus vllus in posterum docere audeat, Beatissimam Virginem in originali peccato conceptam fuisse. Imò quò magis omnes in sententiam immaculatæ Conceptionis alliceret, eodem anno die 10. Iulij concessit centum dierum indulgentias omnibus & singulis, in honorem eiusdem immaculatæ Conceptionis Marianæ sequentia recitantibus: *Antiphona. Hæc est virga, in quâ nec nodus originalis nec cortex actualis culpæ fuit. Versus. In Conceptione tuâ, Virgo, immaculata fuisti. Respons. Ora pro nobis Patrem, cuius Filium peperisti. Oratio. Deus qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti: quæsumus, vt sicut ex morte eiusdem Filij tui præuisâ, eam ab omni labe præseruasti, ita nos quoque mundos eius intercessione ad te peruenire concedas. Per Dominum.*

Quid Tridentinum hic Concilium. Sessione 5.

Paulus V noluit in posterum in Ecclesiâ doceri in originali Deiparam fuisse conceptam.

12\. Sed ab aduersariis adferuntur duo Ecclesiæ Doctores, qui contrarium omnino senserint. De S. Bernardo quidem Doctore mellifluo dicunt, eum contra Canonicos Lugdunenses scripsisse Epistolam, quâ illos increpet quòd Conceptionis Festum celebrarent. Varij variè respondent. Non desunt qui Epistolam illam S. Bernardi esse pernegent. Alij quidem eius esse fatentur, ideò verò eum Canonicos illos increpasse aiunt, quòd propriâ auctoritate istam celebritatem inchoarent, præsertim cùm dubia adhuc foret de eodem mysterio Ecclesiæ doctrina; & proinde vt illorum temeritatem redargueret, ibidem ex aduersæ partis mente, non verò suâ ex sententiâ, adduxisse quædam quæ contra immaculatam Conceptionem facere videbantur. Mihi præ ceteris illorum arridet solutio, qui dicunt, tum quidem D. Bernardum sic sensisse, posteà verò, opinione illâ retractatâ, immaculatam Conceptionem asseruisse; quod vel inde constat, quia posteà hæc scripsit: *Non est in filiis hominum magnus vel paruus tantâ præditus sanctitate, nec tantæ religionis priuilegiatus honore, qui non in peccatis fuerit conceptus, præter Matrem immaculatam peccatum non facientis, sed peccata mundi tollentis; de quâ, cùm de peccatis agitur, nullam prorsus habere volo quæstionem.* Idem de D. Thomâ Doctore Angelico dicere possumus, quippe qui hæc alicubi scripserit: *Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideò potest aliquando contrarium inueniri, quo nihil purius esse possit in rebus creatis sine vllâ contagione peccati. Et talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali fuit immunis.* Et: *Ipsa purissima fuit quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec veniale, nec mortale peccatum incurrit.* Adeò vt, licet aliubi aliter scripsisse eum non diffitear, posteà tamen quædam ipsius scripta inuenta esse asseratur, quibus hanc suam assertionem 2. repudiauerit, vt scribit eximius ille Theologiæ Magister Vitalis de Conceptione, qui eadem se vidisse & legisse affirmat. Quod admodum est probabile, quandoquidem S. Thomas Partem suam tertiam ipsemet nec edidit, nec etiam iam plenè absoluerat, adeò vt dubio procul multa, & hæc inter etiam hanc assertionẽ correcturus fuisset, antequam luci eam dedisset. Refert insuper Bernardinus de Busto, auctor insignis, D. Thomam nocte quadam apparuisse Episcopo Pictauiensi Fontino, qui mirabatur, qui fieri potuerit vt tantus Doctor contra Virginis gloriam ita sentiret, eique hunc in modum esse locutum: *Scias Episcope, quòd quando opinionem talem posui, habui respectum ad illum statum, quo B. Virgo peccatum originale contrahere debuerat, nisi per Filium suum fuisset præseruata: sed Dei Filius matrem suam ab originali maculâ præseruauit.* Et adiungit Bustus: *Hæc omnia Vicarius ipsius Episcopi fidelissimè exposuit, asserens se à prænominato Domino Episcopo hanc visionem propriis auribus audiuisse.*

Ab iis qui aliter senserè duo sacri Doctores allati, explicantur.

S. Bernardi pro sententiâ nostrâ clara sententia.

Serm. 13. in Cœnâ Domini.

Idem Doctoris Angelici.

In 1. Sētent. dist. 44. art. 3. ad 3.

Super *Aue Maria.*

In 3. p. q. 27. art. 4.

Quid ad hoc responderi possit, quid opinionem mutarit.

Serm. 7. de Concept.

13\. Quin, vt fortiùs contrà sentientes vrgeamus, ipsemet Dominicanæ familiæ auctor & institutor S. Dominicus (vt videre est apud R. P. Pet. Canisium, R. P. Franciscum Suarez, & Galatinum) ita scripsit in Tractatu de Corpore Christi: *Sicut primus Adam fuit ex terrâ virgineâ & numquam maledictâ formatus, ita decuit in secundo Adam fieri.* Et S. Vincentius Ferrerius sic ait: *Fiat lux. Non credatis quia fuerit sicut in nobis qui in peccatis concipimur, sed statim ac anima eius fuit creata, fuit sanctificata, & statim Angeli in cælo celebrarunt festum Conceptionis.* Alij vsque ad 12. ex sanctissimo Prædicatorio Ordine hanc in sententiam ex præcipuis Patribus testes adducunt, sed nobis alia tractantibus festinandum.

Canis. lib. 1. de B. Virgine, cap. 7. Suarez 3. p. q. 27. d. 3. art. 2. sect. 5. in Thesauro Catholico, edito Coloniæ anno M. D. XCIX. Galatin li. 7. de Arcanis, c. 5. Serm. de Natiuit. B. Virginis.

14\. Hæc autem hactenus produximus, vt probaremus, rectè Deiparam Virginem per consurgentem auroram designari. Vt enim ex præcedentibus patuit, omnes nos in nocte & tenebris peccati nati & cõcepti sumus, Maria verò quando concepta fuit, sine culpâ concepta est, ac ideò in nocte numquam fuit. Quod insigne sanè atq; præclarum priuilegium nulli nec ante nec post eam concessum fuisse legitur, ac proinde meritò per auroram procedentem explicatur. Ad cuius excellentiam designandam etiam Poëtarum figmentis vti possumus: quæ tametsi fabulosa sint, nobis tamen ad describendam Deiparæ perfectionem non incassum subseruiunt, quatenus ex falsis etiam somniis, quanta sit Marianarum prærogatiuarum & sublimitatum veritas, elucescat. Fabulantur illi inter alia, Phœbum siue Solem de accipiendâ sibi sponsâ aliquando cogitasse, oculosque & animum in Auroram coniecisse: vnde & modò adhuc Solem Auroram insequi videri aiunt, cùm statim post eam quotidie oriatur. Quæ licet in se sint fictitia, verissimè tamen

Aurora itaque idcircò dicitur B. Virgo, quia numquam noctem passa est peccati.

tamen eiusmodi quidpiam contigisse comperiemus, si hæc ad Solem iustitiæ Christum & sponsam illius ac matrem Mariam transferantur.

Quia item à Dei Filio adamata fuit.

Nam si quam ille vmquam, hanc profectò adamauit; si vmquam alicuius amore, huius certè allectus fuit: traxit enim eadem Virgo è cælo Filium Dei, prout testatur S. Ambrosius, qui sic ait: *Hac nubes, aëra, Angelos, sideraq; transgrediens, Verbum Dei in ipso sinu Patris inuenit, & toto hausit pectore.*

Lib. 1. de Virginib.

Vnde quemadmodum Poëtæ fabulabantur, ob Auroram à Sole illuminari cælum, ita verè propter affectum spiritualis Auroræ, quæ Maria est, illuminati sunt omnes qui sedebant in tenebris & in vmbrâ mortis: nam de Filio quem peperit dicitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Ioan. 1.

Quò etiam spectant illa Innocentij III. verba, dum ait: *Quis de nocte inuocauit Mariam, & non est exauditus ab eâ? Qui ad diluculum pœnitentiæ surgit, respiciat Auroram, deprecetur Mariam, vt ipsa per Filium cor eius ad satisfactionem illuminet.*

Serm. 2. de Assumpt.

Eadem ergo B. Virgini appellatio congruit, vt *Aurora* dicatur quasi *aurea horæ*, cùm ipsa fuerit per quam aurea & splendidissima sæcula apparuerunt.

15. *Insignes Conceptionis immaculatæ figuræ.*

O ergo admirabilem prærogatiuam quæ Mariæ, non alteri, data est, quæ tot in veteri lege figuris adumbrata fuit! Hæc est illa terra Sacerdotalis, quæ à communibus Ægyptiorum exactionibus fuit immunis. Hic rubus ardens incombustus. Hoc Gedeonis vellus, quod solum caruit rore communis peccati, quod maduit rore gratiæ, cùm eo vniuersi carerent. Hoc Salomonis templum, ad quod omnes, antequam extrui cœptum est, præparatæ fuerunt impensæ: de quo templo Dauid loquitur: *Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.* Ea est porta orientalis, quæ nulli vmquam patuit, præterquam Regi, non peccato inquam aut diabolo, quoniam Dominus Deus ingressus est per eam. Demum, omissis plurimis aliis, illa est Esther, quæ præter commune Regis Assueri, id est Domini Dei nostri mandatū, in ipsius adspectum veniens, non solùm non fuit, vt rea mortis, occisa, sed potiùs audiuit: *Quid habes Esther? ego sum frater tuus, noli metuere, non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.*

Genes 47. Exod. 3. Iudic. 6. 1. Paral. 22. Psal. 92. Ezech. 43. Esther 5. Esther 15.

Apis pulchra similitudo.

In Deiparâ nimirum accidit quod Aristoteles, aliique rerum naturalium periti, ferunt de apibus, quæ si aculeos suos infigant in carnem mortuam, integros extrahūt; sin verò in viuam, illos amittunt ac emoriuntur. Nam tametsi dæmon & peccatum aculeos suos infixissent in omnes homines, qui ante B. Mariæ Conceptionem nati susceptique fuerant, eosdemque illæsos retraxissent, vbi tamen concepta fuit viuentium atque vitæ ipsius mater, illique spiculum suum ingerere conarentur, non modò nihil effecere, sed & aculeos suos amisere, & victi succubuere. Verè ergo illud Paulinum, quod Apostolus in Christi gloriam protulit, matri eius accommodare liceat, & vel altissimâ voce exclamare: *Absorpta est mors in victoriâ. Vbi est, mors, victoria tua? vbi est, mors, stimulus tuus?* Verè nimirum de illâ prædixit olim Deus: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius; ipsa conteret caput tuum.*

1. Cor. 15. Genes. 3.

16. Secundo loco Angeli Deiparam comparant Lunæ pulchritudini, quæ iuxta Ecclesiasticum, cùm perfecta est, lucet in diebus suis. *Pulchra, inquiunt, vt Luna.*

Eccli. 50.

Tunc pulchritudini B. V. assimulatur ob virtutum præstantiam.

Non enim solùm omni ex parte, vt hactenus probatum est, peccatum deuicit, sed omnem atque plenissimam insuper gratiam acquisiuit, vt meritò haud alio nomine à Gabriele Archangelo, imò à SS. Trinitate, cuius ille verba in legatione suâ deferebat, compellata atque salutata fuerit quàm *gratiâ plena*, quasi hoc idem fuerit ac *Maria*, vt nonnulli Patres exponunt, qui aiunt, congregationes aquarum dictas esse *maria*, congregationes verò gratiarum *Mariâ*. D. Bonauenturam solùm audiamus, loquitur is pro reliquis opuscul. de Laudibus Virginis Cap. 6. in hunc modum: *Plena est Maria inundatione gratiæ in affectu, tanta nempe inundatio gratiæ, tanta profunditas & magnitudo fuit in Mariâ, vt ipsa benè mare plenum dici posset, iuxta illud: Tonet mare & plenitudo eius; sicut in mari aquarum, sic in Maria sunt congr[illegible]nes gratiarum. vnde scriptum est: Congregationesq; aquarum appellauit mária. Dicitur quoque in Ecclesi. Omnia flumina intrant in mare: omnia flumina sunt omnia gratiarum dona quæ intrauerunt in Mariam.* Hanc tum nominis tum rei excellentissimam prærogatiuam Doctores sacri miris extollunt laudibus. S. Bernardus ad Canonicos Lugdunenses ait: *Magna fuit sanctificatio Ieremiæ, quâ potuit vitare faciliter culpam mortalium: maior sanctificatio Ioannis Baptistæ, quâ potuit vitare frequentiam venialium: maxima Virginis Mariæ, quâ potuit vitare imò vitauit omne peccatum.* D. item Hieronymus inquit: *Totam repleuerat eam Spiritus sancti gratia, totam incenderat eam diuinus amor, ita vt etiam in eâ nihil esset mundanum quod violaret affectum, sed amor continuus, & ebrietas perfusi amoris.*

In Sermonib.

En primum gratiæ genus, quo Maria in gratiâ fuit confirmata. Hoc maximum est Sanctorum beneficium quod in morte consequuntur. Hoc Apostolicum priuilegium, quo Christi Apostoli, superueniente in illos Spiritu sancto in Pentecoste, dotati sunt, quod tamen primo suæ conceptionis instanti B. Virgini est communicatum: tantum namque tunc gratiis ac perfectionibus abundauit, quantum aliquis vmquam Sanctorum in mortis suę articulo virtutibus auctus fuit; adeò vt, vnde præcipui Beatorum finem meritorum auspicati sunt iam corpore mortui, illa Sanctorum Regina viuendi ac merendi exordium inuenerit: hoc est, tam sancta atque perfecta extitit primo suæ conceptionis instanti, quàm perfectissimus quisque Sanctorum vltimo vitæ suæ momento. Quò illa D. Hieronymi verba spectant: *Sicut in comparatione Dei nemo bonus, ita etiam in comparatione Matris Domini nulla inuenitur perfecta, quamuis eximia virtutibus comprobetur.*

Illius perfectionis initiū sanctius fuit maximi cuiusque Sancti.

alij namque omnes longè demissius suæ perfectionis culmen extruxerunt, quàm Deipara gratiarum fundamentum substrauerit, iuxta illa quæ in rarum B. Mariæ præconium Psalmœdus Dauid Euangelicusque Propheta Isaias vaticinati sunt. Dauid quidem inter ceteras eius laudes sic incipit: *Fundamenta eius in montibus sanctis*, hoc est, supra ipsos montes, siue Sanctos, qui per montes spiritualiter designantur (vt patet in Matthæo, vbi Christus Dominus discipulis suis dixit: *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita*) Mariæ inchoant fundamēta. Quod inter reliquos Auctores Scholasticos optimè comprobat R. P. Franciscus Suarez, qui vti sua ex Patrum ferè scriptis compilare est solitus, miram hisce facem præfert dum ait:

Psal. 86. Matth. 5.

Funda-

Part. 3. q. 27. disp. 4. art. 4.
Isaiæ 2.
Mich. 4.

Fundamenta eius in montibus sanctis, quia fundamenta sanctitatis Virginis posita fuerunt vbi alij Sācti consummantur. Isaias verò, dum inquit, *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes Gentes.* quæ eadem à Michæâ repetuntur. Nec verò dubium, quin hæc intelligi possint ac debeant de B. Virgine Mariâ, cùm ipsa domus illa Dei sit, ad quam glorificandam atque beatificandam confluunt omnes Gentes, vt ipsamet de se prophetata fuit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quam in rem appositè locutus est B. Gregorius Magnus, cùm ait: *Et erit præparatus mons in vertice montium. Potest huius montis nomine beatissima Virgo designari, quia gratia, quæ in aliis Sanctis fuit finis, illi initium seu fundamentum esse videtur.*

Luc. 1.
In 1. Reguм.

17. *In immensum quodammodo gratia Mariana excreuere.*

Quòd si tanta fuerunt gratiarum in B. Virgine fundamenta, quid dicendum erit, si inuestigare velimus earumdem incrementa, quid si complementa? Sunt hæc quidem ineffabilia, sunt incomprehensibilia, tamen vel breuiter à nobis, quantum facultas nostra suppeditat, hoc in loco opportunè explicanda. Aiunt Ecclesiæ sancti Patres, in immensum excreuisse gratias heroïcasque Mariæ virtutes, adeò vt si tantam gratiam habuerit conceptionis suæ principio, quantam quiuis Sanctorum vltimo vitæ suæ momento, ipsaque eidem gratiæ semper, quantum potuit, fuerit cooperata, necesse sit per singula momenta ingentissimum illam fecisse profectum. Hoc vt aliquo modo adumbremus, computum huiusmodi instituere possumus. Primo momento sanctior fuit Sanctis vniuersis, eidemque gratiæ cooperata, eam ad minus per singula momenta meruit duplicare. Si duplicari instanti secundo, & tertio iterùm duplicari, id est quadruplicari, quarto vtique momento octuplicari oportuit, quinto iterùm duplicari, vt decies sexies iam aucta fuerit, atque sic deinceps per menses, per annos & lustra, luna euaserit plenissima. Cumque Luna Ecclesiam Catholicam atque Sanctorum vniuersitatem designet, meritò B. Virgo Lunæ plenæ comparatur, eò quòd maiorem in se lucem & Sanctitatem contineat quàm reliqui omnes simul Sancti.

18. *Luna Ecclesiam S. designat.*

Quòd verò Luna sanctam Ecclesiam designet, ignorare neminem arbitramur. Hoc è Patribus testati sunt *a* Tertullianus, *b* S. Ambrosius, *c* S. Hieronymus, *d* S. Augustinus, *e* S. Gregorius, ac *f* Rupertus: quoad Scripturas verò adiri & legi possunt Expositores illi, qui explicant, ac in rem præsentem adducunt sequentia loca, Genes. 37. Psal. 8. 10. 71. 84. 103. 135. Iob. 5. Cant. 6. Luc. 21. 1. Cor. 15. Eccle. 12. Habac. 3. Apoc. 12. &c. Nam sicut Luna à Sole mutuat lumen, ita illa à Christo iustitiæ Sole. Sicut Luna noctem illustrat, ita sæculi istius tenebras illuminat Ecclesia, Sicuti Luna terræ influentias dirigit, fructus fecundat, aërem serenat, aquas exundat, humanum corpus sanat; ita etiam Ecclesia sancta gratias diuinas per Sacramenta influit & communicat, per prædicationes animas frugiferas facit, per bona exempla tenebrosas hominum mentes illuminat, virtutes in perfectis exuberat, & vniuersum hominum genus ad salutem æternam adaptat. Quæ sicut in Lunâ in contrarium possunt inflecti, sic & in Ecclesiâ, cui tam ligandi quàm soluendi potestas à Redemptore Christo fuit data. Hæc iam nostro proposito applicabimus.

a De Resurrectione.
b De initiat. virg. & lib. 4. Hexaëm.
c Super c. 66. Isaiæ.
d Epist. 70. & 119. lib. 18 de Ciuit. c. 32 & super Psalmum 10.
e Lib. 17. Moral. c. 8.
f Super Cantic. 6.

19. *Deipara Virgo plures habuit gratias quàm omnes simul Sancti.*

Asserimus, ideò B. Virginem Ecclesiæ, quæ spiritualis Luna est, comparari, quòd omnes omnium Sanctorum gratias atque perfectiones in se vnâ ipsa contineat. Testes eius veritatis sunt plurimi. D. Bernardus in hæc verba, *Et in plenitudine Sanctorum detentio mea,* sic inquit: *Verè in plenitudine Sanctorum detentio Virginis Mariæ, cui non defuit fides Patriarcharum, spes Prophetarum, zelus Apostolorum, constantia Martyrum, sobrietas Confessorum, castitas Virginum, fecunditas coniugatarum, sed nec ipsa puritas Angelorum.* Et in Ecclesiasticum 24. *Ideò in plenitudine Sanctorum Mariæ detentio fuit, quia in mirificâ perfectione suâ, plenitudo perfectionis omnium Sanctorum illi non defuit.* S. quoque Hieronymus ait: *Ceteris virginibus per partes præstatur gratia, Mariæ verò se totam infudit gratiarum plenitudo quæ fuit in Christo, quamquam aliter & aliter; quia in Christo fuit plenitudo gratiarum tamquam in homine personaliter definito, in Mariâ verò vt intemplo singulariter consecrato. Vel aliter: In Christo fuit plenitudo gratiæ sicut in capite influente, in Mariâ verò sicut in collo transfundente.* Si in collo transfundente, ergo necessarium videtur, non posse ad reliqua corporis seu Ecclesiæ membra aliquid gratiarum peruenisse, nisi Maria eius particeps facta sit, ac per illam transierit. Quantum autem ad id spectat quòd sacratissima Virgo Maria plures sola gratias quàm omnes simul Sancti obtinuerit, clara est multorum doctrina. De quo inprimis audire liceat Onuphrium Manescal. auctorem grauem qui serm. de Annuntiat. B. Virginis ait: *In dubium verti potest, an gratia Virginis Mariæ sit maior gratia reliquorum Sanctorum, etiamsi simul reliqui Sancti sumantur: respondendum mihi videtur, tantam communicasse Deum optimum maximum gratiam Virgini Mariæ, vt hæc maior appareat, quàm gratia reliquorum omnium Sanctorum.* Cui pariformia sunt quæ habet Venerabilis Bernardinus de Busto lib. de Annuntiat. serm. 5. *In tantum* (is inquit) *fuit Maria præ maximâ gratiæ plenitudine ponderosa, quòd si ipsa sola in vnâ staterâ poneretur ex vnâ parte, & ceteri omnes Sancti, tam noui quàm veteris Testamenti, & omnes Angeli in aliâ, ipsa ampliùs ponderat.* Quæ ne quisquam absque fundamento dicta aut absque discussione prolata causetur, aduertat quid hac de re scribat eximius Theologus P. Franciscus Suarez Comment. 3. p. ad. q. 37. *Accedit,* inquit, *quòd cùm ante 20. annos in Academiâ Salmanticensi rogatus à grauibus viris quæstionem hanc disputare, atque definire fuerim aggressus, cumque hanc in sententiam valdè propenderem, rei nouitate detentus, eam proprio iudicio ac sententiâ definire ausus non fui, donec Doctores sapientissimos, & in rebus Theologicis valdè versatos consului, quibus omnibus pia atque probabilis hæc sententia visa est.* Ita R. P. Suarez; quem etiam secutus est eruditissimus Barradius, qui & lib. 6. Cap. 10. in Concordiam Euangel. alios citat qui eamdem doctrinam profitentur, prout & fecit P. Henricus Henriquez lib. de Fine hominis Cap. 10. P. Ioannes de Carthagenâ lib. 5. Homil. Homil. 7. & alij recentiores. Neque desunt antiquiores, vt videri potest ex Mauritio de Vitâ Deiparæ in Vitâ S. Thomæ Cantuariensis, qui ex diuinâ sibi factâ reuelatione sic loquitur: *Maiorem gloriam habet ipsa*

In Sermonib.
Probatur ex Scholasticis.

ipsa sola, quàm omnes simul Angeli & Sancti. & Venerabilis Guilielmus Parisiensis in Rosario aureo ait: *Si gratiæ omnium Sanctorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium electorum, etiam comprehensis nouem Ordinibus Angelorum ponerentur in vnâ staterâ, & sola gratia huius Virginis in aliâ, multò grauior appareret.* Quid plura? S. Petrus Damianus Serm. de Assumptione: *Inter*, inquit, *animas Sanctorum & Angelorum choros supereminens & euecta, merita singulorum & omnium titulos antecedit.* ait ibidem superare Virginem alios SS. in gratiâ, sicut Sol in luce & claritate stellas; tandemque sic loquitur: *In illâ inaccessibili luce perlucens, sic vtrorumque Spirituum hebetat dignitatem, vt sint quasi non sint, & comparatione illius nec possint, nec debeant apparere.* D. prætereà Laurentius Iustinianus, *Meritò*, ait, *quidquid honoris, quidquid felicitatis habebatur in singulis, totum abundat in Virgine, hinc SS. admiratio de Mariâ.* Finiamus Patrum hacce de opinione sententias, & cum S. Bonauenturâ in Speculo Virgin. Sacratissimam Deiparam Virginem alloquamur: *Tu immensissima Maria capacior es cælo, quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti; tu capacior es mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo; si ergo Maria tam capax fuit ventre, quantò magis mente? & si capacitas tam immensa, fuit gratiâ plena, oportuit vtique, quòd gratia illa, quæ tantam implere potuit capacitatem, esset immensa; quis immensitatem Mariæ potest mensurare? ecce quod dicitur Ecclesiast. 1. Altitudinem cæli, latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? cælum est Maria, terra est, abyssus est, quis cæli altitudinem, quis huius terræ latitudinem, quis huius abyssi profunditatem, quis inquam Mariæ immensitatem dimensus est, nisi solus Deus, qui ipsam non solùm in gratiâ & in gloriâ, sed etiam in misericordiâ, tam altam, tam latam, tam profundam operatus est?* Plura huiusmodi apud eundem & alios Sanctos inuenies; sed plusquam sufficienter ex dictis clarum est, probabilissimum, probatissimumque haberi, plures Mariam gratias, adeoq; maiorem gloriam, quàm vniuersos iunctim alios Sanctos, fuisse adeptam.

20. *Probatur & ex Scripturâ.* Ne pigeat, quæso, laboris, inspiciamus quæ eam in rem è Scripturâ B. Virgini applicat sancta mater Ecclesia, idque sancti Spiritus directione gubernata. Sub officio diuino nimirum hæc ei tribuuntur: *Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificatâ similiter requieui, & in Ierusalem potestas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hereditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea.* (Eccli. 24.) Explicemus paullum quæ videntur inuoluta, & rem totam probatam habebimus. *Sion* inprimis significat Ecclesiam seu Sanctos noui Testamenti: nam & in monte Sion institutum fuit sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quo adunata sunt & pascuntur membra Ecclesiæ; & ibidem effusus est Spiritus sanctus die festo Pentecostes, cuius instinctu & virtute promulgata fuit fides Catholica, ac per orbem vniuersum ab Apostolis disseminata. *Ciuitas* autem *sanctificata* vrbem Ierosolymitanam designat, iuxta id, *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi.* (Matth. 4.) Neque per Ierusalem solùm significatur materialis ista Iudæorum ac Synagogæ ciuitas, sed congregatio quoque hominum, quæ ex tribulationibus huius mundi in cælestem gloriam est assumpta, quemadmodum id ex Hymno illo constat, quo Ecclesia in Dedicationum solemnitatibus vtitur. *Populus* verò *honorificatus* est cœtus Angelicus, qui idcircò sic appellatur, quòd honore suo ac gratiâ numquam exciderit, prout excidit natura humana, de quâ dicitur: *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* (Psalm. 49.)

21. *Concluditur ex dictis B. Virginē gratias, priuilegia, & gloriam reliquorum SS. obtinuisse.* Cùm ergo sub gloriosissimæ Virginis personâ Ecclesia canit, sese in Sion, id est nouo Testamento, firmatam esse, & in ciuitate sanctificatâ, hoc est antiquo Testamento, requieuisse, hominum glorificatorum obtinuisse potestatem, radicesq; inter Angelorum choros protendisse, non significat aliud, quàm ipsam omnium Sanctorum gratias, virtutes ac priuilegia esse complexam. vnde concinnè admodum sequitur, *Et in parte Dei mei hereditas illius*; id est, istius cuiuslibet membri enumerati, siue Sanctorum veteris Testamenti, siue noui, siue cælestium hominum siue spirituum hereditas tantummodò consistit in parte Dei ac partiali eius gratiâ; sed *in plenitudine Sanctorum detentio mea*, id est, mea hereditas est tanta quanta Sanctorum vniuersorum simul, egoque tam amplam habeo in diuinis charismatibus, prærogatiuis, ac aliis quibuscumque Dei gratiis possessionem, quantam habet omnis vnâ cælestium tam Angelorum quàm hominum corona. Quibus quia tam insigniter, atque incessanter, Deipara ac Christi Sponsa cooperata fuit, sic eumdem allocuta est: *In portis nostris omnia poma, noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.* (Cantic. 4.) & de se alibi ita loquitur: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei: in me gratia omnis viæ & veritatis; in me omnis spes vitæ & virtutis.* (Eccli. 24.)

22. *Quot laudes quanta Patrū encomia de B. Virgine Maria.* O si mihi liceret hoc in loco omnia illa sanctorum Patrum testimonia proferre, quibus ingentem, quæ in Deiparâ Virgine inuenta est, gratiæ plenitudinem efferunt & exponunt, quilibet certè videret, omnes quotquot ferè Doctores Catholici scripserunt, inter se certasse quis id perfectiùs faceret! Sed temperandus est noster atque illorum zelus, & calamus vel inuitè reprimendus, ne dum copiositati studeo, tædiosus nimiùm efficiar: aliquot tamen hic apponere tum pietas tum necessitas suadent. S. Bernardus, dum Salutationem Angelicam explicat, inter cetera ita scribit: (Hom. 3. de Laudib. Virg. matris, super Euangeliū, *Missus est.*) *Legimus in Actibus Apostolorum, & Stephanum plenum gratiâ, & Apostolos fuisse repletos Spiritu sancto; sed longè dissimiliter in Mariâ; alioquin nec in illo habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter, quemadmodum in Mariâ; nec illi conceperunt Spiritum sanctum quomodo Maria. Quid mirum si gratiâ plena erat, cum quâ Dominus erat? Præuenit suum nuntium ad Virginem quam amauerat, quam sibi elegerat, cuius decorem concupierat.* Petrus Chrysologus Archiepiscopus Rauennas inter cetera sic ait: (Serm. 140. de Annunt. Dominicâ.) *Facta est verè nunc mater viuentium per gratiam, quæ mater antè extitit morientium per naturam. Quantus sit Deus, satis ignorat ille qui huius Virginis mentem non stupet, animam non miratur. Pauet cælum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit: & vna puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, vt pacem terris, cælis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cælestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium pro ipsâ domûs exigat pensione, pro ipsius vteri mercede conquirat,*

rat, & impleat illud Propheta: Ecce hereditas Domini, filij; merces, fructus ventris. Et pòst: *Quia singulis gratia se est largita per partes, Mariæ verò simul se totam dedit gratiæ plenitudo. Omnes, inquit Euangelista, de plenitudine eius accepimus. Verè benedicta, quæ fuit maior cælo, fortior terrâ, orbe latior: nam Deum, quem mundus non capit, sola cepit. Portauit Deum, qui portat orbem: genuit Genitorem suum, nutriuit omnium viuentium nutritorem.* S. Ambrosius: *Maria benedictionis nouam formulam mirabatur, quæ nusquam lecta est, nusquam antè comperta, soli Mariæ hæc salutatio reseruabatur. Benè enim sola gratiâ plena dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, vt gratiæ repleretur auctore.* Augustinus: *Descendit Angelus de cælo, missus à Patre Deo in nostræ redemptionis exordium, ad beatam salutando Mariam. Aue, ait, gratiâ plena, Dominus tecum. Impleta est ergo gratiâ, & Heua vacuata est culpa. Maledictio Heuæ in benedictionem mutatur Mariæ,* &c. Maxima sunt hæc, maiora tamen quæ adiungemus, vtpote quæ declarabunt, sanctissimam Dei Genitricem ita perfectam extitisse, Lunam ita plenam tandem effectam fuisse, vt maius gratiarum lumen accipere, sanctior vel gloriosior effici nequiret; hoc est, vt iuxta statutum à Deo ordinem non posset ex naturæ decentiâ ampliorem seu vlteriorem B. Virgini Deus gratiam conferre: quod tamen (ne quis hæreticus hoc audiens cauilletur) diuinæ omnipotentiæ non modò nihil detrahit, sed vehementer eam extollit; nam defectus amplioris perfectionis & gloriæ non fuit ex parte potestatis diuinæ quæ gratias eiusmodi cõfert, sed ex parte Mariæ recipientis; quæ, quandoquidem creatura esset, non erat capacitatis infinitæ, sed finitæ ac limitatæ. Quam in rem, pulchram olim similitudinem excogitauit S. Basilius, de Marianis laudibus sermonem instituens: comparat enim Mariam ingentissimo vasi, Deum verò mari infinito. Quare, Quemadmodum, inquit, vas aliquod, quod limitatam habet circumferentiam, non potest ampliùs quàm secundùm eamdem adimpleri, tametsi mari insint adhuc aquæ, quibus infinita alia similiter vasa implerentur. Hoc planè modo in Deiparâ Virgine actum, quæ respectu quidem ceterorum omnium Sanctorum & hominum & Angelorum, vas fuit longè capacissimum, & omnino immensum, fuit tamen Dei respectu, qui mare est infinitum, veluti vas aliquod limitatum; cui demum defuerit locus gratias diuinas vlteriùs recipiendi. Sed quid opus erat à Lunæ comparatione recedere, cùm Luna plenior esse nequeat, neque lumen ampliùs recipere possit, quàm sese diffundat eius circumferentia, licet Soli non tantùm possibile foret Lunam, sed & totum cælum, si tantæ, ac illa, luminis recipiendi esset aptitudinis, illustrare; nec tamen minor Lunæ capacitas Soli propterea præiudicat, sed eum maioris esse claritatis & amplitudinis ostendit, quàm vt possit ab astris inferioribus comprehendi. Nec aliter in beatissimâ Virgine, Dei respectu, res contigit, quæ non ideò ampliorem ab illo gratiam recipere nequiisse dicitur quòd Deus hanc vt conferret non haberet, sed quòd illa, vtpote creatura, & limitatæ conditionis, non ampliùs posit recipere. Pulchra ad hoc propositum verba habet Venerabilis Doctor Ecstaticus Dionysius Carthusianus lib. 1. de Laud. Virginis ita scribens: *Sanctitate Virgo maior esse non potest, non quia Deus absolutâ suâ potentiâ ampliorem, nedum Virgini, sed aliis quoque præstare possit, sed nec decet, neque vtique fiet. Sanctitate ergo Mariæ maior sub creatâ filij eius sanctitate intelligi esse nequit: tum quia neque in præsenti vitâ eius sanctitatis magnitudo ad plenum comprehendi valet, etiam quam in terris adepta est. Incomprehensibilis enim (vt ait Ambrosius) incomprehensibiliter operabatur in Matre; tum quia ampliorem alicui impertiri neque decet, neque continget.* & rursum: *Quoniam Mariæ sanctitas quodammodò iuxta præostensa, infinita est.* Id vt faciliùs credatur notanda sunt quæ habent Andreas Cretensis de dormitione B. Virg. & Euthymius de zonâ eiusdem. *Si quid*, aiunt, *quod nos superat, in eâ diuina operata est gratia, nemo miretur, intuens ad nouum & ineffabile quod in eâ peractum est mysterium, ab omni infinitate infinities infinitè exemptum.*

Serm. 143.

In cap. 1. Lucæ.

Luna adeò tandem plena effecta est, vt eam crescere ampliùs non deceret.

Similitudo vasis adducitur.

imò ipsius Lunæ.

His iam solidissimè præstructis, computum faciamus, quomodo ad innumerabilem atq; creaturis incomprehensibilem meritorum cumulum B. Virgo Maria peruenerit. Diximus superiùs, illam primo suæ Conceptionis instanti plus gratiæ ac perfectionis accepisse, quàm vllus alius Sanctorum, quantùmcumque fuerit in vitæ suæ termino sanctitate excellsissimus. Docuimus insuper, per singula momenta Deiparam eidem gratiæ fuisse cooperatam, ad duplum semper suâ feruentissimâ cooperatione promeruisse, vt antè Filij sui adhuc Incarnationem iam esset gratiâ plena maria, imò maria gratiarum, hoc est, ingentia meritorum ac perfectionum maria in se contineret. Quid ergo tunc factum? Tam copiosam ex iam tunc gratiam possidebat, vt illâ non terram solùm, sed & cælum peruolaret, ad eumque pertingeret, quem ad humanam perficiendam salutem è cælis in terram pelliceret. Inquit enim Archangelus Gabriel: *Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Deum.* Sed quam gratiam? *Ecce, ait, concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Neque tantùm Dei Filium, sed Spiritum quoque sanctum, atque adeò ipsius Dei infinitam virtutem ad se pertraxit, sicuti idem Gabriel Archangelus paulò pòst ipsi asseruit, dum inquit: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ecce quantâ gratiâ plenam. Nondum Dei Filius in eius vtero carnem assumpserat, & adeò gratiâ repleta dicitur, vt Spiritus sanctus supra illam, & Altissimi virtus circumcirca illam (non intra, vtpote iam antè plenam) superuenturi dicantur, prout D. Bernardus mellifluo pro more suo in Sermonibus Marianis exponit. 23.

Computus instituitur, ex quo facilè videtur immensitas meritorum Marianorum.

Luc. 1.

Indubitatum itaque sit, quod etiam omnes Auctores asserũt, Mariam obtinuisse per Filij sui & Dei Conceptionem iterùm immensò maiorem & copiosiorem gratiarum & diuinorum charismatum multitudinem. Si enim in nobis, qui solummodò de hac Incarnatione participamus per eam, locum habet illud Pauli, *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* quantò copiosiùs in illam gratiæ effectus refudit, à quâ corpus ac sanguinem, quo ceteros homines redimeret, accepit? Hinc Petrus Rauennas, seu potiùs S. Bernardus: *Maria proprium peccatum non habuit, & ab innocentissimo corde, eius præsentia longè fuit. Nihil vmquam cogitauit, locuta vel operata est, de quo oporteret eam aliquando pœnitere.* 24.

Per Verbi diuini Incarnationem qualiter aucta Maria gratia.

Roman. 8.

Serm. de Natiuit. B. Virginis.

tere. Gradum tamen plenioris sanctitatis in Conceptione Filij sui habuit, vt videlicet plena gratiâ esset, & in gratiâ confirmata. Nec Catholici modò, verùm & hæretici ipsi, eapropter Mariam maximi fecere, quòd digna esset fieri mater Dei. Præter enim illa quæ suprà ex Luthero & Turcico Alcorano protulimus, hoc ipsum confirmare possunt, quæ Oecolampadius, quæ Bulingerus, quæ Bucerus conscripserunt. Oecolampadius ait: *Numquam de me audietur, quasi aduerser Mariam, erga quam minùs benè affici, reprobatæ mentis certum indicium existimem esse. Nollem de cultu Mariæ aliquid deminui, modò cultui diuino decedat nihil. Sicut homini communicantur omnium creaturarum dignitates, ità ista omnium humanarum excellentiarum particeps fuit.* Bulingerus verò: *Omnia in Mariâ excellentissima sunt, nihil humile, nihil ordinarium; omnia manus diuinæ miracula.* Denique Bucerus: *Pius animus de Mariâ non nisi sanctissima cogitabit, quia Dei nimirum matri digna sunt.*

Suprà n. 5. *Testimonia ipsorum hæreticorum.* Ser. de Laudando Deo in Mariâ.

Serm. de B. Virgine.

In Matthæū.

25. *Quãto tempore Maria virtutes cumularit.*

Sed pergamus. Annis vixit B. Virgo, vt communiter opinantur Scriptores, circiter sexagintatribus, quindecim nimirum ante Filij Conceptionem, triginta tribus tempore vitæ eiusdem, & quindecim post illius mortem, quibus & continius rarisq; Dei beneficiis per singula instantia ad omnem perfectionem fuit promota, & tertiò à Spiritu sancto rursum de nouo velut perfectior effecta est: primùm, cùm in Conceptione suâ planè ab eo adimpleta est; secundò, cùm in Incarnatione Saluatoris tota ab illo fuit circumfusa; tertiò, cùm die Pentecostes super omnes Apostolos, vtpote illorum Domina ac Magistra, per ipsum abundantissimè est superimpleta: vnde tandem meritorum copiâ, ac præcipuè charitatis violentiâ, sanctissima eius anima corporis sui seu carceris fores effregit, atque in cælorum, quorum ipsa designata erat Regina, palatium euolauit. Ibi à Filio suo Christo, Patreque æterno, cuius erat primogenita, ac Spiritu sancto quem sponsum habebat, admirabili triumpho recepta, ad Redemptoris dexteram locata fuit, vt, quemadmodum statim exponemus, electa foret vt Sol. De gloriosâ verò hac Deiparæ assumptione, quæ mox post triduum secundùm corpus accidit, non est nostri modò instituti verba facere: sed solummodò hìc obiter annotatum volumus, tantam in æternum ipsius futuram gloriam, quanta fuit in terris gratia, seu gratiæ potiùs cooperatio, atque adeò, quò noster scopus tendit, ipsam præ reliquis omnibus solam efficacissimè pro defunctorum in Purgatorio animabus, vt inde tempestiuiùs liberentur, intercedere posse. Id verò videre clariùs haud possumus, quàm si vlteriùs ostendamus, Deum ei omnem, quam potuit, gratiam contulisse.

26. *Doctor Angelicus ait Deum non potuisse perfectiorem facere Matrem quàm ipsa fuerit.*

Sanctissimus Doctor Angelicus, *Dicendum,* inquit, *quòd humanitas Christi ex hoc quòd est vnita Deo; & beatitudo creata, ex hoc quòd est fruitio Dei; & beata Virgo, ex hoc quòd est mater Dei; habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus: & ex hac parte non potest aliquid melius fieri eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo.* O eximiam B. Mariæ laudem à tanto Doctore profectam! ô, inquam, excellentissimam matris Dei gloriam! An aliquid perfectionis in illâ deesse decebat, quæ mundo ipsam perfectionem genuerat? An poterat Filius gratiarum aliquid posse conferre quod non contulit? Certè nihil. vnde & vt suprà aliquorum sententia est, Mariæ nihil addi potuisse, sed Deum in illâ extremum suæ omnipotentiæ exercuisse; quod ex diuersis antiquæ Legis & noui etiam Testamenti locis declarant. Vnum ex vtroque proferemus. In antiquâ primùm Lege reperitur, Deum Moysi præcepisse vt varia Templi vasa ex auro purissimo fieri curaret, quæ in formas quasdam transfusa, facili labore conficerentur; candelabrum verò, in quo septem lampades constituendæ erant, aureum esse voluit, nec solùm opere fusili, sed ductili, magnâ industriâ elaborari. Per idem candelabrum Beatissima Virgo, vt Doctores ferunt, designatur, quæ collocata fuit à Deo in templo & tabernaculo Ecclesiæ Catholicæ, prout Moyses istud collocauit in tabernaculo Synagogæ, & super quod accensæ fuerunt septem Christi lampades, id est dona Spiritus sancti, iuxta Isaiam: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Hujusmodi ergo candelabrum quoniam magno labore malleo paulatim effigurari debuit, cùm alia Templi vtensilia non nisi faciliter ex auro fundi iussa essent, apertè demonstrat, Deiparam Virginem non vt aliæ creaturæ rationales leui Dei manu esse productam, sed industriâ ac magnâ virtute pedetentim efformatam fuisse, ita vt in illâ extremum suæ potentiæ adhibuerit. E nouâ verò Lege aliud adducere non est opus, nisi ipsiusmet B. Mariæ de seipsâ testimonium, quippe quæ explicare volens quantam in sui perfectionem operam Omnipotens adhibuisset, ait: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est.* & infrà: *Fecit potentiam in brachio suo.* reuerà enim leue Deo fuit, quidquid in creandis ceteris rebus vmquam laboris impendit. Atque hoc est alterum elogium quod Angelici spiritus de Reginâ suâ dixerunt, *pulchra vt luna,* vtpote quæ gratiarum plena fuit in primo suo ortu, plenior in suo partu, & plenissima in suo exitu: ad tertium, quod est, *electa vt sol,* transitum facimus.

Declaratur insigni figurâ. Exodi 25.

Isai. 11.

Probatur ex verbis ipsius B. Virginis. Luc. 1.

27. *Maria Ecclesia triumphantis Regina ostenditur.*

Vidimus hactenùs, quo modo inferorum principis caput Maria contriuerit, quo modo omnes terrenorum gratias superauerit; inspiciendum, qualiter etiam cælestium Domina & cælorum Regina constituta sit. Memorem fore Lectorem arbitror eorum quæ præcedenti Capite de Christi regno scripsimus, eum videlicet à Patre suo æterno Regem constitutum fuisse super omnes Sanctos, atque in nomine ipsius omne genu esse flectendum, cælestium, terrestrium, & inferorum; itemque regni eiusdem partem vnam, misericordiæ nimirum, Christum in matrem suam quoad executionem transtulisse, ac propterea eam Matrem misericordiæ appellari: verùm quia hoc Deo satis non erat, Mariam vlteriùs Reginam Sanctorum omnium, cælorumque ac terrarum Dominam creare voluit, id quod Angeli per solis comparationem designant, Electa vt sol: Sol autem iustitiæ Christus est. vt alia non sit Angelorum mens, quàm sicut Saluator noster ad hoc à Patre suo est electus, vt cælum & terram ineffabili suâ claritate illuminet,

Christo in regno quodammodò Deipara consors. minet, eaque veluti Rex dirigat; ita similiter electam esse eius matrem, vt vnà cum Filio idem regnum administret, & perfectionis suæ gloriæque radiis subditos omnes illustret. Hunc in sensum nonnulli hæc Psalmistæ verba exposuerunt: *Psal. 61.* *Semel locutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Deus etenim cùm semel locutus est, & omnia Filio in manus eius dedit, duo audita sunt, potestas Christi, & Deiparæ misericordia, quæ veluti verbum Dei, ex ore quoque diuino prodiisse ab Ecclesiâ dici- *Eccli. 24.* tur, dum per eam illi hoc applicatur: *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* *Genes. 2.* Fecit ergo Pater Filio, quod primo in mundi exordio fecerat homini, de quo cùm dixisset, bonum non esse hominem esse solum, adiutorium ei simile sibi dedit. Aut si hanc ad cæleste regnum Mariæ adoptionem Filio Dei adscribere lubeat, dicamus eum fecisse cum matre, quod Salomon egisse scribitur; ad quem dùm Bethsabee mater intraret vt aliquid pro Adoniâ impetraret, surrexit in occursum eius, adorauitque eam, & iussit matri thronum poni ad dexteram throni sui.

28\. Vt verò ampliùs explicare possimus quomodo in gratiæ & gloriæ regimine Deipara cum Fi- *Luc. 15.* lio suo participet, ipsa Saluatoris verba, quæ hanc in rem congruè exponi possunt, producemus. Hic vt se primùm hominum redemptorem declararet, declarationis posuit exemplum eius qui oues nonaginta nouem in deserto reliquisset, vt *Ex Euangelio allata probatio.* errantem vnam quæreret ac inueniret; quâ inuentâ, plus gaudij sit, quàm habetur in nonagintà nouem conseruatione lætitiæ. Ad quæ S. Hilarius: *Ouis vna homo intelligendus est, & sub homine vno vniuersitas sentienda est. Sed in vnius Adæ errore omne hominum genus aberrauit. Ergo nonaginta nouem non errantes, multitudo Angelorum cælestium opinanda est, quibus in cælo est lætitia & cura salutis humanæ. Igitur & quærens hominem Christus est; & nonaginta nouem relicti, cælestis gloriæ multitudo est, cui cum maximo gaudio errans homo in Domini corpore est relatus.* Cui alteram quoq; comparationem Christus statim adiunxit, vt matris suæ in eodem officio participationem notam faceret. *Aut quæ,* inquit, *mulier est, habens drachmas decē, si perdiderit drachmam vnam; nonne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter donec inueniat eam.* quasi dicat apertè, Quemadmodum ego sum pastor ille bonus, qui nonaginta nouem Angelorum reliqui, vt centesimam humani generis ouiculam quærerem, inuenirem, atque reducerem; ita vicissim mater mea dici potest hæc mulier, quæ sub potestate ac directione suâ habens drachmas decem, nouem videlicet choros Angelorum, ac vnam mortalium massam, vbi drachmam vltimam, in quam diuinitatis meæ imaginem ac similitudinem expressi, videt amissam, accendit lucernam, euerrit domum, ac diligenter eam inquirit donec inueniat. Tria hæc munia, quia clarè docent, quænam Christus matri suæ media designauerit vt gloriæ & regni sui dispendia secum repararet, perditosque homines ad regna cælestia reduceret, paulò diffusiùs, Lectoris in gratiam, & Deiparæ gloriam deducturi sumus.

29\. Primum est, quòd candelam accendat, hoc *Per accensam candelam* est, per Incarnationis merita peccatoribus in mortis vmbrâ sedentibus veritatis & pœnitentiæ lumen exhibeat. Quadrat vtique Incarnationis *mysterium Incarnationis declaratur.* mysterio hæc ipsa lucis accensio, in vtroque enim tria sibi valdè affinia reperiuntur: in candelâ, cera, lychnus, & lumen; in mysterio Incarnationis, Corpus Christi, eius anima, & Diuinitas. Cera Saluatoris Corpus, lychnus illius animam, & lux Diuinitatem designat. De cerâ res in primis est clara: quid enim aliud fuit purissima Deiparæ caro, de quâ Spiritus sanctus Christi corpus formauit, quàm cera illa, quæ de rore cælesti ac floris virginei illibatâ substantiâ fuit confecta? Numquid B. Maria, veluti apicula, de carne suâ, haud secùs quam de flore terræ, rosâ inquam seu lilio, mysticum Spiritus diuini rorem in se collegit, vt corpus illud Saluatoris immaculatum tam- *Cera significat corpus Christi.* quam ceram efformaret? Reuerà ita est, atque proinde in illâ dici possunt completa esse verba Patriarchæ Isaaci Iacobo filio suo benedicentis: *Det tibi Deus de rore cæli & de pinguedine terræ abundantiam.* quò & spectauit antiquorum Patrum ac *Genes. 27.* Iudæorum votum, dum inclamarent: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, &* *Isai. 45.* *germinet Saluatorem.* de quo Patrum desiderio aliquando adimplendo sic prædictum fuit: *Egredie-* *Isai. 11.* *tur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus,* &c. En florem, rorem, apem, ceram. Lychnus alteram humanitatis Christi partem, sanctissimam nimirum eius animam, significat, in quâ plura sunt quæ per lychni proprietates exprimuntur. Sicut enim lychnus est candelę medulla intus abscondita, ita anima quoque respectu corporis, iuxta illud: *Formauit Dominus Deus homi-* *Genes. 2.* *nem de limo terræ, & inspirauit,* id est, insufflauit siue intus flauit, *in faciem eius spiraculum vitæ & factus est homo in animam viuentem.* Deinde, quemadmodum cera nullum in se lumen recipit, nisi mediante lychno, cui, vt facilè ardeat, accōmodari debet; ita nec corpus luminis alicuius aut gratiæ spiritualis recipiēdæ capax est nisi per animam. Quinimmò, sicut lychnus ceræ quasi violenter includitur, eodem modo anima, quādiu est in mortali hoc corpore, velut carcere inclusa atq; abscondita detinetur. Nā *corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* *Sap. 9.*

30\. Accedit pręterea, quòd plerę que lychni condi- *Lychnus candelæ eius animam.* tiones animæ Saluatoris excellentias non parum elucidēt. Lychni perfectio est, vt ab omni labe ac sordibus sit immunis. Hoc in Christi animâ omnino est euidens, eam nimirum ob id excellentissimam haberi, quòd totius peccati & iniquitatis expers sit. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est in* *1. Pet. 2.* *ore eius dolus.* Solet etiam lychnum commendare si fortis sit, tum vt diutiùs duret, tum vt lumen copiosiùs subministret. quòd quàm perfectè iterùm in Christi animâ inueniatur, nemo est qui ignoret. Nam fuit illa adeò cōstans, vt non solùm tunc non cederet cùm tristis esset vsq; ad mortem, seu letali dolore vulnerata, verùm etiā post exantlata mille mortis supplicia, eamdem veluti immotam persistentem (alias, vt apparet, non exituram) dimittere oportuerit: nam non nisi Christo caput inclinante, & mortem quasi aduocante, spiritus eius emissus est. Sed & quàm copiosum candelæ prædictæ lumen eadem Deipara Virgo subministrari fecerit, ita est clarum, vt vlteriore luce nequaquam indigeat, imò & superuacaneum foret de hoc velle disserere, nisi in illo tertia Incarna-

 tionis

Lumen diuinitatem. tionis substantia versaretur. Lumen enim quod candelæ suæ B. Maria adhibuit, diuinam Christi naturam designat, de quo inprimis Ecclesia in Symbolo canit: *Et in vnum Dominum nostrum Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.* Pari quoque modo Saluator Patrem suum æternum compellans vt sese Diuinitatis suæ participes nos effecisse declararet, *Ego,* inquit, *claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum sicut & nos vnum sumus.* Et paulò antè: *Ego te clarificaui super terram: opus consummaui quod dedisti mihi, vt faciam: & nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te.*

Symbol. S. Athanasij. *Ioan. 17.*

31. *Domũ euertit, id est Ecclesiam purificat B. V. ac peccatores conuertit.* Alterum est, quòd euerrat domum, & diligenter quærat donec inueniat. Quid hoc est? num inferorum victricem, hominum mediatricem, Angelorum Dominam, cælorum Reginam, Dei Patris primogenitam, Filij Dei matrem, Spiritus sancti sponsam, purgandis euerrendisque sordibus destinabimus? Quid luci cum tenebris? quid puritati cum inquinamentis? quid innocentiæ cum peccatis? Multum quidem per omnem modum: vt nimirum illa dissiparet tenebras, quæ lumen accenderat; purgationem aliis faceret, quâ ipsa non indigebat; quæ à peccato erat immunis, aliorum peccata dissolueret. Et ideò non absque mysterio, quando in Verbi diuini conceptionem præbebat assensum, in huiusmodi verba prorupit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Dum enim Dei facta est mater, eiusdem simul ancilla effici meruit, vt electa esset vt Sol, qui in mundum venit non ministrari sed ministrare: qui in medio suorum, id est electorum, factus est ministrator: qui etiam in gloriâ cælesti faciet suos discumbere, & transiens ministrabit illis. Vnde quia ipsa quoque B. Virgo sat sciret quanta huius similitudinis esset prærogatiua & gloria, sic exclamat: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Quænam, quæso, tantæ lætitiæ tantæque exultationis occasio? *Quia respexit,* inquit, *humilitatem ancillæ suæ* (seu, vt alij volunt, *nihileitatem ancillæ suæ.*) tantæ namq; Mariæ virtutes fuerunt, vt Latinis vix congrua verba, quibus illas dignè exprimerent, sufficiant. Sed quid hoc est, sacratissima Virgo Deipara, quia respexit Deus humilitatem tuam ancillæ suæ, quòd idcircò anima tua Dominum magnificet, spiritusque tuus in Deo salutari tuo exultet? Immò sane: quia Deo seruire, regnare est. quia qui se humiliat, exaltabitur; & quantò quisque vult & disponit superimponere molem ædificij, quantoque maius futurum est ædificium, tantò altius fodit fundamentum.

Luc. 1. *Math. 20.* *Luc. 22.* *Luc. 12.* *Luc. 1.* *Marianam humilitatem Deus exaltauit.*

32. *In quo Mariã Christo similis fuit.* Hac quoq; in re filio suo Christo mater Maria est suppar. Quemadmodum enim ille propterea secundùm naturam suam humanam tantopere eleuatus fuit, quòd in terrâ adeò sese humiliasset; ita perinde circa Dei matrem actum esse deprehenditur. De Saluatore ait D. Paulus: *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloriâ est Dei Patris.* Item alibi: *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? Qui descẽdit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos.* Neque alia datur ratio, ob quam cælorum Regina sublimiter adeò glorificata atque exaltata fuit, quàm quia se præ ceteris omnibus hominibus humillimam & dixit & fecit ancillam; vt nullatenus mirandum sit, gloriosissimam Dei-parentem euerrendis peccatorum sordibus, expurgandisque peccatoribus destinatam esse: hoc enim, vt iam videre licuit, eam Dei Filio simillimam eiq; veluti consortem facit. quod quoniam præcipuam, quam habere aliqua creatura potest, gloriam continet, etiam sanctorum Patrum sententias inquiremus. Innocentius III. ita loquitur: *Oportebat, vt sicut per feminam mors intrauit in orbem, ita per feminam vita rediret in orbem: & ideò quod damnauit Heua, saluauit Maria, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret.* Et sub finem: *Ipsa est ergo aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Luna lucet in nocte, aurora in diluculo, sol in die: nox autem est culpa, diluculum pœnitentia, dies gratia. Qui ergo iacet in nocte culpæ, respiciat lunam, deprecetur Mariam, vt ipsa per Filium eius cor ad compunctionem illustret. Quis enim de nocte inuocauit eam, & non est exauditus ab eâ? Ipsa est mater pulchræ dilectionis, & sanctæ spei. Qui vero ad diluculum pœnitentiæ surgit, respiciat auroram, deprecetur Mariam, vt ipsa per Filium cor eius ad satisfactionem illuminet. Quis enim deuotè inuocauit eam, & non est exauditus ab eâ? Ipsa est mater pulchræ dilectionis, & sanctæ spei.* S. Bernardus pro more suo dulcissimè: *Curre Heua ad Mariam, curre mater ad filiam, filia pro matre respondeat, ipsa matris opprobrium auferat: ipsa Patri pro matre satisfaciat. quia ecce, si vir cecidit per feminam, iam non erigitur nisi per feminam.* S. Ephrem diffusiùs: *Immaculata, impolluta, incorrupta, pudica Virgo, Dei sponsa, Domina nostra, vnica spes desperatorum, oppressorum subsidium, & ad te currẽtium auxilium præsentissimum, omnium denique Christianorum profugium. Meam sordidissimam indignisq; labiis expressam orationem admitte, nec non tuum quidem Filium, meum autẽ herum & Deum, maternâ tuâ liberalitate volens exora, vt mihi quoque mitissima illa suæ pietatis viscera reseret; & posthabitis innumerabilibus peccatis meis, ad pœnitentiam me conuertat, probeq; sua mandata complere concedat.* Similia habent & reliqui Patres omnes, quorum verba huc adducere nec nostri est instituti, nec breuitati nostræ accommodum: hæc tamen describere voluimus, ne Marianas laudes abbreuiasse videamur, quas tam copiosè sancti Patres deducendas putarunt, atque vt eâdem operâ probaremus, quod in Euangelico textu pro tertio B. Virginis munio assignatur, dum nimirum dicitur, *Et diligenter quærit donec inueniat eam,* humanam nempe naturam, seu drachmam, quæ tum quoad infinitam culpam, tum quoad innumerabilem peccati pœnam deperdita erat. E quibus omnibus, quæ hactenus diximus, sat constat, Mariam Virginem esse vt Sol electam.

Philipp. 2. *Ephes. 4.* *Serm. 2. de Assumpt. Mariæ Virg.* *Maria & Heua dissimilitudo.* *Homil. 2. de Laudib. Virg. Mariæ super Euang. Missus est.* *In Oratione ad sanctissimam Dei Genitricem.* *Quanta Patrum in laudes B. V. acclamatio.*

Aggredimur postremum Angelorum de eadem selectissimâ creaturâ encomium, quod est, *terribilis vt castrorum acies ordinata* quorum verborum quamplurimę explicationes adferri possent, verùm nobis illa accommodatissima, & præsenti instituto appositissima videtur, quæ ait, describi hic potentiam, magnificentiamque & excellentiam regni Virginis Mariæ, quæ cælorum Regina iam antè proclamata fuit, quæ gratiarum 33.

Varia expositiones verborũ: Terribilis vt castrorum acies ordinata.

tiarum omnium tam Angelorum quàm hominum esse compendium & complementum patuit, quæ inferni, peccati & mortis victrix asserta est. Et meritò: quid enim dicendum superetat, quàm vt, descriptâ delineatâque tam eminente personâ, effectuum & auctoritatis eius sublimitas promulgaretur? Eximiè idipsum præstiterunt Angeli, dum eam dispositæ castrorum aciei assimilarunt, dixeruntque velut illam esse
Quia honoranda, eam terribilem; quæ vox in Scripturis præcipuè idem est quod magnificum, excelsum, honorandum.
Psal. 46. vt: *Quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex*
Psal. 110. *magnus super omnes deos.* &, *Sanctum & terribile nomen eius.* &,
Psal. 138. *Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es.*
Genes. 28. Iacob item Patriarcha, *Quàm terribilis est,* inquit, *locus iste! non est hîc aliud nisi domus Dei & porta cæli.* adeò vt B. Virgo Deipara, cùm terribilis dicta est, magnifica, excelsa honorandaque
Admirabilis, sit declarata. Vox item *terribilis* explicari potest vt sit idem quod admirabile, & quod ita est rarum atque insusitatum vt inde homines obstu-
Psal. 65. pescant. quo sensu Deus dicitur *terribilis in consiliis hominum*, quia per eos facit mirabilia, prout in eum locum commentati sunt SS. Hilarius, Hieronymus & Augustinus. Cælestes itaque spiritus, cùm Dominam ac Reginam suam dixerunt terribilem, significauerunt, Deum per ipsam mirabilia operari. Quod quia tam est cer-
Genes. 9. tum, vt nemo fidelium de eo addubitet, en ter-
Reuerenda. tiam expositionem, quæ est vt per *terribilis* innuatur timor quidam reuerentialis, prout terror filiorum Noë dicitur esse super animalia terræ; adeò vt, cùm Maria dicta est terribilis, edoceamur, vniuersas omnino creaturas erga hanc insignem reuerentiam commonstrare, eamque ab omnibus in honore haberi. *Terribilis* denique
Quia peccatores cogit ad pœnitentiam. dici posset Deipara, quòd peccatores Deoque rebelles in diuinum timorem, vt sese conuer-
Moral. lib. 17 cap. 13. tant, inducat: ipsa enim efficit quod S. Gregorius Papa scripsit: *Peccator quisque dum sola quæ terrena sunt cogitat, dum cor oppressum infirmis cogitationibus gestat, si repentè diuinæ gratiæ adspiratione tangitur, hoc ante omnia intelligit, quòd cuncta quæ agit, districtâ æterni Iudicis animaduersione puniantur.*

34. Terribilis denique vt castrorum acies Deipara
Quia dæmones reprimit. à cælestibus Geniis perhibetur, quòd dæmonibus ac vniuersis mortalium inimicis omnino tremen-
Prouerb. 30. da sit. De leone olim Sapiens dixit: *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum.* Ita sanè Virgo Maria fortitudinem atque potentiam talem à Deo accepit, vt non sit qui illius possit resistere potestati; nec inconcinnè de eâ intelligi possit
Psal. 75. illud, *Tu terribilis es, & quis resistet tibi?* quod de
Berosus li. 5. Deo cecinit Prophetes. Berosus refert, Semiramim Assyriorum Reginam sepulchro suo huiusmodi quid insculpi curasse: *Me natura quidem feminam finxit, ego verò meis gestis nulli fortissimorum virorum inferior steti.* quia videlicet annis quadraginta Assyriæ præfuit, Æthiopes deuicit, Indorum Regem profligauit, montes deiecit & solo æquauit, aquas denique è remotissimis regionibus adduxit, & per medios montes decurrere fecit. Quantò verò melius B. Virginis sepulchro
Semiramis cum D. ipar. virtute comparatio. insculperetur, *Me natura Auctor mulierem efformauit, quamquam viris omnibus fortior atque potentior steterim;* atque illud item, quod fortissimus Deus, eius filius, in sepulchri sui gloriam per Angelos denuntiauit, *Surrexit, non est hîc;* vt ipsius tum fortitudo tum potentia innueretur? Fortitudo quidem, quia maiori iure atque gloriâ laudem de illâ Mariæ quàm Semirami tribuere debemus; dum quæ ista corporaliter, hæc spiritualiter; quæ ista pro breui admodum temporis spatio, hæc pro totâ æternitate; quæ pro suâ illa personâ, hæc pro totâ Ecclesiâ triumphanter executa est. Assyriorum Semiramis fuit Regina; Apostolorum atque Christianorum Maria est Domina & Magistra. Deuicit illa Æthiopas, hæc dæmones. Fugauit ista Indos, hæc hæreticos, iuxta illud quod in diuino Officio Ecclesia de ipsâ recitat: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo.* Quin & montes solo æquauit Maria, fluuiosque per medios montes è longinquis partibus mirabiliter adduxit, cùm hoc apud Deum promeruit, vt verum foret quod S. Ioannes Baptista prænuntiauit: *Erunt praua in directa, & aspera* Luc. 3.
in vias planas; & videbit omnis caro salutare Dei. tunc enim, vt ipsamet B. Virgo dixerat, *deposuit* Luc. 1.
potentes de sede, id est, montes superborum solo æquauit, *& exaltauit humiles: esurientes impleuit bonis,* atque gratiarum fluuiis accumulauit. Potentia verò, quia nec ipsa mors contra ipsam præualere potuit, quin, sicuti vnigenitus eius tertiâ post sepulturam suam die à mortuis resurrexit, & ipsa, virtute sibi ab illo communicatâ, sepulchro relicto cælos conscenderit, mortisque vincula, & communem demortuæ carnis carcerem, quæ terra est, diffregerit. O morti terribilis Maria! terribilis inquam vt castrorum acies ordinata.

Meritò sanè cum Isaiâ de hac Deiparâ dicere 35.
possumus: *Et erit sepulchrum eius gloriosum.* Refert *Quàm gloriosū Mariæ sepulchrum.*
de Alexandro Plutarchus, quòd in eius sepulchro depictæ essent Africa & Europa, cum hac inscriptione: *Alexandri victoria.* Rex Cypri monumento suo insculpi curauit hæc verba: *Hic iacet Persarum debellator.* Themistoclis epitaphium fuit pictura generosorum ipsius factorũ, cum istâ inscriptione: *Memoranda facta Themistoclis.* Ab Hebræis Iosuæ sepulchro inscriptum fuisse narratur: *Sol contra Gabaon ne mouearis.* Nostro quoque sæculo Caroli V. summi illius Imperatoris monumento adscriptum fuit, *Plus vltrà*, quò omnibus inde cõstaret, hunc fuisse qui vltra consuetos nauigationis marinæ terminos vlteriùs esset progressus. Sed quid hæc sunt, respectu eius, quem sepulchro Beatissimæ Virginis inscripsimus, tituli, *Surrexit, non est hîc*? O sepulchrum gloriosum! in eam meritò Gentes sperabunt. Si quę homines insignem Reipublicæ suæ Principem aut defensorem nacti fuerint, in eum sperant, ipsi confidunt: ipso tamen moriente, hac se spe iam destitutos deprehen- *Vnde in eam Gentes spes occasionem habent.*
dunt. Non sic agitur circa Deiparam nostram: illa enim statim post obitum suum animâ & corpore ad cælos translata est, vt intercessionis suæ potentiam erga fideles clientes suos ampliùs ostenderet & magis demonstraret. Clamauit quandoque Psalmista: *Numquid mortuis facies mirabilia, aut Me-* Psal. 87.
dici suscitabunt, & confitebuntur tibi? Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam? De gloriosissimâ verò Deiparâ secùs docet Ecclesia, eam non solùm suâ tum sibi tum aliis subueniendi potestate propter mortem non fuisse priuatam, sed idcircò potiùs mortuam, vt suæ impetrationis efficaciam latiùs in mortales omnes effunderet, atque diffunderet. Mu-

nera nostra, precatur sancta Mater Ecclesia sub Missæ Officio in Vigiliâ Assumptionis Deiparæ, *Domine, apud tuam clementiam Dei Genitricis commendet oratio, quam idcircò de præsenti sæculo transtulisti, vt pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat.* Optimè sanè D. Augustinus: *Verâ ratione censeo confitendum, Mariam in Christo & apud Christum esse. In Christo; quia in ipso viuimus, mouemur & sumus: apud Christum; quia gloriosè ad æternitatem assumpta, benignitate Christi honoratiùs suscepta ceteris, atque ad communem vtilitatem non addicta post mortem putredini, videlicet vermi & pulueri.*

In cælos assumpta vt pro nobis oret.
Serm. de Annunt.

36. Ritè igitur Angelorum cohors Reginam suam, seu eius potiùs regimen, simile faciunt aciei castrorum ordinatæ, declaratura, omnia ipsius potestati ab Omnipotente esse subiecta, vt suos regere ac defendere perfectissimè & absolutissimè subditos posit, nec sit qui eius valeat resistere voluntati. Verè proinde huc applicari possunt illa Dauidis verba, *Factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion: ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium & bellum. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: turbati sunt omnes insipientes corde.* Quin & illa Salomonis: *Quid videbitis in Sulamite, nisi choros castrorum? Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis!* gressus enim Virginis victoriosissimæ in ortu suo, seu in mundum ingressu, contriuerunt caput serpentis: nunc iterùm in suo egressu, siue ad cælos digressu, frangit potentias arcuum, scutum, gladium & bellum. vnde in Sulamite hac nihil gloriosius videndum est, quàm clypeos castrorum. Vt mirari nemo debeat, in eodem Cãticorum libro sponsam à Sponso suo toties castris atque aciei assimilatam fuisse. *Pulchra es*, inquit, *amica mea, suauis & decora sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata.* &: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es!* & vt eius pulchritudinem describat, addit: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium.* Item hanc sponsa ipsa comparationem posuit: *Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Mysteria hic latentia enucleemus.

Psal. 75.
Cant. 7.
Vt pacē nobis impetret.
Cant. 6.
Cap. 4.
Cap. 8.

37. Mellifluus Scriptor Bernardus docuit, proptereà magnâ illâ Deiparæ festiuitate in Ecclesiâ recitari Euangelium, quo Iesus narratur intrasse in quoddam castellum, vt nimirum inde docerentur Catholici, Saluatorem, cùm gloriosissima eius Mater in cælum assumpta est, in illâ fortissimum quodammodò castrum posuisse, inque illud vniuersas gratiarum ac diuinorum suorum charismatum munitiones congessisse, quatenus ad hoc omnis, qui premeretur, aut ab hoste quocumque oppugnaretur, liberum haberet confugiendi aditum, nec minùs de Matris suæ nomine, quàm de suo proprio semper fuerat, verum foret illud, *Turris fortissima nomen Domini, ad illam confugiet iustus, & saluabitur.* Cuius rei si quis rationem aut fundamentum cognoscere velit, inspicere poterit communem Theologorum doctrinam, quâ docent, gloriam Sanctorum proportionem suam sortiri solitam ex quantitate gratiæ in vitâ cooperatæ, gratiamque proinde & gloriam sese ita respicere, vt secundùm prioris intensionem posterior augeatur. Cùm itaque B. Virgo Maria, dũ hic viueret, virtutibus ac perfectionibus suis veluti ingens & inexpugnabile castrum exædificauerit, quid mirandum, aut quid addubitandum, quin asseramus, illi à Deo opt. max. modò in cælis glorificatæ castrum victoriæ suæ remuneratiuum constitutum esse, quo vincat nunc vniuersos Ecclesiæ hostes, diabolum, mundum, carnem, quos in vitâ triumphanter adeò feliciterque ac perfectè confecit? Iustum id profectò fuit, & Maiestati diuinæ admodum proprium, vt in quo sese exercuerat perfeceratque interim dum vitâ mortali viueret cæli Regina, in illo etiam post obitum remunerationem consequeretur, atque in cælesti triumpho præmium certamini correspondens obtineret. Quid plura? vultisne intueri quàm munitum se castrum fecerit in terris, vt in cælis eiusmodi similiter esset? vultis videre quàm inexpugnabiles perfectionum turres excitauerit atque erexerit, vt vniuersos hostium cuneos eluderet, arma dissiparet, ipsosque tandem exterminaret? Conspicere id poterimus in singulis istis tribus hostibus, si vel vnum Cantici canticorum librum euoluere velimus.

In Serm de Virginis Assumpt.
Luc. 10.
Fuit Maria veluti castrum.
Prou. 18.
In quo sese in vitâ exercuit, in eo & in cælo glorificata fuit.

Dæmon inprimis astu suo ac vigilantiâ malorum omnium tam pœnæ quàm culpæ potissimus adinuentor atque executor est: quem quia B. Virgo tam excellenter deuicit, vt caput eius contriuerit, ideò tale præconium promeruit: *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.* Ridicula turris cum naso comparatio, vt rideatur is qui flere omnes fecit: inde namque ostenditur, Mariam eum ridendo vicisse, qui totam humani generis massam lamentis immerserat. Quid igitur nasus, quid Libani turris, quid Damascus significant? Nasus, si S. Augustino credimus, inspirationem diuinam, quâ mens nostra excitatur, significat: si D. Ambrosio, vim animæ interiorem, seu spiraculum fidei: si S. Gregorio & aliis, discretionem. quæ omnia palàm faciunt, quàm insigniter Maria potentiæ suæ robur contra diabolum exseruerit. Si enim per nasum Dei inspirationem designari voluerimus, Beata illa fuit, quoniam credidit quæ ei dicta fuerunt à Domino, atque proptereà in eâ perfecta fuerunt. Si vim interiorem animæ, seu spiraculum fidei, accepit Maria in omnibus scutum fidei, in quo extinxit omnia tela ignea nequissimi, iuxta Apostoli dictum. Si denique discretionem, quâ quæ fidei diuinæ sunt æstimantur; non propriâ hæc interpretatione aut leui censurâ percurrebat, sed, prout apud Euangelistam haud semel dictum est, conseruabat omnia istiusmodi verba, conferens in corde suo: ita vt Deipara spirituali naso suo, veluti turris Libani, & respexerit, & detexerit, & deiecerit Damascum, hoc est diabolum; nam Libanus candorem, quo in articulis Fidei assentiendo Virgo beata vsa est, designat; & Damascus idem est ac Sanguis potus, seu Sanguisuga, quemadmodum dæmon tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Vicit itaque naso suo, id est Fide, velut turri, satanam Maria. & hinc dicit S. Augustinus: *Heua inobediens meruit pœnam, Maria obediendo cõsecuta est gratiam. Illa gustando prohibitũ maledicta, hæc credendo Angelo benedicta.* Et iterùm: *Heua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit. Pro inobedientiâ enim obedientia commutatur, fides pro perfidiâ*

38.
Diabolum vicit prudentiâ, &c.
Cant. 7.
Quanta ista victoria!
Ephes. 6.
Luc. 2.

Iren. lib. 3. Aduers. hæres. cap. 33. *perfidiâ compensatur.* Et S. Irenæus: *Quod alligauit virgo Heua per incrudelitatem, hoc Maria soluit per fidem.*

39. *Mundum vicit humilitate.* Cantic. 7. Contra secundum hostem, qui est mundus, aliâ se B. Virgo turri muniuit, de quâ capiendum illud: *Collum tuum sicut turris eburnea.* Cùm enim mundi potissimùm studium sit superbiæ, collum verò humilitatem designet, aptè admodum hoc B. Virgini applicare possumus. D. Hieronymus superbiam mundi fastum esse ait propterea quòd homines sæculi omnia per arrogantiam loquantur, & Ecclesiasticorum simplicitatem aspernentur & pro nihilo ducant. (Hieronymus in cap. 30. Ezechiel.) Collum verò Mariæ humilitatem signare, præter alios auctor est Rupertus in hunc locum. Et rectè quidem; cùm ideò Achab se humiliasse dicatur, (3. Reg. 21.) quia demisso capite seu collo ambulauit: superbiæ verò accusentur qui ambulauerunt extento collo. (Isai. 3.)

Contra tertium denique hostem, qui est caro propria, charitatis turrim excitauit B. Deipara, quâ nimirum omnem illius concupiscentiam exstinxit. Quò referri possunt illa: *Ego murus, & vbera mea sicut turris.* (Cantic. 8. *Carnem verò charitate.*) Per quæ nimirum charitatem designari, tum Hieronymus Lauretus in Siluâ Allegoriarum S. Scripturæ, verbo *Vbera*, tum ipse Canticorum textus satis ostendunt. Præcesserat nimirum: *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Soror nostra parua, & vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est? Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Ad quod cùm Sponsa respondeat, *Ego murus, & vbera mea sicut turris,* apertè de charitatis vberibus se agere demonstrat: quæ & ideò bina sunt, quia & Dei & proximi charitatem complectuntur. Quàm verò amor diuinus carnali aduersetur, & per hunc iste extinguatur, verba S. Brunonis indicare poterunt. (Serm. 5. de Confessorib.) *Non possunt*, inquit ille, *alij esse lucernæ ardentes, nisi illi qui lumbos præcinctos habent. Lucernæ quidem esse possunt, ardentes esse non possunt. Nisi enim inferior ignis extinguatur, superior lucere non potest.* Et infrà: *Qui autem lucerna ardens esse vult, lumbos præcingat, continentiam & castitatem custodiat.*

40. Quanta iam Deiparæ ex deuictis tribus istis hostibus accessit victoria? Eximia sanè, adeoque excelsa, vt propterea tali visa schemate à S. Ioanne Euangelista referatur, quali ibidem describitur: (Apocal. 12.) *Signum*, inquit, *magnum apparuit in cælo.* At quodnam illud? *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Doctoris Angelici & aliorum Scholasticorum est doctrina, præter essentiale Sanctorum præmium, quod in videndo fruendoque Deo consistit, tres etiam gloriæ cælestis accidentales aureolas seu laureolas reperiri, quibus videlicet ij particulariter præmiantur, qui generosiùs aut fortiùs contra aliquem è tribus communibus hostibus, diabolum nempe, mundum, & carnem, depugnarunt. (*Applicatur victrici Deiparæ visio S. Ioannis Euangelistæ, Signum magnum, &c.*) Item, hasce laureolas tribus hominum generibus fuisse designatas; Doctoribus nimirum, qui fraudes dæmonum illudunt; Martyribus, qui superbientem ac sibi insultantem mundum conculcant; & Virginibus, quæ rebellem carnem suam conficiunt. Vnde factum, vt, quia mortalium alij aliis in debellandis hisce hostibus strenuiores inueniuntur, vel vnam vel plures ex huiusmodi laureis sibi conquirant. Omnibus tamen & sublimior atque excellentior multò facta est Deipara, quæ non tres simul tantùm eas aureolas obtinuit, sed incomprehensibilem præ cunctis Sanctis gloriam gradu, si ita loqui liceat, infinities altiori promeruit, vt non immeritò tamquam carnis deuictrix virginum Virgo pro terreno corpore vestita sit sole; vt Martyr & Martyrum Regina, lunam omniaque sublunaria totumque mundum pedibus conculcet; (*Quid sol, luna & stella significent.*) & vt Doctrix Magistraque Doctorum, coronam gestet in capite stellarum duodecim, quibus vniuersitas scientiæ ac eruditionis merces exprimitur: cùm, vti Daniel Propheta ait, (Dan. 12.) *qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Plura, & infinities plura dici potuissent & debuissent; sed ne nimiùm extra orbitam deuiemus, hic sistimus cursum, & Caput aliud, in quo de satisfactionibus B. Virginis dicendum est, aggredimur. Credo, ex dictis cuilibet cordato & fideli Catholico abundè constare, ingentem esse Virginis Mariæ apud Deum pro mortuis ac viuis impetrandi facultatem, quandoquidem tantoperè in eius gratiâ excelluerit, vt meritò de ipsâ quidam cecinerit:

Quid mirum est, si cuncta queat gratissima Virgo,
Vna Maria, Dei filia, sponsa, parens?

CAPVT XI.

Satisfactionibus etiam, mirum & incredibile est, quantum D. Virgo superabundet, quæ spiritibus applicari possunt.

I. *Vt Marianas satisfactiones describamus, Angelicis iterùm verbis vsi sumus.*

VTrerum, quas hîc tractandas suscepimus, multitudinem, varietatem difficultatemque primâ fronte sumus intuiti, idem hoc Capite, quod præcedenti, nobis agendum esse iudicauimus, vt nimirum non hominum sed Angelorum verbis vteremur, quibus, quàm sint innumeræ incomprehensibilesque B. Mariæ Virginis satisfactiones, quas in animarum solatium & refrigerium diffundere possit, explicaremus. Et commodè quidem hic mihi conceptus in mentem venit, eò quòd bina adhuc è Canticis supersint loca, quorum superiore Capite mentionem fecimus, quibus iidem cælestes spiritus insuper profitentur & pronuntiant, non habere se vnde eiusdem merita & præconia decantare possint pro meritis, ideoque saltem mutuò, quænam illa sint, quæritant. Binæ ergo illæ Angelorum quæstiones, quæ necdum à nobis explicatæ sunt, sic hoc in loco dicendis subseruient, vt locus prior, qui Cantic. 3. habetur, initium; qui verò octauo capite refertur, finem & complementum Marianarum satisfactionum, modò recensendarum, respiciat.

2\.

Cantic. 3. locus explicatur.

Hæc itaque prior Angelorum erat sciscitatio: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* quo in loco D. Virginis mortificatio præclarè describitur, vt iam demonstratum ibimus. *Quæ est ista*, inquiunt, *quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi*, &c. Plura hic reperiuntur mysteria quàm verba; plura, inquam, mysteria, quàm vt ad ea explicanda sufficere possint non hominum tantummodò mortalium, sed & immortalium spirituum verba & voces. Quòd si singulis rimandis & euoluendis insistere parum velimus, & cum Angelis rogare, *Quæ est ista?* statim respondebit S. Germanus Constantinopolitanus Archiepiscopus, sic inquiens: *Omnia tua admirabilia sunt, ô Deipara, omnia supra naturam, omnia ingentia, & cunctorum vires superantia.*

Orat. de Zona Virginis.

Quod magis explicans D. Bernardus: *Signum magnum*, inquit, *profundissimum diuinæ sapientiæ penetrauit abyssum, vt quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci inaccessibili videatur immersa.* Et aliò in loco: *Licet de Mariâ loqui gestiant omnes, tamen quidquid dicitur de indicibili, eo ipso quod dici potuit, minùs gratum est, minùs placet, minus acceptatur. Quænam enim poterit lingua, etiamsi Angelica sit, dignis extollere laudibus Virginem Matrem, non cuiusque, sed Dei?* Haud dissimilia habet S. Bernardinus, qui *Tanta fuit*, inquit, *perfectio Mariæ, vt soli Deo cognoscenda reseruetur, iuxta illud Ecclesiastici: Ipse creauit illam in Spiritu sancto, & vidit, & dinumerauit, & mensus est.* Hinc Mariæ Sponsus, ipsius excellentiam probè cognoscens eam sic alloquitur: *Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.* vbi Septuaginta transtulerunt: *Oculi tui columbarum, extra silentium*, vel, *extra taciturnitatem tuam.* Quibus verbis haud obscurè significatur, tantam esse Virginis præstantiam, vt non tam illam vocibus extollere, quàm religioso silentio admirantes, venerari debeamus. Alios, quos ingenti sanè numero proferre possemus Patres, consultò præterimus, cùm pro omnibus vnus sufficere queat Ambrosius, cuius de B. Virgine hæc sunt verba: *Quid splendidius ea quam splendor elegit? Quid castius illâ, quæ sine contagione generauit? Tanta est huius Virginis excellentia, vt in eius narratione omnes balbutiant linguæ, caecutiant omnes intelligentiæ, deficiant omnes similitudines parabolicæ.*

Serm. super Signum magnum.

Serm. 4. de Assumpt. B. Virginis.

Serm. 51. c. 1. Ecclesiast.

Cantic. 4.

Mira rursùm de B. Virgine Patrum preconia.

Lib. de Virginitate.

3\.

Verba Angelorum Cantic. 3. B. Virgini applicantur.

Hinc non immeritò sancti Angeli suum etiam ingenium & facundiam à Deiparæ laudibus superari profitentur, dum, pauca licet, adeò prægnantia de eâ verba subiiciunt, vt quàm immensos satisfactionum thesauros ipsa sola, qui defunctorum animabus applicari possint, congregârit & accumulârit, vel leuiter rem expendenti clarissimum euadat. Cùm ergo quæsiuissent quæ sit illa, mulier nimirum fortis & virago, addunt, *quæ ascendit*, hoc est, quæ semper altiùs scandit, seu perfectior facta est; *per desertum*, quamdiu videlicet in hac vitâ corporali, in quâ velut in deserto oberramus, multisque rebus necessariis destituimur, atque ab æternis consolationibus sequestramur, perdurauit: *sicut virgula fumi*, ex probationis nimirum igne procedens, qui confectus fuit *ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Hæc, quia breuiter, tamen insigniter, mortificationis in Deiparâ incrementa declarant, singula compendiò perscrutabimur. *Virga, fumus, ignis, myrrha, thus, & vniuersus puluis pigmentarius*, vnam eamdemque mortificationem expresserunt, & opera B. Mariæ satisfactoria exposuerunt. Virga inprimis secundùm Rupertum, *humiliationem* B. Mariæ designat; secundùm S. Gregorium, *refrænationem motuum carnalium*; secundùm Glossam ordinariam, *compunctionem*; secundùm Scripturam, carnis castigationem. Fumus etiam quomodo compunctionem, castigationem sui, lacrymarum ac pœnitentiæ opera significet, videri poterit ex D. Augustino, Ruperto, *a* Hieronymo, *b* Scripturis. Ignem porrò tribulationes significare, docuerunt *c* S. Hilarius, *d* S. Augustinus, *e* S. Hieronymus: item pœnitentiam & opera pœnitentialia, præter eosdem *f* Ambrosium, *g* Hieronymum & *h* Augustinum, affirmauit *i* Origenes. De myrrhâ nemini dubium est, quin ex mente *k* S. Ambrosij, *l* S. Hieronymi, & *m* S. Gregorij, carnis mortificationem; ex mente verò *n* D. Bernardi, iterùm *o* S. Hieronymi, & *p* Theophili Alexandrini, amaritudinem pœnitentiæ designet. Æquè idem manifestum de thure seu Libano; ex arboribus Felicis Arabiæ veluti lacryma, inciso cortice, profluente, interioresque passiones ac oculorum ægritudines curante. Quemadmodum enim ex arboris incisione thus in lacrymæ modum effluit; ita mortificatio seu pœnitentia, cui ipsæ satisfactiones velut fundamento innituntur, incisio quædam, seu potiùs circumcisio est corporis, ex quo dolor & tristitia non secùs atque lacryma profluere & prouenire solet, per quam curentur interiores hominis passiones, & oculorum morbi, qui ex nimiâ visibilium delectatione causantur. Puluis denique pigmentarius suâ contusione contritioneque quid aptiùs quàm mortificationem ac pœnitentiam, de quibus hactenus superiora explicuimus, queat denotare? Sic ergo tot Angelicæ comparationes in vnam B. Mariæ pœnitentiam atque mortificationem, quibus tam pro se quàm pro Purgatorij animabus satisfactiones congessit, designandam collineant.

Virga designat mortificationem.
Rup. in Cât. 3
Gregor. l. 5. Moral c. 12.
Glossa ordin. super Isai. 10
Exod. 4.
Idem fumus.
August. de Effect. diuinâ.
Rupert. in c. 15. Isaiæ.
a Hieron. super Psal. 17
b 2 Reg. 22. Psal. 1. Isaiæ 4. Apocal. 8.
c Hilarius sup. Psal. 65.
d Augustinus super eumd.
e Hieron. in Ezech. 28. Amos 7. & Marc. 9.
f Ambros. in Psal. 118.
g In Psal. 17.
h August. in Enchirid. ad Laurent. c. 63
i Orig. in Ezech. & Rom.
k Amb. de Inst. c. 15.
l Hieron. ad Principiam.
m Gregor. super Cãtica.
n Bernard. super Cãtica.
o Hieron. aduers. Iouin.
p Theophil. in Passionẽ.
Prout myrrha etiam ac thus, neque minùs puluis pigmentarius.

4\.

In particulari verò Marianæ satisfactiones exponuntur.

Quin verò, quantæ fuerint Matris Dei mortificationes, quantæ satisfactiones, in particulari iam exponamus. Inter prima, sacratissima se eius nobis offert Præsentatio: cuius Festum quia moderni hæretici, quoad temporis initium & institutionis exordium, suarum sectarum ex inferis eruptioni coæuum conspiciunt, credunt etiam, & inter plebeios diuendităt, tunc quoque temporis idem mysterium à nobis, quos Pontificios & Papistas agnominant, conceptum confictumque fuisse. Sed quàm se res habeat aliter, SS. Patres, qui à primitiuâ hucusque vixerunt Ecclesiâ, fallariis illis nudam & simplicem veritatem ostendent. In Scripturis eâ de re nihil reperiri, mirandum vsque adeò non est, cùm ob suam breuitatem, seu potiùs scribendorum multitudinem non potuerit vniuersa complecti. quod & in ipsius Christi Saluatoris actis contigisse, S. Ioannes Euangelista attestatur, inquiens: *Sunt autem & alia multa, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.* Scripturarum itaque mysteriosum silentium copiosa SS. Patrum auctoritas compensauit; è quorum maximâ catervâ nonnullos saltem audire lubet. Et quidem, si à Poëtis sacris ordia-

Ioannis vlt.

Poëtarum sacrorum de B. Mariæ Præsentatione testimonia.

Hieronymi Vidæ.

ordiamur, Præsentationis historiæ summam Hieronymus Vida, B. Virginem alloquens, hoc disticho comprehendit:

Continuò sedes liquisti paruula auitas,
Templi adytis oblata parentum dedita votis.

Baptistæ Mantuani Carmelitæ. Lib. 1. Partheno.

Noster etiam Ioannes Baptista Mantuanus, qui vixit sæculo quarto supra millesimum, ita de Virginis Præsentatione cecinit:

Propterea legum memores, & moris auiti,
Venturi Solymam trimâ cum prole parentes,
Deseruère solum, Galilææq; Nazareth arua.

Quibus adiungit, quomodo Deipara Ierosolymis à parentibus orbata fuerit, & ibidem Dei seruitio iugiter mancipata.

Godefridi Viterbij. Part. 4. Chronici.

Audiatur & Godefridi Viterbiensis, Mantuano multò antiquioris, sententia. Is sic canit:

Mos erat in templo teneras seruare puellas,
Quas ibi lege suâ cum religione reseruant.

qui porrò de B. Mariâ hæc adiicit:

— Nata Maris regina Maria nouella,
In templo Domini noctedieq; fuit.
Creuit, & à cunctis meruit vehementer amari,
Moribus & specie dignior absque pari.

Ex antiquioribus.

S. Gregorij Nazianzeni.

Ex antiquioribus vnus nobis sufficerit Gregorius Nazianzenus, qui in Tragœdiâ de Christo patiente Mariam ita loquentem introducit:

Simul atque nata sum, Patris tui, vt arbitror,
Ex mente summâ, me meus nutrit pater:
Non inter illos, quos colunt homines lares,
Sed me sacrata mater adi destinat.

Solutâ verò oratione B. Euodij.

Apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. Historiæ.

5. Ad illos me cõuerto Patres, qui solutâ oratione scripserunt, ab antiquioribus illorum exordiens. B. Euodius vir Apostolicus, post D. Petrum Antiochenæ Ecclesiæ Præsul, in Epistolâ quam Lumen inscripsit, vt refert Nicephorus, ita ait: *Trimula cùm esset, in templum est præsentata, & ibi in Sanctis sanctorum traduxit annos vndecim: deinde verò sacerdotum manibus Iosepho ad custodiam est tradita.*

S. Gregorij Nysseni. Serm. de S. Christi Natiuitate.

S. Gregorius Nyssenus sic narrat: *Audiui igitur arcanam & occultam historiam, tales de eâ re memoriæ prodentem narrationes. Insignis quidem in illâ exactâ secundùm legem viuendi ratione, & nobilis propter summam virtutem pater Virginis erat, sed expers sobolis consenescebat; propterea quòd coniux eius ad liberorum procreationem apta non esset. Habebatur autem matribus ab lege quidam honor, cuius honoris steriles participes non erant. Imitatur igitur hæc quoque ea quæ de matre Samuelis narrantur, & Sanctum sanctorum ingressa, supplicat Deo, ne legum beneficio priuetur, quæ nihil in legem peccasset; sed vt mater fieret, ac Deo, quod gigneretur, consecraret. Confirmata autem nutu diuino, donum quod petiit accepit. Cùm autem nata esset puella, nomen quidem imposuit ei Mariam, vt etiam per nomen impositum, diuinitus datum munus significaretur.*

B. Virgo à parentibus in templo offertur.

Cùm autem puella iam ita grandis euasisset, vt mammæ admoueri eam amplius opus non esset, haud cunctata est eam ad templum adducere, ac Deo reddere, atque promissum præstare. Sacerdotes autem exemplo Samuelis in sacris puellam interim educauère.

Suffragatur quoque S. Ioannes Damascenus. Lib. 4. de Fide orthod. cap. 13. circa med.

S. Ioannes Damascenus ita de Præsentatione B. Virginis est locutus: *Editur partu in domo ouilis Ioakim; & adducitur in templum: deinde in domo Domini plantata, & impinguata spiritu, velut oliua fructifera omnis virtutis habitaculum facta est ab omni sæculari vitâ, & carnali concupiscentiâ procul mentem sequestrans, & sic virgineam animam cum corpore conseruans, vt decebat eam, quæ in sinu Deum exceptura esset. Sanctus enim existens in Sanctis requiescit. Sic igitur sanctificationem omnem exercet, vt templum sanctum & admirabile altissimi Dei dignè demonstraretur.*

Et Epiphanius Monachus. In Vitâ B. Mariæ Virginis. *Item & alij.* a Homil. de Præsent. b Homil. de Præsent. c Lib. 1. Hist. cap. 7.

Eamdemque historiam velut authenticam recepit Epiphanius Monachus ac Presbyter Constantinopolitanus, qui ait, Virginem triennem præsentatam templo à parentibus suis cum donis, & susceptam à Sacerdote Iodai, qui & Barachias dicitur; narratque paulò post dictã Præsentationẽ, Ioachimum annorum nonaginta nouem è vitâ decessisse. Addo *a* Georgium Nicomediensem, & *b* Gregorium Thessalonicensem, *c* Nicephorum item, *d* B. Bonauenturam, *e* D. Antoninum, *f* Metaphrastem, *g* Lipomanum, & *h* Canisium.

d In Meditationibus vitæ Christi. e Part. 1. c. 1. §. 8. t. 5. f Festo Præsent. g Ibidem. h Lib. 1. de Deiparâ.

In Scripturis implicitè reperitur B. V. Præsentatio. Exod. 38.

Et sanè mirandum non est, tanto molimine quosdam temporis istius sectarios hanc Præsentationis historiam impugnare, qui nihil nisi quod expressis verbis in Scripturis descriptum habetur credere volunt. 6. At verò quamuis hæc historia disertis verbis in sacris Scripturis non legatur, implicitè tamen habetur, dum è pluribus textibus constat, virgines nonnullas ac feminas in Dei templique seruitio ab hominibus aliis segregatas & in vnam quasi communitatem congregatas vixisse. Patet id primò ex libro Exodi, vbi sic legitur: *Fecit labrum æneum cum basi suâ de speculis mulierum quæ excubabant in ostio tabernaculi.* In quæ verba Rabbi Abraham sic commentatur: *Erant in Israël mulieres Deum colentes, quæ, spretâ mundi vanitate, sua specula Domino offerebant, quia non erant illis opus,* &c. De quibus vtique mulieribus intelligendum est, quod in Libris Regum legitur, impios Heli Sacerdotis filios earum feminarum, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi, castitatem commaculasse. 1. Reg. 4. Hinc etiam teste Lirano, nonnulli hunc Machabæorum locum, *Accinctæ mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant; sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam,* explicant de feminis quæ iuxta templum habitabant. 1. Mach. 3. Quamuis aliis verisimilius videatur (quod & Patres suprà adducti indicant) intra ambitum ipsius templi cellulas aliquas fuisse, in quibus virgines & religiosæ viduæ Deo sacratæ degebant, & templi ministeriis, quoad poterant, inseruiebant. Quem in finem adducunt è Regum Libris huncce locum: *Iosaba abscondit Ioas à facie Athaliæ, vt non interficeretur, eratq; cum eâ sex annis clàm in Domo Domini.* 4. Reg. 11. vbi manifestè intra templum (id enim sibi volunt verba, *in Domo Domini*) describitur habitatio feminarum, cùm Iosaba, filia Regis Ioram, vxor Ioiadæ Pontificis, in eo sex annis habitauerit, cum magno ancillarum comitatu, vt Reginam decebat.

In antiquâ haud dubiè Lege virgines in templo Deo sacræ.

Ex Scripturis itaque satis constat, antiquæ Legis tempore virgines feminasque Dei cultui mancipatas; atque in eius Domo seu templo conclusas fuisse; & proinde mirum non esse, si id in futurâ Saluatoris Matre, quam omnis planè sanctitas & perfectio decebat, factum sit: cui nimirum aliud concessum fuisse priuilegium Doctores sacri asserunt, vt in Sancto sanctorum habitaret; in quod licet Summo Sacerdoti non nisi semel in anno, iuxta D. Paulum, ingredi liceret, speciali tamen indulto Deiparæ in illo habitare licuit; quemadmodum & S. Iacobo Minori id ingredi permissum esse, Ecclesia sub eius Officio docet. Hebr. 9.

Scriptores porrò qui huiusmodi B. Mariæ 7.

 præ-

prærogatiuam adstruxerunt, sunt qui sequuntur. S. Germanus Constantinopolitanus Episcopus, qui sic ait: *Vbi non sæpè, sed semel solùm in anno Sacerdos ingrediens, peragebat cultus mysticos, illuc Virgo, vt ibi perpetuò maneret, à suis adducitur parentibus, vt esset in sacris gratiæ adytis. Quis vidit aut audiuit feminam, quæ adduceretur in intima Sanctorum sancta, ad quæ vix patet aditus hominibus, vt in eis habitet, & versetur? An non est hoc euidens demonstratio noui & alieni operis, quod in eâ futurum erat posteà? Ostendant nobis, qui in eam linguas mouent, & videat tamquam non videntes, vbinam talia vmquam viderunt? puellam ex professo adduci intra tertium velum, tamquam donum in quod nulla cadit reprehensio, vt illic habitaret assiduè.* Item Nicephorus, qui sic inquit: *Virgo, vt res diuina, intacta, & sacrosancta, in templi sanctiore loco, & in adytis ipsis viuebat.* Insuper Georgius Nicomediensis Archiepiscopus, qui sic loquitur: *Oportebat Virginem non in Sanctis sanctorum tabernaculis, sed in ipso cælo cæli in primâ ætate educari eam, quæ his collata sit latior, & puritate antecellat.* Imò & ipse Euodius, primus à D. Petro in Antiochenâ cathedrâ successor, vndecim ibi annis habitasse asserit, dum sic infit: *In Sanctis sanctorum traduxit annos vndecim.*

Serm. de Præsent. Virginis.

Sunt qui asserant Mariam in sancto Sanctorũ habitasse.

Lib. 1. Hist. cap. 7.

Orat. de Præsentat. Virginis.

8. Verùm enim verò silentio nequaquam prætereundũ est miraculum illud, quod Auctores nonnulli tum contigisse referunt, cùm in templum B. Virgo Maria suscepta est, de quo sic D. Hieronymus: *Erant circa templum, iuxta quindecim graduum Psalmos, quindecim ascensionis gradus. In horum itaque vno B. Virginem Mariam paruulam parentes constituerunt. Cumq; ipsi vestimenta, quæ in itinere habuerant, exuerent, & cultioribus ex more vestibus se & mundioribus induerent, Virgo Domini cunctos singillatim gradus sine ducentis & leuantis manu ita ascendit, vt perfectæ ætati in hac dumtaxat causâ nihil deesse putares. Iam quippe Dominus in Virginis suæ infantiâ magnum quid operabatur, & quanta futura esset, huius miraculi indicio commonstrabat.* Quibus consonant ea quæ tradit antiquus Liber de infantiâ Saluatoris, qui sic ait: *Virgo Maria tertio anno cùm ablactata esset, abierunt cum eâ Ioakim pater eius, simul & Anna vxor eius, ad templum Domini, hostias Deo oblaturi. Quindecim gradus templi ita velociter ascendit, vt penitus retrorsum non adspiceret, nec, vt solitum est, parentes requireret. Vnde eius parentes pariter ambo obstupuerunt, & templi Pontifices mirati sunt.*

Lib. de Ortu Virginis.

Insigne in B. Virginis Præsentatione factum miraculum.

9. Hæc quamuis non vsque adeò notabilem mortificationem satisfactionemque contineant, vel hoc saltem declarant, Deum Virginem hanc ab incunabulis elegisse, vt totam se eius seruitio consecraret, eamque illud alacri animo arripuisse. Inspicere porrò operæ pretium erit, quam vitam B. Maria in Sancto sanctorũ egerit, vt vel inde constet, quátos ibi satisfactionum cumulos aggregauerit. Hoc vt ritè faciamus, ipsius exercitia, quibus in templo vacauit, perlustrabimus. Sabellicus itaq; ex maiorum traditione hæc memoriæ commendauit, *primâ quòd se à luce ad tertiam diei horam rebus diuinis peculiarem daret, inde ad meridiem puellare aliquod opus obiret, sæpè & lanificio vacaret: mox autem à cibo, qui parcissimus illi erat, reliquã diei partem Scripturæ sacræ lectioni sedulò impenderet, ita vt, cùm ritè sanctèq; cælestia curaret, humana tamen non despiceret, vtrumque munus, Marthæ & Magdalenæ complexa.* Quibus haud dissona tradit D. Hieronymus, dum sic ait: *B. Virgo etiam in pueritiâ & adolescentiâ suâ, quando in templo morabatur cum aliis puellis sui coæuis, vitam suam valdè ordinatam ducebat. Nam à manè vsque ad tertiam orationibus insistebat; à tertiâ verò vsque ad nonam operi manuum intendebat; à nonâ verò adhuc orationem suam incipiebat, à quâ non recedebat, quousque illi Angelus appareret, de cuius manu escam accipere solebat. Et sic semper meliùs in Dei amore proficiebat.* Vt ergo tota diuinis Maria incumberet, huiusmodi ei priuilegium obuênit, ne curandis fortasse corporis necessitatibus tantillo tempore à rebus cælestibus reuocaretur. Quòd si quis vel ex hæreticorum harâ incredulus, vel è nostris Catholicus quispiam languidulus hisce minùs fidem habeat, legat ille quæ Georgius Nicomediensis Episcopus scripsit: *Tu autem ô homo,* inquit, *admirabilem & nouam in templo viuendi rationem audiens Virginis, noli de eo dubitare, noli examinare ratione ea quæ capere non potest cogitatio. Vides ipsum Dei Verbum modo ineffabili habitasse in eius vtero, & contendes; fueritne alimentum, quo nempe Maria vesceretur, materiale, an expers materiæ? Vides paterno consilio Spiritus in eâ obumbrationem, & de ministerio Angelorum dubitas? Nihil est dubiũ ex his quæ sunt castissimæ Virginis: ex eius magnalibus nihil est quod non sit conueniens: omnia à veritate ipsâ sunt confirmata. Oportebat enim diuinum tabernaculum augeri talibus ascensionibus: oportebat agnam immaculatam tali excipi conuiuio, talibus cibis excitari.* Sic ille.

Ex dictis patet quàm generosè sese B. Virgo ad mortificationem satisfactionemque accinxerit.

Li. 1. Exemplor. c. 4. & 8 & lib. 3. c. 4.

Quomodo vixerit in templo.

In Epistolâ quadam ad Heliodorũ.

Homil. de Oblat. Virginis in tẽplo.

Ex quibus huiusmodi credenda doceantur.

Etenim, qui ad ripas solùm hactenus sedimus, Mariæ mare magnum & spatiosum ingrediamur, virtutesque eius & pœnitentias intueamur, vt vel iis ipsis ampliùs Purgatorij animas abluere, illarumque incendia tantis vndarum copiis restinguere & extinguere annitamur. Haud sanè immeritò Maria mare, vel potiùs producta extensaque quaquauersus maria appellatur, quia & in gratiis, vt Capite superiore vidimus, & in satisfactionibus, quod præsenti loco videbimus, humano concipiendi modo, immẽsa & incomprehensibilis existit & extitit. De eius itaque pœnitentialibus operibus sic D. Ambrosius: *Sit vobis, ô sanctæ virgines, tamquam in imagine descripta virginitas vitaq; beatæ Mariæ, de quâ velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi: vbi tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor, nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre? Quid splendidius eâ, quam splendor elegit? quid castiùs eâ, quæ corpus sine corporis contagione generauit? Nam de ceteris virtutibus eius quid loquar? Virgo erat non solùm corpore, sed etiam mente; quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior: non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens. Intenta operi, verecunda sermone: arbitrum mentis solita non hominem sed Deum quærere. Nullum lædere, benè velle omnibus, assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit propinquis? quando fastidiuit humilem? quando derisit debilem? quando vitauit inopem? Eos solos solita cœtus virorum inuisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum. Non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior; vt ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Bo-* 10.

Quanta fuerint pœnitentia Mariana.

Lib. 2. de Virginibus.

Quot misericordiæ opera.

na

na quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac primo prætendat ingressu, nihil intus latere tenebrarum: vt mēs nostra nullis retinaculis corporalibus impedita, tamquam lucernæ lux intus posita, foris luceat. Quid ego exequar ciborum parsimoniā, officiorum redundantiam; alterum vltra naturam superfuisse, alterum penè ipsi naturæ defuisse? Illic nulla intermissa tempora, hinc congeminatos ieiunio dies? Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obuius qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non priùs cupiditas quàm necessitas fuit: & tamen cùm quiesceret corpus, vigilare animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronuntiat. Prodire domo nescia, nisi cùm ad Ecclesiam conueniret, & hoc ipsum cum parentibus, aut propinquis. Domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu, nullo meliore tamen sui custode, quàm seipsâ: quæ incessu affatuq; venerabilis, non tam vestigium pedis tolleret, quàm gradum virtutis attolleret. Vt tamen alios habeat Virgo membrorum suorum custodes: morum autem suorum se habeat ipsa custodem. Plures erunt de quibus discat, seipsa se doceat, quæ virtutes magistras habet: quia quidquid egerit, disciplina est. Sic Maria intendebat omnibus, quasi à pluribus moneretur: sic implebat omnia virtutis officia, vt non tam disceret, quàm doceret. Talem hanc Euangelista monstrauit, talem Angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer? vt eam parentes dilexerint, extranei prædicauerint, quæ digna fuit, ex quâ Filius Dei nasceretur? Sic Ambrosius.

Mira sanè Mariæ perfectio.

11\. Hisce itaque exercitiis demum hæc Virgo tantum profecit, vt creaturis omnibus sanctior & perfectior euaserit, & vniuersos in toto mundo homines adeò excelleret, vt nemo omnino, ne quidem simul omnes, cum eâ comparari potuerit. Testimonium huic rei dabunt S. Petrus Damianus & S. Ioannes Chrysostomus: quorum prior ita pleno ore loquitur: *Quid mirum si hæc ineffabilis Virgo, in suis laudibus modum humanæ vocis exsuperat, cùm & ipsam humani generis naturam excellentiùs meritorum dignitate transscendat? Non excellentissimus ille Patriarcharum chorus, non prouidus Prophetarum numerus, non iudex Apostolorum Senatus, non Martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quisquam sequentium Patrum huic Beatissimæ Virgini poterit comparari. Quid enim sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius diuinæ gratiæ charismate plena fuit.* Chrysostomus verò hunc in modum: *Quid illâ sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Patres, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubim, non Seraphim, non aliud deinde quidpiam inter creatas res visibiles aut inuisibiles hac vnâ maius aut excellentius inueniri potest.* Quorum omnium vt solidum firmumque fundamentum habeatur, obseruatu dignū est, omnem in B. Mariam gratiam, omnem virtutē, omnem perfectionem, omnem sanctitatem confluxisse, aut potiùs in illâ radices egisse altissimas. Mellifluus inprimis Bernardus scribit, Christum Dominum eius sibi animam, tamquam idoneum dignumque Maiestatis suæ habitaculum, omni virtutum genere adornasse. Videri hoc apud eum quàm plurimis locis poterit, prout etiam decuit, & credendum esse ratio dictat.

Vniuersos hac iure homines præcedit.

Serm. de B. Mariæ natiuitate.

In Hypapante Domini.

Hoc decuit Christi thronum.

Serm. 9. ex Paruis, &c.

12\. Quòd si singulas virtutum classes percurrere, & quantum in iis superexcelluerit B. Virgo perlustrare vellemus, Deus bone! quònam abripiremur? è tanto præstantiarum abysso quomodo exscendere poterimus? Ecclesiasticus inter alia Oniæ Pontificis præconia illud refert, quòd fuerit quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. At verò potiori lōgè ratione hoc ipsum encomium Deiparæ Virgini conuenit, quæ nimirum iustiore id titulo promeruit, quippe quæ viuens in animâ & corpore suo habitaculum Deo præparauit, cùm Onias non nisi materiale diuino nomini templum extruxerit. Quantò itaque Mariæ templum illo, quod Onias erexit, est perfectius, tantò & hæc, illius intuitu, vas fuit solidius, tantoque pretiosioribus gemmis ac lapidibus exornatum. De virtutibus Marianis loquor, quibus ita corpus suum sacratissimum adornauit, vt dignum fuerit, in quo Rex regum & Dominus dominantium thronum suum collocaret. Virtutes per gemmas aptè designari, docuit S. Hieronymus, qui sic ait: *Vis scire, quales Dominus quærat ornatus, habeto prudentiam, iustitiam, temperantiam, fortitudinem; his plagis cæli includere, hæc te quadriga in altum ferat, nihil hoc monili pretiosius, nihil hac gemmarum varietate distinctius, & ornamento sunt & tutamini.* Hæc S. Hieronymus. neque alia sunt quæ Doctor mellifluus scripsit in Cantica: *Sic prudentia,* inquit, *sic temperantia, sic fortitudo, & si quæ sunt virtutes aliæ, quid nisi margaritæ sunt quædam in sponsæ ornatum splendore perpetuo coruscantes?* Diuersa igitur virtutum genera pretiosi lapides fuere, quibus exornatum Marianum vas vehementer effulsit. Amethystus qui animum vigilantem reddit, iaspis virtutem habens contra incantationes, beryllus coloris cærulei mitem reddens possessorem, calcædonius pallidus carnis mortificationem designans, carbunculus nocte lucens & significatiuus charitatis, hiacynthus somnum contemplationis immittens, chrysolitus timores nocturnos reiiciens, sardonix ad humilitatem inclinans, onychius tremulos ex Dei timore faciens oculos, sardius sanguinem sistens, adamas inuicti animi symbolum, smaragdus viridis spei argumentum, topazius iræ domandæ virtus, sapphirus sanguinis ardorem refrigerans, aliique lapides omnes pretiosi; vt verè de illa intelligendum sit hoc Ecclesiastici 28. *Omnis lapis pretiosus, operimentum eius.*

Deipara vasi auri solido ornato omni lap. pretioso comparatur.

Epistola. 52. Virtutes instar gemmarum sunt.

Quid plura? Ostendamus potiùs, quomodo vasis huius similitudo præsenti loco quadret, vt quantæ sint Deiparæ Virginis satisfactiones, quæ defunctorum animabus applicari & communicari queant, manifestum euadat. Comparauit aliquando Saluator noster Apostolum Paulum vasi electionis, quia nomen suum portaturus erat coram Regibus, & Gentibus, & filiis Israël. Idem sanè, & multò ampliori ratione, de Dei & misericordiæ Matre dicere possumus, vtpote quæ vas non ideò tantùm appellari possit, quia Deo, vt Paulus, vas fuit non in contumeliam, sed in honorem & gloriam; verùm etiam quia in hoc potissimùm electa est, vt gratias omnes, & mortificationum suarum merita, quæ sibi per continua virtutum exercitia immensùm conquisiuit, fidelium bono velut è capacissimo & numquam exhauriendo vase diffunderet. Vas igitur est Maria lapidibus omnibus ac gemmis spiritualibus pretiosissimè decoratum dotatumque, quod existentibus in Purgatorio animabus superabundantes diuitiarum suarum, pœnitentiarum inquam thesau-

13\.

B. Virgo D. Paulo vtpote vasi electionis similis. Actor. 9.

thesauros elargiri & impertiri valeat & soleat: vas, inquã, electionis, seu ad hoc à Deo electum, vt non solùm nomen IESV, vel eius cognitionem portet coram Regibus, Gentibus ac filiis Israël; sed prout ipsum Iesum suâ gratiâ & perfectione è cælo traxit, hominibusque familiarem & naturæ ipsorum consortem reddidit, ita eumdem per mortificationum & satisfactionum suarum abũdantiam, fidelibus, aliàs Purgatorij claustris ob peccatorum noxas includendis, & à conspectu illius diutiùs arcendis, post hoc exilium ostẽdat.

Item Sponso. Cant. 1. O vas eximium, non perfectione minùs quàm gratiâ plenum! Oleum effusum, Maria, nomen tuum: ideò adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Liceat nobis de te dicere, quod noui Testamenti Martyrum antesignano canit Ecclesia: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt, ipsam sequuntur omnes animæ iustæ.* (*Ac D. Stephano Protomartyri.*) Quemadmodum enim idcircò S. Stephanus velut Dux aliquis eos præcedere traditur, quotquot posteà inter Catholicos facti sunt Martyres atque diuini nominis testes; ita & Mariã sequi animæ iustæ dici possunt, quę in Dei Ecclesiâ vel in terris, vel post mortẽ in Purgatorio patiuntur, non tam vt tempore aut imitatione, veluti Martyres S. Stephanum, sequantur, quàm ad participandam ipsius mortificationum & satisfactionum abundantiam; vt quod ipsa tantâ virtutum & meritorum copiâ (quamuis opus non haberet, vtpote quæ numquam peccauerat) sibi congregauit, in purgandos mortuos largiter & liberaliter expenderet & erogaret. (*Suas illa Purgandis Animabus applicat satisfactiones.*) Et hinc, allatis nimirum iusta ratione virtutibus & piis operibus B. Virginis Mariæ, sat constare arbitror, eam satisfactionibus quàm plurimis abundare, haud minùs quàm superiore Capite excellentissimis gratiis pollere eam demonstrauimus: quantum enim virtutes, aliquem Deo gratũ esse, & secundùm earum mensuram vel amplius vel minus apud Dominum promereri posse, sunt indicio; tantum etiam, quò quis eas perfectiùs excoluerit, eò apud Deum satisfactionibus pluribus valere, certissimum est iudicium, propterea quòd virtutes sine labore, molestiâ ac diligentiâ (in quibus nimirum satisfactionis natura consistit) exerceri non possint.

14. *Mariæ pulchritudinis à Sponso bella descriptio. Cantic. 4.*

Sed & hoc in loco videre libet, quàm insigniter Sponsam suam, eamdem nimirum B. Virginem Mariam, in Canticis Sponsus describat, & quàm egregiè singulas ipsius virtutes per formosissimi capitis pulcherrima membra ad viuum exprimat. *Quàm pulchra es*, inquit, *amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.* Per oculos colũbarum, genuinam virginum simplicitatem atque innocentiam Doctores intelligunt; adeò vt hac ex comparatione pateat, B. Virginem Mariam in castimoniæ virtute insigniter eluxisse, idque absque eo quod intrinsecus latet & absconditum manet, in Angelicâ videlicet puritate mortalibus incognitâ. sic ergo paucis hisce verbis summa Virginis pudicitia & Angelica simul puritas declaratur. Pergit Spõsus: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderũt de monte Galaad.* Per capillos Confessores intellige, qui meritò capillis assimilantur, eò quòd sint veluti ornamentum & tegumentum capitis Ecclesiæ; nec sine mysterio dicuntur greges caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad, eò quòd seipsos in Dei sacrificium consecrent, haud secùs quàm in locum Isaac substituta fuit capra. Benè etiam additur, quòd de monte Galaad ascendant, vtpote quòd earum pastus sit non in demissis terrenisque voluptatibus, sed in sublimioribus contemplationibus ac diuinis refectionibus; è quibus ita pinguescunt, vt gregibus in pinguissimo & fertilissimo monte Galaad incrassatis atque saginatis pares sint. Sic ergo in B. Virgine Confessorum reperitur austeritas. Pergit iterùm Sponsus: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ adscenderũt de lauacro, omnes gemellis fetibus, & sterilis non est inter eas.* (*Comparantur ei omnes Sanctorum ordines singulorumq; perfectiones applicantur.*) Hic Martyres dentibus collati, seu potiùs B. Mariæ in aduersis perferendis constantissima constantia. Sicut enim dentes quemlibet cibum, etiam durissimum, comminuunt, ita Martyrum constantia quascumque pœnas, quælibet tormenta, etiam sæuissima & atrocissima, instar nihili contemnit & fortissimè superat. Huc facit quod de S. Ignatio Martyre tradit S. Hieronymus: (*De Scriptoribus Ecclesiasticis.*) qui nimirum, cùm iam rugientes leones audiret, quibus obiiciendus erat, ita exclamauit: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar.* Quid vltra? Martyrum greges, sunt greges ouium, de quibus Saluator: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* (Math. 10.) Sed quomodo hi ascendunt de lauacrò? Communis Doctorum sententia affirmat, æquè per martyrium, quàm per Baptismũm, vniuersas maculas animæ abstergi, quò facit illud S. Ioannis: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magnâ, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni: ideò sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius: & qui sedet in throno, habitabit super illos. Non esurient, neque sitient ampliùs, nec cadet super illos sol, neque vllus æstus: quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* (Apocalyps. 7.) Meritò itaque Sponsus, ad Martyrum gloriæ copiam exprimendam, adiunxit, *Omnes gemellis fetibus, & sterilis non est inter eas.*

15. *Apostolorum etiã quorum pulchrè explicantur officia.*

Apostolorum charitatem & doctrinam in B. Virgine commendant hæc Sponsi verba: *Sicut vitta coccinea, labia tua: & eloquium tuum, dulce.* Duæ hic similitudines, vittæ nimirum coccineæ, & dulcedinis, ad Apostolicam dignitatem exprimendam adferuntur, vt & interior charitas, & exterior in instructione affabilitas designentur. Præcipua & potissima quæ in Apostolis requirebatur virtus, erat Charitas, quæ, sicut vitta caput, operit multitudinẽ peccatorum. (1. Petri 4.) De quâ sic Christus ad suos: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* (Ioann. 13.) Cui internæ charitati quia externa in alliciẽdis ad Christum infidelibus ac peccatoribus affabilitas & blandiloquentia coniuncta esse debebat, Sponsus apponit, *Et eloquium tuum dulce.* Dulce reuerà & in Virgine & in Apostolis, quia suaui suâ & mellifluâ malos ad Deum attrahendi beneuolentiâ atque suadâ, totum propemodum orbem allexêre; & ex amarissimo infectæ conscientiæ felle in mentis pacatæ dulcedinem perduxerunt. Ipsum quoque eloquium Euangelicum esse dulcissimũm, vtriusque Testamenti testimoniis adstruitur. In antiquo sic Psalmœdus canit: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* (Psal. 118.) In nouo S. Ioannes Euangelista (Apocal. 10.)

lista librum sibi à Deo missum ait in ore suo velut mel dulce effectum fuisse. Et ipsemet Saluator de lege suâ Euangelicâ testatus est: *Iugum meum suaue, & onus meum leue.* Apostolorum charitatem & blandiloquentiam, Prophetarum spes atque fides Patriarcharum consequitur. Spem in B. Virgine Sponsus hisce verbis deprædicat: *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.* Fragmen, seu vt alij vertunt, cortex mali Punici, spem significat, quia dũ hoc pomorum genus rubescere incipit, simul & allici incipit, qui illud adsperxerit, ad comedendum; vnde & spem concipit esus futuri, cuius nunc visu tantùm pascitur. Sed quid adspectus huiusmodi commune habet cum genis? Quòd & ipsæ spem designent. nam veluti quempiam ex genarum vultusque hilaritate nostræ petitioni propensum confidimus, ita & Prophetæ ex prænuntiatis sibi à Deo beneficiis ad spem quammaximam futuri boni erecti fuerunt. Quin & in hoc eodem Canticorum libro alibi sic legitur: *Genæ tuæ sicut turturis.* Quid hoc est? Turtur genas non habet, & tamẽ earum similitudo assumitur. Sed quod re non habet turtur corporalis, hoc spe habet turtur spiritualis. Omnis namque spes Prophetarum non in præsentibus, sed futuris; non in datis, sed in promissis consistebat: imò & multò plura expectabant quàm promissa fuerant. & hinc addidit Sponsus, *absque eo quod intrinsecus latet;* multa enim & Prophetæ sciebant, & modò scimus à Deo nobis esse tribuenda, quæ nunc latent, & propter sui excellentiam, nostræque cognitionis incapacitatem (qualia sunt gloria cælestis, & alia) non possunt intelligi. Fides verò Patriarcharum ex hisce verbis colligitur: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium.* Certum est apud omnes, Abrahamum & Patriarchas alios, vt & ipsum Dauidem, in fide mirabiliter eluxisse, indeque promeruisse, vt & ipsis de Incarnatione Verbi diuini fieret à Deo promissio. vnde & Dauidis & Abrahami specialis mentio facta est apud Matthæum, vbi legitur: *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.* Constat item, turrim Regis Dauid fuisse munitissimam, vtpote quæ ædificata esset cum propugnaculis, ex quâ mille clypei penderent; inque illa reperiretur omnis armatura virorum fortium. Fidem ergo Patriarcharum similem fecit Sponsus turri Dauidicæ adeò, vt diximus, munitæ; quia in fide continentur illa arma, per quæ fidei hostem, scilicet diabolum, possumus repellere. *Aduersarius vester,* inquit S. Petrus, *diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* Et: *State ergo, &c. in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Quid ampliùs? Collum etiam tam Patriarcharum quàm B. Virginis Mariæ fidem rectè significat, quia per hanc veluti collum, Dei pabulum, ac spirituale Corporis Ecclesiæ nutrimentum à Christo descendit, qui est omnium fidelium caput.

Matth. 11. — *Item Prophetarum.* — *Cant. 1.* — *Quin & Patriarcharũ.* — *Matth. 1.* — *1. Petr. 5.* — *Ephes. 6.* — *Ephes. 5. Coloss. 1.*

16. Quæ modò selectim ex singulis Sanctorũ ordinibus à Spõso enarratæ sunt virtutes, in B. Virgine vnâ omnes concurrunt, vt summa ista ad satisfactionem plenariam perfectio constituatur; puritas nempe, quam Virginibus propriam asseruimus, austeritas quam Confessoribus, constantia quam Martyribus, Dei & proximi amor, seu interna atque externa charitas, quam Apostolis, spes quam Prophetis, denique fides quam Patriarchis adscripsimus, Mariæque communes fecimus. Quandoquidem ergo hæc omnia & singula in Mariâ supremo eminentissimoq; in gradu emicuerunt, ideò per ea à Sponso delineata est, nec ei hoc Cantici loco alia, præter vberum (quibus nempe præfatorum bonorum in mortales communio & transfusio significaretur) pulchritudo tribuitur: fecitque hic Spiritus sanctus, quod elegãtissimus olim pictor Zeuxis in depingẽdâ Iunonis effigie factitasse traditur. Hic enim vt picturam tanta Deâ eiusque templo dignam efformaret, duo obseruauit: primò conuocari curauit ex omnibus Prouinciis quas poterat selectissimas virgines, atque è singulis harum quod in eis esset rarissimum depinxit, vt numeris omnibus absolutam effingeret Iunonis effigiẽ: deinde, cùm pulchram adeò eiusdem Deæ a se depictam faciem videret, vt nihil addi posse crederet, manum vltra cohibuit, nec corpus aut alia membra corporis depingenda statuit. Eodem planè modo cùm cælestis Sponsus viuam ac veram B. Mariæ imaginem Ecclesiæ suæ depingere vellet, primùm omnium non ex solis indiuiduis, sed generaliter è plenis gloriosorum cœtuum choris, quod formosissimum, quod pulcherrimum erat, in eam contulit: cumque tam insignis faciei eius euasisset pulchritudo, vt ex illâ omniũ hominum ingenia & ornamẽta superarentur; ingenia, quippe quæ nihil quod adderent reperire possent; ornamenta, quippe longè deteriora quàm vt hanc faciem exornare, vel ei quidpiam decoris adiicere potuissent: à descriptionis eiusdem filo abstinendum duxit, præterquam quòd vberum ideò solùm mentionem fecerit, vt inde, quantum è memoratis suprà eminentiis fructum fideles consequi possint, appareret. Verba Sponsi hæc sunt: *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec adspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Quid, quæso, vbera, quid hinnuli gemelli capreæ, quid in liliis pasci, quid adspirare diem, quid vmbras inclinari? Certè si probè excutiantur, innui hisce reperietur; Deiparam Virginem suas, quas è memoratis virtutum exercitiis congregauit satisfactiones, veluti ex charitatis vberibus in nos trãsfundere: & vbera illa aptè gemellis capreæ hinnulis comparari, vtpote quæ in gemellis fecunditatem & abundantiam, in hinnulis teneritudinem facilitatemque, in capreâ virium deficientium (quibus namque vis naturæ deficit; capreæ lacte nutriti restaurarique solent) supplementum admodum præclarè designent. Ibi quoque, quòd in liliis hinnuli pascendi dicantur, mysterium latet: inter lilia enim pasci, est ad liliorum puritatem perfectionemque educari, hoc est, ad Sanctorum consortium perfici, donec nimirum dies æternæ lucis adspiret atque appareat, & inclinentur vmbræ, siue hic in statu peccatorum cæcutientibus, siue posteà in Purgatorio satisfactione indigentibus, ac in tenebrarum pœnis & tormentis consistentibus.

Quæ omnes explicatæ virtutes à Virgine in alterum satisfactionem applicari queunt. — *Fecit in describendâ Deiparâ Sponsus quod in Iunone pingenda fecerat Zeuxis.* — *Cur speciatim præter caput, Mariæ vbera describantur.*

Hæc omnia quàm aptè ad nostrum scopum dirigantur, videbit qui sequentia Sponsi verba expendere dignabitur; vbi sic legimus: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* quasi dicat: Quia sponsam meam tot tantisque satisfactionis mortificationisque insignibus ornatam video, in 17.

Ex prædictis quantum B. V. satisfactionum abundet.

eius

eius amorem accendor & allicior, vt ad eam tamquam myrrhæ seu pœnitentiæ & mortificationis montem accedam, eamque veluti thuris sacrificiique gratissimi collem & cacumen respiciam. Quare? Quia profectò, pro quocumque illa deprecata fuerit, siue is in vitâ sit in peccato, siue post mortem in Purgatorio, exaudiri promeretur, eiusque mortificationes pro illorum remissione acceptabuntur. Tu namque *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni.* Sed cur toties verbum *veni* reiterat? cur eam sine maculâ esse, ac de Libano, id est candido, venire designat? Vt nempe multas esse rationes, cur venire debeat, adstruat; vt titulis pluribus, hoc est variis satisfactionibus mundatam esse, si sordes fortè contraxisset, affirmet: quibus cùm pro se ipsâ opus non habuerit, quid mirum, si aliis hæc ipsa communia facere queat? Communia, aliis ad peccatorum maculas eluendas, sibi verò ad gloriæ coronas augendas.

Ex quibus & Deipara gloria non mediocre crescit.

Quod & sponsus eleganter explicat, dum sic ait: *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Quatuor igitur augmenta sunt coronæ Marianæ ex abundantiâ mortificationum suarum: Primum, quia coronata est de capite Amana, id est Fidei in Deum, vtpote quæ seipsam ad gloriam Dei pœnitentialibus operibus consecerat. Secundum, de vertice Sanir & Hermō, propterea quòd seipsam mortificasset ad cōsecrationem, quā Deo fecerat, pleniùs perficiendam, vt Sanir & Hermon mons, qui idem, tametsi biceps, est. Et commodè satis, vt Hermon dicitur, destructionē seu anathematizationē significat, quā Deipara passiones suas (quas tamen, etsi ob humilitatem sese habere crederet, non habebat) voluit edomare. Per Sanir autem, quod idem est atque *dedicatum* vel *consecratum*, virtutum exercitium, ad quod etiam pœnitentialia sua solita fuit Deo offerre, accipi potest. Hisce accedit tertium & quartum coronationis B. Mariæ augmenta, vt nempe coronetur de cubilibus leonum, id est ob peccatorum cōuersiones, quas & ipsas vi mortificationum suarum obtinuit; & vt coronetur de montibus pardorum, hoc est, ob liberationem animarum, quas iisdem actibus pœnitentialibus e tormentis suis eripuit. Et rectè quidem per priorem duarum harum similitudinum, peccatorum conuersio, per posteriorem purgandorum liberatio intelligitur: nam & qui in cubilibus leonum, id est dæmonum, requiescunt, peccatores sunt, de quibus dictum est, *In cubilibus vestris compungimini:* & qui in montibus pardorum sese abscondunt, animæ Purgatorij accipi queūt. Pardus enim seu panther animal pulchrum est, sed maculatum; optimè olens, sed fugitiuum: id quod fidelium animabus conuenit, quæ ex Dei gratiâ pulchræ sunt, sed nonnihil ex residuis culpis veluti maculatæ; optimè olentes; sed à gloriosâ adhuc cæli curiâ quodammodò fugitiuæ.

Psalm 4.
Animæ Purgatorij quomodo pardis similes sint.

18. Eleganter itaque totus ille Canticorum textus cælorum Reginæ, in ordine ad Purgatorium, applicari potest; & quoad sequentia adhuc posset, nisi contractiùs hic nobis agendū esset & breuiori discursu, disquirendumque de vnâ saltem è laudatis suprà à Sponso Mariæ virtutibus, castitate nimirum, quàm ea ad gloriæ cælestis adeptionem vim habeat. Scripturæ plurima ad loca luculenter admodum testantur, sed illustriora præcerpsisse sufficit. Ecclesiasticus præcipuè sic ait: *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* & Sapiens, *Felix est sterilis, & incoinquinata, quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum: & spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit aduersus Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidat radix conscientiæ.* Iterùm: *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines. Cùm præsens est, imitantur illam; & desiderant eam, cùm se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.* Atque iterùm: *Et vt sciui, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum; adij Dominum, & deprecatus sum illum,* &c. Isaias verò sic: *Et non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo meâ & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Et quidem hæc de virginitate in antiquo Testamento, plura verò & efficaciora reperiuntur in nouo, vtpote cui magis proprius fuerit castimoniæ cultus. Euangelista itaque Matthæus hæc Dominū Seruatorem nostrum edixisse refert: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur. Dicunt ei discipuli eius: Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; & sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.* S. Lucas quoque illustre Domini Iesu dictum profert, sic inquiens: *Et ait illis Iesus: Filij huius sæculi nubunt, & traduntur ad nuptias: illi vero, qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores: neque enim vltrà mori poterunt. æquales enim Angelis sunt, & filij sunt Dei, cum sint filij resurrectionis.* Hisce Saluatoris nostri sanctionibus consonant Apostolorum eius scita, alterum quidem S. Pauli, qui sic loquitur: *De quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere.* Et infrà: *De virginibus præceptum Domini non habeo: consiliū autem do, vt sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse..... Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem......... Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. ...... Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit: & qui non iungit, meliùs facit.... Volo enim omnes vos esse sicut meipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius verò sic..... Beatior autem erit si sic permanserit, secundùm meum consilium: puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam.* Alterum verò S. Ioannis Euangelistæ, dum sic inquit: *Et vidi, & ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis. Et audiui vocem de cælo, tamquam vocem aquarum multarum, & tamquam vocem*

Quāta laudis castimonia habeantur.
Probatur ex Scripturis antiquæ legis.

Sap. 3.
Eccli. 26.
Cap. 4.
Cap. 8.
Isaiæ 56.
Multoq. magis è sacris textibus legis nouæ.
Matth. 19.
Luc. 20.
1. Cor. 7.
Apocal. 14.

cem tonitrui magni: & vocem, quam audiui, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores: & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terrâ. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit.

19.
Virginitas non impetratoria tantùm sed etiam satisfactoria est.

Sufficiunt hæc, vt virginitatem & castitatem non solùm impetratoriam & meritoriam cælestis gloriæ, verùm & ex adiunctâ ei molestiâ satisfactoriam declaremus: quod & ipsis sectariis, modò ex animo veritatem sectari velint, sat constare è Scripturis, quas vndequaque crepare solent, arbitror. Iam alteram Argumenti nostri propositionẽ, quam Dialectici Minorem & Subsumptionem vocant, stabiliamus, nimirum Deiparam virginem castimoniâ semper & in supremo excellentissimoque gradu præminuisse. E quo patebit, quantum in hoc genere satisfactionibus, Purgatorij animabus applicandis, ipsa B. Virgo abundauerit. Sanè perpetuam eius virginitatem tot tantaque Patrum testimonia & encomia extulerunt, vt recensendis iis quisquam vix sufficeret. Nonnulla, eaque quæ nobis videntur præcipua, in medium adferemus. Primus verò prodeat ipse B. Virginis Secretarius, melleus ille Bernardus, cuius hæc sunt verba: *De cetero sanè & virginitatem carnis, & propositum virginitatis, & ipsius quoque propositi nouitas vehementer illustrat. Vbi verò in promissione filij manifestum virginitatis periculum videbatur, non potuit vltrà dissimulare, quin diceret: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Meritò proinde & illam meruit benedictionem, & hanc non amisit, vt longè gloriosior fiat, & virginitas ex fecunditate, & fecunditas ex virginitate, ac mutuis sese radiis illustrare hæc duo sidera videantur.* Petrus Damianus sic loquitur: *O mirabiliter fecunda virginitas, quæ nouo & inaudito miraculo & mater dici possit & virgo! Qui toto mundo non capitur, puellæ innuptæ membris infunditur.* S. Ildephonsus, illustre illud non solùm Hispaniæ, sed & totius Ecclesiæ Catholicæ sidus, hæc scribit, Iouiniani archihæretici petulantiam compescens: *Audi quæso, præcipuè Iouiniane, corde sopito, fatue præcordiis, cognosce stulte, sensu disce caduce. Nolo pudorem nostræ Virginis corruptum partu causeris: nolo integritatem generatione decerpas: nolo virginitatem per exitum nascentis scindas: nolo virginem genitricis officio priues: nolo genitrici virginalis gloriæ plenitudinem tollas. Si bonorum vnum confundis, in toto confusus es: si hac concordantia nescis, concordiâ veritatis ipse priuatus es: si hac discordantia causaris, semper discors iustitiæ inueniris: si Virgini nostræ aut generationem aut integritatem adimis, grandi dedecore Deo iniuriam facis. Negas enim valuisse incorruptam seruare, quem fateris absque corruptione adire virginem potuisse. Negas Deum quod vellet facere quiuisse, quem contendis genitricem integram inuenisse, corruptioni deditam reliquisse. Vt ergo asseris, omnipotentis diuinitas non profuit virginitati, sed obfuit: quia dum virgineum decus nascendo violauit, summam virginitatem destruxit; ac per hoc ipsum adstruis virginem deturbasse nascendo, quam decorauerat ipse creando. Obmutescat os talia proloquens: hebetescat cor talia meditans, adhæreat lingua faucibus talia promens, non respiret sermo talia narrans. Ecce enim virgo ex Deo, virgo ex homine, virgo attestante Angelo, virgo iudice Sponso, virgo ante sponsum, virgo cum sponso, indubitata virgo etiam dubitante sponso. Virgo ante filij aduentum, virgo post filij generationem, virgo cum filij natiuitate, virgo post filium natum. Verbo fecunda, Verbo repleta, Verbo vberrima, Verbi partu digna. Humanâ quidem natiuitate, humanâ lege, humano sensu, humanâ conditione, humanâ veritate illæsa, incorrupta, inuiolata, intemerata, integerrima verè: diuino autem munere, diuino fauore, diuinâ collatione, diuinâ adinuentione, diuino dono, diuino concessu: nouo opere, nouâ efficaciâ, nouâ operatione, nouo effectu partus. Cum conceptu virgo, per conceptum virgo, in conceptu virgo, post conceptum virgo: in partu virgo, cum partu virgo, post partum virgo. Virgo cum nascituro, virgo cum nascente, virgo post filium natum. Coniux dicta, & virgo coniux assumpta, & virgo coniux credita, & virgo cum coniuge simul, & prole perennis virgo: ignota semper coniugio, ignota complexu, ignota tactu, ignota maritali collegio. Et tunc certè, tunc non dubiè, tunc verè, tunc veraciter sancta virgo, beata virgo, gloriosa virgo, honesta virgo, sed post generationem incarnati Verbi, post natiuitatem Dei hominis facti, post generationem in Deo hominis assumpti, post natiuitatem Dei homini vniti: sanctior, & sanctissima virgo; beatior, & beatissima virgo; gloriosior, & gloriosissima virgo; nobilior, & nobilissima virgo; honestior, & honestissima virgo; augustior, & augustissima virgo.* Habet & capite sequenti idem S. Ildefonsus admodum egregia pro hac materiâ, verùm ea, ne prolixi nimis euadamus, omittere hic cogimur: benignus Lector facilè breuitati nostræ condonabit, & viam, quâ eundum sit, vel indice digito sibi commonstratam æquanimiter feret. Videamus iam quid D. Maximus sentiat. *Non putes*, inquit, *nouum hominem in aluo virginis Deum potuisse formare, qui cùm primum conderet hominem, nec semen patris, nec viscera materna quæsiuit. Dic itaque, quicumque es supernæ dispensationis arbiter, & discussor, quæ tibi videtur virtus eminentior, partum dedisse virgini, aut perfectum hominem creasse de terrâ?* Idem Sanctus alio in loco vterum D. Virginis comparat sepulchro Christi, in quo nondum quisquam positus fuerat. Et reuerà, si rem eam debitè expendere voluerimus, non exiguam similitudinem deprehendemus inter hæc duo, cùm & Maria virgo, & sepulchrum Christi virgo extiterit. Quemadmodum enim à sepulchro Christus exiuit illæso lapide, ita ex vtero materno prodiit illæsâ virginitate: & sicut sepulchrum signatum fuit, ita & vterus B. Mariæ signatus fuit signaculo & sigillo virginitatis; ideoque B. Maria in Canticis appellatur *hortus conclusus, & fons signatus.*

Quantum Deipara Virgo in virginitate excelluerit.

Serm. 7. de verbis Apocalypseos.

Lib. de Virginit. S. Mariæ, cap. 1.

Egregium omnino de B. Virginis castitate præconium.

Homil. 1 in Natali Domini.

Homil. 2. de Cruce & sepulturâ.

Vteri Mariani & sepulchri Christi comparatio.

Cantic 4.

20.
Aliorum SS. Patrum de Deipara castitate testimonia.

Sed & D. Leo Papa de virginitate B. Virginis sic loquitur: *Humano vsu & consuetudine quod credimus caret, sed diuinâ potestate subnixum est quòd virgo conceperit, & quòd virgo pepererit, & virgo permanserit. Non hic cogitetur parientis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo natus est, quia volebat & poterat.* Et sanctus quoque Epiphanius suo calculo eamdem approbat, dum sic inquit: *Quis vmquam, aut quo seculo, ausus est proferre nomen S. Mariæ, & interrogatus, non statim intulit virginis nomen? Ex ipsis enim nominibus epithetis etiam virtutis signa elucent: dignitatis enim appellationem acceperũt iusti, vnusquisque decenter vt congruum fuit. Et Abrahamo quidem impositum est epitheton amicus Dei, & non dissoluetur; Iacob verò vt Israël vocetur, & non alterabitur: Apostolis Boanerges, hoc est filij tonitrui, non relinquetur; & S. Mariæ vox Virgo, & non mutabitur: impolluta enim permansit, & sancta.* Nec abit

S. Leonis.

S. Epiphanij. Hæresi 78.

S. Fulgentij. Serm. de Laudibus Mariæ.

vel latum vnguem S. Fulgentius, cuius hæc sunt verba: *Qui dirupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quantò magis in suâ matre, quod inuenerit integrum, potuit non violare nascendo? Creuit enim eius partu integritas potiùs, quàm decreuit; virginitas ampliata est potiùs quàm fugata.* Pulchella admodum sunt quæ & D. Augustinus habet.

S. Augustini. Serm. 14. in Natali Domini.

Ipsa, inquit, *lex sine graphio scripta est in tabulis lapideis. Lege, & intellige, quòd panem in eremo terra produxerit, cuius semen nullus induxerit arator: Virga enim Aaron annis plurimis siccata in templo floruit, nuces produxit. Ergo qui scripsit lapideas tabulas sine stylo ferreo, ipse grauidauit Mariam Spiritu sancto: & qui produxit panes in eremo sine aratore, ipse prægnantem Virginem reddidit sine corruptione: & qui fecit virgam sine humore folia germinare, ipse fecit filium Dauid sine semine.* Et alibi paria habet, vt: *Maria mater Christi electa est super omnes creaturas, & præelecta, vt de mundissimâ matre mundissimus nasceretur filius: quia sicut in cælo habuit Christus Patrem immortalem & incorruptibilẽ, sic & in terrâ habuit matrem omni corruptione carentem.* Et adhuc alibi: *Contra cunctorum hominum conceptionis consuetudinem, absq; viri semine, & carnalis oblectamento voluptatis, Virgo concepit, & sine damno virginitatis, peperit.*

Item alibi. Serm. 63. de Natiu. Dom.

Lib. 3. de Mirabilibus S. Scripturæ, cap. 2.

Nec S. Ioannes Chrysostomus ab hoc præconum virginitatis B. Mariæ numero se excludi patitur, qui in hæc verba erumpit: *Ancilla est Deipara, virgo est, & mater. Nemo hic ambigat, ac dicat: Quomodo, si Dei ancilla est Maria, Dei quoque parens est? Fide, ô homo, quæ dicuntur apprehẽde; crede, inquam, & anxiè noli perquirere. Alioquin si dumtaxat ratione assequeris quæ credere volueris, caue ne in periculũ te ipse conicias. Si verò Verbi internũtio & Ecclesiastici fidem adhibueris, non tu rationem de fide tuâ; sed Antistes redditurus est. Crede igitur his quæ de Virgine à nobis dicuntur, neque dubites eamdem, & Dei ancillam, & Dei parentem, tum rursus virginem & matrem profiteri. Ancilla quidem est, quia vera illius, qui ex ipsâ prodiit, creatura; Deipara est, quandoquidem Deum ipsum, qui carnem ex ipsâ suscepit, enixa; virgo est, vtpote omnis virilis seminis omnisq; concubitus expers; ac mater denique, quòd parens eius effecta sit, qui absque principio ab ipso parente suam habuit generationem.*

S. Ioannis Chrysostomi. In Hypapante Domini.

21. Cyrillus præterea Ierosolymitanus perdoctè atq; pereruditè aduersus Deiparæ Mariæ virginitatis hostes sic inuehitur: *Perquire, vtrum est difficilius, senem & sterilem, muliebribus iam deficientibus, parere, aut virginem iuuenẽ generare? Sterilis erat Sara, & deficientibus iam muliebribus, præter naturam peperit. Igitur cùm & sterilem & virginẽ parere, sit præter naturam, aut vtrumq; nega, aut vtrumq; concede: idem enim Deus vtrumq; operatus est. Neq; enim audebis dicere, quòd illic quidem possibile, hîc autem possibile est Deo.* Et rursus: *Quæ natura manum hominis vnâ horâ in diuersas species mutare potest, & rursus restituere? Quomodo igitur Moysis manus sicut nix alba apparuit, & rursus statim albedine illâ destituta est? Sed dices: Quia Deus voluit, mutata est. Illic Deus volẽs potest, hîc autem numquid non potest? Ac illud quidem signum ad Aegyptios tantùm, hoc autem datum erat signũ vniuerso orbi. O Iudæi! vtrum autem difficilius est virginẽ parere, aut virgam in animal mutari? Confitemini, quòd tempore Moysis rectissima virga serpentinâ specie facta est, & horrenda fuit etiam proiicienti illam: & qui antè tenebat virgam, paullò pòst fugiebat illam tãquam draconem; reuerà enim draco erat. fugiebat autem non metuens id quod tenuit, sed timens mutatum. Dentes habuit virga, & draconis oculos. De virgâ itaq; oculi pullularũt, & de vtero virginis puer non nascitur Deo volẽte? Taceo hîc, quod & virga Aaron, quod reliquæ arbores per annos plurimos faciunt, hoc per vnam noctẽ fecit. Quis enim nescit, quòd virga cortice destituta, etiamsi in mediis fluminibus plãtetur, numquam florebit? Sed cùm Deus non naturam arborum sequatur, verùm naturæ est fautor; etiam infructuosa siccaq; virga, & sine cortice, effloruit, & nucum fructum protulit. Qui igitur virgæ, propter typicum summum Sacerdotem, præter naturam fructum contulit; nũquid Virgini, vt verum Sacerdotem summum pareret, hoc non conferret? .... O doctissimi Iudæi, vnde Adam factus est? Nonne Deus accepit puluerem de terrâ, & creauit creaturam hanc admirandam? Quid igitur? lutum quidem in oculum mutatur, & virgo non generabit? Quod apud homines maximè est impossibile, nũquid Deus præstare non poterit?*

21.

S. Cyrilli Ierosolym. Catecnesi 18.

Pulchræ probationes rei præsentis ex Scripturâ.

Nec omittendus nobis est S. Hieronymus, qui inter multa alia sic scribit: *Hortus conclusus, fons signatus, soror mea sponsa. Quod clausum est atq; signatum, similitudinem habet Matris Domini, matris & virginis: & tamen hæc Virgo perpetua multarum est mater virginum.* Accerseamus prętereà D. Gregorium Nyssenũ, qui, *Ecce Virgo*, inquit, *concipiet, & pariet filium. O miraculum ingens! Virgo mater fit, & virgo permanet: & nec virginitas partũ prohibuit, neque partus virginitatem soluit. Decebat enim eum, qui propter integritatẽ initium faceret ab eâ, quæ natiuitati eius inseruiret, integritatẽ atq; incorruptibilitatem, &c.*

S. etiam Hieronymi. Li. 1. aduers. Iouinian. Tom. 2.

Vt & D. Greg. Nyssen. Serm. de Sãctâ Christi Natiuitate.

22. Quadrigã adhuc SS. Patrũ producimus, qui pleno cursu virginitati B. Mariæ patrocinati sunt. S. Basilius itaq; sic refert: *Zacharias Mariam post Domini conceptionem in virginum loco constituens, à Iudæis inter templũ & altare interfectus est. A populo namq; accusatus, quòd rem prodigiosam inauditamq; prædicaret, virginem scilicet parientem citra virginitatis corruptionem.* Cui velut optionem submittimus S. Ambrosium. *Quid incredibile*, ait ille, *si contra vsum originis naturalis peperit Maria, & virgo permanet, quando contra vsum naturæ mare vidit & fugit, atq; in fontem suum fluenta Iordanis remearunt? Non ergo excedit fidem quòd virgo peperit, quoniam legimus petram vomuisse aquas, & in montis speciem maris vnda solidata est. Non ergo excedit fidem quòd homo exiuit de virgine, quando petra pro fonte fluuium scaturiuit, ferrum super aquas natauit, ambulauit homo super aquas. Ergo si hominem vnda portauit, non potuit hominẽ virgo generare?* Vide eumdem quoque in libro de Institutione Virginis, c. 7. D. Cyprianus hæc adfert: *Non aliqua naturæ iniuria Matrem Domini læsit, quoniam sine tormento peperit, quæ in cõceptione caruit voluptate. Vltrò maturus ab arbore baiulâ fructus elapsus est, nec oportuit vellicari quod spontè prodibat.* B. Irenæus deniq; Lugdunensis eleganter: *Quemadmodũ Adam protoplastus de rudi terrâ & adhuc virgine (nondũ enim pluerat Deus, & homo non erat operatus terram) habuit substantiam, plasmatus ex manu Dei; ita recapitulans in se Adam ipse Verbum existens, ex Mariâ, quæ adhuc erat virgo, rectè accipiebat generationẽ Adæ recapitulationis.*

S. item Basilij. Homil. 15. ex variis.

S. Ambrosij. Epistolâ 8.

S. Cypriani quoque. Lib. 1. contra Iudæos, c. 9.

S. demum Irenæi. Lib. 3. ca. 31.

Ita de B. Mariæ virginitate Sancti Patres: quã vt illa perpetuò conseruaret, mirũ est, quàm ad eam se interim dum in templo degeret, præparauerit. Dignum erit vt Doctorum potiùs quàm domestica nostra verba proferamus. *Mos tuus*, inquit D. Anselmus, *erat modicæ loquelæ, expeditæ obedientiæ, mundæ proximationis; sine audaciâ, sine turbatione, sine irâ; benignè salutans.* Clariùs S. Ioannes Chrysostomus: *Beata Maria vltra omnẽ humanæ naturæ modum, modestiam atq; temperantiam excoluit, ac ob id vniuersorum Dominum in vtero gestare promeruit. Quòd si quæ virgo alia maiori modestiâ, vel ampliore puritate*

23.

Quomodo sese B. V. in templo præparauerit, vt dignum fieret Dei habitaculum. Opusculo de Formâ & moribus B. Mariæ. In Hypapante Domini.

aut

aut maturitate præter hanc ornata extitisset, illam sibi Dominus præ hac ipsâ omnino in habitaculum delegisset.

In Vitâ S. Virginis.

S. Epiphanius quoque opera, quibus virginitatem suam B. Virgo conseruabat, sic describit: *Erat docilis, & amans doctrinam: & non solum in sacris litteris, sed etiam in lanâ & lino, serico & bysso laborabat. Erat prætereà in sapientiâ & intelligentia super omnes illius sæculi adolescentulas, cunctis admirationi, quæ & verè consuerit ea quorum vsus erat in templo Sacerdotibus.* Atque hisce aliisq; piis & religiosis exercitiis contra omnem carnis impugnationem adeò præmunita fuit B. Virgo, vt ipso etiam gelu non obrigesceret, interque medios ignes non æstuaret, in ipso denique cum B. Iosepho inito matrimonio castissima & illibatissima tam mente quàm carne permaneret.

24. *Maria Iosepho in vxorẽ traditur.* Lib. 1. cap. 7.

Verùm enimuerò, quomodo hoc matrimoniũ factum sit, & an verum matrimonium extiterit, sic sancti Patres attestantur. Nicephorus quidem antiquissimus Historicus sic rem totam explicat: *Postquam adoleuit virgo, consilium Sacerdotes agitarũt quid de eâ statuerent, ne in sacrum eius corpus admittere quidquam viderentur. sacrilegium namque prorsus se commissuros putabant, si viro eam coniungerent, atque in seruitutem legis coniugalis redigerent, quæ semel Deo dicata esset. E diuerso autem puellam eo ætatis flore in sacratiore templo versari, nec permissum lege putabant, nec rem satis honestam & decoram esse videbant. Sæpè itaque & multum re deliberatâ, diuinitus eis per inspirationem ostenditur, vt eam alicui, qui ad templum sedulò esset, sponsæ nomine committerent. Eum verò talem esse debere, cui rectè virginitatis custodia demandaretur. Porrò non alius Iosepho visus est magis idoneus ad sponsalium coniunctionem contrahendam, quippe qui propinquitate generis eam contingeret (eiusdẽ enim tribus erant) insuper & senio & honestate morum iã pridem bonæ fidei existimationem consecutus esset.* Neque verò hæc solus Nicephorus dicit, sed & præstantissimi è veteribus Patres idipsum suo calculo & suffragio approbarũt. *Cùm creuisset*, inquit S. Gregorius Nyssenus, *& adulta esset, consilium Sacerdotes agitarunt, ne quid de sacro illo corpore statuentes, in Deum peccarent: nam subiugare eam legi naturæ, & addicere quasi seruam, si quis eam in matrimonium duceret, res longè absurdissima minimeq; decora videbatur: sacrilegium enim prorsus existimabatur, si homo ius ac potestatem in donarium; quod Deo consecratum ac dedicatum esset, haberet: quoniam legibus sancitum est, vt vir potestatem habeat in vxorem. Vt autem intra templum vnà cum Sacerdotibus mulier versaretur, & in sanctis conspiceretur, neque consuetum neq; vsitatum erat, & simul grauitas & honestas rei non aderat. Deliberantibus igitur eis super hac re, diuinitus incidit consilium, vt darent eam cuidam viro nomine desponsationis, is autem ad custodiendam virginitatem eius idoneus esset. Inuentus est igitur Ioseph talis, qualem ratio consilij requirebat, ex eadem cum Virgine familiâ ac tribu; isq; de consilio Sacerdotum sibi puellam despondit. Coniunctio autẽ non vltra sponsalia progrediebatur.* Quin & S. Ioannes Damascenus idem asserit, dum sic inquit: *Cùm Virgo ad ætatis florem iam perueniret, atque intra templi septa manere lege prohiberetur, sponso, hoc est, virginitatis custodi, Iosepho à Sacerdotum choro traditur. qui quidem integram & inuiolatam legem ad senectutem vsque, si cum aliis conferatur, seruauerat.* Eademq; omnino dicit S. Germanus Constantinopolitanus Patriarcha. *Quale verò illud fuerit consilium, & qualis sors ad electionem Iosephi in sponsũ Virginis, S. Hieronymi verbu dicamus, siue quicumq; auctor fuerit libri de Ortu Virginis. Pôtifex, inquit Auctor ille, publicè denuntiabat, vt virgines, quæ in tẽplo constituebantur, vt quæ ætatis tempus implessent, domũ reuerterentur, & nuptiis, secundùm morẽ gentis, & ætatis natiuitatem, operam darent. Cui mãdato cùm ceteræ paruissent, sola Virgo hoc se facere non pôsse respondit, dicens, se quidẽ & parentes suos Domini seruitio mancipasse, & insuper seipsam Domino virginitatem vouisse. Tunc Pontifex præcepit, vt ad festiuitatem, quæ imminebat, omnes ex Ierosolymis & vicinis locis primores adessent, quorum consilio scire posset, quid de tam dubiâ re faciendũ esset. Omnibus in communi placuit, Dominum consulendũ. Et cunctis quidem ad orationem incumbentibus, Pontifex ad consulendum Deum ex more accessit. Nec mora, cunctis audientibus, de oraculo & Propitiatorij loco vox facta est, Isaiæ vaticinium requirendum esse, cui illa virgo desponsari & commendari deberet. Secundùm ergo Isaiæ vaticinium, Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini; cunctos de domo & familia Dauid nuptui habiles non côiugatos, virgas suas allaturos ad altare, prædixit, & cuiuscumq; virga florem germinasset, & eius cacumini spiritus Domini in specie columbæ consedisset, ipsũ esse cui Virgo desponsari deberet. Erat autem Ioseph de familiâ Dauid grandæuus. Cunctis verò virgas suas iuxta ordinem deferentibus, ipse solus suam subtraxit. Vnde cùm nihil diuinæ voci consonum apparuisset, Pontifex iterùm Deum consulendum putauit. Qui respondit, solum illum ex iis qui designati erant, virgam suam non attulisse, qui virginem desponsare deberet. Proditus est itaq; Ioseph: Cùm enim virgam suam attulisset, & cacumine eius columba de cælo veniens consedisset, liquidò omnibus patuit, ei virginem desponsandam fore.*

Quod ex speciali Dei ordinatione factum asseritur.

Orat. de Natiuit.

In hoc Nicephoro D. Gregorius Nyssenus suffragatur.

Eisdem S. Ioannes Damascenus. Orat. 1. de Dormit. Deiparæ.

De Oblat. Virginis in templo. *S. Germanus.*

Isaiæ 11.

Supra vi gã S. Iosepho columba volauit; vt Mariæ maritus designaretur.

25. *Verum inter hos extitisse matrimoniũ.* Matthæi 1.

Iam verò verum inter S. Iosephum & B. Virginem matrimonium extitisse, ipsa in primis Scriptura sacra testatur, vbi apud S. Matthæum Euangelistam sic legimus: *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Et infra Angelus Iosephum sic alloquitur: *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugẽ tuam.* Quæ vt clariùs intelligamus, obseruari poterunt, quæ Hugo Victorinus piè simul ac sapienter scripsit. *De incorruptâ*, inquit, *virginitate Matris Domini hoc fides piè, & pietas fideliter côfitetur, quòd eius perfectionem nullo modo imminuit coniugalis consensus, quemadmodum castitatem eius non violauit conceptus, nec integritatem abstulit partus. Ipsa namque eadem Virgo perpetua, & cùm despôsaretur viro, non tamen deseruit aut mutauit propositum continentiæ: & cùm fecundaretur, non à viro concepit & sine libidine; & cùm filium ederet, peperit sine dolore.* Quin ille idem, vt amplius se explicaret, *Discutiamus*, inquit, *vt postulas, quid sit coniugium, & ex eius definitione proposita côsideremus, si simul esse potuerũt in Virgine-matre, & consensus coniugalis, & propositum virginitatis. Quid enim est coniugium, nisi legitima societas inter virum & feminam? in quâ videlicet societate ex pari consensu vterq; semetipsum dedit alteri. Spontaneus ergo consensus inter virum & feminam coniunctos, quo vterq; alteri debitorem sui se spondet, iste est qui coniugium facit: & coniugium est ipsa societas tali consensu côfœderata, quæ altero viuente alterum ab altero non dissoluit. Est adhuc alius consensus, sed carnalis commercij ab inuicem exigendi & reddendi, similem inter virum & feminam pactionem constituens, comes, non effector côiugij; officium, & non vinculum: qui & ipse tamen, cùm pari ab vtroq; votô suscipitur, pari etiã necesse est debito teneatur...... Porrò huius debiti necessitas illos coniugatos sibi ad inuicẽ non subiicit, in quibus dum coniugium côtraheretur vel sanciretur,*

Serm. de Desponſ. Mariæ.

Pulchrè admodum exponitur cum virginitate consistere matrimonium.

ciretur, huius operis consensus non præcessit: nec tamen hoc officio cessante, veritatem seu virtutem cõiugij cessare credendũ est, immò tãtò veriùs potiùs ac sanctius coniugiũ esse, quod in solo charitatis vinculo, & non in concupiscentia carnis, libidinis ardore fundatum est. Idem planè confirmat S. Augustinus, apertè docens, coniugiũ non tam in corporũ permixtione quàm in animorũ consensu cõstare, dum sic ait: *Non fallaciter dictum est ab Angelo ad Ioseph, Noli timere accipere Mariam coniugem tuã. Coniux vocatur ex primâ fide desponsationis, quam concubitu nec cognouerat, nec fuerat cogniturus, nec perierat, nec mẽdax manserat cõiugis appllatio, vbi nec fuerat nec futura erat illa carnis commixtio.* Idem quoq; alibi, *Exẽplo*, inquit, *Virginis & Ioseph insinuatur fidelibus coniugatis, etiam seruatâ pari consensu continentiâ, posse permanere vocariq; coniugium, non commixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.* Imò loco suprà citato, *Cur non*, rogat, *coniuges maneant, qui ex consensu concumbere desinunt, si manserunt coniuges Ioseph & Maria, qui concumbere nec inceperunt?* Posteà subiungit: *Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi; proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum: fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum diuortium.* Hæc Augustinus.

Idẽ testatur S. Augustinus.
Lib. 1. de Nuptiis & concupiscentia, cap. 11.
Lib. 2. de Consensu Euangelist.
Lib. 1. de Nuptiis & concupisc.
Omnia Matrimonij bona in illo coniugio.

26. Iam, vt virginitatem suam & castimoniã eò firmiùs obseruaret, nec vel in minimo ab eius obseruatione sedulâ diuelleretur, perpetuo & æterno se Deo voto obstrinxit, quod & suprà attigimus, & hoc in loco probandũ est, vel illorũ causâ, qui vt votorum vim eludant, hoc negare & pernegare non reformidant. Certè etiam hoc, ingens mortificationis adeoq; satisfactionis fuit opus in B. Virgine. Si enim, vt hactenus vidimus, ipsa virginitas est satisfactoria; si etiã, vt supponimus, Catholiciq; omnes admittunt, non solùm virtutem hanc, sed & quamcumq; aliam, si ex voto fiat, magis esse meritoriam; an non insigniter admodum Mariæ satisfactionẽ inde creuisse putabimus, quæ ex voto, in ipso quoq; coniugio, corporis castitatẽ seruauit? Agedum ergo, probatũ iam ibimus, Deiparam perpetuo se castitatis vinculo adstrinxisse: cuius rei testes habemus plures & fide dignos, quorum etiam verba in medium adducere non pigebit. Apponius illud Canticorum, *Vox turturis audita est in terrâ nostrâ*, pro hoc proposito B. Mariæ accommodat, *nam turtur*, inquit, *quia auis est castissima, typum gerit castissimæ Mariæ, cuius instar turturis vox, emittens virginitatis votum, audita est in terrâ nostrâ, qualis à sæculo nusquã personuerat.* Abulensis sic ait: *Sola sine exemplo placuit femina Christo, id est, non fuit aliqua quæ emisisset votum virginitatis, propter Deum, ante Dominam nostram.* Quin etiam Albertus Magnus huic sententiæ patrocinium præbet in hæc verba: *Beata Virgo est mater omnium in virginitate, quæ prima sine præcepto, consilio vel exemplo, virginitatis munus Deo obtulit, per quod omnes virgines per imitationẽ virginitatis genuit.* Rupertus quoque liberis eamdem opinionem amplectitur, inquiens: *Dicunt, & verè dicunt, quia votum virginitatis Deo prima vouisti.* Venerabilis Beda idem credit, *Prima*, inquiens, *feminarum tantæ virtuti se mancipare curauit. Et: Virgini diuino munere collatum est, vt prima inter feminas Deo virginitatis munus offerret.* D. Antoninus insuper idem confirmat, sic aiens iisdem pænè Alberti Magni verbis: *Beata Maria est mater omniũ in virginitate, quia prima sine præcepto, consilio vel exemplo, virginitatis munus Deo obtulit, & per virginitatis votũ, opprobrium virginitatis abstulit, & eam in se consecrauit, & sic omnes virgines per imitationem sui genuit.* Nec inde abit S. Bernardus, cuius hæc sunt verba: *Tu Virgo, non dicam præceptum virginitatis, sed nec consilium nec exemplum habebas, nisi quòd Spiritus sancti vnctio docebat te de omnibus; ac sermo Dei viuus priùs tibi factus est magister, quàm filius.* Vetustissimus denique omnium Abdias Babylonicus hæc S. Bartholomæi verba refert: *Hæc virgo cùm execraretur omnem virum, prima Deo omnipotenti vouit. Primam autem ideò dixi, quia ex quo Deus homo factus est, ab initio sæculi nulla hoc votum Deo obtulit. Hæc ergo prima inter feminas constituit in corde suo, vt diceret: Domine, offero tibi virginitatem meam; cùm hoc à nullo homine nec verbo didicisset, nec exemplo ad imitationem videlicet in vitâ constituisset, vt virgo pro amore Dei specialiter permaneret.*

Votum perpetuæ virginitatis B. Virgo Maria emisit.
Quàm sit hoc & meritoriũ & satisfactorium.
Multi virginitatem suam B. V. vouisse testati sunt.
In Cantica.
Super 4. Regum.
Super Missus. cap. 82.
In cap. 3. Cãticorum.
In Lucæ c. 1. Homil. de Annun.
Parte 4. Sũmæ Theolog. tit. 15. cap. 20. §. 10.
Homil. 3. super Missus est.
In Vitâ S. Bartholomæi.

Et ne quis hæc præter Scripturæ auctoritatem affirmari causetur, hoc suum assertum SS. Patres ex illis B. Virginis verbis, quæ Angelo diuini Verbi incarnationem sibi proponenti reposuit, stabilitum volunt. Quid verò aliud hæc B. Mariæ responsio, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, insinuat, quàm, Eum cognoscere non possum, eum cognoscere non debeo, impedita scilicet voto perpetuæ castitatis quod Deo nuncupaui? Si hic sensus non sit, quis alius erit? Certè nullus, aut omninò ineptus. Vt ergo nos è communi sensatorum doctrinâ verum Marianæ responsionis sensum percipiamus, sequamur atq; audiamus Patrũ in ea verba expositiones. D. Anselmus, *Si*, inquit, *cuilibet virgini desponsata, in animo suo disponẽti nubere, diceretur, Filium habebis, non miraretur, neq; interrogaret quomodo istud fieret; vtpote quæ se desponsatam & in proximo nupturam sciret, & à viro grauidari vsu naturæ speraret. Hoc autem Maria non immeritò mirata est, & quomodo fieret, quod promittebatur, sciscitatur, quoniam quamuis desponsatam, tamen se numquam nupturam neq; virum cognituram certò sciebat.* Nec dissentit Beda, qui B. Mariæ mentem his verbis exprimit: *Quomodo fieri potest vt concipiam pariamq; filium, quæ in castimoniâ virginitatis vitã cõsummare disposui?* Accedit & Hugo Victorinus, *Quid est*, inquit, *Virum non cognosco? Propositum habeo virum non cognoscere, propositum habeo virginitatis decus vsq; in finem inuiolatum conseruare. Quomodo si dixerit quis, Vinum non bibo, non possum hũc calicem gustare, hoc est, Quia in voto habeo vinum non bibere, non possum gustare calicem.* Itaque S. Augustinus hoc modo B. Mariam loquentem inducit: *Quomodo fiet istud, vt ego grauescam ex pudico & castissimo marito, quoniam virum penitus non cognosco. Desponsata sum homini iusto: si cum illo non conuenero, vnde erit quod generabo? Sed si poteris fieri vt concipiam intacta, & generem clausa, indica modum, & paratum inuenies cor meum: omnibus enim modis exopto me ego Deo meo, vt habeam prolem, & non perdam pudorem.* Idem verò alibi rem totam pleniùs & planiùs explicans, votumque Mariæ ex eodem Euangelij loco adstruens, in hunc modum scribit: *Ipsa quoque virginitas Mariæ gratior & acceptior, quia eã non conceptus Christus viro violaturo, quã conseruaret ipse, præripuit; sed priusquã conciperet, iam Deo dicatam, & de quâ nasceretur elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuntianti Angelo Maria reddidit. Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profectò non diceret, nisi se Deo virginẽ ante vouisset. Sed quia hoc Israëlitarũ mores adhuc recusabãt, desponsata est*

27. *Assertionem suã ex Scripturis Patres probant.*
Homiliâ Intrauit Iesus in quoddam castell.
Quàm insigniter ad propositum explicetur Deiparæ verbum Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.

est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potiùs contra violentos custodituro quod illa iam vouerat. Quamquam etiam, si hoc solum dixisset, Quomodo fiet istud? nec addidisset, Quoniam virum non cognosco, non quæsisset vtique sibi promissum filium quomodo filia paritura esset, si concubitura nupsisset. Poterat & iuberi virgo permanere, in quâ Dei filius formam serui congruenti miraculo acciperet: sed exemplo sanctis futura virginibus, ne putaretur sola virgo esse debuisse, quæ prolem etiam sine concubitu concipere meruisset, virginitatem Deo dicauit, cùm adhuc quòd esset acceptura nesciret; vt in terreno mortaliq; corpore cælestis vitæ imitatio voto fieret, non præcepto; amore eligendi, non necessitate seruiendi. Ad alia, quæ de B. Mariæ satisfactionibus suppetunt argumenta, conuertimur.

28. *Beata Virgo heroicis suis virtutibus quodãmodo Incarnationẽ promeruit.*

Si non-neminem ex insignibus sæculi nostri concionatoribus audire velimus, facilè nobis persuasum erit, beatissimæ Virginis sanctitatem inde quoque laudem commeruisse, quòd heroïcis suis operibus ac virtutum exercitiis, quodammodò Verbi diuini ex se incarnationem obtinuerit, eoque id ei laudabilius fuisse, quò magis labore suo atque industriâ hoc ipsum promeruit. *Beata Virgo*, inquit, *vt honorificentiùs Dei genitricis dignitate gauderet, illam (diuinâ gratiâ sibi opitulante) propriis operibus promeruit. Sic enim loquitur Ecclesia Catholica: Vt dignum Filio tuo habitaculum effici mereretur. Sic etiam locuti sunt antiqui Patres.* Adducit posteà nonnullos Patres qui id disertis verbis expresserunt, vt Augustinum, qui sic ait: *Recole in libro Isaiæ virginem quam legisti, & gaude quia tu esse meruisti.* Et alibi: *Talis eligitur virgo de toto mundo, quæ tantum haberet meritum, vt Filium Dei in semetipsâ susciperet.* S. Ioannem Chrysostomum, sic loquentem: *Beata mater vltra omnem humanæ naturæ modum modestiam ac temperantiam excoluit, & ob id vniuersorum Dominum in vtero gestare promeruit.* Diuum quoque Hieronymum hæc scribentem: *Tantæ puritatis Maria extitit, vt mereretur effici mater Dei.* D. item Gregorium ista promentem: *An non sublimis Maria, quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticẽ supra omnes Angelorum choros vsque ad solium Deitatis erexit?* Petrum Damianum aientem: *Ad instar cæli plenitudinis totius diuinitatis meruit esse sacrarium ac templum.* Doctissimum quoq; Alcuinum, Caroli Magni olim præceptorem, qui hæc dicit: *B. Maria fuit lana mũdissima, & in virginitate clarissima, & incomparabilis vniuersis qui erant sub cælo hominibus, eratq; talis ac tanta, vt sola digna esset quâ nullus alius indueretur nisi augustâ præditus dignitate.* Venantium deniq; Fortunatum hoc carmen effundentem:

Virginitas felix, quæ partu est digna Tonantis,
Quæ meruit Dominum progenerare suum.

Carthagena libr. 5. Homil. 18.

In Sermonib. de Natiuit. Domini. Serm. 10. de Natiuit. Domini.

Serm. de Præsentatione Christi.

Epist. ad Eustochium.

In 1. Regum cap. 1.

Serm. 3. de Natiuit. Mariæ.

Lib. de Trinit. cap. 14.

Lib. suorum Carminum.

29. *Quã potissimum virtute id B. Virgo promeruerit disputant Doctores.*

In eamdemq; sententiã conspirare ait reliquos omnes Patres, Basilium, Ambrosiũ, Bernardum, Epiphanium, Honoriũ, Eusebium, Magnentium & Euthymiũ, quorum loca etiam dicto loco assignat. Cui verò præcipuè virtuti Incarnatio adscribenda sit, Doctores disquirũt; & quod S. Thomas tribuit eius sanctitati in cõmuni, Petrus Damianus meritorum eius abundantiæ vniuersaliter, S. Hieronymus ipsius puritati, & D. Ioãnes Chrysostomus illius modestiæ ac temperãtiæ; hoc ipsum S. Ansbertus eius assignat humilitati, dũ sic inquit: *O quantum meruisti! ô quantum, beata humilitas, in sacrâ Virgine valuisti! Quid in Virgine meruisti, nisi vt Deum homini coniungeres, vt Verbũ carni vnires?* Huic suffragium suum addere videtur ipsa beatissima Virgo, quando nimirum suo in Cantico ita cecinit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatã me dicent omnes generationes.* Anteà quoque hoc ipsum B. Elisabetha, Virginis Mariæ cognata, fidei eius attribuerat, sic inquiens: *Beata es quæ credidisti, quoniã perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.* quam sententiam secutus D. Augustinus, feliciorem Mariam fuisse asserit, quòd verbũ Dei custodierit, quàm conceperit; & beatiorem quòd fidem Christi quàm carnem conceperit: imò aliis in locis idcircò B. Mariam, carnalem Christi matrem effectam fuisse tradit, quòd id per fidẽ fuisset promerita. Cùm ergo in virtutis huius exercitio laborem & difficultatem intermixtam fuisse fatendum sit, quis non meritò inde colliget, infinitum sibi B. Virginem satisfactionum cumulum ex vnâ castitatis virtute collegisse?

Lib. 2. de Profundissimâ humilitate Mariæ.

Luc. 1.

Ibid.

Tract. 16. in Ioann. De S. Virginit. cap. 2.

30. *Quarta fuerit Mariæ obedientia.*

Sed, Deus bone! quàm immẽsùm augebitur infinitus iste, quem dixi, satisfactionũ cumulus, si ei affundantur, quæ ex reliquarum virtutum cõmercio ei emerserunt merita. Obedientiã sanè & humilitatem B. Virginis incomparabilem ex hisce eiusdem verbis, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*, cõmodè colligũt Doctores. De obedientiâ ergo vt priùs agamus, ea sufficienter patet è verbo *Ecce*, ampliùs è verbo *fiat*, luculẽtissimè denique è verbis illis, *secundùm verbum tuum*. Quòd dictio *ecce* promptitudinẽ ad obedientiam sese offerentis designet, pluribus in locis docuit sacra Scriptura; ex illo præcipuè Balaami, qui vt Regis Balac mandato se morigerum admodum probaret, dixit *Ecce adsum*. Quin & Propheta Samuel paratum se ad Domini mandata significare volens, ita respondit: *Ecce ego Domine*. In Christi quoq; personâ Isaias Prophetâ sic ait: *Ecce ego, mitte me.* & ipse quoq; Regius Prophetes, *Tunc dixi: Ecce venio.* Abigail quoq; vt Dauidis mandata, cibũ pro suis militibus deposcentis, intellexisset, obuiã ei facta dixit: *Ecce famula tua*, &c. Dum B. Virgo dixit *fiat*, totaliter sese ad obediendum paratam esse indicauit: & vt omnino se resignatam, omnibusq; quæ Deo placerent acquiescentẽ exponeret, tandem *secundùm verbum tuum* adiunxit. Hæc ineffabilis B. Mariæ obedientia quantum humano generi bonũ attulerit, illi nos Doctores docent, qui suis in scriptis iustissimum desiderium, quod humanâ natura habuisse scribitur, vt Maria suum ad Verbi diuini ex illâ incarnationẽ consensum præberet, nobis expresserunt. Sanctus in primis Augustinus sic inquit: *Responde iam virgo sacra, assensum tuum Angelus præstolatur, Deus in portâ est. Angelum quem moraris expectat. O beata Maria, sæculũ omne captiuum tuum deprecatur assensum, te Deo mundus suæ fidei obsidem facit, per te parentum suorum iniurias abstergi deprecatur.* Et S. Bernardus: *Expectamus & nos, ô Domina, verbum miserationis. Ecce offertur tibi pretium salutis nostræ: statim liberabimur, si consentis. Hoc totus mundus tuis genibus prouolutus expectat. Ex ore tuo dependet redemptio captiuorum. Responde ergo verbũ, quod terra, quod inferi, quod & expectãt superi.* Et posteà: *Expectat Angelus responsũ. Expectamus & nos, ô Domina, verbũ miserationis, quos miserabiliter premit sentẽtia damnationis. In sempiterno Dei Verbo facti sumus omnes, & ecce morimur: in tuo breui responso sumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur. Hoc supplicat à te, ô pia Virgo, flebilis Adam cum miserâ sobole suâ, exul de paradiso: hoc Abraham, hoc Dauid, hoc cæteri flagitant*

Luc. 1.

Numer. 22.

1. Reg. 3.

Isaiæ 6.

Psal. 39.

1. Reg. 25.

Quomodo omnes ad hãc anhelauerint.

Serm. de Natiuit.

flagitant Patres sancti, hoc totus mundus tuis genibus prouolutus expectat. O Domina, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & superi: ipse quoque Rex & Dominus quantum concupiuit decorem tuum, tantum desiderat & responsionis assensum.

31\. Iam & profundissima B. Virginis humilitas ex illis elicitur verbis: *Ecce ancilla Domini.* ad quæ sic D. Ambrosius: *Ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est.* Quam profectò virtutem adeò Deo pergratam fuisse S. Bernardus ait, vt quamuis ob virginitatem ei placuisse eam asserat, ex humilitate tamen concepisse affirmet. Quadrat quamoptimè huic rei locus ille Canticorum, vbi Sponsa in personâ B. Virginis sic inquit: *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis.* Ad cuius loci intelligẽtiam duo obseruanda sunt. Vnum, quòd accubitus ille, in quo ab æterno Filius Dei recubuit, fuerit sinus Patris. Alterum, quòd nardus (ex S. Isidori traditione) sit herba exilis & humilis, numquam ad altitudinem excrescens: quæ & ipsa ad tumores sanãdos prodest, & ad feminarum conceptionem admodum est vtilis, vt Bercorius obseruauit. Hisce iam præstructis, hunc commodè loci huius sẽsum paraphrasticum dare possumus: Cùm Filius Dei recumberet in sinu Patris, nardus virgineæ meæ humilitatis fragrantem adeò odorem emisit, vt ipse illo allectus, ad sinum vteri mei descenderit, vt illum in eo conciperem, & carne humanâ ibi induerem. Sed, quando suauem hunc odorem Virgo beata dedit? Tum nimirum, cùm ex aureo cordis sui thuribulo verba illa prodierunt: *Ecce ancilla Domini.* Meruit itaque B. Virgo Christum concipere, idque de congruo, vt Scholastici loquuntur, per suam humilitatem, quæ commodissimè per nardum designata fuit, tum propter suam paruitatẽ & exilitatem, tum propter facultatem suam sanandi tumores, quæ proprietas propria est humilitatis, vt quæ omnẽ vanitatis & inflationis tumorẽ dissoluit; tum propter eam vim, quâ pollet ad conceptionem in mulieribus promouendam, vt iure merito S. Bernardus dixerit, ex humilitate B. Virginem concepisse. Nec desunt è Patrum choro, qui hoc ipsum planè adfirment. Vide. Rupertus Abbas hæc habet: *Cùm te reputares indignam viro, facta es digna Deo. Cùm te indignam iudicares facere semen in Israël, facta es digna facere salutem.* Ibidem: *Cùm indignam te reputares lactare filium hominem, digna habita es vberibus pulcherrimis, mammis virgineis lactare filium Deum & hominem.* Nec ab his abludit Ambrosius Ansbertus, qui sic loquitur: *O quantum meruisti!* (alloquitur verò D. Virginem) *ô quantum, beata humilitas, in sacrâ Virgine valuisti! Quid enim in sacrâ Virgine meruisti, nisi vt Deum homini coniungeres, vt Verbum carni vnires?* Hugo etiam Victorinus nonnulla eam in rem adfert. *Respexit,* inquit, *Deus humilitatem Mariæ, cui per humilitatis meritum dedit, vt Filium suum in carne cõciperet, & de suâ carne verum Deum & hominem, omnium bonorum Saluatorem, generaret.* Omnium verò diffusissimè S. Augustinus sic B. Virginem compellat: *Dic mihi, quæso, iam Sancti Sanctorum mater, quemadmodum myrtini odoris, & niuei coloris lilium conuallium, sine fucco humanæ propaginis, & sine imbre carnalis seminis, in sinu Ecclesiæ germinasti? Dic mihi, quæso, vnica mater, quibus manibus, vel quo Deitatis articulo in vtero tuo formatus est Dei Filius, cuius Deus solus est pater? Dic, obsecro te per eum qui te fecit, vt ipse fieret in te: dic, inquam, mihi, quid boni egisti, aut quantum præmium obtulisti, per quas potestates ambisti, quos patronos adhibuisti, quæ suffragia præmisisti, quo spiritu, vel quâ cogitatione ad hoc, vt acciperes, peruenisti, vt virtus & sapientia Patris, quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, totus vbique manens, & sine vlla sui mutatione in vterum tuum veniens, ita castellum castum tui ventris incoleret, vt ingrediens non læderet, exiens incolume custodiret? Dic mihi, quæso, quemadmodum ad hoc peruenisti? Et illa: Quæris à me quod obtulerim munus, & vnde mater effecta sim Creatoris? Oblatio mea fuit humilitas mea, & ideò magnificat anima mea Dominum, quia respexit, non auro eleuatam tunicam meam, non pomposo cultu radiantis auri ornamentum ceruicis meæ, aut pretiosorum lapidum, vel margaritarum dependentium in auribus meis decorem, aut gemmarum ruborem attendit, nec fuco mendaci colorem; sed respexit humilitatem ancillæ suæ: venit enim ad me mansuetus, requiescens super maternum spiritum humilem, & mansuetum, ac trementem verba sua.*

O insignem etiã Virginis sacratissimæ humilitatẽ!

Cant. 1.

Lib. 17.

Lib. 12. Reductorij moralis, c. 106.

Ex duabus iã dictis virtutibus Incarnationem potissimum promeruit.

Lib. 3. in Cantica.

In Cõment. super Apocalypsim, l. 1.

In Annotationibus super, Magnificat.

Serm 2. de Natiuit. B. Mariæ.

Pulchra Mariana humilitatis per S. Augustinum descriptio.

Liceret equidem haud immeritò hìc adiungere, quantis iterùm diuinis, ex incarnatione seu conceptione filij sui ac Dei, charismatibus Maria fuerit adimpleta. Volunt sanè nonnulli, plus eam vnico hoc actu promeruisse, quàm simul omnes Sancti vniuersis suis iunctim operibus. Sed hæc Theologis disquirenda & excutienda relinquo, vnico contentus S. Bernardino, qui diuina B. Virginis charismata contemplans, è feruoris affectu quo æstuabat, piè sic dixit: *Sicut diuinæ perfectiones omni intellectui incomprehensibiles sunt, sic perfectiones gratiarum, quas Virgo suscepit in cõceptione Filij Dei, soli intellectui diuino, & Christo, & sibi cõprehensibiles extiterunt. Et quia, quòd Deus generaret Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cùm ei ex naturâ conueniret, vt per viam naturæ intellectus produceret verbum per omnia sibi æquale. Immò impossibile est quòd non generet Deum, propter suam fecũditatem. Sed quòd femina conciperet Deum, est & fuit miraculum miraculorum. Oportuit enim, vt sic dicam, feminam eleuari ad quamdam quasi æqualitatem diuinam per quamdam infinitatem perfectionum & gratiarum, quam creatura numquam experta est. Vnde, vt credo, ad illum abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritus sancti, quæ in beatam Virginem descenderunt in horâ diuinæ conceptionis, intellectus humanus vel Angelicus numquam potuerunt attingere. Quod declarans Angelus Gabriel, cùm ab eo quæreret B. Virgo, & diceret, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? respondit Angelus, se tantum mysterium ignorare, dicens: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. quasi diceret: Quod à me quæris ignoro; sed æterna sapientia. Doctor, qui tibi solùm hoc altissimum mysterium reseruauit, te illuminatissimam experientiam edocebit.* 32.

Quàm ingentẽ gratiarũ copiam in filij Dei conceptione B.V. receperit.

Serm 61. de Virgin. bened. cap. 12.

Hæc verò gratiarum abundantia in B. Mariâ minimè fuit otiosa, nec ipsam solam affecit aut ditauit, sed in proximorum quoque commodum exũdauit, ipsamq; B. Virginem ita interiùs accendit & inflãmauit, vt exteriùs quoq; illustres eiusdẽ ederet effectus. quod Euangelista innuens, subiungit: *Exurgens Maria,* tantâ nimirum gratiâ repleta, & abundantissimè repleta, *abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda; & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth.* Dic tu rationem, 33.

Hæc gratiarũ in Maria abundantia in omnes etiã nos redundauit.

Super c. 1. Lucæ.

nem, Sanctæ Ambrosi maxime Doctor. *Maria*, inquis, *non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio, in montana perrexit. Quò enim iam Deo plena, nisi ad superiora, cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina, sancti Spiritus gratia.* Hæc D. Ambrosius.

In Visitatione B. Virginis tria notãda.

Tria itaque sunt quæ B. Virginem (vt & hoc obiter attingamus) ad cognatam suam Elisabeth destinarunt, quia nimirum læta erat pro voto, religiosa pro officio, & festina præ gaudio. Explicemus singula. Prima causa fuit ex parte ipsiusmet Virginis, vt nimirum cognatæ suæ de prole conceptâ, quod ex Angelo audierat, congratularetur. Docuit hoc Ven. Beda, dum sic inquit: *Intrat Virgo domum Zachariæ, non quasi dubia de oraculo quod acceperat, sed vt congratulatura de dono, quod conseruam Elisabetham recepisse didicerat.*

Homiliâ de Visitat.

Eamdem quoque rationem assignat Rupertus Abbas, qui in hæc verba prorumpit: *Habent Sancti hoc proprium omnes, qui in veritate sanctum habent charitatis spiritum, vt ita gratulentur de beneficiis quæ aliis impensa perceperunt, quemadmodum & de illis quæ sibimet collata sunt. Tunc properant mutuos sibi præbere conspectus, tunc dulcia miscere colloquia, tertatimq; opportuna importuna impendere inuicem deuota charitatis obsequia. Quid est hoc, nisi trahi, & currere in odorem vnguentorum Domini? Pretiosum erat vnguentum, magnum erat beneficium, quod dederat Dominus sterili conceptum tanti viri, qui in virtute & spiritu Eliæ deberet præire ante Dominum, & quo maior non surrexit inter natos mulierum. Tantum ac talis vnigeniti odorem perceperat, talis ac tanti beneficij famam siue nuntium ab ipso Angelo acceperat, & de hoc, sicut de cæteris, quis finis, quæ consummatio futura esset, Spiritu sancto docente, magna Prophetissa non ignorabat.*

Lib. 1. in Cantica.

Læta pro voto,

Et hoc innuere voluit S. Ambrosius, dum ait, *læta pro voto.* Alteram causam expressit idem Sanctus hisce verbis, *religiosa pro officio;* innuens, B. Virginem ideò etiam molestum iter hoc suscepisse, vt seruitium seni prægnanti ac pariturae cognatæ exhiberet; quod alibi disertis quoque verbis exprimit, quando nimirum sic ait: *Discite & vos, sanctæ mulieres, sedulitatem, quam prægnantibus debeatis exhibere cognatis. Mariam, quæ antè sola in intimis penetralibus versabatur, non à publico virginitatis pudor, non à studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardauit.*

Religiosa pro officio,

Quod ipsum S. Bernardus significauit, qui sic ait: *In ipso conceptionis initio; quando potissimùm ceteræ mulieres miserabiliùs affliguntur, Maria totâ alacritate montana conscendit, vt Elisabeth ministraret.* Et Ven. Beda eòdem respicit, *Intrauit*, inquiens, *domum Zachariæ, non vt verbum Angeli mulieris attestatione probaret, sed vt mulieri prouectæ ætatis virgo iuuencula ministerium sedula impenderet.*

Ser. Signum magnum.

Homil. de Visitat.

Et festina præ gaudio.

Tertiò denique fuit B. Maria festina præ gaudio, quod suâ vtique & filij sui præsentiâ euenturum erat. Nam, sicut ait S. Lucas, *factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu sancto Elisabeth, & exclamauit voce magnâ, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.*

Lucæ 1.

Quod mysterium quia eximium est, ac Marianam gloriam & perfectiones, vt & affectus ipsius efficaciam non parum commendat, Patrum aliquot de hac re asserta auscultasse iuuabit. D. Petrus Chrysologus hæc scribit: *Feruens nuntius, qui antè gestiuit nuntiare, quàm viuere. Impatiens Dux, qui antequam perueniret ad corpus, peruenit ad Regem: antè rapuit arma, quàm membra: antè aciem petiit, quàm lucem: & vt vinceret mundum, vicit antè naturam: ipse sine visceribus, viscera matris exsuscitat; & quia tardabat corpus, solo spiritu implet euangelizantis officium.* Et alibi: *Beatus Ioannes, qui antè Dei spiritu meruit intonare, quàm hominis vagiret in fletu. Beatus, qui antè diuina possidere meruit, quàm sortiretur mala. Beatus, qui antè meruit cælum scire, quàm terram. Beatus, qui antequam videret præsentia, futura meruit nuntiare. Beatus, qui antè Deum capere potuit, quàm suo ipse caperetur à corpore. Beatus, & singulariter beatus, qui antequam saperet quærere, meritum conquisiuit. Beatus, qui non peruenit ad gloriam per laborem, sed ad labores gratiæ dignatione descendit.* Atque iterùm: *Videtis quemadmodum Ioannes antè peruenit ad cælum, quàm tangeret terram: antè accepit diuinum Spiritum, quàm haberet humanum: antè suscepit diuina munera, quàm corporis membra: antè cœperat viuere Deo, quàm sibi: antè rapuit arma, quàm membra: & vt vinceret mundum, vicit antè naturam; antequam Christum præcederet, ipse se præcessit.*

Sermone 91. qui est 4. de Annunt. & concept. Baptistæ.

Quanta Ioannis Baptistæ ex Visitatione Mariana felicitas.

Sermon. 88.

Audiatur etiam S. Bernardus venustè & eleganter sic disserens: *Ioannes de spiritu tamquam Angelus eruditur, nimirum tantò propinquior Verbo, quantò vox verbo vicina, cui nullâ voce mediâ, quod foris sones, oportet intimari. Neque enim Ioannem prædicatio, sed inspiratio docuit, quem repleuit Spiritus in vtero matris suæ: verè ardens, & vehementer accensus, quem sic præoccupauit flamma cælestis.*

Quid de hic Bernardus scripserit.

Serm. de Natiuit. Io. Baptistæ.

Patres hos excipiat Patrum Basileensis Concilij insigne testimonium, quo nimirum illi professi sunt, ex Visitatione B. Mariæ cælo terræque commune exortum esse gaudium. *Maximam*, inquiunt, *lætitiam fidelium mentibus debet ingerere excellens illud mysterium, quo matres illæ gloriosæ totius salutis nostræ ferentes primordia, tam familiariter inter se exultarunt. Cùm Virgo excellentissima de stirpe Dauid Maria, & veneranda inter filias Aaron Elisabeth inuicem colloquuntur: quarum altera Creatorem omnium, & Saluatorem nostrum, altera Præcursorem Ioannem gestat in vtero: Et sanctæ illæ miraculo matres effectæ, diuina inter se beneficia commemorant. Felix quidem illa conuentio, & magis diuinæ gratiæ splendoribus illustrata, quâ tales & tantæ in vnum matres pariter adfuerunt; quarum altera virgo ex Spiritu sancto, altera sterilis & in senectute conceperat, & vtriusque partum cælestis Angelus prænuntiauit: quâ Ioannes adhuc maternis reclusus claustris, venientem ad se Dominum in Mariæ vtero veneratur: quâ repleta Spiritu sancto Elisabeth, conceptui Filij Dei & Saluatoris hominum gratulatur: quâ & ipsa prophetans, beatissimam dixit Mariam quæ credidit; & reuelata sibi mysteria pandit: quâ denique repleta ineffabili gaudio mater Domini Maria, omnia in corde suo conferens, quæ vel priùs ab Angelo, vel tunc ab Elisabeth perceperat, in canticum & laudem Domini prorumpit.* Et post nonnulla: *Quis tanta mysteria condignis laudibus prosequatur? quis hæc gaudia sufficienter exponat, dum Ioannes nondum natus exultat, Elisabeth aduentu Virginis collætatur, Maria in mysteriis gaudet; clausus in vtero Saluator à suo recognoscitur Præcursore: lætantur Angeli, cælum & terra iucundantur, & tota Trinitas nouis laudibus glorificatur? Hæc igitur gaudiorum magnitudo specialibus est extollenda præconiis, hæc singu-*

Quid alij Patres.

Concil. Basil. sess. 43.

Insigne sanè de illâ Visitatione elogium.

laribus solemnitatibus celebranda, in quâ & Dominum qui gestatur in vtero, & Virginem quæ portat, & sterilem quæ concepit, & Præcursorem qui visitatur, condecentibus prosequi debemus honoribus.

34. *Mariam suo effecisse Cantico dicimus, quod Orpheũ fecisse Poetæ finxerunt.*

Iam hanc de Visitatione B. Mariæ materiam finietamus, sed Canticum à B. Virgine sub eadem compositum, quod & ipsum hoc mysterium mirè illustrat, nos paululũ adhuc detinebit. Faciet id insigniter ad scopum & propositum nostrum, dum Purgatorij animabus visitationem spiritualem ex corporali Deiparæ Visitatione applicare velimus. Dicere licebit, Mariam verè fecisse, & adhuc Visitationis suæ efficaciâ quotidie facere, quod de Orpheo fabulantur Poetæ, illum nimirum plures ab inferorum carcere & pœnis spiritus exsoluisse, quòd, ad inferna delatus, ingeniosè adeò atque dulcisonè suâ genios infernales oblectauerit citharâ, vt obstupefacti & mitigati, liberè manes à se abire permiserint. Meritò itaque quidam cecinit, & hoc Orphei factum sic Mariæ applicuit:

Cantoris Orphei ad organum Minos silet,
Abire ad astra liberos manes stupens:
Præstare idest tuum, Maria, tartarum
Quæ ciue nudas, astra reples incolis.

Serm. 10. de Annunt.

Audiamus itaque, vt cum S. Augustino loquar, *quomodo tympanistria nostra cantauerit. ait enim, Magnificat anima mea Dominum.* Quod Canticum vt dulcisonum planè esse, omnibus liquidò constaret, variis prænominibus à diuersis Auctoribus appellatum fuit: nonnulli enim *Canticum Virginis* vocant; alij, *Carmen triumphale Mariæ*; alij, *Virgineum epithalamium*; alij, *dulcißimum atque eruditißimum Mariæ canticum*; alij, *insignem & memorabilem S. Virginis concentum*; alij, *diuinum & excellentißimum Mariæ canticum*; alij, *carmen sanctißimum, & diuinum encomium Mariæ*; alij, *compendium diuinorum Sacramentorum*; alij, *Catholicam & humilem professionem Mariæ*; alij, *symbolum Marianum*; alij, *Euangelicam doctrinam Mariæ*; alij, *Catechismum perfectorum*; alij, *suauem harmoniam Deiparæ*; alij, *Marianam citharam perfectißimè temperatam*; Origenes hunc ei olim titulum præfixit, *Vaticinium virginale*: Cancellarius Parisiensis, *Psalterium decachordum*; Canisius, perdoctus ille ex almâ Societate illâ Doctor, *primus noui Testamenti hymnus.* Hæc profectò titulorum & inscriptionum varia varietas non solùm Cantici huius super reliqua cuncta ἐξοχὴν & excellentiam demonstrat, eò quòd nullum aliud honorificis hisce cognomentis cohonestari possit, sed & ad abditissima arcana, quæ in illo latent, detegenda, viam illa scrutantibus parat, cùm, vt S. Augustinus affirmat, si quis titulum libri probè nouerit, facilè totius libri notitiam assecuturus sit. Vnius præcipuè horum titulorum prærogatiuas & mysteria, vnde de reliquis iudicium fieri facilè poterit, exponenda nobis proposuimus, illius nimirum, quo eximius ille & deuotissimus Gerson, Parisiensis olim Academiæ Cancellarius præstantissimus, præstantissimum hoc B. Virginis Canticum *Psalterium decachordum* appellandum censuit, planè ad exemplum Regij illius Prophetæ, qui sic ait: *Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altißime. Ad annuntiandum manè misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem, in decachordo psalterio, cum cantico in citharâ.* Organum ergo illud, siue instrumentum Musicum, in quo Rex Dauid cantica & psalmos à se in laudem Dei compositos decantare solebat, decem chordas habebat, quæ pro vario digitorum attactu varios eosque dulcissimos edebant sonos; in eoque manè misericordiam Dei, per noctem verò veritatem eius suauissimo harmoniæ concentu deprædicabat. Optimè hæc animarum materiei conueniunt, si dicamus B. Virginem Mariam decachordum istud Magnificat, quod decem versibus velut decem fidibus constat, plectro purissimæ linguæ suæ pulsasse, vt manè, idest citò, & primâ occasione annuntiaret, & præsentem exhiberet misericordiam Dei iis fidelibus, qui quodammodò extra sphæram eiusdem misericordiæ positi, iustitiæ diuinæ pœnas in Purgatorio luunt. Sed quomodo hæc Dauidis verba, *& per noctem veritatem tuam*, huic expositioni congruunt? an non potiùs eidem refragantur? Minimè verò, quin potiùs vice versâ suffragantur. Nox mortem significat, vt Christus Dominus docuit, inquiens: *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.* Veritas autem iustitiam designat, secundùm illud Psalmistæ: *Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas.* Canit ergo in decachordo suo Deipara veritatem per noctem, hoc est, efficaciâ ac merito huius Cantici satisfacit veritati & iustitiæ diuinæ pro animabus illis, quæ aliàs duros Purgatorij cruciatus sustinere ex iusto Dei iudicio deberent. Pro quo nota, non solùm hoc Cantico Mariam insigne suum meritum auxisse, ac impetrationem suam, de quâ præcedenti Capite egimus, efficaciorem reddidisse, sed & satisfactionum suarum cumulum immensùm adaugmentasse: cùm nimirum Catholicis indubitatum sit, operam satisfactoriorum vnam, imò præcipuam, esse orationem. Satisfactionem ergo Maria promeruit, quoties, quod semper faciebat, orabat: nec communem solummodò orationem fundebat, sed sublimissimo atque excel[...]no modo sine intermissione diuina contem[...]atur.

Homil. 8. in Lucam. Gerson Tract. 2. in Magnif. Canisius lib. de Deiparâ, cap. 5.

Super Psalm. 35.

Quod Psalterium decachordum fuerit, applicatur defunctis.

Psalm. 91.

Quo sensu B. Virgo noctu cecinerit veritatem Dei.

Ioan. 9.

Psal. 24.

Idipsum materia de functorum applicatum.

35. Lectu sanè dignissima sunt, quæ præstantissimus ille Theologus Ioannes Carthagena de contemplatione B. Virginis scribit, vbi scitu percommoda accommodatitio sensu de eadem re habet. Inter alia, inquit, quæ commemorat sacra Scriptura ad tabernaculum illud, quod Salomon ædificauit, spectantia, lucernam & ignem coram tabernaculo semper extitisse ait: quod in hoc sacrosancto Virginis tabernaculo excellentiori modo factum reperio. Nam cùm primùm illud Altissimus extruxit, continuò in eo lucernam posuit altissimæ contemplationis, quam nec per momentum fuisse extinctam per totum vitæ illius tempus, etiam dum somno vacaret, multa mihi suadent. Primum quod de eâ aptè intelligendum venit illud Sapientiæ: *Inextinguibile est lumen ipsius.* & illud Cantici, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* quod non de Sponso, sed de Sponsâ beatâ Virgine egregiè exponit Rupertus super cap. 5. Cantici; sicut de eadem ad idem explicat S. Bernardus verba illa, *Virgam vigilantem ego video*; instar Iacobi, qui dormiens contemplabatur scalam. Et Serm. 4. expressè ait, cùm dormiebat, fuisse Virginem in altiori contemplatione quàm fuerit quicumque alius cùm vigilaret. Secundum, quòd in eamdem sententiam conspirant grauissimi Theologi, Albertus Magnus, Richelius,

Lib. 1. Homil. 13.

De altissimâ Deiparæ Virginis contemplatione.

Sap. 7. Cant. 5.

Serm. 51. art. 1. c. 4.

Hanc nec dormiendo intermisit.

lius, Bernardinus Bustensis, & Canisius cum aliis modernioribus, qui lib. 1. *Cuius cogitatio*, inquit, *cura & voluntas omnis in lege Domini noctes ac dies versabatur, vt etiam dormiente illâ, sicut meminit Ambrosius, Mariæ vigilaret animus, qui frequenter in somno aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat.* quæ vltima verba desumpsit ex D. Ambrosio 2. de Virginibus. Tertium, quòd rationes etiam non parùm vrgentes eidem sententiæ adstipulantur, quarum primam desumo ex auctoritate D. Augustini, vbi de hominibus in statu innocentiæ sermonem faciens, ait: *Tam felicia erant somnia dormientium, quàm vita vigilantium.* Potiori ergo ratione de beatâ Virgine dici potest, somnum eius tam felicem fuisse dormiendo, quàm vigilando: illud enim, quod perfectionis gratiæ in illo statu communicatum est, quis negabit verisimile esse beatæ Virgini non fuisse concessum? Deinde quia valdè probabile est, idque docent grauissimi Doctores, beatam Virginem habuisse scientiam infusam diuinorum mysteriorum, vti asserunt *a* D. Bernardinus Practicâ de B. Virgine, & *b* Albertus Magnus, & *c* D. Antoninus approbat in hoc Alberti Magni doctrinam. Idem & Dionysius Rikelius. At est manifestissimum in Theologiâ, scientiam infusam esse independentem in suâ operatione à conuersione ad phantasmata, & ab operatione sensuum. Poterat ergo beata Virgo dormiens vti illâ scientiâ, & per actus illius dormiens vigilare. Ad hæc quia, vt communis fert Doctorum sententia cum D. Bernardo: Quod aliis, licet paucissimis est concessum, B. Virgini minimè creditur fuisse denegatum: sed Salomoni concessum fuit vt dormiens corpore, mente vigilaret, vt docent Nicolaus de Lira & Dionysius, & colligitur ex prædicto loco Regum, quia ibi narratur, quòd Salomon in somno petiit à Domino sapientiam. postulatio autem est actus mentis & arbitrij; multi etiam viri sancti, & præcipuè Prophetæ, ex speciali dono Dei diuina mysteria dormientes intellexerunt, vt constat ex verbis Iob, dum ait: *Quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos, instruit disciplinâ.* Vnde D. Thomas 1. 2. adducens illud Numerorum, *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini per somnium, aut in visione, loquar ad eum*; ait, in tali casu conseruari vsum liberi arbitrij. Ac tandem, quia in somnis contingere potest, vt quis mente vigilet, docuerunt *a* Abulensis, *b* Petrus Thiræus, *c* Pererius, & *d* Pineda, adductis ad id testimoniis ex Platone & Cicerone; quibus addo *e* Hippocratem. Quantò ergo verisimilius est, id supernaturali Dei virtute Virgini accidisse, vt non solùm vigilans, sed & dormiens à contemplatione numquam cessaret? Imò D. Gregorius Nyssenus in Cantica, vbi B. Virgo cinnamomo comparatur, ait hac speciali virtute præditam esse hanc arborem, vt si dormientis ori imponatur, nullâ re impediri dormientem, quò minus interrogantibus respondeat. Quantam ergo, quod è Mariano Cantico probare intendebamus, hinc quis occasionem habet colligendi, quanta ex parte orationum & contemplationum suarum B. Virgo incrementa satisfactionum perceperit?

Lib. 2. contra Iulian. cap. 9.

Idipsum multis probatur.

a Serm. 4. art. 1. c. 4.
b Lib. de B. Virgine c. 71. & c. 96.
c 4. part. tit. 15. c. 17. §. 1. & c. 18. §. 2.
d Super c. 5. Cantici.

Epist. 174. ad Canon. Lugdunēses.

Super 3. Regum 3.

Iob 33.

1. 2. quæst. 113 art. 3. ad 2. Num. 12.

a Lib. 1. Paralip. c. 1. quæst. 8.
b de Apparatu imaginum cap. 5.
c Lib. 2. de Obseruatione somniorum.
d Super Iob ad cap. 33. v. 15.
e Lib. de Insomniis.
Nyss. super Cantic. 4.

36. Addamus, quàm sublimis fuerit sic concinendi ratio. Decem potissimùm in Scripturâ Cantica reperiuntur laudata, quibus ob varia Dei beneficia eiusdem encomia recensentur. Horum omnium excellentiam, imò & maiorem, vt Mariæ Canticum complexum esse demonstraretur, haud abs ratione *decachordum* fuit appellatum, vtpote versibus decem decantatum. Excellentia igitur huius Cantici vel inde elucet, quòd reliquorum omnium tam veteris quàm noui Testamenti Canticorum argumenta miro planè & diuino artificio in se contineat. Illa enim omnia hunc præcipuè scopum respiciunt, vt agant vel de gratiarum actione, aut de amore inter Sponsum & sponsam, aut de liberatione ab aliquo ingruenti malo, aut de instruendis ignorantibus, aut de victoriâ ab inimicis reportatâ, aut de hostium oppressione, aut de diuinis laudibus, vel de abditis arcanis reseratis, aut denique de promissionibus diuinâ liberalitate adimpletis. Gratias olim referebat Deo populus Israeliticus, hoc concinens Canticum: *Ascendat puteus, quem foderunt principes, & parauerunt duces multitudinis in datore legis, & in baculis suis.* Salomon de amore sermonem instituens, in personâ sponsæ canit: *Osculetur me osculo oris sui.* Propter liberationem à morte cecinit Ezechias: *Ego dixi in dimidio dierum meorum: Vadam ad portas inferi.* Isaias ob singulare aliud liberationis collatum sibi beneficium clamauit: *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi. Conuersus est furor tuus, & consolatus es me.* Anna ob accepta munera canebat: *Exultauit cor meum in Domino, exaltatum est cor meum in Deo meo.* Moyses ad docendos ignorantes cantauit: *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Debbora propter partam de hostibus victoriam hoc genere cantici alios ad diuinas laudes incitauit: *Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino. Ego sum, ego sum quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israël* Propter mirabilem oppressionem & submersionem hostium in Mari rubro, extulit vocem Maria soror Moysis, hilari voce diuinas laudes cantans: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est: equum & ascensorem proiecit in mare.* Dauid zelo diuini cultûs frequenter diuina præconia promebat: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.* Zacharias magni Baptistæ parens, ad diuina sibi reuelata sacramenta referanda, quibus plenus erat, in canticum illud erupit: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.* Denique S. Simeon propter adimpletam sibi diuinam promissionem, non visurum se mortem, nisi videret Christum Dominum, velut cygnus iam moribundus, sonorâ voce intonuit: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace.* Volupéne vobis est auscultare, quàm omnia isthæc istorum Canticorum argumenta artificiosissimè suo Cantico incluserit diuina nostra Tympanistria? Auscultate. Vt Deo gratias ageret, cecinit: *Magnificat anima mea Dominum.* Vt dilecto Sponso congauderet, addidit: *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Propter præseruationem à multiplici humanæ conditionis miseriâ, quam humili in se affectu respiciens agnoscebat, subiunxit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Propter ingentia & inaudita sibi collata beneficia adiecit: *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* Ad instructionem verò pusilla-

Decem Canticorum in Scripturis contentorum excellentiam vnum B. Virginis complectitur.
E Carthagenâ lib. 6. Homil. 9.

Ostenditur res in singulis.

Num. 21.
Cant. 1.
Isai. 38.
Ibid.
1. Reg. 2.
Deut. 31.
Iudic. 5.
Exod. 15.
Psalm. 117.
Luc. 1.
Luc. 2.

Explicatur istum Magnificat.

pusillanimium ita cantauit: *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Propter partas à Christo de hoste victorias hæc protulit: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* Ob diuinitus à Deo factam inimicorum oppressionem & confusionem, dixit: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Propter diuinam liberalitatem & magnificentiam apposuit: *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Propter reuelationem & magnificationem diuinorum arcanorum, & præcipuè Incarnationis Verbi diuini sic effata est: *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* Tandem propter adimpleta promissa diuina coronidem Cantico suo imponens conclusit ita: *Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham, & semini eius, in sæcula.* Quòd si ergo tres pueri in fornace Babylonis non combusti canebant, cecinit etiam Maria, quòd ipsa esset rubus ardens incombustus, virginitatem cum maternitate in se vnâ complexa. Cecinit Moyses olim antiquam legem, quam, vt D. Petrus asserit, *neque patres nostri neque nos portare potuimus;* canit Maria pietatem ac suauitatem diuinam in omnes progenies. Cecinit Anna partum Samuelis; canit Maria virgineum partum Christi. Cecinit Ezechias mortalis suæ vitæ prolongationem; canit Maria de morte victoriam, ac vitæ reparationem. Cecinit Debbora triumphum, quem tulit populus Israeliticus de hostibus suis; canit Maria insignem atque gloriosum Christi triumphum & victoriam, quam de tyrannis, dæmone, mundo, carne, per propriam mortem reportauit. Cecinit Habacuc futurum, quem expectabat, Messiam; canit Maria Christum præsentem, quem in vtero suo gestat. Cecinit Iudith Holofernis capitis amputationem; canit Maria diabolici capitis contritionem, iuxta illud, *Ipsa conteret caput tuum.* Cecinit Isaias humani generis redemptionem, quam propheticis oculis iam agnouerat; canit Maria mundi restaurationem per Christum executioni mandari cœptam. Cecinit Simeon semel in vlnis portans Christum; canit Maria, per nouem menses Verbum Dei incarnatum vtero suo gestans. Cecinit Zacharias, quia factus est pater Præcursoris; cecinit Maria, quia facta est mater Saluatoris. Ecce quomodo Marianum Canticum reliqua omnia eminentiori modo contineat. Hæc omnia ad verbum propè ex Carthagenâ.

Applicantur huic ipsi reliquorum legis antiquæ Canticorum priuilegia. Act. 15.

Genes. 3.

37. *Per decem versus Mariani Cãtici, illius decem virtutes delineantur.*

Iam si tertium quoque Cantici istius mysterium quis enucleare velit, per decem Cantici Mariani versus, decem potissimas Mariæ virtutes, quibus ipsa eius oratio præcipuè effulsit & perfecta reddita est, obseruare poterit. In primo itaque versu, *Magnificat anima mea Dominum,* designatur eius in Deum gratitudo, quæ prima orantis est virtus. Nam, vt Mystici tradunt, à beneficiis Dei exordienda est oratio: quibus quia ad spem petitionum accendi solemus, indeque gaudium ex fiduciâ sumere, adiunxit statim Virgo Maria: *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* En vt gratitudinem, gaudium spei sequatur. Virtus tertia orantis est humilitas, quâ etsi is qui orat, Deum videat esse liberalissimum, & propterea fiduciam lætitiamque concipiat; in seipsum tamen conuersus, suam vilitatem ineptitudinemque ad boni quidpiam agendum agnoscit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Vnde quia Deum huic defectui resarciendo videt paratissimum, non præter rationem cum B. Virgine exclamat: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quod beneficium vbi rursum secum expendit, pro versu quarto diuinam in se potentiam expertus, eamdem profitetur exteriùs: *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* reuerentialemque timorem arripiens, Dei sese misericordiæ aptum reddit, inquiens: *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* qui timor vel inde maximè solidatur, quòd exempla recogitentur & in memoriam reducantur, quibus *fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui:* quibus, inquam, *deposuit potentes de sede,* &c, vt in contrariam virtutem excitaremur, *exaltauit humiles.* Ad bonorum item, tametsi pauperum, quales nos omnes agnoscere necesse est, incitamentum dictum est, *Esurientes impleuit bonis;* & ad malorum terrorem, qui in suis diuitiis aut viribus confidunt, *& diuites dimisit inanes.* Totam ergo in Deum curam proiicientes, à miseriis & defectibus se liberatos iri credunt, prout *suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* Quam certam impetrationis fidem vt orantes stabiliant, indubitanter Dei promissionibus innituntur, ac fundamentum firmum in iis ponunt, Omnipotentem nequaquam suis promissionibus defuturum confidentes, vt nec Israëli defuit, cui ex promisso misericordiam exhibuit. *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius, in sæcula.* Hactenus breuis & facilis orandi methodus ex ipsis Cantici Mariani verbis compilata: plura si cui arriserint in eodem contenta mysteria, secundùm alios elicere inde poterit species omnium beneficiorum, quibus homo Creatori ad gratitudinem exhibendam est obstrictus. E primo itaque versu supremam Dei potestatem, ac eminentissimum creationis iure dominium agnosce, dum nimirum B. Virgo illum per antonomasiam appellat Dominum, inquiens: *Magnificat anima mea Dominum.* E secundo, ineffabile redemptionis beneficium exprimit, quia *exultauit spiritus eius in Deo salutari suo.* E tertio clementiam, quâ humanæ conditionis miseriam respicit, & respiciendo subleuat: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* E quarto conijce magnitudinem diuinorum operum: *Quia fecit mihi magna qui potens est.* Quintus versus, tempus diuinæ miserationis mundo aduenisse ostendit: *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Sextus rectitudinem diuinæ iustitiæ commemorat: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* Septimus diuinæ potentiæ brachium ostendit: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* In octauo demonstratur misericordia erga iustos, & iustitia contra peccatores à Deo exercenda: *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Nonus omnia signa, figuras, oracula, vaticinia atque Scripturas de susceptione carnis à Verbo, Laconico stylo tangit: *Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* In decimo & postremo, consummatio omnium diuinorum verborum ponitur, Deique in adimplendis promissis fidelitas: *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius, in sæcula.* quem Versum meritò Deipara vltimo loco posuit, tamquam complementum & summam aliorum.

Similiter virtutes omnes quas in perfectâ oratione reperiri necesse est.

In Magnificat Cantico vniuersa Dei in homines diffusa beneficia deprehenduntur.

Non

38. *Omnes Cantici B. Virginis partes ante prænuntiatæ.* Iterùm ex Carthagenâ lib. 6. Hom. 9.

Non contemnenda igitur, sed vel maximè deprædicanda est nonnullorum industria, qui singulos eius Cantici versus à variis prisci Testamenti Patribus quodammodò antè vsurpatos, adeoq; prophetico spiritu significatos obseruarunt. Videamus nos, illorumque studium nostris accommodemus. Canit primo loco Virgo, *Magnificat anima mea Dominum.* Achior ad Iudith dixerat (Iudith. 13.): *In omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel.* Canit Maria: *Exultauit spiritus meus.* cecinerat Isaias (Isai. 35.): *Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans: gloria Libani data est ei.* Canit Maria: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* at fecunda Lia in huius figuram dixerat (Genes. 29.): *Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus.* Canit B. Virgo: *Quia fecit mihi magna qui potens est.* id sanè prænuntiauerat Dauid (Psal. 32.): *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* & Salomon (Prouerb. 9.): *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Canit B. Virgo: *Et misericordia eius à progenie in progenies.* quod & ipsum Regius Vates præcinerat (Psal. 118.): *Misericordiâ tuâ Domine plena est terra.* Canit B. Virgo: *Fecit potentiam in brachio suo.* nec ab his dissonant verba Dauidis (2. Reg. 11.): *In manu tuâ Domine virtus & potentia.* Canit B. Virgo: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* quod ipsum & præmonuerat Salomon (Eccli. 16.), dicens: *Sedes diuitum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* Canit B. Virgo: *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* quibus persimilia iam olim tradiderat idem Salomon (Prou. 13.), inquiens: *Iustus comedit, & implebit animam suam, venter autem impiorum insatiabilis.* Canit B. Virgo: *Suscepit Israel puerum suum.* quod & Abrahæ Deus dixerat (Genes. 31.): *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* vaticinatusque fuerat Isaias (Isaiæ 52.): *Ecce seruus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea.* Canit denique B. Virgo: *Sicut locutus est ad Patres nostros,* vt omnia, quæ anteà commemorauerat, in Scripturis præmonstrata indicaret. Idem etiam B. Iudith prænuntiauerat (Iudith 13.), cùm ait: *Et in me ancillâ suâ adimpleuit misericordiam suam, quam promisit domui Israël.*

39. Part. 6. Homiliar. in Epist. Vigiliæ Visitationis. *Effectus Visitationis Deiparæ Animarum Purgatorij materiæ accommodantur.*

E quibus iam abundè liquet, verè de B. Mariæ cum Elisabeth congressu S. Gregorium Magnum dixisse: Quòd illæ honestissimæ matronæ, plenæ fide & Spiritu sancto, conueniunt, & mutuis testimoniis datis & acceptis, ad inuicem declarant Messiam præsentem & exhibitum, & esse hunc Iesum filium Virginis recèns iam conceptum, cui infans in vtero Elisabeth exilit gaudio inusitato & præternaturali; illa tanta sunt & tantorum bonorum testificatio ac confirmatio, vt in totâ æternitate celebrari satis, & exhauriri cogitatione & sapientiâ omnium creaturarum nequeant. O admirabilis Virginis Visitatio! ô excellentes Visitationis illius effectus! Quid mirum est, ex hac riuos etiam Indulgentiarum ad Purgatorij incendia deriuari? quid mirum, solatium sentire è tantâ lætitiâ afflictos, qui adeò torquentur, & carcere obscurissimo reclusi detinentur, in quo cum Ioanne exultare atque exilire gestiunt? Verùm enimuerò vel inde hac in materiâ B. Virginis satisfactiones maius ampliusque augmentum acceperunt, quòd non solùm ad salutandum, sed adiuuandam quoque cognatam suam aduenerit (*Probabile est Mariam in Natiuitate S. Ioannis adfuisse.*); nec venerit vt diebus tantummodò aliquot, sed tribus circiter mensibus ei suo seruitio prodesset, & tam in partu, quàm in puerperio, suo ei ministerio esset subleuamini, vt communior est Scriptorum opinio. Ita namque docuerunt *a* D. Ambrosius, *b* D. Antoninus, *c* Ven. Beda, *d* Glossa interlinearis & ordinaria, *e* Liranus, *f* Simon Cassianus & Origenes, *g* Hugo Cardinalis, nec non *h* Petrus Damianus, qui sic ait: *Qui librorum iustorum diligentioribus oculis inspexerunt, ibi se vidisse testantur, quòd ipsa Dei Genitrix felicem puerum primum de terrâ leuarit, & cognatæ partum omni prosecuta sit seruitute.* Quinimmò *i* D. Bonauentura censet, Virginem non solùm infantem propriis manibus suscepisse, & pannis inuoluisse, sed & ibidem vsque ad Ioannis circumcisionem commoratam fuisse. Denique in eamdem sententiam pronus *k* D. Bernardus sic inquit: *Mansit Maria cum Elisabeth vsque ad diem natiuitatis Ioannis, donec puerum natum sinu beatissimo confoueret, & vno pariete remoto, propinquiorem redderet præsentiæ Saluatoris.*

a In cap. 1. Lucæ. *b* Part. 1. Histor. tit. 5. c. 1. *c* Super c. 1. Lucæ. *d* Ibidem. *e* In Comment. eius loci. *f* Super c. 1. Lucæ. *g* Serm. de S. Ioanne Baptista. *h* Item Serm. de S. Ioanne Baptista. *i* Ad cap. 5. Vitæ Christi. *k* Ser. de Nat. Io. Baptistæ.

Hæc sententia prætereà ipsâ ratione fulcitur: cùm enim B. Virgo inter alias causas, ob quas Elisabetham visitauit, non infimam habuerit, vt Ioannem, futurum filij sui præcursorem videret, vt ait Beda (In c. 1. Lucæ), quin &, vt antiquiori cognatæ quoad posset inseruiret; ad eius certè pietatem & vrbanitatem spectabat, vt tempore partus, quo nimirum ampliùs eius ope, præsentiâ & ministerio indigebat, ab eâ minimè discederet, quin potiùs ad partus leuamen ei adesset, prolemque ita foueret, vt rectè de illâ vsurpari illud posset (Ruth. 4.): *Susceptum puerum posuit in sinu suo, & nutricis ac gerulæ fungebatur officio.* Quin tu, Lector, computa ipse: cùm ex Euangelij historiâ constet (Luc. 1.), sexto mense post Elisabethæ conceptionem ad eius domum abiisse B. Virginem, inque eâ tribus circiter mensibus permansisse, prætereque hos dies quidam alij fuerint intermedij, quibus nimirum B. Virgo ad iter tum se præparauit, tum illud confecit; an non integri nouem menses completi fuerunt, antequam B. Virgo à Zachariæ domo discederet?

40. *Diu mansit cum Elisabeth Maria; vt illius obsequium in bonum humani generis redundaret.*

Nec solùm obsequium suum tribus continuis mensibus cognatæ suæ B. Virgo exhibuit, vt satisfactionibus, humano generi posteà applicandis, ditior & auctior euaderet, sed & vt Ioannes & Elisabeth mira gratiæ ac virtutum incrementa acciperent. De profectu sanè Ioannis per trimestre illud tempus D. Ambrosius ad verba illa (Luc. 1.), *Mansit Maria cum illâ mensibus tribus*, sic loquitur: *Non sola familiaritatis est causa quòd Virgo diu mansit; sed etiam tanti Vatis,* id est Ioannis, *profectus. Nam si primo ingressu tantus profectus extitit, vt ad salutationem Mariæ, exultaret infans in vtero, repleretur Spiritu sancto mater infantis: quantum putamus vsu tanti temporis sanctæ Mariæ addidisse præsentiam? Vngebatur itaque Ioannes, & quasi bonus athleta accingebatur in vtero matris: amplissimo enim virtus eius certamini parabatur.* De profectu verò S. Elisabethæ hæc apud Origenem leguntur (Homil. 9. in Lucam): *Valdè indignum est, in puncto exultare infantem, repletamq; esse Spiritu sancto Elisabeth, per tres verò menses nec Ioannem nec Elisabeth ex vicinâ Matris Domini & ipsius Saluatoris præsentiâ profecisse.* Quin audeo ampliùs cum Origene dicere, etiam ipsum Zachariam huius Visitationis fuisse participem: nam præterquam quòd Incarnationis mysterium cognouit, prophetiæ donum, & cùm mutus anteà esset, loquelam, mediante B. Virgine, à Christo eius in vtero latente accepit. Meritò proinde dicere

cere possum, Zachariæ domui ex B. Mariæ præsentiâ contigisse, quod domui Obededom ex Arcæ aduentu à Domino concessum fuisse scribitur. *Benedixit*, inquit Scriptura sacra, *Dominus Obededom, & omnem domum eius*. Sed quàm diu Arca Dei ibi permansit? *Habitauit*, inquit Scriptura, *Arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus*. Videte quæso, quàm aptè, quàm item præcisè tempus mansionis Arcæ materialis in domo Obededom, conueniat cum mansione Arcæ nostræ spiritualis, quæ, vti dictum est à S. Lucâ, tribus quasi similiter mensibus in Zachariæ domo moram fecit. O felix præsentia Arcæ in domo Obededom, felix & præsentia beatissimæ Virginis in domo Zachariæ! Mansit tribus mensibus illa, mansit & hæc. Sed quanto fructu & benedictione vtriusque præsentia compensata fuit, tantum etiam luctum vtriusque abitus attulit. Quemadmodum enim de Obededom legitur, ex Arcæ priuatione eum fuisse contristatum, ita & de B. Mariæ discessu totam Zachariæ familiam doluisse, Patres sancti commemorant, quos inter est Eusebius Emissenus, qui sic ait: *Libet nunc intueri, quantas tunc Zacharias, & quantas Elisabeth lacrymas fuderint, quando Virgo Maria recessit inde, quando gaudium & stella maris in domum suam reuersa est.*

2. Regum 6.

Comparatio Arcæ & Mariæ, quæ vti illa domum Obededom, ita hæc Elisabeth benedixit.

Serm. 6 de Aduentu, in histor. de B. Mariæ Visit.

41. Explicatâ hactenus Virginis Mariæ saluberrimâ, adeoque non solùm D. Ioanni, sed & Purgatorij animabus Visitatione, sequitur vt de eius quoque efficacissimo partu, quæ ad animarum solatium faciunt, explicemus. Occurrunt in eo primùm illa, quæ hunc, ad non modicum patientiæ satisfactionumque Marianarum cumulum, præcesserunt. Si D. Hieronymo credimus, non multa solùm passus est Saluator mensibus illis nouem, quibus in materno corpusculo delituit atque accreuit, sed etiam, quia venit in similitudinem carnis peccati, matri earum molestiarum, quæ prægnantes plerumque comitari solent, occasio fuit. Inter alia ergo, quæ Mariam idem Doctor ratione partus filij sui sustinuisse affirmat, de intumescente eius vtero naturalibusque fastidiis ita locutus est: *Iunge, si libet, & alias naturæ contumelias, nouem mensibus vterum insolescentem, fastidia, partum, sanguinem, pannos: ipse sibi describatur infans tegmine membrorum solito conuolutus; ingerantur dura præsepia, vagitus paruuli, octaua diei circumcisio, tempus purgationis, vt probetur immundus. Non erubescimus, non silemus: quantò sint humiliora quæ pro me passus est, tantò plus illi debeo.* Quæ ne quis Deiparæ virginitati, honori, aut pudori præiudicare arbitretur, adiungere placuit, quæ S. Ildephonsus scripsit, probans qualiter sese Christus ad humanæ naturæ miseriam vilitatemque demiserit. Verba illius hæc sunt: *Quamuis Doctor Hieronymus in eo Opere, quo contra Heluidium egit, videatur excessisse, & in eo loco, vbi agit de hospitio vuluæ nouem mensium, & de veritate nascendi, quod ille hæreticus insultando proposuerat, quasi Maiestati diuinæ esset indignum ad tantam dignationem se humiliasse, vt inter viscera in vtero versaretur Virginis, vt inter femora feminea nasceretur tam sordidas: sic enim omnia opponens in contrarium, quasi hæreticus, vt destrueret fidei Catholicæ veritatem. Cui è contrario egregius ille veritatis assertor non cedendo, vt isti volunt, sed dignationem gloriosissimæ humilitatis Dei amplius commendando ait: Quantò viliora & inhonestiora pro nobis illa Maiestas diuina suscepit aut sustinuit, tantò carius nos redemit, & propensius honorandus est. Tali namque sensu, etsi non eisdem verbis, in quantum recolo, eidem respondens hæretico, videtur B. Virgini non infamiam vllius colluuionis aut pœnam peccati intulisse, sed dignationem diuinam, & exinanitionem immensam, & in formâ serui, reuerenter satis commendasse; non vt Virginem vexatam à Domino & exoneratam ostenderet, sed vt clementiam pij conditoris etiam huiusmodi hæreticis demonstraret. Idcircò non cessit istis cum Heluidio errantibus, sed corripuit, vt discerent non infamare Virginem, & Domino non derogare in formâ serui humilitatem. Non enim pudicitiam eius in aliquo læsam docet, qui tantum in eius laudem triumphat; neque ad horam cessit aduersariis, qui pro eâ tantum & tamdiu dimicauit verbi gladio, cui Deus contra hostes eius tantam resistendi contulit gratiam, reuincendi præbuit virtutem, vt nemo contra eum audeat insurgere.* Quid? quòd vltra ducentos & viginti Patres in Trullo congregati, absque secundinis Virginem peperisse asserant.

Quid S. Maria passa sit nouem mensium spatio, quo filium gestauit in vtero.

Contra Heluidium.

Serm. 2. de Purificatione.

Prædicta nihil honori Matris Christi obfuisse declaratur.

Synod. VII. can. 19.

Iam ipsum B. Virginis partum S. Lucas Euangelista sic descripsit: *Factum est autem in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima, facta est à Præside Syriæ Cyrino: & ibant omnes, vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam in ciuitatem quæ vocatur Bethlehem, eò quòd esset de domo & familiâ Dauid, vt profiteretur, cum Mariâ desponsatâ sibi vxore prægnante. Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies vt pareret. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diuersorio.* En quanta Virgo cum filio suo perpessa est: vicina iam partui, molestissimo sanè itinere, ex Nazareth ciuitate in Bethlehem ascendit, ab omnibus ibi neglecta, domoque & hospitio exclusa, stabulum ingredi, inibique parere, & in duro præsepio filium suum, quòd cunas non haberet, reponere coacta fuit. Plurima haud dubiè hic occurrerunt, quæ satisfactiones eius insigniter admodum multiplicari fecerunt: sed locus hic nimisquam est arctus, vt ea modò recensere possimus; materies diffusior, meritorum copia abundantior, quàm vt breuiter perstringi hic valeat. dabitur alibi commodius ea pertractandi tempus, & compendiosior auscultandi facultas, vbi nimirum de Saluatoris nostri humilitate & patientiâ, datâ operâ vberiùs agendi est animus. Quin tamen nonnihil de immaculatissimæ Virginis Purificatione dicamus, id suadet, quòd vel proptereà à Spiritu sancto præcipuè disposita & ordinata videatur, vt Purgatorij spiritibus purgationis eius merita & effectus applicarentur; quemadmodum & Christus Dominus ipse circumcidi voluit, vt homines à peccatis suis circumcideret. *Quid est autem*, inquit S. Bernardus, *quòd dicimus B. Mariam purificari? Quid verò quòd ipsum Iesum dicimus circumcidi? Illa enimuerò tam non indiguit purificatione, quàm neque ille circumcisione. Nobis ergo & hic circumciditur, & illa purificatur, præbentes exemplum pœnitentibus, vt à vitiis continentes primùm per ipsam continentiam circumcidamur, deinde à commissis per pœnitentiam purificemur.* 42.

Cap. 2.

Descriptus Virginis partus in S. Lucæ Euangelio.

Ex quo quànta cum filio passa sit mater elucet.

Beata Virgo nobis purificationem communicauit, vti & Christus circumcisionem.

Serm. 6. in Paruis.

Nobis itaque, qui indigemus, B. Mariæ Purificatio 43.

ficatio

Quid fulget in Mariâ mundandum?

ficatio prodest, cùm ipsa eâ pro se non indigeret. Colligitur id primùm ex ipsius puritate, de quâ Sancti Patres hæc edicunt. S. Eligius:

De Purificat. B. Mariæ.

Nequaquam immunda iudicatur, quæ sancto Spiritu obumbrante totius munditiæ & sanctitatis auctorem genuisse probatur. Elegantiùs D. Augustinus aduersùs Manichæos disputans:

De quinque legibus, c. 5.

Stulte, unde sordes in Virgine matre, vbi non est concubitus cum homine patre? Vnde sordes in eâ, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo est perpessa dolorem? Vnde sordes in domo, ad quam nullus hospes accesserit? S. Ildephonsus:

Serm. 2. de Purific.

Virgo tantò magis libera fuit à corruptionis passione, à dolore carnis, à sordibus ignominiæ, quantò gratiâ plena & incorrupta. S. Zeno Veronensis:

Serm. 3. de Natiuit.

Non mater Domini tanti partus pondere exhausta, totis pollens iacuit resoluta visceribus. Non filius matris aut suis est vllis sordibus delutus: neque enim reverà aliquid circa se habere potuit immundum, qui humani generis peccata, sordes & maculas venerat mundaturus. Gregorius Nazianzenus:

Oratione 40.

Filius sine vllâ spurcitiâ ex virgine progressus est: nihil enim est spurcum, vbi Deus est. Denique Nicetas:

Super Lucam.

Misit Deus Filium suum factum ex muliere ineffabili modo, quia sine viri semine, & supra naturæ captum citra vllas sordes. Vbi enim Deus est, nihil illic sordidum & impurum est. Quibus addendus est instar coronidis S. Ambrosius, qui sic inquit:

Concion. de Purificat.

Cunctis fidelibus liquet, numquam Redemptoris matrem ex eius natiuitate maculam contraxisse, quæ illorum dierum spatio à sacris ædibus abstinens purgaretur. Sine humano concubitu Virgo concepit, sine aliquâ corporis corruptione Virgo peperit, & sine fine Virgo permansit: ac per hoc nec masculus ex eâ natus vuluam eius aperuit. Sed hoc iuxta legis narrationem Euangelista contexens, claudit impiis sacramentum diuinæ incarnationis, matremq; legem obseruantem introducit. Nec mirum si mater obseruat legem, quam eius Filius non venerat soluere, sed adimplere. Sciebat quo ordine conceperat, quo vsu pepererat, quis esset quem genuerat; sed legem communem obseruans, celauit filij maiestatem.

Cur tamen Purificationis legem obseruauerit.

44 Neque opponi hic potest, ideò Mariam hoc fecisse vt Legem obseruaret. Licet enim gemina à Moyse purificandæ feminæ lex tradita fuerit, neutra tamen Deiparam concernebat, quinimmò vtraque eam disertis expressisque verbis eximebat, & à vulgari regulâ excipiebat. Ipsa Legis Moysaicæ verba, quæso, inspiciamus.

Excepta expressè ab vnâ alteraq; in hanc rem à Deo datâ sententiâ. Exod. 13.

Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filiis Israël, tam de hominibus, quàm de iumentis: meâ sunt enim omnia. Et ait Moyses ad populum: Cùm introduxerit te Dominus in Terram Chananæi, sicut iurauit tibi & patribus tuis, & dederit tibi eam; separabis omne, quod aperit vuluam, Domino, & quod primitiuum est in pecoribus tuis: quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino. Signanter hic additum fuit, vt offerretur omne primogenitum quod aperiret vuluam. Quid hoc est, quod aperiret vuluam?

Tenor legis prioris exponitur.

Ergone futurum erat aliquod aliquando primogenitum, quod vuluam non aperiret? Imo sanè primogenitus ille, de quo S. Lucas asseruit:

Cap. 2.

Et peperit filium suum primogenitum. Quid manifestius? Mariæ sanè vuluam à filio numquam apertam fuisse, adeò dilucidè testati sunt Patres, vt superuacaneum foret pluribus id ostendere velle. Sed & alterum quid in Lege hac obseruemus. Iubet Deus sibi sanctificari omne primogenitum. Quomodo sanctificari debuit, quomodo sanctificari potuit, quod sanctum iam erat, immò quod erat sanctissimum, & ipsum Sanctum sanctorum? Sanctificare is omnes venerat, de quo solo dici potuit ab Angelo: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Aliam

Luc. 1.

Moysis Legem enucleemus. Refertur ea in Leuitico hisce verbis:

Itê alterius, Leuitici 12.

Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israël, & dices ad eas: Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, iuxta dies separationis menstruæ. Et die octauo circumcidetur infantulus; ipsa verò triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies sanctificationis suæ. Quâ in Lege iterùm Deiparam Virginem haud fuisse comprehensam, vniuersa Patrum auctoritas (recentioribus nonnullis, iisque admodum paucis, exceptis) affirmat. Origenes quidem sic inquit:

Testes sunt Origenes,

Consideremus secundùm historiam; si non videtur quasi ex superfluo additum: Mulier quæ conceperit semen, & pepererit masculum quasi posset masculum aliter parere nisi semine concepto. Sed non ex superfluo additur: ad discretionem namque illius quæ sine semine concepit & peperit, istum sermonem præ ceteris mulieribus Legislator adiecit, vt non omnem mulierem, quæ peperisset, designaret immundam, sed eam quæ concepto semine peperisset. Eusebius quoque Emissenus haud dissona scripsit.

Homil. 8. in Leuitic.

& Eusebius Emissen. In Purific. B. Mariæ.

Scriptum est, ait, *in Lege Moysi, quòd mulier, quæ suscepto semine pepererit masculum, immunda erit. Hac lege Beata Virgo non tenetur, quæ nullo suscepto semine virgo concepit, virgo peperit. Ad cuius distinctionem Moyses non dixit, Mulier quæ pepererit masculum, sed cum additamento; quæ suscepto semine.* Quandoquidem ergo B. Virgo nec animæ maculas nec corporis sordes passa fuerit, adeoque in purificationis lege comprehensa minimè fuerit, meritò vsurpare sibi posset, quod D. Bernardus per prosopopœiam de eadem dixit:

Quàm pulchrè circa hæc D. Bernardus, Serm. 3. de Purific.

Quid mihi opus purificatione? cur abstineam ab ingressu templi, cuius vterus virum nesciens, templum factus est Spiritus sancti? Cur non ingrediar templum, quæ peperi Dominum templi. Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum. Nimirum, cùm proles ista fons puritatis sit, & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet obseruatio, quæ purissima facta sum ipso partu immaculato. Æmulatus hæc pio zelo Abbas Guerricus ita dixit:

necnô Abbas Guerricus, Serm. 1. de Purific.

Quid in eâ purificandum esse potuit, quæ virgo concepit, virgo peperit, virgoq; permansit, immò quæ ipso conceptu plenè purificata fuit. Quid, inquam, mundandum habuit conceptus ille, qui solus potest facere mundum de immundo conceptum semine; qui fontem, quo immundus purificetur, edidit; fontem domus Dauid, qui hodie patet, indefesseq; scatet in ablutionem peccatoris & menstruatæ.

Iob. 14.

Ideoque ob hanc eximiam D. Virginis puritatem, mundissimumque conceptum & partum, quæ sub purificationis velamine delitescebant, Salomonem in illius personâ dixisse quis arbitrari posset: *Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.*

immò & Salomon Cantic. 1.

45 Quot verò in hac Purificatione emicuerint virtutes, eloquatur mei vice Doctor Angelicus.

Serm. de Purificat.

Quot virtutes in Mariæ Purificatione excelluerint.

In isto, inquit, *Euangelio possunt notari sex virtutes in B. Virgine: Humilitas in purificatione, cùm non indigeret. Secundò, amor puritatis in superabundanti purgatione, & ista duo ibi: Dies purgationis. Tertiò, reue-*

rentia ad filium in portatione, ibi: *Tulerunt.* Quartò, *deuotio in locorum visitatione, ibi: In Ierusalem. Quintò, gratiarum actio in filij oblatione, ibi: Vt sisterent eum Domino. quia tibi, Domine, quem dedisti, offerimus. Sextò, paupertas in oblatione, ibi: Duos turtures. quæ erat oblatio pauperum.* Virtutes hasce omnes singulatim exponere possemus, vt meritorum B. Virginis cumulum pro Purgatorij animabus rudioribus proponeremus: verùm quia & prouectiores hæc legere non dedignabuntur, duas solummodò, humilitatem nimirum & paupertatem, explicabimus, quæ nimirum præ reliquis, defunctis sunt solatio. De humilitate ergo beatæ Virginis sic Carthagena: Quis non miretur, quam in die purificationis Maria ostentauerit humilitatem, dum, quæ Angelis purior erat, quasi à sordibus emundari indigeret, purificationis remedium ad eas abstergendas assumpsit? Huius certè humilitatis mentis, oris & operis, quam beata Virgo toto vitæ suæ decursu exercuit, præclaram figuram extitisse arbitror Reginæ Esther humilitatem. Nam sicut illa ante pedes Regis Assueri procidit, vt illum in Regali solio existentem ad se inclinari quasi compelleret; ita beata Virgo in propriâ suâ existimatione magis ac magis vilescens, adeò se humiliauit, vt non velut Esther Regem Assuerum, sed Regem Angelorum & Dominum inclinari & humiliari, & vsque ad tenebras vteri sui demitti faceret, &c. Pulchra item sunt quæ D. Bernardus habet, qui sic ait: *Quæ est hæc Virgo, tam venerabilis, vt salutetur ab Angelo? tam humilis, vt desponsata sit fabro? Pulchra permixtio virginitatis & humilitatis. Audis Virginem, audis humilem. Si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem Virginis. Illa consulitur, ista præcipitur. Ad illam inuitaris, ad istam cogeris, &c.*

Hæc defunctis prosunt. — Lib. 1. Homil. 4. — *Et maximè humilitas.* — *In quâ assimilatur Esther.*

46. Paupertatis quoque in Purificatione suâ B. Virgo dedit argumentum, dum non agnum, vti solebant ditiores, sed par turturum, aut duos pullos columbarum pro filij sui redemptione obtulit. Scitè admodum Cardinalis Toletus, Notanda est, inquit, magna & vera paupertas Christi, & parentum, quæ tanta erat, vt agnum Deo ipsi offerre non potuerint, & verba Legis in eis sint verificata, nempe, *Si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, aut duos pullos columbarum.* Hoc ipsum dixerat antè S. Haymon hæc in verba: *Tantæ paupertatis fuerunt parentes Domini, id est B. Ioseph & B. Maria, vt in oblationem Domini non habuissent agnum quem offerrent, sed, sicut scriptum est, obtulerunt Domino, pro eo, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Quis iam non videat, mirabiliter auctam fuisse B. Mariæ satisfactionem, quæ suo tempore defunctorum animabus applicaretur? Humilitatem certè & paupertatem maximè esse satisfactorias, nemo Catholicus, nemo fidelis ignorat: quæ tamen si conferantur cum afflictionibus internis, quas eadem B. Virgo-mater in animâ suâ perpessa est, nullæ videri poterant; ac proinde hoc in loco haud extra semitam fuerit, internos illos dolores paulò anxiùs explicare, vt sciatur penitiùs, quos quilibet in B. Virgine reperire possit meritorum & satisfactionum cumulos, è quibus plenâ manu decerpere, & in purgandarum animarum solatium & refrigerium Deo offerre valeat.

Ita paupertas Mariæ quàm sit excelsa. — Super c. 20. Lucæ. — Homil. 1. de Purific. — *Quæ applicabilis Animabus Purgatorij.*

47. Euangelista rem sic narrat: *Benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur: & tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt ex multis cordibus reuelentur cogitationes eorum.* Super hæc verba ita scribit S. Euthymius: *Suspicabantur hanc non esse illius matrem. sicut enim multi ad ea respicientes quæ hominis sunt, dicebant hominem tantùm esse filium Mariæ; ita rursùm alij attendentes ad ea quæ diuinitatis eius erant, suspicabantur quòd esset tantùm Deus, nec esset mater eius. Tunc autem intuentes eam amarè dolentem, ac plurimùm lugentem, naturæq; cedere, credebant quòd mater eius erat, & detegebant siue prodebant cogitationes cordium suorum quæ à suspicione processerant.* Diuus quoque Augustinus, qualis fuerit ille pertransiens animam Mariæ gladius, sic prosequitur: *Tributationem igitur gladij nomine significatam esse credibile est, quo materna anima vulnerata est doloris affectu. Ipse fuit gladius in ore persecutorum, de quibus in Psalmo dicitur: Et gladius in labiis eorum. Ipsi enim erant filij hominum, quorum dentes, arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Nam & ferrum quod pertransiit animam eius, donec veniret verbum eius, id est, tamdiu fuit in durâ tribulatione, donec fieret quod prædixit.* Quibus similia etiam scripsit S. Ambrosius: *Istum gladium cor & anima Virginis profundè immersum habuit, quia Dei mysteria ceteris profundiùs penetrauit, & verba Dei de Christi passione, ac ceteris operibus semper in corde medullitus portauit, iuxta illud: Maria autem conseruabat omnia verba, hæc conferens in corde suo.* Quibus è verbis manifestum est, per gladium, quem Mariæ animam transfossurum Simeon senex prophetauit, intelligendum esse dolorem atque tristitiam, quibus ob filij sui mortem conficienda erat B. Virgo Maria, sed &, his eam ipsis fuisse affectam & confectam ab illo vsque tempore, quo à Simeone huiusmodi prophetiam audiuit, prout Augustini iam Ambrosiique testimoniis assertum fuit. Addo &, hoc ipsum à Saluatore nostro ipsomet S. M. N. Teresiæ fuisse reuelatum: in historiâ namque Vitæ suæ, quam Superiorum iussu & mandato ipsamet Mater conscripsit, ita sibi Christum Dominum locutum fuisse narrat: *Noli putare, cùm matrem meam, me suis vlnis continentem vides, illam sine magnâ amaritudine & tormento, illo gaudio fruitam fuisse: iam inde enim ab eo tempore, quo Simeon illam doloris gladio transfigendam dixit, clarum ei Pater meus lumen infudit, quo illustrata videret: quid mihi patiendum esset.* Non ergo gladio doloris Christi tunc tantùm anima Deiparæ Virginis transuerberata fuit, cùm in crucem actus est eius filius, sed totos tres & triginta annos hanc in corde suo tristitiam præmeditata est & conseruauit, quam ex filij postmodum passione suis oculis hausit, quæ sanè immensissimam tam intensione quàm extensione afflictionem mœstitiamque adducere debuerunt, præter illa quæ intereà, aliis aliunde molestiis pressa, patientissimè tulit, qualis inter cetera fuit præceps illa & molestissima in Ægyptum fuga, de qua sic S. Matthæus: *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui cõsurgens*

Luc. 2. — *Quantus in purificatione internus Mariæ dolor.* — In cap. 2. Lucæ. — *Quid per gladium doloris significatum sit Patres exponũt.* — Epist. 19. — In c. 2. Lucæ. — *Ex hac Simeonis prophetiâ intellexit B. V. dolorem Passionis Christi.* — Cap. 40. — *Ex S. Teresiæ factâ à Christo reuelatione constat.* — *Quantum iterum perpessa Maria ex fugâ in Ægyptum.* — Matthæi 2.

accepit

accepit puerum, & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum: & erat ibi vsque ad obitum Herodis: vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum. Super quæ sic scribit S. Petrus Chrysologus: *Sic res vrget Christum infantem? sic? Non vacat intueri verecundiam Virginis, laborem Matris, sexus pudorem, periculum Ioseph, longinquitatis fatigationem, exitium totius domus, & quod his durius, Iudæos peregrinaturos in gentibus, quibus nec ipsa est communio, imò est profundum Legis transgressione naufragium. O quàm dura est peregrinatio, etiam inter ciues fratresq́; Sapit quid sit sua domus, qui sentit alienam.*

Hamil. 51.

48. Haud possum, quin hîc addam varia illa indicia, è quibus R. P. Ioannes de Carthagenâ itineris & peregrinationis huius molestias planè difficiles colligit, quia mirabiliter rem nostram illustrant. Profecta itaque B. Virgo, fugiens & insequentem hostem metuens, ex Nazareth in Ægyptum. Cuius itineris molestia primùm colligitur, indicante eodem R. P. Carthagenâ, ex magnâ distantiâ à Nazareth in Ægyptum. D. Augustinus, *Ab illo, ait, loco, vbi erat Iacob, vsque in Ægyptum, vix erant trecenta milliaria; vna autem leuca tribus milliaribus constat.* Seuerus Sulpitius, quantum à Bethlehem distet Ægyptus his verbis indicat: *Bethlehem oppidum, quod ab Ierosolymis sex milliaribus separatur, ab Alexandriâ autem sedecim mansionibus abest. Alexandria ciuitas est Ægypti: & secundùm Brocardi supputationem à Nazareth Cairum vsque, centum ampliùs leucas itineris terrestris inueniemus, cuius pars magna deserta erat.* Deinde difficultatem tam longi itineris non potuit non vehementer augere eximia Mariæ & Iosephi paupertas. Licet sacri coniuges non adeò inopes fuerint, vt aliorum eleemosynis viuerent, quod absque vllo fundamento confingunt nostræ ætatis hæretici: cùm potiùs ex Scripturâ sacrâ habeamus, Iosephum fabrilem artem exercuisse. Non solent autem huiusmodi artifices mendicare, neque eleemosynas exigere. Tertiò, arduum & molestum valdè est propriam relinquere patriam. Ad quod respiciens D. Paulus, exaggerat mirum in modum obedientiam Abrahæ, cùm iussus fuit à propriâ patriâ egredi. *Fide,* inquit, *qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem.* Experientiâ quidem compertum, inter proprios charius esse pauca quædam, quàm inter alienos, & maximè barbaros, multa possidere. Vnde Ouidius:

Lib. 9. Homil. 6. *Variis id ex indiciis patet.*

Serm. 21. de Tempore.

Dialog. 1. cap. 4.

Molestum omnino patriam deserere.

Hebr. 1.

Lib. 1. de Ponto.

Quid melius Româ? Scythico quid frigore peius?
Huc tamen ex illâ barbarus vrbe fugit.
Nescio quâ natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non finit esse sui.

49. Quartò difficultatem augebat & laborem itineris, quòd cùm sacri illi peregrini per deserta incederent, partim per loca idolorum cultoribus plena, in quibus nullum pietatis specimen, sed efferatæ ac barbaræ conditionis mille indicia videres, certè inopiæ viatorum nullo adminiculo subueniebant. Hæc succinctim è Carthagenâ deprompsimus, & quinto loco addimus, peregrinationem istam sanctis Christi parentibus posteà multæ mortificationis causam fuisse per aliquot annos, eò quòd Ægyptiis Israelitæ essent inuisi, Ægyptij verò Israelitis infesti, ex memoriâ maximè quam habebant, suos olim parentes cum Rege Pharaone in mari Rubro fuisse submersos, quando nimirum Iudæi, collectis vasis Ægyptiorum aureis & argenteis, fugerunt, & non tantùm parentes illorum diuitiis, sed filios insuper parentibus spoliauerunt. Hanc indubiè alienationis odiique causam extitisse & æmulationis, nemo addubitabit: ex quo subsecutum est, vt Maria & Ioseph, qui vacuâ manu, noctuque, & amicis omnibus probabiliter insciis, vt securiùs puer lateret, aufugere debuerunt, in graues sanè molestias, inediæ puta & auersionis Ægyptiorum, inciderint, adeoque non peregrini solùm, sed & despecti contemptique fuerint toto illo tempore quo in Ægypto seu Ægyptiacâ potiùs peregrinatione, ne dicam persecutione, hæserunt. Quam tamen miseriam Pater cælestis aliquando miseratus, *ex Ægypto,* vti per Prophetam pollicitus fuerat, *vocauit filium suum.* Sed nec tunc à tribulationibus animique angustiis reuocauit Mariam: hoc enim exilium alia conturbatio, alia tristitia subsecuta est, iterùm de perdendo filio periculum, iterumque formido. *Defuncto autem Herode,* inquit Euangelista, *ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Israël, defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. Qui consurgens, accepit puerum & matrem eius, & venit in terram Israel. Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire: & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ.* Quocumque ergo se B. Virgo vertebat, vndique tribulatio, vndique angustiæ: quæ & simul cum infantulo filio creuisse, eiusque in adolescentiâ maiores fuisse, in virili verò eius ætate maximæ, credi poterunt.

Inuisi haud dubiè Christi parentes Ægyptiis fuere ob antiquum quod illi cum Iudæis odium habuere.

Osee 11.

Matth. 2.

Alia in reditu ex Ægypto Mariæ tristitia.

Vnum exemplum de adolescentiâ Saluatoris è Scripturis promamus, vbi sic legimus: *Cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis,* parentibus nimirum, *Ierosolymam secundùm consuetudinem diei festi, consummatisq́; diebus, cùm redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos. Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentiâ & responsis eius. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, & ego, dolentes quærebamus te.* De hoc Mariæ ac Ioseph ob deperditum Christum dolore egregiè Cardinalis Toletus sic scribit: Animaduertendum est, B. Virginem ex vnâ parte firmiter credidisse, Christum, Dei Filium, esse omni scientiâ & sapientiâ plenum, cui nihil à casu, nihil ex errore accidere poterat: ex alterâ verò parte experta erat, eum ab infantiâ more humano processisse, & sicut ceteros adoleuisse: neq; enim in infantiâ loquebatur, nec firma membra corporis, vt ambularet, accepit, nec propriis manibus induebatur, sed auxilio & operâ matris vsus est, reliquasq; infantibus & pueris fragilitates communes habuit. Patiebatur sitim, famem, lacrymas, vagitus, & alia huiusmodi. Nouerat profectò Virgo beata, Filium Dei non ex infirmitate, sed spōte & voluntariè hæc pati, vt nobisimilis esset, quos 50.

Lucæ 2.

Quid Deipara perpessa sit ex Christi duodennis perditione.

In Luc. 2.

Saluator vt hominem se in terris habuit.

quos saluare venerat. Ex hoc factum est, vt cogitaret, etiam more peccatorum illum aberrare voluisse à viâ præ tantâ multitudine tunc confluente, vt solent sæpè pueri à parentibus aberrare, non quidem, vt ceteros, qui nolentes errant, sed volentem, sicut & ceteras hominis infirmitates huiusmodi volens assumpsit. Quidquid tamen sit, certius est quàm vt probatione indigeat, cogitationem de probabili incommoditate pueri, & penuriâ inter ignotos degentis, nec non etiam cogitationem de eius absentiâ quem tam ardenter amabat, & de incertitudine durationis illius, si forsan ad longum tempus se ab eâ decreuisset subducere, vt eo etiam solatio, quo gaudebat in consortio dilectissimæ suæ genitricis, se amore nostri priuaret, in mentem Virginis venisse: quæ sanè, similesque cogitationes, acerrimum in Mariano corde dolorem excitauerunt, vt Timotheus Ierosolymitanus Presbyter opinatus fuerit, Simeonem in suâ olim prophetiâ locutum fuisse præcipuè de hoc dolore quem in Christi amissione Virgo concepit. Quòd si tantus fuit primorum parentum Adam & Heuæ dolor propter amissum paradisum terrestrem, à quo fuerant à Deo relegati, memores amœnitatis illius fontis perennis, arboris vitæ, & deliciarum quibus abundabat; quo, quæso, dolore putamus affectam Mariam, simul & Ioseph, cùm se agnouerunt puero IESV priuatos, qui eis erat paradisus voluptatis, arbor vitæ, fons gratiæ salientis in vitam æternam? Si tam ingenti anxietate premebatur Patriarcha Abraham, cùm tantùm filium suum perditurum se videret; non dubito quin B. Virgo grauiore vulnere fuerit sauciata. Quòd si denique ingens fuit mœror, quem Tobias senior, & coniux eius Anna, ob absentiam filij sui conceperunt, vt ipsa mater montium cacumina conscenderet, vt si eum eminus venientem cerneret marito nuntiaret, speque suâ frustrata eum non videns, lacrymans & querebunda diceret: *Heu heu me fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ! omnia simul in te vno habentes, non te debuimus dimittere à nobis.* Maior certè amaritudo & angustia fuit, quam gloriosa Deipara & Ioseph de amisso puero IESV senserunt. Quanta, quæso, mœstitia Marianum cor toto illo triduo occupauit, præsertim, cùm aduentante nocte, charissimi ac sibi dulcissimi pueri consortio non frueretur?

Orat. de Prophetâ Simeone.

Genes. 3.

Res Scriptura exemplis declaratur.

Genes. 22.

Tob. 10.

51. Tandem veniamus ad dolorem illum, quem in supremo gradu in vltimâ Christi ætate B. Virgo fuit perpessa, cùm nimirum ex vnanimi reliquorum ferè Patrum doctrinâ, gladius doloris propriè animam ipsius ob filij sui passionem mortemque pertransiit. *Tuam ipsius animam*, inquit Ven. Beda, *pertransibit gladius, id est dolor passionis Dominicæ, quia non potuit videre eum crucifigi sine affectu materni doloris, etsi speraret eumdem resurrecturum, & mortem deuicturum.* B. Euthymius hæc habet: *Gladium nominauit dolorem acutissimum, maximeq́; diuidentem, qui penetrauit cor Matris Dei, dum filius cruci affixus est, de hoc enim cruciatu vaticinatus est.* Ansbertus etiam, *Quamquam*, inquit, *multæ tribulationes animam transfoderint beatissimæ Virginis, illa tamen hic specialiter designatur, quæ, Domino in cruce moriente, materna viscera transfixit.* S. Anselmus quoque, vt tanti doloris vim & vehementiam meliùs exprimeret, sic loquentem B. Virginem introducit: *Aspiciebam Dominum & filium meum in cruce pendentem, & morte turpissimâ morientem, & tanto dolore vexabar in mente, quòd non possum explicare sermone. Manabat sanguis ligno manibus pedibusq́; confixis: de vultu eius effluxerat pulchritudo omnis, qui tamen erat speciosus præ filiis hominum; quia iniquorum erat fœdatus sputis. Ille erat dolor mihi maximus, quia videbam me desertam ab ipso, quem virgo conceperam & genueram: nec supererat alius, quia mihi erat vnicus. Videbam mori, quem dilexit anima mea, & tota liquefiebam præ doloris angustiâ. Dabam gemitus & suspiria: flebam dicendo, & plorabam per talia verba: O fili chare! ô benigne nate! ô amor vnice! Fili mi dulcissime, da mori tecum, & ne derelinquas me. Nihil mihi dulcius verè quàm tecum mori amplexata cruce, & nil amarius certè, quàm viuere sine te. Tu mihi pater, tu mihi filius, tu mihi sponsus, tu mihi thesaurus, tu mihi omne bonum. Nunc orbor patre, viduor sponso, desolor prole; omnia perdo, vno perdito te.* Præclarè admodum de lamentationibus B. Virginis hæc in verba scripsit S. Ephrem: *Stans apud crucem purissima Virgo, Saluatorem, quem in ligno suspensum suspiciens, plagas reputans, intuens, & clauos, querelas, colaphos, ac flagellationem, cum grauibus suspiriis, cum fletu ingenti, cum lamentis dolorosissimis exclamauit, dicens: Mi fili dulcissime, dilectissime fili, quomodo crucem sustines? Mi fili, & mi Deus, quomodo sputa, clauos & lanceam, quomodo pateris alapas, risus, iniurias, spineam coronam, purpuream vestem, spongiam, arundinem, fel & acetum? Quomodo pendes in cruce denudatus, mi fili, qui cælum nubibus contegis? Quomodo sitim fers, qui es opifex, quiq́; mare & omnes aquas creasti? Quomodo moreris insons in medio scelestorum? Quidnam commisisti? quanam in re, fili mi, Hebræos offendisti? Et cur ergo te isti simul iniqui, ingrati, cruci suffigunt, quorum claudos & permultos valetudinarios sanasti, mortuos viuificasti? Tu verò quomodo niteris, fili mi dulcissime, magnanime Deus? Deficio te suspiciens in ligno suspensum, conclauatum, plagisq́; plenum, mi fili. Vbi nunc pulchritudo tua? vbi tuus modò decor? Sol lumen suum obscurauit, & alius factus est: splendida luna in tenebras euanuit, petræ sunt perfractæ, & monumenta aperta, templiq́; velum in duo est discissum. Creaturæ conditorem suum & opificem cognouerunt, & hi peruersi ac miseri Hebræi aures obstruxerunt, oculos clauserunt, ne solem vmquam occidentem suspectarent, fili mi. O Simeon admirande, ecce nunc gladius, quo mihi prædixisti cor meum traiiciendum. Ecce gladius, ecce vulnus, fili & Deus mi. Tua mors meum cor subiit, viscera mea sunt disrupta, lumen meum obtenebratum est, & pectus meum grauis pertransiuit gladius. Horrendam cerno passionem tuam, mi fili, & Deus meus; video immeritam cædem tuam, nec opem ferre possum. Lugete mecum omnes discipuli Domini, dolorem meum, & vulnus profundum cordis mei contuentes.* Eant iam, occlusis fœtidissimis suis faucibus, quæ nil nisi sulphur impietatis exhalant, nil nisi picem blasphemiarum eructant, nouelli nostri Magistelli, nostri inquam hæretici; obmutescant, taceant, sileant miseri, imò ora sua nequissima obturent canes isti spurcissimi, qui nescio quid Ethnicæ & Stoicæ planè ἀπαθείας D. Virgini affingentes, omnem ei commiserationem,

Explicare incipimus dolorem illum quẽ in Christi morte B. Virgo sustinuit.

In Lucæ c. 2.

In Lucæ c. 2.

In Festo Purific. B. Virginis.

Lib. de Lamentat. B. Virginis.

Pulchra S. Anselmi tristitiæ Marianæ descriptio.

De Lamentationib. B. Virginis.

Insignis item Matris ad filium allocutio ac blanda conquestio.

Quid B. Virgo sibi condolenti impetrare solent.

rationem, & dolorem, ob filij sui interitum denegant. Nos potiùs audimus illam S. Elisabethæ factam reuelationem, quâ asseritur, B. Virgini à Christo Domino filio eius concessum esse, vt possit ei, qui animo suo maternos illius dolores euoluerit, liberè quamcumque gratiam impertiri ad salutem animæ illius spectantem, & præcipuè, vt ante mortem, veram de peccatis suis pœnitentiam agat.

Auctor lib. 3. de B. Virgine Pomerij, parte 4, art. 3.

52. Doloris verò sui ne quis nullam, sed potiùs maximam multiplicemque rationem habuisse credat, è variis capitibus illum incrementum accepisse, iam ostensum imus. Non vltimum hîc locum habere suspicor id quod B. Laurentius Iustinianus tetigit. *Gemebat filius*, inquit, *quòd mater in tam horrendo esset spectaculo. Ad cor Virginis loquebatur, dicens: Vt quid venisti columba mea, formosa mea? Dolor tuus meum auget, cruciatus tuus transfigit me.* Virginis nimirum dolor tunc magis crescebat, quia iam maior aderat ex parte Christi dolentis dolendi causa: & iterùm Christi dolor nouum incrementum capiebat ex maiori dolore quem Virgo sustinebat. Virginis iterùm dolor ob auctum filij dolorem auctior reddebatur: vnde necesse erat, vt quasi in infinitum per mutuam hanc reflexionem, & reciprocum compassionis affectum, Mariæ augeretur. Ad quod dubio procul oculos reflectens D. Bernardus, sic inquit: *O dolores inexplicabiles! ô ineffabilis reciprocatio sancti amoris! Filius patitur, & intus valdè compatitur matri: mater verò compassa est Filio patienti. Tantus nempe impetus passionis in Domino Iesu fuit, vt quasi torrens ipsum impleret patientem, & inebriaret: quia, teste Psalmistâ, de torrente in viâ bibit, vt sic Christo impleto, in matrem conflueret patientem; quâ similiter impletâ, in filium iterùm redundabat.* Verè igitur hic impletum erat illud Ecclesiastici: *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterùm fluant.* quia ex amarissimo afflictionum mari, quæ Christum Dominum vehementer cruciabant, amari dolores in Mariam defluebant, & continuò in ipsum, vnde fluxerant, mare reuertebantur. Hinc certè necesse erat oriri in pectore B. Virginis ingentem conflictum, & acerbissimam perplexitatem. Nam si materna viscera dilecto filio non compatiebantur, ipsius naturæ iura violare sibi videbatur; si verò ei condolebat & compatiebatur, dolorem eius augebat. Cùm ergo vellet ex vnâ parte dolere, & ex aliâ dilectæ prolis mœrorem non augere, & hæc duo inter se cohærere non possent; hinc, inquam, est, magnum tunc ex hac perplexitate Mariam concepisse dolorem. Vice versâ & ipsa Maria mare erat, haud minùs quàm filius, mater inquam amaritudinis; adeò vt verè de illâ intelligendum veniat illud Ieremiæ: *Cui assimilabo te filia Ierusalem? magna est velut mare contritio tua.* Expendamus nonnihil hæc postrema verba, *magna est velut mare contritio tua*, & videbimus, quanta hæc B. Virginis tristitia fuerit. Chaldæus vertit, *Magna est velut gigas contritio tua.* ac si diceret, Tantum excedit dolor tuus aliorum dolores, quantum gigas excedit pigmæos: dolor tuus gigas est, reliqui pigmæi. D. Hieronymus vertit: *Magna velut aqua calida contritio tua.* ac si dicat: Reliqui aliorum dolores sunt aqua tepida, dolor tuus est instar aquæ feruentis & bullientis. Septuaginta verterunt, *Magnificatum est poculum contritionis tuæ*, adeò vt quod Latinus vocat *mare*, Græcus appellet *poculum*, vt insinuaret, B. Virginem magnum, spatiosum & amarissimum passionis Christi mare vno poculo & vno quasi calice ebibisse. Cui interpretationi quadrat, quod S. Birgittæ de se ipsâ B. Virgo reuelare dignata est. *Propterea*, inquit B. Virgo S. Birgittæ, *cùm nasceretur ex me, sensi ego, quòd quasi dimidium cor meum nasceretur, & exiret ex me; & cùm ipse pateretur, sensi quòd quasi cor meum patiebatur...... Ego ei fui propinquior in passione, nec separabar ab eo, & stabam vicinior cruci eius: & sicut hoc grauiùs pungit quod vicinius est cordi, sic dolor eius grauior præ ceteris erat mihi. Cumq; respexisset ad me de cruce, & ego ad eum, tunc de oculis meis, quasi de venis, lacrymæ exibant; & cùm ipse me cerneret dolore confectam, in tantum de dolore meo amaricabatur, quòd omnis dolor vulnerum quasi sopitus erat præ dolore meo quem in me videbat. Propterea audacter dico, quòd dolor eius erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum.*

Lib. de Triumphali agone, cap. 11.
Quantopere Dei filius Matri suæ condoluerit.
In Homiliâ, Stabat iuxta crucem.
Eccli. 10.
Dolor Deiparæ mari similis.
Thren. 2.
Ad varias ad textum Ieremiæ versionibus amplius explicatur.
De Quæstionibus Hebraicis. l
Lib. 1. Reuelationum S. Birgittæ, c. 6.
Quia vehementer adeò Maria filium adamabat, idcircò illius dolores vehementissimè sensit.

Sed in Vulgatâ nostrâ viam aliquam venabimur. Igitur, *magna est velut mare contritio tua*, perinde fuit, ac si diceretur: Aliorum dolores fluuij sunt aut fontes; dolor autem tuus magnus velut mare, excedens non solùm quantitate, sed & qualitate, reliquos omnes. nam sicut aquæ fontium & fluuiorum dulces sunt, maris verò amaræ; ita aliorum dolores, in comparatione acerbitatis & amaritudinis Mariani doloris, dulces iudicandi sunt. Aliter: Sicut omnes guttæ maris sunt amaræ, nihilque aquæ reperitur in eo, quod salsum & amarum non sit; sic dolor tuus præ magnitudine acerbitatis nullâ dulcedinis consolatione mixtus est. Vel aliter: Sicut mare est congregatio omnium aquarum, ita dolor Mariæ erat velut congregatio omnium dolorum. Nam alij quidem contristantur de iacturâ diuitiarum, alij de morte parentum vel filiorum, alij de absentiâ amicorum, alij de nece Principum, alij propter honorem amissum, alij propter alias causas: sed B. Virgo de omnibus illis simul dolebat; quia amittendo Christum, amittebat Principem, sponsum, parentem, filium, amicum, diuitias, honorem, & omnia pariter bona cum illo. Tantò igitur plus doluit B. Virgo, quò filium suum ardentiùs adamauit: quia, iuxta S. Augustinum, *quantus est amor in possidendo, tantus est dolor in amittendo.* Benè Spiritus sanctus dixit: *Fortis est vt mors dilectio*: quia sicut fortitudo mortis tanta esse agnoscitur, vt omnia illi subiiciantur, etiam ipse Deus factus homo; ita amor charitatis omnia vincit, omnia suo imperio subdit, etiam ipsum Deum. Cùm ergo tam naturalis quàm supernaturalis amor adeò in B. Virgine excelluerit, & quantitas doloris de morte vnigeniti sit iuxta mensuram amoris, facilè inde coniicere licet, intensissimum fuisse super omnium angores, acerbissimum eius dolorem; sicut intensissimus fuit omnium amorum ardentissimus eius erga filium amor. Quò sanè respiciens D. Bonauentura, dixit: *Nullus dolor amarior, quia nulla proles charior.* Refert Aristoteles, quòd, cùm matres teneriori amore ferantur erga filios quàm patres, etiam fiat, vt licet patres magis hilarescant in secundis & prosperis filiorum euentibus, matres tamen in aduersis & infelicibus magis contristentur: eiusque rei hanc 53.

Variis de mari rursum ad Mariæ dolorem exprimendum explicationes.
Li. de Ciuit. Dei, cap. 10.
Cantic. 8.
In Officio de Compassione B. Virg.
Lib. 8. de Animal.
Maior solet matrum quàm patrum esse tristitia.

è Philosophiâ desumptam rationem assignat, quòd cor virile expansum magis, muliebre verò magis compressum sit, ideoque illud ad lætitiam quæ animum dilatat, hoc verò ad mœstitiam, quæ illum stringit, sit aptius. Hinc est quòd idem ferè euenisse videamus in Christo, eiusque parentibus; Patre scilicet æterno, & B. Virgine. Pater, veluti qui naturale quid pateretur, valdè lætatus est in prosperis Christi Domini successibus, eiusque lætitiæ non obscura prodidit indicia. Cùm enim in monte Thabor Dominus Iesus singulari gloriâ & maiestate corusçaret, Patris vox insonuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* quid est verò sibi complacere, nisi in eo lætari? In passione verò eius, cùm variis iam tormentis quateretur, omni eum solatio destituit, adeò vt Christus in tantis angustiis positus diceret: *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Tota ergo tum compassionis ratio penes vnam matrem Mariam resedit, ad quam spectabat supplere mœrorem & tristitiam, quæ in æternum Patrem cadere non poterat.

Math. 17.

Patris æterni quodammodò tristitiam in se Maria suscepit.

54. Causa altera, quæ B. Virginis mœrorem & tristitiam valdè augebat, erat, quòd videret, se nullum dilectissimo suo filio in tot tantisque suppliciis deficienti solatium exhibere posse. Solent certè piæ matres pro magno solatio habere, si laborantibus filiis quidpiam leuaminis & refrigerij adferre possint; econtrà verò, si eis fauere, maternaque officia exhibere prohibentur, ingenti dolore affici. Videbat B. Virgo spinarum vlcera, nec poterat alligare; aspiciebat totum corpus vndique cruentatum, nec linteo poterat cooperire; audiebat illum dicentem, *Sitio*, nec poterat illum refrigerare aquâ; intuebatur illum felle & aceto potari, neque id auertere poterat: quæ omnia, quin materna viscera acerrimè percellerent & transpungerent, necesse erat. Sed & videbat, quòd *milites cum risu atque triumpho ad derisionem, Christi vestimenta partirentur, tunicam scilicet illam inconsutilem, quam propriis ipsa manibus elaborauerat.* Videbat denique filium iam iam animam efflantem, sibique inclinato capite vltimum vale apprecantem, nec charos amplexus aut dulcia oscula illi dare valebat, qui dolor non poterat non acerbissimus & vehementissimus esse. Quæ meditatus S. Anselmus, de compassione B. Virginis sic loquitur: *Quis existimare potest, quantâ tristitiâ, mœrore & dolore vulnerabatur cor Mariæ super vnici & naturalis filij passione, quem tam castè concepit, tam gaudiosè peperit, tam dulciter aluit? Vidit eum ligatum, & soluere non potuit: vidit corpus vulneratum, & vulnus ligare non valuit: vidit sanguinem in faciem fluere, & abstergere nequiit: caput inclinatum, & sustentare non potuit: flentem, & pro tristitia consolari nequiit: audiuit eum dicere Sitio, & ei aquam ministrare non valuit.* Quòd si Noëmi illa, ob morte ereptum sibi maritum Elimelech, dixit; *Ne vocetis me Noëmi (id est, pulchram) sed vocate me Mara (id est, amaram) quia amaritudine valde repleuit me Omnipotens:* potiori vtique iure ob ereptum sibi filium, patrem, sponsum, creatorem, redemptorem, &c. id dicere potuit B. Virgo Maria. Meritò, inquam, *Mara*, hoc est *amara*, siue *myrrha*, nominata est B. Virgo, eò quòd myrrha mortificationem designet, testibus *a* S. Gregorio, *b* D. Hieronymo, & *c* D. Ambrosio, quandoquidem myrrha fructu & odore caret, duro cortice spinisque conuestita, incisa verò lacrymam fundit, quæ & ipsa communiter myrrha appellatur, amarumque habet saporem, sed ad defunctorum cadauera condienda atque à corruptione præseruanda admodum subseruit. Deipara itaque Virgo myrrha erat arbor, quatenus Christum velut lacrymam protulit, vel quatenus ipsa ex compassione Saluatoris dolore maduit atque profluxit, lacryma fuit arboris Christi. Hinc est quòd toties in Cantico Salomonis myrrhæ assimilata fuerit, vel de ipsâ mentio fiat. *Vadam*, dicit Sponsus, *ad montem myrrhæ.* Item: *Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Imò ipsa sponsa, *Fasciculus*, inquit, *myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Imò, quod ampliùs quis miretur, Mariæ nomen non *mare* solùm, vt suprà exposuimus, sed *myrrham maris* significat, vt dolorem quodammodò totius mundi seu maris habuisse ac pertulisse probetur, quemadmodum docuit Vtinus, qui sic scribit: *Cùm ipsa esset mundi aduocata, tantum dolorem Spiritus sanctus eius infudit visceribus, quantus sufficiebat omnium electorum genitrici ad excusandam ingratitudinem mundi, quia sic durâ morte de sui fabricâ suum expellebat auctorem, qui ad ipsos eruendos de faucibus mortis, de sinu Patris aduenerat, seruilem assumendo naturam: vnde ipsa pro se & pro toto mundo dignum Deo morienti, & de se genito exhibebat lamentum.* Proinde rursus de eâ Sponsus: *Labia eius lilia, distillantia myrrham primam.* & ipsa de se: *Manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ.*

Mirè B. Virginem cruciauit, quòd in nullo posset filio succurrere.

Cyrillus lib. 12. in Ioannem, c. 33.

D. Anselmus de Compassione B. Virginis.

Ruth. 1.

Maria rectè amara seu myrrha vocata est;

a Super Cantica.
b Ad Principiam.
c De instit. virg. c. 15.

Cantic. 4.
Cantic. 5.
Cantic. 1.

Imò & myrrha maris, id est totius mundi.

Lib. 4. c. 15.

Cantic. 5.

Tertia aucti in immẽsùm doloris in B. Virgine causa modò nobis adducenda est. Aiunt Patres, omnem illum eius dolorem haud tam fuisse in corpore, quàm in animâ, dicente nimirum B. Simeone, *Tuam ipsius animam pertransibit gladius:* quæ nimirum causa fuit, vt quò anima corpore est subtilior & præstantior, tantò etiam dolor & angustia, quæ illam adfligit, sit acrior & vehementior. Hoc ex fundamento Scriptores sacri asserunt, B. Virginem plusquam Martyrem fuisse, quòd Martyr, licet in corpore tormenta sustineat, in spiritu interim consolationem percipiat. Audiamus iterùm SS. Patres, è quibus D. Bernardus sic loquitur: *Verè tuam, ô beata Mater, animam gladius pertransiuit, quando crudelis lancea filio iam mortuo latus aperuit. Ipsius nimirum anima ibi iam non erat, sed tua planè auelli nequibat, vt plus quàm Martyrem te non immeritò prædicemus, in quâ sensum corporeæ passionis excessit affectus compassionis.* D. Hieronymus item, vel vt alij volunt B. Sophronius: *Quia spiritualiter, & caro eius passa est gladio passionis Christi, plus quàm Martyr fuit.* Sed & D. Ildephonsus idem affirmat. *Ait Simeon*, inquit, *vel Dominus ad eam: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quòd si gladius vsque ad animam peruenit, quando ad crucem stetit fugientibus Apostolis, cùm videret Dominum pendentem, etiam plus quàm martyr fuit: quia in animo non minus amoris, quàm mœroris est intus gladio vulnerata.* Insigne est quod habet Gulielmus, qui explicans illa Cantici canticorum verba, *Ascensus purpureus*, ad martyrium B. Virginis ea referens sic ait: *Cùm pia mater se martyrem profitetur, & sibi mori lucrum, ascensum suum esse purpureum. Illustre eius martyrium à prophetante Simeone euidenter insinuatum fuit, cum loquens de filio diceret, Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* 55.

Luc. 2.

Maria plusquam martyr fuit.

Ser. Signum magnum.

Ostenditur ex Patribus.

Serm. de Assumpt.

Serm. 2. de Assumpt.

Super Cant. 3.

Planè

Deipara Christo commartyr fuit, alij solùm illius martyres.

Planè gladius acutissimus, dolor Dominicæ passionis, animam piæ matris penetrās atq; transuerberans, eam spiritualiter commori filio fecit. Martyres alij fuere moriēdo pro Christo, hæc commoriendo Christo martyr fuit, & commartyr Christi. Illorum corporale, Matris spirituale, & proinde præstantius martyrium fuit. Plus est esse commartyrem Christi, quàm martyrem Christi. Martyres suo, hoc est hominū sanguine; sed Maria filij, hoc est Dei Sanguine intus rubebat. Testatur etiam S. Birgitta, Christum ad matrē suam dixisse: *Testimonium perhibeo tibi, quia in passione meâ fuisti plus quàm martyr.* Cui sentētiæ deniq; suffragantur *a* S. Anselmus, *b* Richardus de Media-villâ, *c* Canisius, *d* Bustēsis, *e* Auctor Pomerij, *f* & D. Thomas. Insuper, quod est amplius, tantos B. Virginem intus cruciatus passā fuisse Patres nonnulli affirmant, vt nisi speciali Dei gratiâ suffulta fuisset, mortem ex Christi filij sui afflictione oppetitura fuerit. Inprimis *g* D. Anselmus sic ait: *Non crediderim te potuisse vllo pacto stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi spiritus dulcissimi filij tui te intus doceret, non esse mortem eam absumentem, sed magis triumphum omnia ei subiicientem.*

Lib. 1. Reuelationū c. 57.
a De Excellentiâ Virginis.
b In 3. Sentent. dist. 33. art. 4.
c Lib. 4. de Deiparâ c. 28
d In Mariali part. 10. Sermone 1. de Cōpassione.
e Lib. 3. art. 3
f In 4. Sent. 45. art. 5.
g Lib. de Excellent. Virginis cap. 5.

56.

Cur Euangelistæ tā pauca de Mariano dolore conscripserint.

Sed difficultas quędā hîc nobis explananda est, quòd si tanti fuerūt & tam acerbi dolores & cruciatus quos B. Virgo pertulit, quid causæ sit, quòd Euangelistæ in eis enarrādis vsque adeò muti fuerint, & præcipuè S. Ioannes, ad quem, velut ad testem oculatum, ingentem Matris tristitiam latiùs describere, pertinere videbatur. Scio equidem, à nonnullis responderi, D. Ioannem, quantò profundiora sunt quæ tractat mysteria, tantò simpliciori, contractiori & breuiori sermone ea pertransire: eiusque rei exempla haberi, primùm, quando altissimum illud Incarnationis arcanum describit, vbi tantùm ait, *Et Verbum caro factum est.* Deinde, cùm vellet ostendere lassitudinem & fatigationem Christi, solùm dixit: *Fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Denique etiam alios Euangelistas, dum Christi natiuitatem, resurrectionem & ascensionem commemorant, paucissimis tantùm ea mysteria verbis percurrere, dum nimirum dicunt: *Peperit filium suum.* &: *Surrexit, non est hîc.* &: *Videntibus illis eleuatus est.* Hanc responsionem & ego ambabus, quod dicitur, vlnis amplectens, dico, sacros Euangelistas, cùm agnoscerent nulla sibi verba suppetere quæ B. Virginis dolorem eiusque acerbitatem pro dignitate & grauitatis exigentiâ exprimere possent, silentio totum illud datâ operâ dissimulasse, solumque Ioannem, quòd B. Virgo iuxta crucem filij sui steterit cōmemorasse. Memoria suggerit quod olim de Timante celeberrimo illo pictore scripsit Augustinus: qui cùm depinxisset sacrificium Iphigeniæ, filiæ Agamemnonis Regis, tristeque illud spectaculū ad viuum retulisset, vellet verò etiam depingere Agamemnonem eius patrem summo dolore confectum, videretq; facultatem sibi deesse tantam parentis tristitiam depingendi, vultum eius velamine cooperuit. Pari ratione Euangelistæ sacri, vidētes omnem sermonem insufficientem esse ad exprimēdos Virginis dolores in morte dilectissimi filij sui, silentij velamine eos cooperuisse dici possent: verùm ab hac nihilominùs sententiâ nonnihil recedens, minimè illos præteriisse silentio arbitror. Nam dum Christi Domini opprobria, flagella, vulnera, & reliquos passionis eius dolores & afflictiones adeò diffusè enumerant, eadem simul operâ Virginis dolores & afflictiones copiosè expresserunt. Vulnera nimirum Christi patientis, vulnera erant matris ei condolentis; omnesque ictus, qui corpus Christi tam atrociter cruciabant, simul animam B. Virginis vehementer feriebant.

Ioan. 1.
Ioan. 4.
Luc. 2.
Marc. 16.
Act. 1.
Lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 28.

Quidquid de Sa. matris doloribus reperitur Deiparam quoq. Virginem concernit.

Sufficiunt quæ hactenus adeò prolixè de grauissimis B. Mariæ doloribus, ad declarandam infinitam quodāmodò, quam ex hoc sibi capite cumulauit, satisfactionem, variis ex Auctoribus, propriis ferè ipsorum verbis, sunt dicta: lacinìam tamen veluti lugubri huic vesti assuentes, etiam adiungere possemus, quàm arctam post filij sui in cælos ascensionem annis illis quindecim, quibus superuixit, egerit pœnitentiam, donec tandem cælestis patriæ desiderio, ac amoris diuini incendio, è viuis potiùs violenter sursùm abrepta est, quàm excessit: verùm hæc aliorùm diligentiæ relinquo, mihique vidisse suffecerit, quantis satisfactionibus, quantis inquam mortificationibus, quantis afflictionibus (quibus, vtpote ab omni labe imperfectioneque immunissima, pro sese nequaquam indigebat) Purgatorij animabus applicandis, abundarit. Finimus ergo Caput hoc cum vltimâ Angelorum, de eiusdē B. Marię Virginis excellentiâ, factâ interrogatione, *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum.* Cùm enim Serenissima hæc cælorum terrarumque Regina, Dei ac viuentium omnium mater, è mundo, velut deserto, ascendit in gloriam, quantis, Deus bone! tunc affluxit gratiarum, mortificationum, afflictionum, impetrationum & satisfactionum deliciis, quibus non viuos tantùm, sed & mortuos, ac Purgatorij tormentis immersos recrearet, refocillaret, ditaret, vt innixa super dilectum filium suum, humani generis Redemptorem, ei quodammodò cooperatrix fieret in mortuorum viuorumque salute procurandâ, non quidem, vt Sectatores huius temporis nos credere stultè arbitrantur, tamquam causa principalis aut effectiua, sed instrumentalis ac impetratoria, quatenus videlicet ipsa, vt mater Christi, seu instrumentum à Deo assumitur, vt hominibus suam obtineat & distribuat misericordiam, non quidem ex vi propriæ perfectionis solùm, sed meritis ipsius Christi filij sui, qui ob immensum, quo ergà matrem suam fertur, amorem, per illam huiusmodi mirabilia operari consueuit, itaque ei vnitur, vt illa vna cum Dei Filio existere à sanctis Patribus perhibeatur. Vnde tribuuntur etiam ipsi plura epitheta, quæ in rigore non nisi Christo conueniunt. Videre id erit tum apud modernos Scholasticos, tum apud antiquos Theologicos Scriptores. Inter modernos sufficient: eximius ille ex Ordine Prædicatorum Magister Torres, qui ita inquit: *Habuit partem beatissima Virgo optimam in opere salutis hominum: nam quamuis solus Deus operari ipsam posset, neque nostro indigeret adiutorio (quidquid enim per causas secundas facit, se solo potest operari) vel in hoc maximè nostram sublimauit naturam, talem secum assumens adiutricem, cui post ipsum maximè deberemus. Et sicut partem habuit prudentissima Rebecca in benedictione Iacob (siquidem illi contulit vestes, quibus à Patre illam obtinuit) ita hæc sapientissima cunctorum viuentium mater, & genitrix luctatoris illius, qui simul luctabatur, & viator erat, & simul Israel & videns Deum, vestem carnis conferendo, & habitum*

57. *Alias plures post Christi mortem per annos quindecim Deipara mortificationes adiecit.*

Cantic. 8.

Applicatur ei tertius ex Canticis ab Angelis prolatus locus.

Doctores B. Virginem aiūt christo cooperatricē idq; quo sensu.

Eximius P. Torres.
In Declamationib. declamat. 3.

peccatricis naturæ, & similitudinē carnis peccati (absque peccato tamen) quibus benedictionem nobis à Deo Patre impetrauit, magnam partem habuit. Per ipsam benedixit nos Deus omni benedictione in cælestibus. & infrà: *Quæ lingua, quæ vox in tuis laudibus decantandis inuenietur idonea? quæ ad salutem nostram operandam assumpta es à Deo tamquam instrumētum, & causa, vt cum eo cuncta componeres: causa inquam, non tantùm efficiens, sed velut materialis, ex quâ, vt vidimus, materiam carnis assumpsit Deus, in quâ operaretur.* Item è Societate IESV doctissimus Salmeron: *Ad hæc mater cruci adstitit, vt humani generis reparatio ruinæ mundi congrueret. Vt enim ruina ex eo est secuta, quòd mulier ad lignum scientiæ boni & mali accedens comedit, ac proinde mortua est, & viro tradidit in mortem ad edendum: ita hinc è contrario (siquidem contraria contrariis curantur) vir primò de ligno amaro crucis gustauit, ac femina gustandū præbuit: & vt vbi à duobus, sed præcipuè à viro casus mundi profectus est; ita salus ac redemptio à duobus, sed præsertim à Christo proficiscitur. nam quidquid habet virtutis Maria, à Christo accepit.* Quin & Cardinalis Bellarminus sapienter, vt assolet, in hæc verba: *Non dicitur vita per essentiam, quomodo est Deus: neque quòd sit principalis causa vitæ, quomodo de Christo dicitur, Auctorem verò vitæ interfecistis: sed quòd Christum peperit, & per illum facta sit mater omnium viuentium vitâ spirituali. Sic enim Eua dicta est vita. voce enim Hebræâ vitam significat, quia mater futura erat omnium viuentium vitâ animali.* Obseruat autem Epiphanius, *Euam appellatam esse vitam, non quia ipsa per se tam insigni nomine digna esset, sed quia typus erat Mariæ, quæ verè vita dici meretur, cùm sit mater Christi, ac per hoc, omnium viuentium.* Franciscus item Suarez, cùm dixisset, B. Virginem ad nostram salutem cooperatam fuisse, id tribus modis explicat in hæc verba: *Primò, merendo de congruo incarnationem; secundò, orando & petendo, & quamdiu in vitâ fuit, de congruo merendo nobis salutem; tertiò, concipiendo Christum nostræ salutis auctorem.* Et eisdem modis sæpissimè SS. Patres B. Virgini attribuunt, quòd nostræ fuerit salutis causa. præcipuè Irenæus, Anselmus, Fulgentius, qui egregiè opponit Mariam Euæ, *vt sicut*, inquit, *hæc fuit humani casus principium, ita illa fuerit nostræ reparationis exordium & causa.*

Venerabilis P. Salmeron vnus ex decem primis S. Ignatij in fundandâ Societate Iesu sociis.

Sed & Illust. Cardinalis Bellarmin.

Actor. 3.

Hæref. 78.

& R. P. Franciscus Suarez. In 3. p. to. 1. disp. 73. sect. 1. concl. 1.

58\. Ex antiquioribus verò id ipsum asseruerunt D. Antoninus, qui in Virginis personâ sic ait: *Cum eo eram cuncta componens, scilicet recreando quæ per culpam destructa erant.* S. Birgitta in Reuelationibus suis, quæ certè à Constantiensi Cōcilio & variis Pontificibus sunt receptæ, hæc in Virginis personâ verba recitat: *Dolor Christi erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum. Sicut enim Adam & Eua vendiderunt mundum pro vno pomo, sic filius meus & ego redemimus mundum quasi vno corde.* D. Bernardus item multa & præclara in hoc argumenti genere nobis contestata reliquit; nam primò sic inquit: *Ad restaurationem humani generis sufficere poterat solus Christus, sicut omnis sufficientia nostra ex ipso: sed bonum non erat nobis hominem esse solum; congruū magis erat, vt adesset nostræ reparationis sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuisset.* Iterùm sic: *Vehementer quidem nobis vir vnus & mulier vna nocuêre; sed gratias Deo, per vnum nihilominùs virum & vnam feminam omnia restaurantur.* Iterùm: *De plenitudine eius accipiunt vniuersi captiui redemptionem.* & pòst: *Meritò, Domina, respiciunt in te oculi vniuersæ creaturæ, in quâ, & ex quâ benignissima manus Dei, quidquid creauerat, recreauit.* Prætereà hunc in modum S. Anselmus: *Pura sanctitas, & sanctissima puritas piissimi pectoris eius, omnem omnis creaturæ puritatem siue sanctitatem transscendens, incomparabili sublimitate hoc promeruit, vt reparatrix perditi orbis dignissimè fieret.* Insuper D. Amadæus: *Sicut in Eua omnes moriuntur, ita & in Mariâ omnes viuificabuntur: & sicut Euæ scelere fit mundi damnatio, ita fide Mariæ facta est orbis reparatio.* B. Laurentius Iustinianus hæc ait: *Quis Deum non honoret in Virgine, qui Virginem Dei voluit fieri genitricem, reparatricem sæculi, lucem mundi?* B. Andreas Cretensis idem disertis verbis contestatur, dicens: *Sola præter naturam fuit electa ad naturam renouandam.* S. Ephrem vocat B. Virginem *captiuorum redemptionem, & omnium salutem.* Accedunt præter hos etiam, D. Ioannes Chrysostomus, qui *Planè*, inquit, *restauratur per Mariam, quod per Euam perierat:* & S. Augustinus, qui has in voces prorumpit: *Hæc primæ matris damna resoluit, hæc homini perdito redemptionem adduxit. Mater enim generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem edidit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidēdo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit.* Et ibidem explicans illa verba, *Quia fecit mihi magna qui potens est*, hæc scribit: *Quæ tibi magna fecit, Domina? quæ, gloriosa virgo, vt beata dici merearis? Puto enim, imò veraciter credo, vt creatura ederes Creatorem, famula Dominum generares, vt per te Deus mundum redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam reduceret.* Plures alios omittimus.

Ex antiquioribus verò & varij sunt. Par. 4. Theologiæ, titul. 15. c. 14. §. 3.

Cap. 35.

S. Bernardus Serm. de Assumption. Virginis.

De Verbis Apocalypſ.

Sermone 89.

D. Anselmus. De Laud. B. Virginis, c. 9.

D. Amadeus Homil. 7. de Laudib. Virginis.

B. Laurētius Iustinianus. Serm. de Natiuit. B. Mariæ.

B. Andreas Cretensis. Serm. de Dormition. Virginis.

S. Ephrem.

S. Ioannes Chrysostom. Homil. de Interdict. arboris ab Adam.

S. Augustinus. Serm. de Assumpt.

59\. Ne verò fuci nostri & crabrones hinc aliquod venenum exsugere præsumant, aduertant quæso, multa de hominibus in Scripturâ sacrâ enūtiari, quæ soli vniq; Deo sunt propria, creaturisq; incōmunicabilia, qualia sunt, Remissio peccatorum, de quâ ad Apostolos suos ita Saluator loquitur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* S. Iacobus frater Domini in suâ Epistolâ ita de hominū saluatione scribit: *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte.* Quin Deus ita ad Moysem olim locutus est: *Ego te constitui Deum Pharaonis.* Quæ haud dubiè ab hæreticis nostris admittēda sunt, & sano sensu, quemadmodū fit à Catholicis, interpretanda. Sed quia nobis præcipuè cum Catholicis res est, præsenti eos Capite instructos volumus de superabundantissimis Deiparæ virginis satisfactionibus, è quarum luculentâ adeò declaratione non poterunt non vehemēter incitari, quin maximâ cum fiduciâ misericordiæ Matrem adeant, pro auxilio fidelibus defunctis, ac solatio, eiusdem Dei matris interuentione, assequendo, vtpote quæ non misericordissima solùm parens sit, atque ad omnem miseris præstandam benignitatem promptissima, diuinæque iracundiæ, ex tot gratiarum suarum affluxu, placandæ apprimè idonea, cui etiam, vt hactenus audiuimus, tam ingētes mortificationum, pœnitentiarum, afflictionum satisfactionumque thesauri suppetunt, vt in spem certissimam vocemur, quidquid ab illâ, vel per illam à Deo, pro animabus Purgatorij postulauerimus, absque vllâ dilatione aut dubitatione nos obtenturos. Quod si neglexerimus, timendum nobis profectò est graue de contēptu iudicium, & iure meritò, cùm nulla remaneat excusatio, si, propriis austeritatibus atque expensis parcentes, nolimus

Ne in hoc orthodoxos calūnientur hæretici in ex Scripturis satisfit.

Ioan. 20.

Cap. 5.

Exod. 7.

Omnes immensi hi satisfactionū Marianarū thesauri applicabiles sunt Animabus Purgatorij.

nolimus saltem mutuatâ à B. Virgine pro mortuis solutione satisfacere, tantamque illorum & inopiam & pœnam sine vllo nostro dispendio ac labore consolari. Fiet inde, vt non animas solùm offensas, atque in crudelitatem nostram vindices iustissimos, sed & ipsam misericordiæ Matrem, velut contemptam neglectamque, timere debeamus: huius enim vna hæc & summa voluntas est, ea quæ tantâ abundantiâ, tantâ sedulitate, tantâ cum charitate, purgandis purgatorio igne spiritibus prouidit accumulauitque, libenter liberaliterque impendi; de quo, Libro III. inferiùs plura dicturi, modò nobis silentium indicimus. Sed quid inquam silentium indicimus, qui nihil hactenus diximus? Maiuscula fortè videri poterant quæ præsenti Capite allata sunt, sed nequaquã ita iudicabunt, qui vt res est, nobiscum confitebuntur, nihil satis dici posse de Virgine Mariâ; cuius laus vti tanta est, vt, etiamsi omnes de illâ loquerentur, parum dicerent: ita neque minueretur, licet omnes silerent. Siue ergo loquamur cuncti de te, gloriosissima cælorum Regina; siue, quia dignè loqui non possumus, taceamus;

Semper honos, nomenq́; tuum laudesq́; manebunt.

CAPVT XII.

Inuocata Sanctorum in cælis regnantium patrocinia, purgandis igne spiritibus liberationem acquirunt.

1. *Duo ad præsens Caput explicãdum spectant.*

QVandoquidem celebris adeò de Beatorum in cælis cum Christo conuersantium inuocatione, Catholicos inter & hæreticos vertitur cõtrouersia, non immeritò à nobis ex SS. Patribus, quinimò, quod præcipuè volunt aduersarij, ex ipsis Scripturis diuinis hæc res antè probanda est, quàm ostendere pergamus, fidelibus etiam defunctis gloriosorum in cælis Angelorum atque hominum orationes à nobis experi posse, & in Purgatorio existẽtibus prodesse. Caluini sanè, eumque sequentium, obiectio non solùm est absurda, sed & impia & blasphema. *Quis*, ait ille modernus Lucianus, *eousque longas illis* (Sanctis nimirum) *esse aures reuelauit, quæ ad voces nostras porrigãtur? oculos etiam tam perspicaces, qui necessitatibus nostris adinuigilent?* Verùm quò hæc interrogatio est ineptior, eò faciliorem clarioremque ei reponere possumus responsionem. Quia enim cæcus adeò erat Caluinus, vt spiritus crederet, ad intelligendum, oculis atque auribus, velut instrumentis, indigere, non alium se esse demonstrauit, quàm qualem Apostolus describit: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.* Hinc, inquam, conuenire sibi ostendit, quod præcauendum Propheta Regius docuit: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Nam quis tyro, etiam minimus, vel qui primis, vt aiunt, saltem labris Philosophiam degustauit, adeò est hebes & obtusus, vt nesciat, animam nostram, vtpote intellectualem, licet per huius lucis breuem vsuram corporatis organis sensibusque indigeat, corporis tamen vinculis solutam (vt per mortem solui necesse est) alio planè cognoscendi intelligendique modo præditam esse, hoc est, neque corpori neque sensibus alligato, spiritali penitus Angelorum, imò ipsiusmet Dei, intelligentiæ persimilem esse. quo fit, vt vel Deo & Angelis deneganda sit rerum nostrarum cognitio, quia oculis auribusque corporeis carent, vel certe, quod verius, in fumum abeat Caluini argumentatio, quã propterea negat Sanctis orationum, quas ad eos dirigimus, intelligentiam, quòd illorum aures oculive è cælo vsque ad terram pertingere nequeant. Age verò, etiamsi non nisi per corporalia huiusmodi organa quidquam Beati perciperent, numquid Deo, à quo glorificantur, hoc ipsum iis conferre foret impossibile? Nonne in carne adhuc mortali *S. Stephanus vidit cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris virtutis Dei?* Si iste hoc potuit, moriturus adhuc, & fragili circumdatus corpore; num ampliùs id posse Sanctos in cælo gloriosos dicendum erit? Ita nimirum animalis Caluinus, vt hoc non capiat: ita asinus, ita mulus, vt illi, rem adeò claram percipiendi, non sit intellectus. *In camo ergo & fræno maxillæ*, quod Dauid aliis imprecabatur, Caluini & Caluinianorum *constringendæ sunt*, vt qui cum Cælitibus commercium habere noluerunt, ad bruta & irrationabiles bestias iustè ablegentur.

Refutandi inprimis hæretici.
Lib. 3. Instit. cap. 20. §. 24.
Quàm stulta Caluini obiectio!
1. Corinth. 2.
Psalm. 31.
Diluitur ex Scripturis.
Act. 7.

Nos, qui, vtpote rationales, faciem attollimus, & erecto vultu lumen cæleste adspicimus, quàm hæc de Sanctis Catholicorum doctrina sit vndequaque verissima, è SS. Scripturis atque priscis, vt solemus, Patribus commonstratum imus. Ait Psalmista: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & in torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Inter cælestis igitur gloriæ prærogatiuas hoc Sancti priuilegio gaudebunt, vt in Deo, velut in lucidissimo speculo, videre queant id omne quod ipsis ex vel in creaturis oblectamentum ac voluptatem parere poterat. Hinc S. Ioannes Euangelista de triumphante scribens Ecclesiâ, *Et ciuitas*, inquit, *non eget sole, neque lunâ, vt luceat in eâ; nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est Agnus.* Sed quid, quæso, ex clarâ hac & beatificâ visione profectùs? *Similes ei erimus*, inquit idem Euangelista, *quoniam videbimus eum sicuti est.* Quemadmodum ergo Deus omnia videt, omnia in se cõplectitur; ita in hoc Beatos sibi efficiet similes, ac vniuersa, quæ lætificare quidem ac recreare illos possunt, in seipso, velut in speculo, patefacit atque apertè ostendit. Audiamus S. Gregorium Magnum, qui sic loquitur: *Qui intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent.* Et alio in loco: *Quia enim illic omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt?* Accuratè verò si Lector expendere dignetur quæ apud S. Lucam Christus ipse pronũtiat, non ei erit dubium, quin Sanctos in cælis intelligere quæ in terris geruntur, mecum & cum tota Ecclesia Catholica sit affirmaturus. *Gaudium erit*, inquit Saluator, *coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Quid hoc est? Gaudẽt super vno peccatore, numquid ergo de ipsius conuersione sciunt? Si Angeli sciãt, scient profectò & homines, qui in Angelorum numerum admissi ac trãslati sunt. *Erunt enim*, quod iterùm Saluator noster asserit, *sicut Angeli Dei in cælo*; aut vt Lucas effert, *tunc enim ibi sunt, æquales Angelis sunt.* Plura his velle adiungere, superua-

2. *Ex Scripturis Catholica doctrina probatur.*
Ex Psalmodo.
Psalm. 35.
Ex Ioanne Apostolo.
Apocal. 21.
1. Ioan. 3.
Lib. 12. Moral. cap. 14.
Lib. 4. Dialogor. cap. 33.
Ex ipsomet Christo.
Luc. 15.
Matth. 22.
Luc. 20.

superuacaneum foret: ostendamus itaque primùm è SS. Patribus, deinde e Scriptura, Sanctos in nostrum & aliorum apud Deum suffragium rectissimè inuocari.

3.

Errant qui à S. Gregorio Magno primùm volunt inchoatam inuocationẽ Sanctorum.

Voluere nonnulli sectarij, Sanctorum inuocationem ab ipso primùm D. Gregorio Magno Papa habuisse originem: sed quàm ij à veritate aberrent, ex aliis quàp'ur.bus Patribus, eodem Pontifice multò antiquioribus, facilè potest intelligi. S. Leo Papa primus in ordine erit, cuius hæc sunt verba: *Confirmate amicitias cum sanctis Angelis & Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribusq; sociamini, horum diuitias cõcupiscite, & per bonam æmulationem ipsorum ambite suffragia.* Post hunc S. Victor Vticensis sic loquitur: *Adestote Angeli Dei, deprecamini Patriarchæ, orate sancti Prophetæ, estote Apostoli suffragatores; præcipuè tu Petre beate, quare siles pro ouibus & agnis, à communi Domino magnâ tibi cautelâ & sollicitudine commendatis. Tu sancte Paule gentium Magister, cognosce quid VVandali faciunt Ariani, & filij tui gemunt lugendo captiui: vniuersiq; ingemiscite simul pro nobis Apostoli.* S. Augustinus item, *Ideò*, inquit, *ad ipsam mensam non sic eos* (scilicet Martyres, de quibus ei sermo est) *commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus, sed magis vt ipsi pro nobis orent.* S. Paulinus Nolæ Episcopus sic S. Celsum appellat:

Serm. 5. de Epiphan.

Lib. 1. de Persecutione VVandalicâ, circ. fin.

Tractat. 84. in Ioannem.

In fine Carminis panegyrici de S. Celso.

Celse, iuua fratrem sociâ pietate laborans,
Vt vestrâ nobis sit locus in requie.

Iterùm alibi S. Clarum sic:

Epist. 12 ad Seuerum.

Qualibet in regione poli situs aut paradisi,
Clare, sub æternâ pace beatus agis
Has peccatorum bonus accipe vota rogantum,
Vt sis Paulini Therasiæq; memor.

Lib. 2. Hist. cap. 33.

Ruffinus de Theodosio Imp. sic loquitur: *Circuibat cum Sacerdotibus & populo omnium orationum loca, ante Martyrum & Apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus, & auxilia sibi fidâ Sanctorum intercessione poscebat.* S. Maximus insuper hæc habet: *Itaque, ô splendida Christo, pulchra Dei Filio, & omnibus Angelis & Archangelis grata, vt nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus.* Prudentius inter alia quam plurima hæc scripsit:

Serm. de S. Agnete.

In Carmine de S. Hippolyto.

Hippolyto scio me debere, Deus cui Christus
Posse dedit, quod quis postulat, annuere.

Iterùm:

In Hymno de S. Cassiano.

Audit, crede, preces Martyr prosperrimus omnes,
Ratasq; reddit quas videt probabiles.

Iterùm:

In Carm. de S. Laurentio.

Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratum prosperè,
Et tristis haud vllus redit,
Ceu præstò semper adsies,
Tuosq; alumnos vrbicos
Lactante complexus sinu
Paterno amore nutrias.

In Epitaph. Paulæ, circa finem.

S. Hieronymus, *Vale*, ait, *ô Paula, & cultoris tui vltimam senectutem orationibus iuua. Fides & opera tua Christo te sociant, præsens faciliùs, quod postulas, impetrabis.* S. Ambrosius sic loquitur: *Obsecrandi sunt Angeli, qui nobis ad præsidium dati sunt. Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam si qua habuerunt peccata lauerunt. Isti enim sunt Dei Martyres nostri præsules, speculatores vitæ actuumq; nostrorum.* D. quoque Hilarius idem approbat sic inquiens: *Intercessione Angelorum non natura Dei indiget, sed infirmitas nostra: missi enim sunt propter eos qui hereditabunt salutem, Deo nihil ex his quæ agimus ignorante, sed infirmitate nostrâ ad rogandum & promerendum, spiritualis intercessionis ministerio indigẽte.* S. Cyprianus in eadem est opinione, qui nimirum hæc effatur: *In ordine Sanctorum proto-Martyres primum habent locum, & secretorum conscij diuinorum, propinquitate familiarissimâ clementiam Dei pro nostris exorant laboribus.* Et paulò pòst: *Hi itaque à cunabulis* [nimirum Innocentes] *in cælũ translati, facti sunt supremi Capitolij Senatores & Iudices, nõnullis veniam obtinentes immeritis, assistuntq; miserationibus & vltionibus diuinis, sed sæpius Agni, quemquocumque ierit prosequuntur, mansuetudine, quàm irâ vel furore vtuntur.* Denique S. Cornelius Papa, *Orantes*, inquit, *Deum & Dominum nostrum Iesum Christum, vt intercedentibus sanctis suis Apostolis, maculas vestrorũ purget peccatorum*, &c. En duodecim è Latinâ Ecclesiâ Patres, S. Gregorio omnes antiquiores.

Lib. de Vidais.

In Psal. 129.

Lib. de Stellâ & Magis.

Epist. 1.

4.

Idem probatur ex Patribus Ecclesiæ Græcæ.

Sed & e Græca Ecclesiâ totidem pares & eruditione & sanctitate Scriptores proferre possumus. Damascenus de Sanctis defunctis sic loquitur: *Per eos dæmones abiguntur, infirmi curantur, cæci vident, leprosi mundãtur, tentationes & tristitiæ soluuntur: omne bonum donum à Patre luminum per eos, qui inhæsitabili fide petunt, descendit.* Theodoretus historias sanctorum Patrum describens, singulas Vitas hac conclusione finit: *Ego autem huic narrationi finem imponens, rogo & quæso, vt per horum intercessionem diuinum consequar auxilium.* Qui & ipse pulcherrima habet de Sanctorum inuocatione libro octauo ad Græcos, qui est de Martyribus. Cyrillus Ierosolymitanus hæc habet: *Cùm hoc Sacrificium offerimus, facimus mentionẽ etiam eorum qui ante nos obdormierunt, primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras*, &c. S. Ephræm, *Precamur*, inquit, *beatissimi Martyres, qui pro Domino Saluatore, proq; illius charitate sponte & impigrè tormenta sensistis, atque ideò familiariùs Domino coniuncti estis, vt pro nobis miseris & peccatoribus, & de negligentiæ squalore sordentibus, Dominum interpellare dignemini, vt superueniat in nos gratia Christi.* Sed & D. Gregorius Nyssenus sic S. Theodorũ Martyrem inuocat: *Intercede ac deprecare pro patriâ apud communem Regem & Dominum. Timemus afflictiones, expectamus pericula, non longè absunt scelesti Scythæ, bellum aduersum nos parturientes. Vt miles propugna pro nobis, vt Martyr pro cõseruis vtere libertate loquendi.......Quòd si maiori etiam opus fuerit deprecatione & aduocatione, fratrum tuorum Martyrum coge chorum, & cum omnibus vnà deprecare: admone Petrum, excita Paulum, Ioannem item Theologum, ac discipulum dilectum*, &c. Pariter quoq; S. Ioannes Chrysostomus: *Nam & ipse qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulchra, & fastu deposito stat sanctis supplicaturus, vt pro se apud Deum intercedant, & scenarum fabrum, & piscatorem, vt protectores orat qui diademate redimitus incedit.* Quòd si Sanctus ille Pater idololatriam esse credidisset, Sanctos inuocare, potiùs asperrimis, vt alia solet vitia, verbis increpasset, nec ita dilaudasset, nec etiam alibi ad Sanctos supplicandum tam crebrò adhortatus fuisset. Iam & alter Gregorius, Nazianzenus nimirum, loquens de sanctâ illâ virgine, quam Cyprianus, tunc adhuc Ethnicus, & ab eo rogatus Magus dæmonis operâ ad stuprũ & fornicationẽ sollici-

Lib. 4. de Fide, cap. 16.

Catechesi 5. Mystag.

In Serm. de Laudib. SS. Martyrum.

In Orat. de S. Theodoro, circa finem.

Homil. 5. & 8. in Matth.
Homil. 43. in Genesim.
Homil. 1. in 1. Thessal.
Serm. in Iuuentium & Maximum.

Orat. in S. Cyprianum.

sollicitabat, sic inquit: *Virginem Mariam rogauit, vt periclitanti virgini opem ferret.* Quid verò hæc B. Virginis inuocatio profuerit, sequitur: *Vicit virgo, vincitur dæmon,*&c. Quin & ipsemet S. Cyprianum, S. Basilium, & S. Athanasium hisce verbis inuocat: *Tu autem è supernis propitius nos respice, & populum sanctum hunc dirige, & nos in pace quidem foue & compasce, in certamine autem dirige, & suscipe, & cum teipso statue, & iis qui tales sunt vt tu, etiãsi magna sit petitio.* S. Basilius de Martyribus.

Orat. in XL. Martyres.

Qui aliquâ premitur angustiâ, ad hos confugiat; qui rursum lætatur, hos oret: ille, vt à malis liberetur; hic, vt duret in rebus lætis. Item alibi:

Orat. in Psal. 33 in illud: Oculi Domini super iustos, &c.

Sanctæ spirituales virtutes (Angelos intelligit) *aliquæ oculi dicuntur, quòd curam susceperint nos interuisendi: nonnullæ aures, vt quæ nostras excipiunt preces.* Athanasius hisce verbis B. Virginem inuocat:

Serm. in Euang. de Annuntiat.

Inclina aurem tuam in preces nostras, & ne obliuiscare populi tui. Item: *Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo.* Item: *Intercede hera, & Domina, & Regina, & mater Dei, pro nobis.* Eusebius eodem conspirat, inquiens:

Lib. 13. de Præparat. Euang. cap 7

Hæc nos quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites, vt Dei amicos, honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaq; ipsis facimus, tamquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum iuuari profitemur. S. Irenæus:

Lib. 5. Contra hæreses.

Et sicut illa (Heua) *seducta est vt effugeret Deum, sic hæc* (Maria) *suasa est obedire Deo, vt virginis Heuæ virgo Maria fieret aduocata.* Deniq; S. Dionysius Areopagita, qui ipsismet Apostolorum temporibus vixit, & probè quid tum in Ecclesiâ Catholicâ & Apostolicâ doceretur nouit, sic inquit:

De Ecclesi. hierarch. c. 7.

Nam profectò idem fit, ac si quis, Sole suos radios sanis largiente oculis, sibi oculos eruens, solaris luminis particeps fieri postulet; sic impoßibilium superfluâ spe ille suspensus est, qui Sanctorum flagitat preces, & naturæ ipsorum consentaneas sacras operationes abigit, &c. Addam hisce Patrum agminibus

Item ex Apostolorum Liturgiis.

Liturgiam S. Iacobi Apostoli, qui dictus fuit Minor, vbi inter alia: *Commemorationem agamus sanctißimæ, immaculatæ, gloriosißimæ, benedictæ Dominæ nostræ, matris Dei & semper virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum & iustorum, vt precibus & intercessionibus eorum misericordiam consequamur.* Sic ibi. Ad Scripturas accedo.

5.

Quin & probatur Sãctorum inuocatio ex Scripturis primùm Legis antiquæ.

Vtraque Lex, tam antiqua quàm noua, pro nobis militat. Et primùm quidem duodecim è veteri loca adducemus, posteà totidem è nouâ, iudicium probo & sincero Lectori relicturi. Patriarcha Iacob expressis verbis Angelum & nomina Patriarcharum inuocauit, dum suis è filio Ioseph nepotibus benedicens ait:

Genes. 48.

Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac, & crescant in multitudinem super terram. Moyses Deum ita precatus est:

Exod. 32.

Recordare Domine Abraham, Isaac & Israel seruorũ tuorum. In quem locum scribens Theodoretus,

Q. 67. in Exod.

sic explicat, Moysen nimirum, cùm se non existimaret sufficientem ad placandum Deum, adhibuisse patrocinium Patriarcharum. Ibi obiter notandum est, quòd ante Christi in carnem aduentum Sancti, qui moriebantur, non intrarent cælum, nec Deum viderent, ideoque ordinarie non cognoscerent preces sibi vel suo nomine supplicantium, & proinde in veteri Testamẽto moris non esset, ipsos disertim & immediate Sanctos inuocare; sed quòd tum Deum solummodò deprecarentur, Sanctorum merita allegantes, quò ipsorum intuitu exaudiri faciliùs mererentur. Ceterùm Angelos, qui visione beatificâ sub antiquâ etiam Lege fruebantur, hominum fuisse aduocatos, ipsa Raphaëlis Archangeli verba abundè testatum faciunt, vbi sic loquitur: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tuâ, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Tob. 12.

Æquè id ex S. Iobo patet, qui sic ait: *Si fuerit pro eo* (id est homine puniendo) *Angelus loquens, vnus de millibus, vt annuntiet hominis æquitatem; miserebitur eius, & dicet: Libera eum, vt non descendat in corruptionem. inueni in quo ei propitier.* Iob. 33.

Zacharias Propheta expressiùs Angeli pro filiis Israel ad Deum intercessionẽ recitat in hæc verba: *Domine exercituum, vsquequò tu non misereberis Ierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? iste iam septuagesimus annus est. Et respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me, verba bona, verba consolatoria.* Zachar. 1.

En insignes Angelicæ intercessionis effectus. Quin & ipse B. Iobus illis, qui aliqua se pressos afflictione deprehẽderint, hoc inde euadendi suggerit consiliũ: *Voca ergo, si est qui tibi respõdeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Iob. 5.

Et vt exẽplo quoque constaret, Dominum Deum bonorum suffragiis & intercessionibus ad misericordiam flecti, & flecti velle, hæc mihi, quæso, ex eodem Iobo verba diligenter nota: *Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob. Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis. Iob autem seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam vt non vobis imputetur stultitia: neq; enim locuti estis ad me recta, sicut seruus meus Iob. Abierunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos, & suscepit Dominus faciem Iob.* Iob. 42.

S. Dauid insuper sufficienter docere poterit, quantâ Sancti apud Deum auctoritate polleant, & quãtam Deus mortalibus in patrocinio illorum confidendi vltrò præbeat occasionem. *Exultabunt*, inquit, *Sancti in gloriâ, lætabuntur in cubilibus suis. Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum: ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus Sanctis eius.* Psal. 149.

Insuper: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.* Psal. 46.

Item: *Congregate illi Sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia.* Salomon quoque, Regũ ille sapientissimus, in Psalmis Gradualibus, quos in ascensu ad tabernaculum Dei seu propitiatorium decantari præcepit, *Memento*, inquit, *Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* & infra: *Propter Dauid seruum tuum non auertas faciem Christi tui.* Psal. 131.

E quibus palàm fit, & ipsum Regem Salomonem, & vniuersam simul Iudæorum Synagogam in more habuisse, propter merita Prophetæ Dauid, & speciatim intuitu mansuetudinis eius, misericordiam a Deo expostulare: cuius etiam respectu ipse Salomon & ciuitas Ierosolymitana ab irâ diuinâ sibi impendente seruati sunt. Salomon quidem, de quo sic legitur: *Propter Dauid dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Ierusalem, vt suscitaret* 3. Regum 15

filium

filium eius post eum, & statueret Ierusalem; eò quòd fecisset Dauid rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ. Ciuitas verò ipsa Ierosolyma, de qua sic scribitur: *Protegam vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum.* E Ieremiæ itidem Prophetæ hisce verbis, *Si steterit Moyses & Samuel corā me, non est anima mea ad populum istum,* euincitur, Moysen & Samuelem iam mortuos potuisse, & de facto solitos fuisse pro viuentibus intercedere, & isto tempore tantam fuisse Dei iracundiam, vt nec propter illorum intercessionem, quod aliàs fecisset, populo isti ignoscere vellet. Cùm insuper tres illi Pueri Nabuchodonosoris impio iussu propter pietatem in fornacem Babyloniceam coniecti fuissent, illique se ab igne iam deuorandos arbitrarentur, inde se eripi petierunt, nec id propter se, sed propter antiquos Sanctos, qui iam Deo adeò perplacuissent. *Ne dissipes,* inquiebant, *testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israël sanctum tuum.* Quod vtique Spiritus sancti eos instinctu fecisse nullatenus dubitādum est. Baruch sic precatur: *Domine omnipotens, Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israël.* Exemplo valdè notabili priscæ Legis testimonia claudimus, quod in secundo Machabæorum libro habetur, vbi Iudas Machabæus, ad confortandos & excitandos militum suorum animos, somnium refert, in quo se vidisse profitetur Oniam, olim summum Ierosolymis sacerdotem, qui sublatis manibus pro Iudæorum populo Deo supplicasset, qui & ipse insuper Iudæ ostendisset Ieremiam Prophetam idem facientem. E quo scilicet exemplo irrefragabiliter concludimus, etiam Synagogam & populum Iudæorum, in quo & apud quem tum vera erat Dei Ecclesia, Sanctorum pro mortalibus intercessionem firmiter credidisse. cui enim alioquin fini hæc Iudas Machabæus narrasset? non sanè militū animi, si quid à religione & fide alienum dixisset, confortati fuissent, sed potiùs pugnare detrectassent. Quin & Deus hoc adeò non improbauit, vt contra insignem & vel maximè memorabilem victoriam concesserit, quià & Nicanor ipse cum trigintaquinque millibus è suis occisus & interemptus fuit. Quin & sacer textus hoc ita dilaudat, vt addat: *Exhortati itaque Iuda sermonibus bonis valdè.* Quomodo bonis valdè, si erroneum est, credere, Sanctos pro nobis Deum exorare?

4. Regum 19. & 20 37.

Ierem. 15.

Dan. 3.

Baruch 3.

2. Machab. 15.

6. *Probatur sanctorum inuocatio ex Lege Euangelicâ.*

In Lege nouâ hoc ipsum asseruerunt Sancti Apostoli Petrus, Paulus, Ioannes, imò, quod maximum est, copiosissimè ipsemet Saluator noster Christus Iesus, Dei Filius, qui suam nobis è Patris æterni sinu doctrinam adferens, nisi à nobis id credi voluisset, minimè hoc fecisset. S. Petrus igitur sic inquit: *Dabo autem operam, & frequenter vos habere* (intellige, commendatos, siue in animo meo) *post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* Qui planè idem est sensus cum eo quem Oecumenius & alij assignant, nimirum, Dabo operam etiam post obitum meum, vt vos semper horum memoriam agatis. Constat ergo, addixisse S. Petrum fidelibus, se apud Deum, post suum è mortali corporis ergastulo digressum, curaturū, quatenus memores permaneant eorum quæ à se audiuissent. Hoc si Petrus se facturum confidit & pollicetur, quidni & de ceteris glorificatis animabus admittendum erit? S. Paulus sic inquit: *Gratias ago Deo meo, audiens charitatem quam habes in Domino Iesu, & in omnes Sanctos.* E quo loco benè S. Hieronymus adstruit, ac prolixè ostendit, magnam fidem seu potiùs fiduciam in Sanctorum intercessione haberi debere. S. Ioannes Euangelista trigam nobis construit, vnde quod intendimus probare valeamus. Primò refert, vigintiquatuor seniores vnà cum quatuor Euangelistis corā Agno obtulisse orationes Sanctorum. Verba ipsius hæc sunt: *Et cùm aperuisset librum, quatuor animalia & vigintiquatuor seniores ceciderunt corā Agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum: & cantabant canticum nouum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius; quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & linguâ, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes: & regnabimus super terram.* Vbi per vigintiquatuor seniores intelligi volunt Doctores sacri Sanctos noui & antiqui Testamenti: noui quidem, propter duodecim Apostolos, à quibus totus mundus conuersus est; antiqui verò, ob duodecim Patriarchas, ex quibus vniuersa Israelitarum progenies ortum habuit. Rursus in eodem Apocalypseos libro sic legitur: *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.* En claram orationis sanctorum probam. Sed quid orant illi sancti? *Vsquequò Domine, (sanctus & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terrâ?* E quibus patet, Sanctos occisos, ac proinde mortuos, ad Deum clamare, vt iustitiam exerceat: sed & consequenter ostenditur, decentius ac verius multò existimari debere, hosipsos Sanctos clementiæ diuinæ impetrandæ ergò, idque pro mortalibus adhuc in vitâ degentibus, Altissimum inclamare. Quàm enim indignū esset, eos vindictam, & non misericordiam, expostulare atque exorare posse? Redemptor prætereà noster, vt sanctorum suorum in cælis auctoritatem in primis adstrueret, hosipsos secum ad faciendum generale iudicium in gloriâ ac maiestate aduenturos esse asseruit. *Amen,* inquit, *dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Vnde mirum non est, D. Paulum ita fuisse locutum: *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Nescitis quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis sæcularia?* Deinde, vt è Christi verbis, Sanctorum orationes amplius confirmare pergamus, notanda sunt, quæ de Angelis huc ex Matthæo adducunt Expositores. hi enim ex hisce Christi verbis, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cælis est,* huiusmodi eliciunt argumentum: Monet Saluator, ne quis paruulos scandalizet, propterea quòd Angeli eorum semper ac continuè faciem Dei adspiciant; ergo sequitur, Angelos aliquid apud Patrē æternum suis orationibus posse, quia aliàs inutile foret argumentum. Si enim nihil valeant, quare propter eos paruuli non scandalizandi? Verùm si econtrà non scandalizandi propter Angelos paruuli,

2. Petri 1.

Ad Philemō.

Apoc. 5.

Cap. 8.

Cap. 6.

Math. 19.

1. Cor. 6.

Math. 18.

paruuli, rectè sequitur, hosce aliquid apud Dominum obtinere. Hinc D. Hilarius ita loquitur: *Saluatorum igitur per Christum orationes quotidie Angeli Deo offerunt: ergo periculosè ille contemnitur, cuius desideria ac postulationes ad æternum & inuisibilem Deum ambitioso Angelorum famulatu ac ministerio peruehuntur.* Accedat & aliud argumentum ex D. Lucâ Euangelistâ, vbi ipse Diues epulo, etsi damnatus, pro fratribus suis orasse, ab ipsomet Saluatore nostro perhibetur. *Rogo,* enim ille inquit, *te pater, vt mittas eum* (id est Lazarum) *in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Si hæc damnaris tribuit Euangelium, si hoc ipsa Veritas; denegabitur id Sanctis? Ineptum foret, imò ineptissimum. Ad sectariorum tamen satisfactionem, qui nisi quid viderint, minimè credunt, hîc meminisse proderit cuiusdam loci, in quo tale omnibus à Christo consilium suppeditatum fuit: *Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis, vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula;* quibus quoniam, Sanctos apud Deum posse cultoribus suis gloriæ participationem acquirere, Cap. I. & XIV. Libri I. probauimus, eò Lectorem, ne toties eadem repetamus, dirigimus: hîc nonnulla alia annectimus, quæ ex Christi arcanis deprompta, & Sanctorum suffragiis applicata, discursui nostro de hac materiâ finem imponant.

In hunc S. Matthæi locum.

Luc. 16.

7. Adferuntur itaque à variis Patribus varia loca, quibus probant, Sanctorum esse muneris, Ecclesiam Dei dirigere atque gubernare. S. Hilarius docuit, per *bona Dei*, eius etiam Ecclesiam designari, atque adeò asseri, quemcumque Sanctum, in cælum receptum, eo ipso assumptum esse ad Ecclesiæ gubernationem. Nam, vt Saluator ait, *beatus ille seruus, quem, cùm venerit dominus, inueneritsic facientem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.* Idem a D. Hilarius, & cum eo SS. Augustinus & Theodoretus in eumdem locum, sicut & b Primasius, & cum eo Ven. Beda ac Rupertus super eodem, affirmarunt, quòd quando Sancti in cælis dicti sunt regere Gentes in virgâ ferreâ, id non significet, eos illas, dum adhuc viuunt, punire, quia suis potiùs precibus eas student conuertere; sed ipsas regere ac gubernare virgâ pastorali. *Virga*, inquiunt, *directionis, virga regni Dei.* Vt hinc probetur, Sanctos gubernare fideles viuentes, cùm in Apocalypsi dicatur: *Qui vicerit, & custodierit vsque in finẽ opera mea, dabo illi potestatem super Gentes, & reget eas in virgâ ferreâ.* Præter quæ S. Ioannes Chrysostomus tradit, Martyribus proprium esse vt sustentent Ecclesiam, quod ait designari per id quòd fieri dicantur columnæ in templo Dei. Vnde & aureum illud os adfirmat, huc facere illud, *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei.* Quibus ex aliorum interpretatione addi potest locus ille qui ibidem sequitur: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Quid enim hoc significat aliud, quam, sicut Christum conuenit toti mundo præsidere, Ecclesiamque gubernare atque instruere, ita id similiter Sanctis esse concessum?

Probatur Sanctorum munus esse vt Ecclesiam regant. Matth. 4.

a In Psalmum 2. b In cap. 2. Apocalyp.

Apocal. 2.

Serm. de Iuuentio & Maximo.

Apoc. 3.

8. Patet itaque tam è Scripturis quàm sanctis Patribus, Beatos in cælo regnantes meritò à viuentibus inuocari posse, imò & fortè deberi; illosque his adesse, & suppetias ferre: quod ipsum prolixiùs paullò deducere hoc loco voluimus, quia notissima hac de re sectariorum, si quæ vlla, nobiscum est contentio, & hoc ipsa loci occasio & opportunitas ita exigebant. Hæc vero iam in animabus Purgatorij locum habere monstrandum est: ad quam rem equidem haud minora, haud infirmiora adducere possemus argumenta; sed quid multis opus est, cùm tanta vbique in Ecclesiâ Dei sit lux, tantaque inter Catholicos eius rei publica confessio & professio? Quandoquidem ergo Nouatoribus ex suprà relatis (ni suis ipsimet oculis nequitiæ & obstinationis velum prætendere velint) sat constet, Cælites a nobis nõ frustrà inuocari, sed ipsos inuocationibus quoque nostris inclinari, & ad ferendum suppetias indubitanter adesse: sufficiet breuiter, non quidem probationis, sed solum relationis gratiâ, pauca ex Patrum grege, pauca ex Ecclesiæ Catholicæ auctoritate producere, è quibus constare possit, rectè riteque Sanctos Dei, vt defunctorum animæ è Purgatorio dimittantur, posse interpellari: id ue vtiliter & efficaciter fieri, exempla nonnulla, à nobis subiungenda, ostendent.

Præcedentia de functorum materia applicantur.

E Patribus (quid enim opus est per singulas ætates, vt eos nostrâ pro causâ appellemus, discurrere?) ne eumdem laborem laboremus, vnus omnium instar erit sanctissimus pariter atque doctissimus ille Ecclesiæ Catholicæ Doctor S. Augustinus, qui veritatem hanc adeò solidè probat atque stabilit, vt neque Catholicis vlla in posterum dubitandi, vlterioremque probationem desiderandi, neque hæreticis distorquendi, vel diuerticula aut latebras effugiaque captandi occasio sit reliqua. Et qui poterunt? cùm Doctorem hunc, ex ipsâ etiam Ioannis Caluini antesignani sui sententiâ & decreto, Theologorum omnium antesignanum esse confiteantur, ad cuius scilicet doctrinæ normam, ad cuius ætatem, velut ad Lydium lapidem, veram agnosci volunt Ecclesiam, erroresque, si qui in eam temporis excursu irrepserint, reformari. Hunc itaque in modum loquitur S. Augustinus: *Prouisus sepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus, bona affectionis humanæ est erga funera suorum: quoniam si nonnulla religio est vt sepeliantur, non potest nulla esse, quando vbi sepeliantur attenditur. Sed cùm talia viuorum solatia requiruntur, quibus eorum pius in suos animus appareat, non video quæ sint adiumenta mortuorum, nisi ad hoc, vt dum recolunt vbi sunt posita eorum quos diligunt corpora, eisdem Sanctis illos, tamquam Patronis, susceptos apud Dominũ adiuuandos orando commendent. Quod quidem facere possunt, etiamsi talibus locis eos humare non possent.* Deinde explicans quare sepulchra vocentur monumenta (quòd nimirũ mentem moneant) subiungit: *Cùm itaque recolit animus vbi sepultum sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus: qui cùm defunctis à fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium: si iis, qui cùm in corpore viuerent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt.* An quis clariora, quàm hic D. Augustinus scripsit, desideret? verba vtique sunt eiusmodi, quæ nullũ dubiũ sensũ admittunt; sunt itẽ illius Auctoris, de quo inten-

9. Vt Sanctorũ inuocationẽ in mortuorũ causa locum habere agnoscamus, vnus id sufficiẽter S. Augustinus edocebit.

Lib. de Curâ pro mortuis, c. 4.

infensissimus & iratissimus Sanctorum & animarum Purgatorij hostis, Ioannes Caluinus tam laudabiliter sensit, vt eum omnibus aliis Ecclesiæ Doctoribus anteposuerit, imò, quod est amplius, vnum eum loco omnium Priscorum Doctorum sufficere posse asseruerit.

Lib. 1. Instit. c. 13. §. 29. & lib. 2. c. 2. §. 9.
Lib. 3. c. 3. §. 10.

10.

Conciliantur illorum dicta qui volunt propriè Sanctos non adiuuare defunctos, pro quibus satisfaciendum esset.

Notandum verò, ex verbis S. Augustini illud probari, Sanctos tunc iuuare mortuos, cùm à nobis hi ipsis fuerint commendati, ita vt intercessio Sanctorum pro defunctis nostram inuocationem, vt nimirum interueniat aliqua satisfactio, præsupponere videatur. In quo sensu conciliari facile possunt illorum Theologorum sententiæ, quæ Sanctos volunt orare, & non orare pro mortuis: orare enim eos pro illis certum est, si ad hoc à viuentibus requirantur, idque ex verbis S. Augustini aliisque pluribus, locis suis citandis, omnino conuincitur; non orare verò sic communiter existimandi sunt, vt immediatè impetrent gratuitam remissionem pœnarum, quas ex ordinatissimâ Dei iustitiâ purgandos spiritus, nisi aliunde compensentur, sufferre conueniat. Imò vero inquit grauissimus quidã huius ætatis Theologus, verosimilius videtur, non hoc Sanctos à Deo postulare. Sed iuxta priorem limitationem si loquamur, nullus de hac re Catholicus vmquam dubitauit. Soto enim, qui negasse videtur Beatos pro Purgatorij animabus orare, posteà disertis idem verbis affirmat, cùm ait, Missas oblatas in honorem aliquorum Sanctorum pro defunctis, posse eis prodesse vt Deum exoratum curent pro eisdem defunctis. Item D. Thomas, quem pro se citauerat Soto, apertè idem quod dicimus confitetur, verba eius hæc sunt: *Sed quòd vlteriùs sepultura in loco sacrato mortuo prodest, non quidem ex ipso opere operato, sed magis ex ipso opere operantis, dum scilicet vel ipse defunctus, vel alius, corpus eius tumulari in loco sacro disponens, patrocinio illius Sancti eum committit, cuius precibus per hoc credendus est adiuuari.* En vt iterùm Angelicus Doctor, quemadmodum paulò antè S. Augustinus, præsupponat opus operantis seu inuocantis, vt pro mortuis Beati intercedant. Ceterùm si quis ex aliis Scholasticis ac Patribus probatum velit huiusmodi Sanctorum erga defunctos adiutorium, legat *a* Gabrielem, S. Bonauenturam, Richardum, & alios; item *b* Abulensem, *c* Bellarminum, *d* Suarem; quin & ex antiquioribus *e* S. Anselmum, *f* Gregorium Magnum, & *g* S. Augustinum, qui tum ex suâ tum ex Paulini sententiâ idem refert. Quin si ex Iure Canonico idem assertum velis, habebis hoc: *h Animæ defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut charorum eleëmosynis, aut ieiunio cognatorum.*

In 4. dist. 45. q. 3. a. 2.
Art. 3.
In 4. dist. 45. q. 2. art. 3. ad quæstiunc. 3.
a Lect. 55. in Canon. & Supplem. dist. 45. q. 1. a. 2. conclus. 3.
b Sup. Matth. 6. q. 83.
c Lib. 2. de Purgatorio.
d Tom. 4. disp. 48. sect. 5. n. 6. & seq.
e In Elucid.
f Lib. 4. Dialogor. c. 50.
g Lib. de Curâ pro mort. c. 1 & Lib. 1. de Ciu. Dei, c. 12. & 13.
h Cap. Animæ 13. q. 2.

11.

Ex Ecclesiæ sanctæ auctoritate etiam constat rectè pro defunctis inuocari Sanctos.

Porrò ad Generalis Ecclesiæ auctoritatẽ quod facit, abundans & hæc argumentum nobis suppeditat, quo videamus, per Sanctorum in cælis cum CHRISTO regnantium inuocationem iuuari posse, ac omnino iuuandos esse, fideles defunctos. Patet id ex Orationibus illis, quas pro mortuis sub Officio diuino, atque adeò sub ipsomet augustissimo atque tremendo Missæ Sacrificio, fundere solet Ecclesia. In Missis quotidianis huiusmodi pro defunctis fratribus, propinquis & benefactoribus Oratio ponitur: *Deus veniæ largitor, & humanæ salutis amator; quæsumus clementiam tuam, vt nostræ congregationis fratres, propinquos & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beatâ Mariâ semper virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas. Per Dominum,* &c. Item vt æquè mortuis ac viuis prodesse videamus Sanctorum suffragia, in communibus pro vtrisque Collectis Beatorum intercessio imploratur his verbis: *Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum dominaris & mortuorum, omniumq; misereris, quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis: te supplices exoramus, vt pro quibus effundere preces decreuimus, quosq; vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementiâ omnium delictorum suorum veniam consequantur,* &c. Rursùm in celebrati Sacrificij Postcommunione: *Purificent nos, quæsumus omnipotens & misericors Deus, Sacramenta quæ sumpsimus, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis præsta, vt hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam: sit viuorum atque mortuorum fidelium, remissio omnium delictorum.* Denique primum quod faciendum à Catholicis sub exitum alicuius defuncti Ecclesia docet, est huiusmodi facere animæ à corpore solutæ commendationem: *Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, suscipientes animam eius, offerentes eam in conspectu Altissimi. Suscipiat te* CHRISTVS *qui vocauit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te. Requiem æternam,* &c. Ex quibus omnibus res, quam hic probandam suscepimus, satis est euidens: ad exempla transitum facimus.

12.

Rationes aliquot adferuntur ex quibus ostenditur, Sanctorum orationes in mortuorum liberatione, locũ habere.

Priùs verò quàm ea in medium adferamus, haud alienum erit, si ex fundatis in sacrâ Theologiâ rationibus modos aliquot enumeremus, quibus Sancti, non immutatâ Dei iustitiâ, defunctis, qui aliàs vel ipsimet satisfacere, vel alij pro eis, debuissent, opitulari queant. Etsi enim tum ex illis quæ hoc ipso Capite paulò superiùs, tum huius Libri Capite I. retulimus, constet, condignam à mortuis satisfactionem rectè à Deo requiri, huiusmodi tamen conditiones in Sanctorum inuocatione seu eorum impetratione reperiuntur, per quas & misericordia Purgatorij animabus exhibeatur, & nihilominùs diuinæ iustitiæ satisfiat. Possunt, inquit Suarez, Sancti orare pro illis animabus, Primò, exorando vt satisfactiones viuorum pro eis acceptentur: quod maximè locum habet, si illa acceptatio non sit infallibilis ex lege, quod posteà videbimus. Secundò, postulando vt Deus præbeat viuentibus auxilium ad satisfaciendum debito modo animabus Purgatorij, ita vt efficaciter earum liberationem consequantur. Tertiò petere possunt, vt liberatio animarũ à Purgatorio acceleretur, etiamsi necesse sit diuturnitatem temporis intensione pœnarum compensari. Hoc enim commutationis genus, quamuis aliquam gratiam continere videatur, non tamen omnino excludit æqualitatem iustitiæ, & ideò minùs repugnat isti statui. Quartò verosimile est, Sanctos, qui in hac vitâ reliquerunt aliquas superabundantes satisfactiones proprias, posse obtinere à Deo, vt his vel illis animabus Purgatorij ad remissionem pœnæ applicentur. Cùm enim illæ satisfactiones non habuerint effectum, nec

Tom. 4. disp. 48. de Suffragiis, sect. 5. n. 9.

nec fuerint remuneratæ, applicari possunt alicui, in quo talem effectum habeant; & ad hoc manent in thesauro Ecclesiæ, vt infrà videbimus. Cùm verò talis satisfactio fuerit propria alicuius Sancti, qui in hac vitâ poterat eam applicare cui vellet, non videtur amisisse hoc ius ac potestatem per mortem, aut beatitudinis statum. Quòd si hoc verum est, quamuis aliquis Beatus immediatè obtineat alteri remissionem pœnæ, non tamen gratis vel sine solutione faciendam, quia de suâ satisfactione persoluit. Hactenus P. Franciscus Suarez, qui & subiungit inferiùs: Dices ergo: Vnus Sanctus poterit etiam impetrare ab alio vt suas satisfactiones applicet. Respondetur, concedendo illatum. Imò hic esse potest alius modus, quo Sancti possunt subuenire animabus Purgatorij; neque est inconueniens, quòd Sancti inter se aliquid inuicem petant. Sed vrgebis: ergo omnes inferiores Sancti poterũt impetrare à CHRISTO, vt de sua satisfactione tantum applicet huic vel illi animæ quantum illi necesse est vt à Purgatorio liberetur; ergo hoc modo possunt impetrare liberalem remissionem, quæ respectu animæ gratis fiat, quamuis respectu CHRISTI fiat ex iustitiâ. Respondeo, etiam hunc modum suffragij Sanctorum esse probabilem, &c. Quid amplius?

Quomodo Sancti vel de propriis vel de Christi satisfactionibus mortuis liberationem impetrare queant.

13. Iam ergo, si S. Birgittæ Reuelationes & Ven. Thomæ Cantipratani de Apibus scripta euoluere voluerimus, reperiemus ibi plura atque admodum pulchra, quæ pium Lectorem non modò certum facere possunt, Beatos in defunctorum patrocinium rectè atque vtiliter inuocari, sed & insuper eum vehementer incitare, vt in mortuorum leuamen huic se pietatis exercitio diligenter & ardenter accingat. Ex S. Birgittâ primùm nonnulla, pòst alia ex Cantipratano dabimus. In Birgittæ igitur Reuelationibus legimus, sanctissimæ huic matronæ ipsum Redemptorem diuinitus reuelasse, animam quampiam Purgatorij tormentis adiudicatam fuisse, pro cuius liberatione impetrasset S. Ericus, vt nouem suffragiorum genera, quibus illa & reliquæ purgandorum animæ liberari possent, indicarentur & nota fierent ipsi D. Birgittæ. Verba CHRISTI sunt ista: *Ecce filia, hanc reuelationem promeruit tibi patronus sanctus Ericus, cui hæc anima seruiuit; quia veniet tempus, quo refrigescet malitia terræ, huius zelus animarum in multorum cordibus consurget.* Eodem libro describitur Sanctus quidam cum ingenti aliorum Beatorum exercitu, animæ alteri purgandæ à Deo petiisse & obtinuisse insigne in suppliciis suis subleuamen. Textum audiamus, qui sic habet: *Tunc in eodem puncto videbatur vnus Sanctorum cum exercitu magno, dicens: Laus tibi sit Domine Deus, creator & iudex omnium, hæc anima deuota in vitâ seruiuit mihi, ipsa enim ieiunauit in honore meo, & laudauit me & amicos tuos circumstantes cum salutatione suâ; ideò ex parte eorum & meâ rogo, miserere huic animæ, & propter preces nostras da ei requiem*, &c. Et infrà: *Respondit Iudex: Hæc est enim vera institia, quia ipsa anima multoties subtraxit conscientiam suam de spirituali cogitatione & intelligentiâ ad corporalia, & obtenebrare voluit conscientiam suam, & non timuit facere contra me, ideo iustum est vt nunc*, &c. *sed quia amici charissimi vos verba mea audistis, & ea opere impleuistis, non est fas vobis aliquid negari, ideò faciam quod vultis. Tunc autem responderunt Sancti omnes, Benedictus sis tu Deus in omni iustitiâ tuâ, qui iustè iudicas, qui nihil dimittis impunitum.* Prosequitur S. Birgitta de Angelo Custode pro animâ purgãdâ rogante: cui licet se Dominus super hac re deliberare velle respondisset, animam tamen eamdem posteà ex Purgatorio liberatam, per Angelum delatam ad gloriam fuisse S. Birgitta describit. *Post hæc autem*, ait, *in quarto anno iterùm vidi iuuenem fulgentissimum cum animâ suprà proximè dictâ, quæ erat iam quasi vestita, sed non ad plenum: qui dixit Iudici sedenti in throno, cui millia millium assistebant, & omnes adorabant eum propter patientiam eius & charitatem: O Iudex, hæc est anima illa pro quâ orabam, & tu respondisti velle deliberare; nunc igitur nos omnes assistentes iterùm petimus pro eâ misericordiam tuam. Et licet nos sciamus omnia in tuâ dilectione, tamen propter sponsam tuam, quæ spiritualiter hæc audit & videt, loquimur humano modo, licet humana non sint nobiscum. Respondit Iudex: Vbi currus plenus esset aristis spicarum, si multi homines, vnus post alium auferret aristam suam, minueretur numerus atque pondus. Sic est modò; nam lacrymæ multæ & charitatis opera venerunt ante me pro animâ istâ, & ideò indicium est, vt veniat ad custodiam tuam, & tu defer eam ad requiem, quam nec oculus videre nec auris audire valet, nec ipsa anima cogitare poterat, vbi non est cælum supra, nec terra deorsum; vbi altitudo est inexcogitabilis, & longitudo indicibilis; vbi latitudo mirabilis, & profunditas incomprehensibilis, vbi Deus est super omnia, & extra & intra regit omnia, & continet omnia, nec ab aliquo continetur. Post hæc autem anima illa videbatur ascendere in cælum ita fulgens sicut stella fulgentissima in fulgore suo.* En pulchra in hypothesi, quæ suprà in thesi proposuerat P. Suarez.

Incitamenta vt Sancti pro mortuorum subsidio inuocentur.

Lib. 6. cap. 66

Insigne ex S. Birgittâ exemplum.

Cap. 39.

Qualiter anima quædam ad cælos per Angelum Custodem delata sit.

Iam bina quoque è Cantipratano producenda sunt. Primum hoc est; *Bruxella*, inquit ille, *vrbs nobilis est magna Brabantiæ. In hac Hospitale pauperum est, præcipua charitatis, ac religione præclarum. In isto Sororem quamdam multo labore satagentem vidimus, quæ graui infirmitate detenta, rebus humanis exempta est. Cumq; ab horâ diei tertiâ vsque post Vesperas mortua iacuisset, reuixit subitò, & erexit se, conuocatisq; Sororibus & omnibus qui præsentes erant dixit: Virginalem illum exercitum Coloniensem viuens quotidie venerata sum, & earum precibus nunc à Purgatorio liberata, & ob hoc ad vitam redire compulsa sum, vt omnibus earum dignè memoriam habentibus, affuturum in morte harum suffragia nuntiarem, dummodò de vitâ tales exeant, quibus oratio valere possit. In hoc testimonio nunc iterùm spiritum reddo. Nec mora: sicut dixit, & fecit.* Alterum verò hoc: *Vidi quemdam Canonicum Cameracensis Ecclesiæ, qui se in Religioso Cantipratensi Cœnobio ad Ordinem transtulit regularem. Hic cùm beatissimum Apostolum & Euangelistam Ioannem in vitâ feruentissimè dilexisset, post mortem illius cuidam Concanonico eius in visione visum est, apparitionem huiusmodi se videre. Accessit idem Apostolus ad gloriosam Virginem matrem CHRISTI, rogans eam suppliciter, & sic dicens: Ecce anima amici nostri torquetur in pœnis; venias obsecro & liberes eam. quia etsi in vitâ perfectè non vixit, tamen vitam suam pro magnâ parte correxit. Nec mora, annuit*

14. *Lib. 2. c. 53. n. 7.*

Exemplum ex venerabili Thomâ Cãtipratano.

Ibid. n. 12.

Item aliud.

Virgo virgini, & simul ad Purgatorium descendentes, animam liberatam adducunt, & secum transferunt ad superna. Cognouimus hoc per illum qui hoc vidit & testimonium perhibuit, & scimus quia verum est testimonium eius. Hæc Thomas Cantipratanus, ille magni sancti Thomæ Aquinatis sub B. Alberto Magno condiscipulus: è cuius priore exemplo, perinde atque è B. Birgittæ, patet, Beatos clientibus suis in Purgatorio igne succurrere, indeque eos liberare; è posteriore, ad hoc mutuam illos opem ab inuicem exposcere.

15. *Quomodo Sancti reddendi nobis amici, & pro mortuis implorandi.*

Satis hæc foret, &, quoad exempla ipsa, abundè satis: sed quoniam res hæc vix meliùs quàm per eadem explicari potest, aliis itidem exemplis ostendemus, etiam alios reperiri modos, quibus instè, cum satisfactionis nempe fundamento, à Deo expetant & obtineant pro Purgatorij animabus liberationem. Sciendum itaque, quemadmodum superiùs è Litteris sacris docuimus, Angelos suorũ orationes Deo offerre; & (quemadmodum ex iisdem iuxta Christi consilium adspeximus, optimum esse, nos intereà, dum hic viuimus, Beatos nobis reddere amicos, vt cùm vità defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula, ita vt suos expiatoriis tormentis clientes eripiant) offerre quidem in cælis, & in dignam luendarum pœnarum compensationem suis meritis ac precibus adiunctis aptare omne id, quod quidem hi in vità suà pro Dei ac suo gesserint honore atque cultu. Hinc inter alia de Dagoberto Francorum Rege refert Baronius, eum à Sanctis illis, quos in sui patrocinium sæpiùs inuocauerat, ereptum fuisse è manibus dæmonum qui ad flammas eum cruciandum abripiebant, atque ad gloriam cælestem euectum. Audiamus ipsa eius verba (quibus, vti videbimus, & Aimoini antiqui Scriptoris verba intexuit) quæ hæc sunt: Quod verò ad salutem eius animæ (Dagoberti scilicet Regis) pertinet, quæ acciderunt ab oculis hominum separata, Deus Sanctis suis per virum voluit nota fieri. Iustà namque diuini iudicij lance est demonstrata librata sententia, vt qui se anteà tot facinoribus monstruosis admodum inquinasset, iis nondum penitus, quod ad pœnam spectat, expiatis, licet pluribus bonis operibus abundasset, Purgatorij post obitum pœnà (ad breue licet tempus) aduersariis spiritibus, quibus fuerat anteà obsecutus, traditus sit cruciandus: sed purgatus, & Sanctis quos coluit in auxilium venientibus, meruit vnà cum ipsis ad æternam beatitudinem peruenire. Rem gestam memoratu dignam fideliter acceptam, & apud eumdem Auctorem [Aimoinum] conscriptam, hic describere dignum putauimus. sic enim ait: *Eodem tempore quo terminum Dagobertus sortitus est vitæ, quidam illustris Ansoaldus nomine, defensor Pictauiensis Ecclesiæ, partes peragrabat Siciliæ. Qui dum euectu reuerteretur nauali, appulit ad quamdam breuem insulam, præsentià & meritis cuiusdam solitarij, qui dicebatur Ioannes, redimitam: à quo, dum de salute animæ cum eo sermocinaretur, interrogatus, vtrùm Regem Dagobertum cognosceret, illeq; se eum optimè noscere respondisset; rursum à sene rogatus mores vitamq; Regis, exposuit. Cui senex, Cum, ait, multà vigiliarum ac ieiuniorum, simulq; senectutis fatigatione depressus, paulatim membra sopori dedissem, adstitit mihi quidam venerandà decorus canitie, monens vt properè surgerem, & pro Dagoberti Regis animà, quæ eadem ex corpore exierat horà, Domini exorarem clementiam. Quod cùm facere maturasè curassem, apparuerunt subitò haud procul in pelago deformes truculentà facie dæmones, vinctum Regem Dagobertum per spatia maris agitantes, inflictisq; insuper verberibus ad Vulcania loca trahentes. Qui distentus cruciatibus, inter agitationes & verbera, quorumdam Sanctorum audiebatur postulare suffragia: cùm repentè, aperto cælo, inter fulmina in fluctus cum fragore ruentia visi sunt descendisse viri decore n tentes mirabili. Requirere cæpi ab eis, qui essent. Qui dixerunt se illos esse quos Dagobertus ad suum vocaret auxilium, Dionysium videlicet, ac Mauritium martyrem, necnon Martinum Confessorem. Hi arreptam dæmonibus animã secum ad æthera leuauerunt, canentes hunc Psalmum: Beatus quem elegisti, & assumpsisti, Domine, habitabit in atriis tuis. Hæc vir ille venerabilis Ioannes Ansoaldo retulit se vidisse: qui in Gallias reuersus S. Audoëno narrauit (fuit hic à secretis Regi, & posteà sanctitate conspicuus Episcopus Rothomagensis) qui ea in vnà conscripta chartulà posteris reliquit in ordinem historiæ redigenda. Et infrà: Ad postremum autem hæc Auctor: Dagobertus verò specialiùs Sanctos sibi auxiliari poscebat, quorum Basilicas plus ceteris se opibus ditasse meminerat.* Hæc ille. Quibus adiungit Baronius: Cui, si hoc tempore vixisset, quantum fuisset altiùs declamandum aduersus perfidos Nouatores, qui nullam post obitum pœnam purgatoriam animarum admittunt, Sanctorumque suffragia negant, nec precibus iuuari animas defunctorum impiè docent? quorum insania vel vnà saltem hac historià omni fide testatà relictà, & à Sanctis acceptà, refelli ac confutari penitus potuisset. Fuit autem tantæ fidei eiusmodi à Ioannè narrata, ab Ansoaldo in Gallias lata, à S. autem Audoëno primùm scriptis mandata historia, vt Ludouicus Imp. in Epistolà ad Hilduinum Abbatem Monasterij S. Dionysij, eius, vt rei haud dubiæ, voluerit meminisse. Dum enim ipsum S. Dionysium præconiis tollit, hæc inter alia habet: *Prædecessores autem nostri gloriam huius eximij & amici Dei Dionysij non inaniter coluerunt; qui dum eius sacras exuuias in terris ob amorem & honorem Domini nostri* IESV CHRISTI *opibus quibus poterant honorarunt, per eius preces dignissimas honoris priuilegio potiri & in terrenis & in cælestibus meruerunt, vt videlicet vnus ex priscis Francorum Regibus Dagobertus, qui eumdem pretiosissimum* CHRISTI *martyrem veneratus non mediocriter fuerat, & in mortali vità sublimatus, & per eius adiutorium (sicut diuina & cælestis ostensio perhibet) à pœnis est liberatus.* Hæc Ludouicus Augustus in dictà ad Hilduinum Epistolà, quæ habetur præfixa Areopagiticis ab eodem Hilduino conscriptis. Illa sic omnia Cardinalis Baronius. E quibus patet, Sanctos clientum suorum meritò pœnas subleuare, atque à Purgatorio illà ratione eos eripere, quòd sibi in vità suà cultum aliquem exhibuerint, quemadmodum in SS. Dionysio, Mauritio ac Martino quoad Dagobertum patuit, quorum iste Basilicas exornauerat, promoueratque.

Tom. 8. Annal. Eccl. ad annum 647.

Lib. 4. cap. 34

Pulchra & probata ex Cardinali Baronio de Rege Frãcię Dagoberto historia.

Aimoini Auctoris grauissimi verba.

In sectarios calamum stringit Baronius, & ex præcedenti illos historià confutat.

Quàm illà S. Dionysium laudet Ludouicus Imperator.

16. *Modus alter quo Sancti vtuntur, vt*

Sed & alterum quemdam modum videamus, quo vti solent Sancti in cælo, vt eorum, à quibus culti aliquando fuerunt, à Purgatorij tormentis

vtuntur vt Purgatorij animas iuuent.

mentis exemptio fiat, efficiunt item vt illorum spiritus ad viuos redire possint, atque iis quibus apparent, de statu suo, in quo degunt, notitiam dare, remediaque quibus citiùs liberentur assignare. Rei huius insigne admodum exemplum protulit R. P. F. Ioseph à Iesu noster, qui refert, quemdam sui Ordinis Religiosum, Deo admodum deuotum, pictorem quempiam cognouisse, qui ab omnibus in virtute & pietate perfectus fuisset habitus, multasque Sanctorum imagines pro Conuentu illo depinxisset. Hic post suum è vitâ decessum intra Monasterij septa condi rogauerat, laborisque sui pretium eleemosynæ loco obtulerat, vt Sacrificium Missæ aliquoties pro animæ suæ requie offerretur. Effectui datum fuit, quidquid ille suo in testamento disposuerat: verùm paucos post dies pictor ille Religioso cuidam, in Choro post preces matutinas oranti, apparuit, totus igni & incendio inuolutus, grauissimis se tormentis affligi dictitans. Rogatus causam, dixit, se statim à suo obitu deductum fuisse ad diuinū tribunal, vbi multæ animæ de eo querelas deposuissent, quòd ipse turpi à se depictâ imagine ipsis æternæ damnationis occasio extitisset: suum verò in patrocinium aduolasse Sanctos quamplurimos, qui dixissent, id ab eo in iuuentute suâ factum, posteà verò contritione & pœnitentiâ obliteratum, inque vicem depictas fuisse illas sanctas imagines, quæ adhuc in templo illo superessent; laboris insuper sui pretium Conuētui in eleemosynam datum fuisse, vt Missæ pro se Sacrificium Deo offerretur: rogare se proinde, vt Deus oculis misericordiæ suæ hanc animam adspicere dignetur, nec permittere eam in manus hostium delabi. Acquieuisse Dominum, & in mandatis dedisse, vt in Purgatorio tamdiu illa pœnas lueret, donec pictura illa turpis in terris combureretur. Huc itaque redeo, subiungebat spiritus, rogitans vt Nobilem illum (designabat verò nominatim, cui illam depinxerat) hortari digneris, quò voluntatem Dei exequatur. Ne verò dictis fidem dehabeat, dices ipsi, menstruum intra tempus duos ex ipsius liberos mortem subituros, &, ni pareat, ipsum quoque è vitâ sublatum iri. Nobilis verò ille hortatui obsecundans, picturam illam combussit, & pœnitentiâ peccatum suum deleuit, pro peccatorum verò suorum remissione obtinendâ in iudicio diuino, si quando eò adducendus esset, quamplurimorum Sanctorum sacras imagines sibi depingi & efformari curauit. Hoc in exemplo plurima notatu & obseruatu dignissima occurrunt, inter alia, quàm grati sint Cælites in illos qui vel minimum eis, dum viuerent, obsequium impenderunt; tum quantâ apud diuinam Maiestatem, vt quid nobis impetrent, auctoritate polleant; tum denique, quàm rigida fiat etiam diu præteritarum culparum discusio & castigatio.

Lib. I cap. 25 Tom. I. de Virtute castitatis.

Quàm cultoribus suis grati sint Sancti.

17. Modos inspicere pergamus, quibus quoad iustitiam suam, iustamque mortuorum satisfactionem, Sanctorum Deus vtitur patrocinio. Quia ergo inter Beatos multi sunt, qui multa ac magna in sæculo tormenta (cùm ipsi nullis, vtpote purissimi, pro semetipsis satisfactionibus indigerent) sustinuerunt, idcircò illis in præmium meritò contulit, vt liberare è Purgatorio aliquem animarum numerum certis temporibus valeant, prout factum esse in S. Laurentio, præclarissimo illo Romanæ Ecclesiæ Martyre, narrat D. Gregorius Turonensis Episcopus in hæc verba: *Abbas probata Religionis Monasterij S. Laurentij desiderabat à Deo scire, quanti meriti esset idē Martyr apud Deum. Et ecce cùm hic idem Abbas meruit, vt preces exaudita essent apud Deum, per visum Angelico alloquio dignus habitus est, & in ipsâ visione videbat in quodam terræ loco miserorum cruciatum, sed Dei misericordiam quandoque expectantium. Cùm vero quidnam hoc esset hæsitaret; ecce Leuita quidam sole splendidior & niue candidior, maximâ Angelorum comitatus multitudine adueniens, animam vnam eripuit de igne illo, eamq, cum ingenti tripudio ad superna gaudia deferebat. Et Angelus ad Abbatem ait: Iste est gloriosus Martyr & Leuita Laurentius, Deo acceptissimus, qui passionem sustinuit pro Saluatoris nomine sextâ Feriâ; & hoc priuilegium à Deo habet, vt in qualibet hebdomadâ, ipsâ sextâ Feriâ vnam possit liberare animam de pœnis Purgatorij.* Neque huiusmodi quoad liberandas animas priuilegium Martyribus solùm ob tolerata à se supplicia fuit concessum, verùm etiam aliis aliorum Ordinum Sanctis, qui vel insigniter in Dei cultu promouendo laborarunt, vel virtutes heroicas viamque perfectionis viriliter excoluerunt. Sufficiat rursum vnum hac de re exemplum, quod in Vitâ beatissimi Alberti Magni, auctore R. P. F. Petro de Prasiâ conscriptâ, & Plantinianis nuper typis editâ, refertur. Ibidem namque idem B. Albertus post mortem gloriosus apparuisse, & hæcce verba religiosissimo Godefrido de Duysburck, suo olim in vitâ socio ac ministro, (qui ieiuniis, lacrymis & orationibus continuis pro eius animâ Dominum exorabat) locutus fuisse describitur: *Sicut in vitâ mortali viuens multos de ignorantiæ tenebris ad veritatis lumen & diuinæ cognitionis eduxi; sic altiùs ad gloriam meam cumulandam donauit mihi Dominus, ab omni pœnâ Purgatorij sex millia animarum meis suffragiis liberare.* Satis igitur superque constat, quanto cum fructu, ad Purgatorij spiritus eximendos, Sanctorum cum Christo regnantium fiat inuocatio: quibus, præterquàm quòd varij etiam sint de rigore iustitiæ satisfactionum modi, sicuti hactenus clarè ostendimus; impetrationis etiam apud Deum gratiâ pollent, quatenus videlicet quod purgando alicui deest, ex communi Ecclesiæ thesauro, vel saltem ex speciali meritorum Christi applicatione, suppleatur.

Mirabile de S. Laurentio circa defunctos patrocinium.

Item & B. Alberti Magni. Cap. 53.

Quantò enim decentius, & potiori iure concedendum est, impetrationem huiusmodi in hominibus iam in gratiâ confirmatis, atque ad æternam gloriam sublimatis, inueniri, quàm in mortalibus adhuc in peccati damnationisque periculo existentibus? quibus tamen apud Deum impetrationem esse concessam, proximo quod subiungetur Capite palam faciemus: hanc modò è Doctore Angelico Capiti huic laciniam assuimus, vbi, Sanctis impetrationem conuenire, ita ille adstruit: *Hoc apud Deum viuentes* [Beati] *meruerunt, vt eorum orationes exaudirentur post mortem. Vel dicendum, quòd oratio ex alio meretur, & ex alio impetrat. Meritū enim consistit in quadā adæquatione actus ad finem propter quem est, qui ei quasi merces redditur: sed orationis impetratio innititur liberalitati eius qui rogatur, quod tamen ipse non meruit. Et ita quāuis Sancti non sint in statu merendi, tamen non sequitur quòd* 18.

S. Thomæ doctrinâ confirmatur Sanctos iuuare defunctos.

In 4. dist. 45. q. 3 art. 3. ad 4.

non sint in statu impetrandi. Et in cõclusione ibidem amplius explicat quâ ratione orationes Sanctorũ impetrent, dum hoc modo loquitur: *Sancti dupliciter dicuntur orare pro nobis. Vno modo oratione expressâ, dum votis suis diuinæ clementiæ aures pro nobis pulsant. Alio modo oratione interpretatiuâ, scilicet per eorum merita, quæ in conspectu Dei existentia, non solùm eis cedunt ad gloriam, sed sunt nobis etiam suffragia, & orationes quædam. sicut etiam Sanguis Christi pro nobis effusus dicitur veniam petere. Vtroque autem modo Sanctorum orationes sunt, quantum est in ipsis, efficaces ad impetrandum quod petunt.* Vt proptereà, dum superiùs diximus, Sanctos non impetrare immediatè gratuitam remissionem pœnarum quibus obligati sunt defuncti, ita accipiendum sit, vt negetur tantùm, non solere diuinam iustitiam omnino gratis, & absque vllâ Christi vel Sancti alicuius satisfactionis oblatione, seu potiùs compensatione, Purgatorij animas à promeritis pœnis absoluere: quod tunc non accidit, quando Sancti à diuinâ misericordiâ petunt atque obtinent, vt tantum de propriis vel Christi satisfactionibus applicare vel offerre Deo eis liceat pro liberandâ, quam intẽdunt, animâ, quantum hæc de rigore iustitiæ suppliciorum aliàs sustinere debuisset. E quibus quis suspicari ausit, imminui ordinatissimam Dei iustitiam? quandoquidem absque omni ratione ac fundamento diceretur, Sanctos se nequaquam Deo conformare, in cuius voluntatis conformitate atque vnione vel præcipuum suum oblectamentum ponunt. Quin immò potiùs, quia tanto erga Beatos suos fertur affectu diuina clementia, itaque illos suæ voluntati conformes, suęque iustitiæ propugnatores habet, iustum est, vt de quibus indubitatum est, non futuros diuinæ clementiæ suæ prodigos, illis quoad impetrandam applicandamque hanc mortuis satisfactionem, faciat potestatem. Numquam igitur mihi displicuit, quin arrisit potiùs illorum Doctorum opinio, qui aiunt, permittere Deum, vt vnicuique Sanctorum de conquisitis sibi ac superabundãtibus in vitâ satisfactionibus participes efficere liceat suos cultores, vnumque ab alio Cælitem, multò magis à Christo, quod sibi deest, impetrare facilè posse: quod tamen semper supponit illa, quæ priore Libri huius Capite ex Angelico aliisque Doctoribus quoad materiam præsentem adduximus.

Duplex Sanctorum impetrandi modus.

Etsi orent pro mortuis Sancti, non tamẽ hinc impeditur Dei iustitia.

CAPVT XIII.

Præter meritum proprium, quod ex bonis actibus viuentes sibi acquirũt, fidelibus etiam defunctis impetratione & satisfactione auxiliari possunt.

I. *Tractatur præsenti Capite quanam sit inter meritum, impetrationem atque satisfactionem distinctio.*

QVÆ hactenus à nobis de animarum remediis dicta sunt, ad diuinam clementiam, Christi Saluatoris merita, Sanctorumq; in cælis regnantium patrocinia spectant; sequitur modò, vt & illa quæ ab ipsis viuentibus eis prouenire possunt & consueuerunt emolumenta, persequamur: quod vt solidiùs clariusque, imò & breuiùs fiat, non inutilis erit illa, quam communiter Theologi adferunt, inter meritum, impetrationẽ & satisfactionem distinctio. ex eâ namque præcipuè patebit, quid in defunctorũ leuamen viui eis queant quid nequeant applicare; deinde, viuis ipsis quoad essentialis meriti præmium, nihil omnino decedere, tametsi reliqua, impetrationis nimirum ac satisfactionis, lucra in animarum Purgatorij solatium lubentes transscribant: vnde excitari non modicè poterunt, vt huic tantæ charitati promptiùs se atque alacriùs accingant, quâ nimirum & nihil eis decedit, quin potiùs, vt Libro III. dicturi sumus, plurimum accedit, & tam excellens bonum, quale est beatificæ visionis fruitio, affligendis alioquin diu in igne purgatorio spiritibus, felicissimè acquiritur. Res sanè digna explicatu, digna notatu, digna conatu. Quam vt contra hæreticos adstruamus (qui in huius rei negatione, prout & in plerisque fidei dogmatibus, æternâ suâ cum pernicie hallucinantur) & Catholicis persuadeamus, vt ingentes hinc thesauros cõgregare sibi, simul & defunctis opitulari studeant; è Scripturis sanctis, orthodoxisque Patribus (more nobis hactenus solemni) ostendere decretum est, veram esse solidamque Ecclesiæ Catholicæ de merito, impetratione & satisfactione doctrinam: adeoque Caput hoc trimembre erit, primũmque membrum triplici iterùm asserto fulcietur, certum nimirum esse, dari bona iustorum hominum opera, ea meritoria esse vitæ æternæ, straminea tandem esse & ἀσυλλόγιστα quæcumque ab aduersariis in oppositum vel cõfinguntur vel adferuntur. Concedendum igitur esse, omnino dari bona aliqua iustorum opera, adeò ex Scripturis est euidens, vt qui negare hoc velit, ipsam eadẽ operâ Scripturam inficiari necesse habeat. Tanta reuerà se nobis auctoritatum & testimoniorum è Sacris litteris desumptorum offert varietas, vt dubij hæreamus, quorum præcipuè, Legis antiquæ, an nouæ; Prophetarum, an Apostolorum; Euangelistarum, an ipsius Euangeliorum auctoris, ne omnia in medium afferre cogamur, auspiciis aut placitis vti debeamus. Antiquis ergo omissis, è nouæ Legis paradiso, Apostolorumque areolis eos, quibus hanc nectamus corollam, decerpamus. Sanè D. Paulus Apostolus adeò in hanc materiam effusus est, vt, nisi iam eius tam apud Catholicos, quàm & apud aduersarios nostros, testatissima esset auctoritas, iure suspicionis notam apud hæreticos subire posset, vt qui nimius operum bonorum esset patronus. Hortatur ergo ille omnes homines, vt sint *prouidẽtes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Idem ait: *a Vince in bono malum.* Item: *b Bonum fac, & habebis laudem.* Iterùm: *Volo vos sapientes esse in bono.* Alibi item bonum esse ait virginitatis opus, *propter instantem*, vt addit, *necessitatem.* Iterùm: *Prouidemus bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Item: *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* Et: *Oramus autem Deum, vt nihil mali faciatis, non vt nos probati appareamus, sed vt vos quod bonum est faciatis.* Iterùm alibi: *Bonum autem æmulamini in bono semper.* Et pòst: *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes.* Ergo

Probatur dari bona hominum operá.

Ex singulis D. Pauli epistolis.

Roman. 12.
a Ibidem.
b Cap. 13.
Cap. 16.
1. Cor. 7.
2. Cor. 8.
Cap. 9.
Cap. 13.
Galat. 4.
Cap. 6.

Ergo dum tempus habemus, operemur bonum, &c. Iterùm alibi: *Scientes quoniam vnusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino.* Iterùm: *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet*, &c. Quin &; *Vt ambuletis dignè, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientiâ Dei.* Item: *Semper quod bonum est sectamini.* Et: *Ipse autem Dominus noster*, &c. *exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.* Iterùm de mulieribus: *Promittentes pietatem per bona opera.* Et de vidua: *In bonis operibus testimonium habens.* Ait item, diuites monendos esse, *diuites fieri in bonis operibus.* Et: *Perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Ad discipulum verò suum D. Titum scribens, de impiis asserit, ad omne eos opus bonum reprobos esse. Titum item ipsum sic exhortatur: *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum.* Subditos item monet, vt ad omne opus bonum parati sint: superiores, vt curent bonis operibus præesse. *Discant autem*, ait, *& nostri bonis operibus præesse, vt non sint infructuosi.* Philemonem suum sic ad opera bona excitat: *Communicatio fidei tuæ euidens fiat in agnitione omnis operis boni.* Denique Hebræis scribens hoc illis iniungit: *Consideremus inuicem in prouocationem charitatis & bonorum operum.* Et: *Deus autem pacis aptet vos in omni bono, vt eius voluntatem*, &c. Hæc omnia vnus D. Paulus, qui quantò in bonorum operum assertione est copiosior, tantò hæreticorum nostrorum peruicacia est impudentior.

Ephes. 6. Philipp. 1. Coloss. 1. 1. Thess. 5. 2. Thess. 2. 1. Tim. 2. & 5. Cap. 6. 2. Tim. 3. Tit. 1. Cap. 2. Cap. 3. Philem. Hebr. 10. Cap. 13.

2\. *Ex aliis etiã Scripturis.* Neque hinc abeunt alij Apostoli & Euangelistæ: Diuus namque Petrus quid de operibus bonis senserit, vel duo eius loca testatum facient. Alter eorum hic est: *Vt in eo quòd detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.* Alter verò hic: *Fratres, magis satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Quid dici poterat clarius, vnde non solùm constaret, admittenda esse bona opera, sed ea etiam ad salutem esse necessaria, quod pluribus infrà à nobis probabitur? Euangelista Lucas de feminâ Tabithâ siue Dorotheâ narrat, veluti rem maximæ apud Deum commendationis, quòd plena fuerit operibus bonis, & eleemosynis quas faciebat. Et S. Ioannes Baptista sic bona adstruit opera: *Omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* quod ipsum ipsemet Saluator noster posteà repetere, atque in hæc verba ampliare dignatus est: *Omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et posteà sic: *Facite arborem bonam, & fructum eius bonum.* De Mariâ quoque Magdalenâ ipsa iterùm diuina Veritas testata fuit, bonum eam in se opus operatam fuisse, dum vnguentum super ipsius recumbentis caput effudit: & anteà hunc in modum suos Apostolos, & in iisdem nos omnes quotquot fideles audire volumus, exhortatus fuerat: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Tandem etiam, quæ vnica salutis vel damnationis æternæ causa futura sit reticere noluit, illius nimirum, *Esuriui, & dedistis mihi manducare*, &c. huius verò, *Esuriui, & non dedistis mihi manducare.* Hinc est etiam illud S. Ioannis: *Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ.*

1\. Pet. 2. 2. Pet. 1. Act. 9. Matth. 3. Matth. 7. Matth. 12. Cap. 26. Cap. 5. Cap. 25. Ioan. 5.

3\. *Quàm absurdè in hac Caluinus insurgat.* Sed quid ad hæc illuminatissimus ille (scilicet!) Ecclesiæ Christi reformator (erras calame, deformator scribere debebas) Ioannes Caluinus? *Omnia*, inquit, *hominum opera nihil sunt nisi inquinamenta & sordes: & quæ iustitia vulgò habetur, ea apud Deum mera est iniquitas.* Quin audaciùs: *Habemus, ne vnum à Sanctis exire opus, quod non mereatur iustam opprobrij mercedem.* Et: *Duobus his fortiter insistendum, nullum vmquam extitisse pij hominis opus, quod, si seuero Dei iudicio examinetur, non esset damnabile.* Insuper: *Nihil ab homine exit, quantumuis perfecto, quod non sit aliquâ maculâ inquinatum.* Macte Caluine! Macti Caluiniani! Verùm hæc necdum sufficiebant Caluino, sed insuper in suo Antidoto, vt ineptè vocat, contra Sacrosancti Concilij Tridentini doctrinam, sic eadem bona opera impugnat, aut hos, quos eorum potissimos hostes videbat, propugnat: *Inde conficitur, non esse tantopere exagitandos, qui dixerunt, quælibet bona opera, si exacto rigore censeantur, æternâ potiùs damnatione quàm vitæ præmio digna esse.* Quibus Caluini putidissimis mendaciis atque blasphemiis nil, arbitror, aptius reponere possunt Catholici, quàm si idem ei respondeant, quod in Susannæ historiâ Daniel senibus istis, qui castissimam illam matronam, cùm violare non potuissent, morti adiudicarant: Rectè mentitus es in caput tuum; manet enim Angelus Domini, gladium habens, vt secet te medium, & interficiat vos. Idem, inquam, vsu venit in duobus illis pessimis adulteris, Luthero & Caluino, qui castissimam Christi sponsam, matrem nostram sanctam Ecclesiam Catholicam, violare, bonisque suis operibus spoliare voluêre, & dum hoc nequiuerunt, falsis eam oneratam calumniis morti & interitui tradere annisi sunt. Sed rectè vterque in caput suum mentitus est: illa namque ipsa, quæ aduersus bona opera ex fœtidissimis suis rictibus euomuerunt scommata, in ipsorummet capita, diuinitus retorta, recidêre; quoniam Angelus Domini, Ecclesiæ nimirum sanctæ spiritus, medios eos secuit, atque confusos æterno opprobrio exposuit. Confutauit, inquam, illos, & vel proprio ipsorum testimonio, falsum dixisse eos testimonium, felicissimè conuicit. Hi nimirum sunt duo illi falsi testes, quorum in Passione Dominicâ typum & adumbrationem habuimus, quorum vtique testimonia, quæ in Christum dixerunt, haud conuenientia fuerunt. Falsitatis itaque & periurij semel conuicti, expulsi sunt in sempiternum è iustissimo atque beatissimo Sanctorum Synedrio, atque cum perfidis & mendacibus in infimis infernorum subselliis ringere coguntur. Manet ergo firmum, omnino dari & concedenda esse bona Deoque placentia opera.

Lib. 3. Instit. c. 12. §. 4. Cap. 14. §. 9. §. 11. Cap. 15. §. 3. *Meliùs verò SS. Concilium Tridentin.* Sess. 6. can 22. *Confusi igitur maneant hæretici.*

4\. *Opera bona esse meritoria vitæ æternæ.* Esse verò opera illa bona, quæ hactenus adstruximus, meritoria vitæ & beatitudinis sempiternæ, docent Patres, docent Scripturæ, imò, quod mirêre, docent etiam aduersarij. E Patrum agmine primus prodit S. Augustinus, cuius hæc sunt verba: *Propter liberum arbitrium, quo bona & mala operantur homines, dictum est, Vnicuique reddes secundùm opera sua. Habet enim homo malum meritum, cùm vitio suo iam baptizatus declinat à bono, & facit malum; habet nihilominùs & bonum meritum, cùm in omnibus gratiæ Dei bonâ in se operanti non resistit,*

Lib. 3. Hypognost.

Variis in locis probat Augustinus.

stit, sed cooperator existit; & omnem spem suam habet in illum, cùm aurem suam & cor Deo, loquenti intus, hoc est in interiore homine, præbet, & non foris in malis sæculo perstrepenti, quod non meritum habet propter præsentem vitam tamquam in præsenti sæculo recepturus, sed propter futuram veram vitam, quæ erit in sæcula sæculorum. Idem ipse Doctor exponit quomodo se meritum nostrum habeat cum gratiâ

Lib. de Correpr. & gratiâ, cap. 13. post med. Rom. 6.

Dei, sic inquiendo: *Verumtamen quia & ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, à tanto Apostolo gratia Dei dicitur, cùm gratia non operibus reddatur, sed gratis detur; sine vllâ dubitatione confitendum est, ideò gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Rectè quippe ipsa intelligitur, quæ gratia in Euangelio legitur, Gratiam pro gratiâ, id est pro his meritis quæ contulit gratia.* Neque hic stitit Augustinus, sed idem, vt nos ex merito animet, ita ex D. Pauli

Homil. 14. ex Quinquaginta ante med.

Apostoli verbis confirmat: *Nunc audiamus Paulum Apostolum dicentem, cùm passioni suæ appropinquaret, de coronâ sibi paratâ præsumentem: Bonum, inquit, certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, de cetero superest mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die iustus Iudex. Non solùm autem mihi, sed & omnibus qui diligunt manifestationem eius. Reddet, inquit, mihi Dominus coronam iustus Iudex. Debet ergo. Quid reddet? Reddet ergo iustus Iudex: non enim, opere inspecto, potest negare mercedem qui opus inspicit. Bonum certamen certaui; opus est: superest mihi corona iustitiæ, merces est. Sed in mercede tu nihil agis, in opere non solus agis. Corona tibi est ab ipso, opus autem abs te, sed non nisi ipso adiuuante.* Quin & ostendit, quomodo, licet misericors Deus sit, iustus tamen dicatur, & obligatus sit vt pro bonis operibus vitam æternam conferat, in eumque finem eadem Apostoli verba ponderat in hunc

In Psalm. 83. prope finem.

modum: *Quam reddet mihi Dominus in illâ die iustus Iudex. Indulgentiam donauit, coronam reddet: donator est indulgentiæ, debitor coronæ.* & post pauca: *Debitorem Dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo.* Alio insuper in loco sic scribit: *Audi quia*

In Psal. 100. ante med.

ille cui donauit, tenet Dominum etiam debitorem. Inuenit eum donatorem tempore misericordiæ, tenet debitorem tempore iustitiæ. Quomodo hoc dicit, videte. Ego enim iam immolor, dixit, & tempus resolutionis meæ proximum est. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Hoc, tempore misericordiæ. Audi de iudicio: De cetero superest mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die iustus Iudex. Non dixit, Donat, sed, Reddet. Quando donabat,

Psal. 100.

misericors erat; quando reddet, Iudex erit: quia misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Sed donando delicta, fecit se debitorem coronæ: ibi misericordiam consecutus sum. Misericors ergo Dominus primò, hîc autem reddet mihi coronam iustitiæ. Vnde reddet? Quia iustus Iudex est. Quare iustus Iudex? Quia bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Ideò iustus non potest nisi coronare ista: inuenit enim ista quæ coronaret. Anteà verò quid inuenerat? Qui priùs fui blasphemus & persecutor. Ista donauit, illa coronauit. Donauit hæc tempore misericordiæ, coronauit illa tempore iudicij, quia misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Voluit item D. Augustinus ostendere, qualiter iuxta meritorum copiam, gloriæ amplior fiat retributio, ideò sic inquit: *Etsi*

Tract. 67. in Ioann. prope initium.

alius est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio iustior, alius alio sanctior, in domo Patris mei mansiones multæ sunt. Nullus eorum alienabitur ab illâ domo, vbi mansionem pro suo quisque est accepturus merito. Denarius quidem ille æqualis est omnibus, quem paterfamilias eis qui operati sunt in vineâ, iubet dari omnibus, non in eo discernens qui minus & qui amplius laborauerunt: quo vtique denario vita significatur æterna, vbi amplius alio nemo viuit, quoniam viuendi non est diuersa in æternitate mensura, sed multæ mansiones diuersas meritorum in vnâ vitâ æternâ significant dignitates. Alia est enim gloria Solis, alia gloria Lunæ, alia gloria stellarum: stella enim ab stellâ differt in gloriâ, sic & resurrectio mortuorum. Tamquam stellæ Sancti diuersas mansiones, diuersas claritates, tamquam in cælo sortiuntur in regno. Denique suauem illam concordiam, quæ in Sanctorum gloriâ æqualitati diuturnitatis cum inæqualitate meritorum intercedet, planam facit his verbis: *Quãuis*

Serm. 59. de Verbis Domini, ante medium.

meritorum diuersitate fulgebunt, alius magis, alius minùs; quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus. Non enim alteri erit longior, alteri breuior, quod pariter sempiternum est, quod non habebit finem, nec mihi, nec tibi. Alio modo ibi erit castitas coniugalis, alio modo ibi erit integritas virginalis. Alio modo ibi erit fructus boni operis, alio modo corona passionis. Illud alio modo, aliud alio modo: tamen quantum pertinet ad viuere in æternum, nec ille plus viuit illo, nec ille plus illo. Pariter enim sine fine viuunt, cùm in suis quisque claritatibus viuat, & ille denarius vita æterna est. Hæc omnia ex solo Augustino.

5\.

Idem ex S. Ioanne Chrysostomo clarum. Homil. 41. prope initium.

Post hunc in aciem prodeat S. Ioannes Chrysostomus, qui æternæ mercedis cum temporalis victoriæ retributione comparationem instituit. *Iam in mediis,* inquit, *illis Olympicis certaminibus corona post victoriam nihil aliud est quàm folia lauri, quàm applausus & clamor vulgaris, quæ tamen omnia vesperâ ingruente marcescunt & pereunt: at corona quæ pro virtute & eius sudoribus datur, nihil habet sensibile, neque in hoc sæculo nobiscum dissoluitur; sed perpetua est, immortalis, extendens se in omnia sæcula. Et labor quidem parui temporis; merces autem laborum, finem non habet, neque cedit tempori, neque marcescit.* Alibi quoque insignia pro nostro habet instituto, vbi sic ait: *Et hoc ipsum Paulus significans di-*

Homil. 16. ad Popul. Antiochen. post med.

cebat, quòd momentanea leuitas tribulationis nostræ supra modum æternum pondus gloriæ nobis operatur, non considerantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Leuem appellauit tribulationem, non propter propriam grauium naturam, sed propter futurorum expectationem bonorum. Sicut enim mercator non sentit nauigationis laborem, lucrorum spe releuatus; & pugil generosè fert capitis vulnera, coronam respiciens: ità profectò nos quoque in cælum & cælestia intendentes bona, quæcumque inferantur grauia, generosè cuncta feremus, bonâ futurorum spe roborati. S. Hieronymus, explicans illud Saluatoris, *In domo Patris mei*

Idem ex D. Hieronymo. Ioan. 14. Lib. 2. Contra Iouin. cap. 15.

mansiones multæ sunt, sic ait: *Simul sensus Scripturæ intuendus. Dicerem, inquit, vobis, quia vado, & præparabo vobis locum, si non mansiones multæ essent apud Patrem, hoc est, si non vnusquisque mansionem sibi non ex largitate Dei, sed ex propriis operibus præpararet: & ideò non est meum parare, sed vestrum; quia & Iudæ nihil profuit paratus locus, quem suo vitio perdidit. Iuxta quem sensum & illud intelligendum, quod ad filios dicitur Zebedæi, quorum alter à sinistris, alter cupiebat sedere à dextris: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem à dextris meis, siue à sinistris, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Non est Filij, dare; & quomodo Patris est, præparare? Paratæ, inquit, sunt in cælo diuersæ & plurimæ mansiones, plu-*

rimis

rimis diuersissimisq; virtutibus, quas non personæ accipiunt, sed opera. Frustrà ergo à me petitis quod in vobis situm est, quod Pater meus illis parauit, qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem. S. Cyrillus Ierosolymitanus hæc habet: *Tantummodò confide, tantùm operare, tantùm promptè decerta: nihil enim eorum perdetur. Inscripta est omnis tua oratio & psalmodia; descripta est tua omnis eleemosyna, inscriptum est omne coniugium rectè custoditum, inscripta est continentia propter Deum instituta. Præcipuam coronam in inscriptionibus habet. Virginitatem & castitatem accepturus es vt Angelus.* S. Basilius etiam habet quæ digna notatu sunt. *Custodientibus mandata eius retributio multa: merces nimirum illa copiosa est, & corona iustitiæ, æterna tabernacula, vita nunquam finem habitura, gaudium inenarrabile*, &c. Et: *Omnes igitur qui Euangelicam viam ambulamus, mercatores sumus, per præceptorum quæstum cælestium possessionem nobis ipsis acquirentes.* S. Hilarius itidem memoratu dignissima suppeditat; ait enim: *Nullum à nobis nisi innocentiæ & religionis fidei obsequium Deus postulat. Amari se à nobis exigit, non vtique amoris in se nostri fructum aliquem sui causâ ipse percipiens, sed amore ipso nobis potiùs, qui eum amabimus, profuturo. Nam amari se, sibiq; nos obsequi idcircò à nobis expetit, vt digni beatitudinis suæ ac bonitatis munere per meritum amoris sui & obsequij iudicemur. Bonitatis autem vsus, vt splendor Solis, vt lumen ignis, vt odor succi, non præbenti proficit, sed vtenti. Quod ergo sumus, profectus est noster potiùs, quàm eius qui nòs in id quod sumus instituit, quia Deus bonorum eorum quæ in se sunt æterna, non inuidens, in sensum nos atque vsum beatæ suæ bonitatis assumit. Sed qui perfectus ac bonus est, bonitate in nos ac beatitudine suâ non sine ratione ac modo vsus est. Nam vnicuique nostrùm libertatem vitæ sensumq; permisit, non necessitate in alterutrùm affigens, vt vnumquemque ex naturâ bonum malúmve esse Lex cogeret, sed qui nos per beneuolentiam vtendæ beatitudinis suæ creasset, profectum nobis ad id meritum vitæ innocentis honestæq; constituit. Quid autem honoris ac præmij bonitatis necessitas mereretur, cùm malos non esse, vis quædam conserta non fineret. Voluntati ergo permissa bonitas est, vt præmium sibi voluntas bonitatis acquireret, vt esset nobis æternæ huius beatitudinis profectus atque vsus ex merito, non necessitas indiscreta per legem. Et quamquam nós ad voluntatem bonitatis, id est, ad benè honesteq; viuendum, per spem promerendæ & vtendæ suæ bonitatis illiceret, pœnam tamen deuitatæ & contemptæ bonitatis adiecit. Vt cùm libertatem nobis voluntatis ad bonitatem promerendam reliquisset, quia meritum necessitatem naturæ non haberet, libertatem ipsam quotidie propositus econtrariò pœnæ terror argueret. Atque ita & per rationem æqui atque iusti ad meritum præmij permissa libertas est, & per bonitatem Dei vis libertatis metu constitutionis arctata est, vt benè velle meriti spes moneret, malum nolle propositæ vltionis pœna suaderet.* Denique Cyprianus hoc agmen hac sententiâ claudat: *Iustitiâ opus est, vt promereri quis possit Deum Iudicem. Præceptis eius & monitis obtemperandum est, vt accipiant merita nostra mercedem.*

Ex S. Cyrillo. Catechesi 15. post med.

S. Basilio. Serm. de Ascesi.

Homil. 12 ex Nouèdecim ad populum, prope finem.

S. Hilario. In Psalm. 2. ante med.

S. Cypriano. Lib. de Vnitate Ecclesiæ, qui & aliter inscribitur, *de Simplicitate Prælatorũ*, post med.

6.

Scripturæ ad oculum ostẽdunt quod hactenus SS. Patres docuerunt.

Adderem insuper Patres etiam alios, ni ad Scripturarum testimonia saltum facere deberemus, quamuis non inutilis foret prolixior Patrum orthodoxorum cum Scripturis productio, cùm inde videri possit atque elici, quidquid ferè ad meriti substantiam eiusdémve explicationem spectat; è Scripturis verò, condemnatam esse dudum impietatis hæresim illam, quæ bonis operibus æternæ beatitudinis meritum denegat. Quod porrò ad textus Biblicos attinet, ij rursum pro hac re tuendâ propemodum innumeri. A veteri itaque Lege ordiẽtes, Dominum ad Abraham dixisse legimus: *Noli timere Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Item anteà Caino: *Nónne si benè egeris, recipies?* Regem item Aza cum toto eius populo ita Propheta Azarias confirmat: *Vos ergo confortamini, & non dissoluantur manus vestræ: erit enim merces operi vestro.* Sapiens item: *Impius facit opus instabile; seminanti autem iustitiam, merces fidelis.* &: *Omni misericordiæ locum fac, vnusquisque enim secundùm opera sua inueniet.* E nouâ item Lege quod sublegamus abundè reperimus. Dominus enim & Magister nostrûm omnium Christus Iesus, ille, inquam, qui decipere, illudere, imò mentiri omnino non potest, *Beati*, inquit, *estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Porrò: *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nónne & publicani hoc faciunt?* Iterùm: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet; & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet; & quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm, in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Prætereà: *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Quin: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Et denique: *Qui digni habebuntur sæculo illo & resurrectione.* Quam doctrinam, à cælesti hoc Magistro tam sedulò traditam, tam auidè haustam, fideliter quoque tradiderunt & posteris nobis reliquerunt Apostoli, è quibus S. Iacobus, *Beatus vir*, ait, *qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Diuus quoque Petrus Archiapostolus: *Et si Patrem inuocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat secundùm vniuscuiusque opus, in timore incolatus vestri tempore conuersamini.* Copiosissimè etiam D. Paulus variis in locis. Alibi igitur sic loquitur: *Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Alibi: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi iustus Iudex. non solùm autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.* Alibi: *Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet: quoniam qui seminat in carne suâ, de carne & metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu & metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes.* Alibi: *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundùm suum laborem; Dei enim sumus adiutores.* Alibi: *Quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Alibi: *Ei autem qui benè operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Alibi: *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* Denique: *Qui reddet vnicuique secundùm opera eius, iis quidem qui secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Nec omittendus nobis est S. Ioannes Euangelista, qui hæc Christi verba inducit, *Ecce venio cito, & merces mea*

Genes. 15.

Cap. 4.

2. Paral. 15.

Prouerb. 11.

Eccli. 16.

Math. 5.

Cap. 6.

Cap. 10.

Cap. 20.

Cap. 25.

Lucæ 20.

Iacob. 1.

1. Petr. 1.

Hebr. 6.

2. Tim. 4.

Galat. 6.

1. Cor. 3.

2. Cor. 4.

Hebr. 13.

Rom. 2.

Apocal. 22.

Cap. 3. *mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.* & : *Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt.*

7. *Ostenditur quàm aptè Scriptura præcedentes ad rem allata sint.* Ne verò frustrà tot è Scripturis loca produxisse videamur, & vt omnem cauillandi occasionem aduersariis præcludamus, è singulis, quid ad propositum nostrum conducat, quid rem nostram iuuet, breuiter explicabimus. E priore itaque loco videmus, Abrahamo promitti mercedem magnam nimis, vitam nimirum æternam; quod propter benè facta factum fuisse, alter locus ostendit, quo nempe Caino dictum fuit, *Nonne si benè egeris, recipies?* Huic, vt ad rectè agendum omnes inflammemur, succedit Azariæ ad Israelitas exhortatio, *Vos ergo confortamini, & non dissoluantur manus vestræ; erit enim merces operi vestro.* Hoc insigni similitudine Sapiens explicat, qui altero loco operantem iustitiam seminanti comparat, vtpote quia actus bonus sit veluti semen, ex quo merces fidelis, fidei & gloriæ sempiternæ, tamquam fructus enascatur. Sed & ad propositum facit Ecclesiastici locus: quia ex mente Expositorum hic illius est sensus: Omnis misericordia faciet locum secundùm meritum operum suorum. vt non iam tantummodò hinc innotescat, præmium operibus bonis futurum, sed insuper, illud ipsum præmium vel minori vel ampliori copiâ à Deo esse tribuendum, prout vel amplior vel minor meritorum vniuscuiusque fuerit mensura. Hisce è veteri Lege desumptis locis, plures multò è nouâ sunt adiuncti, tum vt, hac in veritate, veterem cum modernâ Ecclesiâ conuenire quilibet videret, tum vt dilucidiùs ista in luce Euangelicâ patefacta atque confirmata, Catholicæ vnionis hostes aduerterent: quam in rem, quid horum singuli in meritorum commendationem atq; explicationem energiæ habeant, dispiciemus.

Neque solùm loca ad propositum faciunt quæ ex Lege antiquâ, sed & ampliùs quæ ex nouâ.

Ipsa ergo prima Veritas, æterni Patris æterna Sapientia, Dominus & Seruator noster Iesus Christus, priore apud S. Matthæum Euangelistam loco condemnat omnes, qui bonorum operum mercedem in cælis copiosam esse negant; altero eos, qui non sectantur legem perfectionis, asserit nullam expectare debere mercedem; quam nimirum mercedem, vt bonis operibus reponi declaret, tertio loco eam ob Prophetæ aut iusti susceptionem, aut propter aquæ frigidæ haustum discipulo suo exhibitum dari perhibet Saluator: & ne quis fortè gratis sibi istam mercedem polliceretur, operariis eam solùm dandam esse quarto loco asseritur: vtque neminem lateat, quid cuilibet, vt mercedem illam assequatur, operandum sit, eis eam assignandam quinto loco adstruitur, qui Christum in pauperibus esurientem, sitientem, algentem, &c. cibarint, potarint, fouerint, &c. denique ne quis erraret, aut præsenti adhuc in sęculo retributionem hanc faciendam esse opinaretur, sexto apud S. Lucam loco tempus mercedis dandæ insinuat. Pari passu progrediuntur atque inambulant diuini Apostoli. *Beatus vir,* inquit S. Iacobus: sed quis ille hac in vitâ, seu ad æternam vitam beatus? *qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Dignus ergo hac coronâ ille erit, qui hac in vitâ tribulationes & aduersitates patienter pertulerit; eæ siquidem sunt quibus hominem Deus probat: atqui eas perferre, & nequaquam Deo obmurmurasse, bonum est opus, cui tandem ea gloriæ corona debetur. Neque verò propterea insolescendum est, sed in timore incolatus nostri, vt D. Petrus monet, conuersari debemus, ne coronam illam, quam hactenus promerueramus, aliunde amittere contingat. Quò etiam reliquos, quos è Gentium Apostolo, D. Paulo nimirum, attulimus, spectare locos certum est.

8. *Quæ omnia nihil apud Caluinum, quò minus ille in præcedentia insurgeret, effecerunt.* Hæc tamen omnia haud tanti valuerunt apud pessimum istum Caluinum, vt eum, quò minùs bonorum operum merita exploderet, continere potuerint. Sic igitur ille omnis boni osor, cui malè agere, maleque agentibus infaustissimè patrocinari, volupe fuit, in bona opera inuehitur. *Primum de meriti nomine,* inquit, *id mihi præfari necesse est: quicumque primus illud operibus humanis ad Dei iudicium comparatis aptauit, eum fidei sinceritati pessimè consuluisse.* Lib. 3. Institut. c. 15. §. 2. Audin' Apostole Paule, quàm malè imò pessimè fidei sinceritati consulueris, dum meriti nomine vsus es, illudque operibus humanis ad Dei iudicium comparatis aptasti? Ais tu (sed Aristarchi huius liliati iudicio stolidè) *Beneficentiæ & communionis, &c. talibus enim hostiis promeretur Deus.* Hebr. 13. & alibi hæc tua sunt verba: *Ei qui benè operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Rom. 4. Quid iam Æaco isti respondebis? Sed parum est, ô diuine Apostole, in te iniurium esse istum Ægopogonitem, quin nec sibimet ipsi parcit, sed mendacem se toti orbi exsibilandum proponit. ait ecce enim: *Equidem à logomachiis libens abstineo, sed cuperem eam seruatam fuisse semper inter Christianos Scriptores sobrietatem, ne vsurpare, cùm nihil opus foret, extranea à Scripturis vocabula in animum induxissent, quæ multum parerent offendiculi, fructûs minimum.* Agnoscis, Lector, Cretensem hunc Cretissantem, qui tam impudenter, vultu tam effronti, nomen meriti, quo ipsemet Paulus Apostolus, imò ipsemet Christus Saluator vsus est, vocabulum appellare ausit quod à Scripturis extraneum sit. *Quàm is id malè, clarum fit.* Sed quorsùm, quæso, hæc quæ sequuntur: *Quorsum opus fuit inuehi nomen meriti, cùm bonorum operum pretium significanter alio nomine citra offendiculum explicari possit?* Insanum suique immemorem Caluinum! an non paulò antè insolenter in bona opera debacchatus est, modò verò, vt meriti nomen destruat, eadem adstruit: rem concedit, de nomine contendit: bona opera ipsa, quæ sordes anteà & inquinamenta vocauerat, admittit, illorum verò pretium quod idem est ac meritum, affirmat quidem, nec tamen ita appellari vult? Quin verò, idem esse bonorum operum pretium, & bonorum operum meritum, vel ipsa Caluini verba testantur, dum ait, alio vocabulo, quàm meriti, eamdem rem significanter & sine offendiculo explicari posse. In re ergo conuenimus, in solo nomine dissentimus. Videt iam prudens atque sincerus Lector ipsum meritum, Caluini calculo approbatum. Quod ipsum vt pro maiori Caluini Caluinianorumque confusione ampliùs fiat euidens, vnum atque alterum porrò è damnatissimis eiusdem scriptis proferemus locum, quibus ingenuè, alioquin haud sat ingenuus, operum bonorum meritum asseruit; quamquam, vertumni instar, idem alibi, præfractè pernegauerit. Ait igitur: *Dominus; quæ in nos contulit bona opera, & nostra appellat, & non tantùm accepta sibi esse testatur, sed remunerationem etiam habitura.* Lib. 3. Institut. c. 15. §. 3.

&

Quid aliis in locis in contrarium scripserit.

& post nonnulla: *Placent itaque Deo bona opera, nec suis auctoribus sunt infructuosa; quin magis, amplissima Dei beneficia remunerationis loco referunt.* Quid iam tibi, Lector, de Caluino videtur? an eum merita negasse atque impugnasse ausis dicere, quæ tam clarè tam manifeste adstruxit? Certè & inconstans & fallax est hæreticorum ingenium. Inconstans; quia quod modò affirmat, alibi negat: fallax; quia sub virtutis palliolo falsitatem adducit. Notanda sunt eum in finem alia Caluini verba, quæ haud ita longè præmiserat: *Tum fidei iustitiæ locus est, vbi nulla sunt opera quibus debeatur merces.* & rursum: *Nulla est fidei iustitia, nisi vbi nulla sunt opera quibus debeatur merces.* Itàne varius in suis Caluinus? qui hæc cum antecedentibus cohærent? Errorem, puto, suum, quem, vt suprà vidimus, circa bona opera incurrerat, reuocauit; & sin aliter Scripturis vim intulisse visus fuit, hoc in loco errorem emendauit.

Lib. 3. Instit. cap. 11. §. 18. & 20.

9. Iam, quæ sectarij contra bona opera obiicere solent, quàm parum contra Catholicam veritatem valeant, ostendere opportunum est: & posteà ex Orthodoxis rudiores instruere, ne nimiùm in propriis meritis confidant; sed vt, neque ad dexteram, quod qui ex ipsis insolescunt faciunt, neque ad læuam declinantes, quod iis qui bonorum merita omnino tollere volunt solemne est, viâ Regiâ, vitâ iustâ incedant. Mirabilis sanè est Dei sapientia, quæ ex hæreticorum oppositione Catholicorum instructionem elicere solet: efficit enim, vt hæretici, veluti qui candelam digitis emungunt, semetipsos denigrent, vnde illustriore splendore lux fidei & lampas Ecclesiæ reluceat. Adscribimus ergo, eo fine vt nemo se in meritis extollat, nemo in illis inuanescat, obiectiones quas sectarij pro bonorum operum abolitione inferunt, seu potiùs, quibus Deus per ipsos efficit, quatenus qui in illis euenire possunt abusus, exscindantur vel præuertantur.

Quæ sectarij aduersus opera meritoria, argumenta confingunt, diluuntur.

10. Primum igitur argumentum contra bona opera eorumque merita suppeditat Caluinus, ita inquiens: *Quòd vitam æternam faciunt mercedem, in eo ab illis dissentio: quin potiùs hereditatem esse, vbique Scriptura clamat, quæ non alio quàm gratuitæ adoptionis iure nobis obuenit.* Hinc, vt Dialecticè & bonâ methodo pugnemus, talis argumentatio effici potest: Vita æterna in Scripturis vocatur hereditas: at hereditas debetur filiis non ex merito & labore, sed ex solo iure filiationis seu adoptionis; & nos sumus filij Dei; ergo nobis debetur vita æterna ex iure filiationis, non ex merito nostro. Huic argumento verbis quidem nostris, mente tamen atque auspicio R. P. Martini Becani, cuius doctissimis scriptis etiam alibi vsi sumus, respondemus, atque cum eodem duplici in Caluinianos modo retorquemus. Vno, cùm vita æterna in iisdem Scripturis etiam appelletur *merces*, vt iam latè probauimus, vtique intuitu meritorum ea datur, non solo adoptionis iure. Altero, cùm *adoptio* apud Caluinum & eius asseclas idem sit quod prædestinatio, & huic è diametro opponatur reprobatio; vtraque item, ex eiusdem Caluini mente, facta sit nullo habito respectu ad bona vel mala opera, sed ex mero Dei beneplacito: & si inde, quòd prædestinationis seu adoptionis titulo vita æterna debeatur, rectè concluditur, non dari eam ex bonorum operum merito; vice versâ ritè concludendum est, ex eo quòd pœna æterna debeatur titulo reprobationis, directè sequi, non dari ex merito malorum operum. Et vos, ô Caluiniani, hoc postremum asserere audebitis? Haud puto. videte igitur quàm elumbia & exsucca sint quæ vester Antesignanus & vos in bona opera garritis. Sed ad rem potiùs. Nos sumus filij Dei, non quidem per naturam, sed per adoptionem. Adoptantur autem quidam ante rationis vsum in Baptismo, vt paruuli; nonnulli post adeptum rationis vsum in primâ iustificatione, vt adulti. Et paruuli quidem, qui ante rationis vsum adoptantur & moriuntur, vitam æternam solo hereditatis titulo accipiunt; adulti verò qui ratione vtuntur, & in filiorum adoptione vsque ad mortem perseuerant, eamdem accipiunt gemino titulo, mercedis & hereditatis. Voluit hoc proculdubio Apostolus quando sic ait: *Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus; scientes quòd à Domino accipietis retributionem hereditatis.* An non hinc manifestè apparet, vitam æternam adultis non solo hereditatis, sed etiam mercedis seu retributionis titulo donari? Nec id vsque adeò nouum aut mirum videri debet: potuit enim Deus, cùm non sint filij naturâ sed adoptione, hac eos conditione adoptasse, vt non adirent hereditatem, nisi mandatis Dei obsequi, & obsequendo hereditatem illam promereri vellent. Quò referendum est illud Saluatoris: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et sanè simile quidpiam ipsi Seruatori Christo contigit: illi enim (datâ vnione hypostaticâ, vt Theologi vocant) debebatur gloria corporis & exaltatio nominis iure hereditatis, suis tamen meritis eamdem obtinere voluit, vt innuit Apostolus dum sic inquit: *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum,* &c. Quòd si ergo Christo, naturali Dei Filio, gloria corporis & nominis exaltatio duplici titulo, hereditatis & mercedis, data est; quid mirum si & nobis, qui sumus tantummodò filij adoptionis, vtroque titulo æterna vita conferatur?

In Antidoto sess. 6. can. 16

Primum eorum argumentum in ipsos dupliciter retorquetur.

Vita æterna adultis datur titulo mercedis. paruulis titulo hereditatis.

Coloss. 3.

Exemplum reperitur in Christo quoad titulum hereditatis & mercedis.

Philipp. 2.

11. Excipiunt hîc nonnulli Caluiniani, qui nasutiores videri volunt, & iam dudum, hæc quæ iam allata sunt, obstare sibi præsentientes, vitam æternam vocari quidem in Scripturis hereditatem & mercedem, illud tamen propriè, hoc impropriè. Verùm quàm hæc exceptio est friuola! & vnde quod dicunt probant? cur non potiùs dicunt, impropriè vocari hereditatem, propriè verò mercedem? Et si gloria illa corporis, quæ Christo Domino data est, propriè rationem habuit mercedis & hereditatis, cur non gloria animæ quæ nobis datur? quasi verò implicet, aliquid propriè esse hereditatem, & simul propriè mercedem. Nec propterea (quod alius quispiam è Liliatis patribus opposuit) paruuli adultis feliciores dicendi sunt, eò quòd hi, nimirum adulti, laboribus suis acquirere debeant id quod illis, paruulis, liberali donatione conceditur. Adultos ego potiùs dico feliciores, idque duabus de causis, quia nimirum iure suo adeunt hereditatem, quod honorificentius est; & quò plura & maiora habent bona opera, eò maiorem hereditatem consequuntur: vnde magnum inter istos & adultos discrimen videre est, cùm paruuli contenti esse debeant illâ hereditatis portione quæ illis ex diuinâ benignitate assignatur, hi verò ad ampliorem adspirare

Alia hæreticorum circa præcedentia obiecta refutantur.

spirare possint, vt quò eorum bona opera crescunt, pinguior etiam portio tribuatur, secundùm illud Apostoli: *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.*

1. Cor. 3.

12. Psal. 102. Matth. 7. *Obiectio quâ sectarij aiũt, bona opera non esse meritoria vitæ æternæ, quia ex misericordiâ gloria confertur, non habet fundamentũ.* 2. Tim. 4. De Corrept. & gratiâ, cap. 13. Epist. 105. ad Sixtum.

Alterum Caluinianorum contra bona opera argumentum ex illo Scripturæ loco adfertur, vbi Dauid sic canit: *Qui coronat te in misericordia & in miserationibus.* & ex illo Saluatoris, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* & sic formatur: Corona illa quæ datur ex misericordiâ, non datur ex iustitiâ; duo enim hæc sibi opponuntur: atqui vitæ æternæ corona datur ex misericordiâ, Scripturâ teste; ergo non ex iustitiâ, ergo neque titulo mercedis. Respondetur, illud ipsum quod illic vocatur corona misericordię, apud Apostolum vocari coronam iustitiæ. *Reposita est,* inquit ille, *mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi,* &c. & vtrumque est verissimum, vtpote quod Spiritus sanctus dixerit. Secundùm ergo D. Augustini distinctionem dicimus, vitam æternam esse coronam iustitiæ, quia ex meritis & propter merita confertur, seruato ordine Iustitiæ commutatiuæ & distributiuæ: vnicuique namque pro maiori vel minori meritorum aut bonorum operum cumulo, maior vel minor gloriæ portio retribuetur. Dicimus item, quia illa merita & bona opera, quibus iustitiæ corona debetur, vim suam accipiunt à gratiâ Dei, quæ nimirum gratia ex merâ Dei misericordiâ conceditur, eamdem coronam vocari posse, quamuis remotè, coronam misericordiæ, non sanè intuitu ipsorum meritorum aut bonorum operum (vtpote quibus ex iustitiâ debetur) sed intuitu nostri, quibus ex misericordiâ concessum est, vt bona operari adeoque mereri possimus.

13. *Tertium aduersariorum argumentum à mille nunc & ducentis annis solutũ.* De Gratiâ & libero arbitr. c. 8. & 9.

Tertiò illud Pauli Apostoli nobis obiiciunt, *Stipendium peccati mors est, gratia autem Dei vita æterna.* vnde elicere volunt, mortem æternam dari propter mala opera, vitam verò æternam non propter opera, sed merâ ex gratiâ; alioquin, si nostra & Catholicorum sententia esset vera, Apostolum debuisse sic dicere: *Stipendium peccati mors, stipendium bonorum operum vita æterna.* Verùm & huius solutionem è D. Augustino petere possumus (adeò nihil est noui quod Caluiniani adferunt, sed quod iam à mille & vltra annis refutatum, condemnatum, putet & fœtet) dicendo, vitam æternam gratiam vocari, ex sensu quo vocatur corona misericordiæ. Et licet Apostolus dixisset, *stipendium bonorum operum vita æterna,* sicut antè dixerat, *stipendium peccati mors* (quod dicere eum rectè potuisse, Augustinus loco proximè citato apertè fatetur) quid, quæso, à mente suâ alienum dixisset? Annon idem planè, si non iisdem verbis, eodem tamen omnino sensu, dixerat iam antè: *Reddet vnicuique secundùm opera eius: iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam; iis autem qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.* q. d. Sicut Deus impios damnabit propter mala, ita iustos coronabit propter bona opera: & sicut impiorum stipendium erit mors, ita iustorum stipendium erit vita æterna.

Rom. 2.

14. Isaiæ 55.

Obiiciunt nobis Quartò illum Isaiæ locum: *Venite, emite absque argento, & absque vllâ commutatione vinum & lac.* vbi, inquiunt, vita æterna nobis offertur sine nostris meritis. At verò errant boni illi viri: non enim per lac & vinum intelligenda est hoc in loco vita æterna, sed gratia præsentis vitæ, vt patet tum ex interpretatione S. Hieronymi, tum ex ipso contextu, vbi sic legimus: *Omnes sitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. venite, emite absque argento,* &c. Cui loco similis est ille apud Euangelistam: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* vbi Christum de præsentis vitæ gratiâ, non de futuræ gloriâ loqui certum est. At non diffitemur, primam gratiam nobis dari gratis & sine nostris meritis, sed non sine nostro aliquo labore. Quemadmodum enim verba illa, *absque argento, & sine commutatione,* excludunt nostra merita, ita hæc, venite, emite, nostrum laborem includunt. Hoc igitur inter gratiam & gloriam interest, quòd licet neutra adultis donetur sine propriâ cooperatione, gratia tamen conferatur sine propriis meritis, gloria propter merita.

Dissoluitur item & illud quo gratis volunt gloriam tribui, quia quod pro se adducunt, pro gratiâ facit. Ioann. 7.

15. Luc. 17. *Nihil ad rem facit quod in nos detorquent heretici; Dicite, serui inutiles sumus.*

Quintam obiectiunculam, quam indissolubilem autumant aduersarij, ex illo nobis proferunt Euangelico, *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus.* Si namque, etiamsi omnia & singula mandata diuina obseruauerimus, adhuc inutiles sumus, vbi sunt merita nostra, quæ nos dignos vitâ æternâ faciant? & si dignos illa nos faciunt, quomodo Veritas ex vero nos adhuc inutiles appellandos esse censet? Sed, heus, bona verba, quæso; An non hìc nobis egregium genij vestri specimen exhibetis, quomodo Scripturis sacris abutamini, & ad quiduis quidlibet, modò vestrum inde propositum stabiliri videatur, nasi instar cerei detorqueatis? Paulò antè obieceratis nobis, nos filios esse, & vitam æternam hereditatis titulo, absque vllo labore nostro, nobis deberi; nunc, vestri immemores, opponitis, seruos nos esse inutiles quibus nihil omnino debeatur. Nimirum hoc agitis, vt veritatem oppugnetis, quocumque tandem id modo fiat, etiamsi, vt & suprà dixisse me & probasse memini, infinitis antilogiis & contradictionibus vtendum vobis sit, rati, nos Catholicos tam fore exsangues & excordes, qui fraudes vestras non aduertamus. Sed erratis, ô boni viri, erratis toto cælo; nasuti & nos sumus, & canum instar (canibus enim alicubi diuini verbi præcones comparari scio) vestigia vestra, hoc est technas & machinamenta, probè subodoramus. Iam ex vobis quæro ego: Vocátne Christus Dominus illos seruos inutiles, qui omnia præcepta diuina obseruant, an eos qui ea non obseruant? Si prius aitis, præcepta vtique diuina à seruis Dei adimpleri & obseruari posse concludendum est, quod directè principium vestrum funditus euertit, qui nimirum cum Caluino vestro statuitis, mandata Dei seruatu esse impossibilia. Si posterius, nihil certè contra nos Catholicos concluditis, multò minùs euincitis. Scitote ergo, Christi verba, *Cùm feceritis omnia,* &c. triplicem posse habere sensum. Primus ex mente S. Ambrosij hic est, vt ideò dicamur serui inutiles, eò quòd, quantumuis omnia faciamus quæ nobis sunt mandata, non nostris ea viribus faciamus, sed gratiâ Dei adiuti: quo sensu dupliciter nos ipsos considerare possumus: primò quoad nostras vires proprias, prout ex traduce nascimur, quo respectu serui inutiles sumus; deinde quoad diuinæ gratiæ cooperationem, prout ex Christo renascimur, quo item respectu

Greg. lib. 10. Moralium, c. 7.

Triplex illorum verborum sensus inuenitur: primus, secundùm S. Ambrosium. Lib. 8. in Lucam.

spectu sumus serui inutiles, iuxta illud Apostoli: *Si quis emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum & vtile Domino.* Sensus alter hic est, vt serui inutiles dicamur respectu Dei, prout Ven. Beda intelligit; etiamsi enim omnia præcepta seruemus, nihil tamen vtilitatis Deo inde prouenit, vt qui bonorum nostrorum non indiget: nostri tamen respectu quo minùs vtiles dicamur, nihil prohibet, cùm quidquid per mandatorum obseruationem boni facimus, in nostrum commodum & emolumentum cedat. Tertio item sensu serui inutiles dicimur, secundùm S. Augustini doctrinam, quòd, nisi Deus opt. max. liberalissimo pacto ita nobiscum conuenire seque obligare voluisset, nullam omnino mercedem ab eo, quasi ex iustitiâ nobis debitam, exigere potuissemus. Inutiles igitur sumus, secluso diuino pacto, quidquid etiam boni operemur; vtiles verò, interueniente pacto & conuentione. Eligite iam ex his qui vobis meliùs arrideat sensum, & nihil tamen contra bonorum operum merita poteritis euincere. At cur, quæso, tam sollicitè ea Scripturæ loca indagatis quæ inutilitatem nostram describant, illa verò quibus nostra vicissim vtilitas cõmendatur, subiicetis? An non idem ipse Christus alibi sic nostra bona & fidelia opera laudauit, *Euge serue bone & fidelis?* &c. Reuerà vel ex hoc vnico germanos satanæ vos esse filios dicere possem, qui & ipse hoc primùm artificio vel potiùs maleficio vsus est. Sed quia vestram conuersionem expecto & desidero, deterrere vos nolo.

2. Tim. 2.

Alter secundùm Bedam.

Tertius secundùm Augustinum. Serm. 3. de Verbis Domini.

De vtilitate verò operum bonorum plura alia clara loca.

Math. 25.

16. Sexto loco sic nobis obiiciunt: Inter meritum & præmium debet esse proportio, aliàs non obseruatur lex iustitiæ: atqui inter merita nostra & vitam æternam non est proportio; ergo ex iustitiâ non debetur nobis vita æterna. Minor probatur ex illo Apostoli: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Respondemus, quemadmodum allato ab aduersariis loco Scriptura innuere videtur, opera nostra æternæ vitæ præmio non esse digna; ita alibi oppositum asserere videri, nimirum hic: *Illi verò qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione.* &: *Vt digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini.* Iam verò Scriptura sacra sibi numquam est contraria, ideoque explicandum nobis est quo sensu vtrumque verum sit. Si ergo Primò spectare velimus temporis durationem, nullam omnino inter opera huius vitæ, & gloriam futuram, proportionem deprehẽdemus, cùm illa sint momentanea, hæc verò sit sempiterna. Quòd si verò spectare velimus gratiam à quâ meritoria illa opera procedunt, proportionem eamdem inueniemus, cùm gratia sit semen gloriæ, vt Theologi loquuntur. Quemadmodum igitur proportio inter semen & arborem, ita & inter gratiam & gloriam est sufficiens, licet nulla sit proportio durationis, quod ex illo Apostoli loco apparet: *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Videtisne vtrumque hic, quod diximus, fateri Apostolum? Fatetur certè, tum quòd opera nostra sint momentanea, & gloria æterna; tum & quòd momentanea illa opera æternæ gloriæ pondus operentur. Sed quomodo, quæso, operantur? Non sanè physicè, sed meritoriè, quæ merendi vis prouenit à gratiâ. Quid si idem videre possimus in exemplo Christi, cuius passio vtique fuit momentanea, quæ tamen nobis omnibus peperit vitam æternam? Quòd si præterea momentanea & transitoria impiorum opera mala & peccata æternam damnationem promerentur (promerentur verò, alioquin Deus, qui pœnam illam infert, iniquus & iniustus dicendus foret) quidni pari modo vicissim bona iustorum opera promereantur vitam æternam?

Sextum adducitur & confunditur sectariorum obiectum.

Rom. 8.

Lucæ 20.

2. Thessal. 1.

2. Cor. 4.

Insignis in Christo similitudo.

Septimò tandem, quod vltimum aduersariorum est effugium, sic in nos & bona opera argumentantur: Si Christus vitam nobis æternam meruit, non eam nos nostris operibus meremur: atqui Christus vitam æternam suo pro nobis persoluto lytro promeruit; ergo. Maior constat: quia meritum Christi vel sufficit, vel non sufficit. si sufficit, frustranea imò nulla sunt nostra opera; si non sufficere dixerimus, infinitam Christo iniuriam inferimus. Verùm, quamuis aduersarij mirè admodum in hoc argumento sibi placeant, vt totum iam peruicisse arbitrentur, nullius tamen esse roboris, vel hinc constat, quòd falsò & deceptorio fundamento innixi, merita nostra meritis Christi opponi putent, ac quantum roboris & efficaciæ nostris operibus tribuitur, tãtum operibus & meritis Christi demi atq; subtrahi opinentur. Longè aliter imò contrà se res habet, & merita nostra ex Christi meritis nascuntur, omnemque vim suam ab eisdem accipiunt; adeò vt quidquid laudis & dignitatis habeant, omne in meritorum Christi dignitatem & laudem redundet: quod per quàm optimè similitudine aptissimâ declaratur, quam suggerere dignatus est ipsemet Saluator noster Iesus Christus. *Sicut palmes*, inquit, *non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites.* Quis iam aduersariorum est, qui dicere ausit, decedere quidpiam de integritate vitis, si palmites ipsius plurimum fructum afferant? quidquid enim succi & humoris viui habent palmites, id totum à vite habent; adeò vt, quò maiorem & ampliorem fructum palmites adferunt, maior & amplior viti laus & dignitas accedat. Insanos ergo vos Caluinistas! qui subinde inclamatis, de gloriâ Christi detrahi, si serui eius bonos fructus faciant. Quomodo enim fructum faciunt, nisi quia in Christo sunt, & ab eo succum & humorem diuinæ gratiæ accipiunt? Adeoque quidquid boni & laudis est in meritis nostris, totum Christi meritis adscribendum est. Sed & videte, quàm ineptè ex eo, quòd Christi merita sint sufficientia, nostrorum meritorum nullitatem; & vicissim ex operum & meritorum nostrorum necessitate, meritorum Christi insufficientiam colligant. Non enim nostra requiruntur merita, quòd Christi merita sint insufficientia, sed quia Deus sic disposuit & voluit: quin potiùs colligendum erat, Christi merita esse sufficientissima & efficacissima, vtpote quæ nobis non tantùm ius ad vitam æternam, sed & virtutem ad eam per propria merita consequendam obtinuerint.

17. *Quàm falsò hæretici cupiunt meritis Christi nostra opponi.*

Res explicatur à Saluatore allatâ cõparatione. Ioan. 15.

Maiorem (suo sensu) ex meritis nostris, Christi merita gloriam habent.

Hactenus de primo bonorum operum fructu & effectu, merito scilicet, quod sibiipsi, & non aliis, vt rectè docent Theologi, benè agens acquirit: sequitur vt & reliqua meritoriorum actuum emolumenta, quæ in proximorum vtilitatem deriuari possunt, explicemus; huic enim fini latè adeò meritorũ substantiam exposuimus, vt ei impetra-

18. *Sequitur materia de impetratione.*

petrationem & satisfactionem, quæ defunctorum animabus applicari possunt, velut solido fundamēto superstrueremus. Est igitur alter bonorum operum, & orationis potissimùm, fructus, ipsa impetratio, quæ à Scholasticis dupliciter accipi solet: primò ita latè, vt nihil aliud sit, quàm ratione alicuius operis vel obsequij aliquid ab aliquo obtinere. Quo sensu cuilibet operi meritorio potest impetratio attribui, præsertim quando meritum est imperfectum, quod à Theologis *de congruo* nominatur, & iuxta phrasim à D. Augustino vsurpatam dictum est meritum impetratorium. qui etiam Augustinus ita loquitur: *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat.* quæ sanè illatio bona non esset, nisi impetrare esset mereri aliquo modo, saltem de congruo. Idem & alibi sensisse videtur: & eodem etiam modo sacrosanctum Concilium Tridētinum ait, contritionem impetrare à Deo veniam peccatorum. ita vt in hac acceptione impetratio sub merito saltem, quod est, vt aiunt, de congruo, comprehendatur. Alio magis speciali modo impetratio orationi tribuitur, tamquam proprius illius effectus, quia in hac non tam consideratur meritum impetrantis, vel aliud ab ipso procedens obsequium, quàm petitio, quæ principaliter Dei bonitati innititur, à quâ rem, quam obtinere intendimus, postulamus. Iuxta quam descriptionem Angelicus Doctor accuratè distinguit inter impetrationem & meritum, & idcircò distinctè orationi tribuit tum vim merendi, tum & impetrandi; & differentiam in hoc constituit, quòd meritum procedat ex radice charitatis, impetratio verò habeatur è gratiâ Dei, quem oramus, & qui nos ad orandum inducit. Et inde prouenit, quòd impetrationem fidei præcipuè inniti inquiat. Sed & duas alias differentias idem sanctus Doctor addit: alteram, quòd oratio sine gratiâ gratum faciente non sit meritoria, nec tamen fiat impetratoria: alteram, quòd impetratio solùm sit rei postulatæ, meritum autem possit esse & regulariter sit alterius præmij. Aliam insuper addit Suarez, quòd impetratio propriè dicta sit proprius effectus solius orationis quoad eius propriissimam partem quæ est petitio seu postulatio; meritum autem sit commune omnibus operibus bonis, si tamen aliæ conditiones concurrant. Quòd ergo oratio sit meritoria, non habet ex eo quòd sit petitio, sed quòd sit opus quoddam bonum, factum, sicut oportet, in obsequium Dei. Hinc est quòd impetratio à D. Thomâ, vt suprà diximus, dicatur in fide fundari, seu in firmo atque indubitato assensu omnipotentiæ, misericordiæ & veritatis Dei; meritum autem in charitate, eò quòd fundamentum suum habeat in operis bonitate & dignitate, quæ ex charitate & gratiâ operantis procedunt. Et secundùm hæc intelligendus est D. Thomas, quando ait, impetrationem haberi ex gratiâ Dei, quo ipso impetrationem à merito discernere videtur. Illud enim, *ex gratiâ Dei*, non est exponendum de gratiâ Dei quæ nos formaliter iustificat; quia hæc longè magis ad meritū de condigno, quàm ad impetrationem necessaria est: nec etiam de gratiâ Dei quatenus nos excitat vel ad benè operandum adiuuat; quia & hæc æquè necessaria est ad meritum quàm ad impetrationem: sed de gratiâ Dei quatenus est pura puta beneuolentia ac liberalitas ipsius Dei, in quâ nimirum gratiâ & bonitate Dei tota vis orationis fundatur. Impetratio ergo Deum quidem respicit, haud tamen quatenus est retribuens, sed quatenus est liberaliter & gratis donans: meritum verò respicit Deum quatenus est retribuens, quia in boni operis præstantiâ fundatur, quatenus aliquo modo (si ita loqui licet) cedit in bonum, licet extrinsecum, seu in obsequium Dei. Nec obstat, quòd in orationibus vel priuatis vel publicis exaudiri & impetrare quidpiam rogemus propter merita Christi & Sanctorum: quia tunc non intenditur pura & simplex impetratio postulantis, sed etiam quasi exactio & retributio meritorum quæ in oratione allegantur; atque adeò tunc suo loquendi modo impetratio & meritum miscentur, quod orationi impetratoriæ accidentarium est.

Est ea duplex latè dicta & specialis. — *Quid latè dicta.* — Epist. 105. — Lib. de Præ-dest. Sanctorum, c. 2. — Sess. 14. c. 4. — *Quid impetratio specialiter dicta.* — S. Thom. 2. 2. q. 83. art 15. In corpore. — Ad 3. *Distinctiones inter meritum & impetrationem quæ?* — Lib. 12. de Merito, cap. 34. n. 8. — *Quomodo in præsenti materiâ intelligendus D. Thomas.*

Hinc iam inferri potest, quòd sicut meritum ab impetratione separari potest, ita econtrariò 19.
possit impetratio seiungi à merito. Prius mēbrum manifestum est in omnibus operibus meritoriis, quæ non sunt aliqua petitio: vt enim dixi, impetratio propriè sumpta per solam petitionem fit; cùm impetrare perinde sit quod precibus obtinere, quod tum ipsius vocis etymologiâ, tum communi loquendi vsu probatur: & in ipsâ respectiuè oratione illa duo distingui quilibet videre potest. Ille enim qui ex charitate vel sibi vel alteri salutem impetrat, quam tamen de condigno, vt habet Theologorum phrasis, non meretur, & tamen meretur gloriam quam ex vi petitionis non impetrat. Hinc haud rarò euenit, vt qui orat non impetret quod petit, quia non expedit; interim tamen mereatur, quia eo ipso quòd petit, opus pium & religionis facit. Posterius membrum inde constat, quia, vt communior Theologorum & probabilis admodum est opinio, peccator per orationem à Deo sibi aliquod auxilium supernaturale impetrare potest, quod tamen non meretur. Exempla clariora dabimus à Christo & à Sanctis. A Christo quidem, quia ille in gloriâ cælesti pro nobis orat (cur enim non oraret pro nobis, cùm & per se sit capax orationis, & apud Patrem sit aduocatus noster?) & orando pro nobis impetrat, qui finis eius est intercessionis; nec tamē meretur nobis, alioquin adhuc redemptionem & salutem nostram operari dicendus esset, quod nemo, puto, sanioris mentis concedet. A Sanctis verò, quia illi, è Theologorum placitis, non modò pro aliis, sed & pro seipsis orant, nec sibi tamen merentur, quia alioquin non de congruo, sed de condigno mererentur, quod statui ipsorum omnino repugnat. Vnde iā colligimus, ipsos Beatos, licet pro aliis orent & impetrent, id facere sine nouo merito. Quòd verò de facto res se ita habeat, constat non solùm ex paritate rationis, sed &, vt iam statim dixi, ex ipsâ status illorum conditione: sunt enim iam in termino, ideóque nihil operantur aut precantur vt aliquid de nouo mereantur, neque etiam eo fine suas Deo preces offerunt, vt mereantur, sed tantummodò velut familiares & domestici Dei, eique iam coniunctissimi propter sua quæ præcesserunt merita, pro aliis intercedunt. Quinimmò, si quid mererentur Beati, dum pro aliis orant illud ipsum mererentur quod postulant, quantumuis non impetrent. Non verò semper eos impetrare quod petunt vel vnum Angeli exemplum suffi-

Meritum ab impetratione, & ab impetratione meritum seiungi potest. — *In Christo res declaratur.* — Rom. 8. 1. Ioan. 2. — *Item in Sanctis.*

Sunt qui orãt non tamen merẽtur aut impetrant. Dan. 10. sufficientissimè probare potest, qui pro Israëlitico populo orabat, & tamen viginti tribus diebus, quibus illi Persarum regni princeps restiterat, nihil impetrauerat: nec tamen interim ea oratio Angeli fuit meritoria, quia nec merebatur sibi, neque etiam populo pro quo orabat.

20. Ceterùm vt ad ipsius impetrationis explicationem propiùs accedamus, obseruandum in primis est, petitionem seu orationem viuentium, præter meritum annexum, propriam etiam ac peculiarem aptitudinem ad impetrandum habere. *Orationi propriè inest vis impetrationis.* Nam petitio naturâ suâ ad hoc ordinatur, vt animum alterius inducat ad concedendum illud quod exposcitur; non quia emitur, nec quia soluitur, nec quia id quis meretur; sed solùm quia petitur & rogatur, quatenus nimirum consentaneum est bonitati vel liberalitati eius qui requiritur, moueri ad dandum, propterea solùm quia rogatur. Hoc itaque modo aptitudo ad impetrandum propria est orationis inter omnia virtutum opera. Vnde quamquam ceterarum quoque perfectionum actus, orationem iuuare possint ad impetrandum, quemadmodum sancti Patres aiunt, ieiunium atque eleëmosyna, eamque ceu duæ alæ in cælum subleuare; nihilominùs in aliis operibus bonis non inuenitur propriè impetratio absq; oratione, vt dictum est, nisi opera hæc eadem per modum quodammodò orationis, vt quidpiam à Deo impetrent, offerantur: nam illo etiam sensu omnis actus bonus oratio dicitur, prout è Capite XV. mox patebit. *Nõ verò aliis virtutũ actibus nisi in quantum ad orationem diriguntur.* Vt autẽ nulli dubium sit, orationem non meritoriam tantùm, sed & impetratoriam esse, ex D. Thomæ Aquinatis id verbis adstruendum est, qui cùm hanc propositionem posuisset, *Oratio non modò interiùs spiritualem consolationem adfert, sed etiam merendi & impetrãdi efficaciam præstat, cùm ex charitate mediâ religione procedat,* ita subiungit: *Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est, oratio præter effectum spiritualis consolationis quam præsentialiter adfert, duplicem habet virtutem respectu futuri effectus, scilicet virtutem merendi & virtutem impetrandi, in quantum procedit ex radice charitatis, cuius proprium obiectum est bonum æternum, cuius fruitionem meretur. Procedit verò oratio à charitate, mediante religione cuius est actus, vt dictum est, concomitantibus etiam quibusdam aliis virtutibus, quæ ad bonitatem orationis requiruntur, humilitate scilicet & fide: ad religionem enim pertinet, ipsam orationem Deo offerre, ad charitatem verò pertinet desiderium rei, cuius complementum oratio petit; fides autem est necessaria ex parte Dei quem oramus, vt scilicet credamus, nos ab eo posse obtinere id quod petimus; humilitas denique est necessaria ex parte ipsius petentis, qui suam indigentiam agnoscit. Est autem etiam necessaria deuotio: sed hæc ad religionem pertinet, cuius primus ipsq; necessarius actus est ad omnes consequentes, vt suprà iam dictum est. Efficaciam autem impetrandi habet ex gratiâ Dei quem oramus, qui etiam nos ad orandum inducit.* Vnde S. Augustinus: *Non nos hortaretur vt peteremus, nisi dare vellet.* Et Chrysostomus: *Numquam oranti beneficia denegat, qui vt orantes non deficiant, suâ pietate instigat.* E quibus manifestum euadit, orationem æquè esse impetratoriam & meritoriam; & colligi possunt eæ virtutes, per quas, si orationi coniunctæ fuerint, impetratio redditur efficacior. Possemus hæc latiùs deducere, sed quoniam Capite XV. specialis cõditionum impetratoriæ orationis instituetur tractatio, eò quæ dicenda forent reseruamus. Vnum interim, hic videndum, cui fides illa, quæ impetrationem causat, innitatur.

2.2. quæst.83. art. 15.

D. Thoma verbis asseritur orationi impetrationi conuenire.

Lib. de Verbis Domini.

Oratio infallibilem habet impetrationis promissionem. Asserunt Theologi, orationem habere peculiare promissum Dei, ratione cuius suo modo certa & infallibilis sit impetratio. Si namque spectemus solam rationem petitionis, habet quidem oratio ex illâ aptitudinem ad impetrandum, quæ appellari potest *sufficientia*, non tamen eam habet efficaciam quæ certum & infallibilem reddat effectum, quia non est causa necessitatem inducens, vt rectè dixit S. Thomas. 2.2.q.83. art.1. Vt ergo oratio habeat hanc efficaciam in impetrando, necessaria fuit promissio: hæc verò promissio frequenter in Scripturis reperitur, præsertim in nouo Testamento, vt: *Petite, & accipietis.* &: *Omnis qui petit, accipit.* item: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Matth. 7. & 11. Ioan. 16. Quin & in Lege antiquâ eiusmodi promissiones sunt obuiæ, vt: *Inuocabis me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Psal. 49. & ideò aiebat Dauid: *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me.* Psal. 65. vbi S. Augustinus, *Securi de pollicitatione ipsius non deficiamus orando. Et hoc ex beneficio ipsius est; proptereà dixit: Benedictus Deus meus, quia non amouit deprecationem meam, & misericordiam suam à me. Cùm videris à te non amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est amota à te misericordia eius.* Econtrà verò: *Ad te Domine clamabo; Deus meus ne sileas à me, ne quando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum.* Psalm. 27.

21. Certum porrò est, hanc promissionem Dei non esse omnino absolutam & infallibilem, absq; vllis adiunctis conditionibus; sed iis positis, omnino certam esse. *Suppositis tamen conditionibus certa huiusmodi promissio.* Istud, nimirum absq; conditionibus impetrationem non esse omnino & absolutè certam, docuit inprimis D. Augustinus, & inde probat, non omnia quę petuntur à Deo, concedi; Tract. 73. & 81. in Ioann. hocque signum esse ait, orationis vim & efficaciam non esse infallibilem, si careat debitis requisitis, quorum scilicet defectu non obtinetur quod petitur. Quòd si conditiones debitæ adsint, de quibus nos agemus Cap. XV. indubitatò sequitur effectus, cùm fidelis sit Deus, nec vllum promissorum eius sit dubium, iuxta illud: *Fidelis Deus in omnibus verbis suis.* &: *Fidelis est qui vocauit vos, qui etiam faciet.* &: *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem; fidelis est enim qui repromisit.* *Non esse sine illis certam probat S. Augustinus, certam cum illis Scriptura.* Psal. 144. 1. Thess. 5. Hebr. 10. Quæ vtique promissio certæ & infallibilis impetrationis non solùm locum habet in iis quæ viuentes pro se aliisque viatoribus postulant, sed mortuorum etiam liberationem concernit, constanter sic asserentibus sanctis Patribus. *Quod & locum habet in materiâ Purgandorum.* Videte quàm fidenter locutus sit D. Ioannes Chrysostomus, fusè admodum de oratione pro purgandorum liberatione agens: *Ne dubita*, inquit, *quin erit aliquis fructus suauis. Non temerè clamat Diaconus: Pro his qui defuncti sunt in Christo.* & paulò superiùs: *Non frustrà oblationes pro defunctis fiunt, non frustrà preces, non frustrà eleemosynæ; hæc enim Spiritus sanctus disposuit, volens vt nos mutuò iuuemus.* Homil. 21. in Acta. In quibus Chrysostomi verbis varia sunt quæ propositum nostrum haud parum illustrant. Primò, non esse dubitandum de effectu impetrationis eorum quæ pro mortuis offeruntur. *Ne dubita, quin erit aliquis fructus suauis.* Quare dictũ est, *aliquis fructus suauis?* quare non erit certò ille ipse quem postulas? Quia videlicet, etiamsi anima illa pro quâ petitio fit, in cælo sit vel in inferno, fructus tamen erit suauis alius, nimirum quoad alias animas quæ inde

Quàm multa his in Chrysostomi verbis annotanda.

inde iuuabuntur. Deinde. Sed vnde D. Chrysostomo tanta impetrationis certitudo? *Non temerè*, inquit, *clamat.Diaconus, Pro his qui defuncti sunt in Christo*.q.d. Hæc consuetudo ab vniuersalis Ecclesiæ approbatione (quæ etiam per Diaconum tunc sub sacrosancto Missæ Sacrificio promulgabatur) vim & testimonium habet. Tertiò, ne quis putaret, eamdem certitudinem haberi solùm sub ipso Sacrificio, quod ex opere operato effectum suum sortitur, adiungit, de precibus & eleemosynis idem esse sentiendum. *Non frustrà oblationes pro defunctis fiunt, non frustrà preces, non frustrà eleemosynæ.* hoc est, Non tantùm hæc impetrationis firmitas vera est quoad oblationes & Sacrificia, sed etiam quoad alias preces, etiam quoad eleemosynas. Quartò denique, ne quid huic probationi deesset, clarissimè exposuit, cuius hæc omnia auctoritate cõstent. *Hæc*, inquit, *Spiritus sanctus disposuit*. Ergo auctorem, ergo promissorem habent Spiritum sanctum, infallibilem inquam veritatem. At quo fine? *Volens vt nos mutuo iuuemus.* Medium itaque est, seu potiùs remedium vndequaque efficacissimum, vt nos mutuò iuuemus, imò ex voluntate, auctoritate, ordinatione, instigatione & promissione Spiritus sancti iuuemus.

22. Chrysostomo iungamus coæuum Augustinum, & duos insuper alios hisce antiquiores. Augustinus quidem sic ait: *Orationibus sanctæ Ecclesiæ, Sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro mortuorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari.* & inferiùs: *Non omnino ambigendum est, ista prodesse defunctis.* Gregorius Nyssenus, alter ex antiquioribus, sic scribit: *Nihil inconsultò atque incassùm à Christi præconibus & discipulis proditum est, & in omnibus Dei Ecclesiis obtinuit; verùm illud vtile ac Deo gratū, vt fiat memoria defunctorum.* Dionysius quoq; Areopagites hæc nobis suppeditat, Vota quæ Sacerdos facit pro mortuis, promissa esse à sanctis Eloquiis, Deo esse gratissima, ipsúmque se largitorem futurum promisisse. Modum iam inquiramus, quo ista defunctis prosint. Difficultas est, an pœna temporalis animabus Purgatorij remittatur gratis per impetrationem, de quâ agimus, propter orationes & merita aliorum iustorum, qui id à Deo impetrant, quantumuis ipsi proprias suas satisfactiones pro iisdem minimè offerant: quâ in re duas inter doctos obseruamus celebrari sententias. Prima statuit, hunc modum impetrationis atq; suffragij non tantùm esse possibilem, sed insuper, non posse nos animabus Purgatorij exhibere alium ad hunc effectum obtinendum. Et hanc video receptam apud illos Doctores, qui inter viuentes non admittunt alium satisfactionis vnius pro alio modum. hoc enim apud omnes ἀναντίῤῥητον est axioma, suffragia nostra non posse esse efficaciora ad impetrandum pro mortuis, quàm pro viuentibus. Hanc tamen sententiam, quam & à plerisque impugnari video, vt minùs probabilem prætereo. Alia igitur est sententia, quæ statuit, hũc modum gratuitæ remissionis per impetrationem, aliquando obtineri, quãuis etiam alius modus sit possibilis, per æquiualentem nimirum solutionem: eaq; reperitur asserta à *a* Caietano, *b* Nauarro, & *c* Durando, nititurque quinque admodum probabilibus rationibus. Prima est: Beati orant pro animabus Purgatorij, ergo eis obtinent remissionem alicuius pœnæ: non possunt autem obtinere per modum solutionis aut satisfactionis, quia iam sunt extra illum statum; ergo per modum impetrationis, adeò vt gratis fiat illa remissio. Secunda est: Ecclesia frequenter orat Deum, vt per suam misericordiam piissimam liberet animas Purgatorij ab illis pœnis, ergo intendit impetrare gratuitam pœnarum relaxationem. Tertia est: Theologi omnes tria suffragiorum genera distinguunt, scilicet Sacrificium Missæ, orationem, & ieiunium, in quo includuntur quælibet opera pœnalia: iam secluso Missæ Sacrificio, non possunt oratio & ieiunium aliâ ratione distingui, nisi quia oratio accipitur eo sensu quo per se remissionem pœnæ impetrat, absque æquiualente solutione; si enim hunc effectum non nisi soluendo consequeretur, id faceret velut opus pœnale & satisfactorium; ergo non oportebat illam specialiter nominare potiùs quàm eleemosynam aut ieiunium, vel alia eiusmodi: ergo Theologorum est sententia, orationem eam vim habere ex propriâ ratione impetrationis. Quarta est: Nulla hic est repugnantia, imò omnia sunt consentanea diuinæ liberalitati, & locutionibus phrasibusque & promissionibus sacræ Scripturæ de oratione, exempli causâ, *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, &c. Quinta & vltima hæc est: Non est amplius beneficium, remissio alicuius pœnæ temporalis, quàm concessio alicuius gaudij vel spiritualis consolationis; ergo si Deus liberaliter hoc beneficium animabus Purgatorij confert propter orationes viuẽtium, cur non etiam illud?

Serm. 34. de Verbis Apostoli.

D. Augustinus ait, non dubium Ecclesiæ suffragiis mortuos adiuuari.

In modo explicandi quo impetratio viuorũ mortuos iuuat, duplex Doctorum sententia.

Quænam nobis probabilior videatur.

a Tom. 1. Opusc. tract. 16. quæst. 5. *b* In Commen. de Iubileo 22. n. 15 *c* In 4. dist. 41 q. 1. n. 6.

Rationes quibus eadem probatur sententia.

23. Sententia hæc est admodum pia, valdè probabilis, &, si certis cum restrictionibus intelligatur, verior nobis & certior videtur. Quòd enim nonnullis incertus habitus aut suspectus fuerit huiusmodi impetrationis effectus, propterea quòd, secundùm illos, nullâ videatur niti satisfactionis compensatione, quam Iustitia vindicatiua & commutatiua ac distributiua requirunt, explicatu est facile, & solutionem haud difficulter admittit, si dicatur, ipsa opera impetratoria vices supplere operum aliorum pœnalium, atque sic satisfactionum adinstar habenda esse, prout loquitur D. Thomas, cùm ait: *Suffragia Ecclesiæ, sunt pro defunctis quædam satisfactiones viuentium vice mortuorum; & secundùm hæc mortuos à pœnâ absoluunt quam non soluerunt.* Vel potiùs si dicatur, impetrare vt satisfactiones, quæ defunctis alias applicari possunt, citiùs & efficaciùs applicentur. vbi & alia, quæ superiore Capite de Sanctis cum Christo regnantibus diximus, in viuentibus fidelibus locum sortiri possunt.

Quibus conditionibus præcedens opinio temperanda sit.

In 4. dist. 45. q. 3. art. 3. ad 6.

24. Porrò, quòd oratio defunctis etiam liberationem impetret, quamuis non per modum satisfactionis consideretur, ex ipsis qui contrarium sensisse, vel saltem pro oppositi fauore quædam argumenta adferre voluerunt, probari potest. Videri super eâ re potest R. P. Franciscus Suarez: qui postquam ostendisset, orationem potissimùm defunctis impetrare relaxationem à tormentis propterea quòd opus sit satisfactorium, imò in præcedentibus scripsisset, sibi non satis verosimile videri, Deum numquam remittere alicui pœnam pro peccatis debitam, nisi oblatâ seu applicatâ condignâ satisfactione, atque adeò numquam id facere omnino gratis, sed seruatâ Iustitiâ vindicatiuâ, commutatiuâ & distributiuâ, quatenus cum illâ coniunguntur; tamen in sequen-

Orationem vim impetrationis habere, ex contrà sentientium verbis probatur.

Tom. 4. disp. 48. de Suffragiis, sect. 6. n. 13.

ſequentibus & ipſe admittit, per orationem, quatenus impetratoria eſt, mortuis auxilium adferri. Quia enim in Iure Canonico orationes ſeu preces inter alia ſuffragiorum pro defunctis genera recenſentur, ita ſubiungit: *Sed hoc nihil obſtat, tum quia pars illa iam videtur communi conſenſu recepta, & acceptata, tum etiam quia per ſe probabilis eſt, tum denique quia, licet non ſub illis verbis, tamen in ſententiâ, multi antiqui Patres id docent. Nam Chryſoſtomus Homil. 41. ad Corinth. preces & eleemoſynas poſuit, & in Homil. 69. ad populum, maximè commendat ſacrificia: & hæc tria numerauit Auguſtinus Ser. 32. de Verbis Apoſtoli; Ieiunium verò etiam addidit Beda lib. 5. Hiſtor. Angl. c. 13. Frequentiùs tamen numerant Patres ſacrificia & orationes, vt patet ex Clemente ſuprà, & ex Ephram in ſuo Teſtamento, & Dionyſio de Eccleſ. Hierarch. c. vlt. Iſidoro 1. de Officiis, c. 18. Rabano 2. de Inſtitut. Clericorum, c. 44. Vnde addo vltimò, orationem ſpecialiter numerari, quia non ſolùm ſatisfacit, ſed etiam impetrat. Non tamen oportet vt impetret remiſſionem & liberationem omnino gratuitam: nam impetrare poteſt vel acceptationem, vel ſolutionem alio modo, vel ab aliis ſatisfactam, ſeu (quod idem eſt) auxilium, & prouidentiam vt fiat, vt iam ſatis explicatum eſt.* Imò & ex ipſo D. Thomâ clarum inter alia habemus argumentum, dum ſic ſcribit: *Operatio peccatoris ſuffragia facientis poteſt vno modo conſiderari vt eſt eius, & ſic nullo modo meritoria eſſe poteſt, nec ſibi nec alij; alio modo, in quantum eſt alterius, quod dupliciter contingit: vno modo, in quantum peccator ſuffragia faciens gerit perſonam totius Eccleſiæ, ſicut Sacerdos cùm dicit in Eccleſiâ exequias mortuorum. & quia ille intelligitur facere, cuius nomine vel vice fit, vt patet per Dionyſium in 13. c. Cæleſt. hierarch. inde eſt quòd ſuffragia talis Sacerdotis, quamuis ſit peccator, pro defunctis proſint.* E quibus D. Thomæ verbis colligitur, orationem non vt ſatisfactoriam ſolummodò, ſed & vt impetratoriam Purgatorij animabus opem ferre: certum enim eſt, in illâ oratione ſatisfactionem, cuius Sacerdos incapax eſt, non interuenire. De quâ re quia plura item P. Suarez, illius hic verba mutuabimus, quæ hunc in modum ab illo referuntur:

Cap. Animæ 13. q. 2.

Tom. 4. diſp. 48. de Suffragiis, ſect. 5. n. 13. paulò poſt med.

Docet id P. Franciſcus Suarez.

In 4. diſt. 45. q. 2. art. 1. ad 3. quæſtiunc.

Clarè etiam hac in parte S. Thomæ ſententia.

25. Duo verò neceſſe eſt in oratione diſtinguere, ſcilicet impetrationem, ſub quâ meritum de congruo inuoluimus; & ſatisfactionem propriam per modum condignæ ſolutionis. Meritum autem de condigno non habet hic locum; quia, vt ſupponimus, numquam inuenitur in purâ creaturâ reſpectu alterius: igitur quoad impetrationem non eſt dubium, quin oratio facta nomine Eccleſiæ, habeat vim impetrandi apud Deum, etiamſi miniſtri qui orant ſint in peccato, quia tunc non penſatur efficacia orationis ad impetrandum ex conditione proximi orantis, ſed ex dignitate principalis petentis, quæ eſt Eccleſia, vt ratio priùs facta probat. Neque contra hoc procedit dictum S. Gregorij, *Sollicitè formidandum, ne qui placare poſſe iram Dei creditur, hanc ipſe ex proprio reatu mereatur; cuncti enim liquidò nouimus, quia cùm is qui diſplicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.* nam loquitur de illo, qui propriâ auctoritate & vt perſona priuata intercedit. Quin potiùs non ſolùm oratio facta à miniſtro exiſtente in peccato, ſed etiam facta ab illo peccaminosè, poteſt eſſe hoc modo fructuoſa & impetratoria: quia oratio illa quoad ſubſtantiam bona eſt, & vt ſic fit nomine Eccleſiæ, & ideò non poteſt perſonalis malitia, quam miniſter adiungit, Eccleſiæ interceſſionem & impetrationem impedire. Vnde quoad hunc modum ſuffragandi per modum impetrationis facilis eſt doctrina D. Thomæ, qui numquam aliud explicuit, ſed ſolùm dixit, valere poſſe ſuffragia poſt hanc vitam ex opere operantis, & operato.

Diſp. 48. de Suffragiis, ſect. 6. n. 1.

Duo in oratione diſtinguenda ſunt.

In Paſtorali, p. 1. cap. 11.

Oratio facta à prauo Sacerdote nomine Eccleſiæ, vim habet impetrandi.

At verò quoad ſatisfactionem, & conſequenter quoad modum ſuffragij per modum ſolutionis ſeu ſatisfactionis, non videntur poſſe habere effectum ſuffragia Eccleſiæ quæ per malos miniſtros fiunt, etiamſi nomine Eccleſiæ ea facere dicantur; quia opus eſt ſatisfactorium, quatenus pœnale eſt, atque adeò quatenus eſt perſonale, & proprium talis perſonæ quæ per illud patitur. Opus autem quod fit à miniſtris Eccleſiæ relatum ad ipſam Eccleſiam, non habet rationem pœnalis operis; ergo vt ſic non eſt ſatisfactorium; ſolùm ergo eſt ſatisfactorium, quatenus eſt opus talis miniſtri operantis, nam ſolùm eſt pœnale vt relatum ad perſonam eius; ergo, ſi talis perſona ſit inimica Dei, non poteſt illud opus eſſe ſatisfactorium, quantum eſt ex opere operantis. In quo eſt magna differentia inter impetrationem & ſatisfactionem: nam impetratio fundatur in oratione, ſolùm vt eſt petitio, & ſignificatio voluntatis, & deſiderium Eccleſiæ, quæ, quatenus eſt vnum corpus myſticum, loqui poteſt per vnum vel alium miniſtrum, quæ locutio vt eſt ſignum quoddam per quod Eccleſia ſua deſideria repræſentat Deo, accipit ab illa quamdam dignitatem & efficaciam ad impetrandum, ſatisfactio verò, quæ per eamdem orationem fieri poteſt, fundatur in illâ quatenus opus pœnale eſt, ſub quâ ratione non refertur ad Eccleſiam, nec nomine illius ſuſtinetur, vt ſic dicam. Cuius etiam ſignum eſt, quia nulla alia opera pœnalia vel ſatisfactoria fieri ſolent ab Eccleſiâ per miniſtros ſuos ad ſatisfaciendum Deo nomine totius corporis, ſed tantùm orationes, vel ſacrificia, aut alia ſigna religioſi cultus. Et confirmatur, quia quando Eccleſiæ miniſtri ſunt iuſti, & publica ſuffragia ſeu orationes offerunt Deo, tale opus, vt eſt ab ipſis, ſatisfactorium eſt: illa verò ſatisfactio eſt perſonalis, & propria ipſorum operantium, quam ex vi ſui miniſterij non tenentur offerre pro alio. v. g. defuncto, pro quo talia ſuffragia fieri iubentur; nam ſine tali ſatisfactione poſſunt miniſtri ſuo muneri ſatisfacere, quantum eſt ex vi huius oblationis. Præter hanc verò ſatisfactionem non eſt alia quæ correſpondeat illi operi quatenus eſt, vt ſic dicam, totius Eccleſiæ operantis per miniſtrum, quia nihil eſt in quo poſſit fundari hæc ſatisfactio, tum propter rationem factam, quòd pœnalitas operis non ſpectat ad Eccleſiam vt ſic; tum etiam, quia tota ſatisfactio, quæ in illâ pœnalitate fundari poteſt, iam eſt exhibita ab ipsâ particulari perſonâ operante; ergo in his ſuffragiis, vt ſunt ab Eccleſiâ, nihil ſatisfactionis eſt quaſi ex opere operantis ipſius Eccleſiæ. 26.

Suffragium per modum ſolutionis à prauo Sacerdote nomine Eccleſiæ factum non habet effectum.

Diſcrimen inter impetrationem & ſatisfactionem.

Non ſolet Eccleſia alia quàm orationum ſuffragia, per miniſtros ſuos publicè offerre.

Ratio eſt quia alia ad ipſum miniſtrum, vt eſt particularis, ſpectant.

Ratio autem generalis huius conditionis eſt, quia qui eſt in peccato mortali, eſt omnino indignus omni remiſſione tam culpæ quàm pœnæ, & ideò non ſolùm eſt impotens ad propriam ſatisfactionem exhibēdam, ſed indignus ētiā vt aliena ei applicetur, vel pro eo acceptetur. Quâ ratione 27.

In mortali culpâ exiſtens non eſt capax ſatisfactionis.

 diximus

diximus in superioribus, etiam satisfactionem Christi non applicari vt habeat effectum ex opere operato in eo qui in statu peccati mortalis vel Sacramentum recipit, vel pœnitentiam iniunctam implet, vel sacrificium offert, aut pro eo offertur. Tandem est hic propria ratio, quia hæc communicatio suffragiorum fundatur ex parte hominum in vnione charitatis: ergo in his qui non sunt per charitatem vniti aliis iustis, non possunt hæc suffragia effectum habere; huiusmodi autem sunt qui gratiâ carent, ergo. Quocircà pactum illud, & promissio Dei, quam diximus in hoc negotio interuenire, intelligitur respectu amicorum, quia alij non sunt digni nec capaces huius Sacramenti. Et hoc ipsum fundari potest in valore morali, & proportione nostræ satisfactionis: Nam licet moraliter ad hoc valeat vt homini iusto & sancto remittatur tanta pœna temporalis, non verò vt remittatur homini inimico Dei; & ideò si pro illo offeratur, non est acceptatione digna. Imò qui scienter illam offerret, Deum ipsum offenderet. Aliud enim est, pro peccatore orare vt ei remittatur culpa per conuenientia auxilia, & ordinatas dispositiones; aliud verò, postulare vt manente statu culpæ, aliqua pœna remittatur, quod est inordinatum, & contra debitum talis status. Quod etiam ita declaratur: quia quilibet reatus pœnæ coniunctus peccato mortali secundùm præsentem iustitiam, fit æternus, & ideò per satisfactionem quamcumque temporalem tolli non potest. Neque in hac resolutione inuenio difficultatem alicuius momenti.

28\. *Quæritur vtrùm reuiuiscat satisfactio, peccatore ad pœnitentiam conuerso, & pars negatiua defenditur.*

Quæri verò potest, an illud suffragium acceptetur à Deo, vt saltem posteà, si ille homo resurgat, & tollatur impedimentum peccati, ei prosit talis satisfactio, ad eum modum quo dicunt Theologi dari effectum Sacramenti, vel satisfactionis sacramentalis, recedente fictione. Respondeo, non posse hoc in præsenti affirmari cum sufficienti fundamento: quia nullo testimonio vel ratione probari potest, Deum acceptare talem satisfactionem pro tali personâ in huiusmodi euentu; neque etiam hoc est debitum ex naturâ rei satisfactioni oblatæ pro illo qui est in peccato mortali: & ideò non censeo esse illi fructuosam talem satisfactionem, quando à peccato resurgit. Imò satisfactio oblata pro iusto, qui solùm habet culpas veniales nondum remissas sine alio reatu pœnæ, neque illi tunc prodest, neque illi seruatur in acceptatione diuinâ, vt post remissam culpam venialem, incipiat illi prodesse ad solutionem pœnæ; quia nec propria satisfactio prodest hoc modo ipsimet homini iusto, vt suprà visum est; ergo nec satisfactio oblata pro homine existente in peccato mortali, potest illi prodesse modo prædicto. Atque hæc de altero bonorum operum fructu; iam ad tertium, qui est satisfactio, & maximè ad animarum purgandarum liberationem facit.

29\. *In 4. dist. 15. q. 1. art. 2. Tradimus ad satisfactionem explicandam & S. Thomæ verba proponuntur, quærentis vtrùm homo Deo satisfacere queat.*

Doctor Angelicus, postquam argumenta sibi nonnulla obiecisset, ex quibus negari posse videbatur, hominem Deo posse satisfacere, ita concludit: *Sed contrà. Sicut Hieronymus dicit, Qui dicit, Deum aliquid impossibile homini præcepisse, anathema sit: sed satisfactio est in præcepto, Lucæ 3. Facite dignos fructus pœnitentiæ; ergo possibile est Deo satisfacere. 2. Præterea, Deus est magis misericors quàm aliquis homo: sed homini possibile est satisfacere; ergo & Deo. 3. Præterea, Debita satisfactio est, cùm pœna culpæ æquatur, quia iustitia est idem quod contra-passum, vt Pythagorici dixerunt: sed contingit æqualem pœnam sumere delectationi quæ fuit in peccando; ergo contingit Deo satisfacere.* Hæc D. Thomas, qui & plura alia habet, vt clariùs explicet, quo modo verè dicamur Deo satisfacere. sic enim inquit: *Respondeo, prætereà dicendum, quòd, sicut suprà dictum est, dupliciter homo Deo debitor efficitur, vno modo, ratione beneficij accepti; alio modo, ratione peccati commissi: & sicut gratiarum actio, vel latria, vel si quid est huiusmodi, respicit debitum accepti beneficij, ita satisfactio respicit debitum peccati commissi. In his autem honoribus qui sunt ad parentes & deos, etiam secundùm Philosophum impossibile est æquiualens reddere secundùm quantitatem, sed sufficit vt homo reddat quod potest; quia amicitia non erit æquiualens nisi secundùm quod possibile est. Et hoc etiam æquale est æqualiter, scilicet secundùm proportionalitatem: quia sicut se habet, quod Deo est debitum, ad ipsum Deum; ita hoc quod iste potest reddere, ad eum; & sic aliquo modo forma iustitiæ seruatur; & similiter est ex parte satisfactionis.* Vnde non potest homo satisfacere, si *ro satis* æqualitatem quamdam importet. Contingit autem si importet æqualitatem proportionis, vt dictum est; & hoc sicut sufficit ad rationem iustitiæ, ita sufficit ad rationem satisfactionis.

Duplex eius ab illo allatus modus.

30\. *Neque pro seipso solùm, sed & pro aliis homo satisfacit.*

Nec hisce satisfactum quæstioni arbitratus fuit Doctor Angelicus, sed insuper docuit, hominem non solùm pro seipso satisfacere posse, sed & vsque adeò Deum esse liberalem, vt vnius pro altero satisfactionem acceptet. Quæ sanè doctrina perinde atque quæ præcessit est Catholica, & æquè hæreticorum nostrorum heterodoxiam prosternit. En ipsa Doctoris verba: *Galatarum sexto dicitur: Alter alterius onera portate; ergo videtur quòd vnus possit onus pœnitentiæ impositæ pro alio suscipere. 2. Prætereà charitas magis potest apud Deum quàm apud homines; sed vnus potest apud homines pro alterius amore debitum eius soluere, ergo multò fortiùs hoc in diuino iudicio fieri potest.* Insuper in responsione dicendum esse ait, ad duo prodesse pœnam satisfactoriam, ad solutionem nimirum debiti, & ad medicinam pro peccato vitando. En iterùm verba: *In quantum est ad remedium sequentis peccati, sic satisfactio vnius non prodest alteri, quia ex ieiunio vnius caro alterius non domatur, neque ex actibus vnius alius benè agere consueuit, nisi secundùm accidens, in quantum aliquis per bona opera potest alteri mereri augmentum gratiæ, quæ efficacissimum remedium est ad peccatum vitandum. sed hoc est per modum meriti magis quàm per modum satisfactionis. Sed quantum ad satisfactionem debiti, vnus potest pro alio satisfacere, dummodò sit in charitate, vt opera eius satisfactoria esse possint. Nec oportet quòd maior pœna imponatur ei, qui pro altero satisfacit, quàm principali imponeretur, vt quidam dixerunt, hac ratione moti, quia pœna propria magis satisfacit quàm aliena; quia hæc habet vim satisfaciendi maximè ratione charitatis quâ homo ipsam sustinet, & quia maior charitas apparet in hoc quòd aliquis pro altero satisfacit quàm si ipse satisfaceret, ideò minor pœna requiritur in eo qui pro alio satisfacit, quàm in principali requireretur. Vnde dicitur in Vitis Patrum, quòd propter charitatem vnius, qui alterius fratris sui charitate ductus, pœnitentiam fecit pro peccato quod commiserat, alteri peccatum quod commiserat*

In 4. dist. 20. q. 1. art. 2. quæstione 3.

Verba pro hac re doctrinâ S. Thomæ.

miseret dimissum est. Ita Doctor Angelicus, cuius verbis adeò prolixè vsi sumus, quia rei substantiam, quam pertractamus, non minus clarè quàm solidè proponit: conformia, quæ pro hac re alij sancti Patres atque ipsæ etiam Scripturæ sacræ tradiderunt, commodiori loco, cũ Capite XXVI. & sequentibus de Indulgentiis acturi sumus, reseruantur. interim priusquam ex eodem D. Thomà doceamus, qualia opera satisfactoria esse debeant, nonnullas, quæ circa hanc rẽ inter Scholasticos agitantur, disputationes Lectori insinuamus.

Disputatio Scholastica, orta quanam ad opus satisfactorium requirantur.

31\. *Sententia prima.*

Prima itaque opinio nonnullorum hæc est, quodcumque bonum opus, modò sit meritorium gratiæ, simul etiam esse ex suâ naturâ satisfactorium, quantumuis nihil omnino pœnalitatis habeat, vt loquuntur. Sic nimirum opinantur a Victoria, b Soto, c Ledesma, & innuit d Medina. Vt hanc opinionem confirment, hanc rationem adferunt: Qui potest maius, potest & minus: atqui opus hoc, quod supponitur potest maius, mereri scilicet gratiam & gloriam; ergo & minus, quod est satisfacere pro pœnâ. Verùm ratio hæc exigui est ponderis: æquè enim inde inferre possem, nos per quodlibet opus bonum promereri posse bona temporalia, quæ & ipsa longè sunt minora quàm gratia & gloria; quod tamen verum non est. Negandum itaque Maiorem vniuersaliter & semper esse veram: in iis enim quæ diuersarum rationum sunt, non potest id quod potest maius, statim efficere id quod est minus. Fuit qui negare voluerit hanc responsionem hîc habere locum, dicens, quòd remissio temporalis pœnę dirigatur ad prẽmium meritorum consequendum, impedimentumque eius tollat, ac proinde non sit diuersæ omnino rationis, sed quòd ad illud reducatur prout ad illud dirigitur; ideoque omne opus quod ad gloriæ meritum valet, valere itidem ad congruam pro temporali pœnâ satisfactionem. Sed responderi facillimè potest, aliud esse, augeri gloriam intensiuè; aliud, consecutionem eius promoueri, seu temporalia illius obstacula & impedimenta, quibus consecutio eiusdem retardetur, auferri. Quamuis igitur opera meritoria mereantur augmentum gratiæ & gloriæ, non tamẽ proinde merentur temporis accelerationem aut temporalis obstaculi amotionem, quia diuersarum sunt rationum; & vnum non propriè dirigitur ad aliud: alioquin quoties gratia & ius ad gloriam augetur, reatus quoque temporalis pœnæ minueretur, quod falsum est. Altera sententia est eorum, qui opinantur, satisfactionem ordinariè fieri solummodò per opera pœnalia, Deum tamẽ verosimiliter etiam quidpiam pœnæ remittere, idque propter aliquod perfectum charitatis opus, cùm magis hæc ipsi arrideat quàm punitio. Ita sensisse videntur a Scotus & b Gabriel.

a In Summâ n. 101.
b Dist. 19. q. 2. art 2.
c Quæst. 14. art. 2. dub 1.
d Tract. 3 q. 4.

Minor probatur & argumenta diluuntur.

Altera sententia adducitur.
a Dist 5. q. 1. § De tertio dico.
b Dist. 15. q. 2. a 1. notabili 1.

32\. *In 4. dist 15 q 2 a. 5. quæstiunc 1.*

Tertia S Thomæ opinio, non fieri opus satisfactorium nisi pœnale sit.

Tertia & verior sententia est, satisfactionem tantummodò fieri per opus pœnale quatenus est tale. Atque ita docuit D. Thomas, qui disertè ait, non fieri satisfactionem per opus bonum, nisi illud sit pœnale. Cùm enim eo in loco obiecisset sibi nonnulla argumenta, è quibus probari videbatur, satisfactionem nõ oportere fieri per opera pœnalia, tandem ita concludit: *Sed contra est quod Gregorius dicit, Iustum est vt peccator tantò maiora sibi inferat lamenta per pœnitentiam, quantò maiora intulit damna per culpam. Deinde, per satisfactionem oportet sanari vulnus peccati perfecti: sed peccatorum medicinæ sunt pœnæ, vt Philosophus dicit in 2. Ethicor. ergo oportet quòd per pœnalia opera satisfactio fiat.* Et infrà in responsione ait: *Dicendum quòd satisfactio, vt dictum est, respons um habeat ad præteritam offensam, pro quâ recompensatio fit per satisfactionem; & etiam ad futuram culpam, à quâ per eam præseruamur. Et quantũ ad vtrumque, exigitur quòd satisfactio per opera pœnalia fiat: recompensatio enim offensæ importat adæquationem, quam oportet esse eius qui offendit ad eum in quem offensa commissa est. Adæquatio autem in humanâ iustitiâ attenditur per subtractionem ab vno qui plus habuit iusto, & additionem ad alterum cui subtractum est aliquid. Deo autem quamuis, quantum ex parte suâ est, nihil subtrahi possit, tamen peccator, quantum in ipso est, aliquid ei subtrahit peccando, vt dictum est: vnde oportet ad hoc quòd recompensatio fiat, quòd aliquid subtrahatur à peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat. Opus autem bonum, ex hoc quòd est huiusmodi, non subtrahit aliquid, sed magis perficit ipsum; vnde subtractio non potest fieri per opus bonum nisi pœnale sit. Et ideò ad hoc quòd aliquod opus sit satisfactorium, oportet quòd sit bonum, vt in honorem Dei cedat; & pœnale, vt aliquid peccatori subtrahatur. Similiter etiam pœna à culpâ futurâ præseruat, quia non facilè homo ad peccata redit, ex quo pœnam expertus est. Vnde, secundùm Philosophum, pœnæ medicinæ sunt.* Hucusque Doctor Angelicus; qui tamen non solus hanc sententiam, nimirum ad satisfactionem aliquâ pœnalitate opus esse, est amplexus, sed eamdem quoque tradiderunt a D. Bonauentura, b Richardus, c Durãdus, d Paludanus, e Maior, f Alensis, g Adrianus, h Siluester, i Viguera, &, licet obscurissimè, k Henriquez: eiusque fundamentum est, quòd iustitiæ ratio postulet, vt culpa per pœnam compensetur. Qui enim peccat, quantum quidem in se est, Deum bono suo illicitè priuat, ideoque ei satisfacere debet, semet nimirum priuando commodo aliquo delectabili vel vtili, in quo pœna consistit. Aduertendum igitur est, aliud esse, dum quærimus, An omne opus bonum sit satisfactorium quasi materialiter, eò quòd semper etiam sit pœnale; aliud verò dum quærimus, An vim satisfaciendi habeat ex ipsâ pœnâ, ita vt, illâ ablatâ, simul auferatur valor ad satisfaciendum, quantumuis adsint reliqua. Aduertendum pariter, quærere, An remissio pœnæ in hac vitâ possit comparari solummodò per modum satisfactionis, quæ propriè esse intelligitur, dum vna pœna per alteram compensatur; non esse perinde ac quærere, An per modum meriti possimus eam remissionem pœnæ obtinere, de quo commodiùs à nobis agetur infrà Capite XXV.

Illius verba abundè referuntur.

Idem sentiunt alij Patres.
a Part. 2. art. 1. q. 3 ad 4.
b Art. 1. q. 2.
c Quæst. 5.
d Quæst. 3.
e Quæst. 1. dub. 2.
f Part. 4 q. 84 aliàs 22. mem. 2 art. 1.
g Quæst. vlt. de Satisf.
h v. Satisfactio.
i Cap. 16. § 4. vers. 21.
k Quodlib. 8. q. 18.

Et hæc quidem de satisfactione modò sufficerent, nisi vtiliter etiam adiungendum foret, quænam illa potissimùm opera sint, quibus ex mente SS. Patrum, atque Ecclesiæ auctoritate, imò SS. Litterarum expressâ voluntate, satisfactio compleri atque perfici consueuit. Quoad Scripturas diuinas, ex iis suo loco opera, quæ ad satisfactionem sunt idonea, suam habebunt probationem; modò generatim inquirimus, quænam & quot operum satisfactoriorũ species à Scholasticis communiter enumerentur, vbi omnium reliquorum nomine verba faciat S. Thomas, Scholasticorum coryphæus, qui, opera satisfa- 33.

Quot sint operum satisfactoriorum species

Reducuntur illa ad tres potissimè. In 4. dist. 15. q. 1. art. 4. quæst. 3.

ctoria ad hæc tria, nimirum eleemosynam, ieiunium, & orationem reduci, non solùm adstruit, sed & pluribus & pulchrè admodum explicauit. Verba eius hæc sunt: *Satisfactio, vt dictum est, debet esse talis, per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei. Nos autem non habemus nisi tria bona, scilicet bona animæ, bona corporis, & bona fortunæ seu exteriora. Ex bonis quidem fortunæ subtrahimus aliquid nobis per eleemosynam, sed ex bonis corporalibus per ieiunium: ex bonis autem animæ non oportet quòd aliquid subtrahamus nobis quoad essentiam, vel quantum ad diminutionem ipsorum, quia per ea efficimur Deo accepti, sed per hoc quòd ea submittimus Deo totaliter; & hoc fit per orationem. Competit etiam iste numerus ex parte illa qua satisfactio peccatorum causas exscindit: quia radices peccatorum tres ponuntur, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorũ, & superbia vitæ. Et contra concupiscentiam carnis ordinatur ieiunium, contra concupiscentiam oculorum eleemosyna, contra superbiam vitæ oratio, vt Augustinus super Matthæum. Competit etiam quantum ad hoc, quòd satisfactionis est, peccatorum suggestionibus aditum non indulgere: quia omne peccatum vel in Deum committitur, & contra hoc ordinatur oratio; vel in proximum, & contra hoc eleemosyna; vel in nosipsos, & contra hoc ordinatur ieiunium.* Ecce quàm insigniter Doctor Angelicus, qui & plura addit quæ nostrum propositum egregiè stabiliunt. In responsione igitur ad quartam obiectionem, *Dicendum*, inquit, *quòd quamuis sint multa peccata in specie, tamen omnia ad illas tres radices, vel ad illa tria peccatorum genera, quibus diximus dictas satisfactiones respondere, reducuntur.* Et ad quintam ait: *Dicendum, quòd quidquid ad afflictionem corporis pertinet, totũ ad ieiunium refertur; & quidquid ad proximi vtilitatem expenditur, totum eleemosynæ rationem habet; & similiter quæcumque latria exhibeatur Deo, orationis accipit rationem: & ideo etiam vnum opus potest habere plures rationes satisfaciendi.* Ex his itaque Angelici Doctoris verbis sufficienter elicitur, quæcumque satisfactionis exercitia meritò ad eleemosynã, ieiunium & orationem referri. De quibus quoniam singulatim per distincta Capita postmodum sumus acturi, vnam tantummodò hîc quæstionem addimus: Vtrùm ea quæ ex hisce pro mortuis fiunt, ex iustitiâ de condigno eisdem applicentur?

Sed & insigniter explicatur à S. Thomâ. 1. Ioan. 2.

Notanda etiam hæc adiuncta.

34. *Vtrùm quæ mortuis applicantur, eis ex iustitiâ de condigno, vt vocãt, applicentur.*

Huic quæstioni vt solidè respondeamus, notandum est, communem Theologorum esse sententiam, quòd opera nostra sint satisfactoria ex iustitiâ & de condigno pro illâ pœnâ Purgatorij quæ per se respondet peccato non plenè remisso. Ratio & fundamentum huius assertionis hoc est. Ad meritum de condigno nihil aliud requiritur quàm dignitas operantis, proportio operis, & promissio Dei sub conditione talis operis, cùm ex illâ promissione, & eius vi, opere posito, oriatur debitum seu obligatio iustitiæ. Atqui omnia hæc & singula concurrunt in satisfactione nostrâ pro mortuis, vt facilè cuiuis patet, & haud difficulter probari posset: ergo satisfactio nostra ex condigno defunctos iuuat. Geminam item confirmationem assignant Doctores, quarum prima est, quòd is qui pœnam lege statutam exoluit eo modo quo eam legislatoris mens, intentio & voluntas sanciuit, condignè eidem satisfaciat: at verò peccatis nostris ex lege diuinâ non simpliciter & absolutè impositam esse pœnam Purgatorij, sed velut conditionaliter & disiunctiuè, vt loquuntur, hoc est, subeundã esse vel illam in futuro sæculo, vel aliquam aliam in hac vita quæ sit moraliter proportionata & æquiualens: ergo qui alterám harum pœnarũ luit, satisfacere legi Dei, & consequenter ex iustitiâ & de condigno. Confirmatio altera hæc est, quòd, eâ lege positâ, Deus nullâ ratione, neque etiam de potentiâ absolutâ, possit imponere pœnam Purgatorij illi qui hac in vitâ satisfecerit. Non negant posse, quatenus supremus est Dominus omnium, tali eum malo, quale est illa pœna Purgatorij, affligere; negant tamen posse, quatenus est iustus iudex, id facere per modum pœnæ; hoc est propter culpã, eò quòd haud magis eâ pœnâ dignus sit quàm si culpam numquam commisisset, vt qui nullam debuerit pœnã nisi eam quæ lege statuta fuerit, & quam iam dudum sustinuerit: quemadmodum etiam anima, quæ in Purgatorio exsoluit integrã pœnam quæ peccato cuiquam veniali debebatur, non potest denuò puniri propriè, quamuis de potentiâ Dei absolutâ tormentum illud pati & sentire possit.

Opinionis affirmatiuæ adferuntur rationes.

Aliud est Deum quidquam posse vt est omnipotens, aliud vt iudex iustus.

35. *Quando pœna est accidentalis, satisfactio non est infallibilis.*

Notandum est secundò, iustum, quando pœna est accidentalis, seu extra ordinem aduenit, non posse pro illâ condignè satisfacere; imò neque quidpiam facere, cuius intuitu certò & infallibiliter eiusdem pœnæ absolutionem consequatur. Obseruandum tamen, hanc pœnam, quam accidentalem seu extraordinariam vocamus, semper esse huius vitæ, eamque vel non esse absolutâ Dei voluntate definitam, & tum posse oratione impediri, & per opera nostra eius remissionem impetrari, vt variis è sacrâ Scripturâ petitis exemplis probat D. Gregorius; vel esse absolutam & definitam ex sententiâ Dei, eamque non mutari, vel saltem omnino difficulter, quidquid etiam homo faciat. Sic nimirum Dauid, quamuis multùm lachrymaretur pro vitâ filiolo obtinendâ, exauditus non est, quia definitâ Dei iam & decretoriâ sententiâ per mortem illius pueruli puniendus erat. Nec Dauid hoc videtur ignorasse, ideò dicit, *Quis scit si forrè donet mihi eum Dominus?* vbi illud *forte* incertitudinem ostendit; quæ item particula apud Ionam Prophetam reperitur. & eodem sensu intelligi potest illud Ioelis, *Quis scit si conuertatur & ignoscat?* Videatur D. Augustinus variis in locis, qui & hoc ipsum Dauidis exemplum adducit. Plura huc spectantia commodioribus locis reseruamus: iam de conditionibus ad satisfaciendum necessariis tract[ati]onem instituimus.

Lib. 16. Moral. c. 14.

2. Reg. 12. Ionæ 3. Ioel 2. Lib. 2. de Peccat. merit. & remiss. c. 34. Lib. 2. Contra Faustum, c. 67. & Tract. 124. in Ioannem.

CAPVT XIV.

Quænam, vt viui defunctis, suis satisfactionibus prodesse possint, requiratur dispositio.

1. *Quidam auctores opinati sunt hominẽ peccatorem pro pœna peccati temporali posse satisfacere.*

FVIT nonnullorum Theologorum sententia, hominem peccatorem, & gratiâ Dei destitutum, Deo pro temporali pœnâ peccatis remissis debitâ satisfacere posse. Ita opinati sunt *a* Scotus, *b* Maior, *c* Gabriel, *d* Medina, & *e* Nauarrus: & hoc vtuntur fundamento, quòd pœna temporalis sit finita, adeoque,

a In 4. dist. 15. q. 1. art. 2.

b Quæst. 1. c Dist. 16. q. 1. ar. 3. dub. 3. d Tract. 3. q. 5. dub vlt. e De Pœn. c. 1. d. 6. n. 27.

que, vt ipsi colligunt, cõpensari possit per æqualem pœnam, absque gratiâ vel dignitate personæ patientis. Omnino tamen cum Angelico Doctore affirmamus, eum qui in peccato mortali existit, nullatenus pro temporali pœnâ posse satisfacere. Audiamus eius verba: *Contrà, inquit,* postquam præmisisset quæ in contrarium facere possent, *Prouerb.* 10. *Vniuersa delicta operit charitas: sed sanctificationis virtus est delere delicta; ergo sine charitate non habet suam virtutem. Prætereà, Præcipuum opus in satisfaciendo est eleemosyna: sed eleemosyna extra charitatem facta non valet, vt patet* 1. *Cor.* 13. *Si distribuero in cibos pauperum, &c. Ergo nec satisfactio aliqua est.* Et infrà, *Pro responsione dicendum, ait, quod quidam dixerunt, quòd postquam omnia peccata per pœnitentiam & contritionem remissa sunt, si aliquis ante satisfactionem peractam in peccatum decideret, & in peccato existens satisfaciat, quòd satisfactio ei valeat, ita quòd si in peccato moreretur, in inferno de illis peccatis non puniretur. Sed hoc non potest esse, quia in satisfactione oportet quòd amicitia restituta iustitiæ æqualiter restituatur, cuius contrarium amicitia soluit, vt Philosophus in* 8. *Ethic. dicit. Aequalitas autem in satisfactione ad Deum non est secundùm æquiualentiam, sed magis secundùm acceptationem eius, vt est dictum: & ideò oportet, quòd etsi iam offensa sit dimissa per præcedentem contritionem, quòd opera satisfactoria sint Deo accepta, quod dat eis charitas; & ideò sine charitate opera facta non sunt satisfactoria.* Ita Doctor Angelicus, quem in hac sententiâ sequitur vniuersa pænè Theologorum schola, a Bonauentura, b Richardus, c Durandus, d Paludanus, e Alensis, f Marsilius, g Henriquez, h Antoninus, i Adrianus, k Caietanus, l Soto, m Petrus Soto, n Victoria, o Ledesma: atque idipsum Concilij Tridentini decreto tam est certum, vt de eo dubitare, vel contrarium asserere, pænè dixerim esse hæreticũ: En verba Tridentini: p *Qui ex nobis tamquam ex nobis nihil possumus, cooperante qui nos confortat, omnia possumus, vt omnis gloriatio nostra in ipso sit in quo viuimus, in quo mouemur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* vbi Concilium apertè definit, satisfactionem hanc non esse opus nostrarum virium, sed esse opus gratiæ datæ per Christum Iesum, à quo omnis nostra sufficientia est. Et manifesta ratio pro hac sententiâ pugnat: pœnæ enim vitæ huius per se nudè sumptæ nullam proportionem habent cum pœnâ vitæ futuræ, ac proinde per se non habent valorem vt illam remittant, adeoque necessaria est gratia à quâ hunc valorem accipiant.

In 4. dist. 15. qu. 1. art. 3. quæst. 2. *Contrarium tamen cum Doctore Angelico adstruimus.*

S. Thomæ quot in hac parte sequaces.

a Art. 1. q. 3. b Art. 1. q. 5. c Quæst. 2. d Quæst. 3. e Part. 4. q. 85. memb. 1. f In 4. q. 11. art. 2. g Quodlib. 8. q. 18. h P. 3. tit. 14. c. 10. §. 2. i Quæst. 1. de Satisf. k Tom. 1. Opuscul. tract. 6. q. 2. l Dist. 19. q. 1. art. 4. m Lect. vlt. de Satisf. n Num. 201. o In 4. q. 13. a. 2. & 3. p Sess. 14 c 8.

2. Hæc omnia cùm locum habeant quoad satisfactionem Purgatorij animabus applicabilem, non absque ratione, antequam singulorum operum satisfactoriorum explicationem aggrediamur, præmittendum nobis est, quomodo vnusquisque, qui fortè in statu peccati mortalis existit, sese in statum gratiæ reducere atque asserere possit. Proderit hoc multum, vt non frustrà animas iuuare studeamus, ne frustrà eleemosynas pro iis erogemus, frustrà nos ieiuniis aliisque pœnitentialibus exercitiis conficiamus, ne incassùm oremus, peregrinationes obeamus, aut sacras Indulgentias lucrari annitamur: pro quibus omnibus, vt in singulis ostensuri sumus, status gratiæ ita necessarius est, vt extra illum nihil penitus defunctis prodesse valeamus. Fundamentum itaque reliquorum, quæ per plurima subsequentia Capita sumus allaturi, præsens Caput futurum est: & hoc quidem tantò prudentiùs faciemus, quantò est certius, absque solido fundamento ædificium aliquod non posse subsistere, sed omnia, quæ superstruuntur, esse collapsura & corruitura. Lectorem ergo nostrũ hîc attentum esse velim, eò quòd Caput præsens non solùm doctrinam tradat, quæ particularem aliquam siue vnam tantùm pro purgandis animabus proponat materiem, sed capita & puncta alia omnia (exceptis iis quæ ex opere operato gratiam generant, vtputa sacrosanctum Missæ Sacrificium) quadamtenus concernat & comprehendat. Absque gratiæ enim amissæ recuperatione, vti sæpiùs iam diximus, & in singulorum satisfactionis operum explicatione latiùs patebit, non est quòd speremus aut adlaboremus Purgatorij spiritus suis tormentis eximere. Quâ ergo viâ à peccatis ad iustitiam, ab inimicitia Dei ad ipsius gratiam redire poterit quis? Non aliâ profectò quàm per pœnitentiam, quæ, secundùm communem SS. Patrum ac Scholasticorum descriptionem, *secunda est post naufragium tabula,* cuius necessitas atque vtilitas mirum quantum à Patribus & Scripturâ commendata fit. Nos, quia breuiter hanc rem expositam volumus, ex sacrosancto inprimis Concilio Tridentino, Pœnitentiæ necessitatem omnibus post Baptismum in peccatum relapsis impositam esse, adstruimus. Verba Concilij sunt hæc: *Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, vt iustitiam, in Baptismo ipsius beneficio & gratiâ susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, diues in misericordiâ, cognouit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese posteà in peccati seruitutem, & dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem pœnitentia vniuersis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quouis tempore ad gratiam & iustitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petiissent, vt, peruersitate abiectâ & emendatâ, tantam Dei offensionem, cum peccati odio, & pio animi dolore, detestarentur. Vnde Propheta ait: Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dixit: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Et princeps Apostolorum Petrus peccatoribus Baptismo initiandis pœnitentiam commendans, aiebat: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm.* Ex quo patet, non in Euangelicâ solùm lege, sed etiam ante illam, apud antiquos olim Patres necessariam fuisse pœnitentiam eis qui in peccatum aliquod enorme aut lethale prolapsi fuissent. Quod vsque adeò verum est, vt sicut Prophetæ atque Apostoli multiplici id testimonio confirmarunt, ita & ipsemet omnium Magister & Dominus seuerâ comminatione eamdem negligentes exterruerit: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Vt ergo peccatores omnes, quantumuis magni, faciliùs iuuarentur, & ad criminum suorum indulgentiam peruenirent, inter alia quæ medendis animarum vulneribus Christus Sacramenta instituit, Pœnitentiam numerari voluit, eamque ob causam

Meritò igitur antequã reliqua quibus à viuis mortuis iuuantur, adferantur, præmittitur digna dispositionis descriptio.

Quàm Lectorem in præsenti Capite attentũ esse conueniat.

Quantoperè sit à Patribus & Scripturis commendata pœnitentia.

Sess. 14 c. 1.

Quænam ex sacrosancti Tridentini Concilij verbis eliciendæ.

Luc. 13.

Pœnitentia nouâ in Lege ad Sacramenti dignitatem euecta.

causam ad Sacramentalem illam dignitatem euexit. Cōcilij Tridentini in rei huius probationem porrò audiamus discursum. Porrò, inquit, *nec ante aduentum Christi pœnitentia erat Sacramentum, nec est post aduentum illius cuiquam ante Baptismum. Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflauit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, vniuersorum Patrum consensus semper intellexit. Et Nouatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magnâ ratione Ecclesia Catholica tamquam hæreticos explosit atque condemnauit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei & Christi Euangelium annuntiandi, contra huiusmodi Sacramenti institutionem falsò retorquent.* Quin & hæc addidit: *Si quis dixerit, in Catholicâ Ecclesiâ Pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis à Christo Domino nostro institutum, anathema sit.*

Quibus id probet Concilium Tridentinum.

Canon. 1.

3. Nulli itaque Catholico dubium est quin Pœnitentia Sacramentum sit, quod & aduersus Nouatores nostros, nouos inquam Nouatianos, paulò inferiùs, cùm de Sacramentali confessione acturi sumus, ad oculum ex sacris Litteris, & antiquæ Christi Ecclesiæ Scriptoribus demonstrabimus: modò Sacramenti eiusdem naturâ conditionesque explicabimus. Est igitur Pœnitentia Sacramentum nouæ Legis, in quo Sacerdotalis absolutio à peccatis, quæ detestatus riteque confessus quis fuerit, impenditur. Duabus veluti partibus essentialibus constat, materiâ & formâ. Materia tribus iterùm partibus constat, quæ nimirum sunt actus pœnitentium, contritio, confessio, satisfactio; de quibus ita sacrosanctū Concilium Tridentinum: *Sunt autem quasi materia huius Sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio & satisfactio. Qui quatenus in pœnitente, ad integritatem Sacramenti, ad plenamq́; & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* Additque posteà: *Si quis negauerit, ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantùm esse pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Euangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata, anathema sit.* Similiter Concilium Florentinum: *Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cuius quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes: quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet vt doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Secunda est oris confessio, ad quam pertinet, vt peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium Sacerdotis, quæ quidem præcipuè fit per orationem, ieiunium & eleemosynam.* Hæc Conciliorū & Romanæ Ecclesiæ doctrina sanctorum

Quibus partibus essentialibus Pœnitentia Sacramentum constet.

Sess. 14. cap. 3.

Canon. 4.

Tres pœnitentis actus, contritio, confessio, satisfactio.

Vt è Tridentino ad Concilio probatur, ita & ex Florentino.

Patrum calculo est conformis. S. Ioannes Chrysostomus, qui vnus omnium instar erit, ita loquitur: *Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre: in corde eius contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas.* Partes hæ sigillatim a nobis explicandæ sunt, quippe qui peccatori viam demonstrare velimus, per quam ad gratiam diuinam, è quâ excidit, redire queat.

Serm. de Pœnitentiâ.

De contritione sanè, si perfecta fuerit, asserere possum, valere eam ad impetrandam criminum veniam; de quâ quid sentiendum sit, Conciliorum doctrina iterùm commonstrat, Florentini quidem, dum sic inquit: *Ad cordis contritionem pertinet, vt doleat pœnitens de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.* Tridentini verò, dum prolixè sic loquitur: *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius; & in homine post Baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiduciâ diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua, coniunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur sancta Synodus, hanc contritionem non solùm cessationem à peccato, & vitæ nouæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere.* Et postea: *Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemq́; Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illâ includitur, non esse adscribendam. Illam verò contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùmetiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis; sed tantùm mouentis: quo pœnitens adiutus, viam sibi ad iustitiam parat. Et quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore vtiliter concussi Niniuitæ ad Ionæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt. Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ absq; bono motu suscipientium, gratiam conferre; quod numquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit. Sed & falsò docent, contritionem esse extortam & coactam, non liberam seu voluntariam.* E quibus multa vtiliter admodum annotantur. Primùm, hæc omnia generali Ecclesiæ Catholicæ calculo esse approbata, ac proinde esse de fide. Secundò, quàm sit necessaria sine Sacramento ad peccatorum remissionem contritio. Tertiò, quænam distinctio inter contritionem & attritionem inueniatur. Quartò, attritionem per se non sufficere ad culpæ mortalis condonationem, disponere tamen peccatorem, vt, accedente Sacramento, veluti contritus apud Deum censeatur, veniamque delictorū obtineat. Quæ omnia sunt è præcipuis, imò præcipua ipsa quæ ad contritionem spectant. 4.

Sess. 14. c. 4. Contritio generalis quid sit.

Vt est pars Sacramenti quid requirat.

Votum Sacramenti in contritione includitur.

Attritio quid sit.

Quænam ex præcedentibus eliciantur.

Verùm enimuerò cùm non tam nostri sit instituti & propositi, fideles hic instruere vt firmiter 5.

ter ea quæ contritionem concernunt credant, quàm excitare, & veluti stimulo quodam impellere, vt si in peccati alicuius lethalis statu se deprehendat, quàm primùm (vt Purgatorij animas eò certiùs liberare possint) gratiæ se restituant; ex SS. Patribus nonnulla adiungenda putauimus, quæ omnibus seruirent, quò hoc in negotio diligentißime muneri suo satisfacere quilibet animetur. S. Ambrosius multa adfert incitamenta, quibus ad contritionem & dolorem de peccatis concipiendum meritò omnes pellici imò compelli deberent qui sese criminum sordibus maculatos deprehendunt. *Pœnitentia*, inquit, *non verbis agenda est, sed actu. Hæc autem sic agitur. Si tibi ante oculos ponas, de quantâ gloriâ rueris, & de quo libro nomen tuum deletum sit; & si te iam credas prope ipsas positam tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & stridor dentium sine fine. Cùm hæc certâ fide, sicut est, animo conceperis, quia necesse est præuaricatricem animam tartareis pœnis, & gehennæ ignibus tradi, nec aliud remedium constitutum esse post Baptismum quàm pœnitentiæ solatium, quantamuis afflictionem, quantumuis laborem & indecorem subire esto contenta, dummodò ab æternalibus pœnis libereris. Ergo hæc tu tecũ cogitans, & mẽte retractans, proprij facti tu ipsa iudex esto crudelior. In primis omnis cura vitæ huius interimenda tibi est, & quasi mortuam te existimans, sicut es, quomodo posis reuiuiscere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mẽs ac membra singula digna castigatione punienda.* D. quoque Augustinus pulchra habet in contritionis commendationem exempla. *Quid*, inquit, *Dauid obtulit Domino, vnde illum propitiaret sibi? Quoniam si voluisset*, inquit, *sacrificium, dedissem vtique; holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Non solùm ergo deuotè obtulit, sed etiam dicendo quid offerri oporteret ostendit: Non enim sufficit mores in melius commutare, & à malis factis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. Beati enim misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus. Non enim dictum est vt tantùm abstineatis à peccatis, sed & de præteritis, inquit, deprecare Dominum, vt tibi dimittantur. Et Petrus iam erat fidelis, iam in Christo & alios baptizauerat. Intuere ergo Petrum præsumentem accusatum, timentem vulneratum, flentẽ sanatum. Iam etiam post aduentum de cælo Spiritus sancti, quidam Simon pecuniâ voluit eumdem Spiritum sanctum emere, sceleratissimum & impium mercimonium cogitans, iam baptizatus in Christo; & tamẽ pœnitentiæ consilium, ab ipso Petro correptus, accepit. Dicit etiam Apostolus Paulus, qui vtique fidelibus mittebat epistolas: Ne iterùm cùm venero ad vos, humiliet me Deus, vt lugeam multos ex his qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditiâ, & luxuriâ, & fornicatione, quam gesserunt. Circumstant ergo nos & præcepta rectè faciendi, & exempla non tantùm rectè facientium, sed etiam pœnitentium, ad recipiendam salutem quæ fuerat amissa peccando.*

Ad Virginem lapsam, c. 8.

Quarum rerum cogitatione contritio comparetur.

Non aliud remedium post Baptismum, quàm pœnitentia remedium.

Lib. Quinquaginta Homiliarũ, Homil. 50. c. 5.

Ad veram pœnitentiam quæ requirantur.

Sua ex Apostolo probat Augustinus.

6\. O insignẽ sanctissimi Augustini sententiam, ex quâ, quàm & necessaria sit & vtilis contritionis conditio, omnibus liquet. Vultis verò ab eodem illo Doctore edoceri qualem conueniat esse contritionem? Audite. *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei. Quando sic pœnites, vt tibi amarum sapiat in animo, quod antè dulce fuit in vitâ; & quod priùs te oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente; iam tunc bene ingemiscis ad Deum, & dicis: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Benè tibi soli peccaui, quia nullus hominum sine peccato; & ideò tibi soli peccaui, quia nullus est sine peccato. Da Domine misericordiam misero, qui tamdiu pepercisti criminoso. Inclinet ad remedium humilitas pœnitentis, quem permouere non potuit diuturnitas peccantis peccatoris. Dic illi in fletu cordis: Aspice infelicem pietas immensa, respice crudelem misericordia publica. Desperatus ad omnipotentem venio, vulneratus ad medicum curro. Serua pietatem mansuetudinis, qui tam diu suspendisti gladium vltionis: dele numerositatem criminum multitudine misericordiarum. Ista est, filioli, vera pœnitentia quando sic conuertitur quis, vt non reuertatur; quando sic pœnitet, vt non repetat.*

Qualem contritionem esse oporteat.

Serm. 3. in Natali Domini, qu. est

1\. in Tempore.

Sed & magni Augustini discipulum, S. Fulgentium dico Ruspensem Episcopum, audiamus, qui, vt dolor contritionis efficax esse posit, ait propositum adesse debere emendationis. *Nonnulli*, inquit, *scelerum suorum consideratione perterriti, pro iniquitatibus suis quidem in oratione gemunt, nec tamen ab iniquâ operatione discedunt. Fatentur se malè fecisse, nec vllum finem volunt malis factis suis imponere. Accusant humiliter in conspectu Dei peccata, quibus tenentur oppressi, & eadem peccata, quæ humilitate sermonis accusant, corde peruerso contumaciter cumulant. Indulgentiam, quam lacrymosis gemitibus poscunt, ipsi sibi prauis operibus adimunt. Medelam postulant à medico, & in perniciem suam subrogant adiutorium morbo. Tales numquam diluunt gemendo peccatum, quia non desinunt peccare post gemitum.* Et hæc quidem generatim dicta sunt de ipsâ contritione, à quâ cùm potissimùm peccatorum remissio dependeat, atque adeò multorum æterna salus, non solùm, quod hîc vrgemus, animarum è Purgatorio liberatio; fusiùs aliquantulùm explicanda sunt. 7.

Lib. 1. de Remissione peccatorum ad Euthymium, c. 12.

Non satis est dolere de malis commissis, sed oportet habere propositum ab illis abstinendi in posterum.

Ad contritionem ergò quod spectat, obseruandum inprimis est, dolorem eam esse ex peccatis admissis conceptum, propter Deum summè dilectum. Dolorem esse oportere, multa sanctorum Patrum scripta, & ratio ipsa confirmant. *Non dolere*, inquit S. Ioannes Chrysostomus, *quia peccaueris, magis indignari atque irasci facit Deũ, quàm id ipsum quòd antè peccaueras.* S. Gregorius, *Cùm mentem*, ait, *Deus ingreditur, constat proculdubio quòd mox pœnitentiæ gemitus sequatur, vt ei iam salubriter flere libeat, quæ priùs in iniquitatibus flendâ iucunditate gaudebat.* S. Ambrosius: *Quando sic pœnites, vt tibi amarum sapiat in animâ, quod antè dulce fuit in vitâ; & quod te priùs oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in corde, iam tunc benè ingemiscis ad Deum.* S. Isidorus: *Pœnitentia est medicamentum vulneris, spes salutis, per quam Deus ad misericordiam prouocatur, quæ non tempore pensatur, sed profunditate luctus & lacrymarum. Pœnitentia autem non mensium ac temporum cursu pensatur, sed pœnâ, quâ anima cruciatur, & mortificatur caro.* S. Hieronymus ad contritionem exhortans ait: *Amaritudinem radicis dulcedo pomi compensat: pericula maris spe lucri delectant: dolorem medicinæ spes salutis mitigat. Qui desiderat nucleum, nucem frangit; pœnitentiamq; agit qui vult æterno adhærere bono.* Hugo verò: *Pœnitentia appellata quasi punientia, eò quòd ipse homo in se pœnitendo puniit quod male admisit.* Et Origenes, explicans illa verba, *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum*, sic inquit: *Hæc debet dicere qui peccauit,* 8.

Dolorem esse in contritione debere, multiformiter declaratur.

Super Matthæum.

In Moralibus.

In Serm.

Lib. 3. de Sũmo bono.

In Matthæũ.

Lib. 3. de Myster. Eccl.

Homil. 1. in Psalmum 37. Tom. 2.

Non oportet certò peccatorũ obliuisci.

peccauit, & post peccatum se peccasse recordatur: sicut ipse Dauid dicebat in Psalmo 50. Et peccatum meum contra me est semper. Sunt quidam, qui cùm peccauerint, securi sunt prorsus, nec cogitant de peccato suo, nec venit ad sensum suum quòd malè gesserint; sed ita viuunt, quasi nihil omnino commiserint. Hi dicere non possunt, Peccatũ meum contra me est semper. Cùm verò post delictum quis consumitur & affligitur pro delicto suo, & conscientiæ stimulis agitatur, mordetur sine intermissione, atque occultis confutationibus impugnatur, ipse meritò dicit, Non est pax ossibus meis, &c. Infrà: *Quomodo possunt hæc dicere illi, quibus peccatum suum non onus efficitur, sed voluptas? Non est ergo illorum dicere hæc, sed eorum quibus libido iam sorduit, quibus vitia horruerunt, isti etiam possunt dicere: Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ. Considera, peccatorem, qui peccatis suis delectatur, & lætus est in malis suis, quoniam & ipse in stercore fœtido volutatur, & nullum fœtoris eius, qui ex peccatis est, percipit sensum, sed velut in summis voluptatibus & gratissimis deliciis delectatur.*

Qui fœditatem peccati sui cognoscit, non in illo diu hæret.

Si verò istum eueniat aliquando sentire fœtorem peccatorum suorum, statim conuersus ad pœnitentiam, & emendationem requirens, impatiens proprij fœtoris efficitur, proclamans ad cælestem medicum, atque ostendens cicatrices putrefactorum suorum vulnerum, dicit: Fœtuerunt & putrefactæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem. Sed videas aliquando eum, qui peccauit, mœrentem, & contristatum tristitiâ quæ secundùm sæculum est: quæ enim secundùm Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Iste verè dicit: Quoniam miseriis afflictus sum, & curuatus sum vsque in finem. Miseriis afflictus sum, ait, non dixit, Affligor adhuc. Si enim transierunt iam peccata mea, afflictus sum miseriis. Si autem permanent, & in ipsis conuersor adhuc, affligor miseriis. Miseriis ergo afflictus sum, & curuatus sum vsque in finem. Si videas, eum, qui peccauit, non posse respicere in cælum, sed curuato corpore, demersoq; in terram vultu, non solùm corporis, sed & animæ, & contorquente sicut circulum collum suum, intelligis quo modo quis curuatur in finem: sicut Publicanus ille, qui ingressus in templũ, & à longè stans, non audebat oculos ad cælũ leuare, sed percutiens pectus suum dicebat: Deus, propitius esto mihi peccatori.

Quis affectus pœnitentis esse debeat.

Huic nimirum conuenit dicere: Quia curuatus sum vsque in finem, & totâ die contristatus ingrediebar. Hoc autem dicens, velut affectum ipsum & animum pœnitentis exponit, dicentis: Ex quo peccaui, numquam risi, numquam lætatus sum, numquam mihi aliquid iucunditatis indulsi; sed semper in mœrore fui, semper in pœnitentiâ, semper in luctu, dicente Domino, Beati qui lugent. E contrariò autem si quis peccator sit, & multis malis obnoxius, & hic nullo flagitiorum suorum stimulo pulsatus, insuper etiam & rideat, & lætus sit, huic dicitur: Væ vobis qui ridetis, quia plorabitis & flebitis.

9\. Idem Origenes alio in loco ait, contritionis sacrificium non habere oleum consolationis, neque thus lætitiæ. Deplorandam igitur esse animam peccatoris, pulchrâ comparatione exposuit D. Ioannes Chrysostomus. *Si morientibus,* inquit, *compatimur, quis tam sine misericordiâ est, qui animam suam morientem non deploret? Si corpus patiatur, Medicos vocamus, & herbas inquirimus, omnia mouemus, vt læsum membrum curemus, animam verò vitiis laborantem negligimus.* Et meritò sanè tristitia ex peccato nasci ac profluere debet, vtpote quòd illa huic optimum esse remedium possit, quoniam hac in re gratia naturam sequitur. Nam quemadmodum in laborante aliquo infirmo arte medicinæ euacuari solent peccantes humores per sumptionem potionis amaræ; ita per contritionis amaritudinem eiici solent ex corde peccata, quæ nõ minùs animæ allatura fuissent mortem, quàm humores isti materiales interitum corpori.

Homil. 5. in cap. 7. Leuitici.

Homil. 22. ad pop. Antioch.

Vt potione purgatiuâ corpus, ita & contritione anima à sordibus liberatur.

Imò (& vel hinc ampliùs diuinam prouidentiam intuemur) licet mirum planè sit, medicâ potione, eaque amarâ, artificiosè expelli occultos atque intra latentes humores, ad quos per se non posset accedere Medicus; multò tamen est mirabilius, tristitiam de peccato conceptam ipsum peccatum expellere. Rem ipsam paulò attentiùs consideremus. Quia naturale est, hominem abhorrere fugereque quæ sunt amara, dulcioribus verò stomachum delectari, vnde prædicti humores, qui corpus posteà adfligunt, generari atque produci solent; humana industria adinuenit ad stomachum vsque demittere pharmacum aliquod amarum, quod suâ acrimoniâ humores illos è dulcioribus prognatos inde reiiciat, hominemque priori sanitati restituat. Mirum quidem hoc, & sagacitatem ingenij humani deprædicans: at in contritione reperies quod magis sit mirum, quòd scilicet non aliâ re, quàm ipso peccato opus sit ad peccati expulsionem atque medelam. Ipsum enim peccatum secum defert atque in se continet vnde doleamus, vnde id euomamus, ob quod ab illo nos expediamus. Cùm enim ex se amarum sit, & omnem tristitiæ rationem contineat, efficit vt dolere inde peccator posśit, & meritò debeat, ita vt eodem quo intoxicatus fuit veneno, mederi sibi queat, & inde sanari vnde læsus fuerat.

Habet in se peccatum doloris remedium vnde sanemur.

Eodem sanè igne, quo quis ambustus est (vt similitudinibus rem explicemus) ignis ardorẽ expellere poteris: oleum è scorpione industriâ humanâ factum, vulneri à scorpione acceptum si imposueris, medicinam habebis: à rabido cane quis est admorsus? ipsiusmet canis, qui vulnus intulit, crines remedio erunt.

Res comparationibus aliis elucidatur.

Sed pergamus. Numquid sufficientem doloris occasionem habet homo in ipso peccato? Vtique; & hoc si quis fortè ignorauerit, Augustino docente addiscet. *Iugi,* inquit ille, *meditatione animum nostrum exerceamus, & consideremus miserias & necessitates nostras, labores & dolores. Lugentes enim in hanc vitam intrauimus, cum labore viuimus, cum dolore & timore exituri sumus. Cogitemus ergo, quàm breuis vita nostra sit, quàm mors certa, & hora mortis incerta. Cogitemus, quantis amaritudinibus admixtum sit, si quid dulce aut iucundum in viâ huius vitæ occursu suo nobis alludit, quàm fallax & suspectum, quàm instabile & transitorium est quidquid huius mundi amor parturit, quidquid species aut temporalis pulchritudo promittit. Consideremus etiam, quæ sit patriæ cælestis pulchritudo, suauitas atque dulcedo. Attendamus & perpendamus, vnde cecidimus, & vbi iacemus; quid perdidimus, & quid inuenimus; vt ex vtroque intelligamus, quantum nobis hoc in exilio lugendum sit. Hinc enim Salomõ ait: Qui apponit scientiam, apponit dolorem. Quia quantò magis homo sua mala intelligit, tantò ampliùs suspirat & gemit: meditatio siquidem parit scientiam, scientia autem compunctionem. Scientia est, quando homo ad notitiam sui assiduâ meditatione illuminatur. Compunctio est, quando ex consideratione malorum suorum cor interno dolore tangitur.*

Lib. de Spiritu & animâ.

Quantæ homini ex peccatis miseriæ prouenerint.

Ad idem etiam alibi præiuit idem sanctus Doctor, & quomodo ex ipso peccato materia dolendi 10.

De Verâ & falsâ pœnitentia.

lendi capessanda sit, viam commonstrat. sic enim inquit: *Ex fide pœniteat homo: credat hanc esse medicinam: omnes fructus suæ pœnitentiæ paruos habeat: numquam credat sufficere, semper doleat, semper coram Domino, ante quem peccauit, erubescat, dolorem cum vitâ finiat. Nam si Apostolus peccata per Baptismum remissa continuè plorat, nobis etiam super fundamentum Apostolorum positis, quid præter plorare restat? quid nisi semper dolere in vitâ? Dixit Dominus paralytico: Vade, & iam noli peccare. Non dixit, Ne pecces; sed, Nec voluntas peccandi in te oriatur. Quod quomodo seruabitur, nisi dolor continuè in pœnitentiâ custodiatur. Hinc semper doleat, & de dolore gaudeat, & non semper doluisse doleat.* Infrà: *Dolendum est, & dolore purgandum, non solùm quia peccauit, sed etiam quòd se virtute priuauit, anxietur & doleat, quòd modò effugiens de præteritis pœnam, miser non inde expectet gratiam, cuius omne tempus, quoniam breuissimum est, debuit decertasse ad præmium consequendum. Defleat etiam, quoniam in vno offendens factus est omnium per ingratitudinem reus.*

Quanto operè pro admissâ culpâ dolendum sit.

Quâ ingratus habeatur peccator.

Ingratus enim extitit, qui plenus virtutibus, Deum omnino non timuit. In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quò est Deo acceptior: ideò enim Adam plus peccauit, quia omni bono abundauit. Etiam alio modo offendens in vno, factus est omnium reus: quia omnis virtus patitur detrimentum ab vno vitio. Gemat aliorum vitam in suâ corruptam, vel incorruptam non seruatam, & commodum proximi quod dedisset exemplo boni. Doleat de tristitiâ quam peccando bonis intulit, & de lætitiâ quam eis non adhibuit. Timeat ne omnia bona, quæ facit, dum in vno peccato perseuerauerit, ex contaminatione mali perdiderit. Abstineat à multis licitis, qui per libertatem arbitrij commisit illicita. Semper offerat Deo mentem, & cordis contritionem. Hactenus D. Augustinus.

11\. O admirabile Dei consilium! Vt non placeret peccatum, tot secum dolorum atque desolationum occasiones comites habet, occasiones inquam dolorum, vt ex hisipsis vulneribus medicina proueniat: quam in rem etiam commodè audiri potest S. Ioannes Chrysostomus, cuius hæc sunt verba: *Abstersit Dauid peccatum submissione, cordis contritione, animi compunctione, denique cauendo ne in eadem relaberetur. Habebat cor contritum & humiliatum, quod maximè abstersit illius peccata. Submitte igitur & tu cor tuum, vt Deum tibi concilies: prope est enim Dominus his qui tribulato sunt corde. Ingemisce cùm peccas: non quòd es castigandus, nam id quidem nihil est; sed quòd offenderis Dominum tuum, vsque adeò mansuetum, qui sic te amat, sic inhiat saluti tuæ, vt & Filium tradiderit pro te. Propter hæc suspira, idq; facito iugiter. Persiste in hoc luctu, & tibi instans, & conterens animam tuam, non aliter quàm si quis lugeat legitimum ac minimè degenerem filium amissum. Scindite, inquit, corda vestra, & non vestimenta vestra. Quod autem confractum est, nequaquam sarcietur; quod contritum, nequaquam consurget. Eapropter alter ait, Scindite cor; alter, Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Etsi fueris sapiens, etsi diues, etsi potens, dilacera cor, non sinas illud sublimes tollere spiritus, neque inflari. Quod enim discerptum est, non inflatur; & si quid esset quod extolleret, conuulsio non sustinet inflationem. Ita quoq; tu sis animo demisso. Audi quid dicat Scriptura loquens de Achab: Videbam quòd incederet tristis, & sanaui vias eius. Hoc autem in Achab placauit iram Dei.*

Tot secum adfert pœnas peccatum, vt magis inde doleamus.

Homil. 4. in Epist. ad Corinth.

Quænam ex verâ contritione bona proueniant.

Sancti huius Patris & Doctoris perspicuitas adeò me cepit, vt & alterum eius insignem locum, quin adducam, omittere nequeam. Ait ergo: *Quale est istud medicamentum pœnitentiæ, & qualiter conficitur? Primò ex culpando propria peccata, eademq; declarando. Iniquitatem, inquit, meam non celaui, & pronuntiabo aduersum me iniquitatem meam Domino, & tu abstulisti impietatem cordis mei. Et iterùm: Dic iniquitates tuas priùs, vt iustificeris. Et iterùm: Iustus seipsum accusat in initio sermonis. Secundò autem ex humilitate multâ. vnde David: Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Quod enim contritum est, non erigitur, non percutit, sed ad mala patiendum paratum est, ipsum verò non erigitur. Talis est etiam contritio cordis. Siue enim iniurietur, siue patiatur, silet, & non impellitur ad vindictam. Post humilitatem autem intentus lacrymis multis, clama per diem & noctem: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo in gemitu meo. Et iterùm: Quia cinerem sicut panem manducaui, & potum meum cum fletu miscebam.* Et hæc quidem S. Ioannes Chrysostomus. 12.

Homil. 9 in c. 9. Epist. ad Hebræos.

Remedium pœnitentiæ quomodo conficiatur.

13\.

Alios iam Patres adeamus, & facilè videbimus, etiam illos in sacræ contritionis commendationem præclara admodum fuisse locutos. Certè S. Gregorius Papa peccata vtiliter deploranda esse docuit, dum illa D. Iobi verba, *Nec inuenitur in terrâ suauiter viuentium*, interpretaretur, sic inquiens: *Hæc sapientia inueniri in terrâ suauiter viuentium non valet, quia quisquis adhuc huius vitæ voluptatibus pascitur, ab æternæ sapientiæ intellectu separatur. Nam si verè saperet, expulsus ab internis gaudiis, de eâ, in quam cecidit, cæcitate lugeret. Hinc namque per Salomonem dicitur: Qui apponit scientiam, apponit & dolorem: quia quantò plus homo cœperit scire quid perdidit, tantò plus lugere incipit corruptionis suæ sententiam quam inuenit. Considerat, vnde, quò lapsus sit: quòd à paradisi gaudiis ad ærumnas vitæ præsentis, ab Angelorum societatibus venit ad curas necessitatum: pensat in quot iam periculis est, qui priùs sine periculo stare contempsit; luget exilium quod damnatus patitur, & suspirat ad cælestis patriæ statum, quo perfrui securus posset, si peccare noluisset.* Idem quoque Sanctus non ex contritione remissionem tantummodò, sed & mentis consolationem adducit, hisce verbis: *Qui in ærumnâ conuertebatur, dum configeretur spina, Deum curationis suæ auctorem lætanter alloquitur, dicens: Tu es refugium meum à pressurâ quæ circumdedit me, exultatio mea. Qui ergo à pressurâ inuenisse Domini refugium & exultationem insinuat, ab inferni doloris percussione, gaudio diuinæ indulgentiæ curatum se esse manifestat. Hinc item dolens adhuc confitetur, dicens: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: sed quia de curatione lætatur, ait: Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata. Curantur autem, quando iam expletâ mensurâ afflictionis, ad fiduciam diuinæ indulgentiæ per auxilium releuantur interni solatij. Vnde Psalmista loquitur, dicens: Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis, in mensurâ. Lacrymarum quippe potus ad mensuram dat, quia profectò peccator, qui pro culpâ compungitur, ex eadem compunctionis afflictione Deo consolante releuatur. vnde per Moysen dicitur: Ego occidam, & ego viuere faciam; percutiam, & ego sanabo. Percutit namque & sanat, quia quos per compunctio-*

Iob 28.

Lib. 18. Moralium, c. 14.

Qui in delectamentis terrenorum hæret, æternis gaudere non potest.

Lib. 3. in c. 6 lib. 1. Regũ.

Ex peccatorũ contritione non tantùm remissio, sed & consolatio oboritur.

nem sauciat, per indulgentiæ securitatem curat. vnde scriptum est: *Repleti sumus manè misericordiâ tuâ, exultauimus, & delectati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. Velut enim in nocte pœnitentiæ luctum exceperunt, qui manè, videlicet diuinæ dignationis apparente claritate, se repletos misericordiâ congaudebant: qui se delectatos pro diebus, in quibus humiliati fuerant, asserunt, per donum curationis grauitatem manus Domini, quare ab eis non recesserat, scire demonstrantur.* Imò de peccati in se habitâ confusione gaudium ostendit adduci, dum explicans illa Iobi verba, *Occupet eum caligo,* sic ait: *Quia caligine oculus confunditur, ipsa per pœnitentiam mentis nostræ confusio caligo nominatur, de quâ per quemdam dicitur: Est confusio adducens gloriam. Cùm enim ad mentem malè gesta pœnitendo reducimus, graui mox mœrore confundimur. Perstrepit in animo turba cogitationum, mœror conterit, anxietas deuastat, in ærumnam mens vertitur, & quasi quodam nubilo caliginis obscuratur. Hunc ergo peccati diem caligo occupet, id est, blandimentum nequitiæ, afflictio pœnitentiæ, digno mœrore perturbet. Vnde subditur: Inuoluatur amaritudine. Dies enim amaritudine inuoluitur, cùm ad cognitionem mente redeunte, peccati blandimenta, cruciatus pœnitentiæ sequitur. Diem amaritudine inuoluimus, cùm prauæ delectationis gaudium quæ supplicia sequantur, adspicimus, & asperis hoc fletibus circumdamus.* Infrà: *Noctem illam tenebrosus turbo possideat. Quasi enim quidam turbo tempestatis, est concitatus spiritus mœroris. Nam dum peccatum quisque quod fecit intelligit, dum prauitatis suæ nequitiam subtiliter pensat, mœrore mentem obnubilat, & quasi concusso serenæ lætitiæ aëre, omnem in se tranquillitatem cordis, pœnitentiæ turbine deuastat. Nisi enim recognoscentem se animum iste turbo contereret, nequaquam Propheta dixisset: In spiritu vehementi conteres naues Tharsis. Tharsis quippe exploratio gaudij dicitur. Sed cùm vehemens pœnitentiæ spiritus mentem occupat, omnem in eâ explorationem reprehensibilis gaudij perturbat, vt nihil ei nisi flere iam libeat, nihil, nisi quod se terrere possit, attendat. Ponit namque ante oculos, illinc districtionem iustitiæ, hinc meritum culpæ conspicit, quo supplicio digna sit, si parcentis pietas desit, quæ per lamenta præsentia ab æternâ eruere pœnitentia consueuit. Spiritus ergo vehemens naues Tharsis conterit, cùm vis compunctionis valida mentes nostras, huic mundo quasi mari deditas, salubri terrore confundit. Dicit ergo: Noctem illam tenebrosus turbo possideat, id est, perpetrationem culpæ, non blandimenta securæ quietis foueat, sed piè sæuiens amaritudo pœnitentiæ irrumpat.* Denique idem Doctor: *Quò vberiùs culpa fletur, eò altior cognitio veritatis attingitur; quia ad videndum internum lumen, polluta dudum conscientia lacrymis baptizatur.* Et infra: *Qui nescit lugere quod grauat, non valet leuare quod subleuat. Vis compunctionis poros cordis aperit, & pennas virtutum fundit. Cumq; se studiosè mens de pigrâ vetustate redarguit, alacri nouitate iuuenescit.*

Quantus prius est luctus, tantum posteà gaudium.

Iob 3.

Lib. 4. Moral. cap. 17.

Ex sui confusione non nisi dolor nasci potest.

Causa quare tam sint iusti in peccatore dolores.

Lib. 11. Moral.

14. Cassianus, explicans illud Psalmi, *Laboraui in gemitu meo,* sic scribit: *Gemitus dictus geminatus luctus, quem meritò fideles appetunt, quoniam diligentes consolatur, pœnitentes emundat, diabolum effugat, Christo conciliat. Amaritudo dulcis, lacrymæ felices, salutaris afflictio.* S. Cyprianus: *O pœnitentia, quid de te noui referam? Omnia ligata tu soluis, omnia clausa tu reseras, omnia aduersa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas.* S. Augustinus item, *Pœnitentia,* inquit, *languores sanat, leprosos curat, & mortuos resuscitat, sanitatem auget, gratiam conseruat, claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visum, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit & roborat.* Scripturæ etiam multæ sunt in hoc vt verè contritis peccatorum remissionem addicant. Paucis nobis hîc opus, è quibus sint: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Item: *Commouisti terram, & conturbasti eam; sanasti contritiones eius, quia commota est.* Item: *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Iterùm: *Spiritus Domini ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde.* Item: *Signa thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eorum.* &: *Omnem autem super quem videritis thau, ne occidatis.*

Psal. 6.

Fructus spiritualis tristitiæ.

De Laudibus pœnitentiæ.

De Pœnitentiâ.

Psal. 50.

Psal. 59.

Psal. 147.

Isai. 61.

Ezech 9.

Ibid.

Porrò iam è D. Gregorio obseruari potest, duplicem esse contritionis dolorem: vnum, qui oritur ex timore damnationis æternæ; alterum, qui ex affectu & desiderio gloriæ cælestis. Verba eius hæc sunt: *In multas species cõpunctio diuiditur, quando singulæ quæque à pœnitentibus culpæ planguntur. Vnde ex voce pœnitentium Ieremias ait: Diuisiones aquarum deduxit oculus meus. Principaliter verò compunctionis genera duo sunt, quia Deum sitiens anima priùs timore compungitur, posteà amore. Priùs enim sese lacrymis afficit: quia dum malorum suorum recordatur, pro his perpeti æterna supplicia pertimescit. At verò cùm longâ mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam iam veniæ securitas nascitur, & in amore cælestium gaudiorum animus inflammatur, & qui priùs flebat ne duceretur ad supplicium, postmodum amarissimè flere incipit quia differtur à regno. Sicq; fit, vt perfecta compunctio formidinis, tradat animum compunctioni dilectionis. Quod benè in sacrâ historiâ figuratâ narratione describitur, quæ ait, quòd Axa filia Caleph sedẽs super asinum suspirauit. Cui dixit pater suus: Quid habes? At illa respondit: Da mihi benedictionem. terram australem & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam. Deditq; ei pater suus irriguum superius & irriguum inferius. Axa suspirans, à patre terram irriguam petit, quia à creatore nostro cum magno gemitu quærenda est lacrymarum gratia. Irriguâ terrâ indigent, qui in bonis operibus positi, in quibus magni atque feruentes sunt, timore supplicij, aut amore regni cælestis, mala quæ anteà perpetrauerunt, deplorare debent. Sed quia duo sunt compunctionis genera, dedit ei pater suus irriguum superius, & irriguum inferius. Irriguum quippe superius accipit anima, cùm sese in lacrymis cælestis regni desiderio affligit; irriguum verò inferius accipit, cùm inferni supplicia flendo pertimescit. Et quidem priùs inferius, pòst irriguũ superius datur: sed quia compunctio amoris dignitate præeminet, necesse fuit, vt priùs irriguum superius, & pòst irriguum inferius commemorari debuisset.* Hoc vt amplius explicaret, dolores illos binis altaribus similes fecit. ait enim, illa verba, *Aedificauit autem Saul altare Domino,* explicans: *Potest altaris nomine compunctio cordis intelligi. Quando enim per verbum Doctoris compunctio cordis erigitur, nimirum altare Domino ædificatur. Alia lectio habet: Tuncq; primùm cœpit Saul ædificare. Vbi primum ædificatum dicitur, quia est compunctio amoris. Vnde & in Tabernaculo fœderis duo altaria fieri à Domino iussa sunt,*

15. *Duplex contritionis dolor, vnus qui ex timore pœnæ, alter qui ex desiderio gloriæ prouenit.*

Lib. 1. Dialogorum, c. 34.

Quomodo prior in alterum mutari possit pulchrè docetur.

Dolores hi duplici altari similes.

Lib. 5. in cap. 14. libri 1. Regum.

sunt, adolendis scilicet thymiamatibus vnum, alterum comburendæ carni. Primum altare foris erat, secundum intra Sancta sanctorum. Altare ergo primum, compunctio timoris est; altare secundum, compunctio amoris. Illud quippe peccata lugentium est, istud verò ad æterna gaudia totis desideriis inhiantium. Illius lapides, recogitationes peccatorum; huius lapides, meditationes perennium gaudiorum. Altare primum Doctor ædificat, quando culpas exponit, quas dum in se peccator adspicit, ingemiscit. Meritò etiam altare compunctio dicitur, quia incensat. Sed cùm diu pro peccatis suis vnusquisque compungitur pœnitendo, proficit ad vsum securitatis. Nam post afflictionis tempora, ardere incipit ad æternam vitam: & qui priùs lugebat pro pauore supplicij, flere iam copiosiùs incipit pro dilatione mercedis. Hæc D. Gregorius.

16. Addi his potest tertia perfectissimæ, vt ita dicamus, contritionis species, quâ scilicet peccasse nos dolemus ex corde non tam quia puniendi eramus in inferno, qui timor seruilis est; nec quia priuari debebamus gloriâ æternâ, qui timor est mercenarius: sed nudè, aut potissimùm saltem, ob offensam in Deum commissam. ita vt, etiamsi aut infernus nō esset in quo puniremur, neque cælum quo priuaremur, æquè nihilominùs doleremus, quia diuinam Maiestatem offendimus. Qui actus contritionis cùm in Dei charitate veluti solidissimo fundamento merè nitatur, nullatenus dubium est quin perfectissimus sit & meritisimò dici possit: de quo, vtpote charitate perfecto, anteà locutum est Concilium Tridentinum, affirmans, eum reconciliare Deo hominem etiam priusquam ad sacram confessionem accesserit. Quapropter quia incerti omnino sumus, an ante mortem tempus & gratiam confessionis habituri simus, prudentissimum est eorum consilium, qui huiusmodi contritionis actibus sese adsuescunt, vt casu quo eos subitò & extra faciendæ confessionis occasionem obire contingat, ex consuetâ illorum actuum praxi à peccatis possint absolui. Quâ de re cùm editi sint nuperrimè libelli, ad alteram veræ contritionis partem, quæ emendationis propositum concernit, progressum facimus.

Addi verò præcedentibus tertius iste perfectissimus dolor poterit.

17. Duo itaque in contritione æquè ad culpæ remissionem necessaria, dolor nimirum, de quo hactenus, ob præterita, & firma deliberatio de cauendis futuris. Huc facit illud Lactantij Firmiani, *Agere pœnitentiam nihil aliud est, quàm profiteri & affirmare se vlteriùs non peccaturum.* & illud S. Chrysostomi, *Numquam spernit Deus pœnitentiam, si ei sincerè & simpliciter offeratur: & si ad summum quis peruenerit malorum, & inde tamen velit reuerti ad virtutis viam, suscipit libenter & amplectitur.* & illud S. Augustini: *Inanis est pœnitentia, quam frequens culpa coinquinat. Nihil prosunt lamenta, si replicentur delicta. Nihil valet à malis veniam poscere, & mala de nouo iterare.* Duo itaque, vt dixi, ad præsentem contritionem sunt necessaria. Primum, vt de præteritis doleamus: alterum, vt quoad futura firmum eliciamus propositum in posterum ampliùs non peccandi. Vnde nonnulli, vt contritionem aptâ aliquâ comparatione explicarēt, eam similem esse dixerūt Iano, quem inter alios deos Romani coluerunt, binamque faciem habere finxerunt, vnam, quâ annum præcedentem intueretur; alteram, quâ futurum. Et hæc quidem fabulosa quamuis sit confictio, eiusmodi tamen

Duo ad verā contritionē sunt necessaria.

Lib. 6 Diuin. inst. cap. 13.

Lib. de Reparatione lapsus.

In Soliloquiis.

Duplex hæc contritionis pars à simili exponitur.

est, quæ vtrumque quē contritio habere debeat adspectū, insinuat. Psalmographi pro nobis stant verba, *Declina à malo, & fac bonum,* vt quæ non sufficere innuant, de malis patratis dolere, sed necessariū quoque esse ad vitæ emendationem, vt peccatorum loco opera perfectionis assumantur. Optimè hoc explicat D. Hieronymus: *Necessaria est pœnitentia, inquit, quæ aut æquet crimina, aut certè excedat.* Egregiè item D. Gregorius Papa, dum sic scribit: *Vniuscuiusque conscientia conuenitur, vt tantò maiora quærat bonorum lucra per pœnitentiam, quantò grauiora intulit damna per culpam.* Atque iterùm alibi: *Quot habuit in se oblectamenta, tot de se inuenit holocausta. Conuertit ad numerum virtutum numerum criminum, vt totum seruire Deo possit in pœnitentiâ, quidquid ex se Deum contempserat in culpâ.* Alibi item: *A regione nostrâ superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando, discessimus: sed ad eam necesse est flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur, quoniam qui à paradisi gaudiis per delectationē recessimus, ad hæc per lamenta reuocamur.* In quo sensu SS. Patres asserunt contritionem illam veram esse, quæ non ipsum solummodò dolorē de peccatis admissis & offenso Deo conceptum, sed & illius emendationem, seu dignos, vt Christus loquitur, fructus pœnitentiæ comprehendit: quæ quoniam ad satisfactionem potiùs spectat quàm ad contritionem propriè dictam, illuc Lectorem ablegamus, vbi de eâ fusè tractabimus. Modò vel illud annotandum est, necessarium esse ad peccati alicuius lethalis remissionem, vt pœnitens habeat sincerum emendationis propositum, quod (præter alia plurima quæ in huius rei confirmationem adducere possemus) vel vnico è Scripturis petito notissimo exemplo est euidentissimum, exemplo inquam proditoris Domini nostri, qui licet omnes alias verè pœnitentis conditiones habere videretur, ideò tamen veniam neque meruit neque consecutus est, quòd verum emendationis propositum ipsi deesset. Reliquas pœnitentię partes eum habuisse, è sacris Scripturis sufficienter liquet. Dolorem vtique habuit, dicente Euangelistâ, *Videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum.* Dolorem, inquam, & pœnitentiam habuit, imò & suum peccatum confessus est, dicens, *Peccaui*; idque cum debitis circumstantiis, *tradens sanguinem iustum:* restitutionem quoque fecit tum rei iniustè acceptæ, referens argenteos Principibus Sacerdotum; tum famæ, quā Christo Domino quodammodò abstulerat, dicens, *sanguinem iustum.* At cur veniā obtinere non potuit, cur non meruit? Quia emendare se nequaquam proposuit, sed *abiens laqueo se suspendit.*

Psalm. 36.

Epist. ad Sunian.

In Matth. 3.

Homil. 31. super Euang.

Necessarium omnino est in verè pœnitente emendationis propositum.

Iudæ historiâ res clara.

Matth. 27.

Hinc pœnitentiæ & emendationis occasio numquam est negligenda: quamdiu enim in malis atque delictis suis hæret impius, nec sibi boni operis meritum acquirere, nec animabus Purgatorij prodesse vel auxiliari potest. Sanum itaque prudentissimumque consilium est, non differre pœnitentiæ tempus, sed statim atque in peccatum quis se lapsum fuisse agnouerit, contritionis actus eliciendus est: quod tam Ethnici & Gentiles quàm Christiani Doctores monent. 18.

Pœnitentiæ numquam occasio est negligenda.

Lib. 6. *Rem tibi* (inquit Cato) *quam noris aptam, dimittere noli,*
Fronte capillatâ; post est Occasio calua.

Alius è Gentilibus sic inquit:

Ouid. l. 1. de Remed. amor. *Temporibus medicina valet. Data tempore prosunt,*
Et data non apto tempore vina, nocent.

Iterùm alibi ille idem:

Insignis ex Ethnicis illius probatio. *Sed propera, nec te venturas differ in horas;*
Qui non est hodie, cras minùs aptus erit.

Quò & faciunt trita & vulgata illa: *Serò sapiunt Phryges. Nocuit differre paratis.* atque
O mihi præteritos referat si Iuppiter annos!
Sera nimis vita est crastina, viue hodie.

Quibus accensemus illud Poëtæ cuiusdam nostratis:

Conuerti ad rectos mores, & viuere sanctè
In Christo meditans, quod cupit acceleret.
Cedant virtuti vanarum obstacula rerum,
Ne perdat voti tempora, lenta fides.
Quid iuuat in longum causas producere morbi,
Cùm dubium expectat cras hodierna salus?
Scimus correctis veniam non esse negandam,
Sed nulli nostrûm est vltima nota dies.

19\. *Idem è sacris Doctoribus.* Tractatu 33. in Ioannem. Doctores sancti quid moneant, manifestũ est. S. Augustinus sanè, animarũ zelo admodum feruens, ita loquitur: *Quos modò sustinet peccantes, iudicaturus est contemnentes. An diuitias longanimitatis & mansuetudinis eius contemnis, ignorans quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundùm duritiam cordis tui, & cor impœnitens, thesaurizas tibi irã in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundũ opera sua. Mansuetus Dominus, longanimis Dominus, misericors Dominus: sed & iustus Dominus, & verax Dominus. Largitur tibi spatium correctionis, sed tu plus amas dilationẽ quàm emendationem. Malus fuisti heri, hodie bonus esto; & hodiernum diem in malitiâ peregisti, vel cras mutare. Semper expectas, & de misericordiâ Dei tibi plurimum polliceris; quasi ille qui tibi per pœnitentiam promisit indulgentiam, promiserit tibi etiam prolixiorem vitam. Vnde scis quid pariat crastinus dies?* Homiliâ 41. ex Quinquaginta. Idemque sanctus Doctor suadet vt dum sani adhuc & vegeti sumus, pœnitentiam agamus, hoc inter alia motiuo vsus: *Agẽs pœnitentiam & reconciliatus cùm sanus est, & posteà benè viuens, securus hinc exit: agens pœnitentiã ad vltimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego nõ sum securus. Vnde securus sum, securus sum, & do securitatem: vnde non sum securus, pœnitentiam dare possum, securitatẽ dare non possum.* Et infrà: *Ecce quare dixi,* *Meliùs post, si ante pœnitentiam viuendum est benè.* *quia & ante pœnitentiã benè viuendum est, & post pœnitentiam meliùs. Quoddico, attendite. Debeo illud planiùs exponere, ne me aliquis malè intelligat. Numquid dico, damnabitur? Non dico. Sed dico etiã, liberabitur? Non. Et quid dicis mihi? Nescio: non præsumo, non promitto, nescio. Vis te de dubio liberare? vis, quod incertũ est, euadere? Age pœnitentiã dum sanus es. Si enim agis veram pœnitentiam dum sanus es, & inuenerit te nouissimus dies, curre vt reconcilieris: si sic agis, securus es. Quare securus es? Quia egisti pœnitentiã eo tempore quo & peccare potuisti.* Serm 48. ad Fratres in eremo. Idem alio in loco, *Cùm in extremâ,* ait, *ægritudine fueritis, fratres, ô quàm forte, ô quàm durũ, ô quàm pœnosum, ô quàm lacrymabile erit vobis pœnitere & dolere de malis commissis, & de bonis omissis? Quare hoc erit? nisi quia illic capitur tota intentio mentis, vbi est vis doloris.* *Quàm difficile pœnitere in morbo.* Et posteà: *Obsecro igitur te, vt antequam infirmitate graueris, agas pœnitentiam, dispones domũ tuam. Fac quod faciendum est, fac testamentum tuum dum sanus es, dum sapiens es, dum tuus es. Nam si expectaueris infirmitatẽ, omnino minis vel blandimentis ducèris quò tu non vis.* Sed dic, Diue Augustine, qui fit, quòd pœnitentia in vitæ fine acta tã sit incerta, tam periculosa? *Si diem mortis,* respondes, *cogitare iugiter vellent, animum suum ab omni cupiditate vel malitiâ cohiberent. Sed quod modò noluñt salubriter cogitare, necesse habent posteà sine vllo remedio sustinere. Veniet enim illis dies nouissima, veniet dies iudicij, quando nec eis pœnitentiã licebit agere, nec bonis operibus se ab æternâ morte poterunt redimere: quia percutitur etiam hac animaduersione peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret, oblitus est Dei.* Serm. 3. de Innocentibus, qui est 10 de Sãctis. *Qui sufferre modò noluit pœnitendo, posteà ad duriora cogũtur.* Dic & tu, sancte Gregori, rationem huius periculi. *Omnipotentis Dei,* respondes, *misericordia obliuisci eius dicitur, qui omnipotentis Dei iustitiæ fuerit oblitus: quia quisquis eum nunc iustum non timet, posteà inuenire non valet misericordem.* Lib. 16. Moralium, c. 31. Sed insuper, ne in minimo deesse videamur, quàm conuersionis procrastinatio mala sit, ex DD. Fulgentio, Isidoro & Bernardo demonstrabimus.

S. Fulgentius igitur Ruspensis Episcopus hæc habet quæ huc faciunt. 20. De Fide ad Petrum Diaconum, c. 3. *In quacumque homo ætate,* inquit, *veram peccatorum suorum pœnitentiam egerit, & vitam suam Deo illuminante correxerit, non priuabitur indulgentiæ munere: quia Deus, sicut per Prophetam dicit, non vult mortem peccatoris siue morientis, sed magis vt reuertatur à viã suâ malâ, & viuat anima eius. Verumtamen nullus hominum debet sub spe misericordiæ Dei in suis diutiùs remanere peccatis, cùm etiam in ipso corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diutiùs ægrotare.* *Sub spe misericordiæ diuinæ non est in peccatis permanendũ.* *Tales enim, qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, & sibi de Deo indulgentiam repromittunt, nonnumquam ita præueniuntur repentino Dei furore, vt nec conuersionis tẽpus, nec beneficium remissionis inueniant. Ideò vnumquemque nostrûm sacra Scriptura benignè præmonet, dicens: Ne tardaueris conuerti ad Deum, & ne differas de die in diem; subitò veniet ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te. Dicit etiam beatus Dauid: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Cui beatus quoque Paulus concordat his verbis: Videte, fratres, ne fortè sit in aliquo vestrûm cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo, sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis falláciâ peccati. Obduratus igitur viuit, siue qui non conuertitur, desperans de indulgentiã peccatorum suorum: siue qui sic misericordiam Dei sperat, vt vsque in finem vitæ præsentis in suorum criminum peruersitate permaneat.* *Obduratus quis sit dicendus.* *Proinde diligentes misericordiam Dei, metuentesq; iustitiam, nec de remissione peccatorum desperemus, nec remaneamus in peccatis; scientes quia illa omnium hominum debita sit exactura æquitas iustissimi Iudicis, quæ non dimiserit misericordia clementissimi Redemptoris.* *Diligenda quidem Dei misericordia, simul tamen & metuenda iustitia.*

21\. S. Isidorus, non solùm Hispaniæ, sed totius Ecclesiæ Catholicæ decus, hæc pro pœnitentiæ cõmendatione scribit: Lib. 2. De Sũmo bono, cap. 13. *Quamuis quisque sit peccator & impius, si ad pœnitentiam conuertatur, consequi posse veniam creditur.* *Peccator, si ad pœnitentiam conuertatur, potest veniam consequi.* *Nullus enim de bonitate Dei dubitat, sed sola accipientiũ prauitas conferri sibi indulgentiam abnegat. In hac vitâ tantùm pœnitentiæ patet libertas, post mortem verò nullam correctionis esse licentiam. Vnde & Dominus dicit: Me oportet operari opera eius qui me misit, donec dies est. Veniet autem nox, quando nemo potest operari. Hinc & Propheta, Date, inquit, Domino Deo nostro gloriam, antequam contenebrescat, id est, antequam* *Notet hæc quicũque in peccatis hæret, & pœnitentiam procrastinat.*

tequam mors æterna præueniat. In hac vitâ dum estis, Deum per pœnitentiam glorificate. Adhuc in hoc sæculo pœnitentiam operantibus Dei misericordia subuenit. In futuro autem iam non operamur, sed rationem nostrorum operum ponimus. Per id deteriorantur plerumque iniqui, quòd per patientiam Dei spatium accipiunt emendandi: quia illi morâ viuendi non vtuntur ad pœnitentiam, sed ad peccandi vsurpant audaciam. A malo autem in deterius vadit, qui tempus sibi ad pœnitentiam indultum, ad libertatem praui operis vertit. Festinare debet ad Deum pœnitendo vnusquisque dum potest, ne, si dum potest noluerit, cùm tardè voluerit, omnino non possit. Proinde Propheta ait: Quærite Dominum, dum inueniri potest, inuocate eum, dum propè est. Et vbi inueniri potest, nisi in hac vitâ, in quâ etiam propè est omnibus inuocantibus se? Nam tunc iam longè erit, quando dixerit, Ite in ignem æternum. Modò autem non videtur, & propè est; tunc videbitur, & propè non erit; quia & videri poterit, & non poterit inueniri. Si, quando quisque peccare potest, pœnitet, vitamq́ suam viuens ab omni crimine corrigit, non dubium quòd moriens ad æternam transeat requiem. Qui autem prauè viuendo pœnitentiam in mortis agit periculo, sicut eius damnatio incerta est, sic remissio dubia. Qui ergo cupit certus esse in morte de indulgentiâ, sanus pœniteat, sanus perpetrata facinora defleat. Sunt qui pœnitentibus securitatem citò pollicentur, quibus benè per Prophetam dicitur: Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominiâ, dicentes, Pax, & non erat pax. Cum ignominiâ igitur curat contritionem, qui peccanti, & non legitimè pœnitenti, promittit securitatem. Vnde & sequitur: Confusi sunt, quia abominationem fecerunt. id est, confusi sunt, non pœnitendo, sed pœnas luendo. Aliter enim confunditur coram Iudice reus, dum plectitur; atque aliter, qui de malo opere erubescens corrigitur: ille enim, quia reprehensus est confunditur; iste, quia se malum fecisse memoratur. Quamuis per pœnitentiam propitiatio peccatorum fit, sine metu tamen homo esse non debet, quia pœnitentis satisfactio, diuino tantum pensatur iudicio, non humano. Proinde quia miseratio Dei occulta est, sine intermissione flere necesse est. Neque enim vmquam oportet pœnitentem habere de peccatis securitatem: nam securitas negligentiam parit, negligentia autem sæpè incautum ad vitia transacta reducit.

Pœnitentia ad mortem vsque dilata, periculosa est.

Non debet facilè peccator securus esse de veniâ.

22\. S. Bernardus tandem suo quoque hoc calculo approbat, sic dicens: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt. Quid dissimulant homines in vitâ suâ agere pœnitentiam, & extrema de confessione præsumunt? Quomodo sub vnius horæ articulo reuocari posse æstimant omnia animæ membra, cuius concupiscentiæ & desideria per totum mundum sparsa sunt, & vbique terrarum velut quodam visco tenentur? Non dico, ait Dominus, quin & talium saluem aliquos: potens sum enim in momento omnia reuocare: sed non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, id est qui in sanguine perseuerant, donec multiplicatis infirmitatibus deserantur à peccatis antè quàm deserant ea; non magna talium conuenticula congregabo. Si bene memini, in toto canone Scripturarum vnum inuenies latronem sic saluatum. Noli ergo huic tam periculosæ expectationi credere temetipsum. Et quidem spiritus non modò vbi vult, sed quando vult, spirat: nec ei difficile est de subito perfectam dare contritionem cordis, quam vix multo tempore alij consequuntur. Sed vnde scis quod tunc tibi ita subuenire velit, quem tu interim sic repellis? Benignus quidem est Spiritus sapientiæ, sed non liberabit maledictum à labiis suis. Audi quis ille sit: Maledictus qui peccat in spe.*

Serm. 38. in paruis.

Ostenditur vix in morte quemquam debitè posse conuerti.

Hæc ita prolixè è Patribus producenda censuimus, quia res hæc multorum defunctorum citiùs liberandorum causa esse potest, vt anteà diximus; & plurimorũ etiam, si peccatoribus imprimi possit, saluandorum, quos alioquin ex dilatâ nimis pœnitentiâ damnari fortè contingeret. 23.

Quàm vtiliter præcedentia ita deducta sint.

Iam & Scripturarum testimonia spectabimus. *Ne dixeris*, legimus in Ecclesiastico, *Peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adiicias peccatum super peccatum. Et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximãt, & in peccatores respicit ira illius. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Item: *Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, vtrùm amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta, eò quòd vniuersa æquè eueniant iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic & peccator: vt periurus, ita & ille qui verum deierat. Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt. Vnde & corda filiorum hominum implentur malitiâ & contemptu in vitâ suâ, & post hæc ad inferos deducentur.* Hymnographus Regius sic ait: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Eiusdem quoque filius, *Beatus homo*, inquit, *qui semper est pauidus; qui verò mentis est duræ, corruet in malum.* Apostolus & Doctor gentiũ variis in locis idem adstruit. *Tu autem fide stas*, ait, *noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.* Iterùm: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Iterùm: *Itaque charissimi mei (sicut semper obedistis) non vt in præsentiâ mei tantũ, sed multò magis nunc in absentiâ meâ, cum metu & tremore vestrã salutem operamini.*

Eccli. 5.

Idem ex Scripturis probatur quod antè ex patribus.

Eccle. 9.

Timoris necessitas in antiquâ Lege asserta.

Psalm. 2.

Prou. 28.

Illius in nouâ admonemur.

Rom. 11.

1. Cor. 4.

Philip. 2.

Quàm ergo prudenter sancta Mater Ecclesia filios suos in capite ieiunij Quadragesimalis exhortatur: *Emendemus in melius quæ ignoranter peccauimus, ne subitò in die mortis quæramus spatium pœnitentiæ, & inuenire non possimus.* Huiusmodi consilium secuti sunt illi, qui statim atque à Deo vocati sunt, voci diuinæ obtemperauerunt. Ita fecit is de quo dictum est, *In auditu auris obediuit mihi.* Ita fecit Rex ille magnificentissimus & potentissimus, qui ad vocem Nathan Prophetæ eum de peccato reprehendentis, peccatum suum confessus est, & salutarem animæ suæ pœnitentiam egit. Ita summus & primus Apostolorũ D. Petrus, postquam Christus respexit, *recordatus est verbi Domini, & egressus foras, fleuit amarè.* Ita fecit qui apparenti sibi Domino statim respondit: Domine, quid me vis facere? Ita fecit peccatrix illa, quæ statim *vt cognouit quia Iesus accubuisset in domo Pharisæi, tulit alabastrum vnguenti, & stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Vnde & audire à Saluatore meruit, *Remittuntur tibi peccata tua.* Ita denique factum cum filio prodigo, qui mox vt in se reuersus fuit, dixit: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum, & coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum ex mercenariis tuis.* 24.

In officio Feriæ IV. Cinerum.

Citò ergo ad Deũ nos conuertamus.

Psalm. 17.

2. Reg. 12.

Quorum in hoc habeamus exẽpla.

Matth. 26.

Luc. 22.

Act. 9.

Luc. 7.

Luc. 15.

Quàm sibi male qui expectarunt consuluerint.

Secùs verò factum cum iis qui oblatã gratiæ ac misericordiæ diuinæ occasionem non statim arripuerunt. In Canticis canticorum refertur Sponsæ vocem Sponsi negligentis historia, quæ nos erudire debet, vt discamus quot ex solâ negligentiâ prodeant incommoda. Vox dilecti mei, inquit sponsa, pulsantis : *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea; quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Respondi ego : *Expoliaui me tunicâ meâ, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.* Interim ego hæsitans nolui aperire, & sic dilectus meus abiit. Pœnitens ego, *surrexi vt aperirem dilecto meo: manus meæ stillauerunt myrrhâ, & digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, vt locutus est. Quæsiui, & non inueni illũ; vocaui, & non respondit mihi. Inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatem: percusserunt me, & vulnerauerunt me. tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei quia amore langueo.* Sed multò est terribilius quod ciuitati Ierosolymitanæ contigit, de quâ ita legimus : *Vt appropinquauit,* Christus scilicet ad portas ciuitatis, *videns ciuitatem fleuit super illam dicens: Quia si cognouisses, & tu, & quidem in hac die tuâ, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique: & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Quod sanè ita aptum est nostro proposito, vt vix videam an aliud quid magis quadrare possit. Nam anima cuiusque nõstrûm mystica reuerà est ciuitas Ierosolymitana, cui eædem impendẽt miseriæ & extremæ calamitates, quæ super materialem vrbem Ierusalem venerunt. Nouissimè enim inimici nostri nos circumdant vallo, vt nusquam exire possimus : coangustant nos & ad terram vsque prosternunt, neque lapidem super lapidem in nobis relinquunt, hoc est, vniuersa in nobis disturbant, atque omnes animarum nostrarum dona & gratias in nihilum redigunt. Sed vnde tanta afflictio, tanta punitio? Eò quòd non agnoscamus tempus visitationis nostræ. Inde videlicet tantũ malum, inde æternum malum, inde totum malum, quòd non cognoscat peccator tempus visitationis suæ.

Cantic. 5.

In Sponsâ Canticorum liber exemplum posuit.

Luc. 19.

In ciuitate Ierusalem fundum Euangelium.

25. Hinc Deus apud Ieremiam vehementer conqueritur, dicens : *Quare auersus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosâ ? Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti. Attendi, & auscultaui: nemo quod bonum est loquitur, nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium. Miluus in cælo cognouit tempus suum; turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui : populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Eiusmodi comminationes reperiuntur apud Ezechielem, vbi sic ait: *Nunc finis super te, & immittam furorem meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas: & ponã contra te omnes abominationes tuas. Et non parcet oculus meus super te, & non miserebor: sed vias tuas ponam super te, & abominationes tuæ in medio tui erunt.* Iterùm : *Angustiâ superueniente, requirent pacem, & non erit.* Item : *Secundùm viam eorum faciam eis, & secundùm iudicia eorum iudicabo eos.* Et apud Psalmographum: *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, & parauit illum.* Hinc S. Augustinus : *Illa pœna peccati iustissima, vt amittat vnusquisque illud quo benè vti noluit, cùm sine vllâ difficultate posset, si vellet. id est, vt qui sciens rectè non facit, amittat scire quid rectum sit; & qui rectum facere, cùm posset, noluit, amittat posse cùm velit.* Et benè hunc in sensum S. Gregorius: *Nemo Dei longanimitatem negligat, quia tantò districtiorem iustitiam in iudicio exiget, quantò longiorem ante iudicium patientiam prorogauit.* Quin & ipsi Gentiles iustam hanc Dei sententiam aduerterunt, ideoque non infimus quispiam illorum dixit: *Lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, & tarditatem supplicij grauitate compensat.* Quæ autem grauior pœna, quàm sine pœnitentia in peccatis extingui? cuius terribile admodũ exemplum nobis refert Ven. Beda, vir sanè omni exceptione maior, hunc in modum: Fuit quidam in prouinciâ Merciorum, cuius visiones ac verba necnon & conuersatio plurimis, sed non sibimet ipsi profuit. Fuit enim quidam vir temporibus Conradi, qui post Edilredũ regnauit, vir in laico habitu, atque officio militari positus, sed quantũ pro industriâ exteriore Regi placens, tantum pro internâ suimet negligentiâ displicens. Admonebat ergo illum sedulè Rex vt confiteretur, & emendaret ac relinqueret scelera, priùs quàm subito mortis superuentu tempus omne pœnitẽdi & emendandi perderet. Verùm ille frequenter, licet admonitus, spernebat verba salutis, seseque tempore sequenti pœnitentiam acturũ promittebat. Inter hæc tactus infirmitate decidit in lectũ, atque acri dolore cœpit torqueri. Ad quem ingressus Rex (diligebat enim eum multùm) hortabatur, vt vel tunc, antequam moreretur, pœnitentiam ageret commissorum. At ille respondit, non se tunc velle confiteri peccata sua, sed cùm ab infirmitate resurgeret, ne fortè exprobrarent sibi consodales, quòd timore mortis faceret ea quæ sospes facere noluerat. Fortiter quidem, vt sibi videbatur, locutus, sed miserabiliter (vt pòst patuit) dæmoniacâ fraude seductus est. Cumque morbo ingrauescente denuò ad eum visitandum ac docendum Rex intraret, clamauit statim miserabili voce : Quid vis modò? quid huc venisti? Non mihi aliquid vtilitatis aut salutis potes vltrà conferre. At ille inquit: Noli ita loqui, vide vt sapias sanum. Non, inquit, insanio, sed pessimam conscientiam mihi certus præ oculis habeo. Et quid, inquit, hoc est? Paulò antè intrauerunt domum hanc duo pulcherrimi iuuenes, & resederunt circa me, vnus ad caput, & vnus ad pedes: protulitque vnus libellum perpulchrum, sed vehementer modicum, ac mihi legendum dedit, in quo omnia, quæ vmquam bona feceram intuens scripta reperi ; & hæc erant nimiùm pauca & modica. Receperunt codicem, nec mihi aliquid dixerunt. Tunc multitudo superuenit malignorum, & horridorum vultu spirituum, domumque hanc mox & exteriùs obsedit, & intus maximâ ex parte residens impleuit. Tunc ille qui & obscuritate tenebrosę faciei, & primatu sedis, maior esse videbatur eorum, proferens codicem horrendæ visionis, & magnitudinis enormis, & ponderis

Ierem. 8.

Quàm indignum sit non conuerti dum habetur occasio.

Ezech. 7.

Quid conuersionem differentibus Deus minetur.

Psalm. 7.

Lib. 3. de Libero arbitrio.

Homil. 13. in Euangelia.

Valerius l. 1.

Lib. 5. de Gestis Anglorũ, cap. 14.

Terribilis differentis confessionē punitio.

Parũ prodest moribundum ad pœnitentiam adhortari.

deris pænè importabilis, iussit vni ex satellitibus suis mihi ad legendum deferri. Quem cùm legissem, inueni omnia scelera, non solùm quæ opere vel verbo, sed etiam quæ tenuissimâ cogitatione peccaui, manifestissimè in eo tetris litteris esse scripta. Dicebatque ad illos, qui mihi assedebant, viros albatos & præclaros: Quid hic sedetis, scientes certissimè quia noster est iste? Responderunt: Verum dicitis. accipite, & in cumulum damnationis vestræ ducite. Quo dicto, statim disparuerunt. Surgentes verò nequissimi spiritus, habentes in manibus candens ferrum, percusserunt me, vnus in capite, & alius in pede, qui videlicet magno tormento irrepunt ad interiora corporis mei. Moxque vt adinuicem peruenient moriar, & paratis ad rapiendum me dæmonibus in inferni claustra pertrahar. Sic loquebatur miser desperans, & non multò post defunctus pœnitentiam, quam ad breue tempus cum fructu veniæ facere supersedit, in æternum sine fructu pœnis subditus facit. De quo constat, quia (sicut Papa Gregorius de quibusdam ait) non pro se ista cui non profuere sed pro aliis videri, qui eius interitum cognoscentes, differre tempus pœnitentiæ, dum vacat, timerent, ne improuiso tandem mortis articulo præuenti, impœnitentes perirent. Quòd autem codices diuersos per bonos siue malos spiritus sibi vidit offerri, ob id supernâ dispensatione factum est, vt meminerimus facta & cogitationes nostras non in ventum defluere, sed ad examen summi Iudicis cuncta seruari, & siue per amicos bonos Angelos in fine nobis ostendenda, siue per hostes. Quòd verò priùs candidum codicem protulerunt Angeli, deinde atrum dæmones, illi paruum, isti enormem, animaduertendum est, quòd in primâ ætate bona aliqua fecit, quæ tamen vniuersa prauè agendo iuuenis obnubilauit. Hæc Ven. Beda.

Quid hoc exemplo doceamur.

26. Secundus pœnitentis actus, est peccatorum proprio Sacerdoti facta confessio. Hæc, præterquam quòd contritionem aut attritionem saltem à Deo excitatam prærequirat, vt debitè fiat, conueniens examen præsupponit, vt absolui à spirituali Iudice, qui Confessarius est, pœnitens queat, in iis nimirum in quibus est reus, & se culpabilem accusauit: contrarium enim in mystico hoc tribunali solet fieri quàm in aliis tribunalibus sæcularibus. In hoc namque iudicio reus sui accusator est: & quò clariùs is delicta sua particulariusque patefacit atque commonstrat, eò faciliùs certiusque absoluitur, quantoque ampliùs sese excusat, aut minùs etiam accusat, magis habet vnde damnari timeat, magis vnde terribiliùs condemnari. Hinc SS. Patrum vniuersorum acclamatio nos peccatores instigare debebat, vt confessioni ritè perfecteque instituendæ huiusmodi examen præmittamus. Lectorem verò meum admodum rogatum velim, vt hoc in negotio, à quo æterna multorum salus dependet, patientem se præbeat, & quàm sit conformis ac vniuersalis antiquorum Orthodoxorum in huius rei defensione sententia, auscultare non renuat. Loca, quæ ex singulis citabo, vespertino quotidie faciendo conscientiæ examini applicari facilè poterunt. D. Bernardus hæc habet: *Post Completorium singulis diebus Capitulum sibi teneat Monachus, & conuocatis cogitationibus suis, ponat rationem diligenter, quid ipsâ die cogitatione, locutione vel opere deliquerit, publicè vel priuatim, per singulas noctes lectum suum lauans, hoc est, singulis peccatis lacrymis & doloribus purificatis, diligenter de singulis computet, emendatioris vitæ desiderio tactus, cogitationum, locutionum, operumq́; suorum sit sollicitus explorator, vt singulos excessus suos corrigat.* Idem Doctor alio in loco sic ait: *Ista semper in mente habeas, quid fuisti, quid es, & quid eris. Quid fuisti, quia sperma fœtidum: quid es, quia vas stercorum: quid eris, quia esca vermium. Cùm habes aliquid quod tibi displicet, vel times habere, cogita quod tu, si esses in inferno, & illud & quidquid nolles haberes. Et cùm habes aliquid quod tibi placet, vel optas habere, cogita quòd tu, si esses in paradiso, haberes illud & quidquid velles; si autem in inferno esses, nec illud nec aliud quod velles haberes. Cogita de tempore quod perdis, quòd illi qui in infernò sunt, totum darent mundum si haberent pro eo. Omni die cùm vadis cubitum, examina diligenter quid cogitasti, & quid dixisti in die, & quomodo vtile tempus & spatium, quod datum est ad acquirendum vitam æternam, dispensasti: & si benè transiuisti, lauda Deum; si malè vel negligenter, lugeas, & sequenti die non differas confiteri. Si aliquid cogitasti, dixisti vel fecisti quod tuam conscientiam multùm remordeat, non comedas antequam confitearis.* Denique & alibi hæc scribit: *Nunc autem quoniam dies mali sunt, considerationi aliquid tui & cordis & temporis conuenit sequestrare. In partibus considerationis præcipuum est, vacare & videre, quoniam suauis est Dominus, quoniam ego sum Deus. Et primùm quidem ipsum fontem suum, id est mentem, de quâ oritur, purificat consideratio, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat. Postremò diuinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, vt nihil in mente resideat aut incorrectum, aut correctione indigens. Hæc est quæ in prosperis aduersa præsentit, in aduersis quasi non sentit; quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ est. Hæc item est quæ inter necessitates & voluptates media quasi quadam arbitra sedens, vtrimque certis limitibus disterminat fines, istis assignans & præbens quod sat est, illis quod nimis est demens.*

Alter pœnitentis actus est confessio.

Quàm sit vniuersalis doctrina Orthodoxorum de examine confessioni præmittendo.

In Speculo Monachorū.

In Formulâ honestæ vitæ.

Pia ad examen huiusmodi facientium excitantes cogitationes.

Lib. 1. de Confider. ad Eugenium Papam.

Quid ex cogitationibus hisce pii profectus.

D. Bernardo succedat S. Gregorius Magnus, cuius hæc sunt verba: *Corpora animalium idcircò plena oculis describuntur, quia sanctorum actio ab omni parte circumspecta est, bona desiderabiliter prouidens, mala solerter cauens. Et hoc est laboriosius, quia Sanctorum mens vehementer inuigilat, ne se ante eorum oculos mala sub bonorum specie abscondant.* Infrà: *Igitur quia sancti viri solerter inuigilant vt se vndique adspiciant, & vbique custodiant, ne aut mala propterea ipsa appetant, aut hæc eadem sub specie bonorum agant, scilicet ne se eis vitia virtutes esse mentiantur. Totum corpus plenum in circuitu oculis habent, quia omnis eorum actio prouidentiâ sollicitudinis & repletur, & circumdatur. Alia lectio habet, dorsa eorum plena oculis. Ea enim quæ sunt in facie, sæpè etiam peccatores homines custodire solent: iusti autem viri, quia se & in eis custodiunt, quæ in promptu & in facie non videntur, in dorsis oculos habere referuntur. Qui ergo & ea quæ in occultis sunt discutiunt, atque ab ipsis se custodiunt quæ latent, profectò oculos in dorsis habent.* Et iterùm alibi: *Omnis iustus qui vitam suam sollicitus adspicit, & diligenter considerat quantum quotidie in bonis crescat, aut fortasse quantum à bonis decrescat, iste, quia se ante se ponit, coram se ambulat, quippe qui* 27.

Homil. 7. in Ezech.

Iusti ab omni sibi parte prospiciunt.

Homil. 4. in Ezech.

Quid sit ante se ambulare.

vigilanter videt vtrùm surgat an defluat. Quisquis verò vitæ suæ custodiam negligit discutere, quæ agit, quæ loquitur, quæ cogitat, aut despicit aut nescit, coram se iste non ambulat, quia qualis sit in suis moribus vel in actibus, ignorat: nec sibimet præsens est, qui semetipsum quotidie exquirere atque cognoscere sollicitus non est. Ille autem veraciter se ante se ponit, sibiq; in præsenti est, qui se in suis actibus tamquam alterum attendit. Nam sunt multa peccata quæ committimus, sed idcircò nobis grauia non videntur, quia priuato nos amore diligentes, clausis nobis oculis in nostrâ deceptione blandimur. Ex quo fit, vt hoc quod nos agimus, & graue esse non existimamus, plerumque agatur à proximo, & nimis nobis detestabile esse videatur.

28\. S. quoque Augustinus, quod hanc in rem faciat habet. Inquit enim sic: *Ascendat homo aduersum se tribunal mentis suæ: existimet illud, quòd nos oporteat exhiberi ante tribunal Christi, vt illud recipiat vnusquisque quod per corpus gessit, siue bonum siue malum: constituat se ante faciem suam, ne hoc ei posteà fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori, dicens: Arguam te, & statuam te ante faciem tuam. Atque ita constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Postremò, ab ipsâ mente talis sententia proferatur, vt se indignum homo iudicet participatione corporis & sanguinis Domini. Vt qui separari à regno cælorum timet per vltimam sententiam summi Iudicis, per Ecclesiasticam disciplinam à Sacramento cælestis panis interim separetur.* Haud minùs è S. Ioanne Chrysostomo egregia adferri possunt, cuius hæc sunt verba: *Habeto codicem conscientiam tuam, & scribe quotidiana peccata. Quando accubueris super stratum tuum, & neminem infestum pateris, antequam veniat tibi somnus, profer in medium codicem conscientiam tuam, & reminiscere peccata tua, si quid in verbo, seu in facto, vel in cogitatione peccasti. Hoc enim dicit Propheta: Irascimini & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* Et post pauca: *Dicito in corde tuo, & in animâ tuâ: Expendimus diem, ô animâ, quid boni fecimus, aut quid mali operati sumus? Et si quid boni fecisti, gratias age Deo, si quid mali, de cetero ne facias.* Iterùm paulò pòst: *Propone tibi timorem gehennæ, superducito ei secturæ ictum non habentem dolorem. Iudicium facito tibimetipsi terribile, leuiorem præpara confessionem cogitatuum tuorum, vt non in futuro die ignauior sis ad perscrutanda peccata.* Idem etiam alibi: *Quid, dic mihi, corporeis viribus opus est, cùm cor conterere debeamus? Hoc solum est quod exposcitur à nobis, vt semper recordemur, & ad animum reuocemus mala nostra, & conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, vt pro his supplicemus Deo, vt gehennam ponamus in conspectibus nostris, & angelos, qui in die iudicij vbique discurrunt, & congregant de omni orbe terrarum eos qui trudendi sunt in gehennam, ac suppliciis tradendi. Ponamus etiam illud ante oculos, quanti doloris est excludi ac proiici à regno cælorum, quod, vt mihi videtur, grauius est ipsâ gehennâ. Nam etsi ignis ille non arderet, & immortalis illa pœna non esset parata, hoc solum, quòd alieni efficimur à Christo, & excludimur à bonis æternis, nónne omni pœnâ cruciabilius diceretur?*

Lib. de Pœnitentiæ medicinâ, cap. 9. vel Homil. 50. c. 4.

Mentis tribunal adscendendum, pro compunctione parandâ.

In eo tribunali accusator est cogitatio, testis conscientia, carnifex timor.

Homil. 2. in Psalmum 50.

Quænam sibi examinãs proponere debeat.

Lib. 1. de Compunct. cordis, sub finem.

A regno cælorum separari quàm sit luctuosum.

29\. Iam quem fructum è continuâ peccatorum memoria capere possimus, alio iterùm in loco idem sanctus Doctor describere dignatus est. Sic ergo inquit: *Tantum boni confert meminisse frequentiùs hominem peccati sui, vt etiam Paulum Apostolum videamus ea quæ iam abolita fuerant & deleta, adducere tamen in medium: & cùm culpam de præsentibus non haberet, tamen quoniam recordationes peccatorum, & luctum gemitumq; sciebat animæ prodesse, etiam illa commemorat, quæ per ignorantiam commissa, gratia Baptismi & confessio fidei aboleuerat*, &c.

Lib. 1. de Compunct. cordis, circa finem.

Omittenda minimè sunt, quæ etiam hanc in rem habent duo alij Ecclesiæ Patres, S. Basilius & S. Ambrosius. Hic, nimirum Ambrosius, commentarium scribens super illud Psalmi 118. *Cogitaui vias meas*, ita ait: *Cogitaui vias meas futuras, vt antè meos actus cogitationibus præuenirem, ne in ipsis in aliquid offensionis inciderem. Omnia igitur cum cogitatione facito, vt non te pœniteat aperti oris tui. An verò, si viam ingressus, cùm veneris ad compitum aliquod, si nescias quod iter ingredi debeas, stas tamen & cogitas ipse tecum, vtrùm primam, aut secundam, aut tertiam viam eligas quam sequaris, nec putas priùs adoriendum iter, quàm animo definieris. Stas igitur cogitans quæ sit via quæ in ciuitatem ducat ad quam tibi putas esse pergendum. Quantò igitur magis debes animo ac mente consistere, qui ad regnum cæleste tendis, & cogitare tecum, quia non omnis via illò ducit, non omnis illò dirigit ad Ierusalem illam quæ in cælo est. Sunt viæ quæ malos exitus mortis habent. Hæ sunt viæ de quibus legisti, quia sunt viæ quæ videntur viro rectæ esse, vltima autem eius adspiciunt in profundum inferni. Est autem via angustior illa quæ ducit ad Dei regnum. Volens ergo eam ingredi viam quæ ad Deum ducit, non circumspicies, non tecum ipse tractabis, ne facilè capiaris affectu, si viæ latitudine progrediaris iter quod ad inferna deducat.* S. Basilius verò apertiùs sic ait: *Completo iam die, pro omnibus iis quæ in eo nobis data fuerint, felicitérve nobis euenerint, gratiarum actio succedet, eorumq;, quæ vel per consensum aut secùs contra animi sententiam prætermissa sunt, confessio: ac sicubi latens delictum aliquod admissum fuerit verbis, operibúsve aut corde, pro his omnibus, oratione adhibitâ, veniam nobis à Deo comprecabimur. Siquidem ad similia peccata iterùm euitanda, valdè vtilis est præteritorum consideratio. Idcircò Dauid dicit: Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.*

Octonario 8. in Psal. 118.

Quomodo actiones nostras præuenire debeamus, & examinare præteritas.

Tom. 1. in Respons. ad interrog. 37.

Pro iis quæ per diem occurrerunt si benè acta fuerint agendâ gratia, sin malè venia imploranda.

Plura possemus è Patribus adducere, sed ne Lectoris patientiâ abuti velle videar, pedem sisto. 30. Interim tamen nec inutile nec ingratum futurum arbitror, si, antequam confessionis necessitatem aggrediar, vel paucis ostendero quàm omnia & singula peccata exprimenda sint, vt Pœnitentiæ Sacramentum integrum suum valorem assequi posit. Ne verò in Patrum sententiis producendis moram traham, è Tridentino Concilio, quid ibi de confessionis integritate statuatur, audiamus. Ibi ergo hæc leguntur: *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ iam explicatâ vniuersa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus, post Baptismum lapsis, Iure diuino necessariam existere: quia Dominus noster Iesus Christus, è terris ascensurus ad cælos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tamquam præsides & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur in quæ Christi fideles ceciderint; quò, pro potestate clauium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim, Sacerdotes iudicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuisse, si in genere dumtaxat, & non potiùs in specie & sigillatim, sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post dilige-*

Sessiun. 14. cap. 5.

Integra peccatorum confessio à Christo est instituta, & lapsis ad salutem necessaria.

In specie & sigillatim peccata sunt confitenda.

diligentem sui discußionem conscientiam habent, in confeßione recenseri, etiamsi occultißima illa sint, & tantùm aduersus duo vltima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnumquam animum grauiùs sauciant, & periculosiora sunt iis quæ in manifesto admittuntur. Nam venialia, quibus à gratiâ Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè & vtiliter citráq; omnem præsumptionem in confeßione dicantur, quod piorum hominum vsus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisq; aliis remediis expiari possunt. Verùm cùm vniuersa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios & Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam, cum apertâ & verecundâ confeßione à Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia diuinæ misericordiæ ignoscenda exponunt. Qui verò secùs faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati, per Sacerdotem remittendum, proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat Medicina, non curat. Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confeßione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, quòd sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innotescant; & fieri nequeat, vt de grauitate criminum rectè censere poßint, & pœnam, quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere. Vnde alienum à ratione est, docere, circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse, aut vnam tantùm circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fr[a]trem. Et vt omnes videant, antiquißimam Ecclesiæ esse doctrinam quòd omnia peccata confitenda sint, adeoque integra confeßio facienda sit, duos è primitiuæ Ecclesiæ Patribus, qui hoc ipsum apertißimè adstruant, attexam.

Venialia omitti possunt.

Vniuersa mortalia, quæ memoriæ post diligens examen occurrunt, necessariò sunt confitenda.

Circumstantiarum confeßio.

31. Prior est D. Augustinus, qui sic loquitur: *Cautus sit pœnitens, ne verecundiâ ductus diuidat apud se confeßionem, vt diuersa velit diuersis Sacerdotibus manifestare: quædam enim vni celat, quæ alii manifestanda reseruat: quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper veniâ carere, ad quam per frusta totam putat peruenire.* Vnde perfacilè patet, non solùm, verißimum esse illud Theologorum axioma, *Dimidiam nemo potuit sperare salutem*: id est aliqua per confeßionem dimitti peccata, si alia reticeantur; sed &, etiamsi omnia confessus fuerit pœnitens, si non sit confessus omnia eidem, non esse quòd veniæ donum speret. Et vt maior hisce Augustini verbis fides atque auctoritas tribueretur, in Ius canonicum sunt relata, vt patet de Pœnit. dist. 5. Consideret. §. Cautus. Alter è primitiuâ Ecclesiâ testis, S. Augustino multò vetustior, est Pacianus, cuius hæc sunt verba: *Vos primùm appello, fratres, qui criminibus admißis, pœnitentiam recusatis; vos inquam post impudentiam timidos, post peccata verecundos: qui peccare non erubescitis, & erubescitis confiteri.* Et paulò pòst: *Ecce iterùm Apostolus ad Sacerdotem: Manus citò nulli imponas, nec communices peccatis alienis. Quid facies tu, qui decipis Sacerdotem? qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum scientem probandi difficultate confundis. Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam. Prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos. Meminimus quosdam remota etiam & verecunda membrorum non erubescentes, in ferro & cauterio, & grauißima illâ pulueris mordacitate durasse: & quantum est illud quod homines præstiterunt? Peccator timebit? peccator erubescet perpetuam vitam præsenti pudore mercari? & offerenti manus Domino vulnera malè tecta subducet? & habet aliquid, quod in illo erubescat qui Dominum læsit? An sic illi melius est perire, ne tu, pudore timidus, sine pudore moriaris, nan faciens pudori locum, plus de detrimento eius acquiras, cui pro te melius est perire? Quòd si fratrum oculos erubescitis, consortes casuum vestrorum nolite timere. Nullum corpus membrorum suorum vexatione lætatur, immò pariter dolet, & ad remedium conlaborat.* Sed quoniam huiusmodi materia magis imprimenda est rudibus, quàm persuadenda doctis, captui eorum binos accommodos modos vsurpabimus, quorum alter sit per apparitionem, alter per exemplum.

Lib. de Pœnitentiâ.

Non valet diuersis Sacerdotibus spontè facta confeßio.

In Parænesi ad pœnitent. siue lib. de Pœnitent. & confess.

Similitudine explicatur quam non iuuat non plenè facta cōfeßio.

32. Prioris modi insigne argumentum habemus apud Ven. Petrum Abbatem Cluniacensem, qui ita scribit: *Regressus ab Angliæ partibus, dum Cluniacum tendens per Franciam iter agerem, ad quoddam monasterium Cluniacensis Ordinis, quod Radolium vocatur, & ad charitatem pertinet, hospitandi causâ diuerti. Præsidebat tunc eidem loco, more Prioris, Frater quidam Bernardus nomine, Pictauus natione, iuuenis ætate, elegans moribus, opere strenuus, domui sibi commissæ prudenter prouidens. Detinebatur tunc validâ febri, tamq; graui, vt lecto aßiduè decumbere cogeretur. Veni ergo, & tali eum morbo grauatum inueni. Acceßi statim, factâ regulari oratione, ad ipsum, & qualiter se haberet, sollicitè perquisiui. Respondit ille quod clarum erat, nec vllum cernentem latere poterat, multum se incommodo iam dicto grauari. Monui pro officio, vt quamdiu compos sui erat, conscientiam scrutaretur, peccata confiteretur, nec aliquid ad salutem animæ pertinens intermitteret; sed confeßione, deuotione, oratione, ad iter peregrinum securè explendum, se toto quo posset conamine pararet. Acquieuit monitis libens, & semotis aliis, me tantùm coram eo residente, confiteri deuotè aggressus est. Expletâ, prout tunc datum fuit, confeßione, feci quod meum erat, & ægrum confitentem Christiano more absolui. Iniunctâ verò ei congruâ, iuxta quod ab ipso audieram, & mihi visum est, pœnitentiâ, die sequenti ad ipsum rediturus receßi. Facto manè, vt proposueram redij, & remotis adstantibus, secretò eum de similibus, vt priùs feceram, admonebam. At ille, vt potuit, corpore, totus autem mente ad me conuersus, Peccaui, ait, Domine, & valdè peccaui, quòd de hesternâ confeßione, quam purè facere debuissem, de industriâ quædam subtraxi. Eâ de causâ ad iudicium hac nocte vocatus, mira & tremenda videre coactus sum. Adstabat quædam in loco multitudo hominum tetri coloris, horrendæ formæ, quorum deformitatem vix visus humanus tolerare poterat. Allatæ sunt ab eis lances geminæ, in quarum vnâ animam meam, in aliâ opera mea cernebam. Accusabant me vndique, & quandoque vera, quandoque falsa plurima, more suo, proferebant. Æstuabam constitutus in arcto, nec tot, vt videbatur, millibus hominum innumera obiicientibus præ timore respondere poteram. Cumq; diu huiusmodi litibus & accusationibus me, ad omnia suspensum ac trementem, vexassent; occurrebat tandem formosus, vt videbatur, vir, & in medio adstans, turbis insanientibus, imò, vt animo conceperam, dæmonibus, Quid, inquit, quæritis? Non est iste planè, non est iste de vestris. Eripuit, eripuit eum certè de manibus vestris, ea quam hesterno die Abbati suo fecit confeßio. Non sic est, inquiunt, non sic est vt dicis. Nouimus enim, & benè conscij sumus quid dixerit & quid retinuerit. Tacuit pro certo quædam, quorum sibi ipse conscius est, non obliuionè*

Lib. 1. de Miraculis, cap. vltimo.

Non integra facta confeßionis mirabilis euentus.

Rem ipse cui euenit enarrat.

obliuionè

En quomodo Dei Angeli defendere hunc nequeant.

obliuione inductus, sed deliberatione seductus. Cùm igitur bonus ille defensor meus prolatam, licet à mendacibus, veritatem negare non posset, nec tamen me deserere vellet, consumpsi in immenso labore & formidine totam hanc noctem. Quâ transactâ, aurorâ, vt credo, dante diei principium, expergefactus ad me redij. Nunc quia plenè intelligo, multam mihi hac visione à Deo impensam misericordiam, vt fateri me velis, quod tacere decreueram, detegam Deo cuncta ex integro, tibiq; Pater, nec vltrà meam animam paratâ salute fraudabo. His dictis, ad confitendum rursus conuersus, quidquid exhauriendum reliquerat, totum per Dei gratiam exhausit. Expletâ veraci & deuotâ confessione, absolui pro officio Fratrem, & Oleo sacro inunctum, Christi Corpore ad æternam vitam obtinendam refectum, Deo & Fratrum precibus intentè commendaui: sicq; valefaciens ei, cum socius recessi. Hæc Venerabilis ille Abbas, *αὐτόπτης* testis solidissimæ huius veritatis.

33. *Aliud terribilius multò non integræ confessionis exemplum.*

Exemplum quoque terribile valdè, quod, referente R. P. Francisco Costero, Societatis IESV Theologo, in quodam Geldriæ castro accidit, hìc attexo. Accepisse se id à nobili quodam viro Geldro, qui locum probè nouerat, sæpiùs affirmauit Præfatus Pater, atque à R. P. Ioanne Iuniore Ord. Prædicatorum literis consignatum, insertum est inter Exempla memorabilia Speculi, vnde descripsi ego.

Speculum exẽplorum, tit. Confessio, n. 21.

Legitur in Scalâ cæli, dicitur ibi, *quòd duo Prædicatores iuerint per viam, quorum vnus erat Pœnitentiarius Domini Papæ & sanctus homo, & alter multùm innocens & pius. Cùm ergo irent per viam, & ad quoddam castrum venissent, in quo erat mulier, quæ adulterium commiserat cum quodam de parentelâ suâ, & propter enormitatem peccati, & erubescentiam humanam, vndecim annis absque confessione tenuerat. Illa dum vidisset Fratres extraneos in Ecclesiâ celebrantes, dixit intra se: Isti non cognoscent te, nec vmquam redibunt ad partes istas, & ideò istis dices peccatum. Celebratâ Missâ, ad Pœnitentiarium accessit, & stante socio suo ex opposito cùm peccata sua confiteretur, ad quamlibet expressionem vnius peccati vnus buso exibat de ore eius, & saltando exibat Ecclesiam.*

Quàm horrendum sit vnumquodq; mortale peccatum.

Tandem confessis omnibus peccatis, cùm venisset ad illud, præ verecundiâ noluit confiteri: & dum absolueretur à Pœnitentiario, & ipsa vellet recedere, socius Pœnitentiarij vidit, quòd omnes illi bufones cum vno alio maiori, & enormioris formæ, turmatim ingressi sunt in os mulieris, & ventrem. Recessit mulier non confesso peccato, recedunt & Fratres. Et cùm per vnam leucam iuissent, socius Pœnitentiarij ei reuelauit visionem, quam viderat de muliere confitente. Qui territus & tristis dixit: Celauit aliquid in confessione. Et cùm redissent vt eam conuerterent, eam suffocatam & mortuam inuenerunt. Qui contristati modo mirabili, cum ieiunio & orationibus cœperunt implorare diuinam clementiam, vt dignaretur ostendere, quid significaretur per visionem ostensam.

Damnatæ ob imperfectam confessionem mulieris qualis apparitio.

Tertiâ die apparuit eis mulier equitans super draconem, & duo serpentes crudeles accingentes collum eius, sugentes eius vbera, duo bufones terribiles erant super oculos eius, ac de ore eius ignis sulphureus expirabat, duo canes deuorabant crudeliter manus eius, & duæ sagittæ ignitæ immittebantur per aures eius; in capite eius lacertæ stabant. Quod cùm vidissent Fratres, territi corruerunt. Tunc illa: Nolite timere amici Dei, nam ego sum illa maledicta mulier, quæ fui vobis aliâ die confessa. Et quia celaui in confessione tale peccatum, sum adiudicata perpetuò huic pœnæ. Tunc Pœnitentiarius: Adiuro te per Deum viuum & verum Christum, vt informes me de duobus dubiis. Primum est, Quid significat hæc diuersitas pœnarum? Tunc illa: Lacertæ capitis sunt in punitionem ornamentorum capitis: bufones oculorum, in punitionem corruptorum adspectuum: sagittæ ignitæ in punitionem diffamationis, cantationum & immundorum verborum: serpentes sugentes vbera, in punitionem quia sustinui immundos tactus: sed crudelitas canum, in punitionem actuum immundorum; & quia bona dedi, de quibus sustentari poterant pauperes Christi, meis amatoribus, equito super draconem, qui inexpressibili dolore cruciat & comburit omnes tibias & omnia viscera, in punitionem immundarum operationum. Tunc Pœnitentiarius: Rogo vt soluas secundum dubium meum, scilicet, Quæ sunt peccata, ex quibus gentes hodie magis damnantur? Tunc mulier: Hodie per viam peccati ad infernum descendunt viri, sed mulieres per quatuor genera peccatorum, per peccatum luxuriæ, per peccatum vani ornatus & pictionis, per peccatum sortilegij, & per erubescentiam confessionis. Cùm ergo interrogaretur, si posset iuuari, draco cum mirabili cruciatu subitò eleuans eam, ad infernum portauit. Hæc ibi.

Per quod genus peccati plures damnentur.

34. *Rectè Sancta Mater Ecclesia nos ad integritatem confessionis adhortatur.*

Quàm ergo prudenter agit sancta mater nostra Ecclesia, quæ nos filios suos, vt omnia sincerè confidenterque peccata confiteamur, adhortari non desinit. Nec immeritò: quia quemadmodum ij qui peccata sua clarè detegere sunt verecundati, ineptam & damnabilem verecundiam suam coacti sunt in omnem æternitatem in terribilissimis pœnis luere; ita qui confidenter & animosè, vt ita loquar, peccata sua fuerunt confessi, æternæ damnationis sententiam euaserunt; & quò sinceriùs ea & apertiùs exposuerunt, copiosiorem à Deo gratiam obtinuêre: aliud enim, vt superiùs diximus, Dei, aliud hominum est tribunal; cùm, si diligenter vtrumque expendere velimus, è diametro sibi opponi deprehensuri simus. Ibi, puta in iudicio diuino, quò quis promptiùs, alacriùs, sinceriùs & integriùs sua peccata & commissa enarrauerit atque manifestauerit, eò citiùs, perfectiùs atque benigniùs absoluitur; quò verò plus ea, vel nonnulla, reticuerit, aut silentio celauerit, eò grauiorem sibi damnationis sententiam acquirit: hic, in tribunali nimirum humano & terreno, quò quis in exponendis sceleribus fuerit promptior, grauiorem suppliciorum molem sibi accersit; & quò plus dissimulare atque reticere potuerit, mitiorem Iudicem & sententiam experitur.

Quò quis in se ipso accusando promptior existit, eò faciliùs obtinet veniam.

Mirum hoc est, si primâ fronte & superficialiter tantummodò rem consideremus; verissimum tamen, si veritati Scripturarum, Patribus & ipsi rationi naturali aurem præbeamus. Sanctissimus ille Rex & Propheta ideò peccati sui veniam exposcebat, quòd id multum esset. *Propter nomen tuum,* inquit, *Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim.* Quid ais Hymnographe? Propitiari vis Deum peccato tuo quia multum est? ideóne, quia multum erat, minùs veniâ dignus eras? & tamen ideò tibi ignoscendum esse ais quia multum est. Quid hoc est? Respondeat Augustinus. *Iustitia,* inquit ille, *de cælo prospexit tamquam Dei dicentis: Parcamus huic homini, qui ipse sibi non pepercit: ignoscamus, quia ipse agnoscit. Conuersus est ad puniendum peccatum suum, conuertor & ego ad liberandum eum.* Respondeat item D. Bernardus: *Quid leuius,* inquit, *onere pœnitentiæ, quod non solùm non onerat, sed & portat omnem cui portandum imponitur. Mirum opus naturæ! Vnde processit materia, inde sarcina leuigatur; &* quantum

Psalm. 24.

In Psal. 84.

In Epistolis.

quantum crescit in massâ, tantum decessit in pondere. Respondeat & alio modo idem Doctor. *Non vos retardet*, inquit, *conscientia; quia vbi peccata abundauerunt, superabundare consueuit & gratia.* quibus verbis S. Bernardus allusit ad illa Apostoli verba: *Vbi autem abundauit delictum, superabundauit gratia.* Respondeat & Propheta Isaias. *Reduc me*, inquit Dei nomine, *in memoriam, & iudicemur simul: narra si quid habes vt iustificeris.* Respondeat & Sapiens ille sapientum omnium sapientissimus. *Qui abscondit*, ait, *scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Item: *Pro animâ tuâ ne confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam.* Item: *A mortuo quasi nihil perit confessio. Confiteberis viuens, viuus & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus illius.* Respondeat demum Ierosolymitanus ille Psalmista. *Confitebor*, inquit, *aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* E quibus omnibus apertissimè videri potest, non modicè animari, vt quantò grauiora peccata, eaque liberiùs & promptiùs confessi fuerint, tantò confidentiùs agere, eorumque veniam certo certiùs sibi promittere atque polliceri discant. Pulcherrimam eius rei figuram habemus in Publicano Euangelico, qui quò magis sese depressit, quò magis erubuit seque ipsum confudit, eò maiorem præ fastuoso illo Pharisæo misericordiam adeptus fuit. *Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.*

In Sermonib. | Rom. 5. | Isaiæ 43. | Prou. 28. | Eccli. 4. | Eccli. 17. | Psalm. 31. | *Pulchra in Publicano rei præsentis figura.* | Luc. 18.

35. *Alia item in Iacob à patre benedicendo ad propositum historia.*

Aliam huius rei figuram habemus in Patriarchâ Iacob, de quo in Scripturâ refertur, à patre suo Isaac eum benedictionem obtinuisse, quòd matris suæ Rebeccæ consilium secutus, hœdinis manus & collum pellibus circumdatus, locò Esau se patri suo, à quò ille benedicendus erat, stitisset. Rebecca est sancta mater nostra Ecclesia, quæ duos filios habet, iustum & peccatorem. Sed quomodo à Sponso suo peccatori, cui potiùs imminet maledictio, benedictionem obtinebit? Pellibus vt ille se induat, atque veluti hirsutum Esau & peccatorem se Deo offerat suadet. At quid, improuida mater, inculcas? An non Dauidis verba sunt, *Non habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos?* Et: *Sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei?* An non *odio sunt Deo impius & impietas eius?* Vereor ne benedictionis loco & remissionis, maledictionem atque iram referam. Hoc non obstante, *In me sit*, inquit ad peccatorem mater Ecclesia, *ista maledictio, tantùm audi vocem meam.* Nec frustrà aut vanè: nam quemadmodum Iacob à patre, ita peccator à Deo benedictionem & misericordiam impetrabit, modò hœdinis pellibus sese induerit. Et quid quæso hœdinæ pelles significant? Vt peccatis se opertum atque infectum esse libenter agnoscat. Scilicet *si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Age verò verba hæc expendamus: nonnullos enim in stuporem & admirationem rapuerunt. Quid ait Apostolus? *Fidelis & iustus est Deus*, vt si confiteamur peccata nostra, illa remittat, & ab omni iniquitate nos emundet. Iustus est? certè, quia peccata sua confitenti repromisit veniam. An fidelis? Vtique; quia præuenientem se in confessione, & glorificantem in misericordiæ occasione, benedictione dignum efficit, & suâ quoque misericordiâ compensat. Pro cuius intellectu notari potest illud S. Augustini: *Quid magnificentius, quàm iustificare impium? Sed opus fortasse hominis præuenit istam magnificentiam Dei, vt cùm fuerit peccata confessus, iustificari mereatur. Descendit enim de templo iustificatus, qui ad cælum oculos leuare non audebat, sed percutiens pectus suum aiebat: Deus propitius esto mihi peccatori. Hæc est magnificentia Domini, iustificatio peccatoris. Hæc est magnificentia Domini, quoniam cui plurimum dimittitur, plurimum diligit. Hæc magnificentia Domini: quoniam vbi abundauit delictum, abundauit & gratia. Confessio & magnificentia opus eius: quia cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Hæc ille.

Psalm. 5. | Psal. 67. | Sap. 14. | *Scripturâ totâ probatur.* | 1. Ioan. 1. | *Declaratur ex Patribus.* | In Psal. 110. in illud, *Confessio & magnificentia opus eius.*

36. *Patres quid de Confessionis necessitate.*

Ceterùm confessionem necessariam esse, varij te Patres docebunt. Inprimis S. Bernardus ita loquitur: *Absque confessione, iustus iudicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur. Confessio itaque peccatoris est via, iusti gloria; & necessaria est peccatori, & iustum nihilominus decet.* Boetius: *Si operam medicantis expectas, oportet vt vulnus tuum detegas.* S. Gregorius: *Qui promereri vult quod expetit, debet malum confiteri quod fecit. Valdè enim facile est, vt peccatorem se quisque fateatur, cùm nihil pro peccato suo patitur.* S. Ambrosius: *Non potest quisquam à peccato iustificari, nisi peccatum antè fuerit confessus.* Sed quid multus sum in confessionis necessitate adstruendâ? Sufficienter id ex præcedentibus patuit, & sufficientiùs ex sequentibus patebit: encomia ergo nonnulla & emolumenta confessionis producamus. Iterùm hîc primum audiamus D. Bernardum, qui breuiter quidem sed neruosè sic ait: *Quantum displicet Deo impudentia peccatoris, tantum placet verecundia pœnitentis.* Cassiodorus: *O beata confessio, quæ æternum tollit opprobrium! Nam quidquid rectum inuenerit pœnitentia, perpetuis sæculis reddit absolutum.* Idem, *Mira*, inquit, *compensatio, stupenda vicissitudo, Domino suo propria mala dicere, & ab eodem præmia salutis accipere. Quis non incitetur illi ad præmium confiteri, cui non possis negare quod feceris?* Iterùm: *O ingeniosa simplicitas, & mille tergiuersationibus cautior puritas, manifestare delictum! Illis non iudex, sed Aduocatus est Christus, qui se propriâ confessione condemnarunt.* S. Isidorus: *Confessio sanat, confessio iustificat, confessio peccatis veniam donat. Omnis spes in confessione consistit: in confessione locus misericordiæ est. Nulla tam grauis est culpa, quæ per confessionem non habeat veniam.* D. Gregorius reliquis Iobi virtutibus confessionem illius anteponit, dum sic inquit: *Mirentur in domo Iob, qui volunt, castitatis continentiam, mirentur integritatem iustitiæ, mirentur viscera pietatis: ego in eo non minùs admiror confessionem humillimam peccatorum, quàm tot sublimia gesta virtutum.* Ambrosius: *Ecce nunc tempus acceptabile adest, in quo confessio animam à morte liberat. Confessio aperit paradisum, confessio spem saluandi tribuit.* Iterùm: *Qui se accusat, etsi peccator sit, iustus esse incipit, quia nec sibi parcit, & Dei iustitiam confitetur. Cessat enim vindicta diuina, si confessio præcurrat humana. Si accusauerit se iustus, vocem parat accusationis. Excludit, qui solet accusare, peccata: & vniuscuiusque est aggregare flagitia. Excusat reum pudor suus; accusat eum auctorem, qui cùm sua delicta non tacuit, videtur in se doluisse quod fecit, in* diabolo

Epistolâ 14. | Lib. 1. de Consolat. Philosoph. | Lib. 8. Moralium. | Lib. de Parad. | *Confessionis encomia.* | Ser. 3. super Cantica. | Super Psal. 77. | In Psal. 118. | In Psalm. 13. | Lib. 2. cap. 13 | In Moralib. super 13. caput Iobi. | Ser. de Pœnitent. dist. 1. | In Psal. 118.

diabolo perdidisse quod suasit. Porrò S. Augustinus, eò quòd incredibile videatur tam facilè per confessionem peccata dimitti, hunc in modum dubitantibus satisfacit: *Quis enim causas aut rationem requirat, vbi indulgentia principalis est causa? Cùm terreni Regis liberalitas discussioni non sit obnoxia, ab humanâ temeritate discutitur diuina largitio? Solent enim cum irrisione aduersus nos dicere Pagani, quòd nos ipsi decipiamus, qui putemus crimina, quæ opere commissa sunt, verbis posse purgari, & aiunt: Numquid potest qui homicidium fecit, homicida non esse, & adulter non videri qui adulterium perpetrauit? Quomodo ergo huiuscemodi criminum reus, sanctus verbis effici subitò videtur? Sed ad hæc, vt dixi, meliùs fide quàm ratione respondeo. Rex enim est omnium, qui promisit; terræ caliq; Dominus, qui hæc pollicetur. Non vis vt ei qui me ex terrâ hominem fecit, credam, quòd ex criminoso me faciat innocentem? Et qui me, cùm essem cæcus, fecit videre; vel cùm essem surdus, audire: qui mihi claudo gressum reddidit, innocentiam mihi perditam non poterit recuperare? Et vt veniamus ad ipsius naturæ testimonium: occidere hominem, non semper criminosum est; non ergo factum me in talibus, quia interdam & rectè fit, sed animus malè consulens damnat. Si ergo animus in me, qui criminosus est effectus, & in quo fuit origo vitij, corrigatur, cur tibi videtur non posse innocens fieri, qui priùs fueram criminosus? Si enim, vt suprà ostendi, constat quòd non in facto sed in voluntate sit crimen, sicut mala voluntas, auctore malo dæmone, peccatorem me, & morti me fecit obnoxium; ita in bonum mutata voluntas, auctore bono Deo, innocentiæ reddidit & vitæ.* Hactenus D. Augustinus: è quo plura possemus adiungere; sed ad requisitas Confessionis probæ circumstantias explicandas progressum facimus.

In Symbolo Ruffini.

Non est dubitandum quin per confessionem peccata remittantur, vt id probat S. Augustinus.

37. D. Thomas, Doctor Angelicus, sedecim eas numerat, & hisce versibus complectitur:

In 4. dist. 17. q. 3. art. 4. *Confessionis circũstantiæ.*

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & se punire parata.

Quæ quidem conditiones omnes admodum sunt vtiles ad confessionem perfectiùs instituendam, remissionemque peccatorum obtinendam; haud tamen omnes omnino necessariæ sunt ad Sacramenti, vt Theologi loquuntur, valorem, sed sufficiunt illæ de quibus in præcedentibus fusiùs egimus, vt scilicet adsit contritio, emendationis propositum, atque integra peccatorum enumeratio, cum iis videlicet circumstantiis quæ peccati speciem mutant; pro cuius faciliori exactioreque obseruantiâ hæ conditiones annotari poterunt:

Quænam ex iis absolutè sint necessaria.

Quis, quid, vbi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando?

De satisfactione quoque, tertiâ Pœnitentiæ parte, dicendum modò fuisset: at quoniam Capite XXVI. vbi de Indulgentiis sumus acturi, è professo necessitatem illius declarabimus, nonnihil adhuc in quibusdam, quæ salubriter in confessione notanda sunt, immorabimur.

38. Animare se itaque inprimis pœnitens debet, vt perfectè sua quæ commisit peccata confiteatur: liberalissimus enim, vt patuit, existit, & tantum velut ex ore eius expectat quantum sibi condonatum cupiat. Quis, quæso, si debitis plurimis oneratus esset, eique facultas daretur, vt omnia quæ scripto recenseret, eo ipso soluta reputarentur, non omni studio & diligentiâ, ne quid vel minimum fortè obliuisceretur, attenderet? An non etiam illâ liberalitate, vt omnia imperterritè declararet excitaretur? Omnino ita nobiscum agit Deus: non vult aliud quàm vt peccata agnoscamus, vt ea profiteamur desiderat, ea omnino dimittere exoptat. Optat, inquam, vt in dilectionem illius ampliùs accendamur, & non tam ipse videat, quæ iam, antequam committerentur, præuiderat; sed vt liberalitatem ipsius nos hinc videntes, in affectum eius accendamur, & ad confidendum ei impellamur. Aperiamus itaque omnes iniquitates nostras, vt ab illis libenter ac liberaliter nos absoluat. *Conuertimini,* inquit apud Prophetam, *& agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proiicite à vobis omnes præuaricationes vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.* Vide, Lector, an non hîc similitudine quadam adumbretur, vniuersa quæ commisimus nos confiteri debere? Propheta ait, peccata velut sordes abiicienda esse, vt cor, & conscientiæ nostræ domum, totaliter emundemus. At quis, quæso, sordes retineat, si locum ex integro, vt par est, purgari desideret? Adeò scilicet stulti sunt nonnulli peccatores, qui non omnia conscientiæ suæ latibula euerrunt & expurgant: sed quia saltem sordium cumulos commouent, maiore se puluere fœtoreque commaculant; & vnde expurgare animam suam debuissent, nouâ, & malè factâ confessione, culpâ mortali se conspurcant. Quin potiùs ita agamus, vt cum S. Augustino Deo dicere possimus: *Non operui, sed aperui, vt operires: non celaui, vt tegeres. Nam quando homo detegit, Deus tegit: cùm homo celat, Deus nudat: cùm homo agnoscit, Deus ignoscit.* Imò si quis peccata sua vniuerso mundo publicata nolit, necesse est vt eadem coram Dei ministro in secretâ confessione pandat: alioquin quæ homini vni perspecta esse noluerit, in iudicio extremo toti mundo manifesta erunt. Huc faciunt illa S. Gregorij verba: *Apud misericordiæ iudicem nec ille fallax habebitur, qui ad veritatem reuertitur etiam postquam mentitur: quia omnipotens Deus dum libenter nostram pænitentiam suscipit, ipse in iudicio hîc quod errauimus abscondit.* Quàm autem & iniquus & vanus timor sit, peccata non audere Sacerdoti detegere, S. Augustinus exponat. *Sunt multi,* inquit, *quos peccare non pudet. O incredibilis insania! De vulnere ipso non erubescis, & de ligaturâ vulneris erubescis. Nónne vulnus fætidum & putridum est? Confuge ergo ad medicum, age pœnitentiam, dic, Iniquitatem meam ego agnosco.* Alibi iterùm: *O homo quid times confiteri? Illud quod per confessionem scio, minùs scio quàm illud quod nescio. Cur erubescis confiteri peccata tua? Peccator sum, sicut & tu: homo sum, humani nihil à me alienum. Confitere homo homini, homo peccator homini peccatori. Elige quod vis. Si non confessus lates, inconfessus damnaberis. Ad hoc Deus exigit confessionem, vt liberet hominem humilem: ad hoc damnat non confitentem, vt puniat superbum.* Binum idque eximium hisce in verbis habes motiuum, vt nullatenus quis confiteri, & integrè confiteri vereatur. Ostenditur primùm, quàm sit impium, nolle se peccatorem agnoscere, & velle esse peccatorem, quod contra omnem Iuris rationem est, vereque est toti velle mundo illudere, omnes velle decipere: nimirum alius dici,

Vnde sese pœnitens ad singula confitenda animare queat.

Ezech. 18.

Peccata velut sordes abiicienda.

Homil. 29.

Lib. de Pœnitent. *Stultitia ingēs nolle peccata cõfiteri.*

In Psalmos.

dici, alius esse. Alterũ motiuum est, quòd, etiamsi quis secundùm hominem iudicet, friuolum haberi debeat, verecundari coram homine, coram peccatore, peccata deponere, se, qualis & is ipsus est cui manifestat, & fortè iniquior, agnoscere delinquentem. Nónne si coram Angelis Dei peccata ad remissionem obtinendam confitenda fuissent pro euadendâ damnatione, & salute æternâ consequendâ, promptissimè id fieri debuisset? & nunc tergiuersamur id coram peccatoribus agere, coram peccatoribus, inquam, qui, vt S. Augustinus suprà dixit, minùs sciunt id quod illis confessus es, quàm quod nesciunt, vtpote quia Deus hunc in Ecclesiâ, mirabili quodammodò miraculo, ordinem seruat, vt non audiatur vllius confessionis reuelatio. Et quamuis ea publicaretur, quid inde pœnitenti proueniret incommodi? quid inde Confessario reuelanti accederet lucri? Nihil omnino: nec enim Confessario crederetur, adeò vt, ex Doctorum nonnullorum placito, nec Iuridica inquisitio inde institui possit, nullaque omnino inde infamia pœnitenti sequatur; benè tamen Cõfessario, vt qui ex Iuris Canonici decretis perpetuâ infamiâ notatus, officio suo priuaretur. Quid ergo hæres, peccator? quid conuerti, quid confiteri addubitas? quid te retardat? An fortè multo opus esse tempore arbitraris vt conuertaris, vt confitearis? Audi quid S. Ioannes Chrysostomus scribat. *Latro ille, inquit, qui pendebat in cruce, non eguit prolixitate temporis, vt ingressum paradisi mereretur. Tantum ei spatij suffecit, quantum expedire potuit donec vnum posset proferre sermonem; ita vt intra vnum momentum temporis totius vitæ sceleribus absolutus, præcedere etiam Apostolos mereretur.* An fortè ideò conuerti & confiteri omittis aut excusas, quia Deum ad miserendum tibi & ad peccata condonanda durum & implacabilem tibi imaginaris? Audi quid S. Bernardus tibi reponat. *Dico,* inquit, *omnes ignorare Deum qui nolunt conuerti ad eum. Neq; enim ob aliud procul dubio renuunt, nisi quia grauem & seuerum imaginantur: quod plus est, durum & implacabilem, qui misericors est: ferum & terribilem, qui amabilis est. Sed mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo quod non est.* An fortè propter peccatorum tuorum multitudinem & grauitatem, veniam desperas? Audi; ne quis, quantumuis maximus peccator, desperaret, maximos Sanctos Deus in maxima peccata labi permisit, vt & sibi non solùm veniam, vt illis, sed & eximiam sanctitatis gratiam, & gradum in cælis sublimiorem, ad reliquorum excitationem, conferendam scirent. Loquatur hanc in rem S. Petrus Chrysologus, qui in quodam Sermone sic ait: *Quis in sæculo peccauit enormiùs Paulo? quis in Religione grauiùs Petro? illi tamen per pœnitentiam meruerunt assequi non solùm ministerium, sed & magisterium sanctitatis.* An ignoras, ob salutem vnius peccatoris, qui iam iam ad inferni fauces prolapsurus videbatur, eiusque in cælum introitum, qui ei per conuersionem & confessionem certo certiùs paratur, maius in cælo inter Angelos & Beatos gaudium excitari, quàm si nonaginta iusti triumphabundi aduenirent? Audi Gregorium. *Maius, ait, de peccatore conuerso, quàm de iusto stante, gaudium fit in cælo: quia dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter peremit, quàm illum qui numquam terga præbuit, & numquam aliquid fortiter fecit. Sic agricola illam plus terram amat, quæ post spinas, vberes fructus profert, quàm eam quæ numquam spinas habuit, & numquam fertilem messem produxit.* An fortè, quod boni interim fecisti, frustrà factum esse reris? Erras: recuperat enim pœnitens per conuersionem, quidquid legis diuinæ transgressione perdiderat. Audi S. Augustinum. *Vt sit homo aliquid, ait, conuertat se ad illum a quo creatus est: recedendo enim frigescit, accedendo feruescit; recedendo tenebrescit, accedendo clarescit. A quo enim habet vt sit, apud illum habet vt benè sit. Ergo qui vult simul esse cum Deo, non ab illo recedat, sed ad illum accedat.* Alibi iterùm: *Cùm inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit dolor & labor, & vita erit vita mea, tota plena te. Nunc autem quem tui imples, subleuas eum; & quia tui plenus non sum, ideò mihi oneri sum.* Iterùm alibi: *Scio quia malè mihi est præter te, non solùm extra me, sed & in meipso: & omnis copia quæ Deus meus non est, egestas mihi est.* Quin &: *Conferamus nos ad te, & benè nobis erit de te. Malum est nobis de nobis; & quia dimisimus te, dimisimus nos nobis.* E quibus omnibus constat, sicuti malum nobis omnino est in peccato, ita & optimum ex conuersione peccatum est.

Quàm insipienter factũ verecundari cõfiteri.

Lib. de Reparat. lapsus.

In Cantica.

Quanam ex conuersione bona.

Luc. 15.

Super Psal. 70.

Lib. 10. Confess.

Lib. 14. Confess.

Serm. 4 de Verbis Domini.

Factâ verò iam conuersione & confessione, generosè ad pœnitentiam suscipiendam, & ritè eam complendam, nosmetipsos debemus animare & armare: quò spectant illa D. Gregorij verba: 39
Quem verè pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret; sed quidquid sibi pro culpâ quam edit iniungitur, tacitâ conscientiâ amplectitur. Item illa D. Bernardi: *Qui perfectè onus peccati & animi læsionem deposuerit, aut parum sentit, aut ex toto non sentiet corporis pœnam; nec reputabit, qui peccata nouerit delere præterita, & cauere futura.* At verò, quod pæne oblitus eram, quòd humiliter, & corporis prostratione confitenda sint peccata, ab antiquo Tertulliano discendum est, qui sic inquit: *Presbyteris aduolui, & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere,* mandat pœnitẽtia, &c. *Cùm igitur prouoluit hominem, magis releuat: cùm squalidum facit, magis mũdatum reddit: cùm accusat, excusat: cùm condemnat, absoluit.* Ceterùm haud minùs diligenter obseruandum est cui confitearis. D. Augustini consilium hoc est: *Qui vult confiteri peccata sua vt inueniat gratiam, quærat Sacerdotem, scientem ligare & soluere: ne cùm negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet & petit, ne ambo in foueam cadant, quam stultus euitare noluit.* Et hic Sacerdos debet esse proprius, ex decreto Concilij Lateranensis, cuius hæc sunt verba: *Omnis vtriusq; sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, &c. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iustâ de causâ sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ille ipsum non possit soluere vel ligare.* Et Sacerdos ille, cui fit confessio, cautus esse debet & circumspectus (quæ Concilij eiusdem porrò est doctrina) *vt more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati; diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi consilium debeat exhibere, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo ad sanandum ægrotum.* Quæ & D. Augustini est voluntas, dum sic ait: *Discretio Confessoris valdè necessaria est. Consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseuerantiâ, in veritate personæ, cuius fuerit ætatis, cuius sapientiæ & ordinis, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipsius multiplici executione.* Annotandum quoque est quod D. Ioãnes Chrysostomus habet

Post confessionem suscipienda pœnitentia.

In Homiliis.

In quodam Sermone.

Lib. de Pœnitent. cap. 8.

Lib. de Pœnitent. & refertur dist. 6. de Pœnitent.

Can. 21.

Quænam obseruanda sint in confessione pœnitenti.

Li. de Pœnit.

In Matthæũ.

de pœnitentiâ non nimis rigorosâ imponendâ. in eos enim inuehitur qui hoc facere solent, conscientiarum turbatores eos appellans, cùm patres & consolatores esse debeant. *Tales sunt,* inquit, *qui graue pondus venientibus ad pœnitentiam ponunt, quia dicunt & non faciunt: Sic dum pœna pœnitentiæ fingitur, pœna peccati futura cõtemnitur. Si enim fascem super humeros adolescentis, quem non potest baiulare, posueris, necesse habet vt aut fascem abiiciat, aut sub pondere confringatur. Sic & homini cui graue pondus pœnitentiæ imponis, necesse est vt pœnitentiam reiiciat, aut suscipiens, dum ferre non potest, scandalizatus amplius peccet.* Sic ille; qui & leniores & benigniores Confessores sic consolatur: *Si errauerimus paruam pœnitentiam imponendo, melius est de misericordiâ Dei rationem reddere, quàm de austeritate. Vbi enim paterfamilias est largus dispensator non debet esse auarus: & si Deus benignus, vt quid Sacerdos austerus?*

Pœnam & [illegible]sfarium [illegible] conueniat.

40. Huc usque de Sacramenti Pœnitentiæ materiâ, hoc est de actibus pœnitentis, actum est, superest vt de formâ eiusdem Sacramenti, quæ in iis Sacerdotis verbis, Absoluo te, &c. consistit, vel paucis agamus. Eâ verò in re duo sunt notanda, quæ & contra temporis huius hæreticos probanda assumpsimus. Primum est, relictam esse Ecclesiæ Catholicæ potestatem, quâ eos, qui peccata sua cõfitentur, ab iisdem possint absoluere: alterum, hanc absolutionem esse Sacramẽtalem, Pœnitentiamque verè & propriè esse Sacramentum. Circa prius duo iterùm dicenda occurrunt, constare nimirum è Scripturâ, cõstare item ex Patribus, eam ab vsque Ecclesiæ principio consuetudinem in Ecclesiâ viguisse, Apostolis Christo Domino docente institutoribus, vt qui peccassent, sua Sacerdotibus peccata confiterentur, eo fine, vt eorumdem remissionem & absolutionem impetrarent. Scripturæ sunt obuiæ, easque primùm eo sensu, quo semper Catholici & Orthodoxi Patres illas intellexerũt producemus. In Apostolorum Actibus hæc leguntur: *Multiq; credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos. Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus, & computatis pretiis illorum, inuenerunt pecuniã denariorum quinquaginta millium.* Hoc in Scripturæ loco per actus peccata designari, vel ipsius confessionis infensissimus hostis, Ioannes Caluinus, testatus est. Cape en eius verba. *Reipsa enim,* inquit, *testati sunt serio Dei timore penitus se esse affectos, qui vltro superioris vitæ delicta confessi sunt, ne suâ dissimulatione intus fouerent iram Dei.* & paulò pòst: *Ergo voluntaria hæc confessio, testis pœnitentiæ ac timoris fuit. Nemo enim nisi iudicij diuini sensu probe tactus, bonam suam probris & ignominiæ se subiiciet, iudiciumq; sponte in terra subibit, vt reatu soluatur in cœlo.* Testatus est & Caluini in hæreticâ præturâ successor Theodorus Beza, qui in Annotationibus suis maioribus sic ait: *Publicè isti metu diuini iudicij perterriti errata sua professi ac detestati sunt.* Sunt qui è Syriacâ interpretatione rem apertiùs euincũt, quæ sic habet: *Plurimiq; ex iis qui crediderant, veniebant, & renuntiabant offensas suas, cõfitebanturq; quod fecerant.* Annon hic indicatur (vt hoc obiter moneam) S. Paulum salutarem hanc & exemplarem satisfactionem Ephesiis imposuisse, vt nimirum libros illos vanos comburerent, quia in confessione hoc ab eis audierat? Indicatur vtique, & ni quis sponte cæcutire voluerit, apertè ab omnibus videtur. Alter Scripturæ locus qui ad hanc confessionis praxim facit, legitur apud S. Iacobum. Hic

Quæ præcessere de materiâ Sacramenti pœnitentiæ fuere, quæ sequuntur de formâ.

Actor. 19.

Scriptura ex ipsomet Caluino pro Catholicis faciunt quoad absolutionem peccatorum in Pœnitẽtiæ Sacramento.

In hunc locum.

Iacobi 5.

postquam ad ægrotos iussisset aduocari Presbyteros Ecclesiæ, vt sanctum illis Extremæ Vnctionis oleum ad morbi leuamen & peccatorum remissionem impertirent; ne quis arbitraretur solam Extremam Vnctionem delendis mortalibus criminibus sufficere, adiunxit insuper Confessionis præceptum, inquiens: *Confitemini ergo alterutrum peccata.* Caluinus cum suis asseclis, vt vel aliquo saltem modo, quia totaliter non poterant, Ecclesiasticam & Sacramẽtalem apud Catholicos confessionem elidant, aiunt, vocem illam *alterutrum* non ad Sacerdotes, sed promiscuè ad quemcumq; pertinere. Et hoc innuunt vel potiùs exprimunt illa Caluini verba, quibus scribit B. Iacobum liberum permittere delectum, vt ei confiteamur qui ex Ecclesiæ grege maximè fuerit visus idoneus. Longè aliter, de Sacerdotali nimirum cõfessione, Apostoli verba interpretantur Patres Orthodoxi, *a* Origenes, *b* Chrysostomus, *c* Augustinus, *d* Bernardus. Et quamuis horum Doctorum interpretatione careremus, ipsa tamen Apostoli mens, ipseque eius scopus eo ibat; cùm immediatè antè Presbyteros aduocari iusserit. Sed & vox *alterutrum* tantùm significat, eos qui absolutione indigent, debere iis qui absoluendi potestatem habent confiteri, vt præclarè obseruauit Ven. *a* Beda, & *b* Hugo Victorinus. Quemadmodum ergo illa verba, *Et orate pro inuicem vt saluemini,* seu *sanemini,* non significant infirmos debere orare pro Presbyteris, sed Presbyteros debere orare pro infirmis, vt qui soli curatione indigeant; & quemadmodum Petri Apostoli monitum, *Hospitales inuicem* non significat quemlibet à quolibet esse excipiendum, sed eos qui hospitio indigent ab iis qui domos habent: ita neque Apostolus Iacobus iubet Presbyteros infirmis laicis, sed hos illis confiteri. Tertium locum alij addunt ex Apostolo Paulo, qui ita habet: *Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis.* Et quid hic per manuum impositionem aliud significetur, quàm, quod Libro I. clarè ostendimus, Sacramentum Confirmationis eiusque collationem? Et quid per communicationem alienorum peccatorum, quàm confessionis peccatorum ab aliis factæ auditionem. Excutiantur huius loci Interpretes, & Catholicam esse huiusmodi expositionem, sectarij inuenient, suam verò confessionis sublationem Scripturis omnino aduersari. Reliqua paulò pòst dabimus, dum explicabimus, & ex iisdem Scripturis probabimus, ideò confessionem institutam fuisse & frequentatam, vt delictorum tribueretur & obtineretur remissio. Patres Catholicos iam examinabimus.

Insignis & aliud præ[illegible] dem [illegible] adjeritur & explicatur.

Calu. lib. 3. Instit. cap. 4. §. 12.

a Homil. 2. in Leuit.
b Lib. 3. de Sacerdotio.
c Homil. 12. ex L.
d Medit. c. 9. fin.

a In Iacob. 5.
b Lib. 2. de Sacram. Pœnit. p. 14. c. 1.

1. Petri 4.

1. Timoth. 5.

Vti & tertius ex D. Paulo.

41. S. Dionysius Areopagita luculenter satis ostendit tum debitam huic Sacramento reuerentiam, tum iustificandi vim in eo contentam, quando Demophilum in Epistolâ ad eum datâ redarguit quòd indignè se tam erga pœnitentem quam erga Confessarium habuisset. *Tu verò,* inquit, *vt tuæ litteræ indicant, procidentem Sacerdoti impium, vt ais, & peccatorem, nescio quo pacto contra disciplinæ ordinem adstans calce abiecisti. Adhuc cùm ille quidem, quod oportuit, fateretur se ad peccatorum remedium quærendum venisse, tu non exhorruisti, sed & bonum Sacerdotem ausus es lacerare conuitiis, miserabilem eum dicẽs, quòd pœnitentem & impium iustificasset.* Item S. Clemens Romanus. *Si fortè,* ait, *alicuius cor vel liuor, vel infidelitas, vel aliquod malum ex his quæ superiùs memorauimus, latenter irrepserit,* non

Idipsum ex Patribus probatur.

Videlicet S. Dionysio Areopagitâ. Epistolâ 8.

Ex S. Clemente. Epist. 1.

non erubescat qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc huic qui præest, vt ab ipso per verbum Dei & consilium salubre curetur, quò possit integrâ fide & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetua vitæ præmia peruenire. E quibus S. Clementis verbis duo præcipuè contra nostri sæculi hæreticellos obseruare licet. Vnum, peccatorem, qui pudore impeditur quò minùs peccata sua spirituali Patri in confessione aperiat, esse similem ægroto, qui morbum Medico præ pudore occultans, mori mallet quàm sanari; imò & peccatoris pudorem ægroti pudore tantò esse deteriorem, quantò exitium animæ morte corporis deterius existit. Alterum, S. Clementem, dum absolutionem peccatori confesso à Sacerdote impertitam, verbum Dei nominat, clarè nobis demonstrare, confessionem auricularem, absolutionemque Sacerdotalem nullatenus esse ab hominibus inuentas, quemadmodum Sacramenti huius, aut, vt meliùs quis dicere posset, salutis suę hostes sibi perperàm persuadent. Atque hi duo Patres vixerunt primo statim post Christum sæculo, & ipsosmet Apostolos, à Spiritu sancto edoctos, Magistros & præceptores habuerunt: quos sanè aliud ab Apostolorum doctrinâ docuisse, aut Apostolos aliud iis, quàm Spiritus sanctus eis suggesserit, tradidisse qui dixerit, apertè blasphemus erit.

42. *Lib. 1. cap. 9. Pro altero sæculo qui Patres faciant. S. Irenæus.*

Secundo sæculo habemus S. Irenæum, qui de nonnullis feminis ab Marco quodam hæretico seductis sic ait: *Ipsæ sæpenumerò, cùm ad Ecclesiam Dei redijssent, confessæ sunt.* Et propemodum de quadam speciatim subiungit: *Deinde cùm non sine magno labore fratres eam conuertissent, ipsa omne tempus in exomologesi consummauit, plangens & lamentans, ob hanc quam ab hoc mago passa est corruptelam.* Alio quoque in loco idem de Cerdone (licet non eadem mente, cùm hic esset hypocrita) his verbis pronuntiat: *Ita perstitit, interdum quidem furtim dogmatizans, interdum verò rursum confitens.* Et Tertullianum hoc sæculo habemus, qui in suo de Pœnitentiâ libro multas habet grauissimas de pœnitentiâ & confessione peccatorum sententias, ex quibus nonnullas saltem profero. *Hæc igitur*, inquit, *venena eius, satanæ nimirum, prouidens Deus, clausâ licet ignoscentiæ ianuâ, & intinctionis serâ obstructâ, aliquid adhuc permisit patere. Collocauit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* Et posteà: *Tantum releuat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat.* Iam quia sapiens hic vir facilè præuidebat, fieri posse vt in posterum hæretici nonnulli exurgerent, qui, si fortè confessionis Sacramentalis doctrinam negare vellent, superbiæ suæ adulantes, vniuersam hanc confessionem ad Deum solum referre possent; quò omnem occasionem illis præscindat, copiosam cõfessionis descriptionem his verbis subiungit: *Itaq; exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu & victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deiicere, illa quæ peccauit tristi tractatione mutare: ceterùm pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causâ; plerumque verò ieiuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesq; ad Dominum Deum tuum, Presbyteris aduolui, & charis Dei adgeniculari*, &c. Idem paullò pòst illorum superbã increpat imprudentiam, qui pudore humano adducti, aliquod peccatum suum Sacerdoti sibi in cõfessione aures præbenti occultant. *Grande planè, ait, emolumentum verecundiæ, occultatio delicti pollicetur. Videlicet si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus? Adeóne existimatio hominum & Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quàm palàm absolui? Miserum est sic ad exomologesim peruenire.* Sub finem deniq; libri eos qui diuinam hãc medicinam negligunt, hisce verbis asperiùs obiurgat: *Igitur cùm scias, aduersus gehennam post prima illa intinctionis Dominicæ monimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? Cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi? Mutæ quidem animæ & irrationabiles, medicinas sibi diuinitus attributas in tempore agnoscunt. Ceruus sagittâ transfixus, vt ferrum & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo si excæcauerit pullos, nouit illos oculare iterùm de suâ chelidoniâ. Peccator restituendo sibi institutam à Domino exomologesim sciens, prateribit illam, quæ Babylonium Regem in regna restituit?*

Lib. 3. cap. 4. Tertullianus. — *Lib. de Pœnitentiâ, c. 7.* — *Cap. 8.* — *Quàm egregiè ille de confessione loquatur.* — *Cap. 10.* — *Cap. 12.* — *In illos inuehitur qui eã negligunt.*

43. *Tertij etiam sæculi testes.*

Sæculo tertio à Christo nato confessionem, à primis duobus sæculis vel per traducem in se deriuatam, adstruxerunt & porrò docuerunt Origenes & Cyprianus, viri profectò, quos ne ipsa Inuidia reiiceret. Prior ergo, nimirum Origenes, hæc habet: *Est adhuc & septima, licet dura & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lauat peccator in lacrymis stratum suum, & fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte; & cùm non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam, secundùm eum qui ait: Dixi: Pronuntiabo aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. In quo impletur & illud quod Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, vngẽtes eum oleo in nomine Domini*, &c. Quibus vtiq; verbis non modò Sacerdotalis confessionis necessitas innuitur, verùm etiam, qualis ordo in his duobus Sacramentis obseruandus sit, vt videlicet infirmus, antequam Extremam vnctionem accipiat, peccata sua Presbytero cõfiteatur, eorumque absolutionem, quæ per manuum impositionem designatur, accipiat. Posterior, nimirum S. Cyprianus, hæc habet: *Cùm in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam iusto tempore, & secundùm disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, & per manus impositionem Episcopi & Cleri, ius communicationis accipiant*, &c. vbi habes in Ecclesiâ iam tum certum confessioni faciendæ tempus constitutum fuisse.

Homil. 2. in Leuit. post med. — *Epistolâ 10.*

44. *Item quarti.* *In Reg. breuiorib.*

Quarto sæculo se offerunt S. Basilius & S. Gregorius Nyssenus. Ille sic ait: *Necessariò iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei. Siquidem rationem hanc in pœnitentiâ etiam Veteres illos cernimus secutos fuisse, quando & in Euangelio scriptum est, quòd Ioanni confitebantur peccata sua; & in Actis, Apostolis ipsis, à quibus etiam baptizabantur cuncti.* Hic verò sic: *Afflictionis participem & socium sume Sacerdotem*, &c. *Audacter ostende illi quæ sunt recondita. Animi arcana tamquam occulta vulnera Medico retege. Ipse & honoris & valetudinis tuæ rationem habebit.* An non hæc verba satis clara sunt, vt inde non solùm sigillum secretissimi silentij, verùm etiam sollicita Sacerdotis cura, quæ illi de pœnitentis salute habenda est, elici possit?

Orat. in mulierem peccatricem.

45. *Similiter & quinti.* *Homil. 30. in Genesim.*

Quinto sæculo cõfessionis assertores fuerunt, præter alios, SS. Ioannes Chrysost. & Augustinus. *Qui voluerit*, inquit ille, *vt decet, vti conscientiæ adiumẽto, & ad confessionem facinorum festinare, & Medico ostendere*

ostendere vlcus, quod curet, & non exprobret, atq; ab illo remedia accipere, & soli ei loqui nullo alio cõscio, & omnia dicere cum diligentiâ, facilè peccata sua emendabit. Confessio enim peccatorum, abolitio est delictorum. Præter multa insignia & commodissima loca, quæ in hanc rem habet D. Augustinus, quæ, ne nimiùm tum Opus nostrum excrescat, tum ne Lectori aliquod fastidiũ generetur, studio omittimus, vnum, etsi prolixiorem, locum hìc adscribo, qui simul obiectionem hæreticorum quotidianam retundere potest, quâ nimirum friuolè dicunt: *Quid? an ego sacerdoti, homini æquè atque ego sum, confitear peccata mea? Confitebor Deo, in quem peccaui; in Sacerdotem nihil commisi. Præstat adire superiorem quàm inferiorem,* &c. Friuola hæc, inquam, est & satano-hæretica illusio, quem in finem audiantur hæc S. Augustini verba. *Sunt quidam,* inquit, *qui sufficere sibi ad salutem autumant, si soli Deo, cui nihil occultum est, quem nullius latet cõscientia, sua confiteantur crimina. Nolunt enim, aut erubescunt siue dedignantur ostendere se Sacerdotibus, quos tamen inter lepram & lepram discernere, per Legislatorem constituit Dominus. Sed nolo vt ipsâ deciparis opinione, quatenus confundaris cõfiteri coram Domini vicario, tabescens præ rubore, vel ceruicosus præ indignatione: nam ipsius humiliter subeundum est iudicium, quem Dominus sibi non dedignatur vicarium. Ergo ad te venire roges Sacerdotem, & fac ipsum conscientiarum tuarum penitus participem. Non seducat te somniantium illa superstitio, quæ in visitando confirmat, quia saluat, Sacerdote inconsulto, ad Deum peccatorum confessio. Nos autem non abnegamus, quin sit ad Deum frequenter referenda confessio peccatorum. Beatus etenim qui tenebit & allidet paruulos vel maximos suos ad petram (Petra autem Christus est;) sed testamur, & testatur illud sana doctrina, ne tibi applaudentium faueas auribus: quoniam priùs eges Sacerdotis, qui mediator sit ad Deum tuum, salubri iudicio: alioquin & sub Lege & sub gratiâ, Ite & ostendite vos Sacerdotibus, responsum diuinum quomodo consummaretur? Confitemini alterutrum peccata vestra, quomodo compleretur? Ergo cicatricum tuarum arbiter, Dei vice, Dominus adhibeatur Presbyter, & reuela ei vias tuas, & ipse tibi exhibebit antidotum reconciliationis.* Et infra: *Adstantem coram te Sacerdotem Angelum Dei existima. Labia quidem Sacerdotis, ait Malachias, custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius: Angelus enim Domini exercituum est: & cum quâ & Deum & Angelum eius decet reuerentiâ, Dei ministrum affare. Aperi ei penetralium tuorum abditissima latibula, conscientiarum verecundarum penitiora reuela repagula. Non te pudeat coram vno dicere, quod te non puduit forsitan coram multis facere: nam humanum est peccare; Christianum est, à peccato desistere; diabolicum est, perseuerare.*

Lib. 2. de Visitat.

Insignia hæc S. Augustini verba sunt.

Cap. 5.

46. Sextum quoq; sæculum suos confessionis Catholicæ habet assertores. Vide mihi, quæso, quid dicant Cassiodorus & Gregorius Magnus, quorum iam testimonia & assertiones subiicio. Cassiodorus igitur sic ait: *Est quoddam iudiciale genus, in quo reus conspectibus Iudicis præsentatus assistit, peccatum suum lacrymis diluens, & confitendo dissoluens, summum genus defensionis afferens, quo se ipse condemnat: hic non est accusator extraneus, sed ipse accusator est suus. Meretur veniam qui se non excusat à culpâ. Sola igitur necessaria est, quæ dicitur Confessio, cùm reus non id quod factum est defendit, sed vt ignoscatur expostulat.* D. verò Gregorius more suo, hoc est maximâ luce & perspicuitate, habet quæ sequuntur: *Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque soluendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam: vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absoluat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur Iudicis. Quod benè quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia priùs mortuum Dominus vocauit, & viuificauit, dicens: Lazare veni foras. & postmodum is qui viuens egressus fuerat, à Discipulis est solutus.* Et posteà: *Omnis quippe peccator, dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cùm peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur: Veni foras: ac si apertè cuilibet mortuo in culpâ diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? Foras iam per confessionem egredere, qui apud te interiùs per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator. Venientem verò foras soluant discipuli, vt Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amouere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.*

Quid sexti sæculi eadem de re Patres.

In Psalm. 6. & hoc refert Cocc. lib. de Pœnitent. art. 3. 4.

Homil. 26. in Euang. in illa verba Christi, *Quorum remiseritis, &c.*

Malum tegere peccata.

Septimo porrò sæculo occurrunt alia duo insignia Ecclesiæ Catholicæ lumina, S. Isidorus Hispalensis in Lusitaniâ Episcopus, & S. Eligius Nouiomensis in Galliâ Præsul. Prior ille sic loquitur: *Confessio erroris, professio est desinendi: desinendum ergo à peccatis, dum confessio est: confessio autem antecedit, remissio sequitur. ceterùm extra veniam est, qui peccatum cognoscit, nec cognitum confitetur. Itaque exomologesis prosternendi & humiliandi hominis disciplina est.* Alia eiusdem testimonia vide lib. De Contemptu mundi, haud adeò procul ante medium, & lib. 2. de Summo bono, c. 13. Posterior verò sic concionatur: *Omnis quippe peccator intra conscientiam abscondit se,* &c. *sed mortuus venit foras, dum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur: Veni foras. ac si apertè cuilibet mortuo in culpâ diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? Foras iam per confessionem egredere, qui apud te interiùs per negationem lates. Veniat itaque iam foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator,* &c. ad verbum recitans superiùs ex D. Gregorio adducta verba. 47.

Septimi sæculi testimonia.

Lib. 6. Etymolog.

Octauum sæculum suppeditat Ven. Bedam & S. Ioannem Damascenum. Bedam igitur sic scribentem audite. *Quid est,* inquit, *peccatorum confessio, nisi quædam vulnerum ruptio? quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestiferè latebat in mente.* Et in caput 5. Epistolæ D. Iacobi, dum in hæc Apostoli verba, *Confitemini ergo alterutrum peccata,* commentatur, postquam docuerat quotidiana leuiaque peccata coæqualium quotidianâ oratione saluari, de grauioribus & lethiferis peccatis hæc annectit: *Porrò grauioris lepræ immunditiam iuxta legem Sacerdotij pandamus, atque ad eius arbitrium qualiter & quanto tempore iusserit, purificari curemus.* S. Ioannes Damascenus, constituto inter Baptismum & Pœnitentiam discrimine, admonet vt maturè hanc amplectamur, neque nos à morte præueniri sinamus; & addit: *Non enim est in inferno pœnitentia nec confessio.* Legant, si Caluinianis nostris placet, quæ habet Alcuinus in Libro suo quem de diuinis officiis conscripsit, cap. tertio decimo, &, ni cæci omnino & excordes sint, sat videbunt, quàm egregium ibi confessionis testimoniũ habeamus, simulq; cærimoniarum & rituum submissionis & genuflexionis, quos pœnitẽs coram Sacerdote suo iudice exercere solet. 48.

Itẽ octaui.

In c. 16. Lucæ, post med.

In Historiâ de Barlaam & Iosaphat, c. 11. post med.

Iam

49\. Iam sæculo nono duo Concilia pro nobis stabunt. Primum est Turonense III. quod celebratum est anno Christi octingentesimo decimo tertio, in cuius capite 22. hæc leguntur verba: *Episcopis & Presbyteris diligenti cautelâ pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi adscribant, vt iuxta modum peccati pœnitentibus abstinentia indicatur: quoniam variè ab aliquibus Sacerdotibus & indiscretè hæc iudicia proferuntur,* &c. Vbi notes velim duo. Primum est, *sibi confitentibus,* vnde clarissimè euincitur, Sacerdotibus olim, prout & nunc, factam fuisse peccatorum confessionem. Alterum est, *iuxta modum peccati;* ergo vtique peccata in specie iis exprimebantur, cùm alioqui peccati modus discerni nequiuisset. Alterum Concilium est Cabilonense II. eodem ipso anno celebratum, in cuius capite trigesimo secundo hæc dicuntur: *Sed & hoc emendatione egere perspeximus, quòd quidam, dum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plenè id faciunt. Quia ergo constat, hominem ex duabus esse substantiis, animâ videlicet & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur: solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, vt ex vtrisque plena sit confessio: scilicet vt & ea confiteantur quæ per corpus gesta sunt, & ea in quibus solâ cogitatione delinquitur. Instruendus itaque est peccatorum suorum confessor, vt de octo principalibus vitiis, sine quibus in hac vitâ difficilè viuitur, confessionem faciat: quia aut cogitatione, aut, quod est grauius, opere eorum instinctu peccauit,* &c.

Sed & noni.

Verba Concilij Cabilonensis.

50\. Decimum sæculum nobis suggerit Radulphum Flauiacensem, qui in erudito suo in Leuiticum commentario sic loquitur: *Per Doctorum absolutionem, nimirum quibus claues commissæ sunt, ad diuinam indulgentiam pertingendum. Doctoribus quippe dictum est: Quæcumque ligaueritis, &c. Accedendum itaque ad illos, vulnera per confessionem pandenda, flendum coram eis, vt sic commissa nostra & meritis leuent, & potestate relaxent.* Et Notgerum Leodiensem Episcopum, qui in Vitâ S. Remacli sic inquit: *Veram peccatorum confessionem faciatis Deo & Prælatis vestris: tentationum impressiones in ipso primo aditu detegatis. Stultorum enim præposterus pudor est, dum celant vlcera, illis maiores subministrant vires.* Denique

Lib. 3. in Leuit. c. 1.

Sæculum decimum quos habeat.

Cap. 21.

51\. Sæculum Vndecimum prodit Petrum Damiani, qui refert, liberiorem quemdam Monachum, dilatâ vsq; ad mortis ac Communionis articulum grauis alicuius peccati confessione, illud tandem vni ex suis Confratribus in aurem fuisse confessum. Quod vbi fecisset, sanctissimumq; Eucharistiæ Sacramẽtum de manu Sacerdotis accepisset, animam simul cum felle effudisse: quod fel ex ore eius profluere non destiterit, donec humatus fuerit; adeò vt, quamdiu inhumatus in feretro fuit, templi pauimentum hac putredine abundè irrigatum fuerit. Et tandem addit ibi: *Hoc autem iuxta fidem rei idcircò referre curamus, vt audiant & pertimescant non solùm ij qui indictam disciplinæ Regulam per propriæ voluptatis impatientiam frangunt; sed & illi quoque, qui crimen admissum sub conscientiæ suæ vberibus confouentes, confiteri ad obitum præstolantur: quia & isti rei sunt, qui seruanda postponunt; & illi debitum peragendæ pœnitentiæ, quod hic non reddunt, aucto procul dubio fœnore, in alterâ duriùs vitâ persoluunt.* Prodit & S. Anselmum Cantuariensem in Angliâ Archiepiscopum, qui sic loquitur: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus, id est, per humilem oris confessionem Sacerdotibus veraciter manifestate omnes interiorũ animæ lepræ vestræ maculas, vt mundari possitis.* Quibus iam auctarij & epimetri loco addo illud Theophylacti, qui exponens illud Euangelistæ Lucæ, *Multiq; credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos,* sic inquit: *Oportet omnes fideles prodere sua peccata, ac sese coarguendo illis renuntiare, ne posteà ampliùs eadem committant, vt iusti euadant, prout dictum est: Dic tu peccata tua primus, vt iustus euadas. Item illud: Iustus sibimet ipsius accusator est in primâ causæ dictione.*

Epist. 1. post med.

Item & vndecimum suis non caret.

Enarrat. in Luc. cap. 17. post med.

In cap. 19. Actuum Apostol. ante med.

52\. At quorsum tot pro solius confessionis probatione testimonia? Vt omnium rursus ætatum calculo Caluini falsitas atque proterua nequitia retundatur. Audite, quæso, quid os illud effrenum, impudens, scelestum, effutire non erubuerit. Loquens enim de libertate non confitendi sic ait: *Vbique gentium*, probè mihi notate singula verba, *diutiùs mille annis libera fuit obseruatio, donec Innocentius III. cum pauculis cornutis bestiis laqueum hunc populo Christiano induit, quem Tridentini Patres adstringunt.* Tot igitur contra mendacem & animæcidam Caluinum sunt testes, quot per vndecim anteà sæcula Patres, quorum nonnullos tantummodò hactenus produximus, velut iuratâ vnanimitate pro Catholicâ veritate sententiam dicunt, longè sanè ante Concilium Tridentinum, longè ante Innocentium III. longè item ante Magnum Lateranense Concilium. Quem verò in finem confessio obseruata fuit? Nullum alium sanè, nisi vt peccatorum remissionem obtinerent ij qui fortè peccassent, & contriti illud confessi fuissent. Negent hoc hæretici quantum velint pertinacissime, nos è Scripturis & Patribus, vt polliciti sumus, stabilitum ibimus.

Ex prædictis testimoniis quid colligatur.

Antidot. Cõcili. Trident. sess. 6. c. 15.

53\. Et in primis, indulgentiæ obtinendæ ergô confessionem peccatorum adhibitam fuisse, vel solus Dauid Rex testari poterat, dum hæc verba protulit: *Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti impietatem peccati mei.* At alia insuper Scripturarum testimonia habemus, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum. *Qui abscondit,* inquit Rex ille sapientissimus, *scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Alibi: *Sanus confiteberis & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus illius.* Propheta sic monet: *Narra si quid habes, vt iustificeris.* Idem patet ex libro Numerorum, vbi sic dicitur: *Vir, siue mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiã transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum, & reddent ipsum caput, quintamq; partem desuper ei in quem peccauerint. Si autem non fuerit qui recipiat, dabunt Domino; & erit sacerdotis, excepto ariete, qui offertur pro expiatione, vt sit placabilis hostia.* Atque insuper egregiam confessionis figuram habemus in Leuitico, vbi lepræ iudicium solis demandatur Sacerdotibus, quibus sistere sese ac detegere leprosi iubebantur, ac secundùm eorum sententiam vel extra castra degere, vel ad ea post sanitatis adeptionem reuerti. Eamq; legem satis approbat Christus Dominus, quando leproso à se mundato ait: *Vade, ostende te sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis.* Et verè hanc cærimoniam fuisse figuram Sacramentalis & Catholicæ peccatorum confessionis, videre poteris ex D. Hieronymo, qui ex hoc ipso loco ritè colligit, Euangelicæ Legis sacerdotes debere explicatam

Psalm. 32.

Ex sacris litteris constat confessionem ad peccatorum remissionem valere.

Prou. 28.

Eccles. 17.

Isaiæ 43.

Num. 5.

Pulchra vel præsentis figura.

Matth. 8.

Lib. 3. in Matth. c. 6.

habere peccatorum varietatem. Cui accedit promissio à Christo ipsomet facta primùm ipsi Petro Apostolici Collegij Præsidi, quem sic fuit Matth. 16. allocutus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Deinde omnibus simul Apostolis, vtpote qui eius erant futuri Legati, quosque eam ob rem plenâ ligandi soluendique auctoritate, & quidem in cælis ratâ habendâ, potituros, hoc iu-Matth. 18. ramento confirmat: *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Et quamuis horum verborum genuinum sensum quoad soluendi & ligandi modum, more suo inique & turpiter corruperint, negare tamen non fuerunt ausi, in illis agi de peccatorum absolutione.

54. Ioan. 20. Quin à nostrâ præterea parte stant vrgentia illa institutionis verba, *Sicut me misit Pater, & ego mitto vos. &c. Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* His vtique verbis continetur concessio clauium, id est ligandi soluendique potestas, adeoque per eadem totum Pœnitentiæ Sacramentum constituitur. Nec audiendi sunt inepti illi glossatores, qui non erubescunt benignissima hæc pissimi Redemptoris nostri verba coarctare, & ad solam & nudam simplicis prædicandi potestatis concessionem restringere, & quasi non vltrà quàm ad solam remissionis peccatorum annuntiationem se extenderent, angustissimè circumscribere. Anne ridiculus esset ille, qui persuadere populo vellet, Iudices à Rege in suis ditionibus & tribunalibus constitutos non accepisse potestatem vel absoluendi vel condemnandi reos, quorum causæ coram ipsis ventilantur, sed solùm declarandi, Regem eos absoluisse vel condemnasse? Perinde agunt nostri hæreticelli, qui illis Christi verbis non facultatem propriè absoluendi & ligandi concessam, sed solum munus declarandi, iam absolutionem aut ligationem à Deo factam esse, impertitum fuisse somniant. Sic enim Sacerdotes non essent Iudices in tribunali diuino causas cognoscentes, sed scribæ tantummodò & Actuarij, qui sententiam à Iudicibus latam recitant aut promulgant. Potestas itaque clauium, quæ Petro Apostolo, & per eum atque in eo Sacerdotibus à Deo Christo collata est, verè est potestas Magistratiua. Vultis videre ineptias hæreticorum? Prædicantius aliquis, vel Magistratus oppidanus, tradat cuipiam claues templi, vt illud reseret vel obseret: at alius quis vellet potestatem hanc elidere, & diceret, non eo fine claues ei concessas esse vt reseraret vel obseraret, sed tantummodò vt declaret num ianuæ templi reseratæ sint vel obseratæ; quis non rideret hunc hominem, & manifestæ eum insaniæ coargueret? imò quis Prædicantius hanc à se potestatem traditam ita extenuari ferret, & non omni modo ius à se concessum defenderet? Quis ergo ineptos istos homines iam ferat, & non helleboro indigere æstimet, qui clauium potestatem adeò absurdè interpretantur? Ex ipso modo, quem Christus Dominus in collatione clauium obseruauit, eamdem rem probare abundè

Quibus ex verbis probetur potestas in Ecclesiâ remittendi peccata.

Hæreticorum hac in materiâ ineptiæ deteguntur.

possumus: insufflauit enim in discipulos suos, & dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. Quemadmodum Ioan. 20. ergo Christus in Apostolorum Actis Spiritum suum discipulis largitus fuit in specie linguæ ignitæ, quia tunc iisdem prædicationis munus conferebat; ita apud Ioannem eis Spiritum eumdem impertitur insufflando, eò quòd eis tum largiretur donum remittendi peccata; non concionando, vt Caluiniani nugatoriè blaterant, sed extinguendo atque dissoluendo. Quemadmodum enim ignem extinguit & nubes dispellit insufflatio aëris, ita Sacerdotis absolutio peccatori pœnitenti data gehennam extinguit, & iniquitatum nubes dissoluit atque dissipat.

De hac subalternâ & ministeriali absoluendi & peccata remittendi facultate intelligendum 55. est illud Apostoli: *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? Nónne de iis qui intus sunt, vos iudicatis?* Et: *Qui dedit nobis ministerium reconciliationis.* & post paululum: *Et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur.* Insignis item illa S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ visio, de quâ ipsemet ait, *Et vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est illis*, si modò audiendus est Augustinus, qui hæc sic exponit: *Non hoc putandum est de vltimo iudicio dici, sed sedes Præpositorum, & ipsi Præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Iudicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quàm id quod dictum est: Quæ ligaueritis in terrâ, ligata erunt & in cælo: & quæ solueritis in terrâ, soluta erunt & in cælo. Vnde Apostolus, Quid enim mihi est, inquit, de his qui foris sunt iudicare? Nónne de his qui intus sunt, vos iudicatis?* Quibus optimè consentiunt illa, quibus Sacerdotes Legis Euangelicæ extollit S. Hieronymus: *Absit vt de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus: qui claues regni cælorum habentes, quodammodò ante iudicij diem iudicant.* Ergo *si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Quæ ipsa verba non possunt intelligi de confessione soli Deo facta, quia illa, *Fidelis est & iustus, vt remittat*, promissionem veniæ significant, quam nullibi in Scripturis factam esse legimus soli immediatè Deo confitentibus, apertissimè verò iis qui per Sacerdotum interuentionem, quibus nimirum dictum est, *Quorum remiseritis peccata,* Ioan. 20. *remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* quæ verba, nisi Sacerdotibus confitendum esset, tum superuacanea essent, tum etiam falsa. Superuacanea, quantum ad remissionem peccatorum, quia Deus, hæreticorum sensu, absque Sacerdotum interuentu peccata remittit, adeoque Christo & Spiritui sancto vitium hoc impingi posit, quod frustranea locuti fuerint. Falsa item essent, quia etiamsi Sacerdos nollet, illi tamen peccata dimissa essent qui soli Deo confessus fuisset. Vide ergo quò nos belli nostri Caluiniani ducant, ad quantas nos Deo & Spiritui sancto inferendas blasphemias cogunt. Absit ergo, ô absit, vt ardelionum illorum nugis attendamus: habemus firmius & solidius verbum, cui soli attendentes, & Astræam nostram, Romanam dico & Catholicam Ecclesiam, sequentes, benè facienus, imò optimè.

Verba D. Pauli proposito applicantur. 1. Cor. 5. 2. Cor. 5.

Apocal. 20.

Lib. 20. de Ciuit. cap. 9.

SS. Patrum huc adferuntur expositiones.

Epist. 1. ad Heliodorum de Vitâ solitariâ.

1. Ioan. 1.

Item & vrgentur Scripturæ præcedentes.

Susti-

56. Sufficienter hactenus probatum esse puto, ideò Sacerdoti confitẽda esse peccata, vt eorum impetremus absolutionem: superest vt, quod secundo loco ex condicto probandum est, Pœnitentiam verum Legis nouæ esse Sacramentum doceamus. Ad hoc inprimis ad manum habemus verba Domini nostri Iesu Christi, *Quorum remiseritis*, &c. quæ iam toties allata fuerunt, è quibus duo colligimus, quæ ad omne Sacramentum propriè dictum constituendum requiruntur & sufficiunt, nimirum ritus externus siue symbolum diuinitus institutum, & promissio gratiæ iustificantis, quæ illi ritui siue symbolo sit annexa. Cùm enim Dominus Iesus Apostolis dederit potestatem hominibus peccata remittendi, dubitari non potest, quin eam potestatem signo aliquo externo exerceri voluerit, cùm homines, qui carnales sunt, intelligere alioqui non posint sibi peccata esse dimissa, nisi voce aut signo aliquo visibili & externo id indicaretur; quod & hæretici ipsimet non negant, vtpote qui ex hoc Scripturæ testimonio ritè colligi verbum absolutionis etiam priuatæ velint: verbum autem est signum corporale & sensibile. Et non solùm ritus externus absoluentis, sed etiam ritus externus pœnitentis inde rectè colligitur, cùm peccata remitti non debeant, nisi illis qui peccata se habere eaque sibi displicere profitentur atque ostendunt. vnde & ipsi hæretici eos, qui nulla pœnitentiæ signa adferunt, absoluere nolunt. Habemus igitur symbolum seu ritum externum duplicem, signa nimirum pœnitentiæ, & verbum absolutionis. Habemus item promissionem gratiæ iustificantis, cùm nullibi Dominus apertiùs eam exposuerit quàm hoc ipso in loco. Quid enim, quæso, est remissio peccatorum, nisi iustificatio?

Ioan. 20.
Probatur Pœnitentia verum nouæ Legis esse Sacramentũ

57. Vt verò nonnihil clariùs rem proponamus, & aduersariis nostris solidiùs suus error ostendatur, age conferamus hunc ritum, quem iam ex Scripturæ testimonio eliciuimus, cũ definitionibus, quæ tum à Catholicis tum hæreticis pro explicandâ Sacramenti naturâ adferuntur. Catholici dicunt: *Sacramentum est rei sacræ signum.* per *signum* intelligentes signum practicum atque efficax, quod significando simul efficiat; per *rem sacram*, gratiam iustificationis, quæ tunc à Deo in animam infundatur, quando signum illud exterius adhibetur. Hæc definitio ritè conuenit ei quod superiùs à nobis dictum est: signa enim gratiæ iustificantis sunt confessio pœnitentis, & verbum absoluentis, estque signum hoc practicum & efficax, quia eo ipso peccata dimittuntur, quo adhibetur, id est eo ipso quo verbum absolutionis profertur. falsum enim esse non potest quod ipsa prima Veritas dicit, *Quorum remiseritis*, &c. Videamus definitiones hæreticorum, & quomodo noster ritus cum iis conueniat inspiciamus. Lutherus vult ea Sacramenta vocari, quæ signis annexis promissa sunt; & Apologia Confessionis Augustanæ vult esse ritum qui habet mandatum Dei, & cui addita est promissio gratiæ. Quadrant hæc in nostrum Sacramentum Pœnitentiæ: habere enim eam mandatum, omnes fatentur; & promissio gratiæ est euidens. Kemnitius Lutheranus, maximæ inter suos auctoritatis, videns Catholicos è Confessione Lutheri & Confessionis Augustanæ habere quod

Ex definitionibus Sacramenti quas Catholici adferunt res patet.

De Captiuit. Babylon.
Art. de Numero & vsu Sacramentorum.
Patet & ex Sacramenti definitionibus ab hæreticis allatis.

intendunt, vt Catholica Sacramenta excluderet, octo requisita ad verum & proprium Sacramentum proponit, & sic iugulasse nos arbitratur; sed & illa nostro Confessionis Sacramento omnino congruunt, vt iam ostendo. Conditio & requisitum primum est, Vt institutio facta sit in nouo Testamento. Atqui Confessio est instituta in nouo Testamento, nisi fortè Euangelium S. Ioannis, & Epistolæ S. Pauli ad Corinthios non pertineant ad nouum Testamentum. II. Vt adsit externum & sensibile symbolum. Hoc iam suprà probauimus. III. Vt symbolum illud habeat mandatum Dei. Et hoc iam probauimus. IV. Vt sit ritus perpetuus, non ad breue tempus institutus. At Confesśio iam ab Apostolorũ temporibus in vsu fuit, vt & suprà iam probauimus; & tamdiu durabit, quamdiu Ecclesia purgatione & remisśione indigebit. V. Vt adsit prõmisśio gratiæ. Et hoc iã antè probatũ est. VI. Vt sit promisśio gratiæ non cuiuslibet, sed quæ in iustificatione & reconciliatione consistat. Et hoc ex superioribus patet. VII. Vt promisśio illa gratiæ signo externo adiuncta sit. Et hoc euidentisśimum in nostro. VIII. Vt promisśio non tantùm in genere annuntietur, sed etiam in particulari singulis applicetur. Hoc requisitum in absolutionis ritu inesse quis non videt? Nam quemadmodum ex illis verbis, *Docete omnes gentes, baptizãtes eos*, &c. colligimus, in particulari singulis esse dicendum, *Ego te baptizo*; sic etiam ex istis, *Quorum remiseritis peccata*, colligimus, singulis in particulari esse dicendum, *Ego tibi remitto peccata tua*, vel quod idem est, *Ego te absoluo*, &c.

In Caluini definitione scrupulus aliquis esse poterat, vt ipsemet Thrasonicè admodum ad eam prouocat. Sed, præterquam quòd sit inepta & absurda, vt ostendit Bellarminus, nihilominus huc accommodari potest. Definitio Caluini hæc est: *Sacramentum est externum symbolum, quo beneuolentiæ erga nos suæ promisśiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem; & nos vicisśim pietatem erga eum nostram, tam coram eo & Angelis quàm apud homines testamur.* Symbolum externum & promisśio gratiæ iam suprà à nobis ostensa sunt. Finis ille, *ad sustinendam fidem*, æquè in ritu absolutionis quàm in ritu Baptismi locum habet, eò quòd, sicut qui in Baptismo audit illa verba nomine Dei prolata, *Ego te baptizo*, erigit animum ad spem, & in fide confirmatur & roboratur; sic qui post confessionem audit verba illa, *Ego te absoluo*, à vicario Christi ad se propriè dici, in fide confirmetur & roboretur: & sicut qui ad Baptismum venit, pietatem suam erga Deum apud homines testatur, eodem modo facit, qui pœnitentiæ signa edit, & ad absolutionem accurrit. Hinc iam concludo, Sacramentum Pœnitentiæ verè & propriè esse Sacramentũ, cùm etiam definitio à Caluino ipso data ei conueniat; aut si Caluiniani hoc negare velint, necesse erit vt & Baptismum Sacramentum esse negent: quod facilè eos facturos credo, adeò in malitiâ & præconceptis opinionibus, quamuis falsis & apertè hæreticis, sunt obstinati & peruicaces. 58.

Lib. 4. Instit. c. 19. §. 15.
Lib. 1. De Sacramentis in genere.
Lib. 4. Instit. c. 14. §. 1.
Accommodata etiã definitio Caluini effugium quærentis.

Sed quid dixerint hæretici, si nonnulla veterum Patrum loca protulero, quibus tantùm non disertis verbis Pœnitentiam Sacramentis accensent, quod tamen faciunt implicitè? Producam ergo 59.

Quomodo distincta sint Pœnitentia & Baptismus docent Patres.

ergo vel in gratiam illorum, vt errores suos agnoscere, & Romanam Ecclesiam venerari discant. Tertullianus ergo sic inquit: *Hæc venena prauidens Deus, clausâ ignoscentiæ ianuâ, & intinctionis serâ obstructâ, aliquid adhuc permisit patere: collocauit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* Viden' Tertullianum docere, duas esse ianuas ad remisionem peccatorum, Baptismum & Pœnitentiam; adeoque eum iudicare, Pœnitentiam eiusmodi omnino remedium esse quale est Baptismus; quamuis specie diuersum? S. Augustinus sic ait: *An non cogitamus, cùm ad istorum periculorum venitur extrema, nec est potestas vlla fugiendi, quantus in Ecclesiâ fieri soleat ab vtroque sexu atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis Reconciliationem, aliis etiam Pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem & erogationem?* Et paulò pòst: *Si ministri adsint, alij baptizantur, alij reconciliantur, nulli Dominici corporis communione fraudantur.* Et alibi: *Si ad hoc valet quod dictum est in Euangelio, & per peccatorem Sacramenta non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur?* vbi scias, D. Augustinum per manus impositionem intelligere Ordinationem & Reconciliationem. S. Ambrosius hæc scribit: *Cur baptizatis, si per hominem peccata remitti non licet? In Baptismo enim vtique remisio peccatorum omnium est; neque interest, vtrùm per Pœnitentiam, an per Lauacrum hoc ius sibi datum Sacerdotes sibi vindicent: idem in vtroque mysterium est.* Et quia Nouatianorum hæresis erat, ideò in Baptismo hominem posse baptizare, quia in eo Deus sit qui potisimùm operetur, addit eo loco Ambrosius: *Quid in Pœnitentiâ, nónne nomen Dei operatur?* Addam quoque illũ hæreticomastygem Hieronymum, quem hæretici vsque adeò oderũt, quòd vbique nouitiis illorum commentis aduersetur. Illius ergo hæc sunt verba: *Redimatur Sanguine Saluatoris, aut in domo Baptismatis, aut in Pœnitentiâ, quæ imitatur Baptismatis gratiam.* Et infrà: *Quod scriptum est, Et Sanguis IESV emundat nos ab omni peccato, tam in confessione Baptismatis, quàm in clementiâ pœnitudinis accipiendum est.* Et alibi quoque: *Absit vt de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus: qui claues regni cælorum habentes, quodammodò ante diem iudicij iudicant.* Eiusdem farinæ sunt quæ habent duo insignes & nomine & re Victores: alter Vticensis, cuius hæc sunt quæ sequuntur: *Quibus nos miseros* (alloquitur verò sub nomine populorum Sacerdotes qui in exilia proficiscebantur) *relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi sunt paruulos fontibus aquæ perennis? qui nobis munus pœnitentiæ collaturi sunt, & reconciliationis indulgentiâ obstrictos peccatorum vinculis soluturi? Quia vobis dictum est: Quæcumque solueritis super terram,* &c. Alter Cartennensis, qui circa annũ Christi, vt Trithemius & Gennadius auctores mihi sunt, floruit quadringẽtesimũ quinquagesimum, qui sic loquitur: *Denique Dominũ audi in Euangelio, quibus iaculis feriat peccatorem, vt intelligas quanti faciat Pœnitentiæ Sacramentum.* En apertis & disertis verbis Sacramentum nominari Pœnitentiam, idque eo tempore, quo Ecclesiam adhuc sinceram fuisse volunt plerique

Lib. de Pœnitentiâ.

Epist. 180. ad Honoratum.

Lib. 5. de Baptismo, c. 20

Lib. 1. de Pœnitent. c. 7.

Lib. 1. contra Pelagianos.

Lib. 1.

Epist. 1. ad Heliodor.

Lib. 2. de Persecut. VVandalor.

Lib. de Pœnitentiâ, c. 10.

hæretici. Abite iam, Caluiniani Proceres, & bolos, quos vobis obieci, deglutite: sed nunquam timeo vos eos concoquere posse. Sed agite, etiam è vestris culinis quidpiam, quod vrere, quod mordere vos posit, promendum est: hæreticorum, inquam, ipsorummet confesio vobis obiicienda est, vt proprio vos gladio iugulem.

60. Præter Caluinum vestrum, qui vel inuitus, vt suprà vidimus, Pœnitentiam intra Sacramentorum numerum, prout ipsemet Sacramentum definiit, recipere cogitur, habemus primum vestrum Patriarcham Lutherum, qui in principio libri sui, quem Captiuitatem Babylonicam inscribit, expresisimè Pœnitentiã velut proprium & verum Sacramentum agnoscit, vbi nimirum sic loquitur: *Neganda mihi sunt septem Sacramenta, & tantùm tria pro tempore ponenda, Baptismus, Pœnitentia, Panis.* Quia verò spiritu vertiginis actus, Euripo fuit inconstantior, in fine eiusdem libri, sui & quid anteà dixerat planè oblitus, scribit, Pœnitentiam non esse Sacramentum, sed tantùm viam & reditum ad Baptismum; cùm tamen in Propositionibus contra Louanienses anno 1545. editis, Propositione 35. Pœnitentiam Sacramentum esse iterùm concedat. Eodem vertiginis & inconstantiæ spiritu agitatus & impulsus fuit Philippus ille Melanchthon, qui & ipse, cùm in Locis communibus anno 1522. emisis apertè neget Pœnitentiam Sacramentum esse; in Locis tamẽ anni 1545. alio spiritu actus, tria Sacramenta admittit, inter ea recensens Absolutionem siue Pœnitentiam. Immò in Apologiâ quam pro Augustanâ Confesione scripsit, sic loquitur: *Verè sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei, & promisionem gratiæ, quæ est propria noui Testamenti. Certò enim debent statuere corda, cùm baptizamur, cùm vescimur corpore Domini, cùm absoluimur, quòd verè ignoscat nobis Deus propter Christum.* Eodem denique vertiginis spiritu acti sunt infames isti Centuriatores Magdeburgenses: qui tametsi in Centuriâ tertiâ non nisi Baptismum & Cœnam admittere videantur, in primæ tamen Centuriæ libro primo tria sigillatim enumerant, eaque à Christo Domino instituta. *Ordinauit, inquiunt, Sacramenta seu sigilla gratiæ. Dedit enim potestatem ligandi impœnitentes, ac soluendi pœnitentes: quam quidem potestatem Claues cælorum appellat, Matth. 16. 18. Ioan. 20. Baptismum certâ formâ conferri iusit, nempe in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Matth. 28. Cœnam seu communicationem Corporis ac Sanguinis sui sub certis elementis instituit, in remisionem peccatorum, ac commemorationem suorum beneficiorum, Matth. 26. Marci 14. Luc. 22.* Et quidem hactenus de dignâ per pœnitentiam dispositione, vt viuentes mortuos queant iuuare. Subiũgamus modò particularem operum singulorum satisfactoriorum explicationem, & quod ad orationem facit, ante alia producamus.

Hæreticorum confesio Pœnitentiam esse Sacramentum.

CA-

CAPVT XV.

Quæ conditiones requirantur, vt viuorum preces captiuos mortuos in æternæ libertatis album transscribant.

1. *Orationibus adiuuari defunctos nullum dubium.* 2. Machab. 12.

APERTA est Scripturæ sacræ & sanctorum Patrum doctrina, Purgatorij animas viuentium orationibus adiuuari. Quoad Scripturā quidem, vti euidens ita & sufficiens est locus ille Machabæorum, *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Quid clarius? quid solidius? plura adiungere velle, frustraneum foret. Videre itaque lubet, quæ plures in eamdem rem habent sancti Patres. D. inprimis Augustinus, *Orationibus*, inquit, *sanctæ Ecclesiæ non est dubium mortuos adiuuari.* Et: *Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christianā & Catholicā societate defunctis suscipit Ecclesia.* D. Ioannes Chrysostomus loquens de oratione faciendā pro mortuo, *Hæc erit*, inquit, *sepulchralis cura maxima. Dic nomen: omnes pro illo iube facere supplicationes & preces. Placabit hoc Deū, etiamsi non ab illo factum sit.* Alia passim habet idem Doctor planè similia, quibus adstipulantur S. Isidorus Hispalēsis Episcopus l. 1. de Officiis c. 18. S. Ephrem in suo Testamento. Venerabilis Beda historiæ Anglicanæ l. 5. c. 13. quin & S. Clemēs l. 8. Constitutionū Apostolicarū. S. Dionysius Areopagita de Eccles. hierarchiā, cap. vlt. & Liturgiæ vtriusque S. Iacobi Apostoli, S. Matthæi, S. Marci, &c. & fusissimè Doctor Angelicus, qui huic negotio solidissimum fundamentum substruit, dum inquit: *Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quòd suffragia viuorum prosunt defunctis, secundùm quod vniuntur viuentibus charitate, & secundùm quod intentio viuentium refertur in mortuos: & ideò illa opera præcipuè nata sunt mortuis suffragari, quæ maximè ad communicationem charitatis pertinent, vel ad directionem intentionis in alterum. Ad charitatem autem Sacramentum Eucharistiæ præcipuè pertinet, cùm sit Sacramentum Ecclesiasticæ vnionis, continens illum in quo tota Ecclesia vnitur & consolidatur, scilicet Christum. Vnde Eucharistia est quasi quædam charitatis origo siue vinculum. Sed inter charitatis effectus præcipuum est eleēmosynarum opus: & ita ista duo ex parte charitatis præcipuè mortuis suffragantur, scilicet Sacrificium Ecclesiæ, & eleēmosynæ; sed ex parte intentionis directæ in mortuos præcipuè valet oratio, quia oratio secundùm suam rationem non solùm dicit respectum ad orantem, sicut & cetera opera, sed directiùs ad id pro quo oratur.*

Serm. 32. de Verbis Apostoli. De curā pro mortuis, c. 4. Homil. 21. in Acta. Lib. 4. Sentent. dist. 45. art. 3. Quod egregiè D. Thomas ostendit probat.

2. *Conditiones ad orationis efficaciam pertinentes.*

Homini proinde Christiano, imò Catholico dubitatio nulla remanere potest, quin mortalium precibus spiritus Purgatorij à suis cruciatibus releuentur. Vnde, cùm maxima frequenter inter orantes sit diuersitas, vt efficaciùs quis animas iuuet, consiliò hoc in loco conditiones illas recensebimus quæ obseruandæ & adimplendæ sunt pro certiori fundendæ orationis impetratione. Cardinalis quidem Bellarminus asserit ex mente S. Thomæ Aquinatis, octo requiri vt oratio sit efficax: sed quia hæc ad quatuor facilè reduci possunt, sub illo etiam numero à nobis ad commodiorem Lectoris captum ac memoriam referentur. Necessaria itaque in primis est charitas, seu status gratiæ: id quod Scripturæ sacræ & sanctorum Patrum, imò & profanorum auctoritatibus comprobatum est. In Scripturā, inter plurima alia, hæc quæ sequuntur ad rem præsentem reperies. S. Propheta Dauid, *Si aspexi*, inquit, *iniquitatem in corde meo, non exaudiet Dominus.* Inter alias quoque quas peccatori minatur maledictiones, eique velut in iustam delictorum suorum punitionem expostulat, *Et oratio eius*, inquit, *fiat in peccatum.* Salomon item eius filius: *Qui declinat aurem suam ne legē audiat, oratio eius erit execrabilis.* Isaias Propheta sic comminatur: *Cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ plenæ sunt sanguine.* vbi cùm per *manus* intelligantur opera, per *sanguinem* peccata, manifestum est non exaudiendos esse peccatores, etiamsi multas orationes suderint. Ioannes Apostolus in suā Epistolā, *Charissimi*, inquit, *si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habeamus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita facimus.* adeò vt fundamentum quòd quis impetret, sit illud, ne conscientia nostra nos peccati redarguat, & vt in viā mandatorum Domini, vt alibi loquitur diuinus ille Psaltes, incedamus. Hinc etiam Iudæi ipsimet confitentur: *Scimus quia Deus peccatores non exaudit, sed si quis cultor eius est, hunc exaudit.* Antiochus impius ille tyrannus, quamuis multa vota faceret, & plurima se præstiturum promitteret, si morbum illum terribilem, quo premebatur, euadere posset, hanc tamen de illo Scriptura sacra fert sententiam: *Orabat scelestus Deum, à quo non erat misericordiam consecuturus.*

Lib. 1. de Bonis operib. in particulari, cap. 9. Condit. in prima est status gratiæ. Psalm. 65. Psalm. 108. Prouerb. 28. Isai. 1. 1. Ioan. 3. Illius ex Scripturis probatio. Ioan. 9. 2. Machab. 9.

3. *Deinde ex Patribus. In Comment. sup. Isaiam.*

Æquè tremenda sunt, quæ huc sancti Patres atque etiam profani Scriptores attulerunt. E Patribus vnus suffecerit Basilius, qui insignem pro eā re adducit similitudinem: loquens enim de eo, qui cùm sit in peccato mortali, quidpiam à Deo exposcere audet, id perinde esse ait, *ac si quis, postquam filium alicuius vnicè dilectum occidisset, manus adhuc sanguine cruentatas ad patrem porrigeret, eleemosynam ab eo expostulans. An non æquum erat, vt saltem manus cruentas priùs abstergeret? Quolibet peccato mortali Filium Dei iterùm crucifigis. Ablue cruentas manus, antequam Deo Patri eas orando porrigas, alioquin non solùm*, verba sunt S. Basilij, *ab eo repulsam, sed & promeritam vindictam relaturus es.*

Insignis S. Basilij similitudo.

4. *Ex Ethnicis desumitur argumentū.*

Neque hoc ipsis Gentilibus incognitum fuit. Exemplū sit in Biā Pryæneo, qui cùm simul cum sceleratis nonnullis hominibus nauigaret, illique exortā tempestate deos suos inuocarent, his eos verbis, ne deos compellarent, adhortatus est, *Tacete, ne dij vos nebulones hîc nauigare sentiant.* Indicauit nimirum homo Ethnicus, impiorum precibus magis irritari Deum quàm placari. Ne tamē peccatoribus occasio desit Purgatorij animas liberandi, & ne ab illis apparens aliqua mortuorum neglectūs fingatur excusatio, notandum est, hæc intelligenda non esse nisi de peccatoribus illis qui cōuerti nolunt, sed in suā malitiā obstinati permanent: alioquin enim & peccatores à Deo exaudiri, assertum est Doctorum, si nimirum à peccatis suis resurgendi propositum faciant, veniamque delictorum debitè requirant. Clarum

est

est huius rei in D. Augustino testimonium, qui sic inquit: *Si peccatores Deus non exaudiret, frustrà publicanus oculos in terram demittens, & pectus suum percutiens diceret: Deus propitius esto mihi peccatori.*

Tract. 44. in Ioannem.

5. Ceterùm vt cuilibet constet, orationẽ in statu peccati fusam defunctis nihil consolationis adferre, exemplum eius rei hoc in loco inseremus ex Collectore Speculi. *Quidam, inquit, filius habuit patrem qui obiit, & triginta duobus annis pro animâ patris quotidie specialem orationem fecit. Cui pater post hoc tempus apparuit, dicens se in magnis pœnis esse. Cui filius: Profuitne tibi oratio mea, quâ triginta & vltra annis pro te oraui? Respondit pater: Non. Cui filius: Ergo damnationi, vt audio, subiaces, si nihil oratio tibi profuit. Respondit: Fili, non damnatus, sed Purgatorio datus sum, vbi vehementer crucior, donec peccata omnia vsque ad nouissimum quadrantem exsoluantur. Et ait filius: Cur ergo non profuerunt tibi orationes meæ? Respondit pater: Quia semper per illud tempus in peccato mortali fuisti. Cui filius: Quomodo hoc, pater, esse potuit, cùm annis singulis confessus sim, Sacramentum Eucharistiæ suscipiens? Respondit pater: Quamuis annis singulis confessus communicasti, indignè tamen semper Sacramentum accepisti, quia contritio tua & confessio vera non fuit. Qui compunctus, postmodum verè fuit contritus & confessus, abiiciens omnes mundi vanitates in vestibus, & moribus, & gestibus, Deoq́; de reliquo seruiendo: qui tunc deuotiùs pro patre orauit, & in breui de Purgatorio liberauit.* Sic simplicem veritatem simplici stylo Scriptor ille complexus est.

Speculum exemplor. Tit. de Confessione, exempl. 28.

Adducitur & res exemplum.

6. Altera orationis conditio esse debet indubitata spes impetrationis, siue illa fiducia, quæ & fidem simul & spem complectitur, quemadmodũ D. Paulus fidem definiens, adstruit esse sperandarum rerum substantiam, argumentum non apparentium: ita vt & fides sit de rebus, quæ licet non apparent, tamen certò creduntur; & res eædem illæ sint, quas nobis indubitanter obuenturas confidimus. Quia ergo fiducia nascitur ex fide, & in spe fundatur, ideò cùm Scriptura requirit fidem in orante, talem requirit quæ conuertitur cum fiduciâ; vt intelligamus, non quamlibet fidem sufficere, sed solam illam quâ simul credimus Deum posse facere quod petimus, & simul speramus, eum, quod petimus, pro suâ benignitate facturum. Pro quo faciunt hæc Scripturæ loca: *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* &: *Quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* & adhuc clariùs: *Quicumque dixerit monti huic, Tollere, & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiet ei.* hoc est, Quicumque imperauerit monti vt sese transferat in mare, & non habuerit in corde suo vllam diffidentiam, sed fidem perfectam, quæ maximam etiam gignat fiduciam, impetrabit sine dubitatione quod petit. Ita citato pridem loco commentatur Bellarminus. Quapropter non immeritò D. Paulus ad Hebræos scribens nos in iis admonet, vt cum fiduciâ ad thronum gratiæ accedamus: & ipsemet Christus, cùm eum accessisset quidam pater cuius filius à dæmonio mirè torquebatur, rogaretque vt sibi misereretur, illi respondit: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Similiter etiam ferè locutus fuit Archisynagogæ, qui cum pro filiæ suæ salute interpellabat, &, filiâ iam mortuâ, ne ampliùs Domino molestus esse pergeret monebatur, *Noli timere,* inquit Dominus, quamuis temporali morte obierit, *tantummodò crede,* & illa tibi salua & viua restituetur.

Altera necessaria pro oratione conditio.

Hebr. 11.

Iacobi 1.
Marc. 11.
Ibidem.

Quantum ad orationis impetrationem faciat fides.

Hebr. 4.

Marc. 9.
Marc. 5.

Notari autem hîc obiter potest, fidem seu fiduciam illam de rebus solùm eiusmodi intelligendam esse, quæ cadunt sub spem veram. Nam si illa petimus quæ non conducunt ad salutem, sed ei potiùs aduersantur, illa neque ad fiduciam spectant, neque sese ea largiturum Deus promisit, prout benè annotauit S. Augustinus, vbi ait: *Quæcumque petenda sunt, in nomine Saluatoris, hoc est ad salutem & gloriam Dei petenda esse; quidquid enim petimus aduersus vtilitatem salutis, non petimus in nomine Saluatoris. Rursum, non petimus in nomine Magistri, quidquid petimus præter regulam ipsius Magistri.* Vnde ait S. Iacobus: *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in concupiscentias vestras insumatis.* & signanter à Christo dictum est, *Pater vester qui in cælis est, dabit bona petentibus se.* Alioquin si & animæ nociua petantur, atque ob importunas interdum preces concedantur, illud est non amantis, sed aduersantis ac punientis Dei indicium. *Multa,* inquit S. Augustinus, *Deus concedit iratus, quæ negat propitius.* Rachel olim ad Iacob aiebat: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* qui cùm ei dati essent, primum quidem lætanter peperit, sed in partu secundo animam ipsa effudit. Rebecca vxor Isaac, vbi post multam pro liberis habendis instantiam ad puerperium venisset, pugnantibus in ipsius vtero Esau & Iacob geminis, *Si sic mihi futurum erat, quid necesse erat concipere,* inclamauit. Et certè si rem præsentem diligenter inspicimus, facilè aduertemus, magnam esse punitionem, cùm alicui petenti quidpiam saluti contrarium Deus concedit: idem enim est atque si puero, ebrio, seu insano gladium porrigas quo sese interimat. Aut si malis etiam ex ipsis Ethnicorum fabulis veritatem cognoscere, viden' quomodo tunc Midas à diis maximè punitus sit, cùm ab iis ad votum suum fuit exauditus? Instanter nimirum stultus ille omnia quæ tangeret in aurum conuerti petierat: at compos voti factus, etiam cibi illius in aurum transmutabantur, adeoque miser ille inter diuitias miserè finire vitam debuisset, nî meliùs ei Dij, quàm ipse sibi, prouidissent. Quæ profectò omnia ad animarum statum applicari percommodè possunt, quòd non solùm illæ his orationes prosint quæ expressè pro mortuis fiunt, sed etiam quæ funduntur pro viuis. Nam cùm oratio non impetratoria tantummodò sit pro vno, sed & pro multis, vti Lib. I. Cap. IV. & hoc Lib. II. Cap. VIII. patuit, eadem prece vtrisque æquè proficimus, præterquam quòd, quia oratio est satisfactoria, idem ille orans impetrationem viuis, satisfactionem verò mortuis destinare possit.

7. *Fides hoc in loco etiam spem comprehendit.*

Tract. 73. in Ioannem.

Iacob. 4.

Matth. 7.

Serm. 53. de Verbis Domini.
Genes. 30.

Genes. 25.

Exempla diuersa quibus probatur petenda solùm esse quæ prosunt.

Tertia probæ orationis conditio est attentio. Hæc quàm sit orationi necessaria, nemo est qui non facilè videat: definitio enim orationis hoc manifestissimum facit, cùm sit mentis in Deum eleuatio. Vnde qui orare eos putant, qui veluti confabulantes non nisi labia moueant, nec cor suum ad Deum attollunt, ipsius Veritatis asserto valdè decipiuntur. Ita enim Dominus noster in hypocritas inuectus fuit: *Hypocritæ, benè prophetauit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Et alibi, quid ad perfectè orandum vel euitari vel obseruari debeat,

8. *Orationis tertia conditio attentio est.*

Matth. 15.

Math. 6. beat, docet hisce verbis: *Cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autē cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Quæ non materialiter solùm sic interpretanda sunt, vt vitemus externas distractionum occasiones, sed etiam, & præcipuè, vt spiritales. Intrat ergo cubiculum, id est cor suum, ac clauso super se ostio, id est excluso, seu veluti præ sensuum foribus excluso quocumque impedimento, Patrem orat in abscondito, qui mente in Deum erectâ, ac debitâ cum attentione precatur. Quòd enim non velit Christus, necessariò adeundum esse, ad orandum, cubiculum materiale, satis inde patet, cùm, eiectis è templo negotiatoribus, scriptum esse diceret: *Domus mea domus orationis est.* Publicè itaque orare omnes poterāt, imò & debebant; sed tamen intrare cordis cubiculum hisipsis opus erat, occlusisque sensuum ostiis, mentis euagationem ac distractiones repellere, tum vt feruentiùs Deo iungerentur, tum etiam vt vanam apud alios gloriam euitarent. Iustissimum verò est, vt qui orat attentus sit: nam, vt D. Cyprianus, *quid mirum est à Deo orantem non intelligi vel exaudiri, cùm ipse semetipsum non intelligat, aut nesciat quid petat?* Quod de illis maximè intelligendum venit, quibus satis est verba in oratione proferre, etsi ad id quod orant non attendāt. Talis fuit ille, de quo S. Bernardus refert, eum promisso sibi equo frustratum esse, qui ei addictus fuerat, si vel vnicum Pater noster sine distractione recitaret. vix enim duo hæc verba, *Pater noster*, pronuntiārat, quin ecce peteret, an & equi capistrum simul obtineret: vnde & spe suâ frustratus, & de inani attentionis iactantiâ confusus, præmio caruit.

Id clarum ex Christi assertis.

Math. 21.

Super Oratione Dominicâ.

Clarum quoque ex aliis.

9. Certè Sacerdotes Romani, vt attentionem maximam seruarent, velato semper capite sacrificabant, & auguria faciebant, clamante interim præcone, *Hoc age.* Memorabile est quod Alexandro Rege sacrificante vnus ex pueris honorariis fecit. Is thuribulū tenens, cùm in eius brachium ignitus carbo delapsus esset, quo ita adurebatur, vt ambustæ carnis fœtor ad circumstantium nares perueniret, brachium tamen immobile tenuit, dolorem silentio premens, ne sacrificium Alexandri aut excusso thuribulo impediret, aut edito gemitu perturbaret. Sic Valerius Maximus: quæ vtique insignē Ethnicorum hominum in orationibus & sacrificiis suis attentionē commendāt, & nos Christianos & Catholicos egregiè confundunt, qui ad minimū pulicis morsum & orationem interrumpimus, & in Sacrificio hæsitamus. Turpe profectò est, nos fideles ab infidelibus adeò superari & argui ac si fidem non haberemus. Meritò proinde vnumquemque adhortatus est Concionator ille Biblicus, sic inquiens: *Ante orationem præpara animam tuam, ne sis sicut is qui tentat Deum.* Quod D. Basilius pulcherrimâ similitudine explicat, Deum inquiens maiorem habere indignandi occasionem, si quis in oratione voluntariè aut ex negligentiâ distractus sit, quàm Regem quempiam terrenum, qui homuncionem quempiam ad sui colloquium admittens, eum, se neglecto, cum psittaco, simiâ, cane, vel alio animali interludentē videret.

Valer. Maximus l. 3. c. 3.

In hac materiâ ex gentilium factis confunduntur Christiani.

Eccli. 18.

Et reuerà si quis hoc faceret, an non Regem illum contemnere, deridere irritareque crederetur? Quòd si hæc apud mortales homines fieri dedeceat, an coram Deo fieri impune fore arbitraris? Audiatur super hac re S. Basilius. *Si conscientia tua*, inquit, *te condemnat, tamquam si negligentiùs rem tractes; & si in oratione aliud agens, animo minùs attento sis, cùm possis omnem abs te repellere distractionem, vide ne præfidentior ausis consistere coram Deo, ne fiat oratio tua in peccatum tibi.*

Quantopere præcauenda sit in oratione distractio.

Constitut. Monast. c. 2.

10. Sequamur potiùs melliflui Doctoris consilium, qui sic inter alia loquitur: *Omnino oportet nos orationis tempore curiam intrare cœlestem; illam vtique curiam, in quâ Rex regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili & ineffabili beatorum spirituum exercitu. Quantâ ergo cum reuerentiâ, quanto timore, quantâ illic humilitate accedere debet à palude suâ procedens & repens ranuncula vilis! quàm tremebundus! quàm supplex! quàm denique humilis & sollicitus, & toto intentus animo Maiestati gloriæ, in præsentiâ Angelorum, in concilio Iustorum & congregatione, assistere poterit miser homuncio? In cunctis igitur actionibus nostris multâ est opus animi vigilantiâ, sed præcipuè in oratione.* Diuus quoque Hieronymus, *Ad orationem*, inquit, *assisto. Non orarem, si non crederem: sed si verè crederem, illud cor quo Deus videtur mundarem, manibus tunderem pectus, genas lacrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eosq́; fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certo trunco Crucis, nec priùs amitterem, quàm misericordiam impetrarem.* Ecce quomodo humillimus Doctor attentè orantem delineat, & quasi talis ipse non esset, sese accusat. Certè ipsa illamet humilitas eius, præstantissima deuotio erat: quia dictum est, *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit: & donec propinquet, non consolabitur; & non descendet, donec Altissimus aspiciat.* Item: *Respexit in orationem humilium, & non spreuit precem eorum.* Item: *Ad quem aspiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Quod edoctus credentium pater Abraham, *Loquor*, inquiebat, *ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis.*

Serm. de Quatuor ordinibus.

Quid vt attente oremus faciendū sit.

In Dialog. Aduersus Luciferianos.

Quā valeat in hac materiâ humilitas.

Eccli. 35.

Psalm. 101.

Isaiæ 66.

Genes. 18.

11. Ne quis tamē ineptitudinis prætextu ab oratione se subducat, sciendū est, etsi volenter, aut ex supinâ negligentiâ inter orandum distrahi, menteque euagari, Deum offendat, non propterea omittendam esse orationem; nec illam reiici aut puniri, sed acceptam esse coram Deo, atque impetrationis capacem, quæ inchoatur quidem debitâ cum intentione, sed posteà ex humanâ fragilitate, aut suggestione dæmoniacâ, mentis euagationibus perturbatur. Similitudinem hic insignem adducunt SS. Patres, & aiunt (id quod etiam constat ex Apocalypsi) orantem illi comparari posse qui citharâ ludit. Nam iste quidem, dum sese primùm huic exercitio dat, intentissimè se applicat: cùm autem aliquantulum fecerit, etiamsi non ita intendat, sponte tamen & veluti ex naturali fluxu prosequitur. Ita planè se res habet cum orante, qui hoc saltem conari atque efficere debet, vt cùm ad orationem accesserit, cum attentione debitâ ac rectâ intentione incipiat. Quem in sensum nonnulli illa Christi verba explicarunt, *Lucerna corporis tui* (hoc est operis tui) *est oculus tuus*, (id est intentio tua.) *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ*

Vt nemo sese ineptitudinis titulo ab oratione excuset procurandū quid.

Apocal. 5.

Math. 6.

Maximè iuuat bona intentio.

nebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Hoc est, inquiunt, Si oratio, per quam à Deo illuminaris, sinistrâ intentione obscuretur, ipsæ tenebræ, quæ tibi lumen esse deberent, quantæ erunt? Doctorum autem sententiam esse, quòd ad orationem sufficiat prima illa deuotio, è tribus vel præcipuis Ecclesiæ Scriptoribus probaturi sumus.

12. D. Thomas 2.2 quæst. 83, art. 13. Atque in primis D. Thomas expressè docet, quòd illa oratio meritoria & impetratoria sit, quæ in primâ saltem intentione attenta est. Vbi enim contraria quædam de more argumenta sibi obiecisset, tandem quod sentiebat subiungit: *Sed contrà est, quòd etiam sancti viri orando quandoque euagationem mentis patiuntur, secundùm illud Psalmi 39. Cor meum dereliquit me.* & consequenter hanc ponit conclusionem: *Attentam saltem in primâ intentione oportet esse orationem, si meritoria si impetratoria sit futura, mentéq; spiritualiter refectura.*

Sufficit vt nō obsit oratio initio esse attentam.

Enarrat. in Psal. 85. D. Augustinus in eadem est sententiâ. *Desperandúmne est,* inquit, *de genere humano, & dicendum, ad damnationem pertinere omnem hominem, cui subrepserit aliqua cogitatio oranti, & interruperit orationem ipsius? Si hoc dixerimus, quæ spes remaneat non video. Porrò quia est aliqua spes, dicamus ei: Lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui. Quomodo eam leuaui? Quomodo potui, quomodo tu vires dedisti; quoniam tu suauis ac mitis es, Domine. Mitis es, tolerans me: quia quotiescumque ante te steti, tanta vana & superflua cogitaui, vt vix vnquā fixam & stabilem tibi orationem feci. Hæc tu toleras, quia tu mitis es, & suauis, & multùm misericors.* D. denique Basilius loco quem suprà adduxi, acerbissimam dicam scribens iis qui nihili aut parui facerent, si distractiones in precibus suis paterentur, ita prosequitur: *Si verò propterea, quòd à peccato debilior factus, hoc à te ipso impetrare non potes, quin interdum, dum oras, animo ac mente distraharis; enitere contrà quantum potes, & ipse tibimetipsi vim affer, & coram Deo stare persevera, mentemq; tuam in illum defixam tene, ipsamq; ad seipsam aduoca. Si ita feceris, ignoscet tibi Deus, quoniam non ex contemptione, sed ex infirmitate, eo modo quo par erat, coram Deo stare non vales.*

Inter orandū conari debemus vt simus attenti.

13. Quarta demum efficacis orationis conditio hæc est, vt perseueranter fiat. Hoc nimirum & ab Apostolis, & à SS. Patribus, ipsomet que Christo Domino nostro ac omnium Magistro, luculentissimè fuit edoctum. S. Iacobus Apostolus, *Multum,* inquit, *valet deprecatio iusti assidua;* & S. Paulus, *Sine intermissione,* ait, *orate.* quò & pertinet illud, *Non impediaris orare semper.* Similia passim apud SS. Patres inuenire est, vt ea describere tædio sit: per comparationem hoc in loco egregiam, Venerabilis Thomas Stapletonus, olim in Academiâ Duacenâ publicus SS. Theologiæ Professor, rationem ostendit, quare Deus sæpius differat suorum preces exaudire. Sic ergo ille loquitur: *Solent matres ac nutrices, vt filiorum ac paruulorum suorum in se amorem magis vel exerceant, vel probent, vel inflamment, sese ex composito in aliquo domus angulo abscondere, & plorantē intereà paruulum, matremq; querulis vocibus inclamantem, tenerè audire, & aliquamdiu quasi surdis, sed verè amantibus auribus auscultare; tandemq; expansis vlnis ad paruulum accurrere, eumq; millies deosculari. Planè sic Deus suorum preces ac lacrymas quasi facie auersâ, quasi obdormiens, quasi surdis auribus solet excipere: tandem verò vbi & eorum patientiam, & suam dilectionem satis exercuit, plenâ manu, etiam plus quàm petitur, elargiri*

Quarta cōditio orationis perseuerantia.

Iacob. 5. 1. Thess. 5. Eccli. 18.

In Moralib. super Euangelia, Dom. 5. post Pascha text. 1.

Plus Deus orantibus quā petunt, tribuit.

Sic cum muliere Chananæâ, cum cæco clamante in viâ, cum hæmorrhoissâ in Euangelio Christus egit. Hæc Stapletonus: cui exempla antiquæ Legis sunt conformia. Nam, vt hoc è plurimis seligamus, voluit Angelus, qui ex personâ Dei cum Iacob luctabatur, cum eo totâ nocte luctari, nec illi, vsque dum ascenderet aurora, benedicere: vt ostenderet, quàm libenter cum eo versaretur, & quàm haud ipsi molestum sit agere cum hominibus, cuius nimirum *deliciæ sunt, esse cum filiis hominum.* Genes. 32. Prouerb. 8.

Mirum verò est, quàm multa ipsius Saluatoris hanc in rē sint documenta, quæ & suo frequenter exemplo confirmauit. Erat enim *pernoctans in oratione Dei;* & prostratus in terram facie, tertiò repetiit eamdem orationem: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste; verumtamē non sicut ego volo, sed sicut tu.* Item, *Factus in agoniâ prolixiùs orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* nimirum *in diebus carnis suæ preces supplicationesq; ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis obtulit.* Sed & ad id hortari frequentissimè dignatus est. *Petite,* inquit, *& dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur: omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.* Quasi dicat: Sicut pauper non idcircò statim discedit, si stipem, quam petit, primâ rogatione non accipiat; & sicuti non ideò quærere rem quampiam deperditam absistimus, si eam in vno vel primo statim domus angulo non reperiamus; ac sicut pulsans non propterea statim abit, si ei ad primum ictum non aperiatur, sed aliquoties pulsum repetit & continuat: ita & orantem agere oportet, & petere donec accipiat, quærere donec inueniat, pulsare donec intromittatur. Quin vt amplius id nobis inculcaret, similitudines nonnullas proferre haud est grauatus, præsertim cuiusdam qui noctu ab amico suo, importuno vtique tempore, panes petebat; qui non eo titulo quòd amicus, sed quòd importunus esset, panes impetrauit. Quinimmò iniquo Iudici se similem facere voluit, qui cùm à viduâ quadam ad sui defensionem importunis precibus sollicitaretur, tandem dixerit: *Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens sugillet me. Mira res,* inquit Stapletonus loco superiùs adducto, *quòd Redemptor noster iniquissimo Iudici seipsum comparat. Non parenti naturali (vt alio loco facit) non alicui magnifico Principi, non cuiuis bono & honesto viro, sed homini scelesto, qui nec Deum nec homines timebat, suam infinitam bonitatem comparat. Facit hoc, vt perseuerantiam in oratione fortissimo argumento nobis persuaderet: horrendum quippe esset, diuinam bonitatem iniquo & scelerato Iudice deteriorem aut crudeliorem esse existimare, quasi non Deus præstet quod crudelis & impius facit.* Sic ille. 14. Luc. 6. Math. 26. Luc. 22. Hebr. 5. Math. 7. Luc. 11. Luc. 18.

Perseuerātiæ orationis in Christo exemplum.

Insignes similitudines.

Vt confidamus Deum Iudici iniquo comparat Christus.

Sed & aliæ ad perseuerantiam in orando à Christo Domino factæ adhortationes in Euangelio reperiuntur, præsertim vbi ait: *Oportet semper orare, & numquam deficere;* &, *Vigilate, omni tempore orantes.* Quid apertius desiderari posset? Certè ipsa Domini verba vt sunt sanctissima atque verissima, ita & clarissima & vrgentissima, vt non tantùm orationis assiduitatem commendent, sed veluti necessariam adstruant. Quomodo autem omni tempore orare quis possit, dicemus in sequen- 15. Luc. 18. Luc. 21.

Quo sensu semper orandum sit.

quentibus, quando scilicet declarabimus, quodcumque opus, non bonum tantummodò ex naturâ suâ, sed & indifferens, hoc est neque per se bonum neque malum, perfici posse ac veluti orationem Deo offerri. Suffecerint modò quæ diximus de quatuor bonæ & impetrantis orationis requisitis, quippe quæ non solùm locum habent dum pro viuis aliis aut pro nobismetipsis, sed & quando pro defunctis oramus.

16. Ceterùm quia duplex Oratio assignari solet, Vocalis scilicet & Mentalis, non abs re erit hic vel breuiter de vtraque aliquid in medium produxisse: priùs tamen videamus quomodo Angelicus Doctor vtraque orationis specie satisfieri pro peccatis posse affirmet. Sic ergo ait: *Dicendum, quòd secundùm quosdam duplex est oratio, quædam quæ est contemplatiuorum, quorum conuersatio in cælis est; & talis, quia totaliter est delectabilis, non est satisfactoria. Alia est quæ pro peccatis gemitus fundit; & talis habet pœnam, & est satisfactionis pars. Vel dicendum est meliùs, quòd qualibet oratio habet rationem satisfactionis; quia quamuis habeat suauitatem spiritus, tamen habet afflictionem carnis. Quia vt dicit Gregorius super Ezechielem, dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur procul dubio fortitudo carnis. Vnde & neruus femoris Iacob ex luctâ Angeli emarcuisse legitur in Genesi cap. 32.* Et sanè meritò D. Thomas, de contemplationis oratione loquens, cùm dixisset primò in eâ nullum laborem inueniri, inueniri postmodum addit: quia qui ad illam iam peruenit, vix sentit laborem, sed qui ad hanc sese disponit, ita animosus esse debet, vt omnem exantlare laborem cupiat, quatenus ad illam aliquando perueniat. Quo in sensu in Vitis Patrum S. Agathon dixit, non esse laborem sicut orare Deum. sic enim ibi legitur: *Interrogauerunt Fratres Abbatem Agathonem, dicentes: Pater, quæ virtus in conuersatione plus habet laboris? Et dixit eis: Ignoscite mihi, quia non puto esse alium laborem talem, qualem orare Deum. Dum enim voluerit homo orare Deum suum, semper inimici dæmones festinant interrumpere orationem eius, scientes quia ex nullâ re impediuntur, nisi per orationem fusam ad Deum: siquidem omnem alium laborem, quem homo in religiosâ conuersatione positus assumpserit, quamuis instanter & toleranter agat, habet laborem magni certaminis.* Abbas etiam Euagrius ait, *Orationis tempore nos præcipuè maligni spiritus impedire conantur.* S. Nilus Abbas: *Omne bellum quod inter nos & dæmones conflatur, non est de alio quàm de oratione.* Illi enim qui sese meditationi & mentali orationi addicere cupiunt, necesse habent, vt omni sese violentiâ vniuerso veluti inferno, quâ demum fraude & quâ assiduitate is insurgat, se opponant. Quia enim, vt disertè satis in Operibus suis sancta Mater nostra Teresia ab experientiâ propriâ affirmat, tantum certaminis, tantùmque difficultatis obire eum necesse est, qui ad contemplationis altitudinem euolare desiderat, idcircò pauci adeò sunt qui eò pertingant. Placet intueri quas non technas, quas non insidias diabolus struat vt orantes impediat? De Macario perfectissimo Eremitâ sic in Vitis Patrum legimus: *Ad fidem confirmatum est nobis de eo ab his qui ex ore eius audierunt, quòd quodam tempore noctis dæmon ad ostium cellulæ eius pulsauerit, dicens: Surge Abba Macari, & eamus ad collectam, vbi Fratres ad vigilias congregantur. Sed ille qui gratiâ Dei repletus falli non poterat, intellexit esse diaboli fallaciam, & ait: O mendax, & veritatis inimice! quid enim tibi consortij, quid societatis est cum collectâ & congregatione Sanctorum? At ille, Latet ergo te, inquit, ô Macari, quòd sine nobis nulla collecta agitur, nullaq; congregatio Monachorum. Veni denique, & videbis opera nostra. Tunc ille, Imperet, inquit, tibi Dominus, dæmon immunde; & conuersus ad orationem, petiit à Domino, vt sibi ostenderet, si hoc verum esset quod gloriatus est dæmon. Abiit ergo ad collectam vbi à Fratribus vigiliæ celebrantur, & iterùm in oratione Dominum deprecatur, vt sibi veritatem huius verbi ostenderet. Et ecce vidit per totam Ecclesiam quasi paruulos quosdam pueros Aethiopes tetros discurrere huc atque illuc, & veluti volutando deferri. Moris est autem; inibi sedentibus cunctis, ab vno dici Psalmum, ceteris vel audientibus vel respondentibus. Discurrentes ergo illi æthiopes pueruli, singulis quibusque sedentibus alludebant: & si cui duobus digitulis oculos compressissent, statim dormitabant; si cui verò in os immersissent digitum, oscitare eum faciebant. Vbi verò post Psalmum ad orandum se proiecissent Fratres, percurrebant nihilominùs singulos, & ante alium quasi ædificantes atque portantes aliquid, ac diuersa quæque agentes apparebant: & quæcumque dæmones quasi ludendo formassent, hæc orantes illi in cordis sui cogitatione versabant: à nonnullis tamen, vbi aliquid horum agere cœpissent, quasi quadam vi repulsi, præcipites deiiciebantur, ita vt nec stare quidem prorsus aut transire iuxta eos auderent: alij verò etiam infirmis Fratribus suprà ceruices & dorsa ludebant, quia non erant in oratione suâ intenti. Hæc cùm vidisset sanctus Macarius, ingemuit grauiter, & lacrymas profundens ad Dominum, Respice, ait, Domine, & ne sileas, neque mitigeris Deus. Exurge, & dissipentur inimici tui, & vt fugiant à facie tuâ, quoniam anima nostra repletur illusionibus. Post orationem tamen examinandæ veritatis gratiâ, seorsùm vocatis singulis quibusque Fratribus, ante quorum faciem viderat dæmones diuerso habitu & variis imaginibus ludentes: requirit ab eis, si in oratione vel ædificandi cogitationes habuerint, vel iter agendi, vel alia diuersa, quæ vnicuique imaginata per dæmones viderat. Et singuli eorum ita confitebantur in corde suo fuisse vt ille arguebat. Et tunc intellectum est, quòd omnes vanæ & superfluæ cogitationes, quas vel Psalmorum vel orationum tempore vnusquisque conceperit, ex illusione dæmonum fiant. Ab his autem, qui omni custodiâ cor suum seruant, tetri repelluntur æthiopes: Deo enim coniuncta mens, & in ipso tempore præcipuè orationis intenta, nihil alienum, nihil superfluum recipit.* Ex quibus perspicuum euadit, quantis machinamentis dæmones orationes iustorum interturbare conentur. Paria in eiusdem Sancti vitâ reperiuntur; quæ diabolicam hac in impugnatione molestiam importunitatemque explicant, vt cùm satan variis tentationum seu aromatum vasculis circumcinctus, cuilibet in oratione existenti Eremitæ, iuxta quod in vitium aliquod ampliùs propendere, aut ad id faciliùs allici videbatur, offerebat. Referunt quoque eædem Patrum Vitæ, dæmones solere ad arma cóclamare, quando

In 4. dist. 5. q. 1. art. 4. ad 1.

Oratio mentalis etiam satisfactoria.

Lib. 5. Libello 12. num. 1.

Nihil oratione laboriosius.

Num. 4.

In Palladio, tit. de Oratione.

Mirabiles dæmonis circa orantes vexæ.

Lib. 2. auctore Ruffino, c. 19.

Patet id ex insigni visione S. Macarij factâ.

Quâ veram fuisse examê subsequens declarauit.

Alia in eandem plura.

quando Anchoretæ ad orationem conuocantur. Aliis visi sunt maligni spiritus veluti agmina apum orantes circumuolitare, eosque tentare. Sed quia hæc sufficiunt, vt omnes facilè agnoscant, quantus in oratione labor, quanta difficultas inueniatur: ad orationis vocalis à mentali distinctionem, nonnullamque explicationem conuertimur.

17. De iis Seraphica Mater nostra S. Teresia plura in suis à se scriptis Libris reliquit, vti cõmodissima, ita & obseruatu dignissima. Oratio mentalis quid sit, ita definit: *Iudicio meo, nihil oratio mentalis est aliud, quàm quoddã inter amicos colloquium, & tractatio de amicitiâ, & frequens secretaq; cum eo actio à quo nos amari scimus.* Alibi sic eã destinguit: *Iã verò intelligetis, ecquæ sit inter eam,* nimirum contemplationem, *& mentalem orationem differentia, hæc enim in eo sita est, vt cogitemus & intelligamus, quid, & quocum loquamur, & quinam ipsi simus qui cum tã magno atq; potẽti Domino loqui audemus.* vbi & quid oratiò vocalis sit hunc in modum definit: *Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, aut aliud quodcumq; cupitis recitare? id oratio vocalis est.* Quomodo verò vocalis benè faciẽda sit, sic docet: *In conscientiâ tenemur conniti, vt cũ attentione oremus. Et vtinam ô vtinam, hisce remediis adiuti, Dominicam orationem benè precari possimus, nec in rei alterius vanæ aut frustraneæ cogitatione desinamus! Hoc ipsa aliquãdo experta sum. & nullum hic melius remedium inuenio, quàm cogitationẽ in eum, ad quem verba mea dirigo, defigere conniti.* Et quòd hæc, vt benè fiat, à mentali seiungenda non sit, sic edicit: *Dicetis mihi, hoc ipsum iam considerationem videri, vos tamẽ nec posse nec velle aliter quàm vocaliter orare: nam etiam quosdam reperiri, qui nihil omnino pati volũt, & omnem à se laborem & molestiam excutiunt; quibus difficile est initio cogitationem recolligere, eò quòd huic recollectioni non adsueuerint. Qui ne vel modicum sibi inferant molestiæ, ac se fatigent, non nisi vocaliter posse & scire se orare aiunt. Benè dicitis, hoc iam orationem mentalem fieri: sed ego in veritate dico vobis, planè nescire me, quomodo vna ab alterâ queat disiungi.* Quòd etiam Deus sæpè animam à vocali oratione sustollat ad contẽplationem, hac ratione sancta eadem Mater ostendit. *Ne verò,* inquit, *existimetis, paruum dũtaxat esse fructum qui ex oratione vocali perfectè factâ elicitur, dico, facilè fieri posse, vt Dominus ad perfectam vos contemplationem sustollat, interim dum vel Dominicam vel aliam quampiam orationem vocalem profertis.* Aliis quamplurimis cælestibus documentis, quæ orationem spectant, refertissimi sunt libri sanctæ Matris nostræ: sed quoniam solùm strictim rem percurrere sufficit, ad compendiosam Ven. Patris nostri P. Thomæ à IESV mentalis orationis methodum prouocamus, qui hunc in modum loquitur: *Explicatis superiùs variis mentalis orationis acceptionibus ac definitionibus, postulat doctrinæ ordo, vt, maioris intelligentiæ gratiâ, de illius agamus partibus, variis iis quidem ac multiplicibus, quas tamen breuitati ac perspicuitati consulentes, ad tres potissimas reduximus. Prima est, quâ se statuit homo in Dei præsentiâ atque in conspectu diuinæ maiestatis. Secunda est diuinæ beneuolentiæ vel gratiarum actione, vel laudis honorisq; oblatione, captatio: Tertia denique suarum necessitatum manifestatio, humilisq; pro obtinendo auxilio supplicatio. Eodem prorsus modo, quo homo necessitatem patiens primùm coram eo, à quo quidpiam petiturus est comparet: deinde reuerentiali quadam sui ipsius humiliatione, atque in compensationem præteritarum fortè gratiarum oblatione, aliisq; similibus modis beneuolentiam captans: do tandem suas ei necessitates insinuans, earumdem vel vrgentis necessitatis, vel eius ad quem confugit dignitatis, liberalitatis, magnificentiæ titulis, instans remedium postulat. Eadem in oratione mentali veniunt obseruãda. Primùm enim omnium cor sursum in Deum eleuando nosmetipsos in Dei præsentiâ statuere debemus, atque in conspectu diuinæ Maiestatis comparere: qui primus est orationis actus, de quo loquitur S. Damascenus, dum orationem mentis in Deum appellat eleuationem. Secunda orationis pars siue actus est Dei honor atque reuerentia ex consideratione diuinæ maiestatis, nostræq; in tanti Dei præsentiâ indignæ vilitatis: gratiarum quoque actio pro beneficiorum, quæ de manu eius accepimus, magnitudine atque infinitate. Denique subsequitur diuinæ misericordiæ pro nostrarum necessitatum remedio imploratio, in quâ orationis perfectio atque essentia consistit. Si enim propriè loquamur, nihil aliud est oratio, quàm cordis animæq; nostræ, desideriorum videlicet nostrorum atque necessitatum, cum remedij efflagitatione, coram Deo manifestatio atque effusio. Atque adeò quamoptimè S. Thomas vbi suprà dixit, orationem esse linguam & interpretem nostrorum desideriorum, eò quòd per illam infirmitates nostras Deo manifestamus, & pro eis ab eodem remedium postulamus.*

Vitæ suæ libro, c. 8.

Viæ perfectionis, c. 25.

Differentia inter cõtemplationem & orationem mentalem.

Cap. 24. in fine.

Quid circa orationem vocalem sit faciendum.

Ibidem.

A vocali quandoq; oratione fit ad contẽplationem progressus.

Cap. 25. in princ.

Cap. 3.

Quenã sint orationis mentalis partes.

Quid in mentali oratione seruandum.

Quid propriè sit oratio.

2. 2. q. 83. art. 3.

18. *Ex quibus colligi potest, orationem pressiùs atque in suo acceptam rigore, solam significare petitionem, quæ tamen suâ alioqui latitudine quamlibet etiam cogitationem piam, aut sanctum in Deum affectum comprehendit: quo sensu quilibet trium dictarum orationis partium actus oratio quoque meritò appellatur. Atque hinc facile erit differentiam intelligere inter pressi nominis orationem quæ petitionem inuoluit, & illam quam communiter appellamus Dei præsentiam. Prior enim posteriorem includit, non tamen econtrà. Præsentiam enim Dei nihil aliud vocamus, quàm conatum quemdam seipsum intra se recolligendi, & cor suum in Deum, tamquam præsens nostræ considerationis aut desideriorum obiectum, quolibet pio affectu eleuandi. Longè enim est aliud, fauores sibi à Rege postulare, quod est oratio; & se in Regis præsentiâ constituere, vel reuerentiam exhibẽdo, vel maiestatem illius intuendo, vel de gloriâ ipsius exultando: quæ præsentia Dei sunt sub (latè sumpto tamen) orationis nomine etiam comprehensæ. Ad tertiam verò orationis partem pertinet, quæ firmissimè exauditionis atque impetrationis à Deo nostra spem cõsolidare debet, innumera titulorum, quibus apud Deum instantes exaudiri confidimus varietas, & potens magnitudo bonitatis, clementiæ, misericordiæ, liberalitatis, magnificentiæ, infinitorumq; aliorum; præsertim verò ardentissimæ illius charitatis Christi Domini ac Redemptoris nostri, infinitorumq; Sanguinis illius pro nobis effusi meritorum. Atque in hac vltimâ sui parte potissimum oratio consistit, duas tamen priores nihilominùs suâ generalitate complectens.*

Quomodo sese habeat oratio strictè ad generaliter dictam.

Has porrò orationis partes tres, vt benè annotauit S. Thomas, in omni ferè oratione Ecclesia aptissimè concinnauit, vt facilè vnicuique videre licet. Illustre ponit exemplum in Oratione de ter-augustissimâ Trinitate, in eiusdẽ Dominicâ festiuitate: *Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentiâ maiestatis adorare vnitatem: tribue quæsumus, vt eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur aduersis. Per Dominum nostrum;*

Tribus orationis partibus plerumq; Ecclesia vtitur.

nostrum, &c. Verba enim ista, *Omnipotens sempiterne Deus*, mentem ad Dei præsentiam eleuantia, primam efficiunt orationis partem. Sequentia, *Qui dedisti famulis tuis*, &c. gratiarum actione pro fidei, quâ SS. Trinitatis mysterium indubitanter agnoscimus, collato nobis dono, beneuolentiam captant, secundamque absoluunt orationis partem. Quibus tertiam subnectimus, appositâ petitione, *Tribue quæsumus.* & titulo quo exaudiri confidimus, *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, perfectam concludimus orationem.

19. *Eadē formā nos Christus orare docuit.* Docuit istam orationis formam, Ecclesiam sanctam suam, Iesus Christus Dominus noster, supremus orādi magister, dum Orationem suam Dominicam primâ perspicuè orationis inchoans parte, *Pater noster*, inquit; vt cor nostrū ad Deum tamquam ad beneuolentissimum patrem eleuātes, nos in conspectu paternæ charitatis Dei, quâ nobis auxiliari desiderat, statuamus: statimque alterā connexuit orationis partem, *Qui es in cælis*, eamque, vt optimè S. Thomas, secundam, beneuolentiæ nimirum diuinæ, cælestis magnificentię laudatione ac deprædicatione, captationem: ac tandem tertiam, quâ desideria nostra Deo manifestantes, dum dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*, &c. diuinæ gloriæ exposcimus exaltationem, nostrarumque necessitatum tam spiritualium quàm corporalium subleuationem.

Scopus præcipuus orationis vnio est cum Deo. Finis præcipuus orationis mentalis, est beata illa, ad quam toto corde adspirare debemus, animæ cum Deo vnio. Materia eiusdem in latiori suâ significatione acceptæ, est humilis & dolorosa miseriarum atque infirmitatum nostrarū confessio, feruensque diuinæ pietatis & misericordiæ imploratio, aliique omnes Religionis actus inter orandum occurrentes; vt, Deo se totum offerre, eidem se submittere, eumdem reuereri, adorare, laudare, benedicere, totoque corde ei gratias agere: quin & omnes omnium virtutum tam moralium quàm Theologicarum actus, necnon quæuis siue per fidem siue per meditationem & contemplationem acquisita de Deo notitia. Quæ quidem omnia, quamuis non sint proxima orationis, vt est petitio, materia, ad eam tamen, in quantum ad diuinam vnionem ordinatur, necessariò reducuntur. Hactenus Venerabilis Pater noster Thomas à Iesu: cuius scripta non solùm docti omnes meritò semper venerati sunt, sed alio etiam anno 1632. dum Congregatio nostra Romæ generale celebraret Capitulum, misit ad illud S. D. N. Vrbanus VIII. suum Vicarium, qui Patribus denuntiaret, vt iteratò recudenda curarent quæ prædictus iam Pater, nominatim de conuersione omnium Gentium, edidisset.

20. *Eximium totius orationis compendium.* Quòd si & alios de mentali oratione Scriptores audire velimus, offerūt sese quæ pulcherrimè hanc in rem scripsit Ven. P. Ioannes à IESV Mariâ, Ordinis nostri, qui in suâ pro Nouitiis nostris Instructione aptissimum orationis compendium tradidit, in quo quidquid à Patribus traditum est complexum se fuisse affirmat. Verba eius hæc sunt: Orationis partes sunt, Præparatio, Lectio, Meditatio, Gratiarū actio, Oblatio, Petitio. Præparatio est duplex, Remota & Proxima. Remota, est fuga occasionum distractionis, & abdicatio curarum. Proxima verò constat consideratione diuinæ Maiestatis, vnde oritur affectio reuerentiæ, ob celsitudinem; & amoris, ob dignationem: non enim parum cōmouetur cor, cùm animaduertit, se à diuinâ Maiestate ad colloquium admitti. Exoritur etiam affectus humilitatis, ex cōsideratione propriæ vilitatis, quâ constat etiam Præparatio: tantò quippe vilior homo sibi videtur, quantò altior is est cum quo verba facit, & quia vilitas summa in peccato inest. ex quo sibi homo turpissimus abiectissimusque videtur, peccata execratur & odit, & vilissimus iam homo ad Maiestatis supremæ colloquium, ceu quidam Publicanus demissis oculis semetipsum accusans, orationem à fundamento humilitatis incepturus, accedit. Lectio præmittenda vel subiicienda Præparationi (neque enim ordo necessarius est) debet ad rem pertinere, vt scilicet sit ad cor permouendum opportuna, quales passim suggerunt opuscula pia de meditationibus inscripta. Lectio sit sedata, sit altè perpensa, sit non sciendi sed Deum amandi studio accepta: & cùm sententiæ cuiuspiam vim animus sentit & vrgetur, à lectione desistatur, ac sententia illa digeratur & expendatur, quod meditando efficitur, vt affectus inde dissultent, quibus voluntas ignita flammescat. Et quidem præscriptiones hæ vbique in Lectione obseruandæ sunt, si fructum inde quis referre desiderat. *De præparatione quæ præmittēda.*

Meditatio (quæ nihil est aliud quàm discursus intellectus voluntatem ad bonum hortantis vel à malo dehortantis) Lectionem piam ad opus orationis selectā pensitat & digerit, quasi cibum quo voluntas alitur & conualescit: ac propterea meditationis modus iuxta voluntatis opus est ineundus; vt scilicet meditatio tamquam instrumētum quoddam vsurpetur, quo voluntas afficitur ad honestum; ac proinde nec nimiùm procurrat nec lentescat, sed eo dumtaxat modo exerceatur qui cordi subseruiat: vt cùm voluntas exardescit, intercidatur, quoadusque, calore illo deferuescēte, repetere illā oporteat. Impensiùs enim in affectum, quàm in meditationē ipsam incumbēdum est; adeò sanè, vt quò breuior & concisior meditatio, eò felicior oratio esse soleat, multiplici nēpe affectu fecunda. Meditatio fit bifariàm: vel de rebus quæ sensu percipi possunt sub imaginibus corporeis, vt de actibus passionis Christi; vel de rebus intellectualibus, vt de diuinâ bonitate aut pulchritudine. quæ licet sub aliquibus etiam corporeis imaginibus concipiantur, propriè tamen id non exposcunt, sed tota propemodum res, sine imaginum concursu, ab intellectu peragitur. Iuxta hos autem meditandi modos duplex Dei præsentia distinguitur, imaginaria iuxta primum; intellectualis iuxta secundum. Est autem præsentia Dei quædam applicatio mentis & affectus ad Deum resque diuinas, vel imaginario vel intellectuali modo conceptas. In meditationis excursu plura sunt accuratè perpendenda. I. Res, quarum imagines concipimus, propè vel intra nos cogitandæ, ne animus euagetur. II. Non est infigenda imaginatio iis phantasmatibus quæ componit, ne decipiatur, vera putans quæ vehementer cogitat. III. Modicè speculandum, & in affectus impensiùs incumbendum. IV. Voluntas sibi temperet, ne quid nimis; ne scilicet nimio conatu, quo caput læditur, deuotionis sensum quasi torculari nitatur exprimere, néve cùm Dei sensum nacta est, nimis dilatetur & commoueatur, sed fruitioni sedatæ adquiescat. V. Attentio 21. *Quid meditatio sit & quomodo facienda.* *De Dei præsentiâ & quænam in excursu meditationis obseruanda.*

magna præstetur, at non sine modo, sub initium præsertim, vbi animus defatigandus non est, quousque orandi procursu concitetur. VI. Non in quouis Dei gustu subsistendum, sed insistendum, vt vberiùs cor perfundatur, ac cælesti pluuiâ fecundetur: nam modica deuotio facilè difflatur & intercidit. VII. Quando flat spiritus, vbicumque id acciderit, arripiatur (si fieri potest) inspiratio, quæ est sibilus pastoris ouem ad pastum vrgentis; & orationi vacetur. Quapropter tametsi ex materiâ orationi præparatâ quis euocetur Dei sensu ad res alias, de quibus minimè cogitarat, sinat se duci quò vocatur. VIII. Quando voluntas ardere incipit, intercidatur discursus, & affectus incalescat. IX. Si affectus nimis inflammetur, interdum illum intercidere, & ad alia, quibus voluntas minùs vrgetur, diuertere oportet, ne cor lædatur, sed quiescat. X. Imaginibus quæ cogitando componuntur, ne facilè credatur: eadem imago, puta Christi, & à Deo, & à dæmone, & à propriâ imaginatione componi solet, ac proinde consilio res decidatur. XI. Nonnulli vix modicâ indigent meditatione, vel ob anteactum meditãdi studium, quo voluntas conuicta, benè affecta est, quod virtutis est argumentum; vel ob animi teneritudinem, quod solet esse mollis naturæ vitium; quod attentè perpendatur. XII. Aliqui pollent imaginandi vi, & quidquid libet ita figurant, vt lineamenta quoque minimasque corporis partes quasi ad viuum exprimant: qui periculo illusionum patent, & frequentissimo consilio & correctione imaginationis egent. XIII. Alij nihil ferè imaginatione componere valent, quos ariditas vexare solet: qui si imperfectè saltem imaginari queant (quod satis est, neque enim expressio imaginum multa requiritur) intellectualia pura, ne statim arripiãt. Sed si prorsus inepta imaginatio est, de Magistri consilio orationi ac Dei præsentiæ intellectuali vacare fas erit. XIV. Si quis imaginandi vi polleat, & vniuersè quiuis alius, multiplicia capita vitet, ne scilicet distinctas imaginum partes, puta manus, pedes, latus Christi, ad singulos affectus vel actus, dum orat vel recitat, adoret (nocet enim capiti vehementer saltus hic multiplex, & breui orationi reddit ineptum) sed toti simul Christo impensiùs & prudentiùs vacet. XV. Meditantes multis distractionibus infestati, ante statas orationis horas, occasiones immodestiæ ac verborum diligenter vitent, nec aliquid nisi Iesum Christum scire velint. Quòd si nec sic se intus colligere posint, enitantur inter orandum cogitationes importunas excutere. Quòd si neque hoc modo quiescant, aliquam precationem, puta Dominicam, seu Psalmum, vel solâ imaginatione, si cum aliis orent; vel si soli, ore quoque recitent, ac ea verba intercalatis breuioribus meditatiunculis expendant. Quòd si neque sic cogitationum importunitas cesset, si priuatim agant, lectione libri pij, cum admixtâ meditatione, orationis vice vti poterunt. XVI. De orationis seu meditationis materiâ nihil certè definiatur: ea quippe materia cuique salubrior est, vnde vtilitas maior existit. quod cùm ex ingenij diuinique adiutorij collatione sit decernendum, consultatione res statuatur. Hæc omnia quæ de meditandi ratione præscripsimus, a iunioribus Fratribus non sine consilio Magistri agenda sunt: quod vniuersè in aliis rebus, sed iis præcipuè quæ ad orandi peritiam spectant, vbi multa pericula oriri possunt, obseruandum est.

Diuersa pro diuersis cauenda.

Materia cuique eligenda potius quæ illi vtilior.

22\. Postquam quis meditatus est, ac intellexit vim beneficiorum Dei, quæ ipsâ meditatione ponderantur, apposité subtexit Gratiarum actionem. Vt si de Christi crucifixione cogitauit, quâ quis scit se fuisse redemptum, opportunè gratitudinem cõcipit, ac singulari beneficio, quod tunc expendit, cetera siue generalia siue particularia subnectit, subiecto breui catalogo, quem à creatione auspicatus mente percurrit: & vt gratitudo coalescat, cupit vniuersa corda, quæ in cælo siue in terrarum orbe Deo accepta sunt, sibi tradi, vt immensam gratitudinem è tot cordibus exsultãtem dulcissimo Deo suo vno corde rependat. Cupit autem inprimis cor beatissimæ Virginis, & (quod felicius est) ipsius Domini nostri Iesu Christi cor adipisci, vt fiat vehementior æstus gratitudinis quâ flagrare desiderat. At quia gratitudinis virtus, quæ semel excitauit affectum (quoad per eam fieri potest) gratiam referre molitur, aptè Gratiarum actionem subsequitur Oblatio, quæ gratiam multis actibus rependere tentat. Quapropter ipsi Gratiarum actioni multiplex Oblatio annectenda est, pro beneficiis videlicet acceptis, ac sigillatim pro beneficio quod meditando perpẽsum est, dulcissimum Dominum nostrum Iesum Christum, ac beatissimam Virginem, cum eorum meritis, propriamq; similiter personam, cum cogitationibus, verbis ac operibus vniuersis in hostiam laudis & gratiarum actionis, affectu ardentissimo expedit offerre, ac vniuersa corda, quæ vbique Deo placent, eodem mystico Sacrificio simul immolare. Quod certè Sacrificium poterit etiam ac debebit offerri pro peccatis, ac in hostiam pacificam pro iis bonis impetrandis, quibus eget qui orat, quousque ipso Deo fruatur: & denique in holocaustum, ad ineundam cum Deo cordis vnionem, & ad diuinæ Maiestatis confessionem ac protestationem; vt quadruplici hostiâ distinctis cordis motibus ac directionibus expresâ, quælibet cogitatio, vox, siue actio, quadrifariàm Deo fiat accepta, & quaternis meritis aucta.

Meditationi gratitudo subiungẽda.

Gratitudini verò Oblatio.

23\. Oblationi concinnè annectitur Petitio: apposité quippe petit id pro quo pretium offert. Patet autem ex enumeratione quatuor hostiarum, quas paulò ante recensuimus, eum qui orat, semetipsũ Domino nostro Iesu Christo ac beatissimæ Virgini sociatum, cum suis meritis vniuersis offerre in hostiam pro peccato, & hostiam pacificam, hoc est, ad noua beneficia impetranda (vt reliquas duas hostias, non adeò huc spectantes, prætereamus.) Est ergo postulaturus admodũ impensè veniam peccatorum, & mox bona illa vniuersa quibus eget, vsque ad optatissimũ ipsius Dei conspectum ac fruitionem: sigillatimque deposcet veram peccatorum pœnitudinem, & humilitatẽ, Theologicasque virtutes, & præsertim diuinæ bonitatis amorem; ac denique virtutem eam quâ se magis indigere, & eius passionis seu tentationis victoriã, quâ se magis vrgeri pernoscit. Quæ certè omnia cum ceteris bonis non sibi tantũ, verũ & toti Ecclesiæ ac vniuerso humano generi, quoad licet, exposcet, vt neminem lege charitatis excludat. At quod in petitione potissimùm exquiri debet, est inconcussa quædam fidei

Oblationem petitio sequitur.

In petitione quid maximè aduertendum.

fidei firmitudo, vt nihil hæsitet qui postulat, sed certò statuat se bona, quæ deposcit, per Christum obtenturum. Quam certè firmitatem è tribus subiectis rationibus, quibus nemo mentis compos valet obluctari, poterit haurire. Prima: Deus suopte ingenio est ad benefaciendū ac miserendū propensissimus, quia est infinitè bonus. Quod ipse luculentissimè patefecit, cū non rogatus, sed natiuâ suâ bonitate, Filiū suum neci tradidit prò me. Si ergo non interpellatus mihi immerito, ac in peccatorū cœno iacenti Filium dedit; quis nisi planè stolidus vel insanus dubitabit, an mihi, non iam peccare cogitanti, sed peccatorum veniam, & alia ei gratissima, sed multò minora bona postulanti, sit veniam indulturus? Certè ratio hæc euincit, vel me dementem esse, vel debere sine vllâ hæsitatione, quidquid confert ad salutem æternam, postulare. Secunda: Certum est, dulcissimum Dominum nostrum Iesum Christum ita pro me morti traditum, ac si pro nullo alio traditus fuisset: non enim mihi magis officit aliorum salus, nec magis à me sanguis illius diuertitur, quàm si pro me solo illum effudisset, nec de alio quouis redimendo cogitasset. Quod Apostolus sensisse videtur, dum ait: *In fide viuo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Statuam igitur, me non vniuersorum hominum scelera, sed pauciora perpetrasse, ac de illorum remissione apud Patrem æternum agere, interposito totius Sanguinis Filij eius pretio, vt mihi clementissimus Pater ignoscat: vbi (ex hypothesi) de vnius duntaxat hominis peccatis condonandis agitur, ac si nemini, præterquam mihi, parcendum esset. Quâ in re quis, obsecro, tam rudis vel amens erit, vt non animaduertat, se, omni hæsitatione depulsâ, debere fidentissimè postulare? Non enim hæc ratio alteri minùs firmæ, quàm doctrina ipsius veritatis, innititur: vt mirum sit, quomodo spei infirmitate laborem.

Galat. 2.

Magna nos ad spem excitandi incitamenta.

Tertia: Super alia spei fomenta est insignis illa promissio, quâ Dominus noster Iesus Christus semetipsum nobis addixit, aiens: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* quibus certè verbis ita spem meam studuit promouere, vt nullo modo quid aptius & ad eam erigendam efficacius possim excogitare. Exigit quippe à me vt credam, illum bona, quæ posco, mihi velle præstare. Quo quid facilius? Si enim ille suapte naturâ ad benefaciendum propensissimus est, (vt in primâ Ratione patuit) & prætereà neci traditus est, vt eo pretio ego obtinerem bona quæ posco, (vt secundâ Ratione constitit) & demum firmissimâ promissione semetipsum obligauit vt ea bona largiretur, (quod tertiâ Ratione liquet;) quid facilius quàm eorum impetrandorum fidem concipere, quin & illa denique obtinere? Si enim adhibeo conditionem sub quâ is illa pollicitus est, numquid potest credi me illa non obtenturum? Minimè quidem. Hactenus R. P. Ioannes à Iesu Mariâ, quibus sequentes etiam annotationes adiungi poterunt, vtpote quæ non parum ad mentalis orationis exercitium fructumque conducunt. Sunt verò ista:

Marci 11.

24\. Præsuppono, I. Deum esse infinitum, adeoque esse vbique præsentiâ, potentiâ, & essentiâ. II. Duas præsentiæ diuinæ esse species: vnam, quæ dicitur imaginaria, quando quispiam Deum sub formâ aut icone aliquâ imaginatur; alteram, quæ dicitur intellectualis, quando quis sibi Deum repræsentat prout est, nimirum infinitum, ineffabilem, &c. III. Deum esse infinitum bonitate, per quam ipse permouetur ad benefaciendum, seque cuilibet creaturæ suæ communicandum, præcipuè verò homini, qui ad imaginem suam creatus est. IV. Ipsum esse creatorem, protectorem, conseruatorem & moderatorem cæli & terræ, & eo modo eum disponere & velle quæcumque accidunt, omnia disponentem suauiter, excepto vtique peccato, quod nihil est aliud, quàm voluntatis humanæ à termino, qui ei à Deo est præfixus, deuiatio. V. Voluntatem humanam post protoplasti peccatum factam esse debilem & ad malum procliuem; eamque omnino in mille præcipitia esse ruituram, nisi obstaret gratia Dei, qui animæ concessit vt lumen videat, per quod retegitur quodcumque diuinæ voluntati aduersatur. VI. Voluntatem diuinam esse, vt nostram suæ subiiciamus: medium verò aptissimum, vt voluntatem nostram diuinæ accommodemus, esse orationē. VII. Orationem esse colloquium cum Deo, quâ mediante homo perfectionem suam cum ipso negotiatur. VIII. Ipsam tria respectare: primum, quid sit Deus; secundum, quid sit homo; & tertium, quomodo homo Deo per amorem coniungendus & vniendus sit. IX. Finem orationis esse illuminationem intellectus, voluntatisque empyrismum siue inflammationem, quò inordinatum creaturarum amorem dimittat, & amorem Dei amplexetur. Viden' quare orationis exercitium ex toto ordinatum sit ad abstractionem à creaturis, & ad Deum conuersionem? X. Tres præcipuas orationis esse partes: primam, præsentiam diuinam, sine quâ oratio fieri nequit, vtpote quæ sit colloquium cum Deo, colloquium autem cum absente fieri nequeat: secundam, beneuolentiæ eius captationem, quæ nimirum acquiritur vel pulchritudine vel bonitate, laudibus, gratiarum actione, aut Sacrificio: tertiam, & præcipuam, petitionem eius quo indigemus. XI. Tres esse status, eosque differentes, illorum qui orationem exercent: eos enim qui per viam purgatiuam incedunt, differenter eam exercere oportet quàm qui per viam illuminatiuam; & hos iterùm alio modo quàm qui per vnitiuam. Via purgatiua ad illos spectat qui incipiunt, illuminatiua ad proficientes, vnitiua ad perfectos. XII. Panem, quo in tribus hisce viis sustentari oporteat, esse contritionem. XIII. Bonam orationem non consistere in discursibus intellectus per subtiles conceptus, quin hoc pluries obesse quàm prodesse: discursu solummodò vtendum esse ad veritatis detectionem, & voluntatis excitationem; cùm, si voluntas frigida & deses sit, potiùs studium sit quàm oratio. XIV. Potentiam, quam vel maximè adhibere debeamus, esse voluntatem. Dux orationis in omni statu esse debet Christus Iesus, qui in viâ purgatiuâ nobis exhibet passionis suæ dolores, excitando nos ad compassionem, & peccatorum detestationem, vtpote quæ causa dolorum eius extiterint: in illuminatiuâ suas virtutes, vt eas imitemur; in vnitiuâ denique magnum & immensum, quem erga nos habuit, amorem.

Propositiones aliquot non inutiliter

Pro orationis feliciori successu expendenda.

25. *Exercitium pro viâ purgatiuâ.*

Exercitiũ quo vtendum est his qui in viâ purgatiuâ versantur.

Exercitium hoc in eo præcipuè situm est, vt anima agnoscat & defleat suam miseriam & peccata sua, veniamque illorum deprecetur. Peccati enormitas præcipuè expenditur inde, quòd per illud amittatur gratia, charitas, virtus, & ius quod quis habebat ad gloriam, & quod est grauius, per illud quis efficitur inimicus Dei, inferendo ei infinitam iniuriam & offensam. Possunt hic quoque considerari damna temporalia quæ per illud incurrimus, quæ sunt, conscientiæ remorsus, pœnæ sempiternæ, atque ipse peccati horror. *Praxis.* Postquã anima sibi ob oculos posuerit qualitates & attributa diuina, quæ ei maximè pro viâ, in quã se constitutam reperit, conueniunt: exempli gratiâ hinc grauitatem peccati prout eam descripsimus; inde verò magnitudinem, bonitatem, sapientiam & pulchritudines Domini nostri, in cuius præsentiâ ipsa omnino nihil esset: instar malefactoris laqueo collo suo adaptato genuflexa, media illa procurabit quibus ei reconciliari possit, eius gratiam & beneuolentiam promereri satagens. Atque vt semper habeat in quo fulcire se possit, assumat quampiam sententiam, versum, aut dictionem, &c. exempli causâ, illud Dauidis peccatum suum agnoscentis, *Tibi soli peccaui;* paulatim eadem verba repetens, & magnum propter peccata dolorem in semetipsa excitans, quòd talem ac tantum benefactorem offenderit, &c. *Tibi soli, mi creator, mi conseruator, mi redemptor, tibi soli peccaui,* &c. probè expendendo ipsam offensam, & eum quem offendit, dicens: *Tibi soli, Deus, peccaui, quapropter veniam peto;* eadem ipsa verba idemtidem repetendo, vel etiam alia dicendo, quæ ad propositum facient, eumque excitare possunt, qualia verbi gratiâ sunt illa Publicani, *Deus propitius esto mihi peccatori;* aut illa Dauidis, *Secundùm magnam misericordiam tuam.* Inde anima, magnam quietudinem sentiẽs, cum amorosâ agnitione præsentiæ diuinæ, petere poterit id quo indiget, verba aut conceptus minimè multiplicans: Deus enim affectum videt, & meliùs, quã nos explicare queamus, eum pernouit. Affectus suauiter operari debet, moderatè & integrè se permittens diuinæ voluntatis manibus, nec vim sibi inferat: omnis enim inopia nostra à Deo dependet. Finem quẽ in viâ purgatiuâ respicere debemus, est cognitio enormitatis peccatorum, vera contritio, omnium affectuum, voluptatum & oblectationum mortificatio; ex affectu timoris hauriendo spem, passionem eius considerando, probeque expendendo quid ille pro nobis perpessus fuerit, ex quo amorosum dolorem concipere debet. Attenta lectio & deuotio ad hoc multum proderit.

Psalm. 50.

Luc. 18.

Exercitium via illuminatiuæ.

Exercitium quo in viâ illuminatiuâ.

Viæ illuminatiuæ scopus est considerare & meditari vitam Seruatoris nostri, ad illam se conformare, eius virtutes imitari, passionesque proprias refrenare, prout ipsa tres gradus habet, quorum primus est passionum mortificatio & abnegatio; secundus, cognitio Domini nostri Iesu Christi; tertius ad amorem & vnionem illius tendit. *Praxis.* Postquam anima deuota se Domino Iesu Christo stiterit in eâ formâ v. g. quâ columnæ alligatus fuit, cogitare debet primùm quis sit qui patitur, dicendo: *O Domine, quis es tu, & qua sum ego?* deinde, quid patiatur; tertiò, quanti sint eius dolores; quartò, quo amore patiatur: idemtidem repetendo Orationem hanc, vel aliam similem: *Pater æterne, vtinam fidelis tibi fuissem filius, teq; amassem quomodo debueram!* attendendo virtutes Domini nostri, circumstantiasque adductas; ob oculos sibi ponendo occasiones & difficultates, quas habet ad conformandum se Domino Iesu Christo, firmo facto proposito eum imitandi, eique se conformandi, ad id gratiam eius expetendo.

Exercitium viæ vnitiuæ. 26.

Exercitiũ denique quod in viâ vnitiuâ vsurpandum.

Viæ vnitiuæ finis est totalis suimet in Deum transformatio, & cum eo tam voluntate quàm affectu perfecta vnio. Media ad hoc sunt, si quis semetipsum inflammet, atque ei vniri desideret, perpetuò magnam cordis puritatem procurans, quæ ipsa acquiritur cõtritione continuâ & compunctione, vitæ suæ ad vitam Domini nostri conformatione, voluntatis propriæ mortificatione, contemplatione, &c. Hæc insuper conseruatur, si quis quotidie sancto cuidam exercitio studeat, in quod cor & animus omnino sit intentus. Procuranda est prætereà lux, siue cognitio Dei, quæ triplici exercitio acquiritur: quorum primum est meditatio vitæ Domini nostri, attributorum diuinorum, bonitatis, magnitudinis, &c. prout Fides nos edocet; secundum, vt non tam considerentur attributa diuina, quàm ipsemet Deus; & tertium, cognoscere Deum cõtemplatione quadam negatiuâ, quæ nihil est aliud, quàm cognitio quòd Deus sit ineffabilis, incomprehensibilis, omni magnitudine maior. Omnes eius gradus exercentur pro acquirendo vero amore Dei, cuius tria præcipuè sunt munia: primum, quod & principaliter exercetur in viâ purgatiuâ, quoad possibile est, voluntatem afficere conatur; secundum, quod se rei amatæ similem reddere enititur; & tertium, quod ei seruire, atque in eam se transformare allaborat. *Praxis.* Quando iam deuota anima diuinum adiutorium implorauerit, seque contrito & humiliato corde in nihileitatis suæ abyssum demiserit, intentionem suam purificare debet, quærens solùm honorem Dei: inde coram diuinæ Maiestatis præsentiâ se sistens, ex imo cordis sui, prout iam anteà diximus, sententiam quampiam pronuntiat, & verbi gratiâ, contemplans pulchritudinem Dei, dicat: *O viuus animæ meæ splendor illumina intellectum meum, vt pulchritudinem tuam cognoscam.* eadem aut similia verba subinde ingeminans, donec quietam se sentiat; semetipsam insuper quotidie ad perfectam resignationem disponens, vt influentias diuinas suscipere valeat. Quòd si anima, iisdem aut similibus verbis crebrò repetitis, nihilominùs frigida permãserit, nihil refert: si enim solam Dei gloriam quæsiuerit, amplius meretur, virtutis & constantiæ suæ specimen exhibet, & se de die in diem ad recipiendas influentias diuinas aptiorem reddit, si Deo aliquas ei immittere placitum fuerit.

Dictorum praxis.

Deuotio denique nihil est aliud, quã seruitio Dei se mancipandi voluntas. Duas præcipuè habet causas, vnam exteriùs, quæ est Deus; alteram interiùs, quæ est meditatio & contemplatio. Deuotio lætitiam spiritualem parit, aut etiam tristitiam secundùm Deum.

Hæc autem quin omnibus sufficiant quamuis nullatenus dubitem, vt orationis mentalis exercitio 27.

Breuis atque adeò facilis quædam orationis praxis.

citio adsuescere idque efficere valeant; quia tamen non omnibus idem est otium ad ea quæ diximus exercenda, adiunctam demum voluimus breuem aliam eamque facillimam orationis mentalis praxim, à quâ nemo aut temporis inopiâ aut intellectus difficultate meritò se excusare valeat. Numerus itaque punctorum quæ obseruanda sunt, in ipsis manuum digitis statui atque annumerari poterit hunc in modum: in quolibet digito non nisi duo consideranda erunt, in ipso præcipuè pollice constituatur primum punctum, sensuum nimirum exteriorum & internorum, cogitationum impertinentium & distractionis fuga, adeò vt meditaturus ita se componat, vt nec visu nec auditu, neque cogitationibus ad res creatas aut mundanas, quæ ad orationem non pertinent, euagetur. Punctum secundum sit recordatio præsentiæ Dei, id est vt orans sese à Deo videri, prout reuerà videt, actualiter credat, eumque hoc sibi tempore ad audiendum exaudiendumque aures præbere. Quàm est autem indignum, Deum nobis intendere atque attendere, nos verò ad alias nugas, ne dicam imperfectiones aut etiam impietates, diuagari? In indice, altero manus digito, duo rursum agenda veniunt, primum, vt diuinam Maiestatem quàm humillimè salutemus, atque ei de nobis & vniuerso hominum generi præstitis tam generatim quàm particulatim beneficiis gratias agamus: deinde, vt nos ipsos confundamus, tum quia nulli sumus vt cum tanto Domino loquamur, tum quia indignissimi, vtpote maximi peccatores, repulsam atque æternam damnationem promeriti. In tertio verò, siue medio, vt vocamus, digito, materia meditationis eligitur circa quam versari cupimus, siue ea sit de aliquo Saluatoris, Deiparæ Virginis, aut alterius cuiusdam Sancti mysterio, de virtute aliquâ, de Dei perfectione, de aliquo è quatuor nouissimis, aut alio qualicumque ad bonum motiuo: quod expendendo, ac per singulas circumstantias ruminando, meditationem pro altero huius digiti membro propriè exercemus, quæ tripliciter fieri solet, dum aut quidpiam è libro legimus, vel vocaliter recitamus, & singula puncta mente recolimus, & hæc meditatio mixta dicitur; aut cùm mysterium, vel virtutem seu rem de quâ discursum intellectus instituimus, continuè discutimus, & quæ in eâ admiranda imitandaque veniant obseruamus, & illa propriè nominatur meditatio; seu denique dum hæc eadem cogitatione versantes, altiùs à Deo eleuamur, & ad diuina sentienda promouemur, tuncque appellatur contemplatio. In quarto digito id primùm agendum est, vt nosipsos conferamus ad circumstantias rei quam meditati sumus, cum defectibus nostris eodem in genere ac simili occasione conferendas, & vt videamus, quàm malè hactenus quæ nostri fuerint muneris expleuerimus. Et cùm satis non sit, vulnus suum agnoscere, sed insuper etiam necesse sit eidem adhibere medicinam; inquirenda erit mali proprij, seu defectus nostri in eo quod rectè in re consideratâ factum intuiti sumus, occasio, peccati aut negligentiæ nostræ radix, eique extirpandæ vel excogitanda sunt apta remedia, vel ad Deum pro illis cognoscendis recurrendum: & hoc est alterum quod in medico manus digito agendum erat. Ad quintum eumque minimum digitum ingenti animi feruore seriam erratorum & defectuum nostrorum emendationem proponamus; Deumque ac cælites omnes humiliter instanterque obtestabimur, vt in concepto proposito ad eius executionem nobis auxilio esse dignentur. En breuissimam orationis methodum, nonnihil quoad partium ordinem immutatam, sed æquè facilem, vt iuxta cuiusque genium, varia ad vnionem cum Deo iucundam ratio aperiatur: nihil enim refert quomodo quis ad finem illum vltimum pertingat, modò pertingat; parum item quibus vtatur mediis, modò scopum attingat.

Vt memoriæ mandari queat facilis item modus.

Aliqualis partium orationis ad ingeniorum varietatem accommodata transpositio.

Obseruari præterea in vltimâ hac à nobis de- 28.
scriptâ praxi voluere nonnulli tria hæc, & quidem satis vtiliter. Primum, vt, si quis motum sese, & ad Deum eleuatum sentiat in digito primo, secundo aut tertio, sistat, nec amplius pro illo tempore procedat: sufficit enim moueri ad Deum. Secundum, vt non transigatur in solo mentis discursu aut animi etiam motu ipsa meditatio, incipiendum aliquando esse à tertio vel quarto digito, in quo prioribus vicibus cessauerat, vt venire etiam possit ad vitiorum radicem extirpandam, inserendamque virtutem, is qui meditationem exercet. Tertium, vt non credamus in eo constitutú esse orationis fructum, aut eius perfectionem, quòd subinde orans sensibiliter ad deuotionem excitari se sentiat; sed ibi, quando ex illâ vitæ emendatio aut perfectionis incrementum prouenit. Quinimò sæpè Deo gratior est illa meditatio, quæ multis, modò non voluntariis, distractionibus perturbatur: in hac namque, dum fortiter iis resistitur, & ab orante velut pugnatur, maius meritum, victoria & corona datur. Atque hæc sunt quæ compendiosè de mentali oratione, vt per eam etiam iuuentur defuncti, adducenda putauimus: materiarum insuper quæ quotidianis per hebdomadam meditationibus subseruiant, breuem tandem elenchum annecto, vt vnusquisque vel illo vel simili modo meditationis exercitium excolat, atque ingentes inde fructus emanantes sibi atque aliis abundanter acquirat. Schema hoc sit:

Tria in breui illâ orandi methodo scitu digna.

Septem Meditationes per singulos septimanæ dies matutino tempore vsurpandæ.

Meditationum ordo pro singulis hebdomadæ diebus.

Feriâ secundâ, de lotione pedum, aut de Ven. Sacramento.

Feriâ tertiâ, de oratione Christi in horto, seu captiuitate, aut de his qui mysticè manus Christo vinciunt.

Feriâ quartâ, quomodo Christus Annæ, Caiphæ, Pilato & Herodi sistatur, aut quæ tormenta, quos labores pertulerit in illâ nocte: de negatione Petri, & de flagellatione Christi.

Feriâ quintâ, de Christi coronatione, aut de verbis Pilati, *Ecce homo*, aut quomodo Saluator crucem in humeris portet.

Feriâ sextâ, de sanctâ Cruce pia contemplatio, vel meditatio de Christi crucifixione, de mutuâ filij & matris compassione, vel de doctrinâ, quæ sub arbore crucis traditur, siue de patientiâ quam habere debemus; quæ omnia in Christo imitanda occurrunt.

Die Sabbati, de planctu B. Mariæ Virginis, aut quomodo Christus de cruce depositus sit; vel de causis ob quas B. Virgo Maria, & iusti omnes in hoc sæculo variis tribulationibus affliguntur.

Die Dominicâ, de resurrectione Domini, vel de Euangelio tunc occurrente, aut quomodo Saluator Virgini matri apparuerit.

29. *Alius peti potest ex Capite 8. superiore.* Possunt etiam accipi per sex feriales hebdomadæ dies eæ meditationis materiæ, quas Capite VIII, superiore, n. 13. per illa loca, in quibus passus est Christus, disposuimus, ita vt vel manè & vespere illæ, vtpote duodecim numero, absoluantur vnâ hebdomadâ, vel manè per quindenam. Notandum autem est, nullam ex omnibus materiis aptiorem magisque proficuam ad meditandum existere, quàm illam quæ est de passione Saluatoris: nam & in eâ vniuersarum virtutum exempla reperiuntur, & omnibus hominum statibus ac conditionibus accommoda est. Si quis tamen ad rei varietatem vesperi etiam meditandi materiam desideret, en quem hîc ponimus modum.

Meditationum vespertinarum materia.

Feriâ secundâ, de peccato eiusque naturâ.

Feriâ tertiâ, de miseriis & infelicitate huius vitæ.

Feriâ quartâ, de morte.

Feriâ quintâ, de extremo iudicio.

Feriâ sextâ, de pœnis infernalibus.

Sabbato, de gloriâ vitæ externæ.

Dominicâ, de beneficiis Dei.

Alij alias ad meditandum vias ingrediuntur; nos inter alios Indices, sub Operis huius finem, de meditationibus per annum integrum instituendis specialem daturi sumus, quò Lectori meo recurrendum erit. Neque inficiari quisquam hoc loco poterit, ea quæ de oratione mentali hucusque tam diffusè produximus, ad defunctorum materiam spectare, si obseruare velit non modò, vt superiùs probauimus, omni orationis genere purgandos spiritus expiari, sed vel maximè oratione mentali iuuari eas animas posse, quæ aliàs ex ordinatissimâ Dei iustitiâ, vel ad certum tempus, vel aliquando vsque ad ipsummet extremi iudicij diem, communibus fidelium suffragiis liberari vel solari nequirent, prout & S. Gertrudi Saxonicæ & aliis Sanctis reuelatum est, & à nobis suo loco referetur.

Oratio mentalis vel maximè sæpè defunctis prodest.

CAPVT XVI.

Orationibus sæpè breuissimis, vitâ functis sempiterna requies impetratur.

1. *Efficacissima quæq; breuis est deuotaq; oratio.* QVAMQVAM ex his quæ superiore iam Capite diximus, indubitatum factum sit, orationem diuturnam siue assiduam, efficacissimam esse ad quidpiam siue viuis siue mortuis impetrandum, non tamen idcircò putandum est, nihil aut parum prodesse illum qui breui & succinctâ quidem, attentâ tamen & feruenti precatione Deum rogat. Certè Redemptor noster errorem illorum, qui orationis efficaciam atque perfectionem non in deuotione vel attentione, sed in prolixitate ac multiloquio constituebant, refellere voluit, dum inquit: Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici; putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari

Math. 6.

eis: scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum. Et: Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes, propter hoc amplius accipietis iudicium. E quibus hoc in primis sequitur orantem non tam ad precum suarum extensionem quàm intentionem seu attentionem respicere debere: Secundò, maiorem iis inde damnationem prouenturam, qui malè orantes continuationem & prolixitatem affectant. Quapropter cùm maior orationis efficacia ex deuotione quàm duratione proueniat, hoc Capite monendum vnumquemque duximus, vt si pro Purgatorij animabus longas orationes facere ei non sit integrum, breuioribus vtique adeoque feruentioribus precatiunculis has ipsas iuuare minimè negligat. Math. 23.

2. *Orationem breuem cælos penetrare probatur.* Commune Catholicis dictum est, Breuis oratio cælos penetrat. Quod quàm sit verum, & sanctarum Scripturarum testimoniis, & aliis argumentis insuper, iisque variis, probari potest. Quod Scripturas attinet, varia in iisdem exempla reperiuntur, quibus & verbis & syllabis paucissimis maxima quæque, inter quæ peccatorum remissio vel primum locum sibi vindicat, impetrata & obtenta fuerunt. Latro ponè Christum in crucem sublatus hoc solum petiit, Memento mei, dum veneris in regnum tuum; & tamen statim exauditus à Saluatore audiit, Hodie mecum eris in paradiso. Centurio, cuius filius infirmabatur Capharnaum, ob vocem illam quâ vel breuiter dixit, Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus, hanc in Euangelio promeruit laudem: Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum, filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & strider dentium. Duo item homines in Euangelio referuntur ad templum ascendisse vt orarent, quorum alter, Pharisæus nimirum, sat prolixam orationem fecit; alter verò, qui Publicanus erat, non nisi hâc breuem: Deus propitius esto mihi peccatori, & tamen de hoc subdidit Saluator: Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Cæcus quidam secus viam sedens & mendicans, transeunti Domino IESV acclamasse solùm dicitur, IESV fili Dauid miserere mei, qui tamen statim miraculosè visum recepisse, & omnes qui tum aderant, in diuinas laudes prouocasse recitatur. Quid, quæso, prodigus ille aliud dixit, quàm, Pater, peccaui in cælum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus? qui tamen à parente suo hæc dici audiit: Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius; & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est.

Luc. 23. Math. 8. *Ex lege primùm Euangelicâ.* Lucæ 18. Ibidem. Lucæ 15.

3. *Similiter ex Moysaicâ.* His pariformia sunt quæ variis in locis antiquæ Legis reperiuntur, vnde vnicum de Regio Prophetâ Dauid describere lubet. Hic cùm à Nathan 2. Reg. 12.

Nathan audisset, Deum, ob eius cum Bersabee adulterium, & mariti eiusdem Vriæ homicidium, grauiter offensum esse, peccatum suum confessus exclamauit: *Peccaui*. Cui Nathan respondit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris*. D. Bernardus, & alij SS. Patres, dum hæc interpretantur, mirè trium harum syllabarum *pec ca ui* efficaciam extollunt, indeque probant, quàm etiam breuis apud Deum interpellatio sit efficacissima, omniaque impetret. Sanè si & alia, & quidem maxima Fidei mysteria contemplari voluerimus, deprehendemus, in illis non nisi paucissima verba adhiberi. In primis postquam Deus cælum & terram ex nihilo condidisset, his solùm verbis vsus est, *Fiat lux, Fiat firmamentum*, &c. Summum & vel Angelicis linguis ineffabile Incarnationis Filij Dei mysterium, hisce tantummodò B. Virginis Mariæ verbis perfectum atque absolutum fuit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*. Christus Dominus ter-augustissimum Eucharistiæ Sacramentum instituens, haud alia eius iussit esse verba consecratoria, quam, *Hoc est enim corpus meum*; & similia ferè de calice. In formâ Baptismi haud alia verba requiruntur, quàm, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. In Sacramentali pœnitentiæ absolutione vel hæc duo verba *Te absoluo* sufficere possunt. Et eadem ratione fit in pluribus aliis, quæ tamen tum ad Fidei professionem faciendam, & ad salutis participationem acquirendam spectant: vt mirum non sit, si breui frequenter oratione magna à Deo beneficia fideles tum sibi tum aliis promereantur.

Genes. 1.

Luc. 1.

Summa mysteria paucissimis verbis peracta.

4. *Quod ipsum in mortuorū causâ locum habet.*

Et hoc ipsum vel maximè locum habere potest in materiâ mortuorum, in quâ, quantumcumque exiguâ prece, pro magno defunctorum debito pretium soluitur, nec aliquid vmquam deperire solet. Vnde non immeritò sancta Mater nostra Ecclesia Catholica inter fideles filios suos hanc inuexit consuetudinem, vt sæpenumerò, cùm de mortuorum animabus incidit mentio, dicatur, *Requiescant in pace*. Quò secundùm quosdam respexisse videtur Tertullianus, qui de viduâ quadam ait, quòd mariti sui demortui requiem exoptet. Verba eius hæc sunt: *Enimuerò & pro animâ eius orat, & refrigerium interim adpostulat ei*. Huc etiam facit quod Sapiens ait: *In requie mortui requiescere fac memoriam eius*. Quamuis autem verba suprà relata sint breuia, efficacissima tamen sunt; adeò vt animæ ad ea verba quæ Sacerdos sub Missæ Sacrificio profert, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem*, mirè affici non rarò visæ sint. cuius exemplum refert Venerabilis Thomas Cantipratanus, hunc in modum: Sed & in Austriæ partibus, sicut per Abbatissam quamdam piam & religiosam audiui, quidam sanctissimæ vitæ Monachus Cisterciensis fuit, qui in Missâ celebratâ pro mortuis, ante participationem Corporis Christi cùm diceret, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem, audiuit voces clamantium à remotis: Festinate, festinate pacem suscipere, quia iam Missa propinquat ad finem. Qui mox vt stabat Christi Corpus tenens in manibus, fuit raptus in spiritu, & vidit innumerabilium animarum multitudinem festinantem ad pacem, aliis recedentibus, percepta pace, aliis clamantibus, Festinate festinate, quia iam Missa propinquat ad finem. Sic Monachus stetit à primâ ferè horâ diei vsque ad horam nonam, præstolantibus aliis & mirantibus, quid stans haberet immobilis. Tandem ergo reuersus ad se, finiuit Missam; & præcipiente Abbate, cunctis quid vidisset exposuit, & post paucos dies ipse met Monachus vitam finiuit. His, Lector, auditis, quis (saluo tamen meliore iudicio) dubitare potuerit, quin Spiritu sancto ordinante in Ecclesiâ Dei antiquitus sit statutum, vt in Missâ pro fidelibus defunctis nec pacem apprecemus viuentibus, nec demus, sed tantùm pro defunctis, vt in pace requiescant, oremus.

Lib. de Monogamiâ.

Eccli. 38.

Li. 2. Apum, cap. 53.

Insigne rei præsentis exemplum.

5. *Maxima Indulgentiæ quas ad orationes breuissimas Pontifices concessere.*

Et quoniam sancta Mater nostra Ecclesia compertum habet, non solùm defunctos Spiritus, breuiores adeòque feruentiores orationes desiderare, sed fideles etiam homines faciliùs, sæpiùs atque teneriùs eisdem precibus affici quæ haud diu durent, prudenter constituit, vt si faciles aliquot preces pro mortuis fundantur, magnæ iisdem Indulgentiæ applicari possent. Hinc Clemens VIII. Summus Pontifex, ad instantiam Serenissimæ Hispaniarum Infantis Catharinæ, concessit, vt è Purgatorij pœnis toties anima quæpiam liberaretur, idque per modum suffragij, quoties ad honorem Sindonis Dominicæ quis deuotè hanc Orationem recitaret: *Deus, qui nobis in sancta Sindone, quâ corpus tuum sacratissimum, de cruce depositum, à Ioseph inuolutum fuit, passionis tuæ vestigia reliquisti: concede propitius; vt per mortem & sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui viuis & regnas*, &c. Gregorius XIII. Paulus V. & S. D. N. Vrbanus VIII. concesserunt, vt habentes granum benedictum Venerabilis, vt vocatur, Ioannæ de la Croix, quacumque Feriâ sextâ quinquies, & ipso Parasceues trigesies ter, liberari possit anima è Purgatorio, dicendo toties adorationem sanctæ Crucis subsequentem: *Adoro te ô Crux pretiosa, quæ teneris pedibus & venerabilibus manibus Domini mei* IESV *Christi fuisti ornata, & pretioso eius Sanguine cooperta & tincta. Adoro te, ô Deus meus pro me crucifixe. Iterùm te adoro ô sancta Crux, propter amorem eius qui est verus Deus meus & Dominus meus Iesus Christus*. Varij quoque alij Pontifices adscripserunt animæ vnius è Purgatorio liberationem iis qui Orationem Dominicam ac Salutationem Angelicam recitarent; de quibus, vbi de Indulgentiis tractandum erit, amplior loquendi erit occasio: tantùm hoc de Oratione Dominicâ adiungimus, mirum non esse quòd eius recitationi tam insignia ab Apostolicâ Sede sint concessa priuilegia, quando quidem & ipsi Doctores antiqui pluribus in locis sint testati, per eiusdem Orationis efficaciam venialia peccata dimitti. S. Augustinum audiamus: is nimirum, *De quotidianis*, inquit, *breuibus leuibusq, peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana Oratio fidelium satisfacit; eorum est enim dicere, Pater noster qui es in cælis, quia iam Patri tali regenerati sunt ex aquâ & Spiritu sancto. Delet omnino hæc Oratio minima & quotidiana peccata; delet & illa, à quibus vita fidelium scelerate etiam gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit*. Hanc tanti

Oratio Dominica vim habet vt peccata venialia remittantur.

In Enchirid. ad Laurentium, cap. 71.

tanti Patris doctrinam vt & indocti capiant, egregio exemplo illustratam ibimus: *Quidam Episcopus deuotus vidit in somnis puerum piscantem de puteo cum hamo aureo & lineâ argenteâ, indeq; pertrahentem vnam pulchram mulierem. Et Episcopus euigilans vidit eundem puerum in cæmeterio super vnam tumbam orantem, & quæsiuit ab eo quid faceret. Respondit: Pro animâ matris dico Pater noster & Miserere. Et intellexit vir sanctus, quod anima illius mulieris liberata esset à Purgatorio precibus illius pueri, & quòd Pater noster esset hamus aureus, & Miserere esset linea argentea.* Et ibidem subditur: *Legitur in Libro de septem Donis, quòd fuit quædam deuota matrona, quæ in Ecclesiâ quadam Cathedrali solebat orare, & in angulo secreto prostrata cum maximâ deuotione dicebat Pater noster, & Aue Maria, & Credo in Deum, lacrymis tota liquescens, & pauimentum perfundens. Episcopus autem loci illius, homo sanctæ vitæ, vidit columbam de cælo venientem, & lacrymas illas colligentem, & deferentem in cælum. Et cùm hæc vicibus multis vidisset, vocatâ feminâ illâ quæsiuit ab eâ quæ esset oratio eius. Quæ cùm respondisset sibi, dixit Episcopus: Quàm felix esses si Psalterium scires! Quod cum didicisset & oraret, Episcopus non vidit deinceps lacrymas, nec columbam. vnde abstulit ei Psalterium, præcipiens, vt ad orationes consuetas rediret. Quod cùm fecisset, vidit Episcopus quòd deuotio pristina & lacrymæ & columba protinus redierunt.*

Spec. exempl. tit. Defuncti, exemplo 23.

Res eadem exemplis clarissima.

Exemplo 24 ex R. P. Nicolao Dinckelspule.

6\. *In deuotione non prolixitate, bonitas orationis consistit.*

Non ergo putandum est, orationis efficaciam in multiloquio aut sermonis prolixitate consistere, sed in illâ viuâ cordis in Deum Directione: quæ quoniam in diuturnis omnium precibus haud ita facilè haberi potest, præstat saltem breuem aliquam ac sæpiùs iteratam precationem effundere, quàm longam eamque imperfectam. Vnde optimum illud D. Augustini temperamentum: *Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio.* Quod intelligentes sanctissimi Eremitæ, in orationibus sese iaculatoriis non parum exercuerunt, prout idem S. Augustinus affirmat, dum sic ait: *Dicuntur Fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen breuissimas, & raptim quodammodò iaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm necessaria est, per productiores moras euanescat atque hebetetur intentio.* Sed & quàm magna sit diuersitas inter orationes illas quæ ex consuetudine & quæ ex deuotione funduntur, è variis patet, præsertim è D. Gertrude Saxonicâ, cui cùm anteà fuisset ostensum, quàm grata illa Deo foret oratio, quæ ex intimo corde profertur, declaratum etiam fuit, quanta esset ab eâ differentia quæ fit ex consuetudine. verba eius hæc sunt: *Cùm more solito septem Psalmi Pœnitentiales pro peccatis & negligentiis legerentur* (ab Ordinis sui scilicet Religiosis) *apparuerunt protinus omnia verba illa in specie margaritarum, sed obscurarum, in tabulâ prædictâ circa illas viuentes & splendentes gemmas* (de quibus antè sermo fuit) *ordinata: intellexitq; per Spiritum, ideò illos Psalmos in specie tenebrosarum gemmarum apparere, quia Conuentus ipsos tantummodò persoluebat ex vsu, & non cum deuotione speciali.* Vnde aduertendum est, quòd quamuis debita, ex vsu suppleta, Domino præsententur ad cumulum meritorum nostrorum, in infinitum tamen excellentiùs nobilitatur & gratificatur, quidquid cum intentâ perficitur deuotione. Eademque Virgo deuotissima breues aliquot oratiunculas edocta fuit, per quas diuinitus inspirata cognouit, quòd quicumque deuotâ intentione quinquies diceret eosdem versus, hos Dominus acceptare dignaretur pro oratione quantumuis laboriosè perfectâ.

Epist. 121 ad Probam.

Ibid. cap. 10.

Lib. 4. Diuinarum instit. cap. 2.

Res multis argumentis detegitur.

Lib. 3. c. 49.

7\. *Oratio vtiq; Dominica commendatissima nobis esse debet.*

Quin & Seraphica Mater nostra S. Teresa, quæ longa experientiâ orationis vtilioris conditiones perspectas habebat, non modò Orationem Dominicam (quæ tamen omnium ferè est breuissima) impensissimè commendauit, vtpote fundamentum, compendium, imò complementum quarumcumque aliarum; sed eam sic potiùs recitandam docuit, vt non integra, sed diuisa per partes, ac paulatim veluti ruminata, maiorem nancisci posset efficaciæ ac perfectionis suæ effectum. Vnde non sparsim tantùm per suos à se editos libros singulas eiusdem Orationis petitiones, veluti prolixioris sermonis forent tractatus, explicauit, sed peculiari quoque Opusculo has ipsas septem, quæ in Oratione Dominicâ habentur, petitiones singulas singulis hebdomadæ diebus frequentandas ac pio animo expendendas assignauit atque destinauit; nec immeritò: probè enim Spiritu diuino Sancta nostra erat edocta, substantialissimam non modò Orationem esse Dominicam, sed eò ampliùs eam mentes nutrire, quò perfectiùs foret masticata. sufficiebat enim hic cibus, vt non in horas & dies, sed hebdomadas, menses & annos, vitam animæ & conferret & foueret. Verba ipsiusmet sanctæ Matris audiamus, quæ sunt: Cùm figmentum nostrum illius Factor cognitum habeat, sciatque, animam nostram, ob capacitatem suam infinitam, quotidie res nouas expetere, nec acquiescere, si vnum quid solum accipiat; in Leuitici sexto capite idem Dominus, ne ignis in altari deficeret, singulis eum diebus à Sacerdote, recentibus appositis lignis, enutriri imperat, hoc ipso mysticè innuens, ne deuotionis feruor extinguatur aut intepescat, nouis quotidie & viuis considerationibus à nobis conseruari debere. Et quamuis hoc imperfectio quæpiam videri posit, diuinæ tamen est prouidentiæ, vt anima conditionis suæ ductum secuta, assiduè infinitas Dei perfectiones inuestiget, nec in humiliori quopiam acquiescat, cùm solus ipse amplitudinem eius explere valeat. Vnum est quod conseruare intendimus, ignem scilicet diuini amoris: sed multis opus est lignis, & quotidie illa instaurare necessum est; voluntatis quippe nostræ calor & efficacia id omne absumit; & totum id ei modicum videtur, donec eodem illo igne, infinito nimirum bono, quod solum sufficere, & nostram capacitatem explere potest, saginari contingat. Cùm igitur Oratio Dominica sit lignum conuenientissimum diuino illi igni viuo conseruando; ne ob frequentiorem repetitionem voluntas elanguescat, rationi consentaneum videtur, modum quempiam exquirere, quo, illam quotidie reiterando, intellectus noster nouis subinde considerationibus reficiatur, simulque ignis & calor ille in voluntate conseruetur. Perquam verò id commodè fieri poterit, si septenas eius Petitiones secundùm septem hebdomadæ dies distribuantur, & sua quoque die assumatur sub eo nomine vel titulo qui cuilibet conueniat, & ad quem reducantur quæcumque in illâ Petitione desideramus, totumque id quod à Deo obtinere exoptamus. Petitiones ipsæ omnibus

Leuit. 6.

Quomodo in meditatione Pater noster foueri deuotio possit.

Per singulos hebdomadæ dies, singulæ petitiones Dominicæ Orationis distribuendæ.

omnibus constant: nomina verò & tituli Dei hi sunt: Pater, Rex, Sponsus, Pastor, Redemptor, Medicus, Iudex; adeò vt quilibet euigilans dicat,

Feriâ 2. *Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum.*

Feriâ 3. Rex noster, *adueniat regnum tuum.*

Feriâ 4. Sponse animæ meæ, *fiat voluntas tua.*

Feriâ 5. Pastor noster, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Feriâ 6. Redemptor noster, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Die Sabbati: Medicus noster, *ne nos inducas in tentationem.*

Die Dominico: Iudex noster, *libera nos à malo.*

PETITIO PRIMA.

Pro Feriâ secundâ.

8. *Quanta fiducia titulus Patris in nobis causet deuotionis incitamenta.* QVamuis Patris nomen optimè singulis Petitionibus conueniat, magnamque nobis fiduciam ingerat, & per illud Dominus semet obstringere voluerit ad præstandum id quod petimus; minimè tamen dispositioni eius atque scito aduersabimur, si & reliquos titulos eius addamus, quippe qui propriè ei congruant, præcipuè cùm deuotio per eosdem excitetur, & ignis altaris cordis nostri quasi lignorum appositione suscitetur, fiduciaque nostra robur acquirat, dum nimirum animo reuoluimus nostro, ei, qui est Pater noster, tam excellentes atque egregios, nobisque adeò beneuolos & amicos titulos, deberi. Vt itaque ignis ille totâ feriâ 2. habeat quod absumat, in illo Patris nomine & primâ Petitione expende, Patrem tuum esse Deum, trinum in personis, vnum verò in essentiâ, principium & effectorem rerum omnium, substantiam principij expertem, causam tamen & fontem substantiarum omnium, *in quo viuimus, & mouemur, & sumus*; qui vniuersa sustentat, & omnia conseruat. *Act. 17, 28.* Expende quoque tecum, quòd sis filius Patris adeò potentis, vt infinitos alios mundos creare possit; tam sapientis, vt illos omnes regere & moderari queat, perinde atque hunc nostrum regit & gubernat, vt nullâ res prouidentiâ eius destituatur, à summo & maximo Seraphino ad minimum vsque terræ vermiculum; tam benigni, vt gratis se, pro cuiusque capacitate, omnibus assiduè communicet. Speciatim verò homo meditetur atque dicat: Quàm mihi bonus est ille Pater, quandoquidem ei complacuit vt vitam haberem, & dignitate filij eius gauderem, plures alios homines, qui longè me meliores fuissent, creare supersedens. Vbi & perpendo, quantum redamare meisque seruitiis emereri debeam illum Patrem, eò quòd solâ suâ bonitate omnia in meum vsum, me verò vt ei famularer, eoque perfruerer, condere dignatus fuerit. Hac item occasione quis omnibus hominibus lucem exoptabit quâ eum agnoscant, & amorem quo eum redament, pro tantis beneficiis gratias rependant, imò vt omnes sint eâ virtute & sanctitate præditi, vt in ipsis refulgeat imago Dei Patris sui, & vt in omnibus paternum eius nomen glorificetur & sanctificetur, nomen inquam Patris, qui eiusmodi filios habeat, qui Patrem suum conditorem *Nostram etiam fuadit in peccando ingratitudinem.* referant. Sequitur inde statim (reductâ nimirum in memoriam peccatorum nimietate) ingens dolor, quòd tam benignum Patrem ab ingratis filiis offensum videat, ex alterâ verò parte lætitia, dum cernit adhuc esse aliquos Dei famulos, in quibus Patris sui sanctitas resplendeat: dum nimirum de singulis peccatis & scandalis à se datis tristatur, de virtutibus verò quas in aliis obseruat, lætatur; Deo gratias referens, quòd Martyres, Confessores & Virgines esse voluerit, qui manifestè talis Patris se filios esse commonstrent. Hic confestim iterùm sequitur erubescentia, quòd ipsemet in particulari eum offenderit, beneficiis eius se minùs gratum exhibuerit, atque tam indignè præ se ferat nomen filij Dei, quod generosa & heroïca corda producere debebat. Expendendæ parentum naturæ, quantum filios suos, quantumuis deformes, adament; quomodo eos, etiamsi ingrati sint, foueant; quomodo eos, licet improbè viuant, sufferant; quomodo eisdem, si domum & ad obedientiam redeant, indulgeant; quomodo illis, tametsi improuidi sint atque temerarij, de peculio prouideant: easque proprietates infinities ampliori modo in Deo reperiri, vnde prouenit vt anima colliquefiat, nouamque veniæ tam sibi quàm aliis fiduciam concipiat, nec quem alium despiciat, talem se Patrem habere videns, qui & Angelis & hominibus communis sit.

9. *Omnibus in rebus iam dicta applicari poterunt.* Eo quo hanc meditatur Petitionem die, anima eam omnibus rebus applicare debet, veluti si videat imaginem Christi, dicat: Hic est meus Pater. Si videat cælum: Hæc est domus Patris mei. Si doctrinam audiat: Hæc est epistola quam Pater meus mihi mittit. Quidquid induat, comedat, aut vnde se exhilaret: Hoc omne de manu Patris mei mihi prouenit. Quidquid ei tristitiam pariat aut mœrorem, aut afflictionis & molestiæ causa sit: Omnes hæ tentationes de manu Patris mei mihi adueniunt pro maiori meo exercitio, & ampliore coronâ; & tum affectuosè dicat, *Sanctificetur nomen tuum.* Hanc per diuinæ præsentiæ cogitationem anima nititur apparere cuius filia sit, tantisque beneficiis se gratam exhibere, singulare gaudium concipiens quòd videat se filiam esse Dei, sororem IESV CHRISTI; heredem regni Dei, & coheredem eiusdem Christi. Cumque videat Dei regnum esse suum, vt omnes sancti sint desiderat, quò ea bona augmentum & incrementum capiant: quò enim illa plura maioraque fuerint, eò & magis ampliusque de illis est participatura. Opportunum est hîc meditari illa à Christo in cruce prolata verba, *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*, in illis enim paternorum viscerum Dei proprietates elucent: & tum facere aliquos charitatis actus erga illos qui nos iniuriâ affecerunt, *Luc. 23, 34.* atque semetipsum paratum constituere ad maiores excipiendas. Ad propositum hic facit historia filij prodigi, in quâ ad viuum paterna erga perditum filium, & posteà emendatum, priorique dignitati restitutum, charitas depingitur.

PETI-

PETITIO SECVNDA.

Pro Feriâ tertiâ.

10. FActo examine ratione noctis, eo modo quo factum est Feriâ secundâ, sequitur vt anima iam ad Deum Patrem suum accedat, petitaque veniâ tepiditatis suæ in eius honore, gloriâ & sanctificatione procurandâ, disponat se ad agendum sequenti die (qui est Feria tertia) veluti cum Rege, quocum die præcedenti egit tamquam cum Patre, ideoque è somno euigilans eum salutet, dicens, Rex noster, *aduentat regnum tuum.* Commodè hæc Petitio priorem sequitur, eò quòd filiis regnum Patris sui debeatur; & hunc in modum dicatur: Quòd si mundus, diabolus & caro in orbe terrarum imperium obtinent, obtine tu illud in nobis, regnumque auaritiæ, superbiæ & voluptatis destrue.

Quid vtilitatis nobis proueniat ex titulo Regis.

Petitio hæc gemino modo explicari potest: vel enim rogatur Deus, vt nobis regni cælorum possessionem tribuat, cuius proprietas ad nos spectat vt ad ipsius filios; vel rogatur, vt ipse intra nos regnet, nosque ipsi regnum eius simus. Vtraque explicatio est Catholica, sacrisque Litteris consona, quod Theologi mihi dicunt. Quoad primam enim dixit Dominus: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* De secundâ verò ait S. Ioannes, Sanctos in beatitudine dicturos: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo*, &c. *& fecisti nos Deo nostro regnum.* Mira in his explicationibus latet excellentia, quæ est, Deum, quando nobiscum loquitur, dicere, se esse Regem nostrum; nosque, quando ipsum alloquimur, ipsum benedicere eò quòd regnum eius simus: sicque mutua illa spiritualia obsequia permutamus. Ignoro sanè, quæ maior hominis sit dignitas, an quòd dignetur Deus nos agnoscere regnum suum, sibique hac possessione satisfactum putet, cùm ille sit is qui est; an quòd ipse velit esse Rex noster, nobisque se tradere in possessionem: quamuis iam mihi plus arrideat, quòd nos eius regnum simus; cùm inde proueniat ipsum esse Regem nostrum. Dixerat S. Catharinæ Senensi: *Cogita tu de me, vt ego cogitem de te.* Et piæ cuidam Religiosæ: *Cura tu mea, vt ego curem tua.*

Matth. 25, 34 · *Apocal. 5, 9.* · *Quanta nostra ergo dignitas sit.*

11. Satagamus ergo, vt tales nos efficiamus, vt Maiestas eius in nobis regnare dignetur; quia sollicitus erit ipse vt nos in ipso regnemus. Et hoc est regnum, de quo idem ipse Dominus in suo Euangelio: *Quærite primum* & ante omnia *regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* reliquorum curam deponite, eò quòd de iis sollicitus sit Pater vester. De hoc quoque regno dixit S. Paulus, quòd sit *pax & gaudium in Spiritu sancto.* Perpendamus igitur, quales æquum sit existere illos, quorum Deus dignatus est esse Rex, illosque suum regnum: quàm debeant esse virtutibus instructi, in verbis moderati, magnanimi, humiles, vultu benigni, in laboribus patientes, cordis munditie & cogitationum puritate præditi, inuicem amantes, omnibus in actibus tranquilli & pacifici, inuidiâ carentes, omniumque salutis & vtilitatis cupidi. Perpendamus qui probi vasalli se gerant erga Regem suum, & hinc cogitatus nostros ad cælestem Regem sustollamus, & sciemus quomodo nos erga illum gerere debeamus, & quid petamus, dum dicimus, *Adueniat regnum tuum.* Iisdem omnes legibus adstringimur, quas & obseruare, nosque mutuò iuuare tenemur, inuicem quod alteri deest communicantes. Facultates omnes & vitam ipsam pro Rege nostro exponere tenemur, in omni & quolibet euentu ei complacere cupientes. Dum opprimimur, ad eum confugimus vt iustitiam administret; dum necessitatibus vrgemur, vt remedium adferat. Omnes ei seruiunt (quilibet pro suo modulo) nemini inuidentes: miles in bello, in munere suo is qui munus habet, artifex in suo artificio, opifex in suo opificio, Nobilis, eruditus, nauta, etiam qui numquam eum vidit, illi inseruire satagit, eumque videre allaborat: messor qui fruges metendo sudat, gaudet quòd Rex suos habeat familiares, quibuscum sese exhilaret & voluptatem capiat: cumque Rex vnius fauet commodo, omnes ei propterea inseruiunt, eumque venerantur, singuli pacem & tranquillitatem inter se alere procurant, & vt Regi ab omnibus benè seruiatur desiderant.

Math. 6. · *Rom. 14, 17.* · *Quid ex his faciendum doceamur.* · *Non tantùm quantum ad Deum, sed etiam quantum ad proximum.*

12. Percurramus iam illas Regni conditiones, easque proposito nostro applicemus; & videbimus, quòd id quod à Deo petimus, sit, vt mandata legesque eius obseruentur, illi probè inseruiatur, subditique eius in pace & tranquillitate vitam transigant. Rogamus etiam, vt animæ nostræ (intra quas est regnum Dei) ita sint dispositæ, vt regnum eius esse mereantur; vt potentiarum nostrarum respublica ipsi vel maximè obtemperet, intellectus in eius fide stabilis, & voluntas, etiamsi vita profundenda sit, ad sanctas eius leges obseruandas sit dedita; vt item potentiæ ita sint pariformes, vt numquam diuinæ eius voluntati aduersentur: passiones atque cupiditates ita quietæ & moderatæ, ne quando charitatis præceptis obmurmurent; adeoque ab inuidiâ alieni boni remoti, vt quamuis haud tantum mihi contulerit Deus quantum aliis, non inde tristitiâ afficiar, sed potius oblectationem capiam, videns illum Dominum regnare in cælo & in terrâ; & vt sat habeam, instar messoris aut alterius ex infimâ plebe obscuri manuarij ei inseruire; & abundè mihi satisfactum arbitrer, si saltem aliquousque Regi illi obsequium & famulatum exhibuero; denique, vt regnet ipse in nobis, deque me & quocumque alio disponat atque constituat veluti Rex & Dominus absolutissimus. Omne id quod hoc die vel loqui vel audire me contigerit, ad hanc Dei Regis nostri, prout superiore ad Deum velut Patrem, considerationem referendum est. Appositè hìc expendi potest illud, quomodo nimirum Pilatus Redemptorem nostrum, coram eo accusatum, populo exhibuerit spinis coronatum, sceptri loco arundinem in manu habentem, obsoletaque purpureâ veste indutum, dicens: Ecce Rex Iudæorum. Cumque summâ eum reuerentiâ adoraueris (in vicem blasphemiarum & opprobriorum quibus eum onerarunt milites & Iudæi, dum eo in statu illum viderent) facias aliquos humilitatis actus, cum desiderio, vt mundani honores atque præconia nobis fiant spinea corona.

Expendendæ sunt Regni Dei & nostri conditiones. · *Quomodo dies ex his ordinandus.*

PETI-

PETITIO TERTIA.

Pro Feriâ quartâ.

13. TErtia Petitio hæc est, *Fiat voluntas tua.* quâ nimirum in omnibus voluntatem Dei perfici desideramus: imò ampliùs petimus, vt perficiatur in terrâ quemadmodum in cælo, charitate nimirum & amore. Optimè Petitio hæc priores consequitur, cùm æquissimum sit, vt in omnibus rebus voluntas Patris æterni per eiusdem filios, & Regis supremi per ipsius subditos, perfectissimè compleatur. Atque vt nosipsos magis magisque incitemus, & voluntati isti accommodemus, imaginabimur nobis, hunc Patrem, & Regem regum, appellari sponsum animæ nostræ amantissimum. Et quicumque nomen hoc attentè considerauerit, & quas delicias in se comprehendat expenderit, dubio procul in eius corde excitabuntur incredibilia desideria voluntatem tanti Domini perficiendi: qui cùm sit Rex maiestatis, splendor Patris, diuitiarum eius abyssus, pelagus omnis pulchritudinis, fortissimus, potentissimus, sapientissimus atq; amabilissimus, à nobis amari, & nos vicissim amare desiderat amore tam blando atque deliciosè, quàm per istud nomen innuitur. Plurimi facit hoc nomen ipsius Maiestas, vt etiam ciuitatem Ierusalem, quantumuis esset fornicaria & adultera, ad pœnitentiam inuitet, vt ad se reuertatur alliciat, Patremque eum & sponsum nominet, quò fiduciam concipiat, ab eo se suscipiendam fore. Hoc in nomine exprimuntur omnes & singulæ deliciosi & fiducialis amoris arrhæ, voluntatum mutua identitas: omnem amorem, omnem diligentiam, totumque cor postulat, adeò vt, postquam Deus cum populo Israelitico in deserto sponsalia contraxisset, eidem mandauerit atque iniunxerit vt se ex toto corde, ex totâ animâ, toto intellectu & voluntate, omni denique conatu redamaret. Quantâ igitur cautelâ & circumspectione opus habet, & tam intrà quàm extrà benè disposita esse debet Sponsa, quæ tantò à Rege adamatur? Studiosiùs expendat monilia atque armillas, quibus sponsus hic sponsas suas exornare solet, mentemque suam ad ea promerenda disponat, ne inops, nuda atque incompta relinquatur; petatque illa quæ Maiestati illius sunt gratiora. Humillimè ad pedes illius sese demittat, quia aliquando Domino illi placitum erit ipsam per supremam suam clementiam subleuare, atque intra brachia sua complecti, quemadmodum olim Assuerus Rex Reginam Esther.

Dei nos voluntati vt Sponsi cõformare debemus.

Ex Sponsi titulo ad Dei nuptias anima peccatrix inuitatur.

14. Poterit quoque considerare, quàm ipsa tenuem & egenam, quàm verò Sponsus eximiam atque ditissimam dotem ad sponsalia hæc attulerit, & quomodo ille animas nostras, quæ diaboli erant mancipia, in sponsas suas, Sanguinis sui virtute, à Patre suo coëmerit, & quomodo ob id (& meritò) vocari possit Sponsus sanguinis (hæc nimirum desponsatio celebrata fuit in Baptismo, dum tribueret nobis suam Fidem cum reliquis donis & virtutibus, quæ animarum nostrarum decor sunt atque ornatus:) & quòd per illam desponsationem omnia Dei bona sint nostra, omnes verò ærumnæ atque molestiæ nostræ sint dulcissimi huius sponsi, qui talem nobiscum permutationem fecit, nobis communicans bona sua, & mala nostra assumens. Qui hæc expenderit, quàm ei ægrè erit, videre se eum offendisse? quàm iucundum, ei inseruiisse? Quis adeò sine lacrymis intueri poterit Sponsum hunc columnæ alligatum, in cruce conclauatum, in sepulchro positum, quin præ dolore viscera eius disrumpantur? Econtrà quis videre eum poterit triumphantem, resuscitatum & gloriosum, quin præ ineffabili gaudio subsiliat? Opportunum erit hodierno die meditando eum contemplari in horto positum, coram Patre suo æterno prostratum, sanguineo sudore perfusum, seque ei perfectissimâ resignatione offerentem, dicentemque, *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Diei huius actus sint eximiæ mortificationes, si nimirum quis propriam voluntatem abdicauerit, Religionis vota repetierit, illaque sese emisisse, & Christum in Sponsum suscepisse, & isthæc sponsalia in Religione renouasse atque confirmasse, gauisus fuerit: qui verò non fuerint Religiosi, si & ipsi bonas suas intentiones, fidelitatem & pollicitationes, toties iam tantæ auctoritatis Sponso factas, renouauerint.

Quàm homines nihil ad spiritnale connubium adferant, Deus verò vniuersa sua exhibeat.

Ex quo quid die illo, quo id meditamur, eliciendum Matth. 26.

PETITIO QVARTA.

Pro Feriâ quintâ.

QVarta Petitio est, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Feriæ quintæ admodum conuenit quarta hæc Petitio, cum titulo Pastoris, cuius est pascere gregem suum, largiendo nobis panem quotidianum. Patri enim, Regi, atque Sponso, pastorem esse apprimè congruit, nosque eius filij & subditi iure naturæ ab eo exposcere possumus, vt nos conseruet & alat cibo qui suam Maiestatem, & nostram generositatem, quippe qui filij eius sumus, condeceat: ideoque eum non commodari sed dari petimus; non alienum, sed nostrum, cùm, eo ipso quòd filij eius simus, bona Patris nostri nostra sint. Nec mihi persuadere possum, hac in petitione à nobis peti quidpiam temporale pro corporalis vitæ, sed aliquid spirituale pro vitæ animæ sustentatione: è septẽ quippe Petitionibus quas hîc habemus, tres primæ Deum respiciunt, vt nimirum nomen eius sanctificetur, regnum eius approximet, voluntasq; perficiatur: è quatuor reliquis, quas pro nobisipsis recitamus, hæc est prima, in quâ solâ dari nobis quidpiam petimus, quia in sequentibus petimus vt à nobis auferat peccata, tentationes, & omne malum. Vnicum ergo illud quod à Patre nostrò dari nobis petimus, non debet esse vtique quidpiam temporale corpori deseruiens, præterquam quòd eiusmodi Parentis filiis non expediat petere adeò abiecta atque vilia, quæ inferioribus creaturis & hominibus, spõte, etiam non petita, confert; præcipuè verò cùm Maiestas eius nos præmonuerit vt se deprecemur, solliciti de iis quæ ad regnum eius pertinẽt (hæc enim sunt quæ animas nostras concernunt) de reliquis se curam habiturum. Propterea Matthæo referente dixit: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Petimus ergo in hac Petitione panem doctrinæ Euangelicæ, virtutes, sanctissimam Eucharistiam, & denique omne id quod animas nostras ad vitæ spiritualis sustentationem tuetur atque roborat. 15.

Sequitur titulus Pastoris ex quo diuina in nos cura elucescit.

Matth. 6.

Hunc igitur supremum Patrem, Regem & Sponsum consideremus insuper velut Pastorem 16.

Quæ ſint paſtoris conditiones.
Ioann. 10.
1. Reg. 17.
Geneſ. 31.

ſub iiſdem quas alij paſtores habent conditionibus, & per eaſdem prærogatiuas quas ipſe ſibi adſcribit in Euangelio, dum ait: *Ego ſum paſtor bonus, & animam meam pono pro ouibus meis.* Adeoque videmus, quàm ſublimiter in Chriſto ſint conditiones paſtorum eximiorum, quorum Scriptura meminit, Dauidis & Iacobi. De Dauide refert, quòd ille adhuc puer cum vrſis & leonibus luctatus fuerit, eoſque dilaniauerit, pro vnius ouiculæ ſalute. De Iacobo narrat, quòd oues & capræ, quas ipſe paſcebat, numquam ſteriles fuerint, quòd numquam hœdum aut ouem gregis comederit, quòd ſemper pro iis quas lupi deuorabant aut fures auferebant, de ſuo ſatisfecerit, quòd æſtu interdiu, noctu verò gelu afflictus fuerit, & quòd neque de nocte dormierit, neque de die conquieuerit, quò matrueli ſuo Laban pecoris ſui rationem redderet.

17. *Eæq; Paſtori noſtro ſpirituali applicantur.*

Facile erit hinc deſumere contemplationem, eaſque conditiones diuino noſtro Paſtori applicare, qui vſq; adeò leonem infernalem diſcerpſit, vt prædam ex faucibus eius eruerit. Quãdo, quæſo, ouicula aliqua ſub eius curâ ſterilis fuit? quàm ſollicitè eas cuſtodit? & quando pepercerit vmquam labori ille qui vitam pro eis poſuit? Eam quam deuorauerat lupus infernalis, Sanguine ſuo ſoluit. Numquam ipſe ex illarum lanis aut lacte commodum ſuum fecit, ſed quidquid ex illis lucratur, in ipſarum vſum redit; & quidquid ex illis acquirit, & omnia bona ſua, ipſis dedit. Tantoperè ouiculas ſuas amat, vt pro vnâ quæ interierat, eiuſdem pelle ſe induerit, ne reliquis per Maieſtatis habitum terrorem incuteret. Quis ſat deprædicare poterit cęleſtis doctrinæ pabulum quo eas ſaginat? gratiam virtutum quibus eas robuſtas reddit? vim Sacramentorum quibus eas ſuſtentat? Si ouicula quæpiam ad prohibitum quid declinauerit, eam auertere, & dulci ſanctæ ſuæ inſpirationis ſibilo reducere ſatagit; quòd ſi hæc non proficiant, in ærumnam vel afflictionem aliquam eam labi permittit vt eam exterreat, nec confeſtim vel ſauciat vel occidit. Robuſtiores ſuſtentat, & progredi facit, languidas & debiles præſtolatur, infirmas ſanat; & quæ procedere nequeunt, ſuis portat humeris, infirmitates earum perferendo. Quando poſt pabula vel quieſcunt, vel cibum, & quod è doctrinâ Euangelicâ didicerunt, ruminãt, ipſe dum dormiunt obſeruat, ſedenſque in medio illarum, conſolationum ſuarum ſuauitate dulcem in animabus earum producit ſymphoniam, velut paſtor ouiculis ſuis ſuâ fiſtulâ. Tempore brumali ipſe eis ſtabula procurat, vbi ab ærumnis ſuis conquieſcant: de herbis noxiis eas præmonet, exhortando ne occaſionibus ſe committant: per ſyluas inſuper illas & ſecura conſiliorum ſuorum paſcua deducit; & quantumuis per arenoſa & turbida, imò & quandoque per auia & lutoſa incedendum ſit, ad aquas tamen ipſas limpidiores dulcioreſque ducit. ſignificant verò illæ fidem & doctrinam, quæ clara ſemper & vera eſſe debet. Vidit S. Ioannes diuinum hunc paſtorem inſtar agni inter ſuas ouiculas quas regit atque gubernat, per viuos amœniſſimoſque hortos ad aquæ viuæ fontes eas deducendo. O quàm dulce eſt, videre paſtorem factum eſſe agnum! Paſtor eſt, quia paſcit; agnus eſt, quia ipſemet eſt pabulum. Paſtor eſt, quia fouet; agnus, quia cibus. Paſtor eſt, quia oues nutrit; agnus, quia ex illis natus eſt. Quando igitur petimus vt det nobis panem quotidianum aut ſuperſubſtantialem, perinde eſt atque ſi dicamus, Paſtor ſit noſtrum pabulum & cibus noſter.

Quid nos oues illius facere deceat.

S. Ioannes vidit Chriſtum agnum ſuas oues ad aquas fontis vitæ deducentem.
Apocal. 7.

Pergratum eſt eius Maieſtati, ſi ipſum contemplemur eo modo quo ſe exhibuit cuidam famulæ ſuæ, in habitu ſcilicet paſtorali, facie venuſtâ, cruci veluti ſcipioni innixum, ouicularum ſuarum has verbis illas ſibilo allicientem. Gratius verò ipſi eſt, inſpicere eum velut eidem cruci affixum, veluti agnum igne aſſatum, ac veluti in cibum, delicias & ſolamen noſtrum, embamma factum. Iucundum eſt videre illum inſtar agnelli crucem ferentis, aut conſpicere ipſum ouem perditam in humeris portantem. Velut paſtor nos intra viſcera ſua recipit, eoque nos intrare permittit per Vulnerum ſuorum aperturas, & iterùm velut agnus viſceribus noſtris ſe includit. Expendamus, quæſo, quàm tutò, quàm ſecurè, quàm proſperè oues circa paſtorem inambulent, & ne vmquam à noſtro paſtore ſegregemur, eúmve è conſpectu noſtro dimittamus, ſatagamus: ouiculæ enim quæ circa paſtorem ſuum verſantur, delicioſiùs paſcuntur, ſemperque lautiore aliquâ cibi buccellâ, quo ipſe veſcitur, fruuntur. Si paſtor ſe occultauerit, aut dormierit, illa de loco minimè recedit, donec compareat aut euigilet paſtor, vel ipſa aſſiduo ſuo balatu illum excitat, atque tum blandiùs ab illo excipitur. Poſitam ſe putet anima in deſerto quodam inuio, atque in tenebris & caligine conſtitutam, lupis, vrſis & leonibus circumſeſſam, omni adiutorio, diuino & humano, deſtitutam, niſi fortè ſit ſolus ille paſtor, qui eam cuſtodit & obſeruat. Eodem planè modo ſæpè noſipſos deprehendimus in tenebris, ambitione & philautiâ, totque tam viſibilibus quàm inuiſibilibus hoſtibus circumuallatos, vt aliud non adſit remedium, niſi vt cæleſtem illum paſtorem inuocemus, qui ſolus ex anguſtiis illis liberare nos poteſt. 18.

Quomodo gratum ſit Chriſto vt eum conſpiciamus.

Inſignis ſimilitudine.

Ter-ſanctiſsimum Euchariſtiæ myſterium, tantique cibi excellentiam, qui eſt ipſa Patris ſubſtantia, hodie meditari debemus: quam gratiam hominibus exhibitam commendans Dauid, de viſcerum diuinorum medullâ nos ſatiatos eſſe ait. Maior fuit gratia hæc, quàm Deum hominem factum eſſe. Non magis enim incarnatio beatificauit quàm animam & carnem eius, perſonæ ſuæ eum copulando: in hoc verò Sacramento voluit Deus omnes homines deificare, qui meliùs cibis eiuſmodi, quibus ab infantiâ enutriti fuerunt, ſuſtentantur. Et quemadmodum in Baptiſmo omnino Deo nati ſumus, voluit vt totaliter ex ipſo enutriremur, ſecundùm filiorum, quâ nos dignatur, dignitatem. Expendenda eſt charitas quâ ſe nobis dedit, quandoquidem ſub æternæ mortis pœnâ, vt eum manducaremus, præceperit. Et quamuis Maieſtas eius probè nouerat, multos in peccati mortalis ſtatu ſe manducaturos, amor tamen eius atque charitas, quâ nos proſequitur, tanta fuit, tamque efficax, vt mutuo illo amore, quo amici eius illam manducare ſolent, perfrui volens, quaſcumq; difficultates tolerare, totque & tantas iniurias ab inimicis ſuis perferre maluerit. Et vt nobis hunc amorem ampliùs notum faceret, voluit cæleſtem eſcam conſecrare & inſtituere illo tempore quo pro nobis in mortem traditus fuerat; cumque Caro & Sanguis eius 19.

Sanctiſſima Euchariſtia nobis eximiũ alimentum.

Ex quo Chriſtus ſuum in nos amorem declarauit.

pretio-

pretiosissimus sub qualibet specie existeret, voluit vt quælibet illarum separatim consecraretur, quò nobis hac diuisione & separatione commonstraret, se toties pro homine, si necesse foret, mortem subiturum, quoties consecratur Missæque Sacrificium in Ecclesiâ celebratur.

20. Amor ille quo se nobis tradidit, & artificium quo hîc diuina charitas vsa fuit, sunt ineffabilia. Cùm enim duæ res iungi nequeant absque aliquo intermedio quod vtramque contineat, quid, putas, egit amor ille vt hominibus se vniret? De nostrâ massâ carnem assumpsit, sibi eam ad vitæ cælestis substantiam personalem vniens; sicque sanctificatam nobis in cibum restituit, vt nos per nosmetipsos sibi coadunaret. Hic est ille ipse amor quem ponderare nos Dominus voluit dum sacrâ Eucharistiâ vtimur, & hîc omnis cogitatus noster sisti debet, & ad hunc vsque nos peruenire voluit, & hanc gratitudinem à nobis reposcit, dum præcipit, vt quandocumque sacrâ Eucharistiâ vescimur, pro nobis eum mortuum esse memores simus. Et quantâ animi promptitudine atque alacritate nobis se tradiderit, sat apparet inde, quòd escam hanc panem quotidianum appellauerit, & vt quotidie eam petamus mandauerit. Attendendum tamen est, quâ puritate quibusque virtutibus ornati esse debeant qui eam manducare voluerint. Cùm aliquando insignis quædam Dei famula quotidie Communione sacrâ refici desideraret, Dominus illi speciosissimum è crystallo globum monstrauit, inquiens: Si fueris instar crystalli huius, id facere poteris; mox tamen licentiam ei concessit. Perpendenda hodie est illa Christi in cruce vox, *Sitio*, & quàm amara potio ei præbita fuerit: perpendenda item suauitas illa & dulcedo, quâ Dominus nos cibat & potat, & quàm siti desiderioque eius amarum potum reponamus.

Homo factus est Deus vt se nobis coniungeret.

Quomodo ad S. Communionem dispon endi simus.

PETITIO QVINTA.

Pro Feriâ sextâ.

21. FEriæ sextæ congruit quinta Petitio, quæ est: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, cum titulo Redemptoris, *in* Filio enim Dei *habemus* peccatorum nostrorum *redemptionem per sanguinem eius.* Ipse est qui nos de potestate satanæ (cui subditi eramus) liberauit, nobisque præparauit regnum filiorum Dei, imò fecit nos regnum suum: & in ipso habemus redemptionem, id est, indulgentiam & remissionem peccatorum nostrorum, & pretium quod in lytrum eorum expendit. Quæcumque nobis bona exoptare possumus, priore in Petitione comprehenduntur; & à quibuscumque malis absolui & liberari possimus, tribus hisce consequenter Petitionibus includuntur, quarum prima est, Indulge, Domine, quod tibi debemus, eò quòd tu sis Deus & Dominus omnium, & quod tibi debemus pro beneficiis tuis, simulque quod debemus propter delicta nostra: & hoc, Domine, fiat eo modo & perinde atque nosipsi indulgemus iis qui nos offenderunt, adeoque nostri debitores euaserunt. Et quia nonnemini videri possit hæc indulgentia nimis esse arcta atque restricta, si fuerit præcisè prout nos indulgemus, notandum est, duobus modis hoc intelligi posse. Primò, quòd persuadere nobis debeamus, semper, dum istam Orationem recitamus, eam nos recitare in consortio Christi Domini nostri, qui semper nobis ad latus adstat dum oramus, ideoque eius nomine petimus & dicimus *Pater noster.* Quæ cùm ita sint, perfecta vtique erit remissio, vtpote quam ipse Dei Filius perfectissimè pro hominibus compleuerit. Possunt tamen etiam intelligi in rigore & prout ipsa verba sonant, adeò quòd petamus, vt eo modo nobis indulgeat, prout & nos indulgemus: omnis enim qui orat, ex corde omnibus qui se offenderint indulsisse præsumitur. Inque eo orandi modo nobis ipsis intimamus, quomodo orare atque accedere debeamus; & quòd, nisi aliis indulserimus, in nosipsos sententiam feramus, indignos nos esse indulgentiæ. Hinc dixit Sapiens: *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur?* Eccli. 28.

Ephes. 1.

Per quintam Petitionem titulus Redemptoris proponitur.

Qui orare vult omnia sibi male facta dimittat necesse est.

22. Petitionis huius materia est amplissima, & infinita propemodum in se continet, quia debita sunt innumerabilia, redemptio copiosissima, & pretium indulgentiæ, quod est Christi mors & passio, infiniti valoris. Hoc in loco in memoriam reuocanda sunt tum priuata tum totius mundi peccata, item vel vnius lethiferi peccati grauitas, vtpote quod, cùm Deus per illud iniuriâ afficiatur, per aliam condonari aut exsolui nequeat; denique tot tantarumque offensarum, quibus infinitam adeò Dei maiestatem læsimus, instauratio. Deo amorem, timorem, summamque reuerentiam debemus propter semetipsum: ei obstricti sumus propter scelera quæ in ipsum, loco retributionis, committimus. Ab omnibus hisce debitis nos absolui petimus, quando oramus, *Et dimitte nobis debita nostra.* In huius operis executione omnes eius diuitiæ, & omnis nostra felicitas sita est: ipse namque est quem offendimus; ipse item est redemptor & satisfactio. Hodiernæ diei nullus è passione Domini determinatus locus assignari potest, quia tota illa in redemptionis nostræ opere occupatur, quæ & ipsa tot præclaris libris, qui manibus nostris teruntur, explicata est: vnum tamen dicere haud prætermittam, quod & valdè ad rem facit, Dominoque est admodum gratum, prout ipsemet cuidam famulæ suæ indicare dignatus est. Crucifixus ei apparuit, atque dixit, vt tres sibi clauos extraheret quibus homines singuli eum suffixissent, qui sunt, inquit, aspernatio bonitatis atque pulchritudinis meæ, ingratitudo aduersus mea beneficia, & contra inspirationes meas durities: hos tres si exemeris, tribus aliis me confixum deprehendes, qui sunt, amor infinitus, gratitudo erga beneficia quæ vobis tribuit Pater meus, & visceralis teneritudo ad suscipiendum vos. Dies hic transigendus est multo silentio, priuatisque asperitatibus & mortificationibus: & meminisse debemus Sanctorum patronorum nostrorum, quorum etiam intercessione consequimur indulgentiam quam à Deo petimus. Peculiariter quoque hodie orandum est pro iis qui sunt in peccati mortalis statu, & pro iis qui infenso nobis sunt animo, & nonnullam molestiam nobis intulerunt.

Infinita penè continet hæc Petitio.

Insignis visio proposito applicata.

PETITIO SEXTA.

Pro die Sabbati.

23. *Non petimus à tentationibus omnino eximi, sed, vt in illas non incidamus, id est eis succumbamus.*

CVm tot tamque importuni sint hostes nostri qui nos oppugnant, nos verò econtrà debiles simus atque infirmi, ad lapsum quoque proniores & procliuiores simus, nisi Omnipotēs opem nobis tulerit; propterea necesse est, vt perseueranter subsidium & gratiam à Domino exposcamus, ne quando nos à præsentibus tentationibus vinci, aut in præterita peccata relabi permittat. Non petimus ne tentari nos sinat, sed ne à tentationibus superemur: tentatio enim, si eius gratiâ bonâque voluntate nostrâ deuicta fuerit, in ipsius gloriam & nostram coronam cedit. Hanc gratiam à nobis hisce verbis peti vult, *Et ne nos inducas in tentationem*, vt sciamus, permissione eius nos tentari, infirmitate nostrâ superari, victoriam verò ad ipsum pertinere. Consideremus ergo, quàm verum sit, quòd languidi, imbelles & saucij simus; tum quòd id per parentes nostros in nos traductum fuit, tum quia nosmetipsos sceleribus nostris peruersisque moribus magis sauciauimus, summo à vertice ad extremos vsque pedum talos: sistamusque nos cælesti huic Medico, & ne in tentationem nos cadere sinat, sed potenti manu suâ sustentet, curamque & opem suam à nobis ne subtrahat, deprecemur. *Quàm gratus ei Medici titulus.* Gratissimus est hic Medici titulus diuinæ Maiestati: idque fuit munus, quod, dum in mundo versaretur, præ aliis exercuit, immedicabilibus corporum morbis, & animabus, quæ inueteratis iam vitiis coinquinatæ erant, medendo. Huncque ipsum titulum sibimet assumpsit, dum ait: *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* (Matth. 9.) Hoc munus Dominus erga homines exercuit, Samaritano sese comparans, qui vino & oleo curauit eos qui à latronibus spoliati, vulnerati & semimortui relicti fuerant. (Luc. 10.) Idem sunt, Medicus & Redemptor, præterquam quòd *Redemptor* respiciat peccata præterita, vt S. Paulus ait, *Medicus* verò præsentes infirmitates, & noxas futuras. *Medicorum corporalium qualitates expenduntur.* Consideremus Medicorum terrenorum qualitates, qui nisi eos aduocemus haud nos inuisunt, crebriùs verò inuisunt eos qui liberaliùs soluunt, non qui grauioribus morbis affliguntur: quin & morbos exaggerant, & quandoque eos detinent vt amplius lucrentur: tenuiores sola verborum vmbra dimittunt, ditiores verò ipsimet adeunt; neque tamen his vel illis aliquid è suo impertiunt. quid quòd medicamina sæpè sint cariora, & incerti plerumque effectus?

24. O tu, cælestis Medice, quantum, nisi solo nomine, à terrenis Medicis discrepas? Tu non vocatus ades, libentiusque inuisis pauperiores quàm ditiores, omnibus verò tuâ præsentiâ mederis; nihilque expectas aliud, nisi vt infirmus infirmum se esse, & ope tuâ indigere, agnoscat. Non solùm non exaggeras morbos, sed & medicinam faciliorem pollicens, quantuscumque sit morbus, quin imò vel solo gemitu curari posse affirmas. Nullum ægrum exhorruisti, quantumcumque fœdus & abominabilis sit morbus: hospitalia perlustras, incurabiles homines requirens: tu tibi solus ipse, & è tuâ officinâ medicamenta subministras. *Planè illis omnibus præclarior Medicus Christus.* Quænam verò medicamenta? Condimenta è Sanguine & aquâ lateris tui: è sanguine, vt nos curares; ex aquâ, vt nos lauares, maculæque omnis & labis exsortes efficeres, adeoque omne prioris morbi vestigium auferres. Fons erat in medio paradisi tam largifluus, vt quatuor vel maximos fluuios efficeret qui totam terram irrigarent. De fonte amoris qui in diuino corde ardebat, videmus quinque illos sanguinis radios, qui è sacratissimis pedibus, manibus, latere eius profluxerunt, vt omnia vulnera, morbos ægritudinesque omnes persanarent. *Fonti paradisi comparatur.* Quot nunc ægri moriuntur vel defectu Medici, vel quia non habent vnde medicamenta morbis suis conuenientia emant? Nil verò hîc eiusmodi periculi, Medicus enim vltrò ad se vocat, imò venit oneratus medicamentis quamplurimis & antidotis aduersus quodcumq; malum: & quamuis ea care admodum ei constiterint, nihilominùs tamen gratis ea rogantibus erogat, imò & vltrò ea ingerit. Quia tanti constiterunt, salutem nostram faciliorem effecit. Vitâ propriâ eum steterunt, & nos sani euadimus ipsum mortuum videntes: *Quanti nobis illa constiterint.* veluti qui viuis serpentibus icti fuerant, mortuum è metallo confectum, & in perticâ suspensum videntes sanabantur. Tandem, rem omnino conferimus cum eo qui nos sanare desiderat: certique sumus, medicinam facillimam fore; superest solummodò, nostra ei vulnera morbosque aperire, cordaque nostra coram illo effundere, hoc præsertim die, vbi Dominus se nobis exhibet Medicum salutis nostræ percupidum.

25. *Ex præcedentibus nostra miseria elicitur.*

Hic est locus commodissimus perspiciendi intellectus nostri cæcitatem, & voluntatis nostræ stragem, vt quæ ad propriam sui æstimationem sit prona; memoriæ circa diuina beneficia defectum, linguæ ad proloquendum inepta & intempestiua facilitatem, cordis vanitatem, eiusque in absurdis cogitatibus inconstantiam, exiguam eius in bono perseuerantiam, elationem sui, nimiamque diffusionem. Nullum denique vulnus, siue recens siue inueteratum, in nobis delitescat, quin supremo huic Medico aperiamus, & remedium ab eo expetamus. Dum æger quod ei præscriptum fuit intrò sumere, aut à vetito abstinere detrectat, à Medico (nisi fortè phrenesi laboret) deseri solet: hic verò supremus Medicus neque deserit obstinatos, neque abdicat immorigeros, sed omnes instar phreneticorum sanat, mille modos adinueniens quò eos ad se redire faciat. *Quænam illius meditationis die cogitanda veniant.* Commodum erit hodie memoriâ repetere sepulturam Domini, & contemplari quinque illos Vulnerum fontes, qui aperti sunt atque erunt vsque ad vniuersalem resurrectionem, pro nostrûm omnium salute Et quia per Vulnera illa sanamur, tenero amorosoque affectu ea vnguento mortificationis, humilitatis, patientiæ & mansuetudinis perungere studeamus, in proximi commodum nosipsos impendentes. Cumque eum formâ visibili manu prensare non valeamus, apprehendamus verbum & promissum eius, quòd nimirum id, quod proximo nostro fecerimus, ipse velut sibi exhibitum acceptaturus sit.

PETI-

PETITIO SEPTIMA.

Pro die Dominicâ.

26. PEtitione ſeptimâ, quâ à malo liberari petimus, non vtique petamus liberari ab hoc vel illo, ſed ab omni eo quod propriè & verè malum, & ad priuandum nos gratiæ & gloriæ bonis compoſitum eſt. Dantur mala pœnæ, nimirum tentationes, ægritudines, afflictiones, iniuriæ, &c. Verùm hæc mala propriè appellari nequeunt, niſi quatenus in peccata ruendi occaſionem præbent; & quoad hoc diuitiæ, honores, omniaque temporalia & mundana bona meritiſſimò mala dici poſſunt, quià Deum offendendi anſam nobis obiiciunt. Ab omnibus ergo illis malis vel bonis, quæ damnationis æternæ nobis cauſæ eſſe poſſunt, liberari petimus: cumque ſupremi Iudicis ſit hanc liberationem concedere, optimè hîc quadrat titulus Iudicis. Petitionis huius ſubiectum eſt ampliſſimum, huc enim quatuor hominis Extrema referuntur, de quibus iam tot tantaque litteris conſignata habemus, ſuntque Mors, Iudicium extremum, pœnæ infernales, & Gloria cæleſtis. Poſſumus item hoc loco repetere meditationes ſuperiores; omnium enim beneficiorum, quæ iam enumeratis ſex glorioſiſſimis titulis expreſſa ſunt, hîc ratio eſt habenda, adeoque conſiderare ea debemus modò ad confuſionem, modò ad fiduciam concipiendam. Quæ enim eſt impudentia, nos, qui Patrem habemus vſque adeò benignum, Regem ſic potentem, Sponſum ita iucundum, Paſtorem tam bonum, Redemptorem omnino ditem atque miſericordem, Medicum tantopere eximium atque clementem, eſſe ingratos; tamque parum adhuc profeciſſe? Quantum item timorem ingerit beneficiorum à parte ipſius multitudo, à noſtrâ verò tanta ingratitudo & irreuerentia? Magna tamen & inæſtimabilis eſt illa fiducia quam concipimus, vt imperterriti in iudicio compareamus, conſiderantes, negotium nobis eſſe cum eo Iudice, qui ſimul ſit noſter Pater, Rex, &c. Diem hanc finire, & Orationem abſoluere poſſumus illâ gratiarum actione, quam Propheta Dauid in Pſalmo quodam quinque verſibus comprehenſam ſuppeditat, quos Eccleſia in feriali Officio Primo adducit, ſuntque huiuſmodi:

Septima Dominica Orationis petitio titulum Iudicis complectitur.

Ad hæc quatuor nouiſſima reuocari queunt.

Magnam ex hac fiduciam ſumere poſſumus.

Diem illum finire debemus cum actibus gratitudinis.

Pſalm. 102. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.*

Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas:

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordiâ & miſerationibus:

Qui replet in bonis deſiderium tuum, Renouabitur, vt aquilæ, iuuentus tua. adeò vt benigniſſimus ille Dominus, miſericordiâ ſua vſus, pro peccatis tribuat indulgentiam, pro ægritudine ſanitatem, pro morte vitam, pro ærumnis ſempiternam tutelam, pro defectibus perfectionem omnium bonorum, donec nos ad vitæ incomparabilis nouitatem perducat.

27. Videtur quòd illis in verbis omnes tituli & dignitates Dei, quas ſuprà enumerauimus, attingantur, vt faciliimè intelligere poterit, qui attentè ſingula expenderit. Verùm enimuerò quamuis Oratio Dominica primum locum inter orationes vocales obtineat, non propterea omittendæ ſunt aliæ, cùm huius ſolius vſus faſtidium generare poſſit; ideoque bonum erit huic etiam alias deuotiſſimas orationes intertexere, præcipuè eas quæ in Scripturâ ſacrâ repe riuntur, & quas ſancti piique viri, Spiritu ſancto ducti, compoſuerunt, vtputa Publicanus ille Euangelicus, Anna Samuelis mater, Eſther, Iudith, Rex Manaſſes, Dauid, & Iudas Machabæus: qui nimirum omnes verbis ex ipſo corde profectis, & affectu proprio conceptis, Deo ſuas anguſtias atque neceſſitates expoſuerunt. Atque hic orationis modus, quem ipſe qui afflictus aut in ærumnâ conſtitutus eſt, efformat, efficacior eſt, quia intellectum eleuat, voluntatem accendit, atque lacrymas elicit. Cùm enim domeſtica verba ſint quæ ita proferuntur, priuataſque tribulationes exponunt, maiore affectu & corde incitatiore proferuntur. Gratus admodum eſt Domino iſte orandi modus. Quemadmodum enim Magnates libenter audiunt ruſticos, qui ruditer atque ſimpliciter quidpiam ab ipſis petunt; ita & Dominus Deus voluptatem capit, quando ita abruptè oramus, vt nec nos ipſos multùm in verborum compoſitione & phaleratione detineamus, ſed quod primum occurrerit expromamus, vt breuiter & ſuccinctè, quod nos anxios habet, exponamus: quemadmodum S. Petrus & reliqui Apoſtoli, quan do ſubmergi timentes vociferabantur: *Domine, ſalua nos, perimus.* Et quemadmodum mulier Chananæa, dum miſericordiam eius implorabat. Veluti filius ille prodigus, qui dicebat: *Pater, peccaui in cælum & coram te.* Et veluti mater Samuelis, quæ ſic inquiebat: *Domine exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederiſq,* animæ meæ perfectam virtutem, ſemper eam tuo in ſeruitio impendam.

Etſi Oratio Dominica omnium perfectiſſima ſit, non aliæ tamen negligendæ.

Gratus Deo hic recenſitus orádi modus.

Matth. 8. Matth. 15. Luc. 15. 1. Regum 1.

Plena eſt ſacra Scriptura orationum huiuſmodi vocalium, quæ & impetrauerunt quidquid petierunt: eodemque modo noſtræ impetrabunt remedium & ſalutem afflictionum & anguſtiarum noſtrarum. Et quamuis Sancti hæc meliùs mentaliter fieri poſſe ſuadeant, multorum tamen Sanctorum exempla, & priuata experientia nos docet, quòd, ſi hoc modo orauerimus, Deus fragilitatem noſtram boni conſulat, cor animamque noſtram inflammet, & vt meliùs progrediatur atque mentaliter oret, diſponat. Ita Mater noſtra Tereſa; quæ ita conſequenter ad longum, vt audiuimus, exponit dictæ Orationis Dominicæ Petitiones per ſingulos hebdomadæ dies. Nobis hoc loco vidiſſe non modicum profuerit vt cognoſcamus quanti facienda ſit oratio etiam breuis, ſi modò attenta fuerit; imò eamdem prolixiori, quæ diſtractioni euagationique mentis plerumque ſubiacet, nonnumquam imò vt plurimum præſtare; ideoque non inconſultò feciſſe quoſdam, maximè viros myſticos, qui, vt arctiſſimam & indiuiſam cum Deo vnionem obſeruarent, continuis ſeſe ad eum adſpiratiunculis, ſiue, vt vocant, oratio- 28.

Maxima vis orationum illarum in Scripturis adſtructa.

Exempla illorum qui breuibus sese orationibus assueuerunt, perfeceruntque.

nibus iaculatoriis efferre, eique se totos offerre consueuerunt. Exempla passim sunt obuia. Et quidem inter alia refert Cassianus, Patres antiquos, qui vitam eremiticam, adeoque perfectiorem profitebantur, vtilius censuisse, breues quidem orationes sed crebertimas fieri, meliusque esse decem è Psalmo versus cum contritione cordis & cum rationabili assignatione cantare, quàm totidem integros Psalmos cum confusione mentis effūdere. Narrat Theodoretus Cyri Episcopus, S. Simeonem Stilitem plurimas quotidie solitum orationes facere. Imò de præcipuis Sanctis tradunt illorum historiæ, eos consuetudinem habuisse, vt de noctu frequenter eadem, quibus potissimùm ad diuinam charitatem inflammescerent, verba repeterent. Sic Seraphicus P. Franciscus tota probe nocte inclamabat: *Deus meus, & omnia.* Sic Seraphica mater: *Aut pati aut mori:* aliique Sancti alia, prout ex specialibus ipsorum dictis ac symbolis toti passim constat Ecclesiæ.

Applicanda hæc defunctorum materiæ.

Quorum vt exempla & defunctis fidelibus, & nobis viuentibus ampliùs prosint, non pigebit illa sibi imitanda frequentandaque proponere, & sic quidem, vt & demortuis æterna lux ac requies sæpè sæpiùs exoptetur, & si virtutum aliarum actus siue externi siue interni fiant, cum reliquis bonis intentionibus quas includent, animabus purgandis liberationem accelerare enitantur: vnde eueniet, vt qui huiusmodi piis adspirationibus ac breuibus seu iaculatoriis oratiunculis spiritum suum fouere accendereque ac perficere assueuerint, defūctis simul & sibi, tam quoad satisfactionem quàm impetrationem, ingentia lucra sint acquisituri. Quem in finem, commodà vsi occasione, succinctas nonnullas sacræ Scripturæ sententias & versus adiungemus, quibus in præcipuarum virtutum actibus eliciendis se quilibet ipsum quotidie excitare promouereque poterit.

29. *Præcipuorum actuum eliciendorum breue compendium.*

Actus quibus excitemur ad laudandam admirandamque Dei maiestatem, & ipsius perfectiones infinitas:

Psal. 105. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?*

1. Par. 16. & Psal. 47 & 95. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis.*

Psal. 112. *Excelsus super omnes Gentes Dominus, & super cælos gloria eius.*

Ibidem. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terrâ?*

Psal. 146. *Potentiæ eius non est terminus, sapientiæ non est finis.*

Misericordiæ non est numerus, bonitatis infinitus est thesaurus.

Rom. 11. *O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius?*

Ibidem. *Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei.*

Ibidem. *Quoniam ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

Psalm. 8. *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersâ terrâ?*

Ibidem. *Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos.*

Psalm. 15. *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Act. 17. *In ipso namque viuimus, & mouemur, & sumus.*

Rom. 8. *Omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc.*

Ibidem. *Expectatio creaturæ reuelationem Dei expectat.*

Psal. 144. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum,* &c.

Iob. 9. *Sub quo curuantur qui portant orbem.*

Apocal. 7. *Et omnes Angeli ceciderunt in cōspectu throni in facies suas.*

Sapiens corde est, & fortis robore; quis restitit ei, & pacem habuit? Iob. 9.

Qui transtulit montes, & nescierunt: quos subuertit in furore suo. Ibidem.

Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur. Ibidem.

Qui præcipit soli, & non oritur; & stellas claudit sub signaculo. Ibidem.

Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris. Ibidem.

Qui facit magna & incomprehensibilia, & mirabilia quorum non est numerus. Ibidem.

Actus quibus adducimur, vt propriam vilitatem atque iniquitatem agnoscamus:

Vere scio quòd ita sit, & quòd non iustificetur homo compositus Deo. Iob. 9.

Quantus ergo sum ego vt respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo! Ibidem.

Qui etiam si habuero quidquam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor. Ibidem.

Et cùm inuocantem exaudierit me, non credo quòd audierit vocem meam. Ibidem.

In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiam sine causâ. Ibidem.

Si fortitudo quæritur, robustissimus est; si æquitas iudicij, nemo audet pro me testimonium dicere. Ibidem.

Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. Ibidem.

Si innocentem ostendero, prauum me comprobabit. Ibidem.

Impeditioris & tardioris linguæ sum ego. Exod. 4.

A a a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer sum ego. Ierem. 1.

Loquar ad Dominum cùm sim puluis & cinis. Genes. 18.

Cuius non sum dignus calceamenta portare. Matth. 3.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Psal. 50.

Exi à me Domine, *quia homo peccator sum.* Luc. 5.

Iniquitates meæ multiplicatæ sunt super capillos capitis mei. Psalm. 39.

Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. Psalm. 37.

Omnium peccatorum ergo primus sum. 1. Tim. 2.

Pater, peccaui in cælo & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Luc. 15.

Non mereor respicere altitudinem cæli propter multitudinem peccatorum. Orat. Manass.

Vsque ad inferos peccatum meum est.

Proiiciēs repulisti nos, iratus es cōtra nos vehementer. Thren. 5.

Actus quibus ad concipiendum Dei timorem, & ad vitæ nostræ seriam & veram emendationem permouemur:

Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt? 1. Petr. 4.

Omnis qui inuenerit me, occidet me. Genes. 4.

Timor mortis conturbat me, quia in inferno nulla est redemptio. Breu. Rom.

Pugnabit pro illo orbis terrarum contra insensatos. Sapient. 5.

Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Hebr. 10.

Tunc dicent montibus, Cadite super nos; & collibus, Operite nos. Lucæ 23.

Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, donec pertranseat furor tuus? Ioh. 14.

Nihil coinquinatum intrabit in regnum cælorum. Apoc. 21.

Sedebit conflans & emundans argentum, & colabit filios Leui. Malach. 3.

Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Matth. 5.

De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem. Matth. 12.

Et erit cùm scrutabor Ierusalem in lucernis. Sophon. 1.

Ego cùm accepero tempus, iustitias iudicabo. Psalm. 74.

Vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. 1. Cor. 3.

Actus

Actus quibus ad requirendam Dei misericordiam inuitamur:

Sap. 1. *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.*

Ezech. 18. *Quare moriemini domus Israel?*

Zach. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.*

Ezech. 33. *In quâ hora peccator conuersus fuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor.*

Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Matth. 9. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.*

Luc. 19. *Venit Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.*

Isai. 66. *Quomodo si cui mater blanditur, sic ego consolabor vos.*

Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?*

Isai. 65. *Expandi manus meas totâ die ad populum non credentem.*

Isai. 5. *Quid vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci?*

Ibid. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.*

Luc. 15. *Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram.*

Actus ad gratitudinem pro beneficiis à Deo acceptis excitantes:

Psalm. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.*

Ibidem. *In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, & lætentur.*

Ibidem. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.*

Psalm. 112. *A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini.*

Ibidem. *Excelsus super omnes Gentes Dominus, & super cælos gloria eius.*

Psalm. 70. *Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.*

Psalm. 32. *Misericordiâ Domini plena est terra.*

Psalm. 144. *Miserationes Domini super omnia opera eius.*

Psalm. 102. *Miserator & misericors Dominus, longanimis & multùm misericors.*

Ibidem. *Secundùm altitudinem cæli à terrâ corroborauit misericordiam suam.*

Ibidem. *Quantum distat ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.*

Ibidem. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.*

Psalm. 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

Actus qui ad Christi vnionem, Deique mandata seruanda & obseruanda spectant:

Psalm. 72. *Mihi Deo adhærere bonum est, ponere in eo spem meam.*

Galat. 2. *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.*

Ibidem. *Christo confixus sum cruci.*

Galat. 6. *Mihi mundus crucifixus est.*

Ibidem. *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini mei Iesu Christi.*

Ibidem. *De cetero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini in corpore meo porto.*

Roman. 8. *Quis me separabit à charitate Christi? an mors? an gladius? an fames?*

Ibidem. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

Dixi: Nunc cœpi. Hæc mutatio dexteræ Excelsi. Psalm. 76.

Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Psalm. 118.

Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Ibidem.

Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Ibidem.

Ideò dilexi mandata tua super aurum & topazion. Ibidem.

In viâ testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis. Ibidem.

Propter verba labiorum tuorum custodiui vias duras. Ibidem.

En breue quoddam schema, iuxta quod in reliquis omnibus virtutibus similiter fieri poterit, si videlicet è variis Scripturæ sacræ, & potissimùm Psalmorum, textibus ij versus desumantur, qui cuilibet menti suæ illuminandæ atque inflammandæ maximè congruere videbuntur.

30. Porrò quàm eiaculatoriæ huiusmodi orationes vtiles ac necessariæ sint, è Litteris iterùm diuinis sanctisque Patribus luce meridianâ est manifestius. Habent inprimis hæ preces, quòd facilè cum attentione, actualique, vt vocamus, deuotione consistant, quod reuerà præcipuam orationis partem complectitur, & in oratione prolixiori vel maximè desiderari solet. Vocantur etiam hæ oratiunculæ Adspirationes, vel quòd animum anhelum atque ad Deum adspirantem reddant, vel quòd mentem exacuant ad feruentiùs atque ardentiùs cũ Deo communicandum, vnde & aliud prouenit bonũ; quòd nempè dum nouo semper impetu frequentantur, hominem totaliter ex diuino amore reddant ignitũ, quemadmodum videre est in Patrum Vitis, vbi sic legitur: *Venit Abbas Lot ad Abbatem Ioseph, & dixit ei: Abba, secundùm virtutem meam facio modicam regulam, & paruum ieiunium, & orationem, & meditationem, & quietem; & secundùm virtutem meam studeo purgare cogitationes meas: quid ergo debeo de cetero facere? Surgens ergo senex, expandit manus suas in cælum, & facti sunt digiti eius veluti decem lampades ignis, & dixit ei: Si vis, efficiere totus ignis.* Accedit, quòd & adspirationes illæ omni tempore atque occasione, qua nimirùm aliis occupamur, frequentari & exerceri queant, vt ex præfato libro patere potest de quodam qui dum comederet simul oraret. Dixit, habetur ibi, *Abbas Isaias, quia Presbyter Pelusij, cùm faceret agapem, & Fratres in Ecclesiâ comederent, & loquerentur simul ad inuicem, increpans eos dixit: Tacete Fratres, ego enim scio vnum Fratrem manducantem vobiscum, & oratio eius ascendit in conspectu Dei velut ignis.* De orante verò & colloquente ita inferiùs: *Narrauerũt Fratres, dicentes: Qui venimus aliquando ad quosdam senes, & cùm ex more facta fuisset oratio, salutantes inuicem sedimus; & postquam locuti sumus, cùm discederemus, poposcimus vt rursus fieret oratio. Dixit autem vnus illorum seniorum ad nos: Quid enim, non orastis? Et nos diximus: Etiam; sed quando intrauimus, Pater, tunc est facta oratio, & ex illâ horâ vsque modo locuti sumus. Et ille dixit: Ignoscite mihi, Fratres, quia vobiscum sedens quidam Frater & loquens, centum & tres orationes fecit.*

Quàm ingentia oriantur ex eiaculatoriis orationibus bona!

Lib. 5. de Verbis seniorum.

Pulchra ad rei explicationẽ exempla.

31. Iam & inter operandum nos orare posse, sequens eodem è libro desumptum demonstrabit. Venerunt aliquando ad Abbatem Lucium in Ennato Monachi quidam, qui dicebantur Euchitæ, hoc est Orantes; & interrogauit eos senex: Quod

Orare potest etiam ille qui operatur.

Quod est opus manuum vestrarum? Et illi dixerunt: Nos non contingimus aliquod opus manuum, sed, sicut dicit Apostolus, sine intermissione oramus. Dicit eis senex: Etiam non manducatis? Illi autem dixerunt: Etiam manducamus. Et dicit eis senex: Quando ergo comeditis, quis pro vobis orat? Et iterùm interrogauit eos, dicens: Non dormitis? Et illi dixerunt: Dormimus. Et dixit senex: Et cùm dormitis, quis pro vobis orat? Et non inuenerunt quid ad hæc responderent ei. Et dixit eis: Ignoscite mihi, Fratres, quia ecce non facitis sicut dixistis. Ego autem ostendam vobis, quia operans manibus meis, sine intermissione oro. Sedeo enim, iuuante Deo infundens mihi paucas palmulas, & facio ex eis plectam, & dico: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Et dixit eis: Oratio est? an non? *Et dixerunt ei: Etiam.* Quid opus est pluribus? prædicta certè sufficiunt, non solùm vt operantem orare posse admittamus, sed & vtilissimum esse eiaculatoriarum orationum vsum confiteamur.

Psalm. 50.

32. Sed quàm necessaria sit cunctis oratio, vniuersa simul, post Scripturarum testimonia, Patrum corona adfirmat, quorum hoc commune est apophthegma: *Qui non orat, in vanum laborat.* S. Ioannes præcipue Chrysostomus ita scribit: *Nos decet obtemperantes Deo, semper omnem vitam in laudibus Dei precibusq; transigere, maiore studio curam agentes diuini cultus quàm vitæ nostræ. Sic enim contigerit semper viuere vitam homine dignam. Quisquis enim non orat Deum, nec diuino colloquio cupit assiduè frui, is mortuus est, & vitâ carens, expersq; sanæ mêtis.* Et aliquantò post: *Arbitror itaque cunctis esse manifestum, quòd simpliciter impossibile sit, absque precationis præsidio cum virtute degere, cumq; hac huius vitæ cursum peragere. Etenim qui fiat, vt quisque virtutem exerceat, nisi continenter adeat, & supplex ad genua accidat ei qui virtutem omnem suppeditat & largitur hominibus? Rursum qui fiat, vt aliquis concupiscat esse temperatus ac iustus, nisi lubens cum eo consuetudinem & colloquium habeat, qui cùm hæc tum his etiam plura exigit à nobis?* Et iterũ paulò pòst: *Verùm aliquis forsitan ex eorum numero, qui socordiæ segnitieiq; dediti, nolunt attentè & diligenter orare, persuasurum sit, in hoc Deum illa verba dixisse: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est. Atqui ego si crederem, solam precationem ad salutem nostram sufficere, non iniuriâ sermonem hunc nobis obiiceret aliquis: nunc cùm profitear, deprecationem caput esse bonorum omnium, basim ac radicem vitæ frugiferæ, non est quòd quisquã illis verbis abutatur ad excusationem suæ socordiæ.* Deniq;: *Decet igitur nos ab illo, Apostolo scilicet, cuius iam aliquot loca adduxerat, doctos, cum precatione vitæ cursum peragere, atque hac mentem assiduè rigare: siquidem hoc omnes homines non minùs opus habemus, quàm arbores aquarum humore. Neque enim valent illæ fructus producere, nisi bibant humorem radicibus: neque nos pretiosis pietatis fructibus poterimus esse graui di, nisi precibus irrigemur. Quapropter oportet, & stratis relictis, diuino cultu præuenire solis exortum, & cùm ad mensam accedimus, & cùm nos ad nocturnam quietem componimus; quin potiùs oportet singulis horis vnam precationem offerre Deo, vt orandi cursus diei cursum aquet. Ceterùm hiberno tempore decet etiam noctis maximam partem precibus impendere, ac flexis genibus multo cum tremore instare deprecationi, hoc ipso nos beatos existimantes, quòd Dei cultui vacamus. Dic mihi, quâ fronte solem intueberis, nisi priùs adoraueris, qui lumen illud dulcissimum oculis tuis mittit? Quo pacto frueris mensâ, nisi priùs adoraueris eum qui tibi tantum bonum largitur ac suppeditat? Quâ spe trades teipsum nocturno tempori, qualibus cum insomniis putas tibi rem fore, nisi teipsum præmunieris orando, sed incustoditus ad somnum accesseris? Nimirum contemptibilem captuq; facilem teipsum præbebis sceleratissimis spiritibus, qui continenter obambulant, obseruantes nos, vt si quem deprehenderint nudatum deprecationis præsidio, protinus abripiant. Si nos conspexerint deprecatione communitos, illicò resiliunt, non aliter quàm prædones aut facinorosi, vbi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari. Quòd si contingat aliquem esse nudum precationis præsidio, hic auulsus deportatur à dæmonibus, & in calamitates variaq; mala impellitur. Oportet igitur, vt hæc omnia metuentes, precibus & hymnis semper nosipsos circumuallemus, vt Deus omnium misertus, dignos efficiat regno cælorum per vnicum Filium suum.*

Lib. 1. de Orando Deũ.

Necessarium omnino est vt oremus.

Pulcherrima idex D. Chrysostomo loca commõstrant.

Quot instructionibus idem Doctor ad orandum omnes exhortatur.

33. Gregorius item Nyssenus de orationis necessitate & vtilitate sic perorat: *Et quid attinet singulatim exponere, quibus rebus multipliciter multisq; modis peccatum humanæ vitæ commiscetur: cuius peccati nulla alia causa est, quàm quòd ad ea, quæ in manibus habent, & studiosè tractant negotia, diuinum etiam auxilium homines non simul adhibent & assumunt. Quòd si oratio negotium præcesserit, peccatum aduersus animam aditum non inueniet. Dei enim memoriâ in corde fixâ atque fundatâ, irrita consilia aduersarij manent, iustitiâ sese mediam vbique controuersiis interponente. Prohibet item agricolam à peccato oratio, in exiguo agri modo fructus multiplicans, ne posteà ampliùs vnà cum plus habendi cupiditate peccatum ingrediatur. Ita viator, ita qui expeditionem vel nuptias parat, ita quicumque animum ad aliquod negotium adiecit, si cum oratione quodlibet agat, prospero atque felici successu negotiorum à peccando abducetur, nullo aduersario animam ad vitium trahente. Sin autem relicto Deo, negotio totus intentus fuerit, omnino necesse est, vt à Deo remotus, cum aduersario prorsus versetur. Recedit autem à Deo, qui per orationem se Deo non coniungit. Ergo hoc priùs oratione docendi estis, quòd semper orare & non defatigari oporteat: per orationem enim cum Deo esse contingit. At qui cum Deo est, ab aduersario remotus est. Oratio pudicitiæ præsidium atque tutamen est, iræ moderatio, superbiæ sedatio atque repressio, iniuriarum tenacis memoriæ expurgatio: inuidiæ profligatio, iniustitiæ sublatio, impietatis correctio. Oratio corporum robur est, abundantia domus, rectæ Iuris ac legum in ciuitate constitutio, Regni vires, belli trophæum, pacis securitas, dissidentium conciliatio, coniunctorum conseruatio. Oratio virginitatis sigillum est, matrimonij fides, viatoribus scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, nauigantium salus. Oratio reorum & causam dicentium patrona, nexorum ac vinctorum relaxatio atque solutio, fatigatorum requies, mœrentium consolatio, gaudentium animi delectatio, lugentium solatium, nuptias contrahentium corona, natalitij festi celebratio, morientium funus. Oratio, conuersatio sermocinatioq; cum Deo est, visum effugientium contemplatio; eorum, quæ concupiscuntur, certa fides; eiusdem cum Angelis honoris conditio, bonorum progressus & incrementum, malorũ subuersio, peccatorum emendatio, præsentium fructus, futurorũ repræsentatio, &c.*

Lib. de Oration. circa princip.

Oratio neglecta, multorum malorum est causa etiam in temporalibus.

A Deo recedit qui orare negligit.

Multiplices fructus & vtilitates orationis.

CA-

CAPVT XVII.

Moderata peccatorum, quæ vitâ functi commiserunt, deploratio, eorum lacrymas abstergit.

1. PRIMA quidem fronte haud perquam præsenti loco commodus, nec fortean etiam vero similis apparere poterat, quem Capiti huic præfiximus, titulus; cùm absonum nonnullis videri queat, iuuandis mortuis eorum peccata deflere velle, pro quorum expiatione potiùs satisfactoria pœnitētiæ opera exercenda forent. Verùm enimuerò non ob propria solùm, sed & ob proximorum delicta lacrymas fundendas esse, ille asseruit qui mentiri nescit. Cùm enim Dominum Iesum, crucem suam sibi baiulantem, ad Caluariæ montem euntem, multa populi mulierumque turba sequeretur, quæ eum deplangebant, ad illas conuersus dixit: *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vosipsas flete & super filias vestras.* Viden assertum Euangelicum, non nostra tantummodò, sed & aliorum à nobis peccata deflenda esse? Huic rei varia tum ex antiquâ tum nouâ Lege exempla adferri possent, vbi viri sancti suis lacrymis, proximorum peccatis debitam castigationem auerterunt, diuinamque eis propitiationem ac reconciliationem impetrarunt: sed superfluum foret, cùm & omnibus sint obuia, & alibi à nobis recensita aut recensenda occurrent. Quæ nostro propiùs instituto seruiunt agemus; & primùm quidē ostendemus, variis nos rationibus adduci vt super mortuis ploremus, eisque veniam & indulgētiam nostris lacrymis procuremus; deinde, cùm fletus opus sit pœnitentiæ, & quidem proprissimum, inde demonstrabimus, efficacissimum id esse ad quidpiam tum nobis tum aliis impetrandum.

Nõ pro nobis solùm fusę lacrymę, sed & pro aliis, iis prosunt. Luc. 23.

Lib. I. cap. VIII. & IX.

2. Propheta Ieremias, *Quis dabit*, inquit, *capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Syracides, *Supra mortuum*, ait, *plora.* & infrà, *Luctus mortui septem diebus.* item: *Fili, in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundùm iudicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius.* Certè SS. Patres & Ecclesiæ Catholicæ Doctores hoc apertè volunt, dū non viuo solùm sermone, sed & calamo & scriptis, quauis occasione, bonum id & è re defunctorum esse asseruerunt. D. Ambrosius hæc scripsit: *Dilexi, & ideò prosequor eum vsque ad regionem viuorum, nec deseram, donec fletu & precibus inducam virum, quò sua merita vocant, in montem Domini sanctum, vbi perennis vita.* E quo patet, S. Ambrosium tam precibus quàm & fletu credidisse iuuari potuisse animam Imperatoris ex Purgatorij tormentis. Sed & Eusebius Cæsariensis refert, Imperatorem Constantinum, iam defunctum, à Clero & populò, pro impetrādâ sibi requie preces ac magnum gemitum, lacrymarumque copiam obtinuisse. Verba eius hæc sunt: *Iam populus frequens vnà cum Sacerdotibus, non sine lacrymis, & sanè magno cum gemitu, preces pro animâ Imperatoris Deo fundebant; in quo & gratum atque optatum pio Principi officium præstabant, & Deus ipse singularem beneuolentiā erga famulum suum ostendit.* S. Hieronymus Epistolâ ad Paulam: *Illud vellem*, inquit, *tibi persuadeas ignem Purgatorij vi lacrymarum extingui.* Porrò S. Augustinus ait: *Hinc itaque necesse est vt tristes simus, quando nos moriendo deserunt quos amamus. ideo non admonuit Apostolus vt non contristemur, sed non contristemur sicut ceteri qui spem non habent. Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi*, &c. quibus verbis D. Augustinus insinuat, & tristes nos esse oportere à morte amicorum, & inter illam tristitiam, quam aliqui hinc capiunt, magnam reperiri distinctionem: contristantur enim nonnulli inordinate, & quasi resurrectionis spes non esset, vano sese dolore conficiunt, nullumque solatium accipiunt, quia nimirum mortuus ille fuit ex eorum numero quos carnaliter nimis aut naturaliter dilexerunt. Et iste dolor quantum defunctis etiam noceat, posteà videbimus: modò circa illum luctum occupamur, qui requiem animabus acquirit, vtpote per quem, veluti pœnitentiæ actum, satisfit pœnis, aut quo culpæ illorum deflentur, eisque venia impetratur. Hæc vt obscuris quoque ingeniis ad oculum pateant, manifestissimis historiis, & feminarum præcipuè exemplis, comprobabimus.

Ierem. 9. Eccli. 22. Ibidem. Cap. 38.

Defunctis viuorum fletus solatiū adferunt.

Orat. de Obitu Theodosij Imp.

Lib. 4. de Vitâ Constantini.

Serm. 32. de Verbis Apostoli.

Quo sensu sit tristitia circa mortuos exercenda.

Ven. Thomas Cantipratanus refert, sanctissimam virginem Christinam, dictam Mirabilem, in se dimidietatem peccatorum, quæ Comes Lossensis in vitâ perpetrauerat, & quæ idem Comes, ei apparens, luenda sibi esse reuelauerat, suscepisse. *Vnde*, inquit, *loca in quibus ipse Comes peccare consueuerat, illa lacrymis nullam consolationem admittētibus irrigabat, & vbi ille lætatus fuerat, illa lugebat.* Ven. Thomas à Kēpis ferè quid simile refert de B. virgine Lidvvige, dum sic inquit: *Adeò autem acriter super miserias eorum doluit, & frequenter plorabat, quòd deficientibus in eâ naturalibus lacrymis, lacrymæ sanguineæ succederent, quas successu temporis super genas eius coagulatas Confessarius eius cum naturalibus lacrymis exstillantibus emolliens abrasit, & in sacculo reponens, apud se in scrinio reseruabat, atque post mortem eius sub capite eius in sepulchro reponebat.* Ita ille. A quibus haud sunt dissona, quæ de multis etiam iisque sanctissimis viris leguntur, qualis inter ceteros Iacob Patriarcha fuit, qui nullam consolationem admittere voluisse describitur, multoque tempore luxisse filium suum Ioseph, quem à feris dilaceratum credebat. Et quid mirum est, homines iustos credidisse, lacrymas viuorum prodesse mortuis, vt à pœnis ignis purgatorij absoluerentur, quandoquidem lacrymæ etiam sæpè promeruerint, vt maximi peccatores, atque in æternum, vt videbatur, damnandi, ab inferno exempti, & eximij inter cælites Antesignani facti fuerint. Hac in re vnus omnibus sufficere debet Augustinus: qui etsi inter homines tertium numeretur omnium sæculorum ingenium, Doctorumque Doctor euaserit, immò & *omnis Doctor*, vt quidam locuti sunt, *& amplius*; non alio tamen medio, quàm lacrymarum, à prudentissimâ matre suâ S. Monicâ Christo Domino genitus fuit. Continuis nimirum illa filium lacrymis prosequebatur, quòd in Manichæorum hæresim lapsus, rectà ad æternam perniciem tenderet. vnde de eo dicere solebat S. Ambrosius: *Impossibile est vt tantarum lacrymarum filius pereat.* 3.

In Vitâ S. Christinæ Mirabilis.

In Vitâ B. Lidvvigis. lib. 2. cap. 17. *Stupenda S. Lidvvigis super mortuos lacrymæ.*

Genes. 37.

S. Augustinus ob lacrymas Matris conuersus est.

Quæ

4\. *Qualis intentione super defunctos plorandū sit.*

Quæ diximus, capienda sunt de eiusmodi tristitiâ quæ eum in finem suscipitur, vt mortuo peccatorum condonatio ac requies æterna tribuatur: si enim talis non sit, & ex inordinato amissionis amicorum affectu oriatur, nō tantùm animabus nihil prodest, sed potiùs etiam obest. Probabimus hoc, ad rudium captū, priùs exemplo, deinde sanctorum Patrum testimoniis. Ven. Thomas Cantipratanus sic inquit: Matris relatione didici quod narro. Auia mea filium primogenitum habuit indole insignem, & decore præcipuum. Quo mortuo, inconsolabiliter doluit, nec fortè sine præsagio futuri mali: nam post illum alium habuit, qui pompâ vanitatis illectus, dilapidator rerum fuit. Matre ergo, vt dictum est, inconsolabiliter lamentante, apparuerunt ei iuuenes in viâ quadam, vt visum est ei, cum ingenti gaudio gradientes. Cumque memor filij, eum inter illos esse non videret, & fleret, ecce post alios filium suum lento gradu subsequentem cognouit. Cui mater cum graui clamore dixit: Et quid est, fili, quòd solus, & non cum aliis graderis retardatus? Cui ille, in togâ laterali magnū aquæ pondus ostendens, Ecce, inquit, mater, lacrymæ, quas pro me inaniter effudisti, quarum pondere ab aliorum prosecutione retardor. ad Deum ergo lacrymas commutabis, & in præsentiâ Sacrificij Corporis Christi cum eleemosynis pauperū pro me corpium & deuotum effundes, & tunc liberabor ab incommodo quo nunc grauor. Nota tamen, Lector, dispensatione diuinâ, vel ad cōsolationem vel ad correctionem matris, se dixisse mortuum iuuenem inanibus lacrymis à comitatu sodalium retardatum; quia meritis quidem viuentium defunctorum animæ adiuuari possunt, sed prorsus non possunt demeritis impediri. Sic Cantipratanus.

Lib. 2. de Apibus, c. 53.

Exemplum malè mortuos lugentium.

5\. E Patribus primùm audiatur S. Ioannes Chrysostomus, qui sic ait: *Quòd si peccator, & qui sæpenumerò Deum offenderit, moritur, is deflendus est, vel potiùs minimè, cùm nihil afferat vtilitatis; sed ea facienda quæ ei aliquid conferre possint.* Et paulò pòst: *Honor enim mortuo non fletus, non eiulatus, sed hymni & Psalmi*, &c. Item Homiliæ 70. ad populum Antiochenum, hunc titulum præfixit: *Pro defunctis non lugendum sed orandum potiùs.* S. Ambrosius, quem paulò superiùs docentem produximus, fletum pœnitentialem igne purgatorio animas eximere, se non locutum fuisse de illo ploratu, quem frustrà lacrymātes fundunt quia per mortem amicos suos & charos amittere fuerunt coacti, vt exponeret, alibi, dum Faustinum de sororis obitu consolatur, hunc in modum scribit: *Itaque non tam deplorandam quàm prosequendam orationibus reor; nec mœstificandam lacrymis tuis, sed magis oblationibus animam eius Domino commendandam arbitror.* Vbi notandum, ideò iterùm à D. Ambrosio mœstificandam defunctæ animam asseri ex lacrymis Faustini fratris, non quòd, vti pridem scripsit Cantipratanus, viuorum demerita quidpiam obesse possint mortuis, sed quòd videntes mortui, sese loco adiumenti quo liberari deberent, lacrymis solùm inanibus, atque adeò omnino inutilibus, ab intimis suis, quos in vitâ amicos habebant, affici, meritò multùm contristentur, ac veluti nouâ mœstitiâ diuexentur, aut saltem (si eos hinc dolere nō posse, defendere quis mordicus velit) quantum ipsorum iam conditio patitur, molestiam sentiant.

Homil. 32. in Matthæum.

Sancti Patres idem docent.

Epist. 8 ad Faustinum.

9\. Sed quid inutili fletui vsque adeò immoramur, qui probare suscepimus vtilissimum esse illum, qui tamquam pœnitentiæ actus, ad peccata animarum eluenda, Deo offertur? Certè de hoc tātò præclariora apud sanctos Patres reperimus, quantò indigniùs illum habendum ostendimus, qui ex inordinatâ impatientiæ oritur passione. S. Gregorius Papa sic scribit: *Holocaustum siccum, est bonum opus quod orationis lacrymæ non infundunt; holocaustum pingue est, quando hoc quod benè agitur, corde humili etiam per lacrymas irrigatur.* Cassianus: *Fletus est cibus animarum, corroboratio sensuum, & absolutio peccatorum, refectio mentium, lauacrum culparum.* S. Bernardus: *Lacrymæ pœnitentium vinum sunt Angelorum, quia in illis odor vitæ, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ, sanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis iucunditas, & serenatæ conscientiæ suauitas.* D. Ioannes Chrysostomus: *Nemo ad Deū aliquando flens accessit, qui non quod postulauit accepit: nullus ab eo beneficia dolenter optauit, qui non impetrarit. Ipse enim est qui consolatur flentes, dolentes curat, pœnitentes informat.* Denique etiam S. Hieronymus, *O lacryma*, exclamat, *humilis! tua est potētia, tuum regnū: tribunal Iudicū non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis. Non est qui te accedere vetat. Si sola intraueris, vacua non redibis. Magis crucias diabolum, quàm pœna infernalis. Quid plura? Vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, inclinas filium Virginis.* Habent alia huiusmodi tum iidem tum alij sancti Patres, quæ consultò prolixitati nimiæ vitandæ prætermittimus: vnicus tantùm S. Scripturæ locus, qui ab iisdem huic proposito applicatur, non incongruè nobis expendendus est.

Ad explicandam fletus debiti vtilitatem redimus.

Super illud Ezechielis, Holocaustum tuum pingue fiat.

Cassian. super, Fuerunt mihi lacrymæ meæ. &c.

Super Cantica.

In Sermonibus.

In Epistolis.

7\. Postquam diuina Maiestas vniuersum mundum aquarum diluuio submersisset, vt eiusdem metum, quasi futuris temporibus eadem pœnâ humanum genus interimendum foret, de cetero mentibus humanis eximeret, hanc Patriarchæ Noë pollicitationē fecit: *Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos, & ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum, tam in volucribus quàm in iumētis & pecudibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de arca, & vniuersis bestiis terræ. Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam vltrà interficietur omnis caro aquis diluuij, neque erit deinceps diluuium dissipans terram. Dixitq; Deus: Hoc signum fœderis quod do inter me & vos, & ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas: Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Cumq; obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus: & recordabor fœderis mei vobiscum, & cum omni animâ viuente quæ carnem vegetat: & non erunt vltrà aquæ diluuij ad delēdum vniuersam carnem. Eritq; arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni quod pactum est inter Deum & omnem animam viuentem vniuersæ carnis quæ est super terram. Dixitq; Deus ad Noë: Hoc erit signum fœderis, quod constitui inter me & omnē carnem super terram.* E quibus verbis, præter alia quamplura mysteria, sancti Patres deducunt, post spirituale animarum per peccata diluuium, mysticum etiam à Deo constitutum esse fœderis arcum, donum scilicet lacrymarum. S. Hieronymus exponens illa verba, Venit contra illos ex aduerso fletium, ait: *Tradunt Philisthæos idolum habuisse, cui in lacrymis hominum sacrificium parabatur: huic illi more suo lacrymas*

Insigniter iris dono lacrymarum applicatur.

Genes. 9.

Quàm insignia ex his verbis Patres deducunt.

Quæst. Hebr. in Paralipom. Tom. 3.

crymas sacrificabant, & iis ex aduerso Dauid venit, in quorum capitibus iam furor Domini sæuiebat, quando ad eos ventum est. Ideò timuerunt Gētes Dauid propter idolum destructum, cui humanis lacrymis sacrificabant. Sic Hieronymus. En pulcherrimam, & ei, quod dicere intendimus, accommodam historiam Sicuti enim illi Pagani tum sese securos ac semper victores mãsuros existimarunt, quamdiu idolum haberent quod lacrymis placari posset; ita etiam in iride fecit Deus noster viuus & verus, quando arcum suum posuit in nubibus cæli, vt signum esset fœderis ac inuiolabilis pacti inter nos & ipsum. Quod vt cuilibet euidentiùs constet, paulò diffusiùs examinare & inquirere operæ est pretium, quomodo quæ in iride materiali reperiuntur, conueniant spirituali lacrymarum arcui, quoad istius tum materiam & formam, tum etiam causam finalem.

8. *Serm. de S. Mariâ Magdalenâ.* *Materialis cæli arcus quoad suam substantiam spirituali lacrymarum quadrat.* Materiam cælestis arcus quod attinet, est ea secundùm D. Thomam, *nubes aquosa, radiis solis percussa.* Hoc verò quàm appositè lacrymarum exercitio conueniat, nemo, qui rem profundiùs inspicere velit, ignorat. Nam quid aliud peccata sunt, quàm nubes aquarum, quæ diuini solis fulgore ac calore solutæ, resoluuntur in pluuiam, ac flentium animas criminum inquinamentis exsoluunt. Regius ille Prophetes, *Tenebrosa*, inquit, *aqua in nubibus aëris. Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando, & carbones ignis.* & post pauca: *Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata sunt fundamenta orbis terrarum: ab increpatione tuâ Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.* Vbi per aquã tenebrosam non malè iniquitatem Doctores intelligunt, aiuntque, per fulgorem adspectus Dei nubes transire, rumpique, vt fontes aquarum seu lacrymarum pœnitentiæ ac contritionis appareant, & reuelentur fundamenta orbis terrarum, hoc est, iterùm gratiarum Dei primordia, quibus, veluti fundamentis, hominum salus fulcitur, restituantur in integrum. Sed vnde magnum hoc iniquis Altissimi beneficium? *Ab increpatione tuâ Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ*, quando nimirum de malefactis suis reprehendere incipis peccatorum conscientias, & *inspiratione spiritus iræ tuæ*, hoc est, salutari timore iudicij tui veluti luce claritatis & charitatis tuæ illuminas, vt iustitiæ viam agnoscant, ad eam redeant, eamque generosè percurrant. Quid plura? Si quis è nouo Testamento etiam probationem desideret, ipsum Iesu Christi Euangelium, atque exemplum eiusdem Saluatoris inspiciat, inueniet nubem vnam peccatis turgidam, septem inquam dæmoniis tenebrosam, Mariam Magdalenam, in quam (licet publica esset in eâ ciuitate peccatrix) vbi idem iustitiæ Sol radios per interiorem cōpunctionem direxisset, statim eam in lacrymas soluit, ita vt Angelicus Doctor citato iam loco dicat, *Nubes aquosa, Maria lacrymosa. cœpit namq; lacrymis rigare pedes eius, & capillis capitis sui tersit.* Qui secundum exemplum voluerit, S. Petrum inspiciat, qui cùm se quoque tenebrosam nubem effecisset negatione Domini & Magistri sui, periurio, & detestatione simpsius, quòd Dominum suum non cognosceret, statim atque in ipsum respexit Filius hominis, totus fuit in lacrymis. *Et conuersus*, inquit Euangelista, *Dominus respexit Petrum: & recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat, quia priùs quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras Petrus fleuit amarè.*

Psal. 17. *Locus ex Psalmœdo applicatus.* *Luc. 7.* *Historia etiã S. Magdalenæ ex Euangelio.* *Luc. 22.* *Ex quo & D. Petri conuersio.*

Quod iridis formam spectat, habemus in illâ omnem, vt ita loquar, formã, omnem colorem, vt è lacrymarum pluuiâ vniuersum gigni bonum, quemlibet virtutis ac diuinæ gratiæ fructũ educi cognoscamus. Iris & albedinem, rubedinem, virorem que complectitur; & cæruleum, flauum, purpureumque colorem præ se fert, mũdumque ipsum tot ferè, quot reperiuntur, coloribus ornat; hoc inter alios fine, vt clarum sit, ex spirituali lacrymarum imbre omnem animæ nasci profectum. An intueri vultis quàm hæc aqua albos efficiat? *Asperges me hyssopo*, inquit Psaltes, *& mundabor; lauabis me, & super niuem dealbabor.* Quàm charitate rubicundos faciat, ipsa docuit Veritas, cùm de Magdalenæ agens conuersione sic pronuntiat: *Cui minus dimittitur, minùs diligit.* & iterùm: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* De virore ac vigore diuinorum in pœnitente charismatum D. Paulus locutus est: *Vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Si mysticum cærulei, flaui atque purpurei, siue etiam violacei colorum significantiam interpretari voluerimus, alias, quæ ex lacrymis, velut fontibus, profluunt, vtilitates reperiemus. Cæruleus namque color æternorum ac cælestium desiderium significat; ac proinde dum in cruce latro pœnitens clamat, non aliud à Saluatore beneficium expostulat, quàm, *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Videns enim quanta sibi hactenus mala ex humanâ conuersatione fragilitateq; prouenissent, illâ iam corporis ac mundi labyrintho, in qu tantum peccando oberrauerat, liber esse desiderat: fit enim, vt qui verè peccata sua deplorat, idcircò potissimùm mori ac cælũ adire exoptet, ne Deum ampliùs peccando offendat. Flauedo prætereà, si sanctis Patribus credimus, quia fidem designat, optime declarat spem firmam ac certitudinem quam de consequendâ à Deo misericordiâ solet habere, qui perfectè sua plangit delicta: esto & aureus idem color lætitiam cordis ac pacem internam, quam ex culpæ remisione consequimur, innuat, numquid non vtrumque vna Redēptoris nostri sententia apertè confirmat, dum apud S. Lucam Magdalenam à peccatis absolutam, his abire verbis iubet: *Fides tua te saluam fecit, vade in pace?* De violaceo purpureoque coloribus quid multa adferre opus est? cùm & per eos meritò Doctores significatam velint humilitatem, & omnibus indubitatum sit, præcipuum veræ humilitatis motiuum esse ipsa peccata quæ gemimus. Vnde & S. Maria Magdalena *stans retrò secus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat.* Publicanus *à longè stans nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori.* Filius prodigus *in se reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum & coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* Similiter in Lege antiquâ Psalmœdus, dum peccatorum suorum quantopere eum pœniteat graphicè delineat, inter alia sic inquit: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater*

9. *Iridis forma nō minorem habet cum lacrymis consonantiam.* *Psalm. 50.* *Luc. 7.* *Rom. 5.* *Luc. 23.* *Luc. 7.* *Ibidem.* *Luc. 18.* *Luc. 15.* *Psalm. 50.*

3. Reg. 21. *mater mea.* Achab se propter Eliæ Prophetæ peccatorum suorum denuntiationem adeò humiliauit, vt Eliæ Dominus ipse apparens diceret: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me?* Nabuchodonosor vix in peccati sui cognitionem venerat, & vnà propriam vilitaté agnouit, sui ipsius contemptum inchoauit. Niniuitæ etiam ad infima pœnitentię sese exercitia demisêre, cùm, Prophetâ Ionâ concionante, in delictorum suorum memoriam peruenerunt. Huiusmodi exemplis plena est Scriptura sacra, plena omnis historia. Daniel. 4.

10. *Causa demũ finalis in iride optimè cũ lacrymis quadrat.*

Quòd si causam inquirere voluerimus, quare nimirum iris à Deo opt. max. in sublimi aëre cõstituta & efformata sit, triplicem eam ex mente Doctoris Angelici reperiemus. Ordinatur enim primò, vt præteritum significet per aquam diluuium: vt prænuntiet, quod in sæculorum fine futurum est, iudicium: tertiò, vt nobis in mentem reducat, quod cum hominibus Deus iniit, misericordiæ pactum. Ita in substantiâ D. Thomas, quæ omnia quàm accommodè nostræ lacrymarum iridi quadrent, rem penitiùs inspicienti statim patebit. Nam ad quid aliud designãdum vel consequendum à Deo ordinatæ videntur nostræ lacrymæ, nisi vt inprimis diluuij ac pœnarum, quas ex criminum culpis residuas patimur, non obliuiscamur? nisi vt flendo & eiulando ad rigidissimum illud ineuitabileque ac generale iudicium, quo totus deflagrabit orbis, nos ita disponamus, vt æternũ adire inferni incendiũ opus nõ sit? nisi vt, & memores semper simus & participes totius Dei clementiæ, ac vniuersorum ipsius donorum, per fletum? Singula explicemus, & facilè clareq; videbimus, nihil esse quod per lacrymas impetrari nõ possit, & omnia per has ipsas sponte nobis offerri: vt proptereà & verè & appositè dixerit, qui lacrymas *omnipotẽtes* appellauit. Primus itaq;, vt diximus, fletûs & lacrymarum finis est, vt præterita peccata & residuas eorũ pœnas defleamus: secundus, vt per fletum tẽporalem, præueniamus & arceamus æternum: tertius, vt pacti diuini, quo cuncta sua nobis beneficia obligauit, memoriâ, ad eadẽ petenda excitemur, & petendo, quod flẽdo efficacissimè fit, consequamur. Siue, vt breuiter dicamus, tria ex lacrymis bona proueniunt, præteritorum scilicet delictorum ablutio, ad futurum iudicium secura purgatio, & vniuersorum Dei beneficiorum participatio.

Applicantur proposito rationes ob quas arcus à Deo in cælo collocatus est.

11. *Quàm aptæ sint ad eluenda crimina lacrymæ.*

Quod lacrymæ sint efficaces ad criminũ reatus abluẽdos, & sancti Patres & sacræ Litteræ ad oculum probant. S. Gregor. in Pastorali, *Vniuscuiusque mens,* inquit, *tantum pœnitendo compunctioné suâ bibat lacrymas, quantum se à Deo meminit amisisse per culpas.* D. Ambr. in Lucã: *Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego: sed quod defendi non potest, ablui potest. Lauant lacrymæ delictum, quod voce pudor est dicere vel confiteri. Lacrymæ veniam non postulant, sed merentur.* Et iterùm ibidem: *Fleuit amarè, vt lacrymæ lauarent delictum. Tu similiter lacrymis dilue culpã. Non inuenio quod dixerit, sed quod fleuit.* S. Hieronymus, *Docente te,* inquit, *in Ecclesiâ, nõn clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lacrymæ auditorum, laudes tuæ sint. Petrum ter negantem amaræ in locum suum restituêre lacrymæ.* Et S. Augustinus: *Lacrymæ pœnitentiæ cadunt in conspectu Domini.* Si verò oculos ad Scripturas conuertere lubeat, vnicus Propheta Regius suo nobis exemplo satis ostendet, culpas fletibus & detergi posse, & detergendas

Lib. 9. in Lucam.

In Epistolis.

Serm. 3. in Festo Natiuit.

esse. *Turbatus est,* inquit, *à furore oculus meus.* Sed dic Psalmœde, quo remedio vsus es vt hunc delictorum tuorum timorem euaderes? *Laboraui,* ait, *in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Alibi item sic inquit: *A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus: propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animam eius. Verumtamen vanè conturbatur omnis homo. Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas.* Denique: *In irâ populos confringes. Deus, vitam meam annuntiaui tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Psalm. 6. Psalm. 38. Psalm. 55.

12. *Securos nos facit lacrymarum frequentatio.*

Sed & securos nos facit lacrymarum frequentatio, vt tremendum Christi iudicium intrepidi subeamus, & æterna gaudia fiducialiter expectemus. E Patribus hoc vel vnus abundè docet S. Gregorius, qui expendens, cùr tres Magi, qui ad Christum adorandum venerant, iussi sint per aliam viam in regionem suam redire, *Magnum verò,* inquit, *nobis aliquid Magi innuunt, quòd in regionem suam per aliam viam reuertuntur. In eo namque quod admoniti faciunt, nobis profectò insinuant quid faciamus. Regio quippe nostra paradisus est, ad quam, Iesu cognito, redire per viam quâ venimus prohibemur. A regione etenim nostrâ superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando discessimus: sed ad eam necesse est vt flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur, quoniam qui à paradisi gaudiis per delectamenta discessimus, ad hæc per lamenta reuocamur.* Hæc Gregorius: cui in Euangelio præiuit ipsemet Saluator, qui vt declaret, lacrymarum donum quodammodò esse prædestinationis signum, inter reliquas beatitudines illud enumerat, dicens: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* vel vt S. Lucas ait: *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Et aliquando etiam discipulis suis dixit: *Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Quod vt penitiùs mentibus humanis quasi stylo ferreo & laminâ æreâ insculperetur, appositam similitudinem adiungere Domino placuit. *Mulier,* inquit, *cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habebitis, iterùm autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Sicut enim illi qui in hoc mundo riserint & in deliciis fuerint, ingenti in iudicio afficientur timore, ita vicissim securi ac gaudentes Iudicis aduentum præstolabuntur, qui in præsenti sæculo lamentis ac fletibus sua & aliorum delicta expiauerint.

Homil. 10 in Euangelia.

Donũ lacrymarum prædestinationis signum.

Matth. 5. Luc. 6. Ioann. 16.

13. *Omnia à Deo impetrare lacrymæ valet.*

Sed & nihil non à Deo impetrare posse lacrymas, vt haud ineptè *omnipotentes* quasi appellari mereantur, iris ipsa à Deo in excelso nubium efformata figuram præbet. Quemadmodum enim Deus ipsi Noë per eam fœderis sui atq; amicitiæ cum humano genere initæ de mundo haud ampliùs diluuij aquis abolendo, signum posuit; ita mysticũ quoque assignauit præsagium, quidquid ab ipso peteret lacrymans, se nullatenus negaturum. Audiamus Chrysostomum, qui sic ait: *Nemo ad Deum aliquando flens accessit, qui non quod postulauit acceperit; nullus ab eo beneficia dolenter optauit,*

qui

qui non impetrarit: ipse enim est qui consolatur flentes, dolentes curat, pœnitentes informat. Idem affirmat Scriptura, vbi Deus per Psalmistam sic ait: *Propter gemitum pauperum nunc exurgam.* Est namque *sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Dixisti namque: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Quibus ex locis Interpretes adstruunt, suspiria atque gemitus afflictorum tantæ esse potentiæ, vt Deum, alioqui planè immutabilem, & quandoque, vt apparet, inexorabilem, ita permoueant, vt quasi coactus surgat, & manum auxiliatricem, quam hactenus quasi contraxisse & veluti in sinu occultasse videbatur, extendat; nec vmquam aliquem hominem, quicumque tandem ille sit, humiliato & contrito corde ad eum accedere, quin statim atque clamare & eiulari incipiat, vtraque manu & pleno sinu, quod petiit, reportet, adeoque ipsam diuinam Maiestatem suâ in tribulatione habeat præsentem, quæ eum tandem æternâ gloriâ & lætitiâ sit beatura. An quid desideratis vltrà? Certè hæc sufficientissimè probant, nihil à lacrymis peti, quod non penes Deum obtineant. An verò exemplum petitis? Dabo, idque in vnicâ D. Mariâ Magdalenâ, quæ licet, ex mente Doctorũ, quadruplices lacrymas fudisse perhibeatur, nimirum contritionis, tristitiæ naturalis, compassionis supernaturalis, atque amoris Dei; in earum tamen singulis mirabiles effectus assecutam fuisse Euangelistæ docuerunt.

Psal. 11. Psalm. 50. Psalm. 90.

Quanta Maria Magdalena à Deo per lacrymas beneficia obtinuerit.

14. Fudit igitur D. Magdalena primùm lacrymas contritionis de peccatis, dum lacrymis rigauit pedes Saluatoris. Quæ lacrymæ quantum & quàm inæstimabilem ei pepererint fructum, intelliget, qui, quantum reliquis Dei beneficiis omnibus integra & vniuersalis peccatorum omnium remissio sit præstantior, æstimare verè poterit. Audiuit nimirum à Christo mulier hæc peccatrix, quod vix alteri, etiamsi sanctissimè diu vixerit, cõcessum fuit, *Remittuntur tibi peccata tua.* Fudit deinde eadem Magdalena lacrymas naturalis doloris, nec & eas irrito effectu. Nam cùm ex mœrore propter demortuum fratrem Lazarum coram Saluatore ploraret, etiam eidem lacrymas elicuit secumque condolere fecit. *Iesus ergo,* inquit Euangelista, *vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum eâ, plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni & vide. Et lacrymatus est Iesus.* Nec hoc tantùm, sed & ingens miraculum eædem lacrymæ à Christo fieri fecerunt, dum nimirum Lazarus, iam à quatriduo sepultus, & fœtens, ad vitam reuocatus est, lacrymis vtique & precibus Magdalenæ, vt Ecclesia Catholica testatur in Oratione, quæ in die eius festo vbique recitari solet: *Beatæ Mariæ Magdalenæ, quæsumus Domine, suffragiis adiuuemur, cuius precibus exoratus, quatriduanum fratrem Lazarum viuum ab inferis resuscitasti.* Tertiò præterea fudit lacrymas compassionis, dum Christum in cruce extensum, adeò dirè afflictum, inter sceleratos numeratum, & tenerrimum suum spiritum reddentem conspexit, (de quâ sic canit Mater nostra Ecclesia Catholica:

Luc. 7. *Ex lacrymis contritionis veniam.*

Ioann. 11.

Ex lacrymis doloris naturalis Lazari resuscitationem.

[M]arc. 16.

[pro]pter la[crym]as com[passi]onis in

Adstare non timet cruci,
Sepulchro inhæret anxia,
Truces nec horret milites:
Pellit timorem charitas.)

& proinde hoc obtinuit beneficium, vt promerita sit ante alios omnes (exceptâ haud dubiè Deiparâ Virgine) Resurrectionis mysterium ab Angelo edoceri, & quoad hoc Apostolorum doctrix fieri: quod sanè excellens admodum est priuilegium, cùm in hoc, quod totius Christianismi fideique Catholicæ præcipuum est fundamentum, eos instruxerit, per quos totus posteà conuersus est mundus. Quartò denique lacrymas fudit amoris, cùm nimirum ad monumentum ablatum Saluatorem plorando & flendo cõquereretur. *Dum ergò fleret,* inquit Euangelista, *dicunt ei illi,* scilicet Angeli: *Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerũt eum.* Sed quid, putas, has lacrymas, hanc charitatem, hanc sollicitudinem sequitur? Audi. *Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, & ego eum tollam. Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa, dicit ei: Rabboni, quod dicitur Magister.* Ad hæc scribens S. Gregorius, *Quâ in re,* inquit, *pensandum est, huius mulieris mentem quanta vis amoris accenderat, quæ à monumento Domini, etiam discipulis recedentibus non recedebat. Exquirebat quem non inueniebat: flebat inquirendo, & amoris sui igne succensa, eius, quem ablatum credidit, ardebat desiderio. Vnde contigit, vt eum tunc sola inueniret.* Ecce quantum iterùm præmium, quantæ hæ amoris lacrymæ perceperunt: videre nãque & affari amatum meruit, eumque, postquam resurrexisset à mortuis, ante omnes contemplari. Quid quæso sublimius, quid excellentius desiderari possit, quàm quod Magdalenæ suæ lacrymæ pepererunt? Lacrymata est præ contritionis & pœnitentiæ magnitudine, & ab ipsamet Veritate viuorumque & mortuorum Iudice audire meruit: *Remittuntur tibi peccata tua.* O sublimem & excelsam prærogatiuam, ita certum fieri de plenariâ delictorum omnium indulgentiâ! Fleuit ex naturali ob fratris Lazari obitum mœrore, & collacrymãtem sibi habet Christum, & fratrem, quem deplorabat, à mortuis resuscitatum. Fleuit morienti Domino compatiens, & Angelicâ visione, eum, quem deplorauerat, ab inferis resurrexisse, edoceri digna fuit. Amoris denique lacrymas fudit, orbatam se præsentiâ illius, quem tantopere diligebat, tenerrimè cõquesta, & ab ipso Domino Iesu (quem, ne se ampliùs occultaret, tantæ lacrymæ cogebant) solatium accipere dignata est.

Christi morte, cognouit illius Resurrectionem.

Ioann. 20.

Quia lacrymas fudit amoris, eum vidit gloriosum.

Homil. 25. in Euangelia.

Maxima illa Magdalenæ fuere priuilegia.

Felices vtique lacrymas! lacrymas omnipotentes! Lubeat hîc denuò cum magno sanctoque Hieronymo exclamare: *O lacryma humilis, tua est potentia, tuum regnum! Tribunal iudicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silẽtium imponis. Non est qui te accedere vetet: si sola intraueris, vacua non redibis. Magis crucias diabolum, quàm pœna infernalis. Quid plura? Vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, inclinas filium Virginis.* Placet & cum D. Gregorio loqui: *Cogitanti mihi de Mariæ Magdalenæ pœnitentiâ, flere magis libet quàm aliquid dicere.* Si enim tam efficaces sunt lacrymæ, vt in illâ ex Euangelio patuit, potiùs mihi lacrymandum quàm scribẽdum esse arbitror, vt Purgatorij animabus in vehemẽ-

15. *Lacrymarũ mirabiles à SS. Patribus laudes.*

 tibus

tibus adeò fletibus suis solatium exhibeamus, earumque lacrymas lacrymis nostris abstergamus. Vidimus in Magdalenâ, dimissa esse peccata, ab inferis reuocatam Lazari animam, Christi resurrectionem ab Angelis propalatam fuisse, ipsumq; tandem Redēptorem videndum se obtulisse. An vos aliud quid defunctis opus esse putatis? Haud certè aliud: desiderant enim ij qui ignibus expiatoriis detinētur, vt remissionem peccatorum obtineant, vt ab inferis reuocentur, vt Resurrectionis Dominicæ fiant participes, & vt vultum Dei intueantur. Hæc illorum vota, hæc illis à nobis solatia. Ad arcum ergo lacrymarum, quem in cæli, id est præsentis Ecclesiæ nubibus posuit Deus, conuertamur: recordabitur enim, cùm illum viderit, Omnipotens fœderis sui quod nobiscum pepigit, & planctum in plausum, in risum lacrymas, tristitiamque in gaudium benignè cōuertet. De quo vt nulli foret dubitatio, ipsimet fletui hic aliquā lætitiam admiscuit, vt arrha quodammodò esset, quantò is ampliùs post hanc vitam consolationum causa existeret. Quod quia & iucundum hactenus in luctu versantibus futurum credimus & vtile, vt eò effectuosiùs, quò affectuosiùs lacrymis nostris defunctorum lamētis leuamen adferamus, vel pauca nonnulla Scripturæ & Patrum testimonia, quæ hanc in rem faciunt, adducemus.

Prædicta materia animarum applicantur.

Lacrymæ etiam hoc in sæculo consolationem causant.

16. Quantam ergo delectationem lacrymæ pariant, primus dicat nobis Petrus Blesensis. Is, *Multis*, inquit, *consolationi sunt lacrymæ, & ex parte maximâ magnitudinem doloris minuunt: dolor siquidem speciem ignis gerit, qui dum plus tegitur, plus ignescit.* S. Ioannes Chrysostomus: *Sicut post vehementes imbres mundus, ac aër purus efficitur, ita & post lacrymarum pluuias serenitas mentis sequitur & tranquillitas.* D. Ambrosius: *Pascunt frequenter lacrymæ, & mentem alleuant fletus, refrigerant pectus, & mœstum consolantur. Est enim piis affectibus quædam flendi voluntas, & plerumque graues lacrymas euaporat dolor.* S. Augustinus; *Domine*, inquit, *quod signum aduentus tui? Numquid huius consolationis & lætitiæ testes & nuntij sunt suspiria & lacrymæ? Si ita est, nulla est antiphrasis ista & significatio inusitata. Quæ enim cōuentio consolationis ad suspiria? lætitiæ ad lacrymas. Si tamen istæ dicendæ sunt lacrymæ, & non potiùs roris interioris superinfusi supereffluens abundantia, & interioris ablutionis indicium. Cognosce, ô anima, sponsum tuum, amplectere desideratum. Nunc torrente te voluptatis inebria, suge ab vbere consolationis eius lac & mel. Hæc sunt munda munuscula & solatia quæ tibi dedit sponsus tuus, gemitus scilicet & lacrymæ. Adducit tibi potum his lacrymis in mensurâ, hæ lacrymæ sunt tibi panes die ac nocte: panes vtique confirmantes cor hominis, & dulciores super mel & fauum. O Domine, si adeò dulces sunt lacrymæ istæ, quæ ex memoriâ & desiderio tui excitantur, quàm dulce erit gaudium quod ex manifestâ tui visione capietur! Si adeò est dulce flere pro te, quàm dulce erit gaudere de te!* Quæ ne quis de illis solùm lacrymis intelligenda putet, quæ fundi solent à viris perfectis, ac fidelibus illis, qui præ cælestium desiderio dilationeque in luctus prorumpunt, agè è sacris Litteris ostendamus, hæc etiam locum habere in gemitu peccatorum verè sese ad Deum conuertentium. Quod vt faciliùs fiat, obseruasse iuuabit, in huius rei probationem à quibusdam adduci solere verba Psalmi, *Seminauerunt agros, & plantauerunt vineas, & fecerunt fructum natiuitatis.* E quibus verbis elici volunt fructum, quem pœnitentes è lacrymis suæ contritionis educunt: nam per illud versiculi membrum, *seminauerunt agros* explicant pactum ac saturitatem, quæ conuersis ex delictorum deploratione contingunt, iuxta illud Psalmi: *Cibabis nos pane lacrymarum*, postquam dixisset, *Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem serui tui?* & iuxta illud Psalmi cuiusdam, vbi Dauid de peccatis suis agens sic dixit: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* lacrymæ nimirum illæ, quibus, vt superiùs patuit, peccati sui reatum eluere conabatur. Vnde hoc sensu intelligi posse credunt quæ in alio Psalmo recitantur: *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati.* nam illa de conuersione cuiuslibet peccatoris accipiunt, & horum lamenta delectamentis sic esse permixta autumant, vt iis quæ sequuntur rectè conueniant, *Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. Tunc dicent inter Gentes: Magnificauit Dominus facere cum eis. Magnificauit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes. Conuerte Domine captiuitatem nostram, sicut torrens in Austro. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Quæ in Cantica scribens sic explicat S. Bernardus: *At istud cum exultatione portare manipulos in resurrectione, inquis, in nouissimo die, est nimis longa expectatio. Noli animo frangi, noli deficere à pusillanimitate spiritus. Habes interim de primitiis spiritus, quod ad præsens in exultatione metas. Seminate, ait, vobis iustitiam, metite spem vitæ. Non te modò mittit ad diem nouissimum, quando res iam erit in re, & non in spe: Sed de præsenti loquitur. Prorsus magna lætitia, & exultatio multa nimis, cùm vita venerit. Sed numquid tanta lætitia spes erit sine lætitiâ. Spe gaudentes, ait Apostolus: & Dauid non lætaturum sed lætatum se dixit, quòd in Domini domum se speret iturum. Nondum vitam tenebat, sed spem profectò vitæ messuerat, atque in semetipso experiebatur veritatem Scripturæ perhibentis, quia non modò remuneratio, sed ipsa quoque expectatio iustorum, lætitia. Hanc parit in animo illius, qui sibi ad iustitiam seminauit, præsumptâ indulgentiâ delictorum.*

In Matthæū.

In obitu Valentini.

Lib. de Scalâ paradisi.

Insigniter id ostendit D. Augustinus.

Idipsum locū habet etiam in peccatoribus se cōuertentibus.

Psalm. 106.

Psalm. 79.

Psalm. 41.

Psalm. 125.

Lacrymarū panis gaudij fructus generat.

S. Bernard. in Cant.

Vtique & in hac vitâ.

17. Hæc quamuis sat sint manifesta, è secundo tamen versiculi membro lucem habebunt, vbi dicitur, *& plantauerunt vineas.* Qui enim lacrymas fundit, non solùm illis veluti panibus satiatur, sed haud secùs ac præstantissimo vino cor eius exhilaratur, atque à consolatione quodammodò inebriatur. Inclamabat Propheta: *Calix tuus inebrians quàm præclarus est!* & apud Isaiam inquit ipse Dominus Deus: *Inebriabo te lacrymâ meâ.* similitudine desumptâ ab optimo pretiosissimoque illo vino, quod, quia rarissimum est, lacryma appellari solet, & facillimè bibentes inebriat. Hoc ergo potu Deus præ gaudio veluti sui reddit immemores, quibus lacrymarum donum concēdit, de quo ita per Dauidem promittitur: *Potum dabis in lacrymis in mensurâ.* & illius effectus alibi declaratur, *Potasti nos vino compunctionis.* S. Ioannes Chrysost. explicans illud, *Gaudete in Domino semper, iterùm dico, Gaudete,* sic scribit: *Beati lugētes, & Væ ridentibus, dicit Christus. Quid ergo Paulus dicit, Gaudete in Domino semper? Christus væ dixit ridētibus,*

Lacrymas fundens vinum consolationis bibit.

Psalm. 22.

Isaiæ 16.

Psalm. 79.

Psalm. 59.

risum

risum huius mundi taxans, qui fit propter res præsentes: & lugentes beatos dixit, non simpliciter suorum amissionem lugentes, sed eos qui compuncti sunt, quiq; sua mala lugent aut delicta, aut etiam aliena. Non est autem gaudium luctui illi contrarium: etenim ex illo luctu nascitur hoc quoque gaudium. Qui năque sua ipsius mala luget, gaudebit: aliàs enim fieri potest, vt propter delicta sua quisquă lugeat quidem, in Christo verò gaudeat. Aut illud in positum est pro cum, vt sit, Gaudete cum Domino semper, iterùm dico, Gaudete. Securi & fiduciam habentis est illud, vtpote qui in Deo est, semper gaudet; siue affligatur, siue aliquid patiatur, semper gaudet qui talis est. Audi quid S. Lucas dicat: Reuersi sunt à conspectu Concilij gaudentes Apostoli, quòd digni habiti essent vt pro nomine eius verberarentur. Si verbera & vincula, quæ omnium videntur tristissima, gaudium pariŭt, quæ alia nos mala tristes efficere poterunt?

Tristitia pœnitentiæ gaudium fit.

18. Tertium è Psalmo membrum est, *& fecerunt fructum natiuitatis.* Hic à Psalmistâ significatum esse dici potest, lacrymantes non solùm fletibus suis veluti panibus pasci, & vino potari, sed illos etiam fructum edere perinde vt à parietibus generari solet. Hoc vt intelligamus, in memoriam reuocanda est illa Saluatoris nostri comparatio de muliere pariẽte (quam & suprà attulimus) quâ nimirum Christus Dominus indicat, Apostolos suos post afflictiones & gemitus innumeros eximium emolumentum cõsecuturos, veluti mater à dolore partus tenerrimă & amatissimam prolem: eodemque modo hæc Psalmi verba exponenda sunt, vt nimirum significent, lacrymas præter lacrymantis consolationem propriam, proximis quoque fructum haud minorem quàm sit fructus natiuitatis, adferre. Fluuius certè ille, qui in Apocalypsi B. Ioanni ostẽsus fuit, lacrymarum fluuius intelligi potest. *Et ostendit*, inquit Euangelista, *mihi fluuium vitæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni. In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per singulos menses reddens fructum suum: & folia ligni ad sanitatem Gentium.* Lacrymarum profectò fluuius eiusmodi est, qui non in se tantùm vitam continet, sed istis etiam lignis eam communicat, quæ iuxta se plantata fuerint. Num & cui volupe est intueri fructum, qui per singulos quasi menses inde progerminat? Legat, quæso, aureum illum Cardinalis Bellarmini librum tertium de Gemitu columbæ, qui totus est, vt hosce duodecim fructus describat, quos inter defunctorum requiem numerandam esse, integro capite nono insigniter probat, quò & Lectorem ablegamus. Quin neque dubito, lacrymas omnium consensu fructum natiuitatis facere rectè dici posse, cùm è Purgatorij flammis ad æternam felicitatem animas transferunt. Si enim ille, qui hominem, statim mille miseriis & afflictionibus subiiciendum, generat, fructum natiuitatis procreat, quantò id magis hisce conueniat, qui mille, vt ita loquar, mortibus, mille tormentis exemptos spiritus, ad cælestem beatitudinem adducunt?

Lacrymæ quomodo fructum faciant natiuitatis.

Ioan. 16.

Apocal. vlt.

Amplius præstat qui cælo animă, quàm qui mŭdo corpus generat.

19. O felix & felicissima lacryma, à quâ multò perfectiùs, salubriùs & beatiùs anima cælo, quàm à matre mortale corpus mŭdo gignitur! Illa prolem quam parit, viuere facit, vt & semper parturiat, & parturiendo mortem sibi adsciscat: tu verò & omnem doloré abstergis, & in vitam, quæ mortis periculo caret, secură introducis. Fructus ergo natiuitatis qui à matre terrena prouenit, est fructus mortis, sed natiuitatis tuæ fructus, dùm nimirum in gloriam generas, est fructus vitæ, vt quamoptime D. Augustinus asseruit, illa verba explicans, *Conuerte Domine captiuitatem nostram sicut torrens in Austro*, vbi sic inquit: *Vita humana quam ingressi sumus, misera est, laboribus plena, doloribus, ærumnis, tentationibus. Nolite seduci gaudio rerum humanarum, flenda in rebus humanis aduertite. Poterat ridere prius puer qui nascitur; quare à fletu incipit viuere? Ridere nõdum nouit. Quare plorare iam nouit? Quia cœpit ire in istam vitam.* Et infrà: *Venientes autem venient portantes manipulos suos, coronam scilicet gaudiorum & exultationis in resurrectione mortuorŭ.* Quantum itaque discrimẽ inuenire est inter præsentis vitæ miseriam, & æternæ lætitiam, tantò amplior & perfectior dicendus est natiuitatis fructus qui à lacrymis animabus Purgatorij prouenit, quàm qui à pariente matre soboli: vt illo in proposito, non extra propositum veniat hoc Ecclesiastæ 7. *Melior est dies mortis die natiuitatis.* Sed ad vlteriora pergamus.

Psalm. 125.

Quàm felix fit vita hominis infelicis egressus.

CAPVT XVIII.

Corporalis ieiunij maceratio, Purgatorij animas sempiternâ satietate recreat reficitq;.

QVEMADMODVM ex iam proximè superiori Capite allatis patuit, eò fidelium in Purgatorio expiandorum lamenta atque tormenta fieri tolerabiliora ac breuiora, quò pro illorum peccatis atq; pœnis viuentium lacrymæ fuerint frequentiores & feruentiores, ita ex iam nunc dicendis, spero, manifestum euadet, copiosiorem illorum fore saturitatem spiritualem, quò prolixius nostrum fuerit à cibis corporalibus ieiunium; & eò breuiorem illorum famẽ atq; inopiam, quò à nobis rigidior pro ipsis obseruata fuerit ciborum parsimonia. Sancti profectò Patres, de abstinentiæ emolumentis loquentes, quasi iuratò inter se certare videntur, vt explicent, sitne abundantior eius vtilitas, vt auertat infausta, an vt prospera cõciliet: difficile sanè foret ex iis iudicium ferre, cùm vtrumque æquè fortiter vrgeant, æquè solidè probẽt. Vtrum ergo potiùs ex illorum scriptis eruimus, vtrum præ altero adstruimus? Simul vtrumque, cùm & pari vtrumque passu ambulet, seseque perinde conspicuum præbeat. Docere itaque in primis nostri est consilij, quot sancti Patres, quot Scripturarum loca ieiunium nobis eo nomine commendent, quòd omne bonum procurare, & omne malum auertere soleat. Deinde, eum qui a cibo abstinet riteq; ieiunat, non solùm sibimet, sed & proximo, ac vel maximè fideli defuncto eosdem fructus acquirere posse ac debere. Et vt ritè fiat ieiunium, in vltimo agmine adducemus illas conditiones & requisita, quæ ad ieiunium, vt verè meritorium & satisfactorium euadat, sunt necessariæ. 1.

Ieiunium viuorum efficit vt mortuorŭ fames restringatur.

Ieiuniŭ tam efficax est ad auertenda mala, quàm procuranda bona.

Sanctissimus ille Martyr, & eloquentissimus Carthaginiensium Episcopus D. Cyprianus de ieiunio 2.

De ieiunio & tentationibus Christi.

ieiunio hunc in modum loquitur: *Ieiuniis vitiorum semina siccatur, petulantia marcet, concupiscentiæ languent, fugitiuæ abeunt voluptates, extinguitur ardentis Ætnæ incendium, & flammiuomi fornax Vulcani, extincta intrinsecus, montes conterminos non adurit. Ieiunium si discretione regatur, omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ spoliat & exarmat. Ieiunium extraordinarios motus in cippo claudit & arctat, appetitus vagos distringit & ligat. Ieiunium si humilitate ornetur, seruos Dei, mundi efficit contemptores. Ieiunium carnes azymas mundat & solidat, & putredines, quæ ex adipe prodeunt, consumit & siccat. Ieiunium Scripturarum deliciis pascitur, contemplatione reficitur, gratiâ stabilitur, cælesti pane nutritur. Danieli interpretatio somniorum reuelatur ieiuno, & tres pueri de Babylonio egrediuntur incendio. Moyses in monte quadraginta diebus cum Domino perseuerans, & Dei familiare colloquium, & Legis ministerium ieiunio promeretur. Helias quoque eodem dierum numero abstinens in eremo conuersatur. Vtilitas ieiuniorum temporibus Christianis clariùs patuit, & à multis frequentata, in plurimos se effudit. Quotquot viros virtutum vidimus, sine ieiunio non legimus ascendisse: nec aliquid magnum moliti sunt, nisi priùs abstinentia præcessisset. Quoties aliquid à Deo obtinere conati sunt, ieiuniis incubuêre & lacrymis*, &c. D. verò Athanasius, *Vide*, inquit, *quid faciat ieiunium. Morbos sanat, distillationes exsiccat, dæmones fugat, malasq; cogitationes expellit, & mentem nitidiorem reddit, & cor purgatius, & corpus salubrius, & ad thronum Dei hominem sistit. Sed ne putes ista temerè dici, habes eius rei testimonium in Euangeliis, ab ipso Christo prolatum. Sciscitati sunt ab eo discipuli, dicentes: Domine declara nobis, quonam pacto immundi spiritus propelluntur. Quibus responsum est à Domino: Hoc genus non eiicitur, nisi in ieiuniis & orationibus. Quisquis igitur ab immundo spiritu vexatur, certum habere debet, hoc pharmaco, ieiunio inquam, statim spiritus malos afflictos abscedere, vim ieiunij metuentes: valdè enim dæmones oblectantur crapulâ & otio corporis. Magna vis in ieiunio, & magna & præclara fiunt per illud. Alioquin vnde fieri posset, vt homines tam mirifica præstent, vt Dominus per eos vel signa faciat, vel sanitatem laborantibus donet, nisi plane ob deuotas meditationes, & humilitatem animi, & conuersationem bonam. Ieiunium enim Angelorum cibus est, & qui vtitur eo, ordinis est Angelici censendus.* Ita S. Athanasius.

Ieiunij laus à D. Cypriano optimè descripta.

Daniel. 2 & 3.
Exod. 24.
Exod. 34.
3. Reg. 19.
Frequens ieiunium apud Christianos.
Lib. de Virginit.
Math. 17.
Marc. 9.
Ieiunium est Angelorum cibus.

3.

Paria habent & alij sancti Patres, quos secundùm tempora quibus floruerunt seriem producemus. Diuus ergo Ioannes Chrysostomus suam de ieiunio sententiam hunc in modum explicat: *Vellem etiam vos purificatâ vestrâ mente, valeq; deliciis & voracitati dicto, matrem omnium bonorum, & pudicitiæ aliarumq; virtutum omnium magistram, ieiunium, inquam, explicatis vestræ mentis sinibus suscipere, vt & vos maiori fruamini voluptate, & illud congruam vobis suam medicinam conferat. Nam si Medici pharmaca dare volentes, vt putridum & corruptum humorem expurgent, à corporali hac voluptate abstinere præcipiunt, ita vt pharmaci efficaciæ desit obstaculum, & operari suamq; vim illa declarare possit; multò magis nobis spirituale hoc remedium, hoc est vtilitatem quæ ex ieiunio est, suscepturis, tenuitate victus nostram mentem expurgare, & leuiorem reddere conuenit, vt ne ebrietate demersa, infrugiferum & inutilem vtilitatem, quæ ex illo est, efficiat. Enimuerò sicut crapula humano generi innumerorum malorum causa est & adductrix, ita etiam ieiunium ventrisq; neglectus omnium nobis bonorum causa fuit. Nam Deus, cùm ab initio hominem condidisset, & sciret quòd hoc remedio ad animæ salutem multùm haberet opus; statim & in principio hoc mandatum protoplasto dedit, dicens: De omni ligno quod est in paradiso, comedendo comedes, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas de ipso. Iam dicere, Hoc comede, hoc ne comede, ieiunij figura erat.* Et adductis exemplis Moysis, Heliæ, Danielis, Niniuitarum, & ipsius Christi, ita subiungit: *Ceterùm quoniam nobis manifestum factum est, quàm magna sit ieiunij vis, & quàm multiplex ex illo vtilitas, idq; per seruos ac Dominum est ostensum; proinde obsecro charitatem vestram, vt scientes, quantum ex illo sit lucrum, ne vtilitatem tantam quæ ex illo paratur, per desidiam repellatis, neque contristemini propter illius aduentum, sed gaudete & exultate, iuxta beatum Paulum, dicentem: Quantò externus noster homo corrumpitur, tantò externus innouatur. Ieiunium enim, animæ nostræ alimentum est: & sicut corporalis iste cibus impinguat corpus, ita & ieiunium animam habiliorem efficit & valentiorem. Leues ei pennas producit, vt in sublime feratur, & summa contemplari queat, voluptatibusq; & omnibus quæ in hoc mundo habentur suauia, ipsa fit superior. Et quemadmodum leuiores naues maria velociùs transeunt, contrà, multis oneribus grauatæ submerguntur; ita ieiunium quidem leuiorem reddens mentem, efficit vt faciliùs huius vitæ pelagus transmittat, & in cælum ac ea quæ in cælis sunt respiciat, & nihili faciat præsentia, sed vt vmbras, & si quid minus, diffugere censeat.* Ita Chrysostomus.

Hom. 1. in Genes.
Ieiunium est mater omnium bonorum, & magistra virtutum.
Bonorum omnium est causa.
Eius remedio opus habet homo ad animæ salutem.
Genes. 2.
Eius vtilitas nō est negligenda, nec contristandū propter eius aduentum.
2. Cor. 4.
Est animæ cibus.
Mentem eleuat.

S. verò Basilius, *Per ieiunium*, inquit, *satisfacito Deo. Quoniam non ieiunauimus, exulamus à paradiso. Ieiunemus igitur, vt ad illum postliminiò reuertamur.* Et paulò pòst, ostendens Scripturæ exemplis ieiunij vim, *Ieiunium*, ait, *Prophetas generat, potentibus addit robur. Ieiunium legum latoribus subministrat sapientiam, bona animæ custodia, corpori tutus conuictor, armatura fortiter belligerantium, athletis exercitium. Hoc tentationes depellit, hoc vngit ad pietatem: vigiliæ familiaris comes, sobrietatis architectus. In bellis addit fortitudinem, in pace docet quietem. Nazaræum sanctificat, Sacerdotem reddit sacris idoneum. Neque enim fieri potest, vt is absque ieiunio sanctum ministerium cum fiduciâ peragat, non tantùm in mystico horum temporum veroq; cultu, verùm etiam in eo qui iuxta legem in figuris peragebatur. Atque vt semel omnia dicam, reperies quotquot fuêre sancti, omnes per ieiunium ad vitam Deo dignam fuisse institutos. Ieiunium restinxit vim ignis, obturauit ora leonum. Ieiunium preces nostras subuehit in cælum, dum illis alarum vice fit quò sursum ferantur. Ieiunium familiarum est incrementum, sanitatis mater, iuuentutis pædagogus, ornamentum senibus, bonus comes viatori, tutus conuictor coniugatis. Adde, quòd non solùm ad venturi sæculi fugienda mala & assequenda bona vtile est ieiunium, sed hîc interim ipsi carni conducibilius est. Si cupis mentem reddere validam, fac carnem domes ieiunio. Hoc enim est quod Apostolus ait, quòd quantum externus homo corrumpitur, tantum internus renouatur. Item illud: Cùm infirmor, tunc potens sum. Ieiunium armatura est ad confligendum cum impiis spiritibus: nam hoc genus non eiicitur, nisi per deprecationem ac ieiunium. Tam multa bona proueniunt è ieiunio.*

4.
Homil. 1. de Laudib. ieiunij.
Per ieiuniū satisfacimus Deo.
Leuit. 10.
Per ieiuniū ad vitā Deo dignam instituti Sancti.
Ad fugienda mala venturi sæculi est vtile.
2. Cor. 4.
2. Cor. 12.
Matth. 17.
Marc. 9.

D. Ba-

5\. D. Basilio S. Ambrosius succedat, qui hunc in modum ieiunij commoda & vtilitates depingit. *Magna virtus est*, inquit, *ieiunij. Denique tam speciosa militia est, vt ieiunare delectaret & Christum; tam valida, vt ad cælum homines eleuaret. Et vt humanis magis quàm diuinis vtar exemplis, Heliæ ieiuni ore vox emissa, cælum clausit sacrilego populo Iudæorum. Quid eius reliqua contexam? Ieiunus viduæ filium ab inferis resuscitauit. Ieiunus pluuias ore deposuit, ieiunus ignes de cælo: ieiunus curru raptus est ad cælum, & quadraginta dierum ieiunio diuinam acquisiuit præsentiam. Tunc denique plus meruit, quando plus ieiunauit. Ieiuno ore statuit fluenta Iordanis, & redundantem fluminis alueum repentè siccatum, puluerulento transmigrat vestigio.* Et infrà: *Quid est ieiunium, nisi substantia & imago cælestis? Ieiunium refectio animæ, cibus mentis est. Ieiunium vita est Angelorum. Ieiunium culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. Hoc ad Deum gradu citiùs peruenitur.* Paria consequenter aliquot capitibus prosequitur.

Lib. de Helià & ieiunio, cap. 2.
Ieiunij magna est virtus.
Matthæi 4.
3\. Reg. 17.
3\. Reg. 18.
4\. Reg. 2.
3\. Reg. 18.
Helias plus meruit, quando plus ieiunauit.
Cap. 3.
Cap. 4. 7. 8. 9. 10. 11.

Idem Sanctus alibi insignem valdè pro ieiunij commendatione locum habet; qui licet sit prolixior, lectu tamẽ & notatu iucundior & dignior. Sic ergo inquit: *Audio homines, &c. qui dicunt, nullum esse abstinentiæ meritum, nullum frugalitatis, nullam virginitatis gratiam: pari omnes æstimari pretio, delirare eos qui ieiuniis castigent carnem suam, vt menti subditam faciant. Quod numquam fecisset, numquam scripsisset, ad instruendum alios, Paulus Apostolus, si deliramentum putasset. Gloriatur itaque, dicens: Castigo corpus meum, & seruituti redigo, ne aliis prædicans, ipse reprobus inueniar. Ergo qui non castigant corpus suum, & volunt prædicare aliis, ipsi reprobi habentur. An quidquam tam reprobum, quàm quod ad luxuriam, ad corruptelam, ad lasciuiam prouocat, quàm incitamentum libidinis, incontinentiæ fomes, incendium cupiditatis? Quæ istos Epicuréos noua schola misit, non Philosophorum, vt ipsi aiunt, sed imperitorum, qui voluptatem prædicent, delicias suadeant, castimoniam nullius esse dicant vtilitatis? Fuerunt nobiscum, sed non fuerunt ex nobis. Neque enim pudet dicere, quod dicit Euangelista Ioannes. Sed hîc positi, primò ieiunabant, intra Monasterium continebantur, nullus erat luxuriæ locus, interdicta ludibriosæ disputationis licentia. Hoc delicati non potuerunt ferre. Abierunt; deinde volentes redire, non sunt recepti: pleraque enim audieram, quæ deberem cauere; monueram, nihil profeceram. Efferuescentes itaque disseminare talia cœperunt, quibus incentores essent vitiorum omnium. Miserabiles! perdiderunt vtique quòd ieiunauerunt: perdiderunt, quòd se aliquo continuerunt tempore. Nunc itaque diabolico studio inuident aliorum operibus bonis, quorum ipsi fructu exciderunt.* Et paulò pòst: *Quomodo igitur voluptas ad paradisum reuocare nos potest, quæ sola nos paradiso exsuit? Vnde & Dominus Iesus, volens nos aduersus diaboli tentamenta fortiores reddere, certaturus ieiunauit, vt sciremus quia aliter illecebras mali non possemus vincere. Denique ipse diabolus primum tentamentorum suorum spiculum de voluptate intorsit, dicens: Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Vnde ait Dominus: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei. & noluit facere, cùm posset, vt magis lectionis studio quàm voluptatis, intendere nos præcepto salutari doceret. Et quia isti ieiunandum negant, quâ causâ Christus ieiunauerit adstruant, nisi vt nobis exemplo esset eius ieiunium. Denique in posterioribus docuit, non facilè malum posse nisi nostro vinci ieiunio, dicens: Hoc genus non eiicitur, nisi in oratione & ieiunio. Quid etiam sibi vult Scriptura, quæ docet ieiunasse Petrum, & ieiunanti atque oranti de baptizandis Gentibus reuelatum mysterium, nisi vt ostenderet, etiam ipsos Sanctos, cùm ieiunant, tunc fieri præstantiores? Denique Moyses cùm ieiunaret Legem accepit: & ideò Petrus, cùm ieiunaret, edoctus est noui Testamenti gratiam. Daniel quoque ieiunij merito ora clausit leonum, futurorumq́; temporum vidit negotia. Aut quæ nobis salus esse potest, nisi ieiunio eluerimus peccata nostra; cùm Scriptura dicat: Ieiunium & eleemosyna à peccato liberat? Qui sunt ergo hi præceptores noui, qui meritum excludant ieiunij? Nónne Gentilium vox ista est: Manducemus & bibamus? Quos benè irridet Apostolus, dicens: Si secundùm hominem pugnaui Ephesi ad bestias, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.* Et quibusdam interiectis: *O stultum Eliseum, qui siluestribus ebamnis & amaris pascebat Prophetas! Immemorem Scripturarum Esdram, qui memoriâ Scripturas reddidit! Insipientem Paulum, qui gloriatur ieiuniis! si nihil prosunt ieiunia. Quomodo verò non prosunt, quibus vitia curantur? Quæ si deferas cum humilitate, cum misericordiâ, vt Isaias spiritu diuino locutus est, ossa tua pinguescent, & eris sicut hortus ebrius. Pinguescit igitur anima tua virtutesq́; eius, spirituali adipe ieiunij, & fructus tui multiplicantur ab vbertate mentis tuæ.*

Epist. 82. ad Ecclesiam Vercellensẽ.
Abstinentiæ nullum esse meritum, hæresis est antiqua.
1\. Cor. 9.
Ex Epicureorum scholâ originem sumpsit:
& simul ab apostatis Monachis.
Matth. 4.
Christus ideò ieiunauit, vt nobis esset exẽplo.
Matth. 17.
Act. 10.
Sancti per ieiunium præstantiores fiunt.
Exod. 14.
Dan. 14. 9. 10.
Tob. 4 & 12.
Gentilibus comparantur qui detrahũt merito ieiunij.
1\. Cor. 15.
1\. Reg. 4.
1\. Esdr. 8.
2\. Cor. 11.
Ieiunio vitia purgantur,
Isai. 58.
& anima pinguescit.

Quanto zelo, quanto feruore, quâ pietate S. Hieronymus ieiunij tum vtilitates tum pro vitâ æternâ consequendâ merita commendet, videat deuotus quisque Lector apud ipsummet Sanctũ, prolixè admodum & quamplurimis de eâ re scribentem; nos inde, quæ commodiora, saltem delibabimus. *Beatitudo*, inquit, *Paradisi absque abstinentiâ cibi non potuit dedicari. Quamdiu ieiunauit, Adam scilicet, in paradiso fuit: comedit, eiectus fuit; eiectus, statim duxit vxorem. Qui ieiunus in paradiso virgo fuerat, satur in terrâ matrimonio copulatur.* Post pauca: *Cur perdidit Esau primogenita sua? nónne propter cibum? impatientiamq́; gulæ lacrymis emendare non potuit.* Iterũ pòst nonnulla: *Moyses quadraginta diebus & noctibus in monte Sina, etiam tunc probans, non in pane solo viuere hominem, sed in omni verbo Dei, cum Domino loquitur; populus autem satur idola fabricatur. Ille vacuo ventre legem accipit, scriptam digito Dei: iste manducans & bibens, consurgensq́; ludere, aurum conflat in vitulum, & Ægyptium bouem præfert Domini Maiestati. Tot dierum labor, vnius horâ saturitate perit.* Infrà: *Sed nec secunda conscriptio tabularum absque ieiunio potuit impetrari. Quod ebrietas perdiderat, inedia reperit. Ex quo ostenditur, posse nos per ieiunium redire in paradisum, vnde per saturitatem fueramus eiecti.* Longam posteà seriem eorum qui in sacris voluminibus per ieiunium eximia à Deo obtinuisse narrantur, deducit hunc in modum: *Elias quadraginta dierum ieiunio præparatus, Deum vidit in monte Oreb, & audit ab eo: Quid tu hîc Elia? Multò familiarior ista vox, quàm illa in Genesi, Adam vbi es: illa enim pactum terrebat & perditum, hæc ieiunanti famulo blandiebatur. Congregatum Samuel populum in Masphat indicto ieiunio roborauit, & fecit hostibus fortiorem. Assyriorum impetum & potentiam Sennacherib, Ezechiæ regis lacrymæ, saccus, & humiliatio victus fregit, prostrauit, & vicit. Et econtrariò ciuitas Niniue imminentem iram Domini ieiuniorum*

6\.
Lib. 2. Aduers. Iouinianum.
Genes. 4.
Genes. 1.
Genes. 25.
Exod. 24.
Deut. 8.
Exod. 32.
Exod. 34.
Per ieiunium redimur ad paradisum.
3\. Reg. 19.
Genes. 3.
2\. Par. 32.
Isai. 37.
Ionæ 3.

niorum miseratione detorsit; quam & Sodoma placasset & Gomorrha, si voluissent agere pœnitentiam, & lacrymas pœnitentiæ patrocinante conciliare ieiunio.

3. Reg. 21.

Achab rex impiissimus, vt sententiam Dei subterfugeret, & euersio domûs eius differretur in posteros, ieiunio impetrauit & sacco.

2. Reg. 1.

Anna vxor Elcanæ, inanem cibo ventrem filio meruit implere. Periclitantur in Babylone Magi, omnis coniector, & hariolus, & aruspex caditur:

Dan. 10.

Daniel tribus hebdomadibus ieiunauit, panem suauem non manducauit, caro & vinum non intrauit in os eius, oleo vnctus non fuit, & venit ad eum Angelus dicens: Daniel homo miserabilis es. Qui Deo miserabilis apparuerat, post ieiunium leonibus in lacu fuit horribilis. Narrat & alia, quæ breuitatis ergò transimus. Aggreditur posteà solutionem argumentorum quæ contra ieiunium ab aduersariis intorquebantur, atque sic inquit:

1. Tim. 4.
Quos Apostolus Paulus notet de ciborum abstinentiâ.

Reprobat Apostolus eos qui prohibebant nuptias, & iubebant cibis abstinere, quos Deus creauit ad vtendum cum gratiarum actione: sed Marcionem designat, & Tatianum, & ceteros hæreticos, qui abstinentiam indicunt perpetuam, ad destruenda, & contemnenda, & abominanda opera Creatoris. Nos autem & creaturam omnem laudamus Dei, & maciem saginæ, abstinentiam luxuriæ, ieiunia præferimus saturitati. Et paulò pòst:

1. Cor. 10.
Quomodo iubeat Apostolus omnia emi in macello.

Nec mirum, si omne quod in macello venditur, Apostolus emi iubeat, & comedi; cùm idololatris, adhuc in templis idolorum, quasi idolothyta vescentibus, pro summâ abstinentiâ fuerit, cibis tantùm abstinere gentilium. Quòd si loquitur ad Romanos,

Rom. 14.
Quomodo manducantē iudicari vetet.

Is qui manducat, non manducantem non spernat; & qui non manducat, manducantem non iudicet; non inter ieiunia & saturitatem æqualia merita dispensat, sed contra eos loquitur, qui in Christum credentes, adhuc Iudaizabant; & eos qui ex Gentibus crediderant monet, vt ne scandalizent illos cibo suo qui adhuc in fide infirmiores erant. Et denique, Si per Isaiam, ait, loquitur Deus, quòd non tale ieiunium elegerit, dicens:

Isai. 58.

In diebus ieiuniorum vestrorū inueniuntur voluntates vestræ, & subiectos percutitis, & in iudicio & in lites ieiunatis, & cæditis pugnis; non tale ieiunium elegi, dicit Dominus: quale elegerit docet. Frange esurienti panem tuum, & pauperes sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti; & domesticos seminis tui ne despicias.

Apud Isaiam non reprobatur ieiuniū.

Non igitur ieiunium reprobauit, sed quale vellet ostendit. Neque enim ventris esuries accepta est Deo, quā lites & rapinæ & luxuria destruunt.

Leuit. 16.

Si non vult ieiunium Deus, quomodo in Leuitico præcipit, vt septimo mense, decimâ mensis, omnis populus ieiunet vsque ad vesperam; & qui non afflixerit animam suam, moriatur & exterminetur de populo suo?

Num. 11.

Quare sepulchra concupiscentiæ, vbi carnibus populus deditus ruit, vsque hodie in solitudine perseuerant, & crassus populus ortygometram scribitur ad choleram vsque ructasse?

3. Reg. 13.

Cur homo Dei, ad cuius prophetiam manus regis Ieroboam, quia manducauit contra edictum Dei, illicò percussus est? & leo qui asinam custodiuit intactā, Prophetæ leuanti se de prandio non pepercit? Qui ieiunus miracula fecerat, pransus, saturitatis pœnas luit.

Ioël. 2.
Ieiunium sanctificatur operibus bonis, & curationi peccatorū proficit.

Sed & Ioël clamitat: Sanctificate ieiuniū, prædicate curationem; vt monstraretur, ieiunium sanctificari ceteris operibus, & sanctificatum ieiunium curationi proficere peccatorum.

7.
Serm. 65. de Temp.
Exemplis ostenditur ieiunij vis & efficacia.

Audiamus etiam D. Augustinum, magnum illum Præconem, quàm haud ieiunè de ieiunio disserat, dum sic ait: Quantum sit ergo bonum ieiunij, breui sermone exemplis additis disseramus. Moyses primus quadraginta diebus & noctibus cùm ieiunasset, legem Domini accipere meruit, per quam populis imperaret.

Exod. 24.
Deuter. 9.

Impetrauerunt vnius hominis ieiunia, quod totius populi saturitas desperauerat. Aduertamus ergo, quanta sit inter ieiunium & saturitatem distātia, inter ventrem vacuum & pulmones epulis æstuantes.

Exod. 32.

Moyses ergo quia ieiunauit, Dominum vidit: populus, quia manducauit & bibit, idola fabricatus est. Sed quid de Moyse & Israëliticâ multitudine loquar? Princeps ille humani generis Adam,

Genes. 3.

quamdiu ieiunauit seruās mandatum, in paradiso fuit; vbi verò comedit, eiectus est de paradiso: & qui in Paradiso Dei virgo fuerat, eiectus de Paradiso, cognouit vxorem;

Genes. 4.

semper enim iuncta est saturitati lascinia. Vicina sibi sunt, venter & genitalia: & pro membrorum ordine, ordo vitiorum intelligitur.

Ieiunium ad Paradisum reducit.

Eiecit ergo nos de Paradiso cibus, reducat esuries, reducat ieiunium. Diximus ergo quid sanctus Moyses meruit ieiunando: deinde & cunctos videamus.

3. Reg. 17.
Iacob. 5.

Sancto Eliæ ieiunanti etiam elemēta famulata sunt. Hic denique tribus annis & sex mensibus cælum clausit: ad cuius vocem etiam supernum descendit incendium.

4. Reg. 1.

Et cùm Iezabel regina eum vellet occidere, & fessus sub arbore frondosâ iaceret in solitudine, Angelus ad eum mittitur, & dicit ei:

3. Reg. 19.

Sume paululum panis & aquæ. Videte quanta sit Dei clementia erga ieiunantes, charissimi. Non sufficiebat, quia Angelum Dominus miserat, qui eum vt cibum sumeret iuberet, sed etiam præcepit, vt longiùs fugiat persequentem. Ait ergo:

Dei vultum ostendit ieiunium.

Sume paululum panis & aquæ, quadraginta enim dierum ieiunio perrecturus erat per desertum vsque ad montem Sina. Numquid enim Dominus, qui cælum & terram fecerat, cuius omnis est creatura,

Dan. 14.

non potuit in eremo per Angelum prandium mittere, sicut Danieli in lacum leonum per Habacuc misit? Sed sciebat Deus, Prophetam suum tentantem diabolum aliter superare non posse, nisi ieiuniis eruditus, insidiantis inimici tentamenta repelleret.

Dan. 9. 10.

Daniel quoque ille futurorum gnarus, & aduentus Domini conscius, & euersionis Ierusalem manifestissimus prædicator, ideò vir desideriorum appellatus est, qui panem desiderij non comedit, & potum concupiscentiæ non bibit, quia magis Christum quàm epulas desiderabat.

Matth. 3.

Ioannes quoque Præcursor Domini locustis in eremo & agresti melle nutritur, non animalium carnibus, non volucrum suauitatibus pascitur. Poterat vtique iuxta Iordanem positus, piscium sibi exhibere delicias: sed pœnitentiam prædicaturus, rigorem ieiunij exemplo suo magis debuit & factis ostendere, quàm voce. In Euangelio quoque cùm quidam dæmone plenus Domino fuisset oblatus,

Facit quod facere Apostoli nequiuerunt.

quem Apostoli curare nequiuerant, interrogantes audiunt à Domino, istiusmodi genus non posse eiici nisi oratione & ieiunio. Videte ergo charissimi, quanta sit ieiuniorum virtus; vt id facere ieiunia valeant, quod Apostoli nequiuerant.

8.
Serm. 3. de Ieiunio septimi mensis.

Sed & S. Leonem Magnum, totis præcordiis ieiuniorum commendationem rugientem, attēdamus. Ad exorandam, inquit, dilectissimi, misericordiam Dei, & ad renouandum statum fragilitatis humanæ, quantum valeant religiosa ieiunia, sanctorum Prophetarum prædicatione cognoscimus, qui diuinæ iustitiæ commotionem, quam frequenter populus Israel merito iniquitatis inciderat, non nisi ieiunio protestantur posse placari.

Ioel. 2.

Vnde & Ioël Propheta admonet, dicens: Hæc dicit Dominus Deus vester: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, in fletu & planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra: & conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia misericors est, & patiens, & longanimis, & multùm misericors. Et iterùm:

Ibidem.

Sanctificate ieiunium, prædicate curationem, congregate plebem, sanctificate Ecclesiam. Quæ cohortatio, dilectissimi, nostris quoque est amplectēda temporibus, quia

huius

huius curationis remedia etiam à nobis sunt necessariò prædicanda, vt in obseruantiâ sanctificationis antiquæ, quod perdidit Iudaica prævaricatio, acquirat Christiana deuotio. Et alibi: *Quid potest esse efficacius ieiunio? cuius obseruantiâ appropinquamus Deo, & resistentes diabolo, vitia blanda superamus. Semper virtuti cibus, ieiunium fuit. De abstinentiâ prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubria consilia. Et per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innouatur.*

Serm. 2. de Ieiunio 10. mensis.

Nihil ieiunio efficacius.

9. Exclamemus itaque cum D. Isidoro Hispalensi: *Quis parsimoniam non laudet, ieiunium non prædicet? Ieiunium res sancta est, opus cæleste, ianua regni, forma futuri: quod qui sanctè agit, Deo iungitur, alienatur mundo, spiritualis efficitur. Per hoc enim prosternuntur vitia, humiliatur caro, diaboli tentamenta vincuntur.* Et cum B. Gregorio, Doctore illo & Pontifice maximo finiamus: *Nonnulli ordinem certaminis ignorantes, edomare gulam negligunt, & iam ad spiritualia bella consurgunt: qui aliquando multa, etiam quæ magnæ sunt fortitudinis, faciunt, sed dominante gulæ vitio, per carnis illecebram, omne quod fortiter egerint, perdunt: & dum venter non restringitur, per carnis concupiscentiam simul iunctæ virtutes obruuntur. Vnde de Nabuchodonosor vincente scribitur: Princeps coquorum destruxit muros Ierusalem. Quid enim per muros Ierusalem significans Scriptura exprimit, nisi virtutes animæ, quæ ad pacis visionem tendit? Aut quis coquorum princeps, nisi venter accipitur, cui diligentissimâ à coquentibus curâ seruitur? Muros igitur Ierusalem princeps coquorum destruit, quia virtutes animæ, dum non restringitur venter, perdit. Hinc est quòd Paulus contra Ierusalem mœnia decertanti vires coquorum principi subtraheret, cùm diceret: Castigo corpus meum, & seruituti subiicio. Vnde præmiserat: Sic pugno, non quasi aërem verberans. Quia cùm carnem restringimus, ipsis abstinentiæ nostræ ictibus non aërem sed immundos spiritus verberamus: & cùm hoc quod est intra nos subiicimus, extrà positis aduersariis pugnas damus. Hinc est, quòd cùm Rex Babylonis succendi fornacem iubet, stuppæ & picis ministrari congeriem præcipit: sed tamen abstinentes pueros hoc igne minimè consumit. quia antiquus hostis, licet innumeras ciborum concupiscentias nostris obtutibus opponat, quibus libidinis ignis crescat, bonis tamen mentibus superni Spiritus gratia insibilat, vt à carnalis concupiscentiæ æstibus illæsæ perdurent.*

Lib. 1. de Ecclesiasticis Officiis, c. 41.

Ieiunium sancta res est, & sui obseruatores sanctos & spirituales facit.

Lib. 30. Moral. c. 12.

Virtutes animæ per muros Ierusalem designantur.

10. En tibi præcipuorũ è sanctissimis antiquissimisque Patribus de ieiunij vtilitate gulæque noxâ sententias, è quarum communi Catholicaque doctrinâ, simul & Scripturis sacris, quarum firmissimâ auctoritate illi sua & adstruunt & communiunt, luculentissimè patet, nihil pænè bonorum reperiri quod non largiatur ieiunium; & nihil vicissim malorum, quod, illo neglecto, non accidat. Quid igitur absurdi est, si ieiunium etiam defunctis prodesse credamus, quæ sententia penes omnes verè Catholicos adeò est euidens, vt si quis multum temporis in illo adstruendo insumere velit, meritò ridendum se exhibeat: quia tamen præsentis loci occasio exigit, nonnulla saltem addemus, quibus Lectorem animemus potiùs quàm armemus. Inprimis verò plerumque omnes, qui modos, quibus animæ è Purgatorio enumerant, simul ieiunium annumerant, vt videri potest apud Scholasticos aliosque Scriptores. Angelicus Doctor docet, ieiunium defunctis prodesse posse ratione charitatis ac intentionis quæ in eos dirigitur. S. Gregorius Papa, *Animæ*, inquit, *defunctorum quatuor soluuntur modis; aut oblationibus Sacerdotum, aut orationibus Sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum.* Imò S. Isidorus Hispalensis Episcopus affirmat, ieiunium vnum esse è quatuor modis generalibus quibus mortui iuuentur, & ad quos ceteri reducantur. Verba eius hæc sunt: *Prosunt ergo suffragia defunctis, non ad meritum vitæ æternæ, sed ad solutionem pœnæ, & hoc ad pœnarum mitigationem, vel celeriorem liberationem. Sunt autem quatuor modi ad quos omnes alij reducuntur, scilicet oratio, ieiunium, eleemosyna, & Sacramentum altaris.* Sed de his aliisque satis multa hocce Libro, Capite II.

Si tanta ex ieiunio bona, quid est mirum, illud pro mortuis susceptum, iis prodesse.

In 4. Sent. dist. 45. q. 2.

Refertur Can. 13. q. 2. c. Animæ.

Lib. 2. de Eccles. Offic. c. pænult.

E Scripturis quoque sacris haud obscura eius rei argumenta adferri possent, vtpote quòd & antiqui Patriarchæ in demortuorum suorum funere ieiunauerint, haud dubiè cum in finem vt spiritibus opem leuamenque adferrent, prout suprà Libro I. à nobis probatum est, vbi & Patriarcham Iacob pro filio suo Ioseph, quem mortuum credebat, ieiunasse diximus: & è primo Regum libro attulimus quomodo habitatores Iabes Galaad diebus septem pro Saüle filioque ipsius Ionathâ, atque vniuerso populo Israël qui in bello occubuerant, ieiunauerint. Ad quod sic Ven. Beda: *Rectè ad litteram pro mortuis, vt ad requiem venire valeant, septem diebus ieiunatur.* Sed & Dauidis ieiunium pro mortuis varia argumenta eloquuntur, vt quòd pro Saule, Ionathâ & reliquâ plebe quæ in prælio ciciderat, ad solis vsque occasum ieiunauerit; & quòd perinde pro Abner fecerit, & vt alij similiter facerent auctor fuerit. Frustra ageremus si ampliùs in eo adprobando defatigaremur: vno atque altero exemplo pro vulgarium captu & instructione res euadet illustrior. 11.

Ex Scripturis clarum est per vinctitum ieiunium adiuuari defunctos.

1. Reg. 1.

Thomas Cantipratanus, Tertium, inquit, suffragium defunctorum est ieiunium; vnde Dauid ieiunauit vsque ad occasum solis mortuo Abner. Et tu similiter super mortuum tuum ieiuna, quousque feruorem vindictæ Dei, qui Sol iustitiæ dicitur, senseris mitigatum. Ad quod faciendum vt omnes excitaret, exemplum hoc subiunxit: In villâ prope Louanium, oppidum Brabantiæ, iuuenis quidam dissolutus & leuis languore decubuit. Rogatu ergo matris Lambertus Presbyter leprosorum, vir pius & zelator maximus animarum, venit ad iuuenem, & eum ad confessionem peccatorum & pœnitentiam sedulus inuitauit. Quo mox in multâ valdè contritione confesso, & non multò pòst mortuo, mater pro eo continuauit ieiunia interpolatè, & vsque ad quinque annos quasi irremediabilibus lacrymis protelauit. Ergo vt ipsum tempus expletum est, die quadam Dominicâ dictus Lambertus Presbyter mortuus est, & sepultus: Sequenti autem quintâ Feriâ prædictus iuuenis manifestè apparuit matri suæ, dicens: Ecce nunc, mater charissima, adiutorio tuo ad requiem transeo de grauissimis pœnis quas pertuli pro peccatis, & mecum Dominus 12.

Lib. 2. Apum, c. 53.

Idem patefit ex variis exemplis.

niorum miseratione detorsit; quam & Sodoma placasset & Gomorrha, si voluissent agere pœnitentiam, & lacrymas pœnitentia patrocinante conciliare ieiunio. Achab rex impiissimus, vt sententiam Dei subterfugeret, & euersio domûs eius differretur in posteros, ieiunio impetrauit & sacco. Anna vxor Elcanæ, inanem cibo ventrem filio meruit implere. Periclitantur in Babylone Magi, omnis coniector, & hariolus, & aruspex caditur: Daniel tribus hebdomadibus ieiunauit, panem suauem non manducauit, caro & vinum non intrauit in os eius, oleo vnctus non fuit, & venit ad eum Angelus dicens: Daniel homo miserabilis es. Qui Deo miserabilis apparuerat, post ieiunium leonibus in lacu fuit horribilis. Narrat & alia, quæ breuitatis ergò transimus.

3.Reg.21. 1.Reg.1. Dan.10.

Aggreditur postea solutionem argumentorum quæ contra ieiunium ab aduersariis intorquebantur, atque sic inquit: Reprobat Apostolus eos qui prohibebant nuptias, & iubebant cibis abstinere, quos Deus creauit ad vtendum cum gratiarum actione: sed Marcionem designat, & Tatianum, & ceteros hæreticos, qui abstinentiam indicunt perpetuam, ad destruenda, & contemnenda, & abominanda opera Creatoris. Nos autem & creaturam omnem laudamus Dei, & maciem saginæ, abstinentiam luxuriæ, ieiunia præferimus saturitati. Et paulò pòst: Nec mirum, si omne quod in macello venditur, Apostolus emi iubeat, & comedi; cùm idololatris, adhuc in templis idolorum, quasi idolothyta vescentibus, pro summâ abstinentiâ fuerit, cibis tãtùm abstinere gentilium. Quòd si loquitur ad Romanos, Is qui manducat, non manducantem non spernat; & qui non manducat, manducantem non iudicet; non inter ieiunia & saturitatem æqualia merita dispensat, sed contra eos loquitur, qui in Christum credentes, adhuc Iudaizabant; & eos qui ex Gentibus crediderãt monet, vt ne scandalizent illos cibo suo qui adhuc in fide infirmiores erant. Et denique, Si per Isaiam, ait, loquitur Deus, quòd non tale ieiunium elegerit, dicens: In diebus ieiuniorum vestrorũ inueniuntur voluntates vestræ, & subiectos percutitis, & in iudicio & in lites ieiunatis, & caditis pugnis; non tale ieiunium elegi, dicit Dominus: quale elegerit docet. Frange esurienti panem tuum, & pauperes sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti; & domesticos seminis tui ne despicias. Non igitur ieiunium reprobauit, sed quale vellet ostendit. Neque enim ventris esuries accepta est Deo, quã lites & rapina & luxuria destruunt. Si non vult ieiunium Deus, quomodo in Leuitico præcipit, vt septimo mense, decimâ mensis, omnis populus ieiunet vsque ad vesperam; & qui non afflixerit animam suam, moriatur & exterminetur de populo suo? Quare sepulchra concupiscentiæ, vbi carnibus populus deditus ruit, vsque hodie in solitudine perseuerant, & crassus populus ortygometram scribitur ad choleram vsque ructasse? Cur homo Dei, ad cuius prophetiam manus regis Ieroboam, quia manducauit contra edictum Dei, illicò percussus est: & leo qui asinam custodiuit intactã, Prophetæ leuanti se de prandio non pepercit? Qui ieiunus miracula fecerat, pransus, saturitatis pœnas luit. Sed & Ioël clamitat: Sanctificate ieiuniũ, prædicate curationem; vt monstraretur, ieiunium sanctificari ceteris operibus, & sanctificatum ieiunium curationi proficere peccatorum.

1.Tim.4. *Quos Apostolus Paulus notet de ciborum abstinentiâ.* 1.Cor.10. *Quomodo iubeat Apostolus omnia emi in macello.* Rom.14. *Quomodo manducantẽ iudicari vetet.* Isai.58. *Apud Isaiam non reprobatur ieiuniũ.* Leuit.16. Num.11. 3.Reg.13. Ioël.2. *Ieiunium sanctificatur operibus bonis, & curationi peccatorũ proficit.*

7. Audiamus etiam D. Augustinum, magnum illum Præconem, quàm haud ieiunè de ieiunio dissereat, dum sic ait: Quantum sit ergo bonum ieiunij, breui sermone exemplis additis disseramus. Moyses primus quadraginta diebus & noctibus cùm ieiunasset, legem Domini accipere meruit, per quam populis impetraret. Impetrauerunt vnius hominis ieiunia, quod totius populi saturitas desperauerat. Aduertamus ergo, quanta sit inter ieiunium & saturitatem distãtia, inter ventrem vacuum & pulmones epulis æstuantes. Moyses ergo quia ieiunauit, Dominum vidit: populus, quia manducauit & bibit, idola fabricatus est. Sed quid de Moyse & Israëliticâ multitudine loquar? Princeps ille humani generis Adam, quamdiu ieiunauit seruãs mandatum, in paradiso fuit; vbi verò comedit, eiectus est de paradiso: & qui in Paradiso Dei virgo fuerat, eiectus de Paradiso, cognouit vxorem; semper enim iuncta est saturitati lasciuia. Vicina sibi sunt, venter & genitalia: & pro membrorum ordine, ordo vitiorum intelligitur. Eiecit ergo nos de Paradiso cibus, reducat esuries, reducat ieiunium. Diximus ergo quid sanctus Moyses meruit ieiunando: deinde & cunctos videamus. Sancto Eliæ ieiunanti etiam elemẽta famulata sunt. Hic denique tribus annis & sex mensibus cælum clausit: ad cuius vocem etiam supernum descendit incendium. Et cùm Iezabel regina eum vellet occidere, & fessus sub arbore frondosâ iaceret in solitudine, Angelus ad eum mittitur, & dicit ei: Sume paululum panis & aquæ. Videte quanta sit Dei clementia erga ieiunantes, charissimi. Non sufficiebat, quia Angelum Dominus miserat, qui eum vt cibum sumeret iuberet, sed etiam præcepit, vt longiùs fugiat persequentem. Ait ergo: Sume paululum panis & aquæ, quadraginta enim dierum ieiunio perrecturus erat per desertum vsque ad montem Sina. Numquid enim Dominus, qui cælum & terram fecerat, cuius omnis est creatura, non potuit in eremo per Angelum prandium mittere, sicut Danieli in lacum leonum per Habacuc misit? Sed sciebat Deus, Prophetam suum tentantem diabolum aliter superare non posse, ni ieiuniis eruditus, insidiantis inimici tentamenta repelleret. Daniel quoque ille futurorum gnarus, & aduentus Domini conscius, & euersionis Ierusalem manifestissimus prædicator, ideò vir desideriorum appellatus est, qui panem desiderij non comedit, & potum concupiscentiæ non bibit, quia magis Christum quàm epulas desiderabat. Ioannes quoque Præcursor Domini locustis in eremo & agresti melle nutritur, non animalium carnibus, non volucrum suauitatibus pascitur. Poterat vtique iuxta Iordanem positus, piscium sibi exhibere delicias: sed pœnitentiam prædicaturus, rigorem ieiunij exemplo suo magis debuit & factis ostendere, quàm voce. In Euangelio quoque cùm quidam dæmone plenus Domino fuisset oblatus, quem Apostoli curare nequiuerant, interrogantes audiunt à Domino, istiusmodi genus non posse eiici nisi oratione & ieiunio. Videte ergo charissimi, quanta sit ieiuniorum virtus, vt id facere ieiunia valeant, quod Apostoli nequiuerant.

Serm. 65. de Temp. *Exemplis ostenditur ieiunij vis & efficacia.* Exod.24. Deuter.9. Exod.32. Genes.3. Genes.4. *Ieiunium ad Paradisum reducit.* 3.Reg.17. Iacob.5. 4.Reg.1. 3.Reg.19. *Dei vultum ostendit ieiunium.* Dan.14. Dan.9.10. Matth.3. *Facit quod facere Apostoli nequierunt.*

8. Sed & S. Leonem Magnum, totis præcordiis ieiuniorum commendationem rugientem, attẽdamus. Ad exorandam, inquit, dilectissimi, misericordiam Dei, & ad renouandum statum fragilitatis humanæ, quantum valeant religiosa ieiunia, sanctorum Prophetarum prædicatione cognoscimus, qui diuinæ iustitiæ commotionem, quam frequenter populus Israel merito iniquitatis inciderat, non nisi ieiunio protestantur posse placari. Vnde & Ioël Propheta admonet, dicens: Hæc dicit Dominus Deus vester: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, in fletu & planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra: & conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia misericors est, & patiens, & longanimis, & multùm misericors. Et iterùm: Sanctificate ieiunium, prædicate curationem, congregate plebem, sanctificate Ecclesiam. Quæ cohortatio, dilectissimi, nostris quoque est amplectẽda temporibus, quia huius

Serm. 3. de Ieiunio septimi mensis. Ioel.2. Ibidem.

huius curationis remedia etiam à nobis sunt necessariò prædicanda, vt in obseruantiâ sanctificationis antiquæ, quod perdidit Iudaica præuaricatio, acquirat Christiana deuotio. Et alibi: *Quid potest esse efficacius ieiunio? cuius obseruantiâ appropinquamus Deo, & resistentes diabolo, vitia blanda superamus. Semper virtuti cibus, ieiunium fuit. De abstinentiâ prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubria consilia. Et per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innouatur.*

Serm. 2. de Ieiunio 10. mensis. *Nihil ieiunio efficacius.*

9. Exclamemus itaque cum D. Isidoro Hispalensi: *Quis parsimoniam non laudet, ieiunium non prædicet? Ieiunium res sancta est, opus cæleste, ianua regni, forma futuri: quod qui sanctè agit, Deo iungitur, alienatur mundo, spiritualis efficitur. Per hoc enim prosternuntur vitia, humiliatur caro, diaboli tentamenta vincuntur.* Et cum B. Gregorio, Doctore illo & Pontifice maximo finiamus: *Nonnulli ordinem certaminis ignorantes, edomare gulam negligunt, & iam ad spiritualia bella consurgunt: qui aliquando multa, etiam quæ magnæ sunt fortitudinis, faciunt, sed dominante gulæ vitio, per carnis illecebram, omne quod fortiter egerint, perdunt: & dum venter non restringitur, per carnis concupiscentiam simul iunctæ virtutes obruuntur. Vnde de Nabuchodonosor vincente scribitur: Princeps coquorum destruxit muros Ierusalem. Quid enim per muros Ierusalem significans Scriptura exprimit, nisi virtutes animæ, quæ ad pacis visionem tendit? Aut quis coquorum princeps, nisi venter accipitur, cui diligentissimâ à coquentibus curâ seruitur? Muros igitur Ierusalem princeps coquorum destruit, quia virtutes animæ, dum non restringitur venter, perdit. Hinc est quòd Paulus contra Ierusalem mœnia decertanti vires coquorum principi subtraheret, cùm diceret: Castigo corpus meum, & seruituti subiicio. Vnde præmiserat: Sic pugno, non quasi aërem verberans. Quia cùm carnem restringimus, ipsis abstinentiæ nostræ ictibus non aërem sed immundos spiritus verberamus: & cùm hoc quod est intra nos subiicimus, extrà positis aduersariis pugnas damus. Hinc est, quòd cùm Rex Babylonis succendi fornacem iubet, stuppæ & picis ministrari congeriem præcipit: sed tamen abstinentes pueros hoc igne minimè consumit. quia antiquus hostis, licet innumeras ciborum concupiscentias nostris obtutibus opponat, quibus libidinis ignis crescat, bonis tamen mentibus superni Spiritus gratia insibilat, vt à carnalis concupiscentiæ æstibus illæsæ perdurent.*

Lib. 1. de Ecclesiasticis Officiis, c. 42. *Ieiunium sancta res est, & sui obseruatores sanctos & spirituales facit.* Lib. 30. Moral. c. 12. *Virtutes animæ per muros Ierusalem designantur.*

10. En tibi præcipuorũ è sanctissimis antiquissimisque Patribus de ieiunij vtilitate gulæque noxâ sententias, è quarum communi Catholicaque doctrinâ, simul & Scripturis sacris, quarum firmissimâ auctoritate illi sua & adstruunt & communiunt, luculentissimè patet, nihil pænè bonorum reperiri quod non largiatur ieiunium; & nihil vicissim malorum, quod, illo neglecto, non accidat. Quid igitur absurdi est, si ieiunium etiam defunctis prodesse credamus, quæ sententia penes omnes verè Catholicos adeò est euidens, vt si quis multum temporis in illo adstruendo insumere velit, meritò ridendum se exhibeat: quia tamen præsentis loci occasio exigit, nonnulla saltem addemus, quibus Lectorem animemus potiùs quàm armemus. Inprimis verò plerumque omnes, qui modos, quibus animæ è Purgatorio enumerant, simul ieiunium annumerant, vt videri potest apud Scholasticos aliosque Scriptores. Angelicus Doctor docet, ieiunium defunctis prodesse posse ratione charitatis ac intentionis quæ in eos dirigitur. S. Gregorius Papa, *Animæ*, inquit, *defunctorum quatuor soluuntur modis; aut oblationibus Sacerdotum, aut orationibus Sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum.* Imò S. Isidorus Hispalensis Episcopus affirmat, ieiunium vnum esse è quatuor modis generalibus quibus mortui iuuentur, & ad quos ceteri reducantur. Verba eius hæc sunt: *Prosunt ergo suffragia defunctis, non ad meritum vitæ æternæ, sed ad solutionem pœnæ, & hoc ad pœnarum mitigationem, vel celeriorem liberationem. Sunt autem quatuor modi ad quos omnes alij reducuntur, scilicet oratio, ieiunium, eleemosyna, & Sacramentum altaris.* Sed de his aliisque satis multa hocce Libro, Capite II.

Si tanta ex ieiunio bona, quid est mirum, illud pro mortuis susceptum, hîs prodesse. In 4. Sent. dist. 45. q. 2. Refertur Can. 13. q. 2. c. Animæ. Lib. 2. de Eccles. Offic. c. pænult.

11. E Scripturis quoque sacris haud obscura eius rei argumenta adferri possent, vtpote quòd & antiqui Patriarchæ in demortuorum suorum funere ieiunauerint, haud dubiè eum in finem vt spiritibus opem leuamenque adferrent, prout suprà Libro I. à nobis probatum est, vbi & Patriarcham Iacob pro filio suo Ioseph, quem mortuum credebat, ieiunasse diximus: & è primo Regum libro attulimus quomodo habitatores Iabes Galaad diebus septem pro Saüle filioque ipsius Ionathâ, atque vniuerso populo Israël qui in bello occubuerant, ieiunauerint. Ad quod sic Ven. Beda: *Rectè ad litteram pro mortuis, vt ad requiem venire valeant, septem diebus ieiunatur.* Sed & Dauidis ieiunium pro mortuis varia argumenta eloquuntur, vt quòd pro Saule, Ionathâ & reliquâ plebe quæ in prælio ceciderat, ad solis vsque occasum ieiunauerit; & quòd perinde pro Abner fecerit, & vt alij similiter facerent auctor fuerit. Frustra ageremus si ampliùs in eo adprobando defatigaremur: vno atque altero exemplo pro vulgarium captu & instructione res euadet illustrior.

Ex Scripturis clarum est per vinctum ieiunium adiuuari defunctos. 2. Reg. 1.

12. Thomas Cantipratanus, Tertium, inquit, suffragium defunctorum est ieiunium; vnde Dauid ieiunauit vsque ad occasum solis mortuo Abner. Et tu similiter super mortuum tuum ieiuna, quousque feruorem vindictæ Dei, qui Sol iustitiæ dicitur, senseris mitigatum. Ad quod faciendum vt omnes excitaret, exemplum hoc subiunxit: In villâ prope Louanium, oppidum Brabantiæ, iuuenis quidam dissolutus & leuis languore decubuit. Rogatu ergo matris Lambertus Presbyter leprosorum, vir pius & zelator maximus animarum, venit ad iuuenem, & eum ad confessionem peccatorum & pœnitentiam sedulus inuitauit. Quo mox in multâ valdè contritione confesso, & non multò pòst mortuo, mater pro eo continuauit ieiunia interpolatè, & vsque ad quinque annos quasi irremediabilibus lacrymis protelauit. Ergo vt ipsum tempus expletum est, die quadam Dominicâ dictus Lambertus Presbyter mortuus est, & sepultus: Sequenti autem quintâ Feriâ prædictus iuuenis manifestè apparuit matri suæ, dicens: Ecce nunc, mater charissima, adiutorio tuo ad requiem transeo de grauissimis pœnis quas pertuli pro peccatis, & mecum Dominus

Lib. 2. Apum, c. 53. *Idem patefit ex variis exemplis.*

Lambertus Presbyter, qui me ad cognitionem & confessionem peccatorum salubriter prouocauit; pro quo, & aliis multis quos ad pœnitentiam salutis adduxit, multâ mercede cumulabitur præmiorum. Vide ergo, Lector, quantæ mercedis sit docere inscios, viam salutis ostendere, & ad confessionem & pœnitentiam trahere peccatores. Nec hoc quoque sine grandi mercede negauerim, viuentes compati mortuis, & eos quomodocumque in orationibus vel ieiuniis adiuuare. Sic ille. Alterum è Surio de S. Remberto Bremensium Episcopo exemplum, inferiùs commodiori loco adferetur.

De S. Remberto inferius producendum factum heroicum.

13. Quàm verò ieiunia, vt defuncti à tormentis Purgatorij liberentur, sint apta & percommoda, disci poterit ex effectibus, ad quos ea ordinata à Deo esse sancti Patres perhibent: peccata namque curant atque expurgant, reatum illorum castigant, animas nutriunt, iram diuinam leniunt, Deum propitium reddunt, & vt ad promissionis terram, Paradisum inquam, & ad Dei infiniti visionem citiùs & compendiosiùs perueniatur efficiunt: quæ omnia cùm ea ipsa sint quæ in purgandis animabus occurrunt, Patrum auctoritate assertionem nostram stabilire æquum est. Quòd igitur per ieiunium peccata curentur & expurgentur, docet D. Augustinus, docet & S. Bernardus. Ille, cùm inquit: *Ieiunantes peccatorum nostrorum vulnera curare debemus.* hic verò dum ait: *Est ergo ieiunium corporis, capitis vnctio; & carnis inedia, refectio cordis. Quidni dixerim vnctionem, quæ & medetur vulneribus, & exasperatas conscientias lenit.* Addo & D. Ambrosium, qui de ieiunij vtilitatibus verba faciens, *Quomodo*, inquit, *non prosunt, quibus vitia purgantur?* & S. Leonem Magnum, qui, *Pastorali vos*, ait, *sollicitudine cohortamur, vt si quid macularum proximis diebus negligentia incauta contraxerit, id ieiunij censura castiget.* Animas verò ieiunio nutriri, abstinentiáque refici, doceat nos Calixtus I. Martyr atque Pontifex, qui hæc nobis scripta reliquit: *Sicut replemur frumento, vino & oleo, ad alenda corpora, sic replemur ieiunio ad alendas animas, iuxta Prophetæ Zachariæ vocem, qui ait: Factum est verbum Domini ad me, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Sicut cogitaui vt affligerem vos, cùm ad iracundiam me prouocassent patres vestri, & non sum misertus: sic conuersus cogitaui diebus istis, vt benefaciam Ierusalem & domui Iuda. Nolite timere. Hæc sunt verba quæ facietis: Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo, veritatem & iudicium pacis iudicate in portis vestris, & vnusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, & iuramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hæc sunt, quæ odiui, dicit Dominus exercituum. Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Ieiunium quarti, & ieiunium quinti; & ieiunium septimi, & ieiunium decimi, erit domui Iuda in gaudium, & in lætitiam, & in solemnitates præclaras.* Sed & iram Dei per ieiunia mitigari, hæc in verba docet D. Ambrosius: *Legimus in Prophetis, cùm Niniuæ ciuitati submersio diuinitus immineret, & iuxta sententiam Dei, destruendi illam tempus ingrueret, consistentes in ea aliud non habuisse præsidium, nisi vt abiectis crapulosis epulis, ieiunia continuata susciperent, & diuitiarum ambitione sepositâ, humilitate se paupertatis induerent, scilicet vt exinde remedium perciperent, vnde his perditio contingebat, hoc est, vt iram diuinitatis, quam luxuriando prouocauerant, abstinendo lenirent, & offensam quam in eos superbia contraxerat, humilitas mitigaret.* S. Ambrosius, qui & alibi sic ait: *Igitur & nos, fratres dilectissimi, ieiunemus continuè & deuotè hoc spatio temporis, vt propitietur nobis Dominus, pateant nobis cæli, inferna contra nos non valeant.* Et quid mirum si ieiunio se propitium Deus exhibeat, cùm, vt verè est, à S. Leone Papâ vocetur Sacrificium? *Deus*, inquit, *misericordiarum ieiunij nostri sacrificio placatus exaudiat.*

Serm. 65. de Tempore. *Ieiunium peccata delet & oblitterat:* Serm. 1. de Quadrag. Epist. 82. ad Eccles. Vercellens. Serm. de Pentecost. *reatum illorum castigat:* In Epist. ad Be. edictum Episc. c. 1. *ad alendas animas confert:* Zachar. 8. *furorem Dei compescit:* Serm. 40. de Quadrag. Serm. 27. *Deum propitium reddit:* Serm. 4. de Ieiunio 7. mensis.

Ad cæli denique gloriam & visionem beatificam quomodo nos ieiunium perducere possit, ex D. Ambrosio annotasse operæ est pretium, Israelitas, qui sunt figura nostri, citiùs olim per ieiunium ad promissionis terram peruenisse. Verba eius hæc sunt: *Eodem numero*, scilicet quadragenario, *Moyses per mansiones peruenit ad requiem, quo & nos per ieiunia properamus ad cælum. Ieiunia enim nostra mansiones quædam sunt, per quæ iter spiritualiter facientes, animæ virtutibus ambulamus, & diurno profectu repromissæ nobis terræ viciniores efficimur, ita vt citiùs perueniat, qui deuotiùs ieiunarit. Pedes enim animæ quidam pernices sunt fides & ieiunium, qui citò de humilibus ad altiora conscendunt, citò de terrenis ad cælestia gradiuntur.* Quò & faciunt illa D. Hieronymi verba, quæ & suprà adduximus, *Ex quo ostenditur, posse nos per ieiunium redire in patriam, vnde per saturitatem fueramus eiecti.* Et illa S. Augustini, qui sic ait: *Infelix voluptas, infelicior cupiditas atque luxuria, per transitoriam dulcedinem præparant sempiternam amaritudinem: abstinentia verò, vigiliæ, orationes atque ieiunium per breuissimas angustias perducunt ad paradisi delicias, quia non mentitur Veritas, quæ in Euangelio dicit, Arcta & angusta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.*

14. *citiùs denique ad promissionis terram peruenitur.* Serm. 23. de Quadrag. Num. 33. Serm. 55. de Tempore. Matth. 7. Luc. 13.

Nec tamen ieiunium ita nudè & simpliciter prodest, quin aliquas ad sui valorem conditiones requirat, quibus veluti comitibus iuuetur. Primam & præcipuam nobis suggerit D. Leo Papa, qui sic loquitur: *Non in solâ abstinentiâ cibi stat nostri summa ieiunij. Haud fructuosè corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate reuocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur.* Quod diu anteà dixerat S. Augustinus hisce verbis: *Ieiunium magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum ieiunium.* S. Maximus quoque idem sentit. *Ieiunium*, inquit, *pacem debet nutrire, non iurgia. Quale illud est autem, quòd non vesceris carnibus, & de ore tuo omni escâ sordidius egreditur maledictum? quale est illud, quòd sanctificatur venter ieiunio, & polluitur lingua mendacio?* S. Athanasius, postquam adeò insignia de ieiunio, vt suprà retulimus, attulisset, ita prosequitur: *Sed ne, mi dilecta, simplex quiddam & promiscuum ieiunium putes: non enim qui à cibis ieiunat solummodò, probè se gesserit, sed qui abstinet ab omni opere malo.* Denique S. Basilius, *Nolite*, inquit, *ad contentiones & lites ieiunare. Carnes non edis, sed comedis fratrem tuum. A vino abstines, sed à ieiuniis tibi non temperas. Expectas vesperam vt cibum capias, sed diem totum absumis apud tribunalia.* Et iterùm: *Verum ieiunium est, à vitiis immunem esse, continentia linguæ, iræ cohibitio, concupiscentiarum amputatio, obtrectationis, mendacij, periurij. Ab his abstinere, verum est ieiunium.*

15. *Conditiones boni & veri ieiunij.* De ieiunio septimi mensis. *A peccatis & vitiis abstinentur.* Tract. 17. in Euang. S. Ioannis. In Natali Domini. Lib. de Virginit. Homil. 1. de Ieiunij laudib. Homiliâ 2.

Quamuis verò hoc quod diximus ieiunium sit potissimum & vel maximè necessarium, solum 16.

tamen

tamen nec vsque adeò sufficit, quin & corporale adiungendum sit, prout iam satis ex hactenus toto hoc Capite allatis patet. Sed vel Ethnici, naturali tantùm lumine ducti, & veræ in Deum fidei exsortes, abstinentiam à superfluo cibo necessariam duxerunt, quæ res sanè in magnam plurium Christianorum confusionem cedit. *Dicæarchus*, inquit S. Hieronymus, *in libris Antiquitatum, & descriptione Græciæ, refert, sub Saturno, id est aureo seculo, cùm omnia humus funderet, nullum comedisse carnes, sed vniuersos vixisse frugibus & pomis, quæ sponte terra gignebat. Persarum Regis Cyri vitam Xenophon octo voluminibus explicat, polentâ & cardamo, & sale ac pane cibario eos asserens victitare. Lacedæmoniorum mensæ frugalitatisq́, & suprascriptus Xenophon, & Theophrastus, & omnes penè Scriptores Græciæ, testes sunt. Cheramon Stoicus, vir eloquentissimus, narrat de vitâ antiquorum Ægypti Sacerdotum, quod omnibus mundi negotiis curisq́, postpositis, semper in templo fuerint; & rerum naturas, causasq́, ac rationes siderum contemplati sint; numquam mulieribus se miscuerint, numquam cognatos & propinquos, ne liberos quidem viderint: ex eo tempore quo cœpissent diuino cultui deseruire, carnibus & vino se semper abstinuerint, propter tenuitatem sensus, & vertiginem capitis quam ex paruo cibo patiebantur, & maximè propter appetitus libidinis, qui ex his cibis & ex hac potione nascuntur. Pane rarò vescebantur, ne onerarent stomachum; &, si quando comedebant, tusum pariter hyssopum sumebant in vino, vt escam gratiorem illius calore decoquerent: oleum tantùm in oleribus ponerant, verùm & ipsum parum, propter nauseam & asperitatem gustus leniendam. Quid loquar, inquit, de volatilibus, cùm ouum quoque pro carnibus vitauerint, & lac? quorum alterum, carnes liquidas; alterum, sanguinem esse dicebant, colore mutato. Cubile eis de foliis palmarum, quas baias vocant, contextum erat: scabellum accliue, & ex vnâ parte obliquum, in terrâ pro puluillo capiti supponebant, bidui triduiq́, inediam sustinentes. Humores corporis, qui nascuntur ex otio, & ex mansione vnius loci, nimiâ victus castigatione siccabant. Iosephus in secundâ Iudaicæ captiuitatis historiâ, & in octauodecimo Antiquitatum libro, & contra Appionem duobus voluminibus, tria describit dogmata Iudæorum, Pharisæos, Sadducæos, Essenos, quorum nouissimos miris effert laudibus, quod & ab vxoribus, & vino, & carnibus semper abstinuerint, & quotidianum ieiunium verterint in naturam. Super quorum vitâ & Philo, vir doctissimus, proprium volumen edidit. Euanthes Cizycenus, Asclepiades Cyprius, ætate quâ Pygmaleon in Oriente regnabat, scribunt esum carnium non fuisse. Eubulus quoque qui historiam Mithræ multis voluminibus explicuit, narrat apud Persas tria genera Magorum, quorum primos, qui sunt doctissimi & eloquentissimi, excepta farinâ & olere, nihil ampliùs in cibo sumere. Apud Eleusinam etiam volucribus, & piscibus, & quibusdam pomis abstinere, solemne est. Bardesanes vir Babylonius, in duo dogmata apud Indos Gymnosophistas diuidit: quorum alterum appellat Bragmanas, alterum Samanæos, qui tantæ continentiæ sint, vt vel pomis arborum iuxta Gangen fluuium, vel publico orizæ vel farinæ alantur cibo; &, cùm Rex ad eos venerit, adorare illos solitus sit, pacemq́, suæ Prouinciæ in illorum precibus arbitrari sitam. Euripides, in Cretâ Iouis Prophetas non solum carnibus, sed & coctis cibis abstinuisse refert. Xenocrates Philosophus de Triptolemi legibus apud Athenienses tria tantum præcepta in templo Eleusinæ residere scribit, Honorandos parentes, venerandos deos, carnibus non vescendum. Orpheus in Carmine suo esum carnium detestatur. Pythagoræ, Socratis, Antisthenis & reliquorum frugalitatem referrem in confusionem nostram, ni & longum esset, & proprij operis indigeret.* Hæc. S. Hieronymus.

Li. 2. aduers. Iouinianum. Abstinentia variorum Ethnicorum qualis fuerit. Persarum: Lacedæmoniorum: Sacerdotum Ægyptiorũ: Essenorum: Orientalium: Magorum: Eleusinorũ: Gymnosophistarum: Prophetarum Iouis. Carnium esus apud Athenienses prohibitus.

17. Tertia probi & efficacis ieiunij conditio est, vt cum discretione fiat. Vnus iterùm ad hoc probandum sufficiet nobis D. Hieronymus, cuius hæc sunt verba: *Prudenter sibi Deus vult seruiri, non vt nimietate debiles fiant, & post Medicorum suffragia requirant. Temperandum enim est, vt, si fieri possit, cœptum obsequium gradatim proueh atur potius quàm inconsideratiâ minuatur.* Alio item loco: *Tantum tibi ieiuniorum impone modum, quantum ferre potes. Sint tibi pura, simplicia, casta, moderata ieiunia.* Et iterùm alibi: *Sic debes ieiunare, vt non palpites, & respirare vix possis, & comitum tuorum vel porteris vel traharis manibus, sed vt fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in psalmis, nec in vigiliis solito quid minus facias.* Discretioni autem addere licet conditionem illam, quâ Doctores affirmant, id quod ventri per ieiunium subtrahitur, pauperibus in eleemosynam esse dandum. Audiatur eam in rem quid dixerit S. Gregorius Magnus. *Non Deo, sed sibi ieiunat, qui quæ ventri ad tempus subtrahit, non inopibus tribuit, sed ventri post modum offerenda custodit.* Et alibi: *Illud ieiunium Deus approbat, vt hoc quod tibi subtrahis, alteri largiaris; vt vnde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur.* atque iterùm ibidem: *Benè ieiunat, qui alimenta corporis, quæ sunt communia dona conditoris, cum indigentibus percipit, & qui ea quæ sibi ad tempus subtrahit, nequaquam ventri offerenda custodit, sed pauperibus distribuit.* Ita D. Gregorius Papa, cui & alios idem omnino docentes Patres adiungere possemus, ni ad alia properandum foret.

Ieiunium cum discretione est suscipiendum. Super illud 1. Tim. 5. Noli aquam bibere. Ad Nepotianum. Ad Demetr. virginem. Quod nobis ieiunando subtrahimus, pauperibus est distribuendum. In Pastorali. In Hexaëm.

18. Quinta igitur ieiunij conditio est, vt secretò, & non ad ostentationem fiat, quod quia orationi atque eleemosynæ est commune, communem ex S. Augustino probationem accipere lubet; qui hunc in modum scribit: *Qui ideò facit eleemosynam* (eadem omnino est ratio de ieiunio) *vt ab hominibus se laudari desideret, etiamsi occultè fecerit, publicè facit, quia laudem ab hominibus quærit. Qui verò eleemosynam pro solo amore Dei facit, vt ad opus bonum illum reliqui imitentur, & non ipse, sed Dominus collaudetur, etiam si publicè facit eleemosynam, absconsè facit, quia pro eleemosynâ illâ non hoc quod videtur, sed quod non videtur desiderat, nec ab hominibus laudem, sed mercedem à Deo optat accipere. Hoc etiam & de ieiunio debemus accipere. Cùm enim ipse Dominus dicat, Vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris ieiunans hominibus. Ergo contra Christi præcepta facimus, qui publicè ieiunium indicimus, & vidente toto populo pariter cum ipso ieiunamus? Et in hoc sensu oportet intelligi, vt nemo pro laude humanâ, sed pro peccatorum indulgentiâ vel pro misericordiâ diuinâ ieiunet, & vnusquisque interroget conscientiam suam, &c.*

Ieiunium priuatim & non ad ostentationem est faciendum. Serm. 60. de Tempore. Matth. 6.

19. Sunt & aliæ ieiunij conditiones & requisita, quæ hinc inde è Patribus excerpi possunt. *Diuinarum*, inquit D. Leo, *reuerentia sanctionum, inter quælibet spontaneæ obseruantiæ studia, habet semper priuilegium suum, vt sacratius sit, quod publica lege celebratur, quàm quod priuatâ institutione dependitur. Exercitatio enim continentiæ, quam sibi quisque proprio arbitrio indicit, ad vtilitatem cuiusdam pertinet portionis: ieiunium verò, quod vniuersa Ecclesia suscipit,*

Serm. 3. de Ieiunio septimi mensis. Ieiunium publicum priuato præstat.

suscipit, neminem à generali purificatione seiungit; & tunc fit potentissimus Dei populus, quando in vnitatem sanctæ obedientiæ, omnium fidelium corda conueniunt, & in castris militiæ Christianæ, similis ex omni parte præparatio, & eadem est vbique munitio. Et Sermone sequenti: *Quamuis vnicuique nostrùm liberum sit, voluntariis castigationibus proprium corpus afficere, & nunc moderatiùs, nunc verò districtiùs, repugnantes spiritui carnales concupiscentias edomare: quibusdam tamen diebus ab omnibus oportet pariter celebrari generale ieiunium, & tunc est efficacior sanctiorq́; deuotio, quando in operibus pietatis, totius Ecclesiæ vnus animus & vnus est sensus. Publica enim præferenda sunt propriis: & ibi est intelligenda præcipua ratio vtilitatis, vbi vigilat cura communis. Teneat igitur diligentiam suam obseruantia singulorum, & contra nequitiæ spiritalis insidias, implorato diuinæ protectionis auxilio, cælestia quisque arma arripiat. Sed Ecclesiasticus miles, etiamsi specialibus præliis possit fortiter facere, tutiùs tamen & feliciùs dimicabit, si contra hostem palàm in acie steterit, vbi non suis tātùm viribus certamen ineat, sed sub inuicti Regis imperio, fraternis cōsociatus agminibus, bellum vniuersale conficiat. Minore enim discrimine plures confligunt cum hoste, quàm singuli; nec facilè patet vulneri, quem, opposito scuto fidei, non sua tantùm, sed etiam aliorum fortitudo defendit: vt vbi vna est causa omnium, sit vna victoria.* Et paulò pòst: *Et cùm nos oporteat semper studere virtutibus, quidam tamen dies sunt ad castigationem communis obseruantiæ consecrati, vt anima, quæ terrenis adhuc desideriis implicatur, & curis sæculi impeditur, ex interuallo saltem ad diuina respiret; & quia portio diuini agri est, dignos cælestibus horreis adserat fructus.* En vt omni quidem tempore fructuosum sit ieiunij exercitium, ordinatis tamen ab Ecclesiâ sanctâ diebus fructuosissimum. Et quia ieiunium Quadragesimale præcipuum & generalissimum est totius Ecclesiæ Catholicæ, quæ in eius commendationem apud Patres legimus, huc adscribemus.

Serm. 7.

Cur certa ieiuniorum tempora instituta?

20\. Diuus itaque Leo sic de Quadragesimâ loquitur: *Prædicaturus vobis, dilectissimi, sacratissimum maximumq́; ieiunium, quo aptiùs vtar exordio, quàm vt verbis Apostoli, in quo Christus loquebatur, incipiam, dicamq́; quod lectum est: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Quamuis enim nulla sint tempora, quæ diuinis non sint plena muneribus, & semper nobis ad misericordiam Dei per ipsius gratiam præstetur accessus: nunc tamen omnium mentes maiori studio ad spiritales profectus moueri, & ampliori fiducia oportet animari, quando ad vniuersa pietatis officia, illius nos diei, in quo redempti sumus, recursus inuitat, vt excellens super omnia passionis Dominicæ sacramentum purificatis & corporibus & animis celebremus. Debebatur quidem tantis mysteriis ita ineffabilis deuotio, & continuata reuerentia, vt tales permaneremus in conspectu Dei, quales nos in ipso Paschali festo dignum est inueniri. Sed quia hæc fortitudo paucorum est, & dum carnis fragilitate austerior obseruantia relaxatur, dumq́; per varias actiones, vitæ huius sollicitudo distenditur, necesse est de mundano puluere etiam religiosa corda sordescere; magnâ diuinæ institutionis salubritate prouisum est, vt ad reparandam mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas, & pia opera redimerent, & ieiunia casta decoquerent. Ingressuri igitur, dilectissimi, dies mysticos, & purificandis animis atque corporibus sacratiùs institutos, præceptis Apostolicis*

Serm. 4. de Quadr.

Cùr religiosiùs transigendū Quadragesimale tempus.

Ad reparandam mētium puritatem Quadragesima ieiuniū institutū est,

& ad culpas aliorū temporū per bo- *na opera redimendas.*

obedire curemus, emundantes nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus. Sic generosè pro more suo intonuit iste sanctus Leo: idque ipsum, quod modò adeò sollicitè commendauit, Quadragesimale ieiunium esse vniuersale, porrò sic docet: *Appropinquante autem festiuitate Paschali, adest maximum sacratissimumq́; ieiunium, quod obseruantiam sui vniuersis fidelibus sine exceptione denuntiat: quia nemo tam sanctus est, vt non sanctior; nemo tam deuotus, vt non debeat esse deuotior.* Imò etiam Apostolicam esse institutionem apertè profitetur, dum sic ait: *Quod ergo, dilectissimi, in omni tempore vnumquemque conuenit facere Christianum, id nunc sollicitiùs est & deuotiùs exequendum, vt Apostolica institutio quadraginta dierum ieiuniis compleatur, non ciborum parcitate tantummodò, sed potione maximè vinorum.*

Serm. 11.

Quadragesimæ ieiunium est vniuersale.

Serm. 6.

Et ex Apostolicâ institutione dimanat.

Hoc idem & alij celeberrimi Ecclesiæ Catholicæ Doctores docuerunt & asseruerunt, Ambrosius nimirum, & Augustinus. Numquid discredis? En ipsissima illorum verba. *Ante dies, velut ex altâ & sublimi cathedrâ* pronuntiat S. Ambrosius, *deuotionem sanctæ Quadragesimæ prædicantes, sacrarum Litterarum exempla protulimus, quibus approbaremus, hunc quadragenarium numerum non esse ab hominibus constitutum, sed diuinitus consecratum, nec terrenâ cogitatione inuentum, sed cælesti maiestate præceptum. Atque ideò qui constitutum numerum vnâ die manducando præterit, non vt vnius diei violator accusatur, sed vt totius Quadragesimæ transgressor arguitur. Vnde bonum est homini, vt dictum numerum sine labore ieiunet, & totius Quadragesimæ consequatur pariter sanctitatem. Hæc autem non tam Sacerdotum præcepta quàm Dei sunt: atque ideò qui spernit, non Sacerdotem spernit, sed Christum, qui in suo loquitur Sacerdote,* &c. S. verò Augustinus hunc in modum detonat: *Quadragesima sanè ieiuniorum habet auctoritatem & in veteribus libris, ex ieiunio Moysi & Eliæ, & ex Euangelio: quia totidem diebus Dominus ieiunauit, demonstrans Euangelium non dissentire à Lege & Prophetis. In personâ quippe Moysi Lex, in personâ Eliæ Prophetæ accipiuntur, inter quos & in monte gloriosus apparuit, vt euidentiùs emineret, quod de illo dicit Apostolus, Testimonium habens à Lege & à Prophetis. In quâ ergo parte anni congruentiùs obseruatio Quadragesimæ constitueretur, nisi confini & contiguæ Dominicæ passioni? quia in eâ significatur hæc vita laboriosa, cui opus est continentiâ, vt ab ipsius mundi amicitiâ ieiunetur, quæ vtique fallaciter blandiri, & illecebrarum fucos conspergere atque iactare non cessat,* &c. Et alio in loco: *Præcipitur nobis ex Lege & Prophetis, & ex ipso Euangelio, quod testimonium habet à Lege & Prophetis. Vnde etiam in monte & inter vtramque personam medius Saluator effulsit, vt ab omnibus illecebris, quibus captiui homines obliuiscuntur Deum, auiditatem nostram tamquam ieiunio temperantiæ refrænemus, quamdiu perfectio Decalogi legis, tamquam psalterium decem chordarum per quatuor eiusdem mundi partes, id est toto orbe prædicatur, vt decem quater ducta, quadragenarium numerum signent,* &c. 21.

Serm. 36. de Quadragesimâ.

Quadragenarius numerus diuinitus est consecratus, & cælesti pietate præceptus.

Quadragesimam non tā ex Sacerdotum quàm Dei præcepto obseruamus.

Epist. 119. ad Ianuar. c. 15.

Quadragesimale ieiuniū ex vtroque Testamento auctoritatē habet.

Exod. 19. 3. Reg. 19. Matth. 4. Rom. 3.

Opportuno tempore est institutum.

In Psal. 110.

Quòd si quid vltra hæc requirat quis, audiat S. Isidorum Hispalensem Episcopum grauiter & solidè ita disserentem, postquam quædam è S. Augustino, quæ suprà retulimus, præmisisset: *In numero quadragenario vita ista propterea figuratur, quia denarius est perfectio beatitudinis nostræ. creatura autem septenaria figuratur, quæ adhæret creatori, in quo declaratur vnitas Trinitatis per vniuersum mundum* 22.

Ex Augustino Epistolâ 119. ad Ianuar. c. 15.

Lib. 1. de Ecclesiast. offic. c. 36.

Vita præsentis status

per Quadragesimale ieiunium designatur.

dum temporaliter annuntiata. Et quia mundus à quatuor ventis delimatur, & à quatuor elementis erigitur, & à quatuor temporum vicibus variatur, denarius quater ductus, in quadraginta consummatur: quo numero ostenditur, ab anni temporum delectatione abstinendum ac ieiunandum esse, & castè continenterq; viuendum. Licet & aliud sacramenti mysterium exprimitur, quòd quadraginta diebus eadem ieiunia celebrantur. Lege enim Moysaicâ vniuerso populo generaliter est praeceptum, decimas & primitias Domino Deo offerre. Itaque dum in hac sententiâ principia voluntatum consummationesq; operum nostrorum referre ad Dei gratiam admonemur, in supputatione tamen Quadragesimæ, summa ista legalium decimarum expletur. Totum enim anni tempus triginta sex numero dierum decimatur: subtractis enim à Quadragesimâ diebus Dominicis, quibus ieiunia resoluuntur, his diebus quasi pro totius anni decimis ad Ecclesiam concurrimus, actuumq; nostrorum operationem Deo in hostiam iubilationis offerimus.

In Quadragesimâ dantur decimæ totius anni.

23\. Sed ad metam redeamus, & porrò ideò Quadragesimale ieiunium efficacius esse ostendamus, quòd tunc omnes simul Ecclesiæ Catholicæ filij abstinentiæ se dedant; quod tum Basilij tum Bernardi verbis fiet congruentiùs. Sanctus itaque Basilius hæc in verba prorumpit: *Ieiunium per omne quidem tempus vtile est iis qui illud sponte suscipiunt (neque enim assultus dæmonum quidquam audet aduersus ieiunantem; ac vitæ nostræ custodes Angeli diligentiùs adsunt iis qui ieiunio purgatam habent animam) sed multò magis hoc tempore, quo per vniuersum terrarum orbem vndique denuntiatur ieiunij præconium: nec vlla est insula, nec vlla terra continens, non ciuitas, non gens vlla, non extremus mundi angulus, vbi non sit auditum ieiunij edictum. Quin & exercitus, & viatores, & nautæ, & negotiatores, omnes pariter audiunt edictum, & summo gaudio excipiunt. Ne quis igitur semet excludat à numero ieiunantium, in quo omne hominum genus, omnis ætas, omnes dignitatum formæ censentur. Angeli sunt, qui in singulis Ecclesiis describunt ac recensent ieiunantium capita.* Et post pauca: *Publicè quomodo vitam nostram gubernat? Totam simul ciuitatem, totumq; populum ad tranquillitatem componit, consopit clamores, sedat lites, conuitiis imponit silentium. Excipite hoc pauperes contubernale vobis ac mensæ socium. Excipite serui, vt respirationem à perpetuis seruitij laboribus. Excipite diuites, quod noxa luxu contractæ medeatur, quodq; vicissitudine & nouitate vobis iucundiora reddat ea quæ nunc ob assuetudinem fastidiuntur. Excipite malè valentes sanitatis matrem. Qui bonâ estis habitudine, excipite bonæ habitudinis custodem*, &c. Hæc D. Basilius.

Homil. 2. de Laudib. ieiunij.

Ieiunio purgatis diligentiùs adsunt Angeli.

Ieiunium Quadragesimæ est vniuersale.

Publici fructus ieiunij qui sint.

24\. Sanctus verò Bernardus, *Rogo vos*, inquit, *dilectissimi, totâ deuotione suscipite Quadragesimale ieiunium, quod non sola abstinentia commendat, sed multò magis Sacramentum. Nam si deuotè vsque modò ieiunauimus, vtique sancto hoc tempore ieiunandum est multò deuotiùs. Si quid enim additur ad solitum abstinentiæ modum, numquid non valdè indignum est, vt nobis onerosum sit, quod Ecclesia portat vniuersa nobiscum? Hactenus vsque ad Nonam ieiunauimus soli: nunc vsque ad vesperam ieiunabunt nobiscum vniuersi Reges & Principes, Clerus & populus, nobiles & ignobiles, simul in vnum diues & pauper.* Et post nonnulla: *Ergo quia toto hoc tempore misericordiæ proximus est, quærite Dominum, charissimi, dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est. Verumtamen præsenti Quadragesimâ maiore nobis est feruore quærendus, quia non solùm pars, sed & sacramentum est totius temporis huius. Propterea si fortè diebus ceteris studia vestra aliquatenus intepuerunt, dignum est vt nunc in feruore Spiritus reualescant.*

Serm. 3. de Quadragesima.

Reges & principes olim in Quadragesimâ vsq; ad vesperam ieiunabant.

Isai. 55.

Quadragesima vitæ nostræ tempus designat.

25\. Vidimus iam, atque è Sanctorum Patrum voluminibus pænè omnium illorum quæ de Quadragesimæ ieiunio occurrunt dicenda, catenam nexuimus, quod idem de reliquis Ecclesiastici ieiunij temporibus haud difficulter præstare possemus: verumenimuerò quia hæc prolixiora nimis forent, vnum tantummodò de Quatuor anni temporibus, de Rogationibus alterum produxisse locum contenti erimus. Istum de quatuor anni temporibus, nobis suppeditabit D. Leo Pontifex, eximius ille Ecclesiastici ieiunij præco, qui nimirum ita loquitur: *Ecclesiastica ieiunia ex doctrinâ sancti Spiritus ita per totius anni circulum distributa sunt, vt lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus. Siquidem ieiunium vernum in Quadragesimâ, æstiuum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hyemale autem in hoc, qui est decimus, celebramus, intelligentes, nihil diuinis vacuum esse præceptis, & verbo Dei, ad eruditionem nostram omnia elementa seruire, dum per ipsius mundi cardines, quasi per quatuor Euangelia, incessabili tubâ discimus, quod & prædicemus & agamus. Cùm ergo vniuersa vitia per continentiam destruantur, & quidquid auaritia sitit, quidquid superbia ambit, quidquid luxuria concupiscit, huius virtutis soliditate superetur; quis non intelligat, quantum nobis per ieiunia conferatur; in quibus indicitur, vt non solùm à cibis, sed etiam ab omnibus carnalibus desideriis temperetur?* Alterum verò de Rogationibus suggerit S. Iuo Carnotensis, qui sic ait: *Cùm, exigentibus peccatis, Galliarum populi luporum rabie acriter interimerentur, nec illius flagelli aliquod remedium inuenire possent; congregati traduntur Galliarum Episcopi apud Viennam vrbem, atque in commune statuerunt vt triduanum ieiunium facerent. Cumq; Dominus pestem misericorditer abstulisset, hi dies in consuetudinem annuæ celebritatis venerunt, vt per Galliarum prouincias ante Ascensionis Domini diem celebrarentur. Agamus & nos hos dies, cum summâ reuerentiâ & deuotione, cum abstinentiâ carnis, & humilitate mentis & cordis, vt non solùm visibilium luporum rabiem euadamus, sed vt inuisibilium, id est spirituum immundorum tentamenta vincere valeamus. Nullus autem his diebus vestimentis pretiosis induatur, quia in sacco & cinere lugere debemus. Prohibeantur ebrietates & comessationes, quæ fiunt in vulgari plebe. Nemo ibi equitare præsumat, sed discalceatis pedibus omnes incedant. Nequaquam mulierculæ choros ducant, sed omnes in commune Kyrie eleison decantent, & cum contritione cordis, Dei misericordiam exorent pro peccatis, pro pace, pro peste, pro conseruatione frugum, & pro ceteris necessitatibus: dies enim sunt abstinentiæ, non lætitiæ.* Hactenus ille. Ex quibus sufficienter constant quæ præsenti nos Capite tractaturos promiseramus; festinemus ad alia, quæ non secus atque ieiunia iuuant defunctos.

Serm. 8. de Ieiunio 10. mensis.

Ieiunia Quatuor têporum ex doctrinâ Spiritus sancti sunt profecta.

Per continentiam vniuersa vitia superantur.

Part. 4 Decretorum cap. 40. ex Côcilio Aurelianêsi, c. 6.

Vnde ieiunium Rogationum originê habeat.

Quomodo Rogationum ieiunia celebrari iussa in Galliâ.

Pro quibus rebus orandû in Rogationum diebus.

CA-

CAPVT XIX.

Omnis corporis mortificatio, spiritibus expurgandis æternam vitam accelerat.

1. TAMETSI ieiunij nomẽ pro solâ quandoque à cibis abstinentiâ, quæ vna est mortificationis species, vsurpetur, latiùs tamen etiam accipitur, ita vt omnem carnis castigationem, etiam illam quæ ciliciis, disciplinis, æstus & frigoris tolerantiâ, lecti duritiâ, ceterisque corporis austeritatibus exercetur, comprehendat. Quo sensu Propheta Ioël in personâ Dei locutus est: ***Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu.*** nomine quippe ieiunij quascumque afflictiones & pœnitentias corporales, quibus se fideles pro delictorum suorum satisfactione macerare solent, designauit. Eodem quoque sensu Esdras se populo Dei persuasisse ait ieiunium, quò ex Babylonicâ tandem seruitute liberaretur: tum enim temporis non se inediâ solùm, verùm & ciliciis, humicubatione, sacceo vestitu, & cinerum aspersione Israëlitæ afflixerunt; vt meritò S. Augustinus per ieiunium vniuersam corporis castigationem intelligi scripserit; prout & per eleëmosynam, omnem erga proximum beneuolentiam ac beneficentiam; & per orationem, cunctas sancti desiderij regulas nominari voluit. *Quam doctrinam*, ait R. P. Franciscus Arias, insignis de Mortificatione Scriptor, *secuti Theologi, omnia opera bona ad tria genera*, nimirum *ieiunium, orationẽ & eleëmosynam, quibus Deo de peccatis satisfaceremus*, *reuocarunt.* Cùm itaque hactenus ieiunium explicauerimus, quatenus specialiter pro inediâ, & à cibo potuque parsimoniâ accipitur, reliquas vt mortificationis species exponamus superest: quod vt ritè atque ordine faciamus, primũ, qualiter reliquæ, præter ieiunium strictè sumptum, afflictiones corporis, pœnas maculasque peccatorum eluere soleant videbimus; tum, quòd & in defunctorum solatio eæ locum habeant, probabimus; & denique præcipuos aliquot mortificationis modos recensebimus.

Ioël. 2.
Ieiunij nomine omne pœnitentiæ genus designatur.

Lib. de Perfectâ iustitiâ, Resp. 17.

Parte 2. c. 1.

Quid hoccè potissimum Capite explicandũ sit.

2. Vt verò primam partem manifestè contra modernos Nouatores comprobemus, ex ipsis Sacris literis ostendendum nobis est, etiam alia, præter ieiunium, opera pœnitentialia, vt vocant, esse pro peccatis atque commissis nostris satisfactoria, cuius nimirum rei abundè testes Achab, Dauid, Iudith, Esther, Daniel, atque ipsemet Iob. Achab cùm per Eliam Prophetam de imminente peccatis suis vindictâ, à Deo certo certiùs immittendâ, esset admonitus, vt eam euaderet, & scelerum suorum remissionem atque veniam impetraret, vestimenta sua dilacerauit, carnem suam cilicio & rudi amictu compescuit, ieiunauit, in vili sacco dormiuit, demissoque capite ambulauit. En vt homo alioquin sceleratus & impius, huiusmodi pœnitentiæ operibus peccata deleri atque elui posse, suomet facto confirmet: vt enim ita reuera esse, Deus ostenderet, ita confestim Eliæ locutus est: *Nonne vidisti humiliatum Achab mei causâ? quia igitur humiliatus est, non inducam malum in diebus eius.* Dauid vbi numerato contra Dei voluntatem populo peccasset, & ob id pestis in eius subditos desæuiret, cilicium induit, & Angelum Dei iussu populi vulgus deuastantem cohibuit. Iudith, cùm ciuitatem Bethuliam videret ab Holoferne & Assyriis circumsessam, parumque abesset quin, ciuibus iam siti planè defatigatis, in hostium potestatem traderetur, cilicio se induit, & cinere capiti suo imposito, coram Domino semet prostrauit, & vt ciuitas ab impuro hoste liberaretur petiit, & obtinuit. De Esther legitur, quòd ipsa, cùm iam, inuidiâ Amani, totius populi Iudaici vniuersale excidium immineret, nec aliquod remedium superesse videretur, nisi ipsamet barbarum illum Regem de Amani fraude edoceret, & imminens periculum suo periculo auerteret; quòd, inquam, vestes regias deposuerit, fletibus luctuique aptum habitum assumpserit, pro vnguentis & pigmentis cinere & stercore caput oppleuerit, & corpusculum suum inediâ atque ieiunio macerauerit; quin & omnia loca, quibus anteà lætari & deliciari consueuerat, planctu atque eiulationibus, crinibus scissis, compleuerit, Dominumque Deum hunc in modum deprecata fuerit: ***Domine mi, qui rex noster es solus, adiuua me solitariam, & cuius præter te nullus est auxiliator alius.*** *Periculum meum in manibus meis est. Peccauimus in conspectu tuo, & idcircò tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum*, &c. vnde sat manifestum euadit, Estherem reginam omnes illas mortificationes suscepisse, vt pro populi peccatis satisfaceret, Deumque offensum, vt illi parcere dignaretur, placaret. Daniel propheta viginti & vno diebus se, vel ipso Angelo teste, afflixit, vt populus Israëliticus è Babylonicâ seruitute eripi, & in pristinam libertatem restitui mereretur: & à primo pœnitentiæ suæ die oratio eius fuit exaudita, ipseque præterea illa consecutus est priuilegia, quæ sacer Textus enumerat. De S. Iobo res est euidens, sic enim ipsemet inquit: *Insipienter locutus sum, & quæ vltra modum excederent scientiam meam. Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauillâ & cinere.* Quid clarius?

3. Regum 21.

Plura exempla aliorũ quam ieiunij pœnitentialium operum.

1. Par. 21.

Iudith 9.

Esth. 14.

Insignis Esther oratio.

Daniel. 9. & 10.

Iob 42.

3. Et quia iam è Scripturis exempla producere cœpimus, quid prohibet, quin & alia, quæ ibi habentur luculentissima, lucis & veritatis ergô in medium adferamus? Filij Israel simul cum Rege suo Dauide, vt dirissimam pestis à Deo immissæ stragem auertere possent, cilicia gestasse scribuntur. Illi ipsi iterùm, quòd valdè sibi ab Holoferne metuerent, è Sacerdotis Eliachim præscripto *humiliauerunt animas suas in ieiuniis, & orationibus, ipsi & mulieres eorum. Et induerunt se Sacerdotes ciliciis, & infantes prostrauerũt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio.* Sed & in libro Esther hæc leguntur: *In omnibus prouinciis, oppidis, ac locis, ad quæ crudele regis dogma peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus, & fletus, sacco & cinere multis pro strato vtentibus.* Iudas Machabæus cum suis militibus, vt aduersus Gentilium inuasiones à Deo adiutorium acciperent, *ieiunauerunt illâ die*, inquit Scriptura, *& induerunt se ciliciis, & cinerem imposuerunt capiti suo, & disciderunt vestimenta sua*; vtique vt parceret ipsis Omnipotens, & non traderet eos, ob peccata, in manus Ethnicorum. Quin & Niniuitæ, cùm ex ore Prophetæ audiuissent, post quadraginta dies suam

Alia rei superioris ex Scripturis adferuntur exempla.

1. Par. 21.

Iudith 4.

Esther 4.

1. Machab. 3.

Ionæ 3.

suam & ciuitatis suæ imminere ruinam, subuersionem & internecionem, *prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem. Et peruenit verbum ad Regem Niniue: & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore Regis & principum eius, dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quidquam: nec pascantur, & aquam non bibant. Et operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à viâ suâ malâ, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore suo, & non peribimus?* Sed quid? hæ corporis afflictationes an quid impetrarunt? Vtique. *Et vidit*, pergit Scriptura, *Deus opera eorum, quia conuersi sunt de viâ suâ malâ: & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit.*

Quæ sint illa eximia ad pœnitentiam imitandam incitamenta.

4. Vel Sole itaque meridiano est euidentius, per opera pœnitentialia pro peccatis satisfieri, veniamque & remissionem per ea impetrari. Cui veritati ne quid omnino deesset, suum ipsamet diuina Veritas in Euangelio adiicere dignata fuit calculũ: acriter enim ciuitatibus nonnullis comminata fuit, quòd ad suam prædicationem peccata sua per pœnitentiæ opera castigare ac delere neglexissent. *Tunc cœpit*, inquit S. Matthæus, *exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia, si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Niniuitarum pœnitentiam collaudat Christus Dominus in hæc verba: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam; quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ.* Et quid mirum? quandoquidem in tot aliis Euangelij locis pœnitentiam ad delenda peccata non solùm opportunam, sed & omnino necessariam adseuerauerit. *Nisi pœnitentiam habueritis*, exclamat apud S. Lucã, *omnes simul peribitis. Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis.* Vt proinde ipsa pœnitentiæ prædicatio lux magna, sine quâ videlicet homines in tenebris permansissent, meritò appelletur. Cùm apud S. Matthæum dictum esset: *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis*; statim adiungitur: *Exinde cœpit Iesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Et vt per hanc ipsam pœnitentiam, peccatorum indulgentiam obtineri omnes intelligerent, Saluator, discipulos suos instruens, vtrumq; velut inseparabile coniunxit; quinimò primo loco, veluti causam, pœnitentiam posuit, secundo loco veniam, vt illius effectum. Verba Textus sacri hæc sunt: *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati; & resurgere à mortuis tertiâ die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes Gentes.* En vt præcedat pœnitentia, sequatur peccatorum remissio. Supersunt duo dissecandi nodi, quos Nouatores nobis nectunt, vt ea quæ operibus pœnitentialibus docemus atque tradimus, eneruarent, aut saltem suspecta redderent.

Quid negligẽtibus opera pœnitentiæ Christus comminetur. Matth. 11. Luc. 10. Matth. 12. Luc. 13. Matth. 4. Luc. 24. *Pœnitentia veniæ causa.*

5. Primus est, dictis iam locis per pœnitentiam intelligi solummodò internum dolorem aut cordis contritionem, vt mala nos commisisse pœniteat. Sed in illo etiam opera externa pœnalia & satisfactoria, qualia sunt ieiunium, cilicium, & cineris aspersio, comprehensa esse, vidimus ex verbis Christi, qui suprà Niniuitarũ in cilicio & cinere pœnitentiam fuisse confirmat. Quodq; magis mirere, ipsimet Pharisæi ac Scribæ non crediderunt tantùm, sed & ipso facto, pœnitentiam in corporis austeritatibus consistere declararunt. Cùm enim Dominus Iesus diceret, nõ se venisse vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam; illi dixerunt: *Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum: tui autem edunt, & bibunt?* Agnoscebãt ergo Pharisæi & Scribæ, pœnitentiam complecti ieiunium siue alia pœnalia exercitia. Alter nodus est, quo nostri sibi Nouatores persuadent atq; temerè imaginantur, actus istos non esse nisi signa interioris pœnitẽtiæ, & ex se nihil ampliùs efficere aut mereri. Sed en iterùm ex Euangelio cuneum. Exemplum sumamus ab ipso D. Ioanne Baptistâ, cuius discipulos pœnitentiam fecisse, anteà dictum est. Hic suas conciones ita exorsus est: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Sed qualem, quæso, pœnitentiam? signa tantùm, an verò opera & fructus pœnitentiæ? Imò fructus, & non solùm nuda signa. Docent id verba, quibus eos, qui pro conuersione à peccatis ad eum accedebant, admonebat. Videns namque multos Pharisæorum & Sadducæorum ad baptismum suum conuolare, sic eos affabatur: *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à venturâ irâ? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* vel vt Lucas narrat, *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* E quibus iam iterùm patet, fructus hos efficere vt iram diuinã euadamus. Quòd si ipsum S. Ioannem audire velimus, explicantem quinam digni pœnitentiæ fructus cẽsendi sint, esse id opera externa & satisfactoria, re comperiemus ipsâ. Contigit, vt turbis, ad quas de dignis hisce pœnitentiæ fructibus verba faciebat, quid ergo, vt dignos fructus edere censendi essent, agere deberent, interrogantibus, hunc in modum responderit: *Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas, similiter faciat.* Viden' vt non internus solũ de criminibus dolor, sed externi insuper actus satisfactorij, sint digni pœnitentiæ fructus, quibus tum iram Dei reprimamus, & pro delictis nostris ipsi satisfaciamus? Qui ergo Catholicam fidem adeoq; ipsam Scripturam sacram turbare & confundere voluerunt, turbantur & confunduntur ipsimet vti cum rubore vtinam cum correctione.

Prima hæreticorum obiectio soluitur. Luc. 5. *Item altera.* Matth. 3. Luc. 3. Luc. 3.

6. Cùm itaq; certum sit, corporeis afflictionibus peccata deleri atque dissolui, age videamus, quãtopere nos ad eas capessendas Scriptura sacra adhortetur, & quàm varia, quæ imitaremur, Sãctorum exempla proponat. S. Paulus Apost. *Mortificate*, inquit, *membra vestra quæ sunt super terram*, hoc est membra, quæ immortificata animum inclinãt ad vitam terrenam, *fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam.* Non solùm itaq; hæc mortificate ad ipsa euitanda peccata, sed etiã occasiones ac fomenta peccatorum. *Exhibeamus*, ait idem Apostolus, *corpora nostra hostiam viuentem, sanctam, Deo placẽtem, rationabile obsequium nostrum.* vtpote sciẽtes, *quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltrà nõ seruiamus peccato.* Quinimmò *ne regnet peccatũ in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.*

Quot modis ad opera pœnitentialia incitet S. Paulus. Coloss. 3. Rom. 12. Rom. 6.

Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viuentes; & membra vestra arma iustitiæ Deo. Sed & *qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* id est, qui sunt membra viua Christi, sese affligunt, multa licita solatia & carni commoda ei subtrahentes, imò eam laboribus ac pœnis subiugando; vnde facilè fit, vt vniuersa vitia omnesq; eius cupiditates refrænet. Demum sic ille idem inquit: *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes.* hoc est, ad imitationem Christi nostra corpora austeritatibus affligentes, laboribus & incommoditatibus voluntariis illud compescentes, vltroque quæ carni dura & ingrata sunt assumentes, *vt & vita Iesu manifestetur* in corporibus nostris. Christus enim, postquam toto vitæ suæ tempore multa acerba & dira perpessus fuisset in carne suâ, in eodem etiam posteà gloriosus à morte resurrexit.

Galat. 5.

2. Cor. 4.

7. Neque monitis solùm Christianos ad operum satisfactoriorum exercitia excitasse sufficere Paulo videbatur, quin & exemplis tum sui tum aliorum nos incitare voluit. Sui, dum sic ait: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* &: *Propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* &: *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cadimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc.* Aliorum verò (ne scilicet ipse solus in hoc mortificationis exercitio excelluisse videatur) dum veterum Sanctorum antiquæ Legis exempla commemorat, inquiens: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & cauernis terræ.* Quin, si Euangelia perlustrare voluerimus, statim ipse Saluatoris nostri nobis occurret Præcursor, de quo sic scribitur: *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erat locustæ, & mel siluestre.* De Annâ verò Prophetissâ, filiâ Phanuel refert D. Lucas, quòd processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate suâ: tum quòd esset vidua vsque ad annos octoginta quatuor, *quæ non discedebat*, inquit, *de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die.* Plura eiusmodi ex Scripturarum penetralibus producere possemus; sed ne à proposito nostro exerremus, quod hoc Capite potissimum fuit, demonstrare, etiam aliis carnis austeritatibus, præter ieiunium, peccata expurgandi vim inesse; ex nonnullis etiam Sanctorum Patrum locis, quòd distinctim ea à ieiunio exercendæ sint, ostensuri sumus.

Vti verbis ita & factis.

1. Cor. 9.
Rom. 8.

1. Cor. 4.

Ad Hebr. 11.

Pœnitentiæ ex Euangelio exempla.
Matth. 3.

Luc. 2.

8. Mellifluus ille Doctor S. Bernardus, *Si sola*, inquit, *gula peccauit, sola ieiunet, & sufficit: si verò peccauerunt & membra cetera, cur non ieiunent & ipsa? Ieiunet igitur oculus à curiosis aspectibus & omni petulantiâ, vt benè humiliatus coërceatur in pœnitentiâ, qui male liber vagabatur in culpâ. Ieiunet auris nequiter pruriens, à fabulis & rumoribus, & quæcumq; otiosa sunt, & ad salutem minimè pertinentia. Ieiunet lingua à detractione & murmuratione, ab inutilibus, & vanis atque scurrilibus verbis; interdum quoque, ob grauitatem silentij, ab ipsis quæ videri poterant necessaria. Ieiunet manus ab otiosis signis, & ab operibus omnibus quæcumque non sunt imperata: sed multo magis anima ipsa ieiunet à vitiis & propriâ voluntate suâ. etenim sine ieiunio hoc cetera à Domino reprobantur, sicut scriptum est: Quia in diebus ieiuniorum vestrorum voluntates vestræ inueniuntur.* E quibus S. Bernardi verbis satis ostenditur, ad perfectam peccatorum satisfactionem non sufficere ieiunium strictè acceptum; sed vt pro corporis totius, quod in singulis suis membris solet delinquere, digna fiat subeundarum alioquin pœnarum compensatio, mortificanda quoque esse reliqua corporis membra. Quapropter & S. Ioannes Chrysostomus sic scribit: *Quemadmodum sauciato non satis est telum vulneri exemptum, sed prætereà opus habet chirurgi curâ: sic in crimen lapso post confessionis & absolutionis antidotum necesse est fructus dignos pœnitentiæ adiungere.*

Serm. 38.
Alia quam ieiunii exercitia ex pœnitentiâ obeunda.

Homil. 5. Operis imperf. in Matthæum.

Exponens verò cuiusmodi esse debeant fructus illi, vt digni esse & vocari mereantur, subiicit: *Carnem tuam nimio cibo & potu per intemperantiam onerasti? castiga eam seueriore ieiunio, & aquæ potu. Oculos venustarum rerum adspectu aquo petulantiùs oblectasti? coërce deinceps illos, & vsu coniugij etiam licito, quoties potes, te priua. Verbis factisq; iniuriâ affecisti proximos? nunc labora vt omnibus maledicentibus benedicas, & beneficiis etiam tibi eos deuincias.* Quem in sensum etiam D. Ambrosius scripsit: *Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt. Defluant oculi lacrymis, qui masculum simpliciter non adspexerunt. Pallescat facies, quæ quondam viruit impudicè. Denique totum corpus incuriâ maceretur, cinere adspersum, & opertum cilicio perhorrescat, quia malè sibi de pulchritudine placuit.* 9.

Quales esse debeant fructus digni pœnitentiæ.

Ad virginem lapsam, c. 8.

Mortificationem prætereà pro plenâ peccatorum remissione necessariam esse, his verbis docuit S. Gregorius: *Cogitandum summopere est, vt qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam licitis etiam studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat; vt qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debeat etiam concessa.* Hæc si fecerimus, quæ nobis promissa sint, è D. Bernardo videamus. Hic, *Primum quidem*, ait, *fratres, pro eo quòd ab ipsis quoque licitis abstinemus, ea nobis quæ priùs commisimus illicita condonantur. Quid verò est condonari commissa, nisi ieiunio breui ieiunia redimi sempiterna? Gehennam enim meruimus, vbi nullus vmquam cibus est, consolatio nulla, terminus nullus: vbi guttam aquæ diues postulat, & accipere non meretur. Bonum ergo & salutare ieiunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum remittuntur hoc modo peccata. Non solùm autem abolitio est peccatorum, sed exstirpatio vitiorum. Non solùm obtinet veniam, sed & promeretur gratiam. Non solùm delet peccata præterita quæ commisimus, sed & repellit futura quæ committere poteramus.* 10.

Homil. 34. in Euangelia.

Serm. 4. de Quadr.
Insignes sanè pœnitentialium operum effectus.

Cùm ergo satis liquidò constet, mortificationes etiam alias, præter ieiunium, peccata delere, & pro iisdem satisfacere, probandum nobis superest, quod & iam satis etiam probatũ fuerat, illas ipsas defunctorum animabus, si pro illarum subsidio à nobis susceptæ fuerint, prodesse, easque, vt citiùs à tormentis suis absoluantur, iuuare posse. Insignem pro hac assertione locum producere possum è Thomâ Cantipratano, qui hunc in modum loquitur: *Quartum suffragium defunctorum est vigilia vel labor alius in afflictione* 11.

Dictas iam mortificationes applicari posse defunctis ostenditur.

Lib. 2. Apum, cap. 53.

corporis

corporis tui. Vnde lib. 2. Regum 21. dicitur, quòd Respha filia Aia, concubina Saul, ab initio messis substrauit sibi cilicium super terram, & non permisit aues & bestias lacerare corpora suspensorum, donec stillaret aqua de cælo super interfectos. Quid per suspensos, nisi excruciatæ in Purgatorio animæ designantur? Has Respha, id est fidelis amicus, iuuare debet vigiliis vel labore ab initio messis, hoc est defectûs vitæ in morientibus, secundùm quod in Ecclesiastico dicitur, Super mortuum plora, defecit enim lux eius. Has aues & bestias, hoc est tortores dæmones, lacerare non sinas, Dominum suppliciter exorando: nec à labore cesses, donec stillet aqua de cælo super interfectos, & pietate diuinâ eas confidas & consideres liberatas. Hæc Cantipratanus: qui & eodem loco subiungit insigne exemplum de venerabili iuxtà ac mirabili virgine Christinâ, quæ in se suscepit dimidiam partem pœnarum Purgatorij Ludouici Comitis Lossensis, de quo quia & anteà est mentio facta, atque etiamnum posteà commodiori loco fiet, Scripturas sacras, quibus quod asserimus constabiliamus, indagatum ibimus.

Egregia ex Ven. Cantipratano probatio.

12. S. Paulus Apostolus, *Quid facient,* inquit, *qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? vt quid & baptizantur pro illis?* Quæ verba secundùm S. Ephrem in suo Testamento, Ven. Petrum Cluniacensem in libro contra Petro-Brusianos, Dionysium Carthusianum, Hugonem Gagnæum, & alios in hunc locum, ita exponuntur, vt sit sensus: Quid facient qui sese affligunt pœnitentiis corporalibus, si mortui non resurgunt? Quæ ipsa expositio quàm sit vera & congrua, obiter hic dici conueniet, eò quòd propositum nostrum pulcherrimè probet & explicet. Primò ergo verbum *baptizari* idem est atque affligi, quod ex variis Euãgelij locis probari potest. Cùm enim Christus de passionis suæ afflictione Zebedæi filiis loqueretur, ita ipsos interrogat: *Potestis bibere câlicem quem ego bibiturus sum; aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* item: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?* Sic itaque idem est baptismus quod afflictio, seu mortificatio, & baptizari idem quod affligi, pati seu mortificari. E quo conficitur, hunc esse D. Pauli sensum: Quid facient qui mortificantur pro mortuis? &c. Quin & ipse Purgatorij ignis à SS. Patribus baptisma dicitur. S. Hieronymus enim illud S. Matthæi, *ipse baptizabit vos in Spiritu sancto & igni*, exponit, *in Spiritu sancto in hac vitâ, igne verò in futurâ*; prout ante eum exposuerat S. Basilius, & post eos Ven. Beda. Præterea D. Gregorius Nazianzenus ignem Purgatorij in alterâ vitâ vltimum baptisma appellat: vt proinde elegantissimè Apostolus dixerit eos baptizari pro mortuis, qui sese pro iisdem affligentes atque mortificantes, partem illius baptismi ignei, quo animæ in Purgatorio baptizantur, in se suscipiunt. Vide plura Libro I. Cap. XIV.

1. Cor. 15.
Ex Scripturis clarum mortuis mortificationes prodesse.
Matth. 20. Marci 10. Luc. 12.
Matth. 3.
Lib. de Spiritu sancto, cap. 15.
In cap. 3. Lucæ.
In fine Orationis de Epiphaniâ

13. Bina nobis prætereà eius rei illustria exempla refert, alterum in feminâ, alterum in viro. De Iudith viduâ scribitur, quòd Manasse marito suo mortuo, in superiorem ædium suarum se partem receperit, ibidem cum puellis suis se recluserit, corpus suum cilicio induerit & macerauerit, & diebus singulis, præter Iudæorum publicas festiuitates & neomenias, ieiunio se confecerit: quæ sanè aspera & duriora exercitia, vt & supra Lib. I. diximus, non tãtum subire voluit, vt à mundi se conuersatione subtraheret, & se mortificationi & perfectioni dicaret, quàm vt mariti quoque sui animam, quem in viuis agentem tantoperè prædilexerat, iam post suum obitum prosequeretur. Patriarcha Iacob, cùm filium suum Ioseph mortuum, & à bestiâ dilaceratum crederet, scissis vestibus cilicium induisse, multoque tempore filium luxisse describitur: quinimmò cùm reliqui eius filij patris sui dolorem mitigare atque lenire conarentur, consolationem admittere recusauit, & *Descendam*, inquiit, *ad filium meum lugens in infernum.* Qui vtique tanti parentis dolor haud inde prouenisse putandus est, quòd aliquid feminei passus, inordinatum ex filij amissione luctum luxerit (quis enim hoc de tanto priscæ Legis Patriarchâ vel credat vel somniet?) sed quòd voluntariam pro eiusdem animâ afflictionem & pœnitentiam assumpserit.

Iudith. 8.
Iudith post mariti obitũ sese mirè discruciat.
Genes. 37.
Iacob etiam Patriarcha sese pro Ioseph quem mortuum credidit, vehementer afflixit.

Recensendi iam tandem sunt nonnulli exercendæ mortificationis modi maximè obuij, quod in Capitis huius initio Lectori addiximus. Duplicem inprimis esse mortificationem, omnibus in confesso est, internam scilicet & externam. De internâ infrà Capite XXV. agendum erit, modò de externâ, quæ quinque potissimùm sensus hominis spectat. R. P. Ioannes à Iesu Mariâ, Congregationis nostræ S. Eliæ olim eximius religiosus, quàm necessaria sit atque perutilis sollicita oculorum custodia & mortificatio, his verbis insinuat: *Exigua in oculis custodiendis cautela, maximarum est perturbationum & grauissimorum peccatorum principium, vti Scriptura nos diuina edocet, ac præsertim in funesto illo Heuæ intuitu, quando nimirum in arboris scientiæ boni & mali fructum illos coniecit: & in Dauidis oculorum coniectu, quo illam respexit mulierem, quæ posteà eum ad adulterium pertraxit. Verùm quid opus è Sacris litteris exempla accersere, cùm tot quotidie videre sit, vt ad eas, quæ è quotidianis sumuntur lapsibus, quos incauti licentiosiq́; oculorum ictus causantur, probationes & argumenta, nemo quid queat obiicere? Veritas hæc nimisquam notoria est, eiq́; suffragantur tum spirituales, tum etiam peccatores, idq́; ob peccata quæ inde consequuntur. Oculorum igitur mortificatio in eo consistit, vt in continuo quodam Dei timore viuentes, cùm ladendi se offert occasio, eosdem in terram etiam inuitos declinemus, violenterq́; retineamus, primo quidem, ne parum casta videant; deinde, vt etiam à rerum delectabilium conspectu coërceantur. Quoad parum casta, nulla necesse hic est adducere exempla vel rationes; res enim per se manifesta est. Quoad delectabilia ac recreatiua, multis id exemplis illustrare possum; qualia sunt, exempli causâ, retinere se à splendidis palatiis, solemnibus epulis, equitatibus, solemnibus Principum in vrbes ingressibus, hastili ludicro, comœdiis, aliisq́; idgenus rebus videndis. Deinde vlterius progrediendo, continere se, ne quem in facie respiciat: &, quando per plateas incedendum est, & rhedarum aliarumq́; rerum, ad quas videndas oculi quàm celerrimè rapi solent & ferri, strepitus auditur, stare super custodiam suam, & deliberatè & cum proposito cauere huc oculos reflectere. Hæc è lucta mille sibi boni Religiosi coronas in cælo texunt. Vt enim occasiones innumeræ sunt, ita victoriæ etiam innumeræ, & necessario consequenterq́; magna etiam est merces. Quin etiam ij, qui etiam in sæculo spirituales sunt, magnas sibi per hanc mortificationis speciem coronas & diuitias conquirũt, dum rerum pulchrarum amabiliumq́;* in

14.
In Arte spiritualiter viuendi, p. 3. cap. 7.
Quantum immodestia oculorum dispendiũ sit.
Qualiter oculi refrænari queant.

in terrâ conspectu libenter sese priuant, easdem in cælo videre sperantes. Circa hanc doctrinam notandum, non esse ad extrema descendendum, vti faceret, qui datâ operâ nihil omnino videre vellet, sed oculos semper humi deiectos teneret. Ratio huius est, quòd hoc pacto anima quodammodò suffocetur & anxia reddatur, atque ad multa, quæ diuinum cultum spectant, facienda, veluti manca & inutilis: tum etiam, quòd sæpenumerò rerum iucundarum, & ad cælestium considerationem mouentium, conspectus, iuuare spiritum permultùm soleat; qualis est, insignes Sanctorum imagines, agros, siluas, mare, fontes inspicere: quæ qui intuetur, periculum adeò non est vt noxias inde cogitationes concipiat, vt inde etiam cor dilatetur, roburq́ colligat, ad ambulandum in viâ Domini per sancta desideria, & animi eleuationem, quam harum rerum conspectus causare solet. Nec verò boni visûs corporalis mortificatores incassum laborant: nam præter futura in cælo præmia, magnam recipere in interiori animæ visu claritatem solent, & ad talem nonnumquam sui victoriam perueniunt, vt quamuis, quidquid in mundo pulchrum est, ipsis proponeretur, nullo prorsus ad ipsum conspiciendum desiderio ferrentur. Hactenus ille.

Quid in modestiâ oculorum obseruari conueniat.

15. Quin & nonnulli Patres asseruerunt, modestiam quæ in oculis & visu moderando occupatur, tam esse perfectam, vt pluribus quodammodò parasangis illorum merita excedat, qui aliàs solùm licita intuentur: idque haud locum tantummodò habet in iis quæ ex se & naturâ suâ sunt *adiaphora* & indifferentia, verùm etiam quæ alioquin admodum sunt meritoria. Probat id eleganti quadam similitudine Venerabilis ille D. Ludouicus Blosius, Lætiẽsis Monasterij quondam Abbas, dum sic ait: *Si duo homines in eodem itinere constituti, elegantem flosculum offenderent, quorum alter cuperet quidem illum decerpere, sed meliùs deliberans diceret sibiipsi: Dimitte eum propter Deum; alter verò nihil præmeditatus carperet florem: iste quidem simpliciter decerpendo non peccaret, sed ille propter Deum dimittendo florem, tantum præ decerpente obtineret meritum, quanta est distantia cæli à terrâ. Quòd si Deus pro tantillâ mortificatione tam grandem mercedem restituet, quantam illis redditurus est, qui se & omnia pro eius amore contemnunt atque relinquunt. Asceta ergo frequenter dicat Deo intra se: Propter te Domine nolo illud videre, cùm necesse non sit vt ipsum videam. Propter te nolo illud audire, nolo illud gustare, nolo illud loqui, nolo illud tangere. Ipse Deum in fundo animæ suæ perfectè sentire non poterit, nisi in eo moriatur quidquid inordinatum est.* Hæc Blosius.

Eximia virtutis illius per similitudinem commendatio. Instit. spirit. cap 2.

16. Quantò ergo sunt prudentiores, qui meritorum præmiorumque infinitam veluti massam & messem ex oculorum suorum cohibitione sibi acquirunt, quàm qui liberiore eorumdem diuagatione innumera vitæ mala & haud rarò æternam mortem sibi adsciscunt. Meritò Dauid à Deo petiit: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Meritò Iob dicebat: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne quidem cogitarem de virgine.* Meritò Saluator hoc ipsemet consilium suggessit, inquiens: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te: bonum tibi est cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis: quia lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Hæc vti mysticè, ita & litteraliter accipi possunt hoc sensu, vt in adspiciendis noxiis nos ita

Quomodo Sancti hanc coluerint. Psalm. 18. Iob 31. Math. 18. Math. 5.

geramus, quasi oculis careremus. *Oculus meus*, inquit Ieremias, *deprædatus est animam meam.* ac proinde Deus *oculos superborum* (& nimisquam licenter euagantium) *humiliabit.* Gloriatur itaque sibique gratulatur Dauid, quòd non solùm eiusmodi hominibus se non adiunxerit (*Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam,* inquit) sed & quòd ipsemet oculorum suorum custodiæ studiose inuigilauerit: *neque elati sunt oculi mei,* ait. Quî verò sic? *oculi enim impiorum deficient, & ascendit mors per fenestras.* Econtrà oculorum & visus modestia gratiam diuinam conciliat, testãte Sponso in Canticis: *Quàm pulchra es*, loquitur Sponsæ, *quàm pulchra es! oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.* & infrà: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano: veni, coronaberis.* Sed vnde tot Sponsæ tituli honorarij? *Vulnerasti,* inquit, *cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Neque id admodum mirum. Si namque Regio illi Soli vnicus feminæ intuitus, adulterij & homicidij eclipsim attulit: si noctem horrẽdam omni humano generi adduxit Heua, quæ capi se passa est in fructu qui erat pulcher adspectu; quid mirum si à mortificato pro Deo oculo, ingens gratiarum, virtutum, ac præmiorum exoriatur affluxus? Experti sunt non pauci, conuersos idcircò ad fidem aut statum religiosum impios, quòd vel cœtum aliquem Regularem, vel personã aliquam insignem, habere in oculis modestiam adspexissent. Notauit aliquando & affirmauit Romanus Pontifex, in nostrâ Congregatione propterea diuinum Spiritum versari debere, quòd nullus coram eo Religiosus ex maximâ tamen, quam ad pedes suos exosculandos admiserat, copiâ vel oculum attulisset.

Thren. 3. Psalm. 17. Psalm. 100. Psalm. 130. Iob 11. Ierem. 9. Cant. 4. *Modestiæ oculorum magna laus.*

17. Porrò è variis oculorum mortificationis generibus, vel præcipuum computari solet Vigilia, de quâ intelligendus est Psalmœdus, dum ait: *Si dedero somnum oculis meis; &, Anticipauerunt vigilias oculi mei.* Vigiliarũ in Sacris litteris & Sanctorum historiis crebra occurrit mentio, & ad eas adhortatio. Nam præter Regij Prophetæ, vt iam patuit, exemplũ, etiam Apostolus Paulus se mirè in iis exercuisse tradit, ipsequemet Saluator *erat pernoctans in oratione Dei.* In Vitis Patrum passim fit mentio vigiliarum SS. Antonij, Posthumij, Dorothei, Statigij, Barlaam, Iosaphat, & aliorum: & præcipuè quomodo eæ pro mortuis celebratæ sint, refertur in Vitâ S. Pachomij, vbi legitur: *Cuius venerabile corpusculum discipuli eius, sicut decebat, pro more curantes, totam noctem super illud duxêre peruigilem, psalmos hymnosq́ canentes: sequenti verò die sepelierunt eum in monte vbi fuerat constitutum.* Hinc illæ tam crebræ in Sacris litteris ad vigilantiam & attentionem exhortationes. *Vigilate,* inquit S. Petrus, *in orationibus.* &: *Fratres, sobrij estote, & vigilate.* S. quoq; Paulus eius Coapostolus ait, *Vigilate, state in fide.* &: *Vigilemus & sobrij simus.* item: *Tu verò vigila.* Quin & S. Ioannes Euangelista: *Esto vigilans, & confirma.* &: *Beatus qui vigilat.* Sed omnium frequentissimè Christus in Euangelio. *Vigilate ergo, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias quâ horâ fur venturus esset, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos estote parati, quia quâ nescitis horâ Filius*

Vigilia ad oculorũ mortificationem refertur. Psalm. 131. Psalm. 76. 2. Cor. 6. & 11. Luc. 6. Cap. 53. *Quot ad vigilias faciendas habeamus cohortationes.* 1. Pet. 4. Cap. 5. 1. Cor. 16. 1. Thess. 5. 2. Tim. 4. Apoc. 3. & 16. Math. 24.

Matth 25. *Filius hominis venturus est.* Cùm etiam fatuis illis virginibus dictum esset, *Nescio vos*, adiungitur: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* & alibi Saluator, ne fortè excusationem quampiam (Marc. 13.) prætenderemus, ait: *Quod vobis dico, omnibus dico: Vigilate.* Quod ne quis pro breui aliquo tempore intelligendum esse putaret, ipsa diuina Veritas rem explicat, inquiens: *Vigilate itaque omni tempore* (Luc. 21.) *orantes, vt digni habeamini fugere illa omnia quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.* Quibus quid hac in re dici vel addi possit insignius, equidem ignoro. Nunc ad oris mortificationem veniamus.

18\. In quo compescẽdo duplex mortificatio exerceri potest, nimirum quoad linguam, & circa palatum, de quibus sic loquitur idem qui suprà Ven. P. Ioannes à Iesu Maria: *Nulla penitus in mundo lingua est, quæ linguæ immortificatæ damna queat explicare. Quis porrò immunera, quæ à linguâ proficiscuntur, peccata non admiretur? sunt hæc quippe velut arena maris innumerabilis. Iis verò qui vitam profitentur spiritualem, nemo nisi expertus nouit, quantum adferre in viâ perfectionis detrimenti soleat, nimia ac superflua, tametsi de rebus bonis, locutio. Linguæ correctio in eo sita est, vt inutilia loquendi, nedum mala & noxia, illi negetur facultas; tum etiam, vt moderata & nonnimia ipsa sit locutio, etsi alioquin de rebus bonis. Non est autem necesse pluribus hanc doctrinam declarare, quòd eiusdem conuenientia nimis quàm manifesta sit. Possem equidem aliquot adducere exempla eorum qui raro quodam modo suam refrænarunt linguam, quæ meis ipse oculis in statu religioso vidi, sed breuitatis causa hæc omitto. Possem hîc etiam magno cum affectu stupendam, non modò in publicis peccatoribus, sed etiam in viris grauibus, linguæ licentiam multis demonstrare, qui nullum vmquam faciunt dicendi finem, de rebus tamen diuinis non loquuntur. Forsitan dicent, graues se culpas loquendo non committere: sed væ illi qui innumera peccata venialia parui facit, quia numquam in viâ spirituali prosperabitur. Ad hoc etiam caput spectat mortificatio gustûs, quæ in eo sita est, vt & moderatè cibus sumatur, & in eo gustus, qui necessarius non sit, nullus quæratur. Numquam solent spirituales mensæ accumbere, quin semper aliquam, ad exercitium temperantiæ, & vt gustus refrænetur, atque intra vitæ spiritualis mediocritatem retineatur, è sapidissimo cibo buccellam sibi subtrahant.* In quibus, paucissimis licet, verbis pius Pater totam ferè quæ circa oris mortificationem exercetur, substantiam complectitur. Nos, quò cuilibet, vt faciliùs Purgatorij animabus prodesse possit, amplior notitia vtriusque ingeratur, paulò rem diffusiùs & prolixiùs explicandam censuimus. Et de silentio quidem Scripturas nonnullas producemus, quæ fructum & praxim illius exponant; inde addituri exemplum, quo non aliter quàm silentio Antistitis cuiusdam animam è Purgatorij suppliciis liberari potuisse demonstratur.

[Margin: In Arte viuendi spiritualiter, p. 3. c. 9. — Duplex oris est mortificatio: loquela nimirum, & gustus.]

19\. Omnes pænè sacræ Scripturæ libri conspirasse videntur, vt silentij emolumenta, eiusque vicissim neglecti damna nobis ob oculos ponant. Hinc nimirum Regius ille Propheta, *Dixi*, inquit, *Custodiam vias meas, vt non delinquam in linguâ meâ. Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me. Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis; & dolor meus renouatus est. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione meâ exardescet ignis.* En hîc modum exercendi silentium, en quoque fructus qui ex illo proueniunt. Se vias suas custodisse S. Dauid ait, vt non delinqueret in linguâ suâ. Deinde, ori suo posuisse custodiam, dum peccator aduersum se consisteret, hoc est altercaretur, atque se iniuriis lacesseret. Tertiò, humiliatum se asserit, atque ab ipsismet bonis siluisse, quod duobus præcedentibus est multò perfectius. Siluit ergo, ne in verbis delinqueret: siluit, vt se contra iniurias ab impio illatas non defenderet: siluit, vt in licitis etiam bonisque proloquendis se mortificaret. At quæ tanto silentio præmia? *Dolor*, inquit, *meus renouatus est.* ecce compunctionis donum, quod solet esse incipientium. *Concaluit cor meum intra me*, illuminante paulatim ac calefaciente Deo animam, quod est proficientium. *Et in meditatione meâ exardescet ignis*, homine toto in Deum per charitatis ardorem transformato, quod est perfectorum; vt hisce verbis Psalmœdus tres silentij gradus & fructus breuiter sed insigniter complexus sit. Experimentum faciant, qui necdum fortè experti sunt, an non sit verum id, quod nonnulli silentibus ex Psalmo applicant: *Et lætati sunt quia siluerunt, & deduxit eos in portum voluntatis eorum.* Nullus enim, quàm silentiarius, aut maius mentis gaudium obtinet, aut faciliùs quod à Deo poscit assequitur. Psal. 106.

[Margin: Scriptura vniuersa quodammodò conspirât, vt quæ circa silentiū sunt, exponant. — Psalm. 38. — Ex silentio compūctionis donum.]

20\. Huc faciunt quoque hæc Scripturarum loca. *Qui moderatur*, inquit Sapiens, *sermones suos, doctus & prudens est.* imò *stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur; & si compresserit labia sua, intelligens.* Item: *Est tacens sciens tempus aptum.* item: *In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens.* item: *Cùm quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cælo à regalibus sedibus prosiliuit.* Consonat huic illud Ieremiæ Prophetæ: *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.* nam vt Isaias ait, *in silentio & spe erit fortitudo vestra*, & *cultus iustitiæ silentium est.* Et vt à Prophetis ad Apostolos transeamus, vnus è Lege nouâ sufficiet, qui est S. Iacobus Minor, in Epistolâ suâ ita loquens: *In multis offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. potest etiam fræno circumducere totum corpus. Si autem equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus. Ecce & naues cùm magnæ sint, & à validis ventis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo vbi impetus dirigentis voluerit. Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis quàm magnam siluam incendit! Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehennâ. Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à naturâ humanâ: linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero.* Ecce quomodo idem Apostolus & silentij commodum, eiusque neglecti dispendium explicauit, qui vt sine virtutis illius cultu reliquam etiam perfectionem inutilem probet, sic locutus est: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.* Et infrà: *Si quis autem putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.*

[Margin: Alia similiter bona. — Prou. 17. — Eccli. 20. — Ibid. c. 32. — Sap. 18. — Thren. 3. — Isai. 30. & 32. — Iacob. 3. — Quanta ex linguâ benè directâ emolumenta, quanta ex malè directâ mala.]

 Ceterùm

21. Ceterùm neglecti silentij nocumenta & alia
Prou. 10. Scripturæ sacræ loca produ͂t. *In multiloquio,* inquit
Prou. 13. Sapiens, *peccatum non deerit: qui autem inconsidera-*
Eccli. 20. *tus est ad loquendum, sentiet mala.* item: *Qui multis vtitur verbis, lædit animam suam.* Sed quid opus est multis citationibus Lectorem defatigare: instar omnium sit vnicus ille Salomonis locus, haud minùs quàm superiùs D. Iacobus, ex linguæ licẽtiâ omne malorum genus profluxisse adstruens.
Eccli. 28. *S. Iacobo in superioribus conformis est Sapiens.*
Lingua, inquit, *tertia multos commouit, & dispersit illos de gente in gentem. Ciuitates diuitum muratas destruxit, & domos Magnatorum effodit: virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissoluit. Lingua tertia mulieres viratas eiecit, & priuauit illas laboribus suis. qui respicit illam, nõ habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat. Flagelli plaga liuorem facit; plaga autem linguæ comminuet ossa. Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. Beatus qui tectus est à linguâ nequam, qui in iracundiam illius non transiuit, & qui non attraxit iugum illius, & in vinculis eius non est ligatus: iugum enim illius, iugum ferreum est: & vinculum illius, vinculum æreum est. Mors illius, mors nequissima: & vtilis potiùs infernus quàm illa. Perseuerantia illius non permanebit, sed obtinebit vias iniustorum: & in flammâ suâ non comburet iustos. Qui relinquunt Deum, incident in illam, & exardebit in illis, & non extinguetur, & immittetur in illos quasi leo, & quasi pardus lædet illos. Sepi aures tuas spinis, linguam noli audire; & ori tuo facito ostia, & seras,* &c.

22. His quid addam non habeo, nisi vt obseruemus, Redemptorem etiam nostrum comminatum esse, de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, rationem iis reddendam esse in die iudicij, vt haud vsque adeò mirum sit, tam strictam apud priscos Patres silentij habitam fuisse obseruantiam.
Quàm insignis apud Patres silentij obseruatio
Matth. 12.
Lib. 9. c. 22. In Patrum Vitis de Hymnæo legitur, quòd, cùm linguam suam lubricam esse sciret, adolescens adhuc silentium sibi indixerit, longoque admodum tempore, nihil cuiquam loquens, permanserit.
Lib. 2. c. 30. Notum est rarum illud Pauli Simplicis exemplũ, qui diu admodum tacuit,
Lib. 5. Libello de Obedientiâ. quòd nescio quâ occasione à D. Antonio silere iussus fuisset: prout etiam Monachi Arem, qui ex magistri sui mandato per integrum annum tacuit.
Lib. 8. c 49. De Anachoretis Nitrensibus habetur, quòd semel tantùm in hebdomadâ colloquerentur. Virgo item quædam viginti quinque annis silentium obseruasse fertur.
Ibid. c. 85. Quin & S. Theonas Abbas annis triginta à verbis abstinuit. Quid amplius? Audeo dicere, nullam adeò virtutem à sanctis Patribus tam fuisse exercitatam atque commendatam, quàm hanc ipsam silentij. Videte, quæso, illorum dicta. Abbas Macarius maior in Scete dicebat Fratribus: *Post Missas Ecclesiæ, fugite,*
Lib 5. Libello de Continentiâ, n. 27. *Fratres. Et dicit ei vnus Fratrum: Pater, vbi habemus fugere ampliùs à solitudine istâ? Et ponebat digitum suum in ore suo, dicens: Istud est quod fugiendum est. & sic intrabat in cellam suam, & claudens ostium sedebat*
Num. 39. *solus.* & infrà: *Dixit aliquando cum fiduciâ Abbas Sisoi: Crede, quia ecce triginta annos habeo quòd non depre-*
Quanta cõmendatio. *cor Deum peccatum, sed orans hoc dico: Domine Iesu Christe protege me à linguâ meâ. & vsque nunc per sin-*
Lib. 7. c. 32. num. 2. *gulos dies corruo per ipsam, & delinquo.* Quin &, *Cùm quidam frater Abbati Sisoi dixisset, Volo animam meam saluare; respondit: Quâ ratione possumus animam nostram saluare, cùm lingua nostra aperto ostio sæpè prosi-*
Num. 3. *liat.* Iterùm, *Quidam frater interrogauit senem, Vsquequò seruandum est silentium, Pater? respondit senex: Vsquequò interrogeris. in omni enim loco si taciturnus fueris, requiem possidebis.* Num. 4.
Iterùm, *Dixit senex: Peregrinatio quæ propter Deum fit, bona est, si habuerit & silentium; nam fiducia non est peregrinatio.* Iterùm, *Interrogauit Abbas Pambo Abbatem Antonium, dicens, Quid faciam? respondit ei senex: Noli esse in iustitiâ tuâ confidens, neque pœniteari de re transactâ, & continens esto linguæ tuæ, & ventris.* Lib. 5. Libello 1. de Profectu Patrũ, num. 2. Denique, Dixit S. Gregorius: *Quia hæc tria exigit Deus ab omni homine qui est Baptismum consecutus, id est fidem rectam ex totâ animâ & virtute, linguæ continentiam, & castitatem corporis.* Num. 3. Quantâ itaque laude dignum est silentium, sine quo nullus etiam in Ecclesiâ Ordo inuenitur Religiosus, sine quo omnis Ordo verus est dis-ordo & confunditur, omnis vana est religio: ideoque quia eius apud PP. Carthusianos strictior quàm alibi viget obseruantia, omnes, cuiuscumque Instituti fuerint, ad eos Religiosi transire possunt.

Neque mirum cuipiam videri debet, tanta à Christianæ fidei lumine ac statu gratiæ diuinæ 23.
adscripta esse taciturnitati præconia, vbi omnes virtutes in excellentiori gradu exerceri cõuenit, *Quàm Ethnici silentiũ laudauerint.*
quandoquidem ipsa naturæ solùm lux tanta eius encomia Ethnicos edocuerit. Hesiodus inprimis, *Qui non nouit,* inquit, *tacere, nescit loqui. Pœnituit aliquando locutum esse, tacuisse numquam.*

Optimus est homini linguæ thesaurus, & ingens
Gloria, quæ parcè mensurat singula verbis.

Item: *Effrænioris & exlegis dementiæ extremum infelicitas occupat. Linguam compescere, virtus non minima est. Mors & vita in manibus linguæ. Maledicentia stultorum thesaurus, quem in linguâ conditum tenent. Qui inconsideratè loquitur, sentiet mala.* Seneca verò: *Stultus non nouit silentium seruare.*

Percontatorem fugito, nam garrulus idem est:

Horatius autem sic: ——— *semel emissum volat irreuocabile verbum.* Alius item: *Lingua si infrænis est & prodiga, interdũ maximarum cladium organum est: at si pura & prouida, in eâ particulâ ingentium bonorum fomites latent, & prudentia inde accipitur.* Inter alia Sapientum dicta & hoc est, ——— *digito compesce labellum.* id est Tace. Et huiusmodi sexcenta alia. Imò & apud Gentiles integræ quandoque scholæ ad multos vsque annos silentij professionem faciebant.

Hæc extra orbitam, & præter instituti nostri 24.
scopum, qui animarum, quæ in Purgatorio detinentur, subsidium concernit, dicta nequaquam esse puto, quinimmò vel maximè conuenire arbitror, eò quòd silentij neglectus sæpenumerò occasio esse soleat, quòd defunctis adeundum sit Purgatorium; & vt inde eripiantur, silentij obseruantia. *Quomodò silentij exercitium ad Purgandorũ materiam spectet.* Hoc enim frequenter vult Altissimus, vt defuncti solatium capiant ex illis præcisè actibus, ob quorum defectum ipsi Purgatorij ignibus fuerunt addicti. E pluribus exemplis, in quibus huius rei euidentissima præbentur documenta, hoc seligamus. *Frater quidam, Durannus nomine de* Vincent. Belluacens. in Specul. hist. l. 16. c. 5.
Bredon, priùs idiota apparens, posteà Mosiacensis Abbas non incongruus, deinde ad Tolosanum Episcopatum sapientiæ prærogatiuâ promotus, inter operarios agriculturæ Dei merito sollicitudinis & industriæ claruit. Hic circumspectus per cetera, verba risum mouentia sæpè incautius proferebat. Quâ de re Ven. Pater Hugo Abbas, cuius Monachus fuerat, multoties eum increpans, nec satis proficiens, de futuro interminans, prophetice sic commo-

commonuit: Ecce frater charissime, nisi ludicra vero Monacho prorsus interdicta viuens dimiseris, post mortem enormiter apparebis. Quod sanè vaticinium eo migrante constat fuisse completum. Nam Seguino Capellano Patris apparens spumoso ore, postulauit flebiliter eius adiuuamen, cui noluit obedire dum viueret. Hoc vbi Domino Abbati Seguinus retulit, praecepit vt Fratres vnâ hebdomadâ pro defuncto taciturnitatem proprij oris continuarent, ad hoc septem Fratribus electis. Ceteris obedientibus, vnus eorum voti contemptor silentium interrupit. Rursus Pontifex eidem reuelatus est, valdè conquestus super illo Fratre perfido, qui dum non siluit, sanitatem illius interpolauit. Audiens ista piissimus Hugo, praecepit vt fractura silentij quae per vnum contigerat, aliorum septem dierum silentio sarciretur. Quo facto, anima Pontificis tertiò reuelata in statu Apostolico se exhibens, Purgatorio suo memorato, semperq; memorando Hugoni gratias suae integritatis reportauit.

25 Hactenus de linguâ coërcendâ: modò de palati ac gutturis agemus ingluuie, quae in eduliorum poculentorumque vel lautitiâ vel abundantiâ committi solet. Non enim homo se inter ieiunandum solùm, sed etiam inter comedendum & bibendum mortificare potest. Audiamus quomodo sancti Patres clarissimè doceant, excessum in hisce & posse, & esse per mortificationis exercitium refraenandû. D. Gregorius Magnus quinque nos modis à gulâ tentari docuit. *Sciendum est,* inquit, *quia quinque nos modis gula vitium tentat. Aliquando namque indigentiae tempora praeuenit: aliquando verò non tempus praeuenit, sed cibos lautiores quaerit: aliquando quaelibet sumenda sint, praeparari accuratiùs expetit. Aliquando autem & qualitati ciborum & tempori congruit, sed in ipsâ quantitate sumendi, mensuram moderatae refectionis excedit. Nonnunquam verò & abiectius est quod desiderat, & tamen ipso aestu immensi desiderij deteriùs peccat. Mortis quippe sententiam patris ore Ionathas meruit, quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit. Et ex Aegypto populus eductus, in eremo occubuit, quia despecto manna, cibos carnium petiit, quos lautiores putauit. Et prima filiorum Heli culpa suborta est, quòd ex eorum voto Sacerdotis puer, non antiquo more, coctas vellet de Sacrificio carnes accipere, sed crudas quaereret, quas accuratiùs exhiberet. Et cùm ad Ierusalem dicitur: Haec fuit iniquitas Sodomae sororis tuae, superbia, saturitas panis, & abundantia; apertè ostenditur, quòd idcircò salutem perdidit, quia cum superbiae vitio mensuram moderatae refectionis excessit. Et primogenitorum gloriam Esau amisit, quia magno aestu desiderij vilem cibum, scilicet lenticulam, concupiuit: quam dum vendendis etiam primogenitis praetulit; quo in illam appetitu anhelaret indicauit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. vnde & lautiores cibos plerumque sine culpâ sumimus, & abiectiores sine reatu conscientiae degustamus. Hic quippe, quem diximus, Esau primatum per lenticulam perdidit, & Elias in eremo per virtutem spiritus carnes edendo seruauit. Vnde & antiquus hostis, quia non cibum, sed cibi concupiscentiam, esse causam damnationis intelligit: & primum hominem sibi non carne, sed pomo subdidit; & secundum non carne sed pane tentauit. Hinc est quòd plerùmque Adami culpa committitur, etiam cùm abiecta & vilia sumuntur. Neque enim Adam solus, vt à vetito se pomo suspenderet, praeceptum prohibitionis accepit. Nam cùm alimenta quaedam saluti nostrae Deus contraria indicat, ab his nos quasi per sententiam vetat; & dum concupiscentes noxia attingimus, profectò quid aliud quàm vetita degustamus? Ea itaque sumenda sunt, quae naturae necessitas quaerit, & non quae edendi libido suggerit.* Sic Gregorius.

Explicantur damna quae ex vitio palati eueniunt.

Lib. 30. Moral.

Quinque modis à gulâ tentamur.

1. Reg. 14.

Num. 11.

1. Reg. 2.

Ezech. 16.

Genes. 25.

3. Reg. 17.

Genes. 3.

Matth. 4.

26 Quot verò & quae mala tum animae tum corpori adferat pessimum illud gulae vitium, praeter quotidianam experientiam docent & dicunt SS. Patres. S. Gregorius ait: *Gula innumera vitiorum agmina ad animae conflictum producit.* item alibi: *Dominante gulae vitio, omne quod homines fortiter egerût, perdunt; & dum venter non restringitur, simul omnes virtutes obruuntur.* item: *Cocorum princeps muros Ierusalem deiecit; quia dum venter ingluuie tenditur, virtutes animae luxuriâ destruuntur.* item: *De ventris ingluuie inepta laetitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur.* quod latiùs alibi ita explicat: *Gulae deditos superfluitas locutionis, leuitas operis atque luxuria comitatur. Nisi enim illos immoderata loquacitas raperet, Diues ille, qui epulatus quotidie dicitur splendidè, in linguâ grauiùs non arderet, dicens: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flammâ. Quibus profectò verbis ostenditur, quia epulando quotidie, crebriùs in linguâ peccauerat, qui totus ardens, refrigerari se in linguâ praecipuè requirebat. Rursum quia gulae deditos leuitas operis protinus sequitur, auctoritas sacra testatur, dicens: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Quos plerumque edacitas vsque ad luxuriam pertrahit: quia dum satietate venter extenditur, aculei libidinis excitantur. Vnde & hosti callido, qui primi hominis sensum in concupiscentiam pomi aperuit, sed in peccati laqueo strinxit, diuinâ voce dicitur: Pectore & ventre repes. ac si apertè diceretur: Cogitatione & ingluuie super humana corda dominaberis.*

In Lib. Regû.

Lib. 30. Moral.

In Pastorali, p. 3. admonit. 20.

Lib. 31. Moral.

In Pastorali vbi supra.

Luc. 16.

Diues epulo ob gulâ vitiû mirabiliter cruciatus.

27 Sed & in potu gulae vitium consistit, cuius filia tandem est ebrietas, quae quantum sit malum, vel è solo S. Basilio disce. *Ebrietas,* inquit, *daemon est voluntarius, & voluptate animabus nostris inditus. Ebrietas malitiae mater est, virtutis inimica: fortem virum reddit ignauum, ex temperato facit lasciuum, iustitiam ignorat, prudentiam extinguit. Sicut enim aqua igni est aduersa, sic vinum immodicum rationem supprimit. Quâ in re, dic homo miser, à brutis differs? Nonne rationis munere, quam à Deo omnium conditore accepisti, reliquae creaturae omnis factus dominus & Imperator? Hoc igitur te mentis lumine per ebrietatem priuans, inter bestias ratione carentes annumerari poteris, similisq; illis videri. Nec solùm eò peiores brutis, quòd mente insani aut ebrij, sed etiam quòd sensibus longè infra illa deficere videantur. Quod quaeso animal ita visu auditu ve, atque ebrius homo, debilitatur? Nonne familiarissimos interdum ignorant, alienis verò saepè vt domesticis congrediuntur? An non vmbras saepenumerò tamquam sulcos aut loca praerupta transiliunt? Aures terrifico sonitu more fluctuantis maris refertas habent: terra interdum insurgere, atque in arduum ac rectum erigi, montes verò circumuoueri videntur? Quandoque ab re & praeter modum rident, nunc verò sine consolationis remedio plorant: nunc item audaces & temerarij, mox timidi & ignaui. Lymphatus, & malo daemone captus, misericordia quidem dignus; ebrius verò eadem ferè & ipse patiens, minimè misericordiâ dignus, qui spontaneo seruit daemoni ..... Ebrietas itaque rationis interitus, fortitudinis pernicies, senectus immatura, mors momentanea. Quid, quaeso, sunt ebrij, quàm Gentium idola? Oculos habent, & non vident; aures habent, & non audiunt: manus paralysi affectas habent, pedes*

Homil. 14. in Ebrietatê.

Quot ex ebrietate damna proueniant.

Indigna sanè res ebrietas.

 infirmos

21. Ceterùm neglecti silentij nocumenta & alia Scripturæ sacræ loca produnt. *In multiloquio*, inquit Sapiens, *peccatum non deerit: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* item: *Qui multis vtitur verbis, lædit animam suam.* Sed quid opus est multis citationibus Lectorem defatigare: instar omnium sit vnicus ille Salomonis locus, haud minùs quàm superiùs D. Iacobus, ex linguæ licétiâ omne malorum genus profluxisse adstruens. *Lingua*, inquit, *tertia multos commouit, & dispersit illos de gente in gentem. Ciuitates diuitum muratas destruxit, & domos Magnatorum effodit: virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissoluit. Lingua tertia mulieres viratas eiecit, & priuauit illas laboribus suis. qui respicit illam, nō habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat. Flagelli plaga liuorem facit; plaga autem linguæ comminuet ossa. Multi ceciderunt in oregladij, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. Beatus qui tectus est à linguâ nequam, qui in iracundiam illius non transiuit, & qui non attraxit iugum illius, & in vinculis eius non est ligatus: iugum enim illius, iugum ferreum est: & vinculum illius, vinculum æreum est. Mors illius, mors nequissima: & vtilis potiùs infernus quàm illa. Perseuerantia illius non permanebit, sed obtinebit vias iniustorum: & in flammâ suâ non comburet iustos. Qui relinquunt Deum, incident in illam, & exardebit in illis, & non extinguetur, & immittetur in illos quasi leo, & quasi pardus lædet illos. Sepi aures tuas spinis, linguam noli audire; & ori tuo facito ostia, & seras,* &c.

Prou. 10. Prou. 13. Eccli. 20. Eccli. 28. S. Iacobo in superioribus conformis est Sapiens.

22. His quid addam non habeo, nisi vt obseruemus, Redemptorem etiam nostrum comminatum esse, de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, rationem iis reddendam esse in die iudicij, vt haud vsque adeò mirum sit, tam strictam apud priscos Patres silentij habitam fuisse obseruantiam. In Patrum Vitis de Hymnæo legitur, quòd, cùm linguam suam lubricam esse sciret, adolescens adhuc silentium sibi indixerit, longoque admodum tempore, nihil cuiquam loquens, permanserit. Notum est rarum illud Pauli Simplicis exemplū, qui diu admodum tacuit, quòd nescio quâ occasione à D. Antonio silere iussus fuisset: prout etiam Monachi Arem, qui ex magistri sui mandato per integrum annum tacuit. De Anachoretis Nitrensibus habetur, quòd semel tantùm in hebdomadâ colloquerentur. Virgo item quædam viginti quinque annis silentium obseruasse fertur. Quin & S. Theonas Abbas annis triginta à verbis abstinuit. Quid amplius? Audeo dicere, nullam adeò virtutem à sanctis Patribus tam fuisse exercitatam atque commendatam, quàm hanc ipsam silentij. Videte, quæso, illorum dicta. Abbas Macarius maior in Scete dicebat Fratribus: *Post Missas Ecclesiæ, fugite, Fratres. Et dicit ei vnus Fratrum: Pater, vbi habemus fugere ampliùs à solitudine istâ? Et ponebat digitum suum in ore suo, dicens: Istud est quod fugiendum est. & sic intrabat in cellam suam, & claudens ostium sedebat solus.* & infrà: *Dixit aliquando cum fiduciâ Abbas Sisoi: Crede, quia ecce triginta annos habeo quòd non deprecor Deum peccatum, sed orans hoc dico: Domine Iesu Christe protege me à linguâ meâ. & vsque nunc per singulos dies corruo per ipsam, & delinquo.* Quin &, Cùm quidam frater Abbati Sisoi dixisset, *Volo animam meam saluare; respondit: Quâ ratione possumus animam nostram saluare, cùm lingua nostra aperto ostio sæpè prosiliat.* Iterùm, *Quidam frater interrogauit senem, Vsquequò seruandum est silentium, Pater? respondit senex: Vsquequò interrogeris. in omni enim loco si taciturnus fueris, requiem possidebis.* Iterùm, *Dixit senex: Peregrinatio quæ propter Deum fit, bona est, si habuerit & silentium; nam fiducia non est peregrinatio.* Iterùm, *Interrogauit Abbas Pambo Abbatem Antonium, dicens, Quid faciam? respondit ei senex: Noli esse in iustitiâ tuâ confidens, neque pœnitearis de re transactâ, & continens esto linguæ tuæ, & ventris.* Denique, Dixit S. Gregorius: *Quia hæc tria exigit Deus ab omni homine qui est Baptismum consecutus, id est fidem rectam ex totâ animâ & virtute, linguæ continentiam, & castitatem corporis.* Quantâ itaque laude dignum est silentium, sine quo nullus etiam in Ecclesiâ Ordo inuenitur Religiosus, sine quo omnis Ordo verus est dis-ordo & confunditur, omnis vana est religio: ideoque quia eius apud PP. Carthusianos strictior quàm alibi viget obseruantia, omnes, cuiuscumque Instituti fuerint, ad eos Religiosi transire possunt.

Quàm insigni apud Patres silentij obseruatio. Matth. 12. Lib. 3. c. 12. Lib. 2. c. 30. Lib. 5. Libello de Obedientiâ. Lib. 8. c. 49. Ibid. c. 85. Lib. 5. Libello de Continentiâ, n. 27. Num. 39. Quanta commendatio. Lib. 7. c. 32. num. 2. Num. 3. Num. 4. Lib. 5. Libello 1. de Profectu Patrū, num. 2. Num. 3.

23. Neque mirum cuipiam videri debet, tanta à Christianæ fidei lumine ac statu gratiæ diuinæ adscripta esse taciturnitati præconia, vbi omnes virtutes in excellentiori gradu exerceri cōuenit, quandoquidem ipsa naturæ solùm lux tanta eius encomia Ethnicos edocuerit. Hesiodus inprimis, *Qui non nouit*, inquit, *tacere, nescit loqui. Pœnituit aliquando locutum esse, tacuisse numquam.*

Optimus est homini linguæ thesaurus, & ingens
Gloria, quæ parcis mensurat singula verbis.

Item: *Effrænioris & exlegis dementiæ extremum infelicitas occupat. Linguam compescere, virtus non minima est. Mors & vita in manibus linguæ. Maledicentia stultorum thesaurus, quem in linguâ conditum tenent. Qui inconsideratè loquitur, sentiet mala.* Seneca verò: *Stultus non nouit silentium seruare.*

Percontatorem fugito, nam garrulus idem est:

Horatius autem sic: ——— *semel emissum volat irreuocabile verbum.* Alius item: *Lingua si infrænis est & prodiga, interdū maximarum cladium organum est: at si pura & prouida, in eâ particulâ ingentium bonorum fomites latent, & prudentia inesse accipitur.* Inter alia Sapientum dicta & hoc est, ——— *digito compesce labellum.* id est Tace. Et huiusmodi sexcenta alia. Imò & apud Gentiles integræ quandoque scholæ ad multos vsque annos silentij professionem faciebant.

Quàm Ethnici silentiū laudauerint.

24. Hæc extra orbitam, & præter instituti nostri scopum, qui animarum, quæ in Purgatorio detinentur, subsidium concernit, dicta nequaquam esse puto, quinimmò vel maximè conuenire arbitror, eò quòd silentij neglectus sæpenumerò occasio esse soleat, quòd defunctis adeundum sit Purgatorium; & vt inde eripiantur, silentij obseruantia. Hoc enim frequenter vult Altissimus, vt defuncti solatium capiant ex illis præcisè actibus, ob quorum defectum ipsi Purgatorij ignibus fuerunt addicti. E pluribus exemplis, in quibus huius rei euidentissima præbentur documenta, hoc seligamus. *Frater quidam, Durannus nomine de Bredon, priùs idiota apparens, posteà Mosiacensis Abbas non incongruus, deinde ad Tolosanum Episcopatum sapientiæ prærogatiuâ promotus, inter operarios agriculturæ Dei merito sollicitudinis & industriæ claruit. Hic circumspectus per cetera, verba risum mouentia sæpè incautiùs proferebat. Quâ de re Ven. Pater Hugo Abbas, cuius Monachus fuerat, multoties eum increpans, nec satis proficiens, de futuro interminans, propheticè sic commo-*

Quomodo silentij exercitium ad Purgandorū materiam spectet. Vincent. Belluacens. in Specul. hist. l. 26. c. 5.

commonuit: Ecce frater charissime, nisi ludicra vero Monacho prorsus interdicta viuens dimiseris, post mortem enormiter apparebis. Quod sanè vaticinium eo migrante constat fuisse completum. Nam Seguino Capellano Patrus apparens spumoso ore, postulauit flebiliter eius adiuuamen, cui noluit obedire dum viueret. Hoc vbi Domino Abbati Seguinus retulit, praecepit vt Fratres vnâ hebdomadâ pro defuncto taciturnitatem proprij oris continuarent, ad hoc septem Fratribus electis. Ceteris obedientibus, vnus eorum voti contemptor silentium interrupit. Rursus Pontifex eidem reuelatus est, valdè conquestus super illo Fratre perfido, qui dum non siluit, sanitatem illius interpolauit. Audiens ista piissimus Hugo, praecepit vt fractura silentij quae per vnum contigerat, aliorum septem dierum silentio farciretur. Quo facto, anima Pontificis tertiò reuelata in statu Apostolico se exhibens, Purgatorio suo memorato, semperq; memorando Hugoni gratias suae integritatis reportauit.

25\. *Explicantur damna quae ex vitio palati eueniunt.* Hactenus de linguâ coërcendâ: modò de palati ac gutturis agemus ingluuie, quae in eduliorum poculentorumque vel lautitiâ vel abundantiâ committi solet. Non enim homo se inter ieiunandum solùm, sed etiam inter comedendum & bibendum mortificare potest. Audiamus quomodo sancti Patres clarissimè doceant, excessum in hisce & posse, & esse per mortificationis exercitium refraenandũ. D. Gregorius Magnus quinque nos modis à gulâ tentari docuit. *Sciendum est,* inquit, *quia quinque nos modis gula vitium tentat.* (Lib. 30. Moral. *Quinque modis à gulâ tentamur.*) *Aliquando namque indigentiae tempora praeuenit: aliquando verò non tempus praeuenit, sed cibos lautiores quaerit: aliquando quaelibet sumenda sint, praeparari accuratiùs expetit. Aliquando autem & qualitati ciborum & tempori congruit, sed in ipsâ quantitate sumendi, mensuram moderatae refectionis excedit. Nonnumquam verò & abiectius est quod desiderat, & tamen ipso aestu immensi desiderij deteriùs peccat.* (1. Reg. 14.) *Mortis quippe sententiam patris ore Ionathas meruit, quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit.* (Num. 11.) *Et ex Aegypto populus eductus, in eremo occubuit, quia despecto manna, cibos carnium petiit, quos lautiores putauit.* (1. Reg. 2.) *Et prima filiorum Heli culpa suborta est, quòd ex eorum voto Sacerdotis puer, non antiquo more, coctas vellet de Sacrificio carnes accipere, sed crudas quaereret, quas accuratiùs exhiberet. Et cùm ad Ierusalem dicitur:* (Ezech. 16.) *Haec fuit iniquitas Sodomae sororis tuae, superbia, saturitas panis, & abundantia; apertè ostenditur, quòd idcircò salutem perdidit, quia cum superbiae vitio mensuram moderatae refectionis excessit.* (Genes. 25.) *Et primogenitorum gloriam Esau amisit, quia magno aestu desiderij vilem cibum, scilicet lenticulam, concupiuit: quam dum vendendis etiam primogenitis praetulit; quo in illam appetitu anhelaret indicauit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. Vnde & lautiores cibos plerumque sine culpâ sumimus, & abiectiores sine reatu conscientiae degustamus.* (3. Reg. 17.) *Hic quippe, quem diximus, Esau primatum per lenticulam perdidit, & Elias in eremo per virtutem spiritus carnes edẽdo seruauit. Vnde & antiquus hostis, quia non cibum, sed cibi concupiscentiam, esse causam damnationis intelligit:* (Genes. 3.) *& primum hominem sibi non carne, sed pomo subdidit; & secundum non carne sed pane tentauit.* (Matth. 4.) *Hinc est quòd plerumque Adami culpa committitur, etiam cùm abiecta & vilia sumuntur. Neque enim Adam solus, vt à vetito se pomo suspenderet, praeceptum prohibitionis accepit. Nam cùm alimenta quaedam saluti nostrae Deus contraria indicat, ab his nos quasi per sentẽtiam vetat; & dum concupiscentes noxia attingimus, profectò quid aliud quàm vetita degustamus? Ea itaque sumenda sunt, quae naturae necessitas quaerit, & non quae edendi libido suggerit.* Sic Gregorius.

Quot verò & quae mala tum animae tum corpori adferat pessimum illud gulae vitium, praeter quotidianam experientiam docent & dicunt SS. 26. Patres. S. Gregorius ait: *Gula innumera vitiorum agmina ad animae conflictum producit.* (In Lib. Regũ.) item alibi: *Dominante gulae vitio, omne quod homines fortiter egerũt, perdunt; & dum venter non restringitur, simul omnes virtutes obruuntur.* (Lib. 30. Moral.) item: *Cocorum princeps muros Ierusalem deiecit; quia dum venter ingluuie tenditur, virtutes animae luxuriâ destruuntur.* (In Pastoral. p. 3. admonit. 20.) item: *De ventris ingluuie inepta laetitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur.* (Lib. 31. Moral.) quod latiùs alibi ita explicat: *Gulae deditos superfluitas locutionis, leuitas operis atque luxuria comitatur.* (In Pastorali vbi supra.) *Nisi enim illos immoderata loquacitas raperet, Diues ille, qui epulatus quotidie dicitur splendidè, in linguâ grauiùs non arderet, dicens:* (Luc. 16.) *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flammâ.* (*Diues epulo ob gulae vit. mirabiliter cruciatur.*) *Quibus profectò verbis ostenditur, quia epulando quotidie, crebriùs in linguâ peccauerat, qui totus ardens, refrigerari se in linguâ praecipuè requirebat. Rursum quia gulae deditos leuitas operis protinus sequitur, auctoritas sacra testatur, dicens: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Quos plerumque edacitas vsque ad luxuriam pertrahit: quia dum satietate venter extenditur, aculei libidinis excitantur. Vnde & hosti callido, qui primi hominis sensum in concupiscentiam pomi aperuit, sed in peccati laqueo strinxit, diuinâ voce dicitur: Pectore & ventre repes. ac si apertè diceretur: Cogitatione & ingluuie super humana corda dominaberis.*

Sed & in potu gulae vitium consistit, cuius filia tandem est ebrietas, quae quantum sit malum, 27. vel è solo S. Basilio disce. (Homil. 14. in Ebrietatẽ.) *Ebrietas,* inquit, *daemon est voluntarius, & voluptate animabus nostris inditus. Ebrietas malitiae mater est, virtutis inimica: fortem virum reddit ignauum, ex temperato facit lasciuum, iustitiam ignorat, prudentiam extinguit. Sicut enim aqua igni est aduersa, sic vinum immodicum rationem supprimit.* (*Quot ex ebrietate damna proueniant.*) *Quâ in re, dic homo miser, à brutis differs? Nonne rationis munere, quam à Deo omnium conditore accepisti, reliquae creaturae omnis factus dominus & Imperator? Hoc igitur te mentis lumine per ebrietatem priuans, inter bestias ratione carentes annumerari poteris, similisq; illis videri. Nec solùm eò peiores brutis, quòd mente insani aut ebrij, sed etiam quòd sensibus longè infra illa deficere videantur. Quod quaeso animal ita visu auditúve, atque ebrius homo, debilitatur? Nonne familiarissimos interdum ignorant, alienis verò saepè vt domesticis congrediuntur? An non vmbras saepenumerò tamquam sulcos aut loca praerupta transiliunt? Aures terrifico sonitu more fluctuantis maris refertas habent: terra interdum insurgere, atque in arduum ac rectum erigi, montes verò circummoueri videntur? Quandoque ab re & praeter modum rident, nunc verò sine consolationis remedio plorant: nunc item audaces & temerarij, mox timidi & ignaui.* (*Indigna sanè res ebrietas.*) *Lymphatus, & malo daemone captus, misericordia quidem dignus; ebrius verò eadem ferè & ipse patiens, minimè misericordiâ dignus, qui spontaneo seruit daemoni..... Ebrietas itaque rationis interitus, fortitudinis pernicies, senectus immatura, mors momentanea. Quid, quaeso, sunt ebrij, quàm Gentium idola? Oculos habent, & non vident; aures habent, & non audiunt: manus paralysi affectas habent, pedes*

infirmos ac facilè offendentes. Proinde gula non tantùm quoad cibum, sed etiam quoad potum restringenda;& eius mortificatio tam in potu quàm in cibo moderando consistit.

28. *In hanc & alij Patres inuecti, S. Hieronymus* in cap. 5. ad. Galat. 1.Cor.6. Luc. 21. Ephes. 5.

Sed quid S. Hieronymus, quid S. Ioannes Chrysostomus hac de re docuerint, videamus. Ille igitur sic ait: *Quartumdecimum locum inter carnis opera, ebrietas tenet. Ebriosi quippe regnum Dei non possidebunt. Et Dominus ad discipulos, Cauete, ait, ne fortè grauentur corda vestra in vino & crapulâ. Vino hominis sensus euertitur, pedes corruunt, mens vacillat, libido succenditur. Vnde Apostolus clamitat: Et vinum in quo est luxuria. Habet vnusquisque sententiæ suæ potestatem: ego Apostolum sequor, in vino esse luxuriam, in vino ebrietatem. Ebrietatem autem & luxuriam inter carnis opera numerari, nec ille potest negare qui eisdem passionibus vincitur, &c.* Hic verò quæ sequuntur scribit. *Sed sufficit,* inquit, *etiam hoc diaboli furorem deprimere, cui nemo magis amicus est, quàm qui deliciis & ebrietate maculatur: hic enim fons, hæc mater atque origo vitiorum omnium est. Hac viâ olim Hebræos in cultum diabolus idolorum iniecit, hac iniquos amores Sodomitarum inflammauit....... Quid enim deliciarum hæc fœditas mali non inducit? Sues ex hominibus facit, imò verò etiam suibus multò deteriores. Audiui enim multos, cùm insanæ istæ acciderunt passiones, dicentes: Vtinam non esset vinum! O amentiam singularem! ô stoliditatem inauditam! Alij delinquunt, & tu Dei tui dona criminaris? Putásne à vino hoc factum malum? Non fecit vinum certè, sed incontinentia eorum qui vino abusi sunt...... Non vinum, sed ebrietatem crimineris: & ebrio, cùm in se fuerit reuersus, omni dedecore suo priùs descripto, dicas, datum esse vinum ad lætitiam, non ad turpitudinem nostram: datum est vt rideamus, non vt derideamur: vt rectè valeamus, non vt ægrotemus: vt imbecilla corpora reficiamus, non vt robur animi deiiciamus. Honorauit te hoc munere Deus, cur dehonestas propter intemperantiam bibendi, teipsum......... Quantò melior asinus ebrioso est, quantò canis præstantior? Omnes certè animantes, quæ rationis expertes sunt, cùm bibunt aut comedunt, vltrà quàm satis est, etiamsi mille homines cogerent, numquam elabuntur,* &c. Abstinuerunt ergo à vino, in mortificationis exercitium, plures Sancti, ne tantæ, quanta in gulâ est, ruinæ se exponerent. Quin alij etiam in aquæ potu sibi diminuendo sese macerauerunt, eiusque rei exemplum adducit S. Augustinus Dauidem Regem, quem suimet ipsius reprehensorem extitisse scribit, quòd aquæ haustum feruidiùs expetisset. quin ipsa Scriptura sacra eamdem Deo velut in sacrificium aliquod libatam ab eo fuisse asseuerat. Verba textus sacri hæc sunt: *Desiderauit Dauid, & ait: O si quis mihi daret potum aquæ de cisternâ, quæ est in Bethleem iuxta portam! Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, & hauserunt aquam de cisternâ Bethleem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid. At ille noluit bibere, sed libauit eam Domino, dicens: Propitius mihi sit Dominus, ne faciam hoc: num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* En vt haustus vnus aquæ sacrificij instar sit. Hinc est quòd nonnulli Sancti etiam in eius potu admodum parci & mortificationis studiosissimi fuerunt. S. Arsenius aquam fœtidam bibere solitus erat: S. Arnulphus Episcopus, vt gustatum falleret, turbidam. D. Franciscus Assisias aquâ frigidâ cibos suos perfundebat. B. Gregorius Lingonensis, vt abstinentiam, quam faciebat, alios celaret, aquam, quam modicè etiam bibebat, vino aliquantulo permiscebat; vnde fiebat vt nec vini nec aquæ gustum perciperet.

& S. Ioannes Chrysostom. Homil. 58. in Matthæum.

Ebrij bestiis indigniores.

In cap. 14. ad Roman.

2. Reg. 23.

Quandt sint in potu sese mortificantium exempla.

Sed, eheu! alia nunc sæcula, & vino, alioque potu esuque sese plurimi adeò ingurgitant, vt non Deo abstinentiam, sed ventri suo gulæ ingluuiem sacrificare adsuescant. Possum iure merito illa D. Pauli Apostoli huc applicare: *Multi ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Christi: quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiũt.* Et vt verè constet, quàm propriè gulosi idololatris assimilentur, Hugonem hìc in Claustro suo loquentem audiamus. *Solent diis, in templa construi, altaria erigi, ministri ad seruiendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari. Deo siquidem Ventri templum est coquina, altare mensa, ministri coqui, immolatæ pecudes coctæ carnes, fumus incensorum saporum odor.* Alij Scriptores, vt infamem gulæ turpitudinem, & turpem infamiam describerent, insatiabile illam monstrum esse significarunt. *Hæc pestilentia,* inquit Alanus, *non vulgari humilitate contenta, profundiùs se porrigit in Prælatos, qui salmones, lucios, ceterosq; pisces æquipollenti generositate præsignes, variis decoctionum cruciatos martyriis, baptizari adulterantes officium, sacri piperis fonte baptizant, vt ex tali baptismate baptizati multiformem saporis gratiam consequantur. In eadem mensâ terrestre animal piperis inundatione submergitur, piscis natat in pipere, auis eiusdem viscositate ligatur: dumq; tot animalium genera vno ventris ergastulantur in carcere, aquatile animal secum, pedestre aëreumq; genus in eodem sepulchro intumulari mirantur; quibus fidetur licentia exeundi, egressui vix porta sufficit amplitudo.* Adeò vt non iniuriâ conqueratur Seneca: *Quidquid auium volitat, quidquid piscium natat, quidquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus. Quare nunc cur subitò moriamur; quia mortibus viuimus.* Atque iterùm: *Vna silua pluribus elephantis sufficit, homo verò pascitur vix terrâ & mari.* Iterumque: *Multos morbos fercula multa ferunt, innumerabilesq; morbi innumerabiles coquos numerant.* Eodem pertinent illa D. Hieronymi: *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: omnis qui cum his miscetur, non erit sapiens. Ne tales accipiamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut comesos, magno partos & perditos labore doleamus. Olerum, pomorum, ac leguminum, & facilior apparatus est, & arte impendiisq; coquorum non indiget; & sine curâ sustentat humanum corpus, moderateq; sumptus (quia nec auidè deuoratur, quod irritamenta gulæ non habet) leuiore digestione concoquitur. Nemo enim vno aut duobus cibis, hisq; vilibus, vsque ad inflationem ventris oneratur, quæ diuersitate carnium, & saporis delectatione percipitur. Cùm variis nidoribus fumant patinæ, ad esum sui, expletâ esurie, quasi captiuos trahunt; vnde & morbi ex saturitate nimiâ concitantur, multiq; impatientiam gulæ, vomitu remediantur; & quod turpiter ingesserunt, turpiùs egerunt. Hippocrates in Aphorismis docet, crassa & obesa corpora, quæ crescendi mensuram compleuerint, nisi citò ablatione sanguinis imminuantur, in paralysim & pessima morborum genera erumpere, & idcircò necessariam esse demptionem, vt rursum habeant in quæ possint crescere: non enim manere in vno statu naturam corporum, sed aut crescere semper, aut decrescere; nec posse viuere animal, nisi crescendi capax sit. Vnde & Galenus, vir doctissimus, Hippocratis interpres, athletas, quorum vita & ars sagina*

29. *Deplorandus modò ebriorum mos est.*

Philipp. 3.

Hugo in Claustro.

De Cõplanctu naturæ.

Gulosis nihil vmquam satis.

Seneca 10. Rhet.

Epistolâ 7.

Ibidem.

Lib. 2. Aduersus Iouinian.

Quomodo in hos inuectus fuerit D. Hieronymus.

gina est, dicit in exhortatione medicinæ, nec viuere posse diu, nec sanos esse, animasq́, eorum ita nimio sanguine & adipibus quasi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cæleste, sed semper de carnibus, & ructu, & ventris ingluuie cogitare. Denique vt cum Innocentij verbis concludam, *Gula paradisum clausit, primogenituram vendidit, suspendit pistorem, decollauit Baptistam. Nabuzardam princeps coquorum templum incendit, & Ierusalem totam euertit. Baltassar in conuiuio manum contra se scribentem adspexit, Mane, Thecel, Phares, & eadem nocte interfectus est à Chaldæis.* Pluribus opus non est, ex iis enim quæ gula in hominum genere mala operatur, quæ ad eius mortificationem spectent satis apparet.

De Vilitate conditionis humanæ.

Quàm infausti ex gulâ euentus.

30\. Ad auditum accedimus: pro quo inprimis adscribemus quæ habet Ven. P. noster Ioannes à Iesu Maria, qui sic ait: *Auditus mortificatio in eo sita est, vt sibi quis ab inutilibus, vanis ac profanis rebus audiendis caueat; magno verò cum affectu attenteq́, audiat quæ spiritualia ac diuina sunt, qualia sunt conciones, & seruorum Dei præcepta, commonitiones vel correctiones. Quod ab iis qui spirituales esse volunt, requiritur, id est, vt constanter & scitè sermones noxios interrumpere & præcidere, nec non se eorum occasionibus subducere norint, castas ab iis aures conseruando, sicut egregij serui Dei faciunt. Rarum quid est, sese oblatis posse occasionibus subducere atque eripere: at qui rarum quid & singulare agere non intendit, in imo hærebit semper statu, & parum is spiritualis futurus est.* Adiungere non pigebit quæ in eamdem rem scripserunt Reuerendi è Societate Iesu Patres, Iulius Fatius & Franciscus Arias: quorum ille sic inquit: *Considera primò, quia iuxta Sapientis consilium ita debueras sepire spinis aures tuas, sicuti sepiuntur vineæ, ne feræ vel latrones damnum eis inferant: tu contrà, ingenti animæ tuæ damno, murmurationibus, lasciuiis, consiliisq́, peruersis, & quidem innumeris, aperuisti; imò illos, quod peius est, qui de his verba facerent, non rarò prouocasti, studioseq́, loca huiusmodi audiendis opportuna quæsiuisti, tantâ alacritate & auiditate, ac si ab hoc errore, certo quodam modo, salus felicitasq́, tua penderet. Ergo ob tantam impudentiam tuam erubesce, simulq́, statue, te in posterum insolentiam huius tui sensus repressurum & mortificaturum, auresq́, tuas consideratione atrocium illarum spinarum, quæ caput Domini Dei cinxerunt, circumsepturū. Considera secundò, quemadmodum ob exiguum aliquod foramen, aliquando magna nauis perditur, nisi tempestiuè nauta sollicitus illud obturet, & aquas exhauriat: sic etiam ob leue quandoque verbum incautè auditum, solet hostis noster sæpè ingentem nobis machinari cladem, nisi quàm diligentissimè aures occludantur, vel nisi quis, si in admittendis ad aures huiusmodi dictis fuerit remissior, maiori postmodum sollicitudine admissas has pestes ex imaginatione & memoriâ suâ exterminet. Quæ quidem damna si probè intelligas, exclamabis cum Prophetâ Dauid: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Considera tertiò, sicut ciuitas non benè gubernatur, quæ sub portis; etiam pacis tempore, suas non habet excubias, quæque, instante iam bello, non solùm has non auget, sed nec maiora tormenta, hostium profligandorum gratiâ, adhibet. Pari modo, licet anima tua summâ huius vitæ tranquillitate gauderet, semper tamen portam auditus tui deberes habere munitam custodiâ aliquâ, ne quisquam contra legem & præcepta Domini Dei tui per eam ingredi posset in animam tuam. Tempore autem obsidionis, quando videlicet iam ab inimicorum tuorum exercitu inuaditur, & vndique obsidetur, Deus bone! qualis tunc custodia erit necessaria, præcipuè verò ad portam auditus, ceteris infirmiorem? quot item propugnacula sanctarum præparationum & cautionum opponi deberent, nec vlla pars quietis capienda esset, donec edito in loco constitutum esset tormentum illud timoris Dei, quod tantum edebat fragorem in auribus S. Hieronymi, vt diceret: Semper sonat in auribus meis illa terribilis vox, Surgite mortui, & venite ad iudicium.*

In Arte spiritualiter viuendi, p. 3. c. 8.

Quid de auditus mortificatione dicat Venerabilis P. N. Ioannes à Iesu Maria.

Lib. de Mortificatione, cap. 6. Consider. 9.

Quid R. P. Iulius Fatius.

Tres illius ad hanc vtiles considerationes.

Hic verò, P. nimirum Franciscus Arias, cùm prolixè admodum, quibus à rebus auditus coercendus esset, dilleruisset, tandem præcipuam difficultatem ponit in oblectatione cantus, adeoq; sic inquit: *Alia auditus inordinatio est, oblectari cantilenis vanis & leuibus, Musicaq́, harmoniâ ob solam voluptatem aurium: quæ res non modò otiosa, sed etiam noxia est, nisi suum locum habeat mortificatio. Nam, teste S. Basilio, vocis suauitas gignit in mente cogitationes cupiditatesq́, lascinas: quod verissimum est, quando cantiones sunt leues & sæculares, ac tales, quæ à feminis haberi soleant. Quando autem sunt piæ, & ad deuotionem procurandam idoneæ, aliosq́, sanctos compunctionis, & in Deum amoris motus, tum cum magnâ laude audiuntur. Quamuis maioris meriti sit, quando animus noster ad se excitādum tali adiumento non eget, suauitate cantus propter Deum se priuare. Quòd si in melodiâ Musicâ Motetisq́, vt vocant, licet sanctis & religiosis, potiùs oblectatio quàm spiritualis profectus, qui ex argumento decantato decerpi potest, quæratur, aut ad audienda illa non rationis iudicio, sed solâ inclinatione naturali trahamur, tum inordinatio est in auditu, quæ mortificanda est, aut aures obturando concentui, aut intentionem mutando, vt iam non solus suauitatis & voluptatis sensus, sed vtilitas aliqua præ oculis habeatur.* Tum in exemplum adducit S. Augustinum, qui se hac in re admodum peccasse fatetur. *Ita docuit,* inquit, *S. Augustinus in Confessionum libris, vbi declarans, quantam vtilitatem afferat in Ecclesiâ institutum cantandi, & quòd ad lacrymas sæpè commotus sit, confitetur se aliquando suauitate concentus potiùs, quàm rebus cantatis, captum fuisse. Cùm, inquit, mihi accidit, vt me ampliùs cantus, quàm res quæ canitur moueat, pœnaliter me peccasse confiteor, & tunc mallem non audire cantantem. Ecce vbi sum. Flete mecum, & pro me flete, qui aliquid boni vobiscum intus agitis, vnde facta procedunt. Tu autem Domine Deus meus exaudi, respice & vide, & miserere, & sana me.*

31\.

Quid & de eadem re R. P. Francis. Arias.

Tract. de Mortificatione volūt. cap. 18.

Lib. de Verâ virginitate.

Lib. 10. c. 31.

Auditus aliquando nos ad Deum excitat.

Quæ porrò de sensu odoratus mortificando & reprimendo iidem, quos iam citauimus, è Societate Iesu Patres scripserunt, ne iusto simus prolixiores, adscribemus. Franciscus ergo Arias sic scribit: *Quando boni odores vsurpantur in rebus necessariis, nullâ opus habet seruus Dei mortificatione, modò eis vtatur propter necessitatem. At qui vsurpantur in vestibus, manibus, cubiculis, ad delicias & mera oblectamenta sensuum, illi mortificandi sunt & remouendi, eò quòd debito fine virtutis sint destituti. Accedit, quòd qui eiusmodi odores procurant, aut secum deferunt vt ab adstantibus eorum percipiatur fragrantia, declarant se animo valdè sensuales; experientiaq́, docet, homines lasciuos esse odoribus amænis addictissimos. Atque esto, sit aliquis opinione aliorum tantâ virtute præditus, vt illi suspicioni locus non sit, tamen speciem notamq́, mali non effugit, nec paruum indicium dat, quòd longè absit ab imitatione Crucis & abnegatione Christi, quæ consistit in repudiandis omnibus commodis &*

32\.

Tract. de Mortific. volunt. cap. 19.

Quomodo in odoratu nos mortificare possimus.

& illecebris corporis, amplectendisq́; contrariis, quæ pœnam aliquam carni infligant. Exemplum posteà subdit ex Petro Damiano admodum horribile, quomodo nimirum studium quærendorum odorum suauium aliarumque illecebrarum sensualium, castigatum fuerit. Venetorũ Ducis, inquit, coniunx mirè dedita erat fouendo corpori omnis generis deliciis, ac singillatim cubiculũ suum variis iisque suauissimis compleret odoribus. Supremus verò iudex Deus, vt omnibus declararet, quantum hic excessus diuinæ suæ Maiestati displiceret, horribili morbo, qui omnes eius depasceretur & putrefaceret artus, eam percussit. Vnde factum, vt tam fœdos ac intolerabiles expiraret odores, vt eius conspectum amici, famuli ancillæque omnes defugerent: vnicæ ancillulæ tantum animi fuit, vt auderet in conspectum eius prodire, sed ita tamen, vt curriculo ad eam excurreret, & apud eam deponeret quod erat adferendum, ac mox iterùm ob nimiam graueolentiam excederet. Sic illa, cui priùs tot suppetebant seruitia, ab omnibus turpiter deserta, in sordibus teterrimis animam exhalauit. Considerationes quoque nonnullas quoad hunc sensum scripsit Iulius Fatius, quę sunt velut manuductiones quædam, quibus ad detrahendam huic sensui suam voluptatem pertrahamur. *Considera*, inquit, *vsum odorum, si in cultum & honorem Dei tendat, vt rem sanctissimam in Lege diuinâ commendari, concedi etiam & permitti, in remedium alicuius nostræ infirmitatis. Si autem ad solum olfactus sensum, siue nostrum siue alienum, pascendum & oblectandum vsurpetur, ordinatiè non erit sine culpâ aliquâ, cùm nullius virtutis actus sit, neque etiam finem alicuius virtutis respiciat: quæ culpa sine dubio tantò erit grauior, quantò finis huius erit vsus perniciosior. Considera Secundò, quemadmodum canis inuestigando feram, ductus odore vestigiorum eius, huc illucq́; cursitando non quiescit, donec feram apprehendat & teneat vnguibus: sic & tu tractus odore creaturarum, quæ veluti certa Domini tui sunt vestigia, sæpè te ad ipsius cognitionem & amorem ita eleuare deberes, vt vita, diuinæq́; ipsius perfectionis fragrantiâ motus, numquam quietem caperes præ desiderio illius in cælo fruendi. Considerans verò quàm frequenter sensus huius tui insatiabilem impetum secutus, instar corui ad fœtorem cadauerum huius mundi aduolâris, qui ad verum Noë, à quo vitam & omne bonum accepisti, velut altera columba, redire debueras, dolorem in te competentem excitabis.* Quibus velut succenturiatorem addemus R. P. Ioannem à Iesu Mariâ qui sic inquit: *Mortificatio olfactus in eo consistere perhibetur, vt ab olfaciendis iis suauitatibus, quæ ad spiritum non faciunt, quis abstineat: imò verò quæ naribus displicent & nauseam pariunt, non grauiter ferat, quin imò olfaciat, vt hoc modo odoratus sensum mortificet; quod magno suo merito serui Dei facere solent. Huic tamen doctrinæ non aduersatur, flores & alia id genus interdum olfacere, vt sic animus ad Deum illorum conditorem laudandum sustollatur: quamquam & his odoribus abstinere, vt per hunc mortificationis actum Deus laudetur, maioris esse meriti soleat.*

33. Tactum denique, vt vel tandem Caput hoc, in quo prolixiores fuimus quàm volumus, finiamus, quod attinet, quamuis plurima adduci queant, vt tamen portum contingamus, breuiter nos expediemus. R. P. noster Ioannes à Iesu Maria hæc habet: *Sensus huius, nimirum tactus, mortificationem in eo ponimus, vt tangere caueamus; non modò ea quæ impura & castitati parum sunt conformia, sed etiam ea quæ leuia sunt & mollia, & tacta delectant, qualia solent esse vestes ac lecti diuitum. de quâ re plura hìc non dicam, cùm quæ ad hanc materiam pertinent, satis sufficienterq́; intelligantur vel obiter indicata.* R. P. Iulius Fatius aliquantulò habet plura, dum sic inquit: *Considera primò, cùm sensus tactus nulli certæ corporis parti sit adstrictus, vt alij sensus, sed sparsus & diffusus per totum corpus, accidit, vt quò latiùs diffunditur, eò maius hominibus incautis & improuidis periculum & detrimẽtum afferat. Cumq́; similis sis ciuitati portis & muris destitutæ, quæ hostium incursibus vndique patet; curandum tibi est, vt ab omni parte tui ipsius custos sis sollicitus, reiiciendo quàm citissimè omnem occasionem, quæ te ad lapsum inducere posset. Considera secundò, sicut ardentes prunæ tangi non possunt, quin vrant; nec extinctæ etiam, quin aliquantulum saltem etiam inficiant: ita quoque ex tactu rerum viuarum aut morbidarum tam in te quàm in aliis personis, resultat quoddam incentiuum, aut nescio quæ titillatio affectus sensualis, vnde concupiscentiæ nostræ stupa inflammatur, aut minimùm puritas mentis nostræ contaminatur.......... Atque hac de causâ sancti homines pro antidoto contra primum incommodum adhibere solebant contactum rerum asperarum, & contactui valdè aduersantium, vt sunt cilicia, catenæ ferreæ. Cauendi verò alterius incommodi causâ abstinebant prudenter à contactu rerum quantum poterant. .... Considera tertiò, primam mortificationem factam in hoc mundo, fuisse tactus, quando scilicet Adam post peccatum suam nuditatem non aliis voluit tegere foliis quàm ficulneis, vt eorum asperitate, quasi naturali quodam cilicio, hunc sensum tactus in se ipso mortificaret. Tu ergo cùm eiusdem sis peccati particeps in Adamo, imitaberis illum etiam in pœnâ; tantò maiori asperitate sensum tactus in te ipso mortificans, quantò peccata tua numero saltem fuerunt plura & grauiora, quàm quæ ipse commisit Adam in paradiso terrestri.*

R. P. Franciscus Arias quoad hanc materiam sic loquitur: *Sensus tactus multos habet abusus & inordinationes necessariò mortificandas, eò quòd toto corpore hominis sit diffusus, & appetitui sensitiuo proximus, ac omnium corporearum oblectationum seminarium, omnesq́; sensus, quorum ministerio ad aucupandas suas voluptates vtitur, quasi veneno inficit.......... Inprimis hic sensus tactus ad obtegendum corpus postulat vestes molles & pretiosas, quæ tactu suo carnẽ oblectent. Hic abusus sic per mortificationem corrigendus est, vt nuditati corporis tegendæ vestis honesta pro cuiusque statu adhibeatur, quæ non voluptati sed necessitati, hoc est, arcendis cæli iniuriis deseruiat. Quòd si mollitie nimiâ vestium Deum aliquando offenderimus, æquum est, vt asperiore quoque vestitu, ciliciq́, sacci, vel alio, Deum nobis reconciliemus.......... Deinde hic sensus ad capiendum somnum gaudet mollibus lectis, & stragulis percommodis. Vnde fit, vt diutiùs in eo hæreat quàm necessitas postulet, & ægriùs manè surgat, occasionemque præbeat sordidis multis cogitationibus & insomniis, grauioribusq́; lapsibus. Otium enim lecti aliud non est, quàm esca & fomes vitiorum, impedimentum orationis & bonorum operum. Mortificari autem in hoc genere debet tactus, mollitiei ademptione, commutationeq́; plumarum cum tomento laneo culcitrarum, & nonnumquam humicubatione. Durities enim strati faciet, vt tempestiuè manè exurgat, nec orationem negligat, ac etiã vt noctè aliquando ad imitandas Sanctorũ vigilias diuinis laudibus celebrandis inuigilet. Alius huius* 34.

Lib. de Contemptu sæculi, cap. 9. *Horribile nimium odores curantis exemplum.*

R. P. Iulij Fatij considerationes. Lib. de Mortificat. cap. 6. consid. 11.

Vtiliter hæ à nobis expenduntur.

Lib. de Arte viuẽdi spiritualiter, p. 3. cap. 10.

Quantum ad tactus mortificationem audiatur R. P. N. Ioannes. Ibid. cap. 11.

R. Etiam P. Iulius Fatius. Lib. de Mortificat. cap 6. consid. 10.

Cuius tres iterùm adferimus considerationes.

Tract. de Mortificatione voluntatis, cap. 15. *Habet & insignia pro præsentibus R. P. Arias.*

ius sensus abusus est, affici tractandis manu rebus lenibus & delicatis, vt manibus aliorum, corporibus infantium vel animantium, vel etiam proprio, non ad necessitatem, sed tantùm ad capiendam aliquam voluptatem. Hic abusus, mortificationis ope rescindendus est: nam consuetudine tractandarum rerum leniorum, tangendi sensus semper magis magisq; accenditur, vt facilè *Prædicta exemplis confirmantur.* *posteà prorúat in multò deteriora.* Et quoniam exempla plus mouent quàm verba, sequenti capite varia Sanctorum exempla recenset, qui miris sanè modis huius in se sensus affectum extinxerunt. S. *Gaufrid. in eius Vitâ.* Ludouicus, ait, Francorum Rex, licet tenero corpore esset, tamen aspero carnem domabat cilicio, vel cùm valetudo non ferret, ex consilio Confessarij cum aliâ pœnitentiâ commutabat. S. *Aretinus in eius Vitâ.* Zenobius, Episcopus Florentinus, licet à parentibus nobilibus delicatè enutritus esset, tamen postquam Deus ei oculos mentis aperuit, omnibus corporis commodis renuntiauit, magnaque seueritate carnem afflixit, atque in primis cilicio; nec, cùm ad Episcopatum, hoc est, ad grauiores labores esset euectus, quidquam de priore asperitate detraxit, sed potiùs adauxit. S. Paulinus Episcopus Nolanus, cilicio ex pilis camelorum consuto carnem domuit: cumque Seuerus Sulpitius, singularis eius amicus, aliquando cilicium illi misisset, magnas ei gratias egit, vsum eiusdem ceterarumque asperitatum per epistolam valdè *Qui sese in vestitu mortificauerint.* collaudans. S. Edmũdus Cantuariensis Archiepiscopus à puero ex materna disciplinâ vsus est cilicio. Et cùm Parisios studiorum causâ amandaretur, bina secum detulit; ac quoties mater ei recentia mitteret indusia, ciliciolum quoque addebat, suadens vt quaque hebdomada biduo triduóve eo vteretur. Alij Sancti non contenti ciliciis ex equinis crinibus, setis vel pilis contextis, corpora sua castigarunt loricis ferreis, vt S. Guilielmus Aquitaniæ Dux, qui post conuersionem suam vsque ad obitum eam deportauit: & B. Dominicus, ab eadem dictus Loricatus. Alij vinculis ferreis colla, humeros, brachia, lumbos onerarunt, vt Theodosius, Eusebius, Iacobus, alij, quorum meminit in Historiâ religiosâ S. Theodoretus. Vsurpatæ quoque crebrò fuere à Sanctis disciplinæ, hoc est flagella è virgis vel funiculis nodosis confecta. B. Odo desertâ seculari militiâ, quotidie iis carnem spiritui subiicie- *Qui in flagellatione.* bat. S. Nicolaus Tolentinus inter ceteras pœnitentias, quas frequentabat, duris disciplinis corpus diuexabat. S. Brigidæ parens Birgerus, licet nobilissimus, & è stirpe regiâ, quoque die Veneris, ad glorificandum in corpore suo Christum, acriter in illud sæuiebat. vnde & sancta prole à Deo donatus est, nempe S. Brigida. Fuere & alij homines Dei, qui non ipsi modò se diuerberarunt, sed etiam ex humilitate ab aliis cædi voluerunt: vt S. Laurentius Archiepiscopus Dublinensis in Hiberniâ, ex regiâ stirpe oriundus, qui à quodam familiari suo ter in dies singulos acrium ictus virgarum tergo excepit. S. Dominicus Ordinis Prædicatorum institutor, non contentus qualibet nocte catenâ ferreâ corpus suum tribus ictibus ferire, semel pro se, iterùm pro peccatoribus huius mundi, tertiò pro animabus in Purgatorio existentibus; ab aliis quoque volebat eâdem diuerberari. Mortificarunt se quoque ratio- *Qui & ratione lecti.* ne lecti. S. Audoënus Rothomagensis Archiepiscopus in asperis virgultis somnum capiebat: S. Andreas noster Fesulanus Episcopus in sarmentis: S. Iuo in nodosis virgis. S. Radegundis regina cilicium in cinere pro lecto vsurpabat, remotâ commoditate plumarum & linteaminum.

Iam autem & in habitatione occasionem sese 35. mortificandi quæsiuêre: multi enim inclusêre se *In habitatione verò illi.* casulis perexiguis & angustis, in quibus magno æstu torrebantur, aliisque cæli iniuriis vexabantur; sed illi solis inferni cruciatibus menti obiectis fatebantur, ista toleratu facilia, multò autem magis, cùm oculos erigerent ad immensa cælorum spatia, quæ in omnem æternitatem erant inculturi. S. Olympius Abbas in specu iuxta Iordanem sedem delegerat, in quo & ardoribus solis valdè vrebatur, & culicum aculeis miserabiliter configebatur. Rogatus autem, quomodo æquo animo tam incommodum locum perferre posset, respondit, se æstum patienter ferre, vt liberari posset ab ardoribus inferni; culicum verò morsum, ad præcauendum vermem conscientiæ, damnatos in perpetuum morsurum. Quin & alia quædam exempla nunc addimus illorum, qui in reliquis sese sensibus mortificauêre. nam *Isti in tetris odoribus.* & neque defuerunt homines Dei qui tetris odoribus percipiendis se duriter afflixerunt, propterea quòd curandis suauibus odoribus plus nimio se in sæculo oblectassent. S. Arsenius enim à suis rogatus, cur aquam, in quâ palmarum folia molliebat & macerabat, non subinde mutaret, cùm grauem & tetrum admodum odorem putrefacta naribus adspiraret; respondit: Ego me olim nimiâ suauium odorum fragrantiâ in perniciem animæ meæ oblectaui, nũc autem damnum cõpensare conor odoribus contrariis. Alia mor- *Varij etiam quoad gustũ.* tificatio Sanctorum fuit cibis rerum insipidarum inspersione vel mixtione adimere omnẽ gustum, vti faciebat B. Richardus Confessor, qui panem auenaceum, quo vescebatur, cinere conspergebat: & S. Franciscus, qui nunc cinere nunc frigidâ aquâ cibos perfundebat. Idem factitabant in potu: nam B. Gregorius Lingonensis Episcopus, vt abstinentiam suam alios celaret, aquam, quam bibere solitus erat, modico vino tingebat, & sic nec aquam nec vinũ gustabat. Aliud genus mortificationis olim sancti suscepêre, & nunc multi retinent, vt nudatis incederent pedibus, & frigus aliaque incommoda amore Dei libéter perferrent. S. Gudula Comitis Vitgeri filia, virgo li- *Nõnulli quoad incessum.* cet tenera, sine calceis etiam hieme incedebat; ad tegendam autem hanc mortificationem, quoties in conspectum aliorum ventura erat, calceos quidem pedibus inducebat, sed sine inferiore solea. Nonnulli Sancti totum vitæ tempus, vel magnam eius partẽ, sine vllo corporis integumento, nullâ cæli inclementiâ absterriti, traduxêre, *Errauerunt quidam in solitudinibus.* noctu diuque errantes in montibus & solitudinibus, sanctissimisque contemplationibus cælo inhærentes, vt fuêre sanctissimi quique Eremitæ, Macedonius, Iacobus, Simeon, Daniel Stylita, S. Onuphrius, S. Maria Ægyptiaca, & alij multi eorum imitatores. Illa quoque mortificatio quibusdam placuit, vt licet naturâ duce corporis nitorem & munditiem amarent, tamen sui vincendi causâ facerent contrarium. Scribit S. Athanasius, D. Antonium Eremitam numquam corpus suum, licet cilicio tectum, lauisse, minùs pedes, nisi quando opus erat flumen vadosum traiicere.

E

E quibus videre licet, quantum sensuum exteriorum abusu peccari, quantumque refrænatione eorum pro delictis satisfieri possit & soleat; ac propterea quia nihil coinquinatum ingredi cælum valet, certum hinc atque indubitatum euadit, multis fidelium animabus, ad horum reatus exsoluendos, frequenter in Purgatorij suppliciis diutiùs hærendum esse: à quibus quandoquidem, vt superiùs etiam monuimus, per contrariam illorumdem sensuum mortificationem potissimùm eximi possint, nemini non manifestum est, cur prolixius hoc Caput, ad declarandum inter cetera purgandorum opem, rectè pertineat, adeoque meritò hoc in loco adductum fuerit.

Quomodo dicta omnia animabus Purgatorij applicentur.

CAPVT XX.

Eleemosynæ pro animarum salute erogatæ, feruentissima illarum extinguunt & sopiunt incendia.

1. QVAMQVAM de omnibus illis, quibus defunctorum animas è Purgatorij pœnis tum hactenus probauimus tum in posterũ probaturi sumus, ditissima tam sacræ Scripturæ quàm SS. Patrum supellex reperiatur, nihil tamen, vnico sanctissimo Missæ sacrificio excepto, pluribus aut efficacioribus rationibus ad idipsum valere commendatur quàm eleemosyna & in pauperes egenosque liberalitas: & quidem sat rectè, cùm eleemosyna, vt suprà haud semel è Doctore Angelico patuit, nihil, post Missæ sacrificium, defunctis sit vel vtilius vel magis proficuum. Audire mihi videor aureum illud os D. Ioannis Chrysostomi, sublimi sanè præconio eleemosynas, quæ iuuandarum animarum intuitu expenduntur, deprædicans. *Cur post mortem tuorum*, inquit, *pauperes conuocas? cur Presbyteros vt pro eis velint orare obsecras? Non ignoro te responsurum: Vt defunctus requiem adipiscatur, vt propitium iudicem inueniat.* Alibi sic loquitur: *Si peccator, & qui sæpenumerò Deum offenderit, moritur, is deflendus est, vel potiùs minimè, cùm nihil illi adferat vtilitatis: sed ea facienda quæ ei aliquid conferre possint, eleemosynæ & oblationes.* Et infrà: *Vis mortuum honorare? aliâ viâ aggrediendum est: fac eleemosynas, liturgias, &c.* Alibi item ita ait: *Si eleemosynam damus, etsi ille indignus sit, nobis Deus placatior erit. Si per Paulum alios seruauit, & per alios aliis parcit; quomodo non & propter nos idipsum faciet? Ex illius opibus, è tuis, vnde volueris, iuua: instilla oleum, imò aquam: non potest suas eleemosynas ostentare, licet cognatorum; non habet eas quæ factæ sunt à se, tametsi factas pro se.*

Post Missæ Sacrificium nihil efficacius mortuis prodest quàm eleemosyna.

Ad hanc proiis faciẽdam nos adhortãtur Patres.

Homiliâ 32. in Matthæũ.

Homiliâ 61. in Ioannem.

Homiliâ 21. in Acta.

2. Modum verò quomodo facienda sit pro defuncto eleemosyna, sic porrò exponit: *Ita cum fiduciâ pro illo deprecabitur tunc vxor, pretium redemptionis pro eo deponens. Quò pluribus peccatis fuit obnoxius, hoc magis opus illi est eleemosynæ. Non propter hoc autem solùm, sed quòd neque æqualem vim habeat nunc, sed multò minorem. Non est autem par quod quis ipse facit, & per alium facit. Itaque cùm minor sit, multitudine maxima faciamus illam. Non circa monumenta, non circa sepulchra occupati simus. .... Placabit hoc Deum, etiamsi non ab ipso factum sit, sed propter ipsum alius sit auctor eleemosynæ. Et hoc dogma est diuinæ misericordiæ..... Multas nobis Deus salutis dedit vias, modò ne negligamus.* Et periodis nonnullis interiectis: *Non frustrà oblationes fiunt pro defunctis, non frustrà preces, non frustrà eleemosynæ: hæc omnia spiritus dispo̅suit, volens vt nos mutuò iuuemus. Vide enim: vtilitatem accipiet ille per te, & tu per illum, contemptis opibus inductus ad faciendum aliquid generosum; & tu illi salutis, ipse verò tibi eleemosynæ factus est auctor. Ne dubita quin erit aliquis fructus suauis.* Et concludens suam pro eleemosynâ in defuncti requiem elargiendâ adhortationem, ait: *Hæc scientes consideremus, quantas consolationes possemus mortuis pro lamentis, pro lacrymis, pro monumentis præstare, nempe eleemosynas, preces, oblationes.* Hisce itaque locis, vt & aliis, satis ostendit D. Chrysostomus, quantum eleemosynarum elargitio animabus prosit, cùm hanc semper primo loco recenseat, vel saltem statim post ipsum sacrosanctæ Missæ officium.

Quomodo huiusmodi eleemosynam facere consueuiti.

Iam quid S. Augustinus dicat audiamus. *Eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubium mortuos adiuuari, vt cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt.* Et non ita multò pòst: *Cùm verò, eorum commendandorum causa, opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est ista prodesse defunctis, sed talibus qui ita vixerint ante mortem, vt possint hæc eis vtilia esse post mortem.* Deinde cùm subiunxisset qualiter etiam mortuorum sepulturæ curandæ sint, pedem iterùm refert vt eleemosynam iuxtà ac Sacrificium feruenter inculcet. *Verùm*, inquit, *illa quæ adiuuant spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multò pro eis obseruantiùs, instantiùs, abundantiùs impendant, qui suos carne non spiritu mortuos, non solùm carnaliter, sed etiam spiritualiter amant.* Et alio item in loco: *Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesiâ fiunt: sed eis prosunt, qui cùm viuerẽt, vt hæc sibi prodesse possent meruerunt. ...... Cùm ergo Sacrificia siue Altaris siue quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones sunt, pro non valdè malis propitiationes sunt; pro valdè malis, etsi nulla sint adiumenta mortuorum, qualescumque viuorum consolationes sunt.* 3.

Serm. 32. de Verbis Apost.

Dubium non esse quin eleemosynæ iuuẽt defunctos docuit S. Augustinus.

In Enchiridio, cap. 110.

En vt non solùm S. Augustinus Sacrificio eleemosynam adnumerat, sed eamdem ipsum Sacrificium appellet: quod omnino mirandum non est, si & sacrificium quoddam propitiatorium eleemosynam Deo esse cognoscamus, prout varij sancti Patres docuêre. S. Ioannes Chrysostomus, *Cùm vides*, inquit, *pauperem, corpus Christi, aram Christi te videre puta, & reuerere, ac eleemosynæ sacrificium offer, ex quo gloria & gratiarum actio quasi fumus ascendat ad Deum.* S. etiam Cyprianus, *Qui dat*, ait, *minimis, Deo dat, spiritualiter Deo suauitatis odorem sacrificat*: quod dubio procul ex illo Sapientis hausit, qui sic ait: *Retribuet gratiam qui offert similaginem, & qui facit misericordiam, offert sacrificium.* Sed nec sacrificium solùm, sed mysticum sacrificium ab eodem D. Augustino appellatur eleemosyna, & quod Christus vel proprio prætulerit. *Vbi*, inquit, *scriptum est, Misericordiam volo magis quàm sacrificium, nihil aliud quàm sacrificium* 4.

Eleemosyna est instar sacrificij.

Homiliâ 20. Moral.

De oratione Dominicâ.

Eccli. 37.

Lib. 10. de Ciuit. cap. 5.

Lib. de Eleemos.

cium mysticum misericordiæ, sacrificio proprio prælatum oportet intelligi. Et alibi, *Hæ sunt*, ait, *hostiæ gratissimæ misericordiæ, humilitas*, &c. Mirum proinde non est, quòd eleëmosynæ & misericordiæ opera defunctorum animas iuuent. quod ipsum porrò & alij Patres vt rem certissimam adstruũt.

In cap. 11. Prouerb.

Vnde Ven. Beda, *Sunt*, inquit, *qui de leuioribus peccatis, cum quibus obligati sunt defuncti, post mortem possunt absolui, vel pœnis videlicet castigati, vel suorum precibus, eleëmosynis, Missarum celebrationibus absoluti.* S. Ioannes item Damascenus docet, institutum fuisse ab Apostolis vt eleëmosynæ pro defunctis fierent. Cùm enim alia quædam pro iis facienda suffragia recitasset, ita subiungit:

Inter alia instituta ab Apostolis pro mortuis eleemosyna.

Beneficentia denique erga pauperes, bonæ omnis remunerationis incrementum est: quamobrem ei, qui pro defuncto oblationem facit, &c. nam & diuinarum rerum præcones Apostoli, & sacri Magistri, & Spiritu sancto inspirati Patres, ac Numine diuino, quantum fas est, correpti, potentiæq́; ipsius, quæ hominem extra se rapit, vtcumque participes effecti, diuino ore, vti Deo gratum erat, ista omnia & instituerunt atque sanxerunt. Quæ quidem ad hunc vsque diem benigni Dei gratiâ ab ortu solis vsque ad occasum, & Septentrionem ac Meridiem, in Domini Dei, qui regium in Reges imperium obtinet, laudem atque gloriam augentur, & nouis subinde accessionibus amplificantur.

5. O vtinam aliquid hìc ex ambrosiano nectare, id est D. Ambrosij scriptis, degustare, aut ex mellifluo D. Bernardi fauo nõnihil delibare permitteret! facili vtiq; negotio omnes cognoscerent, ambrosiam ac mel, seu nectar & fauũm cæleste esse defunctis eleëmosynam pro illorum requie & satisfactione expensã: sed quia breuiores nos esse, quàm velimus, necesse est, ne diutiùs quàm par est dulciariis istis inhæreamus, vno modò cælestiali Doctoris Angelici cyatho sitim nostram explere atque restinguere oportebit.

Ratio ex Doctore Angelico cur adeò eleemosyna mortuis prosit.

Asserit ille, eleëmosynarum opus, esse præcipuum charitatis effectum, & ideò post Missæ Sacrificiũ maximopere defunctis prodesse. Verba illius audiamus.

In 4. dist. 45. q. 2. art. 3. ad 2. quæstiunc.

Dicendum, inquit, *ad primam quæstionem, quòd suffragia viuorum prosunt defunctis secundùm quod vniuntur viuentibus charitate, & secundùm quod intentio viuentium refertur in mortuos: & ideò illa opera præcipuè nata sunt mortuis suffragari, quæ maximè ad communicationem charitatis pertinent, vel ad directionem intentionis in alterum. Ad charitatem autem Sacramentum Eucharistiæ præcipuè pertinet, cùm sit Sacramentum Ecclesiasticæ vnionis, continens illum in quo tota Ecclesia vnitur & consolidatur, scilicet Christum. Vnde Eucharistia est quasi quædam charitatis origo, siue vinculum. Sed inter charitatis effectus præcipuum est eleëmosynarum opus; & ita ista duo ex parte charitatis præcipuè mortuis suffragãtur, scilicet Sacrificium Ecclesiæ, & eleëmosyna.* Sic D. Thomas: cuius ipsa verba licet pæne eadem suprà retulerimus, haud tamen absurdum visum fuit, aut extra orbitam, eadẽ hìc quasi altero suo loco repetere, cùm iis, qui Angelico spiritu & affectu ducuntur, Angelici viri verba bis repetita placere credamus.

6. Neque huic adstruendæ sententiæ Doctores tantùm priuati & particulares suam contulere sententiam, quin & Generalia Concilia Ecclesiæ Catholicæ, eam, vtpote rem quæ de fide sit, indubitanter tenendam asseruerunt, & iteratò definierunt, Purgatorij animas eleëmosynis, æquè atque suffragiis aliis, à tormentis suis exsolui, atque ad gloriam æternam perduci.

Concilia Ecclesiæ generalia docent eleemosynas iuuare defunctos.

Duorum hìc Conciliorum Oecumenicorum definitiones verbo tenus adscribere placuit. Florentinum itaque Concilium ita loquitur:

In Litteris vnionis. *Concilium Florẽtinum.*

Item definimus, si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari. Et vt à pœnis huiusmodi releuentur, prodesse eis viuorum fidelium suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleëmosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueuerunt, secundùm Ecclesiæ instituta: illorumq́; animas, qui post Baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ post contractã peccati maculã, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus sunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum vnum & trinum, sicuti est, pro meritorum tamen diuersitate alium alio perfectiùs. Tridentinum etiam Concilium mandauit vt sequitur:

Sess. 25. parte 1. in Decreto de Purgat. *Item Tridentinum.*

Curent autem Episcopi, vt fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleëmosynæ, aliaq́; pietatis opera, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueuerunt, secundùm Ecclesiæ instituta piè & deuotè fiant, & quæ pro illis ex testatorum fundationibus vel aliâ ratione debentur, non perfunctoriè, sed à Sacerdotibus & Ecclesiæ ministris, & aliis qui hoc præstare tenentur, diligenter & accuratè persoluantur.

Patet itaque, Sanctorum Patrum ac Conciliorum vniuersalium doctrinam esse, donandas esse pro defũctis eleëmosynas vt à pœnis suis eripiantur: sequitur, vt & rationes adferamus, ob quas eleëmosyna adeò sit efficax ad animarum liberationem: quibus & sacræ Scripturæ loca subnectemus, vt & inde constet, purgandorum spiritus misericordiæ operibus adiuuari. 7.

Rationes ex quibus eliciturijstius ab eleemosynis in mortuos effectus.

S. Augustinus docet, per eleëmosynam indulgentiam peccatorum acquiri.

Serm. 76. de Tempore.

Facilè, inquit, *curatur vulneribus peccatorum, qui necessitatem curauerit pauperum: & misericordiam accipiet, qui proximo pietatis non denegat officia. Denique cui dare præcipitur, gaudeat quòd non eâ sorte natus sit vt indigeat. Sufficit ad gloriam dantis, quòd alterius miseria in paupere locuples donando existat*.........Idem, exponens illud Psalmi 40. Beatus qui intelligit super egenum,

Lib. 50. Homiliarum, Homiliâ 39.

Felix operarius, inquit, *cultor eleëmosynarum, eò quòd ære suo comparauerit cælum, & dans panem esurientibus, delictorum suorum pressit incendium. Cui Propheta tale exhibet testimonium, & Patronum habet Spiritum sanctum. In tali causâ operarius felix viuit, & securus iam moritur, cum quo ambulat patrimonium in immortale horreum, in quo debitorem fecit Dominum, dum pascit alterum dando. Si accepit in se modicum panis in perâ, comparauit in se vitam cælestem, se faciens heredem in die iudicij.* Item:

Homiliâ 47.

Remedia peccatorum, fratres, medicina eleëmosyna. Eleëmosyna enim à morte liberat, & non patitur hominem ire in tenebras. Patrocinatur in die iudicij homini, vt flammas æternas non timeat. Sed talis debet esse misericordia ipsa, fratres, quæ suscipiatur, non quæ repellatur; quæ peccata purget, non quæ animam grauet. De bono, de iusto labore, de propriâ facultate, non de pauperum egestate.

Magna sanè eleemosynæ vtilitas.

Et infrà: *Habes Christiane æternum tabernaculum, si dederis pauperibus victum. Si quid das, illuc transmittis: tibi in futuro reponis,*

non vnde carnaliter satureris, sed vnde spiritaliter glorieris; non vnde ventrem repleas, sed vnde flammas extinguas. Immò alibi prolixè ex sacris Litteris probat, peccata eleëmosynis deleri.

Serm. 50. de Temp. c. 8.

8. Nec verò hæc D. Augustini tantùm est doctrina, sed & aliorum Patrum. S. Gregorius Nazianzenus ait: *Miseratione purgemur, animiq; labes & inquinamenta egregiâ illa herbâ detergamus ac dealbemus, alij vt lana, alij vt nix, pro misericordiæ videlicet proportione.* S. Ambrosius & S. Maximus Episcopi: *Dicit Scriptura diuina: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleëmosyna extinguit peccatum. Magna planè & cunctis ambienda sententia, quæ hominibus iam mortuis, & peccatorum suorum incendio arefactis rediuiuum quoddam beneficium pollicetur, vt interueniente eleëmosynâ, sicut aqua intermortuis succus refrigerium arescentibus infundatur, hoc est, vt miseri homines, qui in mortem peccatis aruerant, ad vitam eleëmosynis reuiuiscant: fitq; in illis misericordia fons salutis, quibus auaritia fuerat mortis incendium; vt flammas, quas sibi peccando incenderant, largiendo restinguant.* Iidem Patres: *Mundius planè misericordia, quàm puteus, detergit maculas; quia putei aqua tantùm corporis cutem abluit, misericordia autem bonitas animæ interna purificat.* Et sub finem: *Ita igitur eleëmosyna extinguit peccata, sicut aqua Baptismi gehennæ extinguit incendium. Ergo eleëmosyna quodam modo animarum aliud est lauacrum, vt si quis fortè post Baptismum humanâ fragilitate deliquerit, supersit ei vt iterùm eleëmosynis emundetur, sicut ait Dominus, Date eleëmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Nisi quòd, saluâ fide dixerim, indulgentior est eleëmosyna quàm lauacrum. Lauacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur: eleëmosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris.* Idem S. Ambrosius alibi sic inquit: *Habemus etiam plura subsidia quibus peccata nostra redimamus. Pecuniam habes, redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es. Peccatis tuis venumdatus es, redime te operibus tuis, redime te pecuniâ tuâ. vilis pecunia, sed pretiosa est misericordia.* S. Cyprianus etiam, *Cùm Dominus,* inquit, *aduenien̄s sanasset illa quæ Adam portauerat vulnera, & venena antiqui serpentis curasset, legem dedit sano, & præcepit ne vltrà iam peccaret, ne quid peccati grauius eueniret. Coarctati eramus, & in angustum, innocentiæ præsumptione, conclusi: nec haberet quid fragilitatis humanæ infirmitas atque imbecillitas faceret, nisi iterùm pietas diuina subueniens, viam quamdam tuendæ salutis aperiret, vt sordes postmodum, quascumque contrahimus, eleëmosynis abluamus.* & paulò pòst: *Sicut lauacro aquæ salutaris gehennæ ignis extinguitur, ita eleëmosynis atque operibus iustis delictorum flamma sopitur. Et quia semel in Baptismo remissio peccatorum datur, assidua & iugis operatio, Baptismi instar imitata, Dei rursus indulgentiam largitur.*

Quid de hac alij Patres.
In Orat. de Pauperum amore.
Ambros. Ser. 30. de Eleemos.
Maximus Serm. 1. de Eleemos.
Eleemosyna eluit peccatorum maculas.
Ambros. Ser. 31. & Maximus Ser. 2. de Eleemosyn.
Luc. 11.
Pretiosior hac lauacro.
Lib. de Eliâ & ieiunio, cap. 10.
Est pretium redemptionis.
De Opere & eleemosynis.

9. Non possum, quin pulcherrima, licet pluscula, quæ hanc in rem habet D. Ioannes Chrysostomus, in medium proferam: ille siquidem non solùm misericordiæ exercitio delere peccata docuit, verùm etiam eleëmosynarum erogationem pœnitentiæ actibus annumerat, eamque cæli ianitoribus notam esse affirmat, maximamque habere efficaciam, vt iudicem Deum ad clementiam flectat, asseuerat. *Hic erudiamur,* inquit, *vt magnâ in dandis eleëmosynis largitate vtamur, quò datis paruis, adipiscamur magna. Quomodo enim paria sunt, dic obsecro, dare parum argenti, & obtinere remissionem peccatorum? ..... Glorifica Dominum tuum, quòd propter te & propter salutem tuam permittat illum in paupertate versari, vt tibi via pateat, per quam peccata possis abluere; & dispensatis benè iis, quæ à Domino tibi sunt concessa, laudes illas mereare, quæ omnem sermonem & rationem transscendunt..... Nullum omnino aliud bonum sic poterit restinguere peccatorum nostrorum incendium, vt eleëmosynæ largitas. Ista & peccatorum nostrorum abolitionem operatur, & magnam nobis fiduciam conciliat & præparat, vt ineffabilibus illis bonis frui tunc liceat.* Alibi hæc habet: *Tanta vis est eleëmosynæ: cum multâ fiduciâ suos introducit alumnos; est enim nota cæli ianitoribus, sponsalis thalami fores obseruantibus, quin & venerabilis, & quos sui cultores agnouerit, cum multâ introducet libertate, & contradicet nemo, sed omnes cedent...... Hanc amemus, hanc diligamus, non vno die vel altero, sed in omni tempore, vt nos agnoscat. Si ipsa nos agnouerit, & Dominus agnoscet: si non agnouerit ipsa, ignorabit & Dominus, & dicet: Nescio vos.* Et infrà: *Dic mihi, nisi foret eleëmosynæ subsidium, cùm multis criminibus admissis nos vltionis reos statuissemus, nónne multùm doleremus? nónne diceremus, vtinam per pecuniam à peccatis ablui liceret, & omnia daremus? Vtinam pecuniis Dei liceret iram expellere, neque rebus vllis parceremus. Nam si hoc in ægritudine facimus, & in morte dicimus: Si mors redimi posset, ille omnia sua dedisset; multò magis hoc. Et vide quanta sit Dei misericordia: temporalem redimere mortem tibi non concessit, sed concessit æternam mortem.* Alio in loco hæc effatur: *Age, quartam proferamus pœnitentiæ viam. Et quænam ea est? Eleëmosyna, regina illa virtutum, homines celerrimè ipsorum in cælorum axes adducet, aduocati optimi loco fungens. Magna res eleëmosyna, præcidit aërem, transit lunam, solis radios cadit, ad ipsum venit cælorum culmen, ipsos pertransiens cælos; & Angelorum populos decurrens, Archangelorumq; choros, & omnes superiores Potestates, ipsa assistit regali throno.* Denique hunc in modum disserit: *Quid hac arte,* eleëmosynæ scilicet, *fuerit vtilius? Nam aliæ quidem cum dictis & præsenti soluuntur vitâ, & morbo laborantibus artificibus nusquam apparent, & earum opera durare non possunt, & laboris indigent & temporis multi, & aliorum mille: hæc autem cùm mundus præterierit, maximè tunc apparet; cùm fuerimus mortui, maximè tunc coruscat, & opera monstrat à se gesta: nec laboris indiget, nec alterius huiusmodi cuiuspiam operationis; verùm & ægrotante te fructum affert, & annis confecto; & ad futuram vitam tecum emigrat, nec vmquam te deserit.* Item: *In ædificia cælestia studeamus nostras euacuare pecunias, nec fabris, nec structoribus, nec operariis opus habebimus. Manus namque pauperum tales domos ædificant. Claudi, cæci vel debiles isti sunt, qui domos illas ædificant. Et non mireris: siquidem per istos nobis & regnum cæleste prouidetur, per istos etiam accipimus fiduciam apud Deum. Eleëmosyna quippe artifex magna consistit & auxiliatrix eorum qui ipsam faciunt. Amica namque Dei consistit, & semper ei propinqua est. Pro quibuscumque voluerit, facilè gratiæ munus impetrat; tantùm si à nobis non lædatur, si nullam patiatur iniuriam.* Hæc omnia variis locis Chrysostomus.

Maximam apud seuerū iudicē Christum auctoritatem habet eleemosyna.
Homiliâ 14. in Genesim.
Homiliâ 32. ad popul. Antiochen.
Suos cultores in cælum admittit.
Eleemosynâ mors æterna redimitur.
Homil. 9. de Pœnitentiâ.
Transcendit hæc vniuersa.
Homil. 31. ad popul. Antiochenum.
Accipientes à nobis eleemosynas in cælis nobis habitaculum construunt.

Sed ad Scripturas sacras, quæ eleëmosynis purgari mortuos asserunt, transeundum est, è quibus 10.

tria

Scripturæ quæ de eleemosynæ fructibus quoad defunctorum iuuamen.

tria solummodò solemniora loca proponemus. Tobias senior vt se moriturum existimauit, filio suo non tam ciuile quàm spirituale testamentum condidit, in quo, præter quamplurima documenta alia, hoc etiam addidit: *Panem & vinum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare cum peccatoribus.* Quæ verba ad eleëmosynam mortuis erogandam spectare, Libro I. Cap. II. ostendimus, & ex SS. Patrum explicatione sensum huiusmodi habere asseruimus: Cùm iustus aliquis obierit, super eius sepulturam, hoc est in eius exequiis, vinum & panem constitue, vt in pauperes nimirum distribuantur: & noli ex eo manducare cum peccatoribus, qui, vtpote ingrati, pro defuncti animâ oraturi non sunt, vel si orauerint, à Deo, vtpote in peccatis existentes, nequaquam exaudientur. Volens aliquando Deus punitionem grauem populo suo Israëlitico inferre, seu potiùs eamdem, ad incutiendum terrorem, minari, inter reliqua denuntiat, defuturos qui pro mortuorum consolatione panem frangant aut potum tribuant. Verba textus sacri hæc sunt: *Et morientur grandes & parui in terrâ istâ: non sepelientur, neque plangentur, & non se incident, neque caluitium fiet pro eis. Et non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo: & non dabunt eis potum calicis ad consolandum super patre suo & matre.* Tertium locum è libris Machabæorum eruimus, vbi non tantùm Iudas Machabæus pro iis qui in bello ceciderant, Ierosolymis Sacrificium offerri curauit, sed & ad hoc eò misit duodecim mille drachmas argenti, quas in hunc finem collegerat. quem locum, vtpote aliàs sat explicatum, modò datâ operâ transimus.

Tob. 4.

Triplex ex iis locus, vt videamus mortuos eleemosynis consolari.

Ieremiæ 16.

2. Machab. 12.

11\. Ad exempla etiam quod spectat, sunt illa in materiâ animarum valdè conformia. Sed quia hæc ipsa aliàs & retulimus, & adhuc referemus, Lectoris in gratiam huc adscribemus aliud, è quo patere poterit, haud esse mirum, defunctos è Purgatorio liberari per eleëmosynam, cùm etiam quidam peccator ex ipsis inferni faucibus, euidentissimoque damnationis æternæ periculo liber per eam euaserit, heresque factus sit sempiternæ salutis & gloriæ. Leontius Neapoleos Cypri Episcopus, in Vitâ S. Ioannis Eleëmosynarij, Alexandrini Patriarchæ, audiuisse se refert à quodam viro sancto è Cypro oriundo hanc quam modò referimus historiam. *Permanebam,* ait, *cum quodam teloneario diuite vehementer & immisericorde. Semel ergo pauperibus in hieme sedentibus ad solem, seq; calefacientibus, cœperunt singuli domos eleemosynatorum collaudare, & pro eis orare per singulas eorum: similiter & domos eleemosynam non facientium vituperare. Inter quæ venit in medium eorum & nomen mei telonearij, & cœperunt singuli interrogare proximum: Verè tu, frater, accepisti aliquando de domo illâ benedictionem? Et omnibus interrogantibus inuicem, nullus inuentus est accepisse aliquando de domo eius aliquid. Dicit ergo vnus ex eis: Quid dabitis mihi, & ego accipiam hodie ab eo benedictionem? Et facientibus cum eo pactum, venit, & stat foris portam domus, expectans quando ad domum suam reuerteretur. Ex dispensatione Dei venerunt simul, ipse ingrediens portam, & animal portans siligines à mancipio, causâ prandij ipsius. Videns igitur egenum, non inueniens lapidem, per furorem accepit siliginem de clitellâ, & iactauit in faciem eius. Ille verò suscepit eam, & abiit, vt satisfaceret confratribus suis, quòd ex ipsius manibus accepisset eam. Igitur post duos dies ægrotauit infirmitate ad mortem idem telonearius, & vidit in somnis seipsum rationem ponentem, & omnes actus suos super stateram appendi. In vnâ quidem acie congregabantur Mauri quidam deformes, altera autem acies aliorum quorumdam erat candidatorum & terribilium specie: qui nihil inuenientes boni, vt & ipsi appenderent econtrà aduersum mala opera, quæ collecta erant à Mauris, in acie ipsorum nimis turbabantur, & tristabantur, & mente consternabantur ad alterum, & dicebant: Ergo nihil nos hîc habemus? Tunc dicit vnus eorum: Verè nihil. Habemus vnam siliginem, quam dedit ante duos dies Christo, & ipsam non voluntariè. Et mittentibus eis siliginem, æqualitas facta non est. Tunc dicunt telonario hi qui apparuerunt ei candidati: Vade, & auge ad siliginem hanc, aliàs verò te Mauri isti apprehendent. Euigilans ergo agnouit, quæ visa sunt ab eo, non esse mendacia, sed vera. Omnia verò quæ à iuuentute commiserat, & quorum ipse erat oblitus, videbat æthiopes illos congregare, & deportare ad libram. Et dicebat: Papæ! si vna siligo, quam iactaui per furorem, ita profuit; à quantis malis se liberat, qui dat in simplicitate bona sua indigentibus? Et de cetero ita modestus, & prudens, atque summus eleëmosynator factus est, vt etiam corpori proprio non parceret.* Sic Leontius. Quæ ne quis fortè miretur, adiungamus iis à quibus in Sacris litteris fundamentum habeant.

Mirandum non est iuuari eleemosynâ defunctos, quando quidem & ab æternâ damnatione per hanc liberati sint peccatores.

Insigne rei istius exemplum.

12\. Nam Scriptura quoque sacra, vt eleëmosynæ vim ampliùs explicatam haberemus, nonnulla etiã alia loca suppeditauit quæ salutem eleëmosynæ adscriberet. Regius Propheta sic eloquitur: *Beatus vir qui intelligit super egenum & pauperem: in die malâ liberabit eum Dominus.* Tobias senior filio suo hanc instructionem dedit: *Ex substantiâ tuâ fac eleëmosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere; ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.* Et Raphaël Archangelus eam sic commendat: *Eleëmosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam & vitam æternam.* Daniel quoque Propheta Nabuchodonosori Regi, cui tantum malum imminebat, hoc consilium suggerebat: *Consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleëmosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Imò ob solam neglectam eleëmosynam in extremo iudicio damnandi videntur qui à sinistris collocabuntur; iis namque hanc sententiam iustissimus ille iudex occinet: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius; esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.* Demum ipsemet Saluator Pharisæis, hominibus alioquin impiissimis, suadet vt si à suis peccatis absolui & indulgentiam impetrare velint, eleëmosynis rectè faciendis incumberent. *Verumtamen quod superest,* inquit, *date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Quem locum expendens B. Prosper, ita exclamat: *O quàm breue compendiosumq; sacrificium, quod intrinsecus atque extrinsecus, totumq; hominem mundat!* Et mox in eleëmosynæ laudes se diffundens, sic ait: *Eleëmosyna munus bonum est omnibus facientibus eam coram summo Deo. Hæc est quæ perpetuos ignes extinguit: hæc est quæ resistit peccatis. Hæc est quæ*

Psal. 40.

Tob. 4.

Tob. 12.

Daniel 4.

Ex eleemosynâ salus æterna.

Math. 25.

Luc. 11.

Lib. de Promission. de prædict. Dei, p. 2. c. 7.

 Christum

Christum pascit esurientem in paupere: hæc vestit nudum, hæc visitat infirmum, hæc peregrinum hospitio accipit: hæc, quæ omnem angustiam carceris tollit: hæc omnem inopiam finit: hæc diuitibus confert remedia, hæc vitam æternam comparat, hæc fœnerat Deum, hæc continet regnum cælorum: hæc est quæ discernit agnos ab hœdis: hæc est quæ ad dexteram collocat Iudicis, hæc Angelis sociat, hæc ex seruis, Dei filios fieri præstat. Aptissimum & splendidissimum huius rei exemplum habemus in Cornelio Centurione illo Gentili, qui propter suas eleëmosynas ad Christi fidem perduci miraculosè promeruit. *Corneli*, inquiebat ad ipsum Angelus, qui Dei iussu ad eum venerat, *exaudita est oratio tua, & eleëmosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei.*

Insigne rei huius exemplum.

Act. 10.

13. Hinc, reor, sufficienter constat, quàm eleëmosynæ sint ad salutem efficaces, & consequenter, quàm in casu animarum Purgatorij locum habere commodè possint, quæ, vtpote in charitate & gratiâ Dei existentes, cuiuscumque misericordiæ effectus, quæ ipsarum respectu exerceatur, sunt capacissimæ. Certè incredibilia sunt, inexplicabilia, & innumerabilia, quæ in eleëmosynarum laudem atque commendationem adduci possent: sed quia toto libro III. rem illam paulò duffusiùs tractaturi sumus, hîc supersedemus, conditiones solùm, quæ in erogandâ eleëmosynâ necessariæ sunt, quàm possumus paucis referentes. Has inter primo loco posuit D. Augustinus, vt sibi præcipuè quilibet eleëmosynâ faciat. sic enim ait: *Qui vult ordinatè dare eleëmosynā, à seipso debet incipere, & eam sibi primò dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ, verissimeq́; dictū est, Miserere animæ tuæ, placens Deo.* Sibi autem dare eleëmosynam, nihil est aliud, quàm sibimetipsi gratiam Dei procurare, seu ad gratiæ statum promouere: quæ eleëmosyna si non priùs fiat, reliquæ omnes aut tibi aut animabus Purgatorij parum proderunt. nam vt scribit S. Gregorius, *Mundari priùs debet animus qui eleëmosynam præbet: quia omne quod datur Deo, ex dantis mente pensatur, & ab Omnipotente Deo manus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitiâ offertur.*

Purgatorij animæ eleëmosynarum pro ipsis erogatarum capaces sunt.

In Enchiridio.

Prima eleëmosynæ conditio.

In Moralib.

14. Secundò facienda est eleëmosyna de bonis propriis, non de iniustè acquisitis. Sic nimirum D. Augustinus fieri vult, qui sic inquit: *De iustis laboribus facite eleëmosynas: non enim corrupturi estis iudicem Christum, vt non vos audiat cum pauperibus quibus tollitis. Nolite velle eleëmosynam facere de fœnore & vsuris. Fidelibus dico, quibus Corpus Christi erogamus.* Item alibi: *Facite vobis amicos de diuitiis iniquitatis. Hoc quidam malè intelligendo, rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur, & putant se facere quod præceptum est. Dicunt enim, Rapere res alienas, mammona est iniquitatis. Intellectus iste corrigendus est, imò de tabulis cordis vestri omnino delendus est. Nolo sic intelligatis, &c.* Iterùm alibi: *Talis debet esse misericordia, fratres, quæ suscipiatur, non quæ repellatur; quæ peccata purget, non quæ animum grauet; de bono, de iusto labore, de propriâ facultate, non de pauperum egestate.* Quò respicit etiam S. Ioannes Chrysostomus, qui sic inquit: *Si propterea rapis vt miserearis, nihil hac peius eleëmosynâ. Cùm enim ex rapina nascatur, hoc eleëmosyna non est: sæuitia quadam est & crudelitas, hoc est, in Deum contumelia.* S. Isidorus etiam, *De rapinis*, inquit, *alienis eleëmosynam facere, non est officium miserationis, sed emolumentum magnum sceleris.* Vnde & Salomon, *Qui offert*, inquit, *sacrificium de rapinâ pauperum, tamquam si quis victimet filium in conspectu patris sui. Qui enim iniustè tollit, iustè nequaquam distribuit: nec benè alteri præbet, quod ab altero malè extorquet. Magnum scelus est, rem pauperum præstare diuitibus, &c.* Vnde maius meritum tunc in eleëmosyna reperitur, cùm non tantùm de proprio, sed & de labore proprio quidquam erogatur. S. Hieronymus ita loquitur: *Quamuis omnem censum tuum pauperibus distribuas, nihil apud Christum erit pretiosius, quàm quod manibus tuis ipse confeceris.* Vbi & illud notandum venit, meritum hinc eleëmosynæ vehementer augeri, si ex illis fiat, quibus ipsimet tribuentes indigent. Probat id, præ alia quamplurima, insigne Saluatoris nostri testimonium, quod huic rei perhibuit, dum sic ait Euangelista: *Respiciens autem, vidit eos qui mittebant munera sua, in gazophylacium, diuites. Vidit autem & quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. Et dixit: Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quàm omnes misit. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum, quem habuit, misit.*

Secunda.

Serm. de Diuite.

Serm. 35. de Verbis Domini, paulò ante finem.

Lib. 50. Homil. Homil. 47.

Homil. 36. ad pop. Antioch.

Eleemosyna melior quæ labore acquisita.

In Epistolis.

Lucæ 21.

Optima si ex iis quæ necessaria datibus sunt.

15. E quo videre quilibet facillimè potest, si magnarum eleëmosynarum copia non suppetat, non tamen idcircò hoc misericordiæ exercitium negligendum esse. Nam & Tobias huiusmodi filio suo consilium atque documentum tradidit: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Totis itaque viribus in hoc incumbendum nobis est, vt qualem saltem possimus, indigentibus eleëmosynam impendamus. Ad quod vt ampliùs accendamur, D. Isidorum audire iuuat. *Quantumuis*, inquit, *quis sit egens, nullus tamen vnde tribuat indigenti, excusationem inopiæ potest obtendere; quando ex præcepto Saluatoris etiam calicem aquæ frigidæ præcipiamur indigenti præbere.* D. Ioannes etiam Chrysostomus, *Ne inopiam*, inquit, *proferas. Vidua in vltimo cœnaculo Eliam hospitabatur, ac paupertas non fuit impedimento, sed eximio cum gaudio suscepit eum; quare & dignos recepit fructus, & metens eleëmosynæ spicam legit.* Sin verò ab eleëmosynarum largitione non excusat præsens inopia, multò minùs ipse tātummodò timor inopiæ. de quo S. Cyprianus: *Si vereris & metuis, ne, si operari plurimum cœperis, patrimonio tuo largâ operatione finito, ad penuriam fortè redigaris; esto in hac parte intrepidus, esto securus. Finiri non potest, vnde in vsus Christi impenditur, vnde opus cæleste celebratur. Nec hoc tibi de meo spondeo, sed de sanctarum Scripturarum fide, & diuinæ pollicitationis auctoritate promitto, &c.* Et infrà de viduâ loquens quæ Eliam pauit, *Et illa*, inquit, *nondum Christum sciebat, nondum præcepta eius audierat, non cruce eius & passione redempta, cibum & potum pro sanguine rependebat; vt ex hoc appareat, quantum in Ecclesiâ peccet, qui se & filios Christo anteponens, diuitias suas seruat, nec patrimonium copiosum cum indigentium paupertate communicat. Sed enim, multi sunt in domo liberi, & retardat te numerositas filiorum, quò minùs largiter bonis operibus insistas. At quin hoc ipso ampliùs operari debes, quò multorum pignorum pater es. Plures sunt pro quibus Dominum depreceris: multorum delicta redimenda sunt, multorum purgandæ conscientiæ, multorum animæ liberandæ. Vt in hac vitâ sæculari alendis*

Tob. 4.

Et pauper dare debet si potest eleëmosynam.

Homil. 9. de Pœnitentiâ.

De Opere & eleëmosynâ.

Non excusat ab hac inopiæ timor.

alendis sustinendisq́; pignoribus, quò maior est numerus, hoc maior & sumptus est: ita & in vitâ spiritali atque cælesti, quò amplior fuerit pignorum copia, esse & operum debet maior impensa. Sic & Iob sacrificia numerosa pro liberis offerebat: quantusq́; erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo & numerus hostiarum. Et quoniam quotidie deesse non potest quod peccetur in conspectu Dei, sacrificia quotidiana non deerãt, quibus possent peccata tergi. Qui studes terreno magis quàm cælesti patrimonio, filios tuos diabolo magis commendare quàm Christo, bis delinquis, & geminum ac duplex crimen admittis: & quòd non præparas filiis tuis Dei Patris auxilium, & quòd doces filios patrimonium plus amare quàm Christum. Esto potiùs liberis tuis pater talis, qualis Tobias extitit. Neque ergo excusat ab eleëmosynis familiæ magnitudo, aut liberorum numerositas, quin potiùs vt liberaliores sint parentes instigat; atque ideò nulla in hisce tribuendis obligationis inuenitur exceptio, sed generale est, vti statim videbimus, in omnes misericordiam faciendi præceptum. Quod vt perfectiùs adimpleamus, operæ pretium fuerit annotare & obseruare illam SS. Patrum doctrinam, quâ nos admonent, vt in consuetudinem inducamus indigentibus opem ferre. Multos inter vnus sufficerit D. Chrysostomus, qui sic disserit: *Consuetudinis vis & in bonis & in malis magna: ipsâ nos trahente, laboris iam non indigebimus. Multi sunt in se signandi consuetudine confirmati, nec iam commonente opus habent: quin & mente frequenter aliò vagante, tamquam à quodam animato præceptore manus sponte trahitur ad signum faciendum. In consuetudine quidam se constituerunt, ne iurent, & hoc neque volentes neque inuiti patientur. Igitur & in hac eleëmosynæ nosipsos consuetudine constituamus*, &c.

Non magnitudo familiæ excusat.

Homil. 38. ad Popul. Antiochenũ.

Bona consuetudo dandi stipem.

16. Tertiò, non debet fieri eleëmosyna, vt eam videant homines. S. Isidorus loco suprà citato, *Non est*, inquit, *eleëmosyna, quæ gloriæ magis causâ, quàm misericordiæ impartitur intuitu. Quali intentione ab vnoquoque largitur, tali & apud Deum recipitur. Qui ergo hic de bono opere laudem præsentem appetit, spem perdit, & gloriam mercedis in futuro non recipit. Dum causâ iactantiæ pauper pascitur, etiam ipsum misericordiæ opus in peccatum conuertitur.* S. Ioannes Chrysostomus, *Non est ingrata*, inquit, *Deo, quæ visa fuerit ab hominibus eleëmosyna, sed quæ ideò facta est vt visa sit.* Denique S. Gregorius Magnus sic admonet: *Admonendi sunt qui iam sua misericorditer tribuunt, vt à cælesti Domino dispensatores se positos subsidiorum temporalium agnoscant, & tantò humiliter præbeant, quantò & aliena esse intelligunt quæ dispensant. Cumq́; in illorum ministerio, quibus accepta largiuntur, constitutos se esse considerant, nequaquam eorum mentes tumor subleuet, sed timor premat.* Docuit etiam S. Augustinus quid sit fieri in publico, quid in occulto, vt non fallamur, & credamus, nihil pauperibus dandum esse, eò quòd alij id videant. Verba eius hæc sunt: *Qui ideò facit eleëmosynam, vt ab hominibus se laudari desideret, etiamsi occultè fecerit, publicè facit, quia laudem ab hominibus quærit. Qui verò eleëmosynam pro solo Dei amore facit, vt ad opus bonum illum reliqui imitentur, & non ipse, sed Dominus collaudetur, etiamsi publicè faciat eleëmosynam, absconsè facit: quia pro eleëmosynâ illâ non hoc quod videtur, sed quod non videtur, desiderat; nec ab hominibus laudem, sed mercedem à Deo optat accipere.*

Non faciẽda esse eleemosyna vt homines videant.

Super illud Matth. 5. *Facite eleemosynam.*

Serm 60. de Tempore.

Faciunda occultè.

17. Quarta denique eleëmosynæ faciendæ conditio est, vt, quò ampliùs sit meritoria, fiat ex hilaritate & promptitudine. Vnde S. Isidorus iterùm loco paulò hinc antè citato inquit: *Non est eleemosyna cum murmuratione præbenda, ne comitante tristitiâ merces pereat dispensata. Tunc autem benè tribuitur, quando cum mentis hilaritate præbetur. vnde & Apostolus, Hilarem, inquit, datorem diligit Deus. Metuendum est itaque, ne pauper aut cum tædio nostra oblata suscipiat, aut ne, omnino prætermissus, mœrens tristisq́; recedat.* Pro quo notandum etiam erit, vsu hìc venire commune illud prouerbium: *Bis dat, qui citò dat.* Nam quò quis citiùs miseriam alterius subleuat, eò maiorem illi clementiam confert. Hortatur ad hoc S. Gregorius Nazianzenus. *Benedictionem*, inquit, *arripiamus, intelligentes vocemur, benigni simus, ne vox quidem misericordiæ opera interrumpat. Ne dixeris: Rediens redi, & crastino die dabo tibi. Ne quid inter propositum tuum & beneficentiam intercedat. Vna enim est beneficentia quæ moram non patitur. Frange esurienti panem tuum, & egenos ac tecto carentes induc in domum tuam, idq́; læto & alacri animo. Qui enim miseretur, inquit ille, cum hilaritate misereatur: ac beneficij gratia promptitudine & celeritate congeminatur. nam quod mœsto animo defertur, aut necessitate extorquetur, ingratum est, parumq́; gloriosum.* Sanctus quoque Basilius egregiam, quæ huc facit, instructionem reliquit, dum sic ait: *Qui repetitur debitum, vinculis obtorto collo adstringitur: & tu eleemosynam an differs? Audi Salomonem: Ne dicas, regressus reuertere, & cras dabo. ignoras enim quid sequens pariet dies. Quantam te Deo beneficentissimo gratiam habere, quàm hilarem esse te simul & in egentes munificum atque liberalem oportebat, quòd non ipse pro foribus alienis cogeris obstreperus esse & querulus, sed tuas alij occupant? Nunc autem tristis es & difficilis.* S. Augustinus, *Si potes dare*, inquit, *da: si non potes, affabilem te fac. Coronat Deus intus bonitatem, vbi non inuenit facultatem.* Diuus verò Gregorius hunc in modum loquitur: *Exteriora nostra Domino, quamlibet parua, sufficiunt: cor namque, & non substantiam, pensat; nec perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur. Nam si exteriorem substantiam perpendamus, ecce sancti negotiatores nostri perpetuam Angelorum vitam, datis retibus & naui, mercati sunt. Aestimationem quippe pretij rectè non habet; sed tamen regnum Dei tantum valet quantum habes. Valuit namque Zachæo dimidium substantiæ, quia dimidium aliud ad hoc quod iniustè abstulit, restituendum in quadruplum reseruauit. Valuit Petro & Andreæ dimissis retibus & naui. Valuit viduæ duobus minutis. Valuit alteri calice aquæ frigidæ. Regnum itaque Dei, vt diximus, tantum valet quantum habes.* Tandem D. Ioannes Chrysostomus ita concionatur: *Sæpiùs iam dixi, & nunc quoque dico, quoniam non mensurâ vel quantitate datorum iudicatur misericordiæ magnitudo, sed ex volũtate largientis. Scitis enim illius viduæ factum. Commodum quippe est, hoc proferre semper exemplum, vt neque pauper de opere suo desperet, respiciens ad viduam duo minuta conferentem; neque diues glorietur, cùm de magnis parua largitur. Obtulerunt quidam etiam setas, & pilos, & capillos in templi constructionem, & spreti penitus non sunt.*

Sed & hilariter.

Orat. de Pauperũ amore.

Isaiæ 58.

Rom. 12.

Homiliâ in Luc. 12.

Prou. 3.

Ad quod adhortantur varij sancti Patres.

Homil. 5. in Euangelia.

Insignia rei exempla.

Homil 32. in Epist. ad Hebræos.

18. Atque hæc sunt quæ de eleëmosynæ conditionibus SS. Patres tradiderunt, quæ nobis sufficerent, atque omnino sufficere deberent, nisi explicandum superesset, quâ obligatione omnes ad eleëmosynas faciendas adstringerentur. Audiatur

Qualiter omnes ad faciẽdam eleemosynam obligentur.

tur omnium loco, qui pro omnibus vicem subire potest, S. Cyprianus, qui elegantissimè atque diffusissimè pro suo more totum hoc negotium hisce complexus est: *Agnoscamus itaque, fratres charissimi, diuinæ indulgentiæ munus salubre, & emũdandis & purgandis peccatis nostris, qui sine aliquo conscientiæ vulnere esse non possumus, medelis spiritualibus vulnera nostra curemus. Nec quisquam sic sibi de puro atque immaculato corde blandiatur, vt innocentiâ suâ fretus, medicinam non putet adhibendam esse vulneribus, cùm scriptum sit: Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccatis? Et iterùm in Epistolâ suâ Ioannes ponat & dicat: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & iustus est Dominus, qui nobis peccata dimittat. Si autem nemo esse sine peccato potest; & quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est: quam necessaria, quàm benigna est diuina clementia? dedit curandis denuò sanandisq́, vulneribus remedia salutaria. Numquam denique, fratres dilectissimi, admonitio diuina cessauit, numquam & tacuit, quò minùs in Scripturis sanctis, tam in veteribus quàm in nouis, semper & vbique ad misericordiæ opera Dei populus prouocaretur, & canente atque exhortante Spiritu sancto, quisquis ad spem regni cælestis instruitur, facere eleëmosynas iubetur*, &c. Et infrà nihil magis à Christo præceptum esse, quàm eleëmosynarum pietatem, hisce verbis demonstrat: *Itaque in Euangelio Dominus, Doctor vitæ nostræ, & magister salutis æternæ, viuificans credentium populum, & viuificatis consulens in æternum, inter sua mandata diuina & præcepta cælestia nihil crebriùs mandat & præcipit, quàm vt insistamus eleëmosynis dandis: nec terrenis possessionibus incubemus, sed cælestes potiùs thesauros recondamus.* atque posteà varia Scripturarum loca adducit. Quin & eodem loco docet, sine eleëmosynâ orationem & ieiunia minùs valere, sic inquiens: *Raphaël Angelus quoque paria testatur, & vt eleëmosyna libenter ac largiter fiat hortatur, dicens: Bona est oratio cum ieiunio & eleëmosynâ, quia eleëmosyna à morte liberat, & ipsa purgat peccata. Ostendit orationes nostras ac ieiunia minus posse, nisi eleëmosynis adiuuentur. Deprecationes solas parum ad impetrandum valere, nisi factorum & operum accessione farciantur, reuelat Angelus, & manifestat; & firmat, eleëmosynis petitiones nostras efficaces fieri, eleëmosynis vitam de periculis redimi, eleëmosynis à morte animas liberari.* Quibus adstipulatur etiam S. Ioannes Chrysostomus hisce verbis: *Has quæramus virtutes, quæ præter salutem nostram proximis quoque plurimùm prodesse possint. Tale quid est eleëmosyna, tale oratio: quin potiùs & hæc ab alterâ fit potens, & eleuatur. ait enim: Orationes tuæ & eleëmosynæ tuæ ascenderunt in memoriam coram Deo. Nec verò solùm oratio, verùm & ieiunium hinc neruos habet; & si absque eleëmosynâ ieiunes, nec bonum opus ieiunium censetur, sed crapulante & ebrio peior est huiusmodi; & tantò peior, quantò deliciis crudelitas grauior.* Sic Chrysostomus.

De Opere & eleemosynis. *Prou. 20.* *1. Ioan.* *Nihil amplius à Christo præceptũ quàm eleemosyna.* *Tob. 4. Sine hac non valet oratio atque ieiunium.* *Homil. 34. ad populum Antiochenũ.*

19\. Hæc de misericordiâ dicta sint, vt ex eleëmosynis quoque viuentium, vtilitatem defunctos percipere comprobemus: quæcumque enim erogantur in viuos, iis non detrahuntur aut minuuntur, si affectu quoque seu intentione, vt & ipsi liberentur, in illos dirigantur. Ait quidem S. Leo, ex hoc excellentiam virtutemque eleëmosynæ meritò colligi, quòd & dantis animæ simul prosit, & corpori accipientis: sed amplius nunc ego dico, non tantummodò animæ dantis, sed & illi pro quâ datur, quæ fortè in Purgatorio plectitur, ingens eam emolumentum adferre. Verba primùm D. Leonis audiamus, inde propositionem nostram adstruemus. Scripsit itaque magnus ille Ecclesiæ Catholicæ Archi-pontifex: *Multis diuinarum Scripturarum testimoniis edocemur, quantum eleëmosynarum meritum, & quanta sit virtus. Certum est enim, vnumquemque nostrûm animæ suæ benefacere, quoties misericordiâ suâ inopiæ succurrit alienæ. Prompta ergo & facilis, dilectissimi, apud nos largitas esse debet, si credimus, sibi vnumquemque id præstare, quod indigentibus tribuit. Thesaurum enim suum condit in cælo, qui Christum pascit in paupere. Benignitatem itaque in hoc & dispensationem diuinæ pietatis agnosce: idcircò enim te abundare voluit, vt per te alius non egeret, & per ministerium operis tui, pauperem ab egestatis labore, teq́, à peccatorum multitudine liberaret. O mira prouidentia & bonitas Creatoris, vt vno facto duobus vellet esse succursum!* Repeto ego vltima S. Leonis verba, & addo: *O mira prouidentia & bonitas Creatoris, vt vno facto tribus vellet esse succursum!* Nam præterquam quòd certum sit, pauperem viuum eleëmosynâ subleuari, nihilominùs S. Ioannes Chrysostomus asserit, eâdem ipsâ & defunctum, pro quo offertur, & eum à quo offertur, mirabili Dei dispensatione iuuari. Verba sancti Doctoris, etsi superiùs quoque attulerimus, quia etiam huc aptissimè quadrant, repetenda duximus. *Non frustrà*, inquit, *oblationes pro defunctis fiunt, non frustrà preces, nõ frustrà eleëmosynæ. Hæc omnia Spiritus disposuit, volens vt nos mutuò iuuemus. Vide enim vtilitatem. Accipiet ille per te, & tu per illum, contemptis opibus, inductus es ad faciendum aliquid generosum: & tu illi salutis, ipse verò tibi eleëmosynæ factus est auctor. Ne dubita, quia erit aliquis fructus suauis. Non simpliciter Diaconus clamat, Pro his qui defuncti sunt in Christo, & pro his qui illorum memoriam faciunt.* Ita Chrysostomus: vt propterea vnus eleëmosynæ actus tribus simul prosit, adeoque perfectus esse debeat ac planè solidus, cùm & tria sint omnia, & funiculus triplex difficilè rumpatur, de quo quia toto fere lib. 3. modo inchoamus.

Viuis nihil discedit si pro mortuis fiat eleemosyna. *Serm. 1. de Collectis.* *Non solùm iuuat illum à quo datur, sed & pro quo datur.* *Tribus per illius erogationem succurritur.* *Homil. 21. in Acta.* *Eccli. 4.*

CAPVT XXI.

Iniuriarum condonatio haud rarò promeretur, vt defunctis sua tormenta relaxentur.

TAMETSI nonnullis temporalium haud suppetat copia vel commoditas, vt inde Purgatorij animabus suppetias ferre possint; quò minùs tamen, vtcumque pauperes fuerint, eleëmosynas alias, spirituales videlicet, pro earumdem solatio facere possint, nihil illos impedit. Duplices namque esse eleëmosynas & misericordiæ actus, corporales & spirituales, qui ignoret nemo est; vt nulla proinde tergiuersatio, quò minùs alterutram præstare teneatur, patrocinari cuiquam possit. Si namque facultates terrenæ & diuitiæ desint, occasiones tamen eleëmosynarum spiritualium faciendarum numquam desunt; & semper in promptu est, in quem spiritualem misericordiam exercere possis. 1.

Qui pro mortuis corporalem eleemosynam facere nequeunt, queunt spiritualem.

possis. E præcipuis porrò quæ corde, adeoque spiritualiter, exhibentur eleemosynis, esse putamus iniuriarum nobis illatarum cõdonationem, dum nimirum ea quæ ab aliis contra iustitiam aut charitatem patimur, vti sæpenumerò omnes patimur, libenter & ex intimo cordis affectu condonamus. Hæc verò eleëmosyna non solùm in reliquarum classe, sed in ipso capite censenda est, adeoque est satisfactoria & meritoria, vt per eam non modò nobisipsis, sed & fidelibus defunctis, culparum veniam, & pœnæ remissionem haud dubiè impetrare valeamus: quod sancti Patres vnanimi consensu, velut ex professo rem agentes, asserunt & adstruunt; è quorum sanctissimis scriptis, vt ordine procedamus, hoc Capite quinque allaturi & probaturi sumus, primò, iniuriarum condonationem verè esse eleëmosynam; deinde, eam, vt ab omnibus fiat & exerceatur, esse vel maximè necessariam; tertiò, huiusce charitatis actum esse admodum efficacem & meritorium; quartò, sublimem hanc virtutem à sanctissimis quibusque & perfectissimis hominibus fuisse frequenter exercitam; & denique, eam in animabus quoque Purgatorij locum habere, vt per eius actum à suis illæ pœnis absoluantur, & ad æterna pacis & quietis sempiternæ tabernacula transferantur.

Quinque hoc in Capite tractanda.

2\. Primam nostram assertionem, iniuriarum scilicet condonationem verè esse eleëmosynam, varij Patres perquam eruditè adstruunt. Isidorus ille verè magnus, *Duæ sunt, inquit, eleëmosynæ, vna corporalis, scilicet egenti dare quidquid potueris; altera spiritualis, dimittere à quo læsus extiteris. Harum prima adhibenda est miseris, secunda malis. Erit ergo quod semper impartiaris, etsi non pecuniam, saltem vel gratiam.* Similiter etiam S. Augustinus præclara hanc in rem adfert. *Potes,* ait, *mihi dicere, Non habeo quod tribuam egenti, non possum ieiunare frequenter, & à vino & carnibus abstinere non possum. Numquid potes mihi dicere, charitatem te habere non posse? Ipsa est cuius possessio tantò plus augetur, quantò amplius erogatur. Dimitte ergo quod tenebas, ne aduersus te ille teneat aliquid, cui non habes quod dimittas. Dimitte, & dimittetur vobis: date, & dabitur vobis. Scitote, fratres charissimi, quia duæ sunt eleëmosynæ, vna cordis, alia pecuniæ. Eleëmosyna cordis est, dimittere ei à quo læsus es. Nam dare aliquid indigenti aliquando quæris, & non habes: indulge peccanti quantum volueris, redundabit tibi. Aurum, & argentum, vestem, frumentum, vinum & oleum potest fieri vt aliquoties non habeas vnde pauperibus tribuas; vt autem omnes homines diligas, & hoc aliis, quod tibi ipse velis, & ipse inimicis tuis indulgeas, numquam poteris te excusare. Quia si in cellario vel in horreo non habes quod dare possis, de thesauro cordis tui potes proferre quod tribuas. Et cùm omnibus hominibus, etiamsi sola sit, voluntas sufficiat, & eleëmosyna cordis multò maior sit quàm eleëmosyna corporis, quis est qui vel vmbram excusationis possit prætendere?* Quin nec corporalē eleëmosynam sine spirituali quidquam prodesse, confidenter idem S. Augustinus asseruit, verba ipsius quæ subiungit audiamus. *Et illud attendite, fratres, quia charitatis eleëmosyna sine terrenâ substantiâ sufficit sibi. Illa verò quæ corporaliter datur, si non benigno corde tribuatur, omnino non sufficit. Et quia, sicut ipsi videtis, fratres charissimi, ad remissionem omnium peccatorum, si substantia terræ non fuerit, charitas & dilectio inimicorum satis abundeq; sufficiunt. Nulla nobis excusatio de hac re in die iudicij remanebit; nec dicere aliquis poterit, non se habuisse vnde sua peccata redimeret. Ideò omnes homines studeamus toto corde diligere, orantes, vt qui boni sunt meliores fiant, & in opere bono permaneant; qui mali sunt, citò se corrigant, timentes illud quod Dominus comminatus est dicens: Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Sed magis cum ipsius adiutorio laboremus, vt illud in nobis possit impleri, Date, & dabitur vobis; dimittite, & dimittetur vobis. Cùm ergo secundùm præfatam Domini sententiam, quâ dixit, Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cælestis peccata vestra, in potestate nostrâ positum sit, qualiter in die iudicij iudicemur, dimittamus omnibus inimicis nostris, vt liberâ conscientiâ possimus in Oratione Dominicâ dicere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Lib. 3. de Summo bono, cap. 64.

Lib. 50. Homiliar. Homil. 6.

Iniuriarum condonatio spiritualis eleemosyna.

Omnibus hæc est facillima etiam pauperibus.

Necessarium itaque & hoc esse eleëmosynæ genus, quod alterum nostri instituti membrum est, proximè adducto loco S. Augustinus affirmat; de quo & alibi sic inquit: *Si mordeat conscientia fragilitatis, & in hoc sæculo vsque abundant iniquitates. Dic ergo, Dimitte nobis debita nostra. Sed quod sequitur vide: noluisti enim dimittere peccatum fratri tuo, & dicturus es, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? An non es dicturus? Si non es dicturus, nihil es accepturus: si autem dicturus, falsum es dicturus. Ergo dicet: Verum dic. Quomodo dicturus es verum, qui fratri tuo noluisti laxare peccatum.* Sed maius pondus habent ipsa Saluatoris nostri verba, vt quàm necessariò hoc fraternæ charitatis genus proximo in nos peccanti exhibendum sit intelligamus. Postquam enim dixisset, non se venisse vt Legem aut Prophetas solueret, sed vt adimpleret, in sequentibus, quâ in re hoc perfectionis complementum consistat, explicat, sic inquiens: *Dico enim vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis regnum cælorum.* Sed dic, bone Iesu, quænam in re consistit Christianorum tuorum à Scribarum & Pharisæorum hypocrisi perfectio? *Audistis, inquit, quia dictum est antiquis, Non occides; qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* E quibus Saluatoris verbis manifestissimè euincitur, ad perfectionem Christiano non solùm esse necessarium, vt nullas aduersus proximum suum iras foueat; sed adeò strictum & rigidum hoc esse Christi præceptum, vt qui in eo deliquerit, & inimicis suis reconciliari neglexerit, indignus etiam habeatur, à cuius manu Deus sacrificium accipiat. Hoc vt ampliùs nobis inculcarent SS. Patres, præclara admodum hunc in Saluatoris locum commentari dignati sunt, quæ meritò, nisi fraudem facere Lectori velimus, huc adscribenda erunt. S. Hieronymus itaque, exponens illum versum Psalmi, *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus,* sic ait: *Infelices nos linguam nostram continere non possumus, si nos aliquis offenderit: quasi vultum ostendimus pacatum, ceterùm cor habet venenum. Frequenter oramus, & non consideramus: quia si inimicitias habet anima nostra contra fratrem, sine causâ oramus.*

3\. *Necessarium hoc genus eleemosynæ.*

Hom. 40. cap. 3.

Matth. 5.

Christi id ex verbis apert

In Psal. 119.

Non vult ab eo Deus sacrificium recipere qui non cõdonat iniurias.

tur omnium loco, qui pro omnibus vicem subire potest, S. Cyprianus, qui elegantissimè atque diffusissimè pro suo more totum hoc negotium hisce complexus est: *Agnoscamus itaque, fratres charissimi, diuinæ indulgentiæ munus salubre, & emūdandis & purgandis peccatis nostris, qui sine aliquo conscientiæ vulnere esse non possumus, medelis spiritualibus vulnera nostra curemus. Nec quisquam sic sibi de puro atque immaculato corde blandiatur, vt innocentiâ suâ fretus, medicinam non putet adhibendam esse vulneribus, cùm scriptum sit: Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccatis? Et iterùm in Epistolâ suâ Ioannes ponat & dicat: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & iustus est Dominus, qui nobis peccata dimittat. Si autem nemo esse sine peccato potest; & quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est: quàm necessaria, quàm benigna est diuina clementia? dedit curandis denuò sanandisq; vulneribus remedia salutaria. Numquam denique, fratres dilectissimi, admonitio diuina cessauit, numquam & tacuit, quò minùs in Scripturis sanctis, tam in veteribus quàm in nouis, semper & vbique ad misericordiæ opera Dei populus prouocaretur, & canente atque exhortante Spiritu sancto, quisquis ad spem regni cælestis instruitur, facere eleēmosynas iubetur*, &c. Et infrà nihil magis à Christo præceptum esse, quàm eleēmosynarum pietatem, hisce verbis demonstrat: *Itaque in Euangelio Dominus, Doctor vitæ nostræ, & magister salutis æternæ, viuificans credentium populum, & viuificatis consulens in æternum, inter sua mandata diuina & præcepta cælestia nihil crebriùs mandat & præcipit, quàm vt insistamus eleēmosynis dandis: nec terrenis possessionibus incubemus, sed cælestes potiùs thesauros recondamus.* atque posteà varia Scripturarum loca adducit. Quin & eodem loco docet, sine eleēmosynâ orationem & ieiunia minùs valere, sic inquiens: *Raphaël Angelus quoque paria testatur, & vt eleēmosyna libenter ac largiter fiat hortatur, dicens: Bona est oratio cum ieiunio & eleēmosynâ, quia eleēmosyna à morte liberat, & ipsa purgat peccata. Ostendit orationes nostras ac ieiunia minus posse, nisi eleēmosynis adiuuentur. Deprecationes solas parum ad impetrandum valere, nisi factorum & operum accessione farciantur, reuelat Angelus, & manifestat; & firmat, eleēmosynis petitiones nostras efficaces fieri, eleēmosynis vitam de periculis redimi, eleēmosynis à morte animas liberari.* Quibus adstipulatur etiam S. Ioannes Chrysostomus hisce verbis: *Has quæramus virtutes, quæ præter salutem nostram proximis quoque plurimùm prodesse possint. Tale quid est eleēmosyna, tale oratio: quin potiùs & hæc ab alterâ fit potens, & eleuatur. ait enim: Orationes tuæ & eleēmosynæ tuæ ascenderunt in memoriam coram Deo. Nec verò solùm oratio, verùm & ieiunium hinc neruos habet; & si absque eleēmosynâ ieiunes, nec bonum opus ieiunium censetur, sed crapulante & ebrio peior est huiusmodi; & tantò peior, quantò deliciis crudelitas grauior.* Sic Chrysostomus.

De Opere & eleemosynis. — *Prou. 20.* — *1. Ioan.* — *Nihil amplius à Christo præceptū quam eleemosyna.* — *Tob. 4. Sine hac non valet oratio atque ieiunium.* — *Homil. 34. ad populum Antiochenū.*

19\. Hæc de misericordiâ dicta sint, vt ex eleēmosynis quoque viuentium, vtilitatem defunctos percipere comprobemus: quæcumque enim erogantur in viuos, iis non detrahuntur aut minuuntur, si affectu quoque seu intentione, vt & ipsi liberentur, in illos dirigantur. Ait quidem S. Leo, ex hoc excellentiam virtutemque eleēmosynæ meritò colligi, quòd & dantis animæ simul prosit, & corpori accipientis: sed ampliùs nunc ego dico, non tantummodò animæ dantis, sed & illi pro quâ datur, quæ fortè in Purgatorio plectitur, ingens eam emolumentum afferre. Verba primùm D. Leonis audiamus, inde propositionem nostram adstruemus. Scripsit itaque magnus ille Ecclesiæ Catholicæ Archi-pontifex: *Multis diuinarum Scripturarum testimoniis edocemur, quantum eleēmosynarum meritum, & quanta sit virtus. Certum est enim, vnumquemque nostrûm animæ suæ benefacere, quoties misericordiâ suâ inopiæ succurrit alienæ. Prompta ergo & facilis, dilectissimi, apud nos largitas esse debet, si credimus, sibi vnumquemque id præstare, quod indigentibus tribuit. Thesaurum enim suum condit in cælo, qui Christum pascit in paupere. Benignitatem itaque in hoc & dispensationem diuinæ pietatis agnosce: idcircò enim te abundare voluit, vt per te alius non egeret, & per ministerium operis tui, pauperem ab egestatis labore, teq; à peccatorum multitudine liberaret. O mira prouidentia & bonitas Creatoris, vt vno facto duobus vellet esse succursum!* Repeto ego vltima S. Leonis verba, & addo: *O mira prouidentia & bonitas Creatoris, vt vno facto tribus vellet esse succursum!* Nam præterquam quòd certum sit, pauperem viuum eleēmosynâ subleuari, nihilominùs S. Ioannes Chrysostomus asserit, eâdem ipsâ & defunctum, pro quo offertur, & eum à quo offertur, mirabili Dei dispensatione iuuari. Verba sancti Doctoris, etsi superiùs quoque attulerimus, quia etiam huc aptissimè quadrant, repetenda duximus. *Non frustrà*, inquit, *oblationes pro defunctis fiunt, non frustrà preces, nō frustrà eleēmosynæ. Hæc omnia Spiritus disposuit, volens vt nos mutuò iuuemus. Vide enim vtilitatem. Accipiet ille per te, & tu per illum, contemptis opibus, inductus es ad faciendum aliquid generosum: & tu illi salutis, ipse verò tibi eleēmosynæ factus est auctor. Ne dubita, quia erit aliquis fructus suauis. Non simpliciter Diaconus clamat, Pro his qui defuncti sunt in Christo, & pro his qui illorum memoriam faciunt.* Ita Chrysostomus: vt proptereà vnus eleēmosynæ actus tribus simul prosit, adeòque perfectus esse debeat ac planè solidus, cùm & tria sint omnia, & funiculus triplex difficilè rumpatur, de quo quia toto fere lib. 3. modo inchoamus.

Viui nihil discedit si pro mortuis fiat eleemosyna. — *Serm. 1. de Collectis.* — *Non solùm iuuat illum à quo datur, sed & pro quo datur.* — *Tribus per illius erogationem succurritur.* — *Homil. 21. in Acta.* — *Eccli. 4.*

CAPVT XXI.

Iniuriarum condonatio haud rarò promeretur, vt defunctus sua tormenta relaxentur.

1\. TAMETSI nonnullis temporalium haud suppetat copia vel commoditas, vt inde Purgatorij animabus suppetias ferre possint; quò minùs tamen, vtcumque pauperes fuerint, eleēmosynas alias, spirituales videlicet, pro earumdem solatio facere possint, nihil illos impedit. Duplices namque esse eleēmosynas & misericordiæ actus, corporales & spirituales, qui ignoret nemo est; vt nulla proinde tergiuersatio, quò minùs alterutram præstare teneatur, patrocinari cuiquam possit. Si namque facultates terrenæ & diuitiæ desint, occasiones tamen eleēmosynarum spiritualium faciendarum numquam desunt; & semper in promptu est, in quem spiritualem misericordiam exercere possis.

Qui pro mortuis corporalem eleemosynam facere nequeunt, queunt spiritualem.

possis. E præcipuis porrò quæ corde, adeoque spiritualiter, exhibentur eleemosynis, esse putamus iniuriarum nobis illatarum cōdonationem, dum nimirum ea quæ ab aliis contra iustitiam aut charitatem patimur, vti sæpenumerò omnes patimur, libenter & ex intimo cordis affectu condonamus. Hæc verò eleëmosyna non solùm in reliquarum classe, sed in ipso capite censenda est, adeoque est satisfactoria & meritoria, vt per eam non modò nobisipsis, sed & fidelibus defunctis, culparum veniam, & pœnæ remissionem haud dubiè impetrare valeamus: quod sancti Patres vnanimi consensu, velut ex professo rem agentes, asserunt & adstruunt; è quorum sanctissimis scriptis, vt ordine procedamus, hoc Capite quinque allaturi & probaturi sumus, primò, iniuriarum condonationem verè esse eleemosynam; deinde, eam, vt ab omnibus fiat & exerceatur, esse vel maximè necessariam; tertiò, huiusce charitatis actum esse admodum efficacem & meritorium; quartò, sublimem hanc virtutem à sanctissimis quibusque & perfectissimis hominibus fuisse frequenter exercitam; & denique, eam in animabus quoque Purgatorij locum habere, vt per eius actum à suis illæ pœnis absoluantur, & ad æterna pacis & quietis sempiternæ tabernacula transferantur.

Quinque hoc in Capite tractanda.

2. Primam nostram assertionem, iniuriarum scilicet condonationem verè esse eleëmosynam, varij Patres perquam eruditè adstruunt. Isidorus ille verè magnus, *Duæ sunt, inquit, eleëmosynæ, vna corporalis, scilicet egenti dare quidquid potueris; altera spiritualis, dimittere à quo læsus extiteris. Harum prima adhibenda est miseris, secunda malis. Erit ergo quod semper impartiaris, etsi non pecuniam, saltem vel gratiam.* Similiter etiam S. Augustinus præclara hanc in rem adfert. *Potes,* ait, *mihi dicere, Non habeo quod tribuam egenti, non possum ieiunare frequenter, & à vino & carnibus abstinere non possum. Numquid potes mihi dicere, charitatem te habere non posse? Ipsa est cuius possessio tantò plus augetur, quantò amplius erogatur. Dimitte ergo quod tenebas, ne aduersus te ille teneat aliquid, cui non habes quod dimittas. Dimitte, & dimittetur vobis: date, & dabitur vobis. Scitote, fratres charissimi, quia duæ sunt eleëmosynæ, vna cordis, alia pecuniæ. Eleëmosyna cordis est, dimittere ei à quo læsus es. Nam dare aliquid indigenti aliquando quæris, & non habes: indulge peccanti quantum volueris, redundabit tibi. Aurum, & argentum, vestem, frumentum, vinum & oleum potest fieri vt aliquoties non habeas vnde pauperibus tribuas; vt autem omnes homines diligas, & hoc aliis, quod tibi ipse velis, & ipse inimicis tuis indulgeas, numquam poteris te excusare. Quia si in cellario vel in horreo non habes quod dare possis, de thesauro cordis tui potes proferre quod tribuas. Et cùm omnibus hominibus, etiamsi sola sit, voluntas sufficiat, & eleëmosyna cordis multò maior sit quàm eleëmosyna corporis, quis est qui vel vmbram excusationis possit prætendere?* Quin nec corporalē eleemosynam sine spirituali quidquam prodesse, confidenter idem S. Augustinus asseruit, verba ipsius quæ subiungit audiamus. *Et illud attendite, fratres, quia charitatis eleëmosyna sine terrenâ substantiâ sufficit sibi. illa verò quæ corporaliter datur, si non benigno corde tribuatur, omnino non sufficit. Et quia, sicut ipsi videtis, fratres charissimi, ad remissionem omnium peccatorum, si substantia terræ non fuerit, charitas & dilectio inimicorum satis abundeq; sufficiunt. Nulla nobis excusatio de hac re in die iudicij remanebit; nec dicere aliquis poterit, non se habuisse vnde sua peccata redimeret. Ideò omnes homines studeamus toto corde diligere, orantes, vt qui boni sunt meliores fiant, & in opere bono permaneant; qui mali sunt, citò se corrigant, timentes illud quod Dominus comminatus est dicens: Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Sed magis cum ipsius adiutorio laboremus, vt illud in nobis possit impleri, Date, & dabitur vobis; dimittite, & dimittetur vobis. Cùm ergo secundùm præfatam Domini sententiam, quâ dixit, Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cælestis peccata vestra, in potestate nostrâ positum sit, qualiter in die iudicij iudicemur, dimittamus omnibus inimicis nostris, vt liberâ conscientiâ possimus in Oratione Dominicâ dicere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Lib. 3. de Summo bono, cap. 64.

Lib. 50. Homiliar. Homil. 6.

Iniuriarum condonatio spiritualis eleemosyna.

Omnibus hæc est facillima etiam pauperibus.

3. Necessarium itaque & hoc esse eleëmosynæ genus, quod alterum nostri instituti membrum est, proximè adducto loco S. Augustinus affirmat; de quo & alibi sic inquit: *Si mordeat conscientia fragilitatis, & in hoc sæculo vsque abundant iniquitates. Dic ergo, Dimitte nobis debita nostra. Sed quod sequitur vide: noluisti enim dimittere peccatum fratri tuo, & dicturus es, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? An non es dicturus? Si non es dicturus, nihil es accepturus: si autem dicturus, falsum es dicturus. Ergo dicet: Verum dic. Quomodo dicturus es verum, qui fratri tuo noluisti laxare peccatum.* Sed maius pondus habent ipsa Saluatoris nostri verba, vt quàm necessariò hoc fraternæ charitatis genus proximo in nos peccanti exhibendum sit intelligamus. Postquam enim dixisset, non se venisse vt Legem aut Prophetas solueret, sed vt adimpleret, in sequentibus, quâ in re hoc perfectionis complementum consistat, explicat, sic inquiens: *Dico enim vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis regnum cælorum.* Sed dic, bone Iesu, quánam in re consistit Christianorum tuorum à Scribarum & Pharisæorum hypocrisi perfectio? *Audistis, inquit, quia dictum est antiquis, Non occides; qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* E quibus Saluatoris verbis manifestissimè euincitur, ad perfectionem Christiano non solùm esse necessarium, vt nullas aduersus proximum suum iras foueat; sed adeò strictum & rigidum hoc esse Christi præceptum, vt qui in eo deliquerit, & inimicis suis reconciliari neglexerit, indignus etiam habeatur, à cuius manu Deus sacrificium accipiat. Hoc vt ampliùs nobis inculcarent SS. Patres, præclara admodum hunc in Saluatoris locum commentari dignati sunt, quæ meritò, nisi fraudem facere Lectori velimus, huc adscribenda erunt. S. Hieronymus itaque, exponens illum versum Psalmi, *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus,* sic ait: *Infelices nos linguam nostram continere non possumus, si nos aliquis offenderit: quasi vultum ostendimus pacatum, ceterùm cor habet venenum. Frequenter oramus, & non consideramus: quia si inimicitias habet anima nostra contra fratrem, sine causâ oramus.*

Necessarium hoc genus eleemosynæ. *Homil. 40. cap. 3.*

Matth. 5.

Christi id ex verbis patet.

In Psal. 119. *Non vult ab eo Deus sacrificium recipere qui non cōdonat iniurias.*

oramus. In Euangelio enim dicitur : Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris ibi, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te. Vide quid dicat. Non dixit, Si habes aliquid contra fratrem tuum, sed, Si frater tuus habet aliquid contra te. Rem quasi iniustam videtur nobis imponere. Si enim dixisset, Si habes aliquid contra fratrem tuum, in nostra erat potestate quod habeamus: nunc verò quid dicit ? Si recordatus fueris, quòd aliquid habet frater tuus aduersum te. Respondeo ei: Non est hoc in meâ potestate, Domine. Si frater meus habet aliquid aduersum me, ego nihil habeo contra eum; & quare non vis suscipere munus meum, & dicis: Si offers munus tuum, &c. & tunc veniens offeres munus tuum? Ecce ego nihil habeo: si ille habet, ad me quid pertinet ? Respondet tibi Dominus: Male serue, intelligo animum tuum. Nihil habes contra fratrem tuum? nihil habes? amas illum? Quare ergo saluari eum non vis, si amas illum? Vade, roga eum, ne ille contra te habeat, vt saluari possit. Sed ostendis quia non diligis eum, quia saluari eum non vis. Vade, roga eum, mitte te ei ad pedes eius, diebus ac noctibus deprecare. dicito : Munus meum dimisi ad altare, propter te victimas offerre non possum. Ille compungitur, & dicit : Si iste, qui me rogat, non offert munus suum ; ego qui rogatus sum, & non ignosco, quid facturus sum? Propterea dicit Apostolus, vt bis manducare demus, & bibere ; Hæc enim, inquit, faciens, congeris carbones ignis super caput eius. id est, Si tibi ille malè fecerit, & tu ei benè feceris, carbones ignis congeris super caput eius, id est, mundas vitia eius, & excoquis malitiam eius, vt ad pœnitentiam conuertatur. Ideò ait Propheta : Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. Non dixit, Qui volebant pacem, sed, Qui oderunt pacem. Illi oderant pacem, & ego amabam eos. Ideò dicit Apostolus: Quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Rogemus fratrem, si inimicus noster iste: rogemus & bis, & ter, & septies. Tamen & si peccauerit frater meus, quoties dimittam ei? septies? Dico tibi, non septies, sed septuagies septies. Sed dicis, Non ex toto corde conuertitur, mentitur, &c. Paria habet S. Basilius, qui sic ait: *Si quis habet aduersus aliquem offensam, & eam contemnens non reconciliatur ante ministerium, talis excommunicetur.* Et infrà : *Si quis in tempore communionis, habens offensam aduersus fratrem, pacem ei non porrexerit, sit excommunicatus.* Et hisce reliqui Patres vno quasi ore consentiunt omnes.

Pulchrè idipsum ex Scripturâ deducitur.

Lib. Pœnæ contra Monachos, tom. 2.

4. Sed & alium S. Scripturæ locum de eadem re audiamus & expendamus. Refert S. Matthæus Euangelista, Petrum Apostolum ad Saluatorem accessisse, ab eoque quæsiuisse, quoties ei, qui in se peccasset, indulgere teneretur, & an septies pacem ei dedisse sufficeret; Christumque respōdisse, non sufficere si tantùm septies offendenti se fratri reconciliatus fuerit, sed vel septuagies septies offendenti, & toties veniam errati petēti concedendam & impendendam esse. Rem hanc illustri similitudine exponit eò loci Saluator, referens historiam de Rege quodam, qui petenti seruo debiti relaxationem benignissimè indulserat, posteà verò eumdem, longè minus debitum conseruo suo condonare nolentem, ligatis pedibus manibusque in fœdissimum carcerem conijci, ibique tamdiu detineri iussérit, donec vel vltimum obolum integrè persoluisset : addito hoc epiphonemate, *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Quibus sanè verbis Saluator apertissimè insinuauit, tam offensarum remissionem esse

Matth. 18.

Quàm horrendam consectarium sibi iteribus punitio.

necessariam, vt nisi nos proximo nostro exiguum in nos peccanti indulgere voluerimus, nec ipse Deus & Pater cælestis ingentia & vel maris arenas excedentia debita sit condonaturus. Audite, quæso, quid eximium illud par Patrum Græcorum, D. nimirum Chrysostomus & D. Basilius, ad huius loci explanationem, virtutisque nostræ commendationem scripserint. Chrysostomus itaque sic concionatur : *Christus Dominus docere voluit condonandas iniurias, exemplo illius domini, qui condonauit nobis tam facilè, tam magnificè decem millia talenta, & propterea finem illi imposuit Christus Dominus, dicens: Sic faciet vobis Pater meus, si non dimiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Non dixit, Pater vester, sed, meus: non enim digni sunt isti quorum Pater Deus vocetur, cùm ita nequam sint, vt homines odio prosequantur. Qui sua cogitat, ad dandam conseruo veniam, non est ore solùm, sed corde facilior. Perspice, quot & quanta lucreris, si æquo animo oppressionem inimicorum tuleris. Primò, quod maximum est, remissionem peccatorum; deinde patientiam atque perseuerantiam laudabilem; tertiò mansuetudinem & humanitatem. Nam qui nescit aduersus inimicos irasci, multò magis amicis erit commodior. Quartò, quia procul ab irâ, tranquillo semper animo viues : nam qui nescit odisse, nec tristari cognouit, sed continuè gaudens bonis suis perfruitur. Prætereà tecum crebrò verte, quia Christus ad crucem iturus, ipse quidem gaudebat, de crucifigentibus autem lacrymabatur : quæ ita imitari debemus, vt quò magis perseuerant persecutores nostri, eò largiores lacrymas pro ipsis effundamus. Innumera enim hinc nobis, illis autem non pauca incommoda comparamus. Quòd si arduum, ac vltrà vires tuas imitatio Dei tibi videtur, quamuis studioso difficile non sit, age ad seruorum venias imitationem. Imitare Ioseph, qui ad seruitutem vsque fratrum iniuriâ traditus, beneficio suo ipsos sponte subleuauit. Imitare Moysen, qui post mille iniurias pro populo deprecabatur. Imitare Paulum, qui quamuis mille à Iudæis persecutionibus premeretur, anathema tamen esse pro salute illorum volebat. Imitare Stephanum, qui dum lapidaretur, vt hoc peccatum lapidantibus remitteretur optabat.* Sanctus verò Basilius ita loquitur : *In tempore orationis omnem malitiam cordis proiice à te, & remitte, si quid habes aduersus proximum tuum : est enim quoddam genus serpentis, qui cùm potatum ad flumen vel fontem pergit, antequam bibat, venenum proiicit & dimittit. Imitare ergo huius serpentis astutiam, & omne venenum amarissimum proiice ab animâ tuâ: remitte conseruo tuo centum denarios, vt tibi decem millia talenta remittantur; & qualem Deum habere volueris in anima tuâ, tu talem te exhibe fratri tuo : quâ enim mensurâ metieris, remetietur tibi.* Sed & idem qui suprà S. Ioannes Chrysostomus, exponens alio in loco parabolam Christi Saluatoris de decem millibus talentis, quæ omnino homines Deo debent, sic ait: *Si Deo tam multa debemus, dignum est, vt totâ animi alacritate his, qui nos læserunt, peccata donemus. Pellatur ex animo rancor omnis: namque ad impetrandam nostris sceleribus veniam, non pecunias impendere, sed sufficit bonæ voluntatis integritas. Non opus est longinqua peregrinando transire, nec ad remotissimas ire nationes, non pericula nec labores tolerare, sed velle tantummodò. Non potes pecunias contemnere? non potes egenis res tuas distribuere? non vales remittere in te peccanti? Tu qui tam multa Deo debes, dimittere iuberis, vt plura recipias, & detrectas? Contristauit te quisquam, & probris ac iurgiis affecit; cogita quàm multa*

Homil. 1. in Math. c. 3.

Præcedentis textus Euangelici pulchra Chrysostomi explicatio.

Gen. 42.

Exod. 32.

Rom. 9.

Act. 7.

In Admonitione ad fil. spiritualem, tom. 2. Item & Basilij.

Homil. 1. Philemonē, tom. 4.

similia

similia tu in alios atque in ipsum Dominum admiseris, sicq; eris ad veniam pronior.

5. En bina è SS. Euangelio loca à SS. Patribus explicata, quæ sanè sunt eiusmodi, vt q amplurium aliorum, quæ passim occurrunt, vicem subire, adeoque abundè nobis sufficere possent: verùm tum rei dignitas, tum etiam nostrorũ, eheu! in quæ incidimus, temporum malignitas, vbi rixæ, iræ, discordiarumque infestissimarum, si vmquam aliàs, vel maximè vigent impietates, summo à nobis iure exigunt & postulāt, vt paullò diffusiùs hanc ipsam materiam exaggeremus. Præceptum igitur Christi hoc est: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Sed quomodo præcepto huic satisfacere poterimus? Si nimirum offensas, quas nobis intulerunt, vero sinceroque corde remittamus. Certissimè enim sciat, qui non vult iniurias remittere, & qui de hoste aduersarioque suo vindictam expetit, nec à Domino eum Deo suorum peccatorum veniam obtenturum, cùm eius peccata Deus in suo conspectu præsentia seruet, vt probari potest ex illo Ecclesiastici: *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccatum eius seruans seruabit.* Alludit hoc loco Concionator ille Biblicus ad locum illum Ezechielis: *Factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, pone faciem tuam aduersum montem Seir, & prophetabis de eo, & dices illi: Hæc dicit Dominus: Ecce ego ad te mons Seir, & extendam manum meam super te, & dabo te desolatum atque desertum, eò quòd fueris inimicus sempiternus.* Lectoris hîc mei patientiam exposco, vt altiùs paulò loci huius, qui maximè proposito nostro quadrat, expositionem accersam. Mons Seir, vt Expositores tradūt, est ille in quo habitauit Esau, quem & post eum eius posteri insederunt, qui &, parentis sui Esau mores probè imitati, infensissimi populi Israelitici hostes extiterunt. Esau namque odium, quod contra fratrem suum Iacob conceperat ob præreptam sibi primogenituram, numquam deposuit; vt verè de eo dici possit quòd fuerit inimicus sempiternus, eò quòd iniuriam, quam putabat, memoriâ retinuerit, & vindictæ voluntatem ad mortem vsque conseruauerit. Ideoque filiis & posteris eius insinuari iubet Deus, & in iis ipsorum imitatoribus, neque se eorum iniquitates obliturum, sed graui vltione prosecuturum. *Propterea* enim, id est, quia inimicus es sempiternus, quia perpetuum odium geris, quia vindictæ cupiditatem numquam deponis, *sanguis*, id est peccatum tuum, in meâ memoriâ conseruatum, *persequetur te*, hoc est, bellum, afflictiones, vltionem tibi inferet. Sed quâ ratione has minas euadere quis poterit? Bonum vtique consilium Ecclesiasticus suggerit, dum sic statim subiungit: *Relinque proximo tuo, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur.* Vbi hîc dicitur *relinque*, qui Græca norunt, idem verbum hîc haberi aiunt quod in Oratione Dominicâ, vbi Interpres vertit, *Dimitte nobis.* Qui ergo multis miseriis vndequaque cingitur, adeoque diuinâ miseratione vel maximè indiget, nec misericordiam impertiri vult proximo suo qui multò leuiùs ipsum, quâ ipse Deum, offendit, an eum misericordiam à Deo obtenturum putas? *Ipse cùm caro sit, imò puluis & cinis, reseruat iram, & propitiationem petit à Deo?* Considera igitur, tu quicumq; es, Deum esse omnium Dominum, omnes verò homines Domini huius esse seruos. *Ipse* enim, vt Regius ille olim Vates cecinit, *est Dominus Deus noster, & nos populus pascuæ eius, & oues manus eius.* Inter te ergo & ipsum Deum infinita est distantia, inter te verò & proximum tuum, quæ est inter seruũ & conseruum. Considera quoque quantum sit illud debitum quod huic Domino tuo debes; tot enim debita contraxisti, quot peccata commisisti. Iam verò vel vnum peccatum mortiferum tanto te debito apud Deum obstringit, vt Theologorum sit doctrina, nullo omnino pretio, etiamsi quis totum possideret orbem terrarum, & omnia creata, aut quæcumque in mundo sunt pretiosa pro eo offerret, pro eo ex æquo satisfieri posse. Debitum verò, quod tibi tuus conseruus aut proximus tuus debet, quàm exile est, quàm leue! Fortè, si vel ingens quodpiam debitum proferas, verbulum vnum incautiùs contra te protulit. Sed quid illud, nisi verberatus aër? adeò vt verè, quidquid contra te, vel tuum honorem atque æstimationem fit, haud maiorem habeat æstimationem, quàm vel minutissima maris arenula; & verè quilibet, etiamsi Rex sit aut Monarcha, cum Dauide dicere debeat: *Substantia mea tamquam nihilum ante te.* Considera denique modum quem Deus obseruat erga nos, & quem nos contra proximum & conseruum nostrum. Deus non asperè contra nos agit, etiamsi immensissimum sit debitum quo ei obstringimur; sed potiùs nos sustentat & alit, solemque suum super nos oriri facit, pluuiamque congruentem in agros nostros demittit, quinimmò ad vnicam ex verè contrito corde prodeuntem voculam, quâ eius misericordiam, & peccati debitique nostri indulgentiam petimus & imploramus, omne debitum verè, sincerè & integrè dimittit, condonat, delet. Patet hoc in Dauide, qui simul atque dixisset, *Peccaui Domino*, vicissim audiuit, *Dominus transtulit peccatum tuum*; & in latrone, qui statim atque hæc verba effatus fuisset, *Memento mei, dum veneris in regnum tuum*, à Domino audiuit, *Hodie mecum eris in paradiso*; & in publicano, qui postquam dixisset, *Propitius esto mihi*, præ Pharisæo iustificatus dicitur. Nos verò difficillimè placamur, & implacabiliter in conseruos excandescimus tum verbis tum factis, nec vel in minimo patientiam erga ipsos exhibere volumus. Nos homines in homines, serui ad conseruos, caro ad carnem inexorabiles sumus: & quid Deus, putas, acturus est? *Peccata tua seruans seruabit.* hoc est, nihil omnino condonabit, sed integrum debitum à te exiget. Si enim nos tanti æstimamus honorem nostrum & nosipsos, vt nequaquam iustum esse censeamus dimittere proximis quod contra nos egerunt; quomodo iustum erit vt Deus dimittat nobis quod contra illum eiusque honorem perpetrauimus? Sed iam ad id quod tertio loco probare volebamus, meritorium esse atque admodum vtile, proximis offensas condonare, transeundum est.

Origenes nos obligatos esse docet vt semper bonos fructus proferamus, quod per inimicorum dilectionem potissimùm fieri asserit. Verba eius hæc sunt: *Marcus tradit, quòd cùm Dominus venisset ad ficum, nihil inuenit præter folia; non enim tempus erat ficorum. Quare ergo Dominus arefecit eam? Respondet, quòd fructus spiritus, de quibus Paulus loquitur, dicens, Fructus autem spiritus est charitas,* 6

Quale de inimicorum dilectione Christi præceptum.

Eccli. 28.

Ezech. 35.

Insignis illâ de re Scripturæ cuiusdam explicatio.

Dimittentibus dimittetur à Deo.

Eccli. 28.

Psalm. 94.

Quantò id minus debitum quo nos Deo, quàm nobis proximus obligatur.

Psalm. 38.

Quàm Deus nobiscū summiter agat.

Quā facilè condonet delicta.

Luc. 18.

Eccli. 28.

Difficillimè verò si nos aliis non condonemus.

Homil. 11. in Matthæi cap. 21. Marci 11.

Galat. 5.

gaudium,

gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, &c. aliquando redduntur tempore suo. Melius autem est, quando circumstantibus aduersariis, & prouocantibus ad non fructificandum, protulerit quis fructus Spiritus sancti. v.g. Vnus fructus est charitas. Huius tempus est, quando non est difficile fructum reddere charitatis, & diligere diligentem: & est quidem fructus Spiritus sancti, sed tamen in tempore suo. Si autem quis excitetur ad odium, circumueniatur, & insidias patiatur, & diligat insidiantem sibi; iste non in tempore ficuum fructum dans charitatis, beatus est. Quàm ergo meritoria est hæc virtus, quæ semper fructificat! Diuus verò Gregorius, qualiter ij qui inimicos suos diligunt, maxima impetrare à Deo valeant, insigniter admodum explicat, hunc in modum disserens: *Quid est, quòd intermissis relictisq́; tot Patribus, soluti Moyses & Samuel in medium adducuntur, quorum mira obtinendi virtus ostenditur, dum nec ipsi posse intercedere dicuntur? Ideò hi in postulatione præferuntur, quia soli illi in cuncta Testamenti veteris serie, etiam pro inimicis suis leguntur exorasse. Vnus à populo lapidibus impetitur, & tamen pro his Dominum deprecatur. Alter è principatu deiicitur, & tamen cùm expostulasset populus vt ad Deum pro ipsis preces funderet, respondit: Absit à me hoc peccatum in Domino, quò minùs cessem orare pro vobis. Ait ergo Dominus: Si Moyses & Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum. ac si apertè dicat: Nec illos modò pro amicis audio, quos magna virtutis merito orare etiam pro inimicis scio. Virtus ergo veræ orationis, est celsitudo charitatis: & tunc quisque quod rectè petit adipiscitur, cùm eius animus in petitione nec inimici odio fuscatur. Sed dices: In nos grauiter inimicus deliquit, damna intulit, iuuantes læsit, amantes persecutus est. Retinenda hæc essent, si remittenda nobis delicta non essent: aduocatus enim noster precem nobis in causâ nostrâ composuit, & ipse eiusdem causæ iudex est, qui aduocatus. Preci autem, quam composuit, conditionem inseruit, dicens: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quia ergo ipse iudex venit, qui aduocatus extitit; ipse precem exaudit, qui fecit. Si ergo non faciendo dicimus, Dimitte nobis, &c. nosmetipsos hoc dicendo ampliùs ligamus. Dimittamus ergo quod debetur nobis, vt dimittatur quod debetur à nobis.*

Iniuriarum condonatio fructuosissima est.

Homil. 27. in Euangelia, Tom. 2.

Qui illâ præditus est plurima à Deo impetrat.

Exod. 17.

1. Reg. 12.

Sine quâ nihil impetrabitur.

Matth. 6.

7\. Cùm itaque naturali quadam inclinatione eò propendeamus, vt inimicos nostros, eosque qui nobis malè faciunt odio habeamus, auersemur, & vicissim illis mala imprecemur, vel vt minimùm vindictam expetamus; si naturæ nostræ vim inferamus, eamque vel inuitam ad eorum dilectionem conuertamus, quis neget, quin tum nobis tum aliis quoque multum promereamur? Christus sanè Redemptor noster non tantùm verbis id docere, sed exemplo insuper suo illud comprobare voluit. Cùm enim in crucem actus, insanâ quadam Iudæorum rabie imperi, conuitiisque & blasphemiis conuelli se videret, Patrem suum æternum obsecrauit, vt hisce suis hostibus benignè indulgere dignaretur. *Pater*, inquit, *dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Hæc pro inimicis & tortoribus deprecatio tam fuit efficax, vt eius fructus illicò se in nonnullos diffuderit: nam & Centurio aliique adstantes facti sui pœnitentiam egerunt, & alter latronum simul cum Christo crucifixorum ad paradisi gaudia peruenire meruit. Sanctissimus quoque ille noui Testamenti Martyrum Dux & Coryphæus, Stephanus inquam Diaconus, dum tam à furiosis Iudæis ad mortem ageretur, & densissimus lapidum in illum imber deplueret, Magistri sui exemplum egregiè imitatus, statim atque suam Deo animam commendasset, omnis illatæ sibi ab hostibus suis iniuriæ oblitus, etiam suam pro iis apud Deum deprecationem interposuit, *Domine*, inquiens, *ne statuas illis hoc peccatum.* Quæ oratio tum sibi tum & aliis admodum profuit. Sibi quidem, vt cælum apertum, Christumque sui agonis testem videret. *Ecce*, inquit, *video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* Aliis verò, quia Paulo fidem, & reliquis per illum ad fidem conuersionem, & regni cælestis consortium validissimè impetrauit. Augustinus hoc asserit, dum sic ait: *Si S. Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet; sed ideò erectus est Paulus, quia in terrâ inclinatus exauditus est S. Stephanus.* Adeò nimirùm Christo iucundum fuit, à se olim decantatam cantilenam à Stephano altâ voce repeti: quod mirum non est, cùm etiam carminis aut Musicæ cuiuspiam auctor pronus & promptus esse soleat ad audiendum dum ab aliis vel recitatur vel decantatur. O benè factum! Sic nimirum, Augustino teste, omnium ferè gentium conuersio ex vno soloque orantis pro inimicis suis merito prouenit. Quia enim ex Saule factus est Paulus, ex lupo agnus, ex Ecclesiæ persecutore Apostolus, Gentiles eum suum habuerunt Doctorem, imò totus mundus, per quem verum agnoscerent Redemptorem. Hoc suo calculo approbat sancta Mater Ecclesia, quæ in eius sancto Conuersionis die hanc Collectam recitare consueuit: *Deus, qui vniuersum mundum beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti: da nobis quæsumus, vt qui eius hodie Conuersionem colimus, per eius ad te exempla gradiamur.* Totum itaque mundum S. Stephanus per Paulum suâ pro inimicis fusâ oratione conuertit, quod præter Augustinum astruit Iacobus de Vitriaco, illustre Ecclesiæ Catholicæ decus, & dignissimus olim Cardo, in quo eius directio verteretur. Narrat ille, S. Mariam Oegniacensem in extasi cognouisse, S. Stephanum Pauli Apostoli morientis animam accepisse, Deoque eam obtulisse. *Dicebat*, inquit ille, *cùm de S. Stephano caneret, quem paradisi rosarium appellabat, illi sub mortem oranti Dominum pro munere dedisse S. Paulum; & S. Paulo, peracto martyrio, è corpore excedente, S. Stephanum adfuisse, eiusq́; spiritum obtulisse Domino, atque dixisse: Domine, hoc ingenti & singulari munere tu me donasti; ego verò multiplici fructu auctum tibi illud reddo.* Quòd si ergo vnius pro inimicis orantis deprecatio tantum valuit, vt securè sibi cælum aperiret, Gentibusque Doctorem totique mundo prædicatorem obtineret; an dubitare quis possit, quin iniuriarum pro mortuorum consolatione condonatio, eis ad liberationem prosit? Sed ad quartum instituti nostri membrum properamus.

Clarum omnino est per hanc virtutē nos multum promereri.

Luc. 23.

Exemplis patet quanti hæc sit meriti.

Actor. 7.

Quā efficax fuerit Stephani pro inimicis sui oratio.

Serm. 1. de Sanctis.

Quanta Ecclesia Catholica per S. Paulum prouenerint bona.

In Vitâ B. Mariæ de Oegnies l. 2. cap. 11.

De SS. Stephano & Paulo mira reuelatio.

Illustria admodum in sacris Scripturis reperiuntur exempla illorum, qui hanc sibi virtutem veluti familiarem & domesticam habuerunt. Agmen, Imperatoris instar, ducat Regius vates, cuius heroica tum dicta tum facta, sanctorum Patrum verbis explanabimus. De eius præclarè dictis sic in expositione huius versus, Contristatus sum in exercitatione meâ, & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris, S. Augustinus: *Inimici, qui nos odio habent, illi sunt qui nos exercent in bono, contra quos inimicitias gerere* 8.

Insignia in Sacris litteris eorum exempla qui inimicos dilexère.

In Expositione Psalmi 54.

non

De præclaris in hac genere à Psalmæ do Dauide dictis insigniter scripsit D. Augustinus.

non debemus. ideò enim dixit Apostolus, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, id est aduersus homines quos videtis; sed aduersus Principes & Potestates, &c. *Imitare Dei bonitatem, qui facit oriri Solem suum super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Tu qui nec Solem potes oriri facere, nec super terras pluere, vnum aliquid seruare amico non potes, vt sit tibi pax in terrâ hominibus bonæ voluntatis? Audi David dicentem : Contristatus sum in exercitatione meâ, & conturbatus sum. Cùm extendit dilectionem, vt diluat inimicos, affectus est tædio, multorum inimicitiis, multorum rabie circumlatratus, & quadam humanâ infirmitate succubuit. Vidit se iam incipere penetrari malâ persuasione diaboli, vt odium inducat aduersum inimicos, reluctans odio vt perficeret ipsam dilectionem, in ipsâ pugnâ & luctâ turbatus est: eius enim vox est in alio Psalmo : Turbatus est præ irâ oculus meus, inueteraui in omnibus inimicis meis. Velut in tempestate & fluctibus mergi cœperat, sicut Petrus: ille enim calcat fluctus huius sæculi, qui diligit inimicos. Christus in mari ambulat intrepidus, cuius omnino de corde auferri non poterat inimici dilectio, qui pendens in cruce aiebat: Pater ignosce illis. At Petrus, cùm videret ventum validum, timuit, & mergi iam cœperat, conturbatus in exercitatione suâ. A quo vento valido? A voce inimici, & à tribulatione peccatoris: ideò præmisit : Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam ; intende mihi, & exaudi me. Quare? quid enim pateris? quid gemis? Contristatus sum in exercitatione meâ. Exerceri me quidē inter malos posuisti, sed nimis exsurrexerunt supra vires meas. contristatus sum in exercitatione mea,* &c. *Vndique illi strepitus insultationis fæuiebant, at ille intus inuocabat Dominum. Cùm aliquid tale patitur Christianus, non debet facilè velut odio ire in eum à quo patitur, & velle ventum vincere; sed conuertere se ad orationem, ne amittat dilectionem. Neque enim timendum est quid faciat inimicus. Quid enim facturus est? multa mala dicturus? opprobria iaculaturus? in conuitiis fæuiturus? Sed quid tibi? Gaudete, inquit, & exultate; ecce enim merces vestra magna est in cælis. Ille in terrâ geminat conuitia, tu in cælo lucra. Quid est ergo timendum, quando pateris inimicum? Ne conturbetur in te dilectio, quâ diligis inimicum. Duos inimicos constitue tibi ante oculos : vnum apertum, qui vult à te auferre diuitias, honorem, &c. in quo à te vincitur; alterum occultum, diabolum, qui conatur auferre id in quo à te vincitur, inimici scilicet dilectionem. Sæuiat homo quantum potest, auferat quidquid potest; si diligitur apertè fæuiens, victus est occultè fæuiens. Cor meum conturbatum est in me, quando turbatus est præ irâ oculus meus. Et si oculus turbatus est, quid sequitur? Formido mortis cecidit super me. Vita nostra dilectio est, ergo mors odium est. Cùm cœperit homo timere, ne oderit quem diligebat, mortem timet quâ occiditur anima. Ille fæuiendò corpus alienum occidit, tu odium habendo animam tuam occidisti. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Quia qui odit fratrem suum, in tenebris est vsque adhuc. Et in hac infirmitate positus, & exercitatione contristatus, ait: Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Si desunt pennæ, dentur: si ligatæ sunt, soluantur. Pennasq; postulat non corui, sed columbæ : columba enim pro signo dilectionis ponitur. Quid ergo dicit iste dilector? Conuitia hominum ferre non possum, strident, rabie feruntur, strident iracundiâ : prodesse illis non possum; vtinam requiescam alicubi ab eis separatus corpore, non amore, ne in me conturbetur ipsa dilectio : verbis meis & collocutione meâ prodesse non possum, orando pro eis forsitan prodero.* Alibi quoque idem Vates sic ait : *Verumtamen pretium meum cogitauerunt repellere.* quem versum idem S. Augustinus de inimicorum dilectione exponit, sic inquiens: *Illi,* ait, *retribuebant mala pro bonis : illi interficiebant, illi repellebant, ego eos sitiebam. Illi honorem meum cogitauerunt repellere, ego eos in corpus meum sitiebam traiicere: bibendo enim humorem foris positum in membra mittimus, & in corpus ducimus nostrum. Sicut Moyses vitulum aureum comminuit, & bibendum populo Israel dedit. Vitulus ille impij homines sunt, qui nos oderunt & persequuntur: hos in corpus nostrum transmittere debemus, eos diligendo,* &c.

Non est vllatenus inimicus formidandus.

Odium mors est animæ.

Psalm. 61.

In Expositione Psalmi 61.

9. De eius verò præclarè gestis, & erga inimicos suos excellētissimis charitatis & dilectionis actibus, eleganter admodum scribit S. Ioannes Chrysostomus, duos inprimis recensens, quorum prior emicuit erga Saul, dum pro vindicando ipso ab iniuriâ & imminēte periculo, in quod Goliath Philisthæus tum Regem ipsum & totum Iudæorum populum coniecerat, mortis se periculo offert, dicens : *Non concidat cor cuiusquam in eo; ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum.* In quæ sic commentatur Chrysostomus: *Nulla necessitate compulsus suam ipsius vitam prodere voluit in illorum vtilitatem, à quibus nihil vnquam acceperat beneficij; per illum deinde vixit Rex, ac principatum obtinuit. Gratia autem quam pro tam ingenti beneficio Saul retulit, ea fuit, vt ab illo die suspectum habuerit Dauid sanctum, & inimicum. Quia postquam barbari illius caput abstulit, & spolia gestans rediit, exierunt mulieres dicentes: Saul percussit mille, & Dauid decem millia, de regno suo periclitari se suspicatus fuit; ideoque contra Dauidem multam iram & inuidiam concepit.* Pergit Chrysostomus : *Si mulieres fuerunt in re, ac crimini obnoxiæ, quid hæc ad Dauidem? neque enim illa iussu ipsius agebant. Si ergo indignandum erat, mulieribus oportuit indignari : at Saul, omissis illis, in Dauidem stomachatur : vult sæpè illum lanceâ configere cum pariete, & necare. At sanctus ille post hæc omnia perseuerauit Regis obire negotia, proq; salute ipsius suscipere pericula, & in acie stare in præliis omnibus, suoq; periculo seruare trucidatorem suum ; denique nec dictis nec factis contristauit immitem illam bestiam. Præcipit Rex Dauidi, vt occidat centum viros ex Philisthæis loco dotis : exponit vitam periculo, fit gener Regis; & quærebat Saul cum lanceâ illum percutere, & lancea infixa est parieti. Quem non ista ad iracundiam excitassent, maximè dicente Lege, oculum pro oculo effodiendum? Nihil tamen tentauit Dauid, sed fugit, ex patriâ exulauit, ab oculis inimici subduxit sese, vt tumorem vlceris & inuidiam mitigaret. Hoc imitemur nos, nihil non tamen faciamus, nihil non patiamur, vt inimici animum sedemus; nec illud inquiramus, vtrùm meritò an immeritò maleuolum animum erga nos gerant, sed hoc modò spectemus, qui fieri possit vt nobis inimici esse desinant. Exulauit Dauid pro curandâ ægritudine inimici, & ne sic melior effectus est Saul, sed tandem incidit in retia ipsius Dauid.* En iam hic alterum dilectionis actum. Pergit Chrysostomus : *Ingressus est enim Saul in speluncam, vt purgaret ventrem, & erat ibi Dauid cum suis. Dixeruntq; milites Dauid ad illum : Ecce dies de quo dixit Dominus, Tradam inimicum tuum in manus tuas, faciesq; illi, quod placitum erit in oculis tuis. Et surrexit Dauid, & scidit oram chlamydis, dixitq; Dauid ad viros suos : Auertat à me Dominus, ne faciam verbum*

De præclaris erga inimicos factis Psalmæ di insigniter Chrysostomus.

1. Reg. 17.

In Homiliis, quarum titulus : *De Dauid & Saule.*

Sauli famulatur qui eum volebat occidere.

Exod. 21.

Diligēdi inimici vt efficiantur amici

1. Reg. 14.

verbum hoc Domino meo Christo Domini, mittamq; manum meam in illum, quoniam Christus Domini est. Specta luctam, victoriam, coronam. Luctatus est Dauid, & non ipsi tantùm aduersus seipsum, propriamq; cupiditatem erat prælium, sed & aduersus milites qui aderant. Etenim si voluisset parcere ei qui læserat, consentaneum erat vt & illos metueret, ne fortè ipsum contrucidarent in speluncâ, tamquam qui illorum salutem prodidisset, exitiumq; attulisset, ac publicum ipsorum hostem seruasset. Dicerent enim: Quo pacto ista sunt æqua? Nam si tuam salutem negligis, nostra certè vita peccat. Non doles ob anteacta tibi; certè ob ea mala quæ futura sunt, tolle hostem, ne maiora & acerbiora perpetiamur mala. At nihil horum iustus apud se perpendebat, & perseuerauit in animi sui decreto: imò & militibus persuasit, vt eamdem animi moderationem sumerent, cùm homines essent, qui multis difficultatibus iam in desperationem erant adducti, à quibus paululùm respirare cupiebant, & ideò inquiunt: Deus illum tradidit in manus tuas. Sed quò magis hæc illi dicebant, eò magis ille pepercit hosti. intelligebat enim, quòd Deus ideò tradiderat eum, vt ipsi maiores occasiones probandæ virtutis suppeditaret: & cùm sciret, fore vt ille seruatus rursus ad eadem rediret, & ipse in grauiora pericula coniiceretur; ne sic quidem occidit, nec præteritorum memoria, nec futurorum metus, eius tranquillam mentem contra hostem mutauit; sed adamantis inuicti more perstitit, moderationis legem seruans.

Suadet etiam suis Dauid ne Sauli noceant.

10. Sed ne vnus Dauid in hac inimicorum dilectione excelluisse putetur, audiamus quomodo idem Chrysostomus multorum aliorum producat exempla, qui sub naturæ lege vixerunt. Inprimis ferè totam narrat historiam ex Genesi de Isaac, qui tempore famis in Geraris apud Regem Abimelech habitauerat, *vbi potens effectus, egredi de terrâ compulsus est* (verba sunt Chrysost.) *ab Abimelech Rege Palæstinorum, à quo & à seruis eius miras passus est iniurias, quas æquo tulit animo. Cùm autem exularet, venit ad eum Rex cum amicis suis, quibus dixit Isaac: Quid venistis ad me hominem quem odistis, & repulistis à vobis? Qui responderunt: Videmus tecum esse Dominum, & idcircò nos diximus, Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus, vt non facias nobis quidquam mali. Fecit ergo eis conuiuium, & post cibum & potum surgentes manè, iurauerunt sibi mutuò, dimisitq; eos Isaac pacificè in locum suum. Vide iusti benignitatem, quomodo cum eis absque vindicandi cupiditate loquitur: & non solùm obliuiscitur eorum quæ in se facta sunt, sed magnâ hospitalitate illos excepit, conuiuio satis certa dat argumenta, se non fore memorem eorum quæ in se commiserant. Vocauerunt locum illum Puteum iuramenti vsque in hodiernum diem, vt factorum duraret memoria. Vidisti, quomodo iustus ille, qui neque à Lege fuit eruditus, neque ad aliquem virtute præditum respicere potuit, ductus à conscientiâ humanæ naturæ insitâ, præcepta Christi post tradenda de inimicorum dilectione compleuit, & grandi hospitalitate tractat eos, qui ita eum oderant, omnemq; vindictæ cupiditatem animo suo exclusit. Qua igitur nos veniâ digni erimus, qui post tantam doctrinam, & Saluatoris præcepta, neque ad iusti huius mensuram peruenire valemus? Tanta enim nunc malitiæ abundantia obduxit omnia, vt rarum nunc sit, & diligentes diligere.* Et alibi, exponens quomodo Ioseph erga proditores fratres suos dilectionem habuisset, sic ait: *Quis pro dignitate admiraretur viri huius virtutem, qui nouæ Legis philosophiam magnâ adimpleuit diligentiâ. Et id quod Christus admonet discipulos, Diligite inimicos vestros, orate pro persequentibus vos; hoc ille, & multò magis, fecit; neque enim solùm declarauit charitatem erga eos qui se occidere volebant, quantum in eis erat, sed omnia fecit, vt demonstraret eis quòd nihil in se peccarint.*

Homil. 52. in Genes.

Quàm ingeniter aliique plures sancti hac in perfectione excelluerint.

Isaac nimirum,

& Ioseph. Homil. 9. in Genes.

11. Hoc idem Iosephi exemplum adducit S. Hieronymus, sic inquiens: *Ioseph Patriarcha antequam audisset Prophetam dicentem, Vnusquisque malitiam proximi sui obliuiscatur in corde suo; ille pro odio reddidit charitatem, & fratribus suis dilectionis affectum pro dolore testatus est. Osculabatur singulos, & irriguis fletibus pauentium colla perfundens, odium fratrum charitatis lacrymis abluit, & pro malis bonum retribuens, in vitâ & in morte patris Apostolicum præceptum sub naturæ adhuc lege compleuit.* Posteà addit de S. Iob, hisce verbis: *Iob etiam antequam Dominus præciperet inimicos esse diligendos, aiebat: Si lætatus sum ad ruinam eius qui me oderat, & gauisus sum, quòd inuenisset eum malum. Si dixi in corde meo, Benè factum est, &c.*

Epist. ad Demetriadem virgin.

Laudabilis sanè hinc Ioseph extitit.

Eamdem virtutē quomodo Iob exercuerit.

Iob 31.

12. Eadem quoque exempla S. Augustinus admodùm deprædicat, dùm sic inquit: *Primum medicamentum est animæ ægrotanti plena & perfecta dilectio, per quod possit non solùm amicos, sed etiam inimicos diligere. Ad id inprimis considerandum est, quanta in beato Iacob fuerit charitas, vt odientem se fratrem suum maluerit in longinquis regionibus fugere, quàm vicem odij repensare; & reuersus multis muneribus, vt eum sibi placatum faceret, honorauit. Beatus etiam Ioseph impiis & inimicis fratribus suis non odij amaritudinem, sed charitatis dulcedinem repensauit: osculabatur enim singulos, & per singulos flebat, quibus non solùm nihil mali rependit, sed omnia bona retribuit, & tam viuo quàm mortuo patre, germano semper amore dilexit. Beatus quoque Moyses, cùm frequenter eum populus rebellis non solùm contemnere, sed etiam lapidare vellet, diuinæ charitatis memor, ita pro illis Domino supplicabat, vt clamaret, Si non dimiseris peccatum populi tui, dele me de libro quem scripsisti. in ipso enim veteri Testamento legimus scriptum: Non oderis fratrem tuum in corde tuo, &c. Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Et iterùm: Si videris asinum inimici tui iacentem sub onere, non pertransibis, sed subleuabis eum. Quo loco diligenter vnusquisque consideret, quòd si asinum inimici non licet in luto dimitti, quantò magis homo, ad imaginem Dei factus, non debet odio haberi, nec negligi? Beatus quoque Iob ita perfectam charitatem etiam cum inimicis fideliter retinebat, vt gaudens & liberâ conscientiâ ad Deum diceret: Si gauisus sum ad ruinam inimici mei, & gauisus sum in eo quòd inuenisset eum malum: vel si in corde meo dixi, Benè. Dauid licet virtutibus multis fuerit exornatus, nulla tamen eum actio familiariùs Deo coniunxit, quàm dilectio inimicorum. Cui cùm inimicus in faciem malediceret, maluit tamen parcere, & Dei iudicio reseruare, quàm suæ iracundiæ satisfacere. Et in tantum non fuit falsa aut simulata eius dilectio, vt ipsos etiam suos aduersarios fleret, & in illis qui eos occidere præsumpserant, vindicaret.*

Serm. 62. de Temp.

Similia dilectionis inimicorum exempla mirè S. Augustinus deprædicat.

Leuit. 19.

Exod. 23.

Nullâ quàm hac virtute Deo magis cōiungimur.

13. Sed &, quod erubescendum est, ipsimet Gentiles, veri Dei cognitione destituti, solo eoque obscuro rationis ac naturæ lumine ducti, hac in virtute multis Christianis, multis Catholicis longè sunt laudabiliores, adeoque quid de illis scribant Origenes, Basilius, Augustinus, hoc in loco opportunè adiungere libet. Origenes itaque refert de Anaxarcho Philosopho, quòd in vrnam coniectus lapideam, & iniustissimè in eâ attritus, illatos

Egregia quoque hac in re Gentilium exempla.

Lib. 7. contra Celsum Philosophum, tom. 4.

illatos cruciatus egregiè contempserit, dicens inter ingentia quæ patiebatur supplicia: *Tunde, Anaxarchi, vtrem, ipsum verò haudquaquam tutuderis. Volens,* inquit Origenes, *in his nos docere, inimicorum iniurias & damna contemnenda, vtpote quæ non philosophum hominem, sed corpus tantùm Philosophi contingerent.* De Epicteto etiam Philosopho narrat, animum mirè pacatum tempore quo herus ipsius pedem confregit: & insuper docet, quòd celebris Philosophus Plato introducat Socratem cum Critone disputantem, An vindicandæ sint iniuriæ, inimicique odiendi; & probat, id humanum & sapientem animum non decere. Refert quoque de Zenone, quòd cùm à quodam iniuriam pateretur, ei dixerit: *Disperеam, nisi te amicum conciliauerim.* Lycurgus item cùm sub potestate suâ virum accepisset, qui oculum sibi eruerat, non modò tantam iniuriam tamque graue damnum non vindicauit, sed insuper ingentia in eum contulit beneficia, id referente ibidem eodem Origene.

Anaxarchi.

Epicteti.

Lib. 8. contra Celsum.

Zenonis & aliorum.

14. Sanctus quoque Basilius, Philosophorum gentilium exemplo nos ad ferenda opprobria diligendosque inimicos adhortatur, dicens: *Conuitia iactabat quidam plebeius homo in Periclem. Hic autem non animaduertebat, & per totam diem perseuerabat; ille quidem, opprobriis immodicè diuexans ipsum; hic verò, non curans illum. Deinde vespere iam facto, & tenebris obortis, cùm vix discederet, cum lumine ipsum Periclem deduxit, ne quid in Philosophiæ studio amitteret. Rursus quidam Euclidi Megarensi iratus, mortem minatus est, ac iurauit; hic verò contrà iurauit se contrà placaturum ipsum ac sedaturum, vt ne quidquam ipsi molestus esset. Percutiebat quidam Socratem, in ipsam faciem impetu facto; hic verò nihil renisus est, sed exhibebat se vt ebriosus ille se irâ exsanaret. Intumuit facies eius, & præ plagis saniosa facies facta est: vbi autem ille à verberibus cessasset, Socrates quidem nihil aliud fecisse dicitur, sed fronti velut statuæ inscripsisse, Opificem ille faciebat; & in tantum sanè se de illo vindicasse. Hoc quidem Socratis factum simile est illi præcepto, quod percutienti in vnam maxillam, etiam alteram exhibere consulit: Periclis autem & Euclidis factum simile est illi, quòd percutientis iram leniter tolerare oporteat; & illi, quòd inimicis bona optare & non mala imprecari oporteat.*

Tom. 1. Homil. 24 ex 29. variis, cui titulus, *Ad adolescentes, quomodo ex Gentilium libris proficiant.*

Periclis insigne factum.

Quid hinc discere possimus.

15. Sanctus Augustinus Gentilibus nonnullis respondet, qui dicebant, Christi prædicationem atque doctrinam Reipublicæ moribus nullâ ex parte conuenire, cùm illius præceptum esse constet, vt nulli malum pro malo reddamus, & percutienti aliam præbeamus maxillam, & pallium porrigamus illi, qui tunicam auferre voluerit, quæ omnia Romanæ Reipublicæ moribus viderentur contraria. & in hunc modum ait: *Quomodo de Cæsare, administratore vtique Reipublicæ, mores eius extollens Cicero dicebat, quòd nihil obliuisci soleret nisi iniurias? istud est non reddere malum pro malo, abhorrere ab vlciscendi cupidine. Quid est Respublica, nisi res populi & ciuitatis? Quid est autem ciuitas, nisi multitudo hominum in quodam vinculum redacta concordia? Nihil ergo vtilius est ciuitati quàm concordia. Cauendum nunc est, ne vindicandi cupiditate amittatur (vt nihil aliud dicam) ipsa patientia, quæ pluris est habenda quàm omne quod potest etiam inuito inimicus auferre. Paratus itaque esse debet homo iustus, patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit; vt numerus potiùs crescat bonorum, non vt pari malitiâ se quoque numero addat malorum.*

Eorum ex S. Augustino refutatio, qui præcepto dilectionis inimicorum Euangelium reprehendũt.

Epist. 5. quæ est ad Marcellinum

Nihil cõmunitati vtilius concordiâ.

Iam, qui præcipuus nostri instituti scopus & meta est, intuendum est, Purgatorij animas eximium inde, si nimirum illarum respectu iniurias condonemus, accipere solatium. Inprimis D. Gregorius Magnus per hunc virtutis actum peccata remitti hisce verbis docet: *Vitam animæ qualibet culpa polluit, seruatus verò contra proximum dolor occidit: menti namque vt gladius figitur, & mucrone illius ipsa viscerum occulta perforantur, qui scilicet à transfixo corde si priùs non educitur, nihil in precibus diuinæ opis obtinetur. quia & vulneratis membris imponi salutis medicamina nequeunt, nisi ferrum à vulnere antè subtrahatur. Vnde dicitur, Nisi remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester, qui in cælis est, remittet vobis peccata vestra. Hinc rursum ait: Dimittite, & dimittetur vobis.* Et *dum orandi formam in discipulorum personâ omnibus tradidit, dixit: Sic orabitis: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. vt profectò bonum, quod à Deo compuncti petimus, hoc primùm cum proximo conuersi faciamus.* Et huc facere possunt ea quæ suprà in secundo Capitis huius membro de necessitate huius virtutis attigimus; quæ ne cum tædio Lectoris hìc repetantur, eò remittimus. Præterea, diuinam vltionem auerti per hanc iniuriarum condonationem, tradidit atque exemplis confirmauit Origenes hisce verbis: *Murmurauit omnis multitudo filiorum Israël contra Moysen & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini; cumq́ oriretur seditio, & tumultus increscеret, Moyses & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Qui postquam ingressi sunt, apparuit gloria Domini. Dixitq́ Dominus ad Moysen: Recedite de medio huius multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumq́ iacerent in terrâ, dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens citò ad populum, vt roges pro eis: iam enim egressa est ira à Domino, & plaga desæuiit. Iubet Deus, vt egrediantur Moyses & Aaron de medio multitudinis, vt eum desuper terram tollat; & illi, iniuriæ & lapidationis immemores, quâ volebant eos perdere, vt veri Euangelij discipuli potiùs quàm Legis, procidunt ad pedes Domini, vt pro inimicis preces effundant. Illis enim sæuientibus vt interficerent eos, isti procidunt in faciem postulantes veniam à Deo, implentes mandatum nouum, de quo Christus locutus est in Euangelio Ioannis, vocans præceptum nouum, quia numquam veterascit, & quia nouos reddit in spiritu eos qui ipsum adimplent.*

16.

Purgatorij animæ per inimicorum dilectionem adiuuantur.

Lib. 10. Moral. cap. 11.

Matth. 6.

Remittuntur iniuriarum cõdonatione peccata.

Diuina ira eadê virtute placatur.

Imò & homines durissimos per iniuriarum condonationem ad clementiam flecti, ex Saülis factis docuit Chrysostomus: *Ad vnam, inquit, vocem Dauid, cor Saülis incaluit, & abiecit inimicitiam; non ad longos Dauidis sermones, sed ad vnam vocem tot consecuta sunt bona in obstinato corde Regis. Non sustinuit Saul vocem audire ipsius Dauid sine lacrymis, sed plorauit amarè, animi sanitatem, quam Dauid illi contulerat, lacrymis declarans huius modestiam & tolerantiam, hostem à furore ad sobrietatem composuit, & animum nactus sanguinis sitientem, repentè ad lamenta compulit.* 17.

Homil. 31. de Dauid & Saüle.

Durissimi etiã homines mitigari possunt hac perfectione.

pulit. Hæc Chrysostomus. Quid ergo mirum, eadem virtute exorari pro animabus Deum? Certè mirum esset si non fieret: valeret enim hoc loco illa à Christo prolata comparatio Iudicis iniqui, cui Patrem æternum comparat, vt ipsius in petentes se misericordiam & spiritum bonum, propensionem ostendat. Sicut enim iudex impius, precum instantiâ defatigatus, sese postulantes adiuuat; ita, & multò quidem ampliùs & perfectiùs, *misericordiarum Pater, & Deus*, vt Apostolus ait, *totius consolationis*, induci se patitur, vt afflictis succurrat. Plura hic, & admodum conducibilia, adduci possent, sed quia illa ab aliis abundantissimè sunt pertractata, & fortè alibi vberior de hisce excurrendi dabitur occasio, vnico exemplo, quàm nimirum offensarum condonatio, & erga hostes exhibita & commonstrata ex animo beneuolentiæ, mortuis sit proficua, Caput hoc finiam. Seraphinus Rasius illud refert hisce verbis: *Magister Berti S. Theologiæ Doctor, Ordinis Prædicatorum, narrat in suis sermonibus, qui manuscripti in Bibliothecâ sancti Martini Florentiæ inueniuntur, quemdam hominem occidisse fratrem cuiusdam nobilis ciuis: & cùm non posset effugere manus ipsius quærentis ad vindictam, cum omni diligentiâ pœnituit ipsum facti: & confessus patratum homicidium, commendauit se Deo prudenti deliberatione, & sponte ex improuiso illi se præsentauit die Veneris sancto, & prouolutus ad ipsius pedes, fune & cingulo è collo suspenso, veniam rogauit mortis quam fratri eius intulerat, & prætereà vt sibi vitam donaret amore Dei & Filij eius Iesu Christi qui eo die passus erat pro nobis. Visâ tantâ humilitate, securâ de eius clementiâ, nobilis ille compunctus est, & illi condonauit pro amore Christi, vitamq́; largitus est, & ipsum amplexatus & osculatus dixit: Vade in pace, frater, Deus remittat tibi in cælis, sicut remitto tibi in terrâ. Sed audite magnam mercedem quam Deus retulit pro tam heroico facto ipsius amore designato. Sequenti nocte apparuit Christus in visione, & ait: Quoniam heri amore mei condonasti inimico tuo, noueris, me animam fratris tui occisi hac horâ ex purgatorio liberasse, & insuper animam patris tui priùs mortui ex eadem pœnâ exemisse, & ambos mecum duxisse in gloriam cælestem. Quin etiam hæc superaddidit: Te inuito in octauum diem, vt relictâ huius mundi miseriâ, possis gloriâ meâ frui. Et sic factum est: nam octauo pòst die benè præparatus requieuit sanctè in Domino.* Sic ille Scriptor eximius vno sufficienter exemplo comprobat, quod multis aliis adstrui posset. Sed quid opus est pluribus? Frustrà fit per plura quod fieri potest per pauciora: hac enim vnicâ historiâ tam ad rem accommodâ, satis dixit vt omnia diceret. quæcumque enim hactenus explicata sunt, vno hoc exemplo abundè sunt illustrata.

Quantò ampliùs Deus vt animabus parcat

2. Cor. 1.

In Horto exemplorũ. tit. De dilectione inim.

Insigni exemplo declaratur hinc easdem adiuuari.

Ita ex hac clara res nostra vt pluribus nequaquã opus sit.

CAPVT XXII.

Pietas diuina ratihabere solet solutiones quas viui pro mortuis faciunt; & opera obligatoria pro eis oblata, illis prosunt.

EXPLICVIMVS hactenus, euidenterque probauimus, defunctos variis è charitate factis operibus adiuuari: sequitur vt inquiramus, vtrùm in illorum quoque subsidium offerri queant, & à Deo acceptari soleant, opera illa quæ obligationem iustitiæ in se continent, si nimirum restituamus quæ mortui, dum viuerent, iniustè ab aliis acceperunt; aut debita soluerimus, quorum illi solutionem facere neglexerunt. Quæstio hæc inter Scholasticos non parum est controuersa & agitata: cui soluendæ, vt in animarum Purgatorij fauorem iudicemus, illud potissimùm obseruandum, sic conciliari posse vtrimque allatas sententias, si dicatur, illud quod in mortuorum debita dissoluenda impenditur, illis prodesse. Nam, vt in sequentibus satis patebit, in modo potiùs loquendi, quàm in reipsâ disputationis cardo vertitur. Neque illa tamen quæ huc faciunt, absque emolumento producenda, tum quia hinc videri facilè poterit, eos, qui solutiones aut restitutiones mortuis absolutè opitulari negant, eas sub titulo eleemosynæ prodesse fateri; tum quia isthinc heredum erga suos quoad debitorum solutionem obligatio innotescet; tum quia ex incidenti, opera obligatoria mortuos iuuare, declarari poterit. I.

An solutiones pro defunctorum debitis factæ iis prosint, solemnis quæstio.

Quantum igitur spectat ad hoc, quòd quæ iniustè ablata sunt, aut alio quocumque altero titulo debentur, restitui debeant, nullum est apud Theologos & Canonistas dubium. Nam istud aperti in primis iuris est, vt vnicuique ius suum tribuatur. Definitur enim Iustitia tum ab Vlpiano L. Iustitia. Instit. .... De Iustitiâ & Iure, tum ab aliis, hoc modo: *Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.* Simili pænè modo definit eamdem D. Augustinus, inquiens: *Iustitia ea virtus est, quæ sua cuique distribuit.* quò & collimat D. Ambrosius. Quod ergo alicui iniustè aufertur, vel inuito domino detinetur, ex iustitiâ est restituendum. Si enim ab altero debetur ex iustitiâ, contra iustitiam ille eo priuatur, & secundùm iustitiam in illum refunditur id, à quo, iustitiâ reclamante, acceptum est aut detinetur. Duo itaque sunt quæ hoc Capite tractari præcipuè conuenit: vnum, vt ostendatur, quàm obligati sint heredes, qui bona aliqua, à maioribus suis iniustè acquisita, ab iisdem obtinuerunt atque porrò possident; alterum, non heredes solùm, sed quoslibet alios satisfacere posse pro debitis per defunctos contractis, & necdum persolutis, eo fine, vt ob huiusmodi solutiones, eorum è pœnis liberatio acceleretur. De vtroque nonnihil sumus locuturi.

Non est apud Theologos dubium iniustè accepta solui debere.

Lib. 19. de Ciuitate Dei, cap. 21.
Lib. 1. de Officiis, c. 14.

Duo præsenti Capite tractanda, heredes suorum restitutionem facere debere, & pro mortuis alios offerre posse solutiones.

In primis quod primum attinet, certum est apud omnes qui de casibus conscientiæ agunt 2.

Aucto-

Auctores, non solùm illum ad restitutionem bonorum temporalium obligari qui per se rem aliquam iniustè accepit, eaque vtitur, sed etiam illum, qui prædictorum bonorum heres aut successor effectus est. Si enim sciat, aut scire teneatur, rem illam, quam ab alio accepit, contra iustitiam occupatam vel detentam fuisse, sine vllâ dubitatione pro eadem satisfacere tenetur. In quo quia nonnulli largam satis, imò nimis largam habent conscientiam, fit vt damnationis & ipsi rei fiant: & licet cum debitâ fortassè contritione è vitâ excesserint illi à quibus bona illa iniquè parta acceperunt, causa tamen sunt quòd ij longissimis quandoque temporibus in Purgatorio detineantur, eò quòd ipsi, nimirum heredes, suam obligationem non compleant, atque iniustè detenta legitimis dominis, vel debita creditoribus non restituant. Quæ tametsi ex mente grauissimorum Doctorum sic intelligenda sint, vt propterea solùm dicantur heredes, iniusta retinentes, defunctorum liberationem differre, quòd restituendo accelerare eam possent ac deberent, & non faciant: non tamen immeritò materiam istam nos hîc explicamus, qui omnem iuuandi animas viam complanare proposuimus. Et quidem è Sanctis Patribus ostendere consilium fuit, quantum peccatum sit, aliena auferre, & quantum præceptum, quo illa veris dominis restituere tenemur, & iubemur. Diuus in primis Augustinus, *Quod inuenisti*, inquit, *& non reddidisti, rapuisti. Quantum potuisti fecisti; quia non plus potuisti, ideò non plus fecisti. Qui alienum negat, si potuisset, tollit.* Alibi: *Si res aliena, propter quam peccatum, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, non fingitur. Si autem non veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed vt dixi, cùm restitui potest.* Similiter Origenes, *Multi*, ait, *sine peccato putant esse, si alienum, quod inuenerint, teneant; & dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere? Discant ergo, peccatum hoc esse simile rapina, si quid inuentum non reddant.*

Nulli Catholico dubium, heredem ad restitutionē iniustè acceptorū teneri.

Quantum peccatum sit retinere aliena.

De Verbis Apostoli.

Ad Marcellā.

Super Leuit.

3. Diuus Thomas hanc posuit conclusionem: *Id restituere quod iniustè ablatum est, est de necessitate salutis.* Et in responsione, *Dicendum*, inquit, *quòd restitutio, sicut dictum est, est actus Iustitiæ commutatiuæ, quæ in quadam æqualitate consistit. Et ideò restituere importat redditionem illius rei quæ iniustè ablata est: sic enim per iteratam eius exhibitionem æqualitas reparatur. Si verò iustè ablatum sit, inæqualitas erit vt ei restituatur: quia iustitia in æqualitate consistit. Cùm ergo conseruare iustitiam, sit de necessitate salutis, consequens est, quòd restituere id quod iniustè ablatum est alicui, sit de necessitate salutis.* Ita Diuus Thomas. Nulli propterea dubium esse potest, quin illi qui bona iniustè ab aliis acceperunt, ad restitutionem eorum teneantur: & quàm iniquum sit ea non restituere, hæc sanctæ Birgittæ verba docere possunt. *Domine*, inquit, ad quemdam scribens, *vos de periculo animæ vestræ præcaueo, reducendo ad memoriam, quomodo Rex quidam in veteri Testamento legitur vnius hominis vineam desiderasse, & pro vinea plenum pretium præbuisse: sed quia possessori non placuit vineam vendere, indignatus Rex, vineam sibi per iniustitiam & violentiam vsurpauit. Ad quem postmodum Spiritus sanctus per os vnius Prophetæ loquebatur, iudicans Regem ac Reginam pro illâ iniustitiâ turpissimâ morte debere mori. Quod verè in eis completum est, ipsorumq; liberi de prædictæ vineæ possessione nequaquam sunt lætati. Nunc igitur cùm vos Christianus estis, & fidem integraliter habetis, & scitis certissimè, eumdem Deum nunc esse qui tunc erat, & ita potentem & iustum sicut tunc; ideò sine omni hæsitatione scire potestis, quòd si aliquid possidere desideraueritis iniustè, aut cogendo possessorem ad vendendum contra suum velle, aut nullum pretium pro eo exhibendo, vindex erit ille potens & iustus Iudex. Vos quoque in doloribus timere habetis tale iudicium super vos venire, quale super illam Reginam legitur peruenisse, vestrosq; liberos de malè acquisitis non ditari, sed magis inopiâ tribulari. Te igitur per Iesu Christi passionem, qui tuam animam suo pretioso Sanguine redemit, hortor & admoneo, vt animam tuam pro aliquibus transitoriis personaliter non disperdas, sed omnibus iniustè à te vel ob tui causam damnificatis plenè satisfacias, & quidquid iniustè acquisisti restituas, illis ad consolationem qui nunc dolorem patiuntur, & aliis in exemplum, si Dei amicitiam volueris obtinere. Deus est mihi testis, quòd tibi ista non scribo à me, cùm tui notitiam non habeam; sed illud quod vni personæ contigit, hoc me cum diuinâ compassione animæ tuæ compulit ad scribendum: illa enim persona non dormiens, sed vigilans, audiuit in orationibus suis vocem Angeli dicentis: Vrse, Vrse, qui nimis audax es contra Deum & iustitiam, tua voluntas vicit in te conscientiam tuam, ita quod conscientia tua omnino tacet, & voluntas loquitur & operatur. Ideò citò venies in iudicium ante iudicium Dei, & voluntas tua silentium tenebit, & conscientia tua loquetur, & teipsum secundùm iustitiæ rectitudinem iudicabit.*

2. 2. q. 62. a. 2.

Est de necessitate salutis ablata restituere.

Lib. 4. Reuelationū, c. 45.

Insignis ad quemdam S. Birgittæ, vt faciat restitutionem, adhortatio.

Neque solùm ad restitutionem iniustè ablatorum tenentur illi qui ea possessoribus suis abstulerunt, sed & qui per hereditatem illa consecuti sunt, vt communis Theologorum & Canonistarum est doctrina: cuius ratio est, quòd heres defuncti personam gerit, & in Iure censeatur vna eademque persona, eorumque possessio sit quasi vna continua possessio. Certum quoque est, non solùm quempiam ad restitutionem teneri ratione iniustæ acceptionis, sed & ratione rei acceptæ, quæ videlicet alteri ex iustitiâ debetur. Qui enim habet rem alienam, etsi nullam iniuriam intulerit, habet tamen plus quàm suum, & verus dominus tantumdem habet minus quàm suum. Vnde vt fiat æqualitas iustitiæ, per quam cuique tribuitur suum, debet domino restitui. Vide quoad ista R. P. Leonardum Lessium de Iustitiâ & Iure lib. 2. cap. 7. dub. 5. &c. Substituitur itaque heres in locum defuncti, & in vniuersum eius ius succedit, prout videri potest L. Hereditas. 63. de Regulis Iuris; ac proinde etiam in onera eiusdem: quia, vt & Regula Iuris habet, Qui sentit rei alicuius commodum, etiam incommodum sentire tenetur. Quod ita in heredibus ad restitutionem obligatis certum est, vt nullo etiam tempore quoad rem acceptam præscribant. Colligitur idipsum ex L. Cùm heres. 11. ff. de diuersis temporalibus præscriptionibus, vbi dicitur: *Cùm heres in ius omne defuncti succedat, ignoratione suâ defuncti vitia non excludit, veluti cùm sciens alienum illum vel precariò possedit. Quamuis enim precarium heredem ignorantem non teneat, nec interdicto rectè conueniatur, tamen vsucapere non poterit, quod defunctus non potuit.* Addit: *Idem Iuris est, cùm de longâ possessione quæritur, cùm exordium rei, bonæ fidei ratio, non teneatur.* Et

4.

Quare heres teneatur restituere.

Illius obligationis fundamenta latè producuntur ex Iure.

§. Diutina. Instit. de vsucapionib. *Si ille*, defunctus, *initium iustum non habuit*, id est, si malâ fide cœpit possidere, *heredi & bonorum possessori, licet ignoranti, possessio non prodest.* Idem habetur L. vlt. C. Communia. de vsucapion. Ceterùm & Scholastici multi sunt & prolixi, vt exponant, quàm certum atque indubitatum sit, heredem rem iniustè acceptam tenere restituere. Certè Doctor Angelicus id variis confirmat. Præterquam enim, quòd, vt suprà patuit, docuit, rem alienam restituere, esse de necessitate salutis; ita præterea scribit, restitutionem principaliter ordinari ad remouendum damnum eius à quo est aliquid iniustè ablatum: sed id in herede quoque locum habet; & ab eo fieri potest restitutio; ergo, &c. Insuper, *Dicendum*, ait, *quod sicut accipere rem alienam, est peccatum contra iustitiam, ita etiam detinere eam, quia per hoc quod aliquis detinet rem alienam inuito domino, impedit eum ab vsu rei suæ, & sic facit ei iniuriam.* Sufficiunt verò hæc vt omnes videant, non solùm illum qui aliquid per se iniustè abstulit, sed & qui illud iniustè retinet, licet ab alio acceperit (vt fit in herede) obligatum esse in conscientiâ ad restituendum.

Idem ex Theologis. 2.2.q.62.a.2.

Art.6.ad 3.

Art.8. Nominatim Doctore Angelico.

5. Neque id solùm habet locum in herede primo aut secundo, sed in omnibus, qui vel sciunt vel scire tenentur prioris, à quo hereditas incepit, & facta fuit iniqua acceptio, obligationem restitutionis. Quam in rem terribilem atque horrendam plane historiam refert Damianus. *In Teutonicis partibus*, inquit, *Comes quidam diues ac præpotens, sed (quod in illo ordine hominum est prodigium) bonæ opinionis, & innocentis vitæ, prout humanum de eius æstimatione erat iudicium. Ante decennium verò defunctus est. Post cuius obitum quidam religiosus vir per spiritum ad inferna descendit, præfatumq; Comitem in supremo gradu cuiusdam scalæ positum vidit. Aiebat namque quòd illa scala inter stridentes & crepitantes vltricis incendij flammas videbatur erecta; atque ad suscipiendos omnes qui ex eiusdem Comitis genealogiâ descenderent constituta. Erat autem tartarum immane & infinitè patens, atque in profunda diuersum, vnde scala producta surgebat. Hoc igitur ordine succedenti vni sibimet series texebatur, vt cùm quis eorum nouus accederet, primum interim scalæ teneret gradum; is autem qui illic repertus erat, aliiq; omnes ad proximorum sibi graduum ima descenderent. Cumq; alij atq; alij ex eodem genere homines post carnis opera ad præfatam scalam per temporum interualla confluerent, alij protinus cedentes, ineuitabilis necessitate iudicij ad inferiora migrabant. Planè cùm vir, qui hæc contemplabatur, causam huius horrendæ damnationis inquireret, & præsertim cur ille Comes sui temporis puniretur, qui tam iustè, tam honestè, tamq; decenter vixisset; audiuit: Quia propter quamdam prædij possessionem Metensis Ecclesiæ, quam beato Stephano proauus eius abstulerat, cui videlicet iam iste Dominus in hereditate successit, omnes isti non diuerso supplicio deputati sunt. Et sicut eos ad peccandum non dispar auaritiæ culpa coniunxit, ita nihilominùs ad perferendas atrocis pœnas incendij commune supplicium copulauit.* Hactenus vir ille sanctus: cuius cùm tanta sit in Ecclesiâ Dei auctoritas, quid grauius tum respectu Scriptoris tum historiæ dici posset? Terreri profectò omnes meritò deberent vel hoc vnico exemplo, qui veluti omnis conscientiæ expertes, & à fide exleges, dicam &, quasi si ratione naturali omnino carerent, nihili faciunt parentum suorum onera, & illorum quidem per hereditatem bona ac spolia deprædantur, obligationes verò negligunt atque contemnunt. Quid inhumanius? quid crudelius? Timendum haud dubiè illis est, socios se pœnæ futuros, qui culpæ atque criminis consortes esse non verentur. Et quamuis hoc exemplum de damnatis verba faciat, optimè tamen in animarum purgandarum causâ refertur, tum quia multorum parentes in fine vitæ contriti fuerunt, aut saltem contriti fuisse supponendi sunt: atque tunc filij eorum, non solùm vt seipsos à damnatione eximant, sed vt progenitores quoque suos à Purgatorio citiùs liberent, restitutionem accelerare tenentur: tum vel præcipuè, quia inter modos illos siue remedia quibus defuncti liberari solent, redditio rerum à mortuis iniustè acquisitarum passim numerari consueuit.

Perseuerat huiusmodi obligatio in omnibus quotquot sequuntur heredibus.

Ad Dominicum cap.8.

In cuius confirmationem eximium datur exemplū.

Quā omnes illud meritò terrere deberet.

Heredes vt Parentū animabus prosint solutionē accelerent.

6. Videre hoc licet apud Scriptores omnes, qui præsentem materiam ex professo tractandam susceperunt: quos inter Ven. iterùm vir Thomas à Cantiprato ita locutus est: *Sextum remedium defunctorum est, reddere si quid iniustè habuerint vel rapuerint. Teste enim veridico Augustino, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Et illud terribilissimum quod dicitur in Scripturis: Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis.* Quam suam propositionem subiecto statim exemplo confirmat ac roborat totidem vt hic referimus verbis. *Huius rei*, inquit, *exempla sunt plurima, quorum vnum familiarissimum noui. Narrantem enim Fratrem Ordinis Prædicatorum his verbis audiui: Pater, ait, meus contra commilitonem suum, virum diuitem & potentem, inimicitias exercens, fabrum habuit in vicino, qui equos suos & eorum qui secum erant, multo tempore subferrabat. Posthac faber cecidit in languorem, & expensas per obliuionem vel incuriam nullus soluit. Mortuus est autem post annos ferè triginta pater meus, & apparuit manifestè per diem cuidam fidelissimo seruo suo, gerens in manibus flammantia ferramenta equorum, dicens: Dicas vxori meæ, vt soluat tali homini tale debitum, quo sic vexor. Post hoc non multi dies effluxerant, cùm ecce seruus ille cum amarissimis lacrymis venit ad me, & quid vidisset exposuit. Collacrymatus itaque seruo, ambo ad matrem ingredimur. Audit illa quid actum sit, addit & lacrymas: accessit ad fabrum diutinâ tabe propè consumptum, quærit si pater meus ei in aliquo moriens tenebatur. Tunc ille cum lacrymis suspirans dixit: Heu charissima Domina, etiam ferè in marcâ vnâ. sed affectus longo tædio in monendo, postmodum incidi in magnum languorem, & sic silui vsque modò. Nec mora, mater soluit pauperi integrum debitum: & mox, soluto illo, & multis aliis debitis, vt mihi illa secretò narrauit, ei pater meus in hunc modum apparuit. Videbatur ei videre illum in balneo à summo capite vsque ad ima pedum quasi reste longâ totaliter inuolutum, cui ille dixit: Apprehende funem, & soluas me. Mox illa initium funis accipiens, paulatim ligatum exsoluit, & statim illi congratulans & gratias agens, sic inquit: Priùs fueram obligatus in pœnâ, quoadusque solueres quo tenebar.* Ita Cantipratanus.

Lib.2.Apū, cap.53.

Iuuari hinc animas probatur ex Cātipratano.

Qui & exemplum præclarum adducit.

7. Quin & Saluator apud S. Birgittam inter alia

Saluator idē docuit S. Birgittam. Lib. 6. Reuelation. c. 66. alia remedia, quibus asserunt Purgatorij animas mediantibus viuis posse à tormentis liberari, recensuit vnum esse, si restituantur ea quæ sciuntur iniustè ablata. Quod etiam insigni exemplo confirmat, dum sic ait: *Quidam, qui quadraginta annis* *Cap. 85.* *in Purgatorio fuerat, apparuit sponsæ, dicens: Ego propter peccata mea, & propter bona illa temporalia, tibi nota, diu plagatus fui in Purgatorio. Nam audiui frequenter in vita, quòd iniustè à meis parentibus quæsita fuerunt illa bona, sed ego non curabam, nec restituebam.* *Quæ alio similiter exemplo rem confirmat.* *Cùm autem, inspirante Deo, quidam de parentibus meis habentes conscientiam, post mortem meam restituerunt bona eadem dominis suis, tunc ego ex hoc, & orationibus Ecclesiæ, sum liberatus de Purgatorio. Deinde dixit Christus ad sponsam: Quid credunt homines malæ fidei possessores, qui detinent iniustè obtenta scienter, numquid quòd intrabunt in requiem meam? Certè non magis quàm Lucifer. Sed nec eleëmosynæ de malè quæsitis proderunt eis, sed & conuertentur ad consolationem verorum dominorum, quorum illa bona fuerunt. Illi verò qui habent ignoranter malè acquisita, non punientur; sed nec illi amittunt cælum, qui voluntatem perfectissimam habent restituendi, & faciunt opere quantum possunt, quia Deus propter voluntatem bonam supplebit vel in præsenti sæculo, vel in futuro.*

8\. Sed nonnulla hìc inter Scholasticos oboriri *Disputant Scholastici quomodo defunctis restitutio prosit.* difficultas solet, quomodo nimirum restitutio seu solutio eorum quæ defunctus debebat, eum à pœnis eximere dicatur, cùm S. Thomas & alij Doctores restitutionem negent esse satisfactionis partem. Sed facilè huiusmodi quæstio soluitur, facilè ea controuersia sopitur, quando rem attentiùs aliquantò expendimus. Videamus igitur rei totius statum, vt de eo posteà quilibet iudicium ferat. Doctor Angelicus expressis verbis negat, restitutionem esse satisfactionis partem. Cùm enim argumenta aliquot sibi obiecisset, ea *In 4. dist. 15. q. 1. art. 5.* dissoluens ita concludit: *Sed contrà: Satisfactio fit Deo, vt patet per definitionem Anselmi suprà positam: sed restitutio fit proximo; ergo restitutio non est satisfactionis pars. 2. Præterea, satisfactio ponitur in arbitrio Sacerdotis pœnitentiam iniungentis, non autem restitutio; ergo restitutio non est satisfactionis pars.* Et infrà ad quæstiunculam respondendo, *Restitu-* *Negat apertè D. Thomas restitutionē esse satisfactoriam.* *tio, inquit, nihil est aliud quàm ab offensâ cessare. quia ex hoc ipso quòd alienum detinet, eo inuito, offendit, constat quòd non est pars satisfactionis propriè acceptæ, sed est preambulum ad satisfactionem; non tamen propter rationem priùs assignatam: quia benè concedimus, quòd satisfactio proximo facta est pars satisfactionis Deo factæ, sed restitutio non est pars satisfactionis neque Deo neque proximo factæ.* Hactenus D. Thomas. Quibus verbis, & eorum veritate non obstantibus, verum manet, quòd solutio restitutioque pro mortuorum debitis facta, eisdem ad liberationem plurimum prosit. Omnia enim quæ ex Angelico Doctore modò in contrariam partem *Nihil hoc tamen obest iis quæ à nobis præsenti Capite asseruntur.* adducta sunt, nihil contra hæc, quæ præsenti Capite adstruimus, concludunt: quia magna est differentia inter restitutionem illam quam facit qui iniustè ipsemet quidquam abstulit aut detinet, proindeque ad faciendam restitutionem ex iustitiâ est obligatus; & inter illam quæ ab alio fit ex charitate pro mortuis, quia illa vim satisfactiuam habet, & ex mente etiam S. Thomæ ad eleëmosynam reuocari seu sub illâ comprehendi potest. Docet namque ille, vt Capite II. anteà vidimus, quidquid ad vtilitatem proximi expenditur, totum hoc eleëmosynæ rationem habere. Imò, vt ibidem, verba Doctoris Angelici fuerunt: *Ista tria, videlicet oratio, ieiunium, &* *Imo eā ipsa ex S. Thomâ suam habent probationē.* *eleëmosyna, ponuntur quasi præcipua mortuorum subsidia, quamuis quæcumque alia bona opera quæ ex charitate fiunt pro defunctis, eis valere credenda sint.* Dupliciter ergo explicari potest, quomodo per debitorum solutionem aut rei iniustè acceptæ restitutionem iuuari queant defuncti, dicendo Primò, vel generaliter vel particulariter quandoque à Deo constitui, vt anima, quæ vel debitum soluere neglexit, vel iniustè ablatum non restituit, tamdiu hæreat in Purgatorio, quamdiu quod debetur satisfactum non fuerit. Vel aliter dicēdo Secundò, (licet aliud, vt volunt insignes quidam Theologi, probabile non sit) quòd tunc acceptet Deus restitutionem seu solutionem factam pro mortuis ex charitate tamquam eleëmosynam.

De vtroque membro vt agamus, obseruandum est, Dominicum à Soto tradere, restitutionem eiusmodi non iuuare defunctos, si fiat, neque obesse si non fiat. Cuius rationem hanc esse statuit, quòd Deus non puniat nisi pro culpâ propriâ contractâ in hac vitâ. Vnde ait, vel defunctum peccasse, vel non peccasse, non restituendo. *Si non peccauerit, quia fortè non potuit, aut bonâ fide possedit, non debet etiam puniri: si autem peccauerit, punietur pro culpâ negligentiæ illius in Purgatorio, sed posteaquam pœnas debitas dederit, saluabitur, siue res illa restituatur, siue non. Ille enim iam factus est impotens simpliciter ad restituendum: neque videtur debere pendere salus eius ab alterius voluntate, alioquin posset manere anima in Purgatorio in æternum, si nimirum heres numquam restitueret. Quare si restitutio posset fieri, & non fiat negligentiâ heredis, peccabit quidem heres, non tamen id nocebit animæ. Si verò fiat, nihil animæ illi proderit, quia restitutio non est satisfactio pro culpâ. Satisfactio enim est opus bonum pœnale: pœnale autem est, dare suum, non, restituere alienum.* Quibus adiunguntur ab Illustrissimo Cardinale Bellarmino quæ sequuntur. *Ad illas apparitiones, inquit, respondeo, fortè animas non petere restitutionem vt restitutionem, sed vt eleëmosynam: licet enim non prosit animæ, si restituat rem alienam is qui tenetur restituere, tamen benè proderit si restituat alius qui non tenetur; illa enim eleemosyna quædam est, & proinde satisfactoria.* Vnde iam patet, Bellarminum eiusdem cum Soto esse sententiæ: quam tametsi nos non reiicimus, multa tamen quæ ab aliis contrà obiiciuntur, adferre volumus, vt quilibet quod solidius visum sibi fuerit, iudicet ac sequatur. Aiunt proinde, quibus hæc Soti sententia minus placet, Deum iustè alicui animæ ad Purgatorij pœnas, vsque dum pro debitis vel iniustè acceptis viuus aliquis satisfecerit, perferendas posse sententiam dare, & vt det etiam conuenire: quia si æternaliter ob hanc ipsam negligentiam multis, vt statim patebit, illaturus meritò est pœnas damnationis, cur non etiam pœnas vsque ad iudicij diem purgatorias infligere poterit? Dico, *vsque ad iudicij diem*, quia, vt minus rectè colligit Soto, in æternum non durarent istæ pœnæ, tametsi pro debitis vel ablatis nemo vmquam satisface-

9\. *In 4. dist. 45. q. 2. art. 3.* *Sententia Soto nihil restitutionē defuncto prodesse.*

Lib. 2. de Purgat. c. 16. in fine. *Ad Sotum Bellarminus accedit, & quæ videbātur in contrariū facere dissoluere conatur.*

Quid nos ad Sotum.

ret, eò quòd Purgatorium vltra Iudicium protendendum nequaquam sit; & aliter velle sentire, non esset Catholicum.

10\. *Magna in opinione nostrâ inuenitur Dei clementia.*

Ceterùm magna quoque ex hoc misericordiæ diuinæ habetur probatio, quòd ij qui vsque ad vltimum sæculi tempus in tormentis hærere iustè deberent, viuorum solutione liberari queant. Et sanè si iustum sit, vt omnibus Catholicis indubitatum est, idcircò, malefactores ampliùs in inferno accidentaliter solere puniri, quòd ex eorum, etiam post ipsorum obitum, exemplo & occasione mala plurima prouenîant; ita similiter, cur dici non possit, etiam in Purgatorio eò seueriùs animas discruciari, quò ex illorum vitio heredes iniustæ detentionis occasionem sumentes, ampliùs ac diuturniùs peccant; & releuari, si citiùs desinant, atque perfectiùs sese emendent. Peccatum enim eius naturæ est, vt non solùm iustè eum punitioni subiiciat, à quo committitur, in quantum & quando ipse peccat, sed & in quantum ac quando aliis ex hoc peccandi occasionem præbet: sique id verum est, prout reuerà est verissimum, an non minuitur eorum pœna, dum qui eam augent, augere desinunt, & filum, vnde augenda semper erat, abscindunt. Dicunt & alij, magnum Dei esse beneficium, quòd, vt debita purgandorum soluantur, haud raró Deus ipsis permittat, quò alicui viuorum apparere, opemque expetere possint, quatenus digna punitio, per quam è tormentis eximi, atque in cælū transferri impediuntur vsque dum pro ipsorum iniustitiâ vel obligatione fuerit satisfactum, hac viâ vel acceleretur vel abbreuietur. Quid plura? An non opus bonum est, imò & pœnale, aliena siue debita restituere? Cur igitur non satisfaciat pro peccatorum pœnis? An ergo nullum obligatorium munus satisfactorium erit? Erit sanè, & vsque adeò est, vt etiam peccator, qui ex infinitis, quibus Deum offendit, sceleribus exurgit atque pœnitentiam agit, licet ad hoc sub damnationis æternæ periculo obligatus sit, eodem suæ conuersionis obligatorio actu, in quantum scilicet ille laborem & difficultatem annexam habet, satisfactionem acquirat.

Item & quomodo Dei iustitia reperiatur, probatio.

Permittit Deus vt idcircò viuis appareant defuncti, quatenus ab iis solutiones requirant.

11\. *Altera inter Scholasticos quæstio, An satisfactio fieri debeat ex operibus supererogatoriis.*

Est autem celebris inter Scholasticos quæstio, Vtrùm satisfactio exhibenda sit per opera supererogatoria seu consilij, vel an etiam possit fieri per opera præcepta. Quod quoniam in præsenti materiâ vel maximè locum habet, & ex resolutione dubij illius tota quodammodò, quam de restitutione mortuis conducibili habemus, quæstio dependeat, inseri hic commodè poterit, vt pro aliis etiam occasionibus, in quibus similiter adducenda erat, subseruire possit. Variæ igitur hac de re proferuntur sententiæ, quarum prima est, quæ requirit opera non præcepta, quam expressè tenent *a* Paludanus, *b* Maior, *c* Almaïnus: eò inclinare videtur *d* Scotus, qui satisfactionem vult fieri ex indebitis, nimirùm, vt exponit, ex indebitis præcepti. Opinionis huius fundamentum in eo consistit, quòd quis eadem solutione gemino debito satisfacere nequeat, eò quòd tum non foret æqualitas. Adducitur pro confirmatione doctrina D. Anselmi, qui ait, nos ad æqualitatem Deo satisfacere nō posse, eò quòd omnia, quæ ei offerimus vel offerre possumus, summo ei iure debeamus. Quòd si ergò opus ex præcepto, concludunt huius sententiæ asseclæ, est debitum, non vtique potest per illud solui debitum pro peccato, cùm ratione peccati quis teneatur specialem subire pœnam: ab opere ergo distinctum esse debet quod ex alio præcepto debetur. Et quia hi Auctores obstare sibi videbant, quòd quidpiam possit deberi, adeoque etiam solui duplici titulo, respondent, sibi hoc minimè obstare, eò quòd singuli tituli per se sufficiant ad nouum debitum inducendum præter iustitiæ æqualitatem, vnde fiat, vt vtrique eadem solutione satisfiat. Hoc triplici ratione confirmant. Primò, si quis ex voto aliquod opus deberet, non satisfieri voto per simile aliquod opus præceptum. Deinde, pœnitentiam à Confessario iniunctam non posse quempiam implere per opus præceptum. Denique, quòd alioquin homines nihil deberent facere pro remissione peccatorum, quia possent satisfacere implendo præcepta.

a Dist. 15. q. 1. art. 2.
b Quæst. 2. dub. 1.
c Quæst. 1.
d Quæst. 1.
Prioris sententiæ fundamenta.

Lib. 1. Cur Deus homo, cap. 14.

Altera sententia est Archidiaconi, vt refert *a* Siluester, qui & citat *b* Antoninum, non posse satisfieri pro peccatis per opera Iure naturali præcepta, benè tamen per ea quæ solo humano Iure præcepta sunt. At licet hi non negent, quin re ipsâ omnia hæc opera sint satisfactoria, dicunt tamen, Deum, si Iustitiæ rigore vti voluisset, sola supererogationis opera in satisfactionem exigere potuisse, & acceptare; id quod de operibus vtroque modo præceptis dici posset. Distinctio ergo horum Auctorum non vsque adeò est bona, & fundamento carere videtur. Tertia igitur sententia est *a* Caietani, *b* Soti, *c* Ledesmæ, *d* Victoriæ, *e* P. Soti, *f* Adriani, & *g* Medinæ, qui asserunt, omnia opera, etiam præcepta, valere ad satisfaciendum, non quidem ex rigore iustitiæ, quandoquidem eo modo nec per opera consilij satisfieri possit, sed de condigno. Et hæc dubio procul est verior sententia, adeò vt Victoria, quem pro eâ adduximus, contrariam sententiam vocet erroneam, cùm hìc agatur de opere operantis. Hæc sententia variis rationibus probari potest, quarum prior desumitur ab exemplo. Qui enim martyrium sustinet quando ad id ex præcepto tenetur, haud minùs satisfacit, quàm si illud absque præcepti transgressione vitare potuisset, cùm talis remissio pœnæ soli priuilegio tribui non possit. Quamuis enim morti martyris magnum admodum priuilegium concessum sit, non tamen concessum est per solam mortem, quia etiam per alia tormenta fieri potest, imò ipso facto fit satisfactio, etiamsi ad mortem non perueniatur; quæ satisfactio non tollitur ex eo quòd ratione præcedentis obligationis talia tormenta sustineantur. Idem dicendum de eleëmosynâ, & de Ecclesiastico ieiunio, quod inter alias causas ab ipsâ Ecclesiâ propter satisfactionem imponitur: idem porrò dicendum de quacumque corporis afflictione ex voto factâ, & denique de actu contritionis & dilectionis Dei, quæ vtique non minùs valent ad satisfaciendum Deo, tempore quo præceptum obligat, quàm si in alio fiant. Altera ratio deducitur à simili: implendo namque diuina præcepta meremur vitam æternam, vt constat ex doctrinâ Concilij Tridentini, ergo eadem ratione per illa satisfacere possumus. Tertia ratio hæc est: Opera nostra pœnalia, si Deo sint grata, possunt habere rationem vindictæ

12\. *Secunda est aliorum cum Archidiacono opinio.*
a Verbo Satisfactio, q. 8.
b Part. 3. tit. 14. c. 20. §. 1.

Tertia sententia quæ.
a Tom. 1. Opusc. tract. 6. q. 1.
b Dist. 19. q. 2. art. 1.
c Quæst. 14. art. 1. dub. 5.
d Num. 103.
e Lect. vlt. de Satisfact.
f Quæst. 3. de Satisfact.
g Tract. 3. q. 4 dub. 3.
Verior illa nobis indicatur.
Probaturque rationibus, quarū prima ab exemplo.

Secunda est à simili.

Sess. 6. c. 10. & 16.

dictæ & punitionis liberæ pro peccato assumptę, etiamsi præcepta sint, quia præceptum non tollit libertatem, nec pœnam, nec bonitatem. Hæc ratio confirmatur, quia ea testimonia, quibus promittitur remissio perfecta peccatorum benè operantibus, & de seipsis vindictam sumentibus, non limitant hanc promissionem ad opera consilij, sed generatim loquuntur, & sæpe in particulari de operibus præceptorum, ergo nec à nobis illa limitanda sunt.

13. *Respondetur ad fundamēta aduersariorum.*

Iam aduersariis respondendum est. Fundamentum primæ sententiæ ad summum probat, hanc satisfactionem non esse de rigore iustitiæ, non verò quòd non sit satisfactio simpliciter, eo modo quo in puro homine esse potest. Primò, quia quando vtrumque debitum propriæ iustitiæ, & respectu eiusdem, non potest expleri eadem solutione cum perfectâ æqualitate: at verò debitum ex præcepto solùm est debitum obedientiæ, vel temperantiæ, vel alterius cuiusdam virtutis; & satisfacere ei debito, nihil est aliud, quàm facere id quod iussum est: quod quidem per se dignum est laude, & gratum Deo, atque ideò etiam meritorium; quòd si insuper pœnale sit, etiam satisfactorium esse potest. Deinde, potest præcepto satisfieri per actionem bonam quà talis est; pœna verò quæ coniuncta est actioni, accidentaria est præcepto; quia præceptum per se ad virtutis actum obligat; quòd verò homo, exercendo illum actum, pœnam patiatur, per se non exigebatur ex debito præcepti, & ideò per illam pœnam solui potest illa quæ peccato debebatur. Ad confirmationes respondeo sic. Ad primam; id quod ab aduersariis assumitur, non est simpliciter verum, quippe quod pendeat ex intentione vouentis: quod idem respondendum est secundæ confirmationi, quandoquidem illud etiam pendeat ex intentione Confessarij qui pœnitentiam imponit. quamuis, si nihil aliud explicet, vel ex subiectâ materiâ non constet, simpliciter intelligendus sit imponere opera alioqui non præcepta. Vltimæ tandem cōfirmationi responderi potest, quòd, per se loquendo, diuersa sit obligatio implendi præceptum à debito satisfaciendi, sic vt quandoque vnum ab altero separari possit. Verbi gratiâ: in statu peccati mortalis potest quis implere aliquod præceptum, etiamsi per illud Deo non satisfaciat. Contingit etiam subinde, vt per eumdem actum, vtrumque fieri possit: cùm enim debita sint diuersarum rationum, se non impediunt. Et alioqui non est incōueniens, quòd per sola opera præcepta homo possit satisfacere pro peccatis; quia inde non fit, alia opera non esse vtilissima, quamuis simpliciter necessaria aut præcepta non sint. Et hæc de quæstione hac incidenter dixisse sufficiat: qui plura desiderat, eos Auctores qui pluribus & ex professo de hoc agunt, adire poterit.

Pœna operi adiuncta accidentaria est respectu præcepti.

Alia ratio præcepti adimplendi & satisfaciēdi.

14. *Ex prædictis patet mirum non esse si heredum restitutionē mortuis prodesse dicamus.*

Quid igitur mirum est, quòd restitutio, quantumuis heredes obliget, modò in mortuorum solatium Deo offeratur, eis prodesse dicatur? Lectori per præcedentia & hactenus à me dicta satisfactum arbitror, quia rem, quam vrgemus, satis ostendunt, vt superuacaneum foret, eam pluribus probare velle. Ad Doctorum verò aliorum quoad hanc doctrinam testimonia quod spectat, non videtur operæ esse pretium ea hic producere; cùm apud omnes viros doctos indubitata habeatur assertio nostra, quam huic Capiti, tituli instar, præmisimus, maximè si dicamus, præsupposito quòd vera sit sententia Soti, restitutionem velut eleemosynam à Deo pro mortuis acceptari. Consultius itaque arbitror, si rudioribus, vt ij ad manum operi admouendam permoueantur, persuadere coner, quàm sapientioribus vt credant quod explicamus. Cùm verò simplicioribus vel maximè prodesse soleant exempla, quæ ipsi facilè capiunt, eisdem etiam in hoc puncto abunde satisfacere volui. *Conuersus quidam cùm die quadam, missus ab Abbate suo, nauigio transiret per fluuium Albim, qui fluit per Saxoniam, nauta ab eo naulum requisiuit. Qui cùm diceret, nihil se ad manum habere pecuniæ; respondit ille: Date mihi pro pignore cingulum, vel cultellum vestrum. Non possum, inquit, carere his. & mox adiecit: Ego promitto vobis cum Ordine meo, quòd dimidium denarium vobis remittam. Et dimisit eum nauta. Recedens ab eo Conuersus, eò quòd res modica videretur, promissum paruipendit, nihil remittens. Non multò pòst infirmatus, cùm omnibus qui aderant mortuus videretur, cùm anima egressa ad requiem adscendere vellet, prædictum dimidiū denarium, cuius in confessione non meminerat, ante oculos habebat: qui adeo creuit, vt mundo maior videretur: cumq; sursum intendenti obsisteret, neque aliud esset quod impediret, ad Angelorum petitionem permissa est redire ad corpus. Mirantibus cunctis, visionem retulit, & missus est ab Abbate nautæ integer denarius sub omni celeritate: quem vt ille recepit, eadem horâ Conuersus exspirauit.* Aliud exemplum cape. Erat quidam puer nouem annorum, facetus satis in verbis, qui cecidit in grauem infirmitatem, & sic obiit, & post mortem apparuit matri multùm lamentabiliter. Et mater quæsiuit quomodo se haberet. Respōdit: In maximis pœnis sum. Et mater: Quantæ sunt pœnæ tuæ? Et puer respondit horribile verbum, dicens: Si omnes carbones, quos vniuerso in mundo carbonarij à tempore Natiuitatis hucusque arserunt, in vno cumulo iacerent, & tu, dilecta mater mea, in medio cumulo stares & arderes, non tantas pœnas sustineres, sicut ego iam in Purgatorio sustineo. Mater quæsiuit à puero: Vnde meruisti tam acerbam pœnam, cùm satis obediens fuisti, & libenter orasti, nec iurasti, nec maledixisti? Puer respondit: Ego consueui accommodare denarios à familiâ, & inde emere pyra, poma, nuces; & quando hospites honestos habuimus, dederunt mihi denarios, & hallenses, cum quibus solui è conuerso. Modò autem obij, quòd non omnes exsolui, idcircò talem pœnam sustineo. Et mater: Possumne ego tibi in aliquo suffragari? Respondit puer: Si exsolueris pro me, statim liberarer. & sic puer disparuit. Mater autem vocauit familiam ad se, dicens: Volo per obedientiam, vt computetis debita pueri mei. Omnibus computatis, puer nouem hallenses post se in debitis reliquit. Et mater statim persoluit. Et puer secundariò matri apparuit, dicens: O mater dilecta, gratias tibi ago, ex quo debita mea persoluisti, me à Purgatorió liberasti. ideò cælos introibo, & Deum fideliter pro te & patre meo orabo, & pro fratribus & sororibus & amicis meis supplicabo. En iterùm aliud. *Quadam vice, cùm religiosa quadam vidua, quæ diu in sanctâ viduitate Deo seruierat, & filias suas in sanctâ virginitate sponso cælesti integras custodiebat, in extremis apud Villembroeck iuxta Niuellam laboraret, vidit*

Rem exēplis pluribus confirmamus.
Cæsarius lib. 11. cap. 35.

De Religioso propter non solutum denarium ab ingressu cæli impedito.

Collectio Speculi Exemplorum, Tit. Restitutio, Exemplo 2.

Puer quidam dirè in Purgatorio cruciatus est ob debita non soluta.

A quo illorū solutione liber euasit.

Iacobus de Vitriaco in Vitâ B. Mariæ d'Ognies lib. 2. cap. 3. apud Suriū.

vidit Maria d'Ognies beatam Virginem viduæ assistentem, quæ quasi quodam flabello euentando eam, feruorem caloris quo torquebatur, misericorditer temperabat. Cùm autem eius anima de corpore iam egredi vellet, turba dæmonum insidiantium, nullâ orationum instantiâ discedere voluit, donec clauiger æthereus cum vexillo Crucifixi confusos illos eiecit. Cùm autem vidua illa iam defuncta esset, vidit ancilla Christi beatam Virginem cum multitudine cælestium puellarum psallentium & laudantiū Deum, circa corpus quasi in duos choros diuisam. Cùm autem Sacerdos more debito exequias defunctorum persolueret, tunc summus Sacerdos cum Sanctorum multitudine officium (vt videbatur ei) complebat, & mirabiliter Ecclesiæ militanti Ecclesia triumphans respondebat. Cùm autem sepulturæ corpus eius traditum esset, vidit Christi ancilla etiam eius quæ nondum in hoc sæculo plenè purgata fuerat, in Purgatorio quod ei deerat consummare. Nam maritus eius mercator fuerat, & quædam more mercatorum per fraudem acquisierat: quosdam etiam de familiâ Ducis Louaniensis in hospitio receperat, qui de iniustè acquisitis multa in domo suâ expendebant. Et quia de huiusmodi nondum perfectè restitutionem fecerant, dicebat se adhuc in Purgatorio detineri. Quod cùm nuntiatum esset filiæ suæ, deuotæ Virgini, Margarethæ de VVillembroeck, & eius sororibus, multas ei orationes acquisierunt, & pro posse suo restitutionem fecerunt. Vnde non multùm post anima viduæ vitro purior, niue cādidior, sole splendidior apparuit ancillæ Christi, cùm iam ad æternas epulas gaudens & gratias agens inuitata ascenderet, & quasi librum vitæ (vt videbatur) in manibus tenens, summi Magistri facta scholaris, legebat. Videant & attendant diligenter, qui aleatores & taxillatores in domos suas recipiunt, vt ex eis possint quæstum aliquem habere, quiq́; domos suas lenonibus & meretricibus locant ad inhabitandum: quoniam de eis proculdubio graue supplicium sumetur, si honesta illa vidua propter familiam Ducis hospitam in tanta tormenta missa est. Sic ille.

Sancta vidua ob neglectam mariti restitutionē purganda fuit.

Solutione verò flammis Purgatorij exempta.

15. Addatur & hoc: *Maria d'Oignies sanctissima mulier, cuius Vitam venerabilis Iacobus Aconensis quondam Episcopus, posteà Romanæ Curiæ Cardinalis, diserto sermone conscripsit, animabus valdè compatiens quæ in Purgatorio torquebantur, super animâ quoque matris suæ defunctæ sollicitabatur in spiritu. Sed hoc frustrà, vt iam patebit. Hanc propter eleemosynas, & honestæ vitæ modum, quo inter mundanos ipsa quoque mundana vixerat, sperabat quidem posse saluari, sic tamen quasi per ignem. Super hoc tamen dubio cùm ipsa timeret, quia iudicia Domini abyssus multa, rogauit Dominum, vt eam certam reddere dignaretur. Cumq́; multas in hac re lacrymas funderet, accidit die quadam, vt ad Missam in Ecclesiâ iuxta altare, quasi ad pedes Domini, Maria sederet, & ipsa horrore percussa, videret spiritum prope se tenebrosum adstare. Quæ mox signo Crucis timore fugato, audacter quis esset interrogat. Et spiritus, Ego, inquit, sum mater tua. Cui Maria: Quomodo, inquit, tibi est, mater? Tunc illa, Malè, inquit. Nihil me tuæ iuuare potuere preces, cùm me damnatam perpetuò inferni claustra detineant. Mox filia elato gemitu, Heu, inquit, mater, quæ causa damnationis tuæ? Cui illa, Enutrita, inquit, fui, & vixi in his quæ per iniusta mercimonia & vsuras acquisita fuerūt, & conscia mihi mali ablata non restitui. Non curaui, aut aduertere volui, quid contra Deum in meo hospitio & à mihi subditis ageretur, sed tortuosas mundi vias ingressa, indignum misera iudicaui progenitorum meorum vestigia declinare. Spreui arguentem te super his & aliis malis meis, nec in vllo pœnitui, & ideò infructuosam vitam morte commutans, à futurâ sanctorum vitâ deperij. Hæc dicens mater repentè disparuit. Ancilla verò Christi consideratis per ordinem omnibus, etiam in matre damnatâ iustum* Dei *iudicium benedixit, nec fleuit ampliùs perpetuæ morti traditam, per quam carnis initia sumpserat, quia ratio intellectualis animæ, quam solus creauit Omnipotens, iudici vniuersorum Deo subdita concordabat.*

Cantipratanus lib. 2. Apum, c. 54. p. 18.

Neque mirū est grauiter adeò purgari ob dilatam restitutionē si & alij idcircò damnati sint.

Horribile vel illius in matre S. Mariæ Ogniacensis exemplum.

Adnecto & istud: Landtgrauius Thuringiæ *Ludouicus, pessimus tyrannus, sibi commissum populum indebitis exactionibus deprimebat, possessiones etiam Ecclesiarum iniustè vsurpabat, & plura alia mala faciebat. vnde frequenter à religiosis viris admonitus, respondebat: Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominū. Is cùm in suis peccatis moreretur, duos filios reliquit heredes, Ludouicū scilicet, qui in primâ expeditione Ierosolymitanâ, quæ facta est temporibus Frederici Imperatoris, defunctus est; & Hermannum, qui eidem in Principatu successit, & nuper obiit. Ludouicus verò, qui erat satis tractabilis & humanus, & vt veriùs dicam, ceterū tyrannis minùs malus, tale edictum proposuit: Si aliquis esset, inquit, qui veris indiciis vera mihi de animâ patris mei dicere posset, bonam sortem à me reciperet. Audiebat hæc miles quidam pauper, qui fratrem habebat Clericum in Necromantiâ quandoque satis expeditum. Cui cùm verba Principis indicasset, respondit ille: Bone frater, diabolum aliquando per carmina vocare consueui, sciscitabar ab illo quæ volui, iam diu est quòd eius colloquiis artibusq́; renuntiaui. Instante milite importunè opportunè, ad memoriam eius reducens propriam paupertatem, promissumq́; honorem, precibus eius tandem Clericus victus, dæmonem vocauit. Vocatus quid vellet inquisiuit. Respondit Clericus: Pœnitet me tanto tempore recessisse à te. Indica mihi, obsecro, vbi sit anima Domini mei Landtgrauij. At dæmon: Si vis mecum pergere, ego illum tibi ostendam. Et ille: Libenter illum viderem, si sine periculo vitæ meæ illum videre possem. Cui diabolus: Iuro tibi per Altissimum, & per tremendum eius iudicium, quia si fidei meæ te commiseris, incolumem te illuc ducam, bucq́; reducam. Ponit Clericus propter fratrem animam suam in manibus suis, collum dæmonis ascendit, quem infra breue tempus ante portam inferni deponit. Introspiciens Clericus, contemplatus est loca nimis horrenda, pœnarumq́; diuersa genera, & dæmonē quemdam adspectu terribilem super opertum puteum sedentem. Clericus, vt hæc vidit, totus contremuit, & clamauit dæmon ille ad dæmonem baiulum: Quis est ille quem tenes in collo? adduc eum huc. Qui respondit: Amicus noster est, & iuraui ei per virtutes tuas magnas quia eum non læderem, sed animam Landtgrauij Domini sui ostenderem, vt omnibus tuam immensam prædicet virtutem. Ille verò statim operculum igneum, cui insedit, amouit, & tubâ æneâ puteo immissâ, tam validè buccinauit, vt videretur Clerico totus tremere mundus. Post horam, vt ei videbatur, nimis longam, puteo eructante flammas sulphureas, Lantgrauius inter scintillas ascendentes simul adscendens, videndum se Clerico collo tenus præbuit; ad quem ait: Ecce præstò sum miser ille Landtgrauius, quondam Dominus tuus, & vtinam numquam natus. Cui Clericus: Missus sum à filio vestro, vt ei renuntiare possim de statu vestro: & si in aliquo potestis iuuari, mihi dicere debetis. Respondit ille: Statum meum benè vides: hoc tamen scias, quia si filij mei restituere vellent tales possessiones talium Ecclesiarum (propriis nominibus eas exprimens) quas mihi iniustè vsurpaui, & sub titulo hereditatis ipsis reliqui, magnum animæ meæ conferrent remedium. Cùm Cle-*

Cæsarius lib. 1. cap. 34.

Item aliud in Ludouico Landtgrauio.

Terribilis Clerici de illo visio.

En quomodo damnatorum tormenta augeantur si bona iniusta non restituantur.

Clericus diceret, Domine, non credent mihi; respondit: Ego dico tibi signum, quod nemo nouit præter me & filios meos. Accepto signo, & Landtgrauio, eo vidente, puteo immerso, per dæmonem reductus est. Qui licet vitam non perdiderit, ita tamen pallidus & languidus rediit, vt vix agnosceretur. Verba patris filiis retulit, signa ostendit, sed modicum illi profuit. Non enim in hoc consentire voluerunt vt possessiones restituerent. Respondit tamen Ludouicus Landtgrauius Clerico: Signa cognosco, patrem meum vidisse non dubito, propositum tibi præmium dare non teneor. Ad quem ille: Domine, cortis vestra vobis maneat, ego cogitabo quid animæ meæ expediat. Relictis omnibus, factus est monachus in Ordine Cistertiensi, contemnens omnem laborem sustinere temporalem, dummodò pœnam euaderet æternam.

Ex visione illâ Clericus fit Religiosus.

16\. Vnicū adhuc addo, & finio. Vir quidā in ciuitate Gripeschvvoldensi, quæ, ni fallor, in partibus Saxoniæ sita est, diues erat rebus, sed, vt res probabunt, fide pauperrimus. Is cùm in eadem ciuitate monasterij cuiusdam, virorū nescio an mulierum, constitutus esset in rebus temporalibus dispensator, Monasterij res, quantum sine notâ potuit, in suos vsus distraxit, & ad suæ auaritiæ pascendas faces insatiabiles diruptâ fidelitate cōgessit. Quod cùm diutiùs peregisset, lecto moriturus decubuit. Verùm quia nonnunquam chalybea pectora imminente morte, timore franguntur, & conscientiarum tenebrosissimæ latebræ diu celatas fœditates eructant, vir iste iniustarum rerum mole perterritus, filium suum quem, ni fallor, vnicum habuit, secretiùs aduocatum ad se sic affatur: Ecce, fili, moriturus sum, & iudici Domino, quē nullum latet secretum, præsentandus. Vt igitur non meæ modò, sed etiam tuæ saluti prouideam, indico tibi, me Monasterij, quod nosti, nonnullas res iniustè hactenus possedisse, quas nisi reddideris, te pariter & me, perditâ salute, damnabis. Redde igitur quod tuum non est; ne id quod tuum esse potest, si iniustus fueris, regnum amittas. nam ego id libenter efficerem, sed nunc, ingrauescente morbo, facere prohibeor. Moritur post hæc pater, & in cœmeterio prædicti Monasterij sepulturæ locum accepit. Sed quia durum est semel iustè parta relinquere retinere potentem, filius, patris admonitione contemptâ, quod pater iniustè congessit, iniustiùs ipse retinuit. O res nimis horrenda, & meritò pauenda omnibus patribus, qui vt suis filiis rerum terrenarum copiam relinquant, vsurâ, furto, rapinâ, atque multis similibus æquitatis iura dirumpunt, vendunt animas vilissimo pretio, & se suasque proles, quibus vitam æternam prouidere debuerant, in perennes flammas sæui parricidæ detorquent. Ceterùm, vt incepta prosequamur, erat non longè à cœmeterio illo, in quo prædictus vir sepultus iacebat, molendinum quoddam, per cuius fenestras cùm is qui molendino præerat, vagos oculos circumferret, vidit equitem quēdam terribilem vultu, habitu nigrum, nigro equo subuectum, ducentem quoque ad latus suum alium quemdam equum non minùs suo terribilem. Porrò vterque per vices, igneas quasdam flammas per nares oraque diffuderat, vt fornacē potiùs quàm bestias æstimares. Terretur primùm inuiso prodigio hæc intuens homo, sed demum cùm equitem illum rapido cursu versus cœmeterium agi conspiceret, & loco cui inerat proximasset, quisnā esset, & quò pergeret, inquisiuit. Tacuit eques ad primam quæstionem: sed cùm ille secundò, tertiò, iterùm atque iterùm, quónam pergeret, continuatis vocibus clamaret, in virum terribile lumen eques intorquens, Quid me fatuis, inquit, quæstionibus lacessis? tace, ne interrogasse quandoque pœniteat. Et post hæc vidente viro ad cœmeterium præfatum processit: vbi cùm ante introitum, vnum, scilicet vacuum sessore equum, reliquisset, cum reliquo, cui insidebat, ad sepulchrum prædicti diuitis præcipiti gressu ferebatur: quò cùm venisset, tanto vocis fragore sepulto, vt foras prodeat, imperauit, vt velut vehementissimo quodam tonitruo cælum terraque pendula statione contremeret. Stupenda res! Statim hac voce completâ, remouetur sepulto superpositus lapis, humus iniecta fossæ reiicitur, pertium iter patuit prodituro. At cùm egressus qui sepultus fuerat, vidisset equitem illum, ceu ouis trepida viso leone, intremuit, & circūplexus palum qui illic constiterat, ne abduceretur miseris precibus postulauit. Tum immitis eques, contemptâ spretâque prece, vi auulsum palo, eiulantem atque renitentem secum ire coëgit. Verùm vt omnibus manifestum fieret, quam grauibus iniustè acquisitarum rerum sarcinis miser ille onustus incederet, quámque ponderosa damnandorum hominum futura sint corpora, factum est, vt vbicumque per cœmeterium iens pedem posuerit, ferè vsque ad genua per duras arenas dimitteret infelix gleba vestigia. Cùm igitur tam tædioso itinere ad expectantem præ cœmeterio equum peruenissent, proiecissétq; eques hanc miseram prædam, dispensatorem loquor, indignanter in equum, tanto impetu versus tartareas domos bestias egit, vt tribus remotissimis saltibus primùm in terram datis (nam, si me non fallit memoria, quindecim cubitis à sese distabāt) reliquū iter libratæ per aëra terribiles bestiæ aquilarum more volantium consummarunt. At ne res ista friuolam de audientibus fidem exhiberet, diuinâ dispensatione factum est, vt palus ambustus viri complexibus, proiecta tumulo eminus petra, viri bestiarumque pressa vestigia, nec non & vacua cadauere hians fossa, narratæ rei vsque ad præsentem diem irrefragabiles testes existant. Ceterùm vir ille qui hæc viderat, tam horrendi prodigij molem non ferens, post nouem dierum acerbam satis infirmitatem defunctus est, & nescio quo diuino iudicio huic vitæ subtractus. Videant ergo quicumque dispensatores, ne res suæ fidelitati commissas iniustè aut congregent, aut iniustè congregatas possideant.

Collector Speculi Exemplorum.

Pater quidā moriturus filium iussit restitutionem facere.

Quod ille non fecit.

Terribilis eques eiusqui bona iniustè acceperat corpus humo extrahit.

Atque equo altero impositum ad infernum deportat.

Non minora habent alij. Nos, vt charismata meliora æmulemur, eorum potiùs exemplū imitemur, qui sua non solùm quæ debent, reddere parati sunt, & pro aliis quoque libenter solutionem facere, sed insuper difficiles sunt vt quod etiam donatum illis vel oblatum fuerit, accceptent. Nolunt terrena, ne amittant cælestia; æterna cupiunt, & idcircò eis displicent temporalia: quorum laus & dignitas quia non parum ad propositum facit, vt excitemur ad liberaliter soluenda debita quæ per mortuos fuere contracta, nonnullis hoc in loco declarabimus, quàm sit proficuum atque animæ salutare, terrena relinquere, & ad cælestia adspirare. Imò dicam potiùs, nos dicturos quàm noxium sit inhiare terrenis, & præ iis virtutem & charitatem negligere; quàm vtile 17.

Quàm proficuum sit terrena despicere ne ab æternis sequestremur.

le illa ex intimo corde despicere, vt exercitio nos totos perfectionis dare possimus. Fiet inde, vt viso cupiditatis auaritiæque dispendio, ab illo ad fructus contemptûs atque despectûs tẽporalium velociùs generosiùsque nos conuertamus. Quã de re quia commodiore alibi loco ex Scripturis agere poterimus, solùm è Patribus modò aliqua testimonia recitabimus. Adeò profectò magna & immensa sunt dãna illa quæ ex cupiditatis peccato proueniunt, vt etiamsi vnico integrum nostrum horizontem, imò totum mundum simul intuitu circũspicere possemus, haud tamen possemus intueri minimam malorum partem quæ ex inordinato tẽporalis alicuius rei affectu prouenire solent. Plena sunt Patrum scripta sententiarum, quæ de pœnâ cupiditatis sententiam ferunt. Et quidem si ab antiquioribus primùm inchoare lubeat, in medium Origenes prodeat, qui hominem auarum à terrâ viuũ deuorari asseruit. sic enim loquitur: *An non tibi videtur à terrâ deuorari ille, qui semper de terrâ cogitat, qui semper terrenos habet actus, qui de terrâ loquitur, qui de terra litigat, terram desiderat, & omnem spem suam ponit in terrâ: qui ad cælum non respicit, qui futura non cogitat, qui iudicium Dei non metuit, nec beata eius promissa desiderat, sed semper de præsentibus cogitat, & ad æterna non suspirat? Talem cùm videris, dicas, quia deuorauit eum terra.* S. Basilius ita loquitur: *Quis non talem misereatur? quis non infelicitatem eius doleat? Angustatur ex abundantiâ, constringitur & tristatur ex opulentiâ: infelix in præsentibus bonis, infelicior in futuris. Et ideo ager ei non tam reditus largiores, quàm gemitus attulit grauiores.* S. Ambrosius hisce locis auaritiæ damna describit: *Sicut hi qui per insaniam mente translati sunt, non iam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident; ita etiam mens auari semel vinculo cupiditatis adstricta, semper aurum, semper argentum credit videre, semper reditus computat. Aurum gratiùs quàm solem intuetur: ipsa eius oratio & supplicatio ad Dominum, aurum quærit.* Iterùm alibi: *Cupiditas ait: Quid iniustum est, si, cùm aliena non inuadam, propria diligentia seruo? O impudens dictum! Propria dicis. Quæ ex rebus reconditis in hunc mundum detulisti, quando in hanc ingressus es lucem? Quando de ventre matris existi, quibus quæso facultatibus quibusq; subsidiis stipatus intrasti? Tantorum ergo te scias inuadere bona, quantis possis præstare quod vales.* Iterùm: *Qui moderari nescit cupiditatibus, is quasi equis raptus indomitis voluitur, laniatur, affligitur.* Denique: *Cùm augere opes, aggregare pecuniam, occupare terras possessionibus cupimus, præstare diuitiis; iustitiæ formam exuimus, beneficentiam communem amittimus.* D. Ioannes Chrysostomus: *Qui semel Christi seruus effectus est, non erit mammonæ famulus, cuius certè è regione fit dominus. Illa enim fugientem sequi, ita fugere consueuit sequentem, nullum sic honorat contemptorem sui, nec ita irridet aliquem, vt eos qui eam nimiùm concupiscunt.* Item: *Appositio diuitiarum maiorem accendit flammam, & vehementior fit cupido.* S. Augustinus ita in idem cupiditatis vitium inuehitur: *Quod agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum & corpus suum, flagellum vocatur: quod autem agit, vt alteri noceat, facinus dicitur; & hæc duo sunt genera omnium peccatorum.* Alia habet in hanc rem terribilia, sed alibi illa à nobis referenda erunt. Quin & D. Gregorius sic ait: *Bonorum auctori aliter inhærere non valemus, nisi cupiditatem à nobis, quæ omnium malorum radix est, abscindamus.* Et: *Cui cupiditas dominari dicitur, subiectus malis omnibus demonstratur.* S. Leo succedit, cuius hæc sunt verba: *Virum Catholicum, & præcipuè Domini sacerdotem, sicut nullo implicari errore, ita nullâ oportet cupiditate violari. Mens enim pecuniæ auida nec abstinere nouit à vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum.* Neque hic omitti debet Petrus Rauennas, qui sic ait: *Omnium malorum radix est cupiditas, transgressionis mater, magistra nocendi, primipilaris iniquitatis, auriga malitiæ, sicaria virtutum, seditionis origo, fouea scandalorum.* Quin & Innocentius III. sic effatur: *Radix malorum est cupiditas. Hæc sacrilegia committit, furta & rapinas exercet & prædas, bella gerit & homicidia, Simoniacè vendit & emit: iniquè petit & recipit, & iniustè negotiatur & feneratur: instat dolis, & imminet fraudibus, dissoluit pactum, & violat iuramentum, corrumpit testimonium, & peruertit iudicium.* Et adhuc ibidem: *O ignis inextinguibilis, cupiditas insatiabilis! Quis vmquam primo voto fuit contentus? Cùm adipiscitur quod optauerat, desiderat ampliora: semper in habendis & numquam in habitis finem constituit. Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes: Affer, affer.* nam

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

18. Hæc ipsa Catholicorum Doctorum effata ne ex Christianæ fidei solùm principiis nota, sed & ex Gentilium Philosophorum scitis profecta fuisse constet, nonnulla præcipuorum Ethnicæ Theosophiæ professorum placita in medium adferemus, quibus apertè docuerũt quàm noxium sit cupiditatis vitium, & quot ex illo, velut originali fonte, mala scaturire soleant. En, quæso, quid Seneca dicat. *Quamdiu*, inquit, *tibi satis nil fueris, ipse aliis non eris. Quomodo, inquis, exibo? Vtrumq; cogita, quàm multa temerè pro pecuniâ, quàm multa laboriosè pro honore tẽtaueris. Quantum ad successum accesseris, tantò accedet & metus.* Pergit: *Vidisti aliquando canem missa frusta panis aperto ore captantem: quidquid accepit, protinus integrum deuorat, & semper ad spem futuri hiat. Idem euenit nobis: quidquid expectantibus fortuna proiecit, id sine vllâ voluntate dimittimus; statim ad rapinam alterius erecti & attoniti, in Epicurum illud chaos incidimus, inane sine termino est.* Addit: *Fortissima pestis est cupiditas, quæ solet egenos facere quos capit, dum finem quærendi non inuenit. nam altera cupiditas ex alterius fine nascitur, & ideò fortior est qui cupiditatem vincit, quàm qui hostem subiicit.* En iterùm quid Cicero dicat. *Cupiditates honoris*, ait, *imperij, potentiæ, gloriæ, in maximis animis splendidissimisq; ingeniis existunt.* Imò addit: *Cupiditates non foris solùm se iactant, nec tantùm in alios cæco impetu incurrunt, sed intus etiam in animis inclusæ inter se dissident atque discordant. Cupiditates sunt insatiabiles, quæ non modò singulos homines, sed vniuersas familias euertunt, totam etiam labefactant sæpè Rempublicam.* Iunge & exemplum illius Thebani Philosophi, Cratetis inquam, hominis ditissimi, qui cùm ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, nec putauit se simul posse virtutes & diuitias possidere. *Abite*, inquit, *malæ cupiditates, ego vos mergam, ne mergar à vobis.*

19. Sed de nocumentis cupiditatis satis iam dictum, ad contemptûs temporalium vtilitates accedamus, quæ tantæ sunt & tam eximiæ, vt non minùs imò ampliùs nos ad se allicere queãt, quàm contrarij peccati damna à sese arcere. Audiamus

Ex Patribus fit illius declaratio.

Homil. 19. in Leuitic. *Viuus à terrâ auarus deuoratur.*

Homil. super illud, *Quid faciam? destruam horrea mea*, &c. *Ex bonis præsentibus multa mala.*

Super illud S. Ioan. *Attulit ager cuiusdam diuitis.*

Paulò pòst. *Quid de auaritiâ S. Ambrosius.*

Lib. de Virginit.

Lib. de Officiis.

Quid D. Ioannes Chrysostomus.

Homil. 9. super Matth.

Ibid.

Quid S. Augustinus

De Doctrinâ Christianâ.

Quid S. Gregorius

In Homiliis.

Lib. 15. Moral.

S. Leo. In Sermon.

Petrus Rauennas. Serm. 11.

Sed & Innocentius Tertius.

De vilitate conditionis humanæ.

Prædicta etiã sonant Ethnicorũ placita.

Seneca. In Epistolis.

Epist. 19.

Ibid.

Cicero nũc. Lib. 1. De Officiis. Lib. 1. de Finib.

Cratetis.

De emolumentis contemptûs temporalium.

S. Bernardus.
In Homiliis.

diamus hac in re describendâ copiosissimos, D. Gregorium Papam, & S. Bernardum Clarę-vallis in Burgundiâ Abbatem. *Qui cælestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admiserit, perfectè cognouerit, ea quæ in terris amauerat, cuncta derelinquit*, ait S. Gregorius.

S. Gregorius.

In comparatione illius vilescunt omnia: deserit habita, congregata dispergit, inardescit in cælestibus animus, nil de terrenis libet: deforme conspicitur quidquid de terrenæ rei placebat specie; quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente. Docuit idem sanctus Doctor etiam, pauperes voluntarios à dæmonum violentiâ atque

Lib. 31. Moral.

insultibus esse immunes. *Ad se venientibus*, inquit, *Dominus præcipit, vt renuntiemus nostris: quia qui ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo possident proprium, nudi ergo cum nudis luctari debemus.*

Omnia acquirimus omnia relinquendo.

Nam si vestitus quisque cum nudo luctatur, citiùs ad terram deiicitur, quia habet vnde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abiiciat, ne succumbat. Docuit insuper, eos qui omnia relinquunt, omnium vsum adi-

In Homiliis.

pisci. *Si vultis*, ait, *omnia retinendo relinquitis, vt cum totâ mente ad æterna tendatis. Si enim nihil in hoc mundo amando possidetis, etiam possidendo cuncta relinquitis.*

Paupertas voluntaria maximum sacrificium.
Super Ezechielem.

Docuit, paupertatem illam voluntariam omnium sacrificiorum esse maximum. *Illi*, inquit, *qui ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant, in bonis, quæ faciunt, sacrificium offerunt: quia aliquid Deo immolant, & aliquid sibi reseruant. Qui verò nihil sibi reseruant, offerunt holocaustum, quod maius est sacrificio.* In quo vnum obseruari non immerito poterit, non solùm illis locum, quoad voluntariam scilicet paupertatem eiusque præmia, esse addictum qui multa relinquunt, sed & iis qui, tametsi pauca possideant, affe-

Quod etiam locum habet in paupertatis affectu.
Homil. 5.

ctum nihil habendi habent. *Multum relinquit*, dicit S. Gregorius, *qui sibi nil retinuit; multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deseruit. Certè nos & habita ex amore possidemus, & ea quæ non habemus, ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus & Andreas dimiserunt, quando vterque etiam desideria habendi dereliquit. Multum dimisit, qui cum re possessâ etiam concupiscentiis renuntiauit.* Quâ in re

Gregorio Hieronymus adstipulatur.
In Matthæū.
Vis & Bernardus.
In Colloq. Serm. ad Petrum.

S. Gregorio consentit D. Hieronymus, qui sic scribit: *Grandis fiduciâ! Petrus piscator erat, diues non fuerat, cibos manu & arte quærebat, & tamen loquitur confidenter, Reliquimus omnia. Omnia enim reliquit, qui voluntatem habendi deseruit.* Consentit & S. Bernardus, *Age ergo*, inquiens, *qui relinquere disponis omnia, te quoque inter relinquenda numerare memento: imò verò maximè & principaliter abnega temetipsum, si desideras sequi eum qui se exinaniuit propter temetipsum.*

Sed ad S. Gregorium redimus, & contemptus
20. terrenarum rerum vtilitates explicantem portò audimus.

Homil à su per illud, *Vos reliquistis.*

Quisquis, inquit, *diuini stimulo amoris excitatus hæc possessa reliquerit, illic proculdubio culmen iudiciariæ potestatis obtinebit; vt simul iudex tunc cum Iudice veniat, qui nunc consideratione iudicij sese spontaneâ paupertate castigat.* En vt non misericordem Iudicem tantùm experientur in supremo

Qui omnia reliquere, aliorum iudices futuri sunt.

iudicio, qui omnia Christi amore reliquerint, sed & ipsimet iudices aliorum, qui non reliquerint, futuri sint. Plura de his, etiam ex Euangelio, aliàs adferemus, modò nonnulla, quæ cum D. Gregorio coincidunt, ex D. Bernardo priùs adduxerimus. Quid, quæso, dici posset pulchrius, quàm quod ille super ea Petri ad Christum verba, *Ecce nos reliquimus omnia*, protulit in hunc modum: *Hæc nempe sunt verba, quæ contemptum mundi in vniuerso mundo, & voluntariam persuasêre hominibus paupertatem. Hæc sunt quæ Monachis claustra replent, deserta anachoretis. Hæc inquam sunt verba, quæ Ægyptum expoliant, & optima quæque eius vasa diripiunt. Hic sermo viuus & efficax, conuertens animas felici æmulatione sanctitatis, & veritatis promissione fideli. Ecce, inquit, nos reliquimus omnia. Benè, optimè, & non ad insipientiam tibi: nam & mundus transit, & concupiscentia eius: & relinquere hæc, magis expedit, quàm relinqui. Reliquimus omnia, & secuti sumus te. nimirum quia exultauit vt gigas ad currendam viam: nec currentem sequi poteras oneratus. Non inutilis commutatio, pro eo qui super omnia est, omnia reliquisse. Nam & simul cum eo donantur omnia: & vbi apprehenderis eum, erit vnus ipse omnia in omnibus, qui pro ipso omnia reliquerunt.*

Insigne S. Bernardi hac de re testimonium.

Sanum ergo & salubre consilium est, non solùm non inordinatè terrena concupiscere, sed & illa ex intimo corde despicere, terrenamque substantiam quodammodò auersari. Cuius rei insigne admodum exemplum, vt sequamur, à S. Augustino laudatum, referre iuuabit, qui

Serm. de Verbis Apostoli c. 7. super illa verba: *Quod tibi nolueris fieri, ne feceris.*

sic ait: *Dicam quid homo pauperrimus, nobis apud Mediolanum constitutis, egerit. Inuenit sacculum (nisi me fortè numerus fallit) cum solidis ferme ducentis. Memor legis, posuit pittacium publicè. Reddendum sciebat, sed cui redderet nesciebat. Proposuit pittacium publicè: Qui solidos perdidit, ad locum illum veniat, & quærat hominem illum. Ille qui plangens circumquaque vagabatur, inuento & lecto pittacio, venit ad hominem. Et ne fortè quæreret alienum, quæsiuit signa, interrogauit qualitatem, & sigillum solidorum, & numerum. Et cùm ad omnia ille fideliter respondisset, reddidit quod inuenerat. Ille autem repletus gaudio, & quærens vicem reddere, tamquam decimas ei obtulit solidos viginti: qui noluit accipere. Obtulit & decem: noluit accipere. Saltem rogauit vt vel quinque acciperet: noluit ille. Stomachabundus homo proiecit sacculum, Nihil perdidi, ait. si non vis aliquid accipere à me, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen, fratres mei, qualis pugna, qualis conflictus? Theatrum mundus, spectator Deus. Victus tandem ille, quod offerebatur accepit, continuò totum pauperibus erogauit, vnum solidum in domo suâ non dimisit.*

Eximium à D. Augustino allatum exemplum illius qui terrena accipere recusauit.

Sic Augustinus. E quo docemur omnes & monemur, non tantùm faciles nos esse debere vt aliena reddamus, sed & si quid fortè recipere necesse sit, id iterùm in eleëmosynam expendamus.

Quod ab aliis recipimus, aliis in eleemosynam erogare possumus.

Ceterùm hactenus dicta eò faciunt, vt non modò videamus, solutiones siue restitutiones pro mortuis factas, à Deo saltem eleëmosynarum loco acceptari solere; sed &, quot rationibus ad temporalia nostra in illorum leuamen distribuenda permoueamur, cùm tot nobis mala prouenire soleant si nimis illis inhiemus; tot verò bona, si ea fugiamus, si abiiciamus. Et animabus igitur bona esse possunt, quæ licet bona vocentur, affectata mala fiunt; & veluti mala à nobis repudiata, & ipsis & nobis bona. Bonam denique mortuorum causam esse necesse sit, in quâ non bona solùm effectum suum adipiscuntur, sed & quæ mala forent, in

bona

le illa ex intimo corde despicere, vt exercitio nos totos perfectionis dare possimus. Fiet inde, vt viso cupiditatis auaritiæque dispendio, ab illo ad fructus contemptûs atque despectûs tẽporalium velociùs generosiusque nos conuertamus. Quâ de re quia commodiore alibi loco ex Scripturis agere poterimus, solùm è Patribus modò aliqua testimonia recitabimus. Adeò profectò magna & immensa sunt dãna illa quæ ex cupiditatis peccato proueniunt, vt etiamsi vnico integrum nostrum horizontem, imò totum mundum simul intuitu circũspicere possemus, haud tamen possemus intueri minimam malorum partem quæ ex inordinato tẽporalis alicuius rei affectu prouenire solent. Plena sunt Patrum scripta sententiarum, quæ de pœnâ cupiditatis sententiam ferunt. Et quidem si ab antiquioribus primùm inchoare lubeat, in medium Origenes prodeat, qui hominem auarum à terrâ viuũ deuorari asseruit.

Ex Patribus fit illius declaratio.

Homil. 19. in Leuitic. *Viuus à terrâ auarus deuoratur.*

sic enim loquitur: *An non tibi videtur à terrâ deuorari ille, qui semper de terrâ cogitat, qui semper terrenos habet actus, qui de terrâ loquitur, qui de terra litigat, terram desiderat, & omnem spem suam ponit in terrâ: qui ad cælum non respicit, qui futura non cogitat, qui iudicium Dei non metuit, nec beata eius promissa desiderat, sed semper de præsentibus cogitat, & ad æterna non suspirat? Talem cùm videris, dicas, quia deuorauit eum terra.* S. Basilius ita loquitur: *Quis non talem misereatur? quis non infelicitatem eius doleat? Angustatur ex abundantiâ, constringitur & tristatur ex opulentiâ: infelix in præsentibus bonis, infelicior in futuris. Et ideo ager ei non tam reditus largiores, quàm gemitus attulit grauiores.* S. Ambrosius hisce locis auaritiæ damna describit: *Sicut hi qui per insaniam mente translati sunt, non iam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident; ita etiam mens auari semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum, semper argentum credit videre, semper reditus computat. Aurum gratiùs quàm solem intuetur: ipsa eius oratio & supplicatio ad Dominum, aurum quærit.* Iterùm alibi: *Cupiditas ait: Quid iniustum est, si, cùm aliena non inuadam, propria diligentia seruo? O impudens dictum! Propria dicis. Quæ ex rebus reconditis in hunc mundum detulisti, quando in hanc ingressus es lucem? Quando de ventre matris existi, quibus quæso facultatibus quibusq; subsidiis stipatus intrasti? Tantorum ergo te scias inuadere bona, quantis possis præstare quod vales.* Iterùm: *Qui moderari nescit cupiditatibus, is quasi equis raptus indomitis voluitur, laniatur, affligitur.* Denique: *Cùm augere opes, aggregare pecuniam, occupare terras possessionibus cupimus, præstare diuitiis; iustitiæ formam exuimus, beneficentiam communem amittimus.* D. Ioannes Chrysostomus: *Qui semel Christi seruus effectus est, non erit mammonæ famulus, cuius certè è regione fit dominus. Illa enim fugientem sequi, ita fugere consueuit sequentem, nullum sic honorat contemptorem sui, nec ita irridet aliquem, vt eos qui eam nimiùm concupiscunt.* Item: *Appositio diuitiarum maiorem accendit flammam, & vehementior fit cupido.* S. Augustinus ita in idem cupiditatis vitium inuehitur: *Quod agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum & corpus suum, flagellum vocatur: quod autem agit, vt alteri noceat, facinus dicitur; & hæc duo sunt genera omnium peccatorum.* Alia habet in hanc rem terribilia, sed alibi illa à nobis referenda erunt. Quin & D. Gregorius sic ait: *Bonorum auctori aliter inhærere non valemus, nisi cupiditatem à nobis, quæ omnium malorum radix est,*

Homil. super illud, Quid faciam? destruam horrea mea, &c. *Ex bonis præsentibus multa mala.*

Super illud S. Ioan. Attulit ager cuiusdam diuitis.

Paulò pòst. *Quid de auaritiâ S. Ambrosius.*

Lib. de Virginit.

Lib. de Officiis.

Quid D. Ioannes Chrysostomus. *Homil. 9. super Matth.*

Ibid.

Quid S. Augustinus *De Doctrinâ Christianâ.*

Quid S. Gregorius *In Homiliis.*

abscindamus. Et: *Cui cupiditas dominari dicitur, subiectus malis omnibus demonstratur.* S. Leo succedit, cuius hæc sunt verba: *Virum Catholicum, & præcipuè Domini sacerdotem, sicut nullo implicari errore, ita nullâ oportet cupiditate violari. Mens enim pecuniæ auida nec abstinere nouit à vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum.* Neque hic omitti debet Petrus Rauennas, qui sic ait: *Omnium malorum radix est cupiditas, transgressionis mater, magistra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malitiæ, sicaria virtutum, seditionis origo, fouea scandalorum.* Quin & Innocentius III. sic effatur: *Radix malorum est cupiditas. Hæc sacrilegia committit, furta & rapinas exercet & prædas, bella gerit & homicidia, Simoniacè vendit & emit: iniquè petit & recipit, & iniustè negotiatur & feneratur: instat dolis, & imminet fraudibus, dissoluit pactum, & violat iuramentum, corrumpit testimonium, & peruertit iudicium.* Et adhuc ibidem: *O ignis inextinguibilis, cupiditas insatiabilis! Quis vnquam primo voto fuit contentus? Cùm adipiscitur quod optauerat, desiderat ampliora: semper in habendis & numquam in habitis finem constituit. Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes: Affer, affer.* nam

Lib. 15. Moral. *S. Leo. In Sermon.*

Petrus Rauennas. Serm. 11.

Sed & Innocentius Tertius. *De vtilitate conditionis humanæ.*

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. 18.

Hæc ipsa Catholicorum Doctorum effata ne ex Christianæ fidei solùm principiis nota, sed & ex Gentilium Philosophorum scitis profecta fuisse constet, nonnulla præcipuorum Ethnicæ Theosophiæ professorum placita in medium adferemus, quibus apertè docuerũt quàm noxium sit cupiditatis vitium, & quot ex illo, velut originali fonte, mala scaturire soleant. En, quæso, quid Seneca dicat. *Quamdiu*, inquit, *tibi satis nil fueris, ipse aliis non eris. Quomodo, inquis, exibo? Vtrumq; cogita, quàm multa temerè pro pecuniâ, quàm multa laboriosè pro honore tẽtaueris. Quantum ad successum accesseris, tantò accedet & metus.* Pergit: *Vidisti aliquando canem missa frusta panis aperto ore captantem: quidquid accepit, protinus integrum deuorat, & semper ad spem futuri hiat. Idem euenit nobis: quidquid expectantibus fortuna proiecit, id sine vllâ voluntate dimittimus; statim ad rapinam alterius erecti & attoniti, in Epicurum illud chaos incidimus, inane sine termino est.* Addit: *Fortissima pestis est cupiditas, quæ solet egenos facere quos capit, dum finem quærendi non inuenit. nam altera cupiditas ex alterius fine nascitur, & ideò fortior est qui cupiditatem vincit, quàm qui hostem subiicit.* En iterùm quid Cicero dicat. *Cupiditates honoris*, ait, *imperij, potentiæ, gloriæ, in maximis animis splendidissimisq; ingeniis existunt.* Imò addit: *Cupiditates non foris solùm se iactant, nec tantùm in alios cæco impetu incurrunt, sed intus etiam in animis inclusæ inter se dissident atque discordant. Cupiditates sunt insatiabiles, quæ non modò singulos homines, sed vniuersas familias euertunt, totam etiam labefactant sæpè Rempublicam.* Iunge & exemplum illius Thebani Philosophi, Cratetis inquam, hominis ditissimi, qui cùm ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, nec putauit se simul posse virtutes & diuitias possidere. *Abite*, inquit, *malæ cupiditates, ego vos mergam, ne mergar à vobis.*

Prædictis consonant Ethnicorũ placita.

Seneca. In Epistolis.

Epist. 13.

Ibid.

Ciceronis. Lib. 1. De Officiis. Lib. 1. de Finib.

Cratetis.

Sed de nocumentis cupiditatis satis iam dictum, ad contemptûs temporalium vtilitates accedamus, quæ tantæ sunt & tam eximiæ, vt non minùs imò ampliùs nos ad se allicere queãt, quam contrarij peccati damna à sese arcere. Au- 19.

De emolumentis contemptûs temporalium.

diamus

diamus hac in re describendâ copiosissimos, D. Gregorium Papam, & S. Bernardum Claræ-vallis in Burgundiâ Abbatem. *Qui cælestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admiserit, perfectè cognouerit, ea quæ in terris amauerat, cuncta derelinquit*, ait S. Gregorius. *In comparatione illius vilescunt omnia: deserit habita, congregata dispergit, inardescit in cælestibus animus, nil de terrenis libet: deforme conspicitur quidquid de terrenæ rei placebat specie; quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente.* Docuit idem sanctus Doctor etiam, pauperes voluntarios à dæmonum violentiâ atque insultibus esse immunes. *Ad se venientibus*, inquit, *Dominus præcipit, vt renuntiemus nostris: quia qui ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo possident proprium, nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam si vestitus quisque cum nudo luctatur, citiùs ad terram deiicitur, quia habet vnde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abiiciat, ne succumbat.* Docuit insuper, eos qui omnia relinquunt, omnium vsum adipisci. *Si vultis*, ait, *omnia retinendo relinquitis, vt cum totâ mente ad æterna tendatis. Si enim nihil in hoc mundo amando possidetis, etiam possidendo cuncta relinquitis.* Docuit, paupertatem illam voluntariam omnium sacrificiorum esse maximum. *Illi*, inquit, *qui ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant, in bonis, quæ faciunt, sacrificium offerunt: quia aliquid Deo immolant, & aliquid sibi reseruant. Qui verò nihil sibi reseruant, offerunt holocaustum, quod maius est sacrificio.* In quo vnum obseruari non immeritò poterit, non solùm illis locum, quoad voluntariam scilicet paupertatem eiusque præmia, esse addictum qui multa relinquunt, sed & iis qui, tametsi pauca possideant, affectum nihil habendi habent. *Multum relinquit*, dicit S. Gregorius, *qui sibi nil retinuit; multum relinquit, qui quantumlibet parum, totum deseruit. Certè nos & habita ex amore possidemus, & ea quæ non habemus, ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus & Andreas dimiserunt, quando vterque etiam desideria habendi dereliquit. Multum dimisit, qui cum re possessâ etiam concupiscentiis renuntiauit.* Quâ in re S. Gregorio consentit D. Hieronymus, qui sic scribit: *Grandis fiduciâ! Petrus piscator erat, diues non fuerat, cibos manu & arte quærebat, & tamen loquitur confidenter, Reliquimus omnia. Omnia enim reliquit, qui voluntatem habendi deseruit.* Consentit & S. Bernardus, *Age ergo*, inquiens, *qui relinquere disponis omnia, te quoque inter relinquenda numerare memento: imò verò maximè & principaliter abnega temetipsum, si desideras sequi eum qui se exinaniuit propter temetipsum.*

S. Bernardus. In Homiliis. *S. Gregorius.* Lib. 31. Moral. *Omnia acquirimus omnia relinquendo.* In Homiliis. *Paupertas voluntaria maximum sacrificium* Super Ezechielem. *Quod etiam locum habet in paupertatis affectu.* Homil. 5. *Gregorio Hieronymus adstipulatur.* In Matthæū. *Vt & Bernardus.* In Colloq. Serm. ad Petrum.

20 Sed ad S. Gregorium redimus, & contemptus terrenarum rerum vtilitates explicantem portò audimus. *Quisquis*, inquit, *diuini stimulo amoris excitatus hæc possessa reliquerit, illic proculdubio culmen iudiciariæ potestatis obtinebit; vt simul iudex tunc cum Iudice veniat, qui nunc consideratione iudicii sese spontaneâ paupertate castigat.* En vt non misericordem Iudicem tantùm experientur in supremo iudicio, qui omnia Christi amore reliquerint, sed & ipsimet iudices aliorum, qui non reliquerint, futuri sint. Plura de his, etiam ex Euangelio, aliàs adferemus, modò nonnulla, quæ cum D. Gregorio coincidunt, ex D. Bernardo priùs adduxerimus. Quid, quæso, dici posset pulchrius, quàm quod ille super ea Petri ad Christum verba, *Ecce nos reliquimus omnia*, protulit in hunc modum: *Hæc nempe sunt verba, quæ contemptum mundi in vniuerso mundo, & voluntariam persuasère hominibus paupertatem. Hæc sunt quæ Monachis claustra replent, deserta anachoretis. Hæc inquam sunt verba, quæ Ægyptum expoliant, & optima quæque eius vasa diripiunt. Hic sermo viuus & efficax, conuertens animas felici æmulatione sanctitatis, & veritatis promissione fideli. Ecce, inquit, nos reliquimus omnia. Benè, optimè, & non ad insipientiam tibi: nam & mundus transit, & concupiscentia eius; & relinquere hæc, magis expedit, quàm relinqui. Reliquimus omnia, & secuti sumus te. nimirum quia exultauit vt gigas ad currendam viam: nec currentem sequi poteras oneratus. Non inutilis commutatio, pro eo qui super omnia est, omnia reliquisse. Nam & simul cum eo donantur omnia: & vbi apprehenderis eum, erit vnus ipse omnia in omnibus, qui pro ipso omnia reliquerunt.* Sanum ergo & salubre consilium est, non solùm non inordinatè terrena concupiscere, sed & illa ex intimo corde despicere, terrenamque substantiam quodammodò auersari. Cuius rei insigne admodum exemplum, vt sequamur, à S. Augustino laudatum, referre iuuabit, qui sic ait: *Dicam quid homo pauperrimus, nobis apud Mediolanum constitutis, egerit. Inuenit sacculum (nisi me fortè numerus fallit) cum solidis ferme ducentis. Memor legis, posuit pittacium publicè. Reddendum sciebat, sed cui redderet nesciebat. Proposuit pittacium publicè: Qui solidos perdidit, ad locum illum veniat, & quærat hominem illum. Ille qui plangens circumquaque vagabatur, inuento & lecto pittacio, venit ad hominem. Et ne fortè quæreret alienum, quæsiuit signa, interrogauit qualitatem, & sigillum solidorum, & numerum. Et cùm ad omnia ille fideliter respondisset, reddidit quod inuenerat. Ille autem repletus gaudio, & quærens vicem reddere, tamquam decimas ei obtulit solidos viginti: qui noluit accipere. Obtulit & decem: noluit accipere. Saltem rogauit vt vel quinque acciperet: noluit ille. Stomachabundus homo proiecit sacculum, Nihil perdidi, ait. si non vis aliquid accipere à me, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen, fratres mei, qualis pugna, qualis conflictus? Theatrum mundus, spectator Deus. Victus tandem ille, quod offerebatur accepit, continuò totum pauperibus erogauit, vnum solidum in domo suâ non dimisit.* Sic Augustinus. E quo docemur omnes & monemur, non tantùm faciles nos esse debere vt aliena reddamus, sed & si quid fortè recipere necesse sit, id iterùm in eleemosynam expendamus. Ceterùm hactenus dicta eò faciunt, vt non modò videamus, solutiones siue restitutiones pro mortuis factas, à Deo saltem eleemosynarum loco acceptari solere; sed &, quot rationibus ad temporalia nostra in illorum leuamen distribuenda permoueamur, cùm tot nobis mala prouenire soleant si nimis illis inhiemus; tot verò bona, si ea fugiamus, si abiiciamus. Et animabus igitur bona esse possunt, quæ licet bona vocentur, affectata mala fiunt; & veluti mala à nobis repudiata, & ipsis & nobis bona. Bonam denique mortuorum causam esse necesse sit, in quâ non bona solùm effectum suum adipiscuntur, sed & quæ mala forent, in bona

Homil. à super illud, *Vos reliquistis.* *Qui omnia reliquere aliorum iudices futuri sunt.* *Insigne S. Bernardi hac de re testimonium.* Serm. de Verbis Apostoli c. 7. super illa verba: *Quod tibi noluerit fieri, ne feceris.* *Eximium à D. Augustino allatum exemplum illius qui terrena accipere recusauit.* *Quod ab aliis recipimus, aliis in eleemosynam erogare possumus.*

bona conuerti, perque temporalia ac transitoria dispendia, cælestia atque æterna lucra animabus solent acquiri. Vt meritò fugere possimus mundi diuitias, quæ nos pauperes reddunt, abiicere mundana vt acquiramus cælestia, nobis inquam & animabus. Sed quid? quàm vtile etiam sit in hoc sæculo veluti peregrinatione versari, ne videlicet præsentium commoditatibus nimis inhæreamus, sed potiùs interim quod hic viuimus, tanquam hospites peregrinique transeuntia despicientes, degamus, Peregrinationis materiam, vt & mortuis prodest, auspicari licebit.

CAPVT XXIII.

Peregrinationes sacræ à fidelibus obitæ faciunt vt proscripti ad Purgatorium spiritus, in desideratam patriam recipiantur.

1. AGRE hìc iterùm Catholicis aduersus hæreticos est bellũ, cùm illi peregrinationes ad sacra loca venerentur & maximæ deuotionis loco habeant, hi verò easdē, vt plerasque piissimæ Matris nostræ cærimonias, ludibrio imò & execratione excipiant atque traducant: quibus vt impudentia ora occludamus, Patres atque Ecclesiæ Doctores opponemus, & posteà Scripturarum sacrarum productione silentium eis omnino imponemus. Quàm ergo peregrinationes sint laudabiles & fructuosæ, adeoque ab omnibus Christi fidelibus laudādæ, venerandæ, obeundæ sint, sufficienter patet ex generali atque œcumenico Tridentino Concilio, quod sic loquitur: *Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Christo viuentium sacra corpora, quæ viua membra fuerunt Christi, & templum Spiritus sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda, à fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur; ita vt affirmantes, Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi, eas, aliaq; sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causâ Sanctorum memorias frustrà frequentari, omnino damnandos esse, prout iam pridem eos damnauit, & nunc etiam damnat Ecclesia.* Huic sacræ Concilij sacratissimæ declarationi antiquiorum sæculorum auctoritatem adiungemus, & ab octauo vsque sæculo sursum ascendamus.

Quàm laudabiles ad loca sacra sint peregrinationes, Sess. 25.

docet Concilium Tridentinum,

& vniuersa prima Ecclesiæ sæcula.

2. Offert verò se primò Concilium Cabilonense sub Carolo Magno celebratum, quod docet, eorum deuotionem omnibus probari debere, qui pœnitentiæ causâ ad limina Apostolorum vel alia loca sancta peregrinantur. Palladius in Historiâ Lausiacâ scribit, Philoromum Presbyterum bis voti causâ peregrinatum Ierosolymam, & item ex voto peregrinatum Romam ad limina Apostolorum, & Alexandriam ad Reliquias S. Marci. Idem scribit, Melaniam Ierosolymæ occupatam in suscipiendis peregrinis ex toto orbe eò venientibus. Nicolaus I. in Epistolâ ad Michaelem scribit, multa millia hominum ex omnibus terræ finibus confluere solita ad limina Apostolorum religionis causâ. Beda scribit, Regem Ceduallam peregrinationem ad limina Apostolorum suscepisse, cupientem ibi Baptismum suscipere, & mox à Baptismo ex hac vitâ migrare. Vtrumque horum impetrauit: nam in Sabbato sācto à Papâ Sergio baptizatus, in ipsâ hebdomadâ Paschæ in albis positus, leui morbo correptus migrauit ad Dominum. Socrates scribit, Eudoriam Theodosij Iunioris vxorem ex voto Ierosolymæ peregrinationem suscepisse. Metaphrastes S. Alexium peregrinationem instituisse & suscepisse ait ad nobiliores mundi Ecclesias. Cassianus meminit Monachorum, qui orationis causâ ad loca sancta pergebant, sic inquiens: *Quidam Fratrum ad loca sancta de Ægypti partibus orationis causâ conuenerant.* S. Augustinus Hipponensibus de quodā refert his verbis: *Elegit aliquid medium, vt certo placito se ambo constringerent, ad locum sanctum se peregrinaturos.* Prudentius de SS. Hemeterio & Chelidonio:

Can. 45.

Cap. 113.

Cap. 118.

Lib. 5. Hist. cap. 7.

Lib. 7. cap. penult.

In Vitâ eius.

Lib. 4. de Institut. renunt. cap. 31. Idem patet ex S. Augustino, Epist. 137. ad Clerum & pop. Hipp.

Exteri nec non & orbis
Huc colonus aduenit:
Fama nam terras in omnes
Præcucurrit proditrix,
Hìc patronos esse mundi,
Quos precantes ambiant.

Paulinus Nolanus Episcopus hæc habet: *Non aliter affectus homines ad Ierosolymam rapit, nisi vt loca, in quibus corporaliter præsens fuit Christus videant atque contingant.* Et alibi scribit, turbas innumerabiles ex remotissimis locis peregrinari solitas ad corpus S. Felicis. Sulpitius acta Helenæ describens, dicit, illud esse mirandum Ierosolymis, quòd in loco vnde Dominus cælum ascendit, adhuc seruentur pedū eius vestigia; & cùm ad eum locum vndique fideles confluant, & rapiant aliquid calcati pulueris, damnum tamen arena non sentiat. S. Hieronymus; *Longum est*, inquit, *nunc ab ascensu Domini vsque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrinâ Ecclesiasticâ virorum venerint Ierosolymam, putantes minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam, vt dicitur, manū accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primùm Euangelium de patibulo coruscauerat.* Ad Rusticum quoque, qui peregrinationem ad sacra loca vouerat, sic scribit: *Redde quod præsente Domino spopondisti: incerta est vita mortalium, ne antè rapiaris, quàm tuam impleas sponsionem.* Denique Desiderium hortatur vt veniat ad loca sancta, & inter alia dicit: *Certè adorasse vbi steterunt pedes Domini, pars fidei est.* S. Ioannes Chrysostomus comparans sepulchra Martyrum cum sepulchris Regum, *Itaque*, ait, *quò regias quidem aulas videat, nullus vmquam peregrinatus fuerit; multi verò Reges plerumque huius spectaculi gratiâ peregrinati sunt. Futuri nāque iudicij vestigia, & signa Sanctorum, ades exhibent vbi dæmones flagellantur, corriguntur homines & liberantur.* Denique, ne longior sim, Gaudentius Brixianus Episcopus scribit, se peregrinatum in Ierusalem, & in itinere, cùm transiret per Cæsaream Cappadociæ, accepisse dono à duabus sanctis mulieribus, neptibus Magni Basilij, Reliquias Quadraginta Martyrum. Porrò Eusebius ait de quodam Alexandro qui *Ierosolymam adorandi & locorum sanctorum videndorum causâ properauit.* Alibi etiam laudat Helenam quòd Religionis causâ Ierosolymam iuerit. Turpe igitur atque infame tā est

& aliis Patribus illo antiquioribus.

Epist. 11. ad Seuerum. Natali 3. S. Felicis.

Lib. 2. Sacræ hist.

Epist. 17. ad Marcellam.

Epist. 146.

Epist. 154.

Homil. 66. ad Pop. Antiochenum.

Serm. de Dedicat. Tēpli.

Lib. 6. Hist. cap. 9.

Lib. 3. de Vitâ Constantini.

est mendacium illud Centuriatorum Magdeburgensium, qui asserere non erubuerunt, peregrinationes sacras tempore primùm Constantini incepisse.

3. Quamuis verò ex his SS. Doctorum locis Peregrinationum in Ecclesiâ Catholicâ vsus sufficienter admodum probatus sit, ne tamen hæreticis aliquis cauillandi locus sit, quasi Scripturæ sacræ nobis deficerent, en eas productum imus. An non illa peregrinationis speciem habent, quæ in Textu sacro dicuntur, Deum sua beneficia certis quibusdam locis adnexuisse? In lege antiquâ exemplum sit Templum Ierosolymitanum, in nouâ, piscina probatica, in quam dum Angelus descendebat, aquam mouens, ille qui prior eam ingressus fuisset sanabatur? Quid de Templi frequentatione? Audi quid Scriptura dicat. *Compleuitq; Salomon domum Domini, & domum Regis, & omnia quæ disposuerat in corde suo, vt faceret in domo Domini, & in domo suâ, & prosperatus est. Apparuit autem ei Dominus nocte, & ait: Audiui orationem tuam, & elegi locum istum mihi in domum sacrificij. Si clausero cælum, & pluuia non fluxerit, & mandauero & præcepero locustæ vt deuoret terram, & misero pestilentiam in populum meum: conuersus autem populus meus, super quos inuocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pænitentiam à viis suis pessimis: & ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum. Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius qui in loco isto orauerit. Elegi enim, & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* En quomodo Deus, tametsi vbique sit, vniuersa hæc sua beneficia in illo præcisè loco & templo peti & impetrari voluerit. Annon & miraculosas sanationes, quas S. Ioannes Euangelista commemorat, alligatas præcisè voluit isti solummodò loco, atque insuper determinatò ei tempori, quo Angelus de cælo descenderet & aquam istam piscinæ commoueret? Sed & alij duo è Lege Euangelicâ desumpti loci huc faciunt. Primus habetur apud S. Matthæum, vbi Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, vt recenter natum Messiam adorarent. *Et venimus*, inquiunt, *adorare eum*, qui sanè locus aptissimus est ad probandum contra hæreticos horum temporum Peregrinationes & visitationes locorum sanctorum & personarum. Hæc namque trium Magorum ad puerum Iesum profectio, vera erat religiosæ peregrinationis forma, cùm venerint adorandi non videndi causâ; religionis, non curiositatis ergô. Venerunt item cum muneribus, sicut in peregrinatione Catholicâ nemo vacuus venit ad loca sancta. De quo pietatis genere variæ in veteri Testamento fuerunt prædictiones. *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius*, ait Psalmista; hoc enim, vt ait S. Hieronymus, est pars fidei. Locum illum Isaiæ, *Erit sepulchrum eius gloriosum*, hoc est, vt idem S. Hieronymus explicat, adorabitur. Apud eundem Isaiam Dominus sic loquitur: *Locum pedum meorum glorificabo*; vt enim Augustinus ait, *illa est terra, vnde si afferatur, adorant Christiani.* Animales hæretici, qui spiritum Dei non habent, etiam pietatis huius sensum nullum habent. Olim *Principes sæculi ad vrbem Romam venerunt, non ad templum Imperatoris, sed ad Memoriam piscatoris.* Sed & hæretici Romam peregrinantur, dices. Verum est, fateor: sed non vt loca Sanctorum religiosè adeant, orent, adorent; sed vt vitia Cleri & Curiæ explorent, vel certè, vt Ciceronis ædium, Capitolij, aliarumque antiquitatum rudera inspiciant.

Alter locus apud eundem S. Matthæum reperitur, estque hic: *Quid existis in desertum videre?* 4.
Vbi Christus peregrinationem quandam Iudæorum ad videndum Ioannem in deserto susceptam laudat, ipsumque Ioannis propositum, vitam in deserto eremiticam agentis, disertè approbat. *Quid existis videre*, ait. Prodibit fortè nonnemo ex hæreticorum colluuie, & dicet, Iudæos exiisse vt salubria S. Ioannis monita, egregiasque eius conciones audirent. Verùm enimuerò vel ipsa vox *videre* hanc hæreticorum elusionem eludit. Quamuis enim fortasse multi exiuerint, vt audirent Ioannem pœnitentiam annuntiantem; in principio tamen, dubium non est, quin ad videndum cum eò iuerint, vtpote de cuius concionibus nihil dum inaudierant, adeoque nesciebant an illis quidpiam prædicaturus esset. Laudat igitur Dominus Iudæos, quòd hunc talem tantumque virum videndi studio extra ciuitatem ad desertum vsque profecti fuerant, domiciliorum suorum tantisper curâ sepositâ. Erat igitur hoc quoddam peregrinationis genus, viro sancto exhibitum, qualia in Ecclesiasticis historiis admodum frequentia legimus, in Vitâ nimirum S. Antonij, per Athanasium; S. Hilarionis, per S. Hieronymum; S. Arsenij, per Symeonem Metaphrastem scriptâ. Quò etiam directè pertinent hæc quæ collegimus Scripturæ insuper loca & exempla. *Tribus vicibus per annum*, inquit Deus per Moysem ad populum Israeliticum, *apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit.* Vbi Deus instituit, vt ter singulis annis ad Ierosolymitanum templum peregrinatio ab omnibus susciperetur. Hoc diuinum mandatum quàm exactissimè obseruauerũt, Helcana pater Samuelis, de quo dicitur: *Ascendebat vir ille de ciuitate suâ statutis diebus, vt adoraret & sacrificaret Domino exercituũ in Silo.* Item ipsemet Saluator cum sanctissimâ Matre suâ Virgine Mariâ, & nutritio suo B. Iosepho, de quibus hæc habent Euangelistæ, *Cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis*, scilicet Mariâ & Iosepho, *Ierosolymam secundùm consuetudinem diei festi*, &c. inquit D. Lucas. Ioannes Euangelista narrat, etiã Gentiles venisse adoratum in Ierusalem. *Erant autem*, inquit, *quidam Gentiles ex his qui ascenderant vt adorarent in die festo.* Eunuchus Æthiops è longinquâ regione veniebat vt Ierosolymis oraret, de quo sic in Apostolorum Actis: *Et ecce vir Æthiops, eunuchus, potens Candacis Reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Ierusalem.* Et D. Apostolus Paulus ipse, iam à Iudaicis cæremoniis & ritibus omnino per legem nouam (si fortè quis hic obgannire velit) liber & exemptus, nihilominùs, cùm probè sciret quid homini Christiano facto esset opus, festinabat in itinere, vt in Ierusalem faceret atque celebraret festum Pẽtecostes. *Festinabat enim*, inquit de eo S. Lucas in Actis, *si possibile sibi esset, vt diem Pentecostes faceret Ierosolymis.* quem locum etiam adducit

Marginal notes: *Idi ex Scripturis probatur.* — *Ex lib. Paralipomenon.* — 2. Paral. 7. — *Ex piscinâ probaticâ.* — Ioannis 5. — Math. 2. — *Ex adoratione Regum.* — *Ex Psalmis.* Psalm. 13. — Epist. ad Desiderium. — Isaiæ 11. — Epist. ad Marcell. — *Ex Prophetis.* Isaiæ 60. — Epist. 171. — Augustin. Enarrat. in Psalm. 86. — Matth. 11. *Ex virtu Christi de Ioanne Baptistâ.* — *Aliâ peregrinationũ plura in Scriptura exẽpla.* — Deuter. 16. — 1. Regum. 1. — Lucæ 2. — Ioan. 12. — Actor. 8.

Epist. 17. ad Marcellam.

cit S. Hieronymus, vt ostendat, bonum esse ad loca sancta peregrinari.

5. *Confunditur ex prædictis Ioannes Caluinus.*

Quàm itaque improbè, ne dicam perfidè, locutus Picardus Stigmatista, impius inquam ille Ioannes Caluinus, dum Peregrinationes votiuas ad loca Sanctorum non inanes tantùm, sed & manifestâ impietate plenas esse commentus atque mentitus est! Erat ille aranea, quæ ex iisdem sacratis Scripturæ sacræ floribus, vnde Catholicæ apes mel educunt, venenum & toxicum suxit. Sanè plures vtilissimiq; Peregrinationum sacrarum fructus colliguntur, nos e fecundissimâ ista arbore decerpamus nonnullos: quorum vnus sit, in Peregrinationum exercitio reperiri ostensionem amoris & charitatis erga Deum & Sanctos, quæ nimirum pios mouet, vt quemadmodum ipsos, sic etiam omnia illa quæ ad ipsos pertinent, videre, honorare & quocumque modo possint celebrare satagant. Hoc scilicet amore flagrabat S. Ioannes Chrysostomus, qui vel eo nomine Romam proficisci desiderabat, vt Sanctorũ ibi Reliquias videret, honoraret atque veneraretur. *Si liberum mihi fuisset*, inquit, *per curas Ecclesiasticas, & corpus habuissem validum, nihil vtique causatus fuissem, quò minus tantâ susceptâ peregrinatione, catenas illas Pauli, & carcerem vbi ligatus fuit, viderem.* Et alibi: *Vellem nunc in iis locis versari, quibus vincula illa manent, & catenas videre, quas quidem timuerunt & horrent dæmones, Angeli autem venerantur. Si Ecclesiasticis curis essem vacuus, corpusq́; robustum haberem, nequaquam peregrinationem tantam ferre recusarem, quò catenas solùm viderem, & cernerem in quo Paulus vinctus erat.* Paula quoque Romana, & cùm Ierosolymam & ad sancta Palæstinæ loca venisset, tantùm ibi amorem erga Christum Saluatorem concipiebat, vt diceret: *Hæc requies mea, quia Domini mei patria est. Hic habitabo, quoniam Saluator elegit eam.*

Quot sint sacrarum Peregrinationum fructus.

Homil. 1. in Epistol. in Ephes. *Primus, amoris erga Deũ & Sanctos, declaratur.* Homil. 5. in Iob

Secundus, ingentium bonorum impetratio.

Alter fructus, quem ex Peregrinationibus metimus, quòd honoris, quem Deo & Sanctis eius debemus, specimen edimus, dum nimirum ea loca adimus & inuisimus, quæ à Deo & Sanctis adeò crebris miraculis & erga afflictos homines beneficiis honorantur. *Vt regias quidem aulas videret, nullus vmquam peregrinatus fuerit. Multi autem Reges huius spectaculi gratiâ sæpè peregrinati sunt. Futuri namque iudicij signa & vestigia Sanctorum ædes exhibent, vbi dæmones flagellantur, homines constringuntur & liberantur*, inquit idem qui suprà S. Ioannes Chrysostomus. Hinc D. Augustinus Reliquias S. Stephani Protomartyris magnâ hominum frequentiâ honoratas fuisse asserit, propter crebertima quæ in Africâ operabantur miracula.

Homil. 66 ad pop. Antioch.

Tertius, ex his fides nostra excitatur.

Insuper ex Peregrinationibus piè obitis fides nostra erga Deum excitatur, & ostenditur, nos eiusdem fidei communione ali, quam Sancti quos inuisimus, dum in terrâ viuerent, habuerunt, & per quam ad tantam honoris sublimitatem à Deo prouecti sunt. *Ipsorum locorum*, inquit S. Augustinus, *admonitione maior affectus exurgit ad acuendam charitatem, & in Sanctos quos imitari possumus, & in Deum quo adiuuante possumus.* Chrysostomus optat, vt Apostolorum acta conscribantur exactissimè, quid nimirum diebus singulis gesserint, quibus in partibus vixerint, quam domum introierint, vbi applicuerint, vt ex illorum locorum visitatione fìdus erga ipsos affectus ampliùs accendatur. *Cum loca tantum*, inquit, *cernimus vbi sederunt seu vincti sunt, virtutes quoque illorum conspicimus, & expergiscimur, & promptiores euadimus.*

Lib. 20. Contra Faustum.

Quartus fructus, quem ex Peregrinationibus metimus, est, quòd quamuis quis aridus fuerit, & absque vllo penè deuotionis & pietatis sensu, statim, dum ipsa loca sacra intramus, nescio quem internum stimulum indi nobis persentiscamus, quo ad deuotionem vel inuiti, nisi fortè omnino hæreticus aut desperatæ salutis sit, propellamur. Dum enim perpendimus, quòd illo in loco Saluator noster, aut aliquis Sanctorum, perfectè admodum vixerit, aut sanguinem suum profuderit, vel etiam inde anima eius ad cælum & sempiternam gloriam assumpta fuerit; quis, nisi durus sit & impius, ad pietatem ac imitationem non incitaretur?

Excitamur & ad virtutes illorum imitandum.

Exempla huius fructus passim sunt obuia, delibabimus nonnulla. Quàm insigniter animauit D. Hieronymum, quòd in Bethlehem ad Christi Domini præsepe diuino se mancipauerit obsequio, vt & ibi cælestem quamdam vitæ rationem instituerit; & quamuis variè morbis doloribusq; tentaretur, corporis tamen incommoda piis laboribus, & perpetuâ lectione ac scriptione superauerit! Quàm rigidam pœnitentiam egit Elias vir religiosus in antro illo, in quo olim S. Maria Magdalena annis ampliùs triginta corpus suum macerauerat, & vbi Angelici concentus audiri fuerant! Liceat mihi exemplum vnum è nostro Carmelitano Ordine petere. Ad quantam perfectionem ac sanctimoniam euectus est S. Angelus, dum infinitis virtutum ornamentis & miraculis clarus, honorem eximium qui ei passim deferebatur, respuens, in desertum Christi ieiunio consecratum clàm secessit, ibique tanti loci amore incensus, per quinquennium Angelico panè nutritus, diuinæ contemplationi vacauit, eoque perfectionis peruenit, vt ibidem ei Saluator, multo Angelorum & Sanctorum comitatu stipatus, apparuerit, & vt in Siciliam, plurimorum futurus Apostolus, atque ad martyrij palmam sublimandus, iter institueret, admonuerit. Vnde factum est, vt ex hac deuotâ eremo velut ignis ad omnium animos inflammãdos prodierit, obuiosque plurimos, Christianos à vitiis, Iudæos & Sarracenos ab infidelitate, conuerterit, & velut nubes rorifera prædicando circumquaque discurrens, innumeras Christo animas lucrifecerit. Quid de monte Carmelo dicam, in quo quia sanctissimus Propheta ac Carmelitarum Patriarcha Elias vitam aliquando sanctissimam egit, infinitis postmodum sequacibus suis perfectionis incitamentum eodem in loco, & ex eodem, præbuit. Aiebat meritò Ecclesiasticus, eũdem alloquens: *Prophetas facis successores post te. Beati sunt qui te viderũt, & in amicitiâ tuâ decorati sunt. nam nos vitâ viuimus tantùm, post mortem autem non erit tale nomen nostrum.* Sed quid, quæso, in Elia ampliùs quàm in aliis? cur, quæso, beati illi qui in illius amicitiâ decorati sunt? Addit idipsum per Ecclesiasticum Spiritus sanctus: *Elias quidem in turbine tectus est, & in Elisæo completus est spiritus eius.* Quomodo autem in illo completus spiritus eius? *In diebus*, inquit Ecclesiasticus, *suis non pertimuit Principẽ, & potentiâ nemo vicit illum, nec superauit illum verbum aliquod, & mortuum prophetauit corpus eius.* Neque hoc solùm in Elisæo, quoad relictâ ei ab Elia in monte Carmelo benedictioné, locũ habuit, sed & in aliis multis

6. *Exẽpla fructuum qui ex peregrinationibus proueniunt.*

Insigne imprimis S. Angeli Carmelita.

Simile de S. Eliâ Propheta.

Eccli. 48.

multis postmodum sæculis in eiusdem montis incolis continuauit, prout Ordinis nostri Chronica abundè testata sunt. Sufficit hìc tres vltimos, qui in monte Carmelo vixerunt & mortui sunt, Priores generales adiecisse, qui omnes à virtutibus sancti, & à miraculis clari fuerunt; quorum etiam festa Ordo noster ex auctoritate & concessione Apostolicâ ritu duplici celebrat, S. Bertholdi, 29. Martij; S. Brocardi, 2. Septembris; S. Cyrilli Græci, & Ecclesiæ Doctoris, 6. Martij. De aliis verò Sanctis, qui tum in eodem Carmeli monte & Ordine vixerunt, numerus certus ob multitudinem iniri non potest; sed necesse est vt cum Reu. admodum P. Ioanne de Carthagenâ, celeberrimo illo Seraphici Franciscani Ordinis Scriptore (qui idipsum hausisse se ex Ven. Abbate Ioanne Trithemio fatetur) dicamus, *Tot sancti sub Ordine Carmelitano fuerunt, vt penitus numerari nequeant. etenim si quis stellas cæli denumeret, & Sanctos huius Ordinis numerare poterit.*

Quot ex monte Carmelo Sancti prodierint.

7. Hæc omnia eo fine dicta sunt, vt quanta locorum, vbi Sancti habitauerunt, conuersati sunt, mortui sunt aut humati, sit efficacia, ostendatur. Videtur enim Deus locis eisdem quamdam quasi gratiam indidisse, quam illi qui eò accedunt consequuntur. In Conuentu Valentiano, vt & ex Illustrissimo Dominicanorum Ordine vnum alterúmve exemplum producamus, semper fuit, ab eo vsque tempore quo ibidem vixit famosissimus ille ac zelantissimus concionator animarumque incensor D. Vincentius Ferrerius, ad hunc vsque diem aliquis Religiosus sanctitate conspicuus, vt verè de hoc Monasterio intelligi queat illud Psalmi 132. *Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsque in sæculum.* Imò quantam virtutem Sacellum illud Segouiæ retinuerit, in quo olim Dominicani Ordinis Archidux, dum viueret, carnem suam multis pœnitentiis & asperitatibus afflixerat, in vitâ S. Matre nostrâ Theresiâ abundè videri potest. Dum enim illa in eo loco oraret anno 1573. in ipso festo S. Hieronymi, ad tam sublimem orationem seu contemplationem euecta fuit, vt ei Christus apparens, mirabiliter eam consolatus fuerit, iusseritque vt cum amico suo S. Dominico, qui simul apparebat, iucundaretur. vnde cùm per horas aliquot dulcissimum hoc colloquium protractum esset, D. Dominicus, datâ Theresiæ dexterâ, ei promisit, *Ego tuam semper reformationem adiuuabo.* quod & in posterū per se ac suos abundantissimè præstitit, quia sæpiùs iam Carmelitarum Discalceatorum Congregatio à variis vehementer oppugnata, Patrum Dominicanorum potissimùm subsidio suffulta perstitit, & quæ deperibat, seruata est.

Deus illis locis in quibus Sancti vixerunt, suam benedictionem annectit.

Mirabilem S. Mater N. Theresia à D. Dominico promissionem accepit.

8. Absolueram de quarto Peregrinationum fructu dicere, nisi vnum, quod defunctos concernit, & notatu dignum est, ex D. Augustino addendum occurreret; vt Lector meus videlicet memor sit eius quod suprà Cap. XII. à me dictum fuit, adiumento esse defunctis, quòd in Martyrum Ecclesiis sepeliantur, propterea quia tunc viui faciliùs recordantur Sanctorum, apud quos suorum sepulta sunt corpora, vt & illorum ipsos orationibus commendent, ipsique ita commendati citiùs à tormentis suis absoluantur. Augustini verba hæc sunt: *Cùm itaque recolit animus, vbi sepultum sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus: qui cùm defunctis à fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis, qui cùm in corpore viuerent, talia sibi prodesse post hanc vitam, meruerunt.* E quibus augustissimi Doctoris verbis vel illud quoque ex Peregrinationibus bonum prò mortuis prouenire probamus, quòd viuentes ad Sancti alicuius Ecclesiam peregrinantes, ibidem ad animum sibi reducant, commendandos esse suos defunctos eidem Sancto.

Fructus etiā peregrinationis, liberare defunctos.
Lib. de Curâ pro mortuis, cap. 4.

Quintus & potissimus Peregrinationum fructus est, quòd actus peregrinationis sit laboriosus & molestus, & ideò satisfactorius, quo vel maximè, vt sæpiùs iam diximus, Purgatorij animæ iuuantur. Non igitur mirandum est, à Christo Saluatore nostro inter alia quibus mortui à pœnis liberentur, peregrinationis remedium S. Birgittæ, vt Capite II. huius Libri N. 13, vidimus, reuelatum fuisse. In quo cùm omnes Catholici facilè consentiant, operæ pretium non est vt de eo vlteriùs verba faciamus. Duo ergo pro reliquâ Capitis huius parte acturi sumus: adferemus exempla nonnulla, è quibus videre poterimus, non vnum spiritum tantummodò ex Purgatorio Peregrinationum virtute liberatum fuisse; & rationes annectemus, quæ nos securos & solidè instructos reddere possunt, Peregrinationibus liberari posse è Purgatorio animas defunctorum. 9.

Fructus quintus est, quòd actus peregrinationis laboriosus adeoque & satisfactorius existat.

A recentioribus ergo, & quæ vel nostrâ vel patrum nostrorum ætate, paucis tamen ab hinc annis contigerunt orsi, ad antiquiora & superiora sæcula vltimò deueniemus. Refert Tillemānus Bredenbachius, insignis temporis nostri Scriptor, litteras cuiusdam viri eximij, è quibus patet, defunctum quempiam expetiisse, vt Boxtellam (pagus est Brabantiæ Campiniæ, quarto circiter lapide à Sylua-Ducis dissitus) vbi sacratissimi Sanguinis Christi celeberrima est memoria, pro liberatione sui fieret peregrinatio; idque dum esset factum, splendore cinctum rediisse, atque se, è Purgatorij tormentis exemptum, cæli iam gloriam adire professum fuisse. Sed verba Auctoris dabimus, & maior rei erit fides. *Responsum abs te* (verba sunt epistolæ viri cuiusdam eminentis ad sororem suam) *soror ad postremas meas litteras auidè expectans, prætermittere non potui, quin te stupendi cuiusdam miraculi, quod Sylua-Ducis his diebus contigit in ædibus Dominæ Vlierbecensis, quamprimùm certiorem facerem, præsertim cùm id negotij mihi ab aliis demandatum sit. Historia nec ficta est, nec somnium, sed reuerà contigit iam præterlapso die 23. Nouembris, quo nimirum frater noster, maritus tuus, eadem formâ & vestibus quibus, cùm postremò Sylua-Ducis esset, indutus fuit, nigro videlicet pallio, holosericis caligis, aperto capite, iunctis manibus apparuit diuersis & locis & temporibus ancillæ illius cuius suprà mentionem fecimus familiæ. Tandem pallium remouens, horrendam flammam ignis, & oculos quasi flammam & lumen emittens ostendit. Quod ancilla videns, præ timore in defectum animi incidit. Filia-familias, & earum auita, quæ præsentes erant, cum ex famulâ patrem suum esse intelligerent, vnicè ab eâ contenderunt, vt, isthoc timore postposito, eum,* 10.

Collat. sacrar. lib. 8. cap. 40.

Insigne de Peregrinationibus ex Bredēbachio exemplum.

Apparet quidam nuper defunctus.

à Deóne an aliunde veniret, & an humanâ ope iuuari queat, rogaret. Illa autem præ timore non potuit. Consulunt super hac re D. Helrium, & Ecclesiæ Pastores. Vnus, rogandum esse quid peteret, arbitrabatur; alij in contrariâ erant opinione, quòd somnia & nugæ putarentur. Meâ sententiâ rogandum erat, ad quid venisset, auxiliumq; promittendum, si legitimis modis præstari posset. Nobis de his rebus deliberantibus, ecce rursus in formâ quâ priùs, scilicet non horrendâ, apparuit, dicens: Quid? non iuuas me? quid times? nihil tibi mali continget. Illa respondit: Non habeo, ob summam trepidationem, copiam auxilij. Hæc Feriâ secundâ primâ luce contigerunt. Apparuit deinde ad nonam & decimam, nihil dicens, verùm grauiter suspiria ducens. ac demum horâ eiusdem diei secundâ dixit: Quid? non iuuas me? Illa dixit: Parata sum iuuare omnibus modis, quibus per Catholicam Ecclesiam licet. Respondit ille: Hoc est quod hactenus expectaui. & deductam è cubiculo in atrium rogauit, vt Sacra, quæ pro defunctis fieri consueuerunt, tria celebrari curaret; atque vt se Oirschotum conferens, isthic ad altare S. Crucis semisestertium offerret, quod ipse, cùm infirmus aliquando promisisset se oblaturum, neglexerat. Consolatus deinde eam petiuit vt omnem timorem abiiceret, quoniam ipse comitaretur. Petens præterea, vt filiabus & fratribus diceret, vt pro se orare non desisterent. Feriâ tertiâ ancilla Oirschotum abiit ad implendum eius desiderium: ille verò, vti promiserat, numquam eam reliquit, imò & præiuit eam in domum vsque ad cubiculum, atque inde in templum ad altare S. Crucis. Ibi vterque flexis poplitibus orauit. Illa nesciens vbi oblationem suam relinqueret, ducta est ab eo ad gazophylacium siue receptaculum oblationum, cui eamdem imposuit. Feriâ sextâ illa Syluam-Ducis rediit, nullum cum eo miscens sermonem, quamquam sæpè iunctis manibus se ostenderet. Die Sabbati manè eam è somno excitauit, præcepitq; vt induta vestibus in æde D. Ioannis ante Ven. Sacramentum aliquid offerret: ipse enim hoc aliquando, cùm Syluæ-Ducis pacis inter ciues componendæ gratiâ esset, vouerat. Quo peracto, rediit circiter medium quartæ eiusdem diei, & excitauit eam, dicens: Festina, tempus meum hîc breue est. Cumq; illa se induendo occuparetur, rursus dixit: Festina, non diu hîc ero. moxq; præcessit in atrium, in quo summa fuit claritas, & petiuit, vt ipsa pro Missis celebratis exsolueret in purâ eleëmosynâ. Ad hæc mandauit fratri dici, vt in fide Catholica perseueraret constans, qualem eum esse non dubitabat quidem, monere se tamen id in primis aiebat, quòd vita mortalium variis & rerum vicissitudinibus & fluctuationibus esset exposita, sicut ipse per experientiam didicisset, dum aliquando de Religionis Catholicæ veritate dubitaret, quod ipsi grauissimæ pœnæ causa & principium fuerit. Idem & filiabus suis dici petiuit, vtq; amitæ suæ vestigiis iugiter insisterent. Monens insuper, vt sine intermissione pro defunctis fidelibus orarent. si enim sentiremus in quibus essent pœnis, quantumq; eisdem preces viuentium fidelium prosint; nec horam, imò nec momentum quidem sine memoriâ eorum viueremus. Subiunxit quoque, pœnarum suarum tempus fuisse quinque annorum, sed quatuor annorum totidemq; dierum se per amicorum preces euasisse, iamq; in perpetuum esse saluatum: gratias agens Sororibus quibusdam Boxtelensibus pro earum precibus. Monebat etiam Dominam Vlierdensem, vt testamentum suum incolumis existens faceret, ne in articulo mortis eo condendo occuparetur, sed soli Deo tunc vacare posset. Petebat insuper à fratre, vxori vt nuntiaret, vt cum filiis suis omnem excoleret concordiam, ne & illi aliquando contingat, quod sibi. Rogatus de statu quorumdam defunctorum, respondit se nihil aperire posse, quia à Deo sibi non esset concessum, hoc tamen addens, vt pro talibus sine intermissione orarent. Demum actis tam ancillæ quàm omnibus qui pro se orauerant gratiis, suam vicissim operam illis promittens, cum magno splendore, iunctis manibus, in cælum perpetuò beatus ferebatur. Ita apud Bredenbachium.

Adiuuari ille à viuente experit.

Varia quæ ad sui solatiũ mandat.

Conditiones sui ac instructiones varias adiũgit.

Liberatus ad cælum gloriosus ascendit.

11. Ex antiquioribus hoc fit, quod inter alia plurima refert Vener. Dominus Cornelius Columbanus Franccius, vir eruditissimus, & Gandaui ad S. Petri Abbas, in suo Animarum Purgatorij Consolatorio: vbi inter remedia quibus eædem animæ iuuari queant, ex variis, & præcipuè sacris Franciscanorum Historiis, specialiter quoad Ecclesiam B. Mariæ de Angelis, seu, vt vulgò, Portiunculæ, probat, susceptas pro mortuis peregrinationes mirificè iis prodesse. Verba Abbatis hæc sunt: Quod nos viuentes possimus easdem Indulgentias promereri animabus Purgatorij, easq; inde liberare, eis illas applicando, tum experientiâ, tum & hostis infernalis confessione patuit. Cùm enim aliquando femina quædam Assisia ad templum illud peregrinationem suscepisset, vt indulgentias, quæ ibi conceduntur, defuncto suo fratri applicaret; eo facto, frater ei apparuit, gratias agens sorori, quòd, vt profitebatur, vi illarum indulgentiarum, quas sibi applicauerat, omnino è grauissimis Purgatorij tormentis liberatus esset, prout legitur in Maiori S. Francisci Legendâ, vbi & hoc. Clericus quidam Venetus, extremo morbo decumbens, enixiùs rogabat amicum suum, vt, postquam obiisset, pro peccatorum suorum expiatione Portiunculam vsque vellet peregrinationem obire, sibiq; Indulgentias ibi concessas applicare. Amicus ille promittendo quidem promptus erat, Clerico tamen iam defuncto segniùs agebat. Ab animâ verò Clerici monitus vt promissis staret, quod pollicitus fuerat compleuit: quæ &, peregrinatione illâ obitâ, splendidâ luce fulgida amico illi apparuit, eiq; ingentes gratias egit. Subiicitur tum alia historia. Fratrem habebat mulier quædam deuota, qui lethali morbo decumbens, admodum suspirabat, quòd, de veritate dubitans, Indulgentias Portiunculæ lucrari omisisset, dicens: Si morbum hunc euasero, quin illas lucrer haud omittam. Illa, quà poterat, eum consolabatur, inquiens: Frater dilectissime, si tu obieris, egomet ipsa Indulgentias illas pro te lucrabor, dum earum tempus aduenerit. Et quia frater eius ex illo morbo moriebatur, ipsa ad primam Augusti diem iter versus templum illud instituebat, vt promissis suis se exoneraret, & Indulgentias illas fratri suo defuncto acquireret. Et ecce, eadem ipsâ nocte, quâ in templo Portiunculæ pro fratre suo pietatem exsoluerat, defunctus ei apparuit, dicens: Soror mea multùm dilectissima, immensas tibi gratias ago pro tuâ, in promissis præstandis, erga me fide; eadem quippe horâ, dum pro me templum Portiunculæ intrabas, ego è dirissimis Purgatorij pœnis liberabar, & iam sempiternâ in cælis felicitate fruar. Quin & è Galliis nobilis quædam matrona eò veniebat, vt indulgentias illas defuncto filio suo acquireret: cui domum reuertenti filius ad puteum areæ stans apparuit, dicens: Magna me hactenus tormenta habuerunt,

Varia etiam circa peregrinationes ab antiquis temporibus inueniuntur exempla.

Clericus ex peregrinatione ad S. Mariam de Angelis inter cælites receptus.

Soror eâdem obiens peregrinationem fratrem è Purgatorio liberat.

tant, sed ad tuum in templum D. Virginis in Portiunculâ ingressum, eadem horâ ad cælestium gaudiorum fruitionem admissus sum, de quo post Deum maxima tibi referendæ sunt gratiæ, eisq; dictis disparuit. Colligimus inde, non peregrinationes solùm ad loca sacra & deuota pro mortuis, Deo esse acceptatissimas, sed & locum illum, in quo vixit defunctusque est Seraphicus Pater Franciscus, præ multis aliis, insignibus indulgentiarum pro viuis & defunctis gratiis à Deo esse quasi priuilegiis donatum.

12. *Cur ex peregrinationibus iuuentur defuncti duo fundamenta.*

Hac ipsâ occasione, ne quid huic rei desit quod ad eius explicationem facere possit, fundamenta recensere non grauabimur, è quibus præcipuè proueniat quòd defuncti per viuorum fidelium peregrinationes adiuuentur. Duo igitur sunt, quæ in peregrinationibus pro nostrâ occasione notari possunt. Primum est ipse Sãctorum, ad quorum loca visitanda proficiscimur, cultus: alterum, labor quem in itinere faciendo subimus, & penuria seu paupertas quam patimur. Quoad cultum quidem Sanctorum, cùm dubium non sit, Sanctos inde commoueri & prouocari, vt defunctis illis, quorum intuitu illis dulia defertur, è tormentis liberationem impetrent, & nos suprà Cap. XII. sufficienter demonstrauerimus quantum mortuis Beatorum intercessio proficiat, hoc in loco contra Ecclesiæ & Sanctorum hostes probare est animus, neque Scripturæ neque Patrum doctrinæ aduersari, sed in vtrisque potiùs fundatum, & tantùm non præceptum esse, Sanctos colendos, eorumque exuuias deuotionis causâ pio animo adeundas esse. E Patribus igitur qui quarto, eoque puriore æuo, vt Caluinus testatur, vixerunt, offert se mihi primus omnium S. Basilius Magnus, cuius hoc à parte nostrâ est suffragium: *Cùm Iudaicè moriebantur, abominabilia erant morticina: cùm pro Christo contingit mors, pretiosæ sunt reliquiæ Sanctorum eius. Anteà dicebatur Sacerdotibus & Deo dicatis: Non contaminabitur ex aliquo mortuo. & : Si quis contigerit mortuum, immundus erit. & hoc: Laua eius vestimenta. Nunc autem qui contingit ossa Martyris, quamdam sanctificationis societatem assumit ex gratiâ corpori insidente.* Et alibi hæc habet: *Verumenimuero neque nundinationes illæ, quæ ad sepulchra sanctorum Martyrum celebrari solitæ sunt, conuenire nobis putandæ sunt; neque enim vllam aliam ob causam adesse decet Christianos ad Martyrum conditoria, aut istis contigua loca inuisere, quàm orandi causâ, & vt Sanctorum constantiæ admoniti, in quâ illi, ne pietatem amitterent, ad necem vsque fortiter perseuerarunt, ipsi quoque ad similis fortitudinis æmulationem incitentur.* Diuus item Gregorius Nyssenus egregiam nobis facem accendit, dum sic scribit: *His igitur arte laboratis operibus quæ sensui opposita sunt, vbi oculos oblectauit, cupit etiam deinde ipsi conditorio appropinquare, sanctificationem ac benedictionem credens esse eius contrectationem. Quòd si quis etiam puluerem, quo conditorium, vbi Martyris corpus quiescit, obijtum est, auferre permittat, pro munere puluis accipitur, ac tamquam res magni pretij condenda terra colligitur. Nam ipsas attingere Reliquias, si quando aliquæ eiusmodi prospera fortuna contingat vt id facere liceat, quàm id sit multùm desiderandum & optandum, ac summarum precum donum, sciunt experti, & eius desiderij compotes facti. Quasi corpus enim per se viuens ac florens qui intuentur, amplectuntur oculis, ori, auribus, naribus, omnibus sensuum instrumentis adhibentes: deinde officij & affectionis lacrymas Martyri, quasi integer esset & appareret, superfundentes, vt pro ipsis deprecator intercedat, supplices preces offerunt, tamquam satellitem Dei orantes, quasi accipientem dona cùm velit, inuocantes.*

Sanctorum reliquias frequentari meritò posse.

In Psal. 115.

Probatur ex D. Basilio.

In Regulis fusiùs disputatis.

Ex S. Gregorio Nysseno. Orat. de Laudibus S. Theodori mart.

Alius item Gregorius, à Nazianzeno sui Episcopatus oppido nomen sortitus, suum calculum adfert; sic enim ille ait: *Quibus præclari honores & festa constituta sunt: à quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur: quorum apparitiones, & prædictiones: quorum vel sola corpora idem possunt quod animæ sanctæ, siue tangantur, siue honorentur: quorum vel solæ sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa idem possunt quod corpora.* Huic classi etiam accersendus est S. Cyrillus Ierosolymitanus Episcopus, cuius hæc est doctrina: *Vt autem non solùm anima Sanctorum honoretur, credaturq; quòd etiam in corporibus mortuorum inest virtus seu potentia. Iacens in sepulchro Elisei mortuus, mortuumq; corpus Prophetæ attingens, viuificatus est, atque ita mortuum corpus Prophetæ perficit opus animæ, & mortuum iacensq; vitam præbuit defuncto, exhibensq; alteri vitam, ipsum nihilominùs mortuum permansit. Quâ de causâ? Ne si surrexisset Eliseus, factum id soli animæ adscribatur; & vt demonstretur, quòd absente etiam animâ, inest virtus quædam eiusmodi corporibus Sanctorum, propter tot annorum inhabitatas in illis animas iustas, quorum ministerio vsa sunt. Neque verò diffidamus, vt rerum ignari, fieri istud. Si enim sudaria, & semicinctia, extra corpus existentia, contacta ab ægrotis, liberabant illos ab infirmitate; quantò magis corpus ipsum Prophetæ mortuum excitauit?* Venio ad id quod scribit S. Ambrosius de Sanctorum Reliquiis. *Eruuntur*, inquit, *nobiles Reliquiæ sepulchro ignobili, ostenduntur cælo trophæa, sanguine tumulus madet, apparent cruores triumphales, &c. Succedunt victimæ triumphales in locum vbi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est: isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ego locum prædestinaueram mihi. Dignum est enim vt ibi requiescat Sacerdos, vbi offerre consueuit. Sed cedo sacris victimis dextram portionem, locus iste Martyribus debebatur. Condamus ergo Reliquias sacrosanctas, & dignis ædibus inuehamus, totumq; diem fidâ deuotione celebremus.* Dudum iam damnati hæretici, Caluinianorum Lutheranorumque antecessores, Catholicos carpere solebant, quòd sub prætextu Religionis pænè Gentilium ritum in Ecclesias introduxerint, quòd sole adhuc fulgente cereorum moles accendantur, & quòd vbique nescio quis puluisculus, in modico vasculo pretioso linteamine circumdatus adoretur, postquam eum fideles osculati fuerint. Sic Vigilantium obiectasse Catholicis, refert S. Hieronymus. Agnosco & hodierno tẽpore rediuiuum in hæreticis nostris damnatum spiritum Vigilantij (& quo, quæso, alio spiritu agerentur?) nihil enim frequentius ex ore illorum audias, quàm: Absit, absit, vt honorem Deo debitum, cineri & terræ deferamus: absit, ô absit; nos solam audimus Scripturam quæ meliùs nos informat. Vos Catholici à Christi Religione deflexistis, vt qui Gẽtilium more cineres mortalium hominum veneremini, &c. Sed huic calumniæ nihil reponemus aliud quàm quod S. Hieronymus Vigilantio

13. *Ex S. Gregorio Nazianzeno.* Oratione 3. quæ est 1. contra Iulianum.

S. Cyrillo.

D. Ambrosio. Lib. 10 Epistolarum, Epist. 85.

Hæretici cultum hunc negantes instar Vigilantij sequaces sunt.

Lib. 1. Cõtra Vigilant. c. 2. ante med.

tio suo olim reposuit, & probè obturatæ erunt sacrilegæ sacrilegorum hæreticorum fauces. *Dolet*, inquit S. Hieronymus; *Dolet*, inquam, scilicet Vigilantius, *Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis vel cilicio colligari, vel proiici in sterquilinio*, quod faciunt impij hæretici, *vt solus Vigilantius*, Caluinus & Beza, *ebrius & dormitans adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas Reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei transtulit Constantinopolim; apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus dicendus est & nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Iudæa transtulit in Thraciam? omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem vilissimam* (ita Reliquias nuncupabat Vigilantius, & post eum Caluinus; & Lutherus verè omnes Catholicos Prælatos stultos & moriones nominabat) *& cineres dissolutos in serico & vase aureo portauerunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis Reliquiis, & tanta lætitia, quasi præsentem viuentemq; Prophetam cernerent, susceperunt, vt de Palæstina vsque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudem vna voce resonarent?*

Quid iis ante mille & trecentos annos D. Hieronymus responderit.

14\. Prolixior fortè sum in Patrum auctoritatibus producendis, quàm Lector volet: sed sciendum est, id esse perquam necessarium, vt ab omnibus, tam Catholicis quàm non-Catholicis, manifestè videatur, quã nihil Ecclesia Catholico-Romana à primitiuâ & puriore Ecclesiâ recesserit, & quàm ei nihil scoriæ, nihil extranei & sinistri adspersum vel admixtum fuerit. Duo tamen huius quarti sæculi Ecclesiæ lumina, quæ admodum in toto orbe fulgent, tantummodò adducimus, ne quis de nimiâ prolixitate conqueratur, aut quòd auctoritates solidiores nobis desint calumnietur. E Græco ergo orbe prodeat S. Ioannes Chrysostomus. *Atqui*, inquit, *poterat Babylas vel exemplo Henoch transferri, vel Eliæ modo rapi, vt qui vtriusque æmulator fuerat. At Deus quâ est in humanum genus benignitate, inter alias, quas infinitas nobis salutis nostræ occasiones dedit, & hanc quoque viam nobis à se munitam esse voluit, idoneum ad virtutem capessendam stimulum, relictis scilicet interim apud nos Sanctorum Reliquiis. Nam post sermonis facultatem, ipsa certè Sanctorum sepulchra proximum locum obtinet ad animos hominum in ipsos Sanctos intuentium ad virtutum earumdem æmulationem excitandos. Ac sicubi quis huiusmodi conditoriis adstat, suum statim sensum ab hac, quam dico, vi correptum animaduertit: capsulæ enim aspectus in animam inuadens ipsam percellit & exsuscitat, ac perinde efficit, quasi qui illic mortuus iacet, preces simul fundat, præsensq; adesse cernatur: deinde fit, vt qui sic se affectum sentit, mirâ alacritate gestiens, aliusq; prorsus quodammodò effectus, ita ex eo loco decedat.* Ex Africano quoque climate erumpit D. Augustinus, quem, vt Libro I. vidimus, Caluinus omnium Theologorum Principem esse ait, eumque pro omnibus vnum sufficere. Is ergo sic loquitur: *Visum est genero eius*, Martialis scilicet viri primarij & iam grandæui, & à Christianâ Religione multùm abhorrentis; quem cùm filia & gener fideles multis & magnis precibus ac lacrymis rogassent, vt Christianus fieret, ille prorsus abnuerat, imò & cum indignitate eos à se repulerat: de cuius conuersione hic agitur, *vt iret ad Memoriam sancti Stephani, & illic pro eo quantum posset oraret, vt Deus illi daret mentem bonam, quâ credere non differret in Christum. Fecit hoc ingenti gemitu & fletu, & sinceriter ardente pietatis affectu: deinde abscedens, aliquid de altari florum, quod occurrit, tulit, eiq;, cùm iam nox esset, ad caput posuit. Tunc dormitum est, & ecce ante diluculum clamat, vt ad Episcopum curreretur, qui mecum tunc fortè erat apud Hipponem. Cùm verò audisset eum, venire Presbyteros postulauit. Venerunt, & statim se credere dixit: admirantibus atque gaudentibus omnibus, baptizatus est.* Ibidem: *Apud Hipponem Bassus quidam Syrus ad Memoriam eiusdem Martyris orabat pro ægrotante & periclitante filiâ, eoq; secum vestem eius detulerat; cùm ecce pueri de domo cucurrerunt, qui ei mortuam nuntiarent. Qui cùm domum rediisset, & vestem filiæ quam ferebat, super eam proiecisset, reddita est vita.* Porrò eodem in loco sic ait: *Si enim miracula sanitatum, vt alia taceam, modò velim scribere, quæ per hunc Martyrem, id est, gloriosissimum Stephanum facta sunt in coloniâ Calamensi, & in nostrâ, plurimi conficiendi sunt libri: nec tamen omnia colligi poterunt, sed tantùm de quibus libelli dati sunt, qui recitarentur in populis. Id namque fieri voluimus, cùm videremus antiquis similia diuinarum signa virtutum etiam nostris temporibus frequentari, & ea non debere multorum notitiæ deperire. Nondum est autem biennium, ex quo apud Hipponem Regium cœpit esse ista Memoria, & multis, quod nobis certissimum est, non datis libellis, de iis quæ mirabiliter facta sunt, illi ipsi qui dati sunt ad septuaginta fermè numerum peruenerant, quando ista conscripsi. Calamæ verò, vbi & ipsa memoria priùs esse cœpit, & crebriùs dantur, incomparabili multitudine superant. Vzali etiam, quæ colonia Vticæ vicina est, multa præclara per eumdem Martyrem facta cognouimus: cuius ibi memoria longè priùs quàm apud nos ab Episcopo Euodio constituta est.*

Ex dictis patres nihil inter Catholicos nouum fieri.

Lib. de S. Babylâ, contra Gentiles.

Nõ potuimus in probatione præsentiũ D. Ioannem Chrysostomũ præterire.

Lib. 22. de Ciuit. Dei, c. 8.

Item aliud S. Augustini.

Insignissima ad S. Stephani reliquias facta sunt miracula.

Illaq; variis in locis.

15\. Sed quia hæretici pro more suo & hîc à cauillationibus abstinere vix poterunt, & fortasse sint qui causentur, hinc non iudicium ferendum esse de primitus primitiuâ Christi Ecclesiâ, hoc est de anterioribus & Christo Apostolisque vicinioribus temporibus, præsertim, cùm circa hoc tempus, vt nonnulli hæretici affirmant, Ecclesia vera obscurari, & Antichristi tyrannis rerum potiri cœperit: en tibi, quicumque es hæretice, os malignum vt obstruam, per tria sæcula priora ad Apostolos & Christum vsque ascendemus, demonstratumque ibimus, & ibi Martyrum & Sanctorum Reliquias mirabilia operatas fuisse. Sæculo itaque tertio habemus S. Felicem Papam I. qui de Sanctorum contemptoribus hunc in modum conquestus est: *Tales autem perturbatores Ecclesiæ non solùm prædicta agunt mala, sed & memorias Martyrum execrantur. Quapropter in præfatâ constituimus Synodo, vobisq; & omnibus Ecclesiis tenendum & agendum mandamus, vt super Memorias Martyrum Missæ celebrentur, ne memoria eorum à talibus extingui, aut veneratio possit prohiberi.* Habemus & S. Caium, qui in suâ cum Proclo Cataphrygum patrono disputatione, his verbis ab Eusebio relatis, sic ait: *Ego autem Apostolorum trophæa perspicuè possum ostendere. Nam si lubet in Vaticanum proficisci, aut in viam quæ Hostiensis dicitur, te conferre, trophæa eorum, qui istam Ecclesiam stabilierunt, inuenies.* Sæculo verò secundo habemus Pium I. Papam & Martyrem, qui de Sanctorum Reliquiis sic ait: *Cura autem sanctorum Martyrum corpora, sicut membra*

Ex sæculis D. Augustino prioribus res euidens est.

Sæculo tertio fuit S. Felix Papa.

Epist. 2.

Sæculo S. Caius.

Eusebius l. 2. Histor. Eccl.

Secũdo sæculo S. Pius.

Epist. 2. ad Iulium Viennens. Episc. S. Iustinus Philosophus.

bra Dei, quemadmodum curauerunt Apostoli Stephanum. Iustinum item martyrem, qui Ethnicis, Christianos atheismi accusantibus, eò quòd falsos ipsorum Deos siue potiùs dæmones execrarentur, respondet, & disertè asserit, à nobis non modò Deum verum coli & adorari, cultu nimirum latriæ, sed etiam Angelos omnes bonos, cultu scilicet duliæ, his vtens verbis: *Hinc etiam athei nominati sumus. Fatemur quidem nos talium qui habentur deorum atheos esse, sed non verissimi illius Dei, qui & iustitiæ, & temperantiæ, ceterarumq́ virtutum pater est, nec quidquam vitij admixtum habet. Quinimò & illum, & Filium qui ab eo venit, nosq́; hæc docuit, & aliorum sequentium assimilatorumq́ bonorum Angelorum exercitum, & Spiritum propheticum colimus & adoramus, verbo & veritate venerantes, idq́; omnibus qui discere velint, vt edocti sumus, candidè tradentes.*

Apolog. 2. ad Antonium Pium Imperat.

Primo sæculo S. Clemens Romanus.

Sæculo denique primo, ipsis partim etiam Apostolis adhuc superuiuentibus, partim eorum qui martyrio sublati fuerant, sanguine propemodum calido, irrefragabile, & vel omnibus inferni diabolis, nedum hæreticis, indissolubile argumentum nobis suppeditat S. Clemens Romanus, dum sic loquitur: *Eorum qui apud Deum viuunt, ne reliquiæ quidem corporum sunt inhonoratæ: siquidem Eliseus Propheta postquam defunctus est, mortuum suscitauit à piratis Syriæ occisum: attigit enim corpus eius corpus Elisei, & excitatus reuixit; quod numquam quidem accidisset, nisi corpus Elisei sanctum esset. Et castus Ioseph patrem iam defunctum in lecto iacentem amplexus est. Item Moyses & Iesus filius Naue Reliquias corporis Ioseph ferebant, neque se tamen cadauere contaminari putauerunt. Quocircà & vos Episcopi ac reliqui ne existimate pollui, si mortuos contingere & tractare non caueatis: neque eorum reliquias auersemini, electis huiusmodi obseruationibus stultis; ornateq́, vos sanctitate & pudicitiâ, vt immortalitatis ac regni Dei participes efficiamini, & promissum Dei obtineatis, requiescentes per Christum Saluatorem in sempiternum.* Quid? quòd Eusebius referat, Iacobi Apostoli cathedram, ab eius successoribus, Ierosolymitanis Episcopis, magnâ cum æstimatione ac veneratione ad sua vsque tempora asseruatam esse.

Lib. 6. Constitution. c. 29. aliàs cap. 3.

Lib. 7. Hist. cap. 14.

16 Inclamant tamen hæretici: Scripturas volumus, nec sine Scripturis quidpiam credimus. Sed, ô boni viri! quid in vobis potiùs carpam? an cæcitatem? an stupiditatem? an peruicaciam? Cæci estis, quia non videtis Patres Ecclesiæ suam doctrinam è Scripturis probare: stupidi estis, quia dum eorum scripta legitis (si modò legitis, vel debito modo legitis) id non animaduertitis: peruicaces estis, quia, etiamsi aduertatis, aduertere tamen præ diabolicâ superbiâ non vultis. Scripturas igitur dabimus. Sed continete paulisper clamores vestros, & modestè edicite, quid è Scripturis probari velitis. Tria, inquitis, à te haud fallacibus ex ipso Dei verbo scripto testimoniis & demonstrationibus ostendi volumus, Reliquias colendas esse, quos fructus inde quis hauriat, & quo denique modo coli possint vel debeant. hæc si è Scripturis probaueris, facilè tibi, peregrinationes obeundas esse, concesserimus. Accepto conditionem, & à parte meâ abundè satisfaciam: vos saltem viri estote, & promissis state; & ecce, salua res erit. Erigite vos iam aures, & attendite. Regij Prophetæ hæc sunt verba: *Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.* Filius eius sapientissimus sic ait: *Corpora ipsorum,* nimirum Sanctorum, *in pace sepulta sunt, & nomen eorum viuit in generationem & generationem.* D. verò Paulus, quem semper plenis buccis increpatis, hæc edicit: *An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri?* An verò propterea, quia templa fuerunt Spiritus sancti, venerandæ sunt Sanctorum Reliquiæ? Vtique; & hoc D. Paulus nos doceat, dum sic inquit: *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Sic ergo honorandas vult Deus Sanctorum exuuias, in quibus Spiritus sanctus habitauit: exempla iam suppeditamus. Instinctu proculdubio Spiritus sancti S. Ioseph Patriarcha de asseruandis post mortem suam ossibus suis mandatum dedit. *Asportate,* inquit, *ossa mea vobiscum de loco isto.* Vnde dicitur: *Tulit Moyses ossa Ioseph secum, eò quòd adiurasset filios Israel, dicens: Visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum.* Neque hoc absque mysterio à Iosepho factum est, prout vel maximè è D. Paulo Apostolo colligi potest, qui illud ab eo ex fide, seu speciali Spiritus sancti ad fidem exercendam instinctu, factum affirmat. *Fide,* inquit, *Ioseph moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est, & de ossibus suis mandauit.* Sed quid causæ fuit, quòd ex fide Iosephum de ossibus suis mandatum dedisse dicat Apostolus. Sanè plurimum, siquidem illa *ipsius ossa visitata sunt, & post mortem prophetauerunt.* Quia ergo fide de suis ossibus mandauit Ioseph, idcircò visitata sunt, & prophetauerunt. Quid hoc est, *visitata sunt?* Celebri nimirum aliquâ frequentatione populi sanctissima illa ossa annuatim semel aut iterùm publicè exhibita & commonstrata fuerunt. Et quare hoc? Quia *post mortem prophetauerunt.* Quid est hoc, *prophetauerunt?* Id est, operata sunt miracula. Videtis iam, ad primum quæsitum vestrû è Scripturis responsum à me esse, simul & ad secundum. Colendæ nimirum sunt Sanctorum Reliquiæ: quo fructu? vt miracula, & per eadem, beneficia ab ipsis impetremus. Et hæc solidè à me dici, ex ipsâ quoque Scripturâ palàm est. Dico igitur, ossa Ioseph prophetasse, nihil esse aliud, quam miracula patrasse, cùm idem Ecclesiasticus de Eliseo præmiserit, *Et mortuum prophetauit corpus eius. In vitâ suâ fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est.* Prophetare ergo, & mirabilia facere, eadem sunt. Et quamuis eadem in Iosepho esse pernegent hæretici, vt aliquam euadendi rimulam habeant (licet improbè) in Eliseo tamen negare non possunt, qui mirabilia in morte suâ fecisse describitur. At quæ mirabilia? Mortuum corpus eius prophetauit, id est, ad reliquiarum corporis eius attactum facta sunt miracula, quale inter alia est resuscitatio cuiusdam mortui. *Mortuus est ergo Eliseus,* ait Scriptura, *& sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulchro Elisei. Quod cùm tetigisset ossa Elisei, reuixit homo, & stetit super pedes suos.*

Appellant rursum hæretici ad Scripturas.

Tria probari ex iis sibi volunt.

Probatur prima assertio, colendas esse sacras Reliquias. Psalm. 33.

Eccli. 44.

1. Cor. 6.

1. Cor. 3.

Ex antiquo & nouo Testamento.

Genes. 50. Exod. 13.

Hebr. 11.

Eccli. 49.

Deducitur ex ossibus Ioseph exhibitus cultus.

Eccli. 48.

Ad corpus Elisei resuscitatus est mortuus. 4. Reg. 13.

Nec Sanctorum modò corpora, aut ossa, aut cineres, sed ipsa quoque illorum vestimenta, imò vmbræ, miracula effecerunt. De pallio Eliæ, quod illi exciderat dum igneo curru ad supera raperetur, legimus, quòd Iordanis aquas diuidendi virtutem habuerit, vt Eliseo eius discipulo, & pro- 17.

Sanctorum etiam vestes & alia honoranda. 4. Reg. 2.

prophetici spiritus heredi, transitus aperiretur. In Apostolorum Actibus hæc leguntur: *Virtutesq; non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli; ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Alibi in eodem libro de S. Petro ita scriptum est: *Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem, afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes.* Et paulò antè: *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita vt in plateas eiicerent infirmos, & ponerent in lectulis & grabbatis, vt, veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Imò ipse Saluator Christus Iesus vestimenta sua coli non sinistrè tulit, sed laudibus potiùs prosecutus est. *Ecce* enim *mulier,* inquit S. Matthæus, *quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantùm vestimentum eius, salua ero. At Iesus conuersus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Quin cateruatim ad Saluatorem confluxerunt homines, rogantes *vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quicumque tetigerunt, salui facti sunt. Et quocumque introibat in vicos, vel in villas, aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent: & quotquot tangebant eum, salui fiebant.*

Act. 19. Act. 5. *Per S. Petri vmbrā egregia sunt facta miracula.* Matth. 9. Matth. 14. Marc. 6. *Christus vestiū deuotionem approbauit.*

18. Ad hæc cùm Caluinus nihil habeat quod secundùm veritatem respondeat, mendacio excusare se, & subdolè Catholicam veritatem eneruare contendit. Ait enim, credibile esse, superstitione aliquâ implicitos fuisse eos, qui ad tactum vestis gratiam Christi restringebant; imò ipsum Christum eos fraudasse suo honore, vt qui nihil virtutis sperassent ex simplici eius verbo. O mendacem Scripturarum interpretem! Itáne tu, impie pæderaste, superstitioni adscribere audes, quod Christus fidei? *Confide,* dixit Christus ad mulierem, *fides tua te saluam fecit.* Si fides eam saluam fecit, quomodo superstitio? Si admixta fuit superstitio, ergo Christus superstitionem approbauit, dum effectum addidit. Sed fortean Caluino idem sunt fides & superstitio, album & nigrum, calidum & frigidum. Sed negat. Ergo secundùm Caluinum egregio errore errauit Christus, errauit & Euangelista: ille, dum superstitionem appellat fidem; hic, dum quod superstitionis opus fuit, velut fide factum orbi obtrudere non est veritus. Digna hæc Caluino blasphemia in Saluatorem nostrum. O quàm probè dedolatur blasphemum illud os in inferno! obseruandum & hoc, Christum, referente Euangelistâ Lucâ, sensisse à se virtutem exiisse. *Tetigit me aliquis,* inquiebat Saluator, *nam ego noui virtutem de me exiisse.* vi nimirum tactus fimbriæ, cum fide facti, elicitam à se fuisse eam sanitatis gratiam. Quare verò Christus, quandoquidem tactus ille superstitiosus erat, virtutem à se egredi passus est? An ignorabat Saluator superstitionem subesse? vel numquid superstitio à Deo approbata fuit? Respondebit Caluinus, fuisse quidem superstitionem admixtam, nec tamen propterea eam à Christo fuisse approbatam, quòd virtutem à se exire permiserit: sed fecisse eum hoc ex misericordiâ, ne linum fumigans extingueretur, & quia sciebat, hanc esse popularem ruditatem, cui nonnihil indulgendum esse Christus putauerit. Egregia sanè interpretatio! Sed vnde Caluinus hanc glossam didicit? ex quonam alio Scripturæ loco? Quia Scriptura nihil de hoc memorat. An ergo licuit Caluino Scripturæ tam blasphemum affingere sensum? Sed relinquamus blasphemum istum ardelionem, & dicamus, glossam hanc esse Euangelium secundùm Caluinum: nos scimus nihil omnino superstitionis subfuisse, sed fidem quæ ad fimbriæ tactum dirigebatur, præcipuè tamen in Christo terminabat.

Impia in hac Caluini blasphemia. *Mēdax illius explicatio refutatur.* Luc 8. *Ineptia illius contemnendæ.*

Neque adeò extra propositum in peregrinationum materiâ adduximus illum ex Apostolorum Actibus locum, in quo fit mentio vmbræ miraculosæ: quia tantò rationi est conuenientius, in imaginibus, ad quas hoc tempore in Ecclesiâ Catholicâ plurimis in locis peregrinatio instituitur, miracula fieri, quantò maior est imaginis, quàm vmbræ, ad prototypon aliquod similitudo & proportio. Confundamus igitur hæreticos ex ligneâ imagine, in Scripturis à miraculis fat clarâ, qui propter imaginum cultum nos idololatriæ arguunt; prout vestium sacrorum cultum superstitionem vocant, quem Christus ipse fidei esse actum asseruit. Optimè sanè: nam & proprius eius est in præsenti tractandi locus, vt tertio hæreticorum quæsito, vt nimirum modos, quibus colantur Sanctorum Reliquiæ, è Scripturis explicaremus, fiat satis. quod fiet, si declarauerimus, licere id fieri in imaginibus, quod in Reliquiis honorandis facere consueuit Ecclesia. Constabit inde, amplius id fieri posse & debere in his quàm in illis: quia Sanctorum corpora templa sunt Spiritus sancti, vt ex D. Paulo antè probauimus, & assumentur vt æternùm sint ac maneant pars atque habitaculum animarū cum Deo regnantium, quod non ita est in imaginibus. Fiet igitur argumentum à minori, vt Logici loquuntur, ad maius, ab imaginibus ad Sanctorum Reliquias. Rogo verò pium meum Lectorem, vt diligenter attendere dignetur, & videre, quàm ex Scripturâ, quam tantopere crepant hæretici, circa imagines, quas tantis maledictis afficiunt atque exterminatas volunt, confundantur. Vtinam resipiscant! Arca fœderis est, de quâ nobis tractatio est: quæ profectò sufficeret ad illos, modò intelligere ac veritati locum dare vellent sectarij, cum matre suâ Ecclesiâ Catholicâ confœderandos. Hos igitur rogo, vt sepositâ omni passione, candidè iudicare, & sincerâ conscientiâ testimonium ferre velint, an non fundata sint in Scripturis, vel in solâ & vnâ fœderis arcâ, quæcumque fides Romano-Catholica facere solet in peregrinationibus, imaginumque siue Christi siue Sanctorum veneratione. Scio, in primis eos nobis obiicere illud: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terrâ deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terrâ. Non adorabis ea, neque coles: ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes.* Ex quo volunt sectarij euincere, non licere Christianis imagines facere, multoque minùs eas colere aut adorare. Verum enimuerò *errant, nescientes Scripturas aut virtutem Dei.* Num ergo verum est, quòd hic prohibeantur omnes imaginum aut similitudines creatarum rerum, delineationes atque sculpturæ? Itáne verum, vt qui huic præcepto diuino (vt ipsi exponunt) contrauenerint, idololatræ iudicandi sint?

19. *Ex miraculosâ de quâ Scriptura fatur imagine confutantur sectarij.* *Rogatur Lector vt ad sequentia diligenter attendat.* Exod. 20. *Soluitur prima aduersariorum obiectio quâ asserunt non licere imaginum cultum.* Matth. 22.

Verum

Verum est, dicent Caluiniani. Non sunt itaque, repono ego, alij in toto terrarum orbe homines, nisi idololatræ, cùm nulla sit natio sub sole (computatà etiam Caluinianà progenie) quæ imagines non pingat, non fingat, non sculpat. Videant, quæso qui hæc effutiunt, quot in domibus suis picturas, effigiesque creaturarum, tam quæ in cælo sunt sursum, & quæ in terra deorsum, & quæ sub terrà in aquis, suspensas habeant, quæ tamen omnes simpliciter hic, sensu quidem Caluiniano, prohibentur. Quare ergo Catholicos carpunt, & non potiùs semetipsos incusant? Sed sat scio, sicut nos accusatos cupiunt, ita se excusatos volunt. Vt se ergo ab idololatrià expurgent, loquuntur cum distinctione, aiuntque, non licere, vi huius præcepti, imagines qualcumque facere vt adorentur vt colantur. Bene respondent. At scire debebant, non magis Catholicos adorare aut colere imagines (vt adorari & coli, illo in loco prohibentur) quàm Caluiniani. Quid enim aliud ibi prohibitum, quàm nō licere quidquam quod in cælo, terrà seu mari est, ita adorare, ita colere (cultu nimirum latriæ, vt LXX. exposuerunt) quemadmodum adoratur & colitur Deus. Facilè id videbit, qui circumstantias illius loci expenderit: verba tum quæ antecedunt tum quæ sequuntur, id satis indicant. Quæ antecedunt hæc sunt: *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c. vnde & statim subiungit: *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile*, &c. quasi dicat: Quia non debes habere deos alienos, ideò non facies tibi sculptile, vt illud tamquam Deum adores & colas. Verba quæ sequuntur rem faciunt apertiorem. Cùm enim dixisset Dominus, *Nō adorabis ea, neque coles*, vt de cultu qui soli diuinæ Maiestati congruit, se loqui ostendat, statim adiungit, *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c. Pro cuius intelligentià notanda est & temporis qualitas, & Iudaici populi, cui lex dabatur, constitutio. Quia enim Iudæi proni admodum erant ad idololatriam, eo præcipuè tempore quo ipsis in monte per Moysem à Deo lex dabatur, quando de facto aureum sibi vitulum conflauerant, quem Dei loco adorabant: vt proinde non immeritò de idololatrià præcauēdâ præceptum dari oportuerit. Sed esto, ob euitandum etiam peccati eiusdem periculum, Iudæis ad idola facienda atq; adorãda pronis ea prohibitio facta sit, ne vllius rei creatæ similitudinē aut imaginem efformare potuerint; an idcircò Christianis, ab onere Legis iam absolutis, illa prohibitionis obligatio obesse poterit? Ignoscant mihi sectarij, non pertinet ad Christianos Lex illa Decalogi, (si verba ipsa illorumque summum rigorem attendere debeamus) non, inquam, pertinet ad Christianos, vt potiùs peccent, si eam obseruauerint. Ad Iudæos, non verò Christianos, illam vt scripta est pertinere; titulus ipse, quo Deus Israëlitas alloquitur, sat ostendit: *Ego sum Dominus Deus tuus*, inquit, *qui eduxi te de terrà Aegypti*. En illos alloquitur quos eduxit de terrà Aegypti, non verò Gentiles, quos inde non eduxit, & è quibus maximè conflata est Ecclesia. Sed nec, si ad litteram Moysis legem vrgeamus, à Christianis sine sacrilegio obseruari potest. Declaratur id in eiusdem Decalogi præcepto tertio, *Memento vt diem Sabbati sanctifices*. vbi & ad maiorē claritatem hæc addita leguntur: *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autē die sabbatum Domini tui est: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas*. Solemnitas verò Sabbati apud Christianos abrogata est, & substituta dies Dominica: non igitur obseruari debet aut potest prout Lex Moysaica eam ad litteram obseruari præcipit. Quid igitur sectarij nos diuexant in eo quod ad nos non spectat? Agant cum Iudæis, & illis obiiciant quod illicitum putant.

Quis qui non habeat aliquas creaturarum imagines.

Non prohibetur in Decalogo vt non honorentur, sed vt non colantur vt Deus.

Patet ex contextu.

Etiamsi imaginū Iudæis facta fuisset prohibitio, non ea tamē Christianos concernit.

Ostenditur ex Decalogi textu non pertinere ad Christianos.

Imò non possunt illi, vt verba sonant, hunc obseruare.

20\. Absoluti igitur nos à Lege per Christi mortem fuimus, vt S. Hieronymus scripsit ad S. Augustinū, & hic vicissim ad illum, quos tota sequitur Doctorum, & Theologorum, & Canonistarum schola. Quidquid proinde nos ex illis quæ in Lege & Decalogo habentur obligat, non eà ratione obligat quòd ibidem inueniatur, sed quia est de lege naturæ, ex quà nequaquam imaginum veneratio interdicta est, quandoquidem eam ipsa etiam diuina Maiestas populo suo Israëlitico præceperit, vt iam iam declarabimus: ex quo, nec Iudæis quidem, vt Caluiniani volunt, imaginum cultum prohibitum & illicitum fuisse manifestum euadet. Sanè apud antiquissimos Christianos imaginum cultum in vsu fuisse, è Patrum scriptis est certissimum. Antiochenum Apostolorum adhuc tempore celebratum Concilium sic definit: *Ne errent fideles circa idola, sed exprimant humano-diuinam, immaculatam, manufactam imaginem veri Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, & seruorum eius, aduersus idola & Iudæos, & nec amplius errent circa idola, nec Iudæis similes euadant*. S. Dionysius Areopagita sic scribit: *Itaque sanctissimam nostram hierarchiam prima illa sacrorum mysteriorum institutio cum diuinà cælestium hierarchiarū imitatione dignam indicasset, & hierarchias, quas omni materiā carere dixi, figuris corporeis variisq; formis distinxisset, tradidit, vt pro captu nostro simulacris sacrosanctis illis ad simplicium illarum & minimè figuris adumbratarum rerum vitam similitudinemq; efferamur. Non enim mens nostra ad illam cælestium hierarchiarum materiæ expertem imitationem contemplationemq; excitari contendereq; potest, nisi rerum corporearum sibi notarum præsidio vtatur, tum pulchritudinem quæ videatur, speciei ac pulchritudinis occultæ atque reconditæ simulachrū quoddam esse cogitans, tum suaues odores, qui sub sensum cadant, effigies esse eius suauitatis quæ sola ratione intelligatur*, &c. S. Methodius sacras Angelorum sanctorum imagines cum profanis iconibus comparat hisce verbis: *Protinus ergo quæ sunt hîc Regum imagines, quamuis non ex pretiosà auri argentive materià consistant, ab omnibus tamen honorantur. Neque enim quæ ex pretiosà materià conflatæ sunt, homines dumtaxat colunt, quæ verò ex vili, contemnunt atque aspernantur; sed omnes, licet ex ære gypsóve existant. Et quisquis in earum aliquam, qualiscumque fuerit, maledicta coniecerit, is non, tamquam lutum spreuerit, auriúmve contempserit, absoluitur; sed non aliter ac si in ipsum Regem impius exstitisset, condemnatur. Quas quidem ex auro imagines conflamus, Angelorum ipsius Principatus & Potestates referentes, eas ad honorē & gloriam Dei conficimus*. Aurea est illa D. Athanasij de imaginibus doctrina, quam ex eo refert S. Nicephorus Constantinopolitanus Patriarcha, & posteà Franciscus Turrianus. *In imagine*, inquit, *Regis, est species ac forma, & in Rege est species quæ est in imagine; & similitudo quæ est in imagine Regis, non variat, ita vt qui imaginem adspicit, in eà Regem adspiciat; & rursus qui Re-*

gem

Obligāt ergo nos præcepta Decalogi, vt sunt Legis naturæ, non vt textus Moysaici.

Apud veteres Christianos in vsu imaginum cultus.

De Cælesti hier. cap. 1.

S. Dionysij Areopagitæ testimonium.

Orat. 2. de Resurrectione.

S. similiter Methodij.

In Vità S. Antonij Magni.

Eximia præsentis probationis ex S. Athanasio textu.

gem intuetur, hunc agnoscat esse in imagine suâ. Itaque pro eo quod similitudo non variat, ei, qui postquam adspexit similitudinem Regis, ipsum Regem videre velit, dicere posßit imago: Ego & Rex vnum sumus; ego enim in illo sum, & ille in me; & quod in me vidisti hoc in illo vides; & quod in illo vides, in me vides. Paria habet S. Basilius Magnus, cuius hæc sunt verba: *Quia Rex dicitur etiam Regis imago, & non duo Reges (neque enim imperium scinditur, neque gloria diuiditur:) quemadmodum enim Principatus, & potestas vna est quæ nobis dominatur; sic etiam glorificatio à nobis vna est, & non multæ, propterea quod imaginis honor ad exemplar ascendit.*

Ex S. Basilio. Lib. de Spiritu sācto, c. 18.

21. Sed ex Lege antiquâ etiam testimonia proferenda sunt quæ pro nobis faciunt. In primis Caluinum vel inuitum audiemus confitentem, non modò licitam, sed & laudabilem serpentis, qui, ne ab ignitis serpentibus admorsi morerentur, erectus fuit, fuisse venerationem. Caluini verba hæc sunt: *Iesus Christus dum serpenti sursum erecto à Moyse in deserto se aßimilat, non vulgarem duntaxat similitudinem proponit, sed testatur in sese expletum esse, quod sub vmbrâ obscurâ figuratum fuerat. Et certè nisi serpens æneus spiritualis gratiæ symbolum fuisset, non fuisset instar pretiosi thesauri repositus, & multis sæculis diligenter seruatus in Sanctuario Dei. Optimè enim quadrat similitudo, cùm Christus Iesus, vt nos à morte liberaret, carnem nostram induerit, peccato quidem non subiectam, sed quæ similitudinem haberet peccati,* &c. Sed vide, quæso, bone Lector, quomodo sibi ipse Caluinus quoad hanc de imaginibus doctrinam, vertiginis spiritu ductus, turpiter contradicat, suiipsius planè immemor, immemor & illius, Mendacem oportet esse memorem. Alibi ergo sic inquit: *Neque tamen eâ superstitione teneor, vt nullas prorsus imagines ferendas censeam. Sed quia sculptura & pictura Dei dona sunt, purum & legitimum vtriusque vsum requiro; ne quæ Dominus in suam gloriam & bonum nostrum nobis contulit, ea non tantùm polluantur præpostero abusu, sed in nostram quoque perniciem conuertantur.* Alibi iterùm, nimirum in illud Exodi, *Non facies tibi sculptile,* &c. disertè fatetur, Moysen non nisi de idolis verba facere. vbi & post pauca hæc subiungit: *Quod stultè quidam putarunt hîc damnari sculpturas & picturas quaslibet, refutatione non indiget, quando non aliud fuit Moysi propositum, quàm eximere Dei gloriam ab omnibus figmentis quæ ad eam corrumpendam tendunt.* Alibi item affirmat, Cherubim illos aureos & productiles in Sanctuario supra Arcam fœderis collatos fuisse imagines alatas, quæ Angelos repræsentabant. Quis iam adeò sit cæcus, vt non videat in his Caluini verbis imaginis cum idolo confusionem contradictoriam? vt vel inuitus apertè fateatur largiorem esse acceptionem imaginis quàm idoli, dum superstitionem esse censet, censere nullas prorsus imagines ferendas esse, ipsámque picturam & sculpturam Dei dona esse, quæ Dominus in suam gloriam & bonum nostrum nobis contulerit; stultum denique esse, putare, damnari sculpturas & picturas quaslibet. Sed de his fortè infra plura dabimus. Scripturas ipsas iam audiemus, quæ ita claræ sunt & manifestæ, vt in antiquâ Lege licitum fuisse imagines & habere & venerari, nulli remaneat dubium. E pluribus nonnullas saltem allegabimus. Sic ergo Dominus Deus Moysi præcipit: *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex vtraque parte oraculi.* Vides hîc expressum mandatum Moysi datum faciendi & ad vtrumque latus Propitiatorij collocandi duas imagines Cherubim: prout & posteà eidem Moysi à Deo disertis verbis præceptum fuit vt serpentem æneum faceret atque erigeret, quò ad eius adspectum sanarentur, quicumque ab ignitis serpentibus læsi fuissent. *Et locutus est,* ait Textus sacer, *Dominus ad eum,* Moysen scilicet, *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo; qui percussus adspexerit eum, viuet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo.* Perindè iudicandum est de duobus Cherubim ex oliuarum lignis iussu Salomonis factis, atque in Templo, quod Dei mandato construxerat, collocatis; de quibus sic legitur: *Et fecit in oraculo duos Cherubim de lignis oliuarum.* iterùm: *Posuitq; Cherubim in medio Templi interioris.* & iterùm paulò pòst: *Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis & torno: & fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias, quasi prominentes de pariete, & egredientes.*

Lex antiqua etiā clarum pro nobis dicit testimonium.

Num. 21.

In Num. 21.

Vel inuito fatente Caluino.

Lib. 1. Instit. cap. 11. §. 2.

Hic quomodo sibi aliàs contradicat.

Exod. 20.

In illud Exodi 25. 18. Duos quoque Cherubim.

iterumque vedicat.

Scriptura de cultu imaginum clarißima.

Exod. 25.

Num. 21.

3. Reg. 6.

22. In hac Arcâ fœderis (vt ad priora nostra redeamus) quam Caluinus ait fuisse Dei imaginem, item obseruamus, eam ab ipso Deo fieri iussam fuisse, prout habetur in libro Exodi his verbis: *Arcam de lignis Setim compingite, cuius longitudo habeat duos & semis cubitos: latitudo cubitum & dimidium, altitudo cubitum similiter ac semissem,* &c. Ante hanc arcam preces fundendæ erant, & in necessitate expetendum auxilium, quemadmodum factum legimus tempore Iosue, dicente Scripturâ: *Iosue verò scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram Arcâ Domini vsque ad vesperam, tam ipse quàm omnes senes Israel,* &c. Atque vt Arca hæc omnibus maiori venerationi esset & honori, iussit eam Deus in Tabernaculum reponi, vt ex Scripturâ itidem patet, quæ sic inquit: *Inseretur autem velum per circulos, intra quod pones Arcam testimonij, quo & Sanctuarium, & Sanctuarij sanctuaria diuidentur.* Quin eius potissimùm causâ Salomonicum templum tantis sumptibus & impensis constructum fuit. Hinc in vno Psalmorum gradualium dicitur: *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca sanctificationis tuæ.* Quanto demum in honore Arca illa sit habita, & quâ veneratione reuerentiaque culta, non absque vtilitate & profectu in ipsis Sacris litteris legi poterit, vbi hæc habentur: *Transierunt præcones per castrorum medium, & clamare cœperunt: Quando videritis Arcam fœderis Domini Dei vestri, & sacerdotes stirpis Leuiticæ portantes eam,* &c. *sitq; inter vos & Arcam spatium,* &c. *cauete ne appropinquetis ad Arcam.* Vultis etiam Processionum Catholicarum figuram in Arcâ, & in illâ figurâ efficaciam? Videte. Iosue sexto capite præcepit Dominus, vt septies cum Arcâ circuirent Israelitæ ciuitatem Iericho. Vnde & factum, vt vice septimâ, vociferante populo, tubisque clangentibus, muri ciuitatis miraculosè collapsi fuerint. Alias Arcæ Processiones, atque inauditas inde secutas victorias, reperiet qui eiusdem Iosue, item Regum, Paralipomenon atque Esdræ libros inspexerit. Mirum ideò non est, in nouo Testamento haud minora ad imagines perpetrata esse & adhuc perpetrari admiranda. Quin & votiuæ illæ tabellæ, statuæ seu picturæ, quæ à sanatis vel sanari cupientibus ad sepulchra vel imagines Sanctorum ex auitâ Catholicorum consuetudine appendi solent, in Scri-

In Psal. 109.

In Arca fœderis probatur vniuersa, quam Catholici imaginibus exhibent, deuotio.

Iosue 7.

Exod. 26.

Psalm. 131.

Iosue 3.

In Arcâ pulchra Processionum Catholicarum probatio.

1.Reg.5. Scripturis sanctis exemplum habent: vbi nimirum Azotij percussi narrantur in secretiore parte natium, & quòd ebullierint villæ & agri in medio regionis Azoti, & nati sint mures, & facta sit confusio mortis magnæ in ciuitate. Tantis ergò afflictionibus impetiti, *vocauerunt Philisthiim sacerdotes & diuinos, dicentes: Quid faciemus de Arca Domini? indicate nobis quomodo remittamus eam in locum suum. Qui dixerunt: Si remittitis Arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis, reddite ei pro peccato, & tunc curabimini: & scietis quare non recedat manus eius à vobis. Qui dixerunt: Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei? Responderuntq́, illi: Iuxta numerum prouinciarum Philisthinorum quinque anus aureos facietis, & quinque mures aureos; quia plaga vna fuit omnibus vobis & satrapis vestris. Fecerunt ergo illi hoc modo, & posuerunt Arcam Dei super plaustrum, & capsellam, quæ habebat mures aureos & similitudines anorum.* Quæ, licet à Gentilibus profecta, tantum abest vt Deo displicuerint, vt potiùs sanitatem subsequentem impetrauerint. Neque enim statim solam eam ob causam, quòd quid à Gentilibus mutuetur, atque in honorem veri Dei conuertatur, idipsum improbandum aut reiiciendum est: quod ideò dicimus, quia hæretici plerosque Catholicorum sacros ritus à Gentilibus desumptos esse cauillantur.

1.Reg.6. Tabellarum item ad Sanctorum sepulchra appendi licitarum.

23\. *Exornationis praeterea auri & gemmarum in Reliquiis.*

Ad alia verò, quæ circa imagines faciunt Orthodoxi, progrediendum est. Auro Sanctorum exuuias statuasque vestiri posse, ad eas, Angelorum effigies, tamquam venerationis ab ipsis exhibitæ demonstrandæ gratiâ, affingi seu apponi, velo illas obtegi, atque pretioso in loco recludere licere, quis ex Arcæ collatione non videat? Imò quàm ineptè atque insulsè Nouatores rideant, quòd à plebeiis Beatorum ossa contingi prohibeantur, euidens fit vel ex vnicâ Ozæ, quòd incautè Arcam etiam venerationis causâ attigisset, seuerissimâ punitione; quod ipsum in Bibliis sacris hunc in modum refertur: *Postquam venerunt ad Aream Nachon, extendit Oza manum ad Arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. Iratusq́, est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei.* Ceterùm, quòd coram Christi Domini, Deiparæ Virginis Sanctorumq; aliorum imaginibus, luminaria possint accendi, thus adoleri, imò & in illarum præsentiâ Deo Sacrificia offerri, plusquam notum ex eadem Arcâ est, antequâ, in Sancto scilicet, septem lampadum candelabrum Dei iussu, à Sacerdotibus debebat accendi, incêdi quoque super altare thymiamata, vt & in atrio multæ victimæ sacrificiaque litari. Vin' ipsiusmet textus sacrati verba? Exod.25. inter reliqua quæ in templo coram Arcâ esse iusserat Deus, Moysi præcepit: *Facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum, vt luceat ex aduerso.* Exodi verò 30. *Facies quoque altare ad adolendum thymiama.* Et infrà: *Adolebit incensum super eo Aaron, suaue fragrãs, manè. Quando componet lucernas, incendet illud: & quando collocabit eas ad vesperũ, uret thymiama sempiternum corã Domino in generationes vestras.* Quin & Exodi 20. *Altare, inquit, de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta, & pacifica vestra, oues vestras & boues, in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei, &c.* En totum quod in sacrarum imaginum præsentiâ vsurpare solet

Non esse tangendas reliquias. 2.Regum 6.

Candelarum accensio, thurificatio & in præsentiâ imaginum Sacrificij oblatio ex Scripturis probantur.

Ecclesia, ab antiquo etiam Testamento in vsu fuit, &, quod est amplius, à Deo præceptum. Quid igitur contra huiusmodi oblatrant hæretici? si propter similia Israelitę nõ fuerint idololatræ, cur nos Catholici simus? Scio eos dicturos, Sacrificia illa non Arcæ fœderis, sed Deo viuo & vero fuisse litata. sed & illi id sciant, quòd non alteri quàm vni Deo apud Orthodoxos Sacrificij fiat oblatio, interim fit in præsentiâ sacrarum Imaginum, quemadmodum & coram Arcâ in Lege antiquâ factum fuisse, ostensum est, & ostensum est à Deo fuisse præceptum. Plura haud adderem, nisi vni adhuc hæreticorũ calumniæ, quâ nobis idololatriæ crimen impingere conantur, respondendum foret, eò nimirum quòd Dei & Sanctorum statuas ritè & licitè à Catholicis adorari posse statuimus. Dicam, reuerà ipsos hæreticos vel non legisse Sacra Biblia, vel si legerunt, adeò oscitanter & superficiariè legisse, vt meritò Latinitatem ignorare dicendi sint. Dicunt, verbum *adorare* nullibi quàm in Deo locum habere, quandoquidem nihil aliud significet, quàm cultum ei debitum atque congruum deferre. Adoratur ergo Deus vt supremus omniũ Dominus, creator, &c. creatura verò vt talis atque illo solùm honore qui ei competit. Si igitur credunt hæretici, nos Sanctos & eorum Reliquias aut statuas adorare vt Deum, hoc est, eumdem illis, qui ei soli competit, cultum à nobis adhiberi, valdè errant, neq; enim id fieri posse sine certissimâ & enormi idololatriâ & grauissimô peccato, ceu Fidei articulum adstruimus & nos ipsi Catholici: sin verò, quod perinde affirmamus, Nouatores cupiant, non licere statuis & reliquiis Sanctorum adorationis alterius cultum, qui illis conueniat, deferre, vel ipsis Scripturis sacris (in quibus licitè adorationem creaturis sæpius tribui, luce meridianâ clariùs constat) contradicunt. An non de Arcâ scriptum est: *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Quid aliud scabellum pedum Dei, quod adorandum esse ait Hymnographus Regius, quàm Arca Dei, de quâ idem: *Cogitaui vt ædificarem domum, in quâ requiesceret Arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri.*

An possimus adorare imagines.

Quid verbum adorationis significet.

Adoranda erat Arca. Psalm 98.

1.Par.28.

24\. *Creaturas adorari posse ac debere clarissimum.*

Ceterùm, præter Deum etiam creaturas adorari posse (suo tamen, vt præsupponimus, modo) è Scripturis faciemus notissimum. Nũquid Lot, cùm ad eum venissent duo Angeli vespere Sodomã, sedente eo in foribus ciuitatis, illeq; eos eminus conspexisset, *surrexit, & iuit obuiàm eis, adorauitq́, pronus in terram?* Numquid Abraham *adorauit populum terræ, filios videlicet Heth?* Numquid Isaac inter reliquas quas filio suo Iacob apprecatus est benedictiones, *Seruiant tibi*, ait, *populi, & adorent te tribus?* Numquid *Iacob adorauit pronus in terram septies* fratrem suum Esau? Numquid Ioseph ex diuinâ reuelatione vidit se adorandum à fratribus suis? Numquid illi iidem Iosephi fratres de facto fratrem in Aegypto dominantem adorauerunt? Imò idem ipse Ioseph patrem suum Iacob adorauit, qui benedicens iam sub mortis suæ instantiam filiis suis, Iudæ ait, *Adorabunt te filij patris tui.* En quot ex vnico Geneseos libro pro creaturarum adoratione testimonia. Quid arbitramini, sectarij; idololatræ dicendi sunt sanctissimi & benedictissimi Patriarchæ, Lot, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, & reliqui filij Israëlis? Haud dixe-

Genes.19. Genes.23. Genes.27. Genes.33. Genes.37. Genes.42. & 43 & 50. Genes.48.

Patet omnium Patriarcharum exemplo.

dixerim ego, vos verò, ex Lutheri Caluinique harà ſues, facilè concedetis puto, qui nec ipſam totam Eccleſiam Catholicam, quæ ab annis mille ſexcentis floruit & viguit, hoc ſcelere onerare erubeſcitis. Apage verò tu impiiſſima hæreticorum phalanx: recens nimis es & nouitia, quàm vt in Catholicorũ antiquiſſimos probatiſsimoſque ritus inquiras. Fundatiſsimi illi ſunt, & non Chriſtianis tantummodò Patribus ſemper, vt ex ſuperiùs allatis liquet, frequentati, ſed in Scripturis ſanctis à tribus annorum millibus in quotidiano vſu penes veros Dei cultores recepti. Sed ne multis tecum agamus, quæ vbique & in omnibus confunderis, ad vnam, in quà totum Eccleſiæ quoad Sanctos & peregrinationes cultum, Arcam redeamus. Erat illa, vt ſolent Catholicorum imagines, lignea, erat auro ornata, erat omnis rationis expers, non particeps alicuius diuinitatis, pura puta creatura; & tamen omnis ille, quem adhuc in ſtatuis ſuis retinent atque adhibent Orthodoxi, honos adhibitus à Dei cultoribus, à Deo acceptatus, imò à Deo inſpiratus, à Deo præceptus, & numquam (garriant donec crepant hæretici, non euincent) reuocatus.

Confuſi ergo verecūdi ſunt hæretici.

25. Muſſitabunt fortè hæretici, & honorem illum Arcæ exhibendum fuiſſe dicẽt non tam propter ipſum, è quo fabricata erat, lignum, quàm quia Dei ſedem, in quà propitiatorium ac clementiæ ſuæ tribunal conſtituerat, continebat & ſignificabat. Ergone verum eſt, lignum honorari poſſe propter rem quam ſignificat? Aliquantulo tu, hæretice, propiùs accede, & à Catholicis non diſſenties. Fatearis etiam, quæſo, exteriùs verbo, quod interiùs in re verum eſſe confiteris: & quid mihi quæſitam in verbis litem aperies? An non idem, & nihil aliud, volunt Catholici? Imagines ac ſtatuas illi, non quia ex ligno, lapide, auro confectæ ſunt, frequentant, honorant, adorant; ſed quia vel ipſum Deum, vel ipſius ſedes ac templa, Sanctos videlicet, repræſentant. Intuemini, quæſo Lectores, quàm inſigniter Arca ſanctos ſignificauerit. Arca erat ex ligno fabricata incorruptibili: illi, velut ex ligno creatæ à Deo animæ, ſed incorruptibili atque immortali, auro charitatis circumornatæ, ad quarum cuſtodiam Angelici ſpiritus reſpiciunt, atque vt eam defendant alas extendunt. In hac lex ſeu duæ tabulæ Moyſaicæ, cum virgâ Aaron quæ floruit, & vrna mannæ cæleſtis repoſita habentur, quia legem Sancti in corde ſuo geſtarunt: floruerunt vt palma, & ſicut cedrus Libani multiplicati ſunt, qui ex peccato anteà velut aruerant. Vrna etiam quæ manna continebat, ipſis non defuit: quia & in vitâ paſti ſunt diuinâ gratiâ, & poſt mortem refici numquam deſinent æternâ gloriâ. Poteram plura ſimilia pro omnibus Sanctis, ad Arcæ quoad ipſos applicationem, producere, ſed potiùs ad ipſam Sanctorum Reginam, quæ propriiſsimè per Arcam fuit deſignata, orationem conuertamus.

Horũ in eos obiectio in illos rurſum retunditur.

Arcæ & Sanctorum Dei ſimilitudo.

26. Quemadmodum ergo illa eſt cui Arcæ ſimilitudo maximè competit, ita & ea eſt ad cuius imagines ac ſtructuras plura inſigniora que miracula per totum orbem Chriſtianum præſtantur. Meritò illa *fœderis Arca* dicitur, quia per illam quodammodò & illius partum, fœdus inter Deum & homines initum atque ſancitum eſt. Arca hæc è ligno eſt, ſed ligno ſetim; creatura inquam eſt, ſed illa vnde Chriſtus dictus fuit filius hominis, lignum ex quo naſceretur fructus vitæ, qui vniuerſum genus humanum incorruptione æternâ donaret: lignum quod in ſe imputribile fuit, & quoad animam ab omni præſeruatum peccato, & quoad corpus non redactum in cineres, ſed tertiâ à morte die in cæleſtem paradiſum tranſplantatum, de quo ſuprà Cap. IX. & X. plura diximus. Quanto verò Arca hæc auro, id eſt charitate, circumdata fuerit, videamus. Ipſa de ſe in Canticis loquitur: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Iterùm: *Lampades eius Lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Hac in arcâ tabulæ legis requieuerunt: quia ſi cui Sanctorum applicari vnquam potuerit quod in primo Pſalmo legitur, vtique B. Virgo fuit, de quâ intelligendum erat: *In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditatur die ac nocte.* Virga etiam Aaronis, quæ arida erat, refloruit, cùm, inuiolatâ virginitate, velut fructum Dei Filium germinauit; cùm in eâ, quod Iſaias prædixerat, adimpletum fuit, *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Fuit & in beatiſſimâ Virgine inuentum illud manna, quod de cælo deſcendit, vt peregrinos ſæculi huius reficeret, atque in deſerto vitæ huius deficientes fortificaret; illud inquam manna, quod fideles in vitam æternam aleret, & cæleſtis gloriæ participes redderet, vt multis ſanè apud D. Ioannem probatum habetur. Super hanc prætereà Arcam Deus non tantummodò Angelos & homines admirabundos atq; vtrimque venerabundos, ſed & ipſum ſuum propitiatorium ac clementiæ ſedem, vt ex Capite IX. ſuperiore patet, conſtituit, ceteraque omnia quæ materialiter in fœderis Arcâ inuenta ſunt, ſpiritualiter ſublimiùs multò in Mariâ, cæleſti Arcâ noſtrâ, reperiuntur, vt propterea quæ ligneæ illi figuralique Arcæ in gloriam à Deo atque illius cultoribus attributa leguntur, non immeritò à Catholicis in ſtatuarum Marianarum veneratione obſeruentur. Quod quàm Deo inſuper gratum ſit, miracula, quæ quotidie adhuc fiunt, & quæ ab antiquis & multis retrò ſæculis continuè facta ſunt ad Sanctorum, ac potiſſimùm Virginis Deiparæ ſtatuas atque imagines, apertè loquuntur. Vix Prouincia vel ciuitas, maximè apud Belgas noſtros inuenire eſt, in quâ non plures ſint huiuſmodi ſtatuæ Marianæ, per quas & modò & olim ſtupenda admirandaque operatus ſit Omnipotens. Oculatus certè teſtis fui in iis quæ circa imaginem miraculoſam Eccleſiæ parochialis S. Willibrordi in ſuburbio Antuerpiano contigêre: quæ cùm anno 1620. dum eodem loco Paſtor indignus exiſterem, iterùm increbreſcere atque multiplicari inciperent, auctoritate Reuerendiſſimi ac perilluſtris Epiſcopi noſtri Antuerpienſis, D. Ioannis Malderi, de nouo inſtituta fuit authentica examinatio, & non multò pòſt in Archiuis Capituli Eccleſiæ Cathedralis Antuerpienſis inuentum eſt, à quatuor vſque ſæculis ibidem Deiparæ, vt modò, ſtatuam quotidie miraculis coruſcaſſe. Verba Archiui eiuſdem hæc ſunt: *Reuerendus D. ac M. Aegidius de VVyneghem, Decanus B. Mariæ Antuerpiæ, fundat anno Domini 1259. in feſto S. Nicolai Capellaniam ad altare B. Mariæ in templo S. VVillibrordi Antuerpiæ, in quo imago quædam B. Mariæ indies decoratur à Deo diuerſis miraculis.*

Satis

Arca beatã Virginem Mariam potiſſimum deſignat.

Fuit auro charitatis circumdata. Cantic. 1. Cantic. 8.

In ea tabulæ legis inuẽta,

Iſaiæ 11. *& virga Aaronis quæ floruit prout & manna.*

Ioann. 6.

Quã grata Deo Marianarum imaginum veneratio, plurima teſtantur miracula.

Idque à pluribus iam ſæculis continuat.

Satis hæc erunt de peregrinationibus & quæ eò pertinent quoad prius membrum, quo defunctis ex illis profectum prouenire asserimus, quatenus varios Religionis actus includunt. Neq; opus est singula, quæ mortuis sunt vtilia, in particulari declarare, cùm haud dubiè memineritis D. Thomam Cap. II. huius Libri ita asseruisse, *quemcumq; latriæ seu religionis actum, orationis rationem habere*, ac proinde per eumdem satisfieri posse: sicut & ex illomet Doctore Angelico facilè altera pars probatur, quâ adstruimus, ideò peregrinationibus iuuari defunctos, quòd plerumque corporalem molestiam & penuriam includant aut comites habeant; per quæ iterùm dubium non est satisfieri, & Purgatorij animas liberari, quoniam, vt inquit D. Thomas, *quidquid ad afflictionem pertinet, totum ad ieiunium refertur.*

Omnis ille Sanctorum cultus quomodo defunctis prosit.

27. Sed nonnihil etiam de corporali labore, molestiisque quæ ex inopinato succedunt, agamus, & videamus, non solùm ex iis mortuos subleuari, sed & illorum circumstantias & conditiones agnoscamus. Labore inprimis Purgatorij tormenta leniri finirique, ipsa ad S. Birgittam à Christo prolata & superiùs relata verba satis testatur. Fuerunt illa huiusmodi: *Septimò*, liberantur nimirum animæ ex Purgatorio, *propter laborem iustorum qui pro salute animarum peregrinantur.* Vnde colligitur, peregrinationes idcircò adiumento esse defunctis, quia laborem annexum habent. Communis enim apud illos est doctrina, oportere opus esse laboriosum vt pro mortuis satisfacere queat, omneque illud exercitium quod laborem inuoluit, propriè esse satisfactorium, quemadmodum suprà Capite XIII. pluribus ostendimus. Et hæc quidem in Purgatorio locum habere, sat clare docuit S. Bernardus, de quo narratur, quòd aliquando in messe segetum fratrem cōuersum viderit, deuotè quidem & vltra vires in agro cum Monachis laborantem: Spiritu autem sancto attactus intrinsecus beatus Bernardus dixerit coram omnibus laborantibus: *Eia frater age quod agis, nullum aliud post hanc vitam Purgatorium sustinebis.* Neque sanè mirandum est, ex peregrinantium labore mortuos consolationem capere, cùm pretiosi adeò sint coram Deo laborantium siue defatigatorum gressus, vt ab Angelis dinumerentur. Exemplum rei istius si cupimus, habere possumus in Vitis Patrum, vbi sic legitur: *Senex quidam sedebat in eremo, qui longè habebat aquam à cella suâ duodecim milliaria. Vbi dum semel iret haurire aquam, defecit, & dixit: Quid necesse est vt hunc laborem patiar? veniam, & habitabo circa aquam hanc. Et cùm hoc dixisset, conuersus est, & vidit quemdam sequentem se, & numerantem vestigia sua. Interrogauit autem eum, dicens: Quis es tu? Et dixit: Angelus Domini sum, & missus sum numerare vestigia tua, & dare tibi mercedem. Quod cùm audisset senex, forti animo factus est promptior, & adhuc longius posuit cellam suam ab illâ aquâ quinque milliaria.* Verùm si & aliquantulùm de vtilitate atque conditionibus ipsius laboris dici expediat, faciunt illa ad rem quæ habent SS. Patres. D. Gregorius quidem dum sic ait: *Sancti viri, quot labores nunc veritati commendantes exhibent, tot iam remunerationis suæ pignora intra spei suæ cubiculum clausa tenent.* S. Hieronymus verò: *Nullus labor durus, nullum tempus videri longum debet, quo gloria æternitatis acquiritur.* Et: *Quantis sudoribus hereditas cassa expetitur, & minore labore promissa margarita Christi emi poterat.* S. Augustinus insuper: *Diuersis seminibus pectoris tui colles sere, nunc alimoniis mediocribus, nunc ieiuniis parcioribus, lectione, opere, prece, vt mutatio laboris induciæ sint quietis.* D. Bernardus: *Causam laboris cogitet in labore, vt ipsa ei pœnam, quam patitur, repræsentet.* Imò & gentilis homo Seneca: *Si qua per laborem rectè feceritis, labor citò recedet, beneficium dum viuitis, non abscedit. Si quæ per voluptatem prauam nequiter feceritis, voluptas citò abibit, nequiter factum apud vos semper manebit.*

Magis tamē illos ex labore peregrinationis succurritur.

Laborem in animarum causâ locum habere D. Bernardus testatur.

Lib. de Patientiâ & fortitud. c. 5.

Angeli ambulantium vestigia numerant.

De laboris vtilitate quid Patres.

In Moral. b.

In Epistolis.

Ad Nepotian.

Lib. de Virginitate.

In Sermonib.

Sed & quid Seneca.

In Epistolis.

28. Verùm enimuerò, tametsi labor peregrinantium & aliorum Deo gratus, & ex se sit satisfactorius, si secundùm debitas conditiones perficiatur, inutilis tamen est, imò & noxius, si illis ipsis careat: in multis enim locum habet illud D. Bernardi: *Laborem & dolorem multi sustinent, quem tamen Deus non considerat.* Videndum itaque Primò, vt nō laboremus sicut illi de quibus intelligi possunt illa S. Leonis verba: *Libentius suscipitur labor pro desiderio voluntatis, quàm pro amore virtutis.* vel illud Senecæ: *Multùm abhorret opus, cuius inchoatio inuidia, continuatio est labor, finis est odium.* Labor igitur noster ex virtute faciendus est, & ad Deum dirigendus; quod & in peregrinationibus verum esse, multis probari posset, sed minimè opus est. Venerabilis ille Pater Gotschalcus Holen, Ordinis Eremitarum D. Augustini, Scriptor insignis nobili rem hanc illustrat historiâ, sic inquiens: *Iuerunt tres puellæ virgines simul ad cuiusdam templi dedicationem. Cumq; simul incederent, venerunt duo Fratres qui eas sunt comitati. Dum verò Ecclesiæ appropinquarent, alter Fratrum dixit, se in eâ celebraturum, tres autem puellæ dictæ ibidem Sacrum audiuerunt. Cumq; Frater ille deuotus stetit in Memoriâ, fuit in spiritu raptus, & vidit quòd sanctus Angelus de cælo descendit, portans vnum sertum de rubeis rosis factum, & posuit in capite vnius iuuenculæ. Secundò vidit quòd Angelus portauit vnum sertum factum de rosis albis, imposuitq; capiti alterius puellæ. Tertiò vidit quòd vnus diabolus venit portans vnum pelliceum inueteratum, & percussit tertiam puellam super caput eius; & etiam portauit chorum, cum quo lusit ante eam. Frater ille ad se reuersus finiuit Missam, cogitans intra se quid hoc significaret. Finitâ Missa interrogauit primam quid intra Missam cogitasset. Respondit quòd cogitasset de coronâ spineâ, cum quâ caput Domini nostri fuit coronatum, sanguisq; ipsius capitis effusus. At Frater ei dixit: Ego verò tempore Missæ vidi Angelum de cælo descendentem, & portantem sertum de rosis rubeis quod imposuit capiti tuo. Secundam interrogauit quid ipsa cogitasset. Respondit: Cogitaui de Domini nostri pueritiâ & innocentia, quàm affabilis, quàm dulcis, quamq; diligibilis fuerit Christi pueritia. Cui etiam dixit Frater: Vidi ego infra Missam Angelum de cælo descendentem, & portantem vnum sertum de rosis albis, capitiq; tuo illud superposuit. Tertiam interrogauit quid illa cogitasset. Respondit quòd cogitauit, quàm prolixus & quàm tædiosus esset Frater ille in Missâ, vtinam Missa finita esset, quia possem mihi emere pelliceum, & chorizare & gaudere. Ei verò significauit Frater, se vidisse diabolum vnum pelliceum fœtidum de inferno portantem, eamq; eodem percutientem, & habentem chorum ante eam chorizantem & saltantem.* Vt hinc constet, laborem peregrinationis vel vtilem esse vel inutilem prout dispositio siue intentio fuerit peregrinantis. Secundò sic laborandum, vt non impediatur aut suffocetur spiritus. *Ad laborem cum veneris,*

Conditiones laboris quæ necessariæ.

Serm. de Pœnitent.

De Ieiunio septimi mēsis.

In Epistolis.

Part. æstiual. Serm. 100. litterâ C.

Labor ad Deum dirigendus, & non vitiis in peregrinationibus intendendum.

Pulchrè veri istius exemplum.

Inter laborandum non est spiritus suffocandus.

In Dialectic. nali.

veneris, inquit D. Bernardus, *sic temperabis opus agendum, vt sollicitudo operis intentionem animi tui ab iis quæ Dei sunt nõ auertat.* Laborare ergo debemus cum discretione, quia sæpiùs dæmon, vt nimiis nos laboribus obruamus, instigat. Res est euidens ex Cassiano, qui refert, quemdam probatissimum seniorum, transeuntem iuxta cellam cuiusdã Fratris quadam ægritudine animi laborantis (scilicet causis mentis grauamina suscitãtibus, vtpote qui extruendis reparandisq; superfluis inquietus, quotidianis destinationibus desudaret) atque eminus conspicientem graui eum malleo saxum durissimum conterere, vidisse æthiopem quemdam adstantem illi, & vnà cum eodem ictu mallei iunctis & insertis manibus illudentem, eumque ad operis illius instantiam ignitis faucibus instigantem; diutissimeq; subsistẽtem eum seniorem, impressionem durissimi dæmonis, & fraudem tantæ illusionis admiratum fuisse. Cùm enim nimiâ lassitudine frater fatigatus requiescere, finemq; operi vellet imponere, instigatione spiritus illius animatus, iterùm resumere malleum, nec desinere ab intẽtione cœpti operis vrgebatur, ita vt iisdem eius incitamentis infatigabilis sustentatus, tanti laboris non sentiret iniuriam. Tandem igitur senex tam dirâ dæmonis ludificatione permotus, ad cellam fratris diuertit, salutansq; eum, Quid, inquit, frater est opus istud quod agis? Laborauimus, inquit, contra durissimum istud saxum, vixq; potuimus aliquando illud conterere. Ad hæc senex: *Benè dixisti, vix potuimus: non enim solus eras cùm istud cæderes, sed fuit tecum alius quem non vidisti, qui tibi in hoc opere non tam adiutor, quàm violentissimus impulsor instabat.*

Collat. 9. c. 6.

Quàm id malum docetur visione cuiusdam Eremitæ.

29\. Tertiò, quantum cum discretione consistit, diligenter seduloq; atq; etiam libenter laborãdum est, omnesq; vani timores ac occurrentia impedimenta abrumpenda. Audiamus quæso quid circa hoc SS. Patres, quid etiam ipsi Ethnici consilij suggesserint. S. Bernard. *Acedia, inquit, est quidam animi torpor, quo quis negligit aliqua bona inchoare, aut fastidit perficere.* Alibi, *Est animi quidam languor,* inquit, *cùm legere non libet, orare non delectat, meditationes sollicitè non seruiuntur.* Iam vt ab eâ nos reuocet, sic monet: *Cùm te acediâ vel tædio affici sentis, noli propterea diffidere atq; desistere à studio spirituali; sed in cantis require manum, trahi te post eum obsecrãs.* Pergit: *O homo imprudens, millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistunt ei, & tu sedere præsumis?* Cassianus egregiè de lentis & ignauis, quãuis sub nomine Monachorum: *Acedia circa horam sextam maximè Monachum inquietat, vt quædã febris ingruens tempore præstituto, ardentissimos æstus accensionum suarum solitis ac statutis horis animæ inferens ægrotanti.* Sed & vide eius remedium. *Experimento probatum est, acediæ impugnationem non declinãdo fugiendam, sed resistendo superandam.* Luctam hanc describit S. Augustinus, sic inquiẽs: *Torpor & ignauia dicunt: Si lectioni continuato studio semper insistis, oculorum caliginem incurris. Si indesinenter lacrymas fundis, ipsos etiam oculos amittis. Si protelatis vigiliis Psalmorum censum persoluis, insaniam capitis acquiris. Si quotidiano labore te conficis, ad opus spirituale quãdo consurgis?* Addere possum & ego: Torpor & ignauia dicunt: Si peregrinando te fatigas, inani te labore conficis, &c. Sed animet se, quicumq; hanc in se contradictionem patitur, hæc S. Leonis parænesis: *Non dormientibus prouenit regnum cælorum,*

Laborandum insuper cum discretione, sed tamen diligenter.

In Ser.

In Epistolis.

Clarum id suadet D. Bernardo.

Cassiano. Lib. 10. de Institut. Monachi.

Ibidem.

S. Augustino. Lib. de Conflictu vitior. & virtut. c. 9.

S. Leone Ser. 14. serm. de Apparitione.

nec otio & desidiâ torpentibus beatitudo æternitatis repromittitur. Hæc Patres Catholici: sed quid Gentiles? *Pigritia,* inquit Cicero, *est animi inertia vel fatigatio, quâ quis bonum inchoatum cõsummare fastidit.* Seneca quoque, magni animi Philosophus, *Luxurioso,* inquit, *frugalitas pœna est, pigro supplicij loco labor est, desidioso studere, torqueri est.* Pergit: *Nõ putant desidiosi posse fieri quidquam quod facere non possunt: ex infirmitate sua de virtute ferunt sententiam. Nam hæc, ad quæ imbecilles sumus, dura atque intoleranda credimus, tormenta reputantes, vino carere, aut primâ luce excitari: non ista difficilia sunt, sed nos fluidi & enerues sumus.* Alibi item: *Male mihi esse malo quàm molliter. Si mollis es, paulatim effeminatur animus, atque in similitudinem otij sui & pigritiæ, in quâ iacet, soluitur. Dormio minimum, & breuissimo somno vtor: satis est mihi, vigilare desiisse. Aliquando me dormisse scio, aliquando suspicor.*

Cõlat. & ex Gentilibus.

In Tusculanis.

Epist. 72.

Epist. 53.

Satis iã de labore, & de peregrinationibus, quæ eum adiunctum habent, indeq; satisfactoriæ redduntur: vnum tamen, quod nequaquam peregrinum est, sed in peregrinationis exercitio quotidie obuium, pro Capitis huius coronide adiicimus. 30. Non solùm illa esse satisfactoria quæ sponte suscipimus, sed & ea quæ subitò & inopinatò, nullâ præuiâ cogitatione & præter expectationẽ sufferenda occurrunt, modò animo forti & patienter tolerentur. Pro cuius rei explicatione non erit opus alia adducere quàm quæ tradidit eximius ille temporis nostri è sanctissimâ Societate Iesu Theologus, Ven. P. Frãciscus Suarez, cuius verba, quia nihil eis addi posse credidimus, huc transcripsi. Sic ergo scribit doctissimus ille Pater: Concil. Trident. sess. 14. c. 9. sic definit: *Docet præterea, tantam esse diuinæ munificentiæ largitatem, vt non solùm pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, sed etiam spiritualibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum satisfacere valeamus.* Vnde fit, simpliciter de fide esse, nos posse satisfacere per hæc flagella: modus autem sub opinione est. Prima opinio dicit, posse nos per ea satisfacere, sicut mereri, ea patienter & voluntariè acceptando, ita tamen vt tota satisfactio sit in voluntate interiore quâ hæc acceptantur, & exterior pœna nihil satisfactionis addat. Vnde si duo ita se habeant, vt alter id patiatur, & bonâ voluntate illa acceptet, alter verò æquali omnino voluntate illa amet vel desideret, nihil tamen patiatur, iuxta sẽtentiam hanc nihil magis vnus quàm alter satisfaciet. Hoc asserit Richardus dist. 15. art. 1. q. 4. Gabriel 16. q. 2. art. 3. dub. 1. Fundamentum illorũ est, quia satisfactio debet fieri per aliquam actionem humanam elicitam vel imperatam: hæc autem flagella quæ non sunt in nostrâ potestate, sunt passiones, non verò actiones nostræ, vnde ista flagella solùm sunt voluntaria, vt obiecta nostræ voluntatis, non verò vt actus.

Non solùm satisfactoria sunt quæ sponte obimus, sed etiã quæ ex inopinato succedunt.

Tom. 4. disp. 37. sect. 7. per tot.

Concilium Trident. hãc doctrinam facit de fide.

Quoad rei istius explicationem diuersæ reperiuntur sententiæ.

Prima.

Secunda sententia est, in his flagellis duo posse 31. considerari, scilicet internam patientiam, & patientiam externam. Per priorem remitti pœnas tamquam per satisfactionem propriam; per posteriorem verò, id est per ista flagella secundùm se remitti seu solui pœnam Purgatorij, non per modum satisfactionis, sed per modũ vindictæ & punitionis ab ipso iudice Deo illata, quæ hac ratione satispassiones dici possunt. Hanc sententiam tuetur Medina Tract. 3. q. 1. in fine dubij 1. Vnde vt hæc pœna cadat in solutum (ita enim ipse su-

Secunda.

pra

prà loquitur) non videtur requirere hic Auctor aliquem internum voluntatis actum, seu liberam cooperationem aliquam patientiæ, sed solùm vt quis exteriùs etiã inuitus patiatur: quia de ratione pœnæ vindicatiuæ à iudice inflictæ non est actio, sed passio. Tertia opinio distinctione vtitur. Duplex enim potest esse huiusmodi pœna, prima proueniens ex causis generalibus, naturalibus, aut liberis, absq; speciali vltione diuinà, vt ægritudines, bella & fames, & in vniuersum, quidquid ab hominibus patimur, siue iustè vt à Iudice, siue iniustè ab inimico, &c. Secunda specialis imposita à Deo in pœnam peccati, vt mors filij Dauid, &c. Prior nõ habet rationem satisfactionis, cùm non sit actio humana patientis; nec satispassionis, cùm non sit à Iudice inflicta per modum vindictæ: & ita non remittit pœnã, nisi ratione actus interni, vt prima opinio dicebat. Posterior autem licet propriè satisfactio non sit, remittit tamẽ pœnam per modum iustæ vltionis. Ita docet Soto dist. 19. q. 2. art. 9. qui consequenter infert, hanc passionem remittere pœnam, etiam sine actu libero patientis, dummodò ille in gratiã sit. Quinimmò addit, licet resistat, & inuolũtariè ac impatienter flagellum sustineat, dummodò in eo non peccet mortaliter, etiamsi peccet venialiter, nihilominùs aliquid remitti per illam pœnam de pœnã Purgatorij. quod tamẽ simpliciter affirmare non audet, affirmat autem Ledesma p. 2. q. 14. art. 2. & videtur consequenter loqui, quia hæc pœna non pendet ex voluntate operantis, sed ex Iudicis lege & intentione.

Tertia vtitur distinctione.

32. Dico Primò, Qui voluntariè suscipit pœnam ab extrinseco illatam propter Deum, satisfacit pro peccatis, non solùm ratione actus interioris, sed etiam per se ac formaliter per ipsam exteriorem passionem seu pœnam. Hæc est, vt existimo, sententia D. Thomæ, p. 4. dist. 15. q. 1. art. 4. Siluestri v. Satisfactio, q. 9. Victoris in Summã, num. 207. Nauarri in Summã, c. 3. n. 4. Et primò multùm illi fauet Concilium Tridẽtinum, quod non satis de solo actu interno explicatur, tum quia ita dicit, nos satisfacere per hæc flagella, sicut per ieiunia & alia opera voluntariè sumpta; tum etiam, quia aliàs non propriè diceremur satisfacere his flagellis, si tantùm essent obiecta illius actus per quem satisfacimus. Aliàs dicere etiam potuisset, nos satisfacere per beneficia: gratias enim pro illis agendo, satisfacimus, sicut etiam orando vel petendo illa. vnde tam possemus satisfacere petendo vt flagella tollantur, quàm ea pariter sustinendo. Secundò id sentiunt SS. Patres, dum docẽt, per hæc flagella purgare Deum iustos in hac vitã, sicut per ignem Purgatorij purgat in aliã. Et ad hoc accommodant verba illa 1. Cor. 3. *Saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Sic Augustinus de Fide & operibus c. 15. & 16. & in Enchirid. c. 68. Gregorius Homil. 39. Chrysostomus Homil. 5. ad Hebr. *Quia bonus, inquit, non potest in omnibus bonus esse, ideò hic punitur, vt purgatus exeat.* Hieronymus Nahum 1. circa illa verba, *Non insurget duplex tribulatio;* seu, *Non iudicabit Deus bis in idipsum*, propter hanc causam dicit Deum non punire in futurã vita; quem in hac punit. Habetur in cap. Quid ergo. 23. quæst. 5. Tertiò probatur ratione: quia licet ab extrinseco patiatur homo hanc pœnam, dum tamen eam voluntariè suscipit, & offert Deo, moraliter facit eam suam; ergo satis est vt per illam satisfaciat. sicut qui ab alio suscipit pecuniam, & illam Deo offert in cultum religiosum, per illam satisfacit. Probatur consequentia; quia valor satisfactionis non consistit in hoc, quòd ipse dolor seu pœna à nobis veluti actione physicã fiat; sed multò magis in hoc, quòd propter Deum sustineatur, & voluntariè illi offeratur: ergo idem fiet in his flagellis, vt per illa satisfaciamus; quia moraliter non minus graue est, sustinere flagella extrinsecus illata, quàm à se. Et hæc veritas confirmatur exemplo Christi Domini & passionum eius. Ait enim Concilium Tridentinum, quòd dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficimur: at verò Christus per passiones suas extrinsecus illatas ita satisfecit, vt non solùm interior actus, quo illas acceptabat & offerebat Patri, sed etiam ipsi dolores & pœnæ corporales essent satisfactoriæ, etiamsi Christus non illas in se efficeret, sed ab aliis illatas sustineret; ergo simili modo nos satisfacimus per flagella. Vnde fit, cęteris paribus, plus satisfacere qui maiorem pœnam patitur, cùm ipsa etiam ad satisfaciendum conducat. Fit etiam hinc, magis satisfacere qui patitur vt innocens, quàm qui vt malefactor, etiamsi ipsa pœna sit æqualis; tum quia habet maiorem improportionem, & ideò maiorem rationem mali; tum quia fieri potest, vt plus satisfaciat quis per hanc pœnam toleratam, quàm per sponte assumptam: quia licet pœna ex eã parte quã est magis voluntaria, magisque propria, magis satisfactiua sit, tamen ex parte difficultatis quæ est in sustinendis passionibus extrinsecus aduenientibus, multum excedere potest hæc pœna tolerata, præsertim si cum illã aliqua iniuria coniuncta sit.

Qui voluntariè pœnam suscipit sibi illatam, non meretur tantùm ratione actus interioris, sed & exterioris

Colligitur id ex SS. Patribus.

Item ex ratione.

Cõfirmatur exemplo Christi.

Vnde proueniat quòd pœna alicuius magis sit satisfactoria.

Dico secundò, Hæc satisfactio non fit solùm per flagella ad eum finem à Deo immissa; sed per omnia, quæcumque illa sint, & ex quibuscumque causis proueniant, si prædictã voluntate suscipiantur. Hæc conclusio est eorumdem Doctorum, vt existimo: quia vel generaliter loquuntur, & nihil distinguunt, vel apertè indicant, vt D. Thomas suprà, & Victoria, Nauarr. qui exempla ponunt in ægritudine quacumque. Concilium etiam Tridentinum, & Patres indefinitè loquuntur. Et ratio est, quia hæc omnia flagella potest homo facere moraliter sua, sed non aliã ratione per hæc satisfacit, vt explicatum est, & infrà euidentiùs constabit. Ostendemus enim, hominem non satisfacere per hæc flagella vt ab extrinseco tantùm inferuntur, sed vt sunt aliquo modo ab intrinseco, moraliter loquendo. Et confirmatur Primò, quia omnia hæc flagella proueniunt ex diuinã prouidentiã, & saltem generali intentione per ea intendit, vt exerceamur, & purgemur à vitiis & reatibus peccatorum, vt Sancti suprà citati docent: ergo si homo illis rectè vtatur, per illa etiam purgabitur. Confirmatur secundò, quia vix potest homo, nisi ex speciali reuelatione discernere, ex quo genere diuinæ prouidentiæ hæ pœnæ proueniant. Item, etiam per pœnas quas homines patiuntur propter sua delicta ab aliis hominibus, si supradicto modo in Deum referantur, satisfaciunt; ergò non est expectanda illa specialis Dei intentio, quæ sæpè rara est, & nobis incognita. Et ex probationibus harum conclusionum satisfact um 33.

Prædicta satisfactio non tantùm fit per flagella, sed & per alia quæcumque nobis obueniunt.

Illius ratio & confirmationes proferuntur.

est fundamentis aliarum opinionum, quatenus his conclusionibus contraria esse possunt.

34. *Nulla flagella satisfactoria sunt nisi acceptentur.*

Dico tertiò, Nulla flagella huius vitæ, quacúq; ratione à Deo inferantur, sunt satisfactoria, nisi per honestam voluntatem acceptentur, & aliquo modo in Deum referantur. Hæc videtur aperta sententia S. Thomæ, Richardi & Gabrielis, & videtur colligi ex Tridentino vbi suprà. Nã in primis, vt hæc flagella sint satisfactoria, requirit vt patienter tolerentur: deinde docet habere hanc vim ex Christi merito & satisfactione. Quod non potest intelligi ex opere operato, vt per se cõstat: quia hæc flagella nec sunt sacramenta, nec habẽt speciale priuilegium extra martyrium; ergo debet esse ex merito seu satisfactione operãtis, ad quod necesse est vt operetur tamquam Christi membrum; ergo necessaria est aliqua actio humana, & honesta, ipsius operãtis, quã acceptet huiusmodi flagella, & ea moraliter coniungat cum Christi satisfactione. Vnde solutio pœnæ, quæ fit in Purgatorio, quia fit per meram satispassionem, non nititur propriè meritis Christi. Prætereà Sancti omnes, qui de his pœnis seu flagellis loquuntur, ita hortantur homines, vt patienter & voluntariè illa sustineant, vt planè significent omnem amitti fructum, si hæc voluntas absit. Ratione denique argumentor. Primò, quia, vt suprà dicebamus, & eleganter tractat D. Aug. 2. De peccatorum meritis, c.36. & 34. hæc satisfactio & pœna, quã Deus exigit pro peccatis, nõ tam ordinatur ad aliorum exemplum, quàm ad emendationẽ pœnitentis, & diuinum honorem, ergo requirit saltem voluntariam acceptationem ipsius pœnitentis, & ideò etiam in Purgatorio hæc requiritur, saltẽ vt conditio: quia non est, vt ita dicam, quasi ciuilis punitio, sed veluti filialis castigatio, animã purificans morali modo, qui modus sine consensu volũtatis vix intelligi potest. Secũdò, quia si tota remissionis pœna consisteret in passione, etiamsi homo non esset in gratiã, vel etiamsi peccaret per voluntatem resistendo, nihilominùs remissionem pœnæ obtineret, quod absurdissimum est: &, si hoc semel concedatur in peccato veniali, idem ferè sequitur in mortali. Tertiò, ratio propria est, quia passio huius vitæ non est comparabilis, nec proportionem habet cum pœnã Purgatorij; ergo non erit sufficiens ad remittendam illam, nisi ex dignitate vel voluntate patientis habeat valorem moralem, vt hac ratione possit esse veluti pretium sufficiens ad redimẽdam illam pœnam.

Ex Tridentino Concilio, rationeq; variã res probatur.

35. *Quid propriè sit pati vindictam.*

Sed contrà: Nam D. Thomas suprà dicit, flagella impatienter suscepta, non habere rationem satisfactionis, sed vindictæ: at verò vindicta videtur esse satispassio. Respondetur, propriam diuinam vindictam dici, quando quis sine fructu patitur, quomodo Deus sumit vindictam de damnatis, vel de aliis iniquis, quos punire dicitur pœnã inimici. Ita ferè Anton. p.3. tit.14. c.20. Sed quæres: Si necessaria est voluntas vt hæc passio exterior sit fructuosa, quamdiu durabit hic fructus? an solùm quamdiu durat actus interior voluntatis? Videtur enim hoc sequi ex dictis, quia solùm eo tẽpore illa passio est voluntaria & libera, quia cùm non procedat ab actu voluntatis, sed solùm sit veluti obiectum eius cessante actu, illa passio non erit voluntaria. Et confirmatur: quia aliàs etiam dormiens satisfaceret per iniuriam extrinsecus illatam, si habuit priùs animum & voluntatem sustinendi totam illam iniuriam. Hoc autem non videtur vero simile. In contrarium verò est, quia durum est affirmare, eum, qui graues pœnas patitur, non satisfacere, nisi dum actu acceptat illas pœnas. Respondetur, vix posse hoc à nobis diiudicari, sed diuinæ prouidentiæ & ordinationi esse committendum. Videtur tamen verisimile, non esse necessarium, vt interior actus continenter duret physicè, sed satis esse vt moraliter durare censeatur. Iudicabitur verò durare moraliter, quando & actus cecidit in totã illam passionem, quam homo humano modo sentit & patitur, quamq; ex vi illius actus patienter sustinet, nec repugnat aut obmurmurat; denique, quando prior voluntas non est per contrarium actum retractata, & eius virtus adhuc moraliter durat, vt ex dictis effectibus colligitur.

Quàm diu duret satisfactio pœnæ fortuitò hâc ferentis.

36. *Disquisitio insignis cuiusdam dubij circa præsentẽ materiam oborti.*

Vltimò ex dictis expenditur dubium, in quo Soto, Victoria, & Ledesma inter se dissentiunt, scilicet, quãdò Deus specialiter punit in hac vitã aliquem iustum pro peccato, an hoc ipsõ omnino liberet à totã pœnã, quæ illi peccato in Purgatorio designata est. Victoria enim & Ledesma affirmant, Sotò verò contradicit, & meritò, quia potest interdum illa pœna non esse æqualis, vt si sit breuis, & remissa. Vnde de hoc est speciale priuilegium martyrij quòd perfectè purget, & omni pœnã hominem liberet. Nec oportet, etiamsi Deus specialem pœnam vel permittat vel instigat ad purgandum iustum, vt statim omnino purgationem perficiat: satis enim est, si in hac vitã purgatio inchoëtur, in Purgatorio perficienda: sicut econtrà accidit interdum in reprobis, qui hîc puniri incipiunt, vt consummentur in inferno, iuxta illud Deuter. 31. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsq; ad inferni nouissima.* Atq; hactenus verba ipsissima sunt eximij illius Suarezij, quæ quòd ita prolixè à nobis exscripta sint nemo mirari debet, cùm materiam nostram adeò dilucidè exponant, atq; alioquin intẽtio mea semper fuerit, hoc in Opere, quod triumphanti Ecclesiæ inscribitur, illorum potissimùm verbis loqui, quos in cælesti gloriã regnare (quemadmodum & de Venerabili illo Patre, qui non pietate minùs quàm eruditione excelluit, pij omnes faciunt) piè credimus.

Quare tam prolixè hîc R. P. Suarem citauerimus.

37. *Eximiũ sanè exemplum, vt videamus animabus Purgatorij applicari posse tribulationes non spontè susceptas.*

Sed exemplum insuper dabimus, quantopere animabus Purgatorij prosit tribulatio etiã præter intentionem eueniens, quod refertur in manuscriptã historiã Conuentus S. Trudonis, & à quatuor ferè sæculis contigit, estq; hoc. *Tempore huius Abbatis* (nimirum Wilhelmi, qui ex Inuestito Aquisgranensi factus fuerat Abbas S. Trudonis prope Traiectũ ad Mosam, circa ann. Dom. 1250.) *contigit vnum deuotum huius loci Monachum ab hoc sæculo transire, qui in ipsamet nocte Abbati comparens, ad pœnas Purgatorij addictum se ingemuit. Cui compatiens Abbas ipse quæsiuit, per quem modum efficacius liberari posset. In suburbio, quod noua domus dicitur, inquit, matrona paupercula moratur sub domunculã illius plateæ, cuius pœnitẽtia mihi præcipuè auxiliabitur, sicq; anima illa euanuit. Igitur manè facto, misso festinante nuntio, inuenitur illa in tali domunculã, & nomine eodem nuncupata, prout anima illa prædixit. Quæ cùm præsentia ipsius Abbatis consedisset, interrogata de statu & modo suo viuendi, respondit: Charissime Domine, ego peccatrix maritata sum, nullius meriti conscia, quæ habeo maritũ insolentem, ebrietatem frequentantem: qui dum serò de tabernã domunculã nostrã intrat, silentem me inuenit; & cùm me pauentem respicit, maledictione cum grauibus verberibus absque demeritu indesinenter afficit.*

Petita fuere huiusmodi à defuncto.

Tunc

Tunc Abbas: Quid agis, filia, post tanta grauamina? Respondet: Prosterno me ad orationem, & tunc recolo passionem Christi, & continuò tam dulcem consolationem in mente sentio, quòd omnium miseriarum pondus pro nihilo reputo. O charissima, rogo te, inquit Abbas, vt velis nuper defunctum nostrum confratrem pœnitétiæ & orationum tuarum facere participem. Cui illa liberaliter ait: Prosit illi totaliter, si quid in Christo gratum aliquid offerre merui. & sic ad sua recessit. Nocte igitur sequenti Abbati in stratu suo quiescenti anima illa in claritate magnâ apparens, gratias illi obtulit, quia à pœnis se liberatam, & ad æterna gaudia se ascendentem dulci voce resonans, continuò euanuit. En ergo quàm illæ & satisfaciunt & expetuntur à mortuis, quę inopinatò etiam aduersitates adueniunt.

Eisq; iste liberatus.

CAPVT XXIV.

Fructuosus est animabus vsus cærimoniarum, quibus discedentes è vitâ filios prosequitur pia mater Ecclesia.

1. *De specialibus mortuorum officiis ac cærimoniis Capite præsenti tractatur.*

QVÆCVMQVE hactenus allata sunt, à Catholicis recipiuntur atque frequentantur illo etiam nomine, quòd ab vniuersali Ecclesiâ tradita atq; commendata sint, vt pro mortuorum è Purgatorio liberatione Deo offerentur; nec tamen iniuriâ huic Capiti eiusmodi inscriptioné præmisimus, quæ specialiter de hisce tractare videtur, quæ in animarum è viuis discedentium leuamen speciatim ab Ecclesiâ ordinata fuerút. Licet enim omnia quæ iam dicta sunt, suam quoque ab Ecclesiâ ad mortuos adiuuandos commendationem habeant, non tamen propriè inter cærimonias ea recensemus, quibus ex Ecclesiæ præscripto mortuorum sepultura prosequenda esse iubetur. Adferimus itaq; atque explicamus illos ritus sacros, illos cærimoniarum vsus, quibus vtendú esse docet sancta Mater nostra: & vt illos mortuis prodesse sciamus, expositurì sumus, eum in finé eos opportunos & efficaces esse. Supposito ergo, vti ex prædictis supponendum esse satis constat, quòd oblatum Missæ Sacrificium, erogatę pauperibus eleemosynę, factę orationes, assumpta ieiunia, &c. mortuis prosint, aggredimur modò sacros illos ritus quos in sepeliendis fidelibus obseruat Ecclesia.

2. *Inter verò cærimonias sacras S. Crucis imago & efformatio excellunt.*

Inter cærimonias ergo ipsum S. Crucis signum, quod mortuorum cadaueribus, atq; super illa eorumq; sepulchra exprimi ab Ecclesiâ solet, legionem ducat. Habemus sane ingentem ac innumerabilem Patrú sibi mutuò succedentium supplicationem, qui S. Crucis virtutem explicantes, insignem sequentibus sęculis facem prętulerunt. S. Martialis in suâ ad Burdigalenses Epistolâ eam sic describit: *Crucé Domini, in quem credidistis, Deum verum & Dei Filium semper in mente, in ore, in signo tenete. Crux enim Domini, armatura vestra inuicta contra satanam, galea custodiens caput, lorica protegés pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem & Angelicas insidias peruersæ potestatu sibi propinquare nullo modo sinens. Hoc solo signo cælestis victoria data est nobis, & per Crucem Baptisma Dei sanctificatum est.* S. verò Dionys. Areopag. hunc in modum: *Cruciforme signaculum omnium simul carnalium desideriorum inefficacitatem, & Dei imitatricem vitam,* scilicet significat, *intuentem absq; oculorum auersione in hominis Iesu diuinissimam vitam, ad crucem vsq; ac morté cum diuinâ impeccantiâ progressi, atque ita viuentes, tamquam sui similes, cruciformi propriæ impeccantiæ imagine signantis.* Et hi quidem duo Patres primo post Christum sæculo vixerunt.

Quid de illâ Patres primi sæculi.

De Ecclesiast. hierarch. c. 5. Parte 3.

Sæculo sequenti vixit Iustinus Martyr, qui postquam retulisset victoriam populi Dei, cótra Amalec, Moyse ex vtraq; parte manus leuante, ita subdit: *Neque enim quòd ita Moyses precabatur, propterea superior erat populus, sed quia initio pugnæ cum Iesu esset, ipse signú Crucis edebat.* Vixit eodé & Tertullianus, qui veteris meminit cósuetudinis muniendi se signo Crucis in lecto, in corpore, in oscitatione, in nocturnâ ad orandum suscitatione, sic inquiens: *Latebisne tu, cùm lectulum, cùm corpusculum tuú signas, cùm aliquid immundum flatu expuis, cùm etiam per noctem exurgis oratú, & non magia aliquid videberis operari?* Sed & alibi apertiùs rem explicat. *Ad omnem progressum, inquit, atq; promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumq; nos conuersatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.* Et alibi: *A personâ iniustitiæ sublatus est iustus; quis nisi Christus? Venite, inquiunt, auferemus iustum, quia inutilis est nobis. Præmittés itaq; & subiungens proinde passum etiam Christum, æquè iustos eius eadem passuros, tam Apostolos, quàm & deinceps omnes Fideles, prophetauit, signatos illâ notâ scilicet, de quâ Ezechiel: Dicit Dominus ad me: Pertransi in medio portæ mediam Ierusalé, & da signum Tau in frontibus virorú. Ipsa est enim littera Græcorum Tau, nostra autem T, species Crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris apud veram & Catholicam Ierusalé, in quâ fratres Christi, filios scilicet Dei, gloriam Patri Deo relaturos, Psalmus vigesimus primus canit ex personâ ipsius Christi ad Patrem: Enarrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ hymnum tibi dicam. Quod enim in nomine & spiritu ipsius hodie fieri habebat, meritò à se futurum prædicabat.*

Quid sæculi secundi.

Dialog. cum Tryphone.

Lib. 2. Ad vxorem, c. 5.

De Coronâ militis, c. 3.

Lib. 3. Cótra Marcionem, cap. 22.

Pulchra littera Tau S. Cruci applicatio.

3. Sæculo tertio vixit Origenes, qui, quid sua ętate apud Christianos & Catholicos fieret, ita descripsit: *Quid timent dæmones? quid tremunt? Sine dubio Crucem Christi, in quâ triumphati sunt, in quâ exuti sunt principatus eorum, & potestates. Timor ergo & tremor cadent super eos, cum signum in nobis viderint Crucis fideliter fixum.* Vixit tú etiam S. Cyprianus, è quo hæc habemus: *Illud signaculú seminis non profecit: signo autè Domini omnes signantur.* & pòst: *Quod in passione Crucis & Signo virtus omnis sit & potestas, apud Habacuc: Texit cælos virtus eius, & laudis eius plena est terra, & splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius erunt; & illic constabilita est virtus gloriæ eius.*

Quid scriptores tertij sæculi.

Homil. 6. in Exod.

Lib. 1. contra Iudæos, c. 8.

Lib. 2. contra Iudæos, c. 21.

Quartú sæculum protulit S. Athanasium, qui sic S. Crucis laudes celebrat: *Et hæc quidé non verbo tenus à nobis iactantur, sed re ipsâ veritatisq; experimentis demonstrantur. Adeat enim qui velit, & spectet insignia virtutis in Christi virginibus, & in adolescentibus pudicitiam consecratam, atq; immortalitatis fidem adstructam in tanto Martyrum choro. Veniat qui istorum dictorum experimentum capere velit, & in ipsis præstigiis dæmonum, & imposturis vaticiniorum, & in miraculis magiæ, vtatur signo Crucis ab ipsis deriso, nomenq; Christi inuocet, & videbit quomodo eius rei metu dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, magiæ & veneficia irrita fiant. Quis igitur*

Quid quarti sæculi.

Orat. de Incarnatione Verbi.

& quãtus est hic Christus, qui solo sui nominis vocabulo ac præsentiâ omnia adobruit & otiosa reddit, omnibus, maior est, & orbem terrarum suâ disciplinâ adimplet? Protulit & S. Gregorium Nyssenum, cuius ista sunt verba: *Cùm se recepisset igitur cum comitibus in illud templum, dæmones quidem statim inuocatione nominis Christi perterrefecit. Figurâ autem Crucis nidoribus inquinatum aëra cùm expiasset atque lustrasset, quod facere solitus erat, noctem totam orationibus & laudum decantationibus peruigilem transegit.* quibus sanè aureis verbis non obscurè indicat, S. Gregorio Thaumaturgo in edendis miraculis, quæ illud ei cognomen pepererunt, vsitatum instrumentum fuisse signum Crucis. Protulit insuper S. Gregorium Nazianzenum, qui nimirum recenset, quid diuina hæc S. Crucis armatura etiam in impio Iuliano Apostatâ, eiusdem Crucis hoste acerbissimo, effecerit, quando scilicet ille occultum quemdam idolorum templi locum ingressus, formidabilibusque spectris atque horrendo strepitu & fœtidissimis odoribus perterritus, in signo Crucis suum collocare præsidium coactus est. *Ad Crucem vetusq; remedium confugit,* ait S. Doctor, *hocq; se aduersus terrores consignat, eumq; quem persequebatur, opitulatorem adsciscit. At quæ sequuntur magis tremenda. Valuit signaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores.* Protulit præterea S. Cyrillum Ierosolymitanum Antistitem, qui admodum egregiè nobis S. Crucis virtutem & potentiam aperuit. *Non pudeat itaque nos,* inquit, *Crucis Christi. Quòd si aliquis id occultet, tu manifestè signa te Cruce in fronte, vt dæmones signum Regium videntes, tremẽtes procul fugiant. Fac autem hoc signum, & manducans, & bibens, & sedens, & cubans, & stans, & loquens, & ambulans, in summâ in omni tuo negotio. Crucifixus enim hic, suprà nunc in cælis est. Si enim crucifixus & sepultus permansisset in sepulchro, esset quod nos puderet: nunc verò qui in hoc Golgothâ crucifixus est, ex eo, qui est ad Orientem, monte Oliuarum ascendit in cælum, Patre ipsum aduocante & dicente, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Posteà iterùm: *Accipe arma contra aduersarios huius Crucis. Trophæum statuas fidem Crucis, aduersus contradicentes. Cùm enim de Domino Cruceq; contra infideles quæstio tibi erit, priùs statue manu tuâ Signum, & obmutescet contradicens. Non pudeat Crucem Christi confiteri: Angeli enim gloriantur dicentes: Iesum quæritis crucifixum. Non potuisti dicere, ô Angele, Scio quem quæritis, meum Dominum; sed confidenter dicit, Scio quod crucifixum. Corona enim est Crux, & non ignominia.* Hoc porrò eodem sæculo claruit eximium illud Ecclesiæ nostræ Catholicæ lumen S. Ambrosius Mediolanensis in Italia Episcopus, è quo hæc S. Crucis elogia descripsimus. *Signaculum,* ait, *Christus in frõte est, signaculum in corde. In fronte, vt semper confiteamur; in corde, vt semper diligamus; signaculum in brachio, vt semper operemur.* Ait iterùm alibi: *Populus per momenta singula fronti propriæ mortis contemptum inscribit, vtpote qui sciat, sine Cruce Domini salutem se habere non posse.* Iterùm alio in loco: *Debemus ergo surgentes gratias Christo agere, & omne diei opus facere.* Tædium esset Lectori, si quot locis diuinus Doctor hic S. Crucem concelebrat, adscribere velimus: assignatos ergo pro occasione suâ inspiciat locos, & videbit, quàm iniquè nos hæretici ob cælestis huius Signaculi vsum traducant & calumnientur. Inspiciat inquam sermonem 56. qui totus est de Cruce Iesu Christi: Orationem funebrem de obitu Theodosij Imp. Librum 17. Epistolarum, Epistolâ 85. & alibi. Huius tandem sæculi agmen claudat S. Hieronymus, qui hæc scribit: *Claudas cubiculum pectoris, & crebro Signaculo Crucis munias frontem tuam, ne exterminator Aegypti in te locum reperiat; sed primogenita, quæ apud Aegyptios pereunt, in tua mente saluentur.* In illud item Psalmi, *Fac mecum signum in bonum,* nõ aliam adfert nisi de signo Crucis expositionem, *Muniar,* inquiens, *Crucis tuæ signo, quod videntes potestates aduersæ, fugiant confusæ, & discedant à me. Hæc enim pro nostro populo Propheta rogat. Sed & nos precamur Domine, vt Crucis tuæ signo tutati, atque eius præsidio custoditi, mereamur ab omnibus insidiis diaboli liberari.*

[Margin notes: In Vitâ S. Gregorij Thaumaturgi. — Etiã in Ethnico Iuliano Crucis sacrosancta vis enituit. — Orat. 3. quæ est 1. in Iulianum. — Catechesi 4. Illuminatorum. — Semper nos S. Crucis signo munire deberemus. — Catechesi 13. — Et Angeli S. Crucem honorant. — Lib. de Isaac & animâ, c. 8. — Lib. 9. Epistolarum, Epist. 77. — Serm. 41. — Epist. 8. quæ est ad Demetriadem. — Psalm. 85. Dæmones signum Crucis fugat.]

4. Patrum porrò elogia finiant, qui mos nobis hactenus obseruatus est, DD. Ioannis Chrysostomi & Augustini testimonia: quorum prior sic ait: *Verumtamen hoc maledictum* (quale ante Redemptoris passionem erat Crux) *hoc abominabile, hoc extremi supplicij symbolum, Crux, diadematibus & coronis clarius factum est. Neque enim sic Regiâ coronâ ornatur caput, vt Cruce, quæ omni cultu dignior; & quam omnes priùs abhorrebant, eius figuram tantopere quærunt; atque adeò vbique ea inuenitur, apud Principes, apud subditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud seruos, apud liberos. Subinde eâ omnes se signant, inscribendo in mobilissimum membrum nostrum. In fronte enim nostrâ, quasi in columnâ, quotidie figuratur. Sic in sacrâ mensâ, sic in Sacerdotum ordinationibus, sic iterùm cum corpore Christi in mysticis cœnis fulget. Hanc vbique celebrari videre licet, in domibus, in foro, in solitudine, in viis, montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in nauigiis & insulis, in lectis, in vestibus, in armis, in thalamis, in symposiis, in vasis argenteis, in aureis, in margaritis, in murorum picturis, in corporibus brutis malè affectis, in corporibus à dæmoniis obsessis, in bellis, in pace, in diebus, in noctibus, in delicatorum choreis, in Monachorum ordinibus: adeò certatim donum hoc mirabile rapiunt omnes. Mira est hæc gratia: nullus confunditur, nullus erubescit, cogitans quod maledictæ mortis symbolum fuerit; sed omnes ipso magis ornantur, quàm diadematum coronis, vel multis gemmatis monilibus & torquibus. Et non solùm non fugitur, sed & desideratur & adamatur, & omnes de eâ solliciti sunt, & vbique fulget, & sparsa est in parietibus domorum, in culminibus, in libris, in ciuitatibus, in vicis, in locis quæ habitantur & quæ non habitantur.* Posterior verò, D. Augustinus scilicet sic scribit: *Manifestissimè Propheta de Domino Iesu Christo dicit, Quia tamquam ouis ad immolandum ductus est. cuius passionis & Crucis signo in fronte hodie tamquam in poste signandus es, omnesq; Christiani signantur.* Iterum: *Homines sumus Christiani; & si Christiani, vtique ipso nomine ad Christum pertinentes. Huius signum in fronte gestamus; de quo non erubescimus, si & in corde gestamus. Signum eius, est humilitas eius. Per stellam eum Magi cognouerunt, & erat hoc signum de Domino datum, cæleste atque præclarum. Noluit stellam esse in fronte fidelium, signum suum, sed Crucem suam: vnde humiliatus est, inde glorificatus est. Inde erexit humiles, quò humiliatus ipse descendit.* Emphatica sunt quæ alibi habet. *Mori voluit,* inquit, *pro nobis: parum dicimus, crucifigi dignatus est, vsque ad mortem crucis obediens factus. Elegit extremum & pessimum genus mortis, qui omnem fuerat ablaturus mortem. De morte pessima occidit omnem mortem. Pessima enim erat non intelligentibus Iudæis; nam à Domino electa*

[Margin notes: Orat. Quòd Christus sit Deus. — In quo modò honore Crux habeatur, quæ ante Christum ignominiosa fuerat. — Omniũ erga Crucem deuotio. — Lib. de Catechizandis rudibus. — Tract. 3. in Ioann. — Insignibus comparationibus Crux à D. Augustino celebratur. — Tract. 36. in Ioann.]

Hoc mortis genere cur Christus mortuus fuerit idē Doctor examinat.

electa erat. Ipsam enim Crucem suam signum habiturus erat, ipsam Crucem de diabolo superato tamquam trophæum in frontibus Fidelium positurus, vt diceret Apostolus, Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Nihil erat tunc in carne intolerabilius, nihil nunc est in fronte gloriosius. Quid seruat Fideli suo, qui talem honorem dedit supplicio suo? Denique modò in pœnis reorum non est apud Romanos. vbi enim Domini Crux honorata est, putatum est, quòd & reus honoraretur, si crucifigeretur. Sed & varios S. Crucis effectus variè describit, sic inquiens: *Hoc signum præsidium est amicis, obstaculum est inimicis. Huius Crucis mysterio rudes catechizantur, eodem mysterio fons regenerationis consecratur, eiusdem Crucis signo per manus impositionem baptizati dona gratiarum accipiunt. Cum eiusdem Crucis charactere Basilicæ dedicantur, altaria consecrantur, altaris Sacramenta cum interpositione Dominicorum verborum conficiuntur. Sacerdotes & Leuitæ per hoc idem ad sacros Ordines promouentur. Et vniuersaliter omnia Ecclesiastica Sacramenta in huius virtute perficiuntur.*

Serm 19. de Sanctis.

Varÿ profectò ab illo effectus Crucis descripti.

5. Atque hæc è Patribus sufficiant, vt quoad Catholicam de S. Crucis vsu doctrinam confundantur aduersarij, quemadmodum etiam ad eius præsentiam diaboli fugantur: iam ad Scripturas, quæ Crucis Dominicæ cultum atque efficaciam ad oculum adstruunt, accedimus. Clara sunt & præclara admodum, quæ pro hac re in antiquâ Lege leguntur, antequam attactu suo sacratissimo signum hoc Saluator sanctificasset. E pluribus tria exempla delibabimus. Iacob Patriarcha, Ephraim & Manasse, suis è Iosepho nepotibus benedicturus, in brachiorum suorum compositione vti voluit signo sanctæ Crucis, quod hisce verbis in sacro Textu refertur: *Et posuit*, scilicet Ioseph, *Ephraim ad dexteram suam, id est ad sinistram Israel: Manassen vero in sinistrâ suâ, ad dexterâ scilicet patris, applicuitq; ambos ad eum. Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem super caput Manasse qui maior natu erat, commutans manus. Benedixitq; Iacob, &c.* & infrà: *Videns autem Ioseph quòd posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, grauiter accepit: & apprehensam manum patris leuare conatus est de capite Ephraim, & transferre super caput Manasse. Dixitq; ad patrem: Non ita conuenit, pater: quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput eius. Qui renuens, ait: Scio fili mi, scio, &c.* vbi duo pulchra meritò à Patribus obseruata fuerunt. Primum, Cùm filiis Iosephi Iacob benedixit, illum sanctæ Crucis signo vsum esse: secundum, vt ostenderet, quantò copiosiori, abundantiorique ex eiusdem sanctæ Crucis mysterio benedictione donandi essent Christiani, filij velut secundogeniti respectu primogenitorum, id est Iudæorum. Alterum idque maius efficaciæ S. Crucis argumentum, habetur in Exodo, vbi legitur: *Dixitq; Moyses ad Iosue: Elige viros; & egressus, pugna contra Amalec: cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu meâ. Fecit Iosue vt locutus erat Moyses, & pugnauit contra Amalec: Moyses autem & Aaron & Hur ascenderunt super verticem collis. Cumq; leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. Manus autem Moysi erant graues: sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit: Aaron autem & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte. Et factum est vt manus illius non lassarentur vsque ad occasum Solis. Fugauitq; Iosue Amalec, & populum eius in ore gladij. Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Iosue: delebo enim memoriam Amalec sub cælo.* Hoc inquam ex loco Antiqui sanctæ Crucis efficaciam demonstrarunt.

Quod de Cruce hactenus probatū ex Patribus, idem modò fit ex Scripturis.

Genes. 48, 13.

Prima, Crucis signi a inuenitur in benedictione Iacob super filios Ioseph.

Exod. 17.

Secunda, in victoriâ contra Amalecitas obtentâ propter orantem in Cruce Moysen.

Tertius locus habetur in libro Numerorum. Cùm enim filij Israel, ad Terram promissionis proficiscentes, diutiùs quàm putassent in deserto & solitudine detinerentur, *tædere cæpit*, vt Scriptura ait, *populum itineris ac laboris: locutusq; contra Deum & Moysen, ait: Cur eduxisti nos de Aegypto, vt moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. Quam ob rem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccauimus, quia locuti sumus contra Dominum & te: ora vt tollat à nobis serpentes. Orauitq; Moyses pro populo, & locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem aneum, & pone eum pro signo: quem cùm percussi adspicerent, sanabantur.* Quod miraculum ipse Saluator noster Crucis suæ prototypum fuisse asseruit, sic inquiens: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et hæc quidem de S. Cruce, vt inde colligamus, non mirum esse, in nouâ lege, postquam eaipsa à Christi personâ consecrata fuit, maiora Christianis tum viuis tum mortuis prouenire: superest vt de lustrali nonnihil seu benedictâ aquâ, quæ in Ecclesiâ Catholicâ tum mortuorum tum viuorum bono adhibetur, nonnihil dicamus. Cuius materia quia communis etiam est aliis rebus, quæ apud Catholicos vsurpantur, & vsurpari ab antiquo consueuerūt, & quarum benedictio cum eadem aquâ perfici solet, de iisdem simul acturi sumus: nam & earum plures, vtputa palmæ, candelæ, thus, &c. in mortuorum quoque officiis vsu veniunt; aliæ significatione suâ defunctorum materiam contingunt, vt v.g. cineres, qui mortem designant; cereus Paschalis, qui Christi resurrectionem, & lumen quod mortuis per illam exhibitum est; campanæ, quæ vltimum illum tubæ sonum, mortuos ad iudicium vocantis denotant, vel fideles, vt pro defuncto preces ad Deum offerant, excitant.

6.

Num. 21, 5.

Tertia, in serpēte aneo, ad cuius conspectū saluati sunt ab ignitis serpentibus morsi.

Si tāta Crucis efficacia ante Christū fuerit, quid amplius esse debet post quā eam ipse sanctificauit.

7. Mirabilè res, quòd tanto impetu diabolus per sectarios ministros suos benedictiones creaturarum insectatus sit: imò non mira res, si eam vt par est inspiciamus: nam maledictissimus ille Dei & hominum inimicus, quia omnis benedictionis re & spe expoliatus est, nullam ferre potest creaturam benedici; quia vniuerso maledictionis genere ipsemet circumuallatus est, non nisi maledictionem omnibus optat atque procurat. Videamus nos primùm, quanta in has sacratissimas Ecclesiæ Romanæ consuetudines cærimoniasque serpens ille maledictus & amarulentus maledicta venenaque euomuerit: posteà quantum inde spiritualis nutrimenti fideles Catholici sibi & mortuis haurire queant. Patebit id ex Patribus, patebit ex Scripturis, ad quas tamen tenebriones isti, sed in maiorem sui execrationem, appellare solent. Fuit nuper non-nemo ex hæreticorum surfure Prædicantius, qui vti Sacer-

Mirabile est cur adeò creaturarum benedictionibus maledicant hæretici.

 dotes

dotes Ecclesiæ Catholicæ vocare ausus fuit *Vesouis Romani dardanarios & saccularios*, id est fures ac maleficos; *ita & panis, vini, aquæ, salis, olei & similium creaturarum benedictiones* esse voluit *susurros Zoroastræos quibus incantationes peraguntur.* Huic consonat Tilmannus Heshusius Lutheranus, qui vigesimo septimo loco inter Papistarum (sic Catholicos vocat) errores ponit, aquam lustralem valere ad delenda venialia, & ad fugandos dæmones & morbos. Et hũc errorem, vt ipse errabundus arbitratur, oppugnat illo S. Ioannis Apostoli dicto: *Sanguis Christi emundat nos ab omni delicto.* si ab omni, inquit, ergo etiam à veniali. Deinde inquit, nullibi scriptum inueniri, quòd aqua consecretur, consecrata fuerit aut consecranda sit ad fugandos dæmones: & quòd, vt ipse putat, manifesta magia sit, præter Dei verbum creaturis vti ad fugandos dæmones, prohibita illo Exodi loco, *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* ideoque exterminandos esse Sacerdotes Romanistas, eò quòd Dominus Deus præceperit, *Non sit maleficus, nec incantator inter vos.* Ioannes quoque Caluinus, magnus ille sanguinolentorum & Principicidarum hæreticorum coryphæus triplici argumento Aquam benedictam oppugnat. Dicit enim primò, Catholicos turpiter secum inuicem pugnare, quòd aquæ benedictionem dicant esse Apostolicam traditionem, & nihilominùs eius institutionem in Alexandrum Papam reiiciant. Dicit secundò, hanc aquæ benedictæ institutionem recentiorem esse quàm vt vel ad Alexandrum vel ad Apostolos referri possit: cùm Augustinus dicat, Christianos prætermisisse cærimoniam lauandi pedes in die Cœnæ Domini, ne ea lotio ad Baptismi Sacramentum pertinere videretur; ideoq; manifestum sit, nullam eo tempore in Ecclesia lotionem fuisse religiosam præter vnum & solum Baptismũ. Dicit tertiò, quòd aquæ lustralis institutio propterea ab Apostolis deriuari nequeat, quòd nil sit aliud quàm Baptismi quædam profanatio & quasi iteratio. Sed & Brentius, è Lutheranorum grege porcus pinguissimus, propterea istos Ecclesiæ ritus reprehendit, quòd mysteria fidei non ampliùs, cùm Euangelium iam per totum orbem coruscet, re quapiam corporea adumbrari necesse sit. Sed audiamus quid Centones illi Magdeburgenses consuerint, qui dicunt, aquæ consecrationem rectiùs tribui posse alicui Gentilium Pontificum, quàm Alexandro Papæ & Christi martyri, eò quòd Ethnicus omnino sit ritus. Sic dicunt etiam Waldenses, qui primi eiusmodi benedictiones irridere cœperũt circa annum Christi 1140. adeò vt à quinque ad summum sæculis hi Ecclesiæ Catholicæ eò vsque irrefragabiliter vsurpati ritus primùm contemni oppugnarique cœperint. Sed quibus fundamentis? Nullis: nisi fortè argumenta dici quis velit somnia illa quæ somniauit Heshusius, aut ea quæ satanâ suggerente commentus est liliatus Caluinus.

Qui de iis in nos debacchati sint.

Lib. de Sexcentis erroribus Papistarum.

Quibus fulti argumẽtis.

1. Ioan. 1.

Exod. 20.

Deut. 18.

Lib 4. Instit. cap. 10. §. 20.

Quibus Caluinus aquam benedictam oppugnet.

Epist. 119. cap. 18.

Quid de his ipsis scripserit Brentius.

Cent. 2. c. 6. col. 121.

Quando creaturarum benedictiones oppugnari cœptæ.

8. Sed enim, ne fortè cristas sumant hæretici, & imbecillitatis nostræ nos arguant, quasi bullas illas diflare nequeamus, en, patientia tuâ, Lector, abusus, vel vnico flatu eas dissoluo. Quid ergo tu dicis, Heshusi, non esse scriptum vt aqua sanctificetur ad pellendos dæmones? O os mendacissimum! numquid scriptum est, omnem creaturam sanctificari posse per verbum Dei & orationem? numquid scriptum est, *Petite, & accipietis*? Ecclesia igitur Catholica, Christũ & D. Paulum Apostolum eius secuta, aquam verbo Dei & oratione sanctificat, petitque, vt Deus hanc ei gratiam diuinitus concedere dignetur, quò cõtra dæmones & morbos valeat. Et numquid Ecclesiæ preces frustrà fiunt? Non certè: gratiâ hanc ad preces Ecclesiæ eidem aquæ conferri, miracula & effectus commõstrant quotidie. Et quamuis nullum è Scripturis exẽplum haberemus, quid tum? An propterea aqua ista hanc virtutem non habebit? Non minùs quàm sal & aqua Iordanis, quibus Eliseus aquam amaram & leprâ curauit. Dicis item, Heshusi, non esse assumendum nomen Dei in vanum, & magos non esse tolerandos, idque ex Scripturæ præscripto. Benè dicis, sed assumptum tuum falsum est. Scias ergo, assumere nomen Dei in vanum, propriè nihil esse aliud, quàm peierare, prout rectè explicauit Concilium Toletanum VIII. cap. 2. Malefici autem & incantatores sunt, qui diaboli potestate aliquid mirum operantur. Iam tu subsume: Atqui Catholici dũ aquam, oleum, &c. benedicunt, nomen Dei assumunt in vanum, id est peierant; & incantationibus vtuntur, id est, diaboli operâ quid mirum præstant. Erras, imò mentiris, Heshusi, Catholici enim Sacerdotes, dum aquam, oleum, &c. benedicunt, nec peierant, nec diabolum inuocant, sed solùm Deum religiosè precantur: tota enim & omnis virtus aquæ lustralis prouenit à verbo Dei & oratione, vt ex Apostolo demonstratum est. Sed & Caluino respondendum est, cui primùm opponimus, aquæ lustralis institutionem non tribui à Catholicis Alexandro tamquam primo inuentori aut auctori, sed solis Apostolis; eâ verò solũmodò ratione Alexandro tribui, quòd ille primus id decreto & mandato publico obseruari iusserit, quod anteà permissâ solùm ex consuetudine obseruabatur. Deinde dico, Augustinum non improbare cærimoniam lotionis pedum, sed varias solùm recensere opiniones; quin nec dicit Augustinus, vllos fuisse qui simpliciter eam cærimoniam reprobarent, sed fuisse solùm nonnullos, quibus displiceret quòd pedes Catechumenorum lauarentur in Cœnâ Domini, ne videretur illa lotio ad baptismum esse necessaria. Imò, quod fortè datâ operâ videre noluit pessimus iste Stigmatistes, Augustinus ibidem dixit, placuisse multis eam lotionem differendam esse in octauum Paschæ diem: alioquin S. Ambrosius multis eamdem cærimoniam defẽdit. Nec, quod tertio loco cauillatur & mentitur Caluinus, per Aquam benedictam repetitur Baptismus, cùm ab aquæ adspersione differat formâ, ministro, intentione & effectu. Potest tamen fieri, vt per Aquam benedictam refricetur memoria Baptismi, ita vt ille, qui eâ aspergitur, recordetur se per aquam purgatum fuisse, & cum Deo pactũ contra diabolum iniisse. Quid pluribus opus? Euomuit sua venena Lutherus, euomuit & Caluinus, nec tamen cuipiam, nisi sibi, damnum intulerunt.

Refutantur prædictorum errores

1. Timoth. 4.

Heshusij primum.

Ex Scripturis res Catholica declaratur.

4. Regum. 2.

Ad Caluini similiter obiecta, responsio.

Aqua lustralis ab Apostolis initium habet.

Lib. 3. de Sacrament. c. 1.

Non est secũdus baptismus, potest tamen illius esse recordationis occasio.

9. Age verò, cærimonias hasce sacras è Scripturis sacris & SS. Patrum monimentis adstruamus. E Scripturis habemus exemplum, habemus & documentum. Exemplum est Domini Iesu Christi, qui panes multiplicaturus adspexit in cælum, & benedixit eos, eaque benedictione multiplicauit.

Benedictionis panis in Christo exemplum.

cauit. Veniat iam Caluinus, & Christum magum efficiat, qui nescio quâ superstitiosâ cæremoniâ vsus est, cùm illâ opus non haberet, & solo nutu id quod volebat efficere poterat: nec hoc religioni sibi ducet Caluinus, cùm & mendacem eum atque impostorem fecerit, cùm verbis quidem Corpus nobis suum daturum se pollicitus fuerit, nudum verò panis bolum dederit. Sed missum faciamus blasphemum illum nebulonē, & Christum Dominum imitemur, cùm argui non possit, quod ille prior fecit. Documentum nobis præbuit D. Paulus Apostolus, qui sic inquit: *Omnis creatura Dei bona est, & nihil abiiciendū quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* vbi Apostolus, vt Chrysostomus & Theophylactus inquiunt, loquitur ex hypothesi, hoc modo, Omnis quidem creatura bona est & munda, tamen etiāsi esset immunda, facilè eam sanctificari, adhibito signo Crucis & oratione. Si ergo etiam res immundæ sanctificantur per signum Crucis & orationem, quantò magis res alioquin bonæ fient meliores & sanctiores per signum Crucis & orationem? Sed & Patres audiamus. S. Clemens ponit ordinem consecrationis aquæ. S. Dionysius Areopagita dicit, aquam sacris inuocationibus consecrari. Alexander I. similiter aquam benedici mandauit. Cyrillus ita inquit: *Sicut mundi cibi fiunt immundi inuocatione diaboli, ita aqua simplex fit sancta inuocatione Dei.* & S. Cyprianus: *Oportet mundari & sanctificari priùs aquas à Sacerdote.* S. Ambrosius docet, aquā debere consecrari. imò dicit, aquam, nisi Crucis signo priùs sacretur, nullum habere vsum in Ecclesiā. S. Basilius consecrationem aquæ vocat Apostolicam traditionem. Eiusdem cærimoniæ meminerunt Epiphanius & Theodoretus. Ipse quoque D. Augustinus dicit aquam signo Crucis in Ecclesiā cōsecrari. Quin in Concilij Nometensis decretis lego, Presbyterum, cùm ægrotos visitat, primò debere aquā sanctā aspergere ægrotum, deinde ipsum cubiculum. De benedictione porrò olei habentur testimonia Clementis, Dionysij, & Basilij, locis hic paulò antè citatis & Augustini. De benedictione panis extra Eucharistiam habemus iterùm testimonium Augustini, & Pauli. De benedictione Cerei paschalis habemus testimonium Strabonis cap. 30. Concilij IV. Toletani can. 8. & Papæ Zosimi, vt ex Pontificali Romano patet. De benedictione denique palmarum & cinerum testimonium extat B. Maximi, qui Homilias scripsit pro die Cinerum & Dominicā Palmarum.

1. Timoth. 4. *S. Paulus quid de benedictione creaturarum senserit.*

Quid de aquā benedictā Patres. Lib. 8 Constit. Apost. De Eccles. hierarchia, cap. de Baptismo. Epist. 1. Catechesi 3. Lib. 1. Epist. 12. Lib. 4. de Sacram. cap. 5. Lib. de his qui initiant. cap. 3. Lib. De Spiritu sancto, cap. 27. Hæresi 30. Lib. 5. Hist. cap. 21. Homil. 27. ex 50. & Serm. 19. de Sanctis; & lib. 6. in Iulianū, c. 8. Tract. 118. in Ioan. Lib. 2. de Peccator. mer. Epist. ad Alipium.

10. Quoad verò emolumenta quæ ex harum rerum benedictionibus proueniunt, notandum est, tres præcipuè ob causas ab Ecclesiā eas benedici, Primò vt spirituales effectus nobis significent: cineris enim aspersio pœnitentiam, palma victoriam, Cereus paschalis gloriā resurrectionis denotant. Neque hic audiendus est Brentius cum suā adumbratione, quia hæ significationes non sunt propriè adumbrationes futurorum, sed repræsentationes externæ rerum præsentium inuisibilium & spiritualium, vel etiam præteritarum, quæ vtilissimæ sunt ad effectū excitandum. Alioquin, si Brentij ratio quidquam valeret, Baptismus abrogandus esset, quandoquidem ille mortis & resurrectionis Christi repræsentationem aut adumbrationem contineat, vt Apostolus Paulus docuit, atque insuper resurrectionis nostræ per Christum typum exhibeat. Secundò, vt venialia peccata per eas dimittantur. Quam in rem inspiciendus est a S. Thomas, b Dominicus à Soto, & c Gratianus. Et friuolum est argumentum Heshusij: Sanguis enim Christi nos ab omni peccato emundat, sed opus est, vt nobis hunc illum applicemus. Et quemadmodum applicatur per Baptismum & Pœnitentiæ Sacramentum ad delenda omnia peccata, ita quoque applicatur per Sacramentalia & Orationem Dominicam ad delenda venialia in eo qui est in statu gratiæ. Tertiò, vt fugentur dæmones & morbi curentur, quod patet ex precibus quibus consecrātur. Quamuis & hoc fatear, quòd dicta non semper operētur certò & infallibiliter, prout operantur Sacramenta: cuius rei est ratio, quia hæ res vim eam habēt non ex Dei expresso pacto quemadmodum Sacramenta, sed ex precibus Ecclesiæ & deuotione vtentium, tum etiam, quia aliquando nobis non expedit vt vel a morbo vel a dæmonis infestatione liberemur. Et hos effectus plerūq; sequi, tum Scripturarum auctoritate tum SS. Patrum testimoniis comprobare possumus. Numquid aquæ illæ, super quas Sacerdotis maledictiones congestæ fuerunt, si ab adulterā fuissent epotæ, eius ventrem inflari, & femur putrescere faciebant? Numquid aqua cineribus mixta dicebatur aqua mūdationis vel expiationis, & per eam mundantur Iudæi, non quidem à peccatis, sed à legalibus sordibus, vt Apostolus inquit? Numquid Eliseus ad amaras aquas persanandas adhibuit salem, & ad curandum à leprā Naaman Syrum, aquas Iordanis? Numquid Apostoli ægrotos oleo inungebant, & curabant? Et quis iam hæreticellorum nostrorum tam erit audax, aut temerarius, vt necromantiam vel incantationem interuenisse dicere præsumat? Epiphanius refert, Ioseph benedictā aquā dissoluisse incātationem. Perinde fecit Marcellus Apamēēsis apud Theodoretum, & Macarius apud Palladium. Hilarion pane vel oleo benedicto plurimos curauit, vt narrat S. Hieronymus in Vitā eius, prout etiam de S. Bernardo in Vitā ipsius refertur. S. Gregorius Magnus scribit, S. Fortunatum solius aquæ benedictæ aspersione sanasse quemdam, qui ex equo cadens femur confregerat. Beda narrat, feminam quamdam nobilissimam, grauissimè laborantem, aquā benedictā mox ita conualuisse, vt ministrarit mensæ, quemadmodum fecerat socius Petri. Et alibi idem refert, a S. Malachiā per aquam benedictam hominem phreneticum curatum fuisse. Et iam quispiam ex hæreticis adeò effrons erit, qui hosce viros sanctissimos, quibus verus Dei cultus tam sollicitè cordi erat, & qui ab omni etiam peccati leuissimi specie abhorrebant, magiæ & incantationis incusare ausus fuerit? Infinitus essem, si vndequaque colligere & hic congerere velim, quot per aquam lustralem atque alias res ab Ecclesiā benedictas factæ sunt sanationes corporales. Quid igitur mirum spirituales inde effectus prouenire, quibus defunctorum animæ iuuentur? Ab omni profectò hominum memoriā in mortuorum sepulturā vsi sunt Orthodoxi aquā benedictā, tum vt à dæmonibus cadauera essent immunia, tum vt animabus requiem piā illā, religiosā & à Spiritu sancto institutā cærimoniā conciliarent.

Rationes ob quas fiat in Ecclesia aquarum benedictio.

Rom. 6.

a Part. 3. quæst. 37. art. 3. b In 4. dist. 15. q. 2. c Can. Aquā. dist. 3. de Consecrat.

Dæmones illā aquā fugantur.

Effectus aquarum ex Scripturā. Numer. 5. Numer. 19. Hebr. 9. 4. Reg. 2. & 5. Marc. 6.

Ex Patribus. Hæresi 30. Lib. 5. c. 21. Lib. 1 Dialogorum, c. 10. Lib. 5. Hist. cap. 4. In Vitā S. Malachiæ.

Mali in hac insurgunt hæretici.

Rectè aqua benedicta defunctis applicatur.

Neque

11\. Neque in aquâ solùm hæc locum habent, sed in aliis etiam rebus vel creaturis per benedictionem Sacerdotalem sanctificatis, vt in palmis, quibus aqua ista adspergitur; cereis qui cadaueribus & sepulchris apponuntur, vel etiam supra altaribus, dum pro mortuis Sacrificium offertur, accenduntur: locum item habent in thure benedicto, atque etiam in ipsismet campanis, quæ, vti omnes nouimus, ab Ecclesiâ sanctâ ritu peculiari benedici solent. Vsu hic venit quod iam suprà ex Angelico Doctore S. Thomâ retulimus, quamcumque latriam, Deo exhibitam, orationis rationem habere, & propterea æquè atque illam defunctis ad requiem æternam proficere, præter externam significationem, dum nimirum viui, qui res eas vident vel audiunt, excitantur vt pro mortuis orent. Habent enim ex vi benedictionis suæ quamdam deuotos aut se frequentantes ad pietatem incitandi efficaciam: habent item, vt sui exercitio viuos reddant memores eorum quæ aguntur vel agenda sunt circa mortuos. Nam & campanæ quæ pulsantur, eos qui defuncti sunt fideles fuisse declarant; thus, offerendas pro iis orationes, quæ nimirum aptè per illud significatæ sunt, vt patet ex Apocalypsi, vbi describuntur à Sanctis in cælis Deo oblatæ phialæ aureæ, plenæ *odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum*. & ex Psalmo, vbi legitur: *Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Lumen etiam quod ad memoriam defunctorum accenditur, illud iis à nobis optari procurarique debere designat, quod toties Ecclesia recitat, inquiens, *Et lux perpetua luceat eis*, & vt idipsum & nos frequentiùs iteremus inculcat. Palmæ quoque in animarum causâ suam habent significationem mysticam, quâ & nos ad illas liberandas instigant. Quemadmodum enim palmæ triumphi Saluatoris, quem paucis egit ante passionem suam diebus, dum Ierosolymam ingrederetur, gerunt indicium, ita viuis incitamenti loco esse possunt, vt animabus triumphabundi Saluatoris in cælestem Ierusalem ingressûs societatem procurent, quò resurrectionis ipsius, cuius quidem fuit ille in palmis triumphus figura, eis contingat consortium, idque eueniat quod nos credere debere iubet Apostolus, dum ait: *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non contristemini sicut & ceteri, qui spem non habent. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cũ eo.* Sed & singulas, quibus Ecclesia sub mortuorũ officio vtitur, ceremonias cõtra hæreticos nostros adstruamus. De cãpanarũ inprimis pulsu nulla nobis esse debet cum illis contentio, quandoquidẽ & ipsi ritum illũ, saltem plurimis in locis, solemnem habeant, vt in mortuorum exequiis eas pulsent, quamuis nullo alio fine, quàm ob vanam & inanem ostentationem, aut pro friuolo aliquo honore captando, cùm apud Catholicos earum pulsus ideò solùm institutus sit, vt viui admoneantur, preces sibi pro defunctis fundendas esse, quò requie æternâ frui possint illorum animæ. Haud tamen diffiteor, etiam apud Catholicos nonnumquam vanum populi plausum, & diuitiarum aut nobilitatis ostentationem captari, quamuis ille abusus (qui meritò emendari deberet) vero vsui & sinceræ eius institutioni nihil omnino præiudicet. Hoc saltem certum est, hæreticos ob solam vanã gloriolam, Catholicos verò præcipuè ob preces pro defuncti animâ fundendas, & quandoque accidentaliter pro exiguâ & transitoriâ apud vulgum opinione obtinendâ campanas pulsare. Consentiunt etiam nobiscum hæretici in eo, quòd defunctorum cadauera honestè lauanda & decenter componenda censeant; cuius rei exempla non solùm apud SS. Patres, sed & in ipsâ sacrâ Scripturâ habemus frequentissima, quemadmodum in nouo Testamento patet de Tabithâ, & in vetere in Patriarcharum historiis. Sed & apud hæreticos æquè atque apud Catholicos defunctorum corpora honorificè & condecente comitatu efferuntur: sed id inter vtrosque est discriminis, quòd Catholici ideò plurimos conuocent, vt plures preces pro defuncto deferantur Altissimo, hæretici verò vt nescio quid inde vanitatis aucupentur. Cuius honestissimi ritus instituendi rationem habuit Ecclesia Catholica ex Patrum & Scripturæ exemplis. Patrum quidem, prout legitur apud a S. Gregorium Nazianzenum, b Seuerum Sulpitiũ, c D. Hieronymum, & alios: Scripturæ verò, vbi nimirum refertur, quòd cùm filius viduæ Naimiticæ efferretur ad sepulturam, ingẽs hominum multitudo secuta fuerit; prout etiam de sepulturâ Patriarchæ Iacob refertur in libro Genesis. Sepeliunt item hęretici suos in templis & Ecclesiis, dispari tamen iterùm intentione: illi quidem ex politicâ quadam honestate, Otthodoxi verò ex piâ religione, vt locus ille sacer animæ defũcti ad requiẽ prosit, & vt ipsæ ibi participes fierent orationum & aliorũ bonorum operũ, quæ faciunt illi qui eadem loca sacra frequentãt. Nec verò vana hæc Catholicorum est obseruantia, cùm & Patriarcha Ioseph magnâ cum sollicitudine curauerit ossa sua in Terram promissionis absportari, & prisci primique Catholici summâ diligentiâ ad ædes sacras demortuorum corpora deferri curauerint. Legantur quæ hanc in rem habent a D. Ambrosius, b D. Hieronymus, c S. Gregorius, & d S. Augustinus. Iam ea referenda sunt in quibus apertè hæretici à nobis dissident: inter quæ præcipuum, quòd ad mortuorum corpora Catholici candelas atque lampades accendunt, quod isti velut idololatriam irrident & execrantur. Sed toti priscorum temporum vsui contradicunt, quem nobis describunt, vt posteriores omittamus, a Theodoretus, b D. Hieronymus, c S. Ioannes Chrysostomus, d Gregorius Naziãzenus, & e Gregorius Nyssenus. Dissidẽt itẽ à nobis, quòd nos magnas è demortuorũ sepulturâ ad nos dimanare statuamus remunerationes, quod ipsi negant & pernegant. A nostrâ parte stant Scripturę, quæ munus hoc magnâ apud Deum remunerationem promereri asserunt, vt ex illis Dauidis verbis constat, quibus eos qui Saulem & Ionatham sepelierant, atque pro illorum solatio ieiunauerant, alloquitur. *Benedicti vos, inquit, à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, & sepelistis eum. Et nunc retribuet quidem vobis Dominus misericordiam & veritatem: sed & ego reddam gratiam, eò quòd fecistis verbum istud.* Egregium sanè exemplum habemus in Tobiâ seniore, de quo hæc effatur sanctus Dei Angelus: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, &c. & mortuos abscondebas per diem in domo tuâ, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationẽ tuam Domino.* Quin ipsemet Saluator noster ita de Maria Magdalenâ ait:

In rebus aliis benedictis quenam vis insit.

Earum spiritualis interpretatio.

Apocal. 5.

Psalm. 140.

1\. Thessal. 4.

Campanarũ pulsus etiam apud hæreticos fit.

Sed diuersâ quàm apud nos ratione.

Actor. 9.

Pro vt similiter fit de honorificâ sepulturâ.

a Orat. 2. contra Iulianum.
b In Vitâ S. Martini.
c In Vitis Fabiolæ, Paulæ, &c.

Lucæ 7.

Genes. 50.

Genes. 50.

a Lib. 1. de Abrahã, c. 9.
b In Vitâ Paulę & Fab.
c Lib. 3. Dial. cap. 13.
d Lib. de Curâ pro mort. cap. 1.

Luminaria quare circa mortuos accendantur.

a Lib. 5. Hist. cap. 36.
b In Vitâ Paulæ.
c Homil. 4. in Epist. ad Hebræos.
d Orat. 2. in Iulianum.
e Epist. ad Olympiam de obitu sororis.

Deo gratum mortuos sepelire.

1\. Regum. 2.

Tobiæ 12.

Matth. 26. ait: *Opus bonum operata est in me. Mittens enim vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* & quanta hinc ei expectāda esset merces, subiungit, sic inquiens: *Amen dico vobis, vbicumq; prædicatum fuerit hoc Euangeliū in vniuerso mundo, dicetur & quòd hæc fecit, in memoriam eius.* Eiusmodi igitur factum hoc fuit quod ab omnibus laudari potuit, & apud omnes, qui Euangelicam veritatem suscepturi erant laudari debuit; factum inquam vngendi corpus Christi ad sepulturā. Quatuor alias vtilitates adducit Card. Bellarminus, quas sibi acquirant ij qui sepeliunt, & quatuor insuper alias quæ in commodum defunctorum cedant. Verba eius hæc sunt: Dicimus, multiplicem esse vtilitatem sepulturæ, tam viuis quàm defunctis. Et viuis quidem quadruplicem, Primò, quòd per sepulturam arcetur fœtor & horror cadauerū, quæ non parum viuis nocerent. Secundò, quòd eo studio testantur viui fidem resurrectionis, & immortalitatis animarum. Non enim tam diligenter corpora mortuorum curaremus, nisi putaremus ea resurrectura: neque cereos accenderemus, nisi animos viuere post mortem corporum significare vellemus. Tertiò, quòd admonentur propriæ mortis, vnde etiam tituli defunctorum monumenta dicuntur. Quartò, quòd eo officio satisfaciant viui aliquo modo affectui suo quo mortuos prosequebantur. Si enim vestes & annulos amicorum benè collocari volumus, certè multò magis corpora. Et hoc est quod Augustinus dicit, cùm ait, sepulturæ pompam solatia esse viuorum. Porrò mortuis ex sepulturâ alia quadruplex accedit vtilitas. Prima, quòd consulitur honori eorum, adhuc in hominum memoriis viuentium. Non enim caret ignominiâ quadam, quòd fœditas nostri corporis aliorum conspectibus pateat. quocircà non leuis pœna iudicatur, cùm quis à Iudice priuatur sepulturâ, & iubetur in patibulo aut rotâ pendens esse auium esca. Secunda, quòd satisfit desiderio eorum, quod dum viuerent habuerunt. nemo est enim qui carnem suā odio habeat, vt dicitur Ephes. 5. & ideò quisque dum viuit, cupit etiam post mortem corpus suum honestè tractari. Imò credibile est, animos corpore solutos, etiamsi fortè nesciant quid corporibus eorum accidat, tamen cupere vt honestè habeantur, sicut etiam cupiunt ad eā reuerti, vt Augustinus docet lib. 12. de Genes. ad litteram, cap. 35. Atque hinc videmus Prophetæ inobedienti datum in pœnam vt non sepeliretur cum patribus suis, 3. Reg. 13. Tertia vtilitas nascitur ex eo quòd à multis deducuntur ad sepulchrum: hinc enim per accidens fit vt à multis pro eis oretur. Quarta ex eo sumitur, quòd in templis Sanctorum sepulchrum habent. inde enim fit, vt eorum amici, cùm eorum recordantur, simul etiam recordentur eius Sancti in cuius templo sepulti sunt, & frequenter eius patrocinio eos commendent. Hanc vtilitatem posuit B. Augustinus lib. de Curâ pro mortuis, cap. 4. & 5 & B. Gregorius lib. 4. Dialog. c. 50. Hactenus Bellarminus.

Alij eiusdem officij fructus quoad viuos.
Lib. 1. de Purgat. c. 19.
Sed & alij fructus quoad mortuos.

12. Non extra propositum agere me arbitror, si nonnulla adiungam quæ sepulturam ipsam concernunt & defunctorum officium: pro quibus, vt breuiter & clarè agamus, duo ad manum nobis sunt Scriptores, qui admodum præclarè eamdem materiam pertractarunt. Vnus illorum est eximius ille Parisiensis Theologus Ioannes Belethus, qui ab hinc annis quadringentis scripsit Rationale diuinorum officiorum: alter est toti orbi notissimus Guillelmus Durandus Mimatensis Episcopus, & Iuris vtriusque Doctor clarissimus.

Duo citātur quoad sepulturæ mysteria Scriptores.

Et prior quidem, nimirū D. Ioannes Belethus in suâ diuinorū officiorū explicatione, de nominibus quibus sepulturarum loca nominantur, ita habet: *Illud dumtaxat hic sciamus, religiosum locum dici eum iuxta leges & instituta Romanorum, in quo sepelitur corpus alicuius hominis, seu caput tantùm. Ac ideò caput dico, quoniam nullus duas habere potest sepulturas, sed vbi caput est, isthic alicuius esse dicitur sepultura. Siue ergo Christianus, siue Paganus, siue infans, etiam non baptizatus, aliquo in loco sepeliatur, secundùm Romanorum instituta locus ille religiosus appellabitur: at verò Christiani non eum locum censent esse religiosum, vbi sepelitur Iudæus vel Paganus, vel infans non baptizatus, sed tantùm vbi Christianus, vsque adeò, vt si excommunicatus aliquis sit ibi sepultus, inde extrahatur, & extra cæmeterium eijciatur. Locus autem iste diuersis appellatur nominibus, vt cœmeteriū & polyandrium. Atque ipsum sepulchrum huiusmodi: mausoleum, dormitorium, monumentum, ergastulum, sarcophagus, pyramis, tumulus. Dicitur autem cœmeterium à Græco verbo* κοιμάω, *quod est sopio, quasi quòd isthic mortui dormiant: vnde etiam nominatum est Dormitorium. Polyandrium locus appellatur vbi multa sunt sepulchra publica. Mausoleum dictū est à Mausoli sepulchro, quod Artemisia eius vxor ædificauit ita egregiis operibus, vt inter septem orbis miracula numeretur. Attollitur enim in altitudinem viginti quinque cubitorum, ac columnis cingitur triginta sex. Quare ab hoc sepulchro omnia pretiosa sepulchra isto nomine Mausolea sunt appellata. Monumentum verò nominatur à monēdo, quòd nos prætereuntes qui in monumentis & sepulchris sunt, admoneant, & se olim fuisse & perinde mortales, vt & nos meminerimus, quòd cineres simus, & in cineres reuertemur; puluis, & in puluerem redibimus. Tumulus appellatus est, quasi terra tumens, id est collis, quòd ibi coaceruari terra consueuit. Ergastulum dictum est per antiphrasim ab* ἐργάζομαι, *operor, quasi quòd in sepulchris corpora minimè laborent, sed requiescant, qui in Domino moriuntur. Sic item sarcophagus appellatus est à* σαρκοφαγῶ, *caro,* φάγω *comedo, quasi isthic caro consumatur & comedatur. Dicitur etiam Pyramis sepulchrum eiusmodi, quod flammæ habet similitudinem, ita vt è lato in acutum tendat. est enim altissimum genus sepulturæ. Tale Romæ visitur in quo positi sunt cineres Iulij Cæsaris, vocaturq; acus S. Petri; atque etiamnum in dubio est, an ex vno constet lapide, an verò ex pluribus. Similem pyramidem extruxit Cæsar Turonis, iuxta amnem Ligerim, & in ea inclusit cuiusdā sui amici cineres, qui fuit interfectus.* Et paucis interiectis: *Olim apud veteres solebant homines in suis ædibus sepeliri: sed propter fœtorem cadauerum statuerunt, vt extra ciuitatem sepelirentur, & locum quemdam communem ad hoc quasi sanctificarent. Nobiles verò sepeliebantur in montibus, siue in eorum medio, siue in radicibus. Proinde si quis interficiatur in obsidione vel aliquo tumultu, nec posset habere cæmeterium, sepeliant ipsum vbi possunt. Si verò aliquis moriatur in mari, & terra fuerit vicina, nau gent illuc, ipsumq; ibi sepeliant. Sed si procul à terra abfuerint, videantq; in medio mari insulam, vertant eò vela, & sepeliatur in insulâ. Verùm si terram penitus non videāt, paretur ipsi domuncula quædam ex lignis, si possit haberi, & proijciatur in mare. Quo etiam modo fiat, si diues fuerit: sed cum thesauro suo, si habet, eijciatur,*

Cap. 159. *Primus Ioannes Belethus.*
De sepulturæ loco.
De nominibus sepulchrorum.
Qualis olim fuerit sepultura, & qualis nunc esse debeat.

eiiciatur, vt qui eum inuenerint, ex thesauro ipsum nobilem fuisse cognoscant, aut certè amore thesauri ipsum terræ mandent. Verùm enimuerò animaduerte, quandocumque sepelitur Christianus, vel quocumque etiam loco, crucem capiti eius apponi debere, ad designandum, illum fuisse Christianum, vel ob id etiam, quòd summoperè diabolus signum hoc pertimescat, & ad eum locum horreat accedere, qui cruce est designatus. Videndum deinceps est, vnde cœmeterium ortum habuerit, videlicet ab Abrahamo. Hic enim emit agrum ab Ephron Hethæo; in quo duplex erat spelunca, vbi ipse sepultus est cũ Sarâ, Isaac, Iacob, Adam & Heuâ. Ad hoc enim emit, vt suis & sibi sepultura esset. Duplex spelunca ideò dicebatur, quoniam ibi duo sepeliebantur contiguè, maritus & vxor: vel quia duæ aderant speluncæ, & in vnâ sepeliebantur viri, in alterâ mulieres: vel etiam, quia duplex fiebat vnicuique spelunca, sepeliendo in modum cathedræ. Sepeliebantur enim quasi sedentes, & pars speluncæ superior, quæ à natibus truncum capiebat, dicebatur vna spelunca; pars verò quæ continebat pedes, crura & femora, dicebatur spelunca alia. Opportunè hic considera, non legi in primâ ætate nisi duo dumtaxat Sacramenta fuisse inuenta, oblationem nimirum & Pœnitentiam; sed in secundâ cultum Dei fuisse amplificatum. Fecit enim Noe arcam, atque illic inclusit multa animalia ad sacrificandum Deo. In quartâ autem ætate diuinus cultus magis auctus est: tunc enim Lex data est, & multa genera sacrificiorum offerebantur Domino. Sic in quintâ ætate magis adhuc auctus est: tum namque factum est templum, & cultus diuinus optimè sanè habuit incrementum. In sextâ tandem ætate venit Christus, qui seipsum obtulit Deo hostiam placentem, & sufficientem pro omnibus. Porrò autem in cœmeterio Christianorum non nisi Christianus sepeliri debet, nec tamen omnis: nullus enim in suo maleficio interfectus, sepeliri debet in cœmeterio, vt latro, si in latrocinio interficiatur. Intellige autem hîc maleficium, si sit mortale peccatum, vt interfectus in adulterio, & in ludo Ethnicorum. Si verò moriatur subitò in ludo consueto, vt in ludo pilæ, potest sepeliri in cœmeterio, sed sine Psalmis & sine exequiis. Si prætereà aliquis è prostibulo rediens, vel ex alio loco vbi fornicatus sit, & in viâ occidatur, aut alio casu non confessus moriatur, si legitimis testibus potest probari eum fuisse fornicatum, nec posteà confessum, in cœmeterio sepeliri non debet. Si non potest probari, sepeliri licebit. Latro in eo loco in quo suspenditur sepeliatur, nisi priùs satisfecerit: si autem satisfecerit, in cœmeterio sepeliatur. Mulier si in partu moriatur, vtique in Ecclesiâ sepulturæ tradi nō debet, sed extra eam. Quare cantentur exequiæ, & posteà sepeliatur in cœmeterio, sed puer excidatur è ventre eius, ac sepeliatur extra cœmeterium. Debent autem mortui ad hunc modum sepeliri, sudariis videlicet induti, & vt caligas circa tibias habeant, & soleas in pedibus: quo significent, ita se paratos esse ad iudicium. Ponantur prætereà capite versus Occidentem, pedibus versus Orientem. At verò Clerici si sint ordinati, illis indumentis sepeliantur, quibus fuerant ordinati: si non habeant Ordines, more laicorum, & tondeantur ac radantur. Omnium autem corpora debent lauari, ad significandum, quod si anima per confessionem à culpa fuerit mundata, vtrumque, hoc est anima & corpus, in die iudicij sempiternam habebunt glorificationem. Si verò aliquis in hastiludio moriatur absque pœnitentia, quando videlicet ipse Sacerdotem non quærit, sepeliatur instar asini, atque ita quoque si in rixa. Sed si ludi gratia, vel propter negotium suum conficiendum nauiget ac pereat, potest sepeliri in cœmeterio: de istiusmodi enim non indicat Ecclesia manifestè. Si quis subitò moriatur, non propter aliquam caussam manifestam, sed occulto Dei iudicio, honorificè sepeliatur: iustus enim quâcumque causâ moriatur, saluabitur. Qui denique sibi manum inferunt, ac mortem propriâ voluntate depaciscuntur, non debent in cœmeterio habere sepulturam. Sic ille iuxta tēporis sui morem.

Cœmeteriorum origo.

Quomodo cultus diuinus pautatim dilatatus.

Vbi quisque sepeliendus sit.

Quomodo sepeliendi Christiani.

Alia circa eadem obseruatio.

13. Guilhelmus verò Durādus, quibus & quot diebus celebrandæ sint mortuorum exequiæ, his verbis describit: Hoc officium initium habuit in veteri lege. Nam sicut ait Ambrosius 12. q. 2. quia mortuo Iacob, Ioseph, & alij fratres sui cum multis Ægyptiis attulerunt eum in Hebron: sed priùs fleuerunt quadraginta diebus in Ægypto, & posteà fleuerunt eum septem diebus in area Achad, Genes. 50. Item legitur in Deuteron. vlt. c. quòd mortuo Moyse fleuit populus Israël triginta diebus: & similiter fecerunt de Aaron & Mariâ. Item dicit Salomon: Luctus filij sapientis mortui, septem diebus: luctus stulti filij, sempiternus, ideò, quia in æternum morietur. Nota autem, quòd quidam faciūt memoriam pro defunctis die tertiâ, seu per tres dies, repræsentantes triduanam Domini sepulturam: seu respectum habentes ad resurrectionem Christi, qui tertiâ die resurrexit, resurrectionem cum Christo mortuis peroptantes; seu ad Trinitatem; vel vt quia viuentes tripliciter peccauerūt, videlicet cogitatione, verbo & opere, remittantur eisdem. Alij verò faciunt Missam celebrari septem diebus, seu per septem dies: & vtrumque ostenditur in lib. Numer. 19. vbi dicitur, quòd qui tetigerit cadauer mortui hominis, immundus erit septem diebus: vnde aspergatur aquâ tribus diebus & septem, & sic mundabitur. De Consecr. dist. 1. Aqua. Sanè immundus propter cadauer mortui hominis, significat pollutam animā propter opera mortua. Celebratur ergo per septem dies, Primò, vt defunctus ad sabbatum æternæ quietis citiùs valeat peruenire. Secundò, vt ei remittātur omnia peccata quæ commisit in vitâ quæ per septem dies ducitur. Tertiò, propter septenarium animæ & corporis: anima enim tres habet vires, scilicet rationabilitatem, concupiscibilitatem, & irascibilitatem; corpus verò constat ex quatuor elementis. Vt ergo peccata, quæ homo per hoc septenarium, siue in hac vitâ, quæ per septem dies ducitur, commisit, deleantur, septenarium mortuis celebratur. Quartò, sicut filij Iacob defuncti fleuerunt per septem dies, vt præmissum est, ita & Ecclesia pro suis defunctis celebrat officium septem diebus. Quidam autem faciunt nouemdiale, id est officium nouem dierum, vt per hoc officium mortuorum animæ à pœnis liberatæ, nouem Angelorum ordinibus associentur. Hoc autem à quibusdam non approbatur, ne Gentiles imitari videamur, à quibus hoc sumptum esse videtur, qui nouem diebus lugebant mortuos suos, & in nono die cineres eorum pyramidibus vel in bustis recondebant. Alij verò celebrari faciunt pro defūctis triginta dies seu trigesimo die, Primò, quia filij Israël tot diebus fleuerunt Moysen & Aaron, vt præmissum est. Secundò ideò, quia ter decē faciunt triginta: per ter enim Trinitatem, per decem Decalogum intelligimus. Tertenarium ergo à mortuis facimus, vt quod in obseruatione Decalogi seu præceptorum Christi & contra Trinitatem peccauerunt, eis Dei misericordiâ condonetur. Tertiò, quia numerus Lunę triginta

Lib. 7. Rationalis diu. officiorum, cap. 35. n. 4.

De numero dierum quibus celebrātur exequiæ.

Pulchra hic notanda.

De numero trigesimo pulchra explicatio.

triginta diebus perficitur, ideò trigesimo die vel triginta diebus fit mortuis officium, vt opera eorum coram Deo plena esse intelligantur. Quidam quoque quaterdecies celebrant, siue quadragenarium faciunt, vt quod illi in doctrinâ quatuor Euangeliorum & in decem præceptis Legis peccauerunt, sibi condonetur. Rursus, qui diem quadragesimum seruant, repræsentant Dominicam sepulturam, optantes mortuos habere gloriam cum Christo, qui quadraginta horis iacuit in sepulchro, computatâ hora in quâ emisit spiritum, & vltimâ horâ noctis Dominicæ in quâ resurrexit, secundùm Augustinum. Repræsentant etiam, quòd, vt præmissum est, mortuo Iacob, filij eius luxerunt quadraginta diebus. Alij quinquagenarium faciunt, quoniam, sicut Beda & Gregorius dicunt in Glossâ super locum illum, vbi habetur, quòd Abraham quæsiuit à Domino volente subuertere Sodomam; Si quinquaginta fuerint ibi, numquid destrues eos? Et respondit Dominus: Non. Quinquagenarius numerus perfectus est, & significat annum Iubileum, id est octauam ætatem, in quâ erit remissio, & plena libertas. Vt ergo animæ defunctorum plenariam libertatem & peccatorum suorum remissionem adipiscantur, quinquaginta diebus pro illis celebrant officium. Prætereà dicitur in Marco; Vnum granum afferebat triginta, & vnum quinquaginta, & vnum centum. Alij sexagenarium, pro eo quia sexagesima significat mœrorem Ecclesiæ propter absentiam sponsi: & ei in consolationem duæ alæ dantur, vt dictum est in sextâ Parte, sub Dominicâ Quadragesimæ. Sic & hic repræsentat mœrorem propter absentiam defuncti sui, in quorum consolationem & animæ defuncti expiationem sacrificium Domino offertur, & pauperibus eleemosynę largiuntur. Nonnulli etiam celebrant centesimum diem, vt mortui transeant à læuâ in dexteram, à militiâ in triumphum, à terrâ in cælum, à miseriâ in gloriam, à morte in vitam. Optant enim illis æternam beatitudinem, quæ per centenarium, vltra quem non est numerus, designatur. Quidam verò anniuersarium obseruant, triplici de causâ. Primò, vt defuncti de annis calamitatis perueniant ad annos ęternitatis, siue ad vitam ęternam, quæ sine fine est, & quasi annus in se reuoluitur; vel quia ibi est idemtitas, & nulla reperitur varietas. Secundò, quia sicut Sanctorũ anniuersarium ad ipsorum honorem & nostram vtilitatem celebramus, prout dictum est in Procemio huius Partis, sic & anniuersarium defunctorum, ad ipsorum vtilitatem & nostram deuotionem. Tertiò, dies anniuersarij pro defunctis ideò repetitur, quoniam, secundùm Augustinum, qualiter fit eis in aliâ vitâ, nescimus, & melius est vt eis superfit beneficium nostrum, quàm desit. 13. q. 2. Non æstimamus. Anniuersarium autem si contigerit in die Dominicâ, vel in aliquâ celebri solemnitate, non debet mutari ad sequentem diem, prout fit in Festis Sanctorum, sed fiat in die præcedenti, vt citiùs occurratur pœnis defunctorum quas in Purgatorio sustinent: defuncti enim nostro indigent auxilio & beneficio, sed non Sancti. Die quidem festiuo anniuersarium celebrari non debet, neque Missa pro defunctis dici, nisi corpus præsens fuerit, tum sic: quia

Similiter de quadragesimo & quinquagesimo.

Sexagesimo & centesimo.

Quid significet anniuersarium?

Quomodo id celebrandum sit.

omni tempore potest Missa pro defunctis celebrari cadauere præsente, nisi in Parasceue; tunc enim non debet corpus intumulari, nec Missa pro eo cantari, quia tunc corpus Christi immolari non debet; sed vsque in crastinum reseruetur, & tunc, scilicet in Sabbato, potest Missa pro illo cantari, & corpus sepeliri. Similiter si quis in die Paschæ moriatur, corpus eius vsque in crastinum reseruetur super terram, & tunc cum celebratione Missæ sepeliatur: non enim debet corpus sepeliri absque Missâ, quamuis contrarium fiat in plerisque locis. Licet autem secundùm Cabilonense Concilium (de Consecr. dist. 1.) visum quotidie sit pro defunctis orandum & sacrificandum, in præmissis tamen diebus hoc specialiter agitur ab amicis: siquidem aliqui omni tempore, festiuis dumtaxat diebus exceptis, generaliter orant pro defunctis in Officio vespertinali & matutinali. Alij Missam pro eis quotidie celebrãt: alij in mensis initio nouem Psalmos, nouem Lectiones, & nouem Responsoria cantant. Et quidem sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare vt à peccatis soluantur. In quibusdam locis non dicitur in Ecclesiâ Officium mortuorum à quintâ Feriâ Cœnę Domini, vsque ad Octauam Pentecostes, dicentes, quòd omnia Officia illius temporis debent esse breuia; nec in Dominicis diebus. Legitur autem, quòd quidam Abbas prohibuit Monachos suos celebrare Dominicis diebus pro defunctis: sed mortui propter hoc durissimis verberibus eum adflixerunt, & ideò prohibitionem huiusmodi reuocauit. Hactenus Durandus.

Deuota erga mortuos exercitia.

Illius qui illorum adiutorium impediuit punitio.

14. Idem ille Doctor rationes quoque illarum obseruantiarum tradit, quas sub mortuorum officio frequentat Ecclesia, sic inquiens: Officium mortuorum imitatur omnino triduanam Christi sepulturam: sicut enim in illo triduo, ita & in hoc officio omnia laudis cantica subticemus, & solemnitates quaslibet subtrahimus. Nam in Missâ benedictiones ab Episcopo non petimus, nec in Agenda dicimus, Domine labia mea, &c. nec, Deus in adiutorium meum intende, nec Benedicamus, nec Inuitatorium, nisi corpus præsens sit, & etiam in Vigiliis, nec Gloria Patri ad Responsoria, vel in fine Psalmi, nec ad Lectiones benedictionem petimus, vel damus; nec dicimus, Tu autem, vel, Deo gratias. nec in Missâ Alleluia, nec Gloria in excelsis, nec Ite missa est. Nam in veteri Lege prohibitum fuit, oleũ lætitiæ & thus suauitatis pro peccato offerri: mors etenim est vindicta peccati. Vnde vbi peccatum, ibi tenebræ: nec debet esse lætitia, nec canticorum lætitiæ decantatio, vbi est luctus & contristatio mentis: ac exequiæ mortuorum celebrantur cum luctu. Rursus Laudes supprimimus, quia quò mortui transeunt, ignorantes, nescimus vnde laudare Dominum debemus, de iustitiâ vel misericordiâ. Gaudium reprimimus, quia tristes in hunc mundum intramus, & tristiores eximus. Non ergo Sequentia debet dici, quæ est canticum exultationis. Adhuc licet in Missâ pro viuis debeant omnes thurificari, ad significandum, quòd illorum orationes ad cælestia diriguntur; in Missâ tamen pro defunctis non debet thus per chorum portari, nec offerri, id est, altare thurificari; sed circa corpus tantùm;

Ibid. n. 17.

Mysteria officij mortuorum explicantur.

Quoad Horas,

Sequentiam,

Thurificationem.

 quia

quia hoc in Lege prohibitum fuit, vt iam præmissum est. Nullus ergo in hoc officio thurificatur, ad notandum, quòd mortui nil amodò valent orationibus suis promereri. Vnde Psalmista: Non mortui laudabunt te Domine. Ipsa autem defunctorum corpora thurificantur, & aquâ benedictâ asperguntur, non vt eorum peccata tollantur, quæ tunc per talia tolli nequeunt; sed vt omnis spirituum immundorum præsentia arceatur: & fiunt etiam in signum societatis & communionis Sacramentorum, quam nobiscum, dum vixerunt, habuerunt. Vnde & Dionysius tradit, quòd antiquitus viui mortuos osculabantur, in signum vnitatis quam cum ipsis habuerunt. Prosunt etiam hæc & similia, in quantum per talia ipsi Deo reuerentia exhibetur. Quare autem duplex versus ponitur in Introitu pro defunctis, scilicet, Te Deus, & Exaudi orationem meam, &c. dictum est in sextâ Parte seu Sabbato tertiæ hebdomadæ Quadragesimæ. Item in Missâ pro defunctis nō debet intermisceri oratio pro viuis, prout dictum est in quartâ Parte, sub tit. De oratione.

Ritus Missæ.

Cur sub officio mortuorum non fiat viuorum mentio.

Pax etiam triplici ratione non datur, Primò, quia hoc officium, vt iam dictum est, triduanam Christi sepulturam vestigio sequitur, vbi pax non datur propter Iudæ osculum detestandum. Secundò, quia non communicauimus mortuis, quia non nobis respondent: nos enim sumus in sextâ ætate, illi in septimâ. Inde est, quòd corpus numquam debet esse in Ecclesiâ, quamdiu Missa de die celebratur: imò priùs, si esset ibi, debet absportari extra Ecclesiā in vestibulo Ecclesiæ, quantacumq; auctoritate viuēs fulgeret, & posteà ad Missam de mortuis reportari. Tertiò, quoniam sicut ex multis granis simul collectis vnus panis conficitur, & ex multis racemis vinum eliquatur; sic ex multis fidelibus, quorum quidam boni, quidam mali sunt, vna Ecclesia construitur & coadunatur. Quia ergo de mortuo homine nescimus adhuc, vtrùm sit ipse de conformitate Ecclesiæ, & pacē habeat cum suo creatore & reconciliationem, ideò pacem ad Missam non damus, nec aliquas laudes pro mortuis referimus, quia non est vnde agendum sit; non enim adhuc apparet eorum requies. Quarta ratio posita est in quartâ parte, vbi agitur de osculo pacis.

De Vesperis & Vigiliis Defunctorū.

Illud quoque notandum est, quòd officium mortuorum incipit à Vesperis, postea sequuntur Vigiliæ, quarum tria sunt genera: in quibusdam enim Ecclesiis leguntur nouem Lectiones de Iob, & incipiunt, Parce mihi Domine: in aliis leguntur de libro Sapientiæ, & incipiunt, Melius est ire, &c. in aliis verò de quodā Sermone Augustini. Sed vndecumq; sumantur, absolutè sine, Iube Domne benedicere, & sine Tu autem, incipiuntur & finiūtur, prout in exequiis, quas in dicto triduo pro Christo celebramus, seruatur. Verumtamen in quibusdam Ecclesiis, loco, Tu autē Domine, terminatur, Beati mortui qui in Domino moriuntur, quæ verba sunt Apocalyps. 14. Frequentatur autem in hoc officio Psalmus, Te decet hymnus Deus, quoniā ibi agitur de reditu filiorum Israël à captiuitate in terram promissionis: sic & defuncti de captiuitatis miseriâ ad vitam proficiscuntur æternam. Dicitur etiā Psalmus, Domine, ne in furore tuo arguas me: qui cū sit sextus in ordine Psalterij, tamen pro octauâ intitulatur, quasi in sex ætatibus per hunc Psalmum Deum rogantes, vt septimæ ætatis possimus tormenta euadere, & ad octauam gloriæ peruenire.

De variis item Psalmis.

Officiū mortuorum non habet secundas Vesperas, vt dictū est in sextâ Parte, sub tit. De Vesperis. In Cōcilio Toletano 26. q. 5. Quicūque. statutum est, quòd Sacerdos Missam defunctorū celebrans vt eius inimicus mortem incurrat, deponatur, & tam ipse, quàm eum ad hoc incitans, exilio perpetuo puniatur. Plura habet Doctor ille clarissimus, atq; similiter alij, quæ materiam hanc admodum illustrant: sed quoniam ab actibus externis transeundum nobis est ad internas virtutum & satisfactionum exercitationes, filum abrumpimus, & telam internorum exercitiorum ordimur.

CAPVT XXV.

Nullus omnino datur internæ mortificationis actus, quin per eum possint viui sempiternam mortuis promereri imò accelerare viuificationem.

DVbium est penes nōnullos Theologos, vtrùm ad satisfaciendum, adeoque per satisfactionem defunctos adiuuādum, opus sit solùm actibus virtutum externis & corporalibus, an verò id ipsum præstari possit actibus merè internis & spiritualibus. Pro cuius quæstionis decisione notari poterit duplex vtriusque partis, affirmatiuæ scilicet & negatiuæ, Doctorum sententia, quarum prior statuit, omnem satisfaciendi valorem in actu exteriori consistere, ita vt si contingat duos æqualem externum dolorem assumere, quantumuis interim interiores habeant differentes & impares, tum quoad intensionem tum quoad aliam quamcumque perfectionem, nihilominùs perinde satisfaciant. Hæc sentētia adtribuitur Scoto, eò quòd dicat, satisfactionē propriè dictam, quatenus nimirum à contritione discernitur, opus esse merè externum. Quam opinionem etiam sequuntur Almainus & Gabriel. Verùm enimuerò, si quid video (quod iudicēt alij) hanc opinionem malè fundatam, peiùs structam esse dixerim, quod facilè ostenderem, ni prolixitatem vitarem. Opinio ergo contraria hæc est, quam Henricus & Ledesma tuentur, omnem satisfactionis rationem positam esse in actu interiori, adeò vt actus exterior, ex opere nimirum operātis, vt dicitur, nihil omnino ad satisfactionem conferat, quemadmodum nec ad meritum: eiusque fundamentum esse potest, quòd actus exterior nec formalem bonitatem nec libertatem habeat, nisi per denominationē ab interiori, & hac ratione non augeat meritū, adeoque nec satisfactionem. Hanc sententiam reiicit Soto, inquiens, quāuis exterior actus non addat interiori essentialem bonitatem, addere tamen accidentalem, ideoque posse augere quasi accidentalem effectum qualis esset satisfactio. Rationem ponit hanc, quòd vbi maior pœna assumatur,

1.

An actus interni ad satisfactionem valeant.

Prima opinio.

Dist. 15. q. 1. §. De secūdo principali.

Altera opinio planè contraria.

assumatur, maiori tolerantiâ opus sit: quo insinuari videretur, totum id esse positum in interni actus mutatione, quod inconsequenter dici, ait Suarez. Negat ergo simpliciter consequentiam, eò quòd, licet actus exterior non addat bonitatem, addat tamen pœnam, quod satis esset ad satisfactionem vt illam augere valeat. Quòd si quis ex hac responsione ita argumentari velit, Ergo nostra satisfactio in hac vitâ est per modum satispassionis, quandoquidem in ipsamet passione æqualis pœnæ consistit; Respondet Suarez negando consequentiam, & vocibus in propriâ significatione vtendo: in re ipsâ enim verum esse, nos persoluere Purgatorij pœnam in hac vitâ per pœnas quas voluntariè sustinemus; quia tamen hæc pœna non sit eiusdem rationis cum pœnâ Purgatorij, nec ei physicè æqualis, sed moraliter, id est, secundùm moralem valorem proportionalem, ideò hanc non dici satispassionem, sed satisfactionem, quamuis reuerà includat passionem pœnæ sufficientis, & proportionatæ ad compensandam Purgatorij pœnam.

Quid circa hanc dici queat.

2\. *Probabilior est media inter iã dictas sententia. Pro qua prima Cõclusio*

Porrò Suarez mediâ incedit viâ, & pro quæstionis decisione duas ponit conclusiones, quarum prima hæc est, *Opus internum vel per se sumptum, vel coniunctum cum externo, multum valere potest ad satisfaciendum pro pœnâ temporali.* Hanc ait non solùm communem, sed etiam certam esse; & rationem eius esse manifestam, quòd actus interiores sint optimi & maximè liberi, & valdè difficiles, & homini mortali laboriosi & pœnales, adeoque nihil illis deesse posse, quò minùs ad satisfaciendum valeant. Exemplum inquit esse manifestum in oratione, quæ ab omnibus numeraretur inter opera maximè ad satisfaciendum accommodata, non quidem propter solam vocem, sed potissimum propter mentis attentionem, in quâ maxima eius difficultas & perfectio consisteret. Altera conclusio hæc est: *Opus etiam externum, quatenus ab interno aliquo modo procedit, valet ad satisfaciendum, ita vt vim satisfaciendi addat interiori.* Hanc inquit Suarez esse Soti & communem Doctorum sententiam, eamque sic probat: Satisfactio fit per pœnam voluntariè assumptam; sed in ipso actu externo est distincta pœna ab interno, & voluntariè assumpta; ergo. Eam porrò confirmat, eò quòd maior bonitas moralis, & formalis actus homini conferat, ceteris paribus, maius meritum, adeoque maiorem pœnam voluntariam conferre ad satisfactionem maiorem, ceteris paribus: quia cùm hæc satisfactio fit per modum vindictæ & vltionis ipsius delinquentis, quò maior fuerit vltio & punitio, eò maiorem futuram satisfactionem, ceteris paribus; at in actu externo coniuncto interno maiorem esse pœnam & vltionem quàm in solo interno, & propterea augeri satisfactionem ratione externi actus non solùm quasi per accidens, quòd actus interior fiat intensior, efficacior, vel diuturnior; sed etiam per se, eò quòd ipsamet pœnalitas actus externi augeat satisfactionem.

Conclusio secunda.

Ex quibus patet internis etiã actibus ad satisfactionem valere.

Ex his suppositio quoque nostra est, internis etiam actibus satisfieri posse, ac propterea per actus mortificationis internos iuuari mortuos, atque è tormẽtis Purgatorij ad gloriam cælestem transferri. Vnde vt nihil desit quod Purgatorij animabus prodesse possit, operæ pretium duximus, si modos eos, aut ex his saltem præcipuos & potissimos, exposuerimus, quibus fieri assolet interna huiusmodi mortificatio. Nec hoc ab instituto nostro alienum aut extraneum esse iudicabit, qui attendere voluerit, nos hoc in Opere non solùm tractanda aut nudè recensenda suscepisse opera illa seu exercitia, quæ ad mortuorum liberationem conducunt, sed etiam animum esse nostrum explicare (quod vt plurimum ad certiorem illorum exsolutionem magis conducit) qualia illa esse oporteat, vt efficaciùs promptiusque effectum suum in animabus sortiantur. Ne verò in incertum diuagemur, tres illos duces, qui nobis Cap. XIX. cùm de externis mortificationibus ageremus, ducatum præstiterunt, denuò seligemus: tradunt enim illi sat compendiosè quidquid præsentem materiam concernit. Atque vt facilem in difficili hac viâ nobis semitam commonstrarent, distinxerunt inter illas mortificationes quæ sunt trium passionum animæ, intellectus, memoriæ, & voluntatis; & de singulis quid singuli scripserint, in medium adferemus.

Agitur hoc Capite de mortificatione trium potentiarum animæ.

3\. *Lib. de Mortificat. cap. 6.*

Quantum ad potentiam intellectus ita locutus est R. P. Iulius Fatius, eximiùs è Societate Iesu Theologus: Considera, tria potissimùm vitia intellectus mortificanda & emendanda esse, nisi in mille errores præcipitari velis. Primum vitium est curiositatis, quando nimirum intellectus tuus indagat ea quæ vel ipsius captum excedunt, vel quæ maiores aut proximos tuos concernunt, vel certè quæ scire tuâ nihil interest; quæ sine perturbationis & erroris periculo numquam inuestigaueris. Secutus igitur consilium Salomonis dicentis, *Altiora te ne quæsieris*; & paulò pòst: *In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter*; sanctæ mortificationis freno intellectum tuũ coërcebis, cùm se occasio obtulerit, ne in hũc tam perniciosum curiositatis excessum prorũpat. Alterum vitium est temeritatis, quando scilicet ex coniecturis aut dubiis incertisque indiciis, formas tibi iudicium de vitâ aut moribus alterius hominis; atque ita, repugnante charitate, non solùm iudicas, sed condemnas etiam, notabili animæ tuæ damno, illud quod potiùs deberes approbare, aut minimùm excusare. quo facto inexcusabilem te & reum facis in conspectu Dei. In te enim expetunt illæ minæ Apostoli: *Inexcusabilis es, ô homo omnis qui iudicas. in quo enim alterum iudicas, te ipsum condemnas.* Tertium vitium est pertinaciæ, quando tuæ opinioni ita mordicus inhæresis, vt nullius consilium aut persuasionem in deliberando admittas: quo modo reddis te indocilem, ac planè incapacem maiorum tuorum, quæ multas ob causas tibi est necessaria; & quod hinc sequitur, iis te periculis impingendi & corruendi exponis, quæ cæco, per incertam & difficilem viam gradienti, meritò timeri possunt. Sequaris ergo consilium Sapientis, in hunc modum te exhortantis: *Ne innitaris prudentiæ tuæ, nec sis sapiens apud temetipsum.* omniaque tua iudicia de rebus tuis, tibi sint suspecta. Conaberis quoque præbere te non modò facilem, sed & cupidum, vt dirigaris, consiliumque à Superioribus tuis in omnibus tuis actioni-

P. Iulius de mortificatione intellectus.

Eccles. 3.

Exponit quinam in hoc defectus corrigantur.

Roman. 2.

Prouerb. 3.

Necessitas huius mortificationis.

actionibus accipias. Considera, necessitaté hanc mortificandi intellectum tuum circa prædicta vitia esse maximam, vtilitatem verò, quæ inde redundat, non solùm ad intellectum, sed ad ipsum quoque hominem internum & externum manare. Quemadmodum enim fractâ vel loco motâ præcipuâ horologij rotâ, mox etiam turbantur inferiores rotæ, nec earum motus ampliùs ordine & debitâ mensurâ cietur, nec horæ signum tempore stato auditur: ita quoque perturbato hominis intellectu, qui est suprema eius potentia, mox omnes aliæ inferiores potentiæ perturbantur. Ex intellectus enim excessu in intelligendo, sequitur excessus voluntatis in volendo, excessus item potentiarum executiuarum in operando; & vt paucis absoluam, tota hominis harmonia, & concentus ille operationum tam internarum quàm externarum confunditur & intercidit. Quocircà ob hanc & alias multas ob causas, eo conatu mortificando intellectui insistere debes, quo inuictus quispiam belli dux expugnando alicui munitissimo propugnaculo insistit, à quo ciuitatis aut totius regni expugnatio pendet. Hæc ille.

Insignis rei similitudo.

4. R. P. Franciscus Arias, ex eadem Societate Iesu Theologus, intellectus mortificationem ait maximum habere meritum coniunctum. Principem locum obtinet, inquit, vtpote cum maximo merito coniunctum, mortificatio intellectus, quoad iudicium proprium: hæc enim est facultas animi omnium nobilissima, & dux voluntatis. Proprium autem iudicium vocamus, quo homo iudicat de rebus, non quia Deus ita statuit, aut Sancti & sapientes docuêre, sed quia ita ei videtur. Hoc iudicium proprium est perniciosissimum, & grauissimorum criminum radix, ac omnium errorum & hæresium seminarium. De quo optimè tractat S. Bernardus. *In corde, inquit, duplex est lepra, propria voluntas, & proprium consilium. Lepra vtraque nimis pessima, eoq; perniciosior, quò magis interior, &c.* Hoc iudicium mortificandum est, non inordinatè illi fidendo, sed aliorum iudicio & opinioni in omnibus, quæ rationi sunt consentanea, subiiciendo. Quædam homo credit certitudine infallibili, vt quæ à Deo reuelata sunt, & ab Ecclesiâ proposita tamquam fide Catholicâ tenenda. Alia sunt, quæ homo certa esse iudicat, quia rationi naturali & Sapientum dictis sunt conformia. Alia rursus, quæ nec reuelatione diuinâ, nec ratione naturali, sed quia communi Sanctorum Doctorumque Catholicorum consensu asseruntur, nobis certa sunt. In his omnibus locum non habet mortificatio proprij iudicij: neque enim homo in iis nititur proprio iudicio, sed magno consilio & prudentiâ adhæret luci, quam Deus in hac vitâ communicauit vt illam sequamur. Sunt ergo alia, ad quæ credenda homo huiusmodi motiuis non ducitur, sed quia sibi videntur esse credenda vel sequenda; & in his mortificatio proprij iudicij locum habet. Quando alicui videtur aliquid verum & certum, vel probabile & verisimile, & aduertit multos doctrinâ, experientiâ & virtute sibi pares non idem videre, mortificare debet suum iudicium, & aliorum anteferre. Nam cùm vtrimque sit paritas, iustè ceditur, cùm multorum vnius iudicio præstet. Hinc S. Basilius: *Non est rationi consonum, si quis in omnibus suo stare velit iudicio, nec periculo aut contumaciæ suspicione caret, in congregatione multorum nolle maioris partis sententiæ acquiescere: nec dubium est arrogantiæ argumentum esse in hoc genere, suo potiùs quàm aliorum iudicio adhærescere.* Nam, vt scribit S. Bernardus, *quæ maior superbia esse potest, quàm si vnus suum iudicium præferat vniuersæ congregationis iudicio, quasi solus haberet spiritum Dei?* Similiter in ceteris omnibus rebus, in quibus neque rei euidentia, neque maiorum auctoritas cōciliat certitudinem, nullumque impendet vel salutis vel virtutis deserendæ periculum, consultius est iudicio suo cedere, & alieno parêre, maximè eorum qui auctoritate, vt sunt Superiores, aut ætate, aut doctrinâ & experientiâ superant. E rationibus, quæ ad hoc permouêre nos debeant, vna est, consideratio humanæ ignorantiæ, hoc est quàm pauca sint quæ certò & clarè cognoscamus, quàm multa item quæ certissima verissimaque nobis quondam visa sunt, & tamen post accuratius examen deprehensa sunt vel falsa, vel admodum dubia, & crebrò talia vt pudeat nos in eâ sententiâ fuisse. Deinde quanta sit in vnâ aliquâ quæstione vel consilio opinionum varietas, vt frequenter dici possit, tot esse sententias, quot auctores; tot placita, quot capita. Hinc fit vt quæ iuuenes nimiâ ingenij & iudicij celeritate & immaturitate leuiter effutiuimus, augescente ætate & iudicio tandem corrigamus. De quâ ignorantiâ, in quam per Adæ peccatum incidimus, loquens B. Gregorius, dicit: *Magnum pelagus est ignorantia humanæ.* Et alibi, *In peccati*, inquit, *pœnâ in hac mundi peregrinatione & exilio tantâ cæcitate percussi sumus, vt nobis ipsis ignoti simus.* Nam luce veritatis semel ab animâ nostrâ depulsâ, nihil in eâ præter ignorantiæ tenebras remanet, quæ causa est, vt frequenter in foueam peccati labatur, & tamen ignoret. Et hæc est ignorantia, in quam per peccatum incidimus. Licet enim lumine naturali nonnulla nobis patefacit, tam pauca tamen sunt quæ certò & perspicuè innotescant, vt remoto fidei lumine, fateri, vt vult B. Gregorius, ingenuè debeamus, nos plenos esse tenebris ignorantiæ. Hæc ergo tanta ignorantia toti generi humano communis meritò nos commouere debet, ne facilè nostro iudicio fidamus, sed aliorum sententiæ subscribamus. Ignorantiam deinde & cæcitatem animi non parum augent passiones, quæ facilè impellunt hominem in sententiam veritati contrariam. Sicut enim ardentissimâ siti laboranti nihil melius dulciúsve videtur aquâ, quia secundùm dispositionem suam iudicat: sic qui cupiditate aliquâ inordinatâ vel perturbatione cōcitatur, longè aliter iudicat de rebus, quàm reuerà se habent. Cùm ergo quilibet homo sciat se non esse immunem à passionibus & affectionibus prauis, non debet proprio iudicio admodum fidere, sed tamquam domesticum hostem habere suspectum, abnegareque illud vbi ratio suaserit. Vnde S. Dorotheus, *Cùm subiecti*, inquit, *simus multis passionibus, prauisq; affectibus, nostro iudicio non debemus omnino fidere. Quando enim norma vel regula curua est & inflexa, numquam quod secundùm eam dirigitur, rectum efficitur, sed distortum.* Iam & alia, eaque principalior mortificādi ratio est iudicij proprij, quòd opus sit magnæ

Lib. de Mortificat. part. 2. cap. 10.

Quid R. P. Franciscus Arias de eadem intellectus mortificatione.

Serm. 3. de Resurrect.

In quibus locum habeat iudicij proprij mortificatio.

Quàm proprio stare iudicio malū.

In Reg. breuioib. q. 115

Serm. 1. de Resurrectione.

Ratio cur iudicium mortificare conueniat.

Lib. 5. c. 14. in 1. Regum, & Lib. 11. Moral. c. 11.

Ex humanâ ignorantiâ quantum damnum.

Vnde illa incrementa desumat.

Serm. 19.

Iudiciū mortificare magnæ est humilitatis.

gnæ humilitatis, Deoq; gratissimum. Sicut enim homo ob naturæ corruptelam procliuis est ad fouendam propriam voluntatem, sic etiam ad sequendum proprium iudicium. Vnde si vincat se, & iudicium intellectus, qui principatum inter animi facultates obtinet, alterius iudicio submittat, exercet actum virtutis maximæ: & quia ob amorem Dei facit, magnum meritum apud Deum colligit in hac vitâ, in futurâ verò singularem gloriam. Vnde illud bonum incomparabile nascitur, vt homo à Deo ita luce illustretur, totque peculiaribus armetur præsidiis, vt ægrè hallucinari in re aliquâ, vel in fraudē ab inimico induci possit. Nam hanc lucem fauoremq; suum promisit Deus illis, qui propter Deum se humiliant in re tam graui & difficili, vt est proprij iudicij mortificatio. Hanc rationem idem S. Dorotheus sedulò ponderat, dum ait: *Quando suæ opinioni & iudicio homo adhærescit, tunc capitalis humani generis hostis mox nectit illi laqueos, quò præcipitem agat in errores & peccata.* Atque hæc est causa ordinaria & radix, cur qui fundamentum cultus diuini iecerant, excidant è gratiâ, & pereant.

Magna lucis occasio.

Serm. 8.

5. Sed & è nostro Excalceatorum Sodalitio R. P. Ioannes à Iesu Mariâ de intellectus nostri potentiâ mortificandâ peregregiè scripsit Italico idiomate, quæ tibi, Lector, damus, prout ea ab amico Latinitati donata accepimus. *Vnum*, inquit, *quod pauci quidem Dei famuli, nulli verò mundo carniq; dediti, ritè expendunt, est intellectus refrenatio seu mortificatio. Cùm namque homo naturâ suâ cognitionis & scientiæ sit percupidus, fit vt excessus circa obiectum haud adeò manifestè obseruetur, qui posteà in praxi sæpè inaduertenter, sæpè etiam cum nonnullâ deliberatione obuenit: quod fit, si intellectui ampliùs, quàm par sit, habenas laxemus, vt simul cum iis quæ bona sunt & salubria, designatos sibi terminos transiliens, inutilia, vana atque profana speculetur & addiscat. Quod sanè spiritum Dei adeò remoratur atque impedit, vt nemo facilè, quin vsu eius rei experientiam sibi comparauerit, fidem dictu sit adhibiturus. Lector tamen meus, quicumque ille sit, hanc quæso rationem inspiciat atque ponderet. Cùm intellectûs obiectum sit veritas, consequens est, quòd primarium & præcipuum eiusdem obiectum Deus esse debeat, qui prima Veritas existit; & quòd homo, si ritè progredi velit, de suprema hac veritate longè ampliùs, quàm de re quauis aliâ, anxius atque sollicitus esse debeat. Non ergo singula studia & contentiones, quibus ab hoc primario obiecto declinatur, voluntati atque intentioni diuinæ sunt conformes, adeoq; nec commodum intellectûs pabulum existunt. Quicumque ergo spiritualiter viuere desiderat, hanc ipsam intellectûs auiditatem coërcere atque reprimere debet, primo, altissimo castissimoq; obiecto suo eum affigendo. Doctrinæ huius ponderatio mirabilem quamdam in variis Dei famulis emendationem atque etiam cautelam generauit, vt in studiorum suorum cursu quàm diligentissimè operam nauarint, ne tempus suum profanis aut plus nimio humanis Scriptoribus legendis impenderent, aut aliis in rebus illud insumerent, quàm quas ad diuinam gloriam promouendam, animæ propriæ sanctitatem adaugendam, & ad proximi commodum & vtilitatem conducere, conscientia ipsis dictaret. Porrò, per huius doctrinæ castitatem, atque intentionis puritatem, ingentem tandem consecuti sunt lucem, atque proximorum suorum salutis seduli procuratores euaserunt, prout ex illorummet relatione audiui. Insuper, qui Deo famulatur, tam in studendo quàm in docendo, atque etiam aliis auscultando, & denique in quauis quidpiam addiscendi occasione, necessariò intellectui suo frena iniicere debet, ne præfinitos sibi terminos lasciuiendo transiliat: atque vbi aduerterit, hanc illámve scientiam, historiam, disputationem aut discursum nec ad Dei gloriam, nec ad animæ vel propriæ vel aliorum salutem dirigi, confestim omnia rescindat atque à se procul ableget necesse habet, si modò spiritui diuino moriger atque obsequens esse velit: scientias porrò minùs vtiles relinquat, tempusq; suum terere atque dissipare caueat non modò in lectione vel auditione rerum vanarum, quales nimirum sunt, exterarum gentium mores, quintæ vt vocant essentiæ arcana, & futuros Astrologiæ iudiciariæ casus, nosse percupere; verùm etiam earum quæ non ædificant, vtpote lectione Poëtarum, aut aliis id genus studiis: illarum verò tantummodò rerum studio sese applicet, quæ Dei gloriam, animæ tum propriæ tum proximæ salutem, aliorumq; commodum & vtilitatem promouere possunt. Confidat autem fore, diuinâ gratiâ opitulante, vt hoc pacto veram sapientiam consequatur, qualem & Rex ille habuit, qui de seipso ait: Super senes, rerum experientiâ pollentes, intellexi, quia mandata tua quæsiui. qui & paulò antè dixerat: Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Illud verò veræ sapientiæ promptuarium Paulus Apostolus de se hæc scripsit: Non iudicaui me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum. quasi diceret: Scio me olim cunctarum rerum scientiam expetiisse; inq; illud totis viribus incubuisse: verùm ex quo diuino spiritu illustratus sum, omnes eas scientias repuli, soliq; Christo cognoscendo meipsum impendi. Perinde facere oportet spirituales viros qui veri imitatores sunt Apostoli. Neque mens nostra est, dum hoc docemus, facultatum aliarum studia oppugnare, puta Iurisprudentiæ & Medicinæ, dummodò ille, qui eisdem deditus est, à rebus abstineat impertinentibus, suamq; intentionem modo quodam Christiano expurget, quæ & propterea spiritualis esse non desinet. Huic doctrinæ insuper etiam hoc addendum videtur, quòd ille, qui spiritualis esse vult, iudicij proprij non debeat esse nimiùm tenax, sed potiùs facilis & promptus vt suum iudicium alieno absque contentione subiiciat. Hoc sanè magni res est ponderis, atque eximios fructus afferre solet, & proximum admodum ædificare. Finiam caput hoc, aliquam adferendo obseruationem, quam ego in multis magnæ sanctitatis viris sedulò notaui. Obseruaui sæpissimè, magnâ illos cautelâ vti, dum in nihil eorum quæ quotidie contingunt, inquirunt, nec quidquam illorum scire laborant, nisi illa solùm quæ ad proprium illorum statum atque officium spectant; deinde faciles se in aliorum sententiâ iudicioq; sequendo præbent.*

De intellectus mortificatione R. P. N. Ioannes à Iesu Mariâ In Arte viuendi spiritualiter, p. 3. cap. 2.

Deus intellectus obiectũ.

Emolumenta mortificationis eiusdem potentiæ.

Variæ illius praxes.

Psal. 118.

1. Cor. 2.

D. Pauli rei præsentis exemplum.

Egregia circa prædicta obseruatio.

Hactenus Venerandus ille è nostro Ordine Pater de mortificatione intellectus, qui & de voluntatis propriæ coërcitione (de qua vt iam porrò dicamus, instituti nostri ordo exposcit) hunc in modum loquitur: *Verbis exprimi nequit, quanti referat voluntatem corrigere & mortificare: sat sit lectorem scire, se, si voluntatem reformârit atque probè compescuerit, infinitum quoddam bonum esse consecutum, & veluti possidere primum illud mobile, quod reliquas secum facultates & partes hominis ad verum bonum pertrahat. Vt igitur voluntas, quæ per peccatum terræ affixa, tepida & ad cælestia tarda remansit, corrigatur, duo potissimum illi præstanda sunt: quorũ prius est, vt omnino denegẽtur ei illa quæ spiritui aduersantur,* 6.

Ibid. cap 4. *Idem Ven. P. N. Ioannes de voluntatis mortificatione.*

 qualia

qualia nimirum esse poterũt obiecta propriæ excellentiæ & complacentiæ, rerum item exequendarũ, quãuis alioquin piarum, dispositio, vt eas scilicet facere sibi proponat, non quando aut quomodo sibi placuerit, sed quando aut quomodo alius, nimirum Superior aut Confessarius, expedire iudicauerit. Multi proinde serui Dei piiq; viri, qui quidem vitam Religiosam professi non sunt, in rebus spiritualibus suo se Confessario omnino submittũt; & quamuis pia vel communicandi, vel orandi, vel etiam sui mortificandi, intra se experiantur desideria, illa tamen haud aliter, quàm quomodo & quantum Patri spirituali visum fuerit, exequuntur. Sic nempe propriam voluntatem viriliter oppugnant, & insignia de eadem reportant trophæa. Hinc haud difficulter conici potest, quantæ excellentiæ & perfectionis ad voluntatem mortificandam, & ex illâ victorias referendas, sit Religiosus status, cùm tota Religiosi vita sit obedire, & non secundum quod ipse vult, sed prout voluerit Superior, viuere atque dirigi. Primum igitur viri spiritualis, tam in Religione quàm extra, studium esse debet, vt propriam voluntatem abneget, & alterius, qui Dei vicem supplet, eiusq; locum obtinet, nutui pareat & obsecundet: quod ipsum etiam magni est momenti, vtpote per quod, prout experientiâ constat, quàm breuissimo quis tempore ad vitæ perfectionem pertingere potest. Alterũ, quod etiam ipsum permagni refert, in eo situm est, vt quis det operam, quò voluntas præcipuè erga diuinam Maiestatem, & quæ ad eius cultum spectant, afficiatur: quod fit per intellectum, dum nimirum rerum diuinarum honestatem, excellentiam, atque pulchritudinem considerat, & vel maximè, si à Deo id impigrè & assiduè postuletur, quemadmodum sanctus ille Rex fecisse legitur, dum sic inquit: Inclina cor meum Deus in testimonia tua. Hoc secundum notabile prodesse poterit iis qui nec Religiosi sunt, nec directorem aliquem spiritualem habent cui pareant. Si enim hi facere possint quæcumque voluntas suggerit, plurimum sanè refert, eos voluntatem ad res pias sanctasq; benè affectam & inclinatam habere. Bonum tamen esset, si tam hi, quàm qui Religiosi sunt aut spiritualem Patrem habent cui obediant, generales aliquas directiones à suis Superioribus haberent quoad tempora intermedia; quia nemo tam frequenter cum suo Superiore vel Confessario conuersari potest, quin multi interim sint dies, vel horæ, quibus multa, quæ ad spiritualia exercitia spectant, particularibus in rebus priuato nutu sint disponenda: tum vt, quando nesciunt quid Superior velit, adsuescant ordinariè in multis voluntatem propriam abnegare rebus adiaphoris & indifferentibus. Exemplum hoc loco referam viri cuiusdam valdè spiritualis, qui mihi fuit cognitus. Hic quamuis esset sæcularis, magni nominis, atq; extrinsecus sese gereret perinde atque sui æquales, adeò tamen in propriæ voluntatis circa omnia abnegatione exactus erat, vt si quando per vrbem ingrederetur, & affectu quopiam per hanc vel illam plateam incedendi ferri se deprehenderet, ad aliam statim declinaret; si voluntas propria palatium aliquod intueri suaderet, caput aliorsum auerteret; atque sic in multis aliis rebus, ita tamen, ne quis id posset aduertere, ipseq; nihilominùs negotia sua ordinaria ritè & accuratè faceret, neque ea, propter extraordinarium hoc abnegandæ propriæ voluntatis studium, vt Dei negotium exequeretur, vmquam omitteret.

Quàm vtile sit Confessario se subiicere.

Mortificationis voluntatis in Religione insigne exercitium.

Psal. 118.

Quam à Superioribus & spiritualibus directoribus instructiones habere prosit.

Rarum sese in voluntate mortificantis exemplum.

7\. Audiantur iam quæ de eadem voluntatis propriæ mortificatione scripsit R.P. Fraciscus Arias. Quamuis, inquit, omnis mortificatio admodum vtilis sit & salutaris, vt quâ nobis conciliamus Deum, imitamur Christum Dominum, animamque variis virtutum ornamentis expolimus; tamen propriæ voluntatis mortificationi nihil est anteferendum, siue fructum spiritualem, siue necessitatem spectemus. Nam licet prauæ carnis inclinationes tentationesque dæmonis & mundi sint fons & radix peccatorum, tamen nisi consensus propriæ voluntatis accesserit, veri peccati rationem non habent. Quare primaria & propria peccati radix, cui resecandæ mortificationis cultellus applicandus est, est voluntas propria. Sic docuerunt & probarunt Patres. Cassianus enim ita loquitur: *Multis experimentis edocti Patres tradunt, Monachum, & maximè iuniores, ne voluptatem quidem concupiscentiæ suæ refrænare posse, nisi priùs mortificare per obedientiam suas didicerint voluntates. Ideoque pronuntiant, nullatenus præualere vel iram, vel tristitiam, vel spiritum fornicationis extinguere, sed nec humilitatem cordis veram, nec cum fratribus vnitatem perpetuam, nec firmam diuturnamq; posse retinere concordiam; sed nec in cœnobio quidem diutius permanere eum, quin priùs voluntates suas didicerit superare.* Hæc scripsit Cassianus de iis qui sunt sub aliorum obedientiâ. Qui verò non sunt sub obedientiâ aliorum, & tamen sincerè desiderant seruire Deo, cordisque puritatem tueri, illi sibi imperare debent, & propensiones animi sui ad examen reuocare, & contraria contrariis pellere. Vt exempli causâ: Venit cuipiam desiderium honorificum officium suscipiendi, pallium elegans vsurpandi, adeundi publicum spectaculum, conuiuium nobile frequentandi: illicò secum expendit, sitne corpori vel animæ salutare, desiderio parēre; si non sit, decernit, satius esse desiderio non satisfacere. In mentem incidit commemorare coram aliis res cum laude gestas à se, vel à maioribus, loqui eruditè de rebus sublimibus & reconditis, vt nomen & famam aliquam apud alios colligat; & aduertens non esse necessarium, tacet. Capitur cupiditate cognoscendarum rerum nouarum ex variis regionibus, & videns rem esse magis curiosam quàm vtilem, repudiat. Sentit difficultatem, si primus salutare debeat conditione inferiorem, vel à quo læsus est; si inuisēdus sit homo abiectus & inops, si ægri cura habenda, si cibus sumendus cum quibusdam qui nauseam moturi videntur; & tamen vbi collegerit se, vincens seipsum, facit. Hoc modo, qui nulli subiectus est, mortificare potest voluntatem propriam, particepsque fit omnium meritorum ac fructuum spiritualium quos gignit mortificatio, nec non paulatim radicitus euellit omnium peccatorum fontem, & pertingit ad perfectionem abnegationis sui tantopere à Christo in Euangelio laudatæ, vt obseruauit S. Vincentius, dum scribit, *Abnegare seipsum, & Christum sequi, esse, in omnibus rebus mortificare & subiicere propriam voluntatem.* Est quidem difficile, licet salutare, mortificare carnem ieiuniis, disciplinis, aliisque asperioribus pœnitentiis; verùm longè difficilius atque etiam vtilius est mortificare, etiãsi nulla corporis afflictio accedat, propriam voluntatem, vt sanctus Gregorius animaduertit. *Quid,* inquit, *est humanæ menti angustius, quàm voluntates proprias frangere? de quâ fractione Veritas dicit, Intrate per angustam portam.* Et alibi tradit, esse sublimioris meriti, propriam voluntatem submittere alienæ, quàm corpus magnis ieiuniis affligere. Confirmat hanc doctrinam S. Dorotheus, dum scribit, discipuli sui Dosithei hanc præcipuam exerci-

P. Franciscus Arias quid de voluntate mortificandâ conscribat.

Lib. 4. de Instit. cap. 8.

Sine hac non subiugari alias passiones.

Quomodo se in eis habere debeant qui non subsunt obedientiæ.

In Vitâ Spirituali, cap. 1.

Vtilior multò voluntatis quàm externa mortificatio.

Lib. 32. Moral. cap. 13.

Lib. 6. in libros Regum, cap. 15.

Serm. 1.

exercitationem fuisse, vt crebriùs frangeret propriam voluntatem. Nam cùm aliquid illi afferrent ad vsum quotidianum necessarium, diligenterque & nitidè confectum, imperabat vt alij potiùs quàm sibi traderent. Si aduertebat Superiorem affici ad librum vel cultellum, quo vtebatur in curandis ægris, mandabat ne ampliùs eo vteretur. Si quid sciscitabatur cognitione dignum, sine serio responso eum dimittebat. In his omnibus Dositheus promptè obediebat, patienterque cum silentio omnia perferebat, ac intra quinquennium ad tantam virtutis perfectionem peruenit, vt post mortem conspectus sit inter Religionis illius Sanctos ad magnã euectus gloriam. Mirabantur alij monachi, tam breui tempore Dositheum ad tantum virtutis fastigium cõscendisse, cùm tamen ob corporis debilitatem in sustinendis ieiuniis, vigiliis, aliisque asperitatibus, longè inferior esset reliquis. Verùm rogatus de eâ re, respondit, se omnem operam & studium posuisse in mortificandâ iugiter propriâ voluntate, eâque voluntati Superiorum conformandâ. O quàm ingentes opes animæ in hoc mortificationis propriæ voluntatis scrinio delitescunt! O quã præsens & efficax antidotum est breui tempore magnos faciendi progressus, pacemq; & tranquillitatem animi perpetuam comparandi, ac inprimis concordiam & vnionẽ cum omnibus! Quod idem Dorotheus in hanc sententiam exponere pergit. *Si volumus*, inquit, *frui perfectâ libertate spiritus, exerceamus nos in cohibendis propriis cupiditatibus, auxilioq; diuino nixi, in vera pietatis studio eousque proficiemus, vt rerum omnium terrenarum amorem facilè exuamus, veram serenamq; conscientiæ quietem acquiramus, tantamq; in aduersis tolerandis animi fortitudinem, vt sine vllâ perturbatione, libenterq; de manu Dei omnia quæ euenire possunt, accipiamus; eò quod nulla res æquè homini conducat, ac mortificatio propriæ voluntatis.* Hucusque ille Sanctus, qui vtiâ Deo eximiè illustratus, experientiaque longâ edoctus, probè intelligebat efficaciam huius exercitationis. Illud verò quod beneficio mortificatæ propriæ voluntatis præcipuè acquiritur, est conformitas nostræ voluntatis cum diuinâ: nihil enim impedit nos ab implendâ Dei voluntate, nisi voluntas propria. quare per mortificationem eâ subactâ, anima ab omnibus impuris affectibus, quibus res caducas sectabatur, & suis commodis inhiabat, expurgatur, atque directè & purè in omnibus quærit Deum, sanctissimamque eius voluntatem. In quem sensum dixit S. Augustinus: *Nutrimentũ charitatis est imminutio cupiditatis*, id est inordinati affectus erga res temporales, *perfectio verò charitatis, nulla cupiditas.* Hæc enim imminutio fit per mortificationem propriæ voluntatis. O dulcissimos fructus! ô præmia admiranda eorum qui suæ voluntati dominantur! Hæc sunt cælestia promissa à Christo per D. Ioannem data, dum ait: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Fructus ligni vitæ, qui est Christus in medio Ecclesiæ existẽs, est diuinus amor, quo animæ sustentantur & delectantur. Et rursum dicit: *Vincenti dabo manna absconditum.* Hoc manna est beata pax & tranquillitas conscientiæ, quâ fruuntur omnes qui strenuè mortificationi student. Hactenus ille.

Mirabilis ex illâ Dosithei perfectio.

Mirabiles & alij virtutũ fructus.

Acquiritur hinc conformitas cum diuinâ voluntate.

Mãna etiam absconditum & tranquillitas conscientia.

8. Iam & R. P. Iulius Fatius nonnullas considerationes, vt assolet, ad cognoscendam exercendamque voluntatis mortificationem non inutiliter adduxit. Considera, inquit, primò, voluntatem tuam, potentiam esse naturâ suâ cæcam, atque idcirco illi, ne erret, maximè opus esse ductore. Quia verò experientiâ ipsâ & grauissimo tuo cum damno edoctus es, teipsum nequaquam bonum eius ducem esse, necesse est vt eam directioni voluntatis diuinæ, & eorum qui te loco Dei gubernant mortificationis vsu, subiicias, si non velis incurrere in ea pericula, quæ Dominus ipse tibi prædixit cùm ait: *Si cæco cæcus ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Considera secundò, voluntatem tuam esse naturâ suâ liberam, atque idcircò freno opus habere, ne rationis limites suis intempestiuis affectibus transgrediatur. Precaberis ergo Deum cum Psalmistâ assiduè: *In camo & freno maxillas eorum constringe.* Considera tertiò, voluntatem tuam naturâ suâ esse appetitiuam, & ideò instar illius infamis feminæ, de quâ Deus per Ieremiam, *Sub omni ligno frondoso prosternebaris meretrix*, sæpè facta est præda suorum appetituum, illecta nescio quâ vmbrâ & specie boni alicuius quæ in ipsis apparebat, atque ita partim habitu prauo, partim naturali etiam affectu, minimâ oblatâ occasione, tanto in obiecta sua fertur impetu, vt nisi mortificationis freno retineatur, expositura sese procul dubio sit illis incommodis, à quibus Sapiens nos absterret, cùm ait: *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tuâ auertere: si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Considera quartò attentè, quantâ necessitate compellamur vt mortificemus hanc nostram voluntatem, cùm, teste S. Bonauenturâ, *tota Religionis perfectio in voluntatis propriæ abdicatione consistat*; cumque, auctore S. Augustino, *vnicuique propria voluntas sit causa damnationis vel saluationis.* Seneca item Philosophus gentilis ad quemdam amicum scribens, affirmare audet, adeò necessariam esse mortificationem propriæ voluntatis virtutibus comparandis, vt tantum & non plus virtutum adepturus sis, quantum tibi de tuâ propriâ voluntate detraxeris. *Hoc solum virtuti adiicies*, inquit, *quod propriæ voluntati subtraxeris.*

Cap. 6.

R. P. Fatius quas pro præsenti materiâ considerationes adducat.

Matth. 15.

Opus voluntati freno.

Psalm. 31.

Ierem. 2.

Eccle. 18.

Probatur rei istius necessitas.

In Speculo discip. c. 4.

In Manuali cap. 25.

Superest vt de tertiâ animæ potentiâ mortificandâ, quæ est memoria, paucis agamus. De hoc actu sic loquitur Venerabilis P. Ioannes à Iesu Mariâ: *De memoriâ intellectuali & sensitiuo loquar, quòd doctrina hæc vtrique tum communis sit tum vtilis. Etsi autem ea, quam dedi, duarum memoriarum distinctio omnibus passim non sit nota, id tamen haud admodum refert, modo quis memoriæ suæ, quanta quanta illa est, secundùm eam quam in medium allaturus sum doctrinam, tam corrigendæ quàm mortificandæ regulam obseruet. Sancti, quos vitæ nostræ spiritualis habemus Magistros, semper magnam felicitatis in hac vitâ speciem esse arbitrati sunt, si memoriam ita serenatam habere contingat, vt ea solum Iesum Christum, & quæ ad illius cultum atque honorem faciunt, agitaret atque reuolueret. Mundus veluti excellens quidpiam æstimat atque suspicit, si quis eam quamplurimis nugis vanitatibusq; occupet, vt omnes illa comprehendat atque norit Domorum & affinitatum nobiliorum genealogias, omnes diuitum census atque possessiones, omnes ambientium & aulicorum vota atque desideria: cùm aptus Deo requiescendi locus illæ memoriæ esse non soleant, quas tot vanitates inuaserunt, nisi protinus inde eiiciantur. Hinc qui spiritualis est, videat ne hac in parte erret,* &

9. *Cap. 5.*

De memoriâ mortificandâ P. N. Ioannes.

Quidnam in recordatione habendum sit.

A quibus ita abstinēdum.

& vas illud, quod cælesti balsamo replere potest, sordido fimo inficiat. Quin & ab iis lectionibus, conuersationibus & occasionibus abstineat, quæ eum illâ inutilium imò noxiarum rerum varietate atque multiplicitate perturbare possint, sed memoriæ suæ potiùs imprimat summum illud Bonum, cuius adminiculo à se procul repellere valeat quæcumque obstare solent quò minùs frequenter de diuinâ bonitate cogitet. Hæc porrò curâ & diligentiâ fiet, vt imaginatio, diuinâ gratiâ cooperando, in meliorem reuligatur statum. Verùm enimuero, doctrinæ huic minime aduersatur bonarum historiarum studium, quod vel ad scribendum, vel alios instruendos, aut docendum, aliosve eiusmodi actus refertur: & multò minùs, si quis multa & varia negotia, quæ ad cuiuslibet munus atque professionem pertinent, memoriter edidicisse allaborauerit. Hoc ad illorum dico solatium qui legitimè occupati sunt. Porrò hic quilibet suam conscientiam discutiat, videatq; sedulò, an in iis quæ agit, bonum aliquem finem intendat; semotisq; inutilibus & noxiis, memoriam iis onerare atque occupare desinat: quæ quantumuis cogitanti grata sint atque perplaceant, Deo tamen displicent, &c.

Quem nobis finē in rebus præfigere debeamus.

10. De eodem memoriæ mortificandæ exercitio sic item loquitur R. P. Iulius Fatius: Considera Primò, quomodo Propheta Ezechiel spiritu in templum Ierosolymitanum introductus, præter alia multa, duo præcipuè ibi summâ obseruatione digna viderit. Primò quidem, omnem similitudinem reptilium, & animalium abominationem, & vniuersa idola domus Israel depicta in pariete, in circuitu per totum: deinde quod non minùs erat admiratione dignum, septuaginta viros de senioribus Israel, prædictis imaginibus thura adolentes. Ita & tu, si cogitatione templum animæ tuæ intraueris, videbis inprimis ingentem multitudinem abominabilium similitudinum bestiarum & idolorum, quæ in memoriâ & imaginatione tuâ perpetuò visuntur. Deinde, quod peius est, cùm eiusmodi imagines & species amaris lacrymarum imbribus eluendæ, & ferro seueræ cuiusdam mortificationis ex animo recidendæ essent, tu potiùs eas foues, positoque incenso veneraris, non sine intimâ quadam sensuum oblectatione & iucunditate. Dolebis igitur de tanto errore, firmiterq; statues, te huiusmodi cogitationum simulacris euertendis, & perpetuâ obliuione sepeliendis diligentem operam nauaturum. Considera Secundò, Deum nostrum memoriæ & imaginationi tuæ magis inhærere, quã tu ipse tibi, diuinique sui intuitus perspicaciâ, multò clariùs videre & penetrare ea quæ ibi adumbrantur & effigiantur, quàm tu imaginatione tua assequi possis. Hinc sumes materiam erubescendi, ob confusionem turpitudinemque huius spectaculi, quod oculis diuinæ Maiestatis in mente tuâ assiduè exhibetur, colligesq; teipsum, & tandem huiusmodi phantasiis ac vanitatibus finem impones, apposita portis sensuum tuorum vigilanti custodia. Considera tertiò damnum inæstimabile, quod ex libertate, leuitate & immortificatione huius tuæ imaginationis & memoriæ ad animum tuum miseratione dignum redũdat. Cùm enim intellectus tuus similis sit molæ, quæ, quidquid affunditur, commolit & conterit; tu verò nihil aliud intellectui tuo suggeras, quàm abominationes & chimæras, quid mirum, si omnes deinde cogitationes eiusdem fiant farinæ? cumque contemplatione rerum cælestium suspensus esse deberes, tunc subitò abriperis, & inuolueris immunditiis, vanitatibus atque stultitiis huius terræ.

Ibid. P. Iulius Fatius quomodo de memoriæ refrenatione loquatur.

Quã nociua esse possit rerum vanarũ imaginatio.

Quã damnosa imaginationis libertas.

Et hæc quidem de mortificatione trium animæ potentiarum eò adducta sunt, vt illius exercitiis mortuorum animæ ad gaudia superna euehantur, & nihilominùs dum vitam defunctis mortificatione suâ viui acquirunt, mortem illam sibi adsciscant, sine quâ viuere in cælis non poterunt, sine qua mors iis sempiterna expectãda est, iuxta illud Saluatoris: *Qui perdiderit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam: & qui amat animam suam in hoc mundo, perdet eam.* Quod, vt D. Augustinus scribit, duobus modis potest intelligi. *Qui amat, perdet. id est, si amas, perdes: si cupis vitam tenere cum Christo, noli mortem timere pro Christo. Item alio modo: Qui amat animam suam, perdet eam. Noli amare, ne perdas: Noli amare in hac vitâ, ne perdas in æternâ vitâ.* vtilissima igitur fuerit hæc materia, si diffusiùs aliquantulo explicetur: ex illâ enim constabit non solùm quomodo hinc mortui iuuentur vt viuant, sed & quomodo salubriter viui sese mortificando mori possint in hoc mundo, vt sine fine viuant in cælo. Nec inutilis erit hæc doctrina iis qui tres animæ potentias veluti vnum quid fieri debere voluerunt, sibique ita subordinatas esse, vt tota anima Deo subiiciatur. Hoc vt explicent, aiunt, hominem, prout ad Dei similitudinem factus est, illi omnino similem esse debere. Quapropter sicut scriptum est, *tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt:* ita etiam volunt in animâ hominis, vt Deo planè assimiletur vniaturque, agendum esse. Perfectionem nostram in Dei similitudine consistere quia iam sæpè docuimus, superuacaneum esset id hîc repetere: ideoque non nisi similitudinem vnam, quam nobis cum Deo intercedere mellifluus Doctor S. Bernardus asserit, ad propositum accommodabimus, vt inde, quid circa potentiarum animæ mortificationem eliciendum sit, ostendamus. 11.

Potentiarum animæ refrenatio & mortuis & viuis prodest.

Ioan. 12.

Tract. 51. in Ioann.

Vtilis prolixior dictorũ explanatio.

1. Ioan. 5.

Deo similes sumus si inter se potētiæ animæ vnitæ sint, & ei subiectæ.

Ait itaque Doctor ille, quemadmodum Deus vnus est, & tamen trinus, ita hominem vnum quidem esse quoad animæ suæ substantiam, licet trinus quodammodò sit quoad eius facultates. Item non secùs atque in Diuinitate principium est Pater æternus, ab eo genitus Filius, & ab vtroque procedens Spiritus sanctus; ita inter potentias animæ veluti principium est intellectus, à quo voluntas quodammodò gignitur, & ab vtroque profluit memoria. Prout insuper in diuinitate, personæ essentiâ & naturâ vnum sunt, ita tres illas animæ potentias, quò Deo tota anima subiiciatur, & perfectè similis euadat, vnum quid in diuino seruitio atq; in mortificatione esse oporteret. Sed quod dolendum, *homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* quinimò homines *mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potiùs quàm creatori.* Quia ergo perfectiones suas, quas ex Dei similitudine homines in anima sua habebant, per peccata 12.

In quibus hominis cum Deo similitudo cõsistat.

Psalm. 48.

Rom. 1.

Hanc peccãdo oblitterauimus.

cata defœdarunt, atque in abominationes commutarunt, necesse est illas resuscitare, atque in integrum restituere, vt Dei imaginem similitudinemque, quam peccando obscurauerunt, passiones mortificando, animæque potentias confirmando, primo principio subiiciant, atq; vnum cum eo efficiant. Adlaborandum itaque omnibus nobis est omni quo quidem possimus conamine, vt quam in animâ nostrâ Dei imaginem similitudinemque deformauimus, reformemus. Quod quia per trium potẽtiarum animæ ad voluntatem diuinam subordinationem maximopere fieri solet, hic de eiusmodi exercitio, quod nil est aliud quàm intellectus, voluntatis atque memoriæ mortificatio, seu corruptelæ illarum potentiarum ad vniformitatem reductio, non immeritò agendum mihi est. Atque vt id commodiùs fiat, ab ipsâ memoriæ potentiâ exordium faciemus, cùm secundùm S. Ambrosium, *si faber domum renouare disponat, non à fundamentis, sed à culminibus incipit soluere vetustatem; itaque ibi priùs manum admouet, vbi antè desierat.* Quapropter cùm, vti anteà diximus, intellectus sit inter illas potentias veluti principium à quo generatur voluntas, & ab his procedat memoria, ab hac tamquam posteriori, vetustatem soluere, atque corruptam naturam mortificare inchoabimus.

Quomodo eam restituere valeamus.

Lib. 4. in c. 4. Lucæ.

Similitudine res explicatur.

13\. Mala quæ ex memoriæ defectu proueniunt, tanta sunt, vt ne ea quidem memoriâ, nedum sermone, complecti queamus. Propheta Regius hac de re plura habet in Psalmis. *Intelligite hæc,* inquit, *qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.* Item: *Humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis.* Item: *Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliuiscuntur Deum.* Imò & sibi ipsi mala imprecatur Regius Hymnographus, si vmquam cælestis illum Ierusalem obliuisci contingeret. *Si oblitus fuero tui,* inquit, *Ierusalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.* Quin & Ieremias Prophetes, *Desolatione,* ait, *desolata est vniuersa terra, quia nullus recogitat corde.* Sed & Moyses Iudæorum cæcitatem deplorat, dum sic ait: *Gens absque consilio est, & sine prudentiâ. vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent!* Quemadmodum enim vniuersa pęnè ex peruerso memoriæ seu recordationis vsu mala procedunt, ita vicissim ex pio eiusdem exercitio cuncta propemodum bona promanant. Psalmœdus pro huius rei testificatione rursus ad manum est. Postquam enim aliquando dixisset, *Renuit consolari anima mea,* statim subiunxit quid remedij aduersus hanc interiorem cordis sui afflictionem adhibuerit, & inquit: *Memor fui Dei mei, & delectatus sum.* Nam, vt & alio in loco cecinit, *Cogitatio hominis confitebitur* Domino, *& reliquiæ cogitationum diem festum agent* ei. Ecce quantum de Deo cogitatio intra animam gaudium producat. Neque hoc solum, sed & omne bonum homini accidere facit. Nam si à peccato quis liberari desiderat, quid melius facere poterit, quàm quod Isaias se fecisse asserit. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Si in peccatum labi times, & ne cadas, remedium desideras, en quid consilij tibi Sapiens suggesserit. *Memorare,* inquit, *nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Vis armari contra omnes hostes qui animam tuam impugnant, audi S. Petrum Apostolum. *Christo itaque passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Vis ad omne occurrens certamen insigni victoriæ & denique æternæ gloriæ coronâ potiri? facito quod D. Paulus iubet: *Recogitate eum qui talem aduersus se sustinuit contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes.* Vtilissimum igitur est, rerum spiritualium cogitationi se tradere, & diuinorum meminisse: nam & non rarò accidit, vt vna solummodò rei cuiuspiam salutaris recogitatio salutis initium dederit. Sic & Dei memor factus est Nabuchodonosor, proinde ad cælum suspexit, & scelerum suorum petitâ atque obtentâ remissione, è ferâ ad humanam naturam rediit, atque è bestiarum consortio ad regnum reassumptus est. Magdalena vt nouit Iesum accubuisse in domo Simonis Leprosi, eò accurrit, & plenam peccatorum veniam impetrauit. Ipse prodigus, vt in se reuersus est, conuersus fuit, atq; in ædes paternas redux, stolâ, annulo calceisq; donatus, honori suo restitutus est. Quid per singulos piæ recordationis vagamur effectus? si referre omnes velim, finem dicendi non reperirem: vno ergo fructu sermonem hunc claudam, quo reuerà omnia quæ dici possunt, quæ haberi possunt, continentur. Doctorum, qui Mystici appellantur, ea opinio non inanis est, ex primâ, quam Deus in corda nostra inspirationem immittit, actus potissimùm perfectionem dependere, cùm videlicet statim atque ad bonum quoddam intus à conscientiâ nostrâ nos admoneri persentiscimus, ad illud protinus nos promptos & paratos exhibeamus, vt in nobis verum fiat illud, *In auditu auris obediuit mihi.* & illud, *Præparationem cordis audiuit auris tua.* Ad cuius ergo fores sæpiùs Deus pulsare debet, næ is perfectè obediens non est, sed obstinatus potiùs dicendus erit. *Vocaui,* conqueritur Deus, *& renuistis;* sed ecce eiusdem minas: *Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Aliam viam ingressi sunt Sancti vt ad summam perfectionem pertingerent, aliud fundamentum sanctitati substrauerunt vt ad summum eius fastigium ascenderent, quorum sacra exempla nonnulla recitabimus.

Quænam ex defectu memoriæ mala.

Psalm. 49.

Psalm. 43.

Psalm. 9.

Psalm. 136.

Cap. 12.

Deuter. 32.

Omnia vicissim ex illius cultu bona.

Psalm. 76.

Psalm. 75.

Isaiæ 38.

Eccli. 7.

1. Petri 4.

Hebr. 12.

Vna frequenter bona cogitatio salutis causa fuit.

Mysticorum sententia, perfectionem ex primâ inspiratione pendere.

Psalm. 17 & 10

Prouerb. 1.

Ad primum ergo Dei motum, quem in corde suo deprehenderunt, virtutum sese actibus addixerunt, quod S. Franciscus Assisias, & sancta Mater nostra Teresia inter alios Sanctos fecisse sciuntur, qui & idcircò ad Seraphicum titulum & Ordinem euecti fuisse dici possunt, quòd ad sciendam faciendamque voluntatem diuinam toti arderent, & non secùs ac fulgur aut ignis, illorum numero accensendi sint de quibus illud Psalmi loquitur: *Qui facis Angelos tuos, spiritus; & ministros tuos ignem vrentem.* atque illud Apostoli: *Qui facit Angelos suos, spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Arserunt itaque illi Seraphici Sancti, ac velut fulgur ignis ad omne Dei mandatum memoriæ eorum suggestum discurrerunt. Quod ipsum quia de S. Francisco omnibus est notissimum, de S. Teresiâ matre nostrâ paucis, è Pontificum Diplomatibus, Gregorij scilicet XV. qui eam Sanctarum catalogo adscripsit, & Vrbani VIII. qui Officium eius proprium approbauit, demonstratum ibimus. In Matutinalis ergo eius Officij Nocturno secundo, Lectione quintâ, hæc leguntur: *Tanto autem diuini amoris incendio cor eius conflagrauit, vt meritò viderit Angelum ignito iaculo*

14\. *Exempla duo in Seraphicis Sanctis Francisco & Teresiâ.*

Psalm. 103.

Hebr. 1.

Vt id in D. Francisco clarum, in S. M. N. Teresiâ quoque sibi ostenditur.

sibi præcordia transuerberantem, & audierit Christum sibi datâ dexterâ dicentem : Deinceps vt vera sponsa meum zelabis honorem. Eoq; conciliante, maximè arduum votum emiserit, efficiendi semper quidquid perfectius esse intelligeret. Quo in genere quid in Ecclesia inuentum sit eâ, aut inueniri possit insignius, vix video. Et hæc quidem primæ animæ potentiæ, quæ memoria dicitur, perfectio est, vt statim atque Deo quid gratum, vel aliocumque gratius esse cognouerimus, ad id perficiendum nos totos applicemus, Samueli que similes, ad omne diuinum mandatum promptissimi, ex intimis cordis medullis assiduè inclamemus: *Ecce ego, quia vocasti me. Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* 1. Regum 3

15. *Mortificari quomodo voluntas possit.*

Sed ad voluntatem, alteram animæ potentiam accedamus. Potest & illa magno cum merito mortificari, Deoque in spirituale Sacrificium consecrari, dum nimirum non solùm illa quæ Deo grata esse cognoscimus, actu complemus, sed & voluntariè atque libenter, magnâ scilicet cum alacritate perficimus. Parum enim est, si non nisi externo opere Maiestatis diuinæ præcepta adimplemus: quia & hæc mancipiorum obedientia est, quæ metu & verberum timore faciunt quod iubentur. Maiorem & promptiorem esse famulorum filiorumque Dei perfectionem oportet, vt nimirum lætissimè peragant, ac intimo mentis affectu compleant quæ diuinæ esse voluntatis cognouerint. Quo sensu & illa Apostoli verba accipi possunt: *Vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes.* itemq; illa de Angelico cantu desumpta: *Et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Qui enim libenter hilarique voluntate Deo eiusque vicariis obediunt, velut summâ in pace quiescunt. Vnde Apostolus suam orationem hanc fuisse affirmat, *Non cessamus,* inquiens, *orantes, vt impleamini agnitione voluntatis Dei.* Atque eiusdem alibi hæc fuit exhortatio: *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri: vt probetis quæ sit voluntas Dei, bona, & beneplacens, & perfecta.* Vbi tria præcipuè notanda sunt: Primò, voluntatem Dei bonam esse, vtpote quæ sit sanctificatio nostra: Deinde beneplacentem, vtpote in quâ sit vita. *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Vbi secundùm aliquos per vesperum intelligere possumus propriæ voluntatis nostræ abnegationem, & per matutinum, trãslationem nostrę volũtatis in Deum. vt sensus sit, verè diuinam voluntatem beneplacentem esse facientibus eam, quandoquidem ad nostræ voluntatis abnegationem velut vesperum, animi tristitia finiatur; ad oblationem verò nostri in voluntatem diuinam, veluti ad matutinum lætitia oriatur. quod & Psalmi eiusdem sequentia verba non parum elucidant, quæ hæc sunt: *Ego autem dixi in abundantiâ meâ, Non mouebor in æternum. Domine in voluntate tuâ præstitisti decori meo virtutem,* &c. Tertiò denique, voluntatem Dei etiam esse perfectam, perfectosque facere. de quo inter alia sic locutus est Christus: *Quicũq; fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Vin' amplius? vt ipsi perfectioni similis sit. Videri hoc poterit ex Psalmo, vbi Saluatoris nomine Psalmographus ait: *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Primum ergo ac præcipuum Christi

Hebr. 13. Lucæ 2. Coloss. 1. Rom. 12. 1. Thessal. 4. Psalm. 29. *Insignes Scripturarũ de resignatã in Deum voluntate explicationes.* Matth. 12. Psalm 39.

Saluatoris, qui est ipsa perfectio, fuit munus & officium, vt faceret voluntatem Dei, prout & ait, quòd in medio cordis sui, præ reliquis potissimum, habere velit Dei legem, diuinæ nimirum voluntatis regulam, quam sequeretur. Apertiùs hoc ipsemet Saluator proprio ore effatus est dum sic dixit: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Item: *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Iterùm: *Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* An plura addere necesse est? Non puto, cùm facilè omnes videant, Christi potissimum studium voluntatis diuinæ faciendæ fuisse. At si virtutis huius admirabiles effectus ac profectus explicare velimus, primùm sese offert ipse Psalmographus, cuius hæc sunt: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tuâ deduxisti me, & cum gloriâ suscepisti me.* In Dei itaque voluntate securè in hac vitâ deducimur, gloriosè in æternâ suscipimur. *Et lætentur omnes qui sperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis. Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices iusto. Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Bonâ itaque voluntate suâ veluti scuto nos coronat Dominus, dum gratiam, vt hâc ipsam in nobis perficiamus, elargitur. Neque frustrà dictum, bonâ nos voluntate suâ coronare vt scuto: quia dum voluntariè diuinæ sese homines voluntati conformant, coronam non minùs, atque illi qui strenuè decertant, acquirunt, & ab omni casus periculo, ceu scuto, per diuinum mandatum, cui obtemperãt, eximuntur: & ideò lætantur omnes qui sperant in te, & suam in te voluntatem transferunt; in æternum exultabunt, conscientiâ nimirum & certitudine rectè facti, cùm Deus non nisi bonum præcipere possit. Et habitabis in eis, vtpote cùm cordis sui habitaculum Deum effecerint, & Deus non secùs quàm eius dominus, illius curam & directionem acceperit & exequatur. Vt proinde gloriari possint omnes qui nomen & præceptum Dei diligunt, & quæ illi sunt placita voluntariè faciunt: quoniam in hoc benedicit iusto, vt cum scuto bonæ suæ voluntatis coronet. Neq; verò necesse erat pedem profundè intra Psalmorum adyta promouere, vt desiderij voluntatis diuinæ faciendę emolumenta pernosceremus, cùm ipso statim in Psalterij limine sufficiens se eius offerat probatio. Cùm enim *beatus* deprædicatus esset *vir* ille *qui non abiisset in consilio impiorum, & in viâ peccatorum non stetisset, & in cathedrâ pestilentiæ non sedisset,* adiungitur, *Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Similia ex Apostolo aliisque sacris Scriptoribus pro voluntatis Deo subiiciendæ commendatione adferri possent, sed ne prolixitas tædium pariat, ad intellectum, tertiam animæ potentiam, transimus.

Totũ Christi studium fuit in Patris voluntate adimplendâ. Ioan. 4. Cap 5. Cap 6. *Voluntatis diuinæ exercitiæ admirabiles effectus.* Psalm. 72. Psalm. 12. *Quomodo Dei volũtate velut scuto coronemur.* *Pulchra alia de hac eadem in Psalmis.* Psalm. 1. *Viri volũtati sese diuinæ conformantis insignis comparatio.*

Est verò ille non minùs quàm voluntas in Dei obsequium mortificandus. Licet enim magnum quid sit, voluntariè atque lubenter se Domini mandatis conformare, multò tamen est amplius, intellectum quoq; ita eiusdem beneplacito subiicere, vt non humanam in illo adimplendo rationem, sed merum Dei nutum attendamus & requiramus, firmiter credentes, vniuersa illa quæ 16.

Intellectus quoque in obsequium diuinum subiiciendus.

per

per se Deus præcipit, vel quæ per vicarium suum Superiorem, conuenientissima esse eius gloriæ, & profectui nostro vel maximè expedire, tametsi iuxta humanum iudicandi modum absurda nobis & fini suo planè aduersa videantur. Apostoli consilium fuit, vt operâ daremus, quatenus militiæ nostræ arma non essent carnalia, *sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Idem sic ad suos Hebræos scribit: *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Neque id mirum, quandoquidem omnem nostrum intellectum in Christi eiusque fidei obsequium, velut in captiuitatem redigere, atque iis, quos ipse nobis suo loco præposuerit, subiacere debeamus, quia etiam iidem ipsi pro nobis vigilant quasi rationem pro animabus reddituri: & ipse qui eos posuit super capita nostra, sit ille, in quem nos, iuxta D. Petri diuinissimum monitum, omnem sollicitudinem nostram proiicere debemus, *quoniam ipsi cura est de nobis.* Imperfectè itaque illi obediunt, qui licet obediunt pronâ voluntate, suum tamen iudicium iudicio Dei, quod in Superiores ab illo translatum est, audent anteferre, discutientes & ad humani sensus limam explorantes id quod iis iniungitur. Timendum his est illud S. Pauli proloquium: *Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum:* dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. A quo vitio infrà omnes in Romanis dehortatur, inquiens: *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos.* Et rectè quidem, cùm, quemadmodum perfecti hominis signum est, omnino in Dei obsequium intellectum, velut in captiuitatem redegisse, ita & reprobatæ à Deo mentis indicium, iudicium suum iudicio Dei nolle subiicere, sapere velle supra Deum, & quod rectum ille iudicat, & vt tale præcipit, velut minùs conueniens, aut inutile, ne dixero noxium, existimare. Plura sunt in Scripturis sacris testimonia, plura exempla. Testimonium vnicum Christi Saluatoris instar omnium esse debet, qui apud Euangelistam sic exclamat: *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te.* En insignem Saluatoris nostri ad Patrem suum cælestem confessionem, & velut pro magno beneficio accepto gratiarum actionem, eò quòd cælestia sua secreta, & voluntatis suæ sacratissimæ mysteria, à sciolis inflatisque mundi sapientibus abscondisset, paruulis verò humiliterque de seipsis sentientibus, intellectumque suum diuinæ dispositioni submittentibus, communicasset. Cui non exiguam emphasim addit illud, *Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te:* nam hoc rursum confirmat, quàm sit excellens iudicij & intellectus proprij, diuino intellectui submissio, quandoquidem id Deus ita velit. Exempla tum eorum qui intellectum suum Dei voluntati omnino subiecerunt, tum & illorum qui id facere detrectarunt, plura in Scripturis sacris reperiuntur. Prioris membri vix est aliud insignius quã quod exhibuit Abraham Patriarcha, & hisce verbis in Historiâ sacrâ refertur. *Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit: Adsum. Ait illi: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium quem monstrauero tibi. Igitur Abraham de nocte consurgens, strauit asinum suum, ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum. Cumque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus. Die autem tertio, eleuatis oculis, vidit locum procul: dixitque ad pueros suos: Expectate hic cum asino: ego & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos. Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: ipse verò portabat in manibus ignem & gladium. Cumque duo pergerent simul, dixit Isaac patri suo: Pater mi. At ille respondit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis & ligna: vbi est victima holocausti? Dixit autem Abraham: Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi. Pergebant ergo pariter: & venerunt ad locum quem ostenderat ei Deus, in quo ædificauit altare, & desuper ligna composuit: cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum. Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.* In cuius exempli laudes mirè SS. Patres prorumpere solent, & vehementer illud inprimis extollere, quod sine vllo contradictionis signo statim ac libenter obediuerit. Quod vt non nihil explicent, obseruari volunt singula quæ in præcepto huius oblationis vsurpauit verba. Tolle nimirum. Quem? Filium tuum. Sed quem è multis? Vnigenitum, & quem vnicè diligis, Isaacum scilicet, qui tibi miraculosè datus est, & ex quo tota tibi futuræ successionis spes promissa est. At quid cum illo filio, vnigenito, quem diligis, facturus es? Offeres eum in holocaustum super vnum montium quem monstrauero tibi. O res quæ & naturam & rationem omnem prętergreditur! Quid ad hæc Abraham? Obediuit opere, voluntate, intellectu. *Credidit,* inquiunt Apostoli, *Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Quid hoc est, *Credidit?* nisi rectè factum esse quod iubebatur; licet non intelligeret, non dubitauit. Ecce perfecta obedientia. Econtra, quàm periculosum ac terribile est (vt alterum membrum adiungamus) nolle iudicium suum ad obediendum, vt par est, præcipienti subiicere, aut iussa illius priuatâ & propriâ auctoritate discutere, adeoque suo, vt ita dicam, modo & nutu velle obedire? Exemplum illud Saülis docere hoc poterit, qui cùm ex humili conditione ad Regiam dignitatem misericorditer à Deo esset euectus, postquam mandato diuino simpliciter obedire neglexerat, Regno priuatus fuit, vt sacra in Regum libris narrat historia, eiusque in locum Dauid surrogatus fuit, ipse verò postmodum à diabolo & maligno spiritu exagitatus, sibimet ipsi violentas manus intulit, & denique post miserandum obitum, truncum corpus eius & filij ipsius, ab hostibus de muro, ludibrij causâ, suspensum, & vix plębeiâ sepulturâ honoratum fuit.

17. Atque ex his iam omnibus constat, tres animæ potentias, si probè ad explendam diuinam voluntatem mortificentur, rectè applicari ad id, quod de Deo, cuius ad imaginem anima nostra creata est & reformari debet, S. Ioannes Euangelista dixerat, *Et hi tres vnum sunt.* Quia verò hæc res Deo est acceptissima, & vt ritè fiat haud exiguo constat labore, nullatenus ambigendum est, quin ea potentiarum animæ mortificatio, eo quo diximus modo ritúque instituta, & pro defunctorum

[Marginalia: 2. Cor. 10. — Hebr. 13. — *Ratio nulla hinc timendi sed confidenter agendi.* 1. Petri 5. — Rom. 1. — Cap. 12. — *Iudicium suum Deo praeferre quã malum.* — Matth. 11. — *Quàm gratum Christo & Patri iudicium submittere.* — Genes. 22. — *Rarum istius in Abrahamo exemplũ.* — *In quo singula singularia fuisse Patres SS. annotarunt.* — *Opus fidei extitisse deprædicat D. Paulus.* Rom. 5 & Iacob. 4. — *Quàm noxiũ vicissim inueniatur Deo non obedivisse.* — 1. Reg. 15. — *Ex prædictis patet tres animæ potentias vnũ velut effici, si Dei obsequio subornentur.*]

ctorum requie Deo oblata, miram iisdem consolationem adducat, vt sic duplex inde profectus expectandus sit, pro viuis scilicet atque pro defunctis. Et hac ipsâ occasione, bonâ cum Lectoris veniâ, de Obedientiâ, quæ inter internas virtutes haud est postrema (de fide enim, spe, humilitate, charitate, patientiâ, castitate, alijsque, alibi agendi dabitur opportunitas) diffusiùs paullò agere nobis liceat, ne quid, quod vel remotè ad præcipuum intentum nostrum facit, desiderari possit. Et sanè, de obedientiæ virtute dum dicere incipio, non video quis per tam heroicæ perfectionis semitam nos tutiùs certiùs atque faciliùs ducere possit, quàm sanctissimus ille sanctissimæ Societatis, quæ a sanctissimo IESV nomine denominationem suam sortita est, fundator & institutor, S. Ignatius Loyola. Complexus est ille in vnicâ, nec admodum prolixâ Epistolâ, quidquid sparsim ferè Patres de virtute hac tradiderunt: imò, liberè quod sentio dicam, medullam & totam obedientiæ substantiam paucis, neruosis tamen, verbis exposuit & absoluit, quod alij vix longioribus Tractatibus conati sunt. Eam ipsam tot atq; ipsissimet verbis, quibus illam sanctissimus ille Vir Hispanicè ad suos scripsit, atque ab eius Instituti alumnis in Latinam linguam translata est, hic bono tuo, Lector, subiungo.

De Obedientiæ virtute plura in sequentibus erunt dicenda.

Fratribus Soc. Iesu qui sunt in Lusitaniâ, gratiam & amorem Christi Domini sempiternum.

Magnam animi voluptatem capio, Fratres in Christo charissimi, cùm adfertur ad me, quàm acri studio conatuq; ad summam virtutis ac diuini obsequij perfectionem enitamini, beneficio illius qui vos, vt ad hoc vitæ institutum vocauit, sic in eodem pro suâ clementiâ retinet, dirigitq; ad beatum finem, ad quem, qui sunt ab ipso electi, perueniunt.

Atque ego sanè cùm vos omnibus donis ornamentisq; spiritualibus perfectos, tum verò (quod aliàs ex me cognouistis) in primis obedientiæ virtute præstantissimos esse cupio: idq; non solùm ob eximia quadam ac singularia eius bona, quæ tot tamq; illustribus sacrarum Litterarum testimoniis atque exemplis in Testamento aquè nouo ac veteri comprobantur, sed etiam quòd (vt est apud sanctum Gregorium) obedientia sola virtus est, quæ virtutes ceteras menti inserit, insertasq; custodit. *Hac dum floruerit, florebunt procul dubio reliquæ, edentq; fructus, quales & ego in animis vestris exopto, & suo iure postulat is, qui humanum genus neglectæ obedientiæ scelere afflictum ac perditum, salutari ipsemet obedientiâ reparauit,* factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.

Suos cupit S. Ignatius in obedientiæ virtute præstare.

Quanta ex hac bona prouenant clarè ostēdit.

Ab aliis religiosis Ordinibus faciliùs patiamur superari nos ieiuniis, vigiliis, & ceterâ victus cultusq; asperitate, quam suo quique ritu ac disciplinâ sanctè suscipiunt; verâ quidem ac perfectâ obedientiâ abdicationeq; voluntatis atque iudicij maximè velim (Fratres charissimi) esse conspicuos, quicumque in hac Societate Deo Domino nostro deseruiunt, eiusdemq; Societatis veram germanamq; sobolem hac quasi nota distingui, qui numquam intueantur personam ipsam cui obediunt, sed in ea Christum Dominum, cuius causa obediunt. Siquidem Superiori, nec si prudentiâ, bonitate, ceterisve quibuslibet diuinis donis ornatus instructusq; sit, propterea obtemperandum est, sed ob id solum, quod vices gerat Dei, eiusdemq; auctoritate fungatur, qui dicit: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: *nec contrà, siue consilio aut prudentia minùs valeat, quidquam idcircò de obedientiâ remittendum, quatenus ille Superior est; quando illius personam refert, cuius sapientia falli non potest: supplebitq; ipse, quidquid ministro defuerit siue probitate aliisq; ornamentis careat: siquidem disertis verbis Christus Dominus cùm dixisset,* Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi; *protinus addidit:* Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate & facite, secundùm opera verò eorum nolite facere. *Quocircà sedulò vos in eam curam atque exercitationem incumbere cupio, vt Christum Dominum in Superiore quolibet agnoscere studeatis, in eoq; diuinæ Maiestati reuerentiam atque obedientiam summam cum religione præstare. Quod vobis minùs mirum videbitur, si animaduerteritis, præceptum esse ab Apostolo, vt Superioribus etiam sæcularibus Ethnicisq; pareamus vt Christo, ex quo omnis potestas benè instituta descendit. sic enim scribit ille ad Ephesios:* Obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo; non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bonâ voluntate seruientes, sicut Domino & non hominibus. *Atq; hinc existimare poteritis ipsi, cùm se Religiosus quispiam regendum ac moderandum alteri tradidit, non solùm vt Superiori, sed etiam nominatim vt Christi partes agenti, quo illum loco apud animū suum habere, vtrùm vt hominem, an vt Christi vicarium, debeat intueri.*

Societatis homines, obedientiæ notâ ab aliis Religiosis volt distingui.

Quare Superiori obtemperandum.

Si etiam Ethnicos & mūdanos, ampliùs id decet ipsos spirituales.

Iam verò illud etiam vobis clarè compertum esse, ac in animis vestris penitus insidere vehementer cupio, infimam & valdè imperfectam esse primam illam obedientiæ formam, quæ mandata dumtaxat opere exequitur; nec virtutis nomine dignam, nisi ad alterum gradum adscendat, qui voluntatem Superioris suam efficiat, & cum eâ ita concordet, vt non solùm in effectu executio appareat, verùm etiam in affectu consensio; sicq; idem velit vterque, idem nolit. Atque propterea in sacris Litteris legimus: Melior est obedientia, quàm victimę. *siquidem (vt S. Gregorius docet)* per victimas, aliena caro; per obedientiam verò, voluntas propria mactatur. *quæ quidem pars animi, quoniam est adeò præstans, sic fit, vt eius oblatio Domino ac creatori nostro per obedientiam facta, magni sit æstimanda.*

Obedire solùm opere adhuc imperfectum.

Obediēdum ergo & voluntate & affectu.

Quanto in errore, quamq; periculoso, versantur, non dico solùm ij, qui in iis quæ ad carnem & sanguinem pertinent, sed illi etiam qui in rebus alioquin admodum sanctis ac spiritualibus (vt ieiuniis, precationibus, aliisve quibusuis pietatis operibus) fas putant à præscripto Superioris ac voluntate discedere. Audiant quod sapienter annotat Cassianus in Collatione Danielis Abbatis: Vnum sanè, inquit, atque idem inobedientiæ genus est, vel propter operationis instantiam, vel propter otij desiderium senioris violare mādatum; tamque dispendiosum est pro somno, quàm pro vigiliâ, Monasterij statuta conuellere. Tantum deniq; est Abbatis transire præceptum vt legas, quantum si contemnas vt dormias. *Sancta fuit actio Marthæ, sancta contemplatio Magdalenæ, sancta pœnitentia & lachrymæ, quibus pedes Christi Domini rigabantur: sed hæc omnia nimirum oportuit fieri in Bethaniâ, quam vocem domum obedientiæ interpretantur, vt eâ re, quemadmodum ait S. Bernardus, nobis significare voluisse Dominus videatur, nec studium bonæ actionis, nec otium sanctæ contemplationis, nec lachrymam pœnitentis, extra Bethaniam illi accepta esse potuisse.*

Errant non solùm ij, qui in noxiis, sed & sanctis exercitiis à Superiorum directione discedunt.

Oportet & Marthæ actionem, & Magdalenæ contemplationem, in domo obedientiæ, id est Bethaniâ exercere.

Quo-

Quocircà voluntates vestras (Fratres charissimi) quoad eius fieri potest, omnino deponite: libertatem conditori vestro, quam vobis ipsemet elargitus est, in eius ministris liberè tradite ac dicate. Nolite exiguum vestri liberi arbitrij fructum putare, quòd liceat vobis illud, à quo id accepistis, eidem per obedientiam plenè reddere. Quod cùm facitis, non modò non perditis ipsum, verùm etiam augetis atque perficitis; quippe qui vestras omnes voluntates certissimâ rectitudinis regulâ moderamini voluntate diuinâ, quam videlicet interpretatur is qui vobis Dei nomine præsidet.

Vtiliter voluntatem nostram Deo per Superiorum moderationem reddimus.

Itaque diligenter illud etiam cauendum est ne Superioris vllo vmquam tempore voluntatem (quam ducere pro diuinâ debetis) ad vestram detorquere nitamini: id enim esset non vestram diuinæ conformare, sed diuinam vestræ voluntatis normâ regere velle, eiusdem diuinæ sapientiæ ordinem inuertentes. Sanèquam magnus est error, & quidem eorum, quos amor sui obcæcauit, existimantes obedire sese, cùm Superiorem ad id, quod ipsimet volunt, aliqua ratione pertraxerint. Sanctum Bernardum in hac re præclarè exercitatum audite. Quisquis, inquit, vel apertè vel occultè satagit, vt quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis Pater iniungat, ipse se seducit, si fortè sibi quasi de obedientiâ blandiatur: neque enim in eâ re ipse Prælato, sed magis ei Prælatus obedit. *Quæ cùm ita sint, quisquis ad obedientiæ virtutem velit peruenire, oportet ad hunc secundum obedientiæ gradum ascendat, vt Superioris non solùm iussa exequatur, sed etiam eius voluntatem, suam faciat; seu potiùs suam exuat, vt diuinam à Superiore expositam induat.*

Non est voluntas Superioris ad nostram flectenda.

Qui verò se totum penitus immolare vult Deo, præter voluntatem, intelligentiam quoque, qui tertius & summus est gradus obedientiæ, offerat necesse est; vt non solùm idem velit, sed etiam vt idem sentiat quod Superior; eiusq; iudicio subiiciat suum, quoad potest deuota voluntas intelligentiam flectere. Quæ vis animi, tametsi non eâ, qua voluntas pollet, libertate prædita sit, atque ipsa naturâ feratur eius assensus in id quod sibi veri speciem præbet; tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognitæ veritatis euidentia vim illi non infert, potest voluntatis pondere in hanc potiùs quàm in illam partem inclinari. Quæ res cùm incidunt, debet, quisquis obedientiam profitetur, inclinare sese in sententiam Superioris. Etenim cùm obedientia sit quoddam holocaustum, quo totus homo sine vllâ prorsus imminutione conditori suo ac Domino per manus ministrorum in charitatis igne immolatur; cumq; sit eadem, renuntiatio quædam integra, per quam omni suo iure sponte decedit Religiosus, vt diuinæ prouidentiæ Superioris ductu gubernandum ac possidendum vltrò sese addicat ac mancipet; negari non potest, quin obedientia comprehendat non solùm executionem, vt imperata quis faciat; & voluntatem, vt libenter faciat; sed etiam iudicium, vt quæcumque Superior mandat ac sentit, eadem inferiori & recta & vera esse videantur, quatenus, vt dixi, vi suâ potest voluntas intelligentiam flectere.

Qui perfectus in obedientiâ esse desiderat, idē vt cum Superiore sentiat, necesse est.

Obedientiâ velùt holocausto sese totum Religiosus sacrificat.

Vtinam hanc mentis ac iudicij obedientiam ita & intelligerent homines, & exercerent, vt grata Deo est, ac omnibus, qui in Religione viuunt, necessaria. Nam vt in corporibus globisq; cælestibus, vt alius alium afficiat moueatq;, requiritur vt certâ quadam conuenientiâ & ordine inferior orbis superiori subiiciatur: sic in hominibus, cùm alter alterius auctoritate mouetur (quod per obedientiam fit) oportet vt is, qui ab alterius nutu pendet, subseruiat & obsecundet, vt virtus ab imperante ad eum deriuetur & influat. Hæc autem obtemperandi obsecundandiq; ratio constare non potest, nisi voluntas ac iudicium inferioris cum Superioris voluntate ac iudicio congruat.

Vt cæli à superioribus mouētur, ita & homines.

Iam verò si finis & causa obedientiæ spectatur, quemadmodum voluntas, ita & iudicium in eo quod nobis conuenit, decipi potest. Ergo sicuti, ne voluntas erret, cum Superioris voluntate coniungitur; sic intelligentia, ne fallatur, ad Superioris intelligentiam conformanda est. Ne innitaris prudentiæ tuæ, *sacræ Litteræ monent. Atque in rebus etiam humanis censent sapientes, verè prudentis esse, suâ ipsius prudentiâ minimè fidere, præsertim in rebus suis, quarum homines animo perturbato ferè boni iudices esse non possunt. Quòd si in rebus nostris, alterius etiam non superioris, iudicium atque consilium nostro anteponendum est; quantò magis ipsius Superioris, cui nos, vt Dei vicem gerenti, ac diuinæ voluntatis interpreti, moderandos tradidimus? In causis verò, personisq; spiritualibus eò maior etiam cautio procul dubio est necessaria, quò grauius est spiritalis vitæ periculum, cum sine frenis consilij, discretionisve in ea decurritur. Quæ de re commodè Cassianus in Collatione Abbatis Moysi ait:* Nullo alio vitio tam præcipitem diabolus Monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quàm cùm neglectis consiliis seniorum, suo iudicio persuaserit definitionique confidere.

Si aliorum iudicio non expedit suū præponere, quāto minùs iudicio id conueniat Superiorum.

Magis animæ quàm vitæ periculum.

Præterea nisi hæc obedientia iudicij existat, fieri non potest, vt vel consensus voluntatis, vel executio talis sit, qualem esse oportet. Natura enim ita comparatum est, vt animi nostri vires, quæ appetitiuæ dicuntur, sequantur apprehensiuas, & nisi adhibitâ vi, voluntas, iudicio repugnante, diu obtemperare non poterit. Quòd si fortè quis aliquo temporis spatio obediat per communem illam apprehensionem, quâ censetur, perperàm etiam præcipienti parendum esse; certè id stabile ac fixum esse non potest. Atque ita perseuerantia deficit, vel saltem obedientiæ perfectio, quæ in promptè & alacriter obediendo consistit: non enim ibi potest esse alacritas ac diligentia, vbi est animorum sententiarumq; dissensio. Perit etiam exequendi studium & celeritas, cùm ambigitur, expediat, necne, facere quod iubemur: perit celebris illa obedientiæ cæca simplicitas, cùm apud nos ipsos in quæstionem vocamus, rectène præcipiatur, an secùs; atque etiam fortasse damnamus Superiorem, quòd ea mandet quæ nobis non ita iucunda sunt. Perit humilitas, quoniam etsi ex alterâ parte paremus, ex alterâ tamen nosmetipsos Superiori præferimus: perit in rebus arduis fortitudo: perit denique (vt summatim complectar) virtutis huius vis omnis ac dignitas. Succedunt autem in eorum locū dolor, molestia, tarditas, lassitudo, obmurmurationes, excusationes, aliaq; vitia non sanè leuia, quibus obedientiæ pretium ac meritum prorsus extinguitur. Itaque S. Bernardus, de iis, qui grauiter ferunt imperata minùs sibi suauia, sic ait: Hæc si molestè cœperis sustinere, si diiudicare Prælatum, si murmurare in corde; etiam si exteriùs impleas quod iubetur, non est hæc virtus patientiæ, sed velamentum malitiæ. *Quod si pax & tranquillitas animi quæritur, certè hac non fruetur is, qui habet intra sese causam perturbationis atque tumultus, dissensionem videlicet iudicij proprij ab obedientiæ lege.*

Nisi iudiciū suum quis ad obedientiam submittat, nō potest se ac voluntate perfectè obedire.

Quāta huius ex defectu damna proueniant.

Quid D. Bernardus de his qui grauiter ferunt imperata.

Atque idcircò tuendæ concordiæ causâ (quæ societatis omnis est vinculum) tantopere hortatur Apostolus,

stolus, vt idipsum omnes sapiant & dicant; *simili-rum vt consentientibus & iudiciis & voluntatibus, mutuò foueantur & conseruentur. Iam si vnum eundemq́, oportet esse membrorum sensum & capitis, facilè cernitur, vtrum sit æquius, caput membris, an membra capiti consentire. Atque ex his quidem, quæ dicta sunt hactenus, satis apparet, obedientia iudicij quàm sit necessaria.*

Hortatur Apostolus vt omnes idē sapiant.

Quàm verò sit eadem ipsa perfecta grataq́, Domino, inde primùm ostenditur, quòd per eam præstantissima pars hominis ac pretiosissima Domino consecratur: deinde quod obediens ita fit holocaustum viuum gratumq́, Maiestati diuinæ, cùm nihil sibimet omnino retineat; postremo quòd magna est huius certaminis difficultas: frangit enim sese Dei causâ obediens ipsemet, resistitq́, naturali propensioni, quæ omnibus hominibus insita est, ad suam complectendam sequendamq́, sententiam. Ex his igitur rebus efficitur, vt obedientia, tametsi propriè voluntatem perficere videatur, quippe quam reddit ad nutum Superioris promptam ac paratam; nihilominùs ad intelligentiam quoque ipsam, vt diximus, pertinere debeat, eamq́, inducere ad sentiendum id ipsum quod sentit Superior: sic enim fiet, vt omnibus connixi viribus & voluntatis & intelligentiæ, ad executionem celerem atque integram veniamus.

Ex iudicij submissione præcipua animæ pars Deo consecratur.

Videor mihi vos (Fratres charissimi) audire dicentes, de virtutis quidem huiusce necessitate iam non ambigere, illud verò vt cognoscatis vehementer optare, quo pacto ad eius perfectionem peruenire possitis. Huic ego quæstioni cum S. Leone ita respondeo: Nihil arduum est humilibus, & nihil asperum mitibus: *modò non desit vobis humilitas, non desit mansuetudo, non vtique deerit Deo benignitas ad vos adiuuandos, vt quæ ei promisistis, ea præstare possitis animo, non solùm æquo, sed etiam libenti.*

Quomodo ad huius virtutis cultum peruenire possimus.

Præterea vobis tria nominatim propono, quæ ad obedientiam iudicij comparandam multum iuuant. Primum illud est, vt, quemadmodum initio dixi, non intueamini in personâ Superioris hominem obnoxium erroribus atque miseriis, sed Christum ipsum, qui est sapientia summa, bonitas immensa, charitas infinita, qui nec decipi potest, nec vos vult ipse decipere. & quoniam conscij vobismet estis, vos Dei amore iugum obedientiæ subiisse, vt in Superioris voluntate sequendâ, voluntatem diuinam certiùs sequeremini, nolite dubitare, quin pergat fidelissima Domini charitas, eorum ministerio quos vobis præfecit, vos deinceps gubernare, & rectis itineribus ducere. Itaque Superioris vocem ac iussa, non secùs ac Christi vocem excipite; siquidem Apostolus etiam in hanc sententiam scribens ad Colossenses, cùm ad obtemperandum præpositis subditos adhortatur, ait: Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus: scientes quòd à Domino accipietis retributionem hereditatis. Domino Christo seruite. *Sanctus verò Bernardus,* Siue Deus, *inquit*, siue homo, vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obsequendum est curâ, pari reuerentiâ deferendum, vbi tamen Deo contraria non præcipit homo. *Atque ita si non hominem externis oculis, sed Deum inspexeritis internis, haud sanè graue fuerit vobis, voluntates vestras atque iudicia conformare ad eam regulam actionum vestrarum, quam ipsimet elegistis.*

Tria ad perfectam obedientiam cōsequendam miriē conducunt.

Si cogitemus per illum à Christo nos dirigi.

Insigne ad rē Apostoli testimonium.

Altera est ratio, vt, quod Superior mandat, vel sentit, defendere semper apud animos vestros studiosè nitamini, improbare autem nequaquam. Atque ad eam ipsam rem proderit benè animatos, affectosq́, esse ad id omne quod ipse iusserit: sic enim fiet non solum vt sine molestiâ, sed etiam vt cum voluptate lætitiaq́, pareatis: nam (vt est apud S. Leonem) non durâ ibi necessitate seruitur, vbi diligitur quod iubetur.

Secundò si partes semper Superiorum defendamus.

Postrema subiiciendi iudicij ratio est, cùm facilior tutiorq́, tum etiam apud Sanctos Patres in more posita, vt statuatis vobiscum ipsi, quidquid Superior præcipit, ipsius Dei præceptum esse & voluntatem; atque, vt ad credenda quæ Catholica fides proponit, toto animo assensuq́, vestro statim incumbitis, sed ad ea facienda, quæcumque Superior dixerit, cæco quodam impetu voluntatis parendi cupidæ, sine vllâ prorsus disquisitione feramini. Sic egisse credendus est Abraham, filium Isaac immolare iussus. Sic noui Testamenti tempore aliqui è sanctis Patribus iis, quos commemorat Cassianus, vt Ioannes Abbas, qui, quod erat ei imperatum non reputabat vtilène esset an inutile; vt cùm aridum lignum tanto ac tam diuturno labore per annum irrigauit: nec vtrùm fieri potest, necne, vt cùm conatus tam ex animo ingens saxum solus dimouere loco, quod ne multi quidem simul homines impellere potuissent. quod obedientiæ genus ipsis interdum miraculis diuinitus comprobatum videmus. Nam (vt alios taceam, quos ipsi non ignoratis) Maurus S. Benedicti discipulus, mandato Superioris lacum ingressus, nec mersus est. Alius quidam à Superiore iussus leænam ad se ducere, illam cepit, atque perduxit. Est igitur hæc ratio subiiciendi proprij iudicij, ac sine vllâ quæstione sanciendi, & collaudandi apud se quodcumque Superior infferit, non solùm sanctis viris vsitata, sed etiam perfectæ obedientiæ studiosis imitanda omnibus in rebus, quæ cum peccato manifesto coniunctæ non sunt.

Si Dei mandatum cogitemus quod à Superiore proficiscitur.

Miraculis Deus honorauit obedientiam.

Nec tamen idcircò vetamini, si quid fortè vobis occurrat, à Superioris sententiâ diuersum, idq́, vobis (consulto suppliciter Domino) exponendum videatur, quò minus id ad Superiorem referre possitis. Verùm in hac re, ne vos amor vestri, indiciumq́, decipiat, illa cautio est adhibenda, vt animo sitis, & ante & post relationem æquissimo, non solùm quod pertinet ad eam rem de quâ agitur, vel suscipiendam vel deponendam; sed etiam ad approbandum, rectiusq́, putandum, quidquid Superiori placuerit.

Rectius esse credēdum est quod Superior iudicauerit.

Atque hæc quæ de obedientiâ diximus, æquè priuatis erga proximos Superiores, atque Rectoribus, Præpositisq́, localibus erga Prouinciales, Prouincialibus erga Generalem, Generali denique erga illum, quem Deus ipsi præfecit, nempe suum in terris Vicarium, obseruanda sunt; sic, vt & ordinum perfecta distinctio, ac proinde pax retineatur & charitas, sine quâ nec Societatis nostræ, nec alterius cuiuslibet sodalitij posset recta gubernatio conseruari. Nimirum hoc modo prouidentia illa diuina disponit omnia suauiter, infima per media, media per summa, suos ad fines cuncta perducens. Hinc alia videlicet in Angelis vnius hierarchiæ ad aliam subordinata series: hinc & cælestium, & aliorum omnium, quæ cientur, corporum certis locis ac sedibus inter sese apta connexio, quorum conuersiones ac motus ab vno mouente supremo gradatim omnes vsque ad infimos ritè proueniunt. Idem in terris cùm in omni ciuitate bonis

Prædicta de vniuersis respectiuè Superioribus accipienda sunt.

Pulchra ab Angelorum hierarchiis desumitur similitudo.

Alia à sublunaribus.

bonis instituta legibus, tum verò in hierarchia Ecclesiastica cernitur; cuius omnia membra & functiones ab vno generali Christi Domini nostri Vicario deriuantur: & quò accuratiùs hæc dispositio & collocatio custoditur, eò rectior est gubernatio & melior: contrà verò huius ordinis negligentia quàm grauia incommoda multis hominum societatibus importentur, nemo non videt. Atque idcircò in hac, cuius mihi nonnullam procurationem ac curam Dominus tradidit, tam diligenter hanc virtutem exerceri, vigeriq́ue, percupio, quasi in ea Societatis nostræ bonum ac salus vniuersa consistat.

Ita de obedientia sollicitos suos voluit S. Ignatius, quasi in ea totū Societatis bonum situm esset.

Quæ cùm ita sint, vt vnde exorsa est, ibidem terminetur Epistola, vos ego per Christum Dominum nostrum obtestor, qui sese nobis non modò præceptorem, sed etiam exemplar præbuit obedientiæ, vt ad eam virtutem toto pectore incumbatis, & gloriosæ victoriæ appetentes atque auidi, vosmetipsos superare, id est, excelsiorem & difficiliorem animi partem, voluntatem dico atque iudicium expugnare & subiicere studeatis; quò Dei Domini nostri solida veraque cognitio, atque amor vestros ad se animos penitus trahat, totoq́ue vitæ huius, & quasi peregrinationis curriculo vsque eò gubernet ac regat, dum vos demum, aliosq́ue, complures, vestrâ operâ exemploq́ue adiutos, ad vltimum & felicissimum finem, nimirum ad beatitudinem sempiternam, perducat. Vestris ad Deum precibus me valdè commendo. Romæ 7. Kal. Aprilis, M. D. LIII.

Precatur vt hanc eam sui omnes obseruent.

Omnium seruus in Domino,

IGNATIVS.

19. Hactenus D. Ignatij verba, quibus non suam tantùm Societatem, sed vniuersam illustrauit Ecclesiam: vnde & illis nihil ausi fuissemus adiungere, nisi haud inutiliter addi posse crederemus, eamdem Viri istius in spiritualibus verè maximi doctrinam Sanctis aliis, quos etiam idem, qui illum, Spiritus sanctus interiùs docuit & instruxit, omnino esse conformem. Sed & Seraphicam Matrem nostram S. Teresiam, de eadem obedientiæ virtute disserentem audire lubet, quippe quæ idem, quod S. Ignatius, iter inambularit, iisdemque passibus progressum suum emensa fuerit. *Experientia ipsa,* inquit, *didici (quod sæpiùs quoque legeram) quàm magnum sit animæ bonum, intra limites obedientiæ semper se continere. Hoc est (vt ego quidem intelligo) quo semper magis proficimus & perficimus in exercitio vitutum; hoc est quod perfectam generat humilitatem; hoc securos nos reddit inter tot iustas vbique timendi occasiones, ne fortè fallamus iter quo rectà ad cælum tenditur: hoc denique est quo obtinetur pax illa adeò pretiosa omnibus iis qui Deo placere concupiscunt. Nam si reverà huic sanctæ virtuti obedientiæ resignarunt & subiecerunt cor suum, nulli proprio iudicio adhærentes, sed tantummodò Confessarij, vel si Religiosi sint, suorum Prælatorum, cessat diabolus assiduis suis infestationibus eos perturbare, videns se non solùm nihil lucrari, sed maiorem potiùs inde sibi iacturam ac damnum prouenire. Cessat pariter nostrarum passionum rebellio, quæ semper propriæ voluntati fauent, iudiciumq́ue captiuant in obsequium nostræ cupiditatis, cùm meminerint, voluntatem suam consultò ac deliberatè in Dei voluntate se posuisse, dum ad hunc finem illi qui Dei vices gerit, se sponte subdiderunt.*

Quàm insigniter etiam de obedientia conscripserit S. M. N. Teresia.

Procem. libri Fundationū.

Quanta illa ex virtute proueniant bona.

Cùm Deus pro sua bonitate mihi lumen tribuisset, quo cognoscerem, quàm ingens thesaurus in hac pretiosa virtute lateret; conata sum (quamuis remissè ac negligenter) eam obtinere; & ideò sæpiùs ob virtutis defectum, quem in me conspicio, sentio repugnantiam. non enim ad aliqua quæ mihi præcipiuntur perficienda, virtutem in me sufficientem agnosco.

Eadem porrò sancta Mater in libri eiusdem progressu mira de obedientiæ virtute docet, & quæ notatu sunt admodum digna: quæ quamuis sint prolixiora, prætereunda tamen minimè mihi sunt. Ait ergo hunc in modum: *O Deus meus, quàm diuersæ sunt viæ tuæ ab imaginationibus nostris, & quàm verum est, te nihil velle aliud ab eo qui ad amorem tuum adspirat, & se totum in manus tuas proiecit, nisi vt obediat, & inquirat quid sit conformius tuo diuino beneplacito, & hoc ex corde concupiscat! Non est necesse vt ipsemet sibi vias, quibus gradiatur, inueniat aut eligat, cùm iam voluntas ipsius tua sit. Tu ipse Domine deducis illum per semitas quibus magis proficiat. Et quamuis ipse Prælatus hoc negligat, solumq́ue prouideat & curet, vt quæ expedire communitati videntur negotia peragantur, tu Deus meus peculiari tua prouidentia id præstas, & taliter animas, & ea quæ sunt agenda disponis, vt fideliter præceptis iis obtemperantes (occulto quodam modo) magnum incrementum spiritus, ac perfectionis deinde, in se experiantur & admirentur. Talis omnino erat quidam vir, quem paucis abhinc diebus sum allocuta, qui per quindecim circiter annos ex obedientia in officiis ac muniis occupatus fuerat, tantis grauatus laboribus, vt toto illo tempore vnum tantummodò diem, quo sibi ipsi liberè vacare posset, concessum aliquando sibi fuisse non recordaretur; quamuis, vtcumque poterat, aliquod breue spatium aliquoties in die ad orandum procuraret, & conscientiæ puritatem diligenter custodiret. Equidem fateor, me numquam alium cognouisse adeò propensum ad obedientiam: vnde fit, vt omnes quibuscum versatur, ad eam attrahat & alliciat. Retribuit illi Deus mercedem satis amplam. Nam (modo illi penitus ignoto) pretiosissimam illam spiritus libertatem adeptus est, qua perfruuntur qui iam ad perfectionis culmen peruenerunt; vbi omnis, quæ in præsenti vita desiderari potest, beatitudo reperitur: dum enim nihil desiderant, omnia possident. Nihil est quod timeant. Nihil omnino ex iis quæ videntur concupiscunt: rebus aduersis non perturbantur, iucundis ac prosperis non permouentur: denique nihil est quod ab eis pacem, quam possident, auferre possit. Cumq́ue à Deo tantummodò illa dependeat, cumq́ue nihil sit quod ab eis Deum valeat separare; solus timor, ne culpa sua illum amittant, potest eos contristare: cetera enim omnia, quæ in hoc mundo sunt, in eorum æstimatione talia sunt ac si nihil essent, cùm ipsorum gaudium augere vel diminuere minimè valeant. O felix obedientia! ô felices ipsius causa distractiones, quæ tantum bonum possunt obtinere! Neque verò hunc vnum solummodò, sed alios etiam pariter cognoui, quos per aliquot annos, imò à pluribus annis non videram: cumq́ue ab eis sciscitarer, quidnam egissent, in obedientia & charitatis operibus iugiter occupatos fuisse intellexi; ex alia verò parte adeò eos profecisse in via perfectionis ac spiritus feruore videbam, vt planè obstupescerem. Eia igitur, filiæ charissimæ, procul absint querimoniæ, sed cùm obedientia exterioribus exercitiis vos occupauerit, etiam in ipsa culinæ inter patinas ac scutellas, scitote, Deum vestram perfectionem interiùs exteriusq́ue, promouere,*

Lib. Fundationum c. 5. vel 10. pro diuersitate Editionum.

Diuersum hominum & Dei de obedientia sanctâ iudiciū.

Mirabile viri cuiusdam in dicta tam virtute exemplum.

Mirabiles perfectionis illius prærogatiuæ.

20 *Memini me aliquando audiisse de quodam Religioso,*

Quomodo visione quadam ad obediendum superioribus Religiosum aliquem instigarit.

so, qui firmiter decreuerat ac proposuerat, Superiori suo quæcumque præciperet, quantumuis laboriosa, numquam contradicere, aut aliquod excusationis verbum proferre. Contigit quadam die, vt præ labore ac lassitudine quasi confractus membris ita viribus destitutus esset, vt erectus vix posset consistere. Cumq; iam aduesperasceret, ac cubitum iret, sedens aliquantulùm quieuit: & ecce Prælatus ad eum accedens, iubet vt ligonem arripiat, hortum petat, & fodiat. Ipse verò tacitus (quamuis corpore valdè afflictus ac defessus, ita vt laborem sustinere non posset) accepit ligonem: dumq; transiret per locum quemdam, per quem ad hortum accedere oportebat (quem egomet vidi post plures annos ab eo tempore quo ista mihi narrata sunt, dum ibi Monasterium fundarem) apparuit ei Christus Dominus crucem baiulans, adeò fatigatus, & adflictus, vt sui comparatione nihil omnino esse, quidquid ille patiebatur, facilè persuaderet. Credo equidem, dæmonem, eò quod bene nouerit, viam obedientiæ citiùs, quàm aliam quamcumque, ad perfectionis summitatem perducere, ideò suo ratione boni tam multas in obediendo ingerere difficultates & repugnantias. Et diligenter hoc aduertatur, clareq; apparebit, omnino verum esse quod dico. Etenim certissima res est, summam perfectionem non in consolationibus internis, neque in suspensionibus, raptibus, visionibus, reuelationibus ac spiritu prophetiæ consistere. sed in eo quòd voluntas nostra conformis & vnita sit diuinæ voluntati, ita vt nihil omnino ipsum Deum velle intelligamus, quod non etiam nos ipsi ex toto corde velimus, & amara æquè hilariter atque dulcia de manu Domini suscipiamus. Res quidem difficillima videtur, non sanè opus ipsum exteriùs perficere, sed vt nobis placeat gratumq; sit, quod voluntati nostræ ac naturali inclinationi omnino est contrarium. Hoc certè negari non potest: verùm ea est perfectæ vis charitatis, vt omni consolatione nostrâ penitus oblitâ, ei tantùm quem diligimus placere cupiamus. Verè sic se res habet. Nam quantumuis maximi labores nostri sint; dum rem Deo gratam nos facere cogitamus, statim dulcescunt. Ita planè, diligunt persecutiones, ignominias & iniurias, omnes ij qui ad hunc perfectionis gradum peruenerunt. Etenim adeò certum est hoc & manifestum, vt in eo comprobando necesse non sit diutiùs immorari.

Res quidem difficillima, Deo tamen gratissima ac perfectissima obedire.

21. *Facilior certiorq; ad perfectionem obedientia via, & cur.*

Illud autem vellem equidem demonstrare, quare scilicet obedientia (meâ quidem opinione) citiùs perducat, & sit via compendiaria, ac omnium præstantissima, quâ ad statum tam magnæ felicitatis peruenitur. Eam igitur causam esse existimo, quia cùm tale dominium nostræ voluntatis non habeamus, vt illam purè ac sincerè Deo subiicere possimus, donec ipsi rationi eam subiiciamus; obedientia est medium quo citiùs ac certiùs id assequamur. Si enim expectare velimus vt conuincatur voluntas optimis rationibus & argumentis, nunquam concludemus; & iter istud est valdè longum ac periculosum: nam naturalis nostra inclinatio, & proprius amor, tam multas huiusmodi rationes & argumenta repræsentant, vt nihil vnquam perficere ac concludere possimus, & sæpè sæpiùs id quod rationabilius est, si appetitui nostro & inclinationi non arridet, absurdum nobis videtur, propter repugnantiam & mersionem quam in exequendo sentimus. Nullum dicendi finem facerem, si vellem omnia explicare quæ dici possent de bello isto intestino, ac multiplici arte, quâ dæmon, mundus ac nostra sensualitas vtuntur, vt ab eo quod rectum est, intellectum detorqueant. Quid igitur remedij? Certè istud, nimirum sicut quando lis aliqua agitatur valdè dubia, eligitur arbiter, cui quilibet litigantium committit causæ decisionem, ad euitandas litium molestias: ita nos eligamus aliquem, qui sit Prælatus vel Confessarius, cum firmâ deliberatione propositoq; non amplius litigandi, neque cogitandi in propriâ causâ, fidentes verbo Domini, qui ait, Qui vos audit, me audit; & ita à nobis propriam voluntatem proiiciamus. Adeò pretiosa est in conspectu Dei resignatio ista (& meritò, sic enim Dominus à nobis constituitur liberi arbitrij quod nobis donauit) vt in eâ nos iterùm atque iterùm exercentes, & nosmetipsos abnegantes, quamuis multiplici pugnâ, cum sæpe nobis videatur irrationabile quod in causa nostrâ iudicatur; tandem, siue sit cum labore siue absque labore, exequimur ea quæ nobis præcipiuntur: Deus autem adeò suâ gratiâ nos adiuuat, vt eo ipso quod nostram voluntatem atque intellectum propter ipsius amorem subiicimus, det nobis vt reuerà simus eorumdem domini. Tunc iam super nos ipsos nacti dominium, cum omni perfectione Deo nos offerre possumus, puram sinceramq; voluntatem ipsi exhibentes, vt eam cum suâ simul vniat, orantes, vt ignis diuini amoris è cælo descendat, qui holocaustum omnino comburat, & auferat quidquid oculis suæ diuinæ Maiestatis potest displicere. Siquidem iam per nos ipsos ampliùs non stat quin id fiat, cùm iam holocaustum collocatum à nobis sit super altare (quamuis non sine magno labore) nec ampliùs, quantum quidem per nos fieri potuit, terræ inhæreat. Verum quidem est & manifestum, quòd nemo det quod non habet, sed necesse sit vt quis priùs illud possideat. Ad acquirendum igitur tantum thesaurum (mihi credite) nihil vtilius & opportunius esse potest, quàm effodere, & insudare vt ex hac virtutis obedientiæ fodinâ eruatur. Quantò enim fodiemus vlteriùs ac profundiùs, eò maiores semper thesauros inueniemus: quantoq; magis hominibus nos subiiciemus, non aliam quam Superiorum nostrorum voluntatem admittentes, eò maius dominium nostræ voluntatis possidebimus, vt eam diuinæ voluntati conformare possimus.

Quod, contra hanc dæmoni opponenti, sit remedium?

Deus obedientiam qualiter inuet.

Consideret ergo vnusquisque, an amissa obedientiæ causâ solitudinis quies satis amplâ mercede compensetur. Equidem pro certo vobis affirmo, nullam propter hanc causam vobis defuturam dispositionem, quò minùs vnionem, quam diximus, obtineatis: quæ in eo consistit, vt nostra voluntas cum diuinâ vniatur. Hæc est vnio illa, quam equidem accepto, & vellem in omnibus reperiri; non autem abstractiones quasdam & suspensiones, quas aliqui patiuntur, iisq; nomen vnionis attribuunt: & tales reuerà erunt, si post eam, quam diximus, vnionem contingant. Verùm si fortè post huiusmodi suspensiones modicum remanet obedientiæ, & propria voluntas, vnietur profectò cum sui ipsius proprio amore (vt ego quidem arbitror) non autem cum ipsius Dei voluntate. Vtinam præstet diuina Maiestas propter gloriam suam, vt eo modo, quo istud intelligo, ita etiam opere perficiam! 22.

In obedientiâ etiam solitudinis quies compensatur.

Hem! quàm hæc conformia sunt illis quæ prisci Patres sancti de eadem virtute tradiderũt, quos, nisi aliunde breuitatis admoneremur, huc plenis velis adducere possemus: quin tamen vel vnum solummodò producam, Lectoris bona patientia excusabit. Est is Ioannes Climacus, cuius hæc sunt verba: Obedientia est animæ propriæ perfecta abnegatio, per corpus certiùs ostensa. Aut fortè versa vice, obedientia est mortificatio membrorum in viuente animo. Obedientia est tertiò inexaminatus atque indiscussus motus, spontanea mors, vita curiositate carens, securum periculum, immediata ad Deum excusatio, metus

Sancti Patres prædictis habent conformia.

Gradu. 4.

Quantopere illius laus à S. Ioanne Climaco depradicetur.

tus mortis contemptio, tuta nauigatio, confectum dormiendo iter. Obediētia est sepulchrum voluntatis, & excitatio humilitatis, nihil resistit, nihilque discernit, mortua in bonis aut iis quæ videntur mala: nam qui piè animam suam mortificauerit, securus pro omnibus rationem reddet. Obedientia est discretionis depositio inter diuitias discretionis. Initium quidem mortificationis vel membrorum corporis vel animæ voluntatis labor est. Medium verò interdum labor, interdum requies. Finis autem iam omni motus perturbatione omnique laboris sensu vacat. Tūc demum labore & dolore fatigari deprehenditur viuens hic beatus mortuus, cùm se animaduerterit voluntati propriæ obtemperasse, metuens propriæ voluntatis onus. Quicumque ad intellectualis congressionis stadium exire conamini, quicumque iugum Christi tollere super ceruices vestras cupitis, & sarcinam vestram alterius collo imponere satagitis, quicumque venditiones vestras sponte scribere curatis, vt pro illis in æternam libertatem conscribamini; quicumque aliorum manibus sublati, & natantes mare hoc magnum traiicitis: scitote quòd breuem quamdam & asperam viam pergere conamini, in quâ vnus & solus latet error, quem Græci ἰδιορυθμίαν, nos simet moderationem dicere possumus, cùm scilicet quilibet sibi idoneus ad se regendum & moderandum videtur. Quem qui effugerit, acta quæ honesta & spiritualia sunt, ac diuinæ Maiestatis oculis gratissima, ferè ante veniet quàm ire cœperit. Obediētia est enim, numquam sibi, ne in his quidem quæ videntur optima, adusque consummationem vitæ credere.

Tuta obedientia & sine errorum periculo via.

Cùm igitur ceruicem nostram in Domino inclinare, atque alteri credere desiderio acquirendæ humilitatis ac propriæ salutis insistimus, ante huius militiæ ingressum, si qua in nobis est calliditas & prudentia, gubernatorem cautissimè examinemus & discernamus, atque (vt ita dixerim) tentemus, ne fortè nautam pro gubernatore, languentem pro Medico, vitiosum pro vitiis carente, postremò infestum pelagus pro placidissimo portu ignari deligamus, nobisque ipsis paratum promptumque naufragium constituamus. Cùm verò pietatis & obedientiæ stadium fuerimus ingressi, minimè iam optimum institutorem nostrum in aliquo penitus diiudicare licebit, etiamsi in illo (homo enim est) modica aliqua delicta animaduertimus. Si verò aliàs fecerimus, nihil nobis obedientia prodesse poterit. Necesse omnino est, vt qui fidem certam & immobilem ad magistros suos habere cupiunt, eorum rectè facta profundo corde hauriant, eaque indelebiliter memoriæ commendent, vt cùm dæmones infidelitatem aduersus eos vllam nostris cordibus inserere conati fuerint, ex his quæ memoriâ tenemus illorum ora obstruamus. Quantò enim fuerit in corde viridior fides, tantò corpus ad officia omnia & ministeria promptiùs occurrit: qui verò per infidelitatem offenderit, lapsus est. Omne enim quod fidei caret fundamento, peccatum est. Cùm tibi cogitatio suggesserit, vt Prælatum aut diiudices aut damnes, ab eâ non secùs quàm à fornicatione desili: neque prorsus huic serpenti requiem præstes, non locum, non ingressum, non initium. Loquere ad huiusmodi draconem, atque eum his verbis incesse: O malignissime seductor, non ego ducem meum iudicandum suscepi, sed ille me: non ego illius, sed ille mei iudex est. Arma quidem iuuenum, Psalmorum cantus; murum verò, orationem; lauacrum autem, mundissimas lacrymas esse, Patres definiunt: beatam verò obedientiam, confessionem, quâ sine vitiosorum nemo Deum videre merebitur. Qui subiectus est, atque alterius paret imperio, ipse aduersus seipsum sententiam fert. Nam si quidem propter Deum perfectè obedierit, etiamsi non perfectè obtemperare videatur, omni iudicio se exuit. Quòd si in quibusdam suam implere voluntatem voluerit, etiamsi obedire visus fuerit, ipse sibi onus luit vel addicit. Quem tamen si Prælatus arguere non destitit, rectissimè omnino fecit; si autem tacuit, nescio quid inde dixerim. Qui in simplicitate Domino subiiciuntur, felicem cursum peragunt, dum non per superstitiosas cauillationes in se dæmonum versutias irritant.

Non diiudicādus à nobis Superior.

Quid dæmonis his oblatrantis respōdendum sit.

Quamuis verò Patrū orthodoxorum de obedientiæ virtute prolixas sententias hic adducere non sit animus, haud tamen iniucundum erit, si ex Patrum Vitis nonnulla eiusdem virtutis encomia in medium attulero. Dixit ergo quidā senex: *Bona est obedientia quæ propter Deum fit. Intendite, filij, huius virtutis aliquod ex parte vestigium. Obedientia salus est omnium fidelium. Obedientia genitrix est omnium virtutum. Obedientia regni calorum inuentrix est. Obedientia cælos aperiens, & homines de terrâ eleuans est. Obedientia cohabitatrix Angelorum est. Obedientia Sanctorum omnium cibus est: ex hac enim ablactati sunt, & per hanc ad perfectionem venerunt.* Idē ille senex, quæ sit obedientiæ aureola, sic aperuit: *Ordo qui se ad obediendum dedit, omnes voluntates suas abiiciens, pendet ad Deum, & ad iussionem Patris spiritualis, propterea & maiorem gloriam aliis habet.* Quin eum qui obedit, solitario præferri dixit, inquiēs: *Frater qui ad obedientiam Patris spiritualis animum dederit, maiorem mercedem habet, quàm ille qui solus in eremo recesserit.* Et compendiariam viam, quâ ad perfectionē perueniatur, esse obedientiam, docuit S. Antonius, dicens, *quòd si quis velit ad perfectionem peruenire velociter, non sibi ipse fieret Magister, nec propriis voluntatibus obediret, etiamsi rectum videatur esse quod vellet, sed secundùm mandatum Saluatoris obseruandum esse, vt ante omnia vnusquisque abneget semetipsum sibi, & renuntiet propriis voluntatibus, quia & Saluator ipse dixit: Ego veni non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Ideoque haud iniuriâ virtutum omnium eminentissima appellatur à pio quodam Episcopo. Scitum est illud Agathonis Monachi, qui cùm à Fratre quodam ei diceretur, *Mandatum venit, & est mihi pugna grauis in loco quo est ipsum mandatum; volo ergo propter mandatum pergere illuc, at pauesco bellum; ei dixit: Sic erat Agatho; implebat mandatum, & vincebat bellum.* 23.

*Rosvveydus in Vitis Patrum, lib. 6. p. 6*0 a Seniorum pulchra de obedientiâ dicta.*

Rosvveydus lib. 2. pag. 484, a S. Antonij dictum.

Pag. 146, a & Agathonis.

Pag. 584, b

Quin, quod vix quispiam credere poterat, obedientia sui obseruatores miracula patrare facit. Exemplo sit id quod Ioannes Climacus refert, sic inquiens: Ioannes Opanij Sabbaites, vir mihi charissimus, res mihi retulit auditu mirabiles, & memoratu dignissimas. Quòd autem is vir perturbationibus & passionibus sit liber, & à mendacio procul, verboq; & opere mundus, cùm eius experimentum ceperim, noui. Hic itaq; mihi ista narrauit. Erat, inquit, in monasterio meo, 24.

Gratia ac Obedientia sui cultores miracula patrare facit.

quod est in Asiâ (inde enim iustus ille aduenerat) senex quidam negligentissimus ac parum moderatus. quod non iudicandi causâ, sed veritati studens dico. Huic erat discipulus minor Achatius nomine, quem nescio quo pacto sibi acquisierat, simplex quidem animo ac voluntate, sed sensu ac cogitatione prudentissimus: qui tanta ab huiusmodi sene passus est, quanta (si referre voluero) plurimis fortè videbuntur incredibilia. Nō enim iniuriis solùm atq; contumeliis & ignominiis, verùm etiam verberibus eum quotidie afficiebat. Erat autem hęc illius tolerantia non sanè irrationabilis. Ego igitur cùm illum quotidie, vt emptitium seruum, supremâ in ærumnâ degere aspiciebam, obuians illi sæpissimè dicebam: Quid est frater Achati? quomodo tibi est hodie? Ille verò continuò, nunc quidem liuentem tumidumque oculum, aliquando verò faciem fractam & ceruicem, sæpè ictum caput ostendebat. Ego itaque sciens illum patientiæ operarium, aiebam illi: Bone, sustine viriliter, & proderit tibi. Cùm igitur egisset annos nouem sub immiti & acerbo sene, migrauit ad Dominum, sepultusq; est in Patrum cœmeterio. Post quinq; autem dies abiit ad magnum quemdam, Achatij magister, dixitque illi: Pater, Achatius mortuus est. Quod cùm audisset senior, respondit; Verè, senex, non id mihi persuades. Qui ait, Veni, & vide. Continuò surrexit senex, venitq; cum beati pugilis magistro ad cœmeterium, & clamauit, tamquam viueret, ad eum qui verè in beatâ requie viuebat, dicens: Frater Achati, putásne mortuus es? Tum verò gratus ille obediens, etiam post mortem obediētiam ostendens magno illi, ita de sepulchro respondit: Et fieri quomodo potest, Pater, vt moriatur homo obediētiæ deditus? Est etiam admirabile quod de Marco quodā legitur in Vitis Patrum, cuius scilicet obedientia erat magna, & propptereà senior, scilicet Siluanus Abbas, diligebat eum. Habebat autē ille senior & alios vndecim discipulos, qui contristabātur eò quòd illū plus diligeret. Quod postquā alij senes audierunt, mœsti venerunt ad eum, vt ei renuntiarent, quia fratres illi, qui cum eo erant, contristabantur. Sed antequam illi aliquid faterentur, ipse cum illis ad singulorum cellas pr ofectus est, & vnumquemq; nomine proprio vocauit, dicens: Egredere foras, frater, quia te opus habeo; & nullus ex illis voluit egredi. Venerunt autem post omnes ad cellam Marci, & cùm pulsassent ostium, vocauit Abbas Siluanus nomen eius. Ille autem mox vt audiuit vocem senis, foras egressus est. Et ingressus Abbas in cellam Marci, quoniam scriptor erat, reperit quaternionem quem scribebat, & inuenit quòd in quâ horâ vocatus est, litteram quam faciebat, mediam dereliquit, tantummodò vt obedientiam impleret; noluerit autem post auditam vocem senis, litteram quam cœperat percomplere. Vnde illi alij senes dixerunt ei: In veritate, quem tu diligis, & nos iam diligimus; quia & Deus eum propter suam obedientiam diligit.

Stupendum veri obedientis post mortem factum exemplum;

Achatij nimirum è sepulchro loquentis.

Pag. 520, b.

Mirabile exemplum aliud Marci cuius Scripturā Angeli suppleuere.

25. Sed & ipsæ feræ, propriæ naturæ quasi oblitæ, & venenosæ bestiæ, obedientiam veneratæ sunt. Istius hoc è Vitis Patrum sit exemplum: Abbas Paulus misit discipulum suum Ioannem in proximum vicum, vt requireret ibi fimum boum, & cum celeritate afferret ad monasterium. Erat autem in loco illo mala bestia leæna. Statim ergo egressus discipulus Ioannes, ibat secundùm præceptum Abbatis. cùmque pergeret, dixit Abbati suo: Domine pater, audiui quam plurimos dicentes, quia in illo loco mala bestia leæna sit. Tunc senior quasi ioculariter dicit ei: Si venerit super te, tene, & alliga eam, & adduces eam tecum. Cùm autem venisset ad locum iam vespere, statim egressa leæna irruit super eum, & ille comprehendens tenere eam voluit; illa verò excutiens se, de manibus eius aufugit. Sequebatur autem ille dicens: Quia Abbas meus præcepit, vt alligatam te perducam ad eum. Continuò autem stetit bestia: & tenens eam, reuertebatur ad monasterium. Dum autem retardaret in itinere, Abbas nimis sollicitus pro eo, tristabatur grauiter: & ecce subitò superuenit discipulus eius, tenens ligatam leænam. Quod cùm vidisset senior, admiratus valdè, gratias agebat Saluatori nostro Domino. Dicit autem discipulus eius: Ecce, domine, sicut præcepisti, adduxi leænam ligatā, &c. Posterioris itidem è Patrum Vitis hoc sit. Duo fratres carnales venerunt habitare in monasterio quodam, ex quibus vnus erat præclaræ continentiæ, alter obedientiæ magnæ. Cui dicebat Pater: Fac hoc, & faciebat; & fac illud, & faciebat; manduca manè, & manducabat. De quâ re magnam opinionem in monasterio habebat, quia ita obediens existebat. Punctus autem inuidiæ mucrone frater eius ille continens aduersus eum, dixit in semetipso: Ego probo istum si habet obedientiam. Et accedens ad Patrem monasterij, dixit ei: Mitte mecum fratrem meum, vt eamus alicubi. Et dimisit eos Abbas abire. Et assumens eum ille frater abstinens, voluit eum tentare. Et cùm venissent ad flumen vbi erat multitudo crocodilorum, dicit ei: Descende in flumen, & transi. Et ille mox descendit. Venerunt autem crocodili, & lingebant corpus eius, in nullo lædentes eum. Quod cùm vidisset frater eius, dixit ei: Ascende de flumine. Et cùm iter agerent, inuenerunt corpus humanum. Et dixit abstinens ille ad fratrem suum: Si habuissemus aliquid vetustum, iactaremus super corpus istud. Et respondens ille obediens frater, dixit: Magis oremus, & forsitan resurget. Et stantes ad orationem, atque orantes intentè, surrexit mortuus ille. Quo facto, gloriabatur ille abstinens frater, & dixit: Pro continentiâ meâ suscitatus est mortuus hic. Omnia autem hæc reuelauit Deus Abbati monasterij eorum, & qualiter tentauerit fratrem suum, de crocodilis, & qualiter suscitatus est mortuus. Et cùm venissent in monasterium, dixit Abbas abstinenti illi: Quare ita fecisti fratri tuo? Et ecce tamen pro obedientiâ eius mortuus ille surrexit.

Rosvveydus p. 502, a.

Feræ naturæ suæ velut oblitæ obedientibus obsequuntur.

Pag. 619, b.

Obedientiæ pedes lingunt crocodili.

Per eumdem mortuus reuocatur ad vitam.

Insuper & insensibiles plantæ obedientiam agnouerunt. Exemplum eius sit iterùm ex Patrum Vitis, vbi sic legimus: Beatus Ioannes ab adolescentiâ suâ vsque ad perfectam & virilem ætatem cuidam seniori deseruiens, donec ille in huius vitæ conuersatione durauit, tantâ ei humilitate inhæsit, vt ipsi quoque seni stuporem summum obedientia illius incuteret. Cuius hanc virtutem, vtrùm de verâ fide ac profundâ cordis simplicitate descenderet, volens senex manifestiùs explorare, ei plura, etiam superflua & impossibilia, frequentiùs iniungebat. 26

Pag. 546, b.

In plantis miraculosè crescentibus obedientia honoratur.

Sumpsit namque de lignario suo virgultum senex, quod olim excisum, vsibus foci fuerat præparatum: cùm hoc coram ipso infixisset in terram, præcepit ei, vt aduectâ aquâ, quotidie illud bis irrigaret. Quod præceptum veneratione solitâ, sine vllâ impossibilitatis cõsideratione adolescens suscipiens, ita quotidianis diebus expleuit, vt aquam per duo milliaria indesinenter apportans, nullatenus lignum cessaret rigare: atque per totum anni spatium, non infirmitas corporis, non occupatio necessitatis vllius intercedens, ab obseruantiâ præcepti huius potuit eum impedire. Cumque hanc sedulitatem tacitus senex latenter diebus singulis explorasset, & videret eum simplici cordis affectu mandatũ suum, velut diuinitus imperatũ, seruare: miserans tandem tam longi laboris eius perseuerantiam, accedens ad aridum virgultum, dixit: O fili Ioannes, misitne radices hæc arbor, an non? Cumque ille nescire se dixisset, senex velut tentans, si iam suis radicibus teneretur, euulsit coram ipso virgultum; & proiiciens longiùs illud, præcepit discipulo vt deinceps rigare cessaret. De alio insuper eodem in loco narratur, quòd cùm prima ei obedientiæ lex proponeretur, ac perpetem ille polliceretur ad omnia vel extrema patientiam, casu Abbas eius storacinam virgam aridam manu gesserit: quam in terram figens, eidem iniunxerit, vt tamdiu virgulæ aquam irriguam ministraret, donec (quod contra naturam erat) virga arida in solo arente viresceret. Sed quid? Frater ille, duræ legis imperio, aquam propriis humeris quotidie conuehebat, quæ à Nilo flumine per duo ferè milliaria petebatur. Iamque emenso anni spatio, labor non cessabat operantis, de fructu operis spes esse non poterat, tamen obedientiæ virtus in labore durabat. Sequens quoque annus vano labore tantum effectum fratris eludit. Tertio demum anno, succedentium temporum labente curriculo, cùm neque nocte neque die aquarius ille cessaret, virga floruit. Dicitque Seuerus Sulpitius, se ramusculum ex illâ virgulâ vidisse.

Exemplum in Ioanne.

Pag. 542, a

Aliud in aridum lignum quotidie irrigante.

27. Sed & ignis ardor per obedientiæ virtutem extinctus fuit, cuius rei geminum item habemus exemplum, quorum prius ex Sulpitio refert Rosvveydus in suis Patrum Vitis hûc in modum: Quidam frater sæculi actibus abdicatis, monasterium magnæ dispositionis ingressus, suscipi se rogabat in congregationem, Abbasque ei cœpit multa proponere, nimirum graues esse illius disciplinæ labores, sua verò dura imperia, quæ nullius ferè posset implere patientia: aliud potiùs monasterium, vbi facilioribus legibus viueretur, expeteret, & non tentaret aggredi, quod non posset adimplere. Ille verò his terroribus nihil permotus, magis omnem obedientiam ita polliceri cœpit, vt si eum Abbas in ignem ire præciperet, non recusaret intrare. Quam illius professionem vbi Abbas accepit, non cunctatus probare, iubet eum in clibanum, qui coquendis panibus parabatur, intrare. At ille non distulit parêre præcepto, sed statim medias flammas nihil cunctatus ingressus est. Quæ mox tam audaci fide victæ, velut illis quondam Hebræis pueris, cesserunt, & confestim fugit incendium. Et ipse qui ingressus est, & putabatur arsurus, velut frigido rore perfusum se esse miratus est. Sed quid mirum, si tuum, Christe, tironem ignis ille non tetigit, vt nec Abbatem pigeret dura mandasse, nec discipulum pœniteret obedientiam explesse.

Pag. 541, b

Ignis in obedientiæ commendationem veluti vim ardoris amisit.

Illæsus in igne obediẽs.

Alterum exemplum hoc est. Quidam homo sæcularis vitæ, habens tres filios, renuntiauit sæculo, & venit ad monasterium, relinquens filios suos in ciuitate, & cum fecisset tres annos in monasterio, cœperunt ei cogitationes suæ filios ad memoriam frequenter adducere, & contristabat pro eis valdè: neque enim dixerat Abbati filios se habere. Videns autem Abbas eum tristem, dicit ei: Quid habes quòd tristis es? Et narrauit ei quòd tres filios haberet in ciuitate, & quia vellet eos ad monasterium eius adducere. Præcepit autem Abbas, vt adduceret eos. Qui cùm perrexisset ad ciuitatem, inuenit duos ex eis iam esse defunctos, vnum verò solummodò remansisse. Quem assumens venit ad monasterium: & requirens Abbatem, non eum inuenit illic. Interrogauit autem fratres, vbi esset Abbas. Et illi dixerunt: Vsque ad pistrinum perrexit. Ille verò tollens filium suum quem adduxerat, abiit in pistrinum. Et videns eum Abbas venientem, salutauit. Et tenens infantem quem adduxerat, amplexatus est eum. Et dicit patri eius: Amas eum? Et ille dixit: Etiam. Rursum dixit ei: Omnino diligis eum? Et respondit: Etiam. Hæc audiens Abbas, posteà dixit ei: Tolle ergo, si amas eum, & mitte in furnum, sic modò cùm ardet furnus. Et tenens pater filium suum, iactauit eum in furnum ardentem. Statim autem factus est furnus velut ros: ex quâ re acquisiuit gloriam in tempore illo, quemadmodum Abraham Patriarcha.

Pag. 619, b

Illæsus & in furno obediẽtis filius.

Denique vel inferi ipsi obedientiæ virtutem venerantur, vt qui mortuos suos reddere per eam cogantur. De hoc Scriptura apud Ecclesiasticum agit, eiusque rei iterùm in Patrum Vitis exemplũ habemus, quod & suprà num. 25. retulimus. Verba Ecclesiastici hæc sunt: *Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo Domini Dei.* Atque hæc hactenus de obedientiâ ita diffusè à nobis dicta sunt, non solùm vt quid de reliquis virtutibus atque mortificationibus iudicandum sit (de quibus aliàs nos dicturos sumus polliciti) instruamur, sed & vel maximè, quia virtutum omniũm atque mortificationum comes esse debet obedientia, quâ demum ratione omnibus & singulis illa proderit. 28.

Eccli. 48, 5.

Infernũ obedientiam honorasse ex superioribus patuit.

CAPVT XXVI.

Vt Indulgentiarum natura penitiùs cognoscatur, satisfactionis facit necessitas.

ADEò est ingens diuinæ pietatis in animas exuberantia, vt non solùm pro illarum satisfactione opera suscipiat à viuis patrata ipsismet, sed & illa quæ ex alieno labore ac industriâ sibi compararunt, ac per spiritualem tantùm Ecclesiæ participationem ab aliis mutuati fuerunt; quod videre licet in Indulgentiis, quæ à Scholasticis fusè ac passim explicantur, & communiter appellantur remissiones pœnarum quæ supersunt luendæ post remis- 1.

Tanta in mortuos Dei clementia, vt per viuos iis applicari sinat quæ & ab aliis participarunt.

sionem culparum, & in Pœnitentiæ Sacramento obtentam absolutionem: quas remissiones ipsi Summi Pontifices, ex plenariâ potestate distribuendi thesaurum meritorum Christi ac Sanctorum, certo tempore & rationabili de causâ conferre solent. quarum participes esse possunt non solùm viui, sed etiam defuncti, quos scilicet valore earum Indulgentiarum, quas viui lucrantur, easque Purgatorij animabus applicant, à pœnis suis exsolui, atque ad cælestem gloriam eleuari affirmamus. Quod ipsum quandoquidem eminentissimam Dei adstruit misericordiam, & facilem mortuorum liberationem ostendit, hoc in loco quâ poterimus breuitate ostendere statuimus, ad cognoscēdam Indulgentiarum naturam, satisfactionis necessitatem quamplurimum facere; quam, vt Purgatorij veritatē euerteret, Caluinus totis viribus oppugnauit, sed numquā, etiamsi ipsas inferorum portas suum in auxilium aduocârit, expugnabit. Verba impij istius hæresiarchæ hæc sunt: *Quid enim illis est Purgatorium, nisi quæ post mortem à defunctorum animis pendatur pro peccatis satisfactio? vt dirutâ satisfaciendi opinione, ipsum ab imis radicibus extemplo euertatur.* Sed quomodo, quæso, diruit ille satisfaciendi opinionem? Non sanè aliter quàm priuatæ opinionis sententiâ. Ipsius iterùm audiamus verba, quibus satisfactionis veritatem conuellere conatus quidē est, sed solùm conatus, cùm nihil solidi, præter imaginationis suæ pertinaciam, in contrariam probationem adducat. Sic ergo ait: *Tertium locum satisfactioni in pœnitentiâ assignant, de quâ quidquid blaterant, vno verbo subuerti potest. Dicunt, non sufficere pœnitenti à præteritis malis abstinere, & mores in melius cōmutare, nisi de iis quæ facta sunt satisfaciat Deo. Esse autem multa adminicula, quibus peccata redimamus: lacrymas, ieiunia, oblationes, charitatis officia. Iis Dominum propitiandum, iis debita iustitiæ Dei persoluenda, iis compensanda delicta, iis veniam emerendam. Quamuis enim largitate misericordiæ culpam remiserit, pœnam tamen retinere disciplinâ iustitiæ: hanc esse pœnam quæ satisfactionibus redimenda sit.* Et paulò pòst: *Talibus mendaciis oppono gratuitam peccatorum remissionem.* Et: *Quâ igitur confidentiâ suas satisfactiones adhuc erigunt, quæ tam valido fulmine prosternuntur?* En, vt opinionem satisfaciendi atque simul Purgatorij fidem solo tenus destruat; imaginatus sibi est, & rudioribus persuadere conatus (quid? persuadere? potiùs, quia rationibus, quod volebat, efficere nequibat, terroribus minisque obtinere tentauit) hisce Catholicorum mendaciis se opposuisse gratuitam peccatorum remissionem. Itáne Caluine, talibus mendaciis? Quis tibi suggessit, mendacia esse ea, quæ Scripturæ & sacri Patres vera esse vociferantur? Sed mentitus es tu in caput tuum, impiissime Caluine, & à mendaciorum omnium Magistro, quocū Collega tuus Lutherus salis modium absumpsit, in eadem quâ & ille mendaciorum Academiâ instructus es. Quid ergo mirum est, te veritatem dicere mendacium, mendacium veritatem? Qualem te intus & in cute agnoscis, tales alios esse improbè iudicas. De te igitur mendace propria tua sententia intelligenda est: id quod declaratum ibimus, & te non modò priscis Orthodoxisque Patribus, sed etiam ipsis Scripturis gratuitâ tuâ peccatorum remissione (quam nescio quis Vulcanus è cerebro Iouis huius excidit) aduersari euincemus: vnde omnibus constabit, quàm tu, Geneuensium bestiarum sectarius veruex, ab omni veritate sis castratus.

Caluinus vt Purgatoriū, satisfactionem negat.

Lib. 3. Instit. cap. 5. §. 6.

Lib. 3. Instit. cap. 4. §. 25.

Quid in hāc obiciat.

Sed & quid illi solutionis Orthodoxi opponant.

2\. Patres primùm in aciem educemus, qui vnanimiter docuerunt & crediderunt (quibus reuerà animæ suæ salus curæ fuit) culpâ peccatorum remissâ, superesse plerumque adhuc eorumdem pœnam, siue temporalem aliquam punitionem, quæ in hoc sæculo debitâ pœnitentiâ exsolui debeat, vel post hanc vitam in Purgatorio igne expurgari. Audi ergo D. Ambrosiū. Is sic ait: *Vtrumque beatum dixit* (scilicet Psalmista) *& cuius iniquitas remittitur per lauacrum, & cuius peccatum tegitur operibus bonis. Qui enim agit pœnitentiam, non solùm diluere lacrymis debet peccatum suum, sed etiam emendatoriis factis operire & tegere delicta superiora, vt non eis imputetur peccatum.* Idem porrò, *Volo,* inquit, *veniam reus speret. petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus: vt ignoscatur obsecret. Et cùm secundò & tertiò fuerit dilata eius communio, credat remissiùs se supplicasse. Fletus augeat miserabilior. Posteà reuertatur, teneat pedes brachiis, osculetur osculis, lauet fletibus, nec dimittat, vt de ipso dicat Dominus Iesus: Remissa sunt peccata eius multa, quoniam dilexit multùm. Cognoui quosdam in pœnitentiâ sulcasse vultum lacrymis, exarasse continuis fletibus genas, strauisse corpus suum calcandum omnibus ieiuno ore, semper pallido, mortis speciem spiranti in corpore prætulisse.* Alibi item vberiùs sic scribit: *Lugubris tibi accipienda est vestis, & mens ac membra singula dignâ castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt. Defluant oculi lacrymas, qui masculum simpliciter non aspexerunt. Pallescat facies, quæ quondam viruit impudicè. Denique totum corpus incuriâ maceretur, cinere aspersum & opertum cilicio perhorrescat, quia malè sibi de pulchritudine placuit. Cor verò sit liquescens sicut cera ieiuniis, inquietans seipsum & agitationibus ventilans, quare fit ab inimico subuersum. Sensus etiam crucietur, quia in membra corporis cùm haberet dominationem, malo cessit imperio. Talis vita, talis actio pœnitentiæ si fuerit perseuerans, audebit sperare, etsi non gloriam, certè pœnæ vacationem. Dicit enim Deus: Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. Conuertimini ex toto corde vestro, in ieiunio & fletu, in planctu: dirumpite corda vestra, & non vestimentum, quoniā pius & misericors sum. Sic conuersus magnus ille Dauid, iustificatus est. Sic Niniue peccatrix illa ciuitas incumbentem sibi euasit interitum. Peccator ergo si sibiipsi non pepercit, à Deo illi parcitur: & si futuras gehennæ pœnas perpetuas in hoc paruo vitæ spatio compensauerit, seipsum ab æterno iudicio liberat. Grandi plagæ altâ & prolixâ opus est medicinâ. Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.* Hæc omnia D. Ambrosius: ex aliis verò Patribus succinctas solùmmodò describemus sententias, ne Lectori singulis Patrum locis percurrendis tædium generetur.

Docuere sancti Patres, remissâ culpâ, non semper pœnam remitti.

Lib. 2. de Pœnitentiâ, c. 5.

Ibid. lib. 1. cap. 16.

Inter hos S. Ambrosius.

Ad Virginē lapsam, cap. 8

3\. E sancto itaque Basilio hæc cape: *Attende tibi,* inquit, *vt pro delicti proportione hinc quoque mutueris ex admotâ tali medelâ valetudinis instaurandæ subsidium. Magnum est & graue peccatum? multâ opus habes confessione, lacrymis amarulentis, procaci contentione vigiliarum, indiuulso & continenti ieiunio. Leuis est nec intoleranda offensa? huic quoque exæquetur pœnitentia.* S. Ioannes Chrysostomus sic concionatur: *Docet non sufficere, dimissa esse peccata, sed peccatis contraria esse facienda. Vt, inquit, qui rapuit*

Item S. Basilius.

Orat. in illa verba: *Conuertisti planctum meū in gaudium mihi.*

Homil. 10. in Matth to pe id: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.*

puit aliena, det propria: qui contra castitatem peccauit, abstineat à matrimonio: qui intulit iniuriam, reddat beneuolentiam, &c. *Neque enim*, subiungit, *in vulnerato sufficit ad salutem, tantummodò spiculum de corpore euellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus.* D. Gregorius Nazianzenus, *Æquale malum est*, ait, *& dimissio absque castigatione, & castigatio absque veniâ: quandoquidem illa totas laxat habenas, hæc verò nimiùm stringit.* Sanctus etiam Gregorius Magnus ita loquitur: *Cogitandum est summoperè, vt qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat.* Theodoretus quoque habet quod huc faciat; inquit enim: *Sunt ergo medicabilia, etiam quæ post Baptismum fiunt vulnera. Medicabilia autem, non vt olim per solam fidem datâ remissione, sed per multas lacrymas, & fletus, & luctus, & ieiunium, & orationem, & laborem facti peccati cōmoderatum. Qui enim non sic affecti sunt, eos nec admittere quidem didicimus, nec diuina sunt eis manu impertienda. Nolite inquit, dare sanctum canibus, nec margaritas porcis. Has habet Ecclesia leges de pœnitentiâ.* Ita Theodoretus, qui etiā Audianos propterea hæreseos incusat, quòd peccata remitterent non impositâ satisfactione. Verba eius hæc sunt: *Hi se iactant peccata remittere. Postquam enim sacros libros vnà cum adulterinis bipertitò diuiserint (eos enim mirandum in modum arcanos & mysticos existimant) & hinc & illinc per versus posuerint, iubent vnumquemque inter eos transire, & quæ à se peccata sunt confiteri: deinde confessis donant remissionem, non tempus ad pœnitentiam, vt iubent leges Ecclesiæ, præscribentes, sed suâ potestate condonantes. Scientes autem qui transeunt, id quod agitur ludum esse, vera quidem peccata celant, quædam autem parua & ridicula dicunt, quæ etiam dicere vereretur aliquis, nisi eadem quâ ipsi amentiâ laboraret.*

Orat. in sancta Lumina. *Item S. Gregorius.* Homil. 34 in Euangelia. *Theodoretus* In Epitome Diuinorum decret. cap. De pœnitentiâ. Lib. 4. Hæretic. tabular. *Audiani habiti heretici quòd negarent dimissâ culpâ, pœnam posse remanere.*

4. Eusebius porrò Emissenus, *Non putemus*, inquit, *tā facilè remitti posse iniusta semel crimina, & profūdo vulnere in animæ ipsius impressa visceribus. Multo opus est fletu, multo gemitu, multo dolore cordis ad sanandos ipsius cordis dolores. Totâ incumbendum est spiritus contritione, vt vetusta mala tamquam sagittæ quædam de conscientiâ depellantur. Non sufficit summis labiis dicere: Peccaui, parce, remitte. Et Saul dicebat, Peccaui, sed non obtinuit illam veniam quam Dauid vnâ pœnitentiæ voce promeruit. Et hoc quare? Quia confessionem illam nuda magis verba, quàm veri gemitus, exprimebant: quia compensabat magnitudinem criminis, lenta humiliatio supplicantis. Non leui agendum est contritione, vt debita illa redimantur, quibus mors æterna debetur: nec transitoriâ opus est satisfactione pro malis illis; propter quæ paratus est ignis æternus.* Idem alibi: *Hæc itaque principalia mala ingenti rugitu, gemitu, & fonte indigent lacrymarum, eiq; post lacrymandum est cum Prophetâ: Rugiebam à gemitu cordis mei, lauabo per singulas noctes lectum meum. Et iterùm: Ego autem cinerem sicut panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. Nemo despiciat hanc humilitatem. Summus Rex erat qui ista faciebat. Oportet itaque sicut supra mortuum conclamatur, ita magnos supra exstinctam animam dare planctus: & quomodo solet mater orba super amissione vnici filij fracto pectore lamentari, ita conuenit super vnicam suam, sed cum spe reparationis, affligi.* Hæc omnia Eusebius Emissenus; vbi nec prætermittenda sunt quæ habet D. Hieronymus. *Affligendum*, ait, *corpus quod multis vacauit deliciis. Longus risus perpeti compensandus est fletu. Mollia linteamina, & serica pretiosissima, asperitate cilicij commutanda.*

Homil. 5. ad Monachos. *Accedit Eusebij Emisseni testimoniū.* Homil. 10. *Qui pœnitentiam esse affirmat.* In Epitaphio Paulæ ad Eustochium. *Non minora D. Hieronymi.*

Origenes cùm docuisset, peccata redimi posse, subiungit: *Si tamen inuenerit manus tua pretium quod restituat. Quale pretium? Pœnitentiæ sine dubio, lacrymis congregatum, & manibus, id est labore boni operis inuentum.* Vnde etiam Tertullianus, *Quàm*, inquit, *porrò ineptum, pœnitentiam non implere, & veniam delictorum sustinere? Hoc est pretium non exhibere, & ad mercedem manum emittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit, hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impietatem.* Neque solùm ridiculum est absque eâ sperare integritatem remissionis, verùm etiam perniciosissimum, vti patet ex S. Cypriano, vbi in eos inuehitur qui sine plenâ satisfactione pacē pœnitentibus dabant, atque hoc modo loquitur: *Hæc qui subtrahit fratribus nostris, decipit miseros, vt qui possent agere pœnitentiam veram, Deo Patri & misericordi precibus & operibus suis satisfacere, se ducantur vt magis pereant.* Quin etiā idem sanctissimus Martyr & testis grauissimus hunc in modum alibi loquitur: *Deus quantum patris pietate indulgens est, tantum Iudicis maiestate metuendus est. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit. Orare oportet impensius, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus insomnes ducere, tempus omne lacrymosis occupare lamentationibus, stratos solo adhærere cineri, in cilicio volutari & sordibus.* Atque iterùm ibidem: *Rogandus est Deus, & satisfactione nostrâ placandus: delicta nostra reputanda, actus nostri & animi secreta voluenda, conscientiæ merita ponderanda.* Nec multò pòst: *Pœnitentiæ iter, quod ostendit Antistes, amplectamur: remedia vitalia, quæ de Scripturis cælestibus ille depromit, assumamus, & ex vulneribus etiam occultis, quorum exomologesim fecimus, exponentes apud eum conscientiæ nostræ pondus, salutarem medicinam exquiramus: nec cessemus in agendâ pœnitentiâ, atque in Domini misericordiâ deprecandâ; ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglectâ satisfactione cumuletur.* Hæc SS. Patrum testimonia etsi cuique sensato sufficere non dubitemus, D. tamen Augustinum & alios eo adhuc antiquiores, omittere nullatenus voluimus, quò nostra assertio toto suo pondere constet. Ait ergo augustissimus ille Doctor: *Sed neque de ipsis criminibus, quamlibet magnis, remittendis, in Ecclesiâ sanctâ, Dei desperanda est misericordia agentibus pœnitentiam secundùm modum sui cuiusque peccati.* Et paulò inferiùs: *Verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quæcumque alia signa procedit, cùm sit coram illo cui dicitur: Gemitus meus à te non est absconditus; rectè constituuntur ab iis qui Ecclesiæ præsunt tempora pœnitentiæ, vt fiat etiam satis Ecclesiæ in quâ remittuntur ipsa peccata.* Imò idem ipse Doctor clariùs adhuc pœnitentiam insinuat his verbis: *Nihil aliud agit quem veraciter pœnitet, nisi vt id quod malefecerit, impunitum esse non sinat: eo quippe modo sibi non parcenti ille parcet, cuius altum iustumq; iudicium nullus contemptor euadit.* Et denique alibi: *Implora misericordiam, sed attende iustitiam. Misericordia est, vt ignoscat peccato; iustitia est, vt puniat peccatum. Quid ergo? Quæris misericordiam: peccatum impunitum remanebit? Respondeat Dauid, respondeant lapsi. Respondeant cum Dauid, vt misericordiam consequantur cum Dauid; & dicant: O Domine, non erit impunitum peccatum meum, sed ideò nolo vt tu punias, quia ego peccatum meum punio.* Sic pro

5. Homil. 5. in Leuitic. *Origenes insuper.* *Et D. Cyprianus.* Lib. 3 Epist. 14. Serm. De lapsis. *Satisfactoriorū operum modus.* *Adiungitur prædictis S. Augustinus.* In Enchirid. ad Laurentium, cap. 65. Epist. 56. ad Macedoniū. In Psalmum 50. super illo, *A peccato meo munda me.*

pro more suo insigniter Augustinus.

6. *Eis côformis S. Irenæus.* Sed agedum, è prioribus quoque sæculis testes aduocemus; & ecce, adsunt ex antiquissimis sanctissimisque Patribus S. Irenæus Lugdunensis olim Episcopus, Dionysius item Areopagita & S. Clemens Romanus S. Petri in Sede Apostolicâ successor. S. Irenæus de pœnitentiâ quid sentiat rogatus, tale testimonium perhibuit, de feminâ quadam ab hæreticis corruptâ loquens: *Deinde cùm non sine magno labore fratres eam conuertissent, ipsa omne tempus in exomologesi consũmauit, plangens & lamentans ob hanc quam ab hoc mago passa est corruptelam.* Teste hoc dimisso, S. Dionysius testimonium dicturus intrat, qui ad ea quæ in Epistolâ quadam scripsisset prouocauit, vbi sic inquit: *Tu verò, vt tua litteræ indicant, procidentem Sacerdoti impium, vt ais, & peccatorem, nescio quo pacto contra disciplinæ ordinem adstans calce abiecisti. Adhuc, cùm ille quidem, quod oportuit, fateretur se ad peccatorum remedium quærendum venisse, tu non exhorruisti, sed & bonum Sacerdotem ausus es lacerare conuitiis, miserabilem eum dicens, quòd pœnitentem & impium iustificasset.* Post quem auditus S. Clemens Romanus, ad Epistolam & ipse quamdam suam digitum intendit, & vt quid ipse sentiret inde legeretur significauit. Sic igitur ibi legitur: *Si fortè alicuius cor vel liuor, vel infidelitas, vel aliquod malum ex his quæ superiùs memorauimus, latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc huic qui præest, vt ab ipso per verbum Dei & consilium salubre curetur, quo possit integrâ fide & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ vitæ præmia peruenire.*

Lib. 1. cap. 9.

S. Dionysius.

Epist. 8. ad Demophilũ.

S. Clemens Romanus.

Epist. 1.

7. *Quàm infamiter in prædictis Caluinus.* Sed quid ad hæc Caluinus? Mendacia, inquit, illa omnia sunt; mihi potiùs vni quam reliquis etiam Ecclesiæ primitiuæ Patribus, credendum est. Pepo sim, nisi hoc satis ipsamet eius verba innuant, quibus, cùm de satisfactionis materiâ ageret, ita locutus est: *Parum autem me mouent quæ in veterũ scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos (dicam simpliciter, omnes ferè quorum libri extant) aut in hac parte lapsos esse, aut nimis asperè ac durè locutos.* Et statim pòst: *Veniam tamen mihi dabunt Lectores, si dixero quod sentio: plus æquo certè insistere in his mihi videntur. Ac si quis prudenter expendat, mihi, vt spero, assentietur, dupliciter eos modum excessisse. Nam cùm tantopere vrgerent, ac immodicis elogiis commendarent corporalem illam disciplinam, hoc quidem consequebantur, vt plebs eam maiore studio amplecteretur; sed quod longè maioris momenti esse debet, quodammodò obscurabant. Deinde in exigendis castigationibus fuerunt aliquantò rigidiores quàm ferat Ecclesiastica mansuetudo.* Quid hic dicemus nos Catholici? Stultus profectò foret, qui relictis tot sanctis Patribus (quorum etiam verba tam clara sunt, vt neque ipse Caluinus negare aut distorquere illa potuerit) solum Caluinum, qui cùm mendax ipse sit, alios mendacij arguere sceleratissimè non est veritus, audiret. Apage igitur, Caluine, tuis cum mendaciis: nos potiùs Patribus credimus, qui è Scripturis veritatem satisfactionis edocti sunt. Hoc vt omnes videant & cognoscant, illarum testimonia à Catholicis stare demonstratum ibimus.

Lib. 3. Instit. cap. 4. §. 38.

Quàm stultum tot antiquis ac sanctissimis Patribus relictis, vni adhærere.

8. *Res præcedens ex variis scripturis æquè clara.* Inprimis ipse Regius Propheta, postquam cum Bersabee adulterium commisisset, Vriamque innocentem occidi curasset, ad Nathanis obiurgationem peccatum suum seriò confessus, ab eodem quidem audiuit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, vbi culpam & æternam peccati pœnam deletam esse vltrò confitemur; pro pœnitentiâ tamen temporali etiam ei dictum est: *Puer qui tibi natus est, morietur.* & non frustrà dictum sibi fuisse expertus est, *Gladius de domo tuâ non recedet vsque in sempiternum.* O longam & cruentam breuis peccati punitionem, minorem tamen respectu delicti commissi, si rationis státerâ trutinare velimus id quod eidem alio tempore contigit, vbi cùm ex vanâ quadam & humanâ superbiâ, aut potiùs leuitate, exercitum suum lustrari voluisset, Gad Propheta ad illum missus est, qui pro eodem peccato, quod, vt multi Doctores arbitrantur, vix veniale fuit, rigidam satis ei pœnitentiam luendam esse denuntiauit. Sed quid, putamus, ei pro re tam leui à clementissimo Domino iniunctum fuit? Optio illi data fuit, vt è tribus, quod toleratu facilius arbitraretur, eligeret, aut triennalem annonæ caritatem, aut trimestrem ab hostibus suis cladem; aut triduanam diræ epidemiæ stragem. Cumque hoc posterius prudenter admodũ elegisset, à Deo emissus est Angelus vltor, qui primo statim die intra Regni illius fines peste prostrauit septuaginta circiter hominum millia, multoque plura insequentibus diebus occidisset, nisi Dauidis humillima deprecatio, & Sacrificij ab eodem pro reconciliatione oblatio, gladium vltoris Angeli repressisset, atque in vaginam retorsisset. Quod primum omnium mortalium parentem attinet, quamuis verum sit quod de illo dicitur, *Eduxit eum Deus ex delicto suo*; tamen & huic, & omnibus posteris eius, hæc quasi hereditaria adhæsit punitio, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, vt & illa, *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Ob vnam item vituli adorationem plura hominum millia occisa fuerunt, cùm tamen Deus Moysi testatus sit, se eis peccatum hoc remisisse. Maria soror Moysi, quamuis peccati sui, quòd nimirum contra fratrem suum insurrexisset, veniam obtinuerit, lepræ tamen infectione, & septemdiali è Iudæorum castris exclusione, delictum illud eluere coacta fuit. Porrò cùm vniuersus simul Israelitici populi exercitus, paucissimis exceptis, Dominum offendisset, Moysis quidem interuentu culpæ eis venia concessa fuit, eâ tamen conditione, vt temporalem interim delicti illius pœnâ luerent. *Dimisi*, inquit Deus, *iuxta verbum tuum*, &c. *attamen omnes homines qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Ægypto, & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt Terram pro quâ iuraui patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam.*

2. Reg. 12.

Patet in duplici quoad Dauidem exemplo. 4. Reg. 24.

Quàm leuis vnius peccati punitio.

Idem quod in Dauide, ex Adamo patuit. Sap. 10.

Genes. 3.

Exod. 32.

Num. 12.

Num. 14.

Idem ex vniuersâ simul Israeliticâ plebe.

9. Fortean tibi, Caluine, & Caluinisequa, hæc è Scripturis prolata exempla haud integrè satisfacient, vt satisfactionem integrè credas; plura ergo dabimus: nec enim ita sumus indigi, vt, quin tibi os obstruamus, fat nobis Scripturarum desit; tu modò ausculta. Cùm & ipsi Moyses & Aaron, nescio quid humani passi, Deum offendissent, quáuis errati sui eos statim pœnituerit, & culpæ dimissionem impetrauerint, eâ interim pœnâ castigati sunt, vt neuter promissionis Terram ingredi potuerit: & statim Aaron, qui fortè amplius peccauerat, ex hac vitâ sublatus fuisse legitur. Cumque posteà Moyses rogasset Dominum,

Num. 20. *Item similiter in Moyse & Aarone.*

Deut. 3.

vt

vt hanc pœnam, quâ ab ingressu Terræ promissæ arcebatur, sibi condonare vellet; eâ de re in posterum silere iussus est, eò quòd Deus omnino hanc pœnitentiam ab eo impleri velit: proinde contigit, vt cùm iam extremos eius Terræ terminos attigisset populus Hebræorum, Moyses à Deo iussus sic ascendere in montem Abarim, & eminus saltem Terræ situm adspicere; ibi verò, vt ab ingressu excluderetur, naturæ debitū exoluere coactus fuerit. Ecce quantus iustitiæ diuinæ rigor. Adeò familiaris Deo Moyses fuerat, vt de illo Scriptura dicat, *Non surrexit vltrà Propheta in Israël sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciē;* & tamen cum eo Deus eâ in lege, quæ diuinæ Maiestati eius adeò est decretoria, dispensare noluit. Propheta quidam ob leue quoddā delictum à leone lacerari & occidi debuit, quin tamen ille erratuli istius veniam priùs tum expetierit tum impetrauerit, dubium non est, cùm eius iustitia à Scripturâ commendetur, idemque leo, qui iustitiæ diuinæ vindex fuerat, idem cadauer à volucribus & feris defenderit, donec quispiam adueniret qui illud terræ mandaret: quod euidens signum fuit, Prophetam illum non penitus à facie Domini fuisse abiectum. Ozias Rex, quia contra Dei mandatum alienæ messi falcem immiserat, & ea quæ Sacerdotalis erant muneris, laicus ipse, vsurpauerat, hanc ab Azariâ Sacerdote reprehensionem audiuit: *Non est tui officij, Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium. Egredere de Sanctuario, ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo.* Ideoq; leprâ percussus est à Deo; quo morbo, quamuis interim, vt nullatenus dubitatur peccati indulgentiam à Domino Deo obtinuerit, ad vitæ tamen finem vsque fœdari debuit. Iosias Rex iustissimus omnino & misericordissimus, Ægyptiorum gladio occidi debuit, quòd Isaiæ Prophetæ monitis, qui bellum contra Ægyptios dissuaserat, obtemperare detrectasset: quod ideò, vt S. Iustinus Martyr ait, à Domino Deo permissum est fieri, vt à peccatis omnino mundus euaderet.

Deuter. 32.
Deut. 34.
3. Regum 13 *Neq; minùs ex alio Prophetâ.*
2. Paral. 26. *Quin & ex Oziâ rege.*
Vt ex Rege quoq; Iosiâ. 2. Paral. 35.
Quæst. 79.

10. Percurramus etiam noui Testamenti paginas, è quibus tamen paucula eaq; præcipua seligamus. D. Paulus Apostolus, qui sanè maximæ apud Caluinianos, & meritò, est auctoritatis, ideò plures è fidelibus temporaliter punitos fuisse asserit, quòd non satis exactam curam adhibuissent, vt dignè factam Communionem susciperent. *Ideò,* inquit, *inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quòd si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* E quo loco congruè Doctores satisfactionis necessitatem adstruunt. Nam præterquam quòd, vti dictum est, hinc temporalis ad satisfaciendū pro delictis punitio comprobetur, etiam annotādum est, quòd homo sibipsi pœnitentiam imponere debeat, ne Deus id postmodum facere cogatur, vti alioqin futurum, Scripturæ & Patrum assertionibus hactenus euicimus. Accedat & hoc quod idem S. Paulus ait de incestuoso quodam Corinthio, iudicasse se *tradere huiusmodi satana in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi.* Hæc profectò verba (vt paulò de iis disseramus) non ad remissionem culpæ, sed ad pœnam aliquam temporalem, culpâ iam remissâ luendam, referri, planum est, tum ex eo quòd non per mortem, sed per pœnitentiam, mortalium peccatorum veniam consequamur; tum ex eo quod idem posteà Apostolus de eodem Corinthio scribit, inquiens: *Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in personâ Christi.* Quæ & ipsa verba culpæ veniam nullatenus spectant, vt quæ iam anteà condonata fuerat, vt patet non solùm ex eiusdem Corinthij contritione, & aliis D. Pauli quæ præcedunt verbis, sed & ex SS. Ioannis Chrysostomi, Theophylacti, aliorumque Interpretum sacrorum expositione; sed solummodò condonationem præfatæ pœnæ temporalis quæ illi Christi nomine fuerat imposita. Et verò, nec ipse Caluinus hoc negare ausus fuit, & illius in pestilentiæ cathedrâ successor Beza fatetur, rigoris huius remissionem posteà vocatam fuisse indulgentiam. Et quāuis negare voluissent, haud video qui potuissent, cùm ipsimet, licet falsò, sibi persuadeant, nullam operibus vim inesse ad culpam redimendam. Et cùm negare non possint, eiusmodi pœnas fuisse impositas, ne fateri cogātur eas loco satisfactionis alicuius fuisse, turpiter commenti sunt, pœnam illam temporalem non esse debitam nisi quoad externum Ecclesiæ iudicium, nimirum ob disciplinam & ædificationem. Sed confutantur hisce eiusdem Diui Apostoli verbis, si quidem maturè expendantur: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi.* Quid enim, quæso, aliud sibi volunt hæc verba, *vt spiritus saluus sit?* Quid sibi aliud vult sententia Christi nomine lata, nisi interpositam Christi Iesu auctoritatem, qui *non secundùm visionem oculorum iudicat, neque secundùm auditum aurium arguit, sed scrutātur corda & renes?* vel ipsum Christum hanc tulisse sententiam, eamque confirmasse, per S. Paulum, atq; inde vim habere, prout exposuerunt *a* Theodoretus, *b* Theophylactus, *c* Anselmus, aliique complures. Nec verò nomine indulgentiæ vel condonationis, ab Apostolo in Christi nomine concessæ, aliud quidpiam intelligi potest, quàm, pœnam illam iudicio Christi ac coram Deo fuisse debitam. de quo sic D. Anselmus: *Vt ratum ei cui donauit, ostenderet apud Deum, ait in personâ Christi se donasse quod donauit, id est, vice Christi, qui ait: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

1.Cor.11. *Probatur hoc ipsum in nouo Testamento.*
1. Cor. 5.
Speciatim ex tribus Apostoli locis.
2. Cor. 2.
In eum locum.
Inepta quoad præcedentia hæreticorum euasio.
1. Cor. 5.
Cui à nostris aptè respondetur.
Isaiæ 11.
a.b.c. In 2. Cor. 2.

11. Sufficiat quæ hactenus è Scripturis sacris produximus: adferemus iam, tędio Lectoris subleuando, nonnulla etiam exempla, è quibus videamus, necessarium omnino nobis esse, si cælum securi ingredi velimus, ipsum pœnitentiæ & satisfactionis exercitium. Vincentius itaque Beluacensis sic scribit: Anno Domini 1104. quidam Clericus de Vendoperâ, cùm studeret in Scholis apud Lugdunum, vidit visione noctis vallem sub monte, super quem ciuitas pulcherrima sita erat, cuius adspectus nimiùm delectabat intuentes, ita vt quisquis eam videret, de adspectu illius satiari non posset, & modis omnibus laboraret quomodo ad eam peruenire valeret. Intereà vidit fluuium quemdam sub pede montis:

Præsenti materia clarius explicandæ nonnulla exempla.
Lib. 25. c. 106

tis: quem dum circumiret quærens quomodo transmearet, vidit super ripam duodecim pauperes lauantes in flumine tunicas suas. Inter quos erat quidam veste candidissimâ indutus, aliis dissimilis, qui iuuabat alios in tunicarum suarum ablutione: qui postquam adiuuerat vnum, ibat posteà adiuuare alium. Tunc Clericus qui hoc videbat, accessit ad illum qui ceteros adiuuabat, & dixit: Quæ gens estis vos? Qui ait: Isti pauperes, homines sunt pœnitentiam agentes, & se à peccatis suis lauantes; & ego Filius Dei Iesus Christus, sine cuius auxilio nec isti nec alij possunt benefacere. Ciuitas hæc pulchra quam vides, Paradisus est, vbi ego maneo: & quando quis tunicam suam lauauerit, id est pœnitentiam peregerit, in illâ intrabit. Tu ipse satis diu quæsisti viam quâ itur ad illam, sed nulla alia via quàm ista ducit ad illam. His dictis Clericus à somno euigilauit, & mirari cœpit de visione. Cumque non multò pòst de scholâ rediisset in patriam, narrauit Episcopo Cabilonensi visionem hanc, cui familiaris erat: quâ auditâ Episcopus suasit ei vt sæculum relinqueret, & Religionem intraret, commendans ei super omnes Ordines nouellum illum Ordinem Cistertiensem. Ille venit Cistertium, & inuenit locum incultum & desertum, & Fratres inter bestias conuersantes. Ad portam verò Monasterij, quæ de vimine facta erat, pendebat malleus ferreus, cuius sonitu ad portam portarius compellabatur ab intrare volentibus. Hoc verò sonitu portarius vocatus, venit ad eum foras, & inclinans se salutauit eum. Quem Clericus intuens, statim recognouit eumdem vidisse inter eos qui tunicas in flumine lauabant: rogauitque eum vt duceret ad Abbatem. Abbas igitur & totus Conuentus venit ad eum, & recognouit Clericus omnes se vidisse tunicas suas in flumine lauantes; statimque cecidit ad Abbatis pedes, rogans cum lacrymis, vt susciperetur: qui susceptus, non multò pòst factus est Prior. Quàm igitur prudentes sunt hi, qui, vt securè ad cælestem gloriam perueniant, pœnitentiæ ac satisfactionis viam ingrediuntur. Et vt nulli dubium foret de pœnitentiæ ad cæli ingressum necessitate, ita diuersis Euangeliorum locis loqui dignatus est Christus: **Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Cùm autem intrauerit paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foras stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis. & respondens dicet vobis: Nescio vos vnde sitis. Tunc incipietis dicere: Manducauimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis: Nescio vos vnde sitis: discedite à me omnes operarij iniquitatis.** Vbi illi, quorum cura fuit comedere & bibere, à cælo ostenduntur exclusi, vtpote quòd non nisi pœnitentibus, & hic pro suis peccatis satisfacientibus, id aperiatur. Quamobrem idem ipse Saluator sic loquitur: *Hæc est enim Lex & Prophetæ. Intrate per angustam portam: quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrãt per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam; & pauci sunt qui inueniũt eam.* Profectò enim *regnum cælorũ vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Prudẽtissime igitur sibi cõsuluerunt & consulunt, qui (siue iusti sint siue peccatores) seipsos pœnitẽtialibus adeoq; satisfactoriis operibus & exercitiis addixerunt & addicunt. Exẽpla vtrorũq; cape.

Nemo nisi lauantes sua vestimenta per pœnitentiam cælum ingredi possunt.

Pœnitentia est necessaria ad cæli ingressum.

Lucæ 13.

Varijs id ex Euangelio locis ostenditur.

Math. 7.

Ibid. cap. 11.

Inter Sanctos & iustos vtique recenseri debet ille Sisois, qui tametsi adeò esset perfectus, vt pro animâ eius in cælestem gloriam deducendâ Christus Dominus cum Sanctis suis adesse voluerit, vitam sibi prolongari petiit, vt in pœnitentiæ operibus se exerceret posset. En eius historiã. 12.

Abbas Sisois sedens in cellâ, semper claudebat ostium suum. Dicebatur autem de ipso, quoniam in die dormitionis suæ, cùm sederent circa eum Patres, resplenduit tamquam Sol facies eius, & dixit ad eos: Ecce Abbas Antonius venit. Et post pusillum rursum dixit eis: Ecce chorus Prophetarum venit. Et iterùm ampliùs facies eius resplenduit, & dixit: Ecce chorus Apostolorum venit. Et dupliciter refulsit adhuc facies eius, & ecce ipse quasi cum aliquibus loquebatur. Deprecati sunt autem senes illum, dicentes: Cum quo loqueris, Pater? Qui dixit eis: Ecce Angeli venerunt accipere me, & rogo vt dimittar pœnitere modicum. Dicunt ei seniores: Non indiges pœnitentiâ, Pater. Dixit autem illis: Verè nescio meipsum vel initium pœnitentiæ arripuisse. Et cognouerunt omnes, quia perfectus esset. Et rursum subitò facta est facies eius sicut Sol, & timuerunt omnes. Dixit autem eis: Videte, ecce Dominus venit, dicens: Afferte mihi vas electionis eremi. Et continuò reddidit spiritum, & factus est sicut fulgur, & repletus est totus locus ille odore suauitatis. Sed & pœnitentia virorum iustorum iniquos à viâ prauâ ad probitatem, imò à statu peccati ad pœnitentiam ipsam agendam haud rarò adducit, cuius rei hoc exemplum habe. *In quadam regione quidam princeps latronum habitabat, qui tantæ malitiæ & tantæ ferocitatis fuit, vt omnes transeuntes iugularet. Hoc autem audiens quidam sanctus Abbas, cum bono equo & cum bonis indumentis ad locum in quo morabatur perrexit. Et captus, statim ductus est ad principem latronum. Et cùm interrogasset eum quid vellet; respondit latro: Equum & vestes vestras. Tunc Abbas: Iustum est hoc quod petis, quia ista Dei sunt & cõmunia; & ideò cùm multis annis fuerim vsus, iustum est vt & tu vtaris. Sed volo vt dicatis mihi quid facietis de eis. Respondit latro: Vendemus, & ememus nobis victui necessaria. Tunc Abbas: Fili, quare cum tanto labore & periculo quæritis victum & vestitum vestrum? venite mecum, & necessaria vobis ministrabo. Cumq; ille renueret, ex eo quòd non posset comedere fabas; dixit Abbas: Dabo tibi carnes, & pisces, vinum electum, & panem, & lectum optimum, & ideò sequere me. Qui acquiescens, dum esset in monasterio, statuit ei seruitorem, qui quotidie ministraret omnia præmissa. Et pòst dum latro comederet, Monachus coram illo, in præsentiaq; illius, de mandato Abbatis in terrâ sedens comedebat panem & aquam. Et requisiuit latro causam tantæ pœnitentiæ. Num, inquiens, homicidium fecisti, aut in fornicatione vixisti, vt tam grauiter pæniteas? Tunc stupens & tremens monachus, Absit, inquit, à me vt hominem occiderim, aut vmquam carnem meam luxuriâ fœdauerim, quoniam in hoc monasterio ab ineunte meâ ætate conuersatus sum: sed ideò hanc pœnitentiam facio, vt habeã Deum propitium in morte. Tunc latro compunctus cum contritione dixit: Ego miser infelix, qui tot furta, tot homicidia, tot adulteria, tot sacrilegia feci, numquam ieiunaui, quomodo ergo Deum propitium habebo? Et prouolutus cum lacrymis ad pedes Abbatis, sic se afflixit in pœnitentiis, vt omnes in abstinentiâ superaret.* Cuiusdam denique alterius latronis heroico facto ostendemus, qualiter malorum etiam conscientia ad hic pro peccatis faciendam pœnitentiam euadendamque futuri sæculi multò acerbiorem punitio-

Rosweydus pagina 653, b

Sisois cùm in morte ab Angelis quæritur pœnitentiam agere desiderat.

Spec. Exempl. tit. Conuersio, Exemplo 33.

Mira ad latronis conuersionem sagacitas.

Ad Monachi pœnitentiam latro conuertitur.

Insigne latronis exemplum qui se crudelissimè torquere voluit ante mortem.

punitionem, nonnumquam instiget ne dicam cogat. *Quidam in Teutonia*, inquit Thomas Cantipratanus, *multis rapinis & cædibus per patriam debacchatus, captus, & ad decollandum positus, petiuit à Iudice, & obtinuit tempus prolixius pænitentiæ. Et mox adstanti iuueni consobrino ait: Si verè meus amicus es, cooperator esto mihi misero in salutem. Affer obsecro instrumentum ferreum, quod dextrix dicitur, quo feminæ subtiliant linum suum. Quod vt factum est, dixit iuueni: Successiue mihi manus, vlnas, brachia vsque ad humeros; pedes verò, & tibias, & crura vsque ad nates; posteà genitalia, aures, oculos, nasum, labia, caput autem ad vltimum amputabis. Iuuene igitur, etsi cum dolore, quod rogatus fuerat exequente, pænitens ipse vnumquodque membrum, antequam cruciaretur, instrumenti ferrei dentibus per inflexiones multiplices & perualidas diutiùs affligebat, dicens: Hic pœnam vestram pro parte, vilissima membra, suscipite, quibus actu nefario scelera perpetraui, & Deū creatorem ac redemptorem meum offendi. Extremo igitur post omnem pœnam trunco corporis cum solo capite superstite, hilari vultu dixit: O vtinam tormentum istud, quod respectu scelerum meorum paruum sustinui, reiterare semel, iterùm ac tertiò liceret mihi miserrimo, & in eo diutiùs cruciari. Et hoc dicens, orat cum lacrymis populum circumstantem se, quatenus sibi misero in eleemosynis pauperum, & orationibus subuenirent. His dictis, extendit caput, & mox à iuuene decollatur.* Dictamen igitur conscientiæ tam peccatores quàm iustos instruxit, necessariam esse pro offensis in Deum commissis satisfactionem: cui quia & SS. Patres & Scripturæ, vt superiùs iam vidimus, consentiunt, iam ad penitiorem Indulgentiarum pertractationem nos accingimus.

Lib. 2 Apū, c. 51. part. 5.

Quantus in verè hocce pænitente animus.

CAPVT XXVII.

Ex abundantissimis Christi & Sanctorum meritis infinitus in Ecclesiâ Catholicâ accrescit thesaurus.

I. NON defuerunt antiquitus inter Scholasticos, qui tametsi Indulgentias admitterent, de Ecclesiæ tamen thesauro dubitarent. Fuerunt inter eos hi duo præcipui, Franciscus Maronis & Durandus: quorum ille thesaurum satisfactionum Christi in dubium vocauit, hic verò in quæstionem vertit, an ad hunc thesaurum pertineant satisfactiones Sanctorum; vterque tamen paratus erat iudicio Ecclesiæ stare, eiusque definitioni acquiescere. nam & id ex Maironis scriptis satis colligere est, & Durandi verba hæc sunt: *Et quoniam interpretatio dubiorum sacræ Scripturæ ad sanctam Ecclesiam Romanam & Catholicam pertinet, omnia Opera, eius correctioni totaliter suppono.* Ceterùm aliorum Theologorum tum recentiorum tum antiquorum, vt S. Thomæ Aquinatis, S. Bonauenturæ, & aliorum, constans est sententia, thesaurum satisfactionum tum Christi tum Sanctorum in Ecclesiâ Dei existere. Secundùm quam veritatis agnitionem etiam Clemens VI. Pont. Max. paulò post obitum Maironis & Durandi edidit decretum in Constit. quæ incipit, Vnigenitus. vnde Catholicis hac de re non superest vllum dubium, id quod & ex pluribus probari potest. Ad quod Primò notandum est, quod etiam suprà ex Doctoribus probatum fuit, inueniri valorem & pretium meriti & satisfactionis, quæ, vt vidimus, ab inuicem seiungi possunt, nec sese mutuò vel tollunt vel impediunt, quemadmodum tum ex S. Scripturâ tum ex SS. Patribus manifestissimè constat, præsertim quoad orationem, ieiunium, & eleemosynam in specie, & quoad singula pœnitentiæ opera in genere. Circa Patrum auctoritatem haud multâ probatione opus est, cùm vel eorum loco Scholasticos Doctores inspexisse sufficiat, de quibus iam suprà Capite XIII. egimus. At Scripturas ipsas docere, in bono opere meritum & satisfactionem reperiri, vt hæreticorum cauillationibus occurramus, iam nobis probandum incumbit.

In 4. dist. 19. q. 1. In 4. dist. 20. q. 3.

In præfat. Comment. in Magistrum.

Indubitatū apud Catholicos extare in Ecclesiā Indulgentiarum thesaurum.

Quid vt hoc clarius intelligatur probandum.

De oratione ergo dici potest quòd peccata dimittat, vt præter varia Scripturæ loca ab ipso Christo Domino edocti sumus, cum quo quotidie recitamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* quod sanè petere Saluator non docuisset, nisi spes fuisset illud impetrandi. Et tamen idem Dominus asseruit eodem in loco, mercedem ei orationi à Deo esse reddendam, cùm ait: *Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* De ieiunio idem dicendum venit: quia cùm sit satisfactorium, vtpote pœnale, peccatorum remissionem impetrat, prout videre fuit in facto Niniuitarum; insuper etiam est meritorium; si fiat ex charitate. Quoniam, vt ait Saluator, *cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo qui est in abscondito: & Pater tuus, qui est in abscondito, reddet tibi.* Quid autem reddet, nisi mercedem? sic enim paulò antè de hypocritis dicitur, qui cupiunt videri ab hominibus ieiunantes, *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Idipsum pariter euidens est in eleëmosynâ: illa enim inprimis delet peccatum, quod est esse satisfactorium. Audi Tobiam. *Eleemosyna*, inquit, *ab omni peccato & à morte liberat.* Quæ & mens fuit alterius Scriptoris sacri, dum ita inquit: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleëmosyna resistit peccatis.* Pulchrum est illud S. Ioannis Chrysostomi: *Non est peccatum, quod non possit purgari eleëmosynâ.* vt & illud S. Cypriani: *Eleemosynis atque operibus iustis delictorum flamma sopitur.* Et tamen eadem eleëmosyna, quia est opus bonum & Deo gratum, meritoria est vitæ æternæ, vt perspicuum est ex Matthæo, vbi hæc leguntur: *Percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.* Idem denique generatim de omnibus pœnitentiæ operibus statuendum est, ea nimirum æquè esse satisfactoria & meritoria: quod cùm pluribus demonstrari possit, nec tamen opus sit, vnicâ, quæ de hac re occurrit, memorabili S. Cypriani sententiâ contenti erimus. Ea verò hæc est: *Qui sic Deo satisfecerit, qui pænitentiâ facti sui, qui pudore delicti plus & virtutis & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus,*

2.

Matth. 6.

Oratio satisfactoria simul & meritoria.

Prout & ieiunium.

Ionæ vlt. Matth. 6.

Itemque eleemosyna.

Tob. 4.

Eccli. 9.

Homil. 15. in Acta.

Serm. de Eleē mos.

Matth. 25.

Quod & de vniuersis generatim operibus pœnitentiæ iudicandum.

Serm. de Lapsis, in fine.

auditus, & aditus à Domino, quam contristauerat nuper, lætam facit Ecclesiam; nec iam solam Dei veniam merebitur, sed coronam. Hæc S. Cyprianus. Quibus addi possent plures ex principiis Theologicis deductæ rationes, sed illæ apud Card. Bellarminum & alios facilè videri poterunt, præcipuè in Tractatibus de Indulgentiis, è quibus & præcedentium ferè substantiam hausimus; in proposito nostro pergimus.

3. *Satisfactio operum nostrorum aliis communicabilis.*

Quamquam igitur indubitatum sit apud Auctores Catholicos, de proprio nullum meritum alteri communicari posse, secùs tamen se res habet quoad satisfactionem, quia illa nimirum aliis etiã seruire ac conferri potest, prout sequenti Capite præcipuè videri poterit. Sed vt meliori ordine progrediamur, ostensum priùs voluimus, quantæ Sanctorum ac Christi satisfactiones sint, quibus cùm pro seipsis non indiguerint, alios, illarum inopes qui sunt, earum faciunt participes: quod sicuti ipsa Scriptura, ita & Ecclesia ad oculum probat. In Scripturâ hoc inprimis certum est, Prophetas fuisse viros sanctissimos, ita vt modicâ omnino pro leuissimis suis culpis, quas habere poterant, opus haberent satisfactiõne: quo tamen haud obstante, tot ipsi angustiis & afflictionibus oppressi fuerunt, vt plurima eaque maxima peccata expiare potuerint. *Scriptura asserit viros sanctissimos mirè sese in pœnitentiâ exercuisse.* De Ieremiâ Prophetâ affirmauit Deus: *Priusquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vuluâ, sanctificaui te.* & tamen quanta vir iste purissimus sustinuerit, nemo qui eius gesta percurrerit, ignorat. *Quid sustinuerit S. Ieremias.* Plenæ sanè sunt eius Lamentationes iustis querelis: vt propterea, cùm sibi vel parum vel nihil haberet quod satisfaceret, aliis maximopere profuisse censendus sit. De Iob dictum est quòd esset vir simplex & rectus, timẽs Deum, & recedens à malo; & tamen ille ipse sic ait: (Iob. 6.) *Vtinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera: quasi arena maris hæc grauior appareret.* Similia dicere potuissent Elias, Eliseus, Isaias, & alij, qui tametsi essent reuerà sanctissimi, rigidissimas tamen pœnitentias subierunt, vel etiam grauissimas persecutiones ab impiis, imò cædes & lanienas quandoque pertulerunt. De iis enim ita scribit Apostolus: (*Alij.* Hebr. 11.) *Ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ.* Quos tamen vniuersos vti innocentiâ ita & pœnitentiâ præcedit Prophetarum maximus, adeoque plusquam Propheta, Diuus Ioannes Baptista, Christi Saluatoris nostri Præcursor, qui (Luc. 1.) & in vtero materno sanctificatus fuit, & Spiritu sancto repletus, & vix leuissimis defectibus & paucissimis delictis (si tamen fuit) obnoxius fuit. *Quàm sanctus extiterit Christi Præcursor.* Vnde de illo meritò in eius Festo natali canit Ecclesia:

Antra deserti teneris sub annis,
Ciuium turmas fugiens, petisti,
Ne leui saltem maculare vitam
Famine posses.

Ex quo satis colligitur eum vix verbo offendisse. Et Sanctus Lucas Euangelista de illo sic ait: *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu: & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israël*, id est, vsque ad annum ætatis suæ trigesimum, quo tempore, præterquam quod paucissimas admiserit imperfectiones, vtpote ab omni peccandi occasione ac humanâ conuersatione semotus, duram omnino egit pœnitentiam, *Et tamen quàm seuerè vixerit.* vt ex S. Matthæo satis liquet, vbi legitur: (Matth. 3.) *Ipse autem habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erat locustæ, & mel siluestre.* Iterum: (Cap. 11.) *Venit Ioannes neque manducans neque bibens.* vt propterea in dubium reuocari non possit, quin ingens omnino cumulus meritorum ei superfuerit, quo ipse ad expianda delicta propria non indigebat. His iam adiungamus Apostolos, ex quorum laboribus & passionibus manifestissimè demonstrari potest thesauri Ecclesiæ quoad satisfactiones admirabile incrementum. Ex pluribus ad id stabiliendum vnicum in D. Paulo exemplum satis erit. is enim de se sic ait: (2. Cor. 11.) *Ministri Christi sunt (vt minus sapiens dico) plus ego.* notate quæso verba: *in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas, vnâ minus, accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore, & ærumnâ, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate, præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* *Quanta perpessus sit D. Paulus.* hæc ille. Et tamen quàm parum pro suis culpis satisfaciendum haberet, idem satis ostendit, cùm alibi ait: (1. Cor. 4.) *Nihil mihi conscius sum.* &: (2. Cor. 1.) *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei; & non in sapientiâ carnali, sed in gratiâ Dei conuersati sumus in hoc mundo.* Porrò de omnibus Apostolis simul idem D. Paulus ait: (1. Cor. 4.) *Puto quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos autem stulti propter Christum.* & paulò pòst: *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus, operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus; blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc.* *Item alij Apostoli.* ita meritò ille. Et tamen certissimum est, eosdem Apostolos viros fuisse sanctissimos, Spiritu sancto plenos, atque adeò in gratiâ confirmatos: vt proinde non exiguum fructum Ecclesia ab illis pro suo thesauro fuerit consecuta.

4. *Quàm ingens Martyrum sit meritum.*

Ad Martyres nunc veniamus: & hi tormentorum suorum triumphis ingentia spolia in publicum illud fidelium ærarium contulerunt. Constat enim, martyrium tam plenam satisfactionem causare, vt expiare valeat reatum ex quantumuis ingenti numero ac quantitate pecca-

peccatorum. Nam, dummodò constet aliquem verè esse martyrem, Ecclesia adeò non dubitat de eius pietate, vt etiam Sanctis & Beatis eumdem accenseat, etiamsi fortè ante martyrium quamplurimis flagitiis fuerit obnoxius. Promissio siquidem illa Christi, *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Et: *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam*, generalis est. Quapropter sanctissimus Martyr & Doctor Cyprianus affirmat, Martyres omnes statim à morte cælum conscendere ad æternæ gloriæ coronam percipiendam. Diuus inde Augustinus ait, in Ecclesiâ pro Martyribus non esse orandum, cùm nosipsos potiùs eorum debeamus orationibus commendare; & alibi, *Iniuriam*, inquit, *facit Martyri qui orat pro Martyre.* Quod idem scribit Innocentius, nec vllus Catholicorum addubitat. Quandoquidem igitur martyrium omnem reatum, quantumuis grauissimum, expiare possit; & multi Martyres aut culpas tantùm leuissimas aut potiùs nullas habuerint, maximè sub ipso puncto martyrij, quando scilicet tantâ in Deum charitate absorpti erant; vtique sequitur, immensum quodammodò cumulum Ecclesiæ accedere debuisse ex Martyrum eorumdem, de tormentis superatis, actis triumphis. Quod vt tantò luculentiùs ab vnoquoque videri possit, non absque consilio Martyrum aliquot velut exercitus hîc recensere voluimus: fuerunt enim ij non merito tantùm suo, sed etiam numero propemodum infiniti. numerantur enim plura millia Martyrum Carthaginensium, Cæsaraugustanorum, Treuirensium, Palæstinorum, Alexandrinorum, Antiochenorum, Africanorum sub Seuero 6. Ianuarij, Africanorum sub Geiserico 18. Februarij, Alexandrinorum sub Arianis 28. Ianuarij, Alexandrinorum item sub Valeriano 11. Martij, item aliorum sub eodem 10. Augusti, Antiochenorum sub Maximino 11. Martij, prætereà millia aliquot Tyriorũ 20. Februarij, Thebæorum 28. Iulij, Persarum 22. Aprilis & 8. Februarij, Romanorum plurimorum sub Decio 2. Ianuarij, sub Alexandro 2. Martij, & sic de aliis sub diuersis tyrannis, vti etiam Bulgari, Cappadoces, Constantinopolitani, Numidæ, Pontij, Homeritæ & Arabes, quos passim videre est in Martyrologiis. At si designatum aliquem numerum quis desideret, notet S. Iæ 9000. socios esse, S. Zenonis 10203. S. Iuliani 9000. S. Mauritij 6666. S. Vrsulæ 11000. crucifixorum 1000. Romanorum 17000. Nicomediensium semel 10000. aliâ vice 20000. imò aliquando tota simul vrbs, sicut & alia quædam Phrygiæ ciuitas, duce S. Adactô, pro Christo sanguinem suum fudit. Quin si Carmelitarum Chronicis fides habeatur, inuenientur in illo solo Ordine vnâ vice simul 12000. Martyrum extitisse; aliâ verò, cùm Terra sancta à Mahometanis vi interciperetur, vtriusque sexûs occisa fuisse circiter 145000. de quibus videri possunt Ordinis Chronica, & Historia Tolosana.

Math. 10.

Li. 4. Epist. 2.

Tract. 84. in Ioan.

Serm. 17. de Verbis Apostol.

Cap. Cùm Marthæ. de Celebr. Missar.

Sibi minimè satisfactione indigebant.

Ingentes fuere Martyrum exercitus.

Etiam inter Carmelitas.

5. Hinc iam concludimus, ex tot Martyribus, (vt silentio prætereamus illos qui postmodum in variis mundi partibus pro Christi nomine occisi sunt) infinitum omnino thesauri Ecclesiastici aggregari cumulum. Cui si & Confessorum pœnitentiæ, & purissimarum virginum satisfactoria opera accesserint, incredibiles thesauri illius diuitiæ euadent. Quantum enim spectat ad Pontifices & Confessores, Monachos & Eremitas; certum est, eos ipsos qui inter hos sanctitate floruerunt, non multa habuisse quæ pœnitentiâ expurgarent, habuisse autem plurima, in quibus satisfactiones suas aliis accumularent. Quàm parum peccauerat S. Paulus primus Eremita, vt qui anno ætatis suę decimo quinto eremum ingressus, & cum hominibus vix vmquam aut conuersatus, nedũ contaminatus fuerit: quantam tamen idẽ pœnitentiæ messem collegit, vbi centum propemodum annis in austeritate maximâ vitam peregit, non alio vsus aut victu aut vestitu, quàm quẽ palma præberet? Quid de S. Antonio dicendum, qui ab adolescentiâ suâ vsque ad annum ætatis 105. humano velut omni solatio orbatus, diabolico impetu toties oppugnatus, in proprium corpus tam strictè & crudeliter armatus, ex omnibus felicissimè victor euasit, atque tot in summâ abstinentiâ annis exactis, plura indigentibus Christianis media per suas satisfactiones aggregauit. Quid non hac in causâ acquisiuit Onuphrius? quid non Simeon Stilites? quorum ille annos ampliùs septuaginta in deserto inter feras, nulli mortalium cognitus, rigidissimam egit pœnitentiam, herbarum radicibus ac foliis arborum victitans, in cauernis & speluncis corpus reclinans, ita capillorum suorum per totum corpus diffusione factus hirsutus, vt feræ potiùs quàm hominis speciem præ se ferret: hic verò per Quadragesimas integras, viginti octo annis, omni abstinens cibo, annis etiam pluribus sub dio, in pluuiâ & Sole, hieme atque æstate, perstitit in columnâ. O si liceret aliorum hîc Eremitarum rigores adferre! Rigida nimis est Capitis huius breuitas, quæ nos ad alia auocat, & linguæ calamoque nostro frenum inijcit, ne effari possit qualiter Paulus Venetus multis temporibus habitauerit in sepulchro, Henricus Eremita veste indui ferreâ solitus fuerit; Theodorus cruce onerari consueuerit, ac pedicas semper gestare gestierit; Guilielmus Aquitanicus armatus, galeaque & loricâ onustus permanere, Dominicus verò loricatus tergum suum, non secùs ac ferreum, ferreis cædere soleret flagellis. Hæc, inquam, omnia omittenda sunt, vt & illud, præ aliis omnibus summopere admirandum, quòd Zoërardus concauâ in arbore, vndique ferreis acuminibus intus armatâ, se cum opprimente somno in conflictum commiserit, vt vel naturam suam ita constitutus superaret, nec somnus orationem interrumperet; vel si vinceret somnus, & natura corpus ad quietem deposceret, cruentaretur corpus, & natura non tam vinceret, quàm inuita somnum sopiret.

Austerissima fuere Confessorũ nonnullorum pœnitentia:

Quorum mirabilia nonnullorum recensentur exempla;

Eaq́; vt apparet, incredibilia.

6. A castissimis etiam virginibus multum admodum thesauro huic accessit, vtpote quæ in carne humanâ Angelis puritate non inferiores, mirabiles admodum de carne propriâ victorias pararunt, austeritates etiam & eleemosynas in commune istud patrimonium reposuerunt: quibus si cõtinuas earũ adiungas orationes, ac eminentem cum Christo sponso suo familiaritatem, non familiaria aliis hominibus bona ab eisdem thesauro isti

Virgines sacræ quãtũ Ecclesiæ thesaurum intulerint.

isti adiecta esse censenda erunt. Inter Virgines tamen Virgo virginum & Saluatoris nostri Mater primum obtinet locum, vt nec virgines tantùm, sed & Sanctos alios omnes absque vllâ comparatione quàm longissimè præcedat, quemadmodum satis patuit ex suprà Capitibus IX. X. & XI. relatis; vnde hìc eadem repetere superuacaneum foret: & si cui fortè affectus esset eadem denuò perlegendi, notata loca adire nullo negotio poterit. Atque hæc sunt quæ generatim & velut compendio de singulis Sanctorum ordinibus, quoad satisfactionũ abundantiam, dicenda putauimus. Strictè verò ideò illa percurrimus, vt vno quasi intuitu, quantũ vndequaque ad diuitiarum Ecclesiasticarum cumulum accesserit conspiciamus. Iuuat tamen, non tam vt assertionẽ nostram constabiliamus, quàm vel maximè vt omnes intelligant, quàm prouidè atque vtiliter Spiritus sanctus tot ac tam varios Religiosos Ordines (quia, vt & hoc obiter moneamus, non desunt hæretici, vt & politico-Catholici, qui Ordinum Religiosorum multiplicationem nimisquam improbant, & ad quid otiosum istud & ignauum hominum genus conducat, calumniari non verentur) in Ecclesiâ instituerit, quantum ab iisdem quotidie ad hunc thesaurum diuitiarum apponatur, sigillatim pauloq; articulatiùs explicare.

De Beatissimâ Deiparâ Virgine sufficienter suprà dictum.

Vt hac materia clarior fiat, de singularum Religionum meritis fusè agitur.

7. Sed ne diffusiùs quàm conueniat procedamus, aliquot seligemus Auctores, quorũ etiamsi compendiosa, exacta tamen est tractatio, qui nimirum de materiâ hac ad perpetuandam Religionum omnium laudem, laudabilissimè scripsere. Et quidem ex sacratâ sancti Dominici familiâ Doctor quidam Theologus haud ignobilis in ipso limine sese conspicuum offert, qui ab ipsâ, quam D. Antonius in Ægypto Monachorum societatem instituit, sumens exordium, Vinea, inquit, illa tibi primò occurrit (vt modò alias etiam ab ipsis Apostolorum temporibus exortas, inter quas à nonnullis Carmelitæ & Regulares Clerici recensentur, de quibus infrà, omittamus) famosa, & per omnes gentes diffamata in Ægypto, plantata à magno illo Antonio opportunè à diuinâ prouidentiâ destinato, cùm Arriana lues peruaserat Orientem. In ipsâ ad capiẽdas vulpes, quæ demoliuntur vineas, fixa sunt Pastorum tabernacula plena diuinis choris psallentium, legentium, orantium, vt, si quis, vt scribit Chrysostomus, ad Ægypti veniat solitudines, paradiso quouis omnem illam videbit Eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus. Pallebant siquidem ora ieiuniis, macies corpus attenuabat, dies cum noctibus iungebat oratio, lacrymæ peccata abluebant, aduersus instructas dæmonum & vitiorum acies omnes virtutum copias disponebant, vt quicumque inuias illas solitudines, aut latentes Eremi latebras penetrassent, solas vineæ istius emissiones, hoc est, exteriora quæ oculis carnis videri poterant exempla, paradisum indicare prospexissent. Quid si pomorum fructus, qui intrinsecus latebant in corde, videre licuisset? Adeò autem Antonij palmes excreuit, vt nedum in Palæstinam, Syriam, Asiam Minorem, Cappadociam, Pontum, Armeniam, Mesopotamiam, Boreales regiones; sed in Bassos & Dacos extenderentur. Inde quoque tamquam fecundæ propagines pullularunt, Hilarion, Macarius, Ioannes, Ammõ, Pachomius, in quibus sunt innouata antiqua miracula Prophetarum & Apostolorum. Horum omnium Sanctorum filij, sicut palmites adeò creuerunt, vt & patres populorum effici mererentur: nam ex Athanasio ij Cœnobitæ populis præficiebantur aduersus Arrianos hæreticos & Meletianos schismaticos, quos ceteris moribus & vitâ præstare noscebant. Quorum nonnulli, vt ora nostra viuido fructus sui sapore condirent; ipsi quoque, vt botri vineæ, sub torcularibus premi, & pro Christo pati non formidarent. Quare nedum ficus protulit grossos suos, dum Ægyptus & Thebaida martyres præmisit ad regnum, sed & vineæ florentes dederunt odorem suum; quando (vt dicit Bernardus) adhuc in cordibus fidelium effusi eius sanguinis recenti memoriâ hanc vitam eligentibus, paupertatem spiritus sectantibus in spiritualibus exercitiis, altero in alterum zelantibus, deserta repleta sunt. Vnde & quamplures sanctæ conuersationis huius reipublicæ Consulares viros, egregia nomina, in ciuitate Dei nobiles, & triumphales titulos obtinuerunt de victoriâ huius sæculi, & principis huius mundi, & corporis sui, de cultu animi & Domini Dei sui. O vineam illustrem, cui flos opus, odor opinio est, fructus martyrium, fructus illius vitis de qua legimus, *Ego sum vitis*, &c. & illius vuæ, quæ torculari passionis expressâ mustum pretiosum rubens, & vinum meracissimum effudit, vt Christi Domini, & Martyrum cruore, Ecclesiæ torcularia redundarent.

De Ordine primùm D. Antonij.

Quot Ordo ille Prouincias peruaserit.

Epist. ad Dracont.

Idem Apol. pro fuga sua.

Ad Fratres de Monte Dei, cap. 1.

Martyrum hac in vite vuæ inuentæ sunt.

Libet pausare in hac vite, vt rursus auidiùs iter arripiamus. Familiam verò aliam instar Ægyptiæ fundauit Basilius, dum, vt dicit Nazianzenus, *pietatis gymnasia & Monasteria extruxit*, quæ per vniuersam Cappadociam, Pontum, Minorem Armeniam, Paphlagoniam, longè lateque propagauit, & homines procul à communi viuendi ratione segregatos in compositum ordinem redegit, & salutaribus præceptis instituit, vt Gregorius XIII. Apostolicis litteris testatur. Quamobrem, vt subdit Nazianzenus, *Monachorum Cœnobia haud procul ab iis, qui in hominum societate viuunt, ædificari iussit, nec oratio separauit, vt ex propinquitate, cùm opus charitatis exposceret, adesse possent, dissiti alioquin propriis terminis, ne quis eorum interrumpi per multitudinem posset, nec ipsi Monachi, actionis merito, quod ex impendendâ aliis charitate existeret, priuarentur: neque rursus eorum actio per tumultus inutilis efficeretur, & alter alterũ hoc modo iuuare posset, vt Monachorum vita, per conuersationem eorum qui in Conuentu viuunt, fructuosa fieret, & ipsi à Monachis quietem, sapientiam, contemplationemq; discerent.* Horum munus, nunc sacras euoluere paginas, nunc fidei mysteria religiosè rimari, nunc Christi Domini recogitare labores & cruciatus; nunc inextinguibilem ignem, & immortalem vermem attendere, nunc ad Beatorum gloriam mentis aciem dirigendo, præ dulcedine Dei & amore domus eius in dulcissimas lacrymas solui; nunc de salute trepidantes & anxij pallere, trepidare, artubus contremiscere. Nihil illis disciplinâ regulari & seueritate iucundius, nihil iucunditate seuerius, nihil suauitate tristius, nihil tristitiâ suauius. Sic pallor genas tingebat, vt cùm abstinentiam indicaret, ostentationem effugaret. Sermo illis

8\.

De Religione D. Basilij.

Oratione in Laudem Basilij.

In Bul. tom. 2.

Pulchrum S. Nazianzeni encomium.

Qualia fuerint Basilianorũ officia.

illis silens, & silentium loquax: idem semper habitus & abiectus. hoc vno seruato, cetera omnia proculcabant. tales vidisses, quales ipsemet Basilius descripsit, nempe *pietatis studiosos, qui mundo renuntiauerint, & vniuersis sæculi istius curis, quas Dominus comparat spinis fertilitatem verbi impedientibus; mortificationem Iesu in corpore circumferentes, ac cruce quisq; acceptâ Deum sequentes.* Quod autem recepit fertilis ista terra semen bonum, centesimo reddidit incremento: talem enim Ordinem S. Basilius instituit, tales operarios, qui, vt Gregorius XIII. Summus Pontifex testatur, perpetuâ futurorum temporum successione verbo & opere à se instructi Deum confiterentur, Catholicæque Ecclesiæ ornamento essent, atque in dubiis rebus adiumento, qui vitæ sanctitate & doctrinâ insignes, toto terrarũ orbe, maximè verò in Asiâ, Palæstinâ, Thraciâ, Græciâ & Italiâ multis sæculis floruerunt. Nec floruit solùm virtutum odoribus Basiliana vinea, sed & vino quoq; torcularia redundarũt, cùm sub Valentis persecutione omnis ætas, sexus, conditio, Clericorum maximè & Monachorum pro Christo pati meruerunt. Vnde vidisses in tali conflictu, vt idem dicit Nazianzenus, *deflagrantes impios, & nefarios belli duces non Persas superantes, non Scytas in ditionem redigentes, non aliam quamdam Barbaram gentem repurgantes, sed Ecclesiis bellum inferentes, in altaribus saltitantes, & incruenta sacrificia, hominum & victimarum cruore fœdantes, & Virginum pudorem per summam contumeliam violantes.* Mitto nunc recensere innumeros Martyres, quos in diuersis suppliciorum generibus cõstantissimos inuentos, prætereundos iudicaui, ne prolixitate Lectori tædium adferam: quod facilè fieret, cùm ipsa rerum copia etiam scribentem defatiget, rerumque diuersitas mentem confundat, & antiquata & vulgata argumenta, quantumuis nouâ narratione refricentur, legentem fastidiant.

Epist. ad Neocæsar. — *Suprà.* — *Qualia & martyria.* — *Suprà.* — *Non recensetur sine tædio horum Martyrum numerus.*

9. Sed quin ad Religiones Meridianas describẽdas accedimus? Certè sanctissimus Ecclesiæ Doctor Augustinus in Africâ duplicem eamque toti Christiano orbi vtilissimam Religionẽ fundauit, seu potiùs sub nouâ à se traditâ Regulâ in meliorem formam redegit, Monachorum vna est, altera Clericorum; illam ad contemplationem, istam etiam ad actionem ordinauit. De Monachis infrà, cùm de Ordinibus Mendicantibus sermo instituetur, acturus, de Canonicis modò Regularibus, quorum gloriâ ac laude orbis vniuersus plenus est, aliquid, licet præ rei ac meriti exigentiâ sit futurum exiguum, dicere statui. Est igitur dignum illud Canonicis Regularibus elogium, quòd ab ipsis primùm Apostolis Christi fuerint instituti, ac deinde aureâ D. Aurelij Augustini Regulâ sublimati. Vincentius Bellouacẽsis, *Ordo*, inquit, *Canonicorum, qui primò ab Apostolis, posteà à S. Augustino fuit institutus, cœpit florere in Ecclesiâ S. Quintini Bellouacensis, sub Ven. Iuone eiusdem Ecclesiæ Præposito.* Alij eiusdem veritatis assertores plurimi sunt, prout & hoc ipsum varia apud ipsos Canonicos Regulares monimenta testantur; nos antiquâ vnâ, quæ in Fusionario illorum Monasterio remansit, memoriâ contenti erimus, cuius sunt verba: *Saluatori Christo ac sanctissimæ Matri Mariæ Canonici Regulares ab ipsis Apostolis primùm, denique Augustini normâ, sub Apostolicis regulis instituti, iam pridem in hoc Cœnobio Deo dicati, hinc per Italiam sub titulo Lateranensi dilatati, hanc eamdem vetustate labentem restituêre,* &c.

Quales etiã Religiones D. Augustinus instituerit. — *In Spec. Hist. lib. 26. cap. 51.*

Ceterùm D. Augustinum Clericos seu Canonicos Regulares ita instituisse, vt, sicut iam dictum est, ad sanctiorem eos vitæ disciplinam redegerit, non solùm testes fuerunt plurimi grauissimi Auctores, sed etiam ipsemet D. Augustinus de illo ita locutus est: *Perueni ad Episcopatum, & ideò volui habere in istâ Domo Episcopi mecum Monasterium Clericorum.* Felix hoc Canonicorum exordium felicissimum habuit incrementum: nam, vt asserit Hector Boetius Deidamus, hæc ipsa Augustiniana Clericorum familia breui tempore celebris, & multarum Abbatiarum, Principum & Regum fauore nobilis euasit: innumeri ex eâ viri prodiere, sanctitate, doctrinâ & prælaturâ insignes. Neque in Africâ solùm vniuersâ, sanctissima hæc Augustiniana familia longè lateque diffusa est, sed etiam in Europam non ita multo pòst tempore palmites suos extendit: nam ex certis Historiis huius Ordinis constat, Ecclesiam S. Mariæ de Rheno apud Bononiam anno 900. fuisse pro Canonicis Regularibus institutam, ac posteà ab Innocentio II. fuisse sub eadem Regulâ reformatam. Pius etiam V. in Sententiâ contra Benedictinos expressè testatur, *compertum satis fuisse ex litteris Apostolicis, diuersisq; aliis documentis, rationibus & probationibus, quòd ipsi Canonici Regulares fuerunt & sunt de illis Clericis à S. Augustino institutis.* In Hispaniâ extant antiquissimæ Ecclesiæ Canonicorum Regularium S. Augustini, præcipuè S. Mariæ Cæsaraugustæ, S. Mariæ Olmæ, vbi constat, de sæculo in sæculum ibidem substitisse Canonicos Regulares S. Augustini. In Galliâ pari antiquitate sunt Monasteria Arausiense, & S. Victoris, in quo Richardus ille sub Regulâ S. Augustini in eamdem scripsit Commentaria circa annum 1000. & scitur, quòd illum plures pluribus annis præcesserint. Accedit insuper, quod annotarunt Genebrardus anno 498. & Onuphrius anno sequenti accidisse, per Pelagium nimirum Pontificem, D. Augustini Canonicos Regulares in Italiam deductos fuisse, & in Lateranensem Ædem breui pòst fuisse inductos. Colligi hoc potest inter alia ex Breuiario Canonicorum Lateranensium à Pio V. approbato, vbi additur, quòd *Gelasius vnà cum sociis perbenignè à Leone I. Papâ excepti, atque in Ecclesiâ Lateranensi collocati, Canonicum ibi Ordinem iuxta D. Patris nostri Augustini Regulam, & saluberrima instituta instaurare cœperunt.* Vbi diutissimè posteà floruerunt, & per octingentos annos ibidem perstiterunt. Et Gelasij, & Regulæ S. Augustini pro Canonicis meminit D. Antoninus, Azorius, Hieronymus Sorbo in Compendio Priuilegiorum, & alij suprà citati, immò Ticinensis in suo Propugnaculo Ordinis Canonici II. Parte cap. 12. 13. 14. & alibi dicit: *Ex hoc Ordine Canonicorum Regularium 54. Romanos Pontifices, 1567. Cardinales, Beatos sedecim mille ducentos prodiisse, & Romanam Ecclesiam quingentis & ampliùs annis rexisse.* Breue elogium, sed quod prolixum totius laudationis, quæ vlli vmquam Religiosæ Congregationi attributa fuit, est suffragium. Non credo plura hisce esse addenda, ne superflui simus: satis hac vnâ Ordinis sui Congregatione constitit, quantus Augustinus Pater habendus sit, qui tot in

S. Augustinũ Canonicos Regulares instituisse probatur. — *Serm. 49. & 50.* — *Lib. 7. Historiæ Scotorum.* — *Anno 1136.* — *Anno 1546.* — *Antiqua illorum reperiuntur Monasteria.* — *In lib. de 7. Vrbis Ecclesiis.* — *Insignissimũ de Canonicis Regularibus elogium.* — *1. Parte Hist. lib. 12. c. 12.*

in Regularibus suis Canonicis perfectissimos Ecclesiæ suæ filios genuit. O si & per alias, quas idem Doctor plurimas instituit Familias, discurrere nobis foret concessum, angusta nimis est charta, vt omnia Religionum sub Regulâ ipsius militantium merita describamus. Recensuisse itaque satis erit breuem & Ordinum & Congregationum Catalogum, ex quo si non perfectè colligi, coniici saltem aliquousque poterit, quàm immensum in commune ærarium Ecclesiæ thesaurum D. Augustinus intulerit.

10. *Quàm multi à D. Augustino institutū suum Religiones acceperint.*

Ordinum igitur sub Diui huius Archidoctoris Regulâ Deo famulantiū hic est: Ordo Grādimontensiū, institutus anno 1070. à Comite Auernēse Stephano, ab Alexandro II. confirmatus. Ordo Melitensium Equitum, institutus eodem sæculo à Ioanne Eleēmosynario Patriarchâ Alexādrino in Hospitali S. Ioannis Ierosolymæ, approbatusq; à Gelasio IV. sub Regulâ S. Augustini. Ordo Equitū Tarraconensiū, institutus à Berengario Aulonensi Episcopo, fauente Vrbano II. anno 1091. Ordo Clericorum Regularium Sancti Antonij Tau gerentium, institutus circa annum 1095. à Gastone nobili viro. Ordo Præmonstratensium anno 1120. à S. Norberto institutus. Ordo Fontis-Eberaldi, institutus anno 1121. à Roberto Abuncelis, & à Callisto II. approbatus. Ordo Gilbertinorum, institutus anno 1144. à Gilberto, cōfirmatus ab Eugenio II. anno 1160. Ordo Cruciferorum Italiæ anno 1169. à Cleto Pōtifice olim institutus, fauore Alexandri III. Regulam S. Augustini assumit. Ordo Equitum Teutonicorum anno 1119. ortus circa annum 1136. ad Regulam S. Augustini accessit. Ordo Equitum S. Iacobi de Spathâ, institutus anno 1160. à Petro Ferdinādez, ab Alexandro III. anno 1175. sub Regulâ S. Augustini confirmatus. Ordo SS. Trinitatis circa hos annos institutus per Ioannem Mattha sub Anastasio IV. & Adriano IV. confirmatus primùm ab Adriano, deinde ab Innocentio III. anno 1197. Ordo Pœnitentium Iesu Christi. Ordo Prædicatorum, institutus anno 1209. à S. Dominico, cōfirmatus ab Honorio III. anno 1216 Ordo S. Mariæ de Mercede, institutus anno 1218. à Iacobo I. Aragoniæ Rege, &c. sub Honorio III Ordo Vallis Scholarium, anno eodem institutus à Guillelmo, Richardo & Euerardo, ab Honorio III. confirmatus. Ordo Equitum S. Mariæ, eodem tempore cōfirmatus à Gregorio IX. Ordo Seruorū S. Mariæ, institutus anno 1122. à septem ciuibus Florentinis, confirmatus ab Innocentio IV. anno 1261. Idem Ordo reformatus fuit nostrâ memoriâ sub Regulâ S. Augustini. Ordo Fratrum de Pœnitentiâ, in honorem S. Demetrij institutus anno 1200. à viris piis in Poloniæ & Germaniæ partibus, ab Alexandro IV. confirmatus, & ferè emortuus, à Paulo V. rursus approbatus. Ordo Seruorum S. Mariæ alborum, anno 1257. ab Alexandro IV. sub Regulâ S. Augustini confirmatus. Ordo Bonorum hominum, institutus à Richardo Comite Cornubensi, fratre germano Regis Henrici III. quem Ordinem Alexander IV. ad Regulam S. Augustini redegit. Ordo Equitum Gaudentiū, institutus à Lodaringo Audalio Bononiæ, quem Vrbanus IV. sub Regulâ S. Augustini magnis præeminentiis decorauit.

11. Ordo Equitum S. Lazari circa annum 266. ortus, reformatus ab Alexādro IV. & Clemente IV. anno 1265. sub Regulâ S. Augustini. Ordo S. Pauli Eremitæ, institutus anno 1268. à Ioanne XXII. cōfirmatus. Ordo Fratrum Pœnitentium S. Magdalenæ, institutus anno 1277. à Beltramo viro Gallo, & à Nicolao III. confirmatus. Ordo Mulierum Pœnitētium S. Magdalenæ ab eodem anno 1279. Ordo Clericorum Hospitaliorum, institutus anno 1300. à P. Augustino Nouello, & à Bonifacio VIII. anno 1300. Regulæ S. Augustini subiectus. *Prolixus eorundem Religionum Catalogus.* Ordo Charitatis S. Mariæ, circa idem tempus à Guidone Fanuillano Bouchera Montij, quē Bonifacius VIII. & Clemens VI. Regulæ S. Augustini subiecit. Ordo Alexianorum, anno sequenti exortus, à quibusdam viris misericordiâ motis, quem Henricus Sudermannus Regulæ S. Augustini adiungi, & à Sede Apostolicâ cōfirmari curauit. Ordo Nigrarum Sororum, agonizantibus assistentium. Ordo Iesuatorum S. Hieronymi anno 1365. initium sumpsit à Ioanne Columbino Senensi miraculosè conuerso, & ab Vrbano V. approbatus fuit. Ordo S. Birgittæ vtriusque sexus, anno 1366. auctrice Sueciæ Reginâ exordium sumpsit. Ordo S. Ambrosij, qui sub Ceccarello & Paulo Platanzia anno 1331. restauratus fuerat à Petro Eugubinorum Episcopo, cœpit anno 1374. militare sub Regulâ S. Augustini, cui eum Gregorius XI. subiecit. Ordo S. Hieronymi, institutus circa annum 1366 à Petro Fernādo, & à Gregorio XI. confirmatus. Ordo Vitæ communis, qui tempore Apostolorum inceptus, biennio pòst à Paschali II. anno 1090. restitutus fuit. Ordo S. Hieronymi in Germaniâ, per Gerardum Dauentrium Aquisgrani Canonicum sæcularem reformatus, & a Gregorio XI. approbatus. Ordo S. Hieronymi, fundatus anno 1380. in Italiâ à B. Petro Gambacurta. Ordo Barnabitarum anno 1384. iussu Innocentij VIII ad Regulam S. Augustini accedit. Restauratur per D. Iacobum Antoniū Morigiam. Ordo Armenorū anno 1488. cœpit militare sub Regulâ S. Augustini. Subsunt hodie hi Religiosi Patribus S. Dominici. Ordo Equitum S. Iacobi, inceptus à Petro Ferdinando Hispano, quem Adrianus VI. Regulæ S. Augustini subiecit. Ordo Clericorum Boni Iesu, institutus à P. Hieronymo Malusello anno 1533. Ordo Ministrantium infirmis, à B. Ioanne Lusitano institutus anno 1551. Ordo Clericorum Ministrantiū infirmis, anno 1584. Romæ à D. Camillo de Sellis & aliis erectus, à Sixto V. approbatus. Ordo Clericorum Minorum, à R. P. Augustino Adornio Genuensi institutus, accessit ad Regulam S. Augustini anno 1589. & à Pontificibus Sixto V. & Gregorio XIV. approbatus fuit.

Et huc vsq; Ordinum quidem Augustinianorum breue compendium: si Lector etiam inspicere velit diuisarum, in quas nonnulli ex prædictis Ordinibus diuisi sunt, Congregationū Catalogum, sit ipse Index Congregationum: 12. *Quot in Congregationes hi etiā Ordines diuisi sunt.* Congregatio S. Victoris Canonicorum Regularium sumpsit exordium anno 1113. Congregatio Canonicorum S. Spiritus, anno 1144. excitata à Guidone Montispessulano, & ab Innocentio III. confirmata. Congregatio Canonicorum Regularium S. Marci de Mantua, anno 1231. confirmata fuit à Gregorio IX. Congregatio de Brictinis, exorta anno 1230. Congregationes Vnitæ variæ cum Ordine. Congregatio Illicetana, anno 1387. per Tholomæum Venetum Generalem instituta. Cōgregatio Fesulana S. Hieronymi eodem

eodem anno à B. Carolo Comite Montis Granelli & aliis instituta, & postmodum à PP. Innocentio VII. & Gregorio XII. approbata. Congregatio Canonicorum Regularium in Windesheim, per Gerardum Magnum & Ioannem Rusbrouck instituta. Congregatio Frisonaria, anno 1396. per Bartholomæum Columniam Romanum instituta. Congregatio Eremitarum de Carbonariâ, anno 1399. à F. Simone Cremonensi, & F. Christiano Franco instituta. Congregatio Canonicorũ Regularium S. Georgij in Alegâ, anno 1303. à Gabriele Condelminio, Antonio Corario, & Ludouico Barbo, &c. instituta, à Gregorio XII. Regulæ S. Augustini adiuncta, & à Pio V. anno 1570. reformata. Congregatio Canonicorum Regularium Scopetinorum, ab Hieronymo Senensi Eremitâ Augustiniano initium sumpsit anno 1408. Congregatio Canonicorum Regularium sancti Spiritus, instituta Venetiis anno 1418. à R. P. Gabriele Spoletino Augustiniano Eremitâ. Congregatio Eremitarum S. Augustini Perusina, instituta anno 1419. à R. P. Augustino Romano. Congregatio Eremitarum Lombardica, circa annum 1430. instituta. Congregatio Eremitarum Montis Ortoni, anno 1437. operâ V. P. F. Simonis Camertini instituta. Congregatio Eremitarum Genuensium, anno 1470. initium sumpsit per V. P. Ioannem Baptistam Pogium. Congregatio Apuliæ, anno 1491. per R. P. Felicem instituta. Congregatio Saxonica, initium sumpsit à PP. Simone Lindnero, & Andrea Proles, exempta ab obedientiâ Reuerendissimi P. Generalis. Congregatio Calabriæ, anno 1507. per P. Franciscum de Zampano Calabrum instituta. Congregatio Dalmatiæ, per quosdam Fratres in Illyrico seu Dalmatiâ de Reu. P. Generalis licentiâ instituta anno 1511. Congregatio Clericorum Somaschinorum, circa annum 1530. per Hieronymum Aemilium erecta à Pio V. sub Regulâ S. Augustini confirmata. Congregatio Centorbium, anno 1586. à duobus PP. Ordinis S. Augustini instituta. Augustiniani Discalceati Hispaniæ, quorum Auctor P. Andreas Diaz, Hispanus, 1589. PP. Discalceatorum in Italiâ origo circa annum 1599. Congregatio Coloritorum anno 1600. noua, quæ iam à septem annis & ampliùs à F. Bernardino Rolano in citeriori Calabriâ originem sumpsit. Eremitæ S. Antonij anno 1615. accedunt ad Regulam S. Augustini, procurante P. Antonio Thrian sui instituti approbationem. Congregatio S. Pauli Eremitæ in Galliâ. Hæ verò Congregationes atque Ordines, à se inuicem sunt discreti, & omnes sub D. Augustini Regulâ disciplinaq; militant: ex quibus quāta meritorum ac mortificationum lucra proueniant, ac in cõmune Ecclesiæ bonum in ærarium Indulgentiarum recondantur, nemo est qui non facilè possit colligere, nemo nõ facilè intelligere.

Illarũ etiam prolixus est numerus.

13\. *Quot ergo ex tot Religiosis Congregationibus fructus proueniant.*

Vnde, quia hæc quæ dicta sunt de D. Augustini Ordine, seu potiùs Ordinibus, satis erunt, vt de innumeris quæ ex eisdem proueniunt, & tot iam sæculis prouenerunt, fructibus vnusquisque iudicet, licebit ad illas quoque Religiones pedem transferre quæ in Occidēte initium sumpserūt: & quidem si ad sanctissimi Patris Benedicti benedictissimum Ordinem oculos conuertamus; laudes inprimis illius occurrunt recensitæ per Venerabilem D. Ioannem Trithemium Benedictinum Abbatem Spanhemensem, qui ex professo de Ordinis sui Viris illustribus agens, ita locutus est: *Vt fertur, numerus Monasteriorum Ordinis nostri Abbates habentium, exceptis Præposituris, Prioratibus & Cœnobiis Monialium, vltra quindecim millia extenditur. Vnde si vnusquisque sua possideret, tertiam partem Christianitatis sanctus Benedictus habere crederetur. Si cui hæc videantur incredibilia, historias veterum legat, gesta transacti temporis reuoluat, & maiora nostri Ordinis laudum præconia inueniet, quàm ego aut dicere velim aut possim. Vt autem magnorum fidem adstruam minimis, nemo tantam multitudinem Cœnobiorum Abbatialium in tot mundi partibus velut incredulus miretur, cùm in solâ Prouinciâ Moguntinâ adhuc habeamus Abbatias nostri Ordinis centum & viginti quatuor, præter illas quæ ab Ordine dimembratæ sunt, quarum numerus denarium superat. Commendant non mediocriter diuersorum Ordinum Principes Regulam S. Benedicti, qui discretione & securitate conscientiæ, eamdem præcipuam intuentes, colla suæ conuersationis eidem humiliter voluerunt submittere: gaudētes se ducem habere sacrati exercitus, quem Patrem Monachorum sanctissimum non ignorabant. Militant enim sub eius Regulâ multi Ordines Monachorum, Statutis singularibus dumtaxat appositis; de quibus primus est Ordo, quem ipse princeps Monachorum Benedictus instituit: Ordo quoque Specuensis, Ordo Carthusiensis, Ordo Cistertiensis, Ordo S. VVillelmi, Ordo Scotorum, Ordo Montis Oliueti album portans habitum, Ordo Cælestinorum, Ordo Sclauorum, Ordo Vallis-Vmbrosæ, Ordo Fontis-Ebrādi, Ordo Humiliatorum sub albo habitu, qui primus cœpit in Alemaniâ, sed puto quòd iam ex toto defecerit: Ordo Grandimontensis, Ordo S. Ambrosij, Ordo Camaldulensis album portans habitus, Ordo Vallis Scholarium, Ordo S. Pauli primi Eremitæ, Ordo de S. Burgâ viduâ. Omnes hi Ordines sub Regulâ S. Benedicti militare feruntur. Si qui plures etiam obseruent, ad notitiam meam non venerunt. Nobis impossibile est, omnium Sanctorum huius Ordinis vel sola nomina describere, quorum tantus est numerus, vt multis in summâ videatur incredibilis. Temporibus Ioannis Papæ XXII. ex Annalibus Summorum Pontificum & Historiis veterum, reperti sunt de Ordine S. Benedicti tam ex Monachis simplicibus quàm ex Prælatis diuersarum dignitatum, Sanctorum Catalogo inserti, quindecim millia quingenti quinquaginta nouem. Quis omnium horum singularem posset facere mentionem? De hoc sacratissimo Benedicti Ordine, fuerunt sanctæ Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ Summi Pontifices decem & octo, qui sibi succedentes diuersis temporibus, Ordinem magnificè dilatauerunt. Cardinales quoque S. Romanæ Ecclesiæ nostri Ordinis fuerunt centum octoginta quatuor, viri in omni literaturâ Scripturarum doctissimi. Archiepiscopi autem in diuersis mundi partibus ex nostrâ Religione fuerunt mille quingēti sexaginta quatuor. Episcopi verò huius Instituti reperti sunt tria millia quingenti duodecim. Hi omnes de nostro Ordine Pontifices fuisse inuenti sunt ante Concilium Constantiense, quod fuit anno Domini 1417. Si qui postmodum venerint, in præscripto numero non sunt. A principio Ordinis nostri vsque ad tempora Henrici IV. Imp. multi viri doctissimi in eo floruerunt. Nam adhuc S. Benedicto viuente, & Ordine per diuersa terrarum spatia diffuso, plerique nobiles, eruditissimiq; iuuenes, Monasticis Institutis, secundùm Regulam eius, colla submiserunt, qui non solùm in Scripturis diuinis, sed etiam in sæcularibus litteris peritissimi habebantur. E quibus clarissimus ille Senator Caßiodorus, vir vndequaque doctissimus,*

Lib. 1. cap. 2.

Quot ab antiquo etiam tempore in Diui Benedicti Religione numerata sint Monasteria.

Lib. 1. cap. 3.

Quot sub illo Ordines censeantur.

Lib. 1. cap. 4.

Quot illius Ordinis Sancti & viri illustres.

Lib. 1. cap 5.

Lib. 1. cap. 6.

Floruit inter Benedictinos doctrina.

Senatoriâ dignitate depositâ, Monachus Cœnobialis efficitur. Et post pauca interiecta: *Vt verò paucos è pluribus in exemplū demus, Bonifacium & Rabanum, Archiepiscopos Moguntinos, Bedam quoque Presbyterum intueamur. quorum primus Bonifacius adhuc puer quinque annorum, in Angliâ Monasterio traditur, vbi in tantum profecit iugi studio Scripturarum, vt Doctor & Apostolus Germanorum habeatur. Extant eius ad diuersos elegantes Epistolæ, extant & varia syntagmata, quibus ingenij eius vena redundans, fluenta sacræ doctrinæ effudit. Rabanus etiam, qui eidem Bonifacio in Archiepiscopatu sextus ex Ordine successit, in Monasterio Fuldensi puer ad conuersionem venit, qui quantum in Scripturarum scientiâ profecerit, infinita penè testantur volumina quæ composuit, & non solùm in expositione sacrarum Litterarum, sed etiam in omnibus humanitatus artibus peritissimus fuit. Quantum in Poësi valuerit atque carminibus, mirabile opus de S. Cruce indicat: quantum in historiis veterum exercitatus fuerit, insigne volumen eius de Vniuerso prænotatum declarat. Rhetoricæ artis notitia in scriptis & Epistolis eius copiosè relucere dignoscitur. Beda Monachus & Presbyter Venerabilis, toto notus in orbe, cùm esset annorum septem, à parentibus Cœnobio traditur, cuius opera in vniuersâ Ecclesiâ laudibus attolluntur.* Hactenus ex Trithemio.

Aliquorum ex ipsis fit mentio.

14. Sed parcus nimiùm in Scriptoribus sui Ordinis citandis fuit is Auctor: plura multò de eisdem sacris Scriptoribus & viris Apostolicis qui in hoc Ordine floruerunt, habet Religiosus noster, R.P. Nicolaus à Iesu Mariâ. cuius sunt verba: Libet igitur quasi cursim omnem Religionum ætatem ab initio inspicere, vt eorum multitudinem ac copiam videamus, qui in doctrinarum studiis magni fuerunt. Et vt à Benedictino, inquit, Ordine antiquissimo incipiamus, iam sunt mille & ampliùs anni, ex quo hic Ordo natus est. His igitur vndecim ferè sæculis mirum certè est, quàm multos semper, & quàm præstantes in omni genere produxerit viros. Primo enim sæculo, id est vsque ad annum Domini sexcentesimum, viguit vir summus Cassiodorus, eique æqualis Dionysius, cognomento Parius, vir sui temporis eruditissimus tum humanis tum etiam diuinis Litteris, quod ostendunt scripta ab eo relicta. Eodemque tempore Gregorius Magnus, Gregorius Turonensis, & Leander Hispalensis, satis adhuc per se noti. Secundo sæculo à sexcentesimo ad septingentesimum, multùm (vt accepimus) claruit Cæsarius in Galliâ, Eutropius in Hispaniâ, in Lusitaniâ Ioannes Gerondensis Episcopus, in Scotiâ Adamanus Abbas, in Angliâ Theodorus, qui Romæ Monasticam vitam professus, à Vitaliano Pontifice Cantuariam destinatus est septimus Archiepiscopus, cuius de laudibus Beda sæpè. Tertio sæculo vsque ad annum octingentesimum, Beda ipse notissimus libris, scriptis. Tum Bonifacius ille Germaniæ Apostolus, quem non sola sanctitas, sed (vt traditum est) insuper etiam eruditio illustrauit. Deinde Aegidius Abbas, natione Græcus, idemque Philosophus ac Poëta, quin etiam Medicus insignis, quippe qui multa de arte Medicâ carmine scripserit. Inprimis autem Alcuinus, qui suæ ætatis doctissimus habitus est, Caroli Magni Magister, ita ei charus, vt eum suas delicias appellaret, cuius etiam prudentiæ Parisiensem Academiam, quam Româ illuc transtulerat, commisit ordinandam. Idemque multa edidit tum in sacram Scripturam, tum suopte ingenio. Quo eodem tempore floruit etiam Paulus Diaconus, Auctor celebris Hymni in S. Ioannem Baptistam, pluriumque librorum, quorum pars adhuc extat. Hic priùs Desiderij Regis Longobardi familiaris & Secretarius fuit, deinde verò vnà cum ipso à Carolo Imp. captus, & in Italiam abductus, seruatus tamen est ab ipso hoste ob ingenij famam; posteà in insulam relegatus, cùm fugâ euasisset, etsi Beneuenti ab Aldebergâ Desiderij filiâ exceptus esset benignè & honorificè, tamen, sæculo contempto, in Cassinense Monasterium sese recepit: quod Carolus audiens, magis eum etiam amasse & coluisse dicitur, ac cum eo sæpè per litteras humanissimè communicasse.

Quorū tamen Catalogus amplior multò à quodam è Religiosis nostris allatus est.

In Propugnaculo.

Ante 600. annum qui in doctrinâ excelluerint Benedictini.

Qui sæculis proximis.

Quis fuerit Paulus Diaconus.

15. Quarto sæculo vsque ad annum nongentesimum, insignis fuit Haymo Monachus Fuldensis, posteà etiam Episcopus, Alcuini auditor, omnino inter doctissimos numerandus, qui totam Scripturam Commentariis illustrauit, aliaque propria ingenij monimēta reliquit. Neque huic inferior Rabbanus ex Fuldensi Abbate Archiepiscopus Moguntinus, qui iustam penè Bibliothecam solus edidit. Nam cùm puer adhuc ab ipsis parentibus Fuldensi Monasterio oblatus esset, tantum in Poësi, in Philosophiâ, & in sacris Litteris profecit, vt in totâ Germaniâ, fortasse etiam in toto orbe, nullus ei æqualis putaretur. Cui tamen vt tempore, sic ingenio proximi fuere (vt alios complures omittamus) Angelonius Luxouiensis, notus quoque ipse ex libris scriptis, & Strabus Fuldēsis, cuius opus dicitur esse Glossa quæ Ordinaria vocatur, ex Sanctorum Patrum scriptis concinnata. Quinto sæculo ab anno nongentesimo ad millesimum, celebratur inprimis Odo Abbas Cluniacensis, diuinis & humanis litteris eruditus, Herigerus Abbas Lobiensis, non Galliâ solùm, sed totâ Italiâ & Germaniâ ob doctrinæ opinionem celeberrimus: tum Raderius, ex Monacho Lobiensi Episcopus Veronensis, qui miræ simplicitatis, sed magnæ litteraturæ fuisse traditur, & alij denique permulti: inter quos tamen nihil ita enituit, vt Radulphus Monachus Fuldensis, de quo in Ecclesiâ totâ hęc erat constans opinio, nullum ei vel in Philosophiâ vel in Theologiâ parem esse, vt propterea ad eum ex toto ferme orbe difficillimæ quæque quæstiones referrentur. Sed multò etiam feracius talium ingeniorum fuit sextum sæculum, in quo præter alios multos, quorum adhuc extant nomina, floruit Marianus Scotus, qui Fuldæ vndecim annos, quindecim Moguntiæ inclusus durauit, quo tempore Chronica scripsit ab initio mundi ad sua vsque tempora: fuitque ob doctrinæ, & multò magis ob sanctitatis nomen, in magnâ omnium veneratione. Ac eodem tempore celebris etiam fuit Lanfrancus, qui in Dialecticis & totâ Philosophiâ sui temporis princeps habitus est, idemque lumen ac Magister Theologorum. Hunc tradunt, cùm Papia, vbi natus erat, & vbi publicam scholam cum laude habuerat, in Galliam proficisceretur, à latronibus spoliatum & abductum, priùs impatienter tulisse, deinde in se reuersum damnare cœpisse seipsum, quòd tam diuturnum studium sacræ Scripturæ impendisset, neque adhuc Deum in tribulatione laudare didicisset; statimque vouisse, si

Vires iterùm alij quarto Religionis ipsius sæculo eruditione clarissimi.

Sed & inquis defuere sæculo quinto.

Imò feraciùs in hoc sæculo sextum.

Quis fuerit Lanfrancus.

si euaderet, se deinceps Deo famulaturum. Liberatus igitur venit ad Monasterium Beccense, vbi aliquã diu ita latuit quasi idiota & illitteratus, donec ab Italis mercatoribus agnitus & patefactus, primùm à suis adhibitus est ad domestica studia moderanda, deinde etiam à Summo Pontifice Cantuariensi Ecclesiæ præpositus. Huic omnino simillimus fuit is, qui ei proximè in sede successit, Anselmus eius auditor, & in Beccensi item Scholâ successor. De cuius Anselmi eruditione nihil attinet dicere, cùm eam libri editi satis ostendant. His adscribendi duo Cardinales eiusdem temporis, Humbertus Monachus Tullensis, quem Leo IX. ob excellentem doctrinam & pietatem ad eum honorem prouexit, & Constantinopolim legauit, vt Leonis Bulgarorum Episcopi audaciam frangeret. Alter fuit Petrus Damianus, cuius adhuc eruditio & facundia ex eius plurimis scriptis nota est. Illud factitatis fuit, quòd diu Cardinalis & Episcopus Hostiensis munere functus, deinde pertæsus eius vitæ, Nazianzeni exemplo ad pristina se recepit Monachorum studia, cuius etiam facti rationem luculento scripto reddidit. Denique vt alios omnes omittamus, magnus etiam fuit per ea tempora Hermannus cognomento Contractus, cuius doctrina eò mirabilior fuit, quòd eam insigni miraculo adeptus est. Ita enim scriptum est, hunc in Sueuiâ ex nobili Comite ortum, ab ineunte ætate omnibus membris captum fuisse, atq; ob eam causam nomen illud quod diximus Contracti accepisse. Quare cùm Monachus factus esset, multis precibus B. Virginẽ rogare instituit, vt ipsum eo morbo liberaret. Illa verò clarâ luce se ei visendam præbens, optionem obtulit, vtrum è duobus mallet; sanúsne fieri, sed, vt erat, rudis & indoctus permanere; an perseuerare in morbo, & omnibus scientiis insignis euadere. Cùm autem Hermannus, vt debebat, hoc posterius prætulisset, ab eo tempore mirabiles progressus in omni genere litterarum facere cœpit, adeò vt neminem in his superiorem, vix etiam æqualem habere crederetur, ac nominatim tres linguas, Latinam, Græcam, Hebraicam ita calleret, ac si in his natus esset.

Anselmus eius discipulus.

Quibus comites duo Cardinales.

Hermannus Contractus quis.

Quâ is viâ doctus euaserit.

16. In septimo sæculo vsque ad annum millesimum ducentesimum, multos item accepimus fuisse omnium doctrinâ atque optimarum artium studio eruditissimos. Quo in numero præcipuè ponitur Petrus Abbas Cluniacensis, cuius tum alij libri extant, tum vnus De mirabilibus & reuelutionibus suo tẽpore factis. Cùm verò Sigebertus ex Gemblacensi Cœnobio, & Gratianus ex Bononiẽsi, quorum ille insigne Chronicon conscripsit, & alias insuper Historias: hic nobile illud Opus Decretorum ex Patrum Sententiis & Pontificum responsis digessit, approbatum deinde ab Eugenio III. Inter omnes autem maximè celebres illi duo, Hugo è Cœnobio S. Victoris Parisiensis, & Rupertus Abbas Tuitiensis, cuius doctrinæ excellentiam non solùm multa volumina ab illo scripta indicant, sed etiam miraculum, quo eam doctrinam accepit. Nam cùm ingenio tardior esset, instaretque precibus apud Virginem Dei Matrem, vt sibi à Filio Scripturarum intelligentiam impetraret,

Septimum rursum sæculum doctissimis viris non caruit.

Rupertus per miraculum fuit edoctus.

apparuit ei Mater illa gratiæ, denuntians eius preces ab se auditas, tantumq; ei lumen impertitum iri, vt nullus eius ætatis doctrinâ ei æquari posset; tantùm videret, ne id talentum in terrâ defoderet, sed strenuè exerceret: quod quidem ab illo abundè perfectum constat: numquam enim deinceps à legendo vel scribẽdo cessauit. Octauo sæculo, ab anno millesimo ducentesimo, vsque ad annum millesimũ trecentesimum, floruisse accepimus Helmandum Monachum Beluacensem, in diuinis Litteris eruditissimum, & in sæcularibus etiam litteris, ac multis quoque libris scriptis nobilitatum. Eodemque tempore Guilielmum Abbatem Pictauiensem, non solùm Theologiæ, sed Iuris etiam peritissimum. Deinde Philippum Pergamum in Cœnobio Patauino egregium virum, tum doctrinâ tum eloquentiâ; tum etiam Petrum Bercorium Monachum Parisiensem, cuius librorum grandis extat catalogus. Ab anno autem millesimo trecentesimo vsque ad millesimum quadringentesimum, toto hoc sæculo multi item celebrantur, Lapus Abbas S. Miniatis, in Theologiâ, insuper in vtroque Iure peritissimus. Petrus Boherij, Abbas Auianensis, ipse quoque Decretorum Doctor: præcipuè verò Petrus Rogerius, is qui posteà ad Pontificatum euectus, Clemens VI. vocatus est, quẽ acerrimo ingenio, ac tum omni doctrinâ, tum etiam dicendi facultate, egregiè instructum fuisse ferunt: ita vt populum quò vellet concionando impelleret. quare nil mirum, si eum tot merita ad summam Ecclesiæ dignitatem extulerunt. Sæculum decimum vsque ad annum millesimum quingentesimum, præter alios insignes viros, aliquot etiam habuit in Iure Canonico admodum excellentes, vt Henricum Abbatem Nuremburgensem, Ioannem Rotæ Abbatem Treuelensem, cuius egregia opera constitit in Concilio Basileensi; tum verò Nicolaum illum, qui priùs Abbas Monacensis, posteà Archiepiscopus Panormitanus, denique etiam Cardinalis factus est. Scripsit autem multa consilia, & vberrima Commentaria in vniuersum Corpus Iuris Canonici, quorum tanta est hodie auctoritas, vt nullus in hoc genere notior & celebratior sit. Denique vndecimo sæculo, quod ab anno millesimo quingentesimo, vsque ad annum millesimum sexcentesimum labitur, non paucos scimus eminentes viros, vt Ignatium ex Cœnobio Florentino, ex Parmensi, Ioannem Baptistam, vtrumque Abbatem, vtrumque magno progressu in diuinis & humanis litteris. In Hispaniâ verò Pasqualem, qui in Salmanticensi Academiâ publicam Theologiæ Scholam cum ingenti approbatione professus est. Postremò, ne longiores simus, multùm etiam hoc tempore viguit Gregorius, qui priùs in nobili illo Mantuano Cœnobio Abbas, deinde etiam Cardinalis à Paulo III. creatus est. Hunc verò omnibus scientiis excultum tradunt, vtraque etiam linguâ Græcâ & Latinâ peritissimum, ita vt loqueretur & scriberet expeditè atque eleganter.

De sæculo octauo quid reperiatur.

Quid de nono.

Vndecimo & decimo.

Qui non ita pridem ex Benedictinis eruditione effulserint.

17. Atque hi quidem ex Benedictino Ordine, quos de multis paucos nominauimus, qui sufficient pro viris ex Ordine S. Benedicti eruditione præclaris. Breuiter etiam ex eodem illo

Reli-

Neque minus sanctimoniâ idê ille Ordo præluxit.

Religioso nostro audire lubeat viros Apostolicos, qui ex sanctissimâ D. Benedicti familiâ maximam mundi partem ad Dei atque Euangelij cognitionem perduxerunt, loquitur de illis in hunc modum: B. Remigius anno ferè 530. Clodouæum Regem, & Franciam vniuersam ab idolorum cultu ad fidem Christianam adduxit; hic ab ineunte ætate Monachus fuit, ac posteà Rhemensis Archiepiscopus. Item Martinus Monachus anno 540. Sueuos ab Ariano errore sanauit. De Angliâ notissimum est, quòd ab Augustino informata, quem Gregorius Pontifex cum aliis sex Monachis, nempe sancto Melito, sancto Petro, sancto Iusto, sancto Paulino, sancto Laurentio, S. Ioanne eò legarat, ad Deum sese conuertit, vnà cum Rege Eterbero, anno 603. Nec præteream ipsum Pontificem Magnum Gregorium (vt in eius Vitâ lib. 1. refert Ioannes Diaconus) qui cùm Monachus adhuc esset, & Anglicos pueros formâ pulcherrimos Romæ venales conspiceret, agnosceretque illos esse infidelitatis tenebris immersos, tactus dolore cordis intrinsecùs, mox à Benedicto Pontifice vehementer cœpit expetere, vt sibi licentiam in illam Regionem, ad prædicandum sanctum Euangelium proficiscendi concederet, quâ obtentâ profectus est; posteà verò, totâ acclamante Româ, ab eodem Pontifice, post triduum itineris, coactus est ad proprium Monasterium reuerti. Anno autem 622. Lambertus Leodiensis Monachus Taxandriam Germaniæ Prouinciam, eodemque tempore Kilianus Monachus Francorum Gentem ad fidelium numerum aggregarunt: atque hic quidem in eo opere etiam martyriũ subiit. Wilfridus ex Hierpuensi Monasterio in Angliâ, posteà Eboracensis Episcopus anno circiter 683. cùm Romam peteret, tempestate in Frisiam & Hollandiam eiectus est, ne hiemem illic infructuosè degeret, aggressus est Euangelium, quod nullus adhuc ibi auditus fuerat prædicare. Idemque in patriam reuersus, cùm ab improbo Rege Egfrido in suâ sede hærere non sineretur, diuertit ad Australes Saxones adhuc in infidelitatis tenebris iacentes, iisque fidei lumen importauit, & simul toti Insulæ, quæ Vetula dicitur. Ceterùm quod hic opus in Frisiâ cœperat, id deinde continuauit Willibrodus, ex Monasterio Rupensi in Angliâ, qui Traiectensis Episcopus etiam creatus est. Eodem tempore Swuitbertus, Lindisfæ in celebri Cœnobio Angliæ educatus, vnà cum vndecim aliis, ad Apostolicum numerum repræsentandum, ad Saxones se contulit, ex quibus innumerabiles in Christi fide instituisse fertur: idemque posteà Verdensi Ecclesiæ præpositus fuit, nec tamen à laboribus suis vmquam cessauit. Insignis quoque in hoc genere fuit Bonifacius, qui adhuc meritò tamquam Germaniæ Apostolus colitur. Hic patriâ Scotus, cùm adhuc quinquennis à parentibus ipsis oblatus, diu vitâ in sanctissimis Claustris egisset, à Gregorio Secundo Pontifice in Germaniam missus est, Hasiam Christo adiunxit anno fermè 717. quam ob causam ad eos quos docuerat regendos, Moguntino Archiepiscopatu ornatus: quamquam maius ornamentum posteà ex martyrio accepit. Willehadus item & Lugderus ex Monasterio S. Willibrodi in Galliâ, in Franconiam Germaniæ Prouinciam profecti anno circiter 800. & plurimos illic filios Christo Domino pepererunt, ipsique plurimos eâ de causâ labores pertulerunt. Paulò pòst etiam, annos videlicet decem, Anscharius cum tribus sociis, ex Monasterio Corbeiensi in Galliâ-Belgicâ, plures regiones Euangelij causâ peragrauerunt, Daciam, Sueciam, Gotthiam, Groenlandiam: in quibus omnibus vix credi potest, quantum fructus reliquerint. Ex quo eodem Monasterio prodiit etiam Stephanus, qui primùm Anschario in Sueticâ messe successit. Deinde in Helinguensem Prouinciam se contulit, quam totam ab erroribus ad viam veritatis adduxit; atque ibidem tandem ab impiis quibusdam mactatus, ad martyrij palmam euolauit.

Quot ab initio sui Apostolicos viros produxerit.

Infinitæ per eos conuersæ Prouinciæ.

Ex Angliâ plures in Belgiũ appulere Apostoli.

Alij in Germaniam.

Plures Benedictini martyres facti.

Quò etiam referri debet Abbas Floriacensis Monasterij, Albus dictus, quod à sancto Mauro in pago Flori-Comitis ædificatũ fertur; is enim in Vasconiâ Galliæ parte, Religionis propagandæ causâ, strenuè laborauit, vir eloquentiâ insignis, nec minùs sanctitate præstans; ad extremum etiam martyrio gloriosissimus. Vixit anno fermè 970. Religiosam vitam diu professus, vnà cum Gaudentio fratre Monacho item sancti Alexij Romæ, in Pannoniam abiit ad disseminandam Christi fidem, vbi in Gersam Regem incidit, diuino iam antè oraculo monitum de eius aduentu. itaque ab illo cum honore exceptus, totam illam Gentem, anteà feram & duram, Christi cultu imbuit. Mox ad Sarmatas digressus, Russis, Lithuanis, Moschis, Prussianis, sed plerumque Polonis, eorumque Regi Boleslao, Euangelium promulgauit. Denique in Prussiâ, cùm ab impiis ad stipitem alligatus, septemque lanceis confixus palpitaret, egisse Deo gratias dicitur, quòd se martyrij, quod tam diu iam optarat, compotem fecisset. At Bruno ex Ducali familiâ, nempe Lotharij Saxoniæ Ducis filius, Monasticam vitam Romæ professus in Cœnobio S. Alexij, à Ioanne XIX. ad Ruthenos missus, annum circiter 1025. multos populos ad salutis viam reuocauit. Quâ in causâ, ne quid ad laudem deesset, martyrij quoque gloriâ ornatus est. Eodem quoque tempore Bonifacius Romualdi discipulus in Russiam profectus, Russianum Regem eiusque Regnum, præter Fratrem, conuertit, à quo impiè cæsus, vineam à se plantatam etiam sanguine irrigauit. Anno verò 1050. Humbertus ex Ordine S. Benedicti Constantinopolim à Pontifice legatus, ad Græcorum schisma confutandum cum Nicetâ congressus coram Constantino Imperatore, ita eum disputando conuicit, vt librum quem scripserat comburere coëgerit. Otho etiam ex Monasterio Bambergensi, quæ est Germaniæ ciuitas, anno 1125. à Callisto secundo in Pomeraniam missus, Bracislaum Principem conuertit cum suis: quin idem etiam loca omnia maritima, Daciæ Poloniæque finitima, cum magnâ animarum conuersione peragrauit. Denique complures Saxoniæ ciuitates obiens, magnos vbique ad salutem motus effecit. Huic similis fuit Vicelinus, qui non multò pòst vnà cum 18.

Eximius sanè vir Albus Abbas Floriacensis.

Quantus Bruno fuerit Ordinis S. Benedicti.

Quanti & alij.

quatuor

quatuor sociis ex Galliâ ad Wandalos profectus, triginta totis annis incredibili labore, vniuersam illam regionem, in quâ innumeri fermè erant populi, Christianis imbuit præceptis, & in iis insignia complura fundauit Cœnobia. Non recensuimus Bernardum; quia singulariter ponendus est, eò quòd hic solus pro plurimis sufficiat: eius enim beneficia in vniuersam Ecclesiam vix æstimari possunt. Is in tetro illo schismate aduersus Innocentium ita elaborauit, vt verè dici possit, illius vnius operâ & auctoritate tandem sublatum esse. Primùm enim Gallias ei solus coniunxit, cùm Stampensis Synodus ad hanc rem, ex omnibus Episcopis, & Rege, & Principibus conflata, omne suum iudicium in illius iudicium reiecisset. Denique Henricum Angliæ Regem idem conciliauit, & quidem renitentibus & aduersantibus omnibus prouincialibus Episcopis: deinde Germaniam quoque omnem. Postea venit ad Concilium Pisanum, quò omnes Occidentales Episcopi conuenerant: cuius actis omnibus de rebus grauissimis & maximis non solùm interfuit, sed etiam quodammodò præfuit, cùm scilicet ad eum omnia referretur. Exinde cùm Burdegalēsis Ecclesia perditorum hominum factione agitaretur, & pluribus iam locis legitimi Episcopi pellerentur, ipse à Pontificis Nuntio Carnotensi Episcopo excitus, flammam illam, oratione, miraculis, auctoritate extinxit. Post quæ ad vrbem Romā, publicis calamitatibus afflictam, Pontificis pluriumque Cardinalium litteris euocatus, publicâ disputatione Rogerium Siciliæ Regem confutauit: tum Petri Leonis Antipapæ partes ita consilio ac sapientiâ debilitauit, vt ille ab omnibus desertus, ad extremum miserrimè perierit. Sed & Petrum Abailardum hæreticum, doctrinâ atque eloquentiâ præfidentem, cùm iam vix esset qui resistere posset, quomodo primùm in priuato congressu, deinde in Senonensi Concilio abiecit? Mox Gilbertum Porretanum, cuius item celebre nomen erat, quomodo in Concilio Rhemensi conuicit, vt ipsemet errorem suum palàm condemnaret? Denique Henricum Apostatam, qui Tolosanam Diœcesim impietate suâ infecerat, & inficere pergebat, solus ipse fudit ac fugauit. Ex quâ ipsâ fugâ retractus in vinculis, atque Episcopo traditus est. Quid aliæ peregrinationes, modò Mediolanum, modò Geneuam, modò ad Galliæ Regem, omnes pro arduis Ecclesiæ negotiis, omnes etiam cum felicissimo exitu? in his autem itineribus, quæ ad eum vbique causæ deferebantur? qui concursus fiebant? cùm perpetuò eius domus euntium ac venientium, ac se inuicem comprimentium multitudine compleretur. Fructus verò qui ex eius concionibus ad populum existebat, ne cogitari quidem potest: quàm innumerabiles videlicet ex vitiis ad bonā frugem se receperint, quàm multi dissidentes sint eius oratione reconciliati, quàm multi è satanæ faucibus erepti; cùm quocumque ille accederet, diuini amoris faces inijcere videretur: quod vel ex hoc apparet, quòd præter eos qui illius operâ ad alios Religiosos Ordines se è sæculi vanitate recipiebant, numquam ille Claramuallem rediisse dicitur, nisi magnâ stipatus cateruâ Nouitiorum, quos illius sermones in rete Domini compulerāt; & quidem fermè Theologiâ & eloquentiâ, tum etiam nobilitate insignium: inter quos Henricum numerant Franciæ Regis germanum fratrem, & alterum Herueum nomine, ex sanguine item Regio. Atque hæc de Bernardo. Deniq; non solùm Benedictus Asiam, Africam, ac præcipuè Europam suis seminibus impleuit, Regna & prouincias suâ prædicatione conuertens, verùm etiam Americam numquam anteà cognitam, bonorum suorum operum radiis illustrauit. Nam, vt refert Genebrardus in Chronologiâ suâ, lib. 4. & alij quamplures Historiographi, primus noui Orbis Apostolus electus ab Alexandro VI. Summo Pontifice Betfeil Monachus Benedictinus, natione Catalanus fuit, qui electis duodecim eiusdem familiæ sociis, Vicarius Generalis Summi Pontificis apud illas nationes fuit designatus, ac benedictione Pontificali acceptâ, ad hanc nouam Euangelij prædicationem ex Hispaniâ anno 1495. discessit, illisque Prouinciis omnium primus lumen fidei intulit.

Non his attexendus D. Bernardus qui speciale locum promeretur.

Quantos in Ecclesia hostes prostrauerit.

Innumeri S. Bernardi in omni bonorū genere fructus.

Non Asiam, Africam, atque Europā, sed Americā insuper Benedictinus Ordo vbertate suâ fecūdauit.

Hactenus quidem, quantum nobis per breuitatem licuit, de Ordine S. Benedicti, cuius Sancti gloria non in eo solùm consistit quòd vnum fundauerit Ordinem (qui ipsi veluti proprius & primarius est, atque ex ipsius communiter nomine appellari solet) sed & infinitæ quoque aliæ sacræ Congregationes, ab eodem veluti profluxerunt, ac sub Regulâ Benedictinâ militantes, eximios in Dei Ecclesiâ fructus producunt. nos è multis non nisi quatuor, reliquarum loco, recensebimus. Prima sit Camaldulensium Religio, quam velut paradisum Eden, ab omni sæculari strepitu secretam, viribus humanis inaccessibilem, celebrandam assumo. Illicò occurrit, vt laudum omnium materia Romualdus eius vineæ cultor & institutor, *vt alter Ioannes Baptista ex eremo lucerna ardens & lucens; qui claros Aegypti, Nitrias atque Thebaidas Anachoretas fertiles, transtulerit in Italiam: inter quos ipse, vt alter Antonius, forma factus idoneus eiusmodi vitæ institutum arripientibus.* Vnde, vt inquit idem, *factum est, vt admirandis progressibus sanctitatis, ex Cœnobio ad vitam transiens Anachoreticam, ita fecundus in prole sanctorum fuerit, vt Occidentalem Ecclesiam sanctis repleuerit Anachoretis: quorum aliqui Apostolatum ad gentes meruere, & insigni coronâ martyrij decorari.* Talis fuit de quo paulò antè Bonifacius Apostolus Russiæ, qui pro Christo inuictus martyr occubuit. Qui verò aciem gladij non pertulere, incruento martyrio seipsos vt hostiam Deo obtulerunt, & diffusus odor ipsorū in omni loco effecit, vt de hac quoque vineâ, nedum diceretur: *Ficus protulit grossos suos*, sed &, *vineæ florentes dederunt odorem suum.* Quin & vt nonnihil pergamus, Camaldulenses illi sunt, qui à terrenis omnibus extorres, in solos recessus intimè se obtinxerunt, silentij leges arctissimas sibi coniunxerunt: vt in diuinis toti essent, & effugerent humanos obtutus, cælo se insererent, nullius humani sermonis strepitu interturbarentur, eloquiis solummodò diuinis intenti. Isti sunt, qui (vt scripsit oculatus quidam testis, Eremi Camaldulensis descriptor) *zelo religionis Christianæ accensi, omnia sua facta dictaq; ad metam vnam, Deum puta ipsum summum suiq; diffusiuum bonum dirigunt. Isti sunt veri Christicolæ; sine dolo columbinâ simplicitate cum serpentinâ prudentiâ imbuti, profundæ humilitatis viri, seq; tamquam omnium abiectissimos reputantes: nam qui maior inter eos sem,* minimum

19. *Ordines qui à S. Benedicto promanarunt si seorsim inspiciātur, insignes fructus dedisse reperiuntur.*

Baron. anno 974. num. 2.

Quanta sanctitas sit Camaldulensium.

Ibidem.

Petrus Damianus in Rom. cap 45.

Sancta illorū exercitia.

Cantic. 2.

Andr. Mugno in descript. Erem. Camal. c. 15

minimum se existimat omnium, nulla inter eos inæqualitatis discordiæve ratio regnat. (*Insignissimæ horum virtutes.*) *Erga alios humani valdè atque vrbani, insignes charitatis amatores, in dictis veraces, corde nudi, spiritu pari, conscientiâ recti, morum vitæq; disciplinâ inclyti: in incessu gressuve graues, in loquela cauti, inter eos submissæ ac raræ voces, in aspiciendo, oculorum euolutione seuerâ remissi, in victu parcissimi, in dormitione temperati, ac in vestitu candidi, puritatem mentis & corporis denotante. In ceteris denique humanis gestibus & actibus mundissimi, ac circumspectissimi, medium, quod sanè tenuere beati, in omnibus complectentes, in loco excelso constituti, vt qui aliis prædominantur, in virtutibus excedant etiam, & ab eis quiq; religionis statui viuendi normam perdiscat. Perfecti Eremi operarij, veriq; Anachoretæ.* (*Verissimi Eremitæ & Anachoretæ existunt.*) *Nam si vnus cadit, mutuâ inter se charitate sublevatur, eiq; in spiritualibus pariter, & corporis refectionibus subuenitur. Sunt item velut vrbs alma supra montem collocata, quæ obscurari minimè potest: quorum sancta & præclara gesta vniuerso notissima sunt orbi: in quibus tamquam in crystallino speculo Christianæ omnes actiones relucent, habentes semper in manibus lampades assiduè lucentes, sacram videlicet Scripturam, cuius pia ac frequens lectio animas interno fulgore splendentes, in tranquillâ pace, animi quiete, concordiâ atque vnanimi mente ita conseruat, vt omnium sit cor vnum & anima vna, idemq; vnum velle ac nolle.* Sed (vt idem dicit descriptor sacri Eremi) (*Cap. 17.*) inter alia pietatis opera, quæ Eremitæ omnes, quotquot in Eremo sunt, faciunt, *assiduus est ad templum Domini concursus.* (*Continuò Deum deprecantur.*) *Videbis nempe illos omni studio ac sollicitudine die noctuq; offerendo Deo summo hymnis & laudibus, cum cærimoniis sanctissimis, posthabitis vndequaque cadentibus imbribus, descensu niuium, ventorum sæuitiâ, ac vehementi frigore, septies (instar Prophetæ) ad commemoratum Templum singulis anni diebus sub dio confluere, vbique conuenire. Ibi variæ orationes interno peccatorum dolore, cum gemitibus lacrymosis, suspiriis atque singultibus, ex intimis exeuntibus præcordiis frequentantur.* Modum autem canendi describens subdit: *Senties namque, (& vtroque sibi alternatim respondente choro) resonantem quemdam inter psallendum, ac pæne diuinum concentum, voces scilicet quasdam sonoras, planas, mediocres, æquales atque deuotas,* (*Modus cantandi apud Camaldulenses.*) *vnicam seu proferens vocem, planctum potiùs quàm cantum sapientes. Tale vtique Eremi incolæ munus legendi, non autem canendi esse debet.* O Sanctorum puritas! scandala grauia & multiplicia hic recenseri nō possunt, vnde absunt. (*Ex eodem.*) *Diuisiones omnes, seditiones, conciliabula, loquacitas, irrisiones, susurrationes, vaniloquia, & mendaciorum simulationes ac subornationes, murmurationes, detractiones, odia, ac humanæ omnes abiectæq; affectiones: ventris ingluuies, crapula, otiositas & somnolentia, inanis gloria, ambitus honoris ac diuitiarum desideria, elationes, petulantia,* (*Absunt ab illis vniuersæ etiā minimæ imperfectiones.*) *æmulationes ac hypocrisis simulata species, profanæ consuetudines, munuscula, curiositas, corporea mollities, & alia id genus, quæ longum esset recensere: quæ omnia aliena admodum valdeq; absurda Eremi incolis sunt, Eremoq; ipsi repugnantia, indigna, & magnoperè dissona: nequaquam enim talia patitur, neque permittit, quin potiùs huiusmodi contagioso languore infectos tamquam morbosos & abortiuos fetus expuit, ac veluti merè cadauera certissimè refutat. O sacra Camaldulensis Eremorum Eremus, sexcentis propemodum annis à tuâ primæuâ erectione ad hæc vsq; tempora mirabili immutatione frugiferæ vitæ, incredibili incremento, ac diuino suffragio laudabiliter perdurans: orationis, meditationis atque contemplationis fulgentissima officina, Paradisus terrestris cælestem sapiens: hortus conclusus supernum redolens. O sacrarium sacrum omni laude dignum!* Huius sacræ familiæ recensentur inter ceteros Samuel & Siluester, (*Quinā inter hos sancti numerentur.*) tamquam Eremi lumina, à quibus ceteri Eremitæ vitæ sanctæ splendorem sunt mutuati. Similiter & Ambrosius Moncada, illustris genere, sed virtutibus splendidior, cum Ioanne Baptistâ Nouariensi, tamquam scintillæ in arundineto discurrentes inuiuntur, ad cælos animo euolantes. Est ibi quidam Marcus Senior Eremitarum constitutionum & obseruantiarum per quinquaginta annos tenacissimus custos (*Quā extremus Camaldulensium rigor.*) obseruantiæ regularis speculum & exemplar. Sunt ibi, qui vltra abstinentias præscriptas & ieiunia diuturna (vt è mensibus ieiunent, & singulis sextis Feriis, & ter in hebdomadâ Aduentus & Quadragesimæ nudo solo, nudatis pedibus sedentes, pane tantùm & aquâ contenti) plures . . dies iuxta feruorem spiritus addunt, vt de priscis notauit Nazianz. (*Ad Helleniū.*) *Dimidiâ ex parte Christi ieiunium imitantur.* Alij quoque, vt scripsit etiam de suo tempore idem Nazianz. *qui annos integros in templo stantes, puras ad Deum manus expanderint: nec, quod vix cuiq; fidem facturum sit, vel tantillum obdormierint, sed viui lapidis instar Christo defixi steterint, ac velut obriguerint.* Sunt & qui reclusi vocantur, videlicet illi, vt scripsit Nazianz. qui *ferarum ritu paruis angustisq; domibus inclusi, ne mortalis cuiusque vultum inspiciant.* (*Cornelij & aliorū rara exempla.*) Inter quos Cornelius quidam recensetur, qui natus annos septuaginta, viginti annis & vltra, inclusus vitam peregit sub perpetuo silentio, ac vitæ præcipuo fulgore, Angelicam vitam transigens sub pelle mortali. Compēdiò dicam. Nihil magis horti Edem, imò & cælestis paradisi expressiùs gerit imaginem, quàm Camaldulensium Congregatio & conuersatio, ad soli Deo vacandum, & gustandum quàm suauis sit Dominus, efformata.

Alter Ordinis S. Benedicti fructuosissimus ramus est Cluniacensium Congregatio, à Bernone, 20. (*De fructuosissimâ Cluniacensium Congregatione.*) ope Willermi Ducis Aquitaniæ in pago Matisconensi felicissimè fundata, in quâ quid nisi fructiferas arbores inspicies, si Odonem, Hicmardum, Maiolum, Odilonem, sibi inuicem in tempore & sanctitate succedentes contempleris? Horum operâ Cluniacense ab his extructum (ait Baronius) (*Anno 1003. num. 12.*) *extitit alueare, ex quo in diuersa loca progressa sunt examina, tamquam agmina Monachorum, quæ Gallias & Hispanias, & Italiam oppleuere.* Tantam in his viris perfectionem notauit B. Petrus Damianus, (*Epist. quādā ad Clun. Insigne Petri Damiani testimonium.*) vt hæc scripserit. *Porrò autem dum tam districtum, tamq; frequentem sanctæ vestræ conuersationis ordinem recolo; non adinuentionis humanæ studium, sed sancti Spiritus magisterium esse perpendo: nam tanta erat in seruandi Ordinis continuâ iugitate prolixitas, tanta præsertim in Ecclesiasticis officiis protelabatur instantia, vt in ipso Cancri siue Leonis æstu, cùm longiores sunt dies, vix per totum diem vnius saltem vacaret horæ dimidium, quo Fratribus in Claustro liceat miscere colloquium.*

Sub D. Benedicti Regulâ militat insuper sanctissima Carthusiensium Religio, 21. (*P. 2. Hist. t. 15. §. 2. Carthusianorum laus amplissima.*) de quâ S. Antoninus illud elogium protulit, quòd vbi multi Claustrales nonnihil deflexerant à primæuo instituto, Carthusia tamen adhuc in suo rigore perseueraret. Spectabilis est in cunctis morum grauitas, & maturitas, & silentij perpetua disciplina.

Quod

Quòd si Pythagoras silentij legem præscripsit discipulis, vt tacentes loqui discerent; perpetuam suis silentij legem indixit Bruno, vt cum Deo scirent miscere colloquia, & viuentes in multâ patientiâ, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientiâ, in longanimitate, in Spiritu sancto, in charitate non fictâ, in verbo veritatis, in virtute Dei, illustria bonorum operum ad componẽdos mores se præberent exempla; vt pene quot huius sancti Instituti Religiosi numerentur, totidem perfectionis religiosæ paradigmata recenseantur. In hac solitudine sponsus ad cor sponsæ loquitur. In campis siluæ inuenitur, vbi in Ephrata, ob strepitum sæcularem, vix vox eius auditur. Hic in cauernis maceriæ, & in foraminibus petræ quiescens, columba eripitur de laqueo venatium, & à verbo aspero. Et vt familiam Brunonis cum S. Brunone concelebrem, *Hic omnium celebratur negotium, & in quiete pausatur actione. Hic pro certaminis labore recompensat Deus athletis suis mercedem optatam; videlicet pacem, quam ignorat mundus, & gaudium in Spiritu sancto. Hæc est illa Rachel formosa, pulchra aspectu, à Iacob plus dilecta, minùs filiorum ferax, quàm Lia fecundior, sed lippa: pauciores enim sunt ceteris fratribus à patre dilecti. Hæc Sunamitis pulcherrima, sola in omnibus finibus Israelis reperta, quæ Dauid foueret senem, & calefaceret.* Adeò autem ferax vinea est & fœcunda vitibus sanctorum Doctorum, atque Scriptorum, vt si omnia & singula historico solo stylo percurrerem, antè deficeret dies, fatigatumq; dicendo latus anhelaret. Carthusienses verò etiam nostris temporibus, vt scripsit quoque de antiquis Nazianz. *à mundi consortio distracti, ac solitudinẽ amplectentes, Deo viuunt magis, quàm cæteri omnes, qui in corporibus versantur, & sui ipsorum tantùm ex Dei colloquio fruentes, atque hanc dumtaxat partem pro mundo habentes, quam in solitudine cognoscũt.* Quid plura? *A domibus abhorrẽt, vrbium frequẽtiam fugiunt cognatamq; cælestis sapientiæ quietem amplectuntur: partim vt vitium vnà cum corpore confligant, silentium peculiariter sibi vendicant & garrulam linguam quasi vinculis quibusdam astringunt, labiaq; silentio comprimunt,* illud semper vsurpantes, *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in via mea.* Ab esu carnium tanta abstinentia, vt nec illis ex religionis virtute, nec infirmum corpus fas sit instaurare. Ieiuniis verò addicti, veterum illorum Patrum ieiunia imitantur. Certè si Angelicos Patres etiam his temporibus videas, vt de veteribus scripsit Nazianz. videbis eos *humiles & terrenos, & supra terrena: hos inter homines versantes, & rebus humanis superiores; hos vinculis perpetuæ clausuræ pressos & liberos, qui retenti sunt, & teneri non possunt: quorum nihil in mundo, & quorum omnia quæ mundo superiora sunt: quorum duplex vita est, altera contemplatiua, altera studiosè culta & expetita: hos, inquam propter mortificationem immortales, propter solutionem Deo coniunctos, ab amore alienos, & diuino libidineq; vacuo amore correptos: quorum fons lucis, & quorum iam radij splendorisq; traiectiones: quorum Angelici Psalmorum cantus, & pernox statio, & mentis ad Deum excessio, ante mortem in cælum se rapientes: quorum purgatio, & tamen purgantur, quippe nullum ascensus & deificationis modum sibi constituentes: quorum rupes, & quorum cæli: quorum abijci ac proteri; & quorum thronis insidere: quorum nuditas, & quorum incorruptibilitatis indumentum: quorum solitudo, & quorum sæculi alterius frequentia & celebritas: quorum voluptates compressæ, atque constrictæ, & quorum perpetua atq; inexplicabilis animorum oblectatio: quorum lacrymæ peccati diluuium, & mundi expiamentum. Quorum extensio manuum flammas extinguit, feras mulcet, gladiorum aciem retundit, atq; hebetat; instructas acies in fugam vertit.*

De rigidissimâ illorum solitudine.

Apud Suriũ, Tomo 5.

Quid de suis D. Bruno cõscripserit.

Oratione in Laudem Athanas.

Ad Hellenium.

Psalm. 38.

Oratione primâ in Iulianum.

Antiqua de illis S. Gregorij Nazianzeni laus potest intelligi.

Vbi hîc scandala possit quis aduertere, aut obijci à pusillis & factiosis malis laicis possunt? In hac vineâ quoque præter odorum fragrantiam in sanctis Confessoribus botros etiam pendẽtes inspicies, *Sicut enim botrus redditurus vinum, priùs in vineâ martyrij quadam natura arte suspenditur.* Sic pro primatu S. Petri & successorum eius in ligno mansit pendulus euersâ scalâ, Prior Londinẽsis, Ioannes Hogtonus cum aliis duobus Prioribus, Roberto & Augustino; quorum verenda à semiuiuis abscissa, intestina eruta; & corde transfixi vinum spirituale martyrij reddiderunt. Posteà tres alij in Carthusiâ, Hunfridus, Wilielmus & Sebastianus, post putentissimi carceris diuturnos squalores, vinculorum constrictiones, idem supplicium perpessi quod superiores, in passione similes extiterunt, quorum eadem apud Deum erat professio, atque vocatio. Alij decem Carthusiani Londinenses in horrendum carcerem protrusi, tunc vitam repererunt, cùm in mortem inciderunt, vno dempto, qui annis quatuor superuiuens, idem genus mortis quod alij expertus est. Ij autem erant, Richardus Berus, Thomas Græneus, Ioannes Danis, Thomas Iansonus, Gulielmus Grennodus, Thomas Scriuanus, Robertus Salteus, Gualterus Personus, Thomas Redingus, Gulielmus Hornus. Alij duo similiter Carthusienses suspensi catenis tam diu in patibulo hæserunt, donec ossa ceciderunt. *Quod factum, quàm gloriosum sit, & à Diuinitate dispositum, debemus aduertere. semper enim Deus, quos diligit, hos victores subuectione sublimi in aulam Regni cælestis inducit.* Hos in phalangâ suspensos botros non homines, sed Angeli in cælum propriis humeris euexerunt. Quis laudibus celebret vniuersos Confessores, quos Carthusia in dies transmittit ad Regnum? Horum laus sit, numero certo definiri vix posse.

21\. Ambros. Serm. 72.

Insignes in Carthusianorũ Ordine Martyres inuenti sunt.

Sander. de Schis. Angl. lib. 1. pag. 117

Surius in Comm. anni 1535.

Sander. lib. 1. pag. 119.

Ambros. Serm. 79.

Sed quin ad principaliorem Ordinis S. Benedicti fruticem deuenimus, Ordinem scilicet Cistertiẽsem, cuius sanctimonia annis iam ampliùs quingentis mirabiliter vniuersam illustrat Ecclesiam. Sumpsit ille initium à S. Roberto Molismẽsium Abbate: qui videns Conuentus sui atque adeò & aliorum Ordinis sui Monasteriorum zelum aliquantulum deferbuisse, cum sanctis Alberico & Stephano sibi postmodũ in Abbatiali dignitate successoribus agere cœpit de Benedictinæ Religionis reformatione, quã & generosè inchoauit & felicissimè ad exitũ perduxit. In cuius encomiorum pelagus si vela nostra ferri ac rapi sinamus, ita profundè abripiemur vt non facilè exituri simus. Offerunt sese pulcherrima atq; antiquissima Ordinis Chronica, Pontificum diplomata, Sanctorum innumerabilia examina alia, quæ breuiter nobis tractantibus vix spem faciunt dignè aliquid tantis laudibus proloquendi. Certè vt incipiamus à Chronicis, vetus quoddã in Monasterio D. Bernardi ad Scaldim munimentum asseruatur, insigniter huius Ordinis progressum

22\. *Cistertiensium laudem auspicamur ex Ordinis Chronicis, Pontificum Bullis & Sanctorum agminibus.*

Ordinis dilatatio describitur.

sum describit. Verba illius sunt: *Sicut sol in ortu suo rutilat, & in virtute sua exardescit: & sicut aromata odorem suauitatis grata exhalatione respirat, quo adolescentulas, id est, spiritu feruentes animas, post se currere faciant; sic Cistertiensis Ordo inter ceteros clarissimè emicuit, qui vniuersum Ecclesiæ paradisum & verbis illustrauit, & exemplis inflammauit; & suâ fragrantiâ refecit, adeo vt nemo esset qui ab eius calore se absconderet. Hic præclarus Ordo sub S. Roberto, arctioris vitæ desiderio de Molismo egresso simul cum Alberico & Stephano viris illustribus, eiusq; successoribus, & aliis quampluribus magnificè exorsus est, & in breui granum vile, & humanis oculis despicabile, sancti Spiritus rore imbutum & calore confotum, in arborem adeò sublimem & excelsam excreuit, vt cedros paradisi Dei adæquaret, ramosq; suos in vniuersam mundi latitudinem copiosissimè diffunderet: sub cuius vmbrâ, ab huius sæculi æstibus refrigerij solatium, & æternæ salutis ac suauitatis fructum vniuersi caperent, & inuenirent. Cùm denique viri sancti, cælesti feruentes desiderio, carnem spiritui viriliter subiugarent, mundiq; vanitatem conatu toto contemnerent, & in maximâ rerum omnium penuriâ Christo Domino cum gaudio militarent; factum est vt nemo ad eos conuersionis causâ declinaret, admirantibus quidem omnibus in eis & venerantibus vitæ sanctitatem, sed exhorrentibus pariter & refugientibus austeritatem: cùm repente Pater misericordiarum, talem ac tantum nolens deperire fructum, magnificè consolatus est seruos suos, suscitauitq; spiritum pueri iunioris, beati videlicet Bernardi, &c.* De quo ipsiusmet vita testata est, triginta illum iuuenes anno S. Stephani Abbatis decimotertio secum Cistertium, quò Religiosorum habitum ibidem induerent, adduxisse. Sed & anno Religionis suæ septimo factus Claræuallēsis Abbas, antè mortem in vno suo Monasterio septingentos & quinquaginta Religiosos habuit, aliaq; Ordinis sui 74. Monasteria fundauit, ex quibus ortum suum alia quoque 63. acceperunt. totiusque Ordinis breui post eum tempore, decem millia Conuentuum sunt inuenta. Sed & si quis exordium ipsum sacratissimi huius Ordinis, ex quo tanta processere incrementa, intueri desideret; vnum legat Ordinis manuscriptum planè authenticum, quod de Initio Ordinis scriptum est, & lib. 1. cap. 10. sic loquitur: *Cùm igitur in tantum negligentiæ torporem monasticus Ordo collapsus fuisset, vt venientibus ad conuersionem non tam profectus quàm periculum multis in locis imminere videretur, nec spes vlla restaurationis vspiam arrideret: Omnipotens Deus, qui seruos suos ab æterno præscitos in tempore vocat & iustificat, vt in æternum quandoque glorificet; dum medium silentium tenerent omnia, Spiritum sanctum suum de secretis cælestibus à regalibus sedibus misit in corda quorumdam Fratrum, qui in Cœnobio quodam degebant, quod in Burgundiæ partibus situm Molismus vocatur. Hi itaque serui Dei pauci numero, sed igne illo, quem Dominus Iesus misit in terram, & vult vehementer accendi, fortiter inflammati, dum quotidianas Regulæ lectiones in Capitulo audirent, & aliud Regulam præcipere, atque aliud consuetudines Ordinis tenere perpenderent; grauissimè contristabantur, videntes se ceterosq; Monachos Regulam B. Patris Benedicti solemni professione seruaturos forè promisisse, sed secundùm instituta eius nequaquam viuere. Primitus ergo priuatim sæpiùs inter se colloquentes, transgressionem suam conquerebantur, detestabantur, & quomodo huius tanti mali remedium inuenire possent, sollicite tractabant. Cùm verò posteà verbum effusum esset in publicum, ceteri, qui carnales erant, nec poterant dicere cum Prophetâ: De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me, seruos Dei deridere, modisq; quibus poterant, vt à tam sancto proposito cessarent, infestare cœperunt. At illi, qui spiritu Dei agebantur, & propterea liberi erant, non curantes eorum maleuolas insectationes, toto mentis annisu ad Dominum conuersi, precibus instantissimis postulant, vt Domini pietas eos ad talem locum dirigere dignaretur, in quo vota labiorum suorum, quæ secundùm Regulam firmauerant, sed nōn seruauerint, reddere possent. Deinde considerantes quod Apostolus monet, non omni spiritui esse credendum, & quòd Regula, quam modis omnibus seruare cupiebant, præcipit corripi eum, qui sine permissione Abbatis quippiam facere præsumpserit, Abbatem suum humiliter adeunt, de transgressione Regulæ querimoniam proponunt, voti sui feruentissimum desiderium pandunt, & vt eius consilio pariter & auxilio, quod Spiritu sancto inspirante mente conceperant perficere possint, suppliciter precantur, &c.*

Per S. Bernardum, quænam hic Ordo incrementa acceperit.

Motiuum quo ad instituendum hūc Ordinem Fundatores permoti sint.

Neque in vanum, nam vt iam supra retulimus, inchoatus hic Ordo sanctissimus fuit à D. Roberto, à sancto verò Bernardo per vniuersam Christi Ecclesiam dilatatus. quod per ipsum Bernardum præstari potuisse nequaquam mirandum est, vtpote quo ab Apostolorū temporibus, maior in faciendis miraculis, in conciliandis sibi Principum animis, ac promerendo Virginis Deiparæ patrocinio non fuerit.

23. Et quidem inter alia eaq; ingentia Beneficia, quæ sacer hic Ordo à Deo cōsecutus fuisse conscribitur, illud non vltimo loco recēsendum est, quòd specialissimè Deiparæ huius Virginis Mariæ honori consecratus sit, atque eiusdem pio patrocinio communitus. Ioannes namque Ordinis Cistertiensis Generalis, vir sanctitate præcipuus, in Cōclusione exhortatoria Priuilegiorum sui Ordinis ita scribit: *Hæc profectò sacra Religio, quæ potius ad sanctæ Regulæ S. Benedicti obseruantiam reformatio dicitur, prout sanctissimi Bernardi, aliorumq; Patrum scripta tradunt, peculiaris est in terris familia gloriosissimæ Matris Domini, cuius viuendi formam sibi deuotis famulis primis Patribus nostris inspirare certum est. Nam vltra spirituales reuelationes, intimasq; consolationes; sæpiùs fulgidissimo cæli ciuium stipata comitatu, eos visitabat, etiam visibiliter consolabatur, & docebat, adiuuabat, dirigebat. Ob hoc & ipsa sacri huius Ordinis Patrona, Domina, Protectrix & Aduocata nominatur. Sicut & Ordo ipse primus est omnium Ordinum in eius honorem dedicatus, cuius habitum tam Monachorum quàm Sanctimonialium tradidisse fertur cum tantæ dignitatis auctoritate, merito, & virtute; vt diabolus nullam habeat potestatem in aliquem, qui eo indutus moritur, &c.* Quin & cùm beatus Albericus S. Roberti dignissimus successor, orationi intentus, spiritū ad æthera erigeret, apparuit ei piissima Mater, & Ordinis sui propagationem ac incremētum promisit, & adiecit: *Ego Ordinem istum vsque in finem sæculi protegam & defendam.* Qualiter autem verbum suum adimpleuerit, quáve sollicitudine filios suos protexerit in necessitatibus & tribulationibus suis, nullus Cistertiensium antiquitatum vel mediocriter peritus ignorat. Testis nobis est ipse Summus Pontifex Innocentius, qui cùm Ordinem Cistertiensem conaretur extinguere, ab ipsâ piissimâ Matre

Ordo Cistertiensis specialiter B. Mariæ Virgini dicatus.

Lib. Priuilegiorum.

Apud Brito Tomo 1. l. 1.

acriter

Quomodo Ordinē suum Cistertiensem Virgo Maria extulit.

acriter increpatus, talia verba audiuit: *Tu Ordinem Cistertiensem, cuius Aduocata ego sum, destruere conaris, sed non praualebis, & nisi citiùs de tuo malo proposito resipiscas, ego te & omnem potestatem tuam conteram.* Cuidam etiam iuueni Coloniensi, qui incredibili odio aduersus Ordinem concepto, Religioni Cistertiensi detrahere non cessabat, apparens Deipara Virgo seuero vultu, & quasi faciem suam ab eo auertens, dixit: *Male puer, optimis amicis meis, quos habeo in toto mundo, maledicis & detrahis?* Et his dictis disparuit. Sed quid mirum, si seruos suos in terris tuetur, quæ eos in cælis singulari amoris affectu diligit & prosequitur? Quā de re accipe memorabile exemplum, quod his verbis narrat Cæsarius l. 7. c. 60. Monachus quidā Ordinis nostri, Dominam nostrā plurimùm diligens, antè paucos mēses excedens, ad contēplationem gloriæ cælestis deductus est. Vbi cùm diuersos Ecclesiæ triumphantis Ordines videret, Angelorum videlicet, Patriarcharum, Prophetarū, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & eosdem ceteris characteribus distinctos: item Canonicos Regulares, Præmonstratenses, siue Cluniacenses; de suo Ordine sollicitus, cùm staret & circumspiceret, nec aliquam de illo personam in illâ gloriâ reperiret, ad beatam Dei Genitricem cum gemitu respiciens ait: *Quid est sanctissima Domina, quòd de Ordine Cistertiensi neminem hîc video? Quare famuli tui tibi deuotissimè seruientes, à consortio tantæ beatitudinis excluduntur?* Videns eum turbatum Regina cæli, respondit: *Ita mihi dilecti sunt, qui de Ordine Cistertiensi sunt, vt eos etiam sub vlnis meis foueam.* Aperiensque pallium suum, quo amicta videbatur, quodque miræ erat latitudinis, innumerabilem multitudinem Monachorū, Conuersorum, & Sanctimonialium illi ostendit. Qui nimis exultans, & gratias referens, ad corpus rediit, & quid viderit, quidve audierit, Abbati suo narrauit. Sed & Iacobus de Vitriaco, Aconensis Episcopus, Hist. Occid. cap. 14. *Famâ autem*, inquit, *& opinione sanctitatis Cistertiensium, quasi ex odore vnguenti, adeò repleta est tota domus Ecclesiæ Iesu Christi, quòd non est prouincia vel regio, ad quam vinea illa benedicta palmites suos non extenderit. Dilatauit Dominus & beata eorum Patrona Virgo Maria (cui vnanimiter & vno humero vbique deuotissimè inseruiunt) locum tentorij eorum, & non solùm vsque ad mare propagines ipsorum protendit: vt iam per experientiam in se completum agnouerunt, quod ait Dominus in Euangelio: Centuplum accipient in hoc sæculo, & vitam æternam in futuro.* Cui verò hæc non sufficiunt verba, audiat Gregoriū II. de Cistertiensium professione perfectioneq; laudatissimè, vt sequitur, proloquentem: *In vestitu*, inquit, *deaurato Ecclesiæ sponsæ Christi, quæ varietate circumdata, sponso suo specioso formâ præ filiis hominum, mirabilis integritate fidei, & soliditate spei à dextris assistit Cistertiēsis Ordo, diuinis mancipatus obsequiis, & inter Religiones ceteras, Virgini singularitate deuotionis ascriptus; ex institutione primariâ, & professorum ipsius, quantum ex alto conceditur, prosecutionis instantiâ, rutilat charitate, candet castimoniâ, & pulchritudine conuersationis elucet. Huius Ordinis candidi Nazaræi, dicti videlicet Professores eiusdem sub arctæ obseruantiæ districtione viuentes, in conspectu eorumdem Regis Regum, & Reginæ cælestis, phialas odoramentorum plenas, in orationum assiduitate præsentant, beneplacitis illorum per opera pietatis inseruiunt*, &c.

Mirabilis Religiosi hac de re visio.

B. Virginis erga Cistertienses affectus.

Quid de illo Iacobus de Vitriaco.

Quid Gregorius Papa vndecimus

24. Et quidem si sacrosanctæ Religionis Cistertiensis encomia ex ipsis Pontificum Bullis inspicere lubeat, quid de illâ supremi alij Ecclesiæ Pastores tradiderint, inspiciamus. Clementis Papæ IV. sunt verba: *Paruus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem solemq; conuersus, in aquas plurimas redundauit, Cistertiensis est Ordo præluсidus, qui à sui ortus exordio paruus & humilis, abiectione habitus, tenuitate substantiæ, ac numero professorum, sub fontis metaphora non indignè describitur*, &c. Et infra: *Hic est fons amœnus varietate virtutum, præclarus munditiæ puritate, pietate patens, indeficiens sanctitate. Horum merito sic excrescere meruit, vt fontis nomen excedens fluuius censeatur, cuius processus laudabilis de virtute in virtutem, vt Deum Deorum in Sion videat, gradientis vniuersalis Ecclesiæ lætificat vnitatem, in quâ per meritorum euidentiam claræ lucis splendorem adeptus, quasi stella matutina resplēdet in medio nebulæ mundi huius, & in eā splendidos emittens radios instar solis, velut aquæductus de paradiso progrediens, in aquas redundat plurimas: hortus plantationum suarum, cœtui quidem claustralium, quos produxit aquis irrigans gratiarum, & vino spiritualis lætitiæ fructum inebrians partus sui. Huius siquidem Ordinis sacra Religio, à sua institutionis auspiciis quasi deserta & inuia, vtpote paucis adhuc initiata cultoribus, tandem honoris & honestatis fructus parturiens ramos suos, ramos quidem honoris & gratiæ, quasi terebinthus extendit germinans generationes, & progenies germinauit. Eapropter lætatur & iubilat lætabunda, & laudans exultat in multitudine numerosâ, quæ olim quasi despicabilis in solitudine delitebat*, &c. Alexander verò IV. Epistolâ ad Cistertienses in Comitiis Generalibus congregatos de illorum Ordine fuit confessus: *Inter innumeras mundani turbinis tempestates, quas contra Ecclesiam Dei, & nos ipsos feruētis persecutionis procella commouit, magnum nobis est præstitum, Deo prouidente remedium, cùm vniuersitatis vestræ feruentissima charitas nec pericula timuit nec adminicula denegauit. Ex his videlicet retributionis cumulum, ex illis, auctore Domino, patientiæ consecutura triumphos. Meminimus planè, & cum omnium gratiarum actione recolimus, quàm inuiolabili firmitate fluctuantem Petri nauiculam fidei vestræ anchora seruauit in turbine. Qualiter etiam frequens orationum instantia, quasi iterùm dormientem in eadem nauiculâ Saluatorem, ingruente suscitauerit tempestate. Ita vt sæpenumerò magnitudine stupefacti miraculi, & ipsum glorificemus, quo mari & fluctibus imperante, optata cœpit arridere tranquillitas, & vos penitus venerabiles habeamus, quorum nobis suffragantibus meritis cælestis creditur placata Maiestas.* Et quidem si duorum iam dictorum Summorum Pontificum de Ordine Cistertiensi præclarissimis testimoniis, sæcularium etiam asserta velimus annectere, finem non video: reliquorum locum subeat Fridericus Imperator, cuius ad Cistertienses sic habet Epistola: *Credimus, immò verè scimus, quòd tanta est sanctitas huius reuerendi Ordinis, tamq; est placens, tamq; suaue & acceptabile holocaustum orationum vestrarum, quod Deo quotidie offertis sub carnis vestræ maceratione & mortificatione, quòd omne id quod à Creatore nostro duxeritis petendum, cùm pius ipse sit & promptus ad benefaciendum, obtinebitis à multitudine miserationum suarum. Est etiam fides nostra non vtique parua, quòd hic mundus, qui lubricus & immundus est, & in maligno positus,* ora-

Præclarū de Ordine Cist. testimonium Clementis IV.

Alexandri etiam IV.

Cist. Ecclesiā defendunt.

Epist. ad Cist lib. Priuil.

orationibus vestris sustentatur, & à facie furoris illius tremendi Iudicis, cuius iram peccatis nostris accendimus, defendatur, &c. Quod si quis ex affectu dictum putet, ipsimet veritati Christo Saluatori nostro aures ac fidem præbeat: Cùm enim in die eximij ac mellifluí Ecclesiæ Doctoris D. Bernardi in honorem ipsius Missa, *In medio Ecclesiæ* cantaretur, & beata Mechtildis præ deuotione intenderet his quæ cantabantur, & quid esset illud medium Ecclesiæ cogitaret; Dominus, cuius respectus est in electos suos, animam eius lumine suæ cognitionis illustrauit, dicens: Medium sanctæ Ecclesiæ est Ordo sancti Bernardi, sustentans Ecclesiam, velut columna, cui tota domus innititur. Quia ad vniuersalem Ecclesiam & ad omnes Ordines, se quo ad aliquid tenet, ad Religiosos scilicet per bonæ conuersationis instructionem & informationem: nam omnes alij Ordines hunc Ordinem in aliquo imitātur. Narrat hoc Iacobus Fab. lib. Trium virorum & trium mulierum spiritualium, lib. 5. Operum sanctæ Mechthildis, cap. 5. Angelus Manriquez Laureâ Euangelicâ.

Quid Christus de Ordine Cist. protulerit.

25. *Quā magna Sanctorum in Ordine Cisterciensi multitudo.*

Ad examina verò Sanctorum vt perueniamus, fuerunt ea in omnis perfectionis genere apud Cistercienses innumera, sed breue hocce compendium, longam adeò tot meritorum ac nominum descriptionem non sustinet: recensebimus itaque illorum solum catalogum, quorum nuper Vitas ad longum in lucem edidit Reuerendus atque eximius P. Ioannes Chrysostomus Henriquez, S. T. Magister, magnus Ordinis Calatrauæ Prior, & Ordinis sui Cisterciensis Historiographus generalis. In cuius Distinctionum ac Auctorum Indice, sequentium Sanctorum Vitæ reperiuntur. Vita sanctissimi Patris Roberti Abbatis, qui primus eremum Cisterciensem incoluit, & Ordinis Cisterciensis felicibus auspiciis fundamenta iecit. Vita sanctissimi Patris Alberici secundi Abbatis Cistercij, qui sacram reformationem nouiter inchoatam auctoritate Pontificiâ muniuit, & colorem habitus beatissimâ Virgine præcipiente mutauit. Vita sanctissimi Patris Stephani III. Abbatis Cisterciensis Cœnobij, sub quo sacra dicta Religio palmites suos extendere cœpit. Vita sanctissimi Patris Bernardi, Claræuallensis Cœnobij Abbatis I. Vita beati Roberti, discipuli sanctissimi Patris Bernardi, I. Abbatis Dunensis Monasterij, & secundi Claræuallensis, Ordinis Cisterciensis in Flandriâ primi propagatoris. Vita beati Eugenij huius nominis III. Pontificis Maximi, sanctissimi Patris Bernardi discipuli, & Claræuallensis Monasterij Monachi, qui Ordinem Cisterciensem in vrbe Româ primus propagauit. Vita sancti Patris Martini, Abbatis Hortensis, Episcopi Seguntini, qui sub titulo sancti Sacerdotis in Sanctorum numerum est adscriptus. Vita beati Fastredi, I. Abbatis Camberonensis in Hannoniâ, tertij Claræuallensis & septimi Cisterciensis Generalis, qui Ordinem Cisterciensem in Hannoniâ propagauit. Vita beati Wilelmi, discipuli Patris Bernardi, primi Abbatis & Fundatoris Monasterij Rieuallis, qui Ordinem Cisterciensem primus propagauit in Angliâ. Vita B. Aldeberti, discipuli S. Patris Bernardi, Abbatis S. Ioannis de Tarocâ in Lusitaniâ, qui in eâ prouinciâ Ordinem Cisterciensem dilatauit. Vita sancti Roberti, Abbatis Ordinis Cisterciensis in Angliâ, & Noui Monasterij Fundatoris. Vita beati Hermani, Monachi Hermenrodensis, primùm in Heisterback, pòst in loco sanctæ Mariæ Abbatis. Vita B. Humberti, Igniacensis Cœnobij Fundatoris & Abbatis primi. Vita B. Gerardi Abbatis, qui primus instituti Cisterciensis leges in partibus Aquilonis introduxit. Vita beati Balduini de Boëlâ, Fundatoris sacri Cœnobij Bodoloënsis, Cisterciensis Ordinis in Comitatu Flandriæ. Vita beati Ioannis Eustachij, primi Abbatis Iardineti, Ordinis Cisterciensis in Comitatu Namurcensi in Belgio, diuersorum Monasteriorum Reformatoris. Vita beati Raymundi, Abbatis Fiteri, Ordinis Cisterciensis, & Militiæ Calatrauæ Institutoris.

Breue horum ex scriptis Chrysostomi Henriquez compendium.

Variarum Abbatiarum Sancti Fundatores & Prælati.

26. *Viri sanctitate constantiaq; eximij qui sese fidei hostibus opposuerunt.*

De aliis verò Cisterciensis Instituti Religiosis, qui militantes in defensionem fidei, Orthodoxam Religionem dilatauerūt, subiungit Henriquez & inquit: Vita beati Ioannis Ciritæ, Abbatis & Fundatoris Monasteriorum S. Ioannis de Tarocâ, S. Christophori & S. Petri de Aquilis, & Ordinis Militaris Auisiensis Legislatoris. Vita S. Guilielmi, Archiepiscopi Bituricensis, Ordinis Cisterciensis Monachi, & Abbatis Caroli loci, qui primus contra Albigenses hæreticos decertauit. Vita beati Petri de Castro Nouo, Martyris & primi auctoritate Apostolicâ Inquisitoris hæreticæ prauitatis, Abbatis Fontis Frigidi. Vita beati Arnoldi, Abbatis Cistercij II. Inquisitoris Generalis contra hæreticam prauitatem. Vita beati Fulconis, ex Monacho & Abbate Siluæ, Archiepiscopi Tolosani, qui Albigensium hæreticorum errores ad finem vsque mirabili constantiâ repressit. Vita beati Didaci Oxomensis Episcopi, qui contra eosdem Albigenses hæreticos singulari spiritus fortitudine, præcipuè post assumptionem habitus Cisterciensis Ordinis militauit. Vita beati Henrici VII. Claræuallensis Abbatis, Cardinalis Episcopi Albanensis, mirabilis religionis Catholicæ propagatoris & vindicis. Vita beati Conradi, Monachi & Abbatis Villariensis in Brabantiâ, posteà Claræuallis & Cisterciensis S. R. E. Cardinalis, Episcopi Portuensis, hæreticorum acerrimi persecutoris. Vita beati Gelasij Oculinam, Abbatis Boylensis, qui contra perfidos hæreticos in Hiberniâ vsque ad effusionem sanguinis decertauit. Vita sancti Thomæ, Monachi Cisterciensis, Archiepiscopi Cantuariensis, qui proprio sanguine Ecclesiæ libertatem stabiliuit. Vita beati Wilelmi, Abbatis Villariensis in Brabantiâ, & pòst Claræuallensis in Galliâ, Ecclesiasticæ libertatis vindicis acerrimi, qui variis exagitatus tribulationibus, coronam Martyrij in æternâ patriâ obtinere meruit. Vita beati Eskili, Archiepiscopi Lundunensis, & Apostolicæ Sedis Legati in Insulis Aquilonaribus, qui pro defensione Ecclesiasticæ auctoritatis multa perpessus, in Monasterio Claræuallensi Cœnobiticam vitam amplexus est. Vita sancti Edmundi, Archiepiscopi Cantuariensis, qui post varios labores, grauissimasque, quas patienter pro Ecclesiæ auctoritate tuendâ, persecutiones pertulit, habitum Cisterciensis Ordinis in Pontiniaco suscepit. Vita beati Bonifacij, Episcopi Lausanensis, quem zelus Domini exercituum tabescere fecit, adeò vt à Sacerdotibus, quorum vitia arguebat,

Martyres quoque hoc ex Ordine permulti.

guebat, ferè occisus, diuini cultus zelatorem se exhibuit, qui tandem Cistertiensis Monachus factus, sanctissimè sub instituto eodem Domino militauit.

27 *Adiungit idem R. P. Henriquez in secundâ suâ Distinctione aliorũ SS. Vitas.*

Et horum quidem in primâ suâ Distinctione Vitas fusissimè ac solidissimè tractat, quibus in secundâ Distinctione non minora adiungit: nam ibidem describitur ab illo Vita sancti Petri, Archiepiscopi Tarantasiæ; qui pro vero Pontifice Romano contra Antipapam Ecclesiæ Romanæ inuasorem singulari zelo se opposuit. Vita sancti Hugonis, Abbatis Bonæuallis, qui diuinâ inspiratione excitatus, contra Octauianum Pseudo-Pontificem viriliter insurgens, pacem inter schismaticum Romanorum Imperatorem, & verum Ecclesiæ Antistitem summum conciliauit, & cuius consilio, miraculosis præcedentibus signis, festiuitas spineæ Coronæ in Ordine Cistertiensi est introducta. Vita sancti Malachiæ, Archiepiscopi & Primatis Hiberniæ, qui Ecclesiasticam disciplinam iam pænè collapsam eadem in insulâ erexit, Monasticumque rigorem post assumptum in Claraualle Cistertiensem habitum ibidem restituit. Vita beati Benedicti XII. ex Monacho & Abbate Cistertiensi ad varias dignitates, & tandem ad summum Ecclesiæ Pastoratum euecti, cuius vitæ sanctimoniam miracula post mortem eius meritis patrata commendant. Vita beati Henrici, Fratris Regis Galliæ, Monachi Claræuallensis, Rhemensis Archiepiscopi, sancti Patris Bernardi discipuli. Vita beati Pontij V. Abbatis Claræuallis, posteà Clarimontis Episcopi. Vita beati Gaufridi, Episcopi Sorensis in Insulâ Sardiniæ. Vita beati Balduini, Archiepiscopi Pisani, ex Monacho Claræuallis ad Pontificiam dignitatem assumpti. Vita sancti Bernardi Caluonij, Monachi & Abbatis Sanctarum Crucium, & Episcopi Vicensis & Celsonensis in Hispaniâ. De Episcopis Cistertiensibus sanctitate præcipuis, quorum res gestæ ad longum in R. P. Chrysostomi Henriquez Opere non narrantur, nomina dumtaxat recensentur: De B. Ioanne, Episcopo Valentino, cap. 1. De B. Petro, Archiepiscopo, cap. 2. De B. Amadæo, Episcopo Lausanensi, cap. 3. De B. Felice, Episcopo Ossoriensi, cap. 4. De B. Torphimo, Episcopo Hamariæ, cap. 5. De B. Alano, Episcopo Antisiodorensi, cap. 6. De B. Ottone, Frisingensi Episcopo, cap. 7. De B. Ouarino, Episcopo Sedunensi, cap. 8. De B. Algoto, Episcopo Curiensi, cap. 9. De B. Christiano, Episcopo in Hiberniâ, cap. 10. De B. Emmanuele, Episcopo Cremonensi, cap. 11. De B. Gaufrido, Episcopo Carnotensi, cap. 12. De B. Martino, Cardinale, cap. 13. De B. Christiano, Episc. Kelmensi, cap. 14. De B. Stephano, Card. Episcopo Prænestino, cap. 15. De B. Godefrido, Episcopo Lingonensi, c. 16. De B. Guicardo, Archiepiscopo Lugdunensi, cap. 17. De B. Hugone, Episcopo Altisiodorensi, cap. 18. De B. Hugone, Cardinale, Episcopo Portuensi, cap. 19. De B. Ruando, Episcopo Venensi, cap. 20. De S. Balduino, Archiepiscopo Cantuariensi, cap. 21. De Caducano Britanno, Episcopo Bauchorensi. cap. 22. De Ioanne de Toleto, Episcopo Portuensi, cap. 23. De Trustamo, Archiepiscopo Eboracensi, c. 24. De B. Episcopo Anonymo, cap. 25. Sed ad Vitas fusè descriptas redit Chrysostomus.

Episcoporum sanctorum nomina quorum Vitæ ab Hériquez ad longum non describũtur.

Vita S. Stephani, Fundatoris Ordinis Grandimontensis, qui Regulam & Constitutiones Cistertienses obseruat. Vita S. Guillelmi, Aquitanorum Ducis, discipuli sanctissimi Patris Bernardi Abbatis, Fundatoris Ordinis Guillelmitarum, qui sub Regulâ Monachorum Patriarchæ Benedicti & Cistertiensium consuetudinibus, vsque in hodiernum diem Domino militat. Vita B. Ioachimi Prophetæ, Abbatis Coratij, & Fundatoris Congregationis Florensis, quæ Cistertiense institutum obseruat, & B. Bernardo dicata est in Calabriâ. Vita B. Guillelmi, Abbatis sancti Theodorici in Ordine Cluniacensi, pòst in Monasterio Claræuallis Monachi. Vita B. Eruci, Abbatis Vrsicampi in Regno Galliæ. Vita B. Guerrici, Abbatis Igniacensis Cœnobij, discipuli Patris Bernardi. Vita B. Walteri de Traiecto, Cœnobij Villariensis Abbatis X. Vita B. Arnulphi Louaniensis Abbatis XIII. Villariensis Cœnobij. Vita B. Guillelmi, Abbatis sancti Albini, Ordinis sancti Benedicti, & postmodum Claræuallensis Cœnobij Monachi. Vita B. Petri, cognomento Monoculi, primùm Igniacensis, postmodum Claræuallensis Cœnobij Abbatis VIII. Vita B. Eustachij, Abbatis de Flay in Normanniâ, Ordinis Cistertiensis. Vita B. Caroli Abbatis VIII. Monasterij Villariensis in Brabantiâ, & Hemmenrodensis in Germaniâ Cœnobij Monachi. Vita Venerabilis Arnulphi, Abbatis Villariensis, egregiæ pietatis viri, & Monasticæ disciplinæ strictissimi obseruatoris. Quibus adiungitur de aliquibus rursum sacri Ordinis Cistertiensis Abbatibus, sanctitate & miraculis celeberrimis, quorum Vitæ in hoc libro ad longum non continentur, scilicet: De S. Stephano, Abbate Cistertij, cap. 1. De B. Guillelmo, Abbate Villarij, cap. 2. De B. Nicolao, Abbate Villarij, cap. 3. De B. Ydesbaldo, Abbate Dunensi, cap. 4. De B. Mamerto, Abbate, cap. 5. De B. Erone, Abbate, cap. 6. De B. Dominico, Abbate, cap. 7. De B. Euerhardo, Abbate, cap. 8. De B. Roberto, Abbate, cap. 9. De B. Gundisaluo, Abbate, cap. 10. De B. Ioanne, Abbate Casæ Marij, cap. 11. De B. Boemundo, Abbate sancti Ioannis, cap. 12. De B. Gerbrando, Abbate Clari-campi, cap. 13. De B. Eiso, Abbate Clari-campi, cap. 14. De B. Radulpho, Abbate Valcellensi, cap. 15. De B. Petro Abbate Morelolæ, cap. 16. De B. Alberico, Abbate Sauigniacensi, cap. 17. De B. Gregorio, Abbate Obolunæ, c. 18. De B. Abraham, Abbate Prateæ, c. 19. De B. Bartholomæo Abbate Populeti, c. 20. De B. Gundisaluo Abbate Azebeyri, c. 21. De B. Aelredo Abbate Rieuallis, c. 23. De S. Martino, Abbate Vallis Paradisi, c. 24. De B. Walerano Abbate Vrsicampi, c. 25. De B. Richardo, Abbate Valcellensi, c. 26. De B. Eustachio, Abbate Hemmenrodensi, c. 27. De B. Stephano, Abbate de Obosunâ, c. 28. De B. Daniele, Abbate, c. 29. De S. Bertrando, Abbate, c. 30. De B. Fulcone Abbate Dunensi, cap. 31. De B. Nicolao, Abbate Valcellensi, c. 32. De B. Gaufrido, Abbate Claræuallis, c. 33. De B. Simone, Abbate Caziaci, cap. 34. De B. Geuardo, Abbate

28. *Aliorũ Vita qui Ordinis Cistertiensis computãtur.*

Abbatum sanctorum nomina quorum Vitæ ad longum non recensentur.

En quantus is numerus.

Abbate Heisterbacensi, cap. 35. De beato Bernardo Abbate, cap. 36. De beato Gaufrido Abbate, cap. 37. De B. Christiano Abbate Toreneti, cap. 38. De B. Ogero Abbate Loredij, cap. 39. De sancto Theobaldo Abbate, cap. 40. De B. Daniele Abbate Schonaugiæ, cap. 41. De B. Godefrido Abbate, cap. 42. De Adamo Abbate Regij loci, cap. 43. De Adamo Norensi Abbate, cap. 44. De B. Ethelredo Abbate VVardensi, cap. 45. De Geruasio Abbate Parcensi, cap. 46. De B. Gilberto de Hoilaudjâ, cap. 47. De Gualtero Abbate Morganiensi, cap. 48. De Henrico Salteriensi, Abbate, cap. 49. De Ioanne Abbate Iornalensi, cap. 50. De Ioanne Abbate Fordensi, cap. 51. De Ioanne Abbate Fontanensi, cap. 53. De B. Mauricio Abbate Fontanensi, cap. 53. De Radulpho Coggeshalensi Abbate, cap. 54. De Richardo Abbate Herefordiensi, cap. 55. De Coraldo Abbate Fontanensi, cap. 56. De B. Raynaldo Abbate Fulmacēsi, cap. 57. De B. VValeno Abbate Meilrossensi, cap. 58. De B. Aegidio, Abbate sancti Martini, cap. 59. De B. Daniele, Abbate Camberonensi, cap. 60. De B. Gerardo, Abbate Floriacensi, cap. 61. De B. Mauricio, Abbate sancti Martini, cap. 62. De B. Serlone, Abbate Sauigniaci, cap. 63. De sancto Gilberto, cap. 64. De B. Hostrado, Abbate, cap. 65. De B. Hugone, Abbate, cap. 66. De B. Cunano, Abbate, cap. 67. De B. Euerhardo, cap. 68. De B. Abbate Anonymo, Ord. Cistertiensis, cap. 69.

29. Sed ad Vitas redeamus. Sequitur in auctore: Vita Ven. Patris, Fratris Ludouici de Estradâ, Hortēsis Monasterij Monachi, & Abbatis. Vita Reuer. Patris, Fratris Angeli de Victoriâ, Generalis Ordinis Obseruātiæ, & Monachi Monasterij Ferrariensis. Vita P. F. Marci de Porras, Monasterij sanctæ Mariæ Nucalensis, Monachi & Abbatis. Vita Reuerendissimi P. F. Marci de Villalbâ, Monachi Monasterij Montis Sion, & Generalis Reformatoris Congregationis Hispaniæ. Vita Patris F. Benedicti de Salamāticâ, Monachi Monasterij Morerolensis, & Abbatis electi S. Mariæ de Melone. Vita Patris F. Bernardi de Escobar, Monachi Monasterij Montis Sion, & eiusdem loci Abbatis. Vita Apostolici viri Deo dilecti Fratris Candidi, à S. Bernardo Monachi reformationis Hispaniæ Ordinis Cisterciēsis in Nucalensi Cœnobio, & Abbatis electi sanctæ Mariæ de Melli-Fonte. Sed & pergit P. Henriquez, De aliis religiosissimis Abbatibus, qui nostram ætatem admirandis virtutibus illustrarunt, scilicet. De Fratre Placido Luzuriagâ, Monasterij Ferrariensis, Monacho & Abbate. De V. Patre Laurentio Gonzalez, Abbate. De Fratre Nicolao Fagan, Monasterij Ferrariensis in Castella Religioso, Abbate Suriensi in Hiberniâ. De V. Patre Adriano Cancellier, Abbate Dunensi. Quibus addit auctor Virtutes & Elogia ac certamina sacri Ordinis Cistertiensis Monachorum, qui pro fide Orthodoxa, libertate Ecclesiastica & zelo iustitię feliciter in hoc exilio occubuerunt, & in æterna patriâ gloriosissimè triumphant. Et in primis de B. Gerardo, Abbate Claræuallis, qui pro conseruandâ Monasticâ disciplinâ, coronam martyrij promeruit. De B. Petro, Abbate Fontis Frigidi. De sanctis Bernardo, Gratiâ & Mariâ, filiis Regis Carletani, Ord. Cistert. Religiosis & Martyribus. De B. Bertoldo, Abbate Lucensi in Saxoniâ, Episcopo & Apostolo Liuoniæ martyre. De bis mille Religiosis Cistert. & Martyribus Calatrauæ. Hos sequitur Vita beati Ferdinandi Principis, Religiosi Cistertiensis, & Militiæ Ausiensis Magistri & Generalis & Martyris. Mirabilis Historia de Martyrio quadraginta Monachorum Hibernorum, Cœnobij Magiensis, qui post mortem resuscitati, beatæ Virginis Vesperas cecinerunt. Gloriosum certamen B. Guilelmi VValchæi, Monachi Cistertiensis in Hibernia, Episcopi Midensis & martyris. Sed compendiose referamus quod idem auctor habet de aliis sacri Cistertiensis Ordinis martyribus, quorum certamina ad longum in suo libro non describit, scilicet, De sancto Thomâ, Archiepiscopo Cantuariensi, cap. 1. De B. Adamo, & eius socio martyribus, cap. 2. De beatis Stephano & Idelrando martyribus, cap. 3. De B. Gualtero, Episcopo Antisiodorensi & martyre, cap. 4. De B. Petro, Episcopo Catalannensi & martyre, cap. 5. De Ioanne Messiâ & Monacho eius socio martyribus, cap. 6. De Abbate & Monachis Cœnobij Stetickenbekensis martyribus, cap 7. De Monachis Sedelitzensis Monasterij martyribus, cap. 8. De Abbate & Monachis beatæ Mariæ de Firmitate, martyribus, cap. 9. De sanctis Martyribus Cuprunicensis Cœnobij, cap. 10. De Martyribus Olleckensis Cœnobij, & de Martyribus Nouæ-Cellæ & Grumain, cap. 11. De Monachis Oliuetanis & Monialibus Vitaniensibus Ord. Cist. & martyribus, cap. 12. De centum Monachis, martyribus in Galliâ, cap. 13. De B. Michaele martyre, cap. 14. De B. Gelasio, Abbate & martyre, cap. 15. De BB. Patricio & Malachiâ martyribus, cap. 16. De B. Thoma Dunensi, Monacho & martyre, cap. 17. De B. Cornelio Poldermans martyre, cap. 18. De aliis Monachis Cistertiensibus, qui in Hiberniâ passi sunt, scilicet, De B. Nicolao Macgerald. De B. Eugenio Omulkeran. De B. Eugenio Ogallahure. De B. Bernardo Treuir. De B. Eugenio Corñio. De B. Cornelio Rorick, cap. 19. De Monachis in Regno Angliæ propter fidem occisis, videlicet, De B. Guillelmo Trust, Abbate Fontanensi. De B. Ioanne Pallei, Abbate VVallensi. De B. Guillelmo Addoc. De B. Abbate Sauliensi Anonymo. De B. Richardo VVohitinges, Abbate Glastemburiensi. De B. Ioanne Torne. De B. Rogero Iacobo, cap. 20. Quorum omnium Gesta, quia prolixum nimis fuit referre, ad Eximium P. Ioannem Chrysostomum Henriquez Lectorem remittimus: sufficit enim nobis vel vnico solùm oculo inspexisse, quantâ Sanctorum gloriâ ac meritorum copiâ ad ditādum quamplurimum communem Ecclesiæ thesaurum, Ordo Cistertiensis, si non supra alios, non minùs saltē quam vllus ex iis, abundauerit, affluxeritque.

Vita aliorum Abbatum ad longum descripta.

Abbates præsentis temporis aliquot insignes.

Monachi præterea Cistertienses Martyrio excellentes.

Illorum non exiguus numerus.

In Fasciculo Sanctorum Ordinis Cistertiensis.

30. Ad Norbertinum proinde ac Canonicum Ordinem accedere poterimus, & de illo proferre, quæ Eximius sui etiam Instituti Generalis Historiographus Reuerendus admodum atque Amplissimus D. Ioannes Chrysostomus vander Sterre, Antuerpiæ ad Diuum Michaelem Abbas, insigniter compilauit & euulgauit in Natalibus Sanctorum candidissimi Ordinis sui Præmonstratensis, quibus & hæc Summorum Pontificum subiecit Elogia. Adrianus Papa IV. *Attendentes itaque, quomodo Religio & Ordo vester*, CVIVS NOS ALVMNVS ALIQVANDO FVIMVS, *multâ refulgens*

Ordinis S. Norberti laudes aggredimur.

fulgens gloriâ meritorum, & gratiâ redolens sanctitatis, palmites suos à mari vsque ad mare extenderit, &c.

Ex Adriano IV. Pontifice Norbertina.

Idem Adrianus: *Sicut in humano corpore membra plurima esse dignoscuntur, & alia in maiori honore habeantur, quoniam pro excellentia suæ dignitate sunt chariora; ita in Corpore Christi, quod est Ecclesia, plurimi sunt ad laudem & honorem Domini congregati, quidam tamen propensiùs in ipsius laudibus & seruitio commorantes, sicut membra excellentiora in Corpore Christi numerantur, & sunt quasi luminaria in firmamento cæli, quæ terrenos illuminant, & ad Christi seruitium proprij vnguenti odore student alios attentiùs prouocare. Vos autem filij in Christo charißimi, quoniam de illorum numero vos esse cognoscimus, sinceræ affectu diligimus charitatis, & vestris iustis postulationibus gratum volumus exhibere consensum, vt tantò feruentiùs in Domini vineâ laboretis, quantò apud Matrem sacrosanctam Romanam Ecclesiam maiorem gratiam senseritis inuenisse.* Alexander PP. III. *Omnipotenti Deo, à quo vniuersa bona procedunt, gratiarum referimus actiones, qui vos in vnitate Catholicâ conseruauit, & non permisit schismaticâ pollui prauitate, licet enim schismaticorum præsumptio diuersis vos calliditatibus & mendaciis à deuotione S. Petri & nostrâ retrahere niteretur; vestra tamen discretio illorum iniquitatem studuit euitare, & vnitatem Catholicam conseruare. Quod siquidem gratum & acceptum tenentes, & vestræ fidei constantiam & sinceritatis affectum in Domino plurimum commendantes, gratias quas debemus vobis referimus, firmum propositum & firmam voluntatem habentes, personas & Ecclesiam vestram merâ cordis affectione diligere, & internæ dilectionis brachiis amplexari, & iura ipsius illæsa & integra conseruare.*

Ex Alexandro III.

Ex Innocentio IV.

Innocentius Papa IV. *Sanè mundo celebris, & supernis grata ciuibus, sacra Religio Præmonstratensis Ordinis, à sua plantationis initio Regis æterni fuit habitaculum, virtutum splendoribus illustratum, quod semper honore proficiens & honestate concrescens, generalis Ecclesiæ decus extulit, & decorem multimodis ampliauit. Ex hoc enim nos spiritualem in Domino lætitiam consequentes, affectu pio de ipsâ Religione concipimus, vt nostræ prouisionis auxilio, eius robur & pulchritudinem augeamus: ita quod ipsa in domo Domini contra tentatoris impetum & turbinem vitiorum, sit quasi turris eburnea, virtutum munita propugnaculis, in quâ lectum amœna quietis habeat veri excellentia Salomonis, &c.*

Ex Bonifacio VIII.

Bonifacius Papa VIII. *In Ecclesiæ firmamento vester Ordo claro nitore coruscans, vniuersalem Dominici gregis aulam illuminat, currentibus in stadio rectum iter insinuat, quo ad salutis brauium facilius peruenitur.* Sequitur, vt de Sanctis, qui in Ordine adeò sublimi vixere, nonnihil agamus. Certè non mihi hic multis opus est Scriptoribus, vnus idem, qui suprà dignissimus Abbas Chrysostomus, aureo suo calamo multa quæ huc pertinent, paucis licet complexus est. Et tamen quia temporis seu loci penuria laboramus, ex paucis paucissima solùm seligenda sunt. Sed quid opus est multis, vbi pauca sufficiunt: & quid multa dicere conuenit, vbi longum testimonium vel breuia aliquot verba pronuntiant. Manipulum igitur de illis, vt librum suum Abbas ipse vocat, manipulo colligemus; vt videre posit Lector, quàm ferax sit hic Ordo Sanctorum: & tamen sic videat, vt audiendorum multitudine non distetur. Vtitur dictus iam Scriptor stylo Sanctorum Natalibus accommodato, & per dies Depositionum Sanctos enumerat, auspicatus à primo Ordinis sui principio his verbis: 25. Decembris, Commemoratio felicissimi Auspicij Candidissimi Ordinis Præmonstratensis. Quando beatissimus Patriarcha Norbertus, post plurima Apostolicæ vitæ insignia, Præmonstrato sibi cælitus à beatissimâ Deiparâ Candido habitu, & primi Cœnobij loco, acceptaque à B. Augustino aureâ Clericorum Regulâ, vnà cum collecto suo Candido Sodalitio, solemni sese votorum professione, in obsequium perpetuum paruulo Iesu nato consecrauit: & Dominicæ descriptionis adinstar, in die Natalis Domini sub eadem & stabilitatis in loco, & professionis gratiâ, ad illam beatæ perennitatis ciuitatem, cum nouâ suâ & Candidâ militiâ sese descripsit.

Ordinis Premonstratensis initium.

31. In quâ mirum est quàm in omni perfectione ac sanctitate floruerint omnis generis viri. De Abbatibus vt quid loquamur, 31. Decembris Natales occurrunt. In Syluâ Boenensi, Cœnobio Montis sancti Martini, beati Patris Garenberti, primi ibidem Abbatis Ordinis Præmonstratensis: qui post præclara virtutum insignia, laudabilem vitæ sanctissimæ cursum beatâ morte terminauit. 2. Ianuarij, In Rotensi Sueuiæ Cœnobio, beati Odinonis Abbatis: qui mũdi pertæsus vanitatum, suaui Christi iugo collum subdidit, & Præmonstrati Ordinis egregius propagator, multos animarum manipulos feliciter transmisit ad Christum. 2. Februarij, In Lotharingiâ, Cœnobio S. Mariæ in Nemore, B. Simonis primi eiusdem Ecclesiæ Abbatis: cui cum sancto Euangelico Simeone, post longæuæ vitæ laudabilem cursum, hoc sacro Purificatæ Virginis festo contigit in cõplexu Christi sui feliciter mori. 10. Februarij, In Præmonstratensi Archicœnobio Natalis B. P. Hugonis Abbatis, & primi post sanctum Patrem Norbertum totius Ordinis Præmonstratensis Generalis: qui inter primos sodales eidem sancto Patri Valencenis adiunctus; sanctorum ipsius laborum pro amplificandâ Dei gloriâ fuit egregiè particeps; dignissimusque postmodum habitus, qui in supremo totius Ordinis Magistratu gerẽdo, ipsi sufficeretur. Quem vti sanctissimæ vitæ insignibus, & magno promouendi Ordinis zelo viuus expresit; ita nũc beatâ ipsius in cælo gaudet societate. 28. Februarij, Apud Pruniminum transitus beati Raynerij, primi Abbatis sancti Mariani Altisiodorensis: qui cùm esset sacris Litteris egregiè excultus, & diutinâ virtutis exercitatione in magnam profecisset sanctitatem; aliquamdiu Præmonstrati Prioris functus officio, à B. Hugone primus Altisiodorensis Cœnobij Abbas creatus est, & post præclara virtutum insignia, in pace quieuit, variis post obitum decoratus miraculis. 5. Martij, In Frisiâ beati Patris Frederici, I. Abbatis & Fundatoris Horti Mariani, Ordinis Præmonstratensis: qui præclarissimarum virtutum & miraculorum gloriâ longè lateque coruscans, post plurimos Deo collectos animarum manipulos, lætissimè inter Psalmos & Hymnos, beatissimam suam animam Creatori reddidit. Cuius sacrum defuncti corpus suauissimo fragrans odore sepultum, pluriniis posteà claruit miraculis. 15. Martij, In Viconiâ Natalis B. Walteri Quercetani, Abbatis eiusdem Cœnobij: qui grandæuo Patri B. Radulpho Successor datus, præclarâ pietate Præfecturam suam decorauit: & post felicem transitum,

Plures illius Abbates sanctitate præclari.

S. Hugo D. Norberti in Generalatu successor.

S. Fredericus in Frisiâ Horti Mariani Abbas.

tum, cælesti luminis irradiatione, æternæ lucis consortium obtinuisse declaratus est. 26. Martij. In Siloënsi Bohemiæ Cœnobio, Beati Castali Abbatis: cuius ibidem fons salutifer à circumiacentibus populis visitatur, & Sancti merita declarat: eiusque exhumatæ sacræ Reliquiæ in veneratione habentur.

B. Castalus Abbas Siloensis.

8. Aprilis. In Cœnobio Beatæ Mariæ Bellipodij Diœcesis Vrgellensis in Cataloniâ, Beati Patris Ioannis de Organâ, eiusdem Ecclesiæ Abbatis Præmonstratensis: cuius vti vita eximiæ sanctitatis refulsit exemplis, ita sacræ eius Reliquiæ præclaris etiamnum sæpè decorantur miraculis. 22. Aprilis. In Viconiensi Hannoniæ Cœnobio, Natalis B. P. Radulphi, ex primo Abbate Castelli in Manritaniâ, Viconiensis Ecclesiæ Prælati: qui pauperum egregius benefactor, & eximiâ lenitate conspicuus, cùm Cœnobij sui res præclarè promouisset, septimo regiminis sui anno Præfecturam successori suo B. Waltero cessit: plenusque dierum & bonorum operum, iam nonagenarius ad cælos migrauit, variis decoratus miraculis.

B. Radulphus Abbas Viconiensis.

7. Maij. In Milouicensi Bohemiæ Cœnobio, Beati Gerlaci Abbatis: qui vitæ sanctimonia & miraculis coruscans, etiam spiritu Prophetico clarus, quo futura plurima prædixit, viginti octo annos Milouicensem Ecclesiam laudabiliter rexit. Post cuius obitum multa pariter ad eius tumbam contigerunt miracula: ita vt ægroti quiuis eam in fide & deuotione visitantes, sanitati pristinæ restituti sint. 11. Maij. In Cœnobio sancti Martini Laudunensis, B. P. Guarini eiusdē Ecclesiæ Abbatis: qui ex eiusdem Domus Priore, primus Viconiensi Cœnobio Abbas præfectus, illud magnâ sanctitatis laude rexit: posteà verò ad Laudunensem reuocatus Ecclesiam, eamdem comitante sēper eum largâ Domini benedictione, per multos annos vitâ, verbo & sollicitâ curâ gubernauit: pastorali demum sollicitudine gloriosus, ibidem sancto fine quieuit.

B. Gerlacus Milouicensis.

14. Augusti. In Viconiâ, Natalis B. P. Wilhelmi Weroinij Abbatis Viconiensis: qui extructâ nouâ Cœnobij sui Ecclesiâ, iuxta designatam sibi à beatissimâ Deiparâ formam, ob liberalem in pauperes munificentiâ, Eleëmosynarij nomen promeruit. Cumque annis viginti duobus Ecclesiæ suę admodum laudabiliter præfuisset, Sacramentis Christianis magnâ cum deuotione susceptis, cinericio strato decumbens, staturâ pusillus, sed animo excelsus, Deô dignam animam suam efflauit.

B. VVilhelmus, item Viconiensis.

20. Augusti. In Steinfeldiensi Eyffliæ Cœnobio, beatæ memoriæ Iacobi de Rodessheim, eiusdem Ecclesiæ Abbatis XXI. qui zelo flagrans Monasticæ disciplinæ, cùm impiorum excessus pro officij sui ratione indefessus argueret, ab iisdem intoxicatus, gloriosâ morte obiit: facinoris autem huius conscij, malâ morte perierunt.

B. Iacobus Abbas in Rodessheim.

14. Septembris. In Cœnobio Beatæ Mariæ de Bernâ, Natalis B. P. Euerardi, I. eiusdem Ecclesiæ Abbatis: qui vitâ sanctissimus, humilitate eximius, & religiosæ paupertatis amicus, cùm triginta quatuor annis suam nobiliter rexisset Ecclesiam, plenum relinquens Conuentum & benè ordinatum, feliciter migrauit ad Dominum. 25. Septembris. In Cœnobio sancti Pauli Virdunensis, BB. Rogeri & Theodorici, eiusdem Ecclesiæ Abbatum: qui à B. A...rone Episcopo huic Cœnobio successiuè præpositi, magnâ illud sanctitatis laude gubernarunt, Deoque illos largâ benedictione prosequente, cùm vltra 300. ad Christi seruitium Candidos Religiosos attraxissent, iisdem illos prouentibus commodè sustentarunt; qui anteà pauculis alterius instituti vitæq; deformatæ Monachis non suffecerant. tandem pastorali sollicitudine gloriosi, ingressi sunt in gaudium Domini sui.

Item aliorū [illegible]

3. Octobris. In Aruerniâ, Natalis S. Gilberti Confessoris, & Abbatis I. Cœnobij Nouem-Fontium: qui sæcularis militiæ nobilitatus insignibus, ex potentissimo milite huius sæculi factus est humillimus miles Christi: extructoque Candidi Ordinis Cœnobio, paupertatis & abstinentiæ, liberalitatis & eleëmosynarum admirandus exemplis, migrauit ad Dominum: cuius magnitudinem meritorum, miraculorum magnitudo declarat. 12. Octobris. Apud VVadegozin, Natalis B. P. Godefridi, I. Abbatis Arnsteiniani: qui ex Scholastico Cathedralis Ecclesiæ B. Mauritij Magdeburgensis, in Cœnobio Gratiæ Dei, Candidi Ordinis institutum professus, Arnsteiniano Cœnobio I. Abbas præfectus est, Vir gratiæ singularis & meriti: quemque velut cælestem radium ceteri sequebantur. Anno autem Præfecturæ vndecimo ad cęlos feliciter migrauit.

Inter quos B. Godefridus.

10. Nouembris. In Cœnobio S. Michaëlis de Treuino iuxta villam Maiorem in Hispaniâ, obitus sanctæ memorię Didaci de Mendietâ, Abbatis: qui huius Ecclesiæ vltimus Abbas perpetuus; zelo Religionis, reformationisque causâ libentissime cessit. Postmodum semel & iterùm Candidæ Religionis in Hispaniæ Regnis Generalis Reformator, aliquarum insuper Domorum Abbas triennalis, Congregationisque Hispanicæ Visitator extitit Generalis, Vir verè Apostolicus, humilis, obediens, religiosus & pius. Demum variis exercitatus morborum molestiis cum admirabili patientiâ toleratis, cælo semper intentus, diuinis Angelorum vocibus & concentu in terris recreari meruit: decessitque iam octogenarius cum tantâ sanctitatis opinione & populorum accursu, quòd plurimis vestium eius particulas certatim abscindentibus, vix terræ mandari potuerit. 13. Nouembris. In territorio Hallumensi, Cœnobio Horti Mariani in Frisiâ, Natalis beati Patris Siardi, eiusdem Ecclesiæ V. Abbatis: qui à B. Frederico acceptum virtutum pallium, velut alter Eliseus, immaculatum custodiuit: exactisque in regimine triginta sex annis, præclaræ sanctitatis & meritorum gloriâ coruscauit. Cuius defuncti tumulum infinita propemodum decorarunt miracula, quibus & in vitâ Vir sanctus egregiè illustratus fuit.

B. Siardus Horti Mariani Abbas.

2. Decembris. In Floreffiensi Cœnobio Diœcesis Namurcensis, Natalis B. Ioannis d'Auelois, eiusdem Ecclesiæ V. Abbatis: qui commissi gregis sui forma factus ex animo, vt eidem præfuit merito, ita sanctæ vitæ præluxit exemplo. 23. Decembris. In Scheidensi Cœnobio, Beati Hermanni I. eiusdem Ecclesiæ Abbatis, & Præpositi Ordinis Pręmonstratensis: qui ex Iudaismo mirabiliter ad Christi fidem conuersus, in Capenbergensi Cœnobio habitu suscepto, Candidæ huic Iesu militiæ adscribi voluit: in quâ per omnes Christianarum virtutum adscendens gradus, ad tantam perfectionis Euangelicæ excellentiam deuenit; vt quò olim zelosior extiterat propugnator Iudaicæ perfidiæ; eò nunc gloriosior æternæ es-

Et B. Hermannus Scheidensis.

fet

fet assertor veritatis. Quin & Scheidensis Ecclesiæ Prælaturam, piæ & sanctæ conuersationis exornauit exemplis.

32. Sanctissimis verò hisce Abbatibus, alij quoque non minoris perfectionis Præpositi & Religiosi possunt adiungi. 23. Februarij. In Capenbergensi VVestphaliæ Cœnobio, B. Ottonis eiusdem Ecclesiæ III. Præpositi: qui B. Godefrido & sanguine & pietate germanus, pro calcatâ mundi gloriâ, cælesti coronâ donandus, feliciter migrauit ad Christum. 4. Martij. In Vespergensi Sueuiæ Cœnobio, Natalis Beati Grinionis, II. eiusdem Ecclesiæ Præpositi: qui commissi gregis sui forma factus ex animo, pluribus annis eumdem sapientissimè gubernauit, & meritis diues euolauit ad Christum. 6. Iunij. In Nemore dicto de Curuâ Fossa in Normanniâ, B. Tankeredi primi Prioris Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis de Lucernâ: qui Christo Cruci confixus, ita Crucis mortificationem pro Dei gloriâ in suo corpore portauit, vt in ipsius morientis pectore Crux lactea in horâ mortis apparuerit. 6. Augusti. In Capenbergensi Westphaliæ Cœnobio, B. Hermanni IV. eiusdem Ecclesiæ Præpositi: qui Lotharij Comitis de Are, & B. Hildegundis filius, Comitatibus Marensi & Atensi præposuit improperium Christi: & mundi nobilitate spretâ, per solidas virtutes viam sibi ad cælos muniuit.

Neque solùm Abbates, sed & Præpositi aliique Norbertini Sancti.

Religiosos verò sanctos si Præmonstratenses velimus: 30. Decembris. In Cœnobio VVedinghansensi iuxta Arensbergam, Natalis beati Richardi Anglici, Canonici: cuius defuncti dextera, quam in conscribendis varijs voluminibus egregiè occupauerat, vigesimo post obitum anno, integerrima prorsus reperta fuit, & inter sacras Sanctorum Reliquias honorificè adseruata. 5. Ianuarij. In ditione Falcoburgensi, Natalis sancti Gerlaci Confessoris & Eremitæ: qui per austeræ pœnitentiæ rigorem, in Candidissimo Præmonstratensi amictu, beatum ibidem vitæ finem sortitus, plurimis etiamnum miraculis gloriosus requiescit. 23. Ianuarij. In Flandriâ, Cœnobio SS. Cornelij & Cypriani, iuxta Niniuen, B. Arnoldi à Svvalmâ, Pastoris Oppidi Niniuensis, & Canonici Ordinis Præmonstratensis: qui cùm ministerium suum vitâ integerrimâ pluribus annis honorificasset, in pace obdormiẽs, à Principe Pastorum fidelis seruitij stipendium accepturus, ad cælos feliciter euolauit, post obitũ miraculis illustratus. 10. Februarij. In Rotensi Cœnobio, B. VVilhelmi eiusdem Ecclesiæ Canonici: qui ab ipsis tenerioribus annis miro pietatis ardore succensus, quò vberiorem in sanctitate progressum faceret, in Candidâ S. Norberti familiâ Christi iugo collum subdidit: in eaque per austeræ pœnitentiç rigorem, per indefessum mortificationis studium, per inuictæ patientiæ mirabiles triumphos, adeò eximiã mentis & corporis consecutus est puritatem ac vitæ innocentiam, vt gloriosissimæ Dei Matri, & SS. Angelis familiaris, eorum visibili in terris apparitione subinde recrearetur. Qui tandem validis diuini amoris succensus flammis, sed & in tribulationum excoctus fornace, purissimum spiritum suum, per mortem pretiosam (quæ illi per Angelum reuelata est) in manus sui Creatoris placidissimè exhalauit, qui nunc in eo misericordias suas æternâ gloriâ coronauit. 30. Martij. Apud Hascam in Frisiâ, Natalis Beati Dodonis Eremitæ Confessoris: qui in Mariani Horti Cœnobio, Candidi Ordinis factus Canonicus, & B.P. Siardi egregius discipulus; eius postmodum assensu solitariam vitam miro pœnitentiæ rigore instituit. Cuius sanctæ conuersationis fama latè innotuit: & præter complura miracula, quibus à Deo illustratus fuit, etiam sacra quinque Christi stigmata mirabiliter sibi impressa habuit. 3. Martij. Apud Iouinum Castrum in Burgundiâ, Natalis B. Guidonis, ex Eremitâ Fundatoris & Canonici Cœnobij Viconiensis: qui Britannus patriâ, genere Nobilis, ordine Sacerdos, vt liberioris vitæ expiaret maculas, in vicinam Valencenis Siluam Deo vacaturus secessit. Et sãctitatis eius erũpentibus radiis, cùm multos in sui æmulationem pertraxisset; cum iisdem Præmonstratensi sese Ordini subiecit. Quique ab ineunte ætate se voluntariè pauperem fecerat, post varios exantlatos labores, etiam Terræ sanctæ visitata sacra limina, pauperum egregius consolator, migrauit à sæculo, æternùm victurus cum Christo. 4 Aprilis. In Eyffliâ Cœnobio Steinfeldiensi, Natalis Beati Ioseph Presbyteri & Canonici Ordinis Præmonstratensis: qui post præclara meritorum insigna, post annos quamplurimos, summâ vitæ innocentiâ transactos, post creberrimas sibi diuinitus factas reuelationes, post continuatam ab ipsâ infantiâ cum Reginâ Cælorum castissimam familiaritatem, post consecratam integerrimi animi corporisque virginitatem, febri correptus lethali, eaque ad extrema perductus, in manus sui Iesu spiritum eximiâ animi pietate commendans, erecto corde & vultu, ad æterna tabernacula feliciter emigrauit. Cuius sanctissimo interuentu, varij ad vitam mortui sunt reuocati, cæci illuminati, surdi sanati, phrenetici & hydropici curati, dæmones effugati, & plurima alia patrata miracula. 17. Aprilis. In Brabantiâ iuxta Louanium, Natalis B. Rabodonis, Canonici Ecclesiæ Parcensis: qui inter cetera exemplaris vitæ merita, dum rememorandis Christi cruciatibus, Feriis sextis in pane & aquâ ieiunat; cælitus sibi versam subinde in vinum aquam deprehendit. 15. Maij. In Viconiâ, Transitus beati Iacobi Nouitij: qui necdum solemnibus Deo votis adstrictus, & propter eximiam animi puritatem iam cælo maturus, raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius; consummatusque in breui expleuit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius. Cuius virginale corpusculum tribus ab obitu annis exhumatum, in virginitatis integerrimæ testimonium, incorruptissimum repertum est. 30. Maij. In Wortensi Virginum Cœnobio, Transitus beatæ memoriæ Onulphi Canonici Ecclesiæ Bernensis: qui non solùm visibili Virginis Matris apparitione recreari; sed & ab eadem obitũ suum felicem præscire meruit. 30. Maij. Iuxta Niniuen in Flandriâ, Beati Lamberti de Lidekerkâ Canonici Ecclesiæ SS. Cornelij & Cypriani: qui vitæ venerabilis & sanctæ cõuersationis redolens fragrantiâ, nec non regularis disciplinæ obseruantiâ refulgens, inter primos dicti Cœnobij Religiosos, miraculis à Deo nobilitari meruit. 24. Iulij. In Niniuensi Cœnobio, beatæ memoriæ Heselini, eiusdẽ Ecclesiæ Canonici & Supprioris: qui sanctimoniâ conspicuus, indefessè portabat pondus diei & æstus; menteque in cælo suspensâ,

Neque solùm Superiores, sed & plurimi Præmonstratenses Sancti.

B. Arnoldus in Niniuen.

B. VVilhelmus in Roten.

B. Guido in Viconia.

B. Ioseph in Steinfeldt.

B. Rabodo in Parco.

Lambertus de Lidekerka in Niniuen.

suspensâ, in Ordinis obseruantiâ adeò erat studiosus, vt mirum in modum in carne ambulans, non secundùm carnem militare videretur: sed quæ transitoria sunt respuens, super pennas ventorum quodammodò volitaret. 24. Augusti. In VVortensi Virginum Cœnobio, Natalis sanctæ memoriæ Theodorici, Bernensis Ecclesiæ Canonici: qui variarum virtutum suffultus præsidio, in lecto doloris sui à sanctissimâ Dei Matre & inclytâ cæli Reginâ visitari meruit: & mundæ conscientiæ gaudens testimonio, per bonam mortem, quam intrepidus excepit, æternùm in cælo regnaturus feliciter migrauit ad Dominum. 11. Septembris. In Grimbergensi Brabantiæ Cœnobio, Principibus Apostolorum sacro, Natalis B. Danielis, eiusdem Ecclesiæ Canonici & Prioris: qui ob Angelicæ vitæ puritatem, visibili in humanâ specie Angelorum consolatione, eorumq; ministerio, Deo sacrum offerens Missæ Sacrificium, meruit decorari; conuersationisque sanctæ exemplis, morum integritate, ac zelo disciplinæ Monasticæ augendæ extitit admirandus.

Theodoricus in Bernâ.

B. Daniel in Grimbergâ.

33. *Norbertinæ sese quoque sanctitas ad eorum conuersos extendit.*

Quin & Conuersos inter Norbertinos mira sanctitas illuxit. 12. Aprilis. In territorio Hensdano, Natalis Beati Folcoldi Conuersi Ordinis Pręmonstratensis, & Fundatoris Ecclesiæ Bernensis: qui contemnens honorum titulos, & Teisterbandiæ Comitatum in humilem Præmonstrati Ordinis commutans professionem, vt liberioris vitæ expiaret maculas, elegit magis abiectus esse in domo Dei sui, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. 9. Iunij. In Cœnobio Niniuensi, Obitus B. Arnulphi de Felleca, Conuersi: qui opificio sutor, cælestem in terris vitã agens, & charitatis operibus mirificè intentus, diutini laboris sui dignam mercedem accepturus, migrauit ad Dominum. 19. Nouembris. Albæ in Hispaniâ Cœnobio S. Leonardi, Natalis B. Didaci Albanensis Confessoris & Conuersi: qui sicut locum istum sanctæ & cælestis conuersationis decorauit insignibus; ita nunc eumdem sacris corporis sui (quod ibidem venerabiliter quiescit) Reliquiis exornat. Ad Episcopos quoque gressum vt dirigamus: 17. Februarij. In Saxoniâ Natalis B. Euermodi III. Raseburgensis Episcopi, & Confessoris, Apostoli VVandalorum: qui Beatissimo Patri Norberto secundum se sodalem adiungens, indiuiduus ipsi deinceps comes adhæsit; & ex Præposito sanctæ Mariæ Magdeburgensis, ferocibus VVandalis Antistes datus, plurimis tandem virtutibus & miraculis gloriosus, ad cælos migrauit. 23. Aprilis. Salisburgi in Bauariâ, Obitus sanctæ memoriæ Adalberti, ex Canonico Strahouiensi Ordinis Pręmonstratensis in Bohemiâ, Archiepiscopi Salisburgensis: qui Vladislai II. Bohemorum Regis filius, Pragæ in Cœnobio Montis Sion Cãdidum Institutum amplexus, eximiâ illud humilitate decorauit. Renitens autem Archiepiscopus factus, cùm Alexandri Papæ III. partes contra Fridericum Imperatorem strenuè propugnaret, implacabile eius odium incurrit: cui ex Pontificis suasu ad pacem firmandam humiliter cedens, Archiepiscopatum ad tempus reliquit; donec tandem magnâ præpotentium instantiâ in eodem denuò confirmaretur, quem mirâ in aduersis patientia, & insigni vitæ sanctimoniâ nobilitauit. 23. Maij. Raseburgi in Wandaliâ Beati Wiperti

Quot & quanti Episcopi in Ordine Præmonstratensi floruerint.

Inter quos S. M. Adalbertus.

Episcopi: cuius electioni, cùm propter iuniorennem ætatem Romanus Pontifex consentire nollet, immissâ ei diuinitus vnâ nocte canitie, Deus miraculo attestari dignatus est: quo viso in Episcopum Pontifex confirmauit, quem tam euidenti signo Deus à se comprobarat electum: qui Ecclesiam suam, libertatis Ecclesiasticæ vindex magnificus, optimè gubernauit. 15. Iunij. Raseburgi Natalis B. P. Isfridi eiusdem Vrbis Episcopi, & Confessoris: qui B. Euermodi in Episcopatu successor, vt eiusdem fuit Candidi Instituti Professor, sic nec virtutibus nec miraculis inferior: plurimumque in VVandalis ad Religionem Christianam conuertendis, exemplo sui prædecessoris adlaborauit. 4. Iulij. Raseburgi apud Wandalos B. Vlrici Blucherij, Episcopi: qui inter ceteras virtutes quibus mirificè resplenduit, pauperum erat consolator egregius, in eleemosynis largus, misericordiæ operibus singulariter deditus. Cuius liberalitatem Deus illustri hoc miraculo comprobauit: quòd granarium suum farinâ priùs & frumento plenum, quod in egenos totum dispersérat, ob insignem in Deum fiduciam diuinitùs iterùm plenum repererit. Qui propterea in lacrymas resolutus, Deo prouisori suo gratias immensas egit, & pauperibus iterùm abundè elargitus est. Hisce aliisque virtutibus ministerium suum honorificans, Ecclesiæ suæ summâ cũ laude præfuit. 16. Iulij. Taruanæ Morinorum Natalis B. Milonis, eiusdem Vrbis Episcopi & Confessoris: qui Religiosæ vitæ tyrocinio Præmonstrati posito, à S. P. Norberto primus Ecclesiæ S. Iudoci in Nemore Abbas datus, cùm prælaturam suam per decennium Angelicæ vitę & humilitatis eximiæ exornasset insignibus, in Morinensis Ecclesiæ Cathedram sublimatus est, eamdemque pluribus annis Apostolico spiritu decorauit. 7. Augusti. In Cœnobio Montis sancti Martini, Natalis B. Godescalci, ex Abbate illius Ecclesiæ, Atrebatensis Episcopi: qui litteraturâ & pietate eximius, cùm Ecclesiam sibi creditam pluribus annis laudabiliter rexisset, eiusque iura & priuilegia insigniter auxisset, in hoc Religiosæ professionis suæ loco spiritum suum Deo Creatori reddidit. 5. Octobris. Apud Laudunũ Clauatũ B. Gualteri à Mauritaniâ, ex primo Cœnobij sancti Martini Abbate, Laudunensis Episcopi: qui inter primos Candidi Ordinis Patres, S. Norberto Sodalis adhæsit: cuius etiã Apostolico spiritu plenus, pro amplificandâ Dei gloriâ, & nouo suo Ordine propagando indefessè laborauit. Tandem verò ætate & moribus grauis, morte in conspectu Domini pretiosâ in pace quieuit. 2. Nouembris. Pragæ in Bohemiâ, in Regali Cœnobio Montis Sion, vulgò Strakow dicto, Commemoratio Illustrissimi ac Reuerendissimi Ioannis Lohelij, sanctæ memoriæ Archiepiscopi Pragensis: qui in Teplensi Cœnobio Candidum Institutum amplexus, viginti sex annis Strahouiensis Ecclesiæ XLIII. Abbas extitit, Vir verè Apostolicus: qui collapsam Monasticam disciplinam in Bohemiâ, Morauiâ, Silesiâ, & alibi diuini honoris zelo succensus, indefesso labore restituit. Postmodum Sebastianensis Episcopus & Pragensis Archiepiscopi Suffraganeus, ac demum ob insi-

gnem

B. Wipertus.

B. Isfridus.

B. Vlricus.

B. Milo.

B. Godescalcus.

B. Gualterus.

Ven. Ioannes Lohelius.

gnem prudentiæ & virtutum famam, ad Archiepiscopalis dignitatis culmen euectus est; quam decem annis laudatissimè tenuit, & Apostolicis virtutibus decorauit, pauperum & egenorum singularis benefactor: denique multis & magnis cæli fauoribus affectus, cùm suis & vniuerso gregi plurimis sanctitatis exemplis præluxisset, hoc ipso Commemorationis omnium fidelium Animarum die, anno M. DC. XXII. piissimè in Domino obdormiuit: factusque est in pace locus eius, & habitatio eius in sanctâ Sion. 3. Nouembris. Virodnni in Cœnobio S. Pauli, Natalis B. Alberonis Viredunêsis Episcopi: qui cùm Episcopatum suũ quàm laudatissimè pluribus annis administrasset, Candidi Ordinis fautor & promotor egregius, eumdem Episcopatu abdicato, in eodem S. Pauli Cœnobio Canonicus-Religiosus factus, sanctissimè professus est; & diues bonorum operum, ad cælos migrauit. Vtque huic sacratissimo Ordini nihil desit; En vt ex illo etiam ad supremum Ecclesiæ culmen iter patuit ad gloriam. 1. Septembris. Anagniæ Natalis beatissimi Hadriani Papæ IV. qui ex Candido Præmonstratensium Canonicorum Ordine, S. R. E. Cardinalis factus, & Apostolus Norwegorum, in Romani Pontificatus thronum sublimatus est: sanctamque Dei Ecclesiam prudentissimè rexit, eiusque libertate contra impios Friderici Imperatoris & aliorum conatus, gloriosè propugnatâ, ad repositam sibi in cælo laborum suorum lauream feliciter euolauit.

B. Albero.

Quin & Adrianus Papa quartus.

34. Et hæc quidẽ de Ecclesiasticâ dignitate sufficiant, ad sæcularem verò qui spectant, viri etiam nobilissimi Canonicum ac Candidum hunc Ordinem fuere ingressi. Nam 13. Ianuarij. In Cœnobio Ilmstadiano Beati Godefridi, ex Comite Capenbergensi, Canonici Ordinis Præmonstratensis: qui cælesti facundiâ S. P. Norberti permotus, repudiatâ sæculi militiâ & honorum titulis, sub ignominiâ Crucis in Candido Ordine, Deo vitæ suæ reliquum transcripsit: fundatisque de suis opibus, inclytis aliquot Cœnobiis, desiderio tabescens æternorum, lentâ ægritudine ad extrema perducitur, & nondum tricenarius, placidissimè beatam suam animam exhalauit. 9. Februarij. In Cœnobio Fussenich, Virginum Ordinis Præmonstratensis, Natalis Beati Alderici Confessoris: qui côculcatâ mũdi gloriâ, ex nobilissimo Principe Franciæ, post visitata Sanctorum limina, in hoc Cœnobio humilis factus Conuersus & Subulcus, velut alter Alexius, mundo incognitus latuit. cuius defuncti corpus communi loco sepultum, tertiò exhumatum inuentum est; quod demum in Ecclesiâ, loco illo, quem cælesti luce Deus aliquoties designauerat, conditum fuit: vbi nunc in tumbâ eleuatâ honorificè requiescit. 30. Iunij. In Regali Cœnobio Vitis B. Mariæ Oxomensis Diœcesis in Hispaniâ, B. Dominici, I. eiusdem Ecclesiæ Abbatis, Ordinis Præmonstratensis: qui Alphonsi VII. Castellæ Regis cognomento Imperatoris frater, mundo valere iusso cum vanitatibus suis, nuda Iesu vestigia in Præmonstrato Ordine sequi maluit; extructumque hoc ab Alphonso Rege Virgini Mariæ Cœnobium, in quo & eius imago crebris

Qui principes viri ad D. Norberti Religionem accesserint.

S. Godefridus Comes Capenbergensis.

B. Aldericus Franciæ Princeps.

B. Dominicus Castellæ Regis frater.

miraculis illustratur, primus cũ magnâ sanctitatis laude rexit. 14. Iulij. In Wedinghausensi iuxta Arnesbergam Cœnobio Diœcesis Coloniensis, B. M. Henrici Comitis Arnesbergensis, eiusdem Ecclesiæ Fundatoris: qui à Deo inspiratus, hoc in loco parentum suorũ ossibus honorato, diuinum seruitium iuxta Candidi Ordinis ritum perpetuò peragendum instituit; depositisque Comitatus insignibus, & spretis sæculi pompis, humilis factus Conuersus, meritis diues piè hic in Domino obdormiuit. 25. Octobris. In Cœnobio Gummerscheym, Natalis B. Comitis Ludouici Conuersi, & Fundatoris Cœnobij Arnsteinij iuxta Loganam in Westervvaldia siti: qui postpositis sæculi pompis, ignominię Crucis Christi, cùm in Regulari vitâ complures insigni pietate transegisset annos, totus cælestium flagrans desiderio, omnibus valedicens, lætantibus Angelis, plenam felicibus meritis animam trãsmisit ad Christum. 29. Octobris. In Cœnobio Insulæ Beatæ Mariæ Virginis in Gelriâ, Natalis B. P. Roberti, I. Abbatis eiusdem Ecclesiæ Ordinis Præmonstratensis, non minùs sanctitate, quàm Regio Anglorum sanguine clari. 12. Decembris. In Insulâ Cypro, Cœnobio dicto Episcopiâ, B. Macarij Regis & Cõfessoris: qui primùm Haitonus dictus, cum Armeniæ Regnum pluribus annis gloriose administrasset, hostiumque suorum pluries victor extitisset; filio suo Tynono Regni traditis insignibus, ipse semet Candidi Instituti disciplinæ subiiciens, præclara vitæ prioris stratagemata humili Ordinis Præmonstrati professione coronauit.

B. Ludouicus Comes.

B. Robertus ex sanguine Regum Angliæ.

B. Macarius Rex Armeniæ.

Sed quin & Martyrum Præmonstratensium meminimus. 22. Martij. In Boxumensi Frisiæ pago, Passio Beati Ielkonis Martyris, & Abbatis Cœnobij Lidlumensis: qui diuini Numinis gloriam, & collapsæ disciplinæ zelans integritatem, impiorum manibus crudeliter trucidatus occubuit, & ad martyrij palmam gloriosus victor euolauit. Cuius sanctitatem & mortem pretiosam, miraculis Deus illustrare dignatus est. 29. Martij. VVismariæ apud Obotritos, S. Ludolphi Episcopi IX. Raseburgensis & martyris: qui pro tuendâ concreditæ sibi Ecclesiæ libertate, sub Alberto Saxoniæ Duce gloriosè decertans, per varia tormentorum genera, iam viribus prorsus exhaustus, cùm requiem non haberet à facie persequẽtis, in hac vrbe Creatori suo spiritum resignauit. Cuius vti vita illustribus refulsit sanctitatis exemplis; ita mors in conspectu Domini pretiosa, præclaris est nobilitata miraculis. 25. Aprilis. In Harensi Campaniæ Brabantorum pago, Passio Beati Petri à Calmpthout, ex Canonico & Circatore Ecclesiæ B. Mariæ de Tongerloo, Pastoris in Haren: qui præciso ab hæreticis naso & aure dexterâ, cùm in Catholicæ fidei confessione persisteret, inclamaretque se in eâdem velle mori, Veritatem Orthodoxam, quam verbo hactenus docuerat, capite tandem crudeliter securi amputato, etiam sanguine obsignauit, & Præmonstrati Ordinis & habitus cãdorem martyrio gloriosè purpurauit. 12. Iunij. In Bohemiâ Natalis Beati Hroznatæ, ex nobilissimo Regni Primate, Fundatoris Cœnobiorum Teplensis & Chotiessouiensis, Canonici Ordinis Præmonstratensis: qui pro tuendis Ecclesiæ suæ iuribus contra impiorum conatus, ad mortem vsque agonizans, fame sitique, aliis-

que

35.

Martyres qui nam ex eodem hoc Ordine.

Etiam in Belgio.

In Bohemiâ.

que teterrimi carceris exhaustus iniuriis, inter diuturna vincula Deo dignam animã suam Martyrij laureã illustrem exhalauit; variis in vitã & post obitum nobilitatus miraculis. 27. Iunij. In Dom-Martinensi Ordinis Præmonstratensis iuxta Hesdinium Cœnobio, Passio B. Ioannis de Hecque, eiusdem Ecclesiæ Canonici & Prouisoris: qui vitã in Religione integrè inculpatéque gestã, sceleratã hæreticorum manu, tormentarij puluueris cruciatu tostus, Christi victima effici meruit, & gloriosum martyrij retulit de Tyranno triumphum. 9. Iulij. Apud Brielam Hollandiæ oppidũ, Passio BB. Hadriani & Iacobi Martyrum, Canonicorum Ordinis Præmonstratensis Ecclesiæ B. Mariæ Middelburgensis in Zelandiã: qui per varias ab hæreticis pro Catholicã & Romanã fide irrogatas iniurias, cum aliis aliquot eiusdem triumphi socus, ad martyrij palmam gloriosè agonizando peruenerunt; & Candidi Ordinis ambo candidas in Sanguine Agni lauerunt stolas suas. 17. Decembris. In Steinfeldiensi Cœnobio, Passio sanctæ memoriæ Godefridi de Bonnenbergh XIX. eiusdem Ecclesiæ Abbatis: qui Britannis Steinfeldiensem Ecclesiam deprædantibus, & penitùs euertentibus, miserabili morte excarnificatus, visus est oculis insipientium mori; verùm factus est in pace locus eius, dum cum coronã martyrij feliciter migrauit ad Dominum.

In Artesiã.

In Zelandiã.

Et alibi.

37 Demum sacratissimæ etiam feminæ ac Virgines, ex quibus nonnullæ magnæ secundùm sęculum dignitatis fuere, sub Diui Norberti vexillo militarunt. 29. Ianuarij. In Cœnobio S. Michaëlis de Treuino iuxta villam Maiorem Diœcesis Burgensis, B. Redigundis Virginis Hispanæ, quæ mundo crucifixa cum concupiscentiis eius, dum rigorosis austeritatibus carnem subigit, velut inter spinas lilium germinauit; & mundo corde ac casto corpore, cælesti Sponso mirificè placuit. 6. Februarij. In Marensi Cœnobio iuxta Monesum, Natalis B. Hildegundis Comitissæ Marensis: quæ marito orbata, post visitata Romæ Apostolorum limina, cùm se & sua quàm deuotissimè Deo in Marensis Cœnobij fundationem consecrasset, eidem prima Antistita, magnã sanctitatis laude præfuit; Virginibusque sacris suo exemplo viam ad cælos præmonstrauit, variis post mortem nobilitata miraculis. 13. Martij. In tractus Mosellani Cœnobio, dicto Angelica Porta, Natalis Beatæ Beatricis Sanctimonialis: quæ blandientis mundi spretis lenociniis, soli Sponso suo Christo placere studuit; cui cum accensã bonorum operum lampade, inter ceteras prudentes Virgines ad cælestes nuptias obuiàm processit. 16. Maij. In Cœnobio d'Aubterre in Aruerniã, B. Ponciæ Virginis & Antistitæ eiusdem Cœnobij: quæ sanctorum parentum Gilberti & Petronillæ bis filia, matri in Cœnobij regimine pari sanctitate successit, & maternæ virtutis hęredem se egregiã pietate comprobauit. 13. Iulij. Apud Scholam Aruerniæ vicum, in Cœnobio SS. Geruasij & Prothasij, B. Petronillæ eiusdem Cœnobij Fundatricis, & primæ Antistitæ: quæ, cum marito suo S. Gilberto Candidi Ordinis amplexata disciplinam, sacris quibus præerat Virginibus, magnã sanctitate præluxit. 13. Augusti. In Chotiessomensi Bohemiæ Cœnobio, Natalis B. Wonzlauæ Viduę, eiusdemque Cœnobij cum Beato Hroznatã fratre suo Martyre, Fundatricis & Religiosæ: quæ marito orbata, inter dicatas Deo Virgines, vitæ hîc suæ reliquum Christo piissimè transcripsit. 13. Augusti. In Aldenbergensi Virginum Cœnobio, Treuirensis Diœcesis, Natalis B. Gertrudis Virginis, filiæ S. Elisabethæ Lantgrauię Hassiæ & Thuringiæ: quæ ab ipsã infantiã per matrem hoc in loco Deo oblata, eidem postmodum magnã sanctitate & Religione præfuit; collectóque in conscientię vase diuinę gratiæ oleo, accensã ornatáque bonorum operum lampade, Christo Sponso suo obuiàm iuit, sanctæ matris non degener filia. 17. Augusti. In Arnsternio Cœnobio, Natalis B. Gudæ Comitissæ, eiusdẽ Ecclesiæ Fundatricis & Conuersæ: quæ B. Luduici Comitis Arnsternij infœcunda diu coniux, dum se & sua æternis Dei mancipauit obsequiis, sterilem Deus habitare fecit in domo, multorum spiritualium matrem filiorum lętantem. Carne tandem abstinentiis salubriter attritã, Psalmisque & Hymnis iugiter intenta, feliciter migrauit ad Christum. 14. Octobris. In Cœnobio Horti Conclusi, oppidi Herentalensis, Natalis B. Elisabethæ Arenestiæ, eiusdem Cœnobij Præfectæ: quæ gratissimum in humili corde Sponso suo Christo præbens habitaculum, Virginibus sacris piæ conuersationis præluxit exemplis. 8. Decembris. In Sclauoniã, Cœnobio Rubi, B. Anastasiæ Principis & Ducissæ Pomeraniæ, Conuersæ Ordinis Præmonstratensis: quæ diuino feruore incensa, & Candidi Ordinis suaueolentis excitata fragrantiã, vtrique filio diuisis Prouinciis, Rubi Cœnobium fundat; in quo inter sacratas Deo Virgines, ipsa semet Ordinis rigori Illustrissima Ducissa magnã humilitate subiicit, ac per arctam viam & angustam portam ingressa est in æternam vitam. En quot igitur ex sanctissimã Præmonstratensi familiã meritis suis ac piis operibus Ecclesiam illustrarunt, adeóque suã etiam ex parte Indulgentiarum copias iuuandis è Purgatorio Animabus, non modicè locupletarunt. Vsus autem fui ipsismet Martyrologij Ordinis verbis, vt veritas antiquitate muniretur, quemadmodũ antiquitas veritati testimonium pręstat.

Feminæ præterea in hoc Ordine sanctitate extitere conspicuæ.

Quarũ aliquæ etiam dignitate magnæ.

Inter quas excelluit B. Gertrudis S. Elisabethæ filia.

B. Elisabetha Herentalensis Præfecta.

Sed hactenus de sacris Ordinibus quę sub antiquis Sanctorum Augustini, Benedictique & aliorum Regulis vel Monachi vel Canonici militant. Sequuntur Mendicantium Religiones & quæ illarum priuilegiis gaudent. Inter autẽ mendicantes principem locum obtinet sanctissimus Dominicanorum Ordo, de quo meritò audire licebit illum eiusdem Instituti Theologum, qui & suprà de aliis Ordinibus plura, præclara adduxit in medium. Verba illius de suomet Ordine hæc sunt. Vinea Prædicatorum Ordinis primò tibi occurrit intra vastissimam Ecclesiæ vineam plantata. Eo tempore, quando, vt dicit Gregorius IX. *Vineam, ad quam patrem-familias operarios diuersis temporibus denarij conductos conuentione præmiserat, & quam sua dexterã plantarat, non solùm vitiorum & vepres & spinæ peruaserant, sed etiam propemodum vulpeculæ demolientes, conuertere in aliena vitis amaritudinem intendebant.* Sed Dominus Alexander Papa IV. in illius laudem & commendationem quid dicat etiam audiamus: *Cælestis ille agricola, summus auctor fidei, præcipuusq; protector, sacrum Fratrum Prædicatorum Ordinem, quasi lignum fertile* 38.

In Bullã Canonizat. D. Dominici.

Ordinis Prædicatorij perexim in Ecclesiã fructus.

Habetur in Prolog. cõstit. Prædicat.

fertile in Ecclesia parad. so inseruit, vt delectaret amœnitate, vbertate satiaret, & fructuũ suauitate mulceret. Hoc itaque speciosum, fecũdum ac dulce lignum imbre superno irrigatum, pulchra plurima ac dulcia poma profert, quorum odore ac sapore confortãtur & conualescunt debiles, varijsq; detenti languoribus liberantur. In hoc vtique vitæ ligno mortales homines carnis infirmitatibus prægrauati, pabulum salutis inueniũt, & internam recipiunt sospitatẽ. Huius, inquã, ligni perceptã fragrantia vndique ad libamen ipsius concurrunt innumeri professores fidei, qui assiduè illo perfruentes, & eius salutaribus fructibus conuescentes, de ipsius prægustata dulcedine ministrant & ipsi alijs suauia libamenta salutis. Hæc est illa generosa plantatio, quæ ramos suos vndique expandens floret: plurimos honoris & honestatis, fructusq; vberrimos doctrinæ profert & virtutis, & odorem sanctæ & laudabilis cõuersationis longè lateq; diffundit. Hic est Ordo sacer Prædicatorum honestate floridus, præclarus scientiã, virtute fecundus, à Sede Apostolicã meritò approbatus; qui inter alia plantaria Dominica, puritate conuersationis, sapiẽtiæ dono, & virtutũ merito dignoscitur specialiter insignitus. Huius sacri, clari, conspicui & approbati Ordinis Fratres, sacrarum Litterarum studio instanter incumbunt, animarum profectibus, diuinis Officiis & orationibus incessanter intendunt, atque Euangelicæ prædicationi ardenter insistẽtes, lumen diuinæ doctrinæ vbique per orbem diffundũt. Hi sunt viri doctrinã clarissimi, qui contemplationi cælestium feruẽter inuigilant, & piæ vitæ studio sine intermissione desudant. Hi sunt viri probati, & plenè in lege Domini eruditi, efficaces quidem in opere, & in prædicatione potẽtes, quorum labia gratia cælestis edocuit ad propinandam salubrẽ doctrinam aliis, & commodum ac profectum animæ Christi fidelibus exponendum. Vnde vbiq; per mundũ ora ipsorum intonant, velut tubæ, ac in omnem terram exiit sonus prædicationis eorum, & vsque ad fines orbis sua salutifera verba sonant. Hi sunt viri præclari, conspicuã religione fulgentes, qui tãquam lucentia sidera in Ecclesiæ firmamẽto suis splendidissimis documentis, viã cælestis vitæ mortalibus insinuãt. Hi sunt phialæ aureæ plenæ odoramentis, qui suã sacrã cõuersatione suauiter redolentes, hortãtur per hanc alios, & inducunt à somno negligentiæ celeriter surgere, & excussã prorsus inertiã, ad opera lucis & bonitatis festinanter properare. Hi sunt dilecti Deo & hominibus, Fratres videlicet Prædicatores, morũ honestate conspicui, sciẽtiæ titulis insignes, quos æterni Patris benignitas, inter plurimas personas diuinis obsequiis deputatas, pro sui nominis attollẽdã gloriã, & fidelium procurandã salute, specialiter elegit. Qui suum semper affectum & amorem cælestiũ dirigentes, virtutem diuini nominis vbiq; publicãt, & pro Christianæ religionis ampliãdo cultu, vigili attentione laborant. Hi sũt qui vitam & merita beatissimi Pauli Apostoli cõtemplantes, gloriantur in solã Cruce Domini nostri Iesu Christi: & mundi pompas ac solatia spernentes, ad solam cælestem patriam, & ad paradisi delicias rectã intentione suspirãt. Hi sunt, qui propter Deum semetipsos salubriter abnegantes, elegerũt sub arctissimã paupertate Deo deseruire, tanquam nihil habentes & omnia possidentes. Hi postremò sunt, qui cùm omnia terrena propter amorem bonorũ cælestium reliquerint, sobriè, iustè, piè & castè viuentes, ac exilia vitæ subsidia mendicantes, Christum pauperem imitantur, perfectionem Euangelicam amplexando. Vnde clarissimè constat, eos in statu perfectionis existere, & per suæ religionis obseruantiam (quæ quidem ipsius Euangelicæ perfectionis continet formã) in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriã promereri. Maiores porrò huius vineæ palmites ij sunt, qui Sanctorum albo sunt adscripti.

Quomodo eũ inter alios Pontifices Alexander Quartus laudauerit.

Non sibi tantùm perfectissimi, sed etiã vniuersis fidelibus vtilissimi Dominicani.

39. Primus ergo S. Patriarcha Dominicus vineæ Prædicatorũ sator cultorq; eximius spectãdus proponitur, qui quasi oliua pullulans, & cypressus in altitudinem se extollit, vestitu sãctitatis amictus, & consummatione virtutis. *Qui in vitã suã suffulsit domũ, & in diebus suis corroborauit templum;* dũ Lateranensem Ecclesiam suis humeris Pontifici Innocentio visus est sustentare. *Circa illum corona Fratrũ;* Innumeri videlicet racemi, perfectionis normam, tanquam succum à palmite haurientes, *& quasi plantatio cedri in monte Libano, sic circa illum steterunt quasi rami palmæ;* innumeri videlicet laureati viri eius Regulæ Professores, aut ex virginitatis cã lore, vel martyrij cruore, vel doctrinę labore, de Mundo, Carne, Diabolo trophæa reportantes. Subsequitur Petrus Martyr, illustris palmes: *De horto siquidẽ fidei nuper immensam Regis æterni dulcis allatus est fructus. De vineã Ecclesiæ in regium calicem affluens, nouiter liquor influxit, quoniam fecundus palmes hostili mucrone concisus habuit plus humoris, quia adhæsit pressius vinæ viti. De Prædicatorũ Ordine florido prodiit rosa rubens, quæ regalibus oblata conspectibus intulit suauitatem odoris.* Innumeri quoq; botri huius vineæ cum Petro eamdem eò reddunt illustriorem, quò monstrant feraciorem. Pendent (vt nonnullos innumeris omissis recẽseam) hinc botri nonaginta, scilicet Martyres à Tartaris trucidati. Inde apud Sãdomiriam in Poloniã Martyres quadraginta nouem, quorum dies Festus solẽni memoriã Alexandro IV. annuente, vsq; in hanc diem postridie Kal. Iulij recolitur. Hic in Diœcesi Tholosanã pendent tres Inquisitores, qui dũ enecarentur, cæli aperiri, scalis inde ad terras demissis, visi sunt: ibi sex alij obtruncati, qui & capita sua singuli post mortẽ à supplicij loco Mureti nomine, per nouem passuũ millia, præcedente lumine cælitus demisso, ad Conuentum Tholosanum detulerunt. Hic centũ nonaginta Fratres partim Tartarorum spiculis ac telis, partim patibulo aut lapidibus obruti, aut viui decoriati, aut flãmmis exusti, aut capite obtruncati in Hungariã, Dalmatiã, ac Bosinã Prouinciã martyrium consummãntes, vineam quoque nostrã decorãt. Ibi in Prouinciã Terræ sanctæ Beatus Frater Christianus Patriarcha cum quatuor nostri Ordinis Fratribus gladiis Saracenorũ mactatus, & Cœnobio solo æquato, centum alij Fratres ab iisdem occisi; & ipsi quoque meruerunt, vt in hoc ordine martyrum censerentur. Paucos de multis recensemus, ad Annalia ceteros martyrij laureã donatos remittimus. Sed & *Ordo prædictus in horto plantatus Ecclesiæ, ac in germen ineffabilis spiritualis vtilitatis succrescens, illum prælucidum & fructuosum palmitem dedit, beatũ videlicet Thomam de Aquino Cõfessorem & Doctorẽ egregiũ, ex cuius sapientiæ & doctrinæ scriptis & traditis, vniuersalis Ecclesia multiplicis vbertatis spiritualis fructũ colligens, ipsius odore reficitur incessanter: & idem Ordo, vt spiritualium fructuum vbertatem multifariàm multiplicet, non lassatur labore.* Diem solemnem in cõdensis constituunt magnus ille Albertus vsque ad miraculũ sapientissimus sancti Thomæ Magister, nec non & sancti Doctoris Expositores, tamquam frõdosæ pampini illum circumeuntes; ipsi quoq; botri non vulgares, qui studiorum & vigiliarum quoque prælo cõpressi, vinũ sapientiæ populis propinarunt; tales sunt (vt pauca delibemus) Heruæus, Paludanus, Tarantasia posteà Innocentius IV. Durandus, Capreolus, Caietanus, quorũ singuli classici Doctoris nomẽ mererentur, ni à Thomæ preoccupati essent ingenio meliori. Dies me deficeret, si eos recensere oporteret, qui Conciones, Homilias, Scripturarum sacrarum Commentaria, diuersarum rerum Opuscula, grauiter & ornatè ad dogmata roboranda, & mores obfirmãdos (quorum quidem est pæne infinita multitudo) conscripserunt. His bibliothecę refertæ, etiamsi iniuriã tẽporum & bellorum incursibus

S. Dominicus Prædicatorũ Fundator.

Eccli. 50.

Innoc. 4. in Bull. Canonizat.

Quot hoc in Ordine fanctissimi Martyres.

Micho. 3. de Reb. Pol. Chromer. lib. 9.

Clemens VI. in lib. Priuil.

Quàm insignes Doctores in Prædicatorum Religione.

sibus maxima pars interciderit, vel cõbusta, vel sussurata, vel deperdita. Conseruẽtur nunc promptuaria, arcæ, scrinia vndique Neotericis impleantur ac consarcinentur, semper antiquis primus debetur honos, tam ex primi fetus inuẽtione, quàm ex stylo compendiosiori, cum maiori dicendi perspicuitate: etenim cùm, vt habet Philosophus, sapientis sit ordinare, non ex multitudine eorum quæ dicuntur, sed ex distinctà ipsarum assertionum ad propria & prima principia reductione, doctorum scripta æstimanda & amplectenda sunt. Et certè si riuuli ad fontes reducerentur, aluei exsiccati cernerentur.

Horat. Epistolá 3.

Si fortè suas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula risum,
Furtiuis nudata coloribus. ———

40. Pius II. in Bullà Canonizat. sancti Vincentij.

Alterum palmitem produxit vinea ista sanctum Vincentium Ferrerium Valẽtinum, *Sacræ Theologiæ Professorem, æterni Euangelij in se documenta habentem, quem veluti athletam strenuum ad Iudæorum, Saracenorum, & aliorum infidelium confutandos errores, ac extremi iudicij diem, quasi alterum Angelum volantẽ per cæli medium, ad pronuntiandum euangelizandumq́; sedentibus super terram, tẽpore opportuno transmisit, vt in omnes gentes, tribus, populos, linguas & nationes verba salutis diffunderet, regnum Dei diemq́; iudicij appropinquare ostenderet, & æternæ vitæ semitam demonstraret.*

Confessores etiam in illo innumeri.

In modum coronæ Confessores innumeri, omnes cælites, Vincentio aggregantur, qui sanctitate eximià effulserunt. Talis fuit B. Ioannes Salernitanus, insignis Prædicator, animarum œconomus, qui à muliere ad concupiscẽtiam prouocatus, in ardentissimum rogum se coniiciens, ignem libidinis in muliere extinguere meruit, nec ab igne læsus est, qui in igne positus nesciuit ardere. Talis B. Iacobus à Benaniâ, eadem nocte in lucẽ editus, in quà orti sunt S. Thomas Aquinas, B. Ambrosius Sansedonieus, & tunc à puerulis in plateis cõclamatum esse perhibetur, *Surgamus pueri, eamus ad scholas; surrexerunt enim magistri orbis terræ*; triplicato sidere pariter in cælo apparente. Talis Ægidius Lusitanus, qui lanceâ in pectore percussus vehementer à potentissimo equite sibi visibiliter apparẽte, vt vitam in melius cõmutaret, è Saüle efficitur vas electionis & sanctitatis. Talis Hẽricus Susonius, prodigium sanctitatis, & Mauritius Tholosanus, præter sanctitatem & miraculorum gloriam, prædicatione illustris. Tales Petrus & Arnoldus gemelli fratres, qui eodem die nati, eadem in religione renati, eodem die (sanctitate pares) ad cælestia regna vocari meruerunt; quos eadem religio & charitas verè fecit esse germanos. Chiliadas istas decennio non exequerer: ad Annalia legenda prouoco. Sed mirificè effloruit vinea ista, cùm palmitem illum fecundum protulit S. Antoninum Florentinũ Archiepiscopum, florem Canonistarum, Prælatorum exemplar, quem sanctorum Præsulum eiusdẽ Ordinis infinita turba prosequitur. Omitto modò ceterorum Prælatorum infulas recensere, quæ ex huius vineæ arboribus tamquam trophæa cum S. Antonini mitrâ pendent, cùm illustrior reddatur ex quadraginta circiter galeris Cardinalitiis, & tribus tiaris cohonestetur Romanorum Pontificum, Innocentij V. Benedicti XI. & Pij V. qui forma facti gregis, formâ sanctitatis non vulgari in Ecclesiâ Dei effulgent. Ad eamdem vineã attinent antiqui quidem vineæ Prædicatoriæ fecundi palmites, sed quia nostro tempore albo Sanctorum conscripti, magis mundo innotuerunt, Hyacinthus & Raymundus (duplicato vrbis & orbis gaudio, quod hæ duæ oliuæ assistãt intercessores Dominatori terræ) modò recensentur. His adiungendi B. Cestaus, S. Hyacinthi frater in Vratislauiâ, vterq; Petrus Cõsaluus, Thelmus & Amarãtus in Lusitaniâ, Albertus Magnus in Germaniâ, Augustinus Dalmata in Luceriâ Apuliæ, & alij, quorum dies Festus in suis Prouinciis anniuersariâ commemoratione recolitur. Insuper & B. Ambrosius Sãsedonieus in Martyrologio à Clemente VIII adscriptus, & à Gregorio XV. cum B. Iacobo Veneto Beatorũ albo conscriptus, & B. Ludouicus Bertrandus beatificationis radiis illustratus, similiter effulgent. Sed quantum attinet ad sanctas mulieres, flore candens virgineo assurgit S. Catherina Senensis, quæ vulnerata sacris stigmatibus Christum crucifixũ exprimit. Proxima est illi B. Agnes, beatificationis titulo decorata; cuius corpus cùm sancta virgo Catherina inuiseret, & pedes osculari vellet, Agnes alterum pedem retulit ad os vsque Catherinæ. Alio etiam tempore reuersa, cùm se ad caput Agnetis demisisset, manna instar niuis toto illo in loco pluere cœpit. Proxima quoque B. Margarita de Castello, in cuius corde tres lapides pretiosi reperti, vsque in præsentem diem impressum præsepe Domini cum Ioseph & Mariâ, & Christo Domino in medio animalium iacente, mirabiliter exprimunt. Helena similiter Hungarica stigmatibus refulget, cuius disciplinæ tradita Margarita Regis Hungariæ filia ad summũ sanctitatis gradum peruenit. Vna ergo Catherina, etsi adscripta sit Sanctorũ albo; adolescẽtularum tamẽ, hoc est purissimarũ animarum, non est numerus, quæ Christo sponso adhærentes, lauream promeritæ sunt, & pascũtur lilia in perpetuas æternitates. Sic ille de Ordine suo, paucis multa cõplexus est. quoad Ordinẽ S. Francisci eum etiam audiamus.

Quinc & purpurati & Pontifices.

Plures quoque Virgines sanctæ in S. Dominici Religione floruere.

41. In Bullâ Canonizat. S. Francisci.

Ad amplissimam ergo, inquit, vineam excolendam alios etiam operarios misit Altissimus, vt (sicut dicit Gregorius IX.) *superfluitate palmitum resecatâ, & vitalaminibus spuriis radices altas non dantibus, fructum suauẽ afferat, & iucundum: qui prælo patientiæ defæcatus, in æternitatem cælestem transferatur. Ecce in horâ vndecimâ excitauit seruum suũ Franciscum, virum vtique secundùm cor suum apud cogitationes diuitũ, lampadem quidem contemptam, sed paratam ad tempus statutum. Illum in vineam suam mittens, vt ex ipsâ spinas & vepres euelleret, prostratis illam impugnantibus Philistæis, per nouum Samsonem mandibulâ simplicis, sed feruentis prædicationis, vt fortia quæque confunderet, innumeras Philistiim acies profligando. Ex mandibulâ ipsâ egressa copiosa est aqua reficiens, abluens & fecundans campos sordidos & arentes, quæ in vitam æternam saliẽs absque argento & commutatione aliquâ potest emi, cuius riuuli longè lateq́; diffusi, vineam irrigant, vsque ad mare palmites, & vsque ad flumen propagines extendentem.*

Franciscani Ordinis laus

Plat. lib. 2 de statu Relig. cap. 22.

Tot verò vites in hac vineâ Ecclesiæ amplissimâ Franciscus inseruit suam Regulam profitentes, vt celeriter quasi miraculo excreuerit, vt paulò pòst in generali cõuentu Assisinatis numerata sint quinque millia capita, atque eo ipso tempore quingenta simul adiuncta. Itaque breui totum orbem compleuit: quin etiam temporis progressu in eam quam nunc videmus, peruenit amplitudinem, vt in tres aut etiã in plures partes distributus sit; hæque ipsæ partes ita abundauerint, vt singulæ ferè singulos Ordines benè magnos repræsentent. Sic in amplissimâ Ecclesiæ vineâ ista portio tamquam vinea selecta velut hortus conclusus, & deliciæ Domini includitur. Cui illud adaptari potest, *Vinea fuit pacifico in eâ quæ habet populos; tradidit eam custodibus*, nec enim vnam aut alteram gentem, sed multitudinem populorum omnium nationũ,

Quãta breui acceperit incrementa.

Cant. 8.

quæ

quæ sub cælo est Francisci Regulam profitentium continet, eamq; regendam Prælatis tradidit, quos Guardianos & Custodes voluit appellari. Huius vineę *vir affert pro fructu eius mille argẽteos.* Quia ob altissimam paupertatẽ, quam profitetur Francisci sectator, liberâ mente & perfectè omnia terrena dimittit, vt Christum veraciter habeat: millenarius enim perfectus est numerus, ideò per eum perfectio rei cuiuslibet demõstratur. Hos argenteos (quoque) illi ferebant, de quibus scriptum est: *Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendebant, & afferentes ponebant ad pedes Apostolorum pretia eorum, quæ vendebant.* In quâ paupertate supereminet vniuersis. Hęc vinea, etsi in humilitatis valle plantata, Minoris nomen obtineat, firmâ tamen in radice fundata supereminet terris, & quamuis solum vile prætexat, tamen nunc gemmante flore pubescit, nunc circumfusâ viriditate vestitur, nunc mite iugũ suscipit, cùm maturioribus brachiis quasi sarmentis fecundæ vitis adoleuerit. Vinea quæ cum Crucis ligno suas maritat vites, nudum & pauperem crucifixum insequendo, cuius fructus etiam in postremâ colligentur ætate, & (quod est vineis etiam terrenis commune) ita pauperibus atque diuitibus, humilibus atque potentibus, seruis ac dominis æqua est communis, vt nulla secretio inspiciatur. Tamquã præcipuus surculus veteris Adæ excussus ex arbore in alterius fetu radicis inseritur Franciscus Christo confixus Cruci, in nouo isto Crucis ligno, tamquam gremio pij parentis fetus inolescit, imaginem Christi crucifixi in se exprimens, qui stigmata Domini sui in corpore suo meruit portare, cuius sanguinis stillis, tamquam aquę salutaris irriguis fecundata terra Minorum, in cælestem erectæ est disciplinam. Hoc cruore Francisci Euangelico semini suscipiendo & propagando, reddita est terra ista fecunda, & suorum stigmatum felici sulco, non tantùm trigesimum, at centesimum iam profert fructum. Aspice quot fructus reddidit. Si enim Sanctorũ albo adscriptos inspicias, occurrent S. Antoniu Vlyssiponensis, Arca testamenti appellatus, S. Bernardinus Senensis, Seraphici huius Ordinis Professor & instaurator egregius, S. Bonauentura tantę sanctitatis, vt in eo Adam videri non peccasse dicere solebat Alensis: cuius etiã cor mirâ claritate fragrans, incinerato corpore post multa lustra incorruptũ repertum est. Sanctus Ludouicus Caroli Secundi filius, Episcopus Tholosanus, S. Didacus Cõplutensis, Quos Sanctos Cõfessores innumeri Beati insequuntur, pauci ex innumerabilibus nunc recẽsentur, Ioannes à Capistrano, Iacobus de Marchiâ, Paschalis, & Petrus de Alcantarâ à throno Apostolico Beatorũ Ordini annumerati. Hos insequuntur Conradus Offidanus, Odoricus Foroliuiensis, Ioannes de Aluernâ, præter duodecim socios S. Francisci, qui inter viros sanctitate illustres recensentur, videlicet, Bernardus, Syluester, Petrus, Ægidius, Sabbatinus, Guilielmus, Moricus, Philippus, Constantinus; Barbarus, Bernardus, Angelus. Numera stellas si potes.

S. Gregorius in Cant. loco citat.

Ex Ambrof. 2. in Luc. c. 10.

Plurimi ex D. Francisci Ordine viri sanctissimi.

42 Fructus huius surculi pariter extitit S. Clara S. Francisci disciplinâ imbuta, & S. Elisabetha, Ludouici Lantgrauij Thuringiæ vxor, Hũgariæ Regis filia, quas virginum & sanctarũ mulierum innumerabiles cunei insequuntur, Agnes de Assisio S. Claræ soror, Agnes Bohema, Bohemiæ Regis filia, Friderico Secundo nupta, Blanca, à Philippo Pulchro Francorum Rege progenita, Sancia, Ruperti Regis vxor, Catharina Bononiensis (cuius corpus incorruptum vsque in hanc diem Bononiæ asseruatur) singulas recensere superfluũ. Sed vt vinea, *dum ligatur, erigitur, & recisa nõ minuitur, sed augetur: ita* (Francisci) *sancta plebs, dum ligatur, exuitur, dum humiliatur, attollitur; dum reciditur, coronatur.* Coronata certè est, dũ sanctus Accursius cum quatuor sociis apud Marochium pro Christo occisus, & S. Angelus cum sex aliis sectam Saracenorum exsufflantes, ab Arbaldo Iudice enecati, martyrij lauream insigniter adepti sunt, quorũ annua festiuitas à Seraphico Ordine auctoritate Sedis Apostolicæ celebratur. Petat qui volet ceteros, è grauissimis Seraphicæ Religionis Historicis, quia pænè singuli innumeros posteritatis memorię reliquerunt. Meruit Francisci labor, & sanguis, vt è vite erumperent quatuor Romani Pontifices, Nicolaus IV. Alexander V. Sixtus IV. Sixtus V. Cardinales supra quadraginta, Episcopi quos certo numero vix comprehẽdas. Scriptores in omni facultate adeò celebres reperies, vt hoc mirum sit in Dei Ecclesiâ, familiam sancti Francisci in Apostolicâ simplicitate fundatam, tantâ sapientiâ refertam, vt non solùm per Discalceatos, & supplices, tractos ad Christi crucem inspicias Reges coronatos, sicut olim per piscatores tractos Imperatores, sed & per sapientes, Alexandrũ Alensem, Riccardũ, Ioannem Scotum, Aluarum Pelagium, Aureolum, Nicolaum Liranum, alios quamplurimos, quos enumerare vix potes, Athenæ licæum, & sapientium prudentia est retusa. Tanto autem fœdere Prædicatorum vinea, cum Minorum vineâ iuncta est, vt solus habitus tamquam maceria discernat Fratres vterinos eodem tempore exortos, simul à Ioachimo Prophetico spiritu prædictos, à B. Virgine ad mundi conuersionem simul destinatos, vt pari passu in sanctitate, litteris, dignitatibus incessisse videãtur: vt neutrum alteri præferri posse Clemens IV. iudicauerit. Scribẽs enim ad quemdam militem, sic inquit. *Quòd si ex proposito non mutato scisciteris vlterius, quem tibi ex Fratrum Prædicatorum & Minorum Ordinibus præeligendum credimus, id præcipuè conscientiæ tuæ relinquimus: magis enim tu scire poteris cuiusque Ordinis obseruantias, quare non sunt pares in omnibus, & in diuersis particulis excedentes & excessæ. Alterius quidem istorum Ordinum lectus est durior, nuditas grauior, & vt nonnulli iudicant, paupertas profundior. Et alterius cibus parcior, longiora ieiunia, & vt quamplures autumant, sanctior disciplina. Neutrum ergo neutri præferimus, sed in vnâ & arctissimâ paupertate fũdatæ ad vnum tendere credimus, salutem scilicet animarum. Et ideo siue hunc siue illum elegeris, arctam vitam aggredieris; & per portam introibis angustâ ad terram mellifluã, & præ ceteris spatiosam: vnde hoc apud te pondera, hoc diligenter aduerte, qui magis animo tuo placeat, quemq; speres melius portaturum, & sic vni conuersationi adhæreas, vt amore ab altero non discedas. Frater enim Prædicator est reprobus, qui Minores non diligit, & execrabilis Frater Minor, qui vel odit Prædicatorum Ordinem, vel contemnit.* Sed pænè obliti eramus pergere ad aliorum Ordinum vineas, fragrantiâ & suauitate Dominicanorum & Franciscanorum illecti; quare iter ad eas inuisendas prosequimur: vt tantorum virorum exemplis animati, & spiritualium virtutum odore recreati, feruenter & alacriter curramus post eos, si fortè mereamur admitti ad sponsi delicias, & ad

Plurimæ sanctæ Virgines.

Ex Ambrof. 2. in Luc. cap. 10.

Plures Martyres.

Plures similiter Scriptores.

In Constit. Prædic. d. 1. cap. 15.

Prædicatorũ & Minorum Ordinum quanta conformitas.

En quantus is numerus.

Abbate Heisterbacensi, cap. 35. De beato Bernardo Abbate, cap. 36. De beato Gaufrido Abbate, cap. 37. De B. Christiano Abbate Toreneti, cap. 38. De B. Ogero Abbate Loredij, cap. 39. De sancto Theobaldo Abbate, cap. 40. De B. Daniele Abbate Schonaugiæ, cap. 41. De B. Godefrido Abbate, cap. 42. De Adamo Abbate Regij loci, cap. 43. De Adamo Norensi Abbate, cap. 44. De B. Ethelredo Abbate VVardensi, cap. 45. De Geruasio Abbate Parcensi, cap. 46. De B. Gilberto de Hoilandiâ, cap. 47. De Gualtero Abbate Morganiensi, cap. 48. De Henrico Salteriensi, Abbate, cap. 49. De Ioanne Abbate Iornalensi, cap. 50. De Ioanne Abbate Fordensi, cap. 51. De Ioanne Abbate Fontanensi, cap. 53. De B. Mauricio Abbate Fontanensi, cap. 53. De Radulpho Coggeshalensi Abbate, cap. 54. De Richardo Abbate Herefordiensi, cap. 55. De Coraldo Abbate Fontanensi, cap. 56. De B. Raynaldo Abbate Fusniacẽsi, cap. 57. De B. VValeno Abbate Meilrossensi, cap. 58. De B. Aegidio, Abbate sancti Martini, cap. 59. De B. Daniele, Abbate Camberonensi, cap. 60. De B. Gerardo, Abbate Floriacensi, cap. 61. De B. Mauricio, Abbate sancti Martini, cap. 62. De B. Serlone, Abbate Sauigniaci, cap. 63. De sancto Gilberto, cap. 64. De B. Hostrado, Abbate, cap. 65. De B. Hugone, Abbate, cap. 66. De B. Cunano, Abbate, cap. 67. De B. Euerhardo, cap. 68. De B. Abbate Anonymo, Ord. Cisterciensis, cap. 69.

Vita aliorum Abbatum ad longum descripta.

29. Sed ad Vitas redeamus. Sequitur in auctore: Vita Ven. Patris, Fratris Ludouici de Estrada, Hortẽsis Monasterij Monachi, & Abbatis. Vita Reuer. Patris, Fratris Angeli de Victoriâ, Generalis Ordinis Obseruãtiæ, & Monachi Monasterij Ferrariensis. Vita P. F. Marci de Portas, Monasterij sanctæ Mariæ Nucalensis, Monachi & Abbatis. Vita Reuerendissimi P. F. Marci de Villalbâ, Monachi Monasterij Montis Sion, & Generalis Reformatoris Congregationis Hispaniæ Vita Patris F. Benedicti de Salamãticâ, Monachi Monasterij Morerolensis, & Abbatis electi S. Mariæ de Melone. Vita Patris F. Bernardi de Escobar, Monachi Monasterij Montis Sion, & eiusdem loci Abbatis. Vita Apostolici viri Deo dilecti Fratris Candidi, à S. Bernardo Monachi reformationis Hispaniæ Ordinis Cisterciẽsis in Nucalensi Cœnobio, & Abbatis electi sanctæ Mariæ de Melli-Fonte. Sed & pergit P. Henriquez, De aliis religiosissimis Abbatibus, qui nostram ætatem admirandis virtutibus illustrarunt, scilicet. De Fratre Placido Luzuriaga, Monasterij Ferrariensis, Monacho & Abbate. De V. Patre Laurentio Gonzalez, Abbate. De Fratre Nicolao Fagan, Monasterij Ferrariensis in Castellâ Religioso, Abbate Suriensi in Hiberniâ. De V. Patre Adriano Cancellier, Abbate Dunensi. Quibus addit auctor Virtutes & Elogia ac certamina sacri Ordinis Cisterciensis Monachorum, qui pro fide Orthodoxâ, libertate Ecclesiasticâ & zelo iustitiæ feliciter in hoc exilio occubuerunt, & in æternâ patriâ gloriosissimè triumphant. Et in primis de B. Gerardo, Abbate Claræuallis, qui pro conseruandâ Monasticâ disciplinâ, coronam martyrij promeruit. De B. Petro, Abbate Fontis Frigidi. De sanctis Bernardo, Gratiâ & Mariâ, filiis Regis Carletani, Ord. Cistert. Religiosis & Martyribus. De B. Bertoldo, Abbate Lucensi in Saxoniâ, Episcopo & Apostolo Liuoniæ martyre. De bis mille Religiosis Cistert. & Martyribus Calatrauæ. Hos sequitur Vita beati Ferdinandi Principis, Religiosi Cisterciensis, & Militiæ Auisiensis Magistri & Generalis & Martyris. Mirabilis Historia de Martyrio quadraginta Monachorum Hibernorum, Cœnobij Magiensis, qui post mortem resuscitati, beatæ Virginis Vesperas cecinerunt. Gloriosum certamen B. Guillelmi VValchæi, Monachi Cisterciensis in Hibernia, Episcopi Midensis & martyris. Sed compendiose referamus quod idem auctor habet de aliis sacri Cisterciensis Ordinis martyribus, quorum certamina ad longum in suo libro non describit, scilicet, De sancto Thomâ, Archiepiscopo Cantuariensi, cap. 1. De B. Adamo, & eius socio martyribus, cap. 2. De beatis Stephano & Idelrando martyribus, cap. 3. De B. Gualtero, Episcopo Antisiodorensi & martyre, cap. 4. De B. Petro, Episcopo Catalannensi & martyre, cap. 5. De Ioanne Messiâ & Monacho eius socio martyribus, cap. 6. De Abbate & Monachis Cœnobij Stetickenbekensis martyribus, cap. 7. De Monachis Sedelitzensis Monasterij martyribus, cap. 8. De Abbate & Monachis beatæ Mariæ de Firmitate, martyribus, cap. 9. De sanctis Martyribus Cuprunicensis Cœnobij, cap. 10. De Martyribus Olleckensis Cœnobij, & de Martyribus Nouæ-Cellæ & Grumain, cap. 11. De Monachis Oliuetanis & Monialibus Vitaniensibus Ord. Cist. & martyribus, cap. 12. De centum Monachis, martyribus in Galliâ, cap. 13. De B. Michaele martyre, cap. 14. De B. Gelasio, Abbate & martyre, cap. 15. De BB. Patricio & Malachiâ martyribus, cap. 16. De B. Thomâ Dunensi, Monacho & martyre, cap. 17. De B. Cornelio Poldermans martyre, cap. 18. De aliis Monachis Cisterciensibus, qui in Hiberniâ passi sunt, scilicet, De B. Nicolao Macgerald. De B. Eugenio Omulkeran. De B. Eugenio Ogallahure. De B. Bernardo Treuir. De B. Eugenio Cornio. De B. Cornelio Rorick, cap. 19. De Monachis in Regno Angliæ propter fidem occisis, videlicet, De B. Guillelmo Trust, Abbate Fontanensi. De B. Ioanne Paslei, Abbate VVallensi. De B. Guillelmo Addoc. De B. Abbate Sauliensi Anonymo. De B. Richardo VVohitinges, Abbate Glastemburiensi. De B. Ioanne Torne. De B. Rogero Iacobo, cap. 20. Quorum omnium Gesta, quia prolixum nimis fuit referre, ad Eximium P. Ioannem Chrysostomum Henriquez Lectorem remittimus: sufficit enim nobis vel vnico solùm oculo inspexisse, quantâ Sanctorum gloriâ ac meritorum copiâ ad ditãdum quamplurimum communem Ecclesiæ thesaurum, Ordo Cisterciensis, si non supra alios, non minùs saltẽ quam vllus ex iis, abundauerit, affluxeritque.

Abbates præsentis temporis aliquot insignes.

Monachi præter à Cistercienses Martyrio excellentes

Eorum non exiguus numerus.

In Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis.

30. Ad Norbertinum proinde ac Canonicum Ordinem accedere poterimus; & de illo proferre, quæ Eximius sui etiam Instituti Generalis Historiographus Reuerendus admodum atque Amplissimus D. Ioannes Chrysostomus vãden Sterre, Antuerpiæ ad Diuum Michaëlem Abbas, insigniter compilauit & euulgauit in Natalibus Sanctorum candidissimi Ordinis sui Præmonstratensis, quibus & hæc Summorum Pontificum subiecit Elogia. Adrianus Papa IV. *Attendentes itaque, quomodo Religio & Ordo vester*, CVIVS NOS ALVMNVS ALIQVANDO FVIMVS, *multâ refulgens*

Ordinis S. Norberti laudes aggredimur.

fulgens gloriâ meritorum, & gratiâ redolens sanctitatis, palmites suos à mari vsque ad mare extenderit, &c. Idem Adrianus: *Sicut in humano corpore membra plurima esse dignoscuntur, & alia in maiori honore habeantur, quoniam pro excellentiæ suæ dignitate sunt chariora; ita in Corpore Christi, quod est Ecclesia, plurimi sunt ad laudem & honorem Domini congregati, quidam tamen propensius in ipsius laudibus & seruitio commorantes, sicut membra excellentiora in Corpore Christi numerantur, & sunt quasi luminaria in firmamento cæli, quæ terrenos illuminant, & ad Christi seruitium proprij vnguenti odore student alios attentius prouocare. Vos autem filij in Christo charissimi, quoniam de illorum numero vos esse cognoscimus, sincero affectu diligimus charitatis, & vestris iustis postulationibus gratum volumus exhibere consensum, vt tantò feruentiùs in Domini vineâ laboretis, quantò apud Matrem sacrosanctam Romanam Ecclesiam maiorem gratiam senseritis inuenisse.*

Ex Adriano IV. Pontifice Norbertino.

Alexander PP. III. *Omnipotenti Deo, à quo vniuersa bona procedunt, gratiarum referimus actiones, qui vos in vnitate Catholicâ conseruauit, & non permisit schismaticâ pollui prauitate, licet enim schismaticorum præsumptio diuersis vos calliditatibus & mendaciis à deuotione S. Petri & nostrâ retrahere niteretur; vestra tamen discretio illorum iniquitatem studuit euitare, & vnitatem Catholicam conseruare. Quod siquidem gratum & acceptum tenentes, & vestræ fidei constantiam & sinceritatis affectum in Domino plurimum commendantes, gratias quas debemus vobis referimus, firmum propositum & firmam voluntatem habentes, personas & Ecclesiam vestram merâ cordis affectione diligere, & internæ dilectionis brachiis amplexari, & iura ipsius illæsa & integra conseruare.*

Ex Alexandro III.

Innocentius Papa IV. *Sanè mundo celebris, & supernis grata ciuibus, sacra Religio Præmonstratensis Ordinis, à suæ plantationis initio Regis æterni fuit habitaculum, virtutum splendoribus illustratum, quod semper honore proficiens & honestate concrescens, generalis Ecclesiæ decus extulit, & decorem multimodis ampliauit. Ex hoc enim nos spiritualem in Domino lætitiam consequentes, affectu pio de ipsâ Religione concipimus, vt nostræ prouisionis auxilio, eius robur & pulchritudinem augeamus: ita quod ipsa in domo Domini contra temptatoris impetum & turbinem vitiorum, sit quasi turris eburnea, virtutum munita propugnaculis, in quâ lectum amœnæ quietis habeat veri excellentia Salomonis, &c.*

Ex Innocentio IV.

Bonifacius Papa VIII. *In Ecclesiæ firmamento vester Ordo claro nitore coruscans, vniuersalem Dominici gregis aulam illuminat, currentibus in stadio rectum iter insinuat, quo ad salutis brauium faciliùs peruenitur.* Sequitur, vt de Sanctis, qui in Ordine adeò sublimi vixere, nonnihil agamus. Certè non mihi hic multis opus est Scriptoribus, vnus idem, qui suprà dignissimus Abbas Chrysostomus, aureo suo calamo multa quæ huc pertinent, paucis licet complexus est. Et tamen quia temporis seu loci penuriâ laboramus, ex paucis paucissima solùm seligenda sunt. Sed quid opus est multis, vbi pauca sufficiunt? & quid multa dicere conuenit, vbi longum testimonium vel breuia aliquot verba pronuntiant. Manipulum igitur de illius, vt librum suum Abbas ipse vocat, manipulo, colligemus; vt videre possit Lector, quàm ferax sit hic Ordo Sanctorum: & tamen sic videat, vt audiendorum multitudine non defatigetur. Vtitur dictus iam Scriptor stylo Sanctorum Natalibus accómodato, & per dies Depositionum Sanctos enumerat, auspicatus à primo Ordinis sui principio his verbis: 25. Decembris, Commemoratio felicissimi Auspicij Candidissimi Ordinis Præmonstratensis. Quando beatissimus Patriarcha Norbertus, post plurima Apostolicæ vitæ insignia, Præmonstrato sibi cælitus à beatissimâ Deiparâ Candido habitu, & primi Cœnobij loco, acceptaque à B. Augustino aureâ Clericorum Regulâ, vnà cum collecto suo Candido Sodalitio, solemni sese votorum professione, in obsequium perpetuum paruulo Iesu nato consecrauit: & Dominicæ descriptionis adinstar, in die Natalis Domini sub eadem & stabilitatis in loco, & professionis gratiâ, ad illam beatæ perennitatis ciuitatem, cum nouâ suâ & Candidâ militiâ sese descripsit.

Ex Bonifacio VIII.

Ordinis Præmonstratensis initium.

In quâ mirum est quàm in omni perfectione ac sanctitate floruerint omnis generis viri. De Abbatibus vt quid loquamur, 31. Decembris Natales occurrunt. In Syluâ Boënensi, Cœnobio Montis sancti Martini, beati Patris Garenberti, primi ibidem Abbatis Ordinis Præmonstratensis: qui post præclara virtutum insignia, laudabilem vitæ sanctissimæ cursum beatâ morte terminauit. 2. Ianuarij, In Rotensi Sueuiæ Cœnobio, beati Odinonis Abbatis: qui mūdi pertæsus vanitatum, suaui Christi iugo collum subdidit, & Præmonstrati Ordinis egregius propagator, multos animarum manipulos feliciter transmisit ad Christum. 2. Februarij, In Lotharingiâ, Cœnobio S. Mariæ in Nemore, B. Simonis primi eiusdem Ecclesiæ Abbatis: cui cùm sancto Euangelico Simeone, post longæuæ vitæ laudabilem cursum, hoc sacro Purificatæ Virginis festo contigit in cóplexu Christi sui feliciter mori. 10. Februarij, In Præmonstratensi Archicœnobio Natalis B. P. Hugonis Abbatis, & primi post sanctum Patrem Norbertum totius Ordinis Præmonstratensis Generalis: qui inter primos sodales eidem sancto Patri Valencenis adiunctus; sanctorum ipsius laborum pro amplificandâ Dei gloriâ fuit egregiè particeps; dignissimusque postmodum habitus, qui in supremo totius Ordinis Magistratu gerēdo, ipsi sufficeretur. Quem vti sanctissimæ vitæ insignibus, & magno promouendi Ordinis zelo viuus expressit; ita nunc beatâ ipsius in cælo gaudet societate. 28. Februarij, Apud Pruninum transitus beati Rayneri, primi Abbatis sancti Mariani Altisiodorensis: qui cùm esset sacris Litteris egregiè excultus, & diutinâ virtutis exercitatione in magnam profecisset sanctitatem; aliquamdiu Præmonstrati Prioris functus officio, à B. Hugone primus Altisiodorensis Cœnobij Abbas creatus est, & post præclara virtutum insignia, in pace quieuit, variis post obitum decoratus miraculis. 3. Martij, In Frisiâ beati Patris Frederici, I. Abbatis & Fundatoris Horti Mariani, Ordinis Præmonstratensis: qui præclarissimarum virtutum & miraculorum gloriâ longè lateque coruscans, post plurimos Deo collectos animarum manipulos, lætissimè inter Psalmos & Hymnos, beatissimam suam animam Creatori reddidit. Cuius sacrum defuncti corpus suauissimo fragrans odore sepultum, plurimis posteà claruit miraculis. 15. Martij, In Viconiâ Natalis B. Walteri Quercetani, Abbatis eiusdem Cœnobi: qui grandæuo Patri B. Radulpho Successor datus, præclarâ pietate Præfecturam suam decorauit: & post felicem transitum,

31.

Plures illius Abbates sanctitate præclari.

S. Hugo D. Norberti in Generalatu successor.

S. Fredericus in Frisiâ Horti Mariani Abbas.

tum, cælesti luminis irradiatione, æternæ lucis consortium obtinuisse declaratus est. 26. Martij. In Silonensi Bohemiæ Cœnobio, Beati Castali Abbatis: cuius ibidem fons salutifer à circumiacentibus populis visitatur, & Sancti merita declarat: eiusque exhumatæ sacræ Reliquiæ in veneratione habentur. 8. Aprilis. In Cœnobio Beatæ Mariæ Bellipodij Diœcesis Vrgellensis in Cataloniâ, Beati Patris Ioannis de Organâ, eiusdem Ecclesiæ Abbatis Præmonstratensis: cuius vti vita eximiæ sanctitatis refulsit exemplis, ita factæ eius Reliquiæ præclaris etiamnum sæpè decorantur miraculis. 22. Aprilis. In Viconiensi Hannoniæ Cœnobio, Natalis B. P. Radulphi, ex primo Abbate Castelli in Mancitaniâ, Viconiensis Ecclesiæ Prælati: qui pauperum egregius benefactor, & eximiâ lenitate conspicuus, cùm Cœnobij sui res præclarè promouisset, septimo regiminis sui anno Præfecturam successori suo B. Waltero cessit: plenusque dierum & bonorum operum, iam nonagenarius ad cælos migrauit, variis decoratus miraculis. 7. Maij. In Milouicensi Bohemiæ Cœnobio, Beati Gerlaci Abbatis: qui vitæ sanctimonia & miraculis coruscans, etiam spiritu Prophetico clarus, quo futura plurima prædixit, viginti octo annos Milouicensem Ecclesiam laudabiliter rexit. Post cuius obitum multa pariter ad eius tumbam contigerunt miracula: ità vt ægroti quiuis eam in fide & deuotione visitantes, sanitati pristinæ restituti sint. 11. Maij. In Cœnobio sancti Martini Laudunensis, B. P. Guarini eiusdē Ecclesiæ Abbatis: qui ex eiusdem Domus Priore, primus Viconiensi Cœnobio Abbas præfectus, illud magnâ sanctitatis laude rexit: posteà verò ad Laudunensem reuocatus Ecclesiam, eamdem comitante sēper eum largâ Domini benedictione, per multos annos vitâ, verbo & sollicitâ curâ gubernauit: pastorali demum sollicitudine gloriosus, ibidem sancto fine quieuit. 14. Augusti. In Viconiâ, Natalis B. P. Wilhelmi Weroinij Abbatis Viconiensis: qui extructâ nouâ Cœnobij sui Ecclesiâ, iuxta designatam sibi à beatissimâ Deiparâ formam, ob liberalem in pauperes munificentiā, Eleemosynarij nomen promeruit. Cumque annis viginti duobus Ecclesiæ suæ admodum laudabiliter præfuisset, Sacramentis Christianis magnâ cum deuotione susceptis, cinericio strato decumbens, staturâ pusillus, sed animo excelsus, Deô dignam animam suam efflauit. 20. Augusti. In Steinfeldiensi Eyffliæ Cœnobio, beatæ memoriæ Iacobi de Rodesheim, eiusdem Ecclesiæ Abbatis XXI. qui zelo flagrans Monasticæ disciplinæ, cùm impiorum excessus pro officij sui ratione indefessus argueret, ab iisdem intoxicatus, gloriosâ morte obiit: facinoris autem huius conscij, malâ morte perierunt. 14. Septembris. In Cœnobio Beatæ Mariæ de Bernâ, Natalis B. P. Eueraldi, I. eiusdem Ecclesiæ Abbatis: qui vitâ sanctissimus, humilitate eximius, & religiosæ paupertatis amicus, cùm triginta quatuor annis suam nobiliter rexisset Ecclesiam, plenum relinquens Conuentum & benè ordinatum, feliciter migrauit ad Dominum 25. Septembris. In Cœnobio sancti Pauli Virdunensis, BB. Rogeri & Theodorici eiusdem Ecclesiæ Abbatum: qui à B. Alberone Episcopo huic Cœnobio successiuè præpositi, magna illud sanctitatis laude gubernarunt, Deoque illos largâ benedictione prosequente, cùm vltra 300. ad Christi seruitium Candidos Religiosos attraxissent, iisdem illos prouentibus commodè sustentarunt; qui anteà pauculis alterius instituti vitæq; deformatæ Monachis non sufficerant. tandem pastorali sollicitudine gloriosi, ingressi sunt in gaudium Domini sui. 3. Octobris. In Aruerniâ, Natalis S. Gilberti Confessoris, & Abbatis I. Cœnobij Nouem-Fontium: qui sæcularis militiæ nobilitatus insignibus, ex potentissimo milite huius sæculi factus est humillimus miles Christi: extructoque Candidi Ordinis Cœnobio, paupertatis & abstinentiæ, liberalitatis & eleemosynarum admirandus exemplis, migrauit ad Dominum: cuius magnitudinem meritorum, miraculorum magnitudo declarat. 12. Octobris. Apud VVadegozin, Natalis B. P. Godefridi, I. Abbatis Arnsteiniani: qui ex Scholastico Cathedralis Ecclesiæ B. Mauritij Magdeburgensis, in Cœnobio Gratiæ Dei, Candidi Ordinis institutum professus, Arnsteiniano Cœnobio I. Abbas præfectus est, Vir gratiæ singularis & meriti: quemque velut cælestem radium ceteri sequebantur. Anno autem Præfecturæ vndecimo ad cęlos feliciter migrauit. 10. Nouembris. In Cœnobio S. Michaëlis de Treuino iuxta villam Maiorem in Hispaniâ, obitus sanctæ memoriæ Didaci de Mendietâ, Abbatis: qui huius Ecclesiæ vltimus Abbas perpetuus; zelo Religionis, reformationisque causâ libentissimè cessit. Postmodum semel & iterùm Candidæ Religionis in Hispaniæ Regnis Generalis Reformator, aliquorum insuper Domorum Abbas triennalis, Congregationisque Hispanicæ Visitator extitit Generalis, Vir verè Apostolicus, humilis, obediens, religiosus & pius. Demum variis exercitatus morborum molestiis cum admirabili patientiâ toleratis, cælo semper intentus, diuinis Angelorum vocibus & concentu in terris recreari meruit: decessitque iam octogenarius cum tantâ sanctitatis opinione & populorum accursu, quòd plurimis vestium eius particulas certatim abscindentibus, vix terræ mandari potuerit. 13. Nouembris. In territorio Hallumensi, Cœnobio Horti Mariani in Frisiâ, Natalis beati Patris Siardi, eiusdem Ecclesiæ V. Abbatis: qui à B. Frederico acceptum virtutum pallium, velut alter Eliseus, immaculatum custodiuit: exactisque in regimine triginta sex annis, præclaræ sanctitatis & meritorum gloriâ coruscauit. Cuius defuncti tumulum infinita propemodum decorarunt miracula, quibus & in vitâ Vir sanctus egregiè illustratus fuit. 2. Decembris. In Floreffiensi Cœnobio Diœcesis Namurcensis, Natalis B. Ioannis d'Auelois, eiusdem Ecclesiæ V. Abbatis: qui commissi gregis sui forma factus ex animo, vt eidem præfuit merito, ita sanctæ vitæ præluxit exemplo. 23. Decembris. In Scheidensi Cœnobio, Beati Hermanni I. eiusdem Ecclesiæ Abbatis, & Præpositi Ordinis Præmonstratensis: qui ex Iudaismo mirabiliter ad Christi fidem conuersus, in Capenbergensi Cœnobio habitu suscepto, Candidæ huic Iesu militiæ adscribi voluit: in quâ per omnes Christianarum virtutum adscendens gradus, ad tantam perfectionis Euangelicæ excellentiam deuenit; vt quò olim zelosior extiterat propugnator Iudaicæ perfidiæ; eò nunc gloriosior æternæ esset

B. Castalus Abbas Silonensis.

B. Radulphus Abbas Viconiensis.

B. Gerlacus Milouicensis.

B. VVilhelmus, item Viconiensis.

B. Iacobus Abbas in Rodesheim.

Item aliorū losorum Ab...

Inter quos B. Godefridus.

B. Siardus Horti Mariani Abbas.

Et B. Hermannus Scheidensis.

set assertor veritatis. Quin & Scheidensis Ecclesiæ Prælaturam, piæ & sanctæ conuersationis exornauit exemplis.

32. Sanctissimis verò hisce Abbatibus, alij quoque non minoris perfectionis Præpositi & Religiosi possunt adiungi. 23. Februarij. In Capenbergensi VVestphaliæ Cœnobio, B. Ottonis eiusdem Ecclesiæ III. Præpositi: qui B. Godefrido & sanguine & pietate germanus, pro calcatâ mundi gloriâ, cælesti coronâ donandus, feliciter migrauit ad Christum. 4. Martij. In Vespergensi Sueuiæ Cœnobio, Natalis Beati Grinionis, II. eiusdem Ecclesiæ Præpositi: qui commissi gregis sui forma factus ex animo, pluribus annis eumdem sapientissimè gubernauit, & meritis diues euolauit ad Christum. 6. Iunij. In Nemore dicto de Curuâ Fossa in Normanniâ, B. Tankeredi primi Prioris Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis de Lucernâ: qui Christo Cruci confixus, ita Crucis mortificationem pro Dei gloriâ in suo corpore portauit, vt in ipsius morientis pectore Crux lactea in horâ mortis apparuerit. 6. Augusti. In Capenbergensi Westphaliæ Cœnobio, B. Hermanni IV. eiusdem Ecclesiæ Præpositi: qui Lotharij Comitis de Are, & B. Hildegundis filius, Comitatibus Marensi & Arensi præposuit improperium Christi: & mundi nobilitate spretâ, per solidas virtutes viam sibi ad cælos muniuit.

Neque solùm Abbates, sed & Præpositi aliique Norbertini Sancti.

Religiosos verò sanctos si Præmonstratenses velimus: 30. Decembris. In Cœnobio VVedinghansensi iuxta Arensbergam, Natalis beati Richardi Anglici, Canonici: cuius defuncti dextera, quam in conscribendis variis voluminibus egregiè occupauerat, vigesimo post obitum anno, integerrima prorsus reperta fuit, & inter sacras Sanctorum Reliquias honorificè adseruata. 5. Ianuarij. In ditione Falcoburgensi, Natalis sancti Gerlaci Confessoris & Eremitæ: qui per austeræ pœnitentiæ rigorem, in Candidissimo Præmonstratensi amictu, beatum ibidem vitæ finem sortitus, plurimis etiamnum miraculis gloriosus requiescit. 23. Ianuarij. In Flandriâ, Cœnobio SS. Cornelij & Cypriani, iuxta Niniuen, B. Arnoldi à Svvalmâ, Pastoris Oppidi Niniuensis, & Canonici Ordinis Præmonstratensis: qui cùm ministerium suum vitâ integerrimâ pluribus annis honorificasset, in pace obdormiês, à Principe Pastorum fidelis seruitij stipendium accepturus, ad cælos feliciter euolauit, post obitû miraculis illustratus. 10. Februarij. In Rotensi Cœnobio, B. VVilhelmi eiusdem Ecclesiæ Canonici: qui ab ipsis tenerioribus annis miro pietatis ardore succensus, quò vberiorem in sanctitate progressum faceret, in Candidâ S. Norberti familiâ Christi iugo collum subdidit: in eaque per austeræ pœnitentię rigorem, per indefessum mortificationis studium, per inuictæ patientiæ mirabiles triumphos, adeò eximiâ mentis & corporis consecutus est puritatem ac vitæ innocentiam, vt gloriosissimæ Dei Matri, & SS. Angelis familiaris, eorum visibili in terris apparitione subinde recrearetur. Qui tandem validis diuini amoris succensus flammis, sed & in tribulationum excoctus fornace, purissimum spiritum suum, per mortem pretiosam (quæ illi per Angelum reuelata est) in manus sui Creatoris placidissimè exhalauit, qui nunc in eo misericordias suas æternâ gloriâ coronauit. 30. Martij. Apud

Neque solùm Superiores, sed & plurimi Præmonstratenses Sancti.

B. Arnoldus in Niniuen.

B. VVilhelmus in Roten.

Hascam in Frisiâ, Natalis Beati Dodonis Eremitæ Confessoris: qui in Mariani Horti Cœnobio, Candidi Ordinis factus Canonicus, & B. P. Siardi egregius discipulus; eius postmodum assensu solitariam vitam miro pœnitentiæ rigore instituit. Cuius sanctæ conuersationis fama latè innotuit: & præter complura miracula, quibus à Deo illustratus fuit, etiam sacra quinque Christi stigmata mirabiliter sibi impressa habuit. 3. Martij. Apud Iouinum Castrum in Burgundiâ, Natalis B. Guidonis, ex Eremitâ Fundatoris & Canonici Cœnobij Viconiensis: qui Britannus patriâ, genere Nobilis, ordine Sacerdos, vt liberioris vitæ expiaret maculas, in vicinam Valencenis Siluam Deo vacaturus secessit. Et sâctitatis eius erûpentibus radiis, cùm multos in sui æmulationem pertraxisset; cum iisdem Præmonstratensi sese Ordini subiecit. Quique ab ineunte ætate se voluntariè pauperem fecerat, post varios exantlatos labores, etiam Terræ sanctæ visitata sacra limina, pauperum egregius consolator, migrauit à sæculo, æternùm victurus cum Christo. 4 Aprilis. In Eyffliâ Cœnobio Steinfeldiensi, Natalis Beati Ioseph Presbyteri & Canonici Ordinis Præmonstratensis: qui post præclara meritorum insigna, post annos quamplurimos, summâ vitæ innocentiâ transactos, post creberrimas sibi diuinitus factas reuelationes, post continuatam ab ipsâ infantiâ cum Reginâ Cælorum castissimam familiaritatem, post consecratam integerrimi animi corporisque virginitatem, febri correptus lethali, eaque ad extrema perductus, in manus sui Iesu spiritum eximiâ animi pietate commendans, erecto corde & vultu, ad æterna tabernacula feliciter emigrauit. Cuius sanctissimo interuentu, varij ad vitam mortui fuit reuocati, cæci illuminati, surdi sanati, phrenetici & hydropici curati, dæmones effugati, & plurima alia patrata miracula. 17. Aprilis. In Brabantiâ iuxta Louanium, Natalis B. Rabodonis, Canonici Ecclesiæ Parcensis: qui inter cetera exemplaris vitæ merita, dum rememorandis Christi cruciatibus, Feriis sextis in pane & aquâ ieiunat; cælitus sibi versam subinde in vinum aquam deprehendit. 15. Maij. In Viconiâ, Transitus beati Iacobi Nouitij: qui necdum solemnibus Deo votis adstrictus, & propter eximiam animi puritatem iam cælo maturus, raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius; consummatusque in breui expleuit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius. Cuius virginale corpusculum tribus ab obitu annis exhumatum, in virginitatis integerrimæ testimonium, incorruptissimum repertum est. 30. Maij. In Wortensi Virginum Cœnobio, Transitus beatæ memoriæ Onulphi Canonici Ecclesiæ Bernensis: qui non solùm visibili Virginis Matris apparitione recreari; sed & ab eadem obitû suum felicem præscire meruit. 30. Maij. Iuxta Niniuen in Flandriâ, Beati Lamberti de Lidekerkâ Canonici Ecclesiæ SS. Cornelij & Cypriani: qui vitæ venerabilis & sanctæ côuersationis redolens fragrantiâ, nec non regularis disciplinæ obseruantiâ refulgens, inter primos dicti Cœnobij Religiosos, miraculis à Deo nobilitari meruit. 24. Iulij. In Niniuensi Cœnobio, beatæ memoriæ Hescelini, eiusdê Ecclesiæ Canonici & Supprioris: qui sanctimoniâ conspicuus, indefessè portabat pondus diei & æstus; menteque in cælo suspensâ,

B. Guido in Viconio.

B. Ioseph in Steinfeldt.

B. Rabodo in Parco.

Lambertus de Lidekerka in Niniuen.

ſuſpenſâ, in Ordinis obſeruantiâ adeò erat ſtudioſus, vt mirum in modum in carne ambulans, non ſecundùm carnem militare videretur: ſed quæ tranſitoria ſunt reſpuens, ſuper pennas ventorum quodammodò volitaret. 24. Auguſti. In VVortenſi Virginum Cœnobio, Natalis ſanctæ memoriæ Theodorici, Bernenſis Eccleſiæ Canonici: qui variarum virtutum ſuffultus præſidio, in lecto doloris ſui à ſanctiſſimâ Dei Matre & inclytâ cæli Reginâ viſitari meruit: & mundæ conſcientiæ gaudens teſtimonio, per bonam mortem, quam intrepidus excepit, æternùm in cælo regnaturus feliciter migrauit ad Dominum. 11. Septembris. In Grimbergenſi Brabantiæ Cœnobio, Principibus Apoſtolorum ſacro, Natalis B. Danielis, eiuſdem Eccleſiæ Canonici & Prioris: qui ob Angelicæ vitæ puritatem, viſibili in humanâ ſpecie Angelorum conſolatione, eorumq; miniſterio, Deo ſacrum offerens Miſſæ Sacrificium, meruit decorari; conuerſationiſque ſanctæ exemplis, morum integritate, ac zelo diſciplinæ Monaſticæ augendæ extitit admirandus.

Theodoritus in Bernâ.

B. Daniel in Grimbergâ.

33.

Norbertina ſeſe quoque ſanctitas ad eorum Conuerſos extendit.

Quin & Conuerſos inter Norbertinos mira ſanctitas illuxit. 12. Aprilis. In territorio Henſdano, Natalis Beati Folcoldi Conuerſi Ordinis Premonſtratenſis, & Fundatoris Eccleſiæ Bernenſis: qui contemnens honorum titulos, & Teiſterbandiæ Comitatum in humilem Præmonſtrati Ordinis commutans profeſſionem, vt liberioris vitæ expiaret maculas, elegit magis abiectus eſſe in domo Dei ſui, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. 9. Iunij. In Cœnobio Niniuenſi, Obitus B. Arnulphi de Felleçâ, Conuerſi: qui opificio ſutor, cæleſtem in terris vitâ agens, & charitatis operibus mirificè intentus, diutini laboris ſui dignam mercedem accepturus, migrauit ad Dominum. 19. Nouembris. Albæ in Hiſpaniâ Cœnobio S. Leonardi, Natalis B. Didaci Albanenſis Confeſſoris & Conuerſi: qui ſicut locum iſtum ſanctæ & cæleſtis conuerſationis decorauit inſignibus; ita nunc eumdem ſacris corporis ſui (quod ibidem venerabiliter quieſcit) Reliquiis exornat. Ad Epiſcopos quoque greſſum vt dirigamus: 17. Februarij. In Saxoniâ Natalis B. Euermodi III. Raſeburgenſis Epiſcopi, & Confeſſoris, Apoſtoli VVandalorum: qui Beatiſſimo Patri Norberto ſecundùm ſe ſodalem adiungens, indiuiduus ipſi deinceps comes adhæſit; & ex Præpoſito ſanctæ Mariæ Magdeburgenſis, ferocibus VVandalis Antiſtes datus, plurimis tandem virtutibus & miraculis glorioſus, ad cælos migrauit. 23. Aprilis. Saliſburgi in Bauariâ, Obitus ſanctæ memoriæ Adalberti, ex Canonico Strahouienſi Ordinis Premonſtratenſis in Bohemiâ, Archiepiſcopi Saliſburgenſis: qui Vladiſlai II. Bohemorum Regis filius, Pragæ in Cœnobio Montis Sion Cādidum Inſtitutum amplexus, eximiâ illud humilitate decorauit. Renitens autem Archiepiſcopus factus, cùm Alexandri Papæ III. partes contra Fridericum Imperatorem ſtrenuè propugnaret, implacabile eius odium incurrit: cui ex Pontificis ſuaſu ad pacem firmandam humiliter cedens, Archiepiſcopatum ad tempus reliquit; donec tandem magnâ præpotentium inſtantiâ in eodem denuò confirmaretur, quem mirâ in aduerſis patientia, & inſigni vitæ ſanctimoniâ nobilitauit. 23. Maij. Raſeburgi in Wandaliâ Beati Wiperti

Quot & quanti Epiſcopi in Ordine Præmonſtratenſi floruerint.

Inter quos S. M. Adalbertus.

Epiſcopi: cuius electioni, cùm propter iuniorennem ætatem Romanus Pontifex conſentire nollet, immiſsâ ei diuinitus vnâ nocte canitie, Deus miraculo atteſtari dignatus eſt: quo viſo in Epiſcopum Pontifex confirmauit, quem tam euidenti ſigno Deus à ſe comprobarat electum: qui Eccleſiam ſuam, libertatis Eccleſiaſticæ vindex magnificus, optimè gubernauit. 15. Iunij. Raſeburgi Natalis B. P. Iſridi eiuſdem Vrbis Epiſcopi, & Confeſſoris: qui B. Euermodi in Epiſcopatu ſucceſſor, vt eiuſdem fuit Candidi Inſtituti Profeſſor, ſic nec virtutibus nec miraculis inferior: plurimumque in VVandalis ad Religionem Chriſtianam conuertendis, exemplo ſui prædeceſſoris adlaborauit. 4. Iulij. Raſeburgi apud Wandalos B. Vlrici Blucherij, Epiſcopi: qui inter ceteras virtutes quibus mirificè reſplenduit, pauperum erat conſolator egregius, in eleemoſynis largus, miſericordiæ operibus ſingulariter deditus. Cuius liberalitatem Deus illuſtri hoc miraculo comprobauit: quòd granarium ſuum farinâ priùs & frumento plenum, quod in egenos totum diſperſerat, ob inſignem in Deum fiduciam diuinitùs iterùm plenum repererit. Qui propterea in lacrymas reſolutus, Deo prouiſori ſuo gratias immenſas egit, & pauperibus iterùm abundè elargitus eſt. Hiſce aliiſque virtutibus miniſterium ſuum honorificans, Eccleſiæ ſuæ ſummâ cū laude præfuit. 16. Iulij. Taruanæ Morinorum Natalis B. Milonis, eiuſdem Vrbis Epiſcopi & Confeſſoris: qui Religioſæ vitæ tyrocinio Præmonſtrati poſito, à S. P. Norberto primus Eccleſiæ S. Iudoci in Nemore Abbas datus, cùm prælaturam ſuam per decennium Angelicæ vitę & humilitatis eximiæ exornaſſet inſignibus, in Morinenſis Eccleſiæ Cathedram ſublimatus eſt, eamdemque pluribus annis Apoſtolico ſpiritu decorauit. 7. Auguſti. In Cœnobio Montis ſancti Martini, Natalis B. Godeſcalci, ex Abbate illius Eccleſiæ, Atrebatenſis Epiſcopi: qui litteraturâ & pietate eximius, cùm Eccleſiam ſibi creditam pluribus annis laudabiliter rexiſſet, eiuſque iura & priuilegia inſigniter auxiſſet, in hoc Religioſæ profeſſionis ſuæ loco ſpiritum ſuum Deo Creatori reddidit. 5. Octobris. Apud Laudunū Clauatū B. Gualteri à Mauritaniâ, ex primo Cœnobij ſancti Martini Abbate, Laudunenſis Epiſcopi: qui inter primos Candidi Ordinis Patres, S. Norberto Sodalis adhæſit: cuius etiā Apoſtolico ſpiritu plenus, pro amplificandâ Dei gloriâ, & nouo ſuo Ordine propagando indefeſsè laborauit. Tandem verò ætate & moribus grauis, morte in conſpectu Domini pretioſâ in pace quieuit. 2. Nouembris. Pragæ in Bohemiâ, in Regali Cœnobio Montis Sion, vulgò Strakow dicto, Commemoratio Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Ioannis Lohelij, ſanctæ memoriæ Archiepiſcopi Pragenſis: qui in Teplenſi Cœnobio Candidum Inſtitutum amplexus, viginti ſex annis Strahouienſis Eccleſiæ XLIII. Abbas extitit, Vir verè Apoſtolicus: qui collapſam Monaſticam diſciplinam in Bohemiâ, Morauiâ, Sileſiâ, & alibi diuini honoris zelo ſucceníus, indefeſſo labore reſtituit. Poſtmodum Sebaſtianenſis Epiſcopus & Pragenſis Archiepiſcopi Suffraganeus, ac demum ob inſi-

gnem

B. VVipertus.

B. Iſridus.

B. Vlricus.

B. Milo.

B. Godeſcalcus.

B. Gualterus.

Ven. Ioannes Lohelius.

gnem prudentiæ & virtutum famam, ad Archiepiscopalis dignitatis culmen euectus est; quam decem annis laudatissimè tenuit, & Apostolicis virtutibus decorauit, pauperum & egenorum singularis benefactor: denique multis & magnis cæli fauoribus affectus, cùm suis & vniuerso gregi plurimis sanctitatis exemplis præluxisset, hoc ipso Commemorationis omnium fidelium Animarum die, anno M. DC. XXII. piissimè in Domino obdormiuit: factusque est in pace locus eius, & habitatio eius in sanctâ Sion. 3. Nouembris. Virodumi in Cœnobio S. Pauli, Natalis B. Alberonis Virodunẽsis Episcopi: qui cùm Episcopatum suũ quàm laudatissimè pluribus annis administrasset, Candidi Ordinis fautor & promotor egregius, eumdem Episcopatu abdicato, in eodem S. Pauli Cœnobio Canonicus-Religiosus factus, sanctissimè professus est; & diues bonorum operum, ad cælos migrauit. Vtque huic sacratissimo Ordini nihil desit; En vt ex illo etiam ad supremum Ecclesiæ culmen iter patuit ad gloriam. 1. Septembris. Anagniæ Natalis beatissimi Hadriani Papæ IV. qui ex Candido Præmonstratensium Canonicorum Ordine, S. R. E. Cardinalis factus, & Apostolus Norwegorum, in Romani Pontificatus thronum sublimatus est: sanctamque Dei Ecclesiam prudentissimè rexit, eiusque libertate contra impios Friderici Imperatoris & aliorum conatus, gloriosè propugnatâ, ad repositam sibi in cælo laborum suorum lauream feliciter euolauit.

B. Albero.

Quin & Adrianus Papa quartus.

34. Et hæc quidẽ de Ecclesiasticâ dignitate sufficiant, ad sæcularem verò qui spectant, viri etiam nobilissimi Canonicum ac Candidum hunc Ordinem fuere ingressi. Nam 13. Ianuarij. In Cœnobio Ilmstadiano Beati Godefridi, ex Cõmite Capenbergensi, Canonici Ordinis Præmonstratensis: qui cælesti facundiâ S. P. Norberti permotus, repudiatâ sæculi militiâ & honorum titulis, sub ignominiâ Crucis in Candido Ordine, Deo vitæ suæ reliquum transcripsit: fundatisque de suis opibus, inclytis aliquot Cœnobiis, desiderio tabescens æternorum, lentâ ægritudine ad extrema perducitur, & nondum tricenarius, placidissimè beatam suam animam exhalauit. 9. Februarij. In Cœnobio Fussenich, Virginum Ordinis Præmonstratensis, Natalis Beati Alderici Confessoris: qui cõculcatâ mũdi gloriâ, ex nobilissimo Principe Franciæ, post visitata Sanctorum limina, in hoc Cœnobio humilis factus Conuersus & Subulcus, velut alter Alexius, mundo incognitus latuit. cuius defuncti corpus communi loco sepultum, tertiò exhumatum inuentum est; quod demum in Ecclesiâ, loco illo, quem cælesti luce Deus aliquoties designauerat, conditum fuit: vbi nunc in tumbâ eleuatâ honorificè requiescit. 30. Iunij. In Regali Cœnobio Vitis B. Mariæ Oxomensis Diœcesis in Hispaniâ, B. Dominici, I. eiusdem Ecclesiæ Abbatis, Ordinis Præmonstratensis: qui Alphonsi VII. Castellæ Regis cognomento Imperatoris frater, mundo valere iusso cum vanitatibus suis, nuda Iesu vestigia in Præmonstrato Ordine sequi maluit; extructumque hoc ab Alphonso Rege Virgini Mariæ Cœnobium, in quo & eius imago crebris

Qui principes viri ad D. Norberti Religionem accesserint.

S. Godefridus Comes Capenbergensis.

B. Aldericus Franciæ Princeps.

B. Dominicus Castellæ Regis frater.

miraculis illustratur, primus cũ magnâ sanctitatis laude rexit. 14. Iulij. In Wedinghausensi iuxta Arnesbergam Cœnobio Diœcesis Coloniensis, B. M. Henrici Comitis Arnesbergensis, eiusdem Ecclesiæ Fundatoris: qui à Deo inspiratus, hoc in loco parentum suorũ ossibus honorato, diuinum seruitium iuxta Candidi Ordinis ritum perpetuò peragendum instituit; depositisque Comitatus insignibus, & spretis sæculi pompis, humilis factus Conuersus, meritis diues piè hic in Domino obdormiuit. 25. Octobris. In Cœnobio Gummerscheym, Natalis B. Comitis Ludouici Connersi, & Fundatoris Cœnobij Arnsteinij iuxta Loganam in Westervvaldia siti: qui postpositis sæculi pompis, ignominiæ Crucis Christi, cùm in Regulari vitâ complures insigni pietate transegisset annos, totus cælestium flagrans desiderio, omnibus valedicens, lætantibus Angelis, plenam felicibus meritis animam trãsmisit ad Christum. 29. Octobris. In Cœnobio Insulæ Beatæ Mariæ Virginis in Gelriâ, Natalis B. P. Roberti, I. Abbatis eiusdem Ecclesiæ Ordinis Præmonstratensis, non minùs sanctitate, quàm Regio Anglorum sanguine clari. 12. Decembris. In Insulâ Cypro, Cœnobio dicto Episcopiâ, B. Macarij Regis & Cõfessoris: qui primùm Haitonus dictus, cum Armeniæ Regnum pluribus annis gloriose administrasset, hostiumque suorum pluries victor extitisset; filio suo Tynono Regni traditis insignibus, ipse semet Candidi Instituti disciplinæ subiiciens, præclara vitæ prioris stratagemata humili Ordinis Præmonstrati professione coronauit.

B. Ludouicus Comes.

B. Robertus ex sanguine Regum Angliæ.

B. Macarius Rex Armeniæ.

Sed quin & Martyrum Præmonstratensium meminimus. 22. Martij. In Boxumensi Frisiæ pago, Passio Beati Ielkonis Martyris, & Abbatis Cœnobij Lidlumensis: qui diuini Numinis gloriam, & collapsæ disciplinæ zelans integritatem, impiorum manibus crudeliter trucidatus occubuit, & ad martyrij palmam gloriosus victor euolauit. Cuius sanctitatem & mortem pretiosam, miraculis Deus illustrare dignatus est. 29. Martij. VVismariæ apud Obotritos, S. Ludolphi Episcopi IX. Raseburgensis & martyris: qui pro tuendâ concreditæ sibi Ecclesiæ libertate, sub Alberto Saxoniæ Duce gloriosè decertans, per varia tormentorum genera, iam viribus prorsus exhaustus, cùm requiem non haberet à facie persequẽtis, in hac vrbe Creatori suo spiritum resignauit. Cuius vti vita illustribus refulsit sanctitatis exemplis; ita mors in conspectu Domini pretiosa, præclaris est nobilitata miraculis. 25. Aprilis. In Harensi Cãpaniæ Brabantorum pago, Passio Beati Petri à Calmpthout, ex Canonico & Circatore Ecclesiæ B. Mariæ de Tongerloo, Pastoris in Haren: qui præciso ab hæreticis naso & aure dextrâ, cùm in Catholicæ fidei confessione persisteret, inclamaretque se in eadem velle mori, Veritatem Orthodoxam, quam verbo hactenus docuerat, capite tandem crudeliter securi amputato, etiam sanguine obsignauit, & Præmonstrati Ordinis & habitus cãdorem martyrio gloriosè purpurauit. 12. Iunij. In Bohemiâ Natalis Beati Hroznatæ, ex nobilissimo Regni Primate, Fundatoris Cœnobiorum Teplensis & Chotiessouensis, Canonici Ordinis Præmonstratensis: qui pro tuendis Ecclesiæ suæ iuribus contra impiorum conatus, ad mortem vsque agonizans, fame sitique, aliisque 35.

Martyres quinam ex eodem hoc Ordine.

Etiam in Belgio.

In Bohemiâ.

que teterrimi carceris exhaustus iniuriis, inter diuturna vincula Deo dignam animã suam Martyrij lanceâ illustrem exhalauit; variis in vitâ & post obitum nobilitatus miraculis. 27. Iunij. In Dom-Martinensi Ordinis Præmonstratensis iuxta Hesdinium Cœnobio, Passio B. Ioannis de Hecque, eiusdem Ecclesiæ Canonici & Prouisoris: qui vitâ in Religione integrè inculpatéque gestâ, sceleratâ hæreticorum manu, tormentarij pulueris cruciatu tostus, Christi victima effici meruit, & gloriosum martyrij retulit de Tyranno triumphum. 9. Iulij. Apud Brielam Hollandiæ oppidũ, Passio BB. Hadriani & Iacobi Martyrum, Canonicorum Ordinis Præmonstratensis Ecclesiæ B. Mariæ Middelburgensis in Zelandiâ: qui per varias ab hæreticis pro Catholicâ & Romanâ fide irrogatas iniurias, cum aliis aliquot eiusdem triumphi sociis, ad martyrij palmam gloriosè agonizando peruenerunt; & Candidi Ordinis ambo candidas in Sanguine Agni lauerunt stolas suas. 17. Decembris. In Steinfeldiensi Cœnobio, Passio sanctæ memoriæ Godefridi de Bonnenbergh XIX. eiusdem Ecclesiæ Abbatis: qui Britannis Steinfeldiensem Ecclesiam deprædantibus, & penitùs euertentibus, miserabili morte excarnificatus, visus est oculis insipientium mori; verùm factus est in pace locus eius, dum cum coronâ martyrij feliciter migrauit ad Dominum.

In Artesiâ. *In Zelandiâ.* *Et alibi.*

37 Demum sacratissimæ etiam feminæ ac Virgines, ex quibus nonnullæ magnæ secundùm sęculum dignitatis fuere, sub Diui Norberti vexillo militarunt. 29. Ianuarij. In Cœnobio S. Michaëlis de Treuino iuxta villam Maiorem Diœcesis Burgensis, B. Redigundis Virginis Hispanæ, quæ mundo crucifixa cum concupiscentiis eius, dum rigorosis austeritatibus carnem subigit, velut inter spinas lilium germinauit; & mundo corde ac casto corpore, cælesti Sponso mirificè placuit. 6. Februarij. In Marensi Cœnobio iuxta Monesum, Natalis B. Hildegundis Comitissæ Marensis: quæ marito orbata, post visitata Romæ Apostolorum limina, cùm se & sua quàm deuotissimè Deo in Marensis Cœnobij fundationem consecrasset, eidem prima Antistita, magnâ sanctitatis laude præfuit; Virginibusque sacris suo exemplo viam ad cælos præmonstrauit, variis post mortem nobilitata miraculis. 13. Martij. In tractus Mosellani Cœnobio, dicto Angelica Porta, Natalis Beatæ Beatricis Sanctimonialis: quæ blandientis mundi spretis lenociniis, soli Sponso suo Christo placere studuit; cui cum accensâ bonorum operum lampade, inter ceteras prudentes Virgines ad cælestes nuptias obuiàm processit. 16. Maij. In Cœnobio d'Aubterre in Aruerniâ, B. Ponciæ Virginis & Antistitæ eiusdem Cœnobij: quæ sanctorum parentum Gilberti & Petronillæ bis filia, matri in Cœnobij regimine pari sanctitate successit, & maternæ virtutis hęredem se egregiâ pietate comprobauit. 13. Iulij. Apud Scholam Aruerniæ vicum, in Cœnobio SS. Geruasij & Prothasij, B. Petronillæ eiusdem Cœnobij Fundatricis, & primæ Antistitæ: quæ, cum marito suo S. Gilberto Candidi Ordinis amplexata disciplinam, sacris quibus præerat Virginibus, magnâ sanctitate præluxit. 13. Augusti. In Chotiessouensi Bohemiæ Cœnobio, Natalis B. Wonzlauæ Viduę, eiusdemque Cœnobij cum Beato Hroznatâ fratre suo Martyre, Fundatricis & Religiosæ: quæ marito orbata, inter dicatas Deo Virgines, vitæ hîc suæ reliquum Christo piissimè transcripsit. 13. Augusti. In Aldenbergensi Virginum Cœnobio, Treuirensis Diœcesis, Natalis B. Gertrudis Virginis, filiæ S. Elisabethæ Lantgrauię Hassiæ & Thuringiæ: quæ ab ipsâ infantiâ per matrem hoc in loco Deo oblata, eidem postmodum magnâ sanctitate & Religione præfuit; collectóque in conscientię vase diuinę gratiæ oleo, accensâ ornatáque bonorum operum lampade, Christo Sponso suo obuiàm iuit, sanctæ matris non degener filia. 17. Augusti. In Arnsternio Cœnobio, Natalis B. Gudæ Comitissæ, eiusdẽ Ecclesiæ Fundatricis & Conuersæ: quæ B. Luduici Comitis Arnsternij infœcunda diu coniux, dum se & sua æternis Dei mancipauit obsequiis, sterilem Deus habitare fecit in domo, multorum spiritualium matrem filiorum lętantem. Carne tandem abstinentiis salubriter attritâ, Psalmisque & Hymnis iugiter intenta, feliciter migrauit ad Christum. 14. Octobris. In Cœnobio Horti Conclusi, oppidi Herentalensis, Natalis B. Elisabethæ Areneshæ, eiusdem Cœnobij Præfectæ: quæ gratissimum in humili corde Sponso suo Christo præbens habitaculum, Virginibus sacris piæ conuersationis præluxit exemplis. 8. Decembris. In Sclauoniâ, Cœnobio Rubi, B. Anastasiæ Principis & Ducissæ Pomeraniæ, Conuersæ Ordinis Præmonstratensis: quæ diuino feruore incensa, & Candidi Ordinis suaueolentis excitata fragrantiâ, vtrique filio diuisis Prouinciis, Rubi Cœnobium fundat; in quo inter sacratas Deo Virgines, ipsa semet Ordinis rigori Illustrissima Ducissa magnâ humilitate subiicit, ac per arctam viam & angustam portam ingressa est in æternam vitam. En quot igitur ex sanctissimâ Præmonstratensi familiâ meritis suis ac piis operibus Ecclesiam illustrarunt, adeoque suâ etiam ex parte Indulgentiarum copias iuuandis è Purgatorio Animabus, non modicè locupletarunt. Vsus autem fui ipsismet Martyrologij Ordinis verbis, vt veritas antiquitate muniretur, quemadmodũ antiquitas veritati testimonium pręstat.

Feminæ præterea ex hoc Ordine sanctitate extitere conspicuæ. *Quarũ aliquæ etiam dignitate magnæ.* *Inter quas excelluit B. Gertrudis S. Elisabethæ filia.* *B. Elisabetha Herentalensis Præfecta.*

Sed hactenus de sacris Ordinibus quę sub antiquis Sanctorum Augustini, Benedictique & aliorum Regulis vel Monachi vel Canonici militant. Sequuntur Mendicantium Religiones & quæ illarum priuilegiis gaudent. Inter autẽ mendicantes principem locum obtinet sanctissimus Dominicanorum Ordo, de quo meritò audire licebit illum eiusdem Instituti Theologum, qui & suprà de aliis Ordinibus plura, præclara adduxit in medium. Verba illius de suomet Ordine hæc sunt. Vinea Prædicatorum Ordinis primò tibi occurrit intra vastissimam Ecclesiæ vineam plantata. Eo tempore, quando, vt dicit Gregorius IX. *Vineam, ad quam patrem-familias operarios diuersis temporibus denarij conductos conuentione præmiserat, & quam sua dexterâ plantarat, non solùm vitiorum & vepres & spinæ peruaserant, sed etiam propemodum vulpeculæ demolientes, conuertere in alienæ vitis amaritudinem intendebant.* Sed Dominus Alexander Papa IV. in illius laudem & commendationem quid dicat etiam audiamus: *Cælestis ille agricola, summus auctor fidei, præcipuusq; protector, sacrum Fratrum Prædicatorum Ordinem, quasi lignum fertile* 38.

In Bullâ Canoniзat. D. Dominici. *Ordinis Prædicatorij perximij in Ecclesiâ fructus.* *Habetur in Prolog. cõst. Prædicat.*

fertile in Ecclesiæ paradiso inseruit, vt delectaret amœnitate, vbertate satiaret, & fructuũ suauitate mulceret. Hoc itaque speciosum, fecũdum ac dulce lignum imbre superno irrigatum, pulchra plurima ac dulcia poma profert, quorum odore ac sapore confortãtur & conualescunt debiles, variisq́; detenti languoribus liberantur. In hoc vtique vitæ ligno mortales homines carnis infirmitatibus prægrauati, pabulum salutis inueniũt, & internam recipiunt sospitatẽ.

Quomodo eũ inter alios Pontifices Alexander Quartus laudauerit.

Huius, inqua, ligni perceptá fragrantia vndique ad libamen ipsius concurrunt innumeri professores fidei, qui assiduè illo perfruentes, & eius salutaribus fructibus conuescentes, de ipsius prægustata dulcedine ministrant & ipsi aliis suauia libamenta salutis. Hæc est illa generosa plantatio, quæ ramos suos vndique expandens floret: plurimos honoris & honestatis, fructusq́; vberrimos doctrinæ profert & virtutis, & odorem sanctæ & laudabilis cõuersationis longè lateq́; diffundit. Hic est Ordo sacer Prædicatorum honestate floridus, præclarus scientiâ, virtute fecundus, à Sede Apostolicâ meritò approbatus; qui inter alia plantaria Dominica, puritate conuersationis, sapiẽtiæ dono, & virtutis merito dignoscitur specialiter insignitus. Huius sacri, clari, conspicui & approbati Ordinis Fratres, sacrarum Litterarum studio instanter incumbunt, animarum profectibus, diuinis Officiis & orationibus incessanter intendunt, atque Euangelicæ prædicationi ardenter insistẽtes, lumen diuinæ doctrinæ vbique per orbem diffundũt. Hi sunt viri doctrinâ clarissimi, qui contemplationi cælestium feruẽter inuigilant, & piæ vitæ studio sine intermissione desudant.

Non sibi tantùm perfectissimi, sed etiã vniuersis fidelibus vtilissimi Dominicani.

Hi sunt viri probati, & plenè in lege Domini eruditi, efficaces quidem in opere, & in prædicatione potẽtes, quorum labia gratia cælestis edocuit ad propinandam salubrẽ doctrinam aliis, & commodum ac profectum animæ Christi fidelibus exponendum. Vnde vbiq; per mundũ ora ipsorum intonant, velut tuba, ac in omnem terram exiit sonus prædicationis eorum, & vsque ad fines orbis sua salutifera verba sonant. Hi sunt viri præclari, conspicuá religione fulgentes, qui tãquam lucentia sidera in Ecclesiæ firmamẽto suis splendidissimis documentis, viã cælestis vitæ mortalibus insinuãt. Hi sunt phialæ aureæ plenæ odoramentis, qui suá sacrâ cõuersatione suauiter redolentes, hortãtur per hanc alios, & inducunt à somno negligentiæ celeriter surgere, & excussâ prorsus inertiá, ad opera lucis & bonitatis festinanter properare. Hi sunt dilecti Deo & hominibus, Fratres videlicet Prædicatores, morũ honestate conspicui, scientiæ titulis insignes, quos æterni Patris benignitas, inter plurimas personas diuinis obsequiis deputatas, pro sui nominis attollẽdâ gloriâ, & fidelium procurandâ salute, specialiter elegit. Qui suum semper affectum & amorem cælestiũ dirigentes, virtutem diuini nominis vbiq; publicãt, & pro Christianæ religionis ampliãdo cultu, vigili attentione laborant. Hi sũt qui vitam & merita beatissimi Pauli Apostoli cõtemplantes, gloriantur in solá Cruce Domini nostri Iesu Christi: & mundi pompas ac solatia spernentes, ad solam cælestem patriam, & ad paradisi delicias rectâ intentione suspirãt. Hi sunt, qui propter Deum semetipsos salubriter abnegantes, elegerũt sub arctissimâ paupertate Deo deseruire, tãquam nihil habentes & omnia possidentes. Hi postremo sunt, qui cùm omnia terrena propter amorem bonorũ cælestium reliquerint, sobriè, iustè, piè & castè viuentes, ac exilia vitæ subsidia mendicantes, Christum pauperem imitantur, perfectionem Euangelicam amplexando. Vnde clarissimè constat, eos in statu perfectionis existere, & per suæ religionis obseruantiam (quæ quidem ipsius Euangelicæ perfectionis continet formã) in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriã promereri. Maiores porrò huius vineæ palmites ij sunt, qui Sanctorum albo sunt adscripti.

39. Primus ergo S. Patriarcha Dominicus vineæ Prędicatorię sator cultorq; eximius spectãdus proponitur, qui quasi oliua pullulans, & cypressus in altitudinem se extollit, vestitu sãctitatis amictus & consummatione virtutis.

S. Dominicus Prædicatorũ Fundator.

Qui in vitâ suâ suffulsit domũ, & in diebus suis corroborauit templum; dũ Lateranensem Ecclesiam suis humeris Pontifici Innocentio visus est sustentare. *Circa illum corona Fratrũ*; Innumeri videlicet racemi, perfectionis normam, tanquam succum à palmite haurientes, *& quasi plantatio cedri in monte Libano, sic circa illum steterunt quasi rami palmæ*, innumeri videlicet laureati viri eius Regulæ Professores, aut ex virginitatis cãdore, vel martyrij cruore, vel doctrinę labore, de Mundo, Carne, Diabolo trophæa reportantes. Subsequitur Petrus Martyr, illustris palmes: *De horto siquidẽ fidei nuper immensam Regis æterni dulcis allatus est fructus. De vineâ Ecclesiæ in regium calicem affluens, nouiter liquor influxit, quoniam fecundus palmes hostili mucrone concisus habuit plus humoris, quia adhæsit pressiùs vinæ viti. De Prædicatorũ Ordine florido prodiit rosa rubens, quæ regalibus oblata conspectibus intulit suauitatem odoris.* Innumeri quoq; botri huius vineæ cum Petro eamdem eò reddunt illustriorem, quò monstrant feraciorem. Pendent (vt nonnullos innumeris omissis recẽseam) hinc botri nonaginta, scilicet Martyres à Tartaris trucidati. Inde apud Sãdomiram in Poloniã Martyres quadraginta nouem, quorum dies Festus solẽni memoriâ Alexandro IV. annuente, vsq; in hanc diem postridie Kal. Iulij recolitur. Hic in Diœcesi Tholosanâ pendent tres Inquisitores, qui dũ enecarentur, cæli aperiri, scalis inde ad terras demissis, visi sunt: ibi sex alij obtruncati, qui & capita sua singuli post mortẽ à supplicij loco Mureti nomine, per nouem passuũ millia, pręcedente lumine cælitus demisso, ad Conuentum Tholosanum detulerunt. Hic centũ nonaginta Fratres partim Tartarorum spiculis ac telis, partim patibulo aut lapidibus obruti, aut viui decoriati, aut flammis exusti, aut capite obtruncati in Hungariâ, Dalmatiâ, ac Bosinâ Prouinciâ martyrium consummantes, vineam quoque nostrã decorãt. Ibi in Prouinciâ Terræ sanctæ Beatus Frater Christianus Patriarcha cum quatuor nostri Ordinis Fratribus gladiis Saracenorũ mactatus, & Cœnobio solo æquato, centum alij Fratres ab iisdem occisi; & ipsi quoque meruerunt, vt in hoc ordine martyrum censerentur. Paucos de multis recensemus, ad Annalia ceteros martyrij laureâ donatos remittimus. Sed & *Ordo prædictus in horto plantatus Ecclesiæ, ac in germen ineffabilis spiritualis vtilitatis succrescens, illum prælucidum & fructuosum palmitem dedit, beatũ videlicet Thomam de Aquino Cõfessorem & Doctorẽ egregiũ, ex cuius sapientiæ & doctrinæ scriptis & traditis, vniuersalis Ecclesia multiplicis vbertatis spiritualis fructũ colligens, ipsius odore reficitur incessanter: & idem Ordo, vt spiritualium fructuum vbertatem multifariàm multiplicet, non lassatur labore.* Diem solemnem in cõdensis constituunt magnus ille Albertus vsque ad miraculũ sapientissimus sancti Thomæ Magister, nec non & sancti Doctoris Expositores, tamquam frõdosæ pampini illum circumeuntes; ipsi quoq; botri non vulgares, qui studiorum & vigiliarum quoque prælo cõpressi, vinũ sapientiæ populis propinarunt; tales sunt (vt pauca delibemus) Heruæus, Paludanus, Tarantasia posteà Innocentius IV. Durandus, Capreolus, Caietanus, quorũ singuli classici Doctoris nomẽ mererentur, ni à Thomæ pręoccupati essent ingenio meliori. Dies me deficeret, si eos recensere oporteret, qui Conciones, Homilias, Scripturarum sacrarum Commentaria, diuersarum rerum Opuscula, grauiter & ornatè ad dogmata roboranda, & mores obfirmãdos (quorum quidem est pæne infinita multitudo) conscripserunt. His bibliothecę refertæ, etiamsi iniuriâ tẽporum & bellorum incursibus

Eccli. 50.

Innoc. 4. in Bull. Canonizat.

Quot hæc in Ordine sanctissimi Martyres.

Micho. 3. de Reb. Pol. Chromer. lib. 9.

Clemens VI. in lib. Priuil.

Quàm insignes Doctores in Prædicatorum Religione.

quæ sub cælo est Francisci Regulam profitētium continet, eamq; regendam Prælatis tradidit, quos Guardianos & Custodes voluit appellari. Huius vineę *vir affert pro fructu eius mille argēteos.* Quia ob altissimam paupertatē, quam profitetur Francisci sectator, liberâ mente & perfectè omnia terrena dimittit, vt Christum veraciter habeat: millenarius enim perfectus est numerus, ideò per eum perfectio rei cuiuslibet demōstratur. Hos argenteos (quoque) illi ferebant, de quibus scriptum est: *Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendebant, & afferentes ponebant ad pedes Apostolorum pretia eorum, quæ vendebant.* In quâ paupertate supereminet vniuersis. Hęc vinea, etsi in humilitatis valle plantata, Minoris nomen obtineat, firmâ tamen in radice fundata supereminet terris, & quamuis solum vile prætexat, tamen nunc gemmante flore pubescit, nunc circumfusâ viriditate vestitur, nunc mite iugū suscipit, cùm maturioribus brachiis quasi sarmentis fecundæ vitis adoleuerit. Vinea quæ cum Crucis ligno suas maritat vites, nudum & pauperem crucifixum insequendo, cuius fructus etiam in postremâ colligentur ætate, & (quod est vineis etiam terrenis commune) ita pauperibus atque diuitibus, humilibus atque potentibus, seruis ac dominis æqua est communis, vt nulla secretio inspiciatur. Tamquā præcipuus surculus veteris Adæ excussus ex arbore in alterius fetu radicis inseritur Franciscus Christo confixus Cruci, in nouo isto Crucis ligno, tamquam gremio pij parentis fetus inolescit, imaginem Christi crucifixi in se exprimens, qui stigmata Domini sui in corpore suo meruit portare, cuius sanguinis stillis, tamquam aquę salutaris irriguis fecundata terra Minorum, in cælestem erectæ est disciplinam. Hoc cruore Francisci Euangelico semini suscipiendo & propagando, reddita est terra ista fecunda, & suorum stigmatum felici sulco, non tantùm trigesimum, at centesimum iam profert fructum. Aspice quot fructus reddidit. Si enim Sanctorū albo adscriptos inspicias, occurrent S. Antoniu Vlyssiponensis, Arca testamenti appellatus, S. Bernardinus Senensis, Seraphici huius Ordinis Professor & instaurator egregius, S. Bonauentura tantę sanctitatis, vt in eo Adam videri non peccasse dicere solebat Alensis: cuius etiā cor mirā claritate fragrans, incinerato corpore post multa lustra incorruptū repertum est. Sanctus Ludouicus Caroli Secundi filius, Episcopus Tholosanus, S. Didacus Cōplutensis, Quos Sanctos Cōfessores innumeri Beati insequuntur, pauci ex innumerabilibus nunc recēsentur, Ioannes à Capistrano, Iacobus de Marchiâ, Paschalis, & Petrus de Alcantarâ à throno Apostolico Beatorū Ordini annumerati. Hos insequuntur Conradus Offidanus, Odoricus Foroliuiensis, Ioannes de Aluernâ, præter duodecim socios S. Francisci, qui inter viros sanctitate illustres recensentur, videlicet, Bernardus, Syluester, Petrus, Ægidius, Sabbatinus, Guilielmus, Moricus, Philippus, Constantinus; Barbarus, Bernardus, Angelus. Numera stellas si potes.

S. Gregorius in Cant. loco citat.

Ex Ambros. 2. in Luc. c. 20.

Plurimi ex D. Francisci Ordine viri sanctissimi.

42 Fructus huius surculi pariter extitit S. Clara S. Francisci disciplinâ imbuta, & S. Elisabetha, Ludouici Lantgrauij Thuringiæ vxor, Hūgariæ Regis filia, quas virginum & sanctarū mulierum innumerabiles cunei insequuntur, Agnes de Assisio S. Claræ soror, Agnes Bohema, Bohemiæ Regis filia, Friderico Secundo nupta, Blanca, à Philippo Pulchro Francorum Rege progenita, Sancia, Ruperti Regis vxor, Catharina Bononiensis (cuius corpus incorruptum vsque in hanc diem Bononiæ asseruatur) singulas recensere superfluū. Sed vt vinea, *dum ligatur, erigitur, & recisa nō minuitur, sed augetur: ita* (Francisci) *sancta plebs, dum ligatur, exuitur, dum humiliatur, attollitur; dum reciditur, coronatur.* Coronata certè est, dū sanctus Accursius cum quatuor sociis apud Marochium pro Christo occisus, & S. Angelus cum sex aliis sectam Saracenorum exsufflantes, ab Arbaldo Iudice enecati, martyrij lauream insigniter adepti sunt, quorū annua festiuitas à Seraphico Ordine auctoritate Sedis Apostolicæ celebratur. Petat qui volet ceteros, è grauissimis Seraphicæ Religionis Historicis, quia pænè singuli innumeros posteritatis memoriæ reliquerunt. Meruit Francisci labor, & sanguis, vt è vite erumperent quatuor Romani Pontifices, Nicolaus IV. Alexander V. Sixtus IV. Sixtus V. Cardinales supra quadraginta, Episcopi quos certo numero vix comprehēdas. Scriptores in omni facultate adeò celebres reperies, vt hoc mirum sit in Dei Ecclesiâ, familiam sancti Francisci in Apostolicâ simplicitate fundatam, tantâ sapientiâ refertam, vt non solùm per Discalceatos, & supplices, tractos ad Christi crucem inspicias Reges coronatos, sicut olim per piscatores tractos Imperatores, sed & per sapientes, Alexandrū Alensem, Riccardū, Ioannem Scotum, Aluarum Pelagium, Aureolum, Nicolaum Liranum, alios quamplurimos, quos enumerare vix potes, Athenæ licæum, & sapientium prudentia est retusa. Tanto autem fœdere Prædicatorum vinea, cum Minorum vineâ iuncta est, vt solus habitus tamquam maceria discernat Fratres vterinos eodem tempore exortos, simul à Ioachimo Prophetico spiritu prædictos, à B. Virgine ad mundi conuersionem simul destinatos, vt pari passu in sanctitate, litteris, dignitatibus incessisse videātur: vt neutrum alteri præferri posse Clemens IV. iudicauerit. Scribēs enim ad quemdam militem, sic inquit. *Quòd si ex proposito non mutato scisciteris vlterius, quem tibi ex Fratrum Prædicatorum & Minorum Ordinibus præeligendum credimus, id præcipuè conscientiæ tuæ relinquimus: magis enim tu scire poteris cuiusque Ordinis obseruantias, quare non sunt pares in omnibus, & in diuersis particulis excedentes & excessæ. Alterius quidem istorum Ordinum lectus est durior, nuditas grauior, & vt nonnulli iudicant, paupertas profundior. Et alterius cibus parcior, longiora ieiunia, & vt quamplures autumant, sanctior disciplina. Neutrum ergo neutri præferimus, sed in vnâ & arctissimâ paupertate fūdatæ ad vnum tendere credimus, salutem scilicet animarum. Et ideo siue hunc siue illum elegeris, arctam vitam aggredieris; & per portam introibis angustā ad terram melliflua, & præ ceteris spatiosam: vnde hoc apud te pondera, hoc diligenter aduerte, qui magis animo tuo placeat, quemq; speres meliùs portaturum, & sic vni conuersationi adhæreas, vt amore ab altero non discedas. Frater enim Prædicator est reprobus, qui Minores non diligit, & execrabilis Frater Minor, qui vel odit Prædicatorum Ordinem, vel contemnit.* Sed pænè obliti eramus pergere ad aliorum Ordinum vineas, fragrantiâ & suauitate Dominicanorum & Franciscanorum illecti; quare iter ad eas inuisendas prosequimur: vt tantorum virorum exemplis animati, & spiritualium virtutum odore recreati, feruenter & alacriter curramus post eos, si fortè mereamur admitti ad sponsi delicias, & ad

Plurima sancta Virgines.

Ex Ambros. 2. in Luc. cap. 20.

Plures Martyres.

Plures similiter Scriptores.

In Constit. Prædic. d. 1. cap. 15.

Prædicatorū & Minorum Ordinum quanta conformitas.

ad cælestia & ineffabilia gaudia introduci.

43. *De quatuor Ordinibus Mendicantibus.*

Modò hæc quidem sufficient de sanctißimis Prædicatorum ac Fratrum Minorum Ordinibus, quos vno simul tẽpore Spiritus sanctus,vt mutuo adiutorio atq;exemplo coalescerent ac mundum vniuersum peruaderent, immersúq; peccatis erigerent,cleméter instituit.instituit,inquã,duoshos simul Ordines;& illomet tempore duos similiter alios, quorũ vnus in Palæstinã ab Eliã Prophetã, alter à Magno Augustino in Africã olim fuerant instituti,vt quatuor forent Ordines Mendicantes iisdem adiunxit,vt hi vniuersam Europam insigni charitatis inter se vinculo , ac virtutum omnium splendore illustriorem redderent,omnesq;in Dei amorem feruenti suo zelo accenderent,atq;in terras infidelium instructißimas pietate ac eruditione colonias maximo cum animarum lucro transmitterent. Sunt igitur quatuor dicti iam Ordines veluti quatuor cardines terræ,& quatuor paradisi flumina,& quatuor genera fortium equorũ quos Zacharias ait à se visos,rufos, nigros, albos & varios,quibus veluti etiã quatuor rotis Christi atq; Ecclesiæ vehitur quadriga. At de tertio Médicantium Ordine vel aliquid saltem dicamus,est is noster Carmelitarum propheticus Ordo,de quo idẽ qui suprà Auctor in hæc verba locutus est: De Carmelitarum(nẽpe familiã) quid eloquar? certè *gloria Libani data est ei, decor Carmeli.* Mõs verè celeberrimus , in quo fructuosus ille palmes Elias commoratus , solitariam ab hominum consortio semotam professus est vitam , quem primum colendæ virginitatis auctorem Patres & Doctores appellant, obediẽtiæ & paupertatis prototypum, quem *Principem Monachorum* Hieronymus vocat cum Eliseo cum filiis Prophetarũ,qui habitabant in agris in solitudine,& ędificabant sibi tabernacula iuxta fluenta Iordanis. Ad quos allusit Apostolus:*Circuierunt in melotis,in pellibus caprinis,in solitudinibus errantes.in montibus, in speluncis,& in cauernis terræ.* Quorum alij etiam in Galgalã, alij in Bethel, alij in Iericho, alij in Samariã morabantur,orationi & contemplationi vacantes;ad quos Eliseus post Eliæ trãslationem, eiusdemque pallij receptionem se recepit,ex Lirano. Permanserunt verò hi Prophetarũ filij vsq;ad tempora Apostolorũ,ex Eusebio. Successerũt enim eis illi,qui supra Helię institutiones aliis supererogauerũt,fortè ab Eliseo Prophetã eorum Magistro & Auctore acceptas.Hi fuerũt Essæni,S.Marci Euangelistæ posteà legibus & institutionibus instructi, vitæ Monasticę præcipui cultores,Apostolorum prædicatione ad fidẽ Christi instructi. Ab his porrò Monachorũ agmina in Ægyptum & Palęstinã descendisse,Doctores & Historici tradunt.

De Ordine Carmelitano.

Thomas à Iesu de statu Monach. p. c. & seq.

Basil.Epist. ad Chil.

Nazianz. Orat. de Pauper amor.tuApol. & postquam ei fuga rediit.

4.Reg.4.

2. Hist. Eccl.

Gerebrard. in Chron. ann. 3272.

Cass.1.de Instit. renunc.

44. *Prædicantibus verò Apostolis*,ait Ioseph.Antioch. *Perfectorum militũ Christi Apostolorum conditores surrexerunt strenuißimi,viri solitarij, cõtemplationi dediti , sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei sequaces, qui de Carmelo descenderunt per Galilæam & Samariam, Iudæam fidem Christi constantißimè sparserunt. Quique in Virginis Mariæ honorem in montis Carmeli decliuio Oratorium fabricantes , Saluatoris Matri specialißimè seruierunt,illud tunc impletum,quod scripsit Isaias Habitabit in solitudine: in iudicium & iustitia in Carmelo sedebit: & erit opus iustitiæ, pax, & cultus iustitiæ , silentium: & securitas vsque in sempiternum: & sedebit populus meus in pulchritudine pacis , & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentá.* Verùm nouißimis tẽporibus Saracenorum persecutione , Eremitica vita Carmelitarum deturbata,in vrbibus habitare sunt coacti. Cumq; nobilißima ciuitas Acconis à Saracenis destrueretur , Deiparæ Mariæ in Carmelo Monasteriũ ad quatuor milliaria ciuitati vicinum , ab eis igne crematur, Fratribus in eo degentibus perfidorum gladiis trucidatis. Et tunc (proh dolor!) Ordo Carmelitarum mellifluum locũ ex toto perdidit,in quo ab Eliã & Elisei Prophetarum tempore,duobus millibus ducentis viginti vno annis perstiterunt. Quare nedum floribus Confessorum, sed & rosis Martyrum florere Carmelus visus est. Inter hos enitet pariter insignis ille Gerardus, Ordinis Carmelitarũ Patriarcha Antiochenus in Hũgariã anno Domini millesimo trigesimo secundo, qui super bigã ligatus, & de altißimo monte præcipitatus,martyrio coronatus est. Venerat enim hic ad Summũ Pontificem,vt mala à Saracenis Christianis illata in Syriã & Palæstinã propulsaret. Verùm post tot calamitates hostiles vinea ista rursus florere cœpit Anno millesimo centesimo, Alberto Patriarchã Ierosolymitano , & Ioanne itidẽ Patriarchã leges renouante , & vtiliter augente , traductis inde in varias Europę Prouincias eius instituti viris. Quæ demum regula nonnihil postmodum temperata Apostolicã auctoritate illis obseruãda tradita est in Apostolicæ Sedis tutelam, Innocentio IV. tam illustrem familiam recipiente atq; probante. Dicere libeat cũ Basilio: *In hac solitudine dego, in quã Dominus versatus est , hic est quercus Mambre illa, hic ad cælum ferens scala , hic Angelorum castra à Iacobo conspecta, hic solitudo, in quã populus purificatus legem accepit , & sic in promissionis terrá Deum vidit , & hic mons Carmeli , in quo Elias commorans Deo placuit.* Libet etiã cum altero exclamare. *O Carmelitarum Religio, quàm magna facta es in domo Domini! numquid olim à modico fonte Eliæ Prophetæ principiũ habuisti? & ecce nunc in magnum fluuiũ creuisti: tu olim plantata in Eremo , nunc facta es ciuitas plena populo: tu Fundatorem habes adhuc in paradiso viuentem , & gloriosam virginem Mariam Reginam cæli , Dominam mundi, in patronam singularem, sicut enim de te procedunt Sacerdotes & Leuitæ, Doctores ita & Euangelistæ, qui Patres & Patroni omnium Religionum facti sunt.*

Nic.lib.8. cap. 29.
Sozom. lib.1
Ioseph. Antioch.
Specu.priui. Eccl. c. 11.
Isaiæ c. 32.

Etablus Carthus. in Fascic. temp. anno 1293.

Origo & Carmelitarum progressus.

In Bullã quæ incipit, Quæ honorem.

Epist. ad Chilonem.

Philip. Hieropol. Abbas apud Paleonid. lib.2.c.2. antiq Ord. Carmelit.

Audiuimus hactenus eximium illum de Ordine nostro Carmelitarum, Dominicanæ Religionis scriptorem,audiamus etiam alium prædicatorem ex Franciscanã familiã famosißimum Ven. P.Ioannem de Carthagenã; qui lib.17. Homiliarum Homil. 1. sic de Carmelitarum Institutore calamum extulit: Certè quemadmodum in scientiis edocendis prima earũ principia non probantur , sed supponuntur , tamquam lumine naturæ per se nota, ita Prophetam Eliam, primum sacræ huius Carmelitanæ Religionis Institutorem fuisse , B. Virgine specialiter ad eius conseruationem posteà cooperante, primaq; eius fundamẽta instar peritißimi architecti iecisse , probatione non indigebat , cùm tamquam rem notißimam sancti Patres testentur, sacri Pontifices ei subscribant, ac diuersarum traditionum monumenta confirment; solùm superciliosi negẽt, inuidi inficientur, historiarum ignari discredant,& si qui viri perdocti ac sapientes inficias ierunt, argumentũ hoc non ex professo, sed per trãsennam & obiter attigerunt: quorum excellenti doctrinæ nihil detrahere nos arbitramur, si in hac parte eorum opinioni refragemur. vt tamẽ deinceps in hoc genere argumẽti nulla supersit ratio dubitãdi, grauißimis testimo- 45. *Carmelitarũ Pater ac Dux S. Elias probatur.*

nium

niis id nunc constabiliam, & latiùs in sequentibus. Polydorus putat, Eliam non solùm dedisse primordia Carmelitanæ Religionis, sed totius sanctitatis & Religiosæ disciplinæ, quâ omnes Ecclesiæ Catholicæ Monastici Ordines claruerût, & clarebunt, indubitatum Magistrum extitisse. Verba Polydori hæc sunt: *Quidquid virtutis & perfectionis est in quouis Monastico Ordine, à castissimo Prophetâ & Patre Eliâ, tamquam à primordiali Eremitarum, Monachorum, & etiam vniuersorum Religiosorum institutore, velut à fontali principio emanauit.* Etenim virtus, quam alij imitantur, iis, qui eius auctores fuerunt, proculdubiò magnâ ex parte attribui debet, ad eum certè modum, quo Ierosolymitano tẽplo accidit, quod quamuis varias iacturas perpessum fuerit, atque à diuersis instauratum, nihilominùs Salomonis templum, vtpote primum fundatoris illius semper est appellatum. O quantum sanctis Patribus Religionum institutoribus, qui virtutũ in illis obseruandarũ fundaměta posuere, Ecclesia Dei debet! quantũ beatissimo Dominico, à cuius filiis, præsertim D. Thomâ, sinceræ & Catholicæ doctrinæ lacte Ecclesia Dei alitur & nutritur; quantũ Seraphico D. Frãcisco, cuius nullũ aliud nescitur esse institutũ, quàm Euangelium Christi ad vnguẽ obseruare, & Christo crucifixo commori; quantum D. Augustino, hæreticorũ malleo, qui eam regulam modumq; viuẽdi instituit, qui non vni, sed multis Religionibus, sub eius vexillo militantibus, Religiosę disciplinæ normam præbet? Quid glorioso Monachorũ Patri B. Benedicto, è cuius Religione, velut ex perenni virtutum fonte, innumeri Sancti ac Sacri Pontifices emanauerũt, veluti lucidissimæ Ecclesiæ faces? Quid Basilio dignum retribuetur, quem iure optimo Magni honorifico titulo cohonestamus, cuius pietas ac doctrina tãtæ probitatis Regulam condidit? Igitur, si iis sanctis Patribus tantum debetur, quid sanctis viris huius sacræ Religionis Fũdatoribus deberi iudicabimus? cùm non solùm bonorum operum fructus, quos sacra hæc Religio edidit, sed omnes eti : spirituales fœtus, quos vniuersæ Religiones hucusque pepererunt, meritò illis, tãquam fontalibus primordiis, adscribi debeãt. Quod ne meo Marte affirmare videar, Eliam & Eliseum Religiosæ vitæ principia dedisse grauissimi Auctores contestantur; nam sancti Patres, Elias & Eliseus non tantùm huius Ordinis, verùm (audeo dicere) etiam omnium Fundatores fuerũt. Certè iuxta Iuris regulas in cap. Qui verè. & refertur à D. Antonino. 2. Parte suæ Summæ, titulo 16. c. 1. §. 4. duo Fratrum ab Ecclesiâ approbata genera memorantur, quorum alterum Cœnobitarum appellatur, eò quòd in Cœnobiis seu Monasteriis Regulæ ac Prælato subiecti viuerẽt, de quibus D. Antoninus ait: *Ij sub Eliseo sumpserunt initium.* Alterum verò Anachoretarum seu contemplantium nuncupatur, qui vitam Eremiticam ducũt, quos describẽs idem S. Antoninus, ait: *Isti ab Eliâ exordiũ habent, cuius imitator & Ioannes Baptista erat.* Cùm ergo omnes Ecclesiæ Dei Ordines sint huiusmodi, velut riuuli sunt, ab Eliâ, virtutum omnium fonte, emanantes, cui, sicut & Abrahæ, illud sacræ Scripturæ cognomen mirificè quadrat: *Pater cunctarum gentium.* & illud ex D. Ioanne Apostolo: *Pater omnium credentium*; meritò veteres Doctores sanctum Patrem Eliam appellarunt totius vitæ Monasticæ Patrem, vniuersorum Ordinum exordiũ, omnis Religionis vexilliferum, ac Cœnobiticæ disciplinæ antesignanum. Non inuenta à me loquor, sed quæ docuit me D. Hieronymus in Vitâ quam scripsit S. Pauli primi Eremitæ, quæ habetur in eodem Tomo, fol. 106. in exordio, vbi sic ait: *Inter multos sæpè dubitatũ est, à quo potissimùm Monachorum eremus habitari cœpta sit: quidam enim hoc altiùs repetentes, à B. Eliâ & B. Ioanne principium sumpsisse autumant.* D. Bernardus Abbas Cassinensis in Expositione primi Capitis Regulæ S. Benedicti, ait: *Attende benè, quòd in veteri Testamento Elias & Eliseus, in nouo verò Testamento Ioannes Baptista, posteà tandem tempore Apostolorum Paulus & Antonius horum Monachorum inuentores extiterunt.* Macharius vetustissimus in quodam Sermone ad Monachos, hæc habet: *Duos viros magnificos exordium Monastici Ordinis prætulisse credimus, quorum vnus igneis equis in cælos raptus legitur, alter verò prophetasse, antequam natus sit. Primus Elias Pater noster extitit, in quo sicut homo-Dei ignitus zelus adeò ardebat, vt vndequaque molestiâ afficeretur: ita ille idem ignis, Deo sic disponente, eumdem corpore & animo in paradisum sustulit: nam illum, qui in terris positus Angelicam duxerat, inter nos remanere Deus non est passus. Alter Ioannes Baptista fuit, cui (vt D. Augustinus narrat) rationis vsus acceleratus fuit; & cùm sex menses à conceptione suâ profluxissent, in ventre materno delitescens, prophetauit.* Auctor Historiæ Tripartitæ c. 11. ait: *Huius Monasticæ antiquissima professionis Princeps veter fuit Elias, in nouo autem Testamento Ioannes Baptista.* Nolo, quamuis facultas mihi suppetat, sermonem protrahere in antiquorum Doctorum variis monumentis referendis, qui omnes vno ore testantur, sanctissimum Patrem Eliam totius vitæ Religiosæ Ducem, ac celebrem Auctorem esse: paucis tamen veritas hæc patebit, si essentialia Religionum vota, Obedientiam, Castitatem & Paupertatem esse, in mentem reuocauerimus. de obedientiâ Eliæ, ait: *Abiit Elias, vbi eum ferebat voluntas Dei, & fecit iuxta verbum Domini. Ipse Eliseum obedientiam docuit: nam vocem eius audiens, aratro, bobus, paternaq; domo relictis, præceptorem suum secutus est.* Paupertatem eius prætereo, cùm sacra Eloquia testentur, à facie Iezabel peregrinatum fuisse, quousque obtinuit, vt cælitùs cibus sibi ministraretur. Vnde D. Isidorus dixit: *Vnde ad Monachos studium fluxerit paupertatis, vel qui huius conuersationis extitit Auctor, vel cuius isti habitum imitantur, quantum pertinet ad auctoritatem veterum Sanctorum, huius propositi princeps est Elias, & discipulus eius, qui habitabant in solitudine, & faciebant sibi domunculas iuxta fluenta Iordanis.* Eliseus etiam ab eo edoctus, & in paupertatis doctrinâ benè instructus, ita virtutem hanc paupertatis coluit, vt famulũ suum Giezi, diuitiarum Naaman leprosi cupiditate possessũ, propter proprietatis culpam leprâ miraculosè puniuit. Quid tandem dicam de castitate & virginitate Eliæ? Certè in eius præmium, vt habet 3. Reg. 18. in montis Carmeli fastigio, magnus Pater Elias septies orans, oratione septimâ absolutâ, nubem quamdã exiguam intuitus est, quasi vestigium hominis, in quâ nube sibi à Domino ostensa fuit B. Virgo, quæ septimâ ætate approximante nascitura erat in mundo, ac incorrupta & inuiolata perseuerans, Saluatorem mundi paritura erat. Accedit quadragesimus quartus Ierosolymorum Episcopus in libro de Monachorum institutione, quem

Marginalia: Polydorus. — *Dici potest omnium Auctor Religionum.* — *Quantum hinc omnes Eliæ debeãt.* D. August. — *S. Elias Propheta Carmelitani Ordinis Auctor probatur.* — D. Hieron. — *Idem docuit D. Bernardus.* — Machar. — D. August. — *De Eliæ tribus votis probatio.* Ioan. 44. Patr. Hier. — B. Isidorus à Monach. — 3. Reg. 18.

Ioan. 44. Ierosol. Episc.

B. Caprasio Montis Carmeli Priori scripsit, vbi in hunc modum loquitur: *Congregauit & nunc Elias filios Prophetarum Terræ sanctæ diuersorum Conuentuum, & in voluntariâ paupertate, obedientiâ & castitate eos viuere instituit.* A cuius sententiâ non abhorrens D. Hieronymus, scribẽs ad Eustochium, ait: *In veteri lege sola erat benedictio liberorum, quia vacuus erat mundus: paulatim verò crescente segete, messor metitus est & Virgines. Virgo namque Elias, virgo Eliseus, virgines multi filij Prophetarum.* Hinc collige, quanta sit Carmelitanæ Religionis celsitudo, cuius Fundator omnes aliarum Religionum Institutores, velut nouitios habuit, qui ab eo prima Religiosæ disciplinæ elementa didicerunt, quæ labentibus annis, posteà aliis tradiderunt. Denique in huius rei confirmationem produco Iosephum Antiochenum libro de Perfectâ militiâ primitiuæ Ecclesiæ, cap. 12. ita loquentem: *Prophetarum Christi militum, Apostolorum coadiutores succreuerunt strenuissimi viri solitarij, contemplationi dediti, Eliæ & Elisei sequaces, qui de Monte Carmelo descendentes, per Galilæam, Samariam & Iudæam fidem Christi constantissimè sparserunt.* Ecce quomodo Christianæ militiæ strenui iam milites effecti, ab iis montibus descenderunt, vt religiosæ vitæ magisteria præberent. Verùm excellentiam Carmelitanæ familiæ hìc sistere gradũ minimè putamus: etenim, licet ex præclaro parente originem ducat, clariorem multò nanciscitur matrem, Deiparam scilicet Virginem, quæ multò illustriorem ac celebriorem illam reddit. Vnde Piliodorus lib. 1. cap. 2. ait: *Tempore prædicationis Apostolorum sunt Carmelitæ conuersi ad Euangelicam perfectionem, atque humiles fidem Christi in primordiis nascentis Ecclesiæ constantissimè defenderunt & prædicauerunt.* Ne autem quispiam in dubium reuocet huius sacræ Religionis alumnos, Eliæ & Elisei successores & descendentes esse, quamuis plures Sedis Apostolicæ eius rei testes mihi suffragantes in medium producere possem, vt Sixtum V. concedentem proprio motu huic Religioni Officium de Eliâ, tamquam de vero eius patrono recitari, Iulium II. in Bullâ, cuius initium est, *Ad sacrum Ordinem B. Mariæ de Monte Carmelo*; Gregorium XIII. in Bullâ, quæ exorditur, *Vt laudes gloriosissimæ Virginis Mariæ*: nec non Ioannem XXII. qui omnes ab Eliâ & Eliseo, iure hereditario hanc sacram Religionem originem ducere constanter affirmant, solius Sixti IV. tantùm Pontificis Maximi, felicis recordationis verba in Bullâ super hoc editâ recitabo: *Dum attentâ*, inquit, *meditatione pensamus, quòd gloriosissima Dei Genitrix Virgo Maria produxit sacrum Ordinem B. Mariæ de Monte Carmelo, quem eiusdem Virginis Mariæ speciali titulo voluit insigniri, vt ob eiusdem Virginis reuerentiam, Ordo ipse à Christi fidelibus ampliùs veneraretur: at Ordinem ipsum, & eius singulares personas, vti ceteros Regularium professores in firmamento Catholicæ fidei militantes, tamquam Religionis speculum, & exemplar speciali charitate fulgẽtes, Sanctorumq́; Prophetarum Eliæ, Elisei, Enoch, & aliorum sanctorum Patrum, qui Montem sanctum Carmeli, iuxta fontem Eliæ habitarunt, successionem hereditariam tenentes.*

D. Hieron.

Magna Carmelitarum dignitas.

Ioseph Antiochen.

Pater Carmelitarum Elias ex aliis adstruitur.

Piliodorus.

Res patet ex Bullis Pontificum.

Sixti V.

Iulij II.

Gregor. XIII.

Sixti IV.

46. Sic Carthagena ex Pontificum decretis, ad quos si tertio etiam loco, ad maiorem priuilegiorum Carmelitanorum firmitatem recurrere lubeat, inspici poterunt Officia Ordinis nostri propria, quæ cùm aliquoties à sacrâ Rituum Congregatione, adeoque Sede Apostolicâ examinata atque approbata sint, sanctumque Eliam Ordinis nostri Auctorem constituant, rem illam extra dubitationem ponunt. Pulcherrimum in primis rei istius testimonium occurrit 16. Iulij, in solemni B. Mariæ Virginis, vt vocamus, Commemoratione; in quâ secundi Nocturni habent Lectiones: *Cùm sacrâ Pentecostes die Apostoli cælitùs afflati variis linguis loquerentur, & inuocato augustissimo Iesu nomine, mira multa patrarent, viri plurimi, qui vestigiis sanctorum Prophetarum Eliæ ac Elisei insliterant, & Ioannis Baptistæ præconio ad Christi aduentum comparati fuerant, rerum veritate perspectâ atque probatâ, Euangelicam fidem confestim amplexati sunt, ac peculiari quodam affectu beatissimam Virginem (cuius colloquio & familiaritate feliciter frui potuere) adeò venerari cœperunt, vt primi omnium in eo Montis Carmeli loco, vbi Elias olim ascendentem nebulam Virginis typo insignem conspexerat, eidem purissimæ Virgini Sacellum construxerunt. Ad nouum ergo Sacellum sæpè quotidie conuenientes ritibus piis, precationibus ac laudibus beatissimam Virginem, velut singularem Ordinis tutelam, colebant. Quamobrem Fratres B. Mariæ de Monte Carmelo passim ab omnibus appellari cœperunt; eumq́, titulum Summi Pontificẽs non modò confirmarunt, sed & Indulgentias peculiares iis, qui eo titulo vel Ordinem vel Fratres singulos nuncuparent, concessere. Nec verò nomenclaturam tantùm munificentissima Virgo tribuit & tutelam, verùm & Insigne sacri Scapularis, quod beato Simoni Anglico præbuit, vt cælesti hac veste Ordo dignosceretur, & à malis ingruentibus protegeretur. Ac demum, cùm olim in Europâ Ordo esset ignotus, & ob id apud Honorium III. non pauci pro illius extinctione instarent, adstitit Honorio noctu purissima Virgo Maria, planeq́, iussit vt institutum & homines benignè complecteretur. Non in hoc tantùm sæculo Ordinem sibi tam acceptum multis prærogatiuis beatissima Virgo insigniuit, verùm & in alio (cùm vbique & potentiâ & misericordiâ plurimum valeat) filios in Scapularis societatem relatos, qui abstinentiam modicam, precesq́, paucas eis præscriptas frequentarunt, ac pro sui status ratione castitatem coluerunt, materno planè affectu, dum igne Purgatorio expiantur, solari, ac in cælestem patriam obtentu suo quantocyùs piè creditur efferre.*

Probatur Carmelitarũ ab Eliâ origo ex Officio Ordinis proprio.

Qualis ab antiquo Carmelitarum deuotio.

Quot iis à B. Virgine Deiparâ fauores obtigerint.

Et hæc quidem de Fundatore atque titulo Ordinis Carmelitarum, ex quibus omnibus quæ iam dicta sunt non tantùm patuit quàm felix in Eliâ Carmelitarum cœperit initium, sed quàm insignis etiam eorum fuerit progressus, & tot sæculorum continuatio. In quibus quàm multi etiam sanctissimè vixerint, plenæ sunt omnes nostrorum Historiæ. Nos, quò nulli de his, quæ dicturi sumus, dubium maneat, ad illa ipsa auctoritate Apostolicâ approbata Officia rursum conuertimur, & inter alios, qui ab Ordine nostro solemni ac publico ritu vt Sancti coluntur, duodecim vel tredecim tantummodò seligemus, de quibus nimirum inter varios, Lectiones propriæ habentur vt sequitur. Inchoemus à S. Dionysio Pontifice Maximo, cuius Festum 19. Ianuarij, toti Ordini celebre, hæc in secundo Nocturno propria recitat: *Dionysius imitatus sanctissimos illos Monastici instituti Duces, qui ædificatis sibi casulis prope fluenta Iordanis, & turbis vrbium derelictis, herbis agrestibus victitabant, Anachoreticam seu Monasticam, & verè propheticam vitam aliquandiu egit: inde ad Summum Pontificatum assumptus, Valeriano & Gallie-* 47.

Quantus fuerit S. Dionysius Pontifex Maximus.

no Imperatoribus Ecclesiam gubernauit. Hic in causâ Dionysij Alexandrini (quem quasi de fide non rectè sentientem Pentapolitani quidam Episcopi ad ipsum detulerant) Romæ coegit Concilium, vbi cùm suæ doctrinæ rationem reddere iussum, diiudicatâ tandem eius innocentiâ, absoluit. Sabellij hæresim emergentem editis Commentariis profligauit, mediam ac planè regiam sternens viam, qua contrariæ illæ hæreses, Sabellij scilicet & Arij, confutarentur. Paulum quoque Samosatenum hæresiarcham, duplici Antiochiæ coacto Concilio, condemnauit. Cùm autem sub Gallieno pax Ecclesiæ ad tempus reddita fuisset, sedulus hic Pontifex cœmeteria, & Ecclesias, quæ Pastoribus, sæuiente Valeriani persecutione orbatæ fuerant, Presbyteris diuisit. Parochias & Diœceses foris instituit, aliaq; permulta Ecclesiæ vtilia sanxit. Tandem verò pro Ecclesiâ Dei aduersus hæreticos & persecutores plurimis laboribus exantlatis, feliciter migrauit ad Dominum, cùm sedisset annos vndecim, menses tres, & dies quatuordecim, sepultusq; est in Cœmeterio Callisti Viâ Appiâ. Fecit ordinationes duas mense Decembri, quibus creauit Presbyteros duodecim, Diaconos sex, Episcopos per diuersa loca septem. Summo Pontifici Patriarcham adiungamus Alexandrinum S. Cyrillum, de quo 28. Ianuarij: *Cyrillus Episcopus Alexandrinus, claris parentibus ortus, Theophili item Episcopi Alexandrini ex fratre nepos, à quo adolescens Athenas studiorum causâ missus, cùm plurimum profecisset, ad Ioannem Episcopum Ierosolymitanum, vt Christianæ vitæ perfectione imbueretur, se contulit. Cuius consuetudine confirmatus, in Carmelum Montem secedens, ibi cum aliquot piis hominibus, illic degentibus, cælestem vitam in terris aliquamdiu egit. Alexandriam deinde in patriam reuersus, Presbyter illius Ecclesiæ ordinatus est: & paulò pòst, Theophilo Episcopo eius patruo defuncto, in eius locum, pari omnium consensu, suffectus. Episcopus factus, totum se Episcopalis sollicitudinis curæ dedit: in primis, vt ab infidelium erroribus gregem suam purgaret, Iudæos tunc temporis Alexandriam prauis moribus labefactantes, inde expulit: Nestorianos quoque hæreticos insectatus est. Quare Cælestini primi legatus in Concilio Ephesino decretus, pestiferum illorum dogma penitus deleuit; & beatam Virginem Mariam Dei Matrem verè esse confirmauit. Verùm humani generis, & eiusdem Dei Genitricis antiquus hostis, per Ioãnem Sacrensem, Imperatoris vices Ephesi gerentem, plurimas ei persecutiones excitauit. Quibus diuinitùs superatis, Alexandriam reuersus, multas Epistolas per Ægyptum, vt reliquias hæresis Nestorianæ extirparet, misit. Multa scripsit, plurimumq; pro Ecclesiæ defensione laborauit: cuius sermonibus tota ferè Syria in diuinis Officiis vtitur. Demum cùm illam Ecclesiam multis annis sanctè gubernasset, senio confectus spiritum Deo reddidit, quarto Kalendas Februarij, Theodosio & Valentiniano imperantibus.*

S. Cyrilli Patriarchæ Alexandrini Carmelitæ memoria.

Quin & D. Cyrillo S. Spiridionem in Cypro Episcopum adiungimus, cuius Lectiones propriæ leguntur 14. Decembris, in hæc verba: Spiridion Trunythuntis vrbis Cypri Episcopus, vnus fuit ex iis Confessoribus, qui Maximino Imperatore dextero oculo eruto, & sinistro poplite succiso, ad metalla relegati sunt. Hic, Constantino Imperatore, Nicæno Concilio cùm interesset, Philosophum Ethnicum Christianæ Religioni insultantem miro prorsus modo deuicit, & ad fidem perduxit. Sardicensium Patrum consessum suâ quoque præsentiâ, vt beatus Athanasius testatur, ornauit. Triphyllium Ledicensem Episcopum, virum omnium suæ ætatis eloquentissimum, in Synodo orantem, quòd simplici diuinæ Scripturæ voce vti dedignatus esset, palàm reprehendit. Intereà beatus Spiridion Ecclesiam sibi commissam cùm sanctissimè regeret, non prophetiæ dono solùm, sed miraculorum etiam virtute clarus extitit. Nam charitate feruens, vt innocentem capite damnatum liberaret, viam agebat, & torrente valdè exundante impediebatur: at imperio Spiridionis stetit torrens, & sibi aliisque viatoribus patuit via. Quadam nocte cùm ad caulas ouium fures venissent (factus enim Episcopus, propter singularem animi modestiã oues etiam pauit) & manus improbas, quo aditum educendis ouibus facerent, extendissent, inuisibilibus quibusdam vinculis restricti, vsque ad lucem velut traditi tortoribus permanserunt. Cùm verò oues ducturus ad pascua matutinus se ageret senior, videt iuuenes absque humanis vinculis in caulis pendere districtos. Cumque causam noxæ comperisset, absoluit sermone, quos meritis vinxerat: & ne eis inanis nocturna cederet occupatio, Tollite, inquit, ô iuuenes, vnum vobis arietem, ne sine causâ venisse videamini, quem meliùs prece quàm furto, quæsisse conuenerat. Antiochiam iussu Constãtij Imperatoris profectus, eumdem morbo laborantem solo tactu sanauit: vbi cùm quidam aulicus illius sacræ maxillæ incussisset colaphum, promptus ad Dominicam legem implendam ille præbuit & alteram. Filiam habuit sanctus Episcopus Irenem nomine (duxerat enim ipse, cùm laicus esset, vxorem, cum quâ paucos annos honestè traduxit) quæ ei cùm benè ministrasset, virgo defuncta est. Post eius obitum venit quidam dicens, se ei quoddam depositum commendasse. Rem gestam ignorauerat Pater. Perquisitum in totâ domo nusquam, quod poscebatur inuentum est. Persistebat tamen ille, qui commendauerat, & fletu ac lacrymis perurgebat: vitæ suæ quoque illaturum se esse exitium, nisi commendata reciperet, testabatur. Permotus lacrymis eius senex, ad sepulchrum filiæ properat, atque eam ex nomine clamitat. Tum illa de sepulchro, Quid vis, ait, Pater? Commendatum, inquit, illius vbi posuisti? At illa locum designans, Illic, ait, inuenies defossum. Regressus domum, rem, sicut filia de sepulchro responderat, repertam, tradidit reposcenti. His aliisque rebus diuinitùs gestis, clarus prudentiâ pariter & Christianâ simplicitate, singularique erga peregrinos & pauperes pietate admirandus, cùm Ecclesiam Trunythuntinam mirificè gubernasset, plenus dierum obdormiuit in Domino. Eius corpus, ad quod multa miracula facta leguntur, longo pòst tempore ex loco, vbi primùm sepulturæ traditum fuerat Corcyram delatum, piâ fidelium veneratione colitur. Celebratur beati Spiridionis dies festus apud Græcos pridie Idus Decembris.

S. Spiridionis Episcopi in Cypro vita.

Mirabilia eius facta.

Eius in malefactores humanitas.

Inaudita de mortua filia allocutione historia.

48\. Neque minor antiquitus in Ordine Carmelitarum quoad Confessores quàm Pontifices gloria extitit: vnum sufficiet exemplum in S. Hilarione, de quo Officium proprium sub titulo Religiosi Ordinis nostri extat 21. Octobris hisce verbis: Hilarion ortus Tabathæ in Palæstinâ ex parentibus infidelibus, Alexandriam missus studiorum causâ, ibi morum & ingenij laude floruit. Vbi Iesu Christi susceptâ religione, in fide & charitate mirabiliter profecit. Frequens enim erat

S. Hilarionis admiranda puritas.

erat in Ecclesiâ, assiduus in ieiunio & oratione: omnes voluptatum illecebras, & terrenarum rerum cupiditates contemnebat. Non Circi furoribus, non arenæ sanguine, non theatri luxuriâ delectabatur, sed tota illi voluntas in Ecclesiæ erat congregatione. Cùm autem Antonij nomen in Ægypto celeberrimum esset, eius videndi studio in solitudinem contendit: apud quem duobus mẽsibus omnem eius vitæ rationem didicit. Domum reuersus mortuis parentibus, facultates suas pauperibus elargitus est. Necdum quintumdecimum ætatis annum egressus, rediit in solitudinem: vbi extructâ exiguâ casâ, quæ vix ipsum caperet, humi cubabat. Nec verò saccum, quo semel amictus est, vnquam aut lauit, aut mutauit: cùm superuacaneum diceret, munditias in cilicio quærere. In sanctarum Litterarum lectione & meditatione multus erat. Paucas ficus, & succum herbarum ad victum adhibebat; nec illis ante Solis occasum vescebatur. Continentiâ & humilitate fuit incredibili. Quibus, aliisque virtutibus varias horribilesque tentationes diaboli superauit, & innumerabiles dæmones in multis orbis terræ partibus ex hominum corporibus eiecit. Qui octogesimum annum agens, multis ædificatis Monasteriis, & clarus miraculis, in morbum incidit: cuius vi cùm extremo penè spiritu conflictaretur, dicebat: *Egredere, quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta propè annis seruisti Christo, & mortem times?* Quibus in verbis spiritum exhalauit. Denique si à vetustissimis etiam temporibus Martyrum atque Virginum merita in familiâ quis Carmelitanâ requirat, en statim S. Anastasius Martyr offertur, cuius 22. Ianuarij habet Officium: Anastasius Persa, adolescens in militiâ Chosroæ Regis adscriptus, cùm Dominicæ Crucis, quæ tunc in Persidem delata miraculis coruscabat, mysterium nosse cuperet, dictumque ei fuisset, Dei Filium in eâ pependisse; tanto est incensus fidei Christianæ desiderio, vt, fugatis ab Heraclij exercitu Persis, relictâ militiâ primùm Hierapoli apud Christianum Persam argentarium aliquamdiu manserit; deinde Ierosolymam profectus, ibi ab Eliâ Presbytero in Christi fide instructus, à Modesto Ierosolymitanæ Sedis Præsule baptizari, & mutato nomine, ob Dominicæ Resurrectionis venerationem Anastasius appellari voluerit. Elapsis verò octoginta diebus, quibus non licebat eos, qui illuminati fuerant, egredi, Monasticum habitum sumpsit. Transactis postea in Monasterio summâ cum laude septem annis, per visum agnoscens martyrem se futurum, in ciuitatem ad festum Resurrectionis celebrandũ venit, & Diaconium ingressus, Magistro suo arcanum aperit, à quo & perbenignè dimissus est. Diospolim igitur, & Charizim, & ad cetera veneranda loca orationis gratiâ proficiscens, Cæsaream demum peruenit. Vbi cùm in templo Deiparæ duobus diebus constitisset, atq; inde ad Ecclesiam sanctæ Euphemiæ pergeret, Persarum magos præstigiis occupatos videt. Quos cùm ab errore, zelo Religionis concitus, reuocare vellet, ab iis comprehensus, tres dies sine cibo & potu in carcere detinetur. Hinc ad Prætorium ductus, Marzabanæ eorum Duci præsentatur. Qui pluribus verbis illius constantiâ tentatâ, vinculis ferreis collum ei, atque alterum pedem in ergastulo circumcingi, & vt ingentes lapides ferat, præcipit. Eò loci à Persis eorumque Duce pluribus exagitatus, humi postmodum extenditur, & dirissimè verberatur. At in fidei confessione perseuerans, & magica sacrificia execrans, iterùm atque iterùm in carcerem reducitur, vbi duo Monachi Ierosolymis missi eum inuiserunt, & ad martyrium properantem incitarunt. Matutinos quoque hymnos decantans, Angelicâ est visitatione consolatus. Marzabanas autem cùm nihil proficeret, rem ad Chosroam Regem detulit, cuius iussu Anastasius in Persidem mittitur: vbi variè etiam tentatus, & verberibus non semel cæsus, lapide grauissimi ponderis ad alterum pedem appenso, alterâ manu duarum horarum spatio suspenditur. Sed cùm in tormentis constantior euaderet, Magistratus Regi persuadet, ne eius constantiæ ampliùs in Regiæ maiestatis dedecus periculum faciat. Quare cum aliis septuaginta Christianis Regis iussu coram ipso ad martyrium præmissis, Deo gratias agens, ipse decollatus est: & vt eum iam interfectum esse ostenderent, carnifices sacrum caput ad Regem deferunt. Cuius corporis Reliquias Monachus Cæsareâ veniens, linteo à filiis Iesdin mutuato, inuolutas secum detulit, & in sancti Sergij Monasterio honorificè posuit. Postremò Romam delatæ, in Monasterio ad Aquas Saluias collocatæ sunt. Sed & è Virginibus, quas post se Carmelitanus Agnus cælestis adduxit, bina argumenta prodamus. Primum sit in S. Euphrasiâ die 13. Martij, alterum in S. Euphrosinâ 11. Februarij. De priori legitur: *Euphrasia virgo tempore Theodosij senioris, patre Antigono, matre Euphrasiâ, pari nobilitate claris, vt qui Imperatorem ipsum sanguine attingerent, nata est: qui tamen plus pietati, quàm natalibus tribuentes, in charitatis operibus exercendis iugiter occupabantur, adeò vt pauperibus necessaria subministrare, peregrinos excipere, afflictis compati, religiosas domos inuisere, amplissimisq; donis ditare, orationibus vacare, quotidianum penè illis exercitium esset. Cùm autem, Deo ipso votis eorum respondente, filiam procreassent, quo mens eorum liberiùs Deo & proximo vacare posset, consensu mutuo continentiæ perpetuæ votum emiserunt; in eoq; statu animis quidem coniuncti, corporibus separati, sub eodem tecto annum vnum exegerunt. Quo transacto, cum Antigonus piis operibus plenus ex hac luce ad æterna translatus fuisset; Euphrasia vidua, licet à multis propter præclaras corporis animiq; dotes sollicitata, numquam tamen de sententiâ dimoueri potuit: sed tutiorem viam eligens, sicut carnis voluptatibus iam fecerat, sic & mundo nuntium mittere decreuit. In interiorem itaque Thebaidem profecta vnà cùm filiâ virgine, ibi reliquum vitæ, vicinis Monasteriis, ex facultatibus, quæ plurimæ ei suppetebant, necessaria iugiter exhibens consumpsit. Dum autem piis illis operibus seriò incumbit, ecce Deo prouidente contingit, illam ad peramplum quoddam Virginum Monasterium cum dilecto sibi pignore deferri, in quo sub Abbatissâ vnâ plusquam centum & triginta Moniales degebant, seuerioris disciplinæ obseruantissimæ. Cilicium enim illis quotidianâ vestis erat: ieiuniis verò ita addictæ erant, vt earum plures biduum, aliæ etiam triduum à cibo abstinerent, reliquæ non nisi vesperi cibum sumerent. Oleribus tantùm ac leguminibus vescentes, vinum, oleum, vuas, ficus, aut etiam poma, vel contigisse piaculare erat. Ibi ergo aliquantum temporis demorata, dum profectionem parat, desiderium infantulæ Euphrasiæ incæpit ibidem remanendi, ac inter virginum illarum choros Deo seruiendi. Quod cùm* Abbatissæ

Margin notes: *Item austeritas.* — *Eius in dæmones potestas.* — *Et in moriendo generositas.* — *S. Anastasius antiquus apud Carmelitas Martyr.* — *Quàm multa is passus sit.* — *Quàm constans vsque ad mortem perstiterit.* — *Virginis etiã sacra olim in Carmelitanâ Religione inuicta sunt.* — *Quàm pij S. Euphrasiæ parentes.* — *Monialium Carmelitanarum rigidissimũ Monasterium.*

Abbatiſſæ reuelaſſet, illa è contrario iugum obedientiæ, paupertatis incommoda, diſciplinæ Monaſticæ rigorem ob oculos ponit, quo eam deterreat. Inſtat nihilominùs infans, Chriſti opem, quem ſibi ſponſum deligere cupiebat, non defuturam aſſerens. Mater intereà acceſſitur, quæ blandis ſermonibus filiam apud ſe retinere plurimùm ſatagit. Cumq́; nec ſic flecteretur virgo, mirabunda illa ad Dominicam conuerſa imaginem, flebili voce, manibus in cælum eleuatis, in hæc verba prorupit: Domine Ieſu Chriſte, huius infantulæ curam habeto, quia te concupiuit, ſeq́; tibi commendauit. Et ſtatim profiliâ apud Abbatiſſam egit, vt Religionis habitu indueretur. Quod & factum eſt: in eoq́; Monaſterio à ſeptimo vſque ad trigeſimum ætatis annum pia virgo, de virtute in virtutem in dies progrediens, permanſit. Patientiâ namque & humilitate maximè enituit, cùm quæ viliora in Monaſterio officia eſſent non abhorreret, imò cum tantâ alacritate exequeretur, vt omnibus admirationi eſſet. Obedientiæ verò in tantum addicta erat, vt cùm aliquando Abbatiſſa, quo eam probaret, prægrandes lapides ab vno loco in alium, rurſúmq́; ab eodem loco ad priorem ſuis humeris deferre iuſſiſſet, ipſa nequaquam operis difficultatem, aut corporis debilitatem cauſata, incunctanter omnia & fideliter adimpleuit. Ieiunia verò adeò coluit, vt non biduum aut hebdomadem tantùm, ſed & dies quadraginta ſine cibo & potu tranſegerit. Quod ægrè ferens hoſtis humani generis, variis tentationibus ſæpiſſimè virginem aggreſſus eſt: quas tamen illa ieiunio & oratione fortiter ſuperauit. Ex quo magis ac magis excandeſcens, apertas vitæ eius inſidias parauit, illam modò in puteum, modò in feruentem ollam præcipitans, vnde nihilominùs illæſa ſemper Dei virtute euaſit. Tantis igitur meritis cumulata, cæleſti eam vocante ſponſo, migrauit in cælum.

Illud S. Euphraſia ingreditur.

Quantis ibidem virtutibus polleat.

A dæmonibus quas paſſa ſit inſidias.

De alterâ verò Euphroſinâ 11. Februarij legitur: *Euphroſina virgo Alexãdriæ tẽpore Theodoſij iunioris nata eſt, patre Paphnutio, non tantùm natalibus, ſed & pietate claro: qui cùm liberos ſuſcipere non poſſet, ieiuniis & orationibus, aliiſq́; piis operibus iugiter intentus, tandem aliquando eius, quod ſummoperè cupiebat, diuinâ miſeratione effectum obtinere meruit, filiamq́; procreauit, cui, diuino inſpirante Numine, Euphroſynæ nomen impoſuit: ſummam illam quaſi præſagiens lætitiam, quam non cælo tantùm, ſed & mundo pia filia, per vitæ ſanctitatem allatura erat. Et reuerà vixdum nata ſacrum Prophetæ dictum adimpleus, ab ipſis penè incunabulis iugum Domini portare didicit. In ipsâ pueritiâ nihil puerile gerens, ſed ad ſolidioris virtutis apicem ardentiori ſtudio in dies aſpirans, Deo piácum ſimplicitate die ac nocte ſeruiebat, aliena prorſus ab iis voluptatibus, quas ludicra illa ætas plus nimio ſæpiùs proſequitur. Solitudinis etiam amans, æqualium conſortia fugiebat, niſi fortè earum, quas diuino ſuccenſas amore comperiſſet. Dum ergo Spiritus ſancti repleta feruore, cœptum virtutis iter alacriori animo perſequitur, ſponſionemq́; Chriſto facit, ſe nullum, præter eum, amatorem admiſſuram, ſed ei quem mente coleret, etiam carnis integritate adhæſuram: ecce pater, cui terrena adhuc ſapienti vnica filia cordi erat, de eâ in matrimonium collocandâ cogitare cœpit. Ex pluribus itaque qui eius nuptias ambiebant, nobilibus, vnus eligitur: ſponſalia contrahuntur, celebrandis nuptiis ſtatus dies conducitur. Quid interim faciet virgo perpetuæ virginitatis conſeruandæ deſiderio flagrans, tot inter laqueos domeſticos pariter & extraneos? Si recuſare cupit, paterna reuerentia non patitur: ſi fugam meditatur, ſexus obſtat; ſtare domi, minùs ſecurum; foras progredi, minùs honeſtum. Tot inter dubia, ad orationem virgo confugit, eximium virginitatis florem illi ipſi commendans, cuius mater Virgo eſt, cuius pater feminam neſcit. Nec fideli ſponſæ defuit ſponſus ipſe fidelis, dum virile prorſus ac generoſum eius menti facinus inſpirauit, quo ſub habitu alieno, & mundum pariter ac dæmonem eluderet. Diuino itaque animata conſilio, vt quæ Patriarchæ illius exemplo benedictionem præripere geſtiebat, abiectis propriis, quæ virginitatem prodere poterant, veſtimentis virilibus induitur, cum quibus ad quoddã Religioſorum Monaſterium accurrens, inſtantius rogare cœpit, vt in numerum Fratrum adſciſceretur, ſub Smaragdi nomine & ſexum celans, & conſilium. Aſceta itaque, vix credi poteſt, quam breui tempore & qualem in omni virtutum genere progreſſum fecerit. Nihil eâ continentius, nihil vigilantius erat. Obedientiæ in primis addicta, patientia etiam, manſuetudine, miſericordiâ, humilitate, aliiſq́; virtutibus, præ cunctis eminebat. At verò priſcus ille humani generis hoſtis, ſe ſpoliâ eludi ægrè ferens, poſtquam variis artibus pium eius propoſitum impedire conatus, operam ſe perdere conſpexit; ad alia conuertitur, eximiamq́;, quæ in eius corpore elucebat pulchritudinem, Fratrum oculis ſæpius obiiciens, effecit tandem, vt apud Monaſterij Præfectum agerent, vt ipſa ſeorſim ab aliis, in cella ſub vnius Fratris magiſterio degeret. Quod cùm ipſa quàm libentiſſimè accepiſſet, in illo receſſu triginta & octo annos, ſoli Deo ſibiq́; vacans, exegit: omnibus incognita manens, donec, ſub vitæ finem, à patre tantæ rei neſcio (Deo id prouidente) viſitata, eidem miranti prorſus & ſtupenti, quæ eſſet aperuit, beatiſſimamq́; ſtatim animam Deo reddidit.*

S. Euphroſina Virgo à Deo precibus impetrata.

Seſe ab ineũte ætate totam pietati tradit.

Mirabili ſtratagemate mundum decepit.

A diabolo perſecutionẽs perpeſſa eſt.

49. Et hi quidem omnes Sancti, qui ante mille iam & centenos aliquot annos vixere, Apoſtolicâ, vti diximus, auctoritate eſſe declarati ſunt, & coluntur vt Religioſi Ordinis Carmelitarum. Quibus poſterioribus quoque ætatibus non minores ſanctitate ac numero ſucceſſerunt, ex pluribus ſex vel ſeptem reliquorum loco annectemus. Et inprimis ad Martyres quod attinet, fuerunt & inter illos varij ſimul Pontifices, vti è duobus licebit inſpicere. S. Gerardus ſit prior, de quo Lectiones 24. Septembris has habemus: Gerardus Venetiis oriundus, ab ipsâ infantiâ Chriſti amore captus, totum ſe eidem addicere decreuit. Quod vt liberiùs exequeretur, cuncta quæ ſunt mundi deſpiciens, parentibuſque valedicens, ad Monaſterium ſe contulit, vbi ſacræ Religionis habitu indutus, in ſanctâ conuerſatione cum ſuaui bonorum exemplorum odore cunctis admirandus aliquamdiu permanſit. Verùm cùm ei ſummum ſacra Palæſtinæ loca, quæ Chriſti Domini cum hominibus conuerſantis veſtigiis conſecrata fuere, viſendi deſiderium inceſſiſſet, arrepto de Superioris licentiâ (vt par erat) cum aliquot ſociis itinere, contigit eum per Pannoniam, vbi tunc ſanctus ille Rex, qui primus in eam ſacrum Domini Euangelium induxit, Stephanus nomine, regnabat, pertranſire. Id vbi reſciuit Rex, qui de peregrinantibus maximè ſollicitus erat, cauſamque itineris intelligens, maiori eum proſecutus eſt dilectione, egitq; cum eo, vt aliquot apud ſe dies remaneret, volens, vt rei poſtea declarauit euentus, experiri, quæ hominis conuerſatio, quod ſtudium, quis in virtute progreſſus eſſet, vt eum ad nouellæ illius vineæ cultum operarium admittere poſſet. Cùm ergo optimam eius conuerſationem non dictis tantùm, ſed & factis conſpicuam pius ille Rex deprehendiſſet, dimiſſis clàm itineris eius ſociis, inuitum

Inter Pontifices & Martyres claruit S. Gerardus.

Fit Carmelita.

Dum ad loca ſancta peregrinatur à S. Stephano in viâ detinetur.

inuitum apud se retinere constituit: ac ne fugâ elaberetur, custodes etiã aliquiot adhibuit. Quod cernens Dei seruus, ne Spiritui sancto, quem per Stephanum Regem loqui comperiebat, reluctari videretur, volens & lubens consensit. Verùm vt populares strepitus effugeret, in eremum quamdam secessit, vbi per septennium diuinis cõtemplationibus, ieiuniis ac vigiliis, ab omni hominũ conuersatione, præterquam vnius Mauri Monachi, qui ei ad victum necessaria suppeditabat, seiunctus vacauit. Inde autem ad regendam Dei Ecclesiam, populosque in fide erudiendos euocatus à Rege, quasi generosus miles optimis instructus armis, quæ ipsa sibi solitudo præstiterat, in arenam prosiliit, verboque pariter & exemplo plures dispersas oues ad Christi Domini ouile traduxit. Crescente autem fidelium multitudine, cùm multæ vbique Ecclesiæ ipso satagente ædificarentur, præcipuam tamen, & quasi aliarum matrem, ad Morisij fluminis ripam extruxit, in quâ primus est Pastor constitutus. Episcopus factus, tantum abest vt aliquid vel tantillum de pristino viuendi rigore remiserit, vt potiùs formâ factus gregis sui, humilitatem, mansuetudinem, charitatem, aliasque virtutes multò accuratiùs quàm anteà sectaretur, in omnibus seipsum exhibens sicut Dei ministrum, in multâ patientiâ, in ieiuniis multis, in charitate non fictâ. Erat in oratione assiduus, feruidus in verbi Dei prædicatione, seuerus in sui castigatione, in aliorum correptione moderatus. Animarum etiam salutem adeò sitiebat, vt nihil non intentatum relinqueret, quod animabus Christi Sanguine redemptis vtile fore videret. Dum ergo si telis ipse agricola in colendo agro Dominico omnem suam operam collocat, ecce post piissimi Regis Stephani mortem, priscus ille humani generis hostis zizania seminare contendit, seditionemque commouet, in quâ sanctus Episcopus lapidibus primùm appetitus, tum demum lanceâ percussus, cùm priùs genibus flexis eadem, quæ olim Protomartyr Stephanus, verba pro persecutoribus pronuntiasset, martyrij coronâ decoratus migrauit in cælum, anno Domini millesimo quadragesimo secundo. D. autem Gerardo in martyrio atque Episcopali dignitate comes fuit sanctus Petrus Thomas (qui, vt illius habet Officium) Condomij in Aquitaniâ natus, cùm ab infantiâ litterarum studio deditus esset, & eximiâ pietate ac præcipuâ erga beatissimam Virginem deuotione niteret, in Condomiensi Cœnobio habitum sacræ & antiquæ Religionis Deiparæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo suscepit: vbi professione emisâ, ieiuniis, vigiliis, meditatione & oratione omnes sensuum appetitus refrenandos esse censuit, ne Regulæ suæ præscriptum vel leuiter transiliret. Sacerdos Lutetiã ab Obedientiâ studiorum gratiâ missus, adeò supra condiscipulos profecit, vt breui tempore Theologiæ lauream summâ cum laude sit adeptus: quâ decoratus orationibus fortiùs insistens, magno omniũ virtutum progressu, vitæ sanctimoniâ in dies cõcrescebat. Tanta fuit eius erga Deum & beatissimam Virginem deuotio & fiducia, vt omnes suas actiones in Deum & Dei Matrem dirigeret; & quacumque premeretur necessitate, ad ipsã beatissimam Virginem confugeret. Vnde cùm in cuiusdã Monasterij visitatione de illius paupertate

Post vigidissimè septennio exultã eremum fit Episcopus.

Quot ille in officio bona præstiterit.

Martyrio afficitur

S. Petrus Thomas vir doctissimus ac piensissimus.

subleuandâ anxius esset, ad solitum & tutissimum Virginis patrocinium accurrẽs, ab eâ audire meruit: *Ne timeas Petre, omnia tibi necessaria adiicientur.* Altera die Sacro peracto, mercator quidam aureos decem, qui tunc erant necessarij, in eleemosynam largitus est, & exinde omnia necessaria sibi diuinitus subministrari expertus est. Pro sui Ordinis perpetuã conseruatione & augmento frequentes ad Deum orationes fundens, intimaque inter orandum edens suspiria, ipsâ nocte Pentecostes, cùm id instantiùs postularet, à beatissimâ Virgine mirabili hoc responso dignatus est: *Confidito Petre, Religio enim Carmelitarum in finem vsque sæculi est perseueratura. Elias namque eius institutor, iam olim etiam à Filio meo id impetrauit.* Pactensis Episcopus, & non multò pòst Constantinopolitanus Patriarcha creatur: ex quo ad Orientalium oras animum conuertens, sacrum Domini sepulchrum, Carmelique montem, mente & desiderio frequenter visitabat. Sed cõmissarum sibi ouium salutis zelo vltra modum flagrãs, diutiùs detineri impatiens, mox ad iter sese accinxit. Legatus Apostolicæ Sedis pro transitu ad terram Sanctam missus, multùm consilio & singulari suâ prudentiâ sanctum illud opus promouit; sæpiusque cum Rege conflictui præsens, nõ semel victoriam ab hoste reportauit. At dum Religionis Catholicæ propagandæ & contra infideles propugnandæ conatu fortiùs instaret, telis infidelium, vulneribus multis inflictis, confoditur. Ita feliciter Christi martyr, plenus dierum & bonorum operum, multis conscriptis voluminibus, obiit octauo Idus Ianuarij, die & horâ à se præsignatis, anno millesimo trecẽtesimo sexagesimo sexto; cuius corpus Famagustam delatum, ibidem honorificè colitur. Claruit vir Dei sicut in vitâ, ita & post mortem, multis miraculis: cuius patrociniũ illius loci incolæ, singulariter contra epidemiæ & pestilentiæ morbum, cum deuotione & fructu implorant. Neque defuere inter Carmelitas martyres non Pontifices, quorum vnus tam eximius in omni sanctitatis genere extitit, vt multorum loca sicut & merita simul complexus sit. verba Lectionum ipsius sic sonant v. Maij: *Angelus, nobilibus parentibus ad fidem conuersis per visum beatissimæ Virginis, prolem nomenq́; prænuntiãtis, Ierosolymis ortus, Angelicæ virtutis ab infantiâ specimẽ dedit. Qui quarto ætatis anno orbatus vtroque parente, sub Nicodemi Patriarchæ disciplinâ adeò feliciter profecit, vt annum agens decimum octauum, trium linguarum, Philosophiæ ac sacræ Scripturæ peritissimus, beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo Religioni seipsum deuouerit. Vbi mirâ orandi assiduitate & austeritate vitam duxit Angelicam. Quemadmodum enim vix, nisi necessitate coactus, adhuc infans lac sugebat: sic in excursu vitæ totius, carnibus, lacteis cibis, ac vino prorsus abstinens, victu tenuissimo panis dumtaxat & aqua, vel rariùs herbarum etiam & leguminum vtebatur: ferreâ subuculâ macerabat corpus, humiq́; lodice vnâ substratâ, tectus alterâ cubabat. Vigiliis ac precationibus ita erat intentus, vt quotidie, præter Officij diuini pensum, totum Psalterium flexis genibus perlegeret. Insignem sanctitate virum, patribusq́; suis Eliæ ac Eliseo persimilem, miraculis Deus similibus illustrauit. Ferrum enim, quod in Eliæ fontem è manubrio securis exciderat, supernatare fecit. Iordanem exundantem iussu sistens, cum sociis aliisq́; septuaginta, siccis pedibus pertransiit. Igne cælitus immisso* Sarace-

Multa à B. Virgine Mariâ beneficia obtinet.

Episcopus & Patriarcha factus omni perfectione excellit.

Fit Martyr.

S. Angelus quantoperè carnis castigatione excelluerit.

Quantis fit illustratus miraculis.

Saracenos Christianorum nauem inuadentes combussit, aliis visum ademit, moxq; fidem amplexantibus restituit: Septem leprosos ipsius monitu à peccatis resipiscentes, aquæ lotione mundauit. Energumenos, cæcos, surdos, aliosq; permultos variis morbis obnoxios in sanitatem asseruit. Mortuum biduanũ Bethlehemitem pallio suo contectũ oratione fusâ suscitauit: & quod summoperè mirandum est, sex vitâ functi eodẽ pallio à viris piis obtecti, ad vitam reuocati sunt. Tot virtutum ornamentis & miraculis clarus, honorem eximiũ, qui ei passim deferebatur, detrectans, in desertum Christi ieiunio consecratum clam secessit, ibiq; per quinquennium Angelico pane nutritus, diuinæ contemplationi vacauit, donec iussu à Christo, qui multo Angelorum ac Sanctorum comitatu stipatus illi apparuit, in Siciliam iter instituit. Obuios verò plurimos, & Christianos à vitiis, & Iudæos ac Saracenos ab infidelitate conuertit: & velut nubes imbrifera prædicando circumquaque discurrens, innumeras Christo lucrifecit animas. Romam perueniens, à sanctis viris Francisco & Dominico agnitus, in honore habitus, & familiariter tractatus, beato Francisco stigmatum impressionem prædixit, à quo & sui martyrij prædictionem accepit. Leocatam denique petiuit: vbi à nefario quodam, quòd sororem publicè pœnitentiã agere fecisset, ac ipsum à publico incestu auertere conaretur, in mediâ concione quinquies pugione perfossus est, flexisq; genibus pro persecutore populoq; precatus, Psalmum, In te Domine speraui, pronuntians, ad versum, In manus tuas, è cœlo ad triplicem aureolam vocatus, animã, sub columbæ candidissimæ specie visam, efflauit. Et clarissima lux corpori affulgens, cantusq; cœlestes, ac suauissimus odor, Martyris exitum honestarũt.

In eremum Christi ieiunio sacram quinquennio secedit.

Prædicaturus in Siciliã profectus. Martyr efficitur.

50. Restant posteriorum quoque temporum Confessores, è quibus Confessor & Pontifex S. Andreas Corsinus, Fesulanus Episcopus 30. Ianuarij officium habet: Andreas Florentiæ piis parentibus ex nobili Corsinorum familiâ natus est. Qui cùm sine prole diutiùs in matrimonio permansissent, liberorum tamen desiderio capti, animas suas sæpiùs, priscæ illius Annæ Samuelis matris exemplo, coram Deo effundebant, vouentes se eum, qui primus eis nasceretur, Deo & beatissimæ eius Genitrici, quoad viueret, commodaturos. Eorum ergo precibus annuente Virgine, dũ mater grauida partum præstolatur, ecce quadam nocte sibi visa est in quiete continere in aluo lupum, qui tamen paulò pòst, ad cuiusdam Ecclesiæ ingressum, in agnum repentè mutatus fuerit. Natus itaque infans ipso die natali beati Andreæ Apostoli, Andreæ quoque non sine diuino nutu, sortitus est nomen, tamquam inclyti istius Apostoli fortitudinem imitaturus. Illud tamen minimè in adolescentiâ præstitit: quorumdam enim iuuenum consuetudine deprauatus, lupinos planè mores induit, donec à matre de voto & somnio certior factus, tandem aliquando resipuit, totúque se Dei & beatæ Virginis obsequio mancipare decreuit. Vt actu igitur adimpleret, quod antè statuerat, ad Carmelitarum se contulit Ecclesiam: vbi coram beatæ Virginis imagine prostratus, & totus in lacrymas effusus, Matrem ipsam misericordiæ ardentiùs rogare cœpit, vt depulsâ tandem lupi rabie, meritis ipsius, immaculati Agni sectator effectus, verus simplicitate agnus euaderet, statimque Deo plenus, Hieronymum Melioratum Tusciæ Prouincialem adiens, Religionis habitu donari maximo cum feruore postulauit. Quod cùm obtinuisset, minimum est quàm exactam Religiosæ vitæ rationem coluerit. Obedientiæ enim & humilitatis sectator rigidissimus, nihil tam vile aut abiectum excogitari potuit, quod ipse, non à Superiore tantùm, sed & ab æqualibus Fratribus iussus non adimpleret. Verberibus insuper, cilicio ac ieiuniis corpus domans, ac plurimum temporis in oratione consumens, sedebat sæpissimè solitarius, & tacebat, atque eleuabat se supra se. Tantis igitur meritis cumulatus, diuinæ tandem placuit bonitati, lucernam sub modio latentem, super Ecclesiæ candelabrum ponere, vt eo, quo ardebat igne alios inflammaret, lumenque suum aliorum cordibus, ad propulsandam peccatorum caliginem infunderet. Fesulanæ itaque, inuitus licet ac renitens, præficitur Ecclesiæ, quam per duodecim annos summâ cum prudẽtiâ gubernauit, omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaceret. Nihil verò tũc de pristinâ viuendi ratione immutauit, sed potius crudelior (si dicere licet) in seipsum effectus, ferreâ catenâ ad carnem castigandam, vitiumque sarmentis ad membra per noctem refocillanda vtebatur. Charitatis operibus ita deditus erat, vt pauperum refugium, orphanorum Pater, viduarum sponsus vulgò æstimaretur. Cum verò plurimis miraculis, & prophetiæ spiritu claruisset, beatæ Virginis apparitione de obitu certior factus, anno ætatis septuagesimo primo, duplicato locuples talento, in Domini sui gaudium, supra multa constitutus intrare meruit, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo tertio. Inter verò Confessores non Pontifices illuxit S. *Albertus Carmelita* (qui vt VII. Augusti die) *nobilibus parentibus, Benedicto Adalsiba & Ioannâ Montis Drepani in Siciliâ, diuino instinctu natus est. Hi enim cùm sex & viginti annos sine prole in coniugio mansissent, B. Mariæ semper Virgini voto se adstrinxerant si filium illis impetraret, se illum Monasterio Carmelitarum, quod prope ipsum Montem Drepani situm erat, dicaturos. Voti compotes effecti, facem ex materno vtero prodeuntem in quiete viderunt: quâ visione mater puerum magnum coram Domino futurum esse, viro suo prædixit, quod rei euentus demonstrauit. Nam cùm liberalibus disciplinis puer institueretur, diuinâ benedictione præuentus, octauum ætatis annum attingens, Monasterium Drepanense ingreditur, vbi vitæ asperitate, ac regularis disciplinæ seueritate delectatus, tantum profecit, vt breui virtutum exemplar ceteris se præbuerit. Cilicio ad carnem vtebatur, membra rudi panno & vilibus vestibus tegebat, palmitibus nudo corpori admotis cubabat, vino abstinens, assiduis se etiam ieiuniis affligebat. Sextâ item Feriâ cibo absinthium immiscebat. Castitatis, paupertatis, obedientiæ erat studiosissimus, diuinaq; sapientiâ perfusus, cùm cœlestibus semper delectationibus frueretur, miraculorum quoque gratiâ illustris fuit. Inerat ei magnum animarum salutis desiderium. Quare Iudæos quamplurimos, aliosq; infideles, prædicatione suâ ad Christi fidem conuertit. Messanam prædicationis causâ missus, ibi ad Presbyteratus Ordinem (etsi ob magnam humilitatem eum gradum recusaret) promotus est; ac deinde tantâ excelluit gratiâ, vt omnium in admiratione esset. Cùm autem ciuitas propter obsidionem, quâ eam Robertus Neapolis Rex premebat, fame vexaretur, ciuiũ rogatu fusâ ad Deum oratione, repentè tribus remibus annonâ onustis præter spem per medios hostes ad vrbem appulsis, eam à periculo liberauit. Agrigentum proficiscens, cùm ex alterâ ripâ Platani fluuij Iudæos quosdam obuios habuisset, repentè flumen*

S. Andreas Corsinus à B. Virgine datus parentibus.

Adolescens fedus se sinit.

Sed postea conuersus

Carmelita sanctus efficitur.

Fit Episcopus Fesulanus.

Felicissimè moritur.

S. Alberti miraculosa natiuitas.

Carmelitarũ Ordinem intrat & sanctissime obseruat.

Mittitur ad prædicãdum & mirabilia operatur.

flumen alueum excedens, illos prætereuntes inuasit. Qui cùm mergi cœpissent, ad sanctum, vt eis opem ferret, clamare cœperunt. Promisit ille, si Christiani fieri vellent, se eis auxiliaturum. Quibus id promittentibus, vir Deambulans super aquas, manus eis porrexit, eosdemq; in flumine eos baptizauit, & ad ripam incolumes perduxit. Messanam reuersus, in quoddam tugurium orationis causa secessit: ibi grauì correptus morbo, accersitis Fratribus, summam sororis, quæ ducentis & sexaginta milliaribus ab eo aberat, eamdem obitus diem (vt postea euenit) prædixit. Cumq; horà vespertinà transitum suum imminere cognosceret, genibus humi se strauit, & oculis ad Deum intentis, Psalmũ In te Domine speraui, pronuncians, in illis verbis, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, efflauit animã. Quam in specie candidissimæ columbæ de illius ore exeuntem, ac rectà in cælum via euolantem circumstantes Fratres viderunt. Cumq; innumeris coruscaret miraculis, & populus Missam de sancto Confessore, Clerus verò pro defuncto celebrari vellet; à Domino diuinum responsum expectandum Episcopus iussit. Quibus orantibus, duo Angeli in albis astantes, Missam, Os iusti meditabitur sapientiã, de sancto Confessore celebrandam esse indicarunt: quà solemnissimè celebratà, sanctum illud corpus honorificè conditum est.

Mors eius in conspectu Dei pretiosa.

Angeli eum quodammodo canonizant.

Concludamus cum S. Cyrillo item Carmelita (qui, vt 6. Martij Officium eius asserit) Constantinopoli nobilibus parentibus ortus, cùm ab infantià, Ioannis Baptistæ & Samuelis exemplo, Deo se dedicasset, in Clericalem postea militiam adscriptus, ad Presbyteratus ordinem est euectus. Quo in ordine sic ad omnia genera doctrinarum capessenda se tradidit, vt insignis ab omnibus haberetur. Fuit in docendo vberrimus, in disputando acerrimus, in prædicando ardentissimus. Audiens autem Iconij Sultanum Christianæ religionis libros optare, Iconiũ profectus est, sacros Codices adduxit, & tantâ copià Sultanum aggreditur, vt eum breui temporis spatio catechumenum fecerit: quem ritè institutum, in solemnitate Paschali sacro Baptismi lauacro regenerauit. Cùm autem inter Patriarcham Constantinopolitanũ, & beatum Cyrillum dissensio de Spiritus sancti processione orta esset: nimirum illo asserente à Patre solùm; Cyrillo verò constanter affirmante, à Patre & Filio Spiritum sanctum procedere: volens à Græcorum erroribus abesse, in somnis admonitus à Beatissimà Virgine, omnia sua pauperibus elargitus, Syriam versus nauigauit, ad montemque Carmelum peruenit: vbi sumpto Dei Genitricis habitu, ieiunijs, orationibus, & charitatis officijs Deo gratissimus effectus, diuinis etiam reuelationibus dignatus est. Quare cùm aliquando sanctus Cyrillus in commemoratione beati Hilarionis Missæ Sacrificium faceret, Angelus virgineo aspectu duas tabulas argenteas, litteris Græcis inscriptas, illi afferens dixit: *Has tabulas tibi omnipotens Deus misit familiari seruo suo, & præconi fideli, vt scripturam hanc membranis commendes; & conflato tabellarum argento, calicem ex eo & thuribulum ad sacrificandum Domino efficias.* Continebat autem scriptura vndecim capita, quibus grauis persecutio Ecclesiæ denuntiabatur. Quæ vir sanctus perficiens, illa mysteria perfectè est assecutus. Beatus igitur Cyrillus bonis operibus refertus, cùm Ordinem suum viginti & septem annos summà cum laude rexisset, in Terrà sanctà migrauit ad Dominum, cum eo perpetuò regnaturus in terrà viuentium. Claruit Philippo & Othone Imperatoribus, circa annum Domini millesimum ducentesimũ. Ex quibus omnibus Sanctis sufficienter patet, quàm ingentes etiam satisfactionum ac meritorum copias sacer Ordo Carmelitarum in communem Ecclesiæ thesaurum intulerit, & quàm perperam nonnulli aut Sanctos huiusmodi Carmelitani Ordinis non fuisse contendant, aut non excelluisse tot meritis, quot sacra Rituũ Congregatio siue auctoritas Apostolica declarauit. Adiungi & alij sancti Ordinis nostri potuissent, de quibus non minùs quàm superioribus ex eadem Pontificià potestate fit Officium, quemadmodum 25. Februarij, de sancto Auertano Confessore. 29. Martij, de sancto Bertholdo. 8. Aprilis, de sancto Alberto Patriarcha Ierosolymitano. 16. Maij, de sancto Simone Stock. 25. Maij, de beatà Magdalenà de Paz. 14. Iunij, de sancto Eliseo Prophetà. 2. Septembris, de sancto Brocardo. 30. Octobris, de sancto Serapione, Episcopo & Confessore. Sed ex iam dictis apertè satis constitit, à duobus annorum millibus, id est à temporibus sancti Eliæ Prophetæ floruisse Carmelum, multis hunc à Deiparà Virgine, tamquam singularissimà Ordinis Patronà ac Titulari beneficijs fuisse præuentum, atque viris admodum sanctimonià illustribus, ad communem satisfactionem, pro fidelibus indigentibus thesaurum ditatum esse.

S. Cyrillus Carmelita doctissimus ac sanctissimus vir.

Mira operatur.

Carmelitanam Religionem intrat ac virtutibus emicat.

In his vsque ad mortem perseuerat.

Plures etiam alij nostro ex Ordine Sancti.

Sequitur, vt de quarto Mendicantium Ordine, 51.
qui Eremitarum est S. Augustini, loquamur. Poterat certè de hoc, vti & Carmelitarum proximè præcedenti Euangelicum illud intelligi, quod apud sanctum Matthæum habetur cap. 20. *Erunt nouissimi primi, & primi nouissimi:* nam recensere primo loco, si institutionis tempus aspicere voluissemus, eos oportuerat, quos nunc vltimo demum describimus. Vti enim à Sancto Elià Carmelitarum originem processisse iam antè probatum est; ita & non difficulter solidis sanè fundamentis adstrui potest, Eremitarũ Ordinem ad S. Augustinum originem suam referre, vereq; ab eo habuisse principium. Quòd autem hæc Fratrum Eremitarum propago exorsa sit ab ipso Diuo Augustino, non opus est ex varijs Scriptoribus declarare, vtpote, cùm ipsemet Auctor sufficiens huius institutionis suę testimonium dederit; nam lib. 3. cap. 40. tomo 7. contra Petilianum Donatistam, prima sese Ordinis huius iecisse fundamina gloriatur, dum ait: *Deinde perrexit ore maledico in vituperationem Monasteriorũ & Monachorum, arguens etiam me, quòd hoc genus vitæ à me fuerit institutum,* &c. Confirmat in Narratione super Psalm. 99. & 132. & libro de Opere Monachorũ, cap. 39. Et clariùs Sermone 49. & 50. De disquisitione & cõmuni vità Clericorum, quorũ auctor censetur Augustinus à Posidio in Indice, à Bedâ, Erasmo, Academià Louaniensi, a recentioribus antiquisque Scriptoribus, à Concil. denique Aquisgranensi cap. 112. & 113. à Iure Canonico cap. Nolo 12. quæst. 1. & cap. Certè. Quæ autẽ de suo Monasterio dicat Augustinus, hęc habe ex lib. 2. de Dono perseuerantiæ, cap. 15. tomo 7. *Fuit quidam in nostro Monasterio, qui, corripientibus Fratribus, &c. adeò profecit in malum, vt, desertà Monasterij societate, fieret canis reuersus ad vomitum.* Nec minùs perspicua fit hæc veritas ex Sermonibus septem, quos ad Fratres in Eremo habuit, scilicet ex 12. 25. 27. 28.

D. Augustini Eremitæ vtì & Carmelitæ primi recensendi fuerant.

A S. Augustino fundatos fuisse vel ex ipsomet D. Augustino probatur.

Sermones ad Fratres in Eremo S. Augustini.

28. 39. 40. & 60. quos quidem (quantumuis in ceteris censores spongiam admoueant) Augustini esse, non est qui inficietur, cùm & citatis iam locis, & aliis multis, vt *Decret. 13. quæst. 2. cap. Si quis irâscitur. & cap. 17. quæst. 4. cap. 5.* iuxta Gratianum, sub eius manu nati admittantur, & probentur. At quoniam ipsa Diui Augustini verba non tantùm ad propositum clarissima sunt, sed & plurimùm etiam faciunt ad Ordinis totius commendationem, nonnulla ex iis recensebimus. Loquitur igitur ad Fratres in Eremo, cap. 40. *Hæc est vinea illa fertilis quam plantaui velut paterfamilias, quam sepe paupertatis, charitatis, & obedientiæ, & castitatis, vt à Simpliciano charissimo viro didici, circumdedi, ad quam velut paterfamilias exiens, primo manè vos conduxi in operarios, vt afferatis fructum quinquagesimum, sexagesimum, ac centesimum, secundùm abundantiam gloriæ plenitudinis Christi. Hæc est illa Religio immaculata, cuius sanctitas per totum terrarum orbem diuulgatur, quorum conuersatio à cunctis miratur, quorum vita non solùm à Christianis, sed à Iudæis & Paganis, potiùs Angelica quàm humana reputatur. Hæc est illa amœnissima Paradisus, quam Deus à principio plantauerat, in quâ posuit per gratiam, & donum matris meæ hominem, vt operaretur virtutem patientiæ, & eruditionem doctrinæ, corporis castitatem, assiduitatem precum, confessionem delictorum, abundantiam lacrymarum. Hæc est illa paradisus, de quâ exeunt flumina sapientiæ & veritatis, continentiæ & castitatis, in quâ Deus delectatur sicut in omnibus diuitiis.* Et posteà. *Hæc est vinea serui Dei Noë in medio paradisi situata, Christi Sanguine redempta & irrigata, quam Sarabaitarum princeps, hæreticorum pastores, velut aper de silua tempore illorum magnorum Monachorum & Eremitarum, Pauli videlicet & Antonij, destruere quæsierunt: cuius sepem comburere, cuius gyrum lapideum supplantare, cuius fructus, vites & flores incidere, in cuius planicie virtutum, zizania seminare, & replere quæsierunt, sed Dei virtute circumdata, minimè potuerunt. Ad hanc autem vineam, fratres mei, vos conduxi, & operarios vos feci meos, vt laborantes vsque in finem, dignum fructum recipiatis in tempore suo: adhuc non me elegistis, sed ego elegi vos.*

Quàm egregia habeat Augustinus, in sui Ordinis laudem.

Ineffabilis sanè Religionis huius perfectio.

Ad hanc vineam, vt quidem Eremitæ D. Augustini ex Annalibus referunt, pertinent boni illi qui cum Augustino vixerunt, Alipius, Eutropius, Paulinus, Possidius, Euodius, Fulgentius, Hilarius, Vincentius, Prosper, &c. Neque tantùm in pace lilia Confessorum, sed & in bello Martyrum rosæ in hac vineâ germinarunt. Nam à furoribus Donatistarum presbyteri, qui Monachis congregandis vel clericis primitus constituti sunt, expoliati, debilitati, excæcati, occisi, quorum passiones inutiles & steriles non fuerunt; multiplicatos enim fructus reddiderunt. Quare sub Vnderico Rege, & in persecutione Wandalicâ, Liberatus, Rogatus, Septimus, Bonifacius, Seruius, Rusticus, Maximus pro confessione fidei, sanguine Augustini hunc agrum (vt alios prætereamus) fecundarunt. At vnde Monasticæ vitæ cultus & propagatio? Ex hac familiâ. illud enim institutum, quod ex Italiâ Augustinus patrium solum reperês, in Africam inuexit, longè lateq; fecundâ propagatione dilatatum, breuiq; tempore sanctis Sacerdotibus & Monasteriis est repletum. Et ex eadem plantatione, nedum in Africâ, sed in plerisq; Ecclesiis Occidentis fructu vberrimo locupletarunt Ecclesiam, & vbiq; Monasteriorum greges & vbera deserta Eremi, disciplinæ Claustralis suaueolentiâ spirarunt. Ex eadem Cõgregatione ab Augustino Monachi nõ pauci ad Episcopatus assũpti, alij ad prædicandum Euangelium destinati; quorum magna pars cùm in publicis congressibus, tum in Conciliis hæreticos debellauit. Ex eodem gremio Confessores innumeri effluxerunt, qui etsi martyrij sanguine fidem hoc tempore non oppignerarint, per eadẽ contumelias pati digni sunt habiti. Siquidem, Saluiano scribente, *in Monachis, id est, Sanctis Dei, Aphorũ probabatur odiũ; quia ridebant scilicet, quia maledicebant, quia insectabantur, quia detestabantur, quia omnia in illos penè fecerunt, quæ in Saluatorem nostrum, Iudæorum impietas fecit, antequam ad effusionem sanguinis perueniret.* Et subdit: *Intra Africæ ciuitates, & maximè intra Carthaginis muros, palliatum, & pallidum, & recisis comarum fluentium iubis, ad cutem tensum, videre tam fidelis ille populus, quàm infidelis, sine conuitio atque execratione vix poterat.* E vestigio insequuntur Confessores illi, quos certo numero definire non possis, qui incruento martyrio seipsos hostiam viuam exhibuerunt, inter quos tamquam sidus fulgentissimum emicat sanctus Nicolaus Tolentinas, abstinentiæ & sanctitatis prodigiosus; adeo miraculis clarus vt 16. ad vitam mortuos reuocasse probetur, cuius admiranda prodigia cùm in omni genere celeberrima ac copiosissima coram Purpuratis Patribus recitarentur, in maximam ij admirationem rapti fuerunt. impetrauit teste ipso Eugenio IV. concordiam, quæ post plurimas difficultates in Concilio Florentino cum Armenis Græcisque iniri vix tandem potuit. Scriptores enumerem? Sint tibi satis pro omnibus Ægidius Columna, S. Thomæ discipulus & auditor, Gregorius Ariminensis, Thomas Argentinas, Augustinus Triumphus, in Scholasticâ disciplinâ athletæ exercitatissimi. innumerabilem in omniũ facultatum genere Scriptorum turbam satis indicabunt antiqui & nuperi de Scriptoribus Ecclesiasticis tractatores. Quòd si aciem intendere voles ad viros Cardineâ & Episcopali dignitate fulgentes, fulgentissima sidera habes, in quos oculos figas. Ex eodem Augustini palmite gemmantes Virgines, quibus etiam regulas præscripsit, effloruerunt; Perpetua Cœnobij Præfecta; duæ Augustini sorores, Basilica & Felicitas signorum gloriâ illustres; Melena Africana, S. Alipij discipula, Monasterij Thasgistẽsis clauum tenens, Maximam, Genouefam, Auream, cum innumerâ aliarum Virginum turbâ prætereo. Vnde meritò Alexander Papa protulit, quod sacrum Eremitarum Ordinem, *gloriosus ipse Doctor egregius velut radians sidus in firmamento Ecclesiæ ad gloriosam omnipotentis Dei laudem, & sacrosanctam illustrandam Ecclesiam, schismaticorum extirpandas hæreses, ac infidelium confutandos errores, Christianæ quoque Religionis propagationem, & Christi fidelium saluandas animas, in agro Dominico plantauit opportunè.*

Insigniter multiplicata Eremitica D. Augustini vinea.

Insignissimi hoc in Ordine Sancti Confessores.

Item & Martyres.

Lib. 8. de Prou.

Quanta eius pij cultores mala pertulerint.

Quot in sacro hoc Ordine extiterint Scriptores.

Sabell. Ænead. 7. li. 9. p. 2.

Amb. Tarct. in templo Aug. c. 13. in vin. Aug.

Quot & Virgines.

In Bullâ datâ Romæ 1496 apud Manriquez lib. de Orig. Relig. sancti Augustini.

Et quidem si agnoscere lubeat, quo in statu 52.
à sui exordio perseuerauerit Augustiniana Ere-

mitarum

mitarũ familia, ex eodem Theologo Dominicano paucis accipe. D. Augustinus, quemadmodum, velut mysticus Nabothi eam plantauerat, numquam passus est dari in direptionem: verùm, crebrescente hostili Wandalorum insultu, & successu temporis inualescente, Monasteriis & Ecclesiis in Africâ Gentilitatis ritu profanatis, concrematis ac deuastatis, Fratribus hinc inde dispersis, quidam in Thusciam appulere, quorum alij Anachoreticam, alij Cœnobiticam vitam traducentes, tandem illam dispersionem congregarunt, sicut olim dispersiones Israëlis dignatus est Dominus adunare. Sanctâ verò istâ propagine vsque ad Concilium Lateranense sub Innocentio III. productâ, cùm in Concilio de Ordinibus singulis tractaretur, Ordo Eremitarum tunc annotatus est absque solemnitate confirmationis. Posteà ab Honorio confirmatus, ab Innocentio IV. promotus, ab Alexandro IV. cui & ipse sanctus Augustinus in visione apparere visus est, insigniter auctus. Nam diuersorum Ordinum viri, quorum quidam S. Gulielmi, alij Fratris Ioannis Boni, alij de Fabali, alij aliis titulis nuncupati, sub vnius Prioris Generalis obedientiâ, secundum Regulam S. Augustini, tamquam vnius vitis palmites, ipso iubente iuncti sunt, vt quò vinea amplior, eò fructus esset vberior. Hoc modo pro antiquis Patribus suis nati sunt ei filij, & nouellæ oliuarum, veteribus ex persecutione excussis, nouiter germinarent filij prudentiâ senes, grauitate pares, charitate fratres, virtute iuuenes, dulcedine soboles, innocentiâ infantes, malitiâ paruuli, quæ mundi sunt nescientes, totam regni Dei præsentiam possidentes. Sed redeamus ad Ordinis huius sanctissimi Sanctos. Pro quibus si temporum proximè præcedentium ex eadem Augustiniana Eremo viros enumerare velimus, occurrunt statim innumeri. Rubricatos Martyres quæso aspice: en tibi in Anglia Ioannes Stoneus Augustinianus, qui Cantuariæ tetro inclusus carceri, pro fidei Catholicæ confessione, ab oratione & ieiunio non desistens, vocem diuinitùs delapsam audiuit, quæ eum ad agonem Martyrij intrepidè sustinendum animabat. quâ animatus, nec pollicitationibus allectus, nec minis exanimatus, maluit fortiter mori pro iustitiâ, quàm Regis Henrici VIII. parere voluntati. In Galliis Ciuitate Nemens. Pater Quatriebas insignis Concionator, in odium Catholicæ fidei à Caluinianis viuus decoriatus, linguaque posteà, & extremis digitorum partibus præcisis, capite plectitur; vbi priùs, tamquam alter Stephanus in cælum oculos extulisset, & pro persecutoribus exorasset. Apud montem Pessulanum Magister Frater Augustinus Guarinus carceri mancipatus, è catenis euolauit ad regnum. Nicolaus Tolentinas Hispanus in Peloponensi propugnatione Martyrij, & coronæ eò quòd crucifixi imagine Christianos inuitasset, à Turcis captus, tam diu fuit vulneribus cæsus, aliisque cruciatibus affectus, donec animam efflaret. In Prouinciâ Occitanâ duo Patres Lusitanii crudeli morte cruciati palmam in cælum intulerunt. Augustinus Guarinus in Galliâ Narbonensi ob diuini verbi prædicationem quâ hæreticos debellabat, ab iisdem vinculis alligatus, grauissimisque suppliciis affectus mortem tandem pro fide Catholicâ oppetiit 1568. Apud Iapones Anno 1617. P. Frater Hernandus à S. Ioseph, post vberes fructus conuersionis gentilium reportatos, & Iaponicæ vineæ culturam indefessam, vnà cum Fratre Alphonso Nauarrette Dominicano capite obtruncato, vbi priùs gladium quo feriendus erat, exosculatus esset, victor triumphali curru ad Martyrum chorum euectus est. Ex liliis verò Virginum, & Confessorum plantis & floribus amœnissimis, Ordo Eremitarum, odor agri pleni, cui benedixit Dominus, meritò est appellandus. Tot certè sunt ex Dei gratiâ, vt quos eligam ad coronam laudum huic familiæ attexendam, prorsùs ignorem, qui si singuli (omnibus ad eorum pulchritudinem commendandam imitantibus) celebrandi essent, Oratorum latera deficerent, immortalium Annalium monumenta scriberentur, silentio committuntur notoria, & recentiora euulgantur. Aspice quæso illum Apostolicum virum, Patrem Franciscum à Cruce, qui cùm fructus vberes, quos Ordines S. Dominici & Francisci in Indiis Occiduis reportabant, audisset, tanto erga animarum salutem flagrauit incendio, vt delectis aliis sociis, Patre Fratre Augustino de Lorenna, Patre Fratre Hieronymo Ximenez, Patre Fratre Ioanne à S. Romano, Patre Fratre Ioanne de Oseguero, Patre Fratre Alphonso Borjâ, Patre Fratre Gregorio Abulensi, viris religione præstantibus, more fulminis, superatis Oceani verticibus, & Neptuni fluctibus edomatis, eius nutu, cui mare & venti obediunt, in similitudinem fulguris coruscantis, in Insulam Hispaniolam appulit; lacrymis, ieiuniis, oratione, prædicatione, innumeros filios Christo genuerit, cuius ministerij nescio quid primum mirer, an velocitatem, quòd paucorum annorum spatio Augustinianam familiam cum Christianâ religione propagauit, an multitudinem segetum, quòd immensas nationes ad aream Christi importarit, an eius iter indefessum, cùm ex Indiis ad Hispanias remeans semel atque iterùm, vt alios operarios (messis enim quidem multa erat, operarij autem pauci) secum asportaret. Omnia certè admirabilia, cuncta digna triumpho. Illud certè admirabilius, quòd cùm iste vir solùm Grammaticam calleret, tantæ fuerit efficaciæ sermo eius, vt insignes Theologos in admirationem raperet, ex altitudine sapientiæ, quam sine strepitu verborum Deus illi communicabat, cui nec hoc difficile, qui ad sapientiæ decorem prophetiæ donum & miraculorum gratiam adiunxit, & super hæc perseuerantiæ donum, quod omnia exuperat, sanctè moriendo, non leuibus indiciis demonstrauit. Sed Pater Frater Augustinus de Corunnâ 1572. creatus Episcopus Popaianensis, nihil de vitæ austeritate commutans, nec simplicis Fratris conditionem, eò vberiores verbo & exemplo fructus reportabat, quò ceteros adiutores etiam Episcopali dignitate superabat; vnde plenus meritis, duplicatam in cælis mercedem habere promeruit. At Frater Alphonsus de Borjâ, post diuturnos labores exantlatos in excolendâ eadem vineâ, cùm infirmaretur leuiter, indicio Medicorum, nihilominùs ac si vl-

Margin notes:

Ex S. Antonini 3. p. tit. 24. l. 14. §. 3.

Quomodo perseuerarit hæc sancta Religio.

Quot & huius temporis Martyres Eremita Augustiniani.

Non possunt facilè recenseri sancti huius Ordinis.

F. Anton. de S. Rom. Tract. 4. §. 1. & Hieron. Roman. in cent.

Eximius vir Franciscus à Cruce.

Item P. D. Augustinus de Corunnâ.

Alphonsus de Borjâ.

timu:

timum præsentiret sibi adesse diem, petiit sibi administrari sacrosanctam Eucharistiam, mox sibi parari Extremam Vnctionem, quo expleto, vbi Fratres adhortatus esset, vt Responsorium moribundi recitarent, vix illo terminato, erigens manus, oculosque ad cælum dirigens, illumque Versiculum pronuntians, *In manus tuas commendo spiritum meum*, in pace quieuit. Pater Frater Hieronymus Ximenez, B. Thomæ de Villâ Nouâ discipulus, eximiæ perfectionis & obseruantiæ regularis tenacissimus, quam mirificè etiam promouit toto sui Prouincialatus tempore, quo bis Prouinciam rexerat: vnde forma factus gregi, ad perfectionis apicem inuitabat, ad quem adscendisse felix eius exitus contestatus est. Pater Frater Christophorus de sancto Martino, & Pater Frater Petrus Pampilonensis, Ioannes Cruzati, eiusdem sancti viri discipuli, feruentem prædicationis spiritum magistri sortiti, fidem Catholicam mirificè ibidem propagarunt.

Michael Salon in Vitâ B. Thomæ Villæ-Nouæ, lib. 1. cap. 6.

Hieronymus Ximenez.

Quis autem sine lacrymarum fonte recensere poterit admirabilem vitam Patris Fratris Antonij de Roâ, qui vt Indorum gentem ad peccandum procliuem, ad lacrymas pro culpis effundendis durissimam cerneret, præter nuditatem, humi cubationes, ieiunium ex herbarum radicibus constans, asperum cilicium, quo membra domabat, ferream catenam, quâ lumbos constringebat, si de passione Dominicâ prædicare contigisset, medio denudato corpore crudelia flagella sibi inferri, iniurias, alapas postulabat, vt maiora his Christum Dominum passum mentibus illis imprimeret. Si verò de inferni cruciatibus, expansâ flammâ in modum lectuli, tantisper ibi quiescebat, quamdiu Dominus illi spiritum & vires sustinendi largiebatur, à quo posteà resiliens & fugiens, ac si tantum ardorem sustinere non posset, satis etiam facto suadebat, quàm durum sit peccatores arsuros, tamquam paleas igne inextinguibili. Et vt flammas carnalium peccatorum in iisdem extingueret, super viuos carbones incedens, contra ea facinora prædicabat; & toto Quadragesimæ tempore, qualibet die tertiâ, feruentis resinæ guttis aspergi volebat in peccatorum remissionem, vt duplici admiratione tenerentur Barbari, & quòd nullum vstionis indicium ex flammis vel ardore relinqueretur in corpore; & quòd ad tot tormenta ferenda non esse sufficientem humanam carnem & sanguinem, sed superiorem naturam induere, necesse esse faterentur. Demum ac si esset Angelus in carne, in ministerium missus est illorum qui hereditatem capiunt salutis, nec itineri nec laboribus parcens, vbi etiam cùm multa miracula perpetrasset, Angelorum consortio creditur aggregatus, qui in carne viuens, super carnem positus, in virtute eosdem Angelos est imitatus.

Antonius de Roa.

Mirabilia is fecit.

Pater Frater Ioannes Hispalensis, in conuertendis animorum Indis ad verum religionis cultum, summo studio defatigauit; idem præstitit Pater Frater Nicolaus de Witte Flander, qui, relictis omnibus paternis, totum conuersioni eorumdem se mancipauit. Non minoris sanctitatis & perfectionis effulsit in idolorum culturâ Pater Frater Ioannes Baptista de Iaen, filius Conuentus Salamantini, cui nihil dulcius, quàm pro Christo ignominiam pati, nil suauius obedientiâ & austeritate, vt totam Quadragesimam solis quinque panibus durissimis contentus transegerit. Porrò tanta fuit obedientiæ vis, vt cùm panis deesset operariis, quem iam in pauperum vsus distribuerat, & à Superiore artatus ad alios procurandos, & reperire non posset, è cælis panes impetrauit tantæ suauitatis, vt operarij confessi sint, numquam per totam vitam similes degustasse. Cumque occupatus in Apostolico labore ad extremum deduceretur, lætissimè morti occurrens, sacrosanctæ Matris Ecclesiæ Sacramentis munitus, suaui contemplatione spiritum in se colligens, illum tandem ad factorem suum placidissimè transmisit?

P. Ioannes Hispalensis.

P. Ioannes de Iaen.

Pater Frater Alphonsus de Verâ-Cruce multis annis in Mexicanâ Prouinciâ Theologię cathedram moderatus est, cuius gloriosos labores etiam eius scripta testantur. Viginti quinque annorum spatio diuini verbi prædicatione linguâ Mexicanâ Indos illos vel ad fidem adduxit, aut in eadẽ etiam sanctis operibus roborauit. Ad Episcopatum Nicaraguæ designatus à Philippo II. illum constantissimè recusauit, eligens magis sub humilitate religiosâ suaue iugum portare, quàm onus illud Angelicis humeris formidandum subire; sub eius magistratu nouem Conuentus insignes ibidem erecti.

Alphonsus de Verâ-Cruce.

Anno verò 1550. ex Chron. August. PP. FF. Augustinus Salazar, Ioannes à S. Petro, Andreas Ortega, Hieronymus Melendez, & Balthasar Melgarenis, viri doctissimi & religiosissimi, Peruanam Prouinciam penetrarunt, multa Monasteria ibi construentes, innumeras Gentilium exuuias Christo consecrantes.

Ioseph. Pamphil. in Histor. August.

In Indiâ verò Orientali in Regno Goënsi clarus in Annalium monumentis recensetur Archiepiscopus Goënsis, Augustiniani pariter Instituti, qui à parente suo non degenerans, animarum saluti intendens, Christianos illos, qui suum censum ad S. Thomæ Apostoli prædicationem referebant, progressu tamen temporis, Nestorij hæresi & schismate infectos, Ecclesiæ Romanæ incorporauit. In Insulis Philippinis eminẽtes viri in perfectione refulgent. Inter hos Pater Frater Andreas de Vrdanetâ, insignis Cosmographus, cum Patre Fratre Martino de Radâ, Patre Fratre Hieronymo Maren, & tribus aliis eiusdem sodalitij: Hi omnium aliarum regionum primi, eas Insulas penetrarunt, populos illos instruxerunt, Catechistarum domos fundarunt in Insulâ Zebu, & Pindatos, Luzon, Ylocos, Pampagnâ, Pampagnasinâ. Pueros ibidem nedum in fide, moribus, sed in liberalibus artibus imbuerunt, eam vineæ portionem tanto labore & sudore excoluerunt, vt quamuis euntes & laborantes mitterent semina sua lacrymis rigantes atque fouentes, plenos reportarint manipulos æternæ mercedis & felicitatis cum animarum fertili messe.

Ioseph. Pamphil. sup.

Quàm ingentes fructus in terris infidelium præstiterint hi Religiosi.

Quid alios Europæos memorem? fulget mirificè Pater Frater Gonsaluus Barachona Castellanus, vir religiosissimus; qui hoc meruit, vt cùm Fratres quadam nocte in Choro deessent, ipseque solus Matutinas Horas persolueret, Angeli assiderent, & respõderent. Pamphil. in Chron. 1519. 53.

Qui viri in Europâ præclari.

Zz 2 Scin-

Scintillat quoque Pater Frater Aluarus Monero Lusitanus Vlyssiponensis, qui cùm Christianæ pietati, sacrarum Litterarum studio, & orationi se consecrasset, multis indiciis sanctitatis ostensis, ex hac vitâ decessit circa annum 1538. Extat eius Vita Hispanico sermone descripta à Iosepho Pamphil. in Chron. Emicat verò præ ceteris, qui cum sanctitatis opinione mortui sunt, aut inter Beatos recensentur (quos recensere sigillatim eloquendi superat facultatem) B. Frater Thomas de Villâ-Nouâ, cognomento eleemosynarius, Archiepiscopus Valentinus, miræ sanctitatis & miraculorum gloriâ coruscans, qui Domini gloriam continuis orationibus & sanctis meditationibus speculando, in eamdem imaginem transformatus, tamquam à Domini spiritu, à luminum fonte; immensum virtutum omnium hauriens lumen, Moysem æmulatus est (cuius facies ex diuinis cum Deo colloquiis tantum hausit splendorem, vt in eius vultum Israëlitica gens oculorum aciem non posset intendere) & orationis catenulâ, ex gemitibus & affectibus inenarrabilibus contextâ (longè ea pretiosiori, quam fabulati sunt Poëtæ, à Ioue de cælo demissâ, vt fictitios Deos illos fictos in sublime extolleret) quomodo verus Deus ad homines traheretur, non tã verbo, scripto, quàm exemplo & facto edocuit. Sed quis Soli splendorem addere potest? satis ex se fulget, vt non egeat Rhetorum luminibus, cuius radij pro beatificationis honore nuper ab Ecclesia Romanâ politi sunt ad caput eius exornandum, quod iam in cælis induitur ornatum omni lapide pretioso.

Insignis B. Thomas de Villâ-Nouâ.

Fructus verò vberes quis enumeret? Si huius familiæ (quod etiam ceteris est commune) alios non recenseret quispiam, quàm vel solas preces & tacita merita, quæ plurimùm apud Dominum possunt; satis ostenderet, eum esse populum ad laudem Dei formatum, quando, vt de omnibus scripsit Religiosis D. Bernardus, *eos constitutos esse, orare pro corpore Ecclesiæ, tam pro viuis quàm pro vitâ defunctis*: quantò magis cùm iam fecundior demonstratur, quæ lucet innocentiâ, radiat castitate, fulget actu, pingitur moribus, incessu micat, sanctitatis toto magnificatur ornatu. Non vnum vel alterum instituta sancta seruantem intueberis, Claustra, Cœnobia peccurre, ea præsertim quæ reformationis titulo illustriora sunt, & pauperes domus, orbe tamen ipso ditiores, Discalceatorum Eremitarum ingredere; certè plurimùm ex solâ pedum nuditate, aspero & pannoso vestimento, quanta virtus intus effulgeat, ex rerum contemptu addisces. Sunt ibi, vt de veteribus scripsit Ioannes Chrysostomus, *Omnia illecebris vacua, & ab omni interpellatione & inquietudine libera: insuper sunt portus tranquillissimi, quos qui inhabitant, velut ignes sunt, quòd cum è loco editiori emicent, lucem eminùs exhibent aduentantibus, cumq; in portu resederint, ceteros ad suam alliciunt tranquillitatem, neque eos, qui se intuentur, pati naufragium sinunt, vel in tenebris esse, qui ad se oculos intendunt. Adi igitur viros tales, vtere eorum contubernio; accede, inquam, sanctos tange pedes: multò enim honestius est illorum pedes amplecti, quàm aliorum caput.* Illi autem spectabiliores, qui ex Ecclesiæ defensione, tam aduersus hæreses quam Gentiles, à viris eiusdem familiæ spectabilissimos fructus reportauerũt.

Ad maxima hi Augustiniani ordinati sunt.

In paruis Serm. 93.

Homil. de Dispens. rerum, & hom. 59. ad Pop.

Quàm fortiter aduersus hæreticos decertarint.

Anno 1540. cùm hæresis Lutheri grassaretur, P. Frater Ioannes Offhuiesterus Sueuus, Vicarius Generalis, verbo & scripto illam indefessè confutauit, non parum pro Ecclesiâ laborans, cuius labores Carolus V. Episcopatus honore cohonestandos putabat, sed maluit Religiosus iste humilis in peditum ordine relinqui, vt expeditiùs hostibus Ecclesiæ bellum inferret, quàm in fortiorum ducum cuneo annumerari, sentiens armatum armaturâ fortium non posse incedere. Veneno extinctum ab hæreticis tradunt nonnulli. P. Frater Peregrinus Nasellus Patauinus Theologus, multa aduersus Lutheranam hæresim doctissimè conscripsit; similiter & P. Petrus Aurelius Venetus, ex nobili Sanutorum familiâ. Pater Frater Augustinus de Iesu in Germaniâ similiter multos hæreticos ad Ecclesiæ vnitatem reduxit, qui & in Conuentu Pragensi Eremitarum Ordinis Cœnobium construxit. Ab Imperatrice Mariâ procuratum est, vt Archiepiscopus Bracharensis crearetur, quo munere cunctis virtutum titulis vbique fulgens, operum magnitudine notus vniuersis, Pastoris exemplar perfectum posteris imitandum reliquit. Consimilis zeli virtus firmas iecit radices in pectore P. F. Georgij Scherrer, Viennæ Austriæ, cuius sermo ignitus frigida calefecit, accendit extincta, combussit noxia, & portentosæ hydræ capita igne & mucrone sancti Spiritus resecare satagebat. Quis cunctos enumerare sufficiat? Gentilium fructum magnâ ex parte recensuimus, cùm suprà memoratos viros Apostolicos enumerauimus, qui non vnam vel alteram gentem, sed integras Prouincias vel ad fidem inuitarunt, vel eamdem penitus perditam restituerunt & integrarunt. Nouissimos addimus operarios, duos Religiosos, scilicet eiusdem Instituti, qui ab Archiepiscopo Goënsi Patre Fratre Alexio in Persidem ad Regem Nuncij destinati, tantam sibi gratiam Regis conciliarunt, vt eis permissum sit in Aspao, Metropolitanâ ciuitate regni, templum & Cœnobium fabricare. vbi sacris fungentes, mirificè inter infidelitatis tenebras lumen fidei resplendescere procurarunt, vnde & multos Mauros baptizarunt. Anno verò 1602. relatio à Prorege Indiarum fida & authentica ad Philippum III. transmittitur, vbi recensentur operarij strenui Dominicæ messis, Pater Frater Leonardus de Gratiâ, Pater Frater Sebastianus de S. Monichâ, & alij eiusdem Instituti Professores, qui multos infideles ad Christum conuerterunt, & inter illos mille sexcentos sexaginta Mauritanos, Regemque Pemba, & Pati, quem Philippum in Baptismate vocauerunt, & eiusdem Regis consanguineum, duosque similiter sanguine iunctos Regis Ambusa, tresque alios affines Regis Meliad. Iidem similiter in ciuitate Vgolin, in Regno Bengala, & ciuitate Bombasa, tamquam illustre trophæum Baptismate consecratum Christo attulerunt. In Goâ verò Regem Badaron nepotem Magni Magor ad fidem adduxerunt, in Olmutz Principem heredem Regis Xaqueaio vitali Vndâ regene-

Fernand. Hist. Eccles. lib. 3. cap. 13.

Aliquot viri hac in causâ præstabiles.

Gonea lib. 3. cap. 12.

Ex Aloys. Vreta lib. 3. cap. 1.

Omnibus idque ferè orbis partibus.

regenerarunt. Longum esset omnes percensere, aliquos exempli causâ adduximus. Patres reticemus, Doctores præterimus, satis ex Chronicis Ordinis huius clari habentur, quorum agmen memoria insignis Cardinalis Hieronymi Sacripandi Legati in Concilio Tridentino claudat: cuius tanta fuit virtus & eruditio, vt meritò sit à diuinâ prouidentiâ destinatus, tamquam alter Michaël Archangelus ad præliandum cum dracone Martino Luthero, qui maximam partem stellarum cæli post se trahere nitebatur, & pugnauit cum eo, & fecit victoriam. In eodem Concilio alij eiusdem instituti viri celeberrimi Episcopi & Theologi claruerunt, inter quos Ioannes Munantones Episcopus Segobiensis, Caroli Principis filij Philippi II. Magister & Præceptor maximè enituit. Quis alios eruditissimos Patres enumeret in absoluendis quæstionibus acutos, in reuincendis hæreticis circumspectos, in exponendis sacris Scripturis eruditos?

Vide Chronicô Iosephi Pamphili Episcopi Lignienſis, impreſſ. Romæ 1581.

Quis Cardinalis Hieronymus Sacripandus.

54. *De Ordinibus Mendicantium priuilegiis gaudentibus.*

Quis Oceanum in alueum concludet? Ad alias Religiones properemus. Sacros Ordines Mendicantes illorum Religiones sequuntur, qui priuilegiis Mendicantium fruuntur. Talis est B. Mariæ Seruorum Religio instituta per septem illos Nobiles cælesti voce admonitos: qui in propinquo Monte prope Florentiam latitantes, ipsamet eorum sanctitatis luce se prodente, mundo se manifestarunt, multos in eorum societatem aggregarunt in eam, quam videmus, magnitudinem excrescens, tanto Reipublicæ Christianæ splendore. Qui eam vineam illustrarunt sanctitate & miraculis supra triginta tres numerantur. In primis ille Philippus enitet, qui cùm de eius electione ad Summum Pontificatum ttactaretur, de se humillimè sentiens, fugâ ab onere illo etiam Angelicis humeris formidando se liberauit. Emicant quoque Iacobus, Ioachimus, Franciscus Senensis sanctimoniâ conspicui. Sed & quinque S. R. E. Cardinales, Episcopi & Archiepiscopi supra triginta, vniuersalem vineam, hoc est, Catholicam Ecclesiam custodierunt. Prædicatores & Scriptores innumeri pariter dederunt odorem suum, Christi bonus odor facti in omni loco. Longè quoque suum odorem effudit Redemptionis captiuorum Familia, à S. Raymundo Ordinis Prædicatorum Generali Magistro, Petro Nolasco, & Rege Aragonum Iacobo ad captiuorum miserias subleuandas, in eminenti erga proximum charitatis monte plantata. Sed & vsque ad præsens PP. de Mercede Religio odorem & fragrantiam spirat, *descendunt enim mare in nauibus, facientes operationes in aquis multis,* vbi enim ferrum pertransit animas tot miserabilium captiuorum, humiliantibus Barbaris in compedibus Iesu Christi Sanguine redemptas, nec sit fermè *qui compatiatur super contritione Ioseph*, ipsi descendunt mare, in nauibus facientes operationes in aquis multis, vt soluant & redimant *vinctos in mendicitate & ferro*, eum imitantes, qui è miserabili captiuitate peccati & mortis, genus redemit humanum. *Ascendunt vsque ad cælos* per contemplationem, *descendunt vsque ad abyssos*, ex alienæ miseriæ compassione, vitam contemplatiuam cum actiuâ coniungentes, totius hominis saluti cooperantes, vt animæ è manu diaboli prædicationibus, doctrinâ, confessionibus, corpora verò è manu Barbarorum dissoluantur. Vis videre operationes? 18543. Christiani multis ab hinc annis redempti recensentur. Verè illud propheticum impletur: *Redemit Dominus populum suum, & liberauit eum, & venient, & exultabunt in monte Sion, & gaudebunt de bonis Domini. Lætare Ierusalem, & cognosce iam tempus visitationis tuæ. Gaudete, & laudate simul deserta Ierusalem, parauit Dominus brachium suum sanctum in oculis omnium gentium.* & iterùm: *Leua in circuitu oculos tuos, & vide. Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.* Hoc tibi auxilium missum de sancto. In aquis multis operationes exercuerunt in nauigatione ad Indos: nam deduxit eos quoque Dominus in portum voluntatis eorum: amplissima enim Peruana Regna hæc sacrosancta Religio penetrauit cum Franciscanis, Dominicanis, Patribus Societatis, dextras iungens Societatis ad laborandum in vineâ Domini anno 1550. Messis multa ex messoribus istis colligitur: tot enim sunt operarij, vt sex Prouinciæ huius Religionis sacræ in Americâ sint erectæ. Seruorum verò Religio hoc etiam sæculo palmites suos extendit, cælestis doctrinæ vberes fructus edẽdo, verè terra bona & optima, quæ in fecundissima eius sinu tot perfectos Patres continet; qui iugi deuotione immolantes non irrationalium pecudum carnes, sed verè hostias pacificas, redolentes fragrantiâ fraternæ dilectionis, humilitatis, subiectionis, volũtariæ paupertatis: viriliter decertantes tum aduersus carnem & sanguinem, tum etiam, aduersus rectores tenebrarum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Honorant innumeri certatim Dei templum sedulis & sinceris obsequiis, vitæ contemplatiuæ otium sectantes, & proximorum non immemores, prædicationibus, confessionibus incumbunt, quorum opera etiam fertilis gleba, trigesimum, sexagesimum & centesimum fructum meritorum producit. Vnde magnâ multitudine dulcedinis fructuum huius vineæ iucundissimæ satiati fideles, & opulentissimè saginati, memoriam abundantiæ suauitatis vbique eructant, de virorum istorum iustitiâ exultantes illud occinentes: *Et in seruis suis deprecabitur.*

De Ordine Seruorum B. V. Mariæ.

Laus eximia Ordinis Redemptionis captiuorum.

Ex Marulo in Oceano Religionum, pag. 336.

Ierem. 31. & Isai. 52. & 60

Ex S. Bernardo ad milites templi, cap. 3.

Fernandez lib. 1. Hist. Eccl. c. 55.

Etiam hoc tempore eadem floret Religio.

Psal. 134.

55. *De sacro Minimorum Patrum Ordine.*

In florentissimâ verò vineâ PP. Minimorum illustris illa vitis supereminet S. Franciscus de Paulâ, in sextodecimo sæculo præsentis status Ecclesiæ à Deo cælesti agricolâ plantata, vt nedũ fructus ederet ad vitæ nostræ informationẽ, sed & folia quoque eius essent ad sanitatem gẽtium. Tepefacta enim temperie Christianarum exercitationum, tam felix planta virtutum prorupit in gemmas, & ex ipsis sarmentorum articulis tot bonorum operum fructus emisit, vt quãdo nullum miraculum perpetrasset, sola vita eius esset vita miraculorum. In carne enim gradiens spiritu incedebat, communemque cum aliis in terrâ vitam degens, sanctorum Angelorum regionem obtinuisse videbatur, cùm eos in abstinentiâ & virginitate tantoperè æmularetur. Nunc verò cùm nedum fructus san itatis degustemus, sed & pampinos sertaque pendentia, velut quædam speciosæ vineæ monilia, gratias nempe gratis datas, & inter eas miraculorum patrandorum charismata videamus; non solùm carpimus vuas au-

Qualis S. Franciscus de Paulâ, quales eius filij.

reo vel purpureo colore nitentes; sed & capita nostra ad defensionem ab æstu & pluuiâ huius vitæ calamitatum, frondibus gratiæ spiritualis obumbramus. Hic vtrumque vitis ista felix germinauit, vnum quo vesceremur, aliud quo velut refrigerante defenderemur, vt illud decantaremus: *Sub vmbrâ illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Quid verò enumerem varietatem palmitum, sanctorum virorum videlicet, qui ex illâ vite prodiere? quàm diuersus in singulis, & pulcher ornatus, quàm difformis, sed suauis liquor in omnibus! Albi coloris vino torcularia hic redundant, vbi Confessorum merita tamquam succus exprimuntur: sanguinis mero cella sponsi vinaria ex huius vineæ botris repletur, qui pro bono fidei eiusdemque confessionis splendore pedibus proculcari & premi passi sunt. Quàm benè Minimus eructare potest quod & sponsa in Canticis: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem*, vel, vt alij vertunt, *Vexillum eius in me amor*; non solùm quia sub illius vexillo inclyto, in quo pro stemmate cum meo Fundatore charitas inscripta cernitur, sed quia ob eamdem charitatem occiduntur, *Quoniam propter te mortificamur totâ die: æstimati sumus sicut oues occisionis.* Martyres ergo martyrij prærogatiuâ eminentes primò recenseamus. Occurrunt hinc duo Martyres illustres, Fr. Abundantius, & Fr. Bernardus Buel, huius sancti Instituti in Hispaniâ Fundatores, à Mauris infidelibus occisi: quorum corpora anno circiter 1613. post centum & septem annos à martyrio, in campo integra cum propriis indumentis signisque martyrij, ab agricolâ diuinâ reuelatione admonito, & Episcopo Guadix assistente, solemni Processione reperta sunt, & in Parochiali Ecclesiâ solemniter tumulata, vbi signis quoque coruscant. Eadem laureâ redimiti procedunt Fr. Andreas de Morâ, & Didacus de Verdegio, Hispani, à Mauris in odium fidei in regno Granatensi interempti. In eodem Regno Granatensi septem alios pro fide occisos narrat Iayme in Chronico in Vitâ S. Simonis Garciâ. Similiter emicat Fr. Petrus Cuiellart Hispanus, qui ob confessionem fidei enecatus, victor triumphauit, triumphalem agonem, Christi Domini scilicet passionem imitatus; & Fr. Ioannes Vegel lapidibus obrutus coronam meruit immarcessibilem de lapide pretioso, Protomartyris vestigia sectatus. Sed & illustre martyrium consummarunt Fr. Archangelus de Longobardo cum sociis, quorum passio gloriosa in Generali Capitulo Gratianopolitano, anno 1529. recensetur. Fr. Eustachius Dabril Gallus, martyrij quoque palmâ laureatus incedit. Eo verò tempore quo quinti Euangelij præcones Germaniam dementarunt, & illud non auctoritate vel legitimâ missione, sed vi, armis, seditionibus, cædes, incendia, vastitates meditando, stabilire putarunt, omnem operam, industriam in eo collocantes, vt cum armatis ministris pompaticè incedentes, nedum bona, fortunas, personas Catholicorum inuaderent, sed & in ipsa sacra Cœnobiorum claustra & templa debaccharentur, eaque funditus demolirentur, insignia illa tria Cœnobia in Austriâ (fundata per eos insignes Patres, quos ad petitionem Maximiliani, tunc Romanorum Regis, posteà Imperatoris eo nomine Primi, sanctus Pater Franciscus destinarat) incensa sunt, Fratribus partim in fugam versis, partim immaniter vexatis, inter quos Pater Prouincialis Fr. Dionysius Baruita, & alij in Gallias secedētes, tam efferatæ crudelitatis testes extiterunt. Quot verò in eâ Prouinciâ, Bellona furente, pro Christo occidi meruerunt, certo numero definiri non adhuc potuit. Supra numerū centenarium à Lutheranis hæreticis pro defensione fidei Catholicæ vltimo supplicio interemptos, fida dignorum Patrum relatio testata est, vt in Chronico Minimorum habetur. In Galliâ verò, infernali Alecto Hugonistarum parente furorem Martium renouante, Fr. Nicolaus Fichetus Gallus, pro confessione fidei Catholicæ martyrium ab hæreticis passus est in partibus Tolosanis. Et nouâ Iezabele sanguinem Sanctorum sitiente, Elisabethâ Angliæ intrusâ Reginâ, Frater alter Anglus Londini mori potiùs passus esse refertur sæuissimam mortem sustinens, quàm paternam prodere hereditatem: P. Fr. Ioseph Torres, eo quòd Missæ sacrificium constanter confessus est, à Luthericolis occisus, migrauit ad Christum. Hos inuictos Martyres Confessorum turba subsequitur, splendore fidei coruscans, charitate flagrans, iustitiæ pulchritudine, vbertate misericordiæ insignis, redundantiam vitis fructiferæ copiosè demonstrans. Occurrit in primis Deo deuotus P. Fr. Franciscus Binet, olim Monasterij Mamertini, Ordinis S. Benedicti Prior, qui posteà diuino instinctu Minimorum habitum è manibus S. Francisci suscipiens, eius socius, & Confessarius, eidemque in Generalatu ter succedens, paupertatis, abstinentiæ, obedientiæ cultor eximius extitit. Hic pro canonizatione S. Francisci diligentissimè laborauit, eumdemque maximâ sui animi lætitiâ inter Sanctos relatum vidit, demum plenus bonis operibus, in Monasterio sanctissimæ Trinitatis Romæ feliciter in Domino obdormiuit anno 1524. Fr. Paulus de Reandace à Paterno in Prouinciâ Calabriæ, Sancti Francisci socius, tanti parentis virtutum imitator & heres, miraculorum gloriâ conspicuus, in eodem Confessorum cuneo mirificè splendet, & florentia merita virtutum, & fructuum vbertas, meritorum scilicet copiam, fecunditatem vitis humilis, sed ad cælos palmites extendentis, abundè demonstrat. Tanta fuit huius viri sanctitatis & miraculorum multitudo, vt de iis informationes iuridicæ pro sacrâ Apotheosi formarentur. at dum quoque eo tempore processus de vitâ & miraculis sancti Francisci formarentur, ne dilationem pateretur tanti Fundatoris Canonizatio, néve exturbaretur, & in aliud tēpus differretur, diuinâ permissione processus Fratris Pauli perditus est. Illud certè memorandum, quòd cùm Pater Binet Generalis post indicta ieiunia & sacras preces, religiosâ Processione præeuntibus Fratribus, accensisque luminibus, sepulcrum Fratris Pauli adiisset, illudque aperiri iussisset, corpus integrum, brachiis in modum crucis complicatis repertum est. vnde deuotione accensus, brachium vnum Generalis è corpore præcidere tentauit, vt tamquam pretiosas Reliquias asportaret; sed quod erat emortuum corpus resedit, & his verbis Generalem allocutus est: *Pater Generalis quid agis? Dimitte me.*

Cant. 3.

Cant. 2.

Ex Chron. Petri Iayme in Vitâ D. Fr. Ambrosij de Iesu, pag. 193.

Ex iconibus illust. virorū impress. Romæ 1619.

Fol. 358. §. 367.

Martyres Minimi plures & insignes.

Idque per omnes orbis partes.

In Chron. Gener. Minim. c. 6. §. 6. cap. 15. §. 5.

Petrus Iayme in Vitâ P. F. Simonis Garsiæ c. 6. §. 41.

Egregij etiā inter Minimos Confessores.

Varij Sancti Francisci de Paulâ discipuli.

me. Quâ voce territus, voluntatem Dei intellexit, ne Reliquiæ Sancti illius aliò asportarentur. Fr. Bernardinus de Cropalatâ, sancto Francisco à Confessionibus, vsque ad obitum propter innocentiam & vitæ simplicitatê ab eodem valdè dilectus, gratam speciem exhibet, vinumq; virtutum optimum præbet, vt præclaro calice inebrientur charissimi serui è vino quod germinat virgines. Iungitur his pariter Fr. Nicolaus de S. Lucido, S. Francisci, super pallium fretum Siciliæ transeuntis comes, qui præclarum istud miraculum testatus est, & videre meruit, quòd si *mirabiles elationes maris, mirabilis sit in altis Dominus*; de quo pariter scriptum est, *In mari viæ tuæ, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur.* Nectitur his quoque Fr. Antonius Bonus de Flumine Frigido, virtutum decore insignis, è primis sociis sancti Francisci, cum Fratre Archangelo de Longobardo, socio similiter eiusdem Sancti, qui zelo pœnitentiæ & puritate insignis, obtulit se Deo hostiam illibatam.

Item alij frequentes.

56. Radiat hîc Franciscus Marianus Cosentinus, cui oranti Spiritus sanctus in columbæ specie sæpiùs apparuit. Ibi Vitus de Mōte-Forti Panormitanus, virginitatis dono & spiritu prophetico conspicuus, fulgorem emittit. Hic Frater Ioannes de Milasso, Fr. Sanctes Clericus, Panormitanus, virginitate & austeritate, & aliis virtutibus supra stellarum lucem rutilantes, merita sua producunt, quæ sunt dona illius, qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Et omnes hi tamquam botri feracis vitis dulcem nobis exprimunt liquorem. Ad similitudinem vitis alij pullulant felices palmites, eodem vitali irrigati charismatum succo: nam & Fr. Antonius de Croculo Italus, vitæ Quadragesimalis etiam in infirmitate custos eximius, contemplatione ardens, inuenit quem diligebat anima eius: & Fr. alter Antonius Delozrates Hispanus, adeò pœnitentiæ & carnis mortificationi intendit, vt nedum miraculis, sed & diuinis visionibus meruerit illustrari. Et Fr. Hieronymus de Maluiso, eadem vitæ austeritate & abstinentiâ præcipuus, eâ donatus est gratiâ, vt sicut viuens corpus humilians, mortalitatis miserias spirans perdidit, emortuum incorruptibilitate vestitum, fragrantiam redolens adipisceretur. Similiter eumdem vitæ rigorem sectantes, Fr. Franciscus Genouensis Laicus, beatissimæ Virginis cultor eximius, & Pater Fr. Iacobus Ruet Gallus; sicut hic innocentiâ vitę fuit conspicuus, ita ille austeritatis pœnitentiæ virtute insignis, meruit pariter, vt in extremo eius vitæ die 24. horarum spatio lampas ardens sine oleo reluceret. Hi ergo omnes fecundi palmites, viriditatem sanctæ conuersationis seruantes, fructum dederunt tempore suo, vt nec folium effluxerit, quando etiam & vmbra ad sedendum per contemplationem tam illustris vitis blandè & suauiter inuitet. Sed & Pater Fr. Ambrosius de Iesu, virtutum sui parentis viuum exemplar extitit. Hic fuit Confessarius B. Ludouici Betrandi, quem à pueritiâ sanctis moribus informauit; cui prophetico spiritu prędixit Religiosum fore in familiâ sancti Dominici, non de familiâ Minimorum (ad hanc enim adscribi summopere exoptabat) & hâc esse Dei voluntatem. Prædicationis dono mirificè claruit, vnde ex profundo iniquitatum insignes peccatores ad vitales auras adduxit. Tanto verò feruore in prædicationibus ardebat, vt publicè pro suis & populi peccatis in suggestu se flagellaret. Erat magna velut mare contritio eius, vt fletum cohibere non posset, vnde & dicere solebat, insigne fore Dei beneficium, si eo contritionis spiritu donaretur in morte, quo afficiebatur, dum prædicationi incumberet in vitâ. Interdum ita diuinæ bonitatis considerationis dulcedine rapiebatur, vt in ecstasi positus, nec eorum puncturas, qui abstractionem illam experiri acubus volebant, vllo modo sentiret. Diuino instinctu admonitus suam mortem in suggestu fore, prout ipse obnixis precibus impetrarat, prædixit. Die ergo sanctissimæ Trinitatis, cùm prædicationem feruentissimam haberet, in templo Monialium Minimarum, vocem ad recedendum à vitâ inuitantem, audiuit. Quid ille? *Expecta parumper Domine, veniam.* Interim populum ad virtutes & pœnitentiam in primis hortabatur, sed iterùm voce ad eum delapsâ, ad Crucifixum conuersus magnâ cordis contritione, hæc Dei auribus, populo eum audiente, insonabat: *Trahe me post te, nulla parendi mora est: quandocumque, è quocumque vis, ducito, sequar, trahe me, vt amem te: currat vita mea in tui amoris amplexus. Age, Domine, & fac, excita me, & prouoca, accende, & corripe, flagra, dulcesce, diligam, iam expeditior curram, iam dico, ecce venio, in misericordes tuas manus commendo spiritum meum.* His dictis, spiritum ad cælestia suauiter emisit Ambrosius, corpore erecto, minimè corruēte. Hoc modo raptus Ambrosius, supra astra locatur, qui dū viueret in carne mortali, ignitus Dei charitate, dum violenter detineretur in corpore, ad propriam sphæram anhelabat. Venerabilem hunc virum, eximium Prædicatorem appellat Reuerendiss. D. Fr. Ioannes Lopez, Episcopus Monopolitanus. Humilitatem quoque sui proparentis imitatus est Pater Fr. Gaspar Bonus, verè Israelita, in quo dolus non erat, cuius virtutes, quando aliquis enarrare voluisset, illud ex ore eius respōsum reportabat: *Ego sum nomine Bonus, verbo autem & opere, & cognitione malus, & dignus pœnis inferni.* tot autem fuit charismatibus & virtutum donis repletus, vt quoque ecstases, spiritum prophetiæ, & miraculorum gloriam, & claritatem externam super ipsum interdum Altissimus, qui humiles respicit, impertiri dignatus sit. Quem ne reuelationum magnitudo extolleret, variæ infirmitates & dæmonis tentationes vexabant, patientiæ robustæ exercendæ materiam tribuentes, quam virtutem specialiter in Præfecturis (fuit enim Prouincialis Valentinæ Prouinciæ, & multorum Corrector Conuentuum) mirificè ostendit. Tandem sancto fine quieuit 24. Iulij 1604. cuius cadauer suauem odorem spirauit, & tres dies ad satisfaciendum populorum deuotioni insepultum iacuit: miraculis Deo sanctitatem huius viri eximij contestante, quæ Ioannes Archiepiscopus Valentinus de Riberâ authenticâ informatione suscipi iussit, eius præsentiâ funus cohonestando. Clari in sanctitate quoque extiterunt Pater Fr. Petrus de Assumptione Maioricensis, feruentis prædicationis & lacrymarum gratiâ donatus, quas ex innumeræ multitudinis concursu, quæ ad eum concionantem concurrere solebat, oculis

Mirabilia illorum acta.

Francisc. Diag. in Hist. Prouinc. Arag. cap. 75.

Excellen. P. Hieronymus à Iesu.

4. p. lib. 3. c. 8 Hist. Dom.

Petrus Iayme in Vitâ Fratris Gasparis Boni.

Item Gaspar Bonus.

Alij prætereà multi Sācti.

Idem in Vitâ Fr. Gasparis Boni, c. 4.

oculis eliciebat; miræ etiam abstinentiæ & contemplationis vir. Et Fr. Simon de Palatio, Prouinciæ quoque Maioricensis, qui præter virtutum opera illustria, claruit curationum gratiâ. Quis omnes numeret? Insignem illum P. F. Antonium de los Reyes, & Bernardum Cabanes non recensere, piaculum est. Quorum primus genere illustris, sed moribus & prædicatione illustrior, tamquam alter Antonius, inimico generis humani bellum perpetuum indixerat; vnde & visibiliter cædi & flagellari diuinitus ab eo permissū est, vt spiritus eius inuictus probaretur. Alter religiosissimæ conuersationis: qui & morti proximus, inuictum ab oratione spiritum non relaxans, postquam cælestibus Sacramentis munitus esset, flexis genibus, ad modū orantis, cum sancto Rosario in manibus repertus est animam Creatori reddidisse. Silentio non est prætermittendus Pater Fr. Didacus Barbutus Granatensis, vir insignis sanctitatis, ex cuius sepulchro, flores liliorum inscripta nomina Iesus & Mariæ per triduū expresserunt. Fr. Hieronymus de Maluito Italus, vitæ austeritate & abstinentiæ præcipuus, cuius corpus odorem aromaticum redolere visum est. Sanctitate insigni enituit P. Fr. Ioannes de Sanctâ Mariâ, vir quem Dominus miraculis eximiis illustrare dignatus est, cuius corpus à terrâ eleuatum, caput lumine circumlustrante, in oratione deprehensum est, eiusdemque funus populorum multitudine cohonestatum est, quod in frusta ex deuotione conscissum esset, ni Fratrum Minimorum modestia obstitisset. Eum tamquam pluuiæ aduocatum Ciuitas Xerez Fronteræ sæpè experta est in suis necessitatibus. Vnde ad petitioné Capituli Canonicorum, Cardinalis & Archiepiscopus Hispalensis Ninnus de Gueuarâ processum de vitâ, morte & miraculis institui annuit. Prodit etiam in apertum Pater Fr. Simon Garciâ, qui ab infantiâ, inter ceteras virtutes, erga B. Virginem deuotionem cum lacte ebibit, vt ne dies vlla præterierit eius vitæ, quin eam rosarij psalterio piis affectibus deprecatus sit. Easdem virtutes mirificè excoluit religionem ingressus, patientiâ inuictam, animi constantiam mirificam, abstinentiam incomparabilem iisdem adiungens. In humilitate magnus, in paupertate diues, in obedientiâ loqués victorias, in puritate Angelus. Spiritu prophetico suam mortem prædixit, virginitatis lauream cælo inferens, & Baptismalem innocentiam 1605. Sed & qui minima eligit, vt fortia quæque confundat, elegit F. Andream de Castro Maris Laicum tantę simplicitatis & sanctitatis, vt non mirum si placita esset anima eius Altissimo, de quo scriptum est: *Et cum simplicibus sermocinatio eius.* quem Dominus miris signis illustrare dignatus est. Huic morti appropinquanti cella resplendere visa est, ipsumque tales voces emittere fideliter testatum est: *Ecce iam ad te venio.* quibus verbis iam pridem Sacramentis omnibus deuotè susceptis, euolauit in cælum: cuius funus populorum multitudine confluente ad Reliquias præscindendas cohonestatum est. Cadauer præterquam quod suauiter olere obseruatum sit, etiam nunc integrum perseuerat. Obiit anno 1606. Dies me deficeret, si enarrarem virtutes & sanctitatem Gasparis de Fosso, Archiep. Rhegiens. P. Fratris Bartholomæi de Paterno, P. Fratris Matthæi de Solico, P. F. Bartholomæi de Martinez, P. F. Antonij, & F. Ioannis de Neapoli oblati, P. F. Bernardi Bonelli, Episcopi Gerundensis, Fr. Ioan. à Neapoli Clerici, P. F. Alphonsi de Villâ-Maiori, & aliorum illustrium, quæ in nouissimo Chronico exactè recensentur. Ad Virgines pergo. In Sanctarum Virginum agmine primatum tenent, Soror Hieronyma Paterno, neptis S. Francisci de Paulâ, & deuota Virgo Cæcilia Panormitana eam subsequẽdo, quæ à S. Francisco de Paulâ ad Ordinem diuinâ visione vocata, ab eodẽ Sancto à plagâ insanabili est curata; necnon virgo Soror Maria Montenigro, & Soror Maria de Arce virgo, & Soror Agnes de Cassatâ virgo, & Soror Maria Mellana virgo, & Soror Claudia Panormitana virgo. Has sequitur Soror Gratia Valentina in vitâ & in morte miraculis clara, quæ cum aliis virginibus eiusdem Instituti sequuntur Agnum quocumque ierit. Sic Martyres, Confessores & virgines peperit Altissimo hæc sancta Religio, vt nequaquam minima sit, etsi minimam se humiliter fateatur. Pastores atque Doctores fecundos palmites quoque produxit. Inter ceteros D. Fr. Didacum de Ystellâ, & D. Patrem Fr. Bernardinum Episcopum Gerund. F. Gasparem Fossum Archiepiscopum Rhegiensem, & alios. Doctores verò innumeros, quis edisseret? pauci è multis recensentur, qui typis suas lucubrationes mandarunt, vt Pater Fr. Martinus Codónat, Pater Fr. Alphonsus de Vegâ, Pater Fr. Ioannes Thyernen, Pater Fr. Petrus Amoraga, Pater Fr. Petrus Ruyz, Pater Fr. Gaspar Passarellus, Pater Franciscus Tamanis, Pater Generalis Mena, innumeros reticeo. Felix ergo vitis Franciscanæ Religionis Minimorum, cuius succus tot fructus produxit & botros, cuius etiam pampinis Ecclesia non exiguo munitur subsidio, & à Solis ardore persecutionum defenditur. An non grandis fuit defensio cùm Ferdinando Hispaniarum Regi, per Patrem Fr. Abundantium, Patrem Fr. Bernardum Buil, Fratres Minimos, victoria repromissa est, si aduersus Mauros arma assumeret? quod & factum est. Cùm enim Malacham Granatæ obsiderent, absque spe recuperationis, audito nihilominùs per dictos Religiosos nuntio adeò roboratus est, vt ipsâ nocte fugientibus Mauris, libertas Vrbi & Regno redderetur. In cuius rei memoriam celebre Monasterium ab ipso Rege Ordini extructum, quod deinceps *de Victoriâ* nominari voluit, & Fratres vsque in hanc diem *de Victoriâ* nuncupantur. & merito: nam populus quoque, quibus vitis agglutinatur, coronis arbor est vmbrosa victricibus, quibus & victorum capita coronantur. Felix vinea, quæ adhuc seruat viriditatem iuuentutis suæ, viroremque à primordio receptum conseruans, ita fructum habens in tempore suo præparatum, vt folium eius non defluat, & omnia quæcumque facit, prosperentur. Quæ omnia ex illustri illo D. Dominici Ordinis Scriptore Theologo ad Verbum descripsimus, propterea quòd nihil iis adiungendum crederemus. Possemus & ex eodem hoc illa consequenter annectere, quæ habet de Clericis Regularibus, Theatinis appellatis, de Patribus Societatis Iesu, nostris Carmelitis Discalceatis, imò & non minora de Patribus Oratorij possemus adiungere: sed quoniam alias de singulis fusiùs offeretur occasio, modò Capiti præsenti,

Idem in Vitâ F. Ambr. de Iesu, c. 2. & 5. & in Vitâ F. Ioãnis de S. Maria, cap. 1.

Ex iconibus Beat. Ord. S. Francisci de Paulâ.

Idem in eius Vitâ.

Ven. P. Simon Garcia.

Prouer. 3.

Innumerabiles sunt & numerari omnes non possunt.

Virgines sacræ.

Ex Siluestro Marolo Oceani Relig. lib. 5. cap. 5. pag. 365.

Episcopi & Scriptores.

Defensores Ecclesiæ.

senti, cum infinitis Christi meritis, etiamsi illius, vt patet, materia ac substantia infinita est, finem imponimus. Hæc ita, vt dixi, enarrare propterea volui, vt quilibet secum ipse colligere atque expendere possit, quantus sit ille, cuius distributio ad Summum Pontificem pertinet, Ecclesiæ thesaurus: cui si iam satisfactiones Christi Saluatoris accesserint, infinities infinitus euadit, & quem nulla, quantumuis frequentissima atque largissima ne dicam liberalissima erogatio minuere, nedum exhaurire queat.

57. *Infinita Christi merita.* Act. 20.

Hæc quæ hactenus diximus à nemine iure in dubium vocari possunt: Christi enim passio infiniti omnino fuit pretij, cùm persona patiens esset infinita, Verbum scilicet incarnatum. sic enim loquitur Apostolus: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Itaque Deus est qui Sanguinem fudit pro Ecclesiâ; qui tamen illum fudit in carne humanâ hypostaticè assumptâ, vt ait B. Apostolus: 1. Petri 4. *Christo igitur passo in carne.* Dignitas autem satisfactionis à personæ satisfacientis dignitate mensuram accipit, quemadmodum grauitas offensionis à dignitate personæ læsæ & vilitate personæ lædẽtis. Lib. 1. de Indulgent. c. 2. Ita ferè Bellarminus. Et his conformia sunt illa quæ in sacrâ Scripturâ & in SS. Patribus reperiuntur. S. Paulus ita ait: Heb. 13. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnũ ouium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum.* Hebr. 11. Et; *Illius ex Scripturis probatio.* *Christus assistens Pontifex futurorũ bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis: neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta, æternâ redemptione inuentâ.* Hebr. 7. Item: *Lex homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.* Meritò igitur Christus ipse *Ex Patribus.* eiusq; redemptio & testamentum æterna habenda sunt & infiniti valoris. Ad quod respiciens S. Epist. ad Caium. Dionysius Areopagita, docet, Christi actiones Super illa Psalmi 48. *Frater non redimet, &c.* esse diuinas, deificas, &c. Et S. Basilius: *Hoc est pretium Sanguinis Christi omnem superans valorem.* S. item Ambrosius: In Psalm. 35. *Bonum aurum, Sanguis Christi, diues ad pretium, profusus ad lauandum omne peccatum.* 1. Ioan. 2. Quibus consonat illud S. Ioannis: *Si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Vnde Doctor Angelicus in Rhythmo suo sic Saluatorem alloquitur:

Pie Pellicane, Iesu Domine,
Me immundum munda tuo Sanguine,
Cuius vna gutta saluum facere
Totum mundum quit omni scelere.

Ex ratione. Rationibus porrò id euidenter probare possemus. Si enim Sanguis Christi non fuisset infiniti valoris, quomodo pro culpâ infinitæ atque æternæ malitiæ, diuinæ iustitiæ fuisset persolutum? Sanè non opus erat Deum incarnari ac mortem subire, si persona finitæ satisfactionis ad hoc sufficeisset. Sed licet demus, quod tamen admittendum omnino non est, Christi actiones non fuisse valoris infiniti, infinitus tamen adhuc manet Ecclesiæ thesaurus ex parte meritorum Christi. Tantus enim est, vt numquam exhauriendus sit. Si enim pro peccatis totius mundi, vti dictum est, satisfecit, & multi incapaces sese reddant illius gratiæ (quia, vt dicitur, *multi sunt vocati, pauci verò electi*; &, *lata est porta, & spatiosa est via quæ ducit ad perditionem, & multi ingrediuntur per eam*) Math. 20. & 7. superest, multum semper ex illo thesauro esse residuum, quod aliis applicari queat, præsertim cùm vniuersa Christi satisfactio aliis applicabilis sit, eò quòd ipse pro se nullâ indiguerit, vt qui nec peccatum fecerit aut facere potuerit. nam vt Apostolus ait, *non habuit necesse prius pro suis delictis sacrificium offerre, deinde pro populi*, Heb. 7. cùm fuerit semper *sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus*, & vt idem alibi ait, factus est peccatum (id est hostia pro peccatis) is qui peccatum non nouerat. 2. Cor. 5. ipse enim *peccatum non fecit nec inuentus est dolus in ore eius.* 1. Petr. 2. Nil vltrà addimus, quamuis possemus; quia sat iam probatum est, in Ecclesiâ ingentem thesaurum meritorum & satisfactionum repositum esse, è quo iis qui indigent distribui possit: ad vlteriorem Indulgentiarum naturam explicandam transimus.

CAPVT XXVIII.

Thesauri huius Ecclesiastici diuitiæ, ratione Catholicæ vnionis, fideliũ indigentium supplent inopiam.

VT pleniùs Indulgentiarum naturam agnosceremus, necessariò ea quæ binis præcedentibus Capitibus diximus, fuerunt præmittenda. vnde iam aliud facilè elicere poterimus, nimirum, per Sanctorum communionem, quæ in Ecclesiâ Catholicâ ab omnibus omnino credenda est, superabundantes illorumdem satisfactiones iis fidelibus prodesse, eorumq; inopiam supplere, qui maiorem, quàm pœnitentiam fecerint, pœnam promerentur. Id vt breuiter & dilucidè probemus, ostendenda primùm erit Sanctorum in Catholicâ Ecclesiâ mutua communio: inde enim sufficienter constabit, indigentium Ecclesiæ membrorum defectum, superfluis aliorum pœnitentiis largissimè posse reparari. Sed quod de Sanctorum communione alicui posset occurrere dubium, cùm tam clara eius inter duodecim Symboli Apostolici articulos habeatur assertio? Nono enim articulo, suo ordine D. Matthæus Apostolus & Euangelista hanc veritatem, quæ sub dispendio æternę salutis ab omnibus Christi fidelibus credẽda esset, posuit: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.* Breuis quidem verborum contextio, sed sensu & intellectu admodum prolixa: quippe nil est aliud quàm dicere, se firmiter credere, & Christianis omnibus indubitanter credendum proponere, Ecclesiam Christi sanctam esse atque vniuersalem, in eaque existere Sanctorum, atque bonorum ipsorum operum ad inuicem communionem. vnde hoc in Capite vlteriùs non esset progrediendum, nisi propositum nobis esset, non tantùm ad rei probationem, sed etiam ad explicationem calamum dirigere. 1. *Sanctorum communio in Symbolo Apostolico est expressa.*

Non extra semitam abiero, si rursus inculcauero, & proposito meo applicuero id quod habet D. Paulus, vbi, vt membrorum Ecclesiæ inter se vnionem atque communionem declararet, 2. *Eadem ex dicto D. Pauli adstruitur.*

ret, similitudinem attulit corporis humani, in quo licet multa inueniantur membra, ita tamen illa à Deo & naturâ disposita sunt, vt sese mutuò adiuuare debeant. *Sicut corpus*, ait, *vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt: ita & Christus. Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi: & omnes in vno Spiritu potati sumus. Nam & corpus non est vnum membrum, sed multa.* Et infra: *Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt: & quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. Honesta autem nostra nullius egent: sed Deus temperauit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, vt non sit schisma in corpore, sed idipsum pro inuicem sollicita sint membra. Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Ita S. Paulus; quæ, prout Cap. I. huius Libri nobis subseruierunt vt declararemus, viuos posse iuuare defunctos, ita multò nunc ampliùs ad nostrum intentum faciunt, vt demonstremus, viuorũ satisfactiones idem mortuis præstare. Nam qui tenerentur, si nequirent? idcircò enim tenentur, quia possunt. Ceterùm alioquin ex iisdem Apostoli verbis satis patet quod asserimus, abundantiam nimirum Sanctorum quoad satisfactiones, inopiam eorum fidelium, qui sufficientes non habent, supplere, id quod, præter illa verba Apostoli, etiam argumentis è ratione desumptis probari potest. In primis igitur euidens omnino est, in eo D. Paulũ corporis humani & Ecclesiæ comparationem ponere, quòd sicut in corpore nostro, etsi multa sint membra, vnum tamen est corpus, ita & in Ecclesiâ Dei, tametsi diuersi sint fideles, veluti totidem membra distincti, vnicum tamen efficiant corpus Ecclesiæ, id est quoad bonum atque vtilitatem totius procurandam omnes concurrant atque conspirent, vnumque membrũ aliud, ex naturali eiusdem corporis mystici sympathiâ, adiuuare soleat. Præthereà quemadmodum ait Apostolus, in eodem humano corpore Deus & natura membris quibusdam ampliorem conferri voluerunt honorem, maiusque robur, vt eadem aliis magis indigentibus membris succurrere possint: similiter fieri in Dei Ecclesiâ, in quâ Sancti quidam, tamquam honestiora & robustiora membra corporis Ecclesiastici, abundantiores sunt in honore meritorum ac satisfactionum, quò nimirum egestatem illorum fidelium suppleant, quibus ad peccatorum suorum pœnas exoluendas requisitæ desunt pœnitentiæ. Hinc tertiò addit Apostolus, eam esse inter illos sicut in corpore humano sollicitudinem, vt alter alterius curam gerat, ne quid alicui desit: ita namque spiritualia hæc membra ad inuicem connexa & quasi conglutinata esse affirmat, vt vel ex membri vnius gaudio vel dolore, cetera eodem affectu vrgeantur.

1. Cor. 12.

Similitudine à corpore humano desumptâ Apostolus eam proponit.

3. De hac corporis huius mystici vnione multis disserunt SS. Patres. Inprimis verò D. Augustinus, cuius hic est discursus: *Ecclesia est corpus Christi: in hoc corpore membrum es. Cùm ergo membrum sis eius corporis quod loquitur omnibus linguis, crede te loqui omnibus linguis. Vnitas enim membrorum charitate concordat; & ipsa vnitas loquitur, quomodo tunc vnus homo loquebatur. Datus est spiritus, sicut Apostolus dicit, ad manifestationem: quia alij datur per Spiritum sermo sapientiæ, &c. Sed tu forsitan eorum omnium, quæ dixi, nihil habes. Si amas, non nihil habes: si enim amas vnitatem, etiam tibi habet, quisquis in eâ habet aliquid. Tolle inuidiam, & tuum est quod habeo. Tollam inuidiam, & meum est quod habes. Liuor separat, charitas iungit. Oculus solus videt in corpore, sed numquid sibi soli oculus videt. Et manui videt, & pedi videt, & ceteris membris videt: non enim, si aliquis ictus in pedem veniat, auertit se oculus inde vt non præcaueat.* Sic Augustinus, quem vides conformia dicere D. Apostolo, nimirum membra corporis Christi, quod est Ecclesia, sibi mutuò opem adferre; vnumque cui quid gratiarum superest, alteri, cui fortassis deest, communicare. Vnde locis aliis seuerè vnumquemque admonuit, ne quis se ipsum hac fidelium communione & gratiarum participatione priuaret. En eius verba. *Vos itaque Donatistæ*, contra hos enim agit, *quid ad hæc dicitis? Si nostrâ sententia de Baptismo vera est, omnes qui aliter sapiebant Cypriani temporibus, non sunt ab Ecclesiæ vnitate separati, donec illud quod aliter saperent, Deus illis reuelaret. Vos ergo quare separatione sacrilegâ pacis vinculum dirupistis?* Deinde quantum scelus sit schisma facere, his verbis explicat: *Tempore illo quo Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cauenda monstrauit, & idolum fabricatum atque adoratum est, & Propheticus liber irâ Regis contemptoris incensus, & schisma tentatum. Idololatria gladio punita est, exustio libri bellicâ cæde, & peregrinâ captiuitate: schisma hiatu terræ, sepultis auctoribus viuis, & ceteris cælesti igne consumptis. Quis iam dubitauerit, hoc esse sceleratiùs commissum, quod est grauiùs vindicatum.* Alibi etiam affirmat, Dei iram super eos manere qui sunt extra vnitatem corporis Ecclesiæ. Eius verba sunt: *Quisquis ergo ab hac Catholicâ Ecclesiâ fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere quòd à Christi vnitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Ostendit denique, tum nos iustitiæ participes fieri, si membra permanserimus; ideoque illâ priuari, si ab eâ discesserimus. *Multi*, inquit, *vnum corpus sumus in Christo, ac per hoc nemo poterit esse iustus, quamdiu fuerit ab vnitate huius corporis separatus. Quemadmodum enim membrum, si præcidatur ab hominis viui corpore, non potest tenere spiritum vitæ, sic homo qui præciditur de Christi iusti corpore, nullo modo potest spiritum tenere iustitiæ, etiamsi figuram membri teneat quam sumpsit in corpore.* Et sub finem eiusdem Epistolæ: *Ecclesia Catholica sola est corpus Christi, cuius ille caput est, saluator corporis sui. Extra hoc corpus neminem viuificat Spiritus sanctus: quia, sicut ipse dicit Apostolus, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Non est autem particeps diuinæ charitatis, qui hostis est vniuersitatis. Non habent itaque Spiritum sanctum, qui sunt extra Ecclesiam. De illis quippe scriptũ est: Qui seipsos segregant, animales, spiritum non habentes. Sed nec ille eum percipit qui fictus est in Ecclesiâ, quoniã & deinde scriptũ est: Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet fictũ. Qui ergo vult habere Spiritũ sanctum, caueat foris ab Ecclesiâ remanere, caueat in eam simulatè intrare; aut si iã talis intrauit, caueat in eadẽ simulatione persistere, vt veraciter coalescat arbori vitæ.*

Patres Catholici eamdem asserunt.

Tract. 32. in Ioan.

Lib. 2. de Baptismo, c. 6.

Vnitatem Ecclesiæ qui scindunt, quàm malè faciant.

Iram Dei sibi adsciscunt.

Epistol. 152. ad Donatist.

Epist. 50. ad Bonifacium Comitem.

In eius vnitate qui manent, Christi iustitiam participant.

Sed

4. Sed superfluum esse poterat hanc Ecclesiæ vnitatem pluribus demonstrare velle; cùm & ipsi Ethnici euidenter hoc confessi sint, & varijs exemplis comprobauerint, in vtroquoque corpore, quamuis politico, membrorum mutuum esse debere adiutorium: quod inprimis videre est apud Liuium, qui refert, Memmium Agrippam, vt plebem Romanam à seditione, quam in Senatum excitauerat, reuocaret, hac vsum fuisse similitudine. Murmurasse aliquando corporis humani membra contra ipsum ventrem, quòd ei omnia subseruirent, & ipse semper iaceret otiosus; & propterea vnanimiter decreuisse, ei in posterum sua seruitia subtrahere. Guttur igitur cibum deglutire, dentes masticare, os recipere, manus præbere, oculique respicere eum detrectarant, rati se ignauum illum ventrem probè victuros, si vnde se sustentaret, communi adeò calculo subduxissent. Sed ecce, ventre famente iam & languente, simul & ipsi oculi cœperunt caligare, manus tremere, os pallescere, pedes nutare, lingua hærere, guttur exarescere: imò nisi pœnitentiâ ducti statim priora sua munia obiissent, & collatis operis ventri quod ei debebatur, subministrassent, iam de omnium salute conclamatum erat; quæ eos necessitas vel inuitos adegit vt mutuas operas eidem ventri contulerint. Hæc comparatio ad illum Reipublicæ statum accommodata, tantum apud Populum Romanum valuit, vt è Monte sacro, quò extra Vrbem seditionis ergò conscenderat, ad pristina redierit, nec vllum postmodum mutandi Magistratus consilium ceperit. Hæc ipsa commodissimè quoque mystico Ecclesiæ corpori applicari posse nullus dubitat, nec quispiam, modò sanæ & haud motæ mentis fuerit, addubitabit. Sed & Scripturæ pro hac re testimonia inspiciamus.

Ethnici ipsi vnitatem etiam dant politicam, Lib. 2. Decade 1. & aptis similibus commendant.

5. Apostolus & Doctor Gentium Paulus sic ait: *Non quasi imperans dico, sed per aliorum sollicitudinem, etiam vestræ charitatis ingenium bonum comprobans. Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopiâ vos diuites essetis. Et consilium in hoc do: hoc enim vobis vtile est, qui non solùm facere, sed & velle cœpistis ab anno priore: nunc verò & facto perficite: vt quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta est, secundùm id quod habet, accepta est, non secundùm id quod non habet. Non enim vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat: vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, vt fiat æqualitas, sicut scriptum est: Qui multum, non abundauit; & qui modicū, non minorauit.* Quæ S. Pauli Apostoli verba quamquam primariò intelligenda sint de eleemosynâ temporali, non tamen inconueniens est, imò conuenientissimum, si de misericordiâ spirituali pœnitentiâ indigentibus exhibendâ exponatur: nam & ipsa verba rem præsentem pulcherrimè explicant, & huiusmodi à varijs Auctoribus fuerunt exposita, vti inter ceteros videre licet apud Ven. P. Petrum Canisium super Articulo 9. Symboli Apostolorum. Hæc tamen ita monuisse, licet prolixiùs, non sufficit Apostolo, nisi & domesticum exemplum attulisset. sic enim alio in loco inquit; *Ego libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.*

2. Cor. 8. *Ex similitudine adunitatem corporis Ecclesiastici applicanda sunt.*

2. Cor. 12.

Item: *Omnia sustineo propter electos.* Et: *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo quæ desunt passionum Christi in carne meâ pro corpore eius quod est Ecclesia.* Ad quæ verba Card. Bellarminus, *Quamuis*, inquit, *possint hæc verba ita exponi, vt significent, Apostolum passum esse multa propter electos & propter Ecclesiam, quia non potuit Euangelium prædicare, nisi se multis periculis exponeret, & multos labores subiret: & rursum, passum esse propter electos, propter Ecclesiam, vt exemplo suo infirmos confirmaret, & ad brauium supernæ vocationis accenderet: tamen negari non potest, quin possint etiam rectè exponi de communicatione satisfactionum. Nam isti sensus inter se non pugnant, & possunt omnes simul admitti: optauit enim Apostolus fidelibus prodesse modis omnibus quibus id fieri poterat. nihil enim excipit, qui dicit, Libentissimè impendar ipse pro vobis. Potuit autem prodesse communicando passiones suas ad expiandum reatum temporalē, cùm sibi huiusmodi satisfactiones abundarent, vt iam ostendimus. Igitur optauit, & voluit etiam hac ratione fidelibus prodesse, quare patiendo adimplebat ea quæ deerant passionum Christi, id est quæ Christus in Sanctis suis adhuc passurus erat, pro corpore Ecclesiæ suæ instruendo prædicationibus, siue confirmando exemplis, siue expiando satisfactionibus. Quod autem Apostolus Paulus optauit, optarunt sine dubio ceteri Apostoli, alijq; Apostolici viri, qui Dei & proximi charitate flagrabant. Certè S. Augustinus satis apertè colligit ex hoc loco Apostoli, conferri in commune bonum Reipublicæ Christianæ passiones Sanctorum, quæ adiunctæ passionibus Christi hactenus sunt; & vsque ad mundi finem adiungentur.*

2. Tim. 2. Coloss. 1. Lib. 4 de Indulgentijs. Tract. in Psal. 61.

6. Sed quæ huc vsque dicta sunt, Catholicam concernunt Ecclesiam, in eaque Sanctorum adstruunt & exponunt communionem: quæ minùs admiranda sunt, magisque credibilia fiunt, si tempore quoque Moysaicæ Legis, imò & Legis naturæ, bonorum inter iustos spiritualium participatio fuisse cognoscatur. Nam quoad Legem Moysaicam clarè id docuit Regius Propheta, dum ait: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientiū mandata tua.* De Lege naturæ idem ex S. Augustino colligi videtur, qui idcircò asserit Ecclesiam Angelorum & hominum vnam esse, quòd ad vnum finem ordinata sit, ad vnum nempe colendum Deum. Verba Doctoris hæc sunt. *Ecclesia tota hic accipienda est non solùm ex parte, quâ peregrinatur in terris, à Solis ortu vsque ad occasum laudans nomen Domini, & post vetustatis captiuitatem cantans canticum nouum; verùm etiam ex illâ quæ in cælis semper, ex quo condita est, cohæsit Deo, nec vllum sui casus malum experta est. Hæc in sanctis Angelis beata persistit, & suæ parti peregrinanti, sicut oportet, opitulatur: quia vtraque vna erit consortio æternitatis, & nunc est vna vinculo charitatis, quæ tota instituta est ad colendum vnum Deum.* Ex quo patet, non tantùm, militantem semper Ecclesiam, ex quo scilicet à mundi principio inchoata est, à triumphante Angelorum societate fuisse adiutam, adeoque Sanctorum communionem expertam: sed illam istius participationis caussam esse, quòd ad eundē veluti scopum, Deum colendi, pars vtraque condita sit. vnde non Fides Catholica tantùm, sed & ipsa iustitia, siue Dei cultus aut religio, spiritualis communionis inter homines esse potest fundamentum. Quod tamen ipse Christus firmius solidiusque fidelibus suis substrauit: vtq; faciliùs id efficeret, ex communi-

Sanctorum communio à Lege naturæ & Moysaicâ asseritur.

Psal. 118. In Enchirid. c. 56.

munitatis alicuius ingentis asseclis, nos matris vnius Ecclesiæ Catholicæ filios esse voluit, quatenus isthinc infirmioribus à matre communi fieret prouisio, ac omnia quæ necessaria forent suppeditarentur. In quam rem insigniter pro more suo locutus est D. Cyprianus, sic inquiens: *Vna est mater fecunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur. Hæc nos Deo seruat: hæc filios regno, quos generauit, assignat.* Et: *Ecclesia Dei luce perfusa per orbem terrarum radios suos porrigit: vnum tamen lumen est quod vbique diffunditur, sicut arbor magna longè lateq; ramos extendit, vnâ tamen radice fulcitur, vno robore fidei sustentatur.* Et iterùm: *Sicut de fonte vno riui plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine: sic Ecclesia profluentes largiter riuos latius expandit, vna tamen mater, fecunditatis successibus copiosa.* Sed quia horum etiam alibi mentionem fecimus, non opus est eadem hic prolixiùs recoquere. Vnum saltem addo Irenæum, qui sic de matre Ecclesiâ loquitur: *Hæc est amplum & diuinum quoddam depositorium, in quod Apostoli omnia, quæ sunt veritatis, plenissimè contulerunt, vt omnis quicumque velit, ex eâ potum vitæ sumat.* Ecce quàm diues mater, quàm diuites filij.

Ab vnâ matre Ecclesiâ singuli eius filij nutriuntur.
De Vnitate Ecclesi.
Ibid.
Lib. 3. cap. 4.

7. Exigua tamen hæc sunt respectu eorum quæ ipsemet Saluator noster per Ecclesiæ communionẽ communicasse in Scripturis dicitur. Adeamus sacra illa Eloquia, & totum eum sese ad hoc contulisse, ne quid membris Ecclesiæ ad participandũ deesset, inueniemus. *Gratias Deo Patri*, inquit Apostolus, *qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarũ, & transtulit in regnũ Filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem per Sanguinẽ eius, remissionem peccatorum*, &c. Idemque Dominus noster *ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, &c. *ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundùm operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* An quid prætereà addere Deus potuisset? Nihil sanè, nisi fortè mentitus esset Spiritus sanctus (quod blasphemum & horrendum est cogitare, nedum dicere) qui sic per Apostolum locutus est: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Nam *de plenitudine eius omnes accepimus*; quia Deus *gratificauit nos in dilecto Filio suo: In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundùm diuitias gratiæ eius*; quippe *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.* Et *scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Quæ vtique sacrarum Scripturarum loca euidentissime asserunt & comprobant, omnia Christi dona fidelibus eius esse communia. Iam documentum insigne, in nostrũ bonũ, hinc decerpamus:

Christus totum se ad Ecclesiæ suæ membrorum communicationem impendit.
Coloss. 1.
Ephes. 4.
Rom. 8.
Ioan. 1.
Ephes. 1.
Ibid.
Rom. 8.

Ex eo igitur, quòd Saluator noster Christus Ecclesiam suam velut vnum corpus constituerit, ipseque capitis, fideles verò suos singulorum membrorum vicem & munia subire voluerit, sufficienter dedit intelligi, quàm vehementi affectu, quantoq; arctissimæ vnionis vinculo Orthodoxos ad inuicem annexos & quasi concatenatos esse peroptarit, prout idipsum tum sancti Patres tum & ipsa naturalis ratio dictant. S. Augustinus apertè docet, ideò omne hominum genus ab vno Adamo esse profectum, vt quanta semper omnium concordia esse debeat monstraretur, atque ideò indignam admodum rem esse, hac in re à bestiis homines superari. Sed ipsa eius verba adducemus. *Hominum genus*, ait, *ex vno est, ad commendandam concordiam, propagatum. Neque enim vnquam inter se leones, aut dracones, qualia homines, bella inter se gesserunt.* Egregium est quod Ludouicus Viues ibi annotat, sic inquiens: *Faciliùs bestias eiusdem generis capiat aliquis locus sine dissidio & pugnâ, quàm homines. lupus est enim homini homo, sicut Græco prouerbio dicitur.* Quò referendum etiam est illud Plinij: *Cætera animantia in suo genere probè degunt: congregari videmus, & stare contra dissimilia. Leonum feritas inter se non dimicat; serpentum morsus non petit serpentem: nec maris quidem belluæ ac pisces, nisi in diuersa genera sæuiunt.* Memini Ciceronem alicubi scripsisse: *Est Dicæarchi liber, Peripatetici magni & copiosi, qui collectis cæteris causis eluuionis, pestilentiæ, vastitatis, belluarum etiam repentinæ multitudinis, quarum impetu docet quædam hominum genera esse absumpta. Deinde comparat quantò plures deleti sunt homines hominum impetu, id est bellis ac seditionibus, quàm omni reliquâ calamitate.* Idẽ D. Augustinus etiã alio in loco ex bestiarũ mutuâ ad inuicẽ concordiâ homines ad concordiam permouere studet, sic inquiens: *Ipsæ sæuissimæ feræ genus propriũ quadã pace custodiunt. Quæ enim tigris non filiis suis mitis immurmurat, & pacatâ feritate blanditur? Quis miluus, quantumlibet solitarius rapinis circumuolet, non coniugium copulat, nidum congerit, oua confouet, pullos alit, & quasi cum suâ matrefamilias societatem domesticam quantâ potest pace conseruat? Quantò magis homo fertur quodammodò naturæ suæ legibus ad ineundam societatem, pacemq; cum hominibus, quantum in ipso est, omnibus obtinendam? cùm etiam mali pro pace suorum belligerent, omnesq; si possent facere velint, vni vt cuncti & cuncta deseruiant, quo pacto, nisi vt in eius pacem vel amando vel timendo consentiant?* Et infrà: *Quod terrenum corpus in terram nititur, & vinculo quo suspensum est, renititur, in sua pacis ordinem tendit, & locum quo requiescat, quodammodò ponderis voce poscit, iamq; exanime, ac sine vllo sensu, à pace tamen naturali sui ordinis non recedit, vel cùm tenet eam, vel cùm fertur ad eam.* Eamdemque, quam modò tam sollicitè commendauit pacem, esse fines Ecclesiæ, hisce verbis ostendit: *Possumus dicere, finem bonorum nostrorum esse pacem, sicut æternam dicimus vitam, præsertim quia ipsi ciuitati Dei dicitur: Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, &c. qui posuit fines tuos pacem.* Et infrà: *Tantum est pacis bonum, vt etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inueniri.* Ad quæ annotans Viues, ita inquit: *Pax videtur maximum hominis bonum, bellum maximum malum, inquit Xenophon. Hanc pacem dixit Democritus esse summam*

8. *Membra ipsa Ecclesiæ inuicem sedulò amare tenentur.*
Lib. 12. de Ciuit. Dei, cap. 22.
Belluæ ipsæ erga suam speciem concordiam alunt.
Lib. 6.
Lib. 19. de Ciuit. Dei, c. 11.
Pax membrorum ad inuicem est Ecclesiæ munus.
Ibidem.

summam felicitatem; ceteraq́; Philosophorum nationes eam esse vitam beatam consenserint. Pergit D. Augustinus: *Sicut nemo est qui gaudere nolit, ita nemo est qui pacem habere nolit: quandoquidem & ipsi qui bella volunt, nihil aliud quàm vincere volunt. ad gloriosam ergo pacem bellando cupiunt peruenire. Nam quid est aliud victoria, quā subiectio repugnantium? Quod cùm factum fuerit, pax erit. Omnis homo belligerādo pacem requirit, nemo autem bellum per pacem. Nam & illi qui pacem, in quā sunt, perturbare volunt, non pacem oderunt, sed eam pro arbitrio suo cupiunt commutari.* Idemq; Doctor adeò vnitatem ab omnibus naturalibus amari probat, vt absq; eā nihil omnino cōsistere valeat. *Lapis, inquit, vt esset lapis, omnes eius partes omnisq́; natura in vnum solidata est. Arbor non esset, si vna non esset. Membra cuiuslibet animantiū, & viscera, & quidquid est eorum è quibus constat, certè si vnitatis patiantur diuortium, non erit animal. Amici quid aliud, quàm esse vnum conantur? Et quantò magis vnum, tantò magis amici sunt. Populus vna ciuitas est, cui est periculosa dissensio. Quid est autem dissentire, nisi vnum non sentire? Ex multis militibus fit vnus exercitus. Nónne quæuis multitudo eò minùs vincitur, quò magis in vnum coit? Quid amor omnis? nónne vnum fieri vult cum eo quod amat? Voluptas ipsa non ob aliud delectat vehementiùs, nisi quòd amantium sese corpora in vnum coniunguntur. Dolor vnde perniciosus est? quia id quod vnum erat, dissidere nititur.*

Cap. 12.

Lib. 2. de Ordine.

9\. Pergit idem Doctor etiam alio in loco pacem & concordiam omnibus desiderabilem facere, dum sic ait: *Hereditas nostra pax est, per hāc vos salutamus, hanc vobis annuntiamus, hanc suscipiunt montes, & colles iustitiam. Christus est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum. Quia filij sumus, habebimus hereditatem, quæ pax est. Et videte quia exheredati sunt qui non amant pacem. Non autem amant pacem qui diuidunt vnitatem. Qui amant pacem, sunt heredes, de quibus dicitur: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabūtur. Quia Christus filius Dei pax est, ideò venit colligere suos, & secernere ab iniquis qui oderunt pacem, qui volunt conscindere vnitatem, qui non credunt paci, qui falsam pacem annuntiant in populo, & illam non habent. Quibus respondetur, cùm dixerint, Pax vobiscum, Et cū spiritu tuo. Falsa dicunt, & falsum audiunt. Quibus dicūt, Pax vobiscum? quos separāt à pace orbis terrarum. Et quibus dicitur, Et cum spiritu tuo? qui dissensiones amplectuntur, & odiunt pacem. Si enim in spiritu eorum esset pax, nónne vnitatem diligerēt, & relinquerent dissensionem? Falsum ergo pronuntiant, & falsum audiunt. Nos verum pronuntiemus, & verum audiamus: simus Israël, & amplectamur pacem.* Et quidni pacem amemus, cùm in iis qui eam diligunt, Deus sedē suam habeat? Audite adhuc D. Augustinū hæc suggerentem: *Primi credentes, qui omnia relinquebant, facti sunt locus Domino. Et vt noueritis, quia vnus locus factus est Domino in omnibus, Scriptura dicit: Erat illis anima vna, & cor vnum in Domino. Multi autem, ne faciant locum Domino, sua quærunt, sua diligunt, potestate suā gaudent, priuatum suum concupiscunt. Qui autem vult facere locum Domino, non de priuato, sed de communi debet gaudere. Beati qui sic faciunt locum Domino, vt priuato suo non gaudeant. Talem enim describebat iste qui dicebat: Si introiero in tabernaculum domus meæ. Priuatum hoc erat, sciebat priuato se impediri ne faceret locum Domino, & ea commemorat quæ ad seipsum pertinebant: Non introibo in tabernaculum domus meæ, donec inueniam. Quid? Cùm inueneris locum Domino, intrabis in tabernaculum tuum? An ipsum*

Enarrat. in Psalmū 127. *Pacis & concordiæ cōmoda & vtilitates.*

Qui pacem colunt Dei sunt habitacula: In Psal 131.

erit tabernaculum tuum, vbi inueneris locum Domino? Quare? Quia ipse est locus Domini, & cum eis qui fuerint locus Domini, vnum eris. In his ergo locis, in quibus Christiana vnitas exercetur, Deus suam benedictionem distribuit. *Quoniam illic,* inquit S. Augustinus, *mandauit Dominus benedictionem. vbi mandauit? In fratribus qui habitant in vnum, non corpore solùm, sed corde. Ibi benedicunt Dominum, qui habitant concorditer. Nam in discordiâ non benedicis Dominum. Ore benedicis, & corde maledicis.* Hæc verò benedictio non est inter eos qui mundum & mundana sectantur. Audiamus iterùm D. Augustinum hæc disertissimè deducentem. sic ergo inquit: *Dixit Dominus ad Abrahā: Sume mihi vaccam triennem, & caprum, & arietem, turturem quoque & columbam. Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit, aues autem non diuisit. In turture & colūbâ spirituales possunt significari, vt in illis tribus animalibus, carnales intelligi. Ergo diligenter attendite, quia illa tria animalia diuisisse dicitur Abrahā, & contra se inuicem posuisse. Aues, Scriptura inquit, non diuisit. Quare hoc? Quia in Ecclesiâ Catholicâ carnales diuiduntur, spirituales omnino non diuiduntur. Quare carnales & diuisi & contra se positi sunt? Quia omnes luxuriosi, & amatores mundi, contra se inuicem diuisiones & scandala habere non desinunt. Isti ergo diuiduntur, quia sibi inuicem aduersantur: aues autem, id est spiritales, non diuiduntur, quia est illis anima vna, & cor vnū in Deo. Est in illis vnum velle & nolle. Et quando carnales qui diuiduntur, grauibus vitiorum cōpedibus premuntur in mundo, spiritales diuersarū virtutum pennis eleuantur in altum, & duabus pennis, dilectionis Dei & proximi, eleuantur in cælū, non diuisi ab amore Dei & proximi.*

Et ibi Deus suam benedictionem elargitur. In Psal. 132.

Serm. 54. de Tempore.

Hinc concordes, inter plura alia bona, experiuntur hic quidem insigne gaudium cōscientiæ, post hāc verò vitam consequuntur hereditatem æternam. De gaudio conscientiæ sic loquitur D. Augustinus: *Quomodo exultatis omnes? Hanc* (scilicet pacem) *amate fratres. Multum delectamur quādo clamat de cordibus vestris pacis dilectio. Quomodo nos delectauit? Nihil dixeram, nihil exposueram: versum pronuntiaui, & exclamastis. Quantâ pulchritudine intellectus pacis corda vestra percussit? Quid iam ergo loquar de laude pacis? Præuenit omnia verba mea vester affectus, non implebo. Differamus omnes laudes pacis ad illam patriam pacis: ibi eam pleniùs laudabimus, vbi pleniùs habebimus. Inchoatam à nobis si sic amamus, perfectam quomodo laudabimus? Ierusalem, visio pacis est, & omnes qui habent & amant pacem, benedicuntur in eâ. Quid agit pax in huius regionis incertis, cùm adhuc nemo videt cor alterius. Quid agit? De incertis non iudicat, incognita non confirmat. Procliuior est ad benè credendum de homine, quàm ad malè suspicādum. Non se multùm dolet errare, cùm benè credit etiam de malo.* Neque solùm lætantur pacifici cùm pace perfruuntur, sed & cùm in pace tribulationes sustinere atq; lugere coguntur. Disertis hoc verbis innuit idem D. Augustinus, cuius hæc sunt verba: *Pax finem temporis non habebit, sed omnis piæ nostræ intentionis actionisq́; finis ipsa erit. Propter hāc Sacramētis imbuimur, propter hanc mirabilibus sermonibus & operibus Domini erudimur; propter hāc Spiritus eius pignus accepimus. Hac pace in pressuris omnibus consolamur: propter hanc omnē tribulationē fortiter sustinemus, vt in hac feliciter sine vllâ tribulatione regnemus.* 10.

Ex pace trāquillitas cōscientiæ oritur. In Psal. 148.

Qui corde sunt pacifici, etiam in aduersitatibus & persecutionibus interná pace gaudent. Tractat. 104. in Ioannem, cap. 17.

11\. De hereditate verò seu filiatione diuinā, quam Catholici inter se vniti consequuntur, ita

Imò per pacē filiorum Dei ius in nos deriuatur. Serm. 169. de Temp. Dominic. in Rogation.

idem Augustinus: Felices pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Meritum Christianæ virtutis vilescit in cunctis, si vnitatem non habet pacis; nec peruenit ad vocabulum filij, nisi per nomen pacifici. Pax est quæ exspoliat hominem seruitute, dat nomen ingenuum, mutat cum conditione personam, ex famulo liberum, filium facit ex seruo, amicum facit ex Deo, patrem reddit ex Domino. Filius Dei esse incipit, qui pacificus esse cœpit. Non vult filius dici, qui pacificus non vult inueniri: negat sibi patrem Deum, qui heres pacis esse nequiuit. Quanta est huius pacis retributio, hereditatem possidere cum Christo? Pax concordia fratrum, sicut scriptum est: In tribus placuit spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, amor proximorum, & vir & mulier benè secum consentientes. Concordia ergo fratrum, voluntas Dei est, iucunditas Christi, perfectio sanctitatis, morum custodia, atque in rebus omnibus laudabilis disciplina. Pax suffragium precum facilis atque impetrabilis. Pax dilectionis mater est, concordiæ vinculum, ac puræ mentis indicium manifestum. Pacem meam do vobis, dixit Christus. vnde seruare mandatum, est pacem in omnibus custodire. Nam diuidere vnitatem, non est magistrum sequi, sed eius mandatum calcare. Sequi enim Christum, est habere pacem. Pacem relinquo vobis: in pace vos dimisi, in pace vos inueniam, &c. Et alibi: Filij debent esse

In Psal. 117.

pacifici. Beati pacifici, quia filij Dei vocabuntur. Qui ergo in oliuâ fructus est pacis: oleum enim pacem significat, quia charitatem significat, sine charitate nulla pax est. Et manifestum est, quòd qui diuiserunt pacem, non habent charitatem. Pacificos columba portauit ad arcam, portans oliuam cum fructu, quia non habent sola verba pacem sonantia, sed & fructum charitatis.

12. Compēdium vtilitatum pacis. Serm. 2. ad Fratres in eremo.

Sed omnia pacis commoda & vtilitates veluti in compendio complexus est idem D. Augustinus hisce verbis: O si sciretis quanta sit virtus pacis! Tanta est virtus eius, quòd in pacis dignitate Apostolus omnes Epistolas suas scribebat, dicens: Pax vobis. Hanc salutandi formam nobis primitus donauit Christus, dicens: Pax vobis. Hanc pro testamento Christus Apostolis dereliquit tamquam summum bonum, sine quo nullus viuere debet. Qui pacem cordis, oris, & operis non habet, Christianus dici non potest. Qui in hac non sperat, in lubrico vitam & pedem ponit, in tempestate nauem collocat, in præcipitio se illaqueat, in arenâ semen seminat. O pax, Eremitarum mater, Monachorum soror! Tu Patriarcharum vinculum, Prophetarum vehiculum: tu Apostolorum refugium, tu Martyrum solatium. O pax, Dei ædificium, te non possunt destruere Principum fulmina, insultus dæmonum te in nullo lædere possunt. O pax, sine te Reges non regunt, sine te regna non valent! Numquid sine te ieiunia, orationes, eleëmosynæ, ceteraq; bona nobis prodesse possunt? O monache, habeto pacem in cunctis: nam si fratri irasceris, si proximum odis, tibi contradicis in Oratione Dominicâ. clamat enim Monachus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quo iure, quâ fronte tibi petis dimitti, qui proximo rancorem non dimittis? Habete pacem cum omnibus, omnium tamen vitia odientes. Habete in corde, in ore, & in opere pacem. Nam si Cain pacem habuisset in corde, non irruisset in fratrem suum. Si Absalom pacem habuisset in ore, non impugnasset patrem suum. Si Iudas habuisset pacem in opere, non fugisset ad laqueum. O quàm bonum, ô quàm iucundum, ô quàm diuinum est habitare fratres in vnum, vt vnum sit cor, vna voluntas, vna omnium anima, & vna forma viuendi: nam diabolus intrare non potest domum, vel mentem, in quâ pax dominatur. O quàm iucundum est, habitare fratres in vnum! Tanta enim est eminentia istius virtutis, quod de eâ Propheta priùs miraretur, quàm ostenderet quid esset vel quid vtilitatis haberet. O quàm grādem admirationem præposuit, quando dixit, Ecce! O quàm mirabilem vtilitatem prædicauit, quando subiunxit: Quàm bonum, & quàm iucundum! Sed scire debetis, fratres, quòd quædam sunt bona quæ non sunt iucunda, quædam iucunda quæ non sunt bona. v. g. Bona sunt ieiunia, vigiliæ, macerationes, & similia; hæc enim bona sunt, sed non iucunda, quia caro in his non iucundatur, sed læditur: iucunda quippe sunt comessationes, ebrietates, sed non bona. Hæc agentes, lætantur cùm male fecerint, & exultant in rebus pessimis. O Monache, vix poteris inuenire in præsenti vnum, quod sit bonum & iucundum. Cupis tamen illud inuenire? Persequere pacem, & amplectere eam: hæc enim sola est virtus quæ habet bonū & iucundum. Hæc est illa bonitas, quæ nos habitare facit vnius moris in domo, vt simul viuere, simulq; mori semper optemus. O pax! tu mentis serenitas, animi tranquillitas, amoris vinculum, charitatis consortium. Hæc est illa summa felicitas, quæ bella compescit, iras comprimit, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis placet, à cunctis optatur, sed à cunctis malis, illa quæ bona est pax fugitur, & oditur vt mors. Beatus qui te habet, maledictus qui te odit, & qui te impedit & frāgit inter homines: quoniam Antichristus est, & filius perditionis. O pax! tale bonum in rebus creatis, tam mirificum, tam gloriosum quòd nihil dulcius solet audiri, nihil delectabiliùs concupisci, nihil vtilius possideri: spiritus enim humanus sicut numquam viuificabit membra nisi fuerint vnita, sic Spiritus sanctus numquam nos viuificat nisi pace vniti fuerimus. Omnes homines pacem amant, sed ament & iustitiam: iustitia enim & pax ipsæ se osculantur. Sed si amicam pacis non amaueris, numquid ipsa pax te amabit, & tecum habitare volet. Absit. Et hactenus quidem de concordiæ & vnitatis perfectione, necessitate, & commodis ex solo Augustino egimus. Videamus, tua bonâ quoque pace, Lector pacifice, quæ de pacis commoditate alij scripserunt Patres, vt & pacem inter eos fuisse comprobemus.

Comes ergo D. Augustino sit S. Hieronymus, 13.
cuius nonnulla loca producturi sumus. Sic igitur ille infit: Quomodo sapientia sapientes facit, & iustitia iustos, & sanctificatio sanctos; sic & ipsa pax nos facit esse pacatos, vt dicamus, Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. Si autem Christus credentium pax est, quicumque sine pace est, consequenter non habet Christum. Idem alibi: Non est vmbraculū Domini, nisi vbi pax est: vbi zelus atque discordia, ibi non est protector Deus. Locus Dei non est nisi in animâ quæ pacē habet. quæ ergo anima non habet pacem, sciat se non esse locum Dei. Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Hæc est Saluatoris hereditas. Ibi in Ierusalem, quæ interpretatur pax, confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum. Penitiùs alibi ad nostrum propositum, adducens exemplum de malo granato, sic ait: Huius arboris fructus in Scripturâ dupliciter accipitur: aut in Ecclesiæ gremio, quæ omnem turbā credentium suo cortice tegit; aut in varietate & consonantiâ virtutum, iuxta illud quod scriptum est: Multitudinis autem credentium cor erat vnum & anima vna. Sicq; diuisi sunt singuli gradus, vt omnes eadem compage teneantur. Asseclam huic adiungamus S. Ioannem Chrysostomum, qui explicans varias Pharisæorum sententias de Christo Domino in curatione hominis cæci à natiuitate,

Lib. 1. in c. 2. Epist. ad Ephes.

In Psalm. 75.

Epist. ad Fabiolam.

&

& quòd schisma erat inter illos, aliis dicentibus, Bonus est, aliis, Non, sed seducit turbas, sic ait: *Est diuisio bona, de quâ Christus dixerat, Non veni pacem mittere, sed gladium. Est & mala concordia, & discordia bona: si quidem qui turrim ædificabant concordes erant in malo suo, inde, etsi inuiti, ad bonum tamen dissenserunt. Et socij Core malè conueniebant, ideò benè diuisi sunt. Et Iudas cum Iudæis pridie consensit: est ergo bona discordia, & concordia mala. Quamobrem ait: Si oculus tuus scandalizat te, erue eum; & si pes, abscinde eum. Quòd si membrum malè coniunctum abscindendum est, nónne longè magis praui amici?* &c.

Homil. 56. in c. 9. Ioannis.

14. Quamquam verò singulorum Ecclesiæ membrorum magnam conueniat esse concordiam, maximam tamen & arctissimam esse inter proximiora Christo membra, sacras inquam Religiones, necesse est. Aurea sunt verba quæ in hanc rem habet D. Bernardus: qui cùm vellet respondere quibusdam, qui ipsi obiectabant, Cluniacensium Ordinem ab ipso despici, & quòd suum Cistertiensem sic laudaret, vt aliis detraheret, sic inquit: *Monachi ac regulares Clerici sibi inuicem derogare dicentur, quia propriis ab inuicem obseruantiis separantur. Sed & Noë, & Dauid, & Iob in vno se regno pati non posse suspicaremur, ad quod vtique non eos vno tramite iustitiæ cognouimus peruenisse. Mariam denique & Martham necesse sit aut vtramque aut alteram displicere Saluatori, cui nimirum tam dissimili studio deuotionis contendunt ambæ placere. Et hac ratione in totâ Ecclesiâ (quæ vtique tam pluribus tamq; dissimilibus variatur Ordinibus, vtpote Regina, quæ in Psalmo legitur amicta varietatibus) nulla pax, nulla prorsus concordia esse reputabitur. Quæ etenim secura quies, quis tutus in eâ status reperietur, si vnus quilibet homo vnum quemlibet Ordinem eligens, alios aliter viuentes aut ipse aspernetur, aut se ab ipsis sperni suspicetur, præsertim cùm tenere vnum hominem impossibile sit omnes Ordines, vel vnum Ordinem omnes homines? Non sum tam hebes, vt non cognoscam tunicam Ioseph, non illius qui liberauit Ægyptum, sed qui saluauit mundum. Notissima quippe est, quia polymita, id est pulcherrimâ varietate distincta, sed & sanguine apparet tincta, non quidem hœdi, qui peccatum significat, sed agni, qui designat innocentiam, hoc est, suo ipsius, non alieno: quam tunicam hic pretioso suo sanguine tinctam, reliquit Ecclesiæ sua pignus hereditatis polymitam, inconsutilem, & desuper contextam per totum. Sed polymitam, ob multorum Ordinum, qui in eâ sunt, multimodam distinctionem; inconsutilem verò, propter indissolubilis charitatis indiuiduam vnitatem. Audi quomodo polymitam. Diuisiones gratiarum sunt, ait, idem autem Spiritus: & diuisiones operationum sunt, idem verò Dominus. Deinde diuersis enumeratis charismatibus, tamquam variis tunicæ coloribus, quibus constet eam esse polymitam; vt ostendat etiam inconsutilem, & desuper contextam per totum, adiungit: Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult. Charitas quippe diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Non ergo diuidatur, sed totam & integram hereditario iure sortiatur Ecclesia, quia & de illâ scriptum est: Adstitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Itaque diuersi diuersa accipientes dona, alius quidem sic alius verò sic, siue Cluniacenses, siue Cistertienses, siue Canonici regulares, siue etiam laici fideles, omnis denique Ordo, omnis lingua, omnis sexus, omnis ætas, omnis conditio, in omni loco, per omne tempus, à primo homine vsque ad nouissimum. Nam & propter hoc talaris dicta est, quòd ad finem vsque pertingat. Omnes ergo concurramus pariter in vnam tunicam, & ex omnibus constet vna. Nam etsi ex pluribus & diuersis, vna est tamen columba mea, formosa mea, perfecta mea. Alioquin nec ego solus, nec tu sine me, nec illi sine vtroque, sed simul omnes simus illa vna, si tamen solliciti sumus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Non, inquam, tantùm Ordo noster, aut solus vester, ad illam pertinet vnam, sed noster simul & vester: nisi fortè (quod absit) inuicem inuidentes, inuicem prouocantes, inuicem mordeamus, & ab inuicem consumamur, & sic non possit nos Apostolus vni illi viro, cui despondit, virginem castam exhibere Christo. Verumtamen illa vna dicit in Canticis, Ordinauit in me charitatem: vt etsi vna in charitate, diuisa tamen sit in ordinatione. Quid ergo? Cistertiensis sum; damno igitur Cluniacenses? Absit. Sed diligo, & prædico, & magnifico. Cur ergo, inquis, Ordinem illum non tenes, sed sic laudas? Propter hoc quod Apostolus ait: Vnusquisque in eâ vocatione, in quâ vocatus est, permaneat. Quod & si quæras, cur & à principio non elegerim, si talem sciebam; respondeo, propter id quod rursus ait Apostolus: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Non quòd Ordo sanctus & iustus non sit, sed quia ego carnalis eram, venumdatus sub peccato: & talem meum animæ meæ sentiebam, cui fortior esset potio necessaria. Et diuersis morbis diuersa conueniunt medicamenta, & fortioribus fortiora. Fac duos homines febribus anxiari, quartanis vnum, tertianis alterum: commendet autem, qui quartanis laborat, tertiano aquam & frigida quæque sumenda, cùm tamen ab his ipse abstineat, vinumq; & cetera calida, vtpote sibi congruentia, sumat; quis, rogo, hinc eum rectè reprehendat? Si diceret ille, Cur tu aquam non bibis, quam ita laudas? an non rectè responderet, Et tibi eam fideliter tribuo, & mihi eam salubriter subtraho. Denique requiratur etiam à me, cur, cùm omnes Ordines laudem, omnes non teneo. Laudo omnes, & diligo, vbicumque piè & iustè viuitur in Ecclesiâ: vnum opere teneo, ceteros charitate. Faciet autem charitas (fidenter loquor) vt ne illorum quidem fructu fraudet, quorum instituta non sequor. Et quid mirum, si in hoc exilio, peregrinante adhuc Ecclesiâ, quædam huiusmodi sit pluraliter (vt ita dixerim) vnitas, vnaq; pluralitas, cùm in illâ quoque patriâ, quando iam ipsa regnabit, nihilominùs fortè talis aliqua dispar quodammodò æqualitas futura sit? Inde enim scriptum est: In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Sicut itaque illic multæ mansiones in vnâ domo; ita hic multi Ordines sunt in Ecclesiâ vnâ. Et quomodo hic diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus; ita ibi distinctiones quidem gloriarum, sed vna domus. Vnitas hic consistit in vnâ charitate, diuersitas autem in Ordinum vel operationum multifariâ diuisione. Intelligens denique Ecclesia hanc suam quodammodò discordem concordiam, concordémve discordiam, Deduxit me, inquit, super semitas iustitiæ propter nomen suum. Ponens quippe semitas pluraliter, & iustitiæ singulariter, nec diuersitatem prætermisit operationum, nec vnitatem operantium. Præuidens quoque & illam in cælestibus discretam vnitatem futuram, deuotissimè læta decantat: Plateæ tuæ, Ierusalem, sternentur auro mundo, & per omnes vicos tuos Alleluia cantabitur. Audiens enim plateas & vicos, coronas & glorias diuersas intellige: in auro, quo vno metallo illa ciuitas ornata describitur, & vno Alleluia quod cantandum perhibetur, dissimilium iterum similem*

Religionum præcipuè vnitas & concordia Ecclesiæ Dei necesse est.

In Apolog. ad Guilielmum Abbatem.

similem pulchritudinem, & multarum mentium vnam deuotionem attende. Non igitur vnâ tantùm semitâ inceditur, quia nec vna est mansio in cælo quò tenditur. Viderit autem quisque, quacumque incedat, ne pro diuersitate semitarum ab vnâ iustitiâ recedat, quoniam ad quamlibet mansionem suâ quisque semitâ peruenerit, ab vnâ domo Patris exsors non erit.

15. Eam qui interrumpunt, tota Ecclesiæ & sibi damnu inferunt. Lib. 3. Contra Parmenionem.

Adiungendum est huic Capiti & hoc, eos qui hanc sacrarum Religionum vnitatem perturbare student, non sine suo & Ecclesiæ damno id facere. Audiatur quid D. Augustinus de iisdem statuat. *Nihil aliud*, inquit, *appetit satanas venenosissimâ suâ versutiâ, nisi vt corrumpat atque disrumpat vinculum pacis & charitatis; quo conseruato inter Christianos, vires eius omnes inualidæ sunt ad nocendum, & muscipula insidiarum comminuuntur, & consilia euanescunt.* Diabolo ergo egregiam illi operam nauant, seque illius instrumenta & organa exhibent, quicumque hanc Ecclesiæ vnitatem quoquomodo interrumpere satagunt. Aduersarios item Christi se constituunt, dicente iterùm S. Augustino: *Non venit Christus diuidere, sed vnire. Vnde dicebat Paulus: Obsecro vos fratres, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Nolebat esse diuisor. Vnusquisque vestrûm dicit, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ. Diuisus est Christus? Videte ergo, quàm mali sunt homines, qui volunt esse diuisi, cùm Christus noluerit esse diuisor.* Idemque alio in loco repetit, dum sic ait: *Charitatem non habent qui in vnitate non sunt, sicut dicit Apostolus Iudas: Hi sunt qui seipsos segregant, animales, spiritum non habentes. Qui seipsos segregant, quia coagulum non habent charitatis. Christus dixit: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti? Colligere, non diuidere. Quia habeo alias oues, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Meritò non audiuit fratrem interpellantem, & dicentem: Domine, dic fratri meo, vt diuidat mecum hereditatem. Et Dominus: Dic homo, quare enim vis diuidere, nisi quia homo? Cùm enim dicit alius, Ego sum Pauli; alius, Ego verò Apollo, nonne homines estis? Dic homo: Quis constituit me diuisorem hereditatis inter vos? Colligere veni, non diuidere. Ideo enim dico vobis, cauete ab omni cupiditate. cupiditas enim diuidit, sicut charitas colligit.* S. Hieronymus, explicans illa Prophetæ Amos verba, *Numquid ambulabunt duo pariter, nisi conuenerit eis*, sic ait: *Hoc impletum est, quia fecit Dominus pacem inter homines, & copulauit vinculo charitatis, vt cùm fuerint duo simul, postulent à Patre, & impetrent quidquid rogauerint. Et sicut duæ virgulæ Ezechielis copulentur. Cum autem duo redacti fuerint in vnum, adhærebunt Domino, & fiet vnus spiritus. Isti duo qui sibi consentiunt, & in viâ Christi pariter ambulant, nullius aduersariorum possunt impetum pertimescere. Quòd si discordiâ separentur, statim eos leo rugiens inuadet, de quo subdit: Numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? Et non solum leonis patebunt morsibus qui sunt diuisi, sed & dabit catulus leonis vocem de cubili suo. Tertia pœna est eorum, quos discordia separauit, vt perdant alas quibus prius sublimiter ferebantur, & de cælis in terram corruant, & teneantur ab aucupe, ideò dicit: Numquid cadet auis in laqueum terræ, absque aucupe? Quarta pœna est discordantium vt capiantur laqueo, qui non in cælo positus est, sed in terrâ. Quinta pœna eorum, qui reliquere pacem quæ exsuperat omnem sensum, & quam Dominus pergens ad Patrem Apostolis dereliquit, dicens: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, vt in ciuitate Domini constituti, tuba sonitu terreantur.*

Serm. 160. de Tempore.

Serm. 6. inter Varios.

Lib. 2. in c. 3. Amos.

Plura haud addimus, quia quæ dicta sunt sufficiunt. Vno igitur exemplo concludimus, & ex illo, quàm sit noxium, membra Christi, quæ ad vnitatem fouenda erant, separare, ostendimus, quod Petrus Damianus his refert verbis: In Perusino monasterio, S. videlicet Saluatoris, quidam monachus paulò antè fuerat, nomine Gunizo, astutus nimis & callidus sæcularibus argumentis, ac litigiosis contentionibus vehementer intentus. Hic itaque dum & in immutandis Abbatibus, & Fratribus perturbandis æstuans non quiesceret, ad hoc vsque peruenit, vt diaboli ad superandos æmulos patrocinium quæreret, & eius se ditioni etiam corporaliter manciparet: cui tamen seductor spiritus exigenti ante promisit, quòd tertio die priùs quàm moreretur suum exitum sibi nuntiaret. Credit infelix, & diu postmodum viuens, ita sub hac deceptoriâ securitate permansit. Tandem in ægritudinem lapso adest fideiussor iniquus, & pòst futurum, sicut spoponderat, obitum innotescit. Protinus ille aduocatis Fratribus cuncta hæc, quæ cum nequissimo pepigerat spiritu, per ordinem narrat. Cumque illi instarent, dicentes, Esto confessus, age pœnitentiam; repentè ille obdormiuit; & siue pulsantibus siue clamantibus euigilare non poterat. Si verò vel illi conticescerent, vel aliud quid præter pœnitentiam loqui vellent, mox ille expergefactus, inuicem loquebatur: sed rursus audito nomine pœnitentiæ, protinus obrigescebat insensibili sopore correptus, donec horrendæ morti traditus, ad eum cui deuotionẽ fecerat sit infeliciter deuolutus. Postmodũ verò per plures noctes nigra canum turma non cessauit sepulturæ eius assistere, & quasi depositum custodire, ita vt non minimo videntes horrore concuterentur. Quod de vnius Conuentus Religiosorum perturbatore dictum ac factum est, idem non minùs de illis dici poterat, qui variorum inter se Ordinum viros diuidere non verentur: grauissimum enim peccatum sit necesse est, coniunctissima Ecclesiæ membra, imò & intima quodammodò Christi viscera, discordiâ inficere, atque in odium, vt nonnumquam solet, perpetuum concitare.

16. Exempla variorum id docent. Speculum exempl. ot. t. Conuersio, ex. 6.

CAPVT XXIX.

Quæ sint conditiones & requisita necessaria, vt Indulgentiæ ritè & validè participentur.

HAud absque ratione Scriptores nonnulli Indulgentias compararunt grano sinapis, similitudinem eam mutuantes ex D. Matthæi Euangelio, vbi Saluator noster ait *simile esse regnum cælorum grano sinapis, quod minimũ quidẽ est omnibus seminibus; cùm autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius.* Rectè sanè. Tametsi enim secundùm Auctores aliquos ibidem per sinapis granũ intelligi possit Ecclesia, quæ ex paruo duodecim pauperculorũ Apostolo-

1. Indulgentiæ sinapis grano comparantur. Matth. 13.

stolorum initio, in infinitam quodammodò populorum multitudinem tandem excreuit, iuxta illud Dauidicum: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus; nimis confortatus est principatus eorum. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.* quia tamen sacra Scriptura mysteriis & profundissimis sensibus est abundantissima, meritò etiam eadem sententia ad Indulgentias referri potest, quandoquidem opus ipsum, quod pro earumdem participatione ab Ecclesiâ imponi solet, velut minimum sinapis granum censendum videtur respectu arboris, ramorum ac fructuum qui inde nascuntur. Tanti etenim illius rami efficiuntur, vt volucres cæli, seu Beatorum adhuc purgandorum animæ id vel maximè exoptent, vt habitare & partem habere queant in ramis eius. Quod quo pacto fieri possit, facile erit cognoscere, modò priùs viderimus, quibus viui conditionibus instructi esse debeant vt Indulgentias acquirere possint; posteà, si inquisierimus, quibus mediis easipsas viui animabus Purgatorij applicare valeant.

Psal. 138.

2.

Earum applicatio ex seminis Euangelici ratione desumitur. Luca 8.

Refert S. Lucas Euangelista, quemdam, semen suum sparsisse, quod quatuor locis exceptum, in vno solum fructum fecerit, eum tamen amplissimum. *Dum seminat*, inquit, *aliud cecidit secus viam, & conculcatū est, & volucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.* Quam similitudinem si applicauerimus Indulgentiis, inueniemus itidem tres defectus qui illarū valorē & fructum impediant, quò minùs ille succrescere aut se erigere queat. Vtamur verbis S. Thomæ, qui sic ait: *Requiritur auctoritas dispensandi huiusmodi thesaurum, & vnio eius cui dispensatur ad eum qui merebatur, quod est per charitatem, & ratio dispensationis secundum quam saluetur intentio illorum qui opera meritoria fecerunt. fecerunt enim ad honorē Dei & vtilitatem Ecclesiæ in generali.* Et infrà: *Indulgentiæ simpliciter tantum valent quantum prædicantur, dummodò ex parte dantis sit auctoritas, ex parte recipientis charitas, & ex parte causæ pietas.* Tres horū defectus exponi possūt per tria illa sterilia loca, in quibus Euangelicum semen nullum fructū proferre potuit; quos singulos defectus inspectum ibimus. Legitimæ conferendi Indulgentias potestatis defectus ostenditur per semen istud quod cecidit secus viam, & ab hominibus proculcatū, & à volucribus aëris deglutitū fuit: Indulgentiæ enim sine debitâ auctoritate collatæ reuerà non alio loco habendæ sunt, ac si secus viam sine vllâ fructus spe seminētur, & foras aut in vanū proiiciantur, imò vt cæli volucres, hoc est diaboli, illas comedant, & collatores earū peccati, quod in iis ita distribuendis committitur, aliquando reos agant. Vnde duo hîc probanda occurrunt: primum, Indulgentiarum collationem sine legitimâ potestate non valere; alterū, auctoritatē eas conferendi esse penes summū Ecclesiæ caput, quod est Summus Pontifex. De primo accipi potest illud Apostoli: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron.* Vnde aduersus eos qui contrà faciunt ita per Prophetam diuina Maiestas locuta est: *Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* & per Apostolum Paulum: *Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur.* Manifestum ergo est, nō posse neque hanc neque aliam quamcumque in Ecclesiâ Dei potestatem exerceri, nisi adsit legitima à Christo Domino profecta auctoritas; & eos qui secus faciunt, illorumq́ numero accensendos esse, de quibus ipsa Veritas sic locuta est: *Omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones.*

Ad illarum concessionem requiritur potestas in concedente. In 4. dist. 20. q. 1. art. 3. ad 2.

Hebr. 5.

Ierem. 23.

Rom. 10.

Ioan. 10.

3.

Eas concedendi facultas penes solū Romanum Pontificem quærenda.

Iam Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ supremo capiti, quem omnes sinceri fideles absque dubio Summū & Romanū esse Pontificem agnoscunt & liberè profitentur, hanc esse à Christo ipso facultatem & potestatē in S. Petro Apostolo, tum SS. Patrum, tum varij Scripturæ sacræ textus eloquūtur. Sanè Doctor Angelicus aptè in hanc rem scripsit hoc modo: *Dictum est suprà, quòd vnus pro alio satisfacere potest: Sancti autem, in quibus abundantia operum satisfactionis inuenitur, non determinatè pro isto qui remissione indiget, huiusmodi opera fecerunt, aliàs absque omni indulgentiâ remissionem consequeretur, sed communiter pro totâ Ecclesiâ: sicut Apostolus dicit se implere ea quæ desunt passioni Christi in corpore suo pro Ecclesiâ ad quam scribitur. Et sic prædicta merita sunt communia totius Ecclesiæ: ea autē quæ sunt communia multitudinis alicuius, distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium eius qui multitudini præest. Vnde sicut aliquis consequeretur remissionem pœnæ, si alius pro eo satisfecisset; ita si satisfactio alterius per eum qui potest distribuatur.* Huius rei praxim graues insuper alij Scriptores confirmant: nam Guilielmus Altissiodorensis testatur, S. Gregoriū Magnū in diebus Stationum populo Indulgētias contulisse. S. Ludgerus Monasteriensis Episcopus, qui floruit octauo sæculo Christiano iam finiente, asserit, D. Leonem III. varias Indulgentias diuersis in locis concessisse: ait enim, S. Suibertum ad Carolum Magnum Imp. in Germaniam venisse, atque Indulgentias insignes tum Coloniæ tum alibi distribuisse; Sergium item Papam trium annorum Indulgentias concessisse visitatoribus D. Martini Ecclesiæ, Inueni, inquit Card. Bellarminus, *in marmore quodam inciso litteris antiquissimis in Ecclesiâ Sancti eiusdem in montibus.* Neque Conciliorum vniuersaliū approbatione destituimur: in Concilio enim Claromontano Generali, quod anno 1096. celebratum fuit, Vrbanus II. proficiscentibus ad bellum sacrum plenariam adscripsit Indulgentiam, vt testis est S. Antoninus. Paulò pòst in Concilio Lateranensi Generali frequētissimo Paschalis II. Indulgentiam dierum quadraginta assignauit singulis qui ad idem Concilium conuenissent, vt patet ex Abbate Vrspergensi; qui & auctor est, Innocentium III. pro auxilio Terræ sanctæ publicasse Indulgentiam plenariam. Sed quid his, quæ lippis tonsoribusque sunt notissima, inhæremus? veniamus potiùs ad Scripturas sacras, quarum solarum, puto, auctoritatem conuellere non audebunt hæretici, nisi fortè (quod nimisquam vereor) deceptores sint, quibus promissa susque deque habere, nulla prorsus est religio.

In 4 dist. 20. art. 1. ad 1.

Lib. 4. Summæ Theolog. tract. 6 c. 9.

Epist. de S. Suiberto, cap. 9.

Part. 2. Hist. tit. 16. c. 1. §. 23.

4.

A Christo immediatè in Petrū illa potestas deriuatur.

E Scripturis ergo prior locus sit Matthæi Euangelistæ, vbi Christus Petro suo in terris Vicario plenissimam distribuendi thesauros Ecclesiasticos potestatem concedit, inquiens: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Quæ potestas D. Petro, atque in eo, omni eius legitimo successori data, sanè

Matth. 16.

perquàm est amplissima atque omnino generalis, neque ad peccata restringitur, quemadmodum factũ fuit Ioannis 20. sed complectitur omnia omnino vincula quæ impedire possunt homines à consecutione gloriæ sempiternæ. Itaque in hoc verbo fundatur potestas non solùm absoluendi à peccatis in Sacramento Pœnitentiæ, sed etiam absoluendi à censuris quibuscumque, nec non dispensandi in legibus, votis & iuramentis, cùm adest causa rationabilis. Confertur enim his verbis Apostolo Petro supremum tribunal Ecclesiasticæ potestatis, vt nimirum loco Christi Ecclesiam totam regeret, ac summâ cum potestate iudicare posset; quod tunc demum plenariè factum fuit, cùm à Christo ei dictũ fuit, *Pasce oues meas.* Quare quemadmodum S. Petrus, vt supremus Iudex loco Christi, absoluere potest peccatores ritè dispositos à quibusuis culpis, per Baptismi vel Pœnitentiæ Sacramenta eis applicando merita Christi; ita etiam potest eosdem absoluere extra Sacramentum à pœnis temporalibus, applicando illis Christi ac Sanctorum satisfactiones. Ita ferè Bellarminus: qui & porrò rationem addit, cur reatus culpæ soluatur per Sacramentum, reatus autem pœnæ extra Sacramentum. Quia, inquit, etsi potestas soluendi generalis sit, tamen omnia solui debent, vt exigit eorum natura. Culpæ lethales non soluuntur sine infusione gratiæ, infusio autem gratiæ non datur ministerio humano, nisi per Sacramenta: reatus autem pœnæ remanentis, post remissam culpam soluuntur extra Sacramentum, quia non requirit infusionem nouæ gratiæ, sed eam iam acquisitam præsupponit.

Ioan. 21.

Lib. 1. de Indulg. cap. 3.

5. Et per D. Petrum in eius successores Romanos Pontifices.

Sed quòd potestas Indulgentias conferendi per se & primariò competat Summo tantùm Pontifici, ex binis illis Scripturis iterùm satis colligi potest: quoniam vtroque loco speciale quid præ ceteris Apostolis D. Petro esse collatum omnino constat. In primo ideò beatus is à Christo appellatus est, quia præ aliis confessus fuerat, eum esse Filium Dei viui: vnde & ei hæc pollicitatio facta fuit: *Tibi dabo claues regni cælorum.* &, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* In altero item speciale quoddam priuilegium S. Petro datum fuit, quod innuit Saluatoris nostri interrogatio, *Simon Ioannis, diligis me plus his?* Ad quod vbi tertiò affirmatiuè respondisset; bis quidem audiuit, *Pasce agnos meos*, tertiò verò, *Pasce oues meas.* quasi non tantùm fideles communes recturus ac curaturus esset, prout alij item Apostoli; sed etiam ipsas oues, id est ipsos Ecclesiarum Episcopos ac Prælatos, qui sunt veluti oues generantes & lactentes agnos suos, id est subditos suos. Quæ duo loca tametsi ad Petri eiusque legitimorum successorum, Summorum Romanorumq; Pontificum, Primatum quoad Indulgentias & alias Pastoralis officij functiones abundè sufficerent; quia tamen omnem, quæ possibilis est, hæreticis nostris satisfactionem dare percupimus, & Catholicis illustriora ad configendum illos tela suggerere optamus, etiam alias insuper Scripturas, & SS. Patrum abundantissima & apertissima testimonia in medium producemus, è quibus luce meridianâ clariùs appareat, D. Petrũ Apostolũ, & qui posteà in eius locum successiuè & canonicè subintrant, supremam in Dei Ecclesiâ potestatem subditos regendi, omniaque ad eos in salutis viâ dirigendos spectantia habuisse. Quod Lectori seruire poterit, nõ solùm vt videat, Ecclesiastici thesauri per Indulgentias distributionem præcipuam & primariam ad Summum Ecclesiæ Catholicæ Pontificem pertinere, sed & illi generalem, absolutam, & independentem omnium Christi curam & gubernationem commissam fuisse. Estque caput hoc vnum è præcipuis Catholicæ fidei fundamentis, quod non absque ratione solidioribus aliquot argumentis comprobandum est. Inspiciamus ergo primùm ipsum sacrosancti Euangelij textum: inde ad Apostolorum acta, demum ad antiquorum Patrum suffragia progrediemur.

6. Prærogatiuæ D. Petro à Christo concessæ.

Inter alias igitur prærogatiuas, quibus præ ceteris Apostolis D. Petrus, vt Ecclesiæ visibile caput ostenderetur, insignitus est, non nisi viginti quatuor recensebimus. Prima est, quòd soli Petro ex Apostolis nomen in circumcisione inditũ, à Saluatore in aliud, quod sublime & excellens aliquod mysterium contineret, commutatum fuerit. Verum quidem est, Saluatorem aliàs etiam filiis Zebedæi imposuisse nomen *Boanerges:* si tamẽ res paulò attentiùs inspiciatur, non tam proprium nomen quàm aliquod cognomen esse deprehendetur. Id quod & Euangelistæ ipsi satis manifestè innuunt, dum numquam posteà eosdẽ eodẽ nomine vocarunt, sed solùm *Iacobus & Ioannes*, nec à quoquam alio alibi aliter appellati fuisse leguntur. Verùm nomen id quod Christus huic Apostolo indidit, adeò ei adhæsit, vt maximâ ex parte postmodum à Saluatore, & semper ab aliis eodem appellatus fuerit. Secunda est, quòd tale præcisè ei nomen dederit. *Cephas* enim vox est Syriaca, & significat petram, vt testatur S. Hieronymus, estque vnum ex solemnioribus & celeberrimis Christi nominibus, qui frequentiùs sic per excellentiam nominatur: vt meritò inde concludere possimus, Christum Seruatorem, sicuti D. Petrum Apostolum sui nominis participem facere voluit, ita & sui muneris suæque potestatis participem facere voluisse, & ipso facto fecisse, adeò vt primum caput & fundamentum Ecclesiæ vniuersæ D. Petrũ fecerit secundarium fundamentum & caput eiusdem loco suo. Rectè igitur, imò rectissimè D. Leo: *Hunc in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat voluit nominari, dicendo, Tu es Petrus*, &c. & alibi, dum Christum ita D. Petro loquentem inducit: *Sicut meus Pater tibi manifestauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus. Id est, cùm ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia meâ virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.* Tertia prærogatiua est, quòd semper Petrus, dum chori Apostolici apud Euangelistas fit mentio, primo loco ponatur, vt videre est Matthæi 10. Marci 3. Lucæ 6. Actorum 1. quo nimirum eius præ ceteris nonnulla antecellentia indicatur. Nec quòd Petrus prior omnium nominetur, dici potest factum esse eò quòd primus à Christo vocatus sit, quia certum est Andream primum omnium à Domino fuisse vocatum; nec quòd præ ceteris à Domino dilectus fuerit, quia hoc de solo Ioanne dicitur; nec quòd martyrij

I. Ratione nominis à Christo accepti.

II. Ratione præcisè nominis Cephas.

In cap. 2. Epist. ad Galat.

Epist. 89. ad Episcopos Viennensis prouinciæ.

Serm. 3. de Anniuers. assumpt. suæ.

III. Ratione ordinis vbi semper ille primus.

martyrij coronam prior ille ex Apostolis decerpserit, quia hac in gloria eum præuenit Iacobus; neque quòd ille omnium senior esset, quia eo senior adhuc erat Andreas. *Occursus*, inquit Epiphanius, *Andreas primus contigit, cùm esset Petrus minor tempore ætatis*; neque quòd casu id factum sit, quia soli ipsi apponitur dictio ordinem significans, nimirum primus, nec reliquorũ quispiam vel secundus, vel tertius, vel quartus nominatur, sed sine vllâ ordinis cuiuspiam obseruatione ponuntur; tum &, quia licet in reliquis ordo nonnumquam mutetur, semper tamen Petrus primo loco velut caput chori Apostolici enumeratur. Quid, quòd Petrus passim in Scripturis describatur vt paterfamilias, vt dux & Princeps reliquorum? Exempla quæris? Dabo. Quemadmodum in Apocalypsi dicitur, diabolus & Angeli eius, Michaël & Angeli eius, hoc est, dux & milites eius; ita dicitur, *Et prosecutus est eum Simon & qui cum eo erant.* item: *Dixit Petrus, & qui cum illo erant.* item: *Petrus verò, & qui cum illo erant.* item: *Stans Petrus cum vndecim.* & denuò ibidem: *Dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos.* iterùm: *Petrus & Apostoli dixerunt.* denique: *Numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* Quare, quæso, semper nominatim exprimitur Petrus, & reliqui Apostoli reticentur? An non erat ille discipulus? an non erat Apostolus? Erat sanè, sed ille solus nominatur, quia reliquorum Princeps & caput erat. Et vulgaris loquendi modus hoc apertissimè docet.

Hæresi 51. Matth. 10. Apoc. 12. Marc. 1. Luc. 8. Luc. 9. Act. 2. Act. 5. 1. Cor. 9.

7. Quarta prærogatiua est, quòd solus Petrus cum Domino super aquas ambulauerit, de quâ hæc Bernardi verba notanda sunt: *Instar Domini gradiens super aquas, vnicum se Christi vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet. siquidem aqua multa, populi multi.* Quinta hæc est, quòd soli illi, Christi personam esse summi Dei Filium, reuelatum fuerit, quòd primus ille à Deo doctus summa fidei Christianæ mysteria, nimirum, personarum in Deo distinctionem, & Incarnationẽ cognouerit. Haud equidem diffiteor, etiam aliàs à discipulis & à Nathanaële Christum appellatum fuisse Filium Dei, longè tamen alio sensu id illi dicebant, quippe qui haud aliter eum eo nomine appellarint, quàm alioqui omnes viri sancti dicebantur & dicuntur filij Dei; quem dicendi vulgarem modum hic Petrus non attendit, sed affirmauit Christum esse verum ac naturalem Dei Filium; alioquin enim Christus non dixisset, hanc cognitionem ei nõ à carne & sanguine sed à Patre suo cælesti reuelatam fuisse: quâ enim reuelatione opus fuit, si vulgari & communi loquendi more vsus fuit? Eademque est Patrum sententia, a Hilarij, b Athanasij, c Chrysostomi, d Cyrilli, e Augustini, f & S. Leonis. Sexta prærogatiua est, quòd soli illi speciali quodam priuilegio promissum fuerit, sedem eius numquam esse futuram. *Portæ inferi*, inquit Christus, *non præualebunt aduersus eam:* quæ verba non solùm innuũt perpetuam stabilitatem Ecclesiæ vniuersæ, sed etiam ipsius petræ supra quam Christus fundabat Ecclesiam. Hæc promissio vsque hodie Sedem Petri contra omnes hæreses saluam præseruat, quamuis reliquorum Apostolorum sedes, nimirum S. Iacobi, S. Ioannis, S. Matthæi, S. Andreæ & aliorum, ab inferorum portis paulatim superatæ fuerint, quia ad ipsos specialiter non pertinebat hæc specialis prærogatiua. Hæc nimirum Petri sedes est, vt S. Augustini verbis vtar, *ipsa petra, quem non vincunt superbæ inferorum portæ.* Septima est, quòd Dominus pro solo illo tributum solui voluerit, vnde & ipsi statim Apostoli reliqui coniiciebant, hunc Petrum sibi omnibus prælatum esse. Et hoc ipsum affirmant etiã nonnulli Patres, Origenes, Chrysostomus & Augustinus in hunc Scripturæ locum. Sed quid? nonne D. Hieronymus expresse asserit, Apostolos in hac coniecturâ errasse? *Dominus*, inquit ille, *causam erroris intelligens, gloriæ desiderium humilitatis contentione sanauit.* At salua res est. Errarunt Apostoli, & non errarunt. Non errarunt, dum ex hoc Christi facto superioritatem Petri collegerunt, quæ tamen superioritas solùm intra spiritualis potestatis terminos continebatur: errarunt, quia temporalem aliquem dominatum suspicabantur, seque ei velut subditos Regibus subiiciendos esse. & hunc errorem correxit Dominus.

IV. *Ratione miraculi, ingressus scilicet super aquas.* Lib. 2. de Consideratione. V. *Quia primo illi Christi diuinitas reuelata fuit.*

a In Psal. 31 & lib. 6 de Trinit. & in cap. 16 Matth. b Serm. 4 contra Arianos. c In c. 16. Matthæi. d Lib. 12. in Ioan. c. 64. e Serm. 124. de Temp. f Serm. 2 de natali Petri & Pauli. Matth. 16.

VI. *Quia sedes eius in finem vsque mundi stabilita est.* In Psal. contra partem Donati. Matth. 17. VII. *Quia pro solo ipso Christus tributum soluit.* In cap. 18. Matth.

8. Octaua est, quòd primæ partes ei delatæ à Domino fuerint in naui Ecclesiæ militãtis, quod factũ fuit, dum ab eo iubetur laxare *retia in capturam* indifferenter, sine designatione certa ad quã nauigij partem, dexteram vel sinistram, rete expandi debeat, vt significetur, non solos bonos, nec solos malos ad Ecclesiam venire; quâ in capturâ etiam rete rumpitur, & nauis pænè mergitur, vt significentur schismata, hæreses & scandala, quæ Ecclesiam fluctuare cogunt; in quâ etiam sine numero pisces capiũtur, vt impleretur quod scriptum est: *Annuntiaui, & locutus sum, & multiplicati sunt super numerum.* Nona est, quòd etiam in naui Ecclesiæ triumphantis primas & supremas partes obtineat. Hoc ipsum significatũ fuit, dum post resurrectionem Christi iussus fuit retia iactare in dexteram nauis partem, quia soli boni ad vitam æternam colligentur. In hac piscatione non est ruptum rete, quia in alterâ vitâ non erũt schismata, nec hæreses, nec scandala. In hac item certus piscium numerus conclusus fuit, nimirum centum quinquaginta tres, quia præter definitum electorum numerum nulli alij ad triumphantem Ecclesiã admittendi sunt. Hæ ergo insignes prærogatiuæ sunt D. Petri Apostoli, quòd in vtraque naui & piscatione, quibus apertissimè totius Ecclesiæ status significatur, semper ipse princeps inueniatur. Et propterea Christus Dominus, cùm turbam docere vellet, relictis pluribus aliis nauiculis, intrauit in solam eam quæ erat Simonis, dubio procul nos docens, in eâ tantùm Ecclesiâ se esse, docere & reperiri, in quâ præsidem & gubernatorem agit Petrus eiusque successores Pontifices Romani. Decima prærogatiua est, quòd Christus speciales Patri suo pro Petri fide, ne ea aliquando deficeret, preces obtulit, quæ & procul dubio sunt exauditæ: ideoque nihil est quod hanc fidem ab hæreticis supprimi & deleri posse timeamus. *Simon*, ait Dominus, *satanas expetiuit vos Apostolos, vt cribraret sicut triticum; ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Vndecima est, quòd Christus à morte resurgens primum omnium Apostolorum se Petro videndum exhibuerit. Innuit hoc D. Paulus, dum ait: *Tradidi vobis inprimis quod & accepi, quoniam Christus mortuus est,*

Luc. 5. VIII. *Quia supremus ille in naui Ecclesiæ militantis.* Psal. 39. IX. *Supremus etiam in triumphante.* X. *Quia fides eius inuincibilis.* Luc. 22. XI. *Quia primo illi Christus à resurrectione apparuit.* 1. Cor. 15.

& quia sepultus est, & quia resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas, & quia visus est Cephæ, & post hoc vndecim: deinde visus est plusquam quingentis fratribus: deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus, nouissimè autem omnium, tamquam abortiuo visus est & mihi. Quod ergo nos diximus, ex hoc loco colligit D. Ioannes Chrysostomus, dum sic ait: *Itaque non omnibus initio visus est, nec pluribus simul, sed vni tantùm, & ei principi & fide maximè digno,* &c. Itaque Petro primùm apparet. nam qui Christum primus confessus erat, non abs re primus etiam resurgentem vidit.

9.

XII. *Priori ei Christus pedes lauit.* Ioan. 13

Duodecima est, quòd primo ipsi Dominus pedes lauerit, quæ D. Augustini probabilior est sententia: Verum quidem est, quòd Chrysostomus & Theophylactus opinentur primum fuisse Iudam, secundum verò Petrum: sed opinantur tantùm.

XIII *Quia soli illi suum martyrij genus prædictū.* Ioan. 21.

Decima tertia est, quòd soli Petro, quo mortis genere è vitâ tollēdus esset, Saluator prædicere voluerit, inquiens: *Cùm senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quò tu non vis.* vbi Euangelista addit: *Hoc autem dixit, significans quâ morte clarificaturus esset Deū.* Quòd verò idem mortis genus, quod ipse passurus erat, eidē prædixerit, euincunt verba illa, quæ posteà ad illum dixit, *Sequere me,* quod idem est secundùm veriorem S. Euthymij expositionem, ac, crucem patiendo me imitare.

XIV *Quia S. Ioannes Euangelista ei detulit.* Ioann. 20.

Decimaquarta porrò hæc est, quam idem Euangelista Ioannes his verbis refert: *Currebant autē duo simul, & ille alius præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum. Et cùm se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus qui venerat primus ad monumentum, & vidit, & credidit.* Quamuis ergo S. Ioannes, vtpote iunior ac validior, Petrum seniorem adeoque tardiorem præuerterit in viâ, & prior ad sepulchrum Domini venerit, non tamen prior eò intrauit, sed honorem illum Petro, veluti ei vt Apostolorum antesignano debitum, detulit, vnde loci huius Commentatores constantissimè primatum Petri colligunt.

XV. *Quia solus ipse à Christo baptizatus est.*

Decima quinta est, quòd Christus suis manibus Petrum baptizauerit. Habet hoc antiquus Scriptor Euodius, & S. Petri in Antiocheno Episcopatu successor, qui & probè nosse potuit, quid cum S. Petro actum fuerit. Asseuerat, inquam, hoc in Epistolâ quadam, vbi disertissimis verbis ait, Christum ex mulieribus solam B. Virginem Matrem suam, ex viris verò solum Petrum baptizasse, qui posteà Andream, Iacobum, & Ioannem, & hi ceteros baptizauerint. Videantur Nicephorus & Euthymius.

Lib. 2. Hist. cap. 2.
In cap. 3. Ioannis.

10.

Hactenus eas prærogatiuas recitauimus, quas ex sacrosanctis Euangeliis eliciuimus, quamuis haud diffitear, etiam alias colligi posse, quæ tamen ad has facillimo negotio reduci queat. Iam quid Acta Apostolorum de Petri primatu suppeditent, inspiciendum est.

XVI. *Quia primum eius suffragium in Concilio Apostolico pro eligendo alio in locum Iudæ.* Act. 1.

Sit ergo decima sexta, quæ desumitur ex illo loco, vbi Petrus instar familiæ Apostolicæ patris cœtum Discipulorum in vnum conuocat, atque alium quemdam in Iudæ præuaricatoris locum substituendum esse monet. Hoc ita esse docebit te Chrysostomus, docebit & Oecumenius. Ille dum sic ait: *Quàm agnoscit Petrus commissum sibi gregem? quàm in hoc choro princeps est?* Hic verò, dum hoc modo loquitur: *Surgit Petrus, non Iacobus, vt is cui præsidentia discipulorum commissa erat.* Neque vllus rationi Petri contradixit, sed mox ad eius præceptum constituerunt duos, quos dignissimos eo gradu existimabant, vt vnum eorum Deus ipse designaret.

XVII *Quia primus ille Euangelium prædicauit.* Act. 2.

Decima septima illa est, quòd Petrus primus omnium post acceptum Spiritum sanctum Euangelium publicè promulgauerit, veluti iam supremus in terrâ Christiani gregis pastor: quâ etiam concione tria hominum millia conuertisse legitur. Adstipulatur huic S. Ioannes Chrysostomus, inquiens: *Petrus omnium erat os; sed adstabant illi vndecim, testimonio suo comprobantes ea quæ ab illo dicebantur.*

XVIII. *Primū miraculū patrauit.* Serm. 69. Act. 3.

Decimam octauam collegit D. Ambrosius inde, quòd primum miraculū, quod in fidei testimonium factum fuit, à Petro patratum sit, idque ait meritò fuisse sic factum in pedum confirmatione, vt se totius Ecclesiæ fundamentum esse comprobaret. Quamuis enim Petro, dum hoc miraculum faceret, adfuerit etiam S. Ioannes, solus tamen Petrus, vtpote dignior & præcipuus, claudo dixit: *Aurum & argentum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do.* loquitur enim in singulari, auctoritatē suam demonstrans.

XIX. *Iudex supremus fuit in causâ Ananiæ.* Act. 5.

Decima nona prærogatiua hæc est, quòd D. Petrus, veluti summus & supremus in Ecclesiâ iudex cognouerit fraudem & hypocrisim Ananiæ & Saphiræ, feralemque sententiam in eos proferens, vno verbo eos occiderit.

XX. *Sollicitudo supremæ ei incubuit Ecclesiarum.* Act. 9.

Vigesima fit, quòd, vt S. Ioannes Chrysostomus ex illo loco Actuum Apostolicorum, *Factum est cùm Petrus transiret per omnes,* colligit, *quemadmodum dux in exercitu obambulans considerabat quæ pars sit coadunata, quæ ornata, quæ suo aduentu egeat. Vide,* addit ille, *vbique illum circumcursare, & primum inueniri.*

XXI. *Primus etiam Gentilibus fidem annunciauit.* Act. 10.

Vigesima prima inde patet, quòd D. Petrus primus omniū Apostolorum Gentilibus Euangelium annuntiauerit, id quod & primus Iudæis prædicauerat, vt suprà Prærogatiuâ XVII. vidimus: & quòd ei soli diuinâ visione ostensum sit, tempus iam esse, vt & Gentiles ad Christi ouile inuitentur.

XXII. *Tota Ecclesia pro illo orauit.* Act. 12.

Vigesima secunda illa est, quòd pro solo illo, dum in carcere detinebatur, ab Ecclesiâ totâ preces ad Deum factæ fuerint, sine intermissione, vtpote quia eum caput & primatem suum supremum agnoscebant fideles: quod tamen pro sancto Stephano aut pro S. Iacobo factum fuisse non legitur, quia plurimum interest, membrum aliquod vel ipsum caput periclitari.

XXIII. *Secundò supremum penes eum in Apostolico Concilio suffragij ius fuit.* Act. 15.

Vigesima tertia, quòd in Concilio Apostolico primus ipse locutus fuerit, eique non solùm S. Iacobus, sed & reliqui omnes calculum suum adiecerint.

XXIV. *Quia Paulus ei detulit vt superiori.* Galat. 1.

Denique vigesima quarta elicitur ex S. Pauli verbis, dum ait, *Post tres annos ascendi Ierosolymam videre Petrum.* quod honoris causâ ab eo factum fuit, vt eidem, tamquam suo in terris superiori, deferret, vt colligunt varij Doctores & Patres, inter reliquos *a* Oecumenius, *b* Chrysostomus, *c* Ambrosius, & *d* Hieronymus.

a In hunc locum.
b Homilia 87. in Ioannem.
c In cap. 1. Galat.
d Epist. 89. ad Augustinum.

11.

Viginti autem quatuor prærogatiuas solùm è tot aliis attulisse id fuit consilij, quòd illæ tot quot præfuit annis haud inconcinnè respondeat, atque tot è sacris Litteris Præeminentiæ, quot annis Primatum in terris obtinuit, colligantur, quod haud absque mysterio factum putauero. Ad Patres sacros deuenimus, quorum iam mul-

tos

tos in præcedentibus pro sacratissimæ Scripturæ locorũ explicatione pro Primatu Petri adstruendo adduximus, præter quos, ne quid proposito deesse videatur, & alios, Lectoris in gratiam, & hæreticorum ruborem, adscribendos censui. Et vt à Latinis initium faciamus, eâ in classe se primum meritò offert S. Clemens Romanus, qui magistri & prædecessoris sui D. Petri principatum hisce verbis adstruit: *Simon Petrus, qui vera fidei merito, & integræ prædicationis obtentu, fundamentum esse Ecclesiæ definitus est: quâ de causâ etiam Domini ore diuino cognominatus est Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini, Apostolorum primus, cui & primo Deus Pater Filium reuelauit, cui & Christus competenter beatitudinem contulit, qui & vocatus est & electus, & conuiua Domini & comes effectus, tamquam bonus & probatissimus Discipulus, qui obscuriorem mundi plagam Occidentis (velut omnium potentior) illuminare præceptus est, quiq; & integrè potuit implere præceptum.* Post hunc habemus S. Anacletum Papam, qui postquam fusè eamdem rem disputasset, ita tandem concludit: *De Primatibus, charissimi, super quibus me quidam vestrûm consuluerunt, & Apostolicæ auctoritatis (quâ, licet indigni, Domino dispensante fungimur) decretum postulauerunt, aut si esse deberent aut non, quantum hactenus de his à B. Petro Apostolo, & à reliquis Apostolis, ac à B. Clemente nostro sancto prædecessore & Martyre, denegare vobis minimè possumus.* Inde disserit de Presbyterorum, Episcoporum, Patriarcharum & Primatum varietate, docetque hoc esse discrimẽ inter alias Ecclesias & Romanam, quòd illæ suos habeant Primates ab Apostolis, vel à Clemente, vel à S. Anacleto, Romana autem Ecclesia immediatè à Iesu Christo, quod hisce verbis comprobat: *Hæc sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Saluatore nostro Primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias, & totum Christiani populi gregem assecuta est, sic, vt ipse B. Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Nec ita multò pòst: *Adhibita est etiam societas in eadem Romanâ vrbe beatissimi Apostoli Pauli, vasis electionis, qui vno die, vno quoque tempore, gloriosâ morte cum Petro, sub Principe Nerone agonizans coronatus est.* Tandem solemniter hunc in modum concludit: *Prima ergo Sedes est cælesti beneficio Romanæ Ecclesiæ, quam beatissimi Petrus & Paulus suo martyrio consecrarunt.* Sed quia domesticæ & à Romanis Pontificibus desumptæ auctoritates delicatissimis hæreticorũ nostrorum auribus suspectæ fidei esse solent, eti, ne vel minimum quid cauillari queant, exterorum testimonia aduocamus. Sanctus igitur Cyprianus sic ait: *Quanti meriti apud Dominum suum Petrus erat, vt ei post nauiculæ paruæ remigium totius Ecclesiæ gubernacula traderentur?* Optatus Mileuitanus etiã quod pro nobis facit, scriptum reliquit, dum sic ait: *Cathedra vna est; & negare non audes, scire te Petro primum in vrbe Româ cathedram esse collatam, vbi sederit omnium Apostolorum caput Petrus, inde Cephas appellatus, in quo vno cathedræ vnitas ab omnibus seruaretur, nec ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, vt iam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram, alteram locaret. Ergo cathedra vna est, quæ est prima de dotibus,* &c. S. Hieronymus sic scribit: *Inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tolleretur occasio. Sed cur non Ioannes electus est virgo? Ætati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens ac penè puer progressæ ætatis hominibus præferretur.*

Primatus Petri ex Patribus probatur Latinis.
Epist. 1.
Epist. 3.
Serm. 3. de Apost.
Lib. 2. Cõtra Parmenian.

S. Augustinus haud semel Petrum primatum habuisse asserit: inter alia statuit, posse quidem Cypriani martyrium comparari cum martyrio Petri, licet Petri esset multò nobilius, quia in eodem genere sunt Martyrum omnium palmæ: at sedem Cypriani non posse conferri cum sede Petri, quia non solùm sedes Petri est nobilior sede Cypriani, sed est quodammodò in alio genere; differunt enim vt totum & pars. Alibi idem S. Augustinus, de Petri pœnitentiâ verba faciens, sic ait: *Totius corporis morbum in ipso capite curat Ecclesiæ, in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem,* &c. Auctor Quæstionum veteris & noui Testamenti, quæ D. Augustino adscribuntur, in quibus Operibus etiam circumferuntur, *Manifestum est,* ait, *in Petro omnes contineri. Rogans enim pro Petro, pro omnibus orasse dignoscitur. Semper enim in Præposito populus aut corripitur aut laudatur.* Arator Poeta sic canit de Petro:

—— cui tradidit Agnus
Quas passus saluauit oues, totumq; per orbem
Hoc auget pastore gregem, quo munere Sextimus
Surgit, &c.

Ven. Beda: *Vidit cordis eius simplicitatem, vidit animi sublimitatem, cuius merito cunctæ esset præferendus Ecclesiæ.* S. Bernardus: *Instar Domini gradiens supra mare, vnicum se Christi vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet. siquidem aquæ multæ, populi multi.*

12.
Lib. 2. de baptismo, cap. 1.
Serm. 111. de Tempore.
Tomo 4. Operum. Quæst. 75.
In c. 1. Act.
Hom. in Vigil. S Andreæ in illud Ioan. 1. *Intuitus eũ.*
Lib. 2. De Consider.

Sed ne Latinis solùm Patribus insistamus, etiam quid ipsimet Græci olim, antequã eorum posteri nefariè nefario schismate se ab vnitate Ecclesiæ separassent, de Petri Primatu crediderint, docuerint, inspiciendum est. S. Dionysius Areopagita, ab ipso S. Paulo Apostolo baptizatus, S. Petrum appellat supremum & antiquissimum Theologorum *fastigium.* Deus bone! quàm reprehensus fuisset bonus ille Areopagita à primis Christianis, si quid à veritate alienum, & reliquorum Apostolorum auctoritati detractiuum scripsisse fuisset deprehensus. Sed, quod hæreticis nostris solemne est, dum se Patrum testimoniis non solùm onerari, sed planè obrui & vinci vident, illorum auctoritatem eleuant: ita & Dionysium hunc & eius sacra scripta perfidissimè reiiciunt. Sed legant quæ varij pro eisdem scripserunt, & velut vno in fasce à R. P. Balthasare Corderio, Societatis IESV Doctore, Theologo, in suâ recentiore Operum Dionysianorum versione & Plantinianâ editione comprehensa sunt, & manifestè errorem suum, ni cæci planè sint & obstinatissimi, deprehendent. Sed & alios è Græciâ Patres huc aduocamus, & velut testes fide dignissimos, & quorum auctoritas à nemine, nisi perditissimo scurrâ, contemni; à nemine, nisi profligatissimæ probitatis ganeone, eludi queat, aduersus Lutheranos & Caluinianos in iudicium sistimus. Sed vt cõtra quos & quale testimonium dare debeant sciatur, animaduertendũ est, Magdeburgenses Lutheranos scripsisse, Primatum in Ecclesiâ esse notam Antichristi; & Caluinum, *quamdiu durauit Ecclesiæ vera & pura facies, omnia ista superbiæ nomina,* capitis inquam & primatus, *quibus posteà insolescere cœpit Romana sedes, prorsus fuisse inaudita.* Indicat verò dicto loco Caluinus, S. Hieronymi tempore adhuc durasse veram & puram

Item è Patribus Græcis.
De Diuinis nomin. cap. 3
Cent. 1. lib. 2. c. 7. col. 527.
Lib. 4. Instit. cap. 7. §. 3.

puram Ecclesiæ faciem. Iam tibi habe hos Græciæ Patres Hieronymo antiquiores. En primus prodit, testimonium dicturus, Origenes, qui rogatus, an ipse, suo tépore Petri in Ecclesiâ Christianâ primatum agnitum fuisse, recordetur, ad hæc quæ olim scripsit verba prouocauit. *Petro cùm summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum velut super terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo nisi charitatis exigitur.* Hoc abeunte eubcatur Eusebius, qui nil ferè locutus, digitum intendit ad ea quæ scripserat in Chronico suo: *Petrus Apostolus natione Galilæus, & Christianorum Pontifex primus.* atque sic abiit. Hoc inter Iudices obseruatum fuit discrimen, quod Eusebius ponit inter Petrum & aliarum ciuitatum Episcopos. De Petro enim non dicit, Romanorum primus Episcopus, sicut in eodem loco, ad quem digitum intenderat, dixit de Iacobo, *Ecclesiæ Ierosolymorum primus ordinatus ab Apostolis Episcopus Iacobus frater Domini*; & de Euodio, *Primus Antiochiæ Episcopus ordinatur Euodius*: sed, *Christianorum Pontifex primus.* ideoque iudicatum fuit, & meritò, Petrum non priuati alicuius loci, aut particularis cuiuspiam Ecclesiæ, sed generalem & vniuersalem totius Christianitatis fuisse Pastorem & Episcopum. Sed quid S. Basilius, testimonium dicere iussus, edixit? *Ille, inquit, beatus, qui ceteris prælatus discipulis fuit, cui claues regni cælestis commissæ,* &c.

In cap. 7. ad Rom.

Serm. de Iudicio Dei.

13. Huic successit S. Gregorius Nazianzenus, qui præfatus, in omnibus rebus esse debere ordinem, argumentum sumpsit ab Apostolis, qui etsi omnes magni essent, tamen vnum præpositum habuissent, sic tandem inquiebat: *Vides quemadmodum ex Christi discipulis, magnis vtique omnibus & excelsis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ habeat, ac reliqui discipuli posthaberi se tranquillo animo ferant.* Eumdem in sensum & reliqui responderunt. Epiphanius quidem sic: *Petrum elegit, vt dux esset discipulorum.* Et: *Hic est qui audiuit, Pasce agnos meos, cui creditum est ouile.* Cyrillus verò Ierosolymitanus Petrum Principem Apostolorum excellentissimum vocauit. Alexandrinus verò dixit: *Vbi Princeps caputq; ceterorum primus exclamat, Tu es Christus filius Dei viui.* Et, citante S. Thomâ in Opusculo contra Gentes, *Sicut Christus accepit à Patre sceptrum Ecclesiæ Gentium, dux ex Israël egrediens, super omnem principatum & potestatem, super omne quodcumque est, vt ei cuncta curuentur: sic & B. Petro & eius successoribus plenissimè commisit, & nulli alij, quàm Petro, Christus quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit.* Sanctus quoque Ioannes Chrysostomus aiebat: *Petrum Ecclesiæ futuræ Pastorem constituit*, scilicet Christus. Item: *Deus concedere solus potest, vt futura Ecclesia tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cuius Pastor & caput homo piscator atque ignobilis.* Item: *Ieremiam vni genti Pater, hunc autem vniuerso terrarum orbi Christus præposuit.* Sed & alibi iteratis vicibus Petro fratrum suorum, id est Apostolorum curam demandatam & totum orbem commissum fuisse affirmat. Euthymius sic respondebat: *Si dicas, quomodo Iacobus sedem Ierosolymis accepit? Respondeo, hunc* (Petrum) *totius orbis magistrum esse constitutum.* Itidemque bis adhuc repetit, Petrum accepisse præsidentiã super discipulos. Theophylactus, *Planus huius intellectus is est, Quia te habeo vt principem discipulorũ, postquam negato me fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma ceteros. Hoc enim decet te, qui post me Ecclesiæ petra es & fundamentum.* Et: *Tu Petre conuersus, horum exemplum pœnitentiæ eris omnibus, qui cùm Apostolus fueris, & negaueris, iterùm receperis primatum omnium, & præfecturam orbis.* Etiam alij testimonium dicturi aderant, sed horum testimonia sufficiebant, ideoque hac vice cessatum est.

Orat. de Moderat. in disputat. seruandâ.

Hæresi 51.

In Ancorato.

Catechef. 2.

Lib. 2. in Ioann. c. 64.

In Thesauro.

Homil. 55. in Matth.

Homil. vlt. in Ioannem.

In cap. vlt. Ioan.

In cap. 22. Lucæ, in illud, *Confirma fratres tuos.*

Arrigite iam aures, asini Magdeburgenses, arrige & tu tuas Caluine, & audi, num in sinceriore, vt vis, Ecclesiâ nomina *primatus* & *capitis* nota fuerint, aut an, vt calumniaris, superbiâ Sedis Romanæ adinuenta fuerint. Verùm enimuerò, quia succedanei Nouatores, quandoquidem primatum & caput in Ecclesiasticâ hierarchiâ negare honestè non possunt, saltem, vt Romani Pontificis auctoritatem eleuent, pertinaciùs negant, eumdem D. Petro successisse; id ipsum iam probatum imus Iure tum diuino, tum humano successionis. Debuit sanè aliquis D. Petro in Pontificatu vniuersæ Ecclesiæ succedere, vt vel ex ipso Pontificatus fine est colligere. Certum quippe est, quòd Pontifex constituatur propter Ecclesiam, non verò Ecclesia propter Pontificem. Verùm haud minùs iam Ecclesia generali & vniuersali Pastore indiget, quàm tempore Apostolorum, quin verò magis; quia nunc sunt plures & peiores Christiani, adeò vt moriente Petro haud interire debuerit Pontificatus, vtpote qui non pro Petri vtilitate, sed pro Ecclesiæ bono institutus erat, sed potiùs tamdiu perseuerare quàm ipsa Ecclesia in terris peregrinaretur, & vnius summi Pastoris curâ & vigilantiâ opus haberet. Alioquin etiam ipsa Ecclesiæ vnitas, quæ omni tempore & semper eadem est, requirit, ne regiminis eius forma mutetur, cùm omnis mutatio præsens periculum secum vehat. Verba insuper Domini, *Pasce oues meas*, idem exigunt, vtpote quòd ibi pastor & oues sint relata quę se mutuò ponunt, adeò vt quamdiu oues & ouile supersunt, necessariò pastor requiratur: Ouile verò Christi ad mundi vsque finem perseuerabit, atque proinde etiam pastor illius necessariò concedendus est. Et sanè, nisi vsque hodie, & semper, omnibusque futuris temporibus aliquis ouilis seu Ecclesiæ pastor à Christo daretur, malè nobis, malè posteris nostris à Christo prouisum fuisset, vtpote quos vagos & incertos luporum vrsorumque infernalium morsibus & lacerationibus exposuisset. Hinc rectè S. Ioannes Chrysostomus: *Quanam de causâ ille sanguinem effudit suum? Certè vt pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro tum Petri successoribus committebat.* Et S. Leo: *Perseuerat Petrus, & viuit in successoribus suis.* Et Petrus Rauennas: *Beatus Petrus qui in propriâ sede viuit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Sed & hoc vrget, quòd Ecclesia vnum corpus sit, & suum quoddam caput hîc in terris habeat præter Christum, vt patet ex 1. Corinth. 12. vbi postquam Paulus dixerat Ecclesiam esse vnum corpus, subdidit: *Non potest caput dicere pedibus, Non estis mihi necessarij*; quæ vtique verba non competunt Christo, qui verè omnibus nobis dicere potest, *Non estis mihi necessarij.* Aliud ergo in terris caput agnoscendum est, quod nemo est præter Petrum, eoque mortuo, eius successores. Euiusque rationem & viuum typum habuimus

14. *In primâ & puriore Ecclesiâ Petri Primatus agnitus fuit.*

In Ecclesiâ semper aliquod caput supremum necesse est.

Lib. 2. de Sacerdotio.

Serm. 2. de Anniu. assumpt. suæ.

Epist. ad Eutychen.

buimus in veteri Testamento, vbi Aaroni successit Eleazar, huic Phinees, & sic consequenter: quæ ratio etiam in Ecclesiâ Christi militat.

15. Quòd verò legitimi illi S. Petri in Ecclesiæ generali primatu successores sint soli Romani Pontifices, probatu haud est difficile, cùm nullus sit nec fuerit vmquam, qui se Petri successorem quouis modo dixerit esse, vel pro tali sit habitus, quàm solus Romanus & Antiochenus Episcopi. Verùm enimuerò quamuis Antiochenus sit Petri successor, illa tamen successio non est quoad Pontificatum generalem totius Ecclesiæ, sed tantùm quoad priuatum & particularem Episcopatum Antiochensem; quod sic doceo. Succedere non dicimur nisi ei qui nobis locum suum resignauerit aut depositus fuerit, vel qui morte naturali locum suum cum omni quod habebat iure, quasi heredandum reliquerit. Dum verò D. Petrus Episcopatum Antiochenum abdicauit, eumque successori relinquens aliò commigrauit, non simul Pontificatum vniuersalem abdicauit, sed eum Romam transtulit, vtpote qui non loco sed personæ annexus esset. Ideoque solus ille in vniuersali Pontificatu D. Petri successor dicendus & habendus est, qui D. Petro in illo loco, vbi Summo Pontificatu, quem ad vitæ vsque suæ finem retinuit, per mortem defunctus est. At hoc nullibi nisi Romæ contigit; ergo nulli alij Episcopi, quàm soli Romani, veri & genuini sumæ in Ecclesiâ dignitatis & potestatis sunt successores & heredes. Et sanè, si Antiochenus Episcopus D. Petro in Summo Pontificatu successisset, vtique etiam primus & supremus omnium Episcoporū habitus & dictus fuisset, quod tamen haud ita factum fuit, cùm in Concilio Nicæno solùm tertius non primus Patriarcha nominetur, imò neque secundus, neque vmquam Antiocheni Episcopi altiorem locum vel dignitatem sibi arrogarint. Quod vt paulò meliùs intelligatur, obseruandum est, aliud esse successionem, aliud rationem successionis. Successio Romani Pontificis in Pontificatum Petri, prouenit ex institutione Christi: successionis verò ratio, quâ Romanus potiùs Pontifex quàm Antiochenus aut quispiā alius succedat, ex facto D. Petri initium sumpsit. Dico ergo, successio ipsa ex Christi instituto & à Iure diuino oritur, quia ipsemet Christus in Petri personâ instituit Pontificatum duraturum vsque ad finem mundi: & proinde quicumque Petro succedit, succedit simul & à Christo supremo capite donatur à se instituto Pontificatu. Quòd verò Episcopus Romanus, quà est Episcopus Romanus, D. Petro succedat, ex facto Petri, non ex primâ Christi institutione ortum habuit: potuisset enim D. Petrus, si libuisset, nullam certam sibi sedem eligere, & tunc neque Antiochenus neque Romanus, neque alius quispiam ex Iure successisset, sed ille solùm quem vniuersalis Ecclesia sibi loco D. Petri in caput elegisset. Quòd si semper Antiochiæ mansisset, ibique mortuus fuisset, nemo dubitat quin Antiocheni Episcopi in primatu successissent: quia verò Romæ sibi sedem delegit, eamque ad mortem vsque retinuit, inde factum est quòd Romanus Episcopus in Summo Pontificatu succedat.

Legitimi D. Petri in primatu Ecclesiastico successores sunt Pontifices Romani.

Canone 6.

16. Age verò & hic vtriusq; nationis Patres, tam Græcos quàm Latinos, audiamus, ne nostris solùm ratiocinatiunculis inniti videamur. E Græcis igitur sic loquitur S. Irenæus: *Ad hanc Ecclesiam,* loquitur verò de Romanâ, *propter potentiorē principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles, in quâ semper ab iis qui sunt vndique, conseruata est ea quæ ab Apostolis est traditio.* Expendantur hæc verba, & quid importent probè ponderetur; lapis fiam, nisi hæretici nostri ad extremum vsque ruborem inde cōfundantur. Sed quid hoc est, quod Epiphanius narrat? *Vrsacius,* inquit, *& Valens pœnitentiam agentes, vnà cum libellis profecti sunt ad beatum Iulium Romanum Episcopum pro ratione reddendâ de suo errore ac delicto.* Iam tu accede hæretice, & mecum inspice quid Epiphanius dixerit. Primùm ex te quæro, an historiam Epiphanij veram habeas, an falsam. Si veram, bene est: si falsam, iam tuorum Patriarcharū, Lutheri, Caluini, Magdeburgensium Centuriatorum, Colloquistarum Hailbrunnensium, Conferentium Lipsianorum, & nescio quorum tandem tui fanatismi auctorum impudentiam coarguis, qui ex eodem auctore quædam pro se adducere non sunt veriti, adeoque mendaciis tuam opinionem niti vel inuitus confitebere. Quod ne facere cogaris cum tuâ tuorumque ignominia, veram esse Epiphanij historiā, vt rem certam præsupponimus. Vrsacius & Valens erant Episcopi: hi cùm iam suis hæresibus aliquamdiu Ecclesiam fatigassēt, conuicti tandem, erroremque agnoscentes, facti sui veniam impetraturi Romam ad Iulium Pontificem proficiscebātur. Hui! Quare Episcopi, qui in suis diœcesibus supremam auctoritatem obtinebant, Romam præcisè ad Romanum Pontificem, & non ad Constantinopolitanum Antiochenúmve Patriarcham proficiscuntur, à quibus sui delicti indulgentiam peterent? Taces? Scilicet quia Romanus Pontifex omnium aliorum Episcoporum Iudex & caput est. Hæretici fuerant, & multa proculdubio contra Sedem Romanam effutierant, & nisi sciuissent, à nemine aliò quàm à Romano Pontifice, vtpote supremo capite Ecclesiæ in quam ipsi deliquerāt, veniam sibi dari potuisse, sat scio, ne quidem dignati fuissent ad Romanum Pontificem litteras scribere, nedum ipsimet ad eum proficisci, eius se censuræ submittere, & suppliciter ab eo sceleris sui condonationem exorare. Sed pergo. Refert S. Athanasius, quosdam ex Ecclesiâ, rectè quidem sentientes, sed ignaros causæ cur Dionysius Alexandrinus Patriarcha nonnulla, quæ minùs sana ipsis videbantur, scripsisset, Romam abiisse, ibique eum apud Dionysium Romanum Præsulem accusasse. Cur, quæso, apud Romanū Pontificem, virum Patriarcham accusarunt, nisi quia Romanus Pontifex communis habebatur omnium Iudex? Sed & insuper S. Basilius Romano Pontifici tribuit auctoritatem visitandi Ecclesias Orientis, decreta ibi statuendi, atque Concilia generalia ibi celebrata, quale erat Ariminense, rescindendi. Qui sic? Quia nimirum Romanus Pontifex, vtpote totius Ecclesiæ Catholicæ & Christianæ caput, in Ecclesias illas Orientis, vbi tot erant Patriarchales, Metropolitanæ, Archiepiscopales Episcopalesque Sedes, supremam auctoritatem & iurisdictionem obtinebat. Sed verba ipsa S. Basilij audiamus. *Visum est,* inquit, *scribere ad Episcopum Romanum, vt videat res nostras, & iudicij sui decretum interponat: vt quia difficile est aliquos*

Patres orthodoxi semper eos tenuit tales sunt venerati.

Lib. 12. c. 3.

Hæresi 68. quæ est Meletianorum.

Lib. 2. de Sententiâ Dionysij Alexandrini Episcopi.

Epist. 52. ad Athanasium.

quos inde de Concilij sententiâ mitti, ipse auctoritatem rei tribuat delectis viris, qui laborem quidem itineris perferre possint, lenitate verò ac facilitate morum, tum commodâ & prudenti oratione eos, qui à rectâ viâ deflexerunt monere, quiq; Acta Ariminensis Concilij secum ferant, ad rescindenda quæ illic violenter acta sunt, &c. S. Gregorius Nazianzenus, ait Romanam Ecclesiam semper cõseruasse veram de Deo sententiam, vt decet eam vrbem quæ toti orbi præsidet. Et caue tu quisquis es aduersarius, vt dicas Nazianzenum de temporali loqui Imperio, temporum enim illorum te falsitatis arguet ratio, vtpote cùm tum Imperatoria sedes Constantinopoli non Romæ esset. S. Ioãnem Chrysostomum ab Episcopatu deposuerat Constantinopolitano Theophilus Alexandrinus Episcopus. Idque in Concilio multorum Episcoporum. Chrysostomus ergo ab iniquâ illâ sententiâ ad Innocentiũ Papam, vtpote quem summum etiam Græcorum Iudicem agnoscebat, prouocat, eumque, licet ipse ætate illo esset longè prouectior, patrem appellat, rogatque vt suâ auctoritate sententiam Theophili iniquam fuisse decernat; quod & factum est. Theodoretus Episcopus erat 800. Ecclesiarum, quem aduersarij nõnulli, hæresis eum insimulantes, ab Episcopatu deposuerant. Ille verò ab illâ particularium Iudicum iniquâ sententiâ ad supremum Iudicem, Leonem Romanum Pontificem appellat, eique sic scribit: *Apostolicæ vestræ Sedis expecto sententiam, & supplico & obsecro vestram sãctitatem, vt mihi opem ferat iustum vestrum & rectum iudicium, & iubeat ad vos accurrere, & ostendere meam doctrinam vestigia Apostolorum sequentem.* Et in aliâ Epistolâ ad Renatum Romanum Presbyterum sic scripsit: *Spoliarunt me Sacerdotio, eiecerùntque ex ciuitatibus, neque ætatem in religione exactam, neque caniciem reueriti. Quamobrem te precor, vt sanctissimo Archiepiscopo Leoni persuadeas, vt Apostolicâ vtatur auctoritate, iubeatq; ad vestrum Concilium adire. Tenet enim ista sancta Sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum.* Denique Iustinianus Imp. Græcorum, dictus Senior, sic ad Pontificem Romanum scribit: *Nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quod non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ caput est omnium sanctarum Ecclesiarum.*

In Carm. de Vita suâ.

Epist. 1. ad Innocẽtium.

Epist. ad Ioan. II. qui habetur Tit. 1. Cod.

17. In producendis sanè Patribus Latinis non est quòd admodũ laboremus, cùm nullus inter eos fuerit, qui non vltrò & libentissimè hanc in Romano Pontifice supremam auctoritatem, & ab alio quàm ipsomet Christo independentẽ, agnouerit atque palàm professus fuerit. Vnus tamen atque alter insuper consulendus est, ne planè eos præteriisse videamur. S. Cyprianus loquens de schismate Nouatianorum, qui Cornelium Romanum Pontificem, quia iustitiæ rigorem in illorum impietatem exercuerat, agnoscere nolebant sic ait: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur; nec vnus in Ecclesiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur. Cui si secundùm magisteria diuina optemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersus Sacerdotum collegium quidquam moueret,* &c. S. Ambrosius sic ait: *Cùm totus mundus Dei sit, tamen domus eius Ecclesia dicitur, cuius hodie rector est Damasus.* Alibi item sic ait: *Percunctatus Episcopum est, si cum Episcopis Catholicis, hoc est si cum Romanâ Ecclesiâ conueniret.* Sed nulla alia est causa quare alij Episcopi cum Romano conuenire debeant, nisi quia ille est caput Ecclesiæ. S. Hieronymus, quamuis Presbyter Antiochenus esset, ouem se tamen Romani Episcopi agnoscit, & Damasum Romanum Pontificem Petri esse successorem confitetur, dum sic loquitur: *Quamquam tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas: à pastore præsidium ouis peto. Cum successore Piscatoris & discipulo Crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arcâ non fuerit, peribit regnãte diluuio.* Quæ D. Hieronymi sententia tam est manifesta, vt etiam Erasmus ille Roterodamnensis, quem hæretici velut Apollinis oraculum habent, eò quòd aduersus Romanam Ecclesiam scommata & dicteria effutierit, cùm hæc legeret, dixerit, Hieronymi hic esse sententiam, omnes alios Episcopos Romano velut capiti & supremo esse subiectos. Defatigarem tum me tum Lectorem, si omnes Scriptores Latinos adducere, aut eorum verba exscribere velim: digito igitur eos saltẽ monstrabo, Lector meus, si placet, ipsosmet adire poterit. Videantur igitur D. Augustinus Epist. 162. & Epist. 92. ad Innocentium, item Epistolâ 157. ad Optatum, item lib. 1. ad Bonificacium, cap. 1. S. Prosper libro de Ingratis, & libro 2. de Vocatione Gentium, cap. 6. Victor Vticẽsis lib. 2. de Persecutione Wandalicâ; Vincentius Lirinensis in suo Commentario; Cassiodorus lib. 11. Epist. 2. ad Ioannem Papam; Beda lib. 2. Historiæ Anglorum, c. 1. Anselmus lib. de Incarnatione Verbi, cap. 1. Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis, part. 3. c. 15. Denique S. Bernardus Clara-vallensis Abbas egregia hac ipsâ de re scripsit, cuius verba adducere ideò fuit consilij, quòd alicubi legerim, ipsummet Ioannem Caluinum virum hunc vocare sanctum; quod certè non solùm miror, sed prorsus stupeo, Caluinum tam fuisse stupidum, vt eum sanctum vocauerit, qui tam egregiè pro Ecclesiâ Romanâ, pro sanctissimæ Eucharistiæ cultu & adoratione, pro Sanctorum veneratione, pro Imaginum sacrarum assertione, pro Monachatu stabiliendo, &c. decertauit; cùm tamen hæc omnia, mente quidem Caluini & hæreticorum, sinceræ & veræ fidei sint aduersa, sine sincerâ verò & verâ fide sanctitas obtineri nullatenus possit. Quàm ergo mendax Caluinus, qui ea ipsa quæ recensui falsa & ex Antichristi doctrinâ profecta esse dicit, & tamen per illorum fidem sanctitatem haberi putat. Si ergo sanctus est Bernardus, vt verè est, etiam illa quæ credidit & docuit, sancta fuisse & esse oportet. Quæ cùm reuerà ita sint, quid ille de Romano Pontifice crediderit & docuerit videamus. Sic ergo ait: *Age indagemus adhuc diligentiùs quis sis, quam geras, videlicet pro tempore, personam in Ecclesiâ Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex: tu Princeps Episcoporum, tu heres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidẽ & alij cæli ianitores, gregumq; pastores: sed tu tantò gloriosius, quantò & differentius vtrumque præ ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli*

Lib. 1. Epist. 3. ad Cornelium Papam.

Quid de Pontifice Romano D. Ambrosius.

In cap. 3. Epist. 1. ad Corinth.

Orat in Satyrum.

Quid S. Hieronymus.

Epist. ad Damas. de nomine Hypostasis.

Idipsum plures alij grauissimi.

Lib. 4. Instit. cap. 7. §. 22.

Etiã D. Bernardus quem Caluinus ait fuisse sanctũ.

Lib. 2. de Cõsideratione.

Verba sancti Bernardi clarissima.

guli singulos: tibi vniuersi crediti, vni vnus. Nec modò ouium, sed & pastorum tu vnus omnium pastor. Et infra: *Ergo iuxta canones tuos, alij in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos qui potestatem super alios acceperunt. Nonne si causa extiterit, tu Episcopo cælum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere etiam & tradere satanæ potes? Stat ergo inconcussum priuilegium tuum tibi, tam in datis clauibus, quàm ouibus commendatis.* Accedite iam Caluiniani, & videte quâ fide & doctrinâ Bernardus sanctitatem indeptus fuerit (sanctus enim est, vt Patriarcha vester, cui omnino credere vobis fas est, asseruit) nimirū professione publicâ, Romanum Pontificem esse caput Ecclesiæ Dei. Si ergo & vos sanctitatem nancisci, adeoque beati euadere vultis, Romanum Pontificem caput Ecclesiæ esse profitemini, ei vos subiicite, eius vocem audite, & sic ad æternum ouile introducemini. Et hæc quidem hactenus dicta sufficiant, vt supremam in Ecclesiâ iurisdictionem penes vnum & solum Romanum Pontificem esse constet, eique soli & vni dispensationis ac distributionis thesauri meritorum & satisfactionum per Indulgentiarum concessionem ius atque facultatem competere.

Idque ad hæreticorum confusionem.

18. Quæret fortè quis, num & aliis inferioribus Episcopis idem Indulgentias concedendi ius adscribendum sit; quandoquidem illud eis demere videamur, dum soli & vni Romano Pontifici illud ipsum asseruimus. Respondeo, & illos inferiores Episcopos partem nonnullam huius thesauri expendere posse, non quidem ex se, sed mediante communicatione quam habent cum summo Pontifice in parte sollicitudinis & curæ animarum: æquum enim est, vt dum Papa Episcopos velut muneris sui vicarios & laboris cooperatores assumit, eis etiam impertiatur atque communicet partem aliquam pabuli vel potiùs medicamentorum, quibus, si fortè oues aliquæ illis indigeant, eisdem succurrere valeant. Vnde nōn tantùm Christus D. Petro, vtpote suo in vniuersali potestate & summo Pontificatu successori, facultatem concessit vt Indulgentias fidelibus assignare queat, sed ipsemet quoque, vtpote summus & æternus Pontifex, reliquis suis Apostolis hanc eamdem facultatem impertiit: quod, diuersorum Auctorum sententiâ, probari potest ex hisce sacræ Scripturæ locis. Apostolis omnibus dictum est: *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo,* &c. Quæ promissio cùm & ipsa generalis sit, non est ratio cur non etiam ad pœnæ solutionem extendi possit, præsertim cùm diuinæ iustitiæ satisfiat ex redundantibus Christi ac Sanctorum satisfactionibus. Cur enim potiùs colligatur ex his verbis potestas absoluendi à culpâ letalis peccati per Sacramentum, quàm soluendi à pœna per applicationem indulgentiæ, quantum ad verba spectat illa generalia, quemadmodum etiam vtrumque sensum æquè commodè admittunt. Locus alter est D. Pauli, qui sic ait: *Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi, vt non circumueniamur à satanâ.* Rogauerant Corinthij D. Paulum, vt Theodoretus & S. Thomas in hunc locum docent, vt incestuoso excommunicato ac seriam pœnitentiam agenti ignosceret, ac reliquum pœnitentiæ condonaret. Annuit Apostolus, & iussit vt ipsi suo nomine indulgerent. Ceterùm notandum est, tametsi Christus sæpiùs Sanctis aliquibus speciales indulgentias concesserit post Ascensionem suam, hoc tamen semper voluisse, vt eædem à Summis Pontificibus, pro fidelium maiori certitudine, confirmarentur, vti patet ex Reuelationibus S. Birgittæ, vbi eadem Sācta à Christo missa est ad Vrbanum VI. vt ille concessis à Saluatore indulgentiis Monasterio Wastenensi subscriberet; prout etiam in Franciscanorum Chronicis factum fuisse legimus cum indulgentiis Portiunculæ siue B. Mariæ de Angelis per D. Franciscum à Christo impetratis. Quæ cùm omnibus passim sint notissima, ad secundum quod in indulgentiarum concessione requiritur, accedimus.

Episcopi in aliqualē indulgentiarū concedendarū participationem veniūt.

Probatur. Matth. 18.

2. Cor. 2.

Indulgentiæ etiam a Deo cōcessæ à Papā approbatæ fuerunt.

Lib. 4 c. 137.

19. In parabolâ Euangelicâ de semine aliud cecidisse narratur inter spinas, quod simul exortæ spinæ suffocauerint. Spinæ significant peccata, vt docuit *a* Origenes & S. *b* Hieronymus, & colligi videtur ex Psalmo 31. & 57. Prouerb. 27. Isaiæ 5. Ierem. 4. & aliis Scripturæ sacræ locis; vt tunc semen diuinum dici possit inter spinas cadere, & ab iis suffocari, cùm is qui indulgentias lucraturus est, peccatis est obnoxius. Et sanè meritò peccata per spinas designantur, vtpote quibus Christi Seruatoris benedictissimum caput dirissimè coronatum fuerit, atque hominis anima dilaceretur, penitusque suffocetur quidquid in eam boni inciderit. Sed & hoc nonnulli in hac similitudine annotant, quòd sicuti semen non statim atque pullulare incipit à spinis suffocatur, sed postquam iam in spicam & aristas accreuit; ita & neque peccata impediant priores quæ pro lucrandis indulgentiis fiunt conditiones, sed vltimas tantummodò, & illas in quibus ipse operi finis imponitur. V. g. si pro lucrandis Iubilei aut Indulgentiarum aliarum gratiis plures aut diuersis diebus sint aliqua templa inuisenda, & in principio visitationis quis in peccato mortali existat; tunc, aiunt illi, non impeditur per hoc iubilei gratia, modò in fine sit in statu gratiæ is qui eam indulgentiam consequi desiderat. Quæ opinio quamuis in theoriâ sit probabilis, in praxi tamen tutius est atque decentius, à gratiâ Dei sibi conciliatâ exordium sumere: hoc enim facit, vt benigniore Deus fauore reliqua opera adspiret. Quòd verò ij qui in statu peccati hærent, indulgentiarum gratiam promereri nequaquam possint, præter sanctos Patres etiam Scripturarum sacratissimarum docet auctoritas. Card. Bellarminus dicit, hanc esse communem Doctorum sententiam, *vt videre licet*, inquit, *ex iis qui in 4. scripserunt dist. 20.* Nobis vnus pro mille sufficiet Doctor Angelicus, qui hoc modo loquitur: *Ad quintum sic proceditur. Videtur quòd indulgentia valeat existentibus in peccato mortali, quia aliquis potest alteri mereri etiam in peccato mortali existenti gratiam & multa bona: sed indulgentiæ habent efficaciam ex hoc quòd merita Sanctorum applicentur ad istam, ergo habent effectum in illis qui sunt in peccato mortali. Præterea vbi maior est indigentia, magis habet locum misericordia: sed ille qui est in peccato mortali maximè indiget, ergo ei maxima debet fieri misericordia per indulgentias. Sed contrà. Membrum mortuum non suscipit influentiam ex aliis membris viuis: sed ille qui est in peccato mortali* est

Secunda conditio indulgentiarum.

a Super Psal. 36 Homil. 1. & Homil. 35. in Matthæū.
b Super Psal. 57. super Isaiæ 33. & super Ioëlis 3.

An qui Indulgentiam aliquam lucraturus est, debeat in cōditionibus prioribus esse in gratiâ.

C. 2.

Lib. 1. de Indulgent.

Quæst. 1. art. 5.

est quasi membrum mortuum; ergo per indulgentias non suscipit influentiam ex meritis viuorum membrorum. Et infrà: Respondeo, dicendum ad primam quæstionem, quòd quidam dicunt, valere indulgentias etiam existentibus in peccato mortali, non quidem ad dimissionem pœnæ, quia nulla potest dimitti pœna nisi cui iam dimissa est culpa. Qui enim non est consecutus operationem Dei remissione culpæ, non potest consequi remissionem pœnæ à ministro Ecclesiæ, neque in indulgentiis, neque in foro pœnitentiæ. Valet tamen eis ad acquirendum gratiam. Sed hoc non videtur verum; quamuis merita illa, quæ per indulgentias conceduntur & communicantur, possint valere ad merendum gratiam, non tamen propter hoc dispensantur, sed determinate ad remissionem pœnæ. Et ideò non valent existentibus in mortali. Et ideò in omnibus indulgentiis fit mentio de verè contritis & confessis. Si autem fieret communicatio per hunc modum, Facio te participem meritorum totius Ecclesiæ, vel vnius Congregationis, vel vnius specialis personæ, sic posset valere ad merendū aliquid illi qui est in peccato mortali, vt prædicta opinio dicit. Et per hoc patet solutio ad primum. Ad secundum dicendum, quòd quamuis sit magis indigens qui est in peccato mortali, tamē est minùs capax. Hęc D. Thomæ clarissima assertio breuibus hisce Scripturarum testimoniis illustratur. Legimus: Similiter odio sunt Deo, impius & impietas eius. Item alibi: Iustitia custodit innocentis viam, impietas autem peccatorem supplantat. cuius explicatio statim sequitur hisce verbis: Est quasi diues cùm nihil habeat, & est quasi pauper cùm in multis diuitiis sit. quia videlicet nihil animæ peccatoris meritorum remanet, sed per iniquitatem suam quodammodò omni spirituali beneficio priuatur, & incapax ad illa suscipienda efficitur, &, quod multò insuper est miserabilius, quamdiu impiæ suæ voluntati insistit, opera eius, alioqui bona & meritoria, fiunt in peccatum, iuxta id quod Sapiens dicebat: Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. cui homophonum est illud Psalmographi votum, quo inter alias maledictiones hancà Deo in peccatorem stringi exoptat machæram, Et oratio eius fiat in peccatum. Vnde potiùs quàm ille qui in peccato mortali perdurat capax fiat indulgentiarum, timendum ei erit illud quod de Antiocho legitur: Orabat scelestus Deum à quo non erat misericordiam consecuturus. sed de similibus satis Capite XV. præcedente.

Extra statū gratiæ nemo promeretur Indulgētias.

Ex S. Thomâ.

Ex Scripturis idem clarum.

Sap. 14.

Prou. 13.

Prou. 28.

Psalm. 108.

2. Machab. 9.

20. Tertia conditio ostenditur illo in semine quod cecidit super petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Petra, ait Rupertus, significat auxilium inutile. sic vt indulgētiæ etiam inutiliter & passim sine rationabili causâ concessæ, designari queant per petram supra quam cadant, & vnde non possint debitum humorem recipere, si nimirum ex parte rationis patiantur defectum. Pontifex enim, cùm non sit thesauri Ecclesiastici dominus, sed solùm administer, non potest illum pro suo arbitratu in vanum profundere, quia tunc Maiestas diuina profusionem illam non acceptaret; quemadmodum nec Rex aliquis Thesaurarij sui prodigalitatem ratam haberet, verùm illam potiùs omni modo restringeret & castigaret. Ita & hanc thesauri Ecclesiastici dissipationem in Pontifice summo vindicandam esse, & re ipsâ vindicatam fuisse, vno exemplo docet Iacobus de Paradiso, Doctor olim egregius, ac posteà Religiosus Carthusiensis. Hic refert, quemdam Pontificem summum dum iam in agone esset & extremo penè vitæ puncto, à Capellano suo se absolui iussisse, donarique Indulgentiis in formâ iubilei: quam licet accepisset, asserit tamen idem Doctor, illum post obitum cuidam apparuisse, & professum fuisse se æternæ damnationi addictū nihilominùs esse, eò quòd supremus Iudex neque absolutionem neque Indulgentiarum concessionem ratam habuisset aut gratam, vtpote non ex debito pietatis motiuo, sed proprij affectus instinctu conferri sibi iussam. Sed his minimè diutiùs inhæreo, sit ea penes Ecclesiarum Prælatos cura, vt de causâ rationabili Indulgentiarū ipsi inquirant, nobis subditis haud alia esse debet cogitatio, quàm ipsos muneri suo in hoc planè satisfacere: neque multum alicui vrgendum aut curandū est, vtrùm opera pœnitentialia sint proportionalia indulgentiis quæ conceduntur, quia inutiles, ne dicā absurdę, quorumdam in his inquirendis ac æstimādis disputationes vnico eoque grauissimo D. Thomæ testimonio refelluntur aut potiùs comprimuntur, dum ille nimirum variè disputat, vtrùm indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant, an verò habeatur respectus ad deuotionem & opera bona lucrantis. vbi post varias obiectiones in aduersam partem sic ait: Iob 13. Numquid Deus indiget vestro mendacio, vt loquamur pro eo dolos? Ergo Ecclesia prædicando Indulgentias non mentitur, & ita tantum valent quantum prædicantur. 2. Prætereà 1. Cor. 15. dicit Apostolus: Si inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides nostra. Ergo quicumque in prædicatione falsum dicit, fidem quantum in se est euacuat, & ita mortaliter peccat. Si ergo non tantum valent indulgentiæ quantum prædicantur, omnes mortaliter peccant indulgentiam prædicantes, quod est absurdum. Et infrà: Et ideò aliter dicendum, quòd quantitas effectus consequitur quantitatem suæ causæ. Causa autem remissionis pœnæ in indulgentiis non est nisi abundantia meritorum Ecclesiæ, quæ se habet sufficienter ad totam pœnam expiandam: non autem causa remissionis effectiua est vel deuotio, aut labor, aut datum recipientis, aut causa pro qua fit indulgentia. Vnde non oportet ad aliquod horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiæ quæ semper superabundant: & ideò secundùm quod applicantur ad istum, secundùm hoc remissionem consequitur. Et paulò infrà ostendit idem Doctor causam quamlibet pietatis sufficientem esse ad valorem indulgentiarum. ait enim: Quæcumque causa adsit quæ in vtilitatem Ecclesiæ vergat & honorem Dei, sufficiens est ratio indulgentias elargiendi. Et iterùm inferiùs: Ex parte causæ pietas quæ comprehendit honorem Dei & proximi vtilitatem, nec in hoc nimis fit magnum forum de misericordiâ Dei, vt quidam dicunt, nec iustitiæ diuinæ derogatur, quia nihil de pœnâ dimittitur; sed vnius pœna alteri computatur. Ita Angelicè Angelicus Doctor. Alias insuper rationes infrà peculiari Capite adferemus, quare scilicet hoc tempore tanta fiat Indulgentiarum largissima concessio, interim hic dabimus

Super c. 6. Amos.

Indulgentiarum conditio tertia.

Lib. de Peccatis mentalib.

Mirabile exemplum.

In 4. dist. 20. a. 3.

Non inquirendum curiosiùs an sit rationabilis causa in concedente indulgentias.

Causa pietatis sufficiens.

CA-

CAPVT XXX.

Requisita vt indulgentiæ Purgatorij animabus efficaciùs applicentur.

1. FVIT aliquando inter Scriptores nõnullos disceptatio, num defunctis fidelibus applicari possint indulgentiæ: quæ inde nata est, quòd Saluator noster D. Petro, adeoque legitimo eius successori Romano Pontifici, non crederetur potestatem tribuisse conferendi indulgentias nisi illis, qui super terram ac in viuis de facto existerent, cùm Christi apud

Matth. 16.

Euangelistam verba sint manifesta: ***Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis:*** in his verò nitatur præcipuè auctoritas concedendarum indulgentiarum; ideoque animabus Purgatorij, quæ iam corporibus suis exutæ ac de terrâ translatæ sunt, non posse tribui indulgentiam, imò nec ipsas sub iurisdictione Papæ censeri posse. Dicendum tamen est, certum id esse, quod probare possumus Primò ratione naturali. Si viuos iuuare precibus ac bonis operibus liceat, cur non etiam mortuos, quandoquidem ij non minùs membra sint Ecclesiæ Catholicæ, quàm viuentes, vti patet ex D. Augustino. Neque quidquam obest Matthæi iam allatus locus, quia is posteà facilè explicabitur. Deinde, si priuatis personis liceat applicare satisfactiones suas aliis, cur id non liceat Summo Pontifici, qui generalem habet totius Ecclesiæ administrationem. Tertiò est sentẽtia *a* D. Thomæ, *b* S. Bonauenturæ, *c* Richardi, & communis aliorum tum Theologorum tùm Canonistarum, vt patet ex *d* Felino, *e* Innocentio, *f* Nauarro, *g* Turriano. Demum id constat ex praxi Ecclesiæ. Nam id exẽplo suo docuisse Summos Pontifices, euidentissimum est, nominatim in S. D. N. Vrbano VIII. Gregorio XV. Paulo V. Clemente VIII. Alexandro VI. Sixto IV. Innocentio VIII & aliis, imò & Paschali I. qui ante annos iam ampliùs septingentos Romæ in Ecclesiâ S. Praxedis indulgentias defunctis applicauit, vti posteà relaturi sumus.

Summi Pontifices indulgentias applicare possunt defunctis.

a In 4. dist. 45. q. 2. art. 1.
b In 4. dist. 20. p. 2. q. 5.
c Dist. 20. a. 3. q. 3.
d Tract. de Indulg.
e In c. Quod autem. de Pœnit. & remiss.
f De Iubileo.
g In Opusculis.

2. Sed inter se disputant Doctores, quomodo illa indulgentiarum defunctis applicatio fieri possit, cùm certum sit, animas Purgatorij sub iurisdictione Pontificiâ minimè existere. Cui quæstioni variè responderi potest, Primùm, si dicamus, etsi Pontifex superior non sit respectu mortuorum, posse tamen eos à pœnâ soluere ex vi potestatis sibi collatæ pro regimine ouium suarum, earumque directione ad vitam æternam promouere. Neque enim ad pœnæ solutionem iurisdictione opus est, vti opus est in Sacramentorum administratione, in quibus remissio culpæ confertur, & gratia iustificans quodammodò restituitur: sed animabus Purgatorij, cùm Sacramentis non egeant, vtpote quæ & in gratiâ sunt, & in eadem confirmatæ, conferri potest pœnæ solutio, pro quâ iurisdictio necessaria non est: atque isto modo defuncti à Papâ soluuntur quoad pœnam, licet extra eius iurisdictionem habeantur quoad culpam. Ad illa quæ ex Matthæo adducta sunt, nonnulli huiusmodi dant responsum, ibi illud, *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis*, non debere referri ad id quod soluitur, sed ad eum qui soluit, ita vt sensus sit, Quamdiu super terram eris ac viues, quodcumque id fuerit, soluere poteris: sed à pœnis suis animæ solui possunt, ergo etiã quoad hanc potestatem ad Pontificem spectant, non propriè tamquam iam subditi, sed qui aliquando subditi fuerint, & quibus post emeritum fidelitatis obsequium is etiam aliquid gratiarũ valeat exhibere. Secundò, demus quòd sit intelligenda omnino solutio quoad homines tantùm viuentes, an non ex præcedentibus immediatè verbis idem adstruitur, cùm dictum fuit, *Et tibi dabo claues regni cælorum?* Quid enim hoc innuit, quàm per Pontificem remoueri posse impedimenta vniuersa, quæ veluti seræ aut pessuli ianuam regni cælestis obfirmant? Certè istud nihil aliud insinuat, quàm auctoritatem Pontificiam esse eam, vt ingressum æternæ gloriæ possit aperire fidelibus, dum fortè ob aliquam suam culpam, aut satisfactionem neglectam, obstacula patiuntur. Aperire ergo cælum defunctis Papæ concessum esse, negari non potest, etsi dici posset, illos soluere minimè posse: quia licet in alicuius solutione opus foret aliquâ superioritate, id tamen in aperiendâ alicui portâ, & ex alterius adhuc, nempe Christi commissione, nulla debet intercedere præeminentia, cùm custodes seu ianitores Palatiorum Regiorum, famuli sint & habeãtur, vti etiam Pontifex seipsum appellare solet seruum seruorum Dei. Sed & tertiò responderi potest, ipsum Pontificem, tamquam thesauri Indulgentiarum dispẽsatorem atque œconomum, partem aliquam satisfactionum Deo offerre pro liberatione animarum, ad cuius oblationis acceptationem Christum se obligasse Doctores aiũt, modò debitæ ab eo præscriptæ conditiones adiungantur, & à viuentibus compleantur: quod reuerà fieri æquissimum erat ad Ecclesiæ totius meliorem gubernationem. In omni enim etiam mechanicâ communitate solet aliqua pecuniarum copia iis asseruari, qui ex eodem corpore ad inopiam aliquam deuenerint. Et hoc in Ecclesiâ, cui tantopere Christus de singulis prouidit, putabimus defuturum? Credibile profectò non est, defunctos viua Ecclesiæ membra hac participatione priuari posse. Sunt quartò & alij haud minùs probati, qui meritò affirmant, Pontificem non conferre Indulgentias ipsis defunctis per se seu immediatè, sed id facere mediantibus viuis, ita videlicet vt viui, in quos Papa certam habet & exercere potest iurisdictionem, indulgentias consequantur, & ex Apostolicâ concessione valorem ac virtutem illarum transferant, communicent & applicent Purgatorij animabus, veluti membris eiusdem corporis spiritualis. Quod & fieri, planè naturale est, & ex totius Ecclesiæ assensu factum est indubitatum. Facit itaque Papa quod Medicus, qui vbi ad occulta quædam humani corporis mẽbra, vti sunt stomachus, hepar, &c. non potest attingere, hac praxi vtitur quo & iis medeatur: pharmacũ parat amarũ, quod intra corpus sumptum, suâ amaritudine sordes illas & humores qui stomacho aliisque partibus adhærent, & corporis indispositionem

Varij modi adferuntur quo id facere possint Pontifices.

Responsio ad argumentum contrarium.

Similitudo insignis quâ declaratur quomodo conueniat Papæ habere distributionem Indulgentiarum in mortuos.

nē efficiunt, eiicit atq; expurgat: adeoq; quò Medici manus pertingere nō potest, potio illa amarior debito modo parata penetrat. Perinde & à Pontifice fieri in defunctis per indulgentias iuuandis credere par est. Cùm enim per ordinariā suam auctoritatem eas nequeat attingere, per viuos facit indulgentiarum gratiam purgatorij animabus veluti abditioribus corporis membris transmitti & applicari, quod & illi facilè efficere possunt, vel iisdem defunctis suas satisfactiones seu impetratas indulgentias communicando, vel iure suo cedendo, atque in illas deriuando quidquid ex Ecclesiæ thesauro sibi concessum est. Vnde communiter dicitur, Papam indirectam in defunctos habere potestatem, atque eis indulgentias elargiri per modum suffragij, quod vocabulum ritè explicatum, rem clarè explicat, & modum, quo mortui indulgentias consequi valent, aptè exprimit. Primò, quia dum viuentes defunctis transcribunt suas à se impetratas indulgentias, ij suffragium suum seu ius quod in illas habebant cedere dici possunt: quemadmodum qui ad Canonicatum, vel dignitatem, aut munus aliquod est electus, si ius suum alteri cederet, dici posset per suum suffragium seu electionem in se factam tale vel tale munus, dignitatem vel Canonicatum alteri acquisiuisse & contulisse. Secundò alij per vocabulum illud designari volunt, quòd viuentes impleant suffragia ista atque opera bona quæ pro indulgentiarum consecutione requiruntur, & ab ipsis defunctis, vtpote extra merendi vel satisfaciendi tempus positis, adimpleri nequeūt. Sed & tertiò significat illa loquendi formula, quòd summus Pontifex per indulgentias mortuis concessas Deo velut suffragium offerat, atque eum deprecetur, vt tantum ex thesauro Ecclesiæ satisfactionis acceptet, quantum pro defunctis assignat: ex quo nimirum patet, animas non per modum absolutionis, sed solutionis tantùm, aut potiùs compensationis, per indulgentias à pœnis suis eximi.

Altera comparatio.

Explicatur quid sit defunctis applicare Indulgentias per modum suffragij.

3 *Prima conditio vt in dulgentiæ defunctis prosint.*

Quod vt efficaciter fiat, aiunt Doctores iterùm conditiones nonnullas esse necessarias, quarum vna sit, quòd Pontifex in Diplomatibus suis expressam mentionem facere debeat, eamdem quam concedit indulgentiā esse defunctis applicabilē. Quia, vt benè probant, promisit quidem Deus, se eam satisfactionem pro Purgatorij animabus accepturum, quam obtulerit, seu in quo suffragatus fuerit summus Christi in terris Vicarius, nulli tamen alteri priuato homini in particulari est pollicitus. Quæ conditio, vt alios præteream Auctores, sat probari potest ex Doctore Angelico, qui cùm dixisset, prodesse indulgentias mortuis, mediantibus viuis, distinguit, quā id formā, vt valeat, debeat concedi. verba eius hæc sunt: *Secundariò autem & indirectè prosunt ei pro quo aliquis facit illud quod est indulgentiæ causa: quod, sicut dictum est, quandoque contingere potest, quandoque autem non potest, secundum diuersam indulgentiæ formam. Si enim sit talis indulgentiæ forma: Quicumque facit hoc vel illud, habebit tantum de indulgentiā; ille qui hoc fecit, non potest fructum indulgentiæ in alium transferre, quia eius non est applicare ad aliquid intentionem Ecclesiæ, per quam communicantur communia suffragia ex quibus indulgentiæ valent. Si autem indulgentia sub hac formā fiat: Quicumque fecerit hoc vel illud, ipse & pater eius, vel quicumque ei adiunctus in Purgatorio detentus, tantum de indulgentiā habebit; talis indulgentia non solùm viuo sed etiam mortuo proderit. non est enim aliqua ratio quare Ecclesia possit transferre merita communia, quibus indulgentiæ nituntur, in viuos, & non in mortuos.* Ita D. Thomas. Quo tamen non obstante, haud est omnino incredibile, Deum etiam frequenter acceptare indulgentias illas, quæ etsi expresè posse defunctis applicari non adstruantur, à viuis tamen pro mortuis ex affectu charitatis offeruntur: quia & id de diuinā potest pietate præsumi, & exemplis variis confirmatum fuit. Inter alia refert Ven. Abbas S. Petri Gandauensis Cornelius Columbanus in suo animarum Consolatorio, ex Ioanne Hesseno viro grauissimo, anno Domini 1538. iuxta Coloniam in Meyrick spiritum quemdam apparuisse Arnoldo Bosmanno, à quo indulgentias petebat, quas ille die isto, actu aliquo charitatis fuerat lucratus: quas vbi concessit, statim spiritus ab omni se prorsus pœnā liberatum affirmauit. In FF. Minorum Chronicis, & variis S. Francisci Legendis legitur, anno 1308. nobilem quemdam cum villico quodam profectum fuisse ad Ecclesiam B. Virginis Angelorum seu Portiunculæ. Sed cùm in itinere, Neapoli scilicet, idem rusticus in grauem morbum incidisset, atque ob id conquereretur de suscepto itinere, animauit eum Nobilis, & ab illo petiit, vt acquisitam Portiunculæ indulgentiam in fratrem ipsius, dudum defunctum, transferri pateretur, se omnem ei quam in viā expendisset pecuniam de suo redditurum, suoq; eum equo domū deuehi curaturum. Hæc vbi infirmus acceptasset, Nobili postridie frater eius gloriosus apparuit, & se ex tormentis ad gloriam cælestem vi concessarum sibi indulgentiarum assumi professus est. Plures eiusmodi reperiuntur historiæ, sed eas, quia notæ sunt, omittimus; sat nobis est innuisse, diuinam clementiam etiam sæpiùs indulgentias mortuis è viuorum desiderio applicatas ratas habere, quamuis illas eisdem applicari posse disertè non exprimatur. Tutius tamen est illas illis addicere, de quibus expressa mentio, & proinde effectus certior habetur.

In 4. dist. 45. q. 2. art. 3. ad 3.

Ex Angelico Doctore probatur.

Deus quandoque ex privilegio offert indulgentias, licet Pontifex de iisdem personis expresse non meminerit.

Varia exempla.

Secundò, vt efficaciùs indulgentiæ animabus prosint, diligenter adimplenda sunt singula quæ in Diplomatibus Pontificiis requiruntur & præscribuntur, cùm grauissimorum Doctorum sit sententia, vel vnicā saltem omissā conditione, non acquiri indulgentiam. Loquatur iterùm Doctor Angelicus. *Videtur*, inquit, *quòd ei qui non facit hoc pro quo indulgentia datur, possit quandoque indulgentia dari, quia ei qui non potest operari, voluntas pro facto reputatur: sed aliquando fit indulgentia pro aliquā eleemosynā faciendā, quam pauper facere non potest, & tamen libenter faceret; ergo eleemosyna valet. Prætereà, vnus potest pro alio satisfacere; sed indulgentia ad remissionem pœnæ operatur, sicut & satisfactio; ergo vnus pro alio potest indulgentiam accipere, & sic ille consequitur indulgentiam, qui non facit hoc pro quo indulgentia datur. Sed contra: Remota causā remouetur effectus. Si ergo aliquis non facit hoc pro quo indulgentia datur, quod est indulgentiæ causa, indulgentiam non consequitur.* Et infrà: *Ad tertiam quæstionem*

4. *Altera conditio vt defunctis indulgentia inseruiant.*

Dist. 20. q. 1. artic. 5. in 4.

Probatio eiusdem ex D. Thomā.

nem dicendum, quòd non existente conditione, non consequitur id quod sub conditione datur. Vnde cùm indulgentia detur sub tali conditione quòd aliquis aliquid faciat vel det, si illud non exerceat, indulgentiam non consequitur. Ad primum ergo dicendum, quòd hoc intelligitur quantum ad præmium essentiale, sed non quantum ad alia accidentalia præmia, sicut est dimissio pœnæ, vel aliquid huiusmodi. Ad secundum dicendum, quòd opus proprium potest quis applicare per intentionem cuicumque voluerit, & ideo potest pro quocumque vult satisfacere; sed indulgentia non potest applicari ad aliquem nisi ex intentione eius, qui dat indulgentiam, & ideò cùm ipse applicet ad facientem vel dantem, hic autem illud non potest, ille, qui hoc facit, ad alterum hanc intentionem transferre non potest. Si tamen fieret sic indulgentia, Ille qui facit, vel pro quo hoc fit, habeat tantam indulgentiam, valeret ei pro quo fit; nec tunc iste qui facit hoc opus, daret alteri indulgentiam, sed ille qui talem indulgentiam sub tali formâ facit. Obiter hic notari potest, secundùm quosdam, non semper esse confitendum quoties in Bullâ conceditur indulgentia iis qui verè fuerint contriti & confessi: quia id, iuxta illos, sic accipiendum est, si nimirum volens lucrari indulgentias, sit in statu peccati mortalis, quia tunc per confessionem præuiam in gratiam redire debet vt indulgentiæ capax efficiatur. Imò probabile est, etsi quis in mortali peccato existat, non necessariò confiteri debere, sed sufficere contritionem cum proposito confitendi: nam per hoc status gratiæ acquiri potest. Ita docet *a* Paludanus, *b* Siluester, *c* Panormitanus, *d* Felinus, alij. Quæ opinio tametsi vera sit in praxi, tamen quotiescumque fieri potest, confitendum potius est, cùm non desint etiam grauissimi Auctores, qui teneant, tunc actualiter faciendam esse confessionem, cùm Bullæ de verè pœnitentibus & confessis loquuntur. Ita docuit *e* S. Antoninus, *f* Hadrianus, *g* Caietanus, & similes In quo tamen certum est, tunc omnino requiri confessionem, si non vt simplex dispositio solùm requiratur, sed vt aliqua conditio inter alias, quod tunc fit, cùm iubentur lucraturi indulgentias intra certos dies peccata sua confiteri.

Solutio obiectorum.

An semper requiratur confessio pro Indulgentiarum consecutione.

a In 4. dist. 20. quæst. 4. art. 2. *b* Verbo Indulgentia, n. 20. *c* In c. Omnis vtriusque. de Pœnit. & rem. *d* Serm. de Indulgent. n. 12. *e* Part. 1. tit. 10. cap. 3. *f* In 4. tract de Indulg. *g* Tract. 13. de Indulgent. cap. 10.

5\. *Conditio tertia Indulgentiarũ quæ proficiant mortuis*

Tertiam conditionem hanc ponimus, vt intentio lucrantis indulgentias non vagè & in communi per totum Purgatorium perambulet, generatim eis eas applicando, sed certa quæpiam anima designanda est quam è Purgatorio liberari optemus: quia, vt graues nonnulli Auctores asserunt, id quod speciatim particulari animæ non assignatur, ad generalem & communem Ecclesiæ thesaurum redit. Dum ergo indulgentias in defunctorum commodum acquirere volumus, tutius est & certius, intentionem ad particularem animam vel hanc, vel illam dirigere, imò & varias sibimet substituere, quibus prodesse valeant, si priores eis non indigeant. Quod vt commodiùs fiat, notandum ante omnia occurrit, veram imò verissimam esse Scholasticorum doctrinam, quæ docet, iis præcisè animabus indulgentias attribui, quibus à viuentibus speciatim assignantur: cui stabiliendæ varia afferuntur argumenta. Primò, quia si viuo prosit, pro quo aliquod opus bonum ab altero fit, cur non perinde mortuo? Secundò, ea est Summorũ Pontificum sententia, vt patuit ex Alexandro VI. Clemente VII. & aliis. Tertiò, iste est communis sensus & consensus totius Ecclesiæ & omnium fidelium. Quartò, sanctus Augustinus ait, debere preces offerri à matre communi, nempe Ecclesiâ, pro illis defunctis fidelibus qui amicos aut notos nullos habent. Ergo ille Doctor præclarissimus satis ostendit, non in communi, sed speciatim & in particulari huic vel illi defuncto suffragia & per consequens indulgentias applicari. Quintò idem Deus miraculis quamplurimis confirmauit, è quibus vnum hîc referimus. Ante annos propemodum octingentos Paschalis I. Pontifex volens Purgatorij animas insigni aliquâ donatas indulgentiâ, statuit vt Romæ in S. Praxedis templo, in sacello illo vbi asseruatur columna ad quam Saluator noster flagellatus dicitur, fieri possent quinque Missæ Sacrificia, quibus anima vna à pœnis foret absoluta. Quo in loco cùm postmodum ipse Pontifex totidem Sacra celebrasset pro animâ cuiusdam sui nepotis, apparuit ille sub finem vltimi Sacrificij omnino gloriosus, atque è Pontificis conspectu cum B. Virgine & aliis Sanctis cælestem aulam ingressus est. Licet autem præfatæ indulgentiæ vsque hodie in illo sacello certum marmori insculptum cernere testimonium, non vetustate solùm tot sæculorum, sed diuersorum Pontificum insuper subscriptione toti orbi Christiano notissimum.

Animabus illis applicari pro quibus offeruntur, ostenditur.

Lib de Curâ pro mortuis

Antiquum de huiusmodi Indulgentiis exemplum.

Quò verò omnis obtenta pro mortuis indulgentia certiùs, cui ea magis conuenit, aut qui eam ampliùs desiderat, vel eâ magis indiget, applicetur, nonnullorum hîc praxim imitari è re fuerit, qui quascumque indulgentias promereri animabus possunt, eas offerunt beatissimæ Virgini Mariæ, Angelo suo custodi, vel alteri Sancto, præcipuè cuius eo die festiuitas agitur, vt illi dignentur easipsas indulgentias animabus quibus placuerit applicare, atque efficere, vt, quantum fieri potest, per harum meritum disponantur ipsimet ad plures iterùm congregandas indulgentias, quæ aliis valeant animabus, suâ similiter distributione applicari & communicari. Quæ res etsi facilis & exigua videatur, magni tamen ponderis est, ac ingentem continet vtilitatem. In primis enim sic indulgentiæ optimè atque efficacissimè applicantur illis potissimùm, è quarum liberatione maior Dei resultat gloria. Deinde glorificantur inde etiam Sancti, quibus animas à pœnis exemptas se exhibere gratissimas, Deumque pro beneficiis, eisdem Sanctis concessis, in æternum laudare, non est dubitandum. Tertiò neque inde ipsi indulgentias lucranti quidquam detrahitur, sicut nec ipsis mortuis quibus is obligatus est: quinimmò plurimum vtrisque accedit, lucranti quidem, cùm per hoc Sanctos sibi propitios faciat, eosque ad se iuuandum inuitet; mortuis verò, quia vbi fortè alioqui liberari non fuissent, Sanctorum intercessionibus & satisfactionibus assequuntur vt liberentur faciliùs, vel per dispositionem quam vtique perfectiorem in lucrante producunt, vel per supplementum residuæ pœnæ, pro quâ fortassis ipsa non sufficiebat indulgentia. Neque enim vllo modo credendum est, Sanctos alias primùm animas liberaturos quàm illas quibus sciunt lucrantem

6\.

Modus certius cui volueris Indulgentias applicandi.

Quanta ex huius praxi resultent bona.

Suos hac viâ quisque promouere etiã poterit. maximè esse obligatum vel affectum. De quo si quis addubitet, poterit eisdem Sanctis suos potissimùm commendare, atque per illorum adiutorium tam orationum quàm satisfactionum eos petere adiuuari. Circa quæ multa adhuc dici possent, sed quilibet in se loquentis Spiritus sancti ductum sequatur: nos iam, Lectoris in gratiam, Catholicorum instructionem, & hæreticorum opprobrium, præcipuarum indulgentiarum, quæ celeriùs mortuis prosunt, breue recitamus compendium; tu Lector, quæso attende, Catholice instruere, hæretice salubriter confundere.

7. Angelicus Doctor S. Thomas disputat, vtrùm Religiosis valeant indulgentiæ, & affirmat quòd sic, quia etiamsi ipsorum videatur esse officium, aliorum defectibus satisfactionum superabundantiam suppeditare, non tamen priuantur indulgentiarum lucro, eò quòd ex bono, quale est Religionis professio, nullus damnum reportet. Supponit ergo, Religiosorum esse, curare vt aliis insignis satisfactionum copia suppetat. Et reuerà iustè de iis animæ Purgatorij conquerentur, si in eo negligentes extiterint, quandoquidē tanta ipsis indulgentias lucrandi, ac per se etiam satisfaciendi, sit facultas & occasio. Vnde etsi omnium magna sit, Religiosorum tamen atque Ecclesiasticorum, quorum alia non est nisi spiritualis occupatio, maxima est obligatio, defunctorum spiritus per ea media adiuuandi. Obiectioni porrò, quam vel è suo vel aliorum sensu sibi opposuerat (ideò scilicet non videri Religiosis valere consecutionem indulgentiarum, quòd earum acquisitio occasio foret dissoluendæ regularis disciplinæ, dum Religiosi nimis vagarentur per huiusmodi indulgentias, & pœnas sibi impositas in Capitulo negligerent) hoc modo respondet: *Ad secundum dicendum, quòd propter indulgentias non debeat dissolui regularis disciplina & obseruantia; quia Religiosi magis merentur Religionem suam seruando, quantum ad præmium vitæ æternæ, quàm indulgentiam exquirendo, quamuis minus ad dimissionem pœnæ, quod est minus bonum,* &c. E quibus sufficienter apparet, Religiosum illum vel Clericum minùs futurum perfectum, imò & imprudenter facturum, qui neglectis instituti sui functionibus, nimis in acquisitionem indulgentiarum se effunderet: nam is esset zelus indiscretus, & non secundùm scientiam. Vnde & consultiùs & fructuosiùs alij nonnulli Religiosi, prudenti profectò consilio, sic vtrumque combinarunt, vt alterum ab altero non destrueretur, sed potiùs promoueretur. Vtuntur illi hac praxi: Continuò secum deferunt res plures benedictas, quæ indulgentias & certiores, & instituti sui functionibus proportionatas, & à Pontifice applicatas habent; ex quo fit, vt non teneantur vel cogantur aliis lucrandis studere aut distrahi, sed faciendo ordinaria status sui officia, quæ tamen alioquin, quamuis indulgentias non consequerentur, essent obituri, tantumdem indulgentiarum percipiant, easque Purgatorij animabus transscribere possint, quàm illi qui se totos iisdem promerendis applicarent. O religiosum simul & proficuum inuentum! ò multiplex eiusdem actionis lucrum! Nam & qui suum institutum obseruat, gratior efficitur Deo, & aptior vt indulgentias acquirat, & Purgatorij animabus liberationem acquirat; & indulgentias singulis suis actibus applicando, monetur cōtinuò vt eos & feruentiùs & perfectiùs perficiat: imò & per hoc meretur gratiã, vt accuratiùs quæ vocationē & vitæ eius rationem concernunt exequatur; & vt id efficaciùs præstet, tum Sanctorum quibus commissa est dictarum indulgentiarum distributio, tum animarum per eas liberatarum, intercessionibus specialiùs adiuuatur.

In 4. dist. 20. q. 1. art. 5. quæstiunc. 2.

Religiosi capaces sunt indulgentiarum.

Quã discretionis illas sectari hos oporteat.

Insigne rei illius inuentum.

Quæ ne fortè cuipiam molestiam facessant, paulatim ac suauiter memoriæ mandari possunt; & vt huiusmodi exercitium omnibus facile euadat, possunt ad imitationem reformationis nostræ Carmelitarum Excalceatorum, si placet, exemplum sumere, pro quà potissimùm seruit subiectum indulgentiarum breue compendium, quod compilatum est ex quinque sequentibus benedictionibus, quas variâ occasione, Pōtifices numismatibus aut aliis rebus sacris applicarunt. Concessit inprimis Paulus V. initio sui Pontificatus numero paucas, sed valore planè ingentes benedictiones ad instantiam Marchionis de Viglienà, quarum communicationem idem Pontifex extēdit ad Cruces illas quæ ordinariè à Carmelitis nostris ad pectus gestari solent, quod ab eodem obtinuit Ven. Pater Petrus à Matre Dei, in Italicâ reformationis nostræ Congregatione primus Superior. Dies extensi priuilegij fuit decimus nonus Iulij anni millesimi sexcētesimi sexti, eâ tamen à Pontifice adiectâ conditione, quòd eædem indulgentiæ aliis Religionibus nequaquam per ordinariam participationem essent communes. Idem Paulus V. insuper primis sui Pontificatus annis indulgentias, vt vocant, Persicas concessit pro conuersione Regis ac regni Persiæ, ad instantiam Patrum nostrorum Carmelitarum Excalceatorum, qui ad hoc regnum veluti Sanctitatis suæ Legati destinabantur. Iterùm is ipse Pontifex anno supra millesimum sexcentesimo octauo, die septimo Aprilis est elargitus indulgentias, vt tunc nominabantur, Societatis Iesu, quia obtentæ erant rogatu generalis Congregationis eiusdem sanctissimæ Societatis. Demum anno Domini sexcentesimo decimo vltra millesimum, die Nouēbris decimo octauo, occasione Canonizationis S. Caroli Borromæi distribuit copiosas idem Paulus V. benedictiones, quæ adhuc S. Caroli Borromæi solent appellari: quibus denique addere licet eas, quæ liberalissimè à Gregorio XV. concessæ fuerunt ratione canonizationis Quinque Sanctorum, videlicet SS. Isidori, Ignatij Loyolæ, Francisci Xauerij, Teresæ de Iesu, & Philippi Neri, factæ duodecimâ die Martij anno vigesimo secundo vltra sesquimillesimum centesimum. Omnes hæ indulgentiæ applicabiles sunt animabus Purgatorij, quas iam recensitum imus. 8.

Indulgentiarum enumerata, quarū hoc constat compēdium.

Quinque hæ sunt.

Indulgentiæ quæ sacram Communionem non prærequirunt.

9. *Quacumque directione operis seu cordis ad Deum eleuatione lucrari quis potest indulgentiam* 10. *annorum, vt habent indulgentiæ* Borromæanæ; *vel* 30. *annorum, vt habent* Persicæ; *vel centum annorum, vt indulgentiæ* Societatis.

Singulis pietatis aut charitatis actibus obtinentur indulgentiæ 10. *annorum.* Borromæanæ. *Huiusmodi verò deuotionis opera dici possunt, cum caput quis reuerenter Sacris inclinat, genuflectit, Cruce se signat, terram exosculatur, pectus ex contritione aut humilitate*

Indulgentiarum quæ per actus quotidianos prodefunctis possunt obtineri breue compendium.

tundit,

tundit, aquâ se benedictâ conspergit, &c. similiter quoties B. Virginis Mariæ, Angeli custodis, aut alterius Patroni auxilium imploratur, vel in tentatione tertiò pronuntiatur, Deus in adiutorium meum intende.

Faciēdo reuerentiam alicui ex quinque Sanctis imagini, 100. dies. V. Sanctorum. idem faciendo Cruci vel cuiusque Sancti imagini, 10. annorum. Borromæanæ. vel etiam 100. annorum. Societatis.

Matutinum, Laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas & Completorium, vel singulas minores aut Officij defunctorum Horas, seu etiam Litanias B. Virginis Lauretanas dirigens ad Principum Christianorum concordiam aduersus Ecclesiæ hostes impetrandam, consequitur indulgentias omnes, etiam plenarias, visitantibus Basilicas Romanas intra & extra muros concessas: & eadem offerens per modum orationis, vt Deus inspiret eis ad quos pertinet mittere pro conuersione Persiæ, indulgentiam plenariam consequitur. Persicæ. Aliàs sub iisdem diuinis Officiis Deo commendans hæresum extirpationem, meretur remissionem tertiæ partis peccatorum, quæ duplicatur seruanti in choro silentium atque attentionem. Borrom.

Quicumque orationem faciens pro Religiosorum Ordinibus perficiendis, ita de eorumdem spiritualibus bonis participat, ac si foret proprium singulorum membrum. Borom. & Societ. Rogansq; vt quibus id competit, sese adeundis aptent missionibus, de laboribus & meritis vniuersorum communicat qui in hæreticorum infideliumq; conuersione versantur. Persicæ.

Illorum in primis quæ iuxta suæ concessionis tenorem non necessariò prærequirūt S. Communionem.

Recitans Psalmum, Deus misereatur nostri, vel, Miserere mei Deus, pro peccatorum conuersione, vel pro liberandis è Purgatorio animabus Psalmum De profundis, vel aliàs pro defunctis aut peccatoribus orans, aut librum pium legens, obtinet 130. dierum indulgentias. Persicæ.

Coram imagine S. Caroli Borromæi recitans quinquies Pater & Aue, in honorem pretiosissimi Sanguinis à Christo in passione effusi, quocumque anni die obtinet indulgentias Stationum Romanarum. Borrom.

Osculando septies terram lucrari quis potest indulgentias ascendentium scalam sanctam. Quinque Sanctorum. Idem dicendo Credo. vel Te Deum.

Sacramentaliter confessus, & orans pro hæresum exterminio, sanctæq; matris Ecclesiæ exaltatione, promeretur indulgentiam plenariam animæ cuipiam applicabilem, & alteram nihilominus liberare è Purgatorio potest. Borrom.

Qui audiendo Sacrum orat pro Papâ & Principibus Christianis, eorumq; felici gubernatione, obtinet indulgentias quæ eodem die visitando Basilicas possunt acquiri. Borrom. Audiens verò Sacrum obtinet 100. annos indulgentiarum; & defunctis applicando, 200. annos. Societ. vel 10. annos & tertiæ partis peccatorum remissionem. Quinque Sanct.

Recitanti coronam B. Virginis, vel tertiam partem Rosarij, obtingit plenaria indulgentia animæ cuipiam applicabilis, & quâ valeat etiam aliam animā secundum propriam intentionem liberare. Quinque Sanct. Quod etiam conceditur recitanti Officium B. Virginis vel Defunctorum, aut ieiunanti in Profesto, vel confitenti die festo alicuius è Quinque Sanctis, quæ occurrūt, S. Isidori, 4. Aprilis. S. Ignatij, 31. Iulij; S. Francisci Xauerij, 2. Decemb. S. Teresæ, 15. Octobr. S. Philippi Nerei, 26. Maij.

Indulgentiæ sancti Sepulchri, nec non S. Iacobi in Gallicia, conceduntur iis qui in templo vel ante altare orauerint, vbi coluntur Quinque Sancti, vel vnius saltem ex eis habetur imago. Quinque Sanct.

Audienti concionem, aut SS. Sacramentum visitando, nascitur lucrum 100. annorum indulgentiæ, & opus istud defunctis applicanti, 200. annorum. Societatis.

Omniū fere in his inueniuntur locorum & editionum Indulgentiæ.

Quocumque actu communitatis Religiosæ, Regulæ, obedientiæ aut mortificationis acquiritur remissio tertiæ partis peccatorum, si simul fiat oratio pro hæresum extirpatione; & hisce superaddit decem indulgentiarum annos conscientiæ examen. Borrom.

Tertiam remissionis partem & decem annos consequitur, qui audit Sacrum, vel ei assistit, qui facit actum detestationis peccatorū, inuocando aliquem ex Quinque Sanctis, vel qui proponit eiusdem imitari virtutes, vel agit Deo gratias pro beneficiis ipsi concessis, eaq; sibi exposcit; qui visitat incarceratos vel infirmos, catechizat, aut bonum præbet exemplum. Quinque Sanctorum.

Decem annorum fruitur indulgentiâ, qui orans pro exaltatione Ecclesiæ cilicium gestat, disciplinam facit tempore vnius Miserere, piè meditatur iusto aliquo spatio, infirmos visitat, discordes reconciliat, aut malè loquentes reprehendit. Borrom. Qui verò causa est vt quis imperfectionem, peccatum, vel malum aliquod deserat propositum, pro tertiâ peccatorum satisfacit. Societatis.

Qui infidelem conuertit ad fidem, vel ab errore educit Christianum, plenariam lucratur indulgentiam. Persicæ.

Dicendo septies Pater & Aue pro morientibus inter infideles, quibus conuertendis destinati erant; vel septies Salue, vt Deus superioribus inspiret missiones in Persidem, vel aliquem ad easdem adhortando, exemplum istius præbendo, vel quomodocumque causā aut auxilium existendo vt aliquis ad eas vadat, plenariam indulgentiam consequitur. Persicæ. Qui verò ipsemet illas missiones adit, consequitur indulgentias omnes anni sancti, & speciatim Summi Pontificis benedictionem, & eomet die, quo illud agit, particeps fit omnium indulgentiarum quæ concedi solent die commemorationis fidelium defunctorum: quarum &, præter plenariam indulgentiam, consortes fiunt illi qui in itinere eisdem missis assistunt. Persicæ.

Ieiunans toto anno sextis Feriis vel etiam Sabbato, seligere sibi quotannis potest vnum diem, quo lucretur Iubileum magnum. Viglienæ.

In mortis articulo inuocanti ter nomen IESVS, si ore nequeat, saltem corde, plenaria adscripta est indulgentia. Viglienæ. Vel semel inuocanti Iesum, etiam plenaria. Persicæ. Aut cum contritione vnâ vice inuocanti, plenaria in formâ Iubilei. Borrom. Quinque Sanct. Aut simpliciter in statu gratiæ saltem corde inclamanti Iesum, etiam plenaria in formâ Iubilei. Societatis.

Et quia in aliquibus fortè precibus aut operibus bonis, ad prædictas indulgentias obtinendas requisitis, defectus aliquis, distractio vel negligentia suboriri potuit, possunt hæc suppleri per Psalmum, Laudate Dominum omnes Gentes, &c. Viglienæ, Persicæ, Societ. Borrom. Quinque Sanct. Vel per vnum Pater & Aue. Persicæ, Societ. Borrom. Quinque Sanct. Aut dicendo, Sub tuum præsidium. Viglienæ, Quinque Sanct. Vel Salue Regina. Viglienæ, Borrom. Vel etiam De profundis. Societ. Borrom. Aut denique vnum Magnificat. Societ. Prætereà si quis legitimè impeditus illo die lucrari non potuit indulgentias, modò recitet quinque Pater & Aue in honorem alicuius quinque Sanctorum anno 1622. canonizatorum, promeretur indulgentias omnes, quas per Sacrificium Horasq;, & alia

Indignū nos saltem opera aliàs solita, huc non conferre.

femus. Neque multâ admodum industriâ aut vigilantiâ opus est, vt consueta illa opera nostra defunctis prodesse valeant: quid enim faciliùs fieri queat, quàm vel semel expendere, aut breuiter annotare, quænam illa sint quæ à nobis quotidie fiunt, & quæ in benedictionibus suprà recensitis fuerint specialibus indulgentiis priuilegiata? Vtique illis aliquoties attentè expensis, facillimum euadet ea non solùm in memoriam, sed & in praxim reducere. Quòd si singulis tantùm hebdomadibus aut mẽsibus vel vnum aliud quodpiam opus accedat, hoc est, si dies vnus indulgentiis expendendis destinetur, fiet tandem vt ne vnicum quidẽ actũ facturi simus, quin annexas sibi habeat suas indulgentias: quod sanè maximopere esset laudandum, præcipuè cùm iam à viris religiosis obseruari dudum cœptum sit, qui penes se deferunt tot numismata sacra, quot iis benedictionibus iam suprà enumeratis acquirendis sunt necessaria. Sed & catalogum ij sibi conscripserunt omnium functionum ad quas suum aut obligat aut inuitat institutum, iisque singulis singulas assignatas habent indulgentias, quas defunctis promereantur, & inde nullam omnino sentiunt molestiam: quia cùm semel iam id suauiter ac paulatim memoriæ suæ impresserint, eiusque in actionum suarum directionibus meminisse adsueuerint, nullus inde iis sentitur labor, sed sponte ad hoc propendent, sicuti etiam ad alias naturæ inclinationes. Imò si & hoc præcisè quis imitari non posset, aliud facilius, quamuis minùs certius, ad id faciẽdum suggerere possum medium: posset quis nimirùm vicibus nonnullis per singulos menses vel hebdomadas compendium suprà appositum attentè & cum affectu relegere, & vel tunc coram Deo intentionem suam ordinariis suis operibus applicare, & quotidie, saltem manè, illud propositum renouare, sanctèque protestari, sese in singulis quidem desiderare expressam elicere intẽtionem; sed quia id commodè facere nequeat, generaliter se simul omnia offerre. Nec absque eximio fructu addi posset Sancti illius inuocatio, per quem, vti superiori Capite retulimus, indulgentiarum in defunctos distributionem fieri petit; quia is nullas indulgentias irritas esse sinet, sed quantum cum ampliori animarum solatio fieri poterit, etiam minimas distribuet, ne quid ad communem Ecclesiæ thesaurum redeat. Magnæ enim vtilitatis futurum esse sciendum est, si proportionaliter indulgentiæ distribuantur; exiguæ nimirum iis quibus parum adhuc soluẽdũ superest, maiores verò iis quibus plurimum: posset enim contingere, quòd aliquis animæ vni applicatam velit indulgentiam plenariam, cui non nisi pauculi purgationis dies supersunt; & tamen si eadem indulgentia assignata fuisset alteri cuipiam animæ quæ per annorum aliquot decurias adhuc punienda fuisset, haud minùs eâ vi illarum liberata fuisset. Magni ergo interest quòd aptè omnia distribuantur, & nihil vel pereat, vel ad priorem in Ecclesiâ cumulum, velut stillula ad vastissimum mare, redeat.

Iuuari facilè memoria potest, vt has mortuis Indulgentias quotidie applicemus.

Cautè applicandæ sunt.

13. Quod vt euitetur, spirituales nonnulli indulgentiarum mercatores vel potiùs vsurarij (sanè hæc vocabula intelligamus, quandoquidem hæretici indulgentias earumque distributorẽ summum Pontificem è calumniâ eiusmodi dicteriis proscindunt, quamuis longè alio sensu & fine) huiusmodi spirituale cum Angelo suo custode aut alio Patrono suo pactum ineunt. Primo manè in oratione mentali, seu diei totius directione, non tantùm applicant indulgentias singulis suis operibus, vt dictum est, sed & generale desiderium offerunt lucrandi etiam eas indulgentias quarum cognitionem non habent, vel quarum non occurrit memoria: & propterea cùm multa se lateant quæ cælites sciunt, generaliter omnia quæ lucrari vnquam poterant, ipsius Angeli seu Patroni distributioni committunt, tali conditione, vt nihil ille, quod prodesse possit, omittat, sed vtiliter omnia animabus impendat; plenarias iis tantùm tribuendo, quæ plenariam adhuc pœnam luere debent; certorum annorum, iis quæ solùm totidem annis indigent: imò si vel vna tantummodò dies indulgentiæ aliquando supersit, illam non in communem massam relabi sinat, sed animæ alicui alteri applicet, quæ præcisè tantumdem satisfactionis indigeat. Sed, ô vtinam omnes tam prouidi circa spiritualia mercatores euaderent! ô vtinam reipsâ tales essent! certè nõ tot annis fidelium spiritus in Purgatorij ignibus detinerentur. Ah! verissimum est illud Saluatoris effatum, *Filij huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Ita sanè, ita est. Veluti seruatus nobis est atque effusus (si tamen effundi potest) Ecclesiæ thesaurus hoc tempore; & quàm pauci tamen sunt qui inde ditescunt? Indulgentiæ multæ sunt, sed pauci qui eas lucrantur. Animæ Purgatorij inclamant: nemo est qui audiat. O rem deplorandam! ô rem vel sanguineis lacrymis eluendam! inter medias diuitias pauperiem pati, & alios velle pati, cùm vtrisque abundè sufficiat. Quin potiùs vos Catholici, huius thesauri heredes, largiter inde fruamini, sed & egentibus animabus, quæ velut extra domum huius familiæ constitutæ, ad fores instar mendicorum inclamant vt micam aliquam accipiant, inde liberaliter distribuatis, idem tidem cogitantes, quod de illo thesauro, Patrum sententiâ, intelligendum est, illud Sapientis: *Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati.*

Spirituales esse Indulgẽtiarum mercatores oportet.

Luc. 16.

Deploranda hac in re negligentia.

Sap. 7.

Ceterùm quamquam liberalis adeò fuerit, & adhucnum sit summorum Pontificum (ob iustas sanè rationes Capite sequẽti producendas) quoad Indulgentias sacras concessio: rationabilis tamen etiam causa subesse, & Pontificem Romanum permouere potest, vt easdem vel in toto, vel in parte reuocet, aut alias pro discretione substituat; quia sæpe contingit vt liberalitas nimia in contemptum homines adducat, & vnde excitari ad deuotionem deberent, ad negligentiam prouocentur. Relinquenda horum igitur cura est supremo Pastori nostro, ac Christi Iesu in terris Vicario, quem meliùs quid nobis expediat nosse, indubitanter credendum. Variare is Indulgentiarum lucra potest, & posse debet ad nutum, prout ouibus suis salubriter in Domino expedire iudicauerit. quod si vel faciat, vel interĕà fecerit, quòd hocce Opus erit sub prœlo, non erit tamẽ inutile aut infructuosum Lectori præmissum à nobis, Indulgentiarum faciliùs modò promerendarum, compendium; quia tunc vel ad hoc saltem deseruiet, vt iuxta eumdem modum, 14

Auctor se excusat si fortè in Indulgẽtiarum compendio, fuerit deceptus.

rari, vt ad solam ipsorum petitionem indulgentiæ fidelibus conferantur. Similiter & Pontificum vsus & consuetudo, vt diximus, hoc familiare habet, vt indulgentiæ concedantur absque vllâ appositâ conditione; quoniam agonizantibus atque in extremo vitæ articulo constitutis, præter quòd vllum opus eisdem iniungatur, plenissima indulgentia indulgetur. Exemplo sit inprimis factum illud Gregorij VII. qui eo modo absolutè concessit, vt patet lib. 1. Epist. 34. & lib. 2. Epist. 61. & lib. 6. Epist. 15. Euidens igitur & manifestum, indulgentiam quandoque sine vllo iniuncto opere valere, cum nimirum causa aliunde concedenti suppetit, quæ sufficiens ei videtur ad thesaurum Ecclesiæ fidelibus dispensandum.

Idem ex Pontificum vsu.

3\. Auctores secundæ sententiæ quod attinet; quando illi dicunt, non aliam causam ad valorem indulgentiarum esse necessariam quàm pietatis, haud ea illorum mens est quòd adstruere velint, sine vllâ ratione promiscuè distribui posse indulgentias; sed ea solùm, sufficere pium aliquod motiuum, qualecumque tandem sit, modò iusto fundamento & fine nitatur, quantumuis non semper iniungatur aut requiratur operis pœnalis aut satisfactorij proportio. Et hanc esse horum Auctorum mentem, nemo est qui, vel obiter rem considerans, non statim agnoscat. Aiunt enim, vel vnum ex tribus ad indulgētiæ valorem requisitis iustam censeri causam debere (quam vocant causam pietatis, non verò proportionis) ad indulgentiam: quia, vt patuit, non solùm non semper necessaria est operis æqualitas respectu indulgentiæ, sed & nec ipsum opus aliquando requiritur. Deinde, etiamsi Auctores isti non velint ad indulgentiam necessariam esse conditionis implendæ proportionem, non tamen hoc volunt vt vllam Pontifex tribuat indulgentiam, nisi ad id eiusmodi habeat causam quæ rationabilis sit, vel etiam proportionata ratione effectus inde secuturi: indulgentiam enim distribuendam affirmant, secundùm quod Dei gloria vel Ecclesiæ vtilitas expoposcerit; adeoque si magna Dei gloria vel Ecclesiæ vtilitas inde speretur, vel aliam quampiam vrgentem causam habuerit Pontifex, ampliorem concedi posse; sin minùs, minorem. Tertiò, quàm ergo procul à vero est, ex horum doctrinâ absurda illa sequi, quæ nonnulli inde sibi imaginati sunt? Non enim verum est, vt illi voluerunt, per hanc sententiam asseri, causam non habere proportionem cum suo effectu: quia etiamsi causa hîc proportionata non sit ex parte eius cui indulgentia confertur, est tamen respectu eius qui eam confert. Et immeritò istinc arguitur Pontifex thesauri bona dissipare, aut non posse elargiri quod promulgat: si enim iustâ ducitur distribuendi ratione, quomodo dissipat? Vel quare non valeat id cui nihil obstat? Ineptè insuper adfertur, semper in promptu futuram causam, quandoquidem generalis saltem Ecclesiæ vtilitas & Dei gloria vbique prætendi queat: ad hoc enim ex dictis patet responsio. Ecce enim, vel verè inde honor diuinus & Ecclesiæ bonum augebitur, & tunc ratio iusta erit; vel non augebitur, & tunc non erit cur allegetur. Præterea neque quia in voto commutando omnes conueniunt causam maximam requiri, ideò in indulgentiis omnino perinde est, vtpote quæ merè ad liberalitatem diuinam spectent; vota autem iustitiam exigant, vt commutentur. Denique procul aberrare deprehenduntur, qui ex dictis eliciendum putant, Pontificem liberare aut potiùs euacuare posse totum Purgatorium, eò quòd ad hoc ei iusta causa suppetat, vt tot nimirum animæ Deum in cælis glorificent. Sed tale quid nec vllus vnquam sententiæ huius Auctorum intendisse colligi potest, nec illorum scripta hoc euincunt, sed potiùs partem aduersam, vtpote qui vnanimiter asserant, rationem ex parte gubernationis Ecclesiæ à Pontifice peti debere; & si velit Purgatorij animabus concessas à se indulgentias prodesse, haud aliter id efficere eum posse quam per homines viuos.

Sententia alterum Auctorum mens explicatur.

Nequaquam ex secundâ sententiâ sequuntur absurda quæ ab aliquibus protruduntur.

4\. Et vt, quàm id verum sit, nemini non sit obuium, apponamus nonnulla porrò ex D. Thomâ, qui vel è præcipuis est qui hanc sententiam defendunt: facilè enim ex verbis eius colligi poterit, haud alia inde sequi quam quæ intulimus. Is ergo sic loquitur: *Idem videtur alicui remittere pœnam vltra iustam æstimationem, quàm remittere absque causa: quia quantum ad hoc quod excedit non recompensatur. Sed ille qui facit indulgentiam, non potest remittere absque causa pœnam in toto vel in parte alicui. vt si Papa diceret alicui: Ego remitto tibi omnem pœnam debitam pro peccato. Videtur ergo, quod nec possit aliquid dimittere vltra iustam æstimationem. Ergo non tantum valent quantum prædicantur.* Ad quod infrà sic respondet: *Ad quintum dicendum, quòd causa non requiritur ad hoc quod secundùm eam debeat mensurari remissio pœnæ, sed ad hoc quòd intentio illorum quorum merita communicantur, ad ipsum peruenire possit. Bonum autem vnius communicatur alteri tripliciter. Vno modo per charitatem. & sic etiam sine indulgentiis aliquis est omnium bonorum particeps quæ fiunt, si in charitate sit. Alio modo, per intentionem facientis, & sic per indulgentias, si causa legitima adsit, potest intentio illius qui pro vtilitate Ecclesiæ operatus est, continuari.* Hinc iam manifestum est, D. Thomam, & qui illum hac in parte sequuntur, non tantùm ad indulgentiarum valorem iustam causam requirere, sed modum etiam insignem habere, quo explicent indulgentiarum in alios deriuationem: aiunt enim, intentionem facientis opera satisfactoria illam esse, vt pro Ecclesiæ vtilitate aliis ea communicari possint, quādo id generalis thesauri Ecclesiastici œconomus necessarium, expediens aut è re fore iudicauerit. Quem distributionis modum nullatenus auersantur prioris opinionis sectatores: imò, vt apud Bellarminum videre est, eorum hæc ferè sunt verba: *Ad id de thesauro meritorum Christi & Sanctorum, qui dicitur esse vera causa indulgentiarum, respondemus, thesaurum meritorum Christi & Sanctorum esse veram causam cur indulgentiæ concedi possint; sed præter istam causam requiri aliam quæ moueat ad dispensandum thesaurum hoc tempore potiùs quàm alio, & nunc magis nunc minùs liberaliter: non enim debent Pontifices relaxare pœnitentialem satisfactionem, neque recurrere ad thesaurum, nisi quando iudicant esse necessarium vel vtile ad gloriam Dei & animarum salutem.* Sufficit ergo etiam ex mente istorum ad validitatem indulgentiæ, modò summus Pontifex habeat iustam rationem eam concedendi, etiamsi opus lucrantis non sit proportionatum ad indulgentiæ magnitudinem; quod ex antedictis Auctorum eorumdem verbis ampliùs adhuc con-

Ex D. Thomâ inprimis patet.

In 4 dist. 20. q. 1. art. 3 quæstiunc. 1. obiect. 5.

Ex prædictis quàm euidens sit D. Thomâ etiã causam requirere.

Lib. 1. de Indulg. cap. 12.

Huic conformes qui contraria videbantur sententiæ.

constat, dum inquiunt, quòd etiamsi pro causâ leuissimâ dentur indulgentiæ maximæ, id tamen fiat, quoniam causa quæ est in se leuissima, si attendatur labor, aut sumptus, aut aliquid huiusmodi, sæpè est maxima, si attendatur proportio ad finem ad quem obtinendum indulgentiæ proponuntur.

5. Moderno itaque tempore omnino valida habenda est larga illa indulgentiarum concessio. Licet enim opera plerumque ad earum lucrum exigua sint & facilia imposita, causæ tamen nunc adeò multæ eæque permagnæ sunt, vt licet foret thesaurus integer præcisè in has occasiones reseruatus, nullo modo aut mirandum videretur, aut nimium excreuisse putari deberet: tot namque in vnum collectæ rationes, vt plures iam simul numerari possint, quàm reliquis sparsim sæculis sese variis occasionibus obtulerint. Quod quia est operæ pretium probari, in genere primùm, deinde particulatim idipsum expositurі sumus. Et quidem quoad prius, si vllum à constitutâ Ecclesiâ Catholicâ fuit sæculum, quo abundantiùs indulgentias concedi necesse fuit, certè fuit illud iam proximè superiùs in quo parentes nostri vixerunt, & id in quo nosipsi deprehendimur: solet enim sanctæ matris nostræ Ecclesiæ ea esse consuetudo, vt eo potissimùm fidei articulo asserendo quà disputando quà exercendo occupetur, qui illo tempore ab hæreticis vel schismaticis maximè oppugnatur (quod, per singulas ætates discurrendo, facillimè probare possem, si temporis angustia permitteret) idque admodum iustè, cùm, ipsâ teste experientiâ, vix vllus vincendi modus expeditior aut efficacior queat inueniri, quàm hostem suismet armis inuadere atque prosternere. Quare ex hoc solo capite prudentissimè atque vtilissimè fecere Pontifices Romani, dum copiosas adeò vniuersum per orbem indulgentias promulgarunt: viderũt etenim, rem nullam à satanæ ministris atque organis, hæreticis nimirum, vehementiùs & pertinaciùs oppugnari quàm indulgentiarum doctrinam: viderunt, quod amplius est, ex harum impugnatione, quotquot hoc tempore satanicis castris sua dederunt nomina hæreses, ab indulgentiis bellandi, & contra Ecclesiam insurgendi originem audaciamque desumpsisse. Non ergo conueniebat indulgentiarum concessiones à Pontificibus intermitti, aut remissiùs dari, ne hæretici contra Ecclesiam victoriam se obtinuisse malitiosè gloriarentur; quin potiùs suam eos auctoritatem potentiùs & valentiùs ostendere oportebat. Primus qui eas hisce temporibus allatrauit, impius iste & ter-perfidus fuit Martinus Lutherus: sed quâ occasione, an veritatis impulsu, an satanæ instinctu, dispiciendum est. Paucis dicemus; tu Lector, quia & ipse nosti, parum indulge. Pontifex Summus Leo X. videns Ecclesiam Christi à Turcis & Mahometanis admodum premi atque vrgeri, Ecclesiam verò tum temporis (variis quidem calamitatibus) temporalibus mediis, quibus se defenderet, & hostili satanicoque exercitui alium Christianum & Catholicum opponeret, admodum fuisse exhaustam, adeòque fidelium, vtpote membrorum, ope & subsidiis indigere; quò promptiùs illi & alacriùs pro matris suæ defensione temporalia sua conferrent, per totum orbem Christianum largas Indulgentias concesserat. Æquum verò esse, vt, si mater erga suas proles se liberalem ostendat quoad spiritualia, vicissim illæ se liberales exhibeant in temporalibus subministrandis, vel hic Apostoli locus edocere poterit. *Debet,* inquit ille, *in spe qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* 1. Cor. 9.

Magna ac multa præsenti tempore sunt causa vt Indulgẽtia largius concedantur.

Concedenda ea primum quia si vnquã vel nunc maximè oppugnantur Indulgentia.

Ab illarũ negatione vniuersa quæ modò grassantur hæreses inceperũt.

Pergo. Vt verò eædem Indulgẽtiæ etiam in Germaniâ, hactenus germanâ Ecclesiæ Catholicæ filiâ, promulgarentur, Albertus Moguntinensis Archiepiscopus, & Sacri Romani Imp. Septemuir, mandato à Sede Apostolicâ accepto, eximio cuidam S. Theologiæ Doctori, ex Ordine S. Dominici (nomen ei erat Ioannes Tetzalius) prouinciam hanc detulerat, eique vt per totam Germaniam easdem annuntiaret, atque fideli populo proponeret, in mandatis dederat, simulque fidelium oblationes colligere, atque in Ecclesiæ ærarium, pro Cruciatâ aduersus Turcas instituendâ, inferre, potestatem concesserat. Tetzalius, vt vir erat vndequaque optimus, post alia loca peragrata, etiam Wittembergæ in Saxoniâ easdem publicè proposuit, & fidelibus, quà potuit & debuit fidelitate & instantiâ commendauit, simulque Ecclesiæ Catholicæ necessitatem, à quâ vrgeretur, exposuit. Vidisses populum certatim confluentem, & liberalissimè pro matris Ecclesiæ defensione contribuentem, adeò vt ingens pecuniarum numerus colligeretur. Vidit hoc Lutherus, qui tum temporis Wittembergæ Theologiæ Professorem agebat, & inuidit: dolebat item, sibi & suo Monasterio lucrum aliquod fuisse subtractum (hactenus enim semper suo Ordini Indulgentiarum Pontificiarum promulgatio delegata fuerat; & fortè ipse Lutherus cum suis, è pecuniis collatis bonam summam anteà furaciter subtraxerant, & in suos vsus perfidè conuerterant.) Vt igitur simplicem populum, quem in Religione piissimum, & in subsidiis conferendis aduertebat feruidissimum, ab illo feruore auocaret, quâ erat in maternâ linguâ eloquentiâ cum calliditate armatus, indulgentiarum vim atque valorem pro concione, tenuiter primùm & obscuriùs, mox apertiùs, denique omnino in dubium reuocare cœpit: quo sanè actu diabolus maiorem pænè cladem Catholicæ Ecclesiæ intulit, quàm per manifestum Mahometismum, cuius auertendis viribus, si non euertendis, indulgentias quamplurimum facere conspiciebat. Sic res in veritate contigit: tu iam, Lector, iudica, quo impellente vel instigante Lutherus indulgentias impugnarit: nimirum hoc fecit, *non quia pertinebat ad eum de indulgentiis, sed quia fur erat, & loculos habẽs, ea quæ mittebantur furabatur:* quo lucro furtiuo iam ei subtracto, adeò debacchabatur, adeò furebat, adeò exagitabatur, qui furor tandem eum ad apostasiam, ad sacrilegium, & fidei Catholicæ euersionem, si possibile foret, impulit & adegit. Ioan. 12.

Quâ occasione illas primùm impugnarit Lutherus.

6. Ioannes Caluinus, nequioris & callidioris sectæ hæresiarcha, & ipse ab Indulgentiarum oppugnatione laudem apud suos aucupatus est, idq; se effecisse impudẽtissimè & mendacissimè gloriatus fuit, quòd earum cultus, qui Lutheri argumentis tamquam fortissimis arietibus cõcussus, ruinam minitabatur, iam, vbi orbis meliùs sapere didicisset, omnino efriguerit & congelarit.

Quæ

De quarum extinctione frustrà sibi gloriatur Caluinus, cũ magis nunc, quàm antea vigeant.

Quæ omnia vt falsissima esse constaret, numquam maior fuit indulgentiarum frequentia, numquam populi maior eas lucrandi ardor & deuotio, quàm ab eo tempore, quo à Luthero & Caluino impugnari cœperunt. Et rectè sanè, tum vt extraordinariâ erga illas deuotione Lutheranæ imposturæ se opponerent Catholici, tum etiam vt fideles ad fortiùs contra hæreses confligendum & precibus debellandum armarentur. Si enim iusta causa ab omnibus statuitur concedendi indulgentias, vt preces fiant ardentiores pro sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, & Principum Christianorum pace & concordiâ obtinendâ; quis non videat, iam vel maximè eam rationem militare, cùm tot simul hæreses exortæ atque natæ sunt, quot vix omnibus retrò sæculis, quæ non solùm directè ad Ecclesiam Catholicam diruendam omnes neruos intendunt, sed & obliquè & quasi per cuniculos dissensiones inter Reges & Principes Catholicos disseminant, & illorum arma ad Ecclesiæ subuersionem acuunt? Et vtinam, ô vtinam, ô vtinam non essent nonnulli Principes tam in matrem Ecclesiam ingrati & priuigni, vt hæreticorum pessimis persuasionibus fidem & aures præberent, & sua

Orãdum modò si vmquã pro necessitate S. Ecclesiæ.

arma, quæ Deus eis pro Ecclesiæ defensione commisit, hæreticis ad eiusdem exterminium commodarent! Sed heu tempora! heu mores! In quot simul iam deuenit discrimina sancta mater nostra Ecclesia? Vt non sit vsque adeò mirandum, quòd profligato adeò tempore summi Ecclesiæ Pontifices toti sint in animandis Christi fidelibus, eisque contra tot hostes subministrandis & proponendis mediis & remediis, quibus irritatam diuinæ Maiestatis iram sopire, eiusque clementiam promereri possint: quod, vti diximus, ritè & commodè faciunt tot indulgentiarum elargitionibus. Prætèrquam enim quòd earum concessio fideles ad Deum vehementiùs & instantiùs exorandum maximopere excitet, insuper efficit, vt hac ratione ipse Deus faciliùs placari, & vt gladium, quem iam strictum tenebat vt nos feriret, in vaginam reconderet, permoueri possit, cùm præter viuorum orationes, insuper Sanctorum & ipsiusmet Christi Redemptoris nostri merita & satisfactiones offeruntur.

7. Neque hanc solùm ob causam largior & liberalior hoc tempore indulgentiarum distributio est necessaria, sed & eam requirere omnino certum est ipsam pseudo-Catholicorum & libertinorum effrenis & nimia peccandi licentia, qui per illam indulgentiarum concessionem ad peccatorum suorum detestationem, & perfectam emendationem directè inuitantur. Neque enim crediderim quempiam tam esse proculcatæ aut desperatæ vitæ, quin si hinc peccato-

Quia maiores hoc tẽpore peccatores, idcircò suauius indulgentiis inuitandi.

rum & scelerum suorum molem consideret, & quàm sibi per ea cladem & perniciem comparauerit, inde verò, quàm facilè se ab eis expedire, Dei misericordiam impetrare, eiusque gratiam & tandem æternam salutem recuperare possit, toto conatu & molimine ad scelerum suorum confessionem, vitæ emendationem, & indulgentiarum tam liberâ manu propositarum amplexum feratur. Hæc nimirum est ratio, quòd pia & benigna mater Ecclesia facilem se & promptam ad recipiendos & absoluendos peccatores exhibeat, sponsi sui Saluatoris nostri non immeritò exemplum imitata, qui & Magdalenæ publicæ peccatrici ad eius lacrymas omne dimisit Luc. 7.
delictum; & Publicano isti, iniquitatem suam Luc. 18.
agnoscenti, ad vnum pectoris pulsum veniam concessam esse affirmauit; & latroni in Cruce Luc. 23.
adeoque sub ipsum mortis instans crimina sua recogitanti paradisum & sempiternam felicitatem promisit: filio denique isti prodigo, cul- Luc. 15.
pam deflenti, non solùm indulgentiam concessam, sed & primam stolam redditam, annulum manibus indutum, & conuiuium solemne cum musico concentu & choreis paratum fuisse enarrauit. Hoc, inquam, Christi imitata Ecclesia exemplum, meritò liberalissimam se exhibet peccatoribus ad pœnitentiam redeuntibus, & non rarò magnis indulgentiis totam & integram pœnam indulget, vt vel sic illos qui iam conuersi sunt, eâ liberalitate ad perfectionis viam decurrendam inuitet, & eis qui adhuc in delictis suis volutantur occasionem præbeat non desperandi. Sunt prætereà & aliæ rationes, ob quas hisce tempestatibus largiorem & frequentiorem esse conueniat indulgentiarum promulgationem: sed licet non in generali tantùm, sed & in particulari eas adducere facile est, ea tamen quæ in particulari annectemus, pro generalibus etiam occasionibus censeri poterũt.

In quo sponsi sui Christi Ecclesia exemplum sequitur.

Adiungamus vel vnam adhuc rationem, quæ 8.
ipsa sacra numismata, Rosaria, ac Cruces, seu res alias quascumque benedictas à fidelibus Christianis, deuotionis ac Religionis causâ gestari solitas, concernit: solet iure merito Summus Pontifex prædictas res gestantes aut venerantes Indulgentiis variis condecorare; vtpote qui eas ferant vel honorent, vt fidei suæ aut virtutis alterius professionem ostendant, quod haud dubiè specialem aliquam ab Ecclesiæ Pastoribus remunerationem promeretur, vt fideles hinc ampliùs animentur ad fidem orthodoxam publicè profitendam, & ad mutuum pietatis ac deuotionis incitamentum. Ceterùm quia aliquibus illa fortassis occurrit dubitatio, an certis ac determinatis à nobis rebus, benedictiones seu Indulgentiæ à Romanis Pontificibus indeterminatè concessæ queant applicari (vt modò communis habet praxis) non inconsultò me facturum putaui, si hic tenorem litterarum Apostolicarum annecterem quibus id clarissimè constet, datæ eæ sunt à Paulo V. Pontifice maximo, & illarum sunt verba: *Paulo Simoni, Ioanni Thadeo & Vincentio, Fratribus Carmelitis Discalceatis, Paulus Papa V. Dilecti filij, salutem & Apostolicam benedictionem. Renuntiauit nobis dilectus filius Petrus cognomentò Matris Dei, ex vestrâ Carmelitanorum familiâ, quàm lõgissimam, difficillimam, atq; periculis refertam peregrinationem in Persiam susceperitis, mandato sanctissimi Pontificis Clementis Papæ VIII. cuius memoria in benedictione est, vt exequamini Domini præceptum, quo reuersus ad Patrem iussit sanctis Apostolis suis, vt euntes per mundum vniuersum prædicaret Euangelium omni creaturæ. Equidem dilecti filij prouinciam aggressi estis dignam pietate vestrâ, atq; institutione sanctioris vitæ, quã profitemini, in quã talentum charitatis, quod à Domino accepistis, cũ multo fœnore negotiari poteritis. Sanè nobis rem gratiorem facere nõ potestis. Quòd nihil nobis magis cordi sit, quàm salus animarũ, & amplificatio gloriæ diuini nominis. Itaq; voluimus scribere ad vos, vt intelligeritis quã grata, quã iucunda sit nobis vestra*

hæc spiritualis negotiatio, atque vt vos hortaremur ad institutum iter celeriùs perficiendum, vt ad hoc sanctum Apostolicum ministerium summâ fortitudine, diligentiâ & charitate adimplendum, vt quamprimum Ecclesia Dei vberes fructus capiat ex tot tantisq; vestris laboribus; & vt faciliùs atque libentiùs progrediamini, primùm quidem largimur vobis nostram Apostolicam benedictionem, deinde omnia & singula priuilegia, facultates, gratias, Indulgentias, quæ à Summis Pontificibus hactenus concessa sunt, aut concedi solent iis, qui ad conuertendas infidelium animas ad Iesu Christi Redemptoris nostri fidem mittuntur ab Apostolicâ Sede, & præcipuè Fratribus Dominicanis tenore præsentium auctoritate nostrâ Apostolicâ vobis largimur, concedimus & impartimur; ac etiam vt hanc vestram laudabilem peregrinationem aliquâ peculiari gratiâ prosequamur, vt eo magis conijcere possitis nostram in vos paternam voluntatem, concedimus vobis, & vnicuique vestrûm, tibi videlicet Paulo Simoni, Ioanni Thadæo & Vincentio liceat eligere tria millia Coronarum siue Rosariorum, totidemq; Cruces, imagines, siue picturæ, siue ære, metallóve signato expressa sint, quibus omnibus easdem indulgentias, & benedictiones, & gratias damus & concedimus, quas hactenus concessimus coronis, imaginibus crucibusque, quas benediximus ad preces dilecti filij nobilis viri Marchionis de Viglienâ, Oratoris apud nos charissimi filij nostri Regis Catholici. Pergite igitur in nomine Domini cum exultatione & gaudio spirituali, vt fructum afferatis, & fructus vester maneat ad Omnipotentis Dei gloriam, & Ecclesiæ sanctæ incrementum, atque mercedem laborum accipiatis ab æterno Patrefamilias, qui diues est in misericordiâ, & laborantibus in vineâ sua retribuit affluenter. nos intereà nostris precibus cuncta vobis prospera & secunda precabimur ab vnigenito Dei Filio, qui à sinu Patris in terram peregrinatus est, vt genus humanum ab iniquitate peccati redimeret, & hereditatis æternæ participes faceret. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris. Die 15. Augusti 1605. Pontificatus nostri anno primo. Ecce litterarum Apostolicarum tenor, ex quo patet & validam illam esse praxim, quâ rebus determinatis à nobis Indulgentiarum lucra indeterminatè à Papâ concessarum, applicantur, & simul ostenditur, iustam esse rationem pietatis, vt huiusmodi gratias Sanctitas sua concedat. Eamus modò ad causas particulares.

9\. *Causæ aliæ concedendarum indulgentiarum, quinque numismatibus superioribus correspondentes.*

Ex quibus tametsi innumeris, quinque solùm, quæ superiori Capite breuiter & compendio recitauimus, paulò diffusiùs explanabimus: quorum primum concernit indulgentias Marchionis de Viglienâ, à Paulo V. sub Pontificatus sui initium hac ratione concessas, quòd is Marchio, ad Summum Pontificem à Rege Catholico Legatus, controuersias quasdam difficillimas, adeoque toti Ecclesiæ Catholicæ admodum noxias, magnâ diligentiâ & mirâ dexteritate composuisset. Summo sanè iure id factum esse quis non videat? Summus enim Pontifex, cùm sit Spiritualis Ecclesiæ Rector, habet etiam spiritualia præmia, quibus remuneret labores & fortiter pro Ecclesiæ commodo patrata. Non enim arbitrandum est, voluisse Christũ suum in terris Vicariũ sæcularibus Regibus esse inferiorem; sed potiùs spiritualẽ ei ad hoc thesaurum concreditum fuisse credendum est, nimirum indulgentiarum, & satisfactionum à Christo & Sanctis in eum thesaurum illatarum.

De Marchionis Viglienæ Indulgentiis.

Sunt aliæ indulgentiæ quas idem Paulus V. anno 1608. die 7. Aprilis ad instantiam Patrum Societatis Iesu, dum Generalem suæ Religionis Congregationem celebrarent, libens concessit: ad quarum sanè concessionem non vno nomine permotus fuit Pontifex. Si enim Societas Iesu tum per annos ferè octoginta in tot millibus doctrinâ & sanctitate illustribus viris Ecclesiæ inseruierat, qui non posset cõfidenter petere, & efficaciter obtinere, laborum ac meritorum suorum intuitu, insignem aliquam indulgentiarum distributionem, quò videlicet tum ipsius Societatis Religiosi ad præcessorum suorum pietatem, eruditionem & omnimodam perfectionem æmulandam animarentur, tum reliqui per orbem Christianum Catholici ad eamdem Societatem ampliùs amandam & fouendam, suspiciendam & deprædicandam accenderentur. Quod profectò eò erat rationabilius, quò pluribus è causis petitum fuerat. Siue enim sanctitatem, siue labores, aut eruditionem spectemus, innumeræ è quolibet capite suberant rationes. Quot, quæso, Sanctos produxit illa Sanctorum Societas, quot Martyres, quot egregios Doctores? Pauci sanè anni sunt, quòd intra vnius septennij spatium quinque ex eadem Societate in Diuorum album relatos vidimus, & plures insuper in illum inscribendi expectantur. Certè cùm Congregatio illa hoc à Pontifice peteret, iam tot ex Societate martyrio coronati erant, vt, cùm vix esset octogenaria, centenarium numerum longè excederet. Si doctrinam, si sanctitatem, si alias perfectiones spectemus, Deus bone, quantus se nobis præstantissimorum & sanctissimorum virorum offert exercitus? Sed infrà præcipuos nonnullos ex illis recensebimus.

De Indulgentiis quas vocamus Societatis Iesu.

Indulgentias, quas Persicas vocant, ne omittamus, habent illæ profectò solidissimum in Ecclesiâ fundamentum. 10.

De Indulgentiis Persicis.

Cùm enim Paulus V. versus Persidem mitteret Carmelitas Excalceatos, vt Regni illius Regem & populum ad Christi ouile adducerent, obnixè ab eodem Pontifice petierunt iidem Religiosi, vt partem aliquam spiritualis thesauri Ecclesiæ distribueret, tum vt ij qui in Perside ad fidem essent accessuri, Ecclesiasticis hisce diuitiis ditati ampliùs animarentur, tum vt qui illuc mitterentur, eò se potiùs ad opus istud Euangelicum accingerent, & fructum vberiorem producerent, tum vt & alij Christiani per easdem indulgentias incitarentur ad viaticum subministrandum iis qui missi essent, eosque in itinere confouendos, & denique prosperum sui muneris successum precibus suis quotidianis aliisque operibus bonis Deo commendarent; tum vt Patres illi easdem quoque indulgẽtias sibi lucrari & aliis cõmunicare possent. Si enim S. Martyres olim D. Cypriani & Tertulliani temporibus à Pontificibus cõcedi fidelibus indulgentias petierunt & impetrarunt, cur idem non fieret Religiosis illis, qui haud minori generositate, pari etiam vitæ periculo, infidelium illorum regiones adibant; neque ipsi solùm ad omne martyrij & tormentorum genus prompti & parati erant, sed & illos, quos Christianâ postmodum fide imbuerunt, martyrij palmâ & coronâ dignos effecerunt?

Sed

11. *De S. Caroli Borromæi & Quinque Sanctorum.*

Sed & vrgens admodum ratio fuit, quæ Pontifices mouit, vt rebus illis, quæ in honorem S. Caroli Borromæi à se benedicebätur, præstantes indulgentias adiungerent, quia nimirum Sanctus ille, dum in viuis adhuc superesset, ingentem meritorum & satisfactionum cumulum Ecclesiæ thesauro adiecit: quæ ratio locum itidem habet in Quinque Sanctis simul canonizatis, qui & ipsi indicibilem eidem thesauro massam addiderunt, & vt alij, & præcipuè sui instituti sectatores posteà adderent effecerunt, vt distinctiùs iam iam & ad oculum demõstraturus sum. Vnde iustum omnino fuit, vt in publicâ illorum festiuitate, dum summi illis post Deum & B. Virginem in Ecclesiâ honores decernerentur, liberalissimam sese exhiberet sancta mater nostra Ecclesia. Si enim in terrestribus, dum aliquis Imperator, Rex aut supremi iuris Princeps solemniter inauguratur, atque in sublimi Maiestatis suæ solio collocatur, præ tantæ festiuitatis gaudio carceres aperiuntur, rei dimittuntur, exules reuocantur, dona & missilia præstantissima populo distribuuntur, & nulla denique lætitiæ & festiuitatis signa omittuntur: quis iure carpat, quòd mater nostra Ecclesia, in tanto cæli Principum triumpho quem de diabolo mundo & carne deuictis egerunt, in tantâ inquam illorum festiuitate, dum nimirum ij, qui anteà mortales, fragiles & caduci homines fuerant, ob suam pietatem, probitatem, perfectionem & nulla non sanctitatis eximiæ opera in excelso illo beatitudinis & tantùm non diuinitatis fastigio collocati conspiciuntur, dum pro suis, pro Ecclesiæ commodo, & diuini nominis præcipuè honore, exantlatis laboribus, molestiis, fatigationibus, & aliis infinitis perfectionis summæ operibus, in sempiternam requiem translati, æternâ & numquam intermoriturâ gloriæ cælestis laureâ donati, in Beatorum & cæli Principum numerum recepti, atque inter mortalium Patronos & Aduocatos, tanto cum cælestis curiæ iubilo & exultatione, tanto Angelorum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, omnium denique Sanctorum & Sanctarum applausu & acclamatione, transcripti sciuntur; quòd, inquam, mater Ecclesia etiam Purgatorij carcerem aperiat, quòd reis & peccatoribus largam indulgentiam proponat, quòd denique spiritualia dona & missilia fidelibus distribuat? Potuit sanè & debuit pia nostra mater vel aliquid ex pinguissimis & opimis spoliis, quæ à Sanctis illis cælesti ærario inferebantur, detrahere, & indigentibus nobis, vt aliquid inde solatij caperemus, distribuere. Sed quanta & quàm eximia fuerint illa spolia, quàm ingentem & præstantem singuli Ecclesiæ thesauro meritorum & satisfactionum cumulum apposuerint, inspiciamus.

Iustè in Diuorum Canonizatione liberalis est S. Mater Ecclesia.

12. *Carolus Borromæus multa in Ecclesiæ thesaurũ intulit.*

Sanctissimus inprimis Præsul Carolus Borromæus, Mediolanensis olim Archiepiscopus, quàm egregia, quàm præstantissima & vel maximi meriti opera in commune Ecclesiæ ærarium intulerit, quis debitè effari poterit? Sanè quantus negotiator in spirituali mercimonio futurus esset, insolitum quoddam prodigium ostendit. Eodem enim (sic Vita eius habet) quo in lucem edebatur instanti supra matris eius cubile fulgor quidam apparuit, nihilo à solis radiis differens, idque latitudine cubitorum sex, longitudine verò non minore quàm glande quis sclopetariâ traiiceret; quo indubiè miræ & perfectissimæ eius virtutes, quibus posteà excelluit, indicatæ fuerunt. Factus igitur, meritis eius id omnino exigentibus, Mediolani Archiepiscopus, totus in eo fuit, vt honor Dei ante omnia promoueretur, Religio Catholica incrementum caperet, & hæreses extinguerentur: ad quod assequendum, quos non labores subiit? quas non molestias expertus est? Profectò intra paucos illos annos, quibus illi, quam diximus, Ecclesiæ præfuit, sex Concilia Prouincialia, & vndecim Synodos diœcesanas celebrauit, in quibus subditos suos præclarissimis documentis & moribus adeò expoliuit, vt bonus & fragrans ille odor ad vicinos Episcopatus delatus, etiam illos in melius conuerti, & pro diuino honore strenuiùs allaborare fecerit. Quot, putas, Collegia ædificauit, & reditibus honestis, sibi & suæ sustentationi substractis, dotauit? E reliquis plurimis commemorabo vnum, quod pro Clericis Heluetiis ac Rhæticis extruxit, in quo aluntur & Philosophiæ Theologiæque sacris scientiis imbuuntur, qui ad illas partes posteà commigrarent, & pro hæresibus exterminandis, & fide Catholicâ restituendâ, egregios se operarios præstarent. Verè, verè dici potest, toties, quoties viri docti inde prodeunt, Carolum Borromæum suos labores multiplicasse. Quot Seminaria erexerit, haud dico: quis enim pro meritis enarraret? Ardentissimam & flagrantissimam erga proximum suum charitatem silere nequeo, quæ tum magis enituit, cùm grassante pestilentiâ, ingens pauperum & vagabundorum numerus, qui à ciuibus repellebantur, ad eum confugisset, quos omnes paternè complexus, in loco quodam extra ciuitatem sito honestè aluit. Alia charitatis exempla, quæ in eo abundarunt, si referre vellem, potiùs peculiaris liber mihi conscribendus foret, quàm eius merita succinctè referenda. Extant libelli qui eius Vitam describunt, quos legere poterit, qui diuinissimi huius viri egregia opera sigillatim nosse desiderat. Diuitias & pecunias minus quàm sordes & lutum æstimauit, omnia sua pauperibus erogans, vt Christum Dominum in membris illis infirmis aleret. Hem! pænè dicere horreo, Principatum Auriacensem, decem millia coronatorum annuè ei pendentem, vendidit, & omnem istam pecuniam pauperibus dilargitus est: præter alias dignitates, reditus, & census annuos ad centum millia vsque ducatorum, quos omnes solo amore Dei vltrò dimisit; atque insuper etiam supellectilem domesticam diuendidit, pretiumque pauperibus distribuit, adeò vt etiam proprio, in quo requiescebat, vendito lecto, super nudam tabulam decũberet tantus Heros, tantus Pontifex. Sed vitæ austeritatem quoq; eximiam, quãuis ad id nullo pręcepto quis teneatur, vt magnum sibi meritorum cumulum acquireret, instituit, vt præter statum cuiuslibet hebdomadæ vnius diei rigidissimum ieiuniũ, ita priscorum Patrum abstinentiam æmularetur, vt nunc neglectis carnibus, nunc omisso vino, nunc aliis reiectis ferculis, tandem quotidiani ieiunij

In eius ortu visa sũt prodigia.

Strenuè pro Ecclesiâ laborauit.

Charitate fuit feruidus erga proximum.

In pauperes liberalissimus.

In seipsum valdè austerus.

ieiunij excolendi gratiâ, vix quidpiam præter panis & aquæ modicam portionem sumeret. Contigit aliquando, ipso indicente quatriduanam Supplicationem fieri, vt Deus pro peste auertendâ placaretur: vbi vidisses eum nudis pedibus, collo validâ fune, manibus ponderosâ insertâ cruce incedere, nihilque moueri, quamuis dextri pedis pollicem adeò in plateis offendisset, vt toto illo quatriduo, quo Supplicatio illa continuabatur, sanguinem perpetuum inde dimanare, vniuersus Clerus & populus Mediolanensis non sine intimâ compassione conspiceret. Sunt qui certò affirmant, ad septuaginta millia pauperum illius curâ & sollicitudine victu & quotidiano vestitu donatos fuisse. Ne tamen è suis abstinentiis laudem humanam aucuparetur, & mercede diuinâ priuaretur, protestari solebat, abstinere se quidem à cibo, non tamen virtute temperantiæ, sed vt expeditiùs & faciliùs quæ Episcopalis sui erant muneris obire posset. Et quod admirationem augere potest, subsistebat nonnumquam, occasione Precum quadraginta horarum, toto eo tempore in templo, & singulis prope horis ad populum, qui frequentissimus confluebat, noctu diuque è suggestu concionabatur. Hisce rigoribus accesserunt castigationes corpusculi per flagella, per cilicij gestationes, & somnum capiendi planè asperum consuetudinem: aut enim in paleis, & cubiculo vili & angusto, quod in suum solius vsum sub tecto Palatij sui constrūi curauerat, vel supra nudos asseres, vel in sellâ subinde, coopertus stragulo canabino paleis inferto, & linteaminibus eiusdem telæ generis benè grossis, ordinariè quatuor horis, rarò quinque, sæpè paucioribus indormiebat. Vestibus pellitis aut sericis non vtebatur, sed panneis: & intrinsecus quidem vnâ solummodò, eaque tritâ & leuis pretij tunicâ, quamuis exteriùs pro status & dignitatis suæ exigentiâ pretiosis indueretur; identidem dictitans, vestimenta lacera sibi esse propria, purpurata autem & cærulea, quibus in publicum prodibat, spectare ad dignitatem Cardinalitiam & Archiepiscopalem. De castitate & puritate vitæ ipsius, de patientiâ in sufferendis difficultatibus curæ pastoralis, & de aliis infinitis eius heroicis planè virtutibus nihil addo; quibus tamen adeò enituit, vt vel Angelum corpore humano indutum quis se, eo viso, conspicere iure dicere potuerit. Nec eas quas strictim recensuimus abstinentias, asperitates & pœnitentias semel vel bis exercuisse satis habuit, sed in seruandis iis per totam & omnem vitam, vsque dum anima eius corpus relinqueret, constantissimè & imperturbato animo perstitit. En tu, bone Lector, qualem hic vir sanctissimus cumulum meritorum & satisfactionum Ecclesiastico thesauro apposuerit, quæ iam triginta & amplius annorum spatio tam sedulò tam sollicitè congregauerat.

Humilitate opera sua bona occultabat.

Corpus suum vigiliis & pœnitentiis afflixit.

Castitate admodum præcelluit.

13. Sed age, Lector humanissime, patientiâ tuâ ampliùs vtor aut potiùs abutor, & quid Quinque illi Sancti, quos haud ita pridem Gregorius XV. cælitum numero adscripsit, boni egerint, & per suos sequaces adhuc quotidie agant, paucis (dignè enim non possem) perstringam, tu quidinde communi thesauro satisfactionum, vnde indulgentiæ depromi solent, accesserit, iudica. Occurrit primò S. Isidorus, quem Madritana ciuitas sibi in Patronum delegit, vtpote vbi potiorem ætatis & vitæ suæ partem triuerit, imò vbi natus fuerit & educatus. Hic quamuis adeò tenuibus atque inopibus parentibus ortus fuerit, vt ne facultates quidem eis suppetierint, quibus filium suum vel ad studia vel ad honestum aliquod manuarium opus destinarent, nihil tamen ei obfuit quò minùs, solùm eam ob caussam quòd pius, quòd innocens, quòd simplex, quòd virtutum omnium cultor esset solertissimus & perfectissimus, tantos à Deo optimo maximo fauores atque gratias receperit, quales etiam vel haud infimæ notæ Sanctis negatos fuisse scimus; adeoque haud sine peculiari Dei directione, & Spiritus sancti afflatu (ille namque est, ille, inquam, est, qui Summo Pontifici, Christi Iesu in terris Vicario, quid faciendum sit, quid omittendum, tali præsertim in casu quando fidei negotium vertitur, etiam tacitè & insensibiliter inspirat) factum esse arbitror, quòd hic homulus rudis, ignarus, ignobilis, obscurus, inglorius, cuiusque hoc in sæculo abiectissima & contemptissima fuit conditio, ad tantum fastigium sanctitatis, ad tantum eminentiarum apicem euehi & sublimari meruerit, vt inter reliquos simul cum eo in Sanctorum album inscriptos, qui reuerà tot tamque inclyta & admiranda pro communi Ecclesiæ commodo præstiterunt (vt infrà paulò largiùs explicabitur) primus & velut Dux esse dignatus fuerit. Adeò nimirum certa & vera est illa Apostoli sententia: *Non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Et quoniam *non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente,* & in omni hominum statu & conditione, *qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi;* ideò virtutes, pietatem & probitatem huius agricolæ & hominis rustici tantis gratiis, tantis donis, imò &, dum viueret adhuc, miraculorum patrationibus, compensare cœpit, plenariam retributionem ad secutura tempora reseruans, cuius iam complementum videmus. Adeste ergo, quicumque estis operarij, quicumque opifices, & quomodo etiam vos salutem vestram promouere haud difficulter possitis, à meo Isidoro discite. Haud priùs aratro manum admouere solebat, quin (memor illius moniti à Saluatore prolati: *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia,* temporalia scilicet commoda & lucra, *adiicientur vobis,*) priùs templa inuisisset, sacram Eucharistiam, B. Virginem, suosque Tutelares salutasset, Deo diurnum opus commendasset, & Sacro, de more, adstitisset. Neque quisquam à diabolo sibi persuaderi patiatur, exiguum illud temporis spatium, quod diuino cultui impendit, omnino perire, aut propterea vel minimum de lucro decedere. Cùm enim S. Isidorus operam suam pro vicini sui agro colendo elocasset, & propter Missæ officiū, cui Isidorus priùs interesat quàm ad laborē iret, seriùs ad opus accederet quàm cōuentum erat,

Ciuitas Madritana S. Isidorum sibi in Patronum assumpsit.

Parentes S. Isidori fuerunt pauperrimi.

Pontifex Romanus in rebus fidei decernendis à Spiritu sancto dirigitur.

S. Isidorus primus fuit in canonizatione.

1. Cor. 1.

Act. 10.

Viuus miracula patrauit.

Operarij, si operis aliquid Deo tribuentes, nihil à suo lucro perdunt.

Math. 6.

erat, resque ad agri dominum delata fuisset, ille quantocyùs ad agrum se contulit, Isidorum ob negligentiam reprehensurus. Et ecce, dum illuc venit, videt tribus aratris agrum suum sulcari, quorum duo à candidissimo & splendidissimo vestitu indutis iuuenibus agitabantur, qui &, dum propiùs accederet, subitò ex oculis eius (non sine maximâ eius consternatione) euanuêre, tantumque in agro suo laboratum fuisse deprehendit, imò amplius, quàm si à summo manè Isidorus in agro præsens fuisset; didicitque verum esse quod alioqui Isidorus ei, quamuis surdo & incredulo, occinuerat, id temporis quod orationi impenditur, numquam perire aut frustrà impendi. Quanti ergo vir hic simplex & idiota apud Deum fuerit meriti, fons, quem sitienti hero, in loco arenti, & vbi ne minimum aquarum vestigium apparebat, stimulo suo, quo boues impellere solebat, elicuit, sat euincit. Et quamuis tot virtutibus apud cælites esse famosissimus, in terrâ tamen ignotus latuit, nec multum à mundi sapientibus æstimatus fuit; ideoque corpus eius, in quo tam purissima & sanctissima anima habitauerat, & quod procul dubio haud exiguam sanctitatem ab hospite suo contraxerat, ad quadraginta vsque annos in vulgari cæmeterio, absque honore & debitâ veneratione ignotum iacuit. Non ergo diutiùs ferens diuina Maiestas sui tam dilecti famuli sanctitatem vlteriùs ignorari, atque ab hominibus eius nomen vilipendi, præstantiam ipsius & in cælis gloriam piæ cuidam feminæ reuelauit, quæ rem sibi diuinitus indicatam in publicum proferens, causa fuit, vt tandem sacrum illud corpus, à reliquis secretum, intra sacratiorem templi locum conditum fuerit. Ne verò quispiam hanc corporis translationem leuitati aut temerariæ credulitati adscriberet (mulierculæ enim fidem habuisse, & ad eius assertionem defuncto cuipiam publicos honores exhibuisse, res videri poterat non satis cauti & prouidi hominis) insigni eam Deus miraculo comprobauit. Sed quod illud? Nimirum omnes loci illius campanæ sponte, nemine mortalium manus admonente, solo diuino impulsu agitatæ, sonuerunt, magnâ omnium piorum admiratione. Et quod pænè humanam fidem superat, quadringentesimo & quinquagesimo post felicem eius obitum anno corpus illius non modò integrum & omnino incorruptum, sed & insuper suauissimum & planè cælestem odorem diffundere repertum est.

Angeli S. Isidorum in arãdo iuuãt.

Corpus S. Isidori integrũ & incorruptum inuenitur.

14. *S. Ignatius Loyola, Societatis Iesu Fundator.*

Ab aurorâ deueniamus ad Solem, S. videlicet Ignatium de Loyolâ, sanctissimæ Societatis sanctissimum institutorem & fundatorem. Deus bone, quas non difficultates & impedimenta obiecit satanas diuinissimo huic viro, dum Societatem ab eo condendam præsentisceret, cuius alumni tam strenuè, tam viriliter, tam animosè contra suos emissarios hæreticos essent decertaturi. Sed inuictus, & à Spiritu sancto interiùs confortatus S. Ignatij animus, omnes illas difficultates & remoras, veluti leuissimas quisquilias illæso pede conculcauit, prostrauit, superauit. Condita est Societas, nec quidquam frendente diabolo, frustrà insanientibus hæreticis, incassùm obluctantibus pseudo-Christianis. Hæc nimirum est, vt quodam modo illud è sacrâ Scripturâ huc applicare liceat, illa offensionis petra, in quam hæretici impingentes, alliduntur, confringuntur, comminuuntur. Hic est ille ignis, quem Deus è cælo mittere, atque in mundo accendere volebat, per D. Ignatium, veluti quoddam ignitabulum, excitatus, qui amburit hæreticos: hinc tot istorum clamores, tot in Societatem vociferationes, conuitia & calumniæ, quia scilicet ab hoc igne vrguntur, haud secùs quàm olim nescio quis impius Apollinis sacerdos, qui Paulinum iudicem in S. Vitalem martyrem incenderat, inclamare cœpit: *Tu me nimiùm Vitalis Christi martyr incendis.* Reuerà de duobus hisce Sanctis, Ignatio nimirum & Xauerio, intelligere possumus illud Genesis 1. *Fecitq; Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei; & luminare minus, vt præesset nocti.* De reliquis eiusdem Societatis viris illustribus, illud, *& stellas.* Luminare maius mysticum est S. Ignatius, qui diei, id est Christiano orbi, & iam ad Catholicam fidem conuerso, præfuit, hoc est, in ipsâ Ecclesiâ Romanâ radios suos extulit: luminare verò mysticum minus est Xauerius. Et sanè cur hoc dicam, mihi sunt rationes. Veluti enim Sol à Deo lumen sibi inditum habet, ita S. Ignatius à Deo ipso immediatè illuminatur, & ad tantum in Ecclesiâ apicem & fastigium sublimatus fuit. Veluti item Luna à Deo quidem est creata vt nocti præsit, eique lumen suum communicet, non id tamen habet immediatè è vi suæ creationis, sed à Sole illud accipit: ita etiam S. Xauerius à Deo præordinatus est vt gentibus in tenebris & vmbrâ mortis sedentibus, hoc est Indis & Iaponibus, Christianæ & Catholicæ fidei lumen participaret, non tamen missionem suam immediatè à Deo habuit, sed mediante magno illo Sole S. Ignatio, qui postquam suum ei lumen communicasset, tum primùm effulgere cœpit.

Quare hæretici Societati Iesu oderint.

Breuiar. Romanum, die 28. Aprilis.

S. Ignatius Soli comparatur.

Sed iam breuiter etiam & compendiosè (quis enim adeò foret eloquens, vel quis calamus tam abundans, vt omnes describere posset?) virtutes nonnullæ magni illius Solis, S. Ignatij dico, enarrandæ sunt, vt vel inde coniectura fieri possit, quantas vir ille illuminatissimus diuitias communi Ecclesiæ thesauro apposuerit. Quicumque igitur Vitam gloriosissimi huius Patris perlegerit, fieri non potest, quin innumerabilem variarum & quamplurimarum virtutum farraginem obseruet, quibus tamen omnibus præeminet charitas. Videbit, inquam, manifestissimè, hanc virtutum Reginam solium atque thronum sibi delegisse intra cor S. Ignatij, ibique, velut in loco acquisito vexilla atque insignia sua collocasse. Symbolum hocce ipsius, *Ad maiorem Dei gloriam*, fuit veluti charitatis sigillum, quo ipsa omnia S. Ignatij membra, omnes ipsius actiones, omnia eius talenta & gratias, omnes denique cogitationes eius adeò obsignabat, vt numquam linguam suam (loquor de tempore post illius conuersionem) solueric nisi ad decantandas laudes diuinas, numquam cilia leuauerit nisi ad mirabilia Dei contemplandum, numquam pedem promouerit nisi ad cælestem pacem & diuina beneficia deprædicanda, numquam cogitationem quam-

15. *Vita S. Ignatij, virtutum speculum.*

Inprimis in eò luxit charitas,

erga Deum,

quampiam admiserit quàm pro Regno Dei amplificando. Virtus hæc faces ei subministrauit ad incendēdum, per se & suos sequaces, vniuersum orbem. Visus est aliquoties Barcinone in aëre suspensus, dum oraret, inclamitans identidem: *O bone Deus, vtinam homines te cognoscerent!* Sæpiùs palàm testificatus est, arbitrari se vitam suam probè impendisse, si vel vnum peccatum mortale vniuersis suis laboribus impedire posset: adeò nimirum cane peiùs & angue auersabatur pestem illam, iuratum Dilecti sui hostem. Ex hoc amore erga Deum nascebatur charitas eius erga homines, quorum saluti deuouebat & consecrabat vitam & studia tum suam tum suorum Sodalium. Hæc nimirum virtus fuit, quæ ipsum haud procul Parisiis aquis congelatis immersit, vt impuros adolescentis dissoluti amores restingueret, eumque ex vitiorum voragine eriperet. Eadem porrò charitas enituit, cùm à quodam, qui tantillum pecuniarum, quas pro studiis suis continuandis comparserat, clàm suffuratus fuerat, & qui morbo quodam detinebatur, Rothomagum vsque euocatus fuisset: vbi tantum abfuit vt ei auxilio esse abnuerit, vt potiùs confestim itineri se accinxerit, & longum triduanumq; illud iter, quod inter Parisios & Rothomagum, quamuis sine cibo vel potu, lætissimus emensus, & continuè pro salute eius qui ipsum tam flagitiosè offenderat, precatus fuerit. Alius insuper, quamuis multis nominibus S. Ignatio obstrictus esset, ita se malitiæ æstu abripi passus fuerat, vt in necem benefactoris sui coniurauerit; eamque dubio procul reipsâ intulisset (quia iam domum eius conscenderat) nisi miraculo voce quadam deterritus fuisset, quæ hunc in modum auribus eius insonabat: *Quò vadis infelix?* Hunc tamen posteà complexus est S. Ignatius, & vltrà, quàm vmquam anteà, adamauit. Et quamuis impius ille homo, iterùm oblitus sui, eò deuenerit, vt Romæ calumniis & imposturis insolentissimis omnimodam Societati ruinam contexuerit, ab eo tamen in eam Societatem receptus fuit, quantumuis paulò antè iuridicè & legitimè falsitatum & imposturæ conuictus, à Iudice condemnatus fuisset.

Erga homines & peccatores, &

ad ignoscendum in se delinquentibus.

16\. Qui verò promptus non fuerit ad condonandum ille, qui in cognitione suipsius tam altas atque profundas radices egerat, tamque parum curâ sui afficiebatur, vt se nequissimum & ingratissimum, quem terra sustineret, arbitratus fuerit, dignumque se iudicauerit omnium increpatione & vilipensione? Deum sæpè sæpiùs exorabat, vt corpus suum post obitum abiiceretur in sterquilinium, vt à bestiis deuoraretur: & nisi potiorem boni publici quàm priuati suiipsius rationem habuisset, instar furciferi se, laqueo ad collum appenso; per totam ciuitatem pertrahi fecisset. Confessarius eius miranda planè de virtutibus eius referre iam inceperat, verùm Ignatij humilitas os ei obstruxit, inhibendo ne quid ante mortem eius in publicum efferret. Cumque Confessarius ille, & quamplurimi alij, vel maximè exoptarent vt aliquanto tempore Ignatio superuiuere contingeret, quò heroicæ & diuinæ illius virtutes & satisfactoria merita toti mundo innotescere possent, diuinitus tamen, vt arbitramur, factum est, vt paucis septimanis morte suâ ille mortem Ignatij anteuerterit. Certè de oratione eius plura nobis dicenda forent, nisi instituti nostri esset tantummodò compendium & velut specimen quoddam virtutum tanti Patris in medium adferre. Sufficiet, puto, scire, eum in rebus diuinis, prout ipsemet referre solebat, potiùs patientis quàm agentis vices sustinuisse: qui profectò gradus valdè est sublimis, & quem S. Dionysius Areopagita in supremâ parte scalæ Iacob collocauit, quæ cælum conscendere & alloquio diuino frui faciat. vnde reuerti solebat splēdida & scintillante facie velut alter Moyses, quod præter S. Philippum Nerium & D. Petronium haud semel conspexerunt alij. Lacrymæ, quas deuotio eliciebat, adeò erant vberes & exundantes, vt statim totam eius faciem irrigassent, nisi tempori præuenisset, certò quodam modo sua restringendo exercitia, & excessum quem sentiebat reprimendo. Eius in aduersis constantiam & patientiam, in prosperis & lætis temperantiam, in cibo potuque abstinentiam, in corpore castitatem & puritatem, [illegible] in superiorum mandatis promptissimè exequendis exactissimam obedientiam quis exprimet? Nimirum in alteram quasi eius naturam abierant, nec acquisitæ erant: sed in supremo atque altissimo gradu ab ipso possidebantur, prout quilibet ex vitæ eius historiâ obseruare poterit. Quòd si talis fuit, tantasque pœnitentias & asperitates sibi assumpsit statim primis à suâ conuersione annis; quantum, putas, in eo augmentum & incrementum sumpserunt eæ virtutes posterioribus annis, & ad quantum fastigium peruenerunt in vltimis? cùm iustorum vitæ sint instar lucis diurnæ, quæ semper, donec meridies fit, incrementum capit.

Vilissimum se & abiectissimum reputabat.

Virtutes suas studiosè occultat.

In contēplatione rerum diuinarum sublimissimus.

Lacrymarum dono erat præditus.

Sed ad Lunam illam Societatis Iesu deueniamus, sanctum inquam Franciscum Xauerium, qui velut alter Eliseus quasi hereditario iure sibi vendicauit virtutes S. Ignatij, idque longè supra alios, vtpote instar primogeniti supra fratres suos præcipuâ parte & delicatiore donatus, charitate inquam, quam nulla vmquam Indiarum Orientalium regio silebit, sed in perennia vsque sæcula nullis non laudibus deprædicabit: & iure quidem merito, vt cui suam præcipuè salutem & ad fidem Christianam conuersionem debent, cùm, quemadmodum Thomas Bozius alicubi scribit, ad ter centena vsque millia hominum ibi à Gentilitate & idololatriâ ad Christi fidem perduxerit. Sed quid hæc? diligenti factâ inquisitione compertum est, ad duodecies centena millia animarum fidei lumine ab eo illustrata fuisse: quarum saluti vt consuleret, molestiam itineris viginti millium milliarium Italicorum (tot enim Româ Iaponem versus à Geographiæ peritis numerantur) non solùm non detrectauit, sed vel maximâ hilaritate & animi iucunditate emensus est. Bone Deus! quanta hæc est charitas? quanti meriti & satisfactionis opus? tot se committere pro gloriâ Dei adaugendâ, & fide Christianâ propagandâ, periculis, desertis, vndis, piratis, barbaris, naufragiis? In solo namque Moluccarum pelago ter naufragium passus fuit, in quorum vno, tabulæ inhærens, triduo per vastum illud & sæuum mare iactatus, tandem vitam incolumem seruauit. Quantus, putas, fuit ille zelus, qui per tot calamitates atque difficultates illum egit, quas tamen vniuersas animosè superauit, veluti gen-

17\. *S. Franciscus Xauerius Eliseo æquiparatur.*

Indiæ est Apostolus.

Lib. 6. de Notis Eccles. Notā 20.

Quot homines ad Christi fidem perduxerit.

Labores eius pro fide propagandā.

generosus venator huc illuc discurrẽs, vt duo assequeretur, plurimas nimirum animas errore seductas, & nobile illud trophæum, martyrium, & pro nomine Christi occubitum. Et quamuis hoc vltimum non videatur assecutus, ego tamen crediderim, multis eum nominibus martyris honorem promeritum fuisse, cùm toties palmam & coronam reportauerit, quoties vitam suam in fidei nostræ iuratissimorum hostium manibus pósuit, quorum è potestate saluus nequaquam euadere potuisset, nisi Deus ter opt. ter max. suâ prouidentiâ cóseruasset, vt pluries martyria subiret. Amoris scilicet fornax erat, & Seraphici amplexus sponsi eius Iesu Christi, vbi suum ille zelum excoquebat & indurabat: oratio verò erat armamentarium, vbi reperiebat vnde se aduersus omne molestiarum, difficultatum & aduersitatum genus armaret. Quòd si interdiu negotiorum molestiæ, quò minùs liberè cum Deo suo agere posset, obstarent, nocturnum quietis tempus sibi subtrahebat, vt diurnum resarciret, & potiorem noctis partem in feruentissimis calidissimisque orationibus trãsigebat, dum aliquoties adeò se diuinis consolationibus refertum experiebatur, vt capere eas mortale corpusculi vasculum nequiret, vt tantis donis velut præfocatus, & Cherubini instar accensus, altâ voce inclamaret, *Satis est Domine, satis est.* Magnus & excelsus ille animus, qui aduersitatibus & afflictionibus exsatiari non poterat, adeò vt in mediis illis indesinenter vociferaretur, *Adhuc Domine, adhuc;* explẽtum & saturatũ se sentiebat ad primum Dilecti sui accessum. Oratio & cognitio Dei radix est & scatebra cognitionis suimetipsius atque humilitatis, quæ in S. Francisco tam profundas radices egerat, quãtum reliquæ virtutes, huic fundamento superstructæ, magis attollebantur. Decennio integro dignitatem suam occultabat, neque vmquam, quod erat, Nuntium Apostolicum se prodebat, nisi casu admodum extremo, qui hanc eum personam sumere pro Dei gloriâ cogebat: adeò nimirum fastum atque ambitum oderat, quem tamen mundani & imperfecti tam sollicitè & delicatè ambiunt & expetunt. Hinc crebrò gemebundus exclamabat: *O arrogantia & superbia, venenum virtutum Christianarum, quantum damnum quotidie adfers, & adhuc adferes ad finem vsque mundi!* Virginitatẽ tam corporis quàm animæ intemeratam integramque seruauit, quæ nimirum integritas vnicum & verum fuit balsamum, quod corpus eius tot mensibus à putredine liberum seruauit, ad extremum stuporem totius mundi. Vno verbo, verum reuerà fuit Franciscus speculum virtutum, omnigenæ sanctitatis exemplar, totus Apostolicus, & dignus Apostolici tam nominis quàm muneris heres. Qui dignati fuerint inspicere Vitam huius Apostoli, & Relationem Sanctitati Suæ factam pro illius canonizatione, obseruabunt dubio procul mirabiles potentiæ diuinæ effectus S. Francisci Xauerij intercessione patratos, quàm vel in quocumque Sancto alio, qui Ecclesiæ ab annis iam mille sexcentis notus fuerit. Sufficit dixisse viginti quinque eum mortuos exsuscitasse, quo tamen numero non comprehẽdi arbitror binos illos pueros, quos à suâ in Sanctorum album inscriptione Romæ ad vitam excitauit, vbi alterius parens vnà cum eodem excitato suo filio venit portans fandapilam, quæ ei iam parata erat, eumque coram Sancti altari in templo Domus Societatis professæ deposuit (ad quod voto se obstrinxerat) cum innumerabili & infinito populi concursu, & sancto vniuersæ ciuitatis sanctæ stupore. Longus nimiùm essem, si eius pœnitentias, abstinentias, vigilias, asperitates, & corporis voluntarias afflictiones enarrare velim: quas si cui scire libido est, eum ad Vitam eius à Tursellino scriptam, & ad Relationem pro eius canonizatione factam remittimus. Vnum atque alterum quod de ipso legimus, præterire non possum. Cùm Lusitaniæ Rex profecturo versus Indiam Xauerio complura ad commodiorem profectionem necessaria per suos Præfectos offerret, ea omnia, paupertatis sanctæ amore constantissimè reiecit: instantibus vero ministris Regiis, & vt quæ à Rege sibi offerrentur acciperet vrgentibus, ne fastu potiùs aut pertinaciâ, quàm paupertatis amore, ea respuere videretur, vulgares quasdam (sic ait Historia Societatis) & crassiore textu lacernas, non tam sibi quàm duobus Comitibus, ad arcenda circa Bonæ Spei Promontorium Antarctici frigora; itemque sacros libros aliquot postulauit, reliqua reiecit omnia, dicens, ei qui paupertatis votum fecisset, & Dei causam ageret, nequaquã esse de crastino laborandum. De communi verò sanctitatis eius opinione hæ ex India litteræ in Lusitaniam perscriptæ testari possunt. *Vtinam,* inquit Scriptor, *explicare vobis aliquis posset beatitatem quâ delibuta est anima mea. Verè, verè, verè seruus Dei est iste, & numquam inueni similem illi.*

Martyr merito dicitur.

Humilitatis fuit sectator solertissimus.

Virginitatem seruauit.

Stupenda prorsus miracula patrauit.

Paupertatis amore in eo vehementissimus.

Parte 1. lib. 3 num. 41.

18. Ad minora Societatis sidera deueniendũ est, & videndum, quantum bonum S. Ignatius per suos mundo præstiterit, in quantam altitudinem Ecclesiæ thesaurum euexerit. Primus qui se offert est P. Petrus Feburius, de quo præter alia perfectionis absolutissimæ opera narratur, venisse ad eum aliquãdo hominem probè doctum, ab eoque instrui expetiisse. Cui ille: *Crebriùs tecum hasce expẽde & rumina antitheses: Christus Iesus durissima cruci impositus fuit, & ego super delicatissimum & mollissimum lectum recumbo. Christus potatus est felle & aceto, ego delicatiora & sapidiora bibo vina, &c.* Parui hæc fecit homo ille, & sat sibi iam concionatum esse dixit. Paucis inde diebus contigit hominem hunc splendidissimo interesse epulo, cùm ecce antithesium à P. Feburio sibi propositarum recordatur, quæ tam acriter eum pupugerunt, vt confestim relictâ mensâ, relicto conuiuio, relicto mundo, Religioni se mancipauerit. En spiritum viri huius, viscera & medullas penetrantem.

Petrus Feburius.

19. In perferendis iniuriis & ludibriis haud infimas partes tenet P. Pasquierius Broët, Ambianensis, qui vir fuit omnino simplicissimus instar columbæ, quam & virtutem admodum in eo miratus est S. Ignatius, vt Angelum eum appellitare consueuerit. Contigit aliquando eum iter facere, cùm ecce circiter quadraginta messores eum circumdederunt, acerbissimisque sannis, quòd malè vestitum eum viderent, impetierunt: sene illo interim tranquillo animo omnia sustinente, & baculo suo viatorio innitente, suos verò irrisores & exagitatores hilari & placido vultu aspiciente. Et cùm socius eius instantiùs, vt pergeret, hortaretur, *Et quare,* ait, *bonos hosce homines hac voluptate priuare velis?* Tandem gratias illis

Pasquierius Broët ob simplicitatem S. Ignatio charissimus.

In perferẽdis iniuriis patientissimus.

illis referens, & benedictionem suam illis impertiens, viâ suâ pergere cœpit: quæ res adeò istos pudefecit, vt, quòd homini tam sancto atque modesto molestiam intulissent erubescentes, eius ad pedes sese demiserint, & suæ petulantiæ veniam expetierint.

Franciscus Borgia in humilitate excellentissimus.

Franciscum item Borgiam miramur, cuius humilitas tam fuit admirabilis, vt omnes quammaximam de eo opinionem conceperint. Tota eius vita huius virtutis exemplis eminuit. Mira quædam audi, & mirare. Cùm aliquando (quamuis Societatis in Hispaniâ Commissarius esset Generalis) in Collegio aliquo ostiarij vices subiret, & porcum mortuum, qui Patribus eleemosynæ loco datus erat, conspexisset, in humeros illum coniecit, & ad penu deportauit. Stupentibus verò propterea Patribus subridens dixit: *Bestia est quæ aliam portat.* Solebat frequenter in ore habere, se quotidie metatorem vnum præmittere qui sibi hospitium præpararet: qui nimirum metator erat cognitio sui, qui omne ærumnarum genus dulcè ei sapere faciebat.

Item in obedientiâ.

Obedientiam tam exactè obseruabat, vt non solùm S. Ignatio (cuius litteras non nisi genuflexus legebat, & quin aliquo temporis spatio preces Deo obtulisset ad obtinendam gratiam mandatis satisfaciendi) aut alteri cuipiam Superiori, sed & Fratri coadiutori, cui Marcus nomen erat (qui ei adiunctus fuerat, vt valetudinis eius curam haberet, & ne in mortificationibus excederet reprimeret) promptissimè obediret. Eamdem obedientiam exhibuit coquo, cùm vices eius essent culinæ inseruiendi. Cùm enim aliquando litteræ Principissæ Ioannæ ad eum deferrentur, quibus subitò ad aulam venire iubebatur, eas coquo primùm exhiberi iussit, quòd sub coqui iam imperio constitutus esset. Cumque coquus ei dixisset, *Vade Pater, sed quantocyùs redi*; ita fecit, abeundi veniam à Principissâ impetrans, eò quòd sibi à coquo id mandatum fuisset.

Orationis porrò studiosissimus.

Orationi admodum erat deditus, cuius adeò erat studiosus, vt cùm adhuc in sæculo Dux esset, à secundâ ad octauam vsque horam orare consueuerit. Ad summum contemplationis fastigium ascendit, ita vt in ecstasim sæpiùs raperetur & sensibus destitueretur: intra quod spatium totus radiis & copiosò lumine circumdatus cernebatur. In mortificationibus exercendis vltra modum excedebat: iam enim scapulæ ipsius adeò à flagrorum ictibus contusæ & perforatæ erant, vt caro putrescere inciperet; quę res ei postmodum scrupulos iniecit. Has & alias infinitas virtutes heroicas & illustres etiam in hac vitâ compensabat Deus variis maximisque prærogatiuis.

Futura & absentia cognoscit.

Habebat enim Borgia donum cognoscendi absentia & futura. Cùm enim anno 1552. cursor ad eum veniret, nuntium allaturus, quòd Dominus Deus filio eius Carolo filium & successorem dedisset qui Franciscus vocaretur, antè quàm cursor ei quidquam diceret, ab illo quærebat: *Qui se habet nepos meus Franciscus?* Cùm Eboræ tam extremè decumberet, vt à Medicis iam mortuus haberetur; *Necdum sum mortuus*, infit; *nec enim sat maturus sum vt Deo meo exhibear: à quatriduo hinc Vlissiponam discedendum mihi est.* quod ita factum. Plura alia eiusdem farinæ adferre possem, nisi breuitas, cui studeo, me auocaret.

Dæmones à corporibus obsessorum fugauit, & varios languores curauit.

Sæpiùs tam viuus quàm mortuus dæmones fugauit. P. Fernandum Solerium à tertianâ curauit, dicendo solummodò: *Caue febris tertiana ad P. Solerium redeas.* Iustina, Religiosa quædam Recanatensis, iam quinque mensibus morbo quodam exotico afflictata (quo vtraque eius tibia, neruorum contractione, mutila facta, & vlcus admodum malignum enatum fuerat) nocte quadam, cùm acutissimis doloribus torqueretur, P. Borgiam, quem sibi in Patronum delegerat, inclamauit: & ecce subitò audiuit vocem sibi dicentem, *Iustina surge, & ad Matutinas abi.* Cumque illa id facere differret, eamdem denuò vocem audiuit: ad cuius iussionem illa surrexit, integrè se persanatam aduertit, & ad Matutinas abiit non sine stupore Religiosarum, quæ continuò pro gratiarum actione Hymnum *Te Deum laudamus* decantabant.

20.

Gaspar Barzæus.

Plerique, imò omnes, quos hactenus recensuimus, Hispani fuerunt; è nostro quoque Belgio, qui choream hanc exornet, adducẽdus est. Ille est P. Gaspar Barzæus, Tergusâ ciuitate, quæ Zelandiæ insulæ nomen dedit, oriundus: cuius laudes & virtutes paulò prolixiùs eò libentiùs describimus, vt vicinis nostris Zelandis gratificemur, si fortè & ipsi, conterranei sui virtute & exemplo excitati (faxit Deus, ô faxit Deus!) eamdem semitam fidei decurrere velint. Credo equidem, plures Hollandos & Zelandos hactenus oras Indiæ Orientalis frequentasse: sed qui pro solius Dei gloriâ propagandâ, & ad miseros illos ab idolorum errore ad Christi fidem aduocandos eò se contulerit, inuenero neminem. Hic ergo Barzæus, verè habitaculum Spiritus sancti, & ab eodem in peculiare sibi organum selectus, incredibili pro animarum salute zelo intus, inflammante qui eum inhabitabat, succensus, Indiam Orientalem adiit, vbi Ormusij (quæ ciuitas immunditiarum cloaca, omniumque superstitionum erat colluuio, vt quam incolerent Mahometani, Pagani, Iudęi, Schismatici; qui simul omnes auaritiæ & voluptatibus studebant) incredibiles labores tum pro fide Catholicâ disseminandâ, tum pro vitiis effugandis, sustinuit.

Ormusij variè pro fide Christi laborat.

Ad fidem adduxit Sarracenos, Gentiles, Iudæos, alios. Nonnullis extorsit sua Mosquea (templa sunt Mahometanorum) haud aliis armis aut militibus vsus quàm puerorum quos Catechesi instruebat, quos ille, Crucem manu gestans, instar Capitanei præcedebat, Crucem supra Mosqueas collocans, Sarracenis, qui tamen potiores in ciuitate erãt, ne mutire quidem contrà audentibus.

A Iudæis & Mahometanis multum æstimatur.

Iudæi illum nominabant alterum Ioannem Baptistam, Sarraceni verò & Mahometani, Magnum & sanctum Cadium, Coranum suum, hoc est præcipuam suam Mosqueam, illi concedentes, quò tamen numquam Christianum quempiam admittere solent; insuper tunicam & vestigia pedum eius allambentes atque deosculantes.

Multum desudat in conuertẽdis peccatoribus.

Neque verò minùs desudabat in conuersione Christianorum, vt quod sui esset muneris strenuè obirent; quâ in re miranda prorsus patrabat. En vnum alterúmve specimen. Lusitanus quispiam vt peccata sua confiteretur ab eo admonitus, non solùm id facere omninò detrectabat, sed & conspectum Patris refugiebat, ab oculis eius qui instar Censorum ei erant, se subtrahebat, conscensâ naui vt aliò se conferret: verùm in ipso portu febris illum inuasit atque retraxit, quâ tot tantisque conscientiæ suæ furiis

furiis exagitatus fuit, vt vel inuitus confessionem edere coactus fuerit. Nobilis inde quispiam genere, moribus verò ignobilis & improbus, Patris exhortationes ridens naso suspendebat, qui morbum corpori eius imprecabatur, vt vel sic edomari atque quoad animam persanari posset: & ecce, eodem instanti, febris illum corripuit, quæ adeò eum vrebat vt nil magis in votis haberet quàm P. Gasparem accersendi; cui posteaquā animæ suæ vulnera detexisset, febre recedente sanitatem etiam corporis adeptus est. Tertius quispiam aduersario suo indulgere nolens, eò vesaniæ deuenerat, vt cælum intrare se nolle palàm edicere ausus fuerit, nisi de eo vindictam sumpserit. Pater Gaspar, totus zelo inflammatus, ei prædicebat, fore vt sequenti die ante meridiem vel sexies Confessarium aduocaret, nec tamen obtineret: quod prçcisè ita euenit, miserque ille inconfessus abiit & obiit. Nouem aliquando continuos dies P. Gaspar diuinam misericordiam instantissimè sollicitauerat precibus, ieiuniis & disciplinis pro conuersione Lusitani cuiusdam admodum diuitis & potentis, qui haud minùs se durum & incorrigibilem exhibebat quàm prior ille. Horâ igitur de nocte secundâ idem Pater eidem Lusitano apparuit secum habens Angelum, qui admodum eum corripiebat, quòd salutaribus P. Gasparis monitis aurem præbere hactenus noluisset. Lusitanus acriter ita correptus P. Gasparum amplecti volebat, verùm ille euanuit, haud tamen Angelus, qui hæc ei dicebat: *Noli arbitrari, longiùs se Patrem subduxisse, quin reperire eum possis; ea hac eadem horâ in Hospitali, Missam dicturus, se parat.* quo dicto, itidem disparuit. Statim infirmus ille P. Gasparem aduocauit, & magno cum gemitu & lacrymis profluentibus peccata sua confessus est. Fama virtutum & mirabilium huiusce Patris Constantinopolim vsque peruasit, adeò vt Catholici ibidem degentes honorificam Legationem ad eum euocandum destinarint: Legatus tamen à Turcis interceptus capite plexus est. Germanus quidam Coloniâ oriundus, eiurato Christo, Mahometanam perfidiam amplexus, circumcisionem admiserat: conscientiæ tandem remorsu adactus, Ecclesiæ, mediante P. Gaspare, reconciliari desiderauit, ad quem Catifâ, eam ob rem litteras destinauit. Quibus interceptis, ille suum propositum innotuisse Turcis videns, Christum publicè confessus, Mahometum eiurauit: quam ob rem ab iisdem crudelissimè occisus fuit. Hanc martyrij coronam non nisi P. Gasparis meritis obtinuisse eum credendum est. Tanto animarū zelo ferebatur, vt quandoque vno die decies vel quindecies concionaretur: vbi hoc cōtigit, quòd Saracenus quispiam Regij sanguinis, curiositate ductus, vt eum audiret accesserit, & quamuis Pater Lusitanicè concionaretur, ille verò eius linguæ vel minimam cognitionem haberet, probè tamen & articulatim omnia intellexerit: quæ res miraculosa sanè adeò istum permouit, vt Mahometum eiurauerit. Sed quid in itinere versus Indias acciderit audite. Nauigatio illa Gaspari nostro de Deo pariter & hominibus benè merendi occasionem præbuit. Cùm enim, vt sociis suis inseruiret, coqui munere palàm fungeretur, ita despicabilis initio visus est, vt paranti ei ad focum cibos & satagenti, quidam procaces, præter ceteras contumelias, appositam quoque ollam aut furto subducerent, aut per lasciuiā frangerent; nonnulli quoque vix a pugnis & colaphis abstinerent: quæ tamen omnia pro Dei gloriâ patientissimè pertulit. Dixi de nostro Belgâ plusculа, pauciora tamen quàm de eo dici possent. Est autem Castrensis Collegij Louanij gloria, quod illius fuerit alumnus.

Terribile exemplum cuiusdam hosti suo indulgere nolentis.

A Catholicis Constantinopolitanis Legatione honoratur.

Mahometanus quispiam mirabiliter conuertitur.

Addamus huic alium conterraneum ex Hanoniâ oriundum, nimirum P. Quentinum, qui cùm adhuc in sæculo degeret, quamuis ditioribus è parentibus prognatus, adeoque Canonicatum Tornacensem adeptus esset, statim tamen prodidit se raram esse auem, hominem nimirum integerrimum sanctissimæque vitæ. Ter hebdomadatim ieiunabat, neque nisi super asseres somnum capiebat: quæ eius rigiditas ne cui innotesceret, neminem ad cubiculum suum admisit. Pauperibus cuncta quæ habebat elargiebatur, nihilque sibi reseruabat, quod quoquo modo pauperibus prodesse posset, adeò vt ancilla eius prandij reliquias recludere coacta fuerit, vt haberet quod pro cœnulâ ei apponeret. Imò deficiente pecuniâ, neque vestibus suis, neque alteri domus suæ supellectili parcebat, quin pauperibus distribuerit. Sæpiùs benè vestitus domo egressus, domum redibat excalceatus, vel pallio vel togâ exutus, quibus se in plateis, vt occurrentibus pauperibus subueniret, spoliauerat. Quin (nota, quæso, tanti viri charitatem) tempore hiberno ciuitatem Tornacensem vesperi ab horâ nonâ ad vsque quartam matutinā circuire solebat, & tenuiorū hominum casulas obire, vt eis, si quâ re indigerent, subsidium ferret: cumque ipsius facultates non sufficerent tot sumptibus & eleemosynis, ditiores ciuitatis incolas se imitari exhortabatur, vt sic quod ipsi deerat suppleretur. Factus iam sanctæ Societatis membrum, ampliùs perfectioni operam dandam esse arbitratus est, & charitatis tam spiritualia quàm corporalia opera maiore quàm vnquam anteà affectu exercitauit, omnibusque in suis actionibus humilitatem & modestiam suam comprobauit, vt Catholicis vel sola vita & virtutes P. Quentini argumento essent, quàm Ecclesiæ Catholicæ sanctitas necdum interiisset, adeò vt sanctissimus ille Lætiensis Abbas Ludouicus Blosius hoc de eo testimonium ferret, Patris huius modestiam & rarissima virtutum exempla plus contulisse Catholicis in fide confirmandis, & hæreticis reprimendis, quàm vel omnes Doctorum conciones, vel militum gladios. Quinimò vel ipsimet hæretici sanctitatem eius admirabantur, & pro palàm dicebant, nihil in homine illo inueniri quod reprehensionem mereretur, nisi quòd Papista esset. Non deerant tamen ex illis, qui hosce virtutum radios perferre non valentes, vel mille nequitias in eum committebant, vitæque illius insidiabantur, idque occasione charitatis eius. De nocte enim, pauperes se simulando, ad ianuam eius pulsabant, vt si eleemosynam daturus veniret (quod certò eum facturum sciebant) eum transfoderent: verùm custos ille Israëlis numquam permisit, vt scelesti illi homines malitiam suam in eo explerent. Magnam omnino diligentiam adhibebat vt feminæ prostitutæ ab infami vitâ ad frugem reducerentur, & nec ipsa lupanaria intrare, ouesque illas perditas

21. *P. Quentinus*

Eius virtutes.

Mira eius in pauperes charitas.

Meretrices ad frugem adducere laborat.

perditas sollicitè quærere verebatur, quibus omnem tam animæ quàm corporis eleemosynam impendebat. Perinde faciebat erga illos qui ad mortem sententiâ Iudicis ducebantur, præsertim si hæretici illi essent. Adstitit item illi miserrimo, dum ad mortem traheretur, qui consecratam Hostiam ipso Christi Natiuitatis die è Sacerdotis manibus excutere, & impiis calcibus, diabolo suadente, conculcare non fuerat veritus: cuius anima vt salua fieret, nullam non subibat operam tam in carceris quàm in supplicij extremi locis. Vidensque, infelicem illum (ita nimirum diabolus miseros illos indurare solet) obstinatissimè in rogum, qui ei paratus erat, insilire, atque inde in æternas se flammas præcipitare, votum Deo faciebat, si ære & chalybe duriorem animâ ei placitum esset emollire, integro se anno à carnibus abstenturum Tanto nimirum vel vnam animam saluare affectu ferebatur.

22. *Stanislaus à Kostkâ.*

Non omittendus est B. Stanislaus à Kostkâ è Poloniæ regno Catholico natus, de quo certò asseritur, à Patre eum suo Societati emisso voto destinatum fuisse: cumque Viennæ studiis operam daret, & morbo lecto affixus detineretur, diabolum, specie atri canis sibi insultãtem, Crucis signo fugasse. Quàm hic Deo charus fuerit, hoc vno exéplo disci potest. Cùm ille ipse, de quo diximus, morbus Stanislaum adeò vrgeret, vt etiã à Medicis desperaretur, magnas inde cõcepit angustias, non quòd mortem extimesceret, sed quòd nullam confitendi & sacrã Communione pasci occasionem haberet, quandoquidẽ hospes eius, imò & frater ipsius Paulus, quocum ad studia missus fuerat, à fide Catholicâ erant alienissimi: quæ res ipsum deuotiùs & ardẽtiùs ad piam matrem B. Virginem Mariam, & ad S. Barbaram recurrere coëgit. nec id frustrà: nocte siquidem insequente, cùm euigilasset, & ad mortem vsque affligeretur, conspicatus est manifestè, ad se intrare S. Barbaram binis Angelis stipatam, qui summo cum honore sacram Eucharistiam deferebant, quam incredibili cum deuotione, & gaudio ineffabili animæ suæ suscepit. Nec vnus hic ei cælitus exhibitus fuit fauor; quin insuper cùm ad extrema iam eum vis morbi adegisset, sacratissima Virgo ei apparuit, infantulum Iesum in vlnis suis gestans, quem supra lectum infirmi deposuit, statim ipsa disparens, Iesulo relicto, qui hæc ægroto dixit, *Ad Societatem te meam confer*, & ipse confestim disparens. Hac gratiâ adeò confortatus fuit, vt miraculosè, ita Medicis fatentibus & stupentibus, à morbo reconualesceret. Iam in Societatem receptus cùm esset, statim se prædilectum magni illius patrisfamilias & matrisfamilias, Dei inquam & B. Virginis, esse Beniaminum manifestauit, à quibus nimirum in precibus & orationibus suis tam singulariter visitabatur, vt ignis diuinus, qui in animâ eius ardebat, ad corpus vsque resultaret, idque adeò incenderet, vt pectus suum linteolis aquâ frigidâ madefactis refrigerare necesse haberet: imò tam arctè in orationibus dilecto suo agglutinabatur, vt quid esset distractum esse ignoraret, & miraretur nonnullos Nouitios conqueri, se in oratione diuagationibus & importunitatibus infestari. Iam tu, Lector, mirum quid obserua. In ipso S. Laurentij Martyris profesto incessit eum ardentissimum desiderium è vitâ hac mortali discedendi: quod vt assequeretur, exhibuit sanctissimo illi Martyri epistolam quam ad B. Virginem Mariam mittebat, vt illam, quatenus eum quantocyùs ad se euocare dignaretur, exoraret, vt in gloriosæ Assumptionis eius festo die in cælis apud eam inueniri mereretur. Hunc in finem publicè se flagellabat, eleëmosynas atque stipem petebat, & scutellas ad culinam deferebat: vbi ignem accensum videns, ad meditandum tormenta se componebat quæ S. Laurentius in crate ferreâ pertulisset. Quod tanto affectu faciebat atque animi vehementiâ, vt deliquium inde pateretur, & ad lectum suum deportari oportuerit, vbi tenuis eum febricula inuasit. Stanislaus ad se reuersus, Rectori & Nouitiis dixit, hunc morbũ sibi futurum vltimum: cumque id risu exciperetur, sanctiùs affirmauit, certiùs certo se in Assumptionis Deiparæ peruigilio die diem obiturum supremum; id quod & sic euenit, & multo post obitum eius tempore corpus ipsius, sepulchro aperto, repertum est integrum & incorruptum, insuper suauem & iucundum odorem exhalans.

Ei S. Barbara apparet.

Itẽ B. Virgo.

S. Laurentio Martyr libellũ supplicem ad B. Virginem deferendum offert.

23. *Ioannes Carrera. Angelo suo Custodi est perquam familiaris.*

Ioannes Carrera orationi & cultui B. Virginis admodum erat deditus, Angeloque suo Custodi valdè deuotus, quocum etiam tam arctam familiaritatem contraxerat, vt secretiora animi sui ei panderet, consilium ab eo in dubiis posceret, & auxilium in suis necessitatibus: cui Angelus vicissim ad rogata responsum, & vbi necesse erat suam operam præstabat, adeò vt quotidie sad preces matutinas exoluẽdas eum excitaret. Quia verò Carrera haud satis promptus fuerat ad surgendum dum excitaretur, cõtigit illum aliquando beneficio illo priuari, & Angelum à suo munere cessare: cuius beneficium vt reciperet, plurimis orationibus & sui mortificationibus Carrera tandem impetrauit; & vt in posterum cautiùs & gnauiùs quæ sui muneris essent exequeretur, ab Angelo moneri meruit.

Ioannes Ortognius in obediendo prõptissimus.

Ioannes Ortognius in obedientiæ virtute quàm excelluerit, hæc te specimina docebunt. Hiberno tempore, cùm vespere quodam ventorum niuiumque tempestates violentæ aërem totum perturbarent, Collegij Minister Ortognio in extremo xysti cuiusdam, qui apertam aream respectabat, obuiàm factus, dixerat, ***Ioannes, expecta hic donec reuersus fuero, operâ enim tuâ indigeo.*** Interim aliis occupatus, quæ Ioanni dixisset oblitus fuerat. Bonus ille Ioannes tamen haud secùs quàm marmor aut saxum aliquod immobile stabat, quantumuis frigus esset rigidissimum, & nix pedes ipsius iam cooperiret. Horâ nonâ vespertinâ adhuc ibi hærebat, cùm demum deprehensus fuit à cœnâ abfuisse; quæ causa fuit vt vndique perquireretur, & tandem sub xysto illo frigore rigidus & niue pedes tectus inueniretur: & fortean totâ nocte, ni inuentus fuisset, immotus eo in loco permansisset. Aliâ vice cùm quotidie certâ quadam mensurâ florem quemdam rigare iussus esset, atque intereà totâ hebdomadâ plueret, Ortognius nihilo seciùs quotidie tres aquæ situlas, vt iussus erat, flori adspergebat. Magistro suo ob eam rem eum increpanti respondebat humillimè, se iussum esse quotidie aquas adspergere, nullâ factâ exceptione dierum quibus plueret. In scholis primùm scholares supra saxa sedebant: quod videns aliquando

quando Superior, subridens dicebat: Volo vt mensibus illis, quorum nomina cum litterâ R. scribuntur, nemo supra saxum sedeat. Ortognius hoc mandati loco excipiens, posteà semper erectus stabat ad mensem vsque Maium, cùm demum sedit. Eumdem porrò obediendi morem adeò præcisè obseruitabat in omnibus, vt sæpiùs ad campanæ pulsum, aut Superioris mandato auocatus, etiam litteram iam scribi cœptam, imperfectam & mutilam dimiserit, vt promptior ad id cuius ergô vocabatur, adesse posset, prout illi, qui ipso digresso cubiculum eius ingressi fuerant, deprehenderunt.

24. *Andreas Ouiedus dura in Æthiopiâ patitur.* Quos labores pro Dei gloriâ, & Ecclesiæ fideique incremento, pertulerit P. Andreas Ouiedus, prætereundum est minimè. Hic in Æthiopiam missus, quamuis non sine vitę suæ periculo eò appulisset, tandem ipsum Regem allocutus est, qui post varias comminationes & verborum terrores, manifestè se Patriarchæ Alexandrino adhæsurum, & Romanum Pontificem nullatenus agniturum respondit, ipsumque Ouiedum à se repulit non sine irâ & indignatione. Quid verò esset, Dei legatos indignè excepisse, aut cum iniuriâ reiecisse, haud ita diu pòst Rex ille suo damno expertus est: prælio enim occubuit in pœnam suæ infidelitatis & incôstantiæ, regnique habenas reliquit vni fratrû suorum cui nomen Adamas, homini crudeli & sanguinario, & qui à Religione Catholicâ defecerat. Hic inhibuit sub pœnâ vitæ, ne in posterum Ouiedus subditos suos ad Romanam Ecclesiam pelliceret: verùm bonus ille Pater respondit, quamuis leonibus obiiciendus esset, minimè tamen se cessaturum ab eo quod incepisset, quòd Deo magis obediendum sit quàm hominibus. Rex furore totus percitus in ipsum inuolauit, palliumque eius conscidit, velut iam iam Patrem ipsum occisurus: verumenimuerò videns quâ animi constantiâ nullatenus ob hoc Ouiedus cômoueretur, sed collum hilari vultu extenderet, ita ad ipsum aiebat: *Non hoc bono afficiere vt sic continuò moriaris: mortem te sentire faciam lentam.* Quo dicto, iam secundò eum in exilium ablegauit (alioquin enim & aliâ vice eum suo è regno expulerat) vnà cùm nonnullis Catholicis, qui leonibus obiecti, nullatenus læsi fuerant. *In exilium cum Catholicis mittitur.* Fame quidem in deserto eos enecare constituerat, verùm ille qui escam præbet pullis coruorum, nô oblitus est fidelium suorû seruorum: ad preces enim Episcopi (Episcopus enim Hierapoleos iam diu consecratus fuerat Ouiedus) exiccauit flumen quoddam magnum & rapidissimû, quod alueum suum reliquit, repletum piscibus quamplurimis, quibus sibi Dei famuli prospiciebant de futuro. Rex, auditis hisce mirabilibus, quæ nimisquàm subditorum eius corda penetrabant, eosque ad Episcopi partes alliciebant, denuò ad se vocauit, nimioque furore insaniens gladium suum strinxit, vt caput eius perfoderet: sed ferrum è manibus eius excidit; quod tamen ille resumens, iterùm strinxit; verùm Imperatrix se obiecit, & Ouiedum à Regis furore tutata est, quem tamen Rex tertiâ vice cum Lusitanis omnibus (quos ab vxoribus suis diuellebat) proscripsit; verùm, quod sanctus ei Episcopus prædixerat, miserrimè non ita multò pòst extinctus est. Hisce in exiliis & persecutionibus Patres extremas miserias & inopiam acerbissimam sustinuerunt, adeò vt aratrum binosque boues sibi comparare, & solum ipsimet exercere, vt haberent vnde se sustentarent, coacti fuerint. Quantum ad vestimenta Patriarchæ Ouiedi (in Patriarchatu enim iam successerat P. Nugnezio) tantâ se in paupertate & egestate deprehendebat, vt ne exigua tunica illi suppeteret, quâ, ne dicam Patriarchalem dignitatem exhiberet, se contegeret. Volensque aliquando litteras scribere Regi Lusitaniæ Sebastiano, defectu chartæ, nescio quâ in particulâ papyri, quæ ex veteri quodam codice excisâ videbatur, vti coactus fuit: ipsi etiam Summo posteà Pontifici epistolium misit, quod variis ex particulis, è Breuiarij sui marginibus desumptis, conglutinatum erat; quod plurium, qui Romæ id videbant, lacrymas expressit, adeò vt Pius V. Pontifex, precibus Lusitaniæ Regis motus, Ouiedum Æthiopia discedere & in Iaponiam se conferre iusserit, si populum istum ad Catholicam fidem perduci posse nulla prorsus spes affulgeret. Ouiedus tamen spem haud omnino abiecerat, ideoque oua le hoc deserere noluit. Et quamuis adeò pauper omnibusque bonis destitutus esset, ex paruo tamen, quod possidebat, benefacere aliis ex charitate nô omittebat. *Pauper licet, paupertibus sua distribuit.* Vnicum habebat bouem, qui Ecclesiastica eius ornamenta, dum iter faceret, deferebat, quem mactauit, & carnes pauperioribus distribuit. Cumque nonnemo ei, quantum boue illo ipsemet indigeret, ostenderet, *Permitte*, inquiebat; *fili mi, permitte bouem mactari, & hodie pauperes inde satiari, crastino enim die Deus nobis prouidebit*; quod reuerà ita factum fuit. Abyssinus enim quidam primæ notæ, quamuis schismaticus, tali charitatis exemplo permotus, octo circiter panes & vaccas aliquot ei dono misit, quibus pauperum & indigentium necessitati subueniebat. Hæreticus quidam Abysinus à toto mundo derelictus erat, quòd nescio quo morbo contagioso infectus esset. *Hæreticum charitate ad fidem conuertit.* Huius curam Patriarcha suscepit, victum ei præbebat, cubiculum eius verrebat, lintea putida lauabat, & nihil non Christianæ charitatis ei exhibebat: quod tam validè interiora infirmi illius permouit, vt sanus factus Catholicæ se fidei adiunxerit. Tantum opera verbis præualent. Innumera alia similia, & nonnullas eius prædictiones & vaticinia, quorum euentus certissimus, quàm is à sancto Spiritu regeretur, indicauit, in medium adferre possem; sed omitto, & ad Historias Societatis Lectorem meum remitto. Pergo.

In ordinem etiam veniat Ioannes Ximenius, qui ob simplicitatem suam admodum commendabatur. 25. *Ioannes Ximenius ob simplicitatem laudatur.* Inter alia huius admiranda refertur, eum aliquando coram B. Virginis imagine genuflexum orasse, vt de viâ salutis suæ certiorem eum reddere dignaretur; & hanc vocem audiisse: *Ximeni, maiore & regiâ cæca obedientiæ semitâ incede, cui insististi, & rectè gradieris.* quâ ex voce tantum animi concepit robur, vt quando ab eo cui confitebatur rogaretur, num aliquod in se perfectionis desiderium persentisceret, responderit, ab eo tempore, quo B. Virgo ei locuta fuisset, nihil se vltrà desiderasse. Pauca legebat: sed ea quæ legerat, probè ruminabat, & in praxim deducebat. Vix vltra tres horas dormiebat, reliquum tempus orationi impendebat. Admodum

pro

Purgatorij animabus valdè afficitur. pro animabus Purgatorij erat sollicitus, & vt eas adiuuaret, semel quothebdomadis pro eis communicabat. Et cùm die quodam coram B. Virginis imagine illarum cruciatus secum reuolueret, vocem quamdam clarè atque distinctè sibi dicentem audiuit: *Ximeni, recordare animarum Purgatorij.* cui ille respondebat: *Sic faciam, Domine.* *Pro iisdẽ omnia sua bona opera Deo offert.* Inde ad vsque suum è vità abitum pro animarum solatio omnia bona sua opera, tam exteriora quàm interiora, Deo offerre solebat.

26. *Balthasar Aluarez oratione deditissimus.* Huic accensemus P. Balthasarem Aluarez, qui adeò orationi erat deditus, vt quodcumque tempus suffurari potuerit, in eam faciendam impenderit. Quando signum somni datum erat, ipse ad templum se conferebat, ibique haud rarò duabus vel tribus horis orabat: imò nonnumquam integras noctes ibi transigebat, adeò in oratione faciendà progressus fecerat, vt ad præcipuum orationis gradum, quem quietis aut silentij nominant, peruenerit, adeò vt illuminatissima Mater nostra S. Teresa, quæ aliquanto ei tempore confiteri solebat, dixerit, se nihil de oratione differere posse, quin à P. Balthasare superaretur. *S. Teresa de eo testimonium.* Egregia sanè specimina, hinc humilitatis S. Teresæ, inde orationis P. Balthasaris! Inter alios fauores, quibus Deus illum munerabat occasione sublimis eius orationis, & hic recensetur, quòd scientiam infusam adeptus fuerit. Cùm enim Theologiæ adyta haud vsquequaque penetrasset, adeò vt pars Scholastica ei deesset, ad conciones & confessiones requisita, quodam tempore extraordinarium lumen subitò in suo intellectu accendi sentiebat, quo mediante videbat & intelligebat manifestissimè Scholasticas veritates, & Theologicas conclusiones. *Diuinitus Theologiam edocetur.* Fama erat, eum, dum Missam celebraret, ab Angelis custodibus illorum quorum confessiones excipiebat aut quibuscum conuersaretur, instrui de iis quibus anima illius, qui eius se precibus commendasset, indigeret. *Angeli ei Missam celebranti ministrant, & cũ instruunt.* Cumque nonnemo aliquando hoc ab ipso percontaretur, nil aliud, nisi quòd erubuerit, responsi dedit. Humilitas eius nos credere facit, quòd si id verum non fuisset, ipsum hoc omnino fuisse negaturum. Diuina profectò fuit illa vena, ex quà in pectus eius dimanarunt limpidissimę atque castissimæ continentiæ aquæ, qua in virtute adeò excelluit, vt nullos omnino immodestos carnis motus vmquam senserit; quamuis, exemplo Sanctorum, eam sollicitissimè custodierit, cumque in finem asperrimas rigidissimasque pœnitentias & mortificationes sibi intulerit, pænè quotdiebus ad horæ quadrantem duro flagello semetipsum cædens, & dorsum suum hispido cilicio continuè atterens. Haud sanè præstantiora de viro hoc elogia proferre possum, quàm Sancta Mater nostra, quæ illum intus & in cute, vt dicitur, nouit. En quid in eius Vitâ de viro illo legerim. Quædam Monialis, filia S. Matris nostræ spiritualis, ex illà petebat, an placeret vt è manibus P. Balthasaris sacram Eucharistiam sumeret. cui Sancta respondit: *Hoc si tibi posset contingere, multam sanè à Deo gratiam adipisceeris: ipsi enim anima mea vel maximè debet, cùm multùm me in perfectionis tramite adiuuerit.* *Aliud S. Teresæ de eo testimonium.* Eadem sancta Mater nostra vidit die quodam, interim dum ille sacrosanctum Sacrificium offerret, supra caput eius lucidissimum adamantem radiare, qui & toto Sacrificij tempore ei imminebat. Et cùm Mater nostra eum è viuis sublatum esse comperisset, à lacrymis per integram horam temperare sibi non potuit, dicens, lugere se damnum, quod Ecclesiæ Dei morte viri adeò sancti (sic eum appellitabat) accidisset.

Quid verò dicam de P. Francisco Cordubensi, qui filius fuit Ducis Cordubensis, & Academiæ Salmanticensis Rector, cùm Deus ad Societatem eum vocaret? 27. *Franciscus de Cordubã humillimus.* Statim atque sanctissimæ se Societati mancipasset, quàm vitæ suæ conditioni acquiesceret, egregia admodum specimina dedit: cumque ex olim familiaribus eius quispiam adhuc in sæculo degens, persuadere sibi non posset, animo illum tam esse tranquillo & quieto quàm appareret, sacrosanctè ei affirmauit, inquiens: *Credo equidem, hanc vitam saluti animæ meæ vel maximè conducere, quam etiam neque pro ipso Papatu, neque pro toto mundo cum omnibus eius diuitiis & dignitatibus commutarem.* Refectorij ministerio destinatus cùm fuisset, tanto feruore illud onus subiit, vt flexis genibus illud exciperet, terram exosculans & vberrimas lacrymas profundens. Abnegationi & mortificationi suipsius vsque adeò studebat, vt semper occasionem captaret quò vilipendi posset: quin mulorum sibi curam depoposcit, eosdemque admodum sollicitè curauit. Contigit aliquando, Patrem quempiam Salmanticam venire, cuius equus, cui insederat, adeò debilitatus & defatigatus erat, vt de eo abdicando ageretur, vt qui ineptus omninò factus esset. Franciscus, Superioris sui permissu, eius curam suscepit, cumque in finem pratum conduxit: assumptoque detrito pileo, pallio sordido, equum de loco per plateas ducens, eo tempore quo scholæ soluebantur eas transiit, Studiosis cum stupore virum adeò illustrem, & in Academiâ tam famosum, eo incedere habitu despectissimo inspectantibus. Humilitas eius haud erat minor. Quamuis enim acri sagacique esset præditus ingenio, stupidum tamen se gerebat, dataque operá absurda proferebat, vt despectui haberetur, quò Deo esset gratior & acceptior. Cumque Sacerdotio initiatus fuisset, à Superioribus petiit, ne alterius cuiuspiam nisi pauperum, Maurorum, & mancipiorum, & è populo vilissimorum confessiones excipere permitteretur.

Deuenio ad Angelicum illum adolescentem, B. Aloysium Gonzagam, cuius vt virtutes describerem, calamo disertiore opus haberem: 28. *B. Aloysius Gonzaga, iuuenis Angelicus.* vnum tamen de eo notatum est, quòd integro biennio ne vel vnicum erratulum, quantumcumque minimum, in eo deprehendi potuerit. Qui & adeò sui erat potens, vt confessus fuerit, à senis se mensibus ne vel spatij vnius Aue Maria distractionem suis in orationibus sensisse. Virginitatem animi & corporis, quam Deo octennis adhuc vouerat, integram & intemeratam cælo intulit, & pluribus post mortem suam miraculis inclaruit alia alubi dicenda.

Sed quid non laboris & molestiæ exantlauit pro Ecclesiæ bono bonus ille Antonius Sedenius, qui in Floridam insulam missus, extremam ibi inopiam passus est, aliquamdiu solis sorbis & aliis nescio quibus baccis victitans, solum pòst ipsemet aratto exercere coactus, vt sibi & suis de 29. *Antonius Sedenius paupertatis patientissimus.*

de victu contra hyemis asperitatem prospiceret: lætior & hilarior in suâ paupertate, quàm omnes simul Monarchæ omnibus suis diuitiis & deliciis. Neque interim extra pericula versabatur, quà à barbaris, quos in specubus & cuniculis suis quæritabat; quà ab hæreticis, qui tractum istum peruagabantur. Et cùm aliquando à fugâ lassatus, longo ieiunio debilitatus, & graui febre extenuatus, in terrâ prostratus iaceret, nil

Angelicâ tutelâ nô hostibus suis defenditur.

quàm hostium suorum, qui iam ipsum insecuti fuerant, præda fieri expectans, ab iisdem comprehensus fuisset, nisi Angelico subsidio miraculosè è manibus illorum ereptus fuisset, ipsomet Antonio stupente & ignorante qui euaserit aut euadere potuerit. Nihilo tamen seciùs hisce

In seipsum seuus.

crucibus aliàs sponte adiiciebat, crebèrrimè ieiunans, quamuis tota eius vita ieiunium dicenda esset. Corpus suum ciliciis, disciplinis & vigiliis edomabat, quod apud omnes ipsum velut Sanctum honorari fecit. Ab insulâ Floridâ in Nouam Hispaniam concessit, & primus è Societate eò pedem intulit: inde ad Philippinas abiit, quo in itinere cum sociis suis tot pertulit afflictiones, vt pænè nudus Manilam redierit, vestimentaque eius è marinâ aquâ propemodum computruerint. Ampliùs ibi, quàm vmquam anteà, laborauit in siluestri illâ vineâ excolendâ, quæ tam spinis carduisque erat oblita, siue quis attenderit mores incolarum, siue egestatem & omnium rerum penuriam, vt fieri non posset quin Patres illi sæpiùs vngues suos attererent, vt sic dicam, & varias inde difficultates experirentur: id quod Dominus Deus hac visione declarasse videtur. Femina quædam Pas-

Afflictiones eius diuinitus prædictæ fuerunt.

quarâ oriunda, graui vlcere in tibiâ afflictam, vnde iam trimestri integro lecto affixa in Hospitali decubuerat, granum benedictum à quodam suo familiari mutuò acceperat (ex dono habebat ille P. Alphonsi Sanchez) quod magno morbi sui leuamine frequentiùs exosculabatur. Cùm ergo illa nocte quadam, pressâ vlceris sui dolore, admodùm indoleret & quiritaret quòd requiem capere non posset, vidit ad se accedere virum cum feminâ, venerandâ facie, coccoque indutos, qui redemptionis nostræ signum manibus suis præferebant, flexisque ante lectum eius genibus, manus sursum cælum versùs eam tendere iubebant. Porrò alter illorum manum vlceri imponens, continuò dolorem sistebat, & saniem iam tribus mensibus incessanter inde profluentem reprimebat. Hos sequebantur decem Iesuitæ (totidem planè tum in illo Collegio habitabant) quorum capita spinis coronata erant: in quos digitum intendentes, Hi, inquiebant, quos tu hîc vides, quamuis sint peregrini super terram, patriæ tamen cælestis sunt ciues. Ad hos habebis perfugium, ab eisque benedictum granum petes, quod reddes alteri illi à quo mutuo accepisti, & scito, hac te ratione à morbo tuo conualituram. Obediit infirma, & perfectam sanitatem adepta est.

30. *Iacobus Aluarez charitate eminet.*

Iacobus Aluarez, præter alias quæ in eo relucebant rarissimas virtutes, in virtutum Reginâ charitate altissimas radices egerat. Ne vnum quidem Vlyssipone repetisses ægrotum, quem non inuiserit, & benigno suo alloquio exhilararit Aluarez: adeò ab omnibus expetebatur, tam ob egregias quas dabat instructiones & consolationes, quàm ob precum eius efficaciam atque virtutem. Cape rei huius bina testimonia. Iuuenis quidam nobilis, è primâ Patritiorum Vlyssiponensium stirpe, graui & violentâ febre agitabatur, quæ & mortem ei allatura videbatur. Videns igitur infirmus ille se à Medicis desperatum & derelictum, ad alia præstantiora & efficaciora remedia sibi confugiendum esse arbitrabatur. Instantissimè igitur P. Iacobum sollicitabat, vt se inuisere, suisque precibus, in quarum meritis quod sibi spei superesset collocasset, opem ferre ne dedignaretur. Recitabat super illum Iacobus Euangelium S. Ioannis, & manu

Euangelij S. Ioannis recitatione morbos curat.

suâ illum tangebat, & ecce febris continuò mitescebat, &, non sine Medicorum stupore, qui miraculo id adscribebant, integrè sanabatur. Alius quidam tantâ in gutture laborabat inflammatione, vt collum & guttur adeò inde inflarentur, vt suffocari videretur. P. Iacobus S. Ioannis Euangelium super eo recitat, digitoque partem affectam contrectat, & subitò humor iste subsidebat, & omnis tumor euanescebat, vt posterò die ille qui infirmus fuerat, sanus ad Societatis templum, Deo & P. Iacobo pro adeptâ sanitate gratias acturus, accederet.

31. *Hieronymus Caruaillus diuinitus ad Societatem vocatur.*

Hieronymus Caruaillus cælesti monitu ad Societatem vocatus est. Cùm enim die quodam Tagum, qui maximus est totius Lusitaniæ fluuius, transmitteret, tempestas exorta nauem euertebat. Cùm igitur Caruaillus intra aquarum vortices sepultus iam iam mori videretur, diuinâ quadam manu, præter omnem spem, se trahi, & supra carinam, quæ iam fororum loco erat, suauiter collocari sentiebat. Inde in corde suo scribi videbatur, Deum velle vt Societati se traderet pro tanto accepto beneficio; quod ita fideliter exequebatur. Numquam minus quàm sex horas orationi tribuebat quotidie, præter quòd tota eius vita nil nisi continua oratio videretur: adeò Deo suo vnitus & conglutinatus erat. Centies quotidie, S. Iacobum Minorem imitatus, genuflectebat. Pœnitentia eius & mortificatio exterior rara omnino erat. Continuò cilicium trilix, asperrimum & scaberrimum deferebat, quod totum eius corpus ad genua vsque contegebat. Vt minimum bis vel ter quotidie disciplinâ sese macerabat, & carnem suam tanto rigore dilacerabat, vt vicini eius pio quodam horrore sanctaque compassione mouerentur. Castâ familiaritate sibi iunxerat B. Virginem, quam tenerrimè adamabat, & vicissim ab illâ redamabatur, adeò vt dedignata non fuerit sæpiùs visibili specie ei se exhibere, eumque alloqui. Et quamuis esset humillimus, & ideò sollicitè admodum eiusmodi sibi exhibitos fauores occultare studeret, Deo tamen pro nostro commodo & ædificatione placuit, vt semel illi elaberetur, gloriosissimam Virginem, videntem se tristem atque dolentem ob pœnas Purgatorij, sibi dixisse, Matrem se & aduocatam esse peccatorum non solùm in hac vitâ, sed etiam in Purgatorio; idque sibi ineffabilem consola-

Eius mira exercitia.

A B. Virgine frequenter inuisitur.

Obitum suũ diu antè prædixit.

tionem affudisse. Mortem suam paulò ante obitum prædixerat. imò quod mireris, inter scripta eius repertum est schedium, scriptum anno 1589. *Supersunt mihi quindecim anni vitæ.* erat tum ætatis 45. annorum. & quinquennio pòst adiunxerat: *Intra decennium moriar.* id quod verissimum esse deprehensum est, quia sexagesimo ætatis anno obiit. Putatur misericordiæ Mater, quæ mortis nostræ singularem curam gerit, illi hoc reuelasse, vt tempori se ad iter illud accingeret.

32\. *Franciscus Toletus modestissimus.*

Franciscsus Toletus, quamuis inter Ecclesiæ Cardinales recenseretur, & alioqui tātus & tam celebratus esset Theologus, nihilo tamen dignitate illâ factus est fastuosior, sed æquè sibi inuigilabat quàm dum sub Societatis ferulâ degeret. Quamuis in Palatio Pontificali habitaret, vt qui concionator esset Pontificius, nihil tamen ferè præter legumina & vulgarem cibum comedebat, licet delicatiores sæpiùs illi apponerentur: & eamdem sobrietatem atque temperantiam in ipso Cardinalatu seruabat. In more habebat singulis per annum Sabbati diebus in pane & aquâ pro D. Virginis honore ieiunare, cui erat deuotissimus; atque prætereà pro eius honore aliam, præter Ecclesiasticam, ieiunabat Quadragesimam, quæ quindecimo ab eius Assumptionis die incipiebat: nec vnquam intermittebat, quot-Sabbatis, qualiscumque tandem aër esset, ire pedes à suo Palatio, quod erat in Vaticano, vt Missam celebraret in templo D. Mariæ maioris in monte Exquilino, quamuis mediâ leucâ inde distaret.

Eius austera temperantia.

33\. *Sebastianus Tuccius humillimus.*

Sebastianus Tuccius præditus erat profundissimâ humilitate & despectu sui metipsius: adeò negligens suorum operum, vt quamuis tam ligatâ quàm solutâ oratione præstatissima scripserit, numquam vel vnum exemplar penes se retinuerit; idque ideò, quia suis in studiis nullum alium scopum haberet quàm gloriam Dei, adeò vt aliquando cuidam è suis dixerit, mille se mori quàm actiones suas aliâ vel cogitatione vel intentione commaculare. Orationi impensè erat deditus, cui vt minimùm quotidie quinque horas tribuebat; precesque suas faciebat in cubiculi sui vmbilico, genuflexus, brachiis in crucis modum extensis, sine aliquo fulcimento. Neque vnquam studium hoc intermittebat, vel tempori orationis detrahebat, quantumuis in animâ suâ ariditatem & sterilitatem aduerteret. Et hinc factus est fertilis & abundans bonorum operum, quæ veri sunt orationis fructus. In nullâ non re mortificationi operam dabat, nihilque omittebat omnino vnde perfectam de seipso victoriam adipisci posset: quam interiorem comitabatur mortificatio exterior. Plurium namque annorũ spatio numquam vestibus se suis exuerat, nisi ad se castigandum: & sub ipsam mortem à Generali suo impetrauerat, ne dum sepeliendus esset exueretur. Super nudam tabulam vel asserem somnum capiebat: semel de die comedebat: ter se quot-noctibus dirè diùque flagellabat. Postquam enim ictus quosdam pedibus, manibus, laterique suo, in memoriam quinque Saluatoris Vulnerum, inflixisset, totum corpus suum dilacerabat, ab humeris vsque ad pedes, & inde ad caput redeundo, semper vulneri locum quærens, ne aliqua pars corporis vibicum expers remaneret. Numquam cilicium deponebat, nec etiam tum cùm morbus eum lecto affixisset. Et quamuis in se tam austerus rigidusque fuerit, haud tamen eâ in re proprio iudicio nitebatur, nec vnquam limites, quos Confessarius & Superior ei statuissent, transgrediebatur. Neque hæ asperitates hominis ardorem & feruorem satiare potuerunt; quin, etiam dum vehementissimè à morbo vrgeretur, Deum orabat, vt decuplo imò centuplo eas molestias quas pateretur adaugere velit, etiamsi eæ futuræ essent omnino sæuissimæ, fidemque humanam excessuræ. Quin prætereà affirmabat, paratissimo promptissimoque se animo, ob amorem quo erga Deum afficeretur, æternum Purgatorij tormenta toleraturum. Deus ergo, vt hunc suum famulum, velut olim S. Iobum, probaret, satis amplam patientiæ ei occasionem submisit. Catarrhus nimirùm, quem studiorum assiduitas in eo produxerat, de capite profluens, circa collum eius colligebatur, vnde struma nascebatur, quæ indies excrescebat, & iam humanum caput exæquabat (quam post eius mortem dum Medici à reliquo corpore absciderant, quamuis plurimum anteà puris & viscosi humoris inde eductum fuerit, vnde cim & amplius librarum ponderis esse deprehenderunt) adeò vt varios puluillos furcillasque adhibere necesse fuerit ad tantum pondus deportandum: cui hoc insuper accessit, quòd numquam commodum ad requiem capiendam situm inuenire potuerit: nerui enim pondere illo oppressi contrahebantur, & guttur præfocabant. Humor enim ille paullatim in putridam saniem vertebatur, vnde nerui atque musculi, quos contingebat, inficiebantur: à nervis malum ad cerebrum vsque ascendebat, quod & ipsum contabuerat, atque inde etiam nerui, qui circa collum discurrunt, contrahebantur, vnde spasmus oriebatur adeò atrox, vt guttur intercluderetur, & respiratio impediretur. Tandem tumor ille vlerò apertus, carnem ad quatuor vsque digitorum profunditatem putrefactam & spongiosam exhibebat, in cuius medio vena apparebat, quæ canalis vicem agebat, quò scilicet totius corporis sordes ipsumque pus reciperetur. Iam tandem epiglottis etiam contrahebatur, adeò vt ad laryngem pertingere non posset, neque cibum auertere, qui proinde ad pulmonem descendens, tussim intolerabilem inducebat, & extremum suffocationis periculum; sic vt nihil amplius ad stomachum demitti posset, sed solo calidorum panum & carnis coctæ odore ad nares applicato tantisper vitam toleraret. Vitam adeò ærumnosam & infelicem non solùm ægrè non ferebat, sed magnâ patientiâ sustentabat, imò, quod vix crederes, tantâ animi tranquillitate atque alacritate traducebat, vt cælestes delicias, non terrenas miserias, sentire affirmaret. Tu, Lector, iam cogita, & virum hunc mirare, quem etiam Clemens VIII. inuisere & suspicere voluit, viuentemque adhuc sanctum vocauit.

Orationis studiosissimus.

Mortificationis item addictissimus.

Resignatio eius absolutissima.

Grauissimo morbo affligitur.

Franciscus Lopezius tantâ erga pauperes & egenos ferebatur charitate, vt in se non solùm dico parcissimus, sed propemodum crudelis eua- 34. *Franciscus Lopez in pauperes benignus, in se crudelis.*

euaderet, non semel omnem domus suæ supellectilem pro Dei amore indigentibus distribuedo. Catholicus quidã, videns eum in tantã paupertate vitam ducere, vt nec lectum haberet in quo dormiret, stoream ipsi dono misit; quam tamen ille continuò pauperibus erogauit. Haud rarò etiam tunicam suam discidit, vt pauperibus, exemplo S. Martini, subueniret; & vt mortui terræ mendari possint, etiam indusium proprium exuit. Nec pallium ei diu remansit: videns enim pauperem omni ex parte nudum, illud ei donauit. adeò vt cùm brumali tempore iter faciendi ei necessitas incumberet, feræ cuiusdam pelle se contexerit, quòd nihil ei superesset quo pluuiarum & frigoris asperitatibus resisteret. Quin nec, cùm obiisset, linteolum aliquod ad manum fuit quo cadauer eius inuolueretur; nihilque aliud quàm particula obsoleti corij, cui indormire solebat, & in quo spiritum reddidit, in domo eius ex omni supellectile reliquum fuit. Charitate suã mirabilia operabatur. Inseruiebat aliquando pauperi cuidam ægroto, semiputrido, vermibus sc[illegible]nti, fœtenti, & quem solùm aspicere formi[illegible]e erat. Cumque Galles, gens Æthiopibus infestissima (in Æthiopiã enim, Christi fidem propagaturus, habitabat) imminerent, ille, in humeros sublato ægroto, ad alium montem eum portauit, donec latrones illi abiissent. Facies eius sæpiùs visa est, dum Missam celebraret, & salutandi populi gratiã vt moris est, se converteret, Solis ad instar radios emittere, qui, ipso altare versus conuerso, non ampliùs cernebantur. Aliquando capilli eius, interim dum Sacrificium ab eo offerretur, velut aurea fila splendorem emittebant, finito tamen Sacro vt priùs albescebant. Octiduo ante suum obitum prædixit, Catholicis pluribus affirmans, haud anno ampliùs vno ipsis Pastorem defuturum (vltimus enim ille erat ex iis qui cum Patriarchã Ouiedo segetem Dominicam ibi excolebant) quæ omnia certissimò ita euenerunt.

Inter Missarum solemnia facies eius splendet.

Prophetia dono claret.

35. Sed iam & virtutes recensendæ mihi sunt P. Iosephi Anchietæ, qui tantopere orationi deditus erat & pietatis exercitiis, vt, dum adhuc Nouitius esset, pænè singulis diebus à summo manè ad meridiem vsque Sacrificiis genuflexus inseruiret: vnde fiebat, vt nerui & coxendicum globuli luxarentur, insuper, malo incrementum capiente, dorsum & scapulæ denodarentur, vnde nonnullam corporis deformitatem contrahebat. Missus ad Occidentales Indias, primus ibi Latinam linguam docuit: & qualis quantique apud Deum meriti fuerit, miracula, quæ diuina bonitas per eum operari dignata est, sat edocent. Ioannes Ferdinandi, arte architectus, cuius vxor in Lusitaniã manserat, campanas in turre templi cuiusdam Societatis suspendebat. Anchieta superueniens ei dicebat: *Age, probè campanas dispone, primus enim è Societate eris pro cuius exequiis ipsa sonabunt.* Haud ita diu pòst Ioannes in morbum incidit, atque interim P. Iosephus aliò nauigabat: mense tamen vno exacto ad eumdem portum rediens, statim atque solum attigit, Collegium adiit, & cubiculum Ioannis intrauit, cui iam recens nuntium de vxoris obitu allatum fuerat, ei dicens: *Beata me Virgo ad te misit, vt in Societatem te recipiam; festo mei nominis dum sanctissima illi Matri aderis, quod abhinc fiet octiduo.* Idque sic omnino contigit, atque in ipsius sepulturã primã vice nouæ campanæ pulsabantur. Vix erat aliqua bestia, quæ imperium eius non admiserit. Cùm aliquando, ipso meridiei æstu, lacum quemdam transfretaret, eiusque socius de nimio solis æstu conquereretur, aduocabat ille tres quatuórve caracias (aues sunt Indicæ, magnitudine gallinæ) Brasiliano eis idiomate dicens: *Ite, & consortes vestras & socias vobis adiungite, redientesq́, nobisq́, in hoc itinere vmbraculi loco estote.* Audierunt illæ, auolantesque, statim redierunt, secum adducentes immẽsam eiusdem generis auium multitudinem, quæ in nubis modum se condensantes, nauem inumbrarunt, donec P. Iosephus abeundi licentiam concederet. Viperas alit Brasilia adeò venenatas, vt paucis horis moriendum sit ei qui ab illis admorsus fuerit. Obseruatum est, P. Iosephum cum iisdem lusitasse, in sinu suo illas detulisse, imò manu suã dorsa illarum innoxiè delenisse. Dum aliquando cum nonnullis aliis iter faceret, diebus aliquot aquam in vinum conuertebat. Alio tempore quidam è Patribus, qui morbo detinebatur, particulam pernæ comedere desiderabat. P. Iosephus Oeconomo, vt ægroto deferret, mandabat: verùm pernam haud ad manum esse intelligens, partem piscis assi ægroto deferebat, quem priùs in sapidissimam pernam conuerterat. Cumque ægrotus Oeconomum incusaret, quòd pernam sibi dare abnuisset, abiit ille allatum piscis reliquum, vt ipsemet, haud esse carnem, inspiceret. Sed ô miraculum! Etiam reliqua piscis pars in pernam mutata fuerat, vnde ipse Oeconomus, ægrotus, & multi alij comederunt. Cùm in districtu territorioque S. Vincentij magna olei esset inopia, Elisei illud miraculum per illum renouabatur: ipsius enim iussu vnicum vas pro integro biennio oleum suppetebat, vnde luminaria duarum Domuum concinnarentur, cibus pararetur, & pauperum necessitatibus subueniretur, cùm tamen vas illud ante illud biennium adeò euacuatum fuerit, vt attolli debuerit. Puero muto loquelam, mancipio, sine Baptismi gratiã defuncto (quamuis se Christianum esse arbitratus fuerit) vitam reddidit. Variis in locis vno eodemque tempore visus est: nec aliquod morbi genus fuit, cui ille, antequam moreretur, medelam non attulerit. Angeli Breuiarium eius aliquando detulerant, quod in loco S. Vincentius dicto reliquerat, & vnde octo amplius leucis aberat. Sæpiùs, dum oraret, altiùs à terrã subleuari atque in aëre suspendi, splendoreque lucidissimo circumdari visus est. Cùm aliquando piscatum abiisset, subtraxit se, & in maris ripã ad orationem se composuit. Tribus quatuórve horis pòst repertus est à socio totus in Deum absorptus, & mari vndique cinctus; quod tamen circa illum, muri instar consistebat, & ne fluctus su illum contingerent, longiusculè comprimebat. P. Iosepho inde digrediente, mare locum illum paulatim occupabat, digredientis Patris vestigia sequens, donec ille ad ripam vsque exiisset, quando demum mare totum illud spatium aquis suis contexit.

Iosephus Anchieta orationi deditissimus:

Vnde morbũ contrahebat.

Latinam linguam primus in Indiis docet.

Eius prophetia.

Bestiæ eius imperium agnouerunt.

Aues:

Viperæ:

Piscẽ in carnem mutat.

Elisei in eo miraculum renouatum.

Angeli Breuiarium eius deferunt.

Mare ei ordi cedit.

Brasiliani Episcopi de eo elogium.

xit. Virtutes & miracula eius adeò omnibus innotuerant, vt Episcopus Brasiliæ dicere soleret, Societatem esse annulum, Iosephumque eius gemmam: quin ipse Episcopi Vicarius in Oratione funebri, quam in illius exequiis recitabat, Brasiliæ illum Apostolum appellabat. Donum quidem miraculorum non est virtus, verumtamen eius est testimonium: neque vnquam legimus, Deum gratiam hanc extraordinariam cuiquam contulisse, nisi qui diuinæ suæ Maiestati admodum placuisset, præsertim si miracula contingant apud Catholicos, vbi fidei confirmatio per illa non est necessaria. Placere autem Deo, vt tantâ gratiâ ab illo ornetur, nemo potest, nisi in virtutum perfectione ad supremum fastigium conscenderit.

36. *Petrus Canisius à puero eleemosynarius.*

Petrus Canisius, illud Belgij nostri sidus, à primâ suâ adolescentiâ orationi, ieiuniis atque Sacrificij seruituti se quasi mancipauerat. Dum Coloniæ adhuc, necdum Societatis membrum factus, litteris operam nauaret, libros suos, vt eleēmosynam facere posset, diuendebat; &, quod miretur quis, quotidie Magistro suo, qui deuotus laudatissimæq; vitæ Sacerdos erat, conscientiæ suæ rationem reddebat: & vt maiores in omni virtute & perfectione progressus faceret, decimonono ætatis suæ anno æternam virginitatem vouit. Quos iam eum, postquam in Societatem admissus esset, in omni virtutum atque perfectionum genere progressus fecisse arbitrabimur? Rudem certè eum, omnisque bonæ litteraturæ expertem dixerim, qui ignoret, quantum P. Canisius Ecclesiæ Catholicæ commodum atque emolumentum attulerit, quæ quòd in Germaniâ, Bohemiâ Poloniaque superstit, vigeat floreatque, illi acceptum debet. Præter enim à se editos libros, quibus toti Christianitati profuit, Prouincias illas, quas nominaui, speciali debitò obstrinxit, quòd concionum suarum feruore, rarissimarumque virtutum exemplis diuinum eis ignem intulerit. In Germaniâ restituit vsum Sacramentorum omnino illo tempore extinctum, Supplicationes & Litanias introduxit, pium item ad campanæ pulsum B. Virginem salutandi morem, fidei professionem in Academiis edendam, & infinita alia pietatis exercitia, quibus è peccatorum voragine dissolutos, & ex perfidiæ abysso hæreticos quamplures ad frugem reduxit. Plures energumenos à diaboli tyrannide liberauit, & è Domicellâ quadam Germanâ septem eiusmodi spiritus nequam effugauit. Rosarium eius quamplurimis feminis, partus difficultate periclitantibus, partum promouit, & salutem attulit.

Zelus pro Catholicâ religione laborans.

37. *Ignatius Martinez humilitati maximopere studuit.*

Ignatius Martinezius, vir vndequaque fuit doctissimus & eloquentissimus, ideoque varias ad Cathedras vocatus: verùm profundissima humilitas, quam Deus cordi eius immiserat, non tam honores illos quàm præcipitia & salebras animæ despexit, & ad puerorum instructionem se demisit, Catechismum eis prælegens, ergastulosque & mancipia pietatem docens, eos denique qui ad triremes condemnati erant exhortans atque consolans: quo in humillimo opere sedecim posteriores vitæ suæ annos consumpsit, Deo pietatem eius & humilitatem illustribus miraculis condecorante. Cùm enim tépore quodam Catechisticæ instructioni operam daret, & quis ex omnibus qui aderant Angelicam Salutationem recitare posset rogasset, & nemo se offerret qui vel posset, vel nollet, vel vellet; puellulus quidam seximestris, matris ab vberibus dependens, caput quantum potuit sustulit, altaque & distinctâ voce dixit, *Aue Maria*, vnde omnes qui aderant vltrà quàm dici potest consternabantur. Aliâ quadam vice cùm in triremi Catechismum doceret, infans quispiam per infortunium in nauis sentinam cecidit; quem, licet à nemine non mortuus haberetur, saluum tamen & incolumem repererunt, quia P. Ignatius suâ eum precatione conseruauerat. Cùm alio item tempore eidem actioni in templo vacaret, funis, è quo candelabrum fusile æneum pendebat, rumpebatur, ipsumque candelabrum iam decidebat non sine euidenti auditorum periculo, quorum capita certo certius contudisset; sed præter omnium opinionem in medio aëre, nemine planè nisi diuinâ illud manu sustinente, suspensum hærebat. Alio iterùm tempore Martin[...]s vicatim per vrbem ducebat puerorum [...]llarumque cateruam, Catecheseos capita modulantem. Cumque angustam plateā suo cum agmine transiret, occurrit equus sessorem deuehens, qui subitò consternatus, insessorisque sui calcaribus vehementiùs adactus, infremere atque corpus suum in altum surrigere cœpit, tandem in septennem è sancto P. Ignatij grege puellulum insiliens, adeò illum solo prostratum obtriuit, vt omnes qui id viderent, contusum eum arbitrarentur. Verùm bonus ille Pater, inuocato priùs S. Antonio de Paduâ, adeò vegetum eum & hilarem leuauit, vt ne vel minimum in eo incommodum appareret, præterquam quòd exiguum quoddam in fronte eius vestigium cerneretur, quod posteris miraculi illius testimonium dare poterat. Virgis atque flagellis durè admodum in semetipsum sæuiebat, & vt sui pueri perinde facerent, eos sollicitè instituebat: tandemque cum magnâ sanctitatis opinione vitam clausit.

Puellulus seximestris Aue Maria recitat.

Eius miracula.

Quòd si gaudium in cælo est super conuersione vnius peccatoris, vt ipsa Veritas nobis manifestare non est dedignata; quanti gaudij ille occasio erit, qui plures peccatores ab erroris sui semitâ retractos, ad probitatis & pietatis callem perduxerit? Quâ in arte, diuino vtique dono & instinctu, excelluit P. Benedictus Palmius, cuius nonnulla egregia specimina hic subiicio. A S. Ignatio Societatis Patriarchâ Messanam in Siciliam missus, vt humaniores ibi artes doceret, quamuis Ordinibus sacris needum esset initiatus, tamen ob suum feruorem cathedram conscendere, & per Quadragesimale tempus concionari iussus est; vbi nimirum res hæc si non prodigiosa, saltem omnino rara contigit. Erat ibi Nobilis quidam, qui Sebastianus Ansalonius vocabatur, iamque à septennio totam ciuitatem interturbauerat, atque in pessimam factionem redegerat, idque causâ fratris sui, quem alius, Papardus dictus, occiderat, iamque comprehensus, & Iudicibus traditus, capite plectendus erat. Ansalonius ille, nescitur quo mouente, adiit aliquando concionem P. Benedicti, qui finitâ concione suâ (quam 38.

Benedictus Palmius in arte conuertendi peccatores excelluit.

Ansalonius quidam dissoluta vita miromodo conuertitur.

ad

ad septem integras horas vsque protraxerat) totus in lacrymas solutus, populo commonstrabat Crucifixum (erat enim tum dies Parasceues) zelo tamen pro honore diuino feruens, illum iterùm occultabat, omnesque cereos per totum templum extingui iussit, sic inquiens populo: *Non equidem digni estis videre Deum vestrum, quem peccatis vestris ad crucem adegistis, nisi priùs hoc ipso in loco promiseritis, ab hac horâ in posterum vos illum haud ampliùs offensuros.* Cumque auditorum suorum animos haud satis perculsos esse aduerteret, sic Crucifixum allocutus est: *Noli, Domine, noli ipsis faciem tuam exhibere, noli te conspiciendum præbere populo huic ingrato, populo vsque adeò beneficiorum immemori, qui te extremis solùm labiis honorat, corde autem suo à te est remotissimus: recusat enim polliceri amorem & seruitium tui.* Verba hæc adeò penetrabant corda auditorum, vt coniunctis vocibus, singultibus atque suspiriis, ex intimis animi penetralibus proficiscentibus, eas intercidentibus, inclamarent: *Retege, retege Crucifixum; parati enim sumus Pater exequi quodcumque iusseris.* Ansalonius interim & ipse pœnitentiâ ductus in lacrymas soluebatur, vt gemitus luctantia eius in gutture verba reprimeret, adeò vt famulum suum ad concionantis suggestum mitteret, protestatuinum, herum suum omnia quæ ab illo ei mandarentur, opere executurum: interim tamen dum famulus à confertâ multitudine, quam transire vix poterat, nonnihil retardaretur, Ansalonius moræ impatiens, singultiens elatâ voce inclamabat: *Dedo me, dedo me, fac tu de me quodcumque libuerit.* P. Benedictus totus zelo animarum feruens, quærebat ab eo: Quis es tu? Ansalonius ego sum, respondebat alter: en ego palàm testificor me facturum quodcumque voluntatis tuæ fuerit. Audito iam nomine Ansalonij, quod adeò per totam ciuitatem cognitum erat atque famosum, tota concio de tali mutatione obstupuit. Tum Pater concioni suæ finem imposuit, nonnulla de Dei bonitate atque misericordiâ præfatus: eique à suggestu descendenti Ansalonius se prostrauit, genuaque illius amplexus dixit, inde se non discessurum, quin intrepidè hosti suo indulserit. Aduocati sunt Notarij, & solemniter acta illa conscripta sunt: inde Papardum carcere eductum amicissimè Ansalonius complectitur, & toti ciuitati inde gaudium prouenit, reuocatis qui in exilium missi erant. Ansalonius hunc virtutis heroicæ actum fecisse non contentus, ipsi insuper mundo valedixit, vt præteritos errores resarciret, & populo, quem dissolutissimis suis moribus haud parum offēderat, satisfaceret, rigidissimæque Capucinorum disciplinæ se mancipauit. Palmius Messanâ Panormum profectus, ibi quoque feruoris sui radios diffundere cœpit. R. P. Natalis ædem S. Marthæ construi ibi fecerat, ad recipiendum illic feminas pœnitentes, quemadmodum S. Ignatius fecerat Romæ; & quandoque congregato agmine prostitutarum, ad P. Benedicti concionem eas adduxerat: quibus ille tam feliciter est concionatus, vt tredecim ex illis, de vitâ impurâ pœnitentiam agentes, gemitibusque & suspirius anteactam impudicitiam deplorantes, relictis locis obscœnis ad ædem S. Marthæ se conferrent. Singulis concionibus aliquot horarum

Mulierū prostituta pudicitia reuocandarum curam singularem habet.

preces præmittebat, vbi tam feruenter Deum pro bono concionis suæ successu orabat, vt loci, vbi orabat, pauimentum crebriùs quasi lacrymis inundatum appareret. Nec minus, dum ad suggestum venisset, ob incolarum peccata lacrymarum fundebat, adeò vt non rarò inde permotæ etiam præcipuæ ciuitatis matronæ, & primæ notæ virgines, cimelia sua, armillas & alia colli capitisque ornamenta sibi detraherent, & pauperibus assignarent. Rogatu denique S. Caroli Borromæi Mediolanum veniens, tam bonum Societatis odorem ciuibus affudit, vt nullum non lapidem mouerint donec Collegium eorum in ciuitate construeretur. Ibi in S. Marthæ Monasterio sui Sacerdotij primitias obtulit: cuius loci Antistita sanctè affirmauit, à plurimo iam tempore Societatis illuc aduentum expectatum fuisse; quandoquidem beatus Archangelus Panigarolus, qui magnâ sanctitatis opinione mortuus esset, dum aliquando Deum oraret, vt Ecclesiam suam Catholicam, ab hæreticis grauiter afflictam, contra tantos insultus adiuuare vellet, cælesti reuelatione didicisset, Deum haud ita diu pòst excitaturum sanctam quampiam Iesu filij sui Societatem, cuius alumni studia sua collaturi essent, adinstar Apostolorum, ad reparandum damnum per hæreticos illatum, eosque etiam aliquando venturos esse Mediolanum.

Societas Iesu diuinitus Mediolanum destinatur.

39\. P. Alfonsus Barzena immensos viginti trium annorum spatio in regno Peruano pro Christi fide propagandâ sustinuit labores, idque tanto cum fructu, vt solus ille aliquot animarum myriadas cælo lucratus fuisse dicatur. In solo illo tractu qui à Conceptione Deiparæ nomen habet, solo septimestri spatio bis mille homines ad fidem adduxit & sacro Fonte tinxit: atque in ciuitate Steco vicinisque locis propriâ manu baptizauit bis mille quadringentos viginti Indos, plerosque adultos & morti iam vicinos. In more positum erat Patri huic, quotnoctibus ceruicali suo affigere imaginem Iesuli recēs nati: quod cùm aliquando facere fuisset oblitus, Nosocomum (iam enim paralysi, morbo sanè perquam incommodo, correptus erat) rogauit vt imaginem illam loco suo reponeret: quia verò vis morbi adeò eum debilitauerat, vt vox eius ab isto audiri non potuerit, abire illum contigit. Audierat tamen vocem hanc, piissimumque affectum inspexerat ipse Iesulus, qui sponte ad locum suum pristinum se contulit, & sic bonum illum senecionem voce distinctâ atque intelligibili affatus est: *Noli ampliùs affligi, en me in loco meo.* Rata profectò Dei gratia. Singulis noctibus ad orationes faciendas surgebat, antequam morbus, quem diximus, eum inuaserat. Duodecim continuis annis diabolus insidias ei struxerat, & nihil non machinamenti & industriæ adhibuerat, vt pium hunc morem impediret, sed frustrà. Cogitabat aliquando de mediis efficacioribus ad conuertendos miseros istos Tucumanos: & ecce diabolus, qui omni studio salutem istius gentis inhibere, & nulla non obstacula opponere satagit, specie ei apparuit adeò horribili & terribili, vt aduersariū suū inde exanimari posse speraret. Verùm enimuerò Pater nihil omnino conterritus, ab orationis loco surgēs, obuiàm ei processit, inquiens: *Age, equū est vt* dignitati

Alfonsus Barzena multa millia animarum ouili Christi addit.

Iesus ipse ei obsecundatur.

Diabolus eum terrere conatur.

Humilitate tamen eum profligatur.

dignitati tuæ cedam, decentioremq́; & honoratiorem locum concedam; veni ergo, & locum meum occupa. Quæ viri huius humilitas tam validum diabolo ictum incussit, vt confestim ingenti cum mugitu horridoque rugitu disparuerit. Hæc contigerunt dum adhuc in viuis ageret: vide etiam quid Deus per ipsum post eius obitum operari dignatus fuerit.

Post obitum mulieri Indianæ apparet.

Femina quædam Inda, quæ confessionem generalem ei fecerat, in grauem & difficilem morbum incidit, qui dum ipsam vrgeret, sæpiùs tam corde quàm ore Patris auxiliũ, quem iam sublimi in cælis loco constitutum esse haud diffidebat, inuocabat. Nec eius preces vanæ fuerunt: visibiliter enim Pater ei se conspiciendum exhibuit, & lecto illius assidens, modestè eam corripuit quòd à confessione illâ generali denuò peccasset, *Caue tibi*, inquiens, *& te emenda; proptereà enim Deus tibi vitam adhuc prorogauit;* & sic disparuit, magnam feminâ inde consolationem & integram sanitatem consequente. Alius quispiã ab idololatriâ ad Christianismum conuersus, & à Patre hoc in Catechesi instructus, iter faciebat curru vectus, cuius concussũ inde eiectus fuit, & currus admodum onustus corpus eius transiit. Miser ille recordatus P. Alphonsi & sacratissimi nominis Iesu, quod vt semper in ore haberet ab illo edoctus fuerit, illudque deuotiùs, prout poterat, pronuntiauit. Et ecce, confestim illi adstat infantulus speciosissimus, qui eum de terrâ eleuans, dixit: Ne timeas, fili, non enim hinc morieris. Diu posteà super in viuis erat, suamque salutem eidem Patri acceptam ferebat.

40.

Hēricus Henriquez animarum zelo feruidissimus.

P. Henricus Henriquez versus Indias Orientales missus, statim atque Goæ appulit, à S. Francisco Xauerio ad Comorinos & Pescarios conuertendos destinatus fuit, vbi nec animus nec occasio ei deerat, totusque erat in vasto illo campo excolendo, sub curâ suâ habens quadraginta tam ciuitates quàm vicos, quibus Pastoris loco erat quinquagintatribus annis. Zelo æstuabat mirabili, & animo tam heroico instructus erat, vt nihil planè inueniret, quod illum adæquare posset, totumque mundum accendebat suis ad pro Christo Iesu patiendum atque tolerandum exhortationibus. Nihil omnino, quantumcumque esset, illum remorari potuit. Ab iisdem Badagensibus, qui P. Criminalem trucidauerant, captus, iam palo transfigendus erat more Turcarum, ductus ab iis ad locum vsque supplicij: ad quem sanè ibat lætissimus, recedebat verò tristissimus, dum nimirum martyrij palmam suis è manibus extortam videret. Hisce tamen incursionibus haudquaquam territus, hostes suos incessere pergebat, & superstitionem Brachmanum exagitare, illos simul omnes ad certamen prouocans; quandoquidem fides eius adeò imperterrita esset atque magnanima, vt ignis examini suam Religionem isti non auderent committere, quamuis illum subire P. Henricus pro fidei suæ confirmatione vltrò offerret.

Humilitas inter eius virtutes præcipua.

Eximiæ hæ rarique exempli virtutes supra petram immotam radices quidem egerant, profunda tamen eius humilitas piorum preces & suffragia emendicabat, quò misericordiam diuinam obtinere posset, cuius se planè indignum reputabat. Et hoc præcipuè agebat morti iam vicinus, ad quam properabat in spiritu contrito & humiliato, ac si meritis omnino careret, quibus vtique abundabat: cuius obitus tantam Gentilibus etiam & Saracenis tristitiam dabat, vt non solùm Christiani, sed & plerique horum integro triduo nullo cibo quàm lacrymis & suspiriis alerentur, clausisque officinis omne opus intermitterent.

Per eius nomen Gentiles iurant.

Tantusque honos etiam defuncto illi defertur ab ipsis idololatris, vt dum sacrosanctè rem quãpiam asserere volunt, per P. Henricum Henriquez iurent; quod iuramentum nemo præuaricari auderet, ni vitæ iacturam subire velit.

41.

Petrus Anafcus variis virtutibus claret.

P. Petrus Anafcus viuum omnium virtutum fuit exemplar, quamuis in obedientiâ, humilitate, contemptu sui, & in orationis assiduitate præcipuè eminuerit. Triginta tribus annis in Societate vixit, quorum partem mediam conuersioni Tucumanorum & Peruanorum, qui Peruuiæ sunt populi, libens impendit, quorum non animarũ solùm sed etiam corporum curam sollicitè admodum habebat, infirmis iis ministrando, magnâ charitate & suauitate extergens vlcera illorum, è quibus haud rarò vermes scatebant, semper verò grauissimus & teterrimus fœtor exhalabat: quin vt sibi ipsi, quando abhorrere animum suum sentiebat, vim inferret, crebrò catinos sordidissimo & fœtidissimo pure plenos sorbendo exhauriebat. In salute animarum procurandâ tam erat diligens, vt præter duo præcipua Peruani regni idiomata, septem alia minorum Prouinciarum didicerit, sicque multa animarum millia Christianâ fide imbuerit, cum in finem desertissima & omnium quæ ad vitam humanam tolerandam pertinerent egentissima loca peruagabatur, ferarum & belluarum se lanienæ exponens, præcipuè tygridum, quæ ferarum omnium sunt sæuissimæ. Atenim verum est quod de iustis cecinit Psalmographus: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, boues, & pecora campi.* Psalm. 8. ideoque haud semel visum est, tygridẽ caudâ suâ Patri fuisse adblanditam, quam ipse, manu per dorsum ductâ suauiter demulcebat, dataque benedictione dimittebat.

B. Virgini est admodum deuotus.

Sed & B. Virgini Deiparæ deuotissimus erat, ideoque etiam ab ipsâ eminentissimos recipiebat fauores. Cùm enim aliquando in consanguineorum suorum ædibus graui admodum ægritudine laboraret, ad solam misericordiæ Matrem confugiens, haud repulsam passus est, sed benignè exaudiri meruit:

Quæ ei visibiliter apparuit.

visibili namque illa ei se specie exhibuit, filiolum suum in vlnis complexa, ipsum consolans, de sanitate recuperandâ fidem faciens, & vt, relictâ mundi vanitate, nomen suum daret vexillo Filioli sui in Societate exhortans: quod ipsum, simul atque reconualuit, impigrè executus est. Et quidem visionis huius effectus in morum eius mutatione apparuit, quos eum in modum postea composuit, vt nemo non propterea miraretur.

Profundissima eius sui-met vilipensio.

Orationi assiduè vacabat, corpusculum suum macerabat, iniurias sibi illatas æquissimo animo perferebat, & vel ad genua Sociorum suorum se demittebat, & colaphos sibi inferri petebat, præmio promisso illis qui grauiores sibi inflixissent.

42.

Ioannes Hieronymi iniuriarum patientissimus.

Iam quid referam de P. Ioanne Hieronymi, qui quamuis propter suam in concionando elegantiam Philippo II. charus esset, modestiaque suâ velut fascino quodam plausibili omnes ad se pelliceret; tantum tamen aberat,

vt

vt honorem aliquem & vulgi vel mundi plausum captaret, vt potiùs in publico apparere abhorreret, & in solâ oratione faciendâ animi sui tranquillitatem poneret. Quia verò auro huic nescio quæ scoria admixta videbatur, in fornace tentationis probandum fuit, vt splendidissimum & pulcherrimum euaderet. Vide si lubet. Cùm Granatæ Collegio præesset, femina quædam tam corpore quàm conscientiâ prostitutissima, pessimi eum criminis reum egit, atque indigni homine Religioso qui castitatis professionem fecisset. Prouincialis hoc audito, Hispalim eum ad se euocat, vt de veritate sibi constare posit. Ioannes Baptista Coadiutor, vir notæ pietatis & sanctitatis, de famâ & honore sui Rectoris (Collegij enim Granatensis P. Petrus tum Rectorem agebat) admodum sollicitus, Deum, vt omnia prosperè euenirent, calentissimè rogabat: cui diuinitus reuelatum fuit, suum Rectorem paucis pòst diebus domum reuersurum, auctum honore & auctoritate, & ab obiecto sibi scelere plenè purgatum. Erat etiam Hispali alius quidam Pater, accusato perfamiliaris, & qui intima animi eius nouerat: Hunc Prouincialis instantiùs vrsit, vt, si quid vel minimum, quod aliquam tantummodò speciem accusati criminis habere posset, in reo aduertisset, religiosè ediceret. Tum hic rei indignatione commotus, Pater, ait, pietas & castitas P. Hieronymi adeò mihi nota est, vt ad comprobandam eius innocentiam paratus sim manum meam igni imponere, & simul manum suam admouebat candelæ quæ tum ardebat, & longiusculo spatio absque vllo doloris sensu eam sic in flammâ tenebat. Prouincialis facti nouitate perculsus, & de P. Hieronymi integritate velut exhilaratus, quam Deus adeò manifestè aperuisset, in oratione suâ rogabat, ne quid se loqui permittere vellit, quod honori P. Hieronymi vtcumque officere posset. Et vt de omnibus certiùs constaret, ipsa accusatrix tãtis furiis & doloribus agitabatur, vt, præsentibus testibus & Notariis quamplurimis, ad Prouincialis pedes se proiiceret, calumniam detestaretur, & sui sceleris veniam expeteret. En hic primũ insultum, sed ecce validiorem. Solebat bonus ille Pater horas aliquot vespertinas Deo tribuere, atque orationi vacare, adeoque animi feruore & erga Deum amore actus, varias sibi proponebat afflictiones, persecutiones, tribulationes atque aduersitates, animamq; suam quasi in palæstrâ atque arenâ constituebat, vt videret nũ illa pro Seruatore suo paratus esset sustinere quæcumque aduersa, famem, carceres, infamiam: omnia hæc, adeoque vel ipsa mors ei videbãtur facillima, & vltrò se offerebat ad perferendum eã amore sui Saluatoris. Vnum tamen erat, quod scrupulum ei iniiciebat, & ad quod se promptiùs offerre vix poterat, nimirum, hæretici instar ad Inquisitionem duci. Meditationes suas aliquoties eò dirigebat, neque tamen hunc nodum dissoluere poterat: tandem, viribus è cælo auctus, ad illud quoque se offerebat, & iam stabat sententia, etiam hæretici instar traduci, æquissimo animo perferre. Vix ab oratione surrexerat, & ecce ad portam vocatur, vbi S. Inquisitionis Apparitorem offendebat, sibi, ne cathedram cõcionaturus conscenderet inhibentem, donec à propositione hæreticâ, quam in concione dixisset, prout ad sacrum illud tribunal delatum esset, plenè se expurgasset. Pater ille tum Deo pro infinitâ & paternâ bonitate gratiis actis, totum se illi permittebat, & non ita diu pòst omnino absoluebatur, & conciones eius maiore concursu populi, quàm vmquam anteà, frequentabantur. Sed & tertium patiebatur insultum, qui non solum ipsum, sed vniuersam Societatem quatiebat. Ad Summum delatum erat Pontificem, suis eum in concionibus nonnulla in Sedis Apostolicæ præiudicium fuisse locutum, sed & multa alia temeraria, insolentia & scandalosa effutiisse; adeò vt ipsemet Romam veniret, & causam suam agere iuberetur. Bonus ille Pater totam illam noctem insomnem ducebat, tanto in mœrore versabatur, quòd videret sui causâ benignam matrem suam, nimirum Societatem, in discrimen adduci. Sed vix ab oratione surrexerat, dum Pontificem obiisse nuntiatur; & paulò pòst, etiam calumniæ auctorem è viuis excessisse, & neminem superesse, qui Camarinam istam moueret. Verùm quia Societas non solùm vult esse, sed etiam apparere sancta & innocens, vt ora cauillatorum & malignorum obstruantur; ideò Generalis eum Romam vocauit, & causam eius coram Gregorio XIII. & Cardinalibus ventilari fecit, vbi non solùm pronuntiatus est innocens & ab omni crimine alienissimus; verùm insuper honore & Concionatoris Pontificij titulo auctus in Hispaniam rediit, & ampliore quàm anteà ibi auctoritate & eminentiâ excelluit. Tandem sibi & Deo vacare permissus, cùm nauiculam suam iam ad portum traxisse, & omnes feri maris, mundi inquam, fluctus & vndas sibi superasse videretur, domi crucem & afflictionem inuenit: vsq; adeò enim arthriticis doloribus, aliisque symptomatibus acutissimis excruciabatur, vt vel inferno illos compararet, eò quòd neuter, neque hic eius morbus, neque etiam infernus, vitam eius abscinderet, sed quotidie, mente & animo integro, myriadas mortium pati cogeret.

A feminâ quadam nefandi sceleris accusatur.

Prouincialis in eius vitam inquirit.

Miraculo Ioannis innocentia comprobatur.

Femina ipsa diuinitus punitur.

P. Ioannis exercitia.

Hæreseos insimulari durum est homini Catholico.

P. Ioannes hæreseos accusatus ad Inquisitionẽ citatur.

Absoluitur.

Apud Summum Pontificem de hæresi accusatus Romã vocatur.

Calũniatores eius subitò moriuntur.

Generalis eius causam disceptare facit.

Absoluitur, & nouis honoribus augetur.

43\. Quandoquidem verò superiùs mentio facta est Ioannis Baptistæ cuiusdam è Societate Coadiutoris, haud ab instituto alienum erit nostro, si & de eius virtutibus pauca dicamus. Vix eum Societas bimestri spatio habuerat, cùm à graui quadam tentatione bonus ille Frater inuaderetur & tantùm non superaretur, adeò vt de abitu è Societate inter semet cogitationes volueret: & ecce vidit B. Virginem Mariam, ab vno latere adstantem sibi habentem S. Petrum, ab altero S. Barbaram, quibus à longo iam tempore deuotus fuerat. B. Virgo eum solabatur, & robur addebat, & vt vitæ suæ cõditioni acquiesceret exhortabatur, & vt in eâ perseueraret commonebat; æternam quippe salutem in eâ consecuturum. Hac itaque visione erectus, firmiter in eâ vocatione persistere proponebat, atque in virtutis semitâ vlteriùs progredi statuebat: quæ res cùm diaboli astum elusisset, tantâ spiritum illum nequam in Ioannem inuidiâ impulit, vt sæpiùs horribilissimâ specie ei se exhibuerit, trucem vultum, rictum hiantem, vngulasque acutissimas ei commõstrans, imò & suffocare se eum velle minitans: Christi tamen adiutorio Baptista semper victor euasit. Quamdiu ruri erat (vbi vtplurimum versabatur, quòd suburbanæ villæ cura ei demandata esset) numquam conditos cibos comede-

Ioannes Baptista grauiter tentatur.

B. Virgo ei apparet, & animum ei addit.

Diabolus eũ horribili specie frustrà inuadit.

Eius pia exercitationes.

medebat. Corporis castigationibus insuper adeò deditus erat, vt ei adiungendus esset qui eum reprimeret, & dum corpori sui disciplinam inferret, eum de excessu admoneret; alioquin corporis sui odium tantum erat, vt ad mortem vsque sese flagellasset. Charitate prætereà adeò excellebat, vt dum, ne Consociis suis è morbo suo aliquando aliqua molestia crearetur, vereretur, Domino Deo preces obtulerit, vt quantocyùs hac è vitâ illum auferre dignaretur, nec diu lecto affigi pateretur; id quod & impetrauit: cùm enim ab arbore quapiam decidisset, ita corpus eius contusum fuit, vt vno solum die superuixerit.

44. *Ferdinandus de la Conchâ Crucis Christi amantissimus.*

P. Fernandus Suarez de la Conchâ adeò Crucem adamabat, in quâ omnis perfectio Christiana consistit, vt quotidie duabus vicibus sibiipsi disciplinam inferret: singulisque noctibus, postquam acerrimè se flagellis cecidisset, laceris humeris grauem & ponderosam Crucem imponebat, & sic ad orationes fundẽdas ad templum se cõferebat. Die quodã Parasceues, cùm aliis Concionatoribus mos sit, crucem præferre iis, qui in honorem passionis Dominicæ sese in Processione flagellant; ipse, cùm eisdem concionatus fuisset (confluebant verò è Mexicanis, ad quos missus erat, aliquando viginti millia hominum) in seipso Crucifixi imaginem exhibebat, capiti suo imponens coronam plexam è spinis acutissimis, quam adeò arctè capiti adigebat, vt sanguis copiosissimus deflueret, vnde auditores eius quammaximè commouebantur, & ad disciplinandum carnem suam animabantur. Numquam cilicio exuebatur, & cubiculi sui parietes crucibus & mortuorum ossibus instruxerat. Et vt vno verbo absoluam, tota eius vita, vera & Christiana Philosophia fuit, quæ benè moriendi artem nos docet.

Crucifixi in seipso imaginem exprimit.

45. *Benedictus Goësius.*

Quid iam de P. Benedicto Goësio addam? Hic ab Archiepiscopo Goano Cataium versus missus, quamuis integro quinquennio quamplures ciuitates & regna Saracenorum, nullo alio quàm Saracenico comitatu, perlustrasset, & cum iratissimis fidei Christianæ hostibus iter fecisset, semper ab iisdem amatus & in honore habitus, numquam qualis non erat se simulauerit, sed semper Armenum se, Christianum tamen, se professus fuerit, & nomen Iesu vbique annuntiauerit, imò ipsis Regibus & Sacerdotibus Saracenis in faciem contradixerit. Cumque aliquando Regulus quispiam Saracenus ei suggereret, ne in litteris salui conductus Christianismum præferret, vtpote quòd id nulli esset vsui: deleri atque tolli id è litteris noluit, sed semper apertè dixit, hoc se nomen tam ore quàm scriptis confessurum ad mortem vsque. Aderat ei colloquio etiam Sacerdos quidam Mahometanus, qui pileum suum in terram proiiciebat, elatâ voce inquiens: *En fidelem hominem. Ignaui nostri Cacisci* (sic ibi appellantur Sacerdotes Mahometani) *haud ita faciunt, nec vel talitrum pro defensione sui Alcorani perferre vellent.* Plus semel iam martyrio afficiendus fuit, nomen Christi Iesu eiurare iussus, hilari etiam alacrique animo quidlibet excipiebat: crebrò pectori eius pugiones admoti fuerunt, vt Salema, quæ certa est Mahometanorum precatio, recitaret; ille tamen haudquaquam inde consternatus, sed apertis vlnis felicem adeò mortem expectabat, quæ semper tamen dilata fuit. Ad fidem Christianam plura hominum millia adduxit, & solo Crucis signo grauissimis morbis medebatur. Grauiora & frequentiora pericula solo Iesu nomine superauit: & cùm aliquando equus illius, manibus illius elapsus, latum & profundum amnem transnatasset, & ad vlteriorem fluminis ripam euasisset, nec spes eius recipiendi affulgeret vlla, inuocato Iesu nomine equus reuersus est, & manibus eius se stitit. Tandem ad Sinarum portus appellens, deprehendit se deceptum fuisse, & Cataiam haud aliam esse à Sinâ, ibique feliciter obiit.

Inter medios fidei hostes eam intrepidè profitetur.

Mahometanorum Sacerdotum ignauia.

46. *Sebastianus del Campo, & eius adhuc sæcularis exercitia.*

P. Sebastianus del Campo cùm in patriâ adhuc degeret (Sardinia erat) singulis sextis Feriis & Sabbatis ieiunabat, totâ item Quadragesimâ solo pane & aquâ vtebatur: quin & solebat singulis noctibus Sabbatinis orationes suas Deo offerre coram B. Virginis annuntiatæ imagine, quæ in ciuitatis Sassarensis Hospitali habebatur, idque vtroque genu flexo & capite nudo, etiam brumali tempore. Quamuis verò iam Sacerdos esset & adultior, studiorum tamen causâ Valentiam se conferre volens, à piratis Mahometanis in mari captus, Zilamque ductus, ibi Christiano eiurato venditus fuit; à quo, vtpote homine sæuo & truculento, parciùs pane quàm verberibus excipiebatur, quamuis hominis sancti fidelitatem & prudentiam sat aduerteret: ille tamen, quasi verbera ab hero impio illata non sufficerent, insuper variis austeritatibus, pro Christo pati paratus, corpusculum suum affligebat. Nec solùm adeò tranquillo animo suum infortunium ferebat, vt ne quidem pro delicatiore conditione illud se commutare velle assereret; sed alia insuper mancipia iuuabat, solabatur, & omni quo poterat modo promouebat, in fide vacillantes confirmans, deuios, & qui iam fidem eiurarant, ad Ecclesiæ ouile reducens, quos posteà, dum libertati restitueretur, secum Sardiniam adducebat, & S. Inquisitioni offerebat, vt ritè Ecclesiæ reconciliarentur. Neque immensa hæc eius charitas inanis fuit aut superuacanea, sed à Deo libertatem eius impetrabat. Cùm enim mercatorem quemdam Genuâ oriundum, saniorem in viam reduxisset, ille vicem rependere volens, eum redemit, & sufficienti lytro pro eo persoluto, in libertatem asseruit P. Sebastianus vicissim Genuensibus illum reconciliabat, veniam & reditum in patriam ei impetrans, quò & cum vxore & liberis rediit, P. Sebastiani consilio vsus, & cautissimo artificio Africâ fugiens. Iam igitur libertati se restitutum vidẽs Sebastianus, suaui Religionis iugo colla subdidit, & Societati Iesu se deuouit, vbi tantos in virtute & perfectione progressus fecit, vt omnes facilè superarit, perpetuo cilicio indutus, quod tum eius corpus complectebatur. Orationi vsque adeò erat deditus, vt omnis vita eius continua oratio videretur, rarissimasque à Deo gratias & beneficia per illam obtineret. Aliquoties enim B. Virginem videre, & ab eâ res futuras audire meruit. Sæpiùs dum oraret, à terrâ altiusculè sublevatus & splendidissimis radiis caput circumdatus cernebatur. Cumque aliquando Sacris operaretur, vidit sacratissimam Domini Iesu Christi humanitatem sub pusilli infantis specie, crebriusque verba hæc repetere auditus fuit, Domine, non sum dignus. Domine, ad priorem formam

Ab Afris capitur, & in seruitutem venditur.

Mancipia Christiana in fide confirmat.

Mercatoris beneficio redimitur.

Societati Iesu se tradit.

Orationi est deditissimus.

A B. Virgine inuisitur.

mam reuertere, ad priorem formam reuertere. Piissimè obiit cum certissimâ sanctitatis opinione, & iam tot miracula per eum Deus operatur, vt peculiari libro describenda sint.

47. *Georgius Colibrandus.*

Iterùm è Belgio nostro florem decerpo. Est ille P. Georgius Colibrandus, Trudonopoli in Leodiensi tractu natus. Cōtigit, iuuenem quemdam, in Academiâ Duacenâ Iuris scientiæ operam dantem, neque tamen hominis sed bestiæ potiùs iura secutum, ciuitate illâ egressum, & conscientiæ morsibus variè lancinatum, alicubi in prato & herbis obdormire. Et ecce, in visu ad Iudicis supremi tribunal se adduci, ob scelera sua se accusari, & hæc sibi verba inclamari vidit & audiit: **Horribile est incidere in manus Dei viuentis.** Subitoque euigilans, longè inde abesse se deprehendit, vbi anteà fuerat. Iterùm obdormiens, eadem in somno audit & videt, quę anteà, simulque ei suggerebatur, vt de hac re consuleret quempiam Societatis Patrem, quorum vnus ei repræsentabatur. Iuuenis ergo Collegium Patrum adiens, etiamsi de nomine Patrem non nouerat, videt tamen P. Colibrandum ad portam, eumque esse qui sibi repræsentatus fuerat agnoscit: rectà igitur illum conueniens, tam bona & salutaria ab eo audiit, vt vitam suam mutaret, & reipsâ comprobaret quàm euidens & manifesta illa visio fuerit. Colibrandus quotidie, antè quàm Sacrum pro studiosis celebraretur, ad sedem suam confessionalem ibat, vt nonnullos illorum ad confessionem faciendam alliceret. Et reuerà totius corporis eius habitudo adeò deuotionem sapiebat, & ad pietatem inuitabat, vt vix dies abierit, quin aliquorum confessiones exceperit.

Animarum salutis zelo feruens.

Quòd si repperisset quempiam, qui ad emendandum se aliquantò esset durior, pœnitentiam sat rigidam pro eo subibat, vt gratiam conuersionis & emendationis illi impetraret. Hinc numquam pænè dorsum eius cilicio, aut manus eius flagello destituebantur, neque etiam dum iter ageret: certum enim est, quòd etiam in vltimâ senectute septem vel octo milliarium iter in cilicio confecerit, quamuis aër fuisset frigidissimus: quandoquidem adeò patiendi esset appetens, vt à Deo id priuilegij obtinuerit, vt numquam patientiæ exercendi occasio ei defuerit. Si enim contigisset, quòd aliquam pœnitentiam facere impeditus, aut quidpiam oblectamenti capere iussus fuerit, continuò ei aliquod infortunium obtingebat, quod exiguæ illius recreationis vicem subiret, & percepti oblectamenti duram solutionem ab eo exigeret.

Etiā senecio iam in cilicio magna itinera facit.

Cùm verò Superiores adeò eum senio & afflictionibus oppressum viderent, bonam pœnitentiæ partem ei ademerunt. Ad quod ille: **Benè sanè; sed Dominus Deus subministrabit alias.** Et reuerà ita euenit: ex eo enim tempore tormina & cruciatus sentiebat acutissimos, neque tamen vnquam inde queritare auditus est, nisi quòd, dum solus esset, nonnihil ingemisceret, vnde iis, qui id obseruarant, suspicio oboriebatur, calculis eum vrgeri. Et profectò post obitum eius in vesica ipsius reperti sunt quatuor calculi, quorum tres ad columbini oui magnitudinem singuli accedebant. Et tamen bonus ille senex tam parum æstimabat omnes suas afflictiones & austeritates, vt dicere soleret, crepundiorum instar ea omnia habenda esse. Scitum ipsius erat, **Ad vitam æternam,** quod omni occasione in ore gerebat, significans omnes suas actiones & intentiones eò dirigi.

Afflictionibus gaudet.

E iunioribus quispiam, ioci causâ eum aliquando præueniebat, et prior dicens: **Ad vitam æternam,** Pater Georgi, verùm ille concinnè admodum respondebat: **Ad crucem priùs fili.** Tam parum sui æstimationem æstimabat, vt non erubesceret, etiam tum cùm doceret, scopas accipere, & præsentibus studiosis omnibus euerrere aliquod cubiculū vel aream, aut herbas & gramina euellere. Quæ eum humilitas ab omni prorsùs priuato & domesticò affectū vel amore liberabat. A pluribus iam annis egregias picturas & imagines priscorum Græcorum collegerat, cùm in illa linguâ esset versatissimus, & in libro quodam peculiari, thesauri instar, foliatim conglutinauerat. Inuenit quispiam librum, & quid sibi pretiosi haberet non intelligens, dissoluit & in minutas partes discidit. Colibrandus non solùm inde haudquaquam fuit commotus, sed insuper nihil aliud protulit, quàm: **Benè, benè, ad vitam æternam.**

Humilitatē maxime & contemptum sui sectatur.

Cùm aliquando iter faceret, adeò præ lassitudine defecit, vt socius eius iumentum aliquod conduceret quo veheretur. Rusticus, cuius erat illa bestia, flagello, quo iumentum vt citiùs gradeetur impellebat, simul & P. Colibrandi pedes cædebat, Patre ictus illos tranquillissime perferente, donec socius illius, rem aduertēs, rusticum acriùs obiurgaret. Verùm P. Colibrandus subridens dicebat, parum referre, cui ictus inferantur, quandoquidem ipse & iumentum æque essent lassi.

Patientissimus.

Quamuis verò tam probam vitam exegisset, & in corpus proprium adeò piè sæuisset, etiam necdum Religiosus factus, nihilo tamen minùs iudicium Dei reformidabat, luti & stercoris instar sua merita æstimando; ideoque quotidie à nonâ vespertinâ horâ ad vsque decimam meditationibus extremorum hominis occupabatur. Etiam dum ægrotaret vltimo morbo, maximis suspiriis, & salubri timore refertis, hæc verba sæpius ingeminabat: **Domine, ne intres in iudicium cum seruo tuo: reserua, Deus meus, exiguam aliquam misericordiæ particulam huic misero famulo tuo.** Cumque adstantes mirarentur, **Longè alia sunt,** inquit, **iudicia Dei quàm iudicia hominum.** quo responso plurimi, sancto timore perculsi, in calidissimas lacrymas soluebantur. Interim firmissimam spem diuinæ misericordiæ conceperat, & nec inuitus, ab aliis rogatus, illorum in paradisi gaudiis se recordaturum, & pro iis preces & intercessiones Deo oblaturum, in se recipiebat.

Sæpe extrema hominis meditatur.

P. Matthias Riccius è primis imò primus à S. Xauerio fuit, qui Christianæ Religionis facem in Chinam intulerit, aditu ad illud regnum, qui sat est difficilis, hac sibi ratione parato. Familiaritatem haud vulgarem cum Tutano vel Præfecto Nanquinensi contraxerat, qui ob raras eius virtutes, præcipuè ob scientias Mathematicas, in quibus Riccius excellebat, maximi eum faciebat, haud tamen illi, agrum vel domum intra regni fines vt sibi coëmeret, concedere audebat, vtpote quòd hactenus tale quid necdum vel factum vel auditum fuisset. Diuinitus tamen media suggerebātur, quibus ædem sibi comparare posset intra ciuitatem Nanquinensem. Cùm enim è prouinciâ Chiansi expulsus esset, ideoque animo maximè angeretur, vt ne somnum capere posset, obdormire eum cōtigit: & tum in somno vidit 48.

Matthias Riccius primus Chinarū Apostolus.

Visionem habet mirabilē de Indorum Conuersione.

vidit ad se hominem ignotum quempiam accedere, qui hisce eum verbis alloquebatur: *Túne es qui in Regnum hoc venisti vt priscam Chinarum religionem abrogares, & nouam introduceres?* Cui Pater respondebat: *Aut Deus sis, aut diabolus, necesse est, quia secretiora mentis meæ tibi sunt cognita.* *Verè*, inquiebat alter, *ego Deus sum.* Pater ergo ad pedes illius accidens ei dicebat: *Quare ergo, Domine, me non adiuuas?* Ad quod ille: *Propitius vobis ero in ciuitatibus quibusdam præcipuis.* Hac ergo visione recreatus, simul diuinitus monitus, vt audacter ciuitates Paquinum & Nāquinum intraret, ita reipsâ fecit. Nanquinum igitur veniens, eamdem plateam, easdemque ædes obseruauit quas in visione viderat. Cumq; ædem Mandarini cuiuspiam inuenisset, quam incolæ deseruerant, quòd lemures & lamiæ eam infestarent, Tutano id suggessit, eiusque assensu illam vilissimo pretio coemit, inque eâ habitauit, spectris illam ampliùs infestare, imò nec eò accedere audentibus: non sine ingenti Chinensium admiratione, qui & dicebant, dubio procul potentem esse Deum nostrum, quòd diabolos misisset, vt hospitium præpararent Patribus, & terriculamentis suis priores habitatores inde pellerent. Quin & facultatem impetrabat, in eadem ciuitate Nanquinensi ædificandi templum, cuius frontispicio Tutanus maiusculis characteribus hæc verba inscribi curauit: *Hic prædicatur Dei cælorum vera lex.* & supra ianuam vbi Patres habitabant: *Hic habitant sancti homines, qui ex Occidente venerunt.*

Spectra domum quampiam infestātia, eo eam incolente fugiunt.

Templum Nanquini construit.

49. P. Thomas Sanchez à primo in Societatem aduentu frenum labiis suis imposuit, & magnis passibus perfectionis semitam decurrere instituit. En nonnulla haud vulgaris perfectionis specimina. Si fortè pro re quapiam, leuissimâ licet & nullius momenti, reprehenderetur, aut cuius nulla penes ipsum culpa residebat, tantū abest vt excusationes prætenderit, vt potiùs piscis instar tacuerit, & coram Venerabilissimo Sacramento pro eo qui importunus ei fuisset, deuotiùs orauerit. Imò cùm aliquando violentè & præter rationem maioris noxæ ei culpa impingeretur, voto se eo obstrinxit, numquam vel vnum verbulum in sui excusationem vel defensionem prolaturum. Et verè Deus causam ipsius egit, & rei veritatem, eiusque innocentiam omnibus manifestauit. Contigit (homines enim sumus) semel ei quidpiam pro sui defensione excidisse: cuius tantâ fuit pœnitudine ductus, vt pluribus diebus vel calidissimis lacrymis maculam illam eluere studuerit: quin & Prouinciali quid sibi accidisset perscripserit, supplicans vt ad Nouitiatum relegaretur, quandoquidem tam esset imperfectus, vt nec nomen Religiosi mereretur; & adeò Prouincialem insuper vrsit, vt ad menses nonnullos eò missus fuerit, vbi haud sequiùs quàm si vnius diei Nouitius esset, vitam suam instituit. Numquam in eo vllum vitiosæ curiositatis vestigium apparuit; sed vbique rarissima modestia, & flagrantissimum sumet mortificandi desiderium. Continuè cilicio induebatur, singulisque Iouis, Veneris Sabbatique diebus ieiunabat: neque in hunc computum veniunt ieiunia extra ordinem suscepta, quæ tam erant crebra, vt quotidie penè corpus suum maceraret. Vnâ solùm vice quotdiebus comedebat, idque vesperi, & alternis diebus ex solis herbis & radicibus viuebat; neque vmquam cibos suos sale, oleo vel aceto condiebat, etiamsi essent insipidissimi. Saluatoris nostri & B. Virginis profestis pane & aquâ ieiunabat, totoque Quadragesimæ & Aduentus Dominici tempore solis leguminibus pascebatur, adeò vt meritò miremur, quomodo tanto abstinentiarum atque austeritatum rigore tot tantisque studiis sufficere potuerit. Ab hominibus multum æstimari, ei dolorem; vilipendi verò & derideri, oblectamentum pariebat, quamuis tam propter suas prælectiones publicas, quàm propter libros editos, instar oraculi ab omnibus Academicis haberetur, vt etiā Summus Pontifex Breui Apostolico summis eum laudibus extulerit, & vndique ad eum cōscientiarum casus decidendi adferrentur. Etiam in rebus, de quibus tam solidè & doctè scripsit, Coadiutorum sententias exquirere solebat: & haud rarò propter eam humilitatem Deus per vocem idiotarum etiam difficillimarum quæstionum decisionem suggerebat, quam nec omnibus suis studiis atque subtilitatibus colligere potuisset. Exultabat & exsiliebat præ lætitiâ, si quando occasio daretur Academiæ se Doctoribus vili & abiectâ specie exhibere, quemadmodum faciebat tum, cùm pileum suum Doctoralem inuerteret, & suffulturam, quamuis ea rubra esset, extrà ostenderet. Alio item tempore togâ indutus magnas aquæ amphoras à maiori templo ad publicum vsque carcerem portabat, vt captiui inde reficerentur. Ter sanctissimis nominibus IESV & MARIA, ipsique venerabilissimæ Eucharistiæ admodum erat deuotus, quam & quotidie quinquies reuerentissimè salutabat; die verò Iouis eam salutabat octies, totúmque diem in eiusdem tremendi mysterij meditatione transigebat. Eodem modo agebat continuis octo præcedētibus & octo sequentibus Ven. Sacramenti festum diebus, quotidie binas horas ei meditationi impendens. Hoc nimirum fuit vinum illud pretiosissimum quod germinat virgines, & quod adeò eum castum & continentem efficiebat, vt absque vllo carnis motu aut castitatis dispendio explicare posset res illas quas suis in libris pertractauit.

Minimam labeculam magnâ pœnitentiâ extergit.

Crebberrimè ieiunat.

Ab hominibus vilipendi amat:

atque id fieri omnimodè procurat.

Zach. 9.

50. P. Carolus Charlantinus vir tam raræ erat virtutis & perfectionis speculum viuumque exemplar, vt plura de eo dicenda forent, nisi eius quoque humilitas tanta fuisset, vt plurima heroicarum suarum actionum occultauerit. Peculiari egregius ille senex pollebat gratiâ, emolliendi indurata sceleratissimorum corda; lacrymæ voxque eius prorsus erant validæ. Homo nequam ad ianuam templi cuiusdam (Comi Lombardiæ id fiebat) hostem suum præstolabatur, balistâ manuariâ, quam sub pallio occultam deferebat, traiicere eum volens. P. Carolus casu preces facturus templum illud intrauerat, ibique diuinitus, quid circa hominem illum agerettur edoctus fuit. Eum ergo absque morâ adiens, sic compellat: *Quid, miser, hic expectas? quid, infelix, es facturus? Veni, & me sequere.* simulque manu eius apprehensâ, intra templum eum duxit, ibique ei dixit, *Confitere peccata tua.* Sicarius

Carolus Charlātinus virtutum dines.

Conuertendi peccatores mirâ vi pollet.

Sicarius in furorem primùm agi videbatur, dum propositum suum detectum esse cernebat: & quamuis inuitus, nihilo tamen minùs ductorem suum sequitur tremulus; &, Deo iam cooperante, confitetur, odium & inimicitiam deponit. & vt omnibus constaret, diuinitus P. Carolum ad miserum illum, iam felicem, destinatum fuisse, & ipse Religiosus factus est, perpetuò benefactoris sui gratam memoriam recolens. In eadem Comensi ciuitate Medicus quidam illustris & famosus ob suam experientiæ Medicæ coniunctam probitatem, publicè protestabatur, duos suos filios, grauissimè ægrotos, atque à se reliquisque Medicis iam omnino desperatos, eiusdem P. Caroli benedictione & precibus sanitati fuisse restitutos: ideoque quoscumque ægrotos exhortabatur, vt precibus eiusdem Patris, etiam tum viuentis, se commendarent. Obuios aliquando habebat nonnullos qui feminam quamdam fascino & incantationibus magicis maleficiatam ad Sacerdotem ducebant, vt Ecclesiæ ei exorcismi adhiberentur, P. Carolus re intellectâ, pomum, quod fortè tum penes se habebat, cruce signatum ei offerebat; quod simul atque deglutierat, maximam clauorum, stuppæ, &c. quantitatem euomebat, & ipsomet puncto plenissimè persanabatur.

Varios morbos curat.

51. P. Eleutherius à Ponte, gnosius reuerà S. Ignatij discipulus, homo adeò in Deum absorptus erat, vt continuis ei precibus vniretur, & vix, ad senas iam horas cùm in cubiculi sui vmbilico preces suas immotus planè pertraxisset, ab vnione illâ diuelli se patiebatur, quæ adeò cor eius inflammauerat, vt vel lucidissimi è vultu eius radij coruscare viderentur, & nil aliud quàm profundissima & amorosissima suspiria exaudirentur. Vix dies abibat, quin eleemosynam rogaturus exiret, vt Collegij necessitati subueniretur: & ecce, obuiàm ei aliquando fiebat homo (fortè Angelus) quidam incognitus, qui centum aureos, nihil dicés, ei suppeditabat, statimque se subducebat, vt quis fuerit, vel quò abierit, nedum vnde venerit, sciri numquam potuerit. Charitas in eo rara prorsus erat & admirabilis, & inter reliquas eius virtutes, velut aurum inter metalla, & velut luna inter minora sidera, dum nox est, resplendebat. Cibi sui semper pretiosiorem & lautiorem portionem, etiam dum Collegio præesset, pauperibus reseruabat, nihil sibi retinens quàm insicula & epidorpidas. Si quempiam ægrotare contingeret, qui incisâ venâ sanguinem misisset, singulis propemodum horis ægroti cubiculum adibat, vt de valetudine eius inquireret; quod etiam de nocte factitabat. Cumque Nouitius quidam tenerioris ætatis nonnihil gelidi tremoris in membris suis persensisset, vt plerumque solet ista ætas, quinquies vel sexies cum vnâ nocte inuisit P. Eleutherius, qui tum Tornaci Collegio præerat, adeò vt Nouitius, quò Patrem tanto labore & sollicitudine subleuaret, tandem dormire se finxerit. quod videns bonus ille Pater, ad Nouitij lectum genuflexus aliquanto temporis spatio pro illius reconualescentiâ Deum exorauit. In se vice versâ erat rigidissimus & tantùm non crudelis; adeò vt asperrimo cilicio quotidie indueretur, & flagellis sese durissimè cæderet, quamuis senio adeò extenuatus esset, & exsanguis pellis vix ossibus hæreret. Cùm Parisijs esset, integro anno cilicium gestabat, ne ad semihorulæ, imò ne momenti quidem spatium à corpore illud suo amouerit: quin & vltimis vitæ suæ annis quatuordecim leucas diurno itinere emensus est, idque nudis pedibus, ieiunus, summo æstatis feruore, & cilicio supra dorsum grauatus. Et quamuis in se adeò esset austerus, nihilo tamen minùs erat vnicuique mitissimus & placidissimus sui temporis senex, numquam anxius, nulli molestus, omnes homines magni faciens, se verò solum despectum, abiectum, & nihili reputans, & vt talis ab omnibus haberetur satagés: quem in finem sæpiùs inter pauperes, mendicos & ergastularios, dum Atrebati esset, versabatur, adeò vt primarij ciuitatis illius ciues, sanctitatem eius agnoscentes, captiuorum eum Pastorem ioco appellarent. Quin &, cum vltimo morbo decumberet, Abbas Vedastinus, Præses Concilij Artesiensis, & Capucinorum Guardianus, qui libet publico suorum nomine, benedictionem vltimam ab eo accepturi, veniebant; adeò vel sanctissimis hominibus sanctitatis eius opinio insederat.

Eleutherius à Ponte in oratione & meditationibus assiduus.

Ab Angelo eleemosynam accepit.

Ægrotorum singularem curam agit.

In seipsum aspe. & rigidus.

Alios omnes homines veneratur, se verò despicit.

Etiam religiosissimi eius morituri benedictionem petunt.

52. P. Antonius Posseuinus quos labores in vineâ Christi excolendâ subierit, & quàm egregie meritorum cumulum auxerit, testimonio esse potuerunt, præter infinitos alios è vulgari plebe, triginta quatuor primæ inter hæreticos notæ viri, partim Ministri, partim Primores, quos in Valle Engroniâ (quæ regio hæresi planè infecta erat) ad Catholicam fidem perduxerit; quos & Vercellas eiuratum hæresim misit, prout & feliciter Deo dante euenit. Res sane multi laboris & sudoris, cùm eiusmodi hæretici plerumque sint pertinaciores & obstinatiores. Quæ causa fuit, vt Dux Sabaudiæ & alij nonnulli viri Principes à Summo Pontifice, vt vel Episcopali vel Cardinalitiâ dignitate eum augeret, suis ad Sanctitatem eius scriptis litteris expetierint. Posseuinus quid ageretur subodoratus, Romam rediit: ad Engronianos tamen reuerti iubebatur, vbi mirabilia patrauit. Hæretici eum admodum reueriti, quò suas in partes eum pellicerent, formosissimam ditissimamque puellam ei obtulerunt, cum lautissimo prouentu, quæ tamen Pater ille repudiauit, hæreticorum ineptias summo habens ludibrio. Lugdunum posteà veniens, eodem zelo & feruore fidem tutabatur, adeò vt nonnulli Equites Melitenses, qui aduerterant hæreticos ei insidiari, inscio Posseuino, excubias agerent, & custodes apponerent ne in illorum manus deueniret; quamuis posteà in laqueos ipsorum inciderit, dum ciuitas ab hæreticis illis intercepta fuisset, & vitæ suæ discrimen subierit. Minister enim quidam, nomine Ruffinus, in carcerem ad eum veniebat, cum illo disputaturus, instructus non argumentis, sed armis, comitatus cohorte latronum & sicariorum, bombardam pectori eius admouens, & stentoreâ voce latrans: *Tempus iam venit, quo tibi retractanda & recantanda sunt quæ pro Missæ defensione hactenus dixisti.* Posseuinus, nihil omnino turbatus, verùm sedatissimo & moderatissimo animo respondit: *Tempus iam aduenit, quo mihi sanguine meo obsignanda sunt quæ toties iam pro concionè dixi. Displode audacter, certus quòd numquam animum meum sim mutaturus.* Itali tamen nonnulli modum, quo eum eriperent, & clanculùm è ciuitate dimitterent, adinuenerunt. A Gregorio XIII. ad

Antonius Posseuinus sedulus in Christi vinea laborator.

Dignitates vel maximè fugit.

Hæretici ei insidiantur.

Ab iis tandem capitur, & variè exagitatur.

Liberatur.

A Pontifice in Moscouiā mittitur.

ad Moscouiæ Ducem missus, vt pacē inter eumdem & Regem Poloniæ Sueciæque conciliaret, simul etiam videret, an schismaticum illum populum ad Sedis Apostolicæ submisionem reducere posset; muneri suo haud minùs prudenter quàm feliciter satisfecit. Quantuis enim vel mille se obiicerent difficultates & obstacula, pacem nihilominùs tandem procurauit. Crebrò insuper cum Duce ipso, coram totâ eius Aulâ, de Petri primatu verba habuit, eumque adeò manifestè comprobauit, vt Dux, victum se & prostratum indolens, Papam pastorem esse negauerit. Quo Ducis responso excandescens Posseuinus, tantâ euidentiâ & tantâ vocis orisque maiestate, quæ vel Summum Pontificem deceret, cuius ipse Legatus erat, vt Dux, corrugatis superciliis, sceptrum suum (quod est instar litui solidissimi, in fronte & in extremitate ...bens acutum nodum) leuauerit, Aulicique omnes veriti fuerint ne eum occideret, prout anteà quamplurimis aliis euenerat, etiam proprio illius filio, quem hunc in modum interfecerat; Posseuinus ictum alacriter præstolabatur; sed Princeps iam sedabatur, & rationibus ab eo allatis adeò acquiescebat, vt seorsim illum amplecteretur, quæ res numquam eâ in Aulâ visa fuit; & postero die veniam ab eo petiit eorum quæ pridie in Summum Pontificem dixisset. Porrò Dux ille, captiosè & fraudulenter agens, Posseuinum inuitabat vt templa sua inuiseret, atque ipsemet Palatio suo egressus eum comitari volebat: & iam Archiepiscopum suum subornauerat vt Officium diuinum perageret; hac ratione populo suo persuadere volens, Pontificis Legatum suis erroribus consensisse, quandoquidem precibus & officio diuino illorum interfuisset. Posseuinus hoc subodoratus, adesse noluit. Et quamuis Aulici affirmarent, Ducem hanc iniuriam nullo modo æquis animis laturum, ipse nihilominus in proposito suo constantissimus perstabat. Videns hoc Dux, capillos primùm vellebat, deinde nonnihil secum pensitans, tandem ad Aulam suam eum reuocabat. Vbi cùm venisset Posseuinus, in Ducis præsentiâ incepit cantare *Te Deum laudamus;* quem Hymnum asseclæ eius Gregoriano cantu ad finem vsque prosequebantur. Rogatus à Duce, quare hoc fecisset, liberâ & constanti voce respondit, gratias se agere Deo pro collatâ sibi gratiâ, quòd eius fauore in medio nationis schismaticæ, veritatem & Sedis Apostolicæ honorem tueri potuerit. Rex inde ruborem, reliqui stuporem incurrebant.

Sedis Apostolicæ primatū strenuè ibi defendit, vitæ mortis periculum incurrit.

Schismaticis in Officio diuino communicare detrectat.

Mira eius confidentia.

53. Duo iterùm è Belgico cælo astra adferimus, P. Cornelium Duystium, & Guilielmum Leonem, vtrumque in conuertendis & ad fidem reducendis miseris & Caluini hæresi seductis Hollandis diligentissimum. Sanè P. Cornelius continuis octodecim ibi annis incredibiles pro fide Catholicâ molestias & labores pertulit, totam Hollandiam (quamuis proprius missionis eius locus erat ciuitas Delfensis) & Zelandiam assiduè & impigrè peruagando, nihil quæcumque vitæ moratus discrimina, in quæ non rarò incidit. Ductus enim ad Consulem aliquando Delfensem, vt facti sui rationem redderet, quòd cōfessiones nonnullorum excepisse deprehensus fuisset, facie inde rediit tam serenâ & splendidâ, vt qui ei obuiarent mirarētur, & amici eius per dies aliquot exsatiari non possent intuitu tanti diuini & cælestis splendoris, qui animæ eius sanctitatem & puritatem indicabat, & post obitum quoque eius ei adhæsit, miraculis ab obitu suo patratis illustris. P. Guilielmus verò Leo tam ferventer orationi insistebat, vt crebrò splendidissimâ & lucidissimâ quasi nube vestitus videretur: quod dum animaduertisset, abditissimos angulos & recessus ædium, ne à quoquam conspici posset, seligebat. Quin & diuinitus intima ei hominum secreta reuelata fuisse, vel vnicum hoc exemplum sat indicat. Puellæ duæ Hollandæ, hæreseos & vanitatis mundi pertæsæ, decreuerant quamdam vitæ suscipere conditionem, vbi meliùs animabus suis consultum foret, eumque in finem P. Guilielmum, mentem suam ei exposituræ, accedebant: sed vix ipsæmet ora sua soluerunt, cùm ecce quidquid intra se decreuissent, quantumuis ne vni quidem mortalium suum consilium exposuissent, solidè & accuratissimè ipse enarraret.

Cornelius Duyst Hollādis conuertēdis operam dat.

Guilielmus Leo secretæ orationi deditissimus.

Secreta hominum diuinitus cognoscit.

Vnum tantùm addo, & ad Martyres deuenio. 54
Hic fuit P. Sebastianus Barradas, vir profectò tantæ sanctitatis, vt parem sibi habere, quamuis non negem, absolutè affirmare non audeam. Saltem mihi non constat. Humilitatem, verum veræ celsitudinis fundamentum, ad miraculum vsque excoluit, vt vix imitabili quadam dexteritate omnia sua bona opera occultare nouerit. Nec minor in eo erat amor diuinus, qui adeò in pectore eius ebulliebat, vt, quamuis vel maximè conaretur, eum celare atque dissimulare nullatenus valeret, vtpote cuius effectus essent vehementissimi, vt etiam tantos inde languores contraxerit, vt animam exhalaturus videretur. Adhibitus fuit Medicus experientissimus, vt quid morbi lateret exploraret: verùm ille, arteriarum pulsu & pectoris motu examinato, Vtinam, inquiebat, languoris huius ego essem particeps! Amoris diuini opus est, & Galenus noster eâ in re nihil valet. Deuotio ipsius maximè conspiciebatur in cultu venerabilissimi Altaris Sacramenti, & tum præcipuè quando Sacris operabatur, vbi nimirum crebrò extasim patiebatur, vt qui ei ministrabat, tunicæ eius attractu, eum ad seipsum reuocare necesse habuerit. Horarum recitationi, sub vitæ finem præcipuè, quatuor vel quinque horas impendebat, idque tanto animi feruore, vt de Medicorum consilio id ei inhibendum fuerit, quam inhibitionem sanctissimâ quadam impatientiâ tulit, & piissimâ animi ægritudine. Orationis tamen in eo studium nequidquam imminutum fuit, cui tam pertinaciter inhærebat, vt ne momentum transierit quin illud vel maximopere exerceret. Et haud rarò ab eo, qui cubiculi eius curam habebat, deprehensus est omnino sublevatus à terrâ, manibus cælum versus expansis, facie intensâ, & adeò Deo mente infixâ, vt lectus eius compositus, & totum cubiculum purgatum fuerit, ipso minimè aduertente; & si eo in statu se deprehensum persentisceret, piè totus erubescebat. Cùm aliquando de inferni tormentis meditationem instituisset, tam intimè & viuaciter eam sensit, vt desistere ab incepto oportuerit, quia, vt ipsemet suis familiaribus edixerat, animam & spiritum omnino se perdere videbatur. Nec tamen adeò orationi præter licitam discretionem insistebat,

Sebastianus Barradas.

Humilitatem coluit.

Amore diuino ad mortē vsque languet.

Extasim inter celebrandum patitur.

Orationem frequentat.

vt mortificationis oblitus fuerit: hæ duæ enim virtutes sunt sorores collactaneæ, & oratio absq; mortificatione arbor est sterilis & infecunda quæ præter nuda folia nihil profert aliud. Vlissibonam venerat vt secundum scriptorum suorum Tomum ederet, vbi nonnulli proximè eum habitantes aduerterunt, quot-noctibus eum horâ duodecimâ surgere & productiore disciplinâ sese macerare: orare inde & meditari ad horam vsque primam, suamque porrò orationem condire, velut sapidissimo quodam aromate, aliâ disciplinâ, atque tum orationi iterùm vacare vsque ad horam secundam, intermixtis amorosissimis cum Christo Iesu colloquiis, quibus tertiâ quadam disciplinâ finem imponebat. Et semel dum se flagellaret, auditus est sibimetipsi dicere, *Barrada, Barrada, an tu concionaris? vide quomodo te oporteat concionari.* Creditur, quia pridie concionem habuerat vnde maximam laudem consecutus fuerat, hoc modo vanam in se gloriam repressisse. Cùm aliquando domum reuerteretur, & lectum suum molliùs solito agitatum & compositum deprehendisset, ad hortum abiit & rudes carpsit vrticas, easque lecto suo inspersit, super iisdem indormiens; quod sæpiùs eum factitasse constat. Paupertatis denique sanctæ & Apostolicæ amator erat tenerrimus, vt etiam in minimis ea eluceret; & quod concionando aliis persuadere volebat, in se primò teipsâ experiretur, ideoque eius conciones medullas & ossa quorumcumque penetrabant. Cùm enim tempore Quadragesimali anno 1592. auditoribus suis mundi vanitatem exposuisset, quidam ex FF. Minorum de Obseruantiâ Ordine sacro, intimè permotus dixit: *Iesuitis alterutrum faciendum est, aut à concionando reprimendus P. Barradas, aut omnes, quos ille mundum despicere docuerit, ad Societatem eorum admittendi.* Quòd si eorū, qui per concionū eius feruorem à peccatis ad meliorem frugem, à mundi vanitatibus ad religiosam tenuitatem se contulerint, mētionem facere vellē, prolixior quidā catalogus mihi scribendus esset.

Rara & vix imitabilia eius pietatis exercitia.

Mirū Franciscani cuiusdam de eo elogium.

55. Sunt & alij insignes & primæ notæ Patres, qui suis laboribus & perfectionibus Ecclesiæ thesaurum immensùm auxerunt, nimirum P. Franciscus Suarez, Alphonsus Rodriguez, Andreas Ortia, P. Franciscus Costerus Mechliniensis, Card. Bellarminus, & denique Brabantus noster Ioannes Berckman; verùm prolixitas, quæ in virtutibus illorum describendis & recensendis caueri minimè posset, modò mihi silentium imponit. Superest vt etiam nonnullos recenseam, qui sanguine suo amorem suum erga Deum, fidem Catholicam, & Romanæ Ecclesiæ dignitatem atque authoritatem defenderunt, & sublimem & immarcescibilem martyrij coronam adepti sunt, quos inter primus veluti choragus quidam se offert P. Antonius Criminalis, qui à S. Francisco Xauerio ad Comorinensem Prouinciam missus, vineam Christi immensis laboribus excoluit. Præter enim odium quo in eum debacchabantur Gentilium Brachmanes, præter etiam extremam paupertatem & indigentiam omnium rerum quâ premebatur, corpus insuper rigidè castigabat. Somnum, qui ei erat parcissimus, super duram humum capiebat, parum omnino comedebat, & nihilominùs singulis mensibus, tractum illum animarum zelo percurrēdo, ducentarum leucarum iter nudis pedibus emetiebatur: & quamuis labor hic esset vel molestissimus, non tamen tantus fuit, vt à familiaritate Dei abstrahere potuerit, aut impedire quò minùs quotidie quadragesies flexis poplitibus Deo optimo maximo feruentissimas ex imo pectoris & cordis scrinio preces obtulerit. Tandem cùm quamplurimos ad Christi fidem perduxisset, Deus illi præmium laboris reddere volens, hac eum occasione ad martyrium perferendum adduxit. Erat P. Antonius in oppido Remanancor, cùm ecce vicini Gentiles è Regno Narsingâ illam ciuitatem obsessuri veniunt, & miseros Christianos trucidaturi. Lusitani, qui arcem insidebant, defectu pulueris tormentarij se defendēdo non esse animaduertentes, oppidum deserere, & miseros incolas idololatrarum ludibrio exponere parabant, nec quidquam P. Antonio, vt pacem à Gentilibus peterent, suadente; superbia enim (non enim erat generositas) Præfecti & Lusitanorū tam erat obstinata, vt pauperes illos Neo-christianos lanienæ & cædibus exponere mallent, quàm ab hoste, cui tamen resistendo non erant, pacem expetere. In naues ergo suas se condiderunt, atque inde abierunt. Quid iam tu, P. Criminalis? an & tu ouiculas tuas, tam tenerè à te dilectas, tam sollicitè à te nutritas, tam studiosè à te fotas, deseris? an & tu cum reliquis, mercenariorum instar, tuæ potiùs quàm ouicularum vitæ & saluti consulis? Ita quidam vrgentibus precibus à te fieri volebant Lusitani: sed tu potiùs audis lacrymas & gemitus miserorum, quàm superbas & inflatas Lusitanorum rationes. Vitam ergo pro suis ouibus positurus, manet bonus pastor, Sacrificium eodem die Deo offert, pro salute populi supplicat, vitamque suam in sacrificium Altissimo exhibet. Oratione factâ, ad maris ripam se confert, & tot Christianos, quot nauibus capi poterāt, ablegat & ad tutiora mittit; atque interim Barbari oppidulo fiunt viciniores, quibus P. Criminalis vultu interrito prodit obuiàm, promptior mortem perferre quàm hostes eam inferre. Vix ad arcus iactum prima hostium phalanx aberat, & ecce ipso inspectante crudelissimè interpres eius, homo prudentissimus, trucidatur: quo viso, in genua se submittit, manus ad cælum subleuat, & ad orationem faciendam se componit. Transit prima hostium phalanx, nihil ei damni inferens, nisi quòd pileolum suum ipsi quispiam auferret. Transit & secunda, innoxio ipso. Sed iam tertium agmen, quod è Sarracenis potissimùm cōstabat & Mahometanis, aderat, visoque Christi præcone, vnus ex illo, quem odium, quo gens illa aduersus Iesu Christi nomen fertur, incenderat, spiculo latus & intestina eius perforat. Reliqui mortuum eum esse rati, laceram quâ induebatur tunicam ei auferre parant: verùm P. Criminalis vitâ & animo integer, eam ipsemet exuit, atque super camisiam suam, sanguine totam infectam, hostibus offert, vt nudus, velut Magister suus Christus, mori posset. Surgit porrò, & ad templum quoddam, ire parat; sed immanes illi homines non homines, rati ipsum fugam meditari, eum insequuntur: quod ipse animaduertens, hostibus se hilari animo obuertit, & genuflexus secundum & tertium ictum excipit, vt inde concideret, & statim caput eius

Antonius Criminalis Societatis Iesu proto-Martyr. Extrema eius paupertas.

Summi eius pro Christi fide propagādā labores.

Lusitani cuiusdam præpostera cōcepta fortitudo, vel potius superbia.

P. Criminalis vltrò se hostibus offert.

A barbaris barbarè trucidatur.

amputatur, quod cum indusio, trophæi instar, ab hostibus aufertur, vt idolo Tricandor offeretur. Lusitani posteà reuersi corpus eius terræ mandarunt.

Alphonsus à Castro à nautis Mahometanis proditur.

56. P. Alphonsus à Castro Vlissipone Goam profectus, à S. Fracisco Xauerio ad insulas Moluccas missus, plurimum ibi pro fidei Christianæ propagatione laborauit. Exactis tandem in vineæ Catholicæ culturâ nouê annis, vineæ Dominus, denarium diurnum ei reddere volens, ad Iridem insulam, quæ Ternatæ regno est proxima, eum vocauit. Nautæ, quibuscum ad insulam illam proficiscebatur, erant Mahometani, qui arbitrati se Ternatę Regi gratissimum obsequium facturos, P. Alphonsum contra fidem datam & omne ius Gentium, vestibus omnibus exutum antennæ alligarunt; vbi integro quintiduo omnibus cæli aerisque iniuriis expositus hæsit. Quia verò constitutionis erat tenerrimæ, veriti homicidæ ne morte suâ illorum rabiem præuerteret, statim atque appulerunt, ab antennâ eum demiserunt, & filio Regis Ternatæ exhibuerunt: qui motus compassione, propriâ eum tunicâ induit; verùm crudelissimi illi nebulones eam ei ademerunt, alligato ad collum eius pôderosissimo viridis ligni trunco, religatisque ad dorsum manibus, per saxa, per rupes eum raptarunt, hôc modo per triduum noctu diuque eum nudum omnino dio exponentes, Alphonso interim æstu diurno, frigoreque nocturno pænè enecato, & sceleratis incessanter, vt eiurato Christo Mahometum coleret, instantibus: cumq; nullo modo acquiesceret, duobus eum carnificibus interficiendum tradiderunt. Hi eum huc illuc pertraxerunt, donec ipsemet locum eis nequitiæ suæ patrandæ designasset: quò adductus, vt manus sibi permitteret rogauit, quandoquidem ob nimiam debilitatem elabi nequiret. Quam gratiam impetrauit, manibusque oculisque in cælum versis, aliquamdiu orauit, animam suam Deo commendans; inde ad carnifices conuersus, *Agite*, inquiebat, *quodcumque placet facite.* & statim alter illorum acinacem per latus eius adegit, quod & alter faciebat, hunc in modum crudelissimè illum trucidantes. Corpus ipsius in mare proiecerût, ne à Christianis reperiri posset: sed diuinitus ad ripam ductû, magno splêdore circumdatum, triduo pòst repertû fuit, vulneribus adeò recentibus, ac si eodem primùm momento occisus fuisset, quamuis eo in loco maris æstus adeò sit rapidus, vt vel impetuosissimum flumen cursu suo longè superet.

Capite plectitur.

57. Sed nemo sibi persuadeat, mei esse instituti, omnes sanctissimi illius Sodalitij Martyres hunc in Librum infarcire (hoc enim non peculiarem solùm Tractatum, sed vel integra volumina requireret) sed præcipuos solummodò seligimus, vt ex illorum egregiè pro Ecclesiâ & honore diuino exantlatis laboribus & certaminibus quantum Ecclesiæ & Indulgentiarum thesauro accesserit, & quantum S. Ignatius Loyola per suos fidelibus tum viuis tum defunctis profuerit, prosit, & profuturus sit, Lectori tenuiter ob oculos statuamus: cui colligendum relinquimus, quantum commodi & vtilitatis è toto isto Societatis Iesu corpore expectandum sit, si pauculos hosce, quos in medium proferimus, mirari eum contingit. Pergimus igitur, & nonnullos saltem ex amœnissimo illo & fertilissimo viridario flosculos decerpimus, eosque Lectori quasi vno in fasciculo offerimus. Statim igitur atque R. P. Franciscus Borgia, cuius suprà mentionem fecimus, vniuersæ Societati præfectus fuisset, P. Ignatium de Azeuedo Brasiliam versus destinauit, vt quis Societatis ibi esset status cognosceret. Hic à Generali suo suppliciter petebat, vt secum mitterentur illi qui vltrò ad istud iter se offerrent, quorum numerus ad sexaginta vsque nouem excrescebat. Cumque hoc impetrasset, in tria eosdem nauigia dispertitus est In vno, cui nomen S. Iacobo erat, & quod ipsemet instruxerat, vehebatur P. Azeuedo cum quadragintaquatuor Patribus, P. Petrus Diaz in Prætoriâ cum viginti Sociis, reliqui in naui dictâ orphanorum vehebantur, quòd in eâ multi essent orphani, qui coloniæ causâ in Brasiliam mittebantur. Classis hæc intra septimum diem ad insulam Maderam appellebat. P. Azeuedo, quia eius in naui merces nonnullæ erant quæ in insulâ Palmariâ (quæ vna est ex Fortunatis, vt vocant) exponendæ erant, à reliquâ classe seiunctus erat: cumque in insulâ illâ nonnihil ei hærendum esset, mirum est quantâ animi contentione eius Socij martyrium expetierint, adeò vt vix aliud quispiam ex illis audiret, quàm: *O vtinam hanc à Deo gratiam obtineremus, vt hac in insulâ Palmariâ palmam martyrij, quam longè quæsitum imus, consequeremur! O vtinam hæ nobis insulæ fortunatæ euaderent!* Audiit Deus vota, & exaudiit. Vix enim portu illo, vt reliquam classem insequerentur, soluerant, cùm ecce procul ingentem nauem rectâ ad se deferri videt, quam sequebantur minores aliæ quatuor, Gallorum insignia præ se ferentes. Et verè classis illa famosissimi cuiusdam piratæ erat qui Iacobus Sore vocabatur, & Caluinista pessimus, iuratissimusq; hostis erat Catholicorum, & præcipuè Iesuitarum, vt mox patebit. P. Azeuedo manifestum periculum videns, milites ad fortiter agendum exhortabatur, suos verò Socios vt ad patiendum, & ad Christianè pro Christi amore moriendum se præpararent. Confestim omnes in genua procidentes, leuatisque ad cælum manibus, animosè, & præ deuotione lacrymabundis oculis ingeminabant: *Amen, Domine, amen, voluntas tua fiat.* Interim pirata naui fiebat propior, quam & inuadebat, & tandem occupabat. P. Azeuedo, dum pugnaretur, continuè milites ad fortitudinem hortabatur, in manibus suis eleuatam gerens effigiem S. Mariæ Maioris, inclamans: *Moriamur, amici, moriamur omnes pro seruitio Dei Saluatoris nostri & pro confessione fidei, cuius hi sunt hostes infensissimi.* E Caluinianis vnus, qui nauem cum reliquis conscenderat, hæc audiens, tam validum ense ictum capiti Azeuedi incussit, vt ad cerebrum vsque caput finderetur; nihilo tamen inde factus fuit languidior, donec tribus hastarum ictibus latera eius perforarentur: vbi iam se lethaliter vulneratum sentiens, concidit, & clarissimâ quâ potuit voce exclamauit: *Testes mihi sint homines & Angeli, quòd moriar pro defensione sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ, & omnium quæ illa credit & docet.* Animum quoque suis addebat, dicês, gratias iis esse agendas Deo pro tantâ quam illis côcederet gratiâ, quòd eos sanguinem suum pro eius amore profundere permitteret. Caluiniani, quamuis vel maximè molirentur, imaginem B. Virginis è manibus eius extorquere non poterant;

Ignatius de Azeuedo in Indiam occidentalem mittitur.

Item P. Petrus Diaz.

Azeuedo à piratis inuaditur Caluinianis.

Suos ad fortiter pro Christo moriendum hortatur.

Letaliter vulneratur.

Pro fidei defensione se mori protestatur.

rant; proinde vnà cum illâ in mare eum proiecerunt.

58. P. Benedictus à Castro, cuius munus erat Nouitios instruere, hæc audiens, ab oratione, quam securus faciebat, surrexit, arreptoque Crucifixo eum Caluinianis ostendit inquiens: *Catholicus sum, & filius Ecclesiæ Romanæ, mori volo prout & hic.* Caluiniani tres in illum bombardas disploserūt; & cùm idem dicere nō cessaret, variè gladiis eum cæsum & punctum in mare proiecerunt. Alius eiusdem Societatis (Emanuel Aluarez vocabatur) quòd audacter Caluinianos ob suam cæcitatem & pertinaciam in malo obiurgasset, in facie vulneratus, supra nauem concidit; cuius brachia & tibias furiosi isti perfregerunt, vt maiora tormenta sentiret. Sic iam comminutus, ad Socios suos conuersus aiebat: *Attendite Fratres; libens enim profiteor, tantum bonum me numquam fuisse promeritum: decennium iam abiit, quo à Deo hoc versus Brasiliam iter expetij, & labores meos tam felici fine sat compensatos arbitror.* Caluiniani hæc audientes præ irâ insanire videbantur, ideoq; & hunc protinus in mare abiecerūt. Inuentis porrò duobus aliis qui coram imagine quadam precabantur, quod nimirū delicatuli illi hæretici adeò exhorrent, alterius, qui Blasius Ribera appellabatur, caput gladij pomo conterebant, vt cerebrum ad nauis solium decideret; alterius verò, quem Petrum Fonsecam vocabant, maxillis contusis, linguam exsciderunt. P. Iacobus Andrada interim nonnullorum, qui ad mortem se præparabant, confessiones excipere deprehendebatur; qui videns irruentes Caluinianas bestias, *Parate*, inquiebat, *animas vestras ad mortem, redemptio enim vestra aduenit:* statim & ille pugionibus cōfossus in mare proiiciebatur. Gregorius Scriba & Aluarus Mendez febri laborantes in lecto iacebāt, eâ tamen excussâ martyrij desiderio, vltrò prosilierunt & morti se obtulerunt, quam & velut reliqui adepti sunt. Iuuenis quidam octodecim tantùm annorum, cuius nomen erat Simon Acosta, quem Nobilem aliquem ex vultus venustate arbitrabātur, ad hostilem nauem ducebatur; quem Archipirata inspiciens, nec Iesuitam esse ratus, rogabat an Sacerdos esset. Hic cùm simplici & verâ negatione mortem euadere potuisset, liberè tamē se Societatis filium profitebatur, & Socium illorum qui pro fide Catholicâ Apostolicâ mortem oppeterent. Vnde archipirata irâ succensus, laqueo eum suffocari & in mare abiici iussit.

Benedictus à Castro vltrò se Caluinianorum gladiis obiicit.

Emanuel Aluarez Caluinianos increpat, & ideò occiditur.

Blasius Ribera linguâ mutilatur.

Iacobus Andrada pugionibus confoditur.

Gregorius Scriba & Aluarus Mēdez in mare præcipitantur.

Simon Acosta Iesuitā se esse liberè profitetur.

59. Interim & reliqui qui in naue erant Patres, vt triumpho piratarum inseruirent, colligebantur: verùm Archipirata audiens adhuc nonnullos Iesuitas in viuis superesse, quasi Furiis agitatus inclamabat: *Occidite, occidite omnes illos nebulones, qui Brasiliam versus eunt vt Papismum ibi disseminent.* & suâ naui propiùs accedens, militibus suis dicebat: *Proiicite canes illos Iesuitas in mare.* Quod & milites, tali Duce digni, tam strenuè exequebantur, vt binos & binos colligatos, ad nauis marginem adductos, tunicis suis exutos, pugionibusque confossos, in mare tādem proiecerint. Iam tu mihi, Lector, benignum illum Caluinismi & quinti scilicet Euangelij spiritum attende. Hunc ergo in modum quadraginta è Societate Patres, plerique Nouitij, ab Archipiratâ illo interfecti sunt, nullam sanè aliam ob causam (nec enim vmquam bestiam illam offenderāt) quàm quòd Euangelij causâ Brasiliam proficiscerentur. Et sanè diuini consilij fuit, vt vnus Ioannes Sanchez, qui coquum agebat, in viuis seruaretur, non tam vt Archipiratæ in eius culinâ inseruiret, quàm vt, cum reliquis Lusitanis laicis qui vitâ donabātur, Martyribus hisce illustrissimi sui certaminis testis esset. Nomina interfectorum hæc sunt: P. Ignatius Aceuedo, Benedictus à Castro, Emanuel Aluarez, Blasius Ribera, Petrus Fōseca, Didacus Andrada, Gregorius Scribanius, Aluarus Mendezius, Simon Acosta, Franciscus Aluarus, Dominicus Fernandez, Alphonsus Vena, Gonsaluus Henriquez, Ioan. Ferdinandus de Braga, Ioannes Ferdinandi, Ioannes Mayorga, Alexius Delgado, Ludouicus Correa, Emanuel Rodriguez, Simon Lopez, Emanuel Ferdinandez, Petrus Muñez, Franciscus Magellan, Nicolaus Dinyo, Gasparus Aluarus, Antonius Fernandi, Emanuel Pacieco, Petrus de Fontaura, Andreas Consaluus, Amatus Vasquius, Iacobus Peresius, Ioannes Baeza, Antonius Correa, Marcus Caldera, Ferdinandus Sanchez, Franciscus Peresius, Antonius Suarez, Ioannes Zauca, Ioannes de S. Martino, Ioannes quidam iuuenis, qui se reliquis in naui adiungebat, Stephanus Zucaire.

Reliquorum simul occisorum nomina.

Dixi anteà, P. Diazium cum aliis nouemdecim in Prætoriâ, & P. Franciscum Castrium in naui Orphanorum cum octo Patribus Brasiliam versus nauigasse. Classis illa (cum aliis enim nauibus simul nauigabant) vi tempestatum planè dissipata fuit, & plerique iam immensis pelagi vorticibus hausti & absorpti erāt, & P. Castrius cum aliis nonnullis Patribus, ad quatuordecim vsque, in Terceras insulas appulerat. Hi mense Septembri inde soluentes, in eamdem piraticam nauem, quæ Iacobi Sore fuerat, incidit, cui iam alius pirata Caluinianus præerat qui Ioannes Capdeuille appellabatur, homo æquè bonus, & Catholicis perinde amicus atque alter iste Sore. Patres Societatis statim omnes eos qui in naui erāt exhortabantur, vt de animâ cogitarent, & statim ipse Archiprætor vel Ammiralius cōfessus fuit, quem reliqui in naui sequebantur. Quamuis verò Lusitani se generosè defenderent, & multa damna piratis inferrent, tandem tamen potestati hæreticorum cesserunt. Eo ipso momento, quo hæretici nauem occupabant, P. Castrius confessionem excipiebat cuiusdam nautæ qui in agone erat: vnde Sacerdos esse agnitus, statim ab hæreticis interfectus fuit: idem euenit P. Diazio, & Gaspari Goezio, quem sibi P. Diaz, quòd admodum adhuc ille iuuenis esset, assumpserat ne peruerti posset; sicque vestibus exuti in mare proiecti fuerunt. Reliqui vndecim qui in inferiore parte nauis erant, ascendebant, sese inuicem ad fortiter moriendum exhortantes, eumque in finem, vt eiusdem Religionis esse, cuius fuerant tres priores, dignosci possent, ab aliis seorsim stabant. Hæretici, postquam variis illos conuitiis exagitassent, & calcibus impetiissent, alapisque & pugnis contudissent, ligatis ad terga illorum manibus, in separatum quemdam locum eos recluserunt. Et quia fortiùs duriusque constricti erant, contigit, vt Michael quidam, quòd paulò antè in brachio læsus esset, suspirium emiserit, quod adeò inhumanos illos piratas ad compassionem minimè flexit, vt potiùs exacerbarit, vsq; adeò

60. *Petrus Diazius & Franciscus Castrius in Terceras appellunt.*

Ab hæreticis occiduntur. Item Gaspar Goezius.

Alij item vndecim.

Item Michael quidam.

adeò vt statim eum in mare præcipitarint, adiuncto ei socio Francisco Pauli; qui ambo feliciter agonem suum absoluerunt: reliqui totâ illâ nocte & diei insequentis bona parte, sine cibo & potu in vinculis detinebantur, atque interim iniuriis, minis & alapis salutabantur, coacti audire ab hæreticis sibi dici: *O vos nebulones Papistæ, impostores! vos soli in culpâ estis quò minùs vna fides & religio in mundo habeatur:* ad quod illi planè obmutescebant. Verùm dum mille blasphemias in Deum & Ecclesiam euomerent hæretici, generosè respondebant, & impietatem illorum redarguebant. Vnde hæretici irritati, non valentes sufferre à captiuis sibi sua scelera exprobrari, dirissimè in eos sæuiebant, præcipuè verò in Sacerdotes, haud secùs sacras illorum coronas ictibus tundendo, quàm si ferrum aliquod super incudem tractarent. Cumque P. Alfonsus Fernandi aliquantò liberiùs in vnum ex illis dixisset, ab eodem audiit: *Ob hoc solum quod iam dixisti moriendum tibi est.* Respondit Alfonsus: *Non solum ego, sed omnes nos quotquot sumus, nihil aliud quàm mortem pro tam iustâ causâ oppetere desideramus.* Hoc dicto, præ rabie spumasse vidisses hæreticos, qui & illos omnes, togis suis exutos, maximo impetu in mare deiecerunt; è quibus tamen duo natādo euaserunt, à nescio quibus in scapham recepti: qui verò martyrio vitam finierunt hi sunt: P. Franciscus Castrius, Petrus Diaz, Gaspar Goës, Michael Aragonius, Petrus Fernandes, Franciscus Pauli, Ioannes Aluarus, Alfonsus Fernandes, Andreas Païs, & alius Petrus Diaz. Sebastianus Lopes & Iacobus Fernandi in Lusitaniam redierūt.

& Frăciscus Pauli;

quòd hæreticos ob calumnias in Deum & Ecclesiam increpassent:

premit & Alfonsus Fernandi.

61\. Non prætermittēdus mihi est ille, quem tanti fecit sancta nostra Mater Teresia, P. Martinus, inquam, Gutierres, qui adeò se humilitati deuouerat, vt cùm anno 1561. Salmanticæ, vbi Collegio præerat, omnia Hospitalia ægris & morbidis plena essent, & eius iussu bini è Societate quotidie per continuos quadraginta dies eisdem manè & vesperi inseruire deberēt, ipse primus, velut animosus capitaneus ad id muneris se demiserit. Ipse cubicula verrebat, lectos agitabat, imò, posito pallio, è proximo ciuitati fluuio aquam hauriebat, eamque in vrceo humeris imposito per mediam ciuitatem deferebat. Et veluti prodigium quoddam obseruatum fuit, neminem è Patribus Societatis, quantumuis morbi essent contagiosissimi, ab iisdem simile correptum; imò omnes ægrotos, nemine moriente qui intra istos quadraginta dies in Hospitali decubuerant, sanitati restitutos fuisse, quod nemo nō charitati P. Gutierresij & Sociorum eius adscribebat. Et quod meritò quis miretur, tanti habebatur ab omnibus, vt Pastores & Capellani, posito pudore, eius se disciplinæ traderent, ad eius scholam itarent, & ab eo quomodo in pastorali munere se gererent, & quomodo Sacramenta administrare deberent, instrui peterent. B. Virgini Deiparæ erat deuotissimus, à quâ & redamari & visibili eius apparitione refici meruit. Contigit aliquando, quòd eadem Cæli Regina habitu Regali se ei conspiciendam exhibuerit, habitu inquam pretiosissimo, vnionibus & gemmis instructissimo, gemmis solis instar relucentibus, & sub pallio eius Regali, quod expansum cernebat, contutabantur illa Societatis alumnos, ei significans, se illorum esse matrem, eosq; omnes in suam protectionem suscepisse, veluti gallinam pullos suos. Quin & aliquando ei actum gratias veniebat, quòd P. Francisco Suarezio auctor fuerit, vt primâ suâ prælectione publicâ professus fuerit, plus gratiarum & donorum eam solam recepisse quàm reliquos omnes Sanctos simul. Hic cùm Romam pro electione noui Generalis proficisceretur, & Gasconiam transiret, ab hæreticis Caluinianis captus, & adeò crudeliter cæsus est, vt in carcere vitam cum morte commutauerit; quod mortis genus octiduo antè ei B. Virgo prædixerat. S. Mater nostra Teresia longè inde in Hispaniâ existens, animam eius in ipso mortis articulo vidit ouantem & Martyrum aureolâ donatam cælum rectà conscendere.

Martinus Gutierrez erga ægros humanissimus.

B. Virgo Deiparavi apparet.

Patres Societatis sub tutelâ sunt B. Virginis.

Ab hæreticis captus in carcere moritur.

Georgius Fernandez & Gomesius Damaralle in Moluccis insulis operam dabant excipiendis Christianorum confessionibus, cùm à Taibus, barbarâ crudelique gente, & Christiano nomini inimicissimâ, trucidarentur. 62.

Georgius Fernandez, & Gomesius Damaralle in Indiis martyrio occumbunt.

Rodulphus Aquauiua, illustrissimâ familiâ oriundus, & in Aulâ Pontificiâ ad eximiam dignitatem euectus, cùm aliquando Missam audiret in Domo Societatis professâ, in quâ eius auunculus P. Claudius Aquauiua degebat, adeò se cælesti & diuino quodam intus igne succendi sentiebat, vt ad mundi contemptum vrgeretur: quod simul atque in animo suo firmiter decreuisset, incredibilem superfundi sibi lætitiam expertus est, vt eam etiam exteriùs dissimulare nequiret. Ingressus igitur Domum, audiensque auunculum suum cum reliquis Nouitiis exercitio spirituali interesse, monstrato sibi à quodam illo vbi erant cubiculo, rectà eò vadens subitò intrauit, atque illis se admiscuit, pedes eorum exosculatus, & vt pro se orarent, quò in Societatem recipi posset, rogans. Nec ampliùs Domo exire voluit, quamuis Generalis P. Franciscus à Borgiâ admodùm allaboraret. Pater Rodulphi, qui Dux erat Atriensis, hac re intellectâ, quemdam è suis amicis, virum sanè eminentissimum, cum aliis misit, vt quoquo modo animum eius mutarent, & secum adducerent; verùm ille omnes illorum conatus rationibus potiùs diuinis quàm humanis dexterrimè eludebat, donec tandem P. Generalis illi diceret necessariò eum ad patrem suum reuerti debere. Huic obediuit, ne se, quo minùs posthac in Societatem recipi mereretur, indignum præstaret, atque: *Pater, ex hoc me iam receptum æstimo, quādoquidem mihi velut subdito tuo præcipis, ideoque actutum obedire volo, vt specimen exhibeam obedientiæ quam toto vitæ meæ tempore vobis præstare decretum est.* Ad paternam igitur domum rediit, vbi diebus aliquot agebat cogitabundus, subtristis & melancholicus, adeò vt omnino macresceret, & de die in diem velut consumeretur. Dux eius pater hæc animaduertēs ei dicebat, nolle se piis eius conatibus obesse, faceret itaq; quod sibi esset collibitum. Rodulphus hoc iam patris consensu impetrato haud vltrà rem differebat, sed dexteritate quadam domo se paternâ honestè subtrahens, rectà ad Societatis Domum solus & habitu vulgari abiit, nullo secum famulo adducto, quæ res sanè in tam illustri homine miranda fuit: aduocatoq; P. Generali, statim atque illum vidit, rectà ad illum cucurrit præ gaudio lacrymas fundens, & sublatâ voce ingeminans: *Victoria, victoria, peruicimus.* & sic tandem receptus

Rodulphus Aquauiua magnus est in Aulâ Pontificia.

In Societatë se pij intrudit.

A Parente in suo domum reuocatur,

& inuitus, iussus tamen à Generali, domū redit.

Mærore ideo contabescēs, patris cōsensum impetrat,

& à Generali in Societate recipitur.

ptus fuit magno Patrum Societatis gaudio, qui constantiam & humilitatem nobilissimi huius iuuenis admirabantur. Annis iam aliquot in Societate piissimè exa[illegible]is, facultatem impetrauit ad Indias proficisci, vbi martyrij coronam sibi pollicebatur: nec diu post eius Goam aduentum Rex Mogor per litteras & Legatos aliquos Societatis Patres euocabat, vt ab iis in præcipuis Religionis nostræ capitibus instrueretur; quos inter etiam mittebatur Rodulphus, qui integro triennio in Aulâ istius Monarchæ hærebat, adeò ab illo adamatus, vt ab ipsomet sæpiùs inuiseretur, facultate sibi concessâ baptizandi quoscumque illius subditos. Et quamuis Rex ille videret, Legem nostram absolutè esse meliorem, nimius tamen affectus quo tenebatur erga voluptates, & præcipuè feminarum pluralitatem, eum auocabat. Cumque Mahometani Sacerdotes P. Rodulpho mortem inferre machinarentur, Rex ei custodes addere volebat; quod tamen ille recusauit, inquiens, nihil se habere optatius, quàm pro veritate, quam annuntiaret, mortem oppetere. Interim dum in aulâ illâ degeret, plerumque nil præter siccum panem comedebat, & solam aquam bibebat, humique dormiebat, & potiorem noctis dieiq; partem orationi impendebat, & vt summatim dicam, adeò sanctè vitam instituebat suam, vt ipsi etiam Mahometani Angelum eum appellitarent. Videns tandem, in Regis conuersione se nihil omnino proficere, abeundi licentiâ impetratâ, Goam reuersus est; vnde ad Salsetanam, insulam tribus milliaribus inde distãtem, mittebatur, vbi cum P. Alfonso Pacieco, & Petro Berne Italis & quibusdam aliis, fidem Christianam strenuè disseminare incipiebat. Verũ incolæ Lusitanis iam propter nescio quæ bella, quorum vulnera apud ipsos erant adhuc recentia, erant infensissimi: cui accedebat Magi cuiusdam diabolica versutia, qui eos contra Patres instigabat, dicens, iam tempus aduenisse vindicandi iniurias quæ suis diis illatæ essent, quorum templa euersa, & imagines confractæ essent, quorum omnium causa essent illi Patres, quibus hoc fecisse non sufficeret, verùm insuper diuersum planè eâ in insulâ templum construerent, & cruces plurimas erigerent, quò omnem deorum cultum euerterẽt. His verbis ita persuadebantur barbari, vt statim mortis sententiam contra Patres ferrent. Ne ergo illorum quisquam elaberetur, omnes vias & aditus obsederant. Patres malum sibi paratum esse moniti erant, ideoque abire inde parabant; verùm confestim se circumuallatos videbant, vt nullus effugio pateret locus, id quod in ciuitate Coculino accidebat. Lusitanus quidam, qui Patres illos comitabatur, bombardam in eos displodere volebat, verùm P. Pacieco eum reprimebat, dicẽs, non iam defensionis esse tempus, sed fortiter excipiendam esse Iesu Christi causâ vel dirissimam mortem. Interim barbari illi vociferabantur: *Occidite, occidite nebulones illos qui nostros deos euerterunt.* P. Pacieco ad illos conuersus, perhumaniter illos in ipsorũ idiomate alloquebatur; verùm lupi illi rabidissimi statim ipsos inuadebãt, & primò omnium in P. Rodulphum illati, tibias eius circa genua præciderunt, adeò vt generibus insistere cogeretur: leuatis igitur ad cælum oculis, vitam suam Deo creatori suo, ceruicem verò barbaris offerebat, demisso tunicæ suæ collari; sicque acceptis duobus in collo ictibus gladio, tertio in humero, sagittaque perterebrato stomacho, quinque hisce vulneribus cælũ mercatus est, animamq; Deo suo reddidit.

In Indias pro voto mittitur.

Pia eius in Aulâ Mogorana exercitia.

In Salsetanã insulam proficiscitur.

Ab insulanis occiditur.

63\. P. Petrus Berne secundus erat in quem barbarorum furor desæuiebat: in illum enim præcipuo odio ferebantur, quòd ipse paulò antè suismet manibus Pagodes siue deos illorum destruxerat, occidique curauerat vaccam quamdam, quam insensati illi & miserè excæcati homines instar Dei adorabant, profusis eius excrementis in vas quoddam, quo illi se lauare solẽt, vt à peccatis suis emundentur. In hunc ergo, crudeliter trucidatum, etiam post mortem mil le sæuitias exercuerũt. Dicere solebat hic Pater, Coculinos haud priùs ad Christi fidem cõuertendos, quàm sanguis ibi pro eiusdem defensione profusus esset; & quòd animus sibi præsagiret, ibi se eam ob causam occidendum fore.

Petrus Berne ab iisdẽ trucidatur.

Eius de Coculinis præsagium.

64\. Alfonsus Pacieco, sanguine & meritis illustris, & P. Rodulpho haud inferior, & ipse in lanienâ reliquis succedebat. Nec huic minùs succensebant barbari quàm P. Berne, quandoquidẽ ipse, quò minùs idololatriam suam liberiùs exercere possent, in Hispaniâ obstiterat, hac occasione. Salsetani Regios in Indiâ ministros auro corruperant, vt sibi in suo paganismo permanere liceret. Hi propriâ auctoritate rem definire non poterant: fictis itaque in Hispaniam missis relationibus, iam Regem Philippum II. eò pertraxisse videbantur, vt publica fama esset, Regio indulto Salsetanis sua idola & delubra esse restituenda, eosq; in idololatriâ viuere permittẽdos. Audierat hoc P. Pacieco Româ Vlisiponam reuersus: audierat hoc, inquam, sed magno animi sui dolore. Regium igitur Cõcilium audacter adiit, & quàm falsa essent quæ ex Indiis referrentur exposuit; remq; eò perduxit, vt, frustratis Salsetanis de suo idololatrico cultu, & Ministris Regiis suo lucro, Rex edicto seuerissimo cauerit, ne in posterum sui eò in Regno Vicarij, nisi de expresso eius consensu & mãdato, Salsetanis sua idola restituere, aliámve præter Christianam Religionem sectari permittere ausint. Huic ergo barbari hastam in viscera adegerunt, vnde se letaliter læsum sentiens, brachia crucis in modum decussauit, oculos ad cælum leuauit, & secundo se vulneri obtulit, quod cùm in gutture accepisset, martyrij coronâ redimitus fuit.

Alfonsus Pacieco idololatria in Salsetanâ permissionem impedit.

Ideò à barbaris occiditur.

Antonius Francisci toties, quoties sacrosanctum & incruentum Deo Missæ Sacrificium offerret, eumdem feruenter deprecabatur, vt sanguinem suum pro eius honore profundẽdi gratiam ei concedere vellet: quæ tandem ei ab optimo Parente largè admodum concessa est, adeò vt hac vice cum reliquis crudeli mortis genere, crebris gladiorum punctionibus, propter fidem Christi hoc è mundo abire meruerit.

Antonius Francisci gladiorum ictibus transfoditur.

65\. Franciscus Aragna simul cũ P. Rodulpho vulnus acceperat, valido ensis ictu collo eius incusso, & hastâ per ventrem eius & latera adactâ, vnde barbari eum obiisse arbitrabantur: verùm posteà eum adhuc viuere deprehendẽtes, sociis eius iam truci-

Franciscus Aragna idolum adorare iubetur.

trucidatis magno cum clamore ad idolum suum adducunt, & aliquoties circa illud eum raptant: inde vni ipsum pedi insistere cogentes, eo eum corporis positu idolum adorare, eiq; honorem & reuerentiam deferre iubent, alioquin eum se vitâ priuare velle comminati. Verû ille constantissimè eis respondit, non se, illorum instar, adeò dementem esse, vt lapidem vel lignum adoret: quo responso adeò exacerbabantur, vt infinitis penè eum sagittis configerent, quemadmodum de S. Sebastiano legitur, vnde toto corpore suo dilaceratus apparebat, & tãdem ita animã reddebat.

Id detrectãs occiditur.

P. Iacobus Salesius Aruernus fuit, prout & socius eius Wilhelmus Sautemuschius, qui sanè ambo viri fuerunt à pietate, à zelo & ab humilitate commendatissimi. P. Iacobus cum socio suo iuerat ad ciuitatem Viuaresium, vocatus à nobili quodam Catholico, vt Aduentuales ibi conciones haberet; quod tanto perfecit Catholicorum plausu & fauore, vt eum ad Quadragesimales etiam conciones ibi habendas perhumanissimè inuitarint. Interim nescio quis Caluinista dolo & hæreticorum conspiratione, qui magno ibi numero habebantur, ciuitatem Albenam, vbi ipse habitabat, intercipiebat, qui casus Patrem Iacobum permouit, vt totam illam noctem in precibus transegerit, & ad omnes diuinę dispositionis se euentus disposuerit. Primâ luce tres Ministri ad eos veniebant, qui P. Iacobum valdè exagitabant, & post infinita conuitia guttur tandem præfocabant, bursam ab eo exigẽtes. P. Iacobus animosè omnino respondebat: *Quòd si lytrum aliquod vobis pollicemini, aut à nobis illud expectatis, frustrà profecti estis, & ne obolum quidem vobis addico vt vestras manus euadam; quòd si Religionis causâ malè nos excipitis, scitote paratos nos esse eam ob causam etiam vltimam sanguinis guttulam profundere.* Ministri illâ iracundiâ exardescentes ob hanc sibi factam responsionem, ad Ludouicum quemdam hæreticum eos pertraxerunt, vbi modestè illis loquentes, & omni blanditiarum genere ad suas eos partes pellicere conati, edulia afferri curabant: sed quia, quòd dies esset Sabbati, illi gustare nollent, disputandi occasionem de Ecclesiasticis ieiuniis arripuerunt. Veruntamen argumentorum se pondere premi animaduertentes, ad contumelias se conuertebant, & conuitiis atque opprobriis disputabant. Vidẽtes tamen, nihil se quàm confusionem reportare, vnus illorum cathedram conscendit, contra Pontificem summum & contra Iesuitas (qui sunt veluti Loci communes, vnde suas illi conciones ordiri, prosequi, finire plerumque solent, præsertim dum à Baccho vel Venere veniunt) exclamat, posteà in iram efferuescens, populum instigauit, vt, zelo Eliæ ducti, qui falsos istos Baalis Prophetas trucidauit, Iesuitas illos è medio tolleret: eoque furore armatus cathedrâ descendit, assumptisque nonnullis (circiter viginti erãt) nebulonibus & sicariis, qui pugionibus & fustibus instructi erant, magno cum boatu & vlulatu ad P. Salesium venit, inquiens: *Prodi nebulo, prodi, in publico tibi moriendum est.* Ad quæ bonus ille Pater, *Libenter equidem,* ait, *prodibo; vitam & animam pro causâ Dei perdere & reddere paratus.* pauxilloque temporis spatio impetrato, orationes ad Deum fundit, eique suam animam, quam modò pro sponsæ eius honore, & Religionis defensione, medio tam exoptato ei redditurus erat, enixiùs commendabat. Tum violenter admodum in plateam protrudebatur, & miles quidam, à tergo eum secutus, sclopetum versus humerum eius displosit: quo vulnere accepto, & nomine Iesu crebriùs inuocato, variisque gladiorum ictibus identidem confossus, cælum vsque auolauit. Wilhelmus eius socius minimè inde consternabatur, sed potiùs ad parem animi constantiam inflammatus, supra P. Salesij corpus, quod iam iam animam exhalabat, se proiecit, amicissimèque illud complexus, lacrymabundus rogabat ne se suum socium & comitem desereret, quandoquidem & ipse eum sequi paratus esset. Tum lupi isti Caluiniani coronæ instar circumstantes, vociferationibus & minis deterrere eum conabantur, nihil tamen inde eum moueri, sed corpori indissolubiliter inhærere videntes, pugionibus adeò eum confodiebant, vt suam animam animæ P. Salesij iungeret, simulque cum ipso, certaminis sui æterna præmia accepturus, in cælum auolaret. Neque hic stitit sæua Caluinianorum crudelitas, sed vestibus suis spoliata Martyrum cadauera, bestiarum instar per omnes ciuitatis plateas raptabant, & in sordidissimo putidissimoque sterquilinio proiiciebant, addito edicto, ne quis intra aliquot dies istorum Iesuitarum cadauera auferre aut terræ mandare præsumeret, sed ea canum atque bestiarum dilaniationibus relinquerentur.

Iacobus Salesius egregius concionator.

Ab hæreticis capitur, duriteq; habetur.

Cum hæreticis de ieiunio Ecclesiastico disputat.

Ministri hæretici populũ in P. Iacobũ concitant.

Ab hæreticis P. Iacobus interimitur.

VVilhelmus Sautemuschius in P. Iacobi se cadauer proiecit.

Ab hæreticis occiditur.

Henricus Walpolus Anglus Romæ Societatem ingressus, aliquot annis pòst in Belgium nostrum venit, vbi astu hæreticorum Anglorum, qui tum magnâ frequentiâ in Belgio habitabant, captus, & Vlissingam Zelandiæ oppidum ductus, integroque ibi anno durissimis carceris angustiis afflictus fuit; & hæretici proculdubio illic eum trucidassent (quod iam aliquoties machinati fuerant) nisi frater eius, alium se esse simulans, in Zelandiam venisset, nomen suum militiæ sub illo Centurione, qui fratrem eius in vinculis detinebat, dedisset, adeoq; fratrem alio astu liberasset. In Angliam inde à suis Superioribus missus, simul atque pedem Insulæ intulisset, proditione quorumdam captus, Eboræ integro anno detentus, & denique Reginæ Iezabelæ iussu Londinum ductus fuit. Dum Eboræ in carcere ageret, libellum quemdam edidit in ea Saluatoris verba, *Attendite vobis à falsis Prophetis,* eumque Præsidi & Consiliariis Consilij Anglicani offerri curauit, in quo haud minus animosè quàm verè, totius vitæ suæ seriem enarrat, sub protestatione, rediisse se in suam patriam, vt non solùm populum ad Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientiam & ad fidem Catholicam reduceret, verùm etiam Reginam ipsam & omnem Angliæ Nobilitatem. Cognati & amici eius, vtpote qui è primâ Nobilitate essent, & quà facultates ditissimi, è carcere eum liberare volebant, quod ipse omninò recusabat, inter alia dicens: *Quia vocem diuinitus accepi* (sanctam obedientiam innuebat) *quæ omnino contrarium iubet, non migrabo, sed dicam semper, Ecce me, fiat voluntas tua.* In Turri igitur Londinensi (sic appellatur carcer) infinitas incommoditates pertulit, sine lecto & vestibus dormiens, imò neque quo se cooperiret, aut rigidissimam hiemis inclementiam auerteret habens, adeò vt ipsemet Toplifius, crudelissimus Catholicorum 66.

Henricus VValpolus ab Anglo-hæreticis capitur.

E carcere liberatur, & in Angliam à Superioribus mittitur.

Statim ibi capitur.

Duros carceres experitur.

licorum eâ in insulâ aduersarius, sortem eius commiseraretur, & nonnihil ei straminis mitteret in quo requiesceret. Etiam hic integro anno exacto, cùm hostes eius nihil ab eo extorquere possent, Eboram eum remiserunt, vt ibi ab Ordinibus Regni, quorum Comitia breui eo in loco habenda erant, condemnaretur. Haud minores hoc in carcere, quàm Londini, molestias experiebatur, solummodò stoream secum habens tres pedes longam, in quâ potiorem noctis partem orabat, somnum in nudo pauimento capiens. In hisce carceribus quatuordecies læuissimis fidicularum tormentis, & equulei cruciamentis acerbissimis examinatus fuit. Tandem Ordinum sententiâ Maiestatis læsæ reus iudicatus, tres hasce ob causas; quòd scilicet Sacerdos esset, quòd Iesuita, & quòd hæreticorum côuersioni vacaret, ad mortem condemnatus est. Cùm iam supra scalas staret laqueo innectendus, quid de Reginæ in Ecclesiâ primatu sentiret edicere iussus est. Hunc ille liberè se detestari, eumque omnino ridiculû esse & Scripturis sacris aduersari, imò & à ratione ipsâ alienum esse professus est. Deuotissime Orationem Dominicam recitabat: cumque Salutationem Angelicam incepisset, rabidi illi hæretici, Dei sacratissimæque eius Matris hostes irratissimi, de scalis illum præcipitarunt: vbi cùm nonnihil temporis pependisset, quatuor in partes sectus est: quod spectaculum etiam hæreticos spectatores lacrymari coëgit.

Quatuordecies quæstionibus subditus fuit.

Tribus de causis morti adiudicatur.

Suspenditur & secatur.

67. Regina illa Isabela prosperis in Galliâ, & aliis locis hæreticorum successibus elata, & ipsa ampliùs in Catholicos sæuire volens, accuratiùs in Sacerdotes & Iesuitas, quos præ ceteris cane peius & angue oderat, inquiri iubebat, quâ occasione deprehensus est P. Robertus Sothvvellius, è nobilissimâ prosapiâ oriundus, & sui temporis concionator celeberrimus. Hic Româ in Angliam missus, ibique captus, triennio toto in Londinensi Turri custoditus fuit in specu quodam subterraneo, decies interim quæstionibus subiectus. Tandem, mortis in eum sententiâ latâ, quòd Sacerdotem se & Iesuitam professus fuisset (binæ causæ, quæ tum temporis in illo florentissimo Regno læsæ quidem Maiestatis reum constituebant) summo manè ei nuntiatum fuit, paucas post horas ei moriendum esse: quo nuntio ita exhilaratus fuit, vt nuntium intimo animo complexus, & honorarij loco vittam suam, cui noctu caput suum inuoluere solebat, ei obtulerit: quam iste (qui carceris erat præfectus) tanti faciebat, quamuis à Religione alienus esset, vt nullo eam posteà pretio vendere voluerit. A patibulo suspensus, & posteà quatuor in partes dissectus fuit, tantâ populi compassione, vt sententiam, quâ semi-viuus adhuc exenterandus fuerat, executioni dari noluerit.

Elisabeth Angliæ Regina in Catholicos est crudelis, in Sacerdotes & Iesuitas crudelissima.

Robertus Sothvvellius in Angliâ capitur.

Latam mortis sententiam excipit.

Occiditur.

68. Abrahamus Georgij aliquamdiu in Collegio Goano degens, tandem habitu indutus Armeniaco in Æthiopiam, fidei Catholicæ propagandæ causâ, missus fuit. Cùm Proregi vltimò vale diceret, in lacrymas eum solui contigit, adeò vt P. Abrahamo dixerit: Hæ nimirum sunt inuentiones, quibus Societas vtitur ad lucrandas animas, etiam filiorum suorum periculo, quos tam liberaliter & profusè exponit. Ad portum Mazuæ deueniens, à Præfecto Turcico licentiam obtinuit merces suas in Æthiopiâ interiore distrahendi; mercatorem enim se fingebat. Quia verò eius famulus in diuersorio quodam, vbi eius aduentum expectabat, moram aliquam trahebat, & P. Abrahamus haud ita præcisè adueniret, ille fame pressus, manducare cœpit. Erat verò tum apud Mahometanos dies ieiunij, vbi ante Solis occubitum cibo vti omnino est prohibitum. Videntes igitur Mahometani famulum illum manducantem, adeò minis atque alapis eum affligebant, vt tandem se & herum suum Christianum esse profiterentur. Hæc cùm ad Præfectum relata essent, ille Patrem aduocat, & num Christianus an Mahometanus esset inquisiuit. P. Abrahamus se Christianum esse fatetur. Præfectus tum instare cœpit vt legem Mahometanam amplecteretur, hinc promissis plurimis eum polliciens, inde minis acerbissimis eum perurgens. Tum P. Abrahamus rupis instar immobilis, animo firmo atque constanti respondit, tam paruum legem se Mahometanam curare quàm detritam calcei sui soleam; vnde Præfectus ille admodum irâ percellebatur: sibi minimè nimis temperans, in turrim quamdam horridam & squallidam intrudi eum iussit, ratus carceris molestias effecturas quod promissis minisve assequi ipsemet haud potuerat. Videns tamen illum obfirmatum; & Mahometo improperantem, nec certam quamdam oratiunculam, quæ Mahometanis admodum est familiaris, recitare volentem, publicè eum capite plecti mandauit. Affirmauit sanctissimè homo quidam Catholicus, qui tum Mazuæ erat, quòd primâ vice, dum carnifex ei ceruicem præscindere vellet, ensis illius dissilierit: allato alio ense, duos ictus excepit, illo etiam dissiliente, illæso tamen P. Abrahamo, præter quòd leue vnius ictus vestigium in collo remanserit; tertio igitur ense allato, caput Martyris recisum fuit, ad cuius tumulum quadraginta continuis diebus copiosum lumen cernebatur, etiam ipsis Mahometanis vt rem istam miram inspectarent, ciuitate egredientibus, quantumuis ipsi sinistrè de illo iudicarent.

Abrahamus Georgij in animarum venatione solertissimus.

Christianum se professus, eum eiurare, & Mahometanæ adhærere iubetur.

Capite plectitur.

Ad Iaponiam iam abimus, vbi insulæ eius Imperator Taicosama publico dudum edicto cauerat ne quis fidem Christianam amplecteretur. 69. Videns verò, parum suo se edicto profecisse, & indies Christianorum numerum augeri, à nescio quibus instigatus, nonnullos Christianorum capi, naribusque & auribus præcisis in crucibus interfici iussit. Hos inter veluti splendida in nubilo cælo astra conspiciebantur tres è Societate Iesu Martyres, Paulus Michi, egregius apud Iapones concionator, quamuis necdum Sacerdotio initiatus esset; Iacobus Chisai laicus, & Ioannes Goto. Hi tres, cum nonnullis è sacro S. Francisci cœtu, & aliquibus Iaponensibus, ad sex vltra viginti in vniuersum, in ciuitate Meacensi perducebantur ad plateæ cuiusdam angulum, vbi aures eis omnibus præcidebantur. Inde carros quosdam conscendere iubebantur, in quibus longa pertica erecta erat, cui affixa tabella hæc inscripta verba præferebat, Regem hosce homines interfici iussisse quòd contra ipsius edictum fidem Christianam amplexi fuissent. Posteà per varias ciuitatis plateas

Varij in Iaponiâ interficiuntur.

Paulus Michi, Iacobus Chisai, & Ioannes Goto.

teas circumducti, ad carcerem reducebantur. Postridie Ozacam perducti, etiam eâ in ciuitate ignominiosè per plateas raptabantur, adeò vt & ipsi Pagani ad lacrymas commouerentur. Hoc in loco P. Paulus Michi sex Iaponos, qui ob sua scelera in vinculis detinebantur, ad Christi fidem conuertit, & sacro Baptismatis lauacro tinxit. Inde tertiâ vice ad ciuitatem Sacainam deducebantur Martyres, vbi similiter ludibrio omnium exponebantur. Inde, vt vniuerso Iaponensium regno hæc executio innotesceret, & nemo non terrorem & horrorem conciperet, videns tam dirè cum Christianis agi, Rex eos Nangasacum abduci iussit, itinere ducentorum milliarium. Eò appulsi, cuidam è Societate Sacerdoti, qui eam solam ob causam illuc se contulerat, confessi sunt. Statim ibi crucibus suffigebantur, & lanceis acutissimis pro Christi fide transfigebantur.

70. Cùm Sigismundus Poloniæ Rex, in Sueciam profecturus, è Societate vnum expeteret qui eò in itinere concionaretur in Aulâ eius, ad id delectus fuit P. Martinus Laterna, Polonus natione: quo in munere egregium se & strenuũ præstitit, indeque in Poloniam nauigaturus, in piratas, qui partes Caroli, Sueciæ inuasoris sectabantur, incidit, qui & nauem eam occuparunt, & P. Martinum Sacerdotem & Iesuitam esse deprehendentes, haud diu de eo deliberarunt, sed statim eum scaphulæ impositum, in altum auexerunt, ibique eum in mare præcipitauerũt. Iam tu signum vide quanta apud Deum eius fuerint merita. Non diu à morte suâ primario cuidam viro, qui à Tartaris captiuus detinebatur, apparuit, rogans an liberari velit. Altero illo aiente, statim illius numellæ atque compedes confractæ in terram decidebant, momentoque temporis in Russiam (spatium erat milliarium quinquaginta) translatus fuit; quod ipsemet posteà Romam veniens, aliquoties Confessario suo P. Matthiæ Pacotio sanctissimè enarrauit.

P. Martinus Laterna in Polonia Regis Confessarius eligitur.

A Suecia Calninianis capitur.

In mare præcipitatur.

Miracula eius post mortem.

71. P. Dominicus Collinus Hibernus erat è primâ Regni eius nobilitate prognatus; qui postquam arma ferrea sub Philippo II. in Belgio pro fidei Catholicæ defensione aliquamdiu gestasset, & ad Præfecturam equitum sublimatus fuisset, spirituale nominis Iesu sub duce S. Ignatio Loyolâ militiam professus fuit, vt zelum suum, quo ad fidem Catholicam propagandam & ab hæreticis defendendam ferebatur, explicare posset. Et quidem quod sibi proposuerat, haud ita diu pòst est assecutus. Deprehensus enim quòd esset Catholicus, & Sacerdos Religionis Catholicæ, in vincula coniectus, atrocissimè & crudelissimè tortus & excarnificatus est, hæreticis interim continuè promissis & pollicitationibus eũ perurgentibus, vt Catholicâ Religione eiuratâ arma sua pro Reginâ Iezabelâ contra Catholicos conuerteret. Collinus duobus se dominis inseruire non posse respondebat, seque in seruitio Dei constantissimè perstiturum, Reginæ gratiam & hæreticorum minimè ambire. Sed & à cognatis eius catapultæ in eum torquebantur, vt qui indesinenter instabant vt saltem hæreticum fingens, intus Catholicam fidem sibi seruaret, quò infamem à carnificis manu inferendam necem euadere, & notam quæ suæ inde familiæ inuri posset auerteret. Nihil tamen aliud apud eum hæ rationes valuerunt, quàm vt ad certamen fortiùs subeundum animaretur: ideoque ad locum supplicij eductus, postquam generosâ oratione adstantes exhortatus fuisset vt ab hæreticis sibi cauerent, qui sub melle venenum propinarent, animasque proditoriè intoxicarent, à patibulo suspensus fuit.

Dominicus Collinus Regi Catholico in Belgio militat.

In Societatē admittitur.

Ab hæreticis capitur & torquetur.

Suspenditur.

72. Cùm anno Christi millesimo sexcentesimo quinto Nobiles nonnulli in Angliâ, pertæsi sæuissimæ persecutionis quam Iacobus insularum Britannicarum Monarcha aduersus Catholicos exercebat, decreuissent Regem cum Regni Ordinibus, quorum Comitia Londini celebranda erant, è medio tollere, idque puluere tormentario, cuius plurima vasa in caueâ quadam subterraneâ occultauerant, eaque conspiratio nescio quomodo detecta fuisset, quamplurimi Catholici propterea vltimo supplicio afficiebantur. Inter reliquos etiam delatus fuit P. Henricus Garnetus, quòd confessionem vnius è conspiratoribus excepisset, qui ei hoc facinus detexisse in tormentis confessus fuerat. Quamuis verò P. Garnetus hanc coniurationem omnino improbasset, & omni modo, prout æquum erat, illum Catesbyum, qui ei confessus fuerat, à nefando isto scelere auertere satēgisset, haud tamen illum prodidisset, coactus ad silentium religione sigilli confessionis, cuius ratione in conscientiâ celare tenebatur quidquid ei intra illius cancellos indicatum fuerat; nihilominùs Iudices Anglicani, vtpote hæretici, qui nullam Sacramenti huius, minùs multò secreti ipsius, rationem habent, laqueo eum adiudicarunt, & vt more Anglis consueto euisceraretur. Hæc in eum lata sententia executioni mandanda erat ipsâ Hebdomadâ sanctâ: veriti tamen Iudices illi ne Catholici ratione temporis occasionem sumerent eum canonizandi atque velut Sanctum venerandi, executionem ad primam vsque Maij distulerunt. P. Garnetus hoc audiens, *Itáne*, læto animo inquit, *me instar arboris Maialis erigere volunt?* quæ cordis animique alacritas adeò istis displicuit, vt ad tertium vsque Maij diem supplicium prorogarint, quo die in Ecclesiâ Catholicâ recolitur memoria Inuentionis sacratissimæ, in quâ Christus Dominus salutem nostram operatus fuerat, Crucis; quod iã tot votis tot suspiriis exoptauerat bonus ille Pater. Ad locum igitur supplicij ductus, quò vltra viginti hominum millia conuenerant, vt magnum illum Iesuitam & Paruum Papam (ità enim eum communiter appellabant) morientem viderent, circumstantes hilari & grato vultu consalutauit, oculisque cælum versus sublatis hunc pænè in modum altâ voce locutus est: *Festus hodie inuentæ sanctæ Crucis dies est, sub cuius vmbrâ Deo placitum fuit solamen mihi dare, atque à calamitosa vitæ huius crucibus & afflictionibus absoluere; quâ de causâ ego Deum benedico, infinitasq; laudes atque gratiarum actiones ei rependo.* inde ad populum circumstantem conuersus, *Protestor*, ait, *& Deum testem inuoco, à conspiratione istâ pulueraria innoxium me & remotum esse.* Inde vestibus depositis, genibusque humi flexis inquit: *Deus vobis omnibus benedicat, & Catholicos Romanos vos efficiat, alioquin cælum numquam intrabitis.* inde ad scalæ vsque summitatem conscendens, ait: *Deus benedicat Regi, Reginæ, Principi, eiusq; Consilio.* Oculis porrò in cælum defixis, Crucis signum effomauit, inquiens: *Adoramus*

Conspiratio Nobiliũ Catholicorum in Angliâ contra Regem Iacobum persecutorem.

Henricus Garnetus capitur.

Confessionis sigillũ violare detrectat.

In maximâ populi frequentiâ martyrio afficitur.

ramus te Domine Iesu Christe, & benedicimus tibi. Hoc signum Crucis erit in cælo, cùm Dominus ad iudicandum venerit; alleluia. Inde B. Virgini se commendauit, & de scalâ deturbatus fuit. Cumque carnifex laqueum incidere, & viuum euiscerare vellet, populus sublatâ voce iussit, vt Garnetum priùs mori & suffocari permitteret. Tanta nimirum P. Garneti fuit modestia, tantaque in eo sanctitas resplenduit, vt ipsimet hæretici publicè & intrepide affirmarent, sanctum eum esse, imò tam sanctum ac quis alius in vniuerso mundo!

Duo in eius morte notatu digna.

Duo notatu dignissima in Martyris huius certamine obseruati fuerunt: vnum, quòd cùm ante mortem brachia Crucis in formam decussasset, ita post mortem eius permanserint; alterum, quòd facies eius post mortem vegetior & serenior apparuerit quàm dum viueret, eumdemque vigorem & maiestatem retinuerit, etiam dum palo caput infixum esset. Sed quod omnia ista superat, & quod gloriosi Martyris huius nomen præ reliquis illustre facit, est spica quædam, cuius historiolam vel duobus verbis describo.

Miraculum in spicâ eius effigie diuinitùs depictâ.

Adolescens quidam, qui posteà obiit in Seminario Anglicano, quod est Audomaropoli in Flandriâ, pegmati, in quo Martyr interficiebatur, proximus adstiterat, & plurimas sanguinis guttas è Martyris corpore profluentes collegerat, eisq; sudariolum suum omnino infecerat; cumque lætus de thesauro abiturirет, carnifices, qui Martyris cadauer stramine contegebant, spicam eiusdem sanguine tinctam in adolescentis illius sinum excusserunt, quam ille protinus occultauit, & posteà donauit feminæ cuidam Catholicæ, quæ eam exiguæ ampullæ crystallinæ inclusit. Hebdomadibus aliquot elapsis, spicam illam mulier Catholicis nonnullis inspiciendam exhibet, qui cùm illam accuratiùs & curiosiùs intuiti fuissent, deprehenderunt in spicâ illâ expressam esse faciem P. Garneti, quasi rotundam & oculis clausis, reliquis faciei partibus exactissimè & ad viuum expressis; in cuius fronte conspiciebatur stella, & in mento vultus Seraphini cuiusdam. Spica hæc ad plurimorum manus deferebatur, non sine stupore omnium, adeò vt huius rei fama ad ipsam Regis Aulam penetraret, multique Consiliarij & Secretarij Regij venirent visum hanc Dei mirabilem operationem, nemine quidquam contradicente. Comites Salesberiensis, Northamtonius, Salopiensis & Suffolciensis curiosè eam inspexerunt, prout etiam Legatus Hispaniarum Regis, qui pro eâ sexcentos aureos offerebat. Catholici videntes ob spicam illam nonnullas in Aulâ & Consilio Regio turbas fieri studiosè eam occultabant, nequidquā hæreticis & Ministris Regiis allaborantibus vt eam spicam nancisceremtur. Quare Episcopus Canterberiēsis pictori suo, qui eam viderat, in mandatis dedit, vt aliam quamdam spicam simili colore induceret: verùm pictor vltrò professus est, se in illâ spicâ obseruasse plurima quæ omnem humanam artem & industriam longissimè excederent: quamuis enim in mirabili illâ picturâ vnicus tantummodò, sanguineus nimirum, color conspiceretur, omnia tamen tam exactè inibi esse distincta, vt apertissimè nasus, oculi, os & barba in exiguo & tantillo loco sese proderet: quæ res omnibus persuasit, vt nullo alio penicillo quàm digito Dei depictam fuisse spicam illam crediderint; Deo nimirum volente famulum suum honorare, aliisque Sacerdotibus addere animos, vt solertissimâ confidentiâ excolerent campum adeò fertilem: qualis enim futura est messis, vbi tam formosæ reperiuntur spicæ?

In eâ spicâ effigies Garneti diuinâ manu formata fuit.

Cùm P. Vincentius Aluarez in ciuitate Dabul Indiæ Orientalis à Mahometanis captiuus detineretur, interim dum de lytro eius ageretur, accidit occurrere diem Veneris, qui festus est Mahometanis in honorem sui Pseudoprophetæ, volentes nonnulli loci incolæ diem illum reddere festiuiorem, Capitaneo munusculum obtulerunt, petiêre veniâ vt è captiuis quempiam in honorem Mahometis offerre sacrificij instar sibi liceret. Lubens annuit Præfectus, datâ optione eligendi è pluribus quemcumque vellent. Barbari illi è reliquis pinguiorem totius agminis victimam, Vincentium nimirum, selegerunt, cui statim manus in tergum reuinciebantur, & sub vesperum ad crudele & barbarum istud sacrificium offerendum fit præparatio. Et quamuis Lusitani duplex pro illo lytrum offerrent; Præfectus tamen in crudeli sententiâ persistebat, & ipsemet P. Vincentius, ne optatam sibi & iam oblatam martyrij palmam è manibus extorquerent rogitabat. Proinde ad nauis proram ducebatur; quò tam lætus atque alacer ibat ac si ad opipatum quoddam cōuiuium properaret, quod Lusitanis compassionis lacrymas, Mahometanis verò magnam admirationem excutiebat. Ad locum sui martyrij ductus, Psalmum *Miserere* cantauit; inde genuflexus; reliquos captiuos rogauit vt pro se Deum exorare vellent. Inde ceruice paululum inflexâ, pronuntiatisque hisce verbis, *Iesu miserere animæ meæ*, caput eius à Saraceno quodam præcisum est, & statim reliqui Mahometani immensum exclamauerunt; & maxima lætitiæ signa ediderunt, maledictum & damnatum istum Mahomet inuocantes, cui in faciem prostrati sacrificium hoc cruentum offerebant. 73.

Vincentius Aluarez à Mahometanis capitur.

Ab iisdem in honorem Mahometi iugulatur.

P. Thomas Garnetus ab auunculo suo P. Henrico Garneto in Societatem admissus, in Belgium, vbi anteà diu vixerat, remittendus erat; sed superueniente graui illa Nobilium nonnullorum Catholicorum contra Angliæ Regem conspiratione, simul cum reliquis, qui ob illam accusabantur, in carcerem coniiciebatur; verùm post graues diuturni carceris molestias Edicto Regio ex Angliæ Regno proscriptus Louanium venit, vbi Societatis vestem induit, & illo anni vnius spatio, quo ibi habitauit, tantam humilitate, obedientiâ & cādore suo famam atque æstimationem sibi peperit, vt Nouitij & alij plerumque dicerent, P. Thomam habere faciem Martyris. Anno ibi exacto, in Angliam rediit, nec diu admodum ibi fuit quin agnosceretur, & ab exactoribus comprehensus in Turrim Londinensem includeretur. Ministri Regij certam quamdam iuramenti formulam conceperant, ad quod præstandum omnes Regni incolæ obstringebantur, eratque haud minùs quàm omnia antiqua iuramēta, in iustitiam Christianam & obedientiam Sedi Apostolicæ debitam iniurium. Plures equidem Catholici induci se permiserant ad id præstandum, alij, vt hæreticorum crudelitatem euaderent, deliberaturos se respondebant, prout 74.

Thomas Garnetus in carcerem coniicitur, sed liberatur.

In Angliam venit.

Capitur:

Iuramentum Anglicanum præstare iussus, titubare videtur.

prout etiam faciebat P. Thomas, ratus hanc esse Superiorum suorum intentionem, ne se temerè suspendio obiecisse videretur. Ob id tamen reprehensus, & rescilcens, famam iam vbique ferri, parum abesse vt & Iesuitæ iuramentum sint præstituri, Iudicibus se sisti rogauit, quibus liberè & in faciem dicebat, numquam se eò deuenturum, etiamsi de vitâ periclitaretur, vt illud iuramentum à se extorqueatur. Iudices igitur audaci eius repudiati iuramenti facto offensi, suspendij, euiscerationis & sectionis in eum sententiam protulerunt, eò quòd Sacerdos & Iesuita esset. Interim non impediebatur, quin multi eius videndi causâ confluerent in carcerem, & à Catholicis ei funis offerebatur, vt se de Turri demitteret, & sic mortem euaderet, eum ad id maximè perurgendo: verùm ille blandissimè respondebat, malle se semel in resti saltitare per aërem, quàm bis in terrâ. Ad supplicium eius tota ciuitas Lōdinensis effundebatur, imò etiam trecenti Illustres Comites, Barones, Equitesque aderant, è quibus Comes Essoxius per mediam horam Patri occidendo loquebatur, cuius etiam interuentu prohibebatur, ne carnifex laqueum, è quo P. Thomas penderet, incideret, donec omnino fuerit mortuus. P. Thomas amplexus hilari vultu patibulum, & pro suis persecutoribus Deum precatus, martyrium suum felicissimè absoluit.

Apertè iuramento cōtradicit, & morti se offert.

Carnificis manu interficitur.

75\. Ioannes Ogilbeus, è Societate Iesu in Scotiâ protomartyr, cùm viginti pænè annis maximam Catholicis eo in Regno nauasset operam, & plurimos à fide aberrantes ad ouile Christi reduxisset, tandem à nonnullis, qui se Ecclesiæ reconciliare velle dicebant, Glascoam euocatus, ab vno ex iisdem proditus, & in hæreticorum potestatem traditus est. In medio foro, latronis instar, capiebatur, & ad Prætoris ædem ducebatur. Loci illius Pseudo-Episcopus statim eò festinabat, & coram se adducti maxillam ignominiosè percutiebat (hæc nimirum est luporū istorū modestia, qui contecti pelle ouinâ, & habitu Episcopi induti, munus obeunt carnificis) & statim omnes alij, qui magno ibi numero aderant, veluti si Episcopus classicū cecinisset, certatim in captiuum irruunt, barbam vellunt, crines & capillos dilacerant, faciem vnguibus scalpunt, pugnos alapasque ei inferunt, pedibusque illum huc illuc protrudunt, denique turpiter vestibus suis eum exuentes, pauxillum quod penes se habebat peciniolæ & scripta nonnulla ei ademerunt. Postridie è carcere eductum ad maius Episcopi triclinium adducunt, vbi quamplurimi Prædicantij & Regni Proceres congregati erant. Hic mille eum interrogationibus quoad suam personam, vitam, varia Fidei puncta, fatigabant: ad quas ille tam dextrè respondebat, vt quantumuis id hominum genus impudēs & corrugatæ frontis esse soleat, sine rubore tamen eum audire nequirent. Tam etiam feruenter & alacriter cum ipsis disceptabat de Religione, vt quamuis capite vndique vulneratus esset, viginti etiam sex horarum spatio ne micam quidem cibi gustasset, & febriculâ insuper impeteretur, pudorem illis incusserit. Inde Edinburgum ciuitatem Regiam ductus fuit, quo in itinere quomodo à popello Caluinistico exceptus fuerit, Deus nouit: instigatus enim erat à Ministris & famulis Pseudo-Episcopi. Mille in eum calumniæ, opprobria, iniuriæ vndique depluerunt. Femina quædam scomma in eum coniiciebat propter oculum quo transuersim aliquantum illam intuebatur: ille tamen nihil aliud reponebat, nisi: *Deus formosæ tuæ faciei benedicat.* Femina igitur illa adeò benigno hoc & suaui responso percellebatur, vt publicè propter loquacitatem suam pœnituerit, & apertè professa fuerit, se numquam nisi honorificentissimè de eo locuturam. Edinburgi variè impetitus fuit, vt à Religione suâ abduceretur. Minabantur se ei induturos ocreas ferreas aculeatas, quibus tibiæ malefactorum confringuntur: inde nobile & lautum ei matrimonium cum Præturâ opiparâ ei pollicebantur. Verùm P. Ogilbeus, quia homo facetus erat, illa omnia iocosis stratagematibus, & facetiis honestis eludebat. Cum igitur nihil in illo proficerent, vigiliis eum macerabant, quas incredibili constantiâ nouem noctibus diebusque sustinebat; quandoquidem illi adiuncti erant nescio quales, qui interim dum lictores eum vigilare cogebant, mox minis deterrere, mox pollicitationibus allicere satagebant. Fama huius tormenti etiam ad extrema Regni perlata, neminem non in Iudicum crudelitatem dicteria spargere faciebat: verùm Ogilbeus tormenta, tortores & Iudices irridebat, & intimo ex corde lætabatur, quòd dignus habitus esset aliquid pro nomine Iesu pati. Cumque aliquis ex cruentis istis lictoribus diceret, esse quare sibi ab Ogilbeo gratiæ deberentur, eò quòd haud condemnatus fuisset ad ferreas illas ocreas, sed solùm ad vigilias perferendas; Ogilbeus respondit, verè ipsos bonam gratiam commeruisse, si illud latronum ei supplicium intulissent: quia si crura eius comminuissent istis ocreis, saltem victum suum se adhuc lucrari potuisse, confessiones excipiendo, ad quod integri sensus & spiritus vegetus ei opus essent, nō crura; verùm quandoquidem vigiliis istis inhumanis spiritum eius obtudissent, sensusque ipsius hebetassent, pessimum sibi, quantum quidem præter vnicam mortem fieri potuisset, ex illorum parte illatum fuisse. Inde in arctâ eum custodiâ includebant, catenis oneratum, humi vsq; incuruatum & aliis insuper vigiliis variè extenuatum. Tandem mortis in eum sententia proferebatur, quam hilari animo vultuque excipiebat, Iudicibus gratias agens, benedictionem suam impertiens ei qui eam pronuntiabat, eum amicissimè amplexando: inde aliquo tempore impetrato, in carceris sui caueam redibat, preces fundebat, Deoque animam suam commendabat; quo facto, ad supplicij locum educebatur. Patibulum exosculabatur, illudque instar amici amplexabatur, felicitatem quam inde sperabat eo modo significans. Cumque præco læsæ Maiestatis eum esse proclamaret, ille contrà altissimâ & clarissimâ voce protestatus est, mori se ob solam Religionem Catholicam, & ampliora se Regi in exteris regionibus exhibuisse seruitia, quàm omnes simul ministri Regij intra Scotiam, tantum abesse vt vel in minimo contra Regem conspirationis factæ sit cōscius. Minister quidam Caluinianus eum rogabat, num mortem exhorresceret; *Non magis*, inquit P. Ogilbeus, *quàm tu exhorreas patinas dum lautum ad conuiuium abis.* Tandem suspensus fuit, populo crudelitatem

Ioānes Ogilbeus diu Catholicos Scotos iuuat.

A Catholicis Religionis Pseudocandidato proditur.

Episcopus Caluinisticus primus in eum carnificis manus inicit.

Caluiniani disputando contra Ogilbeum confunduntur.

Mansuetudine Ogilbei loquacitas femellæ cuiusdā emendatur.

Cōtinuis vigiliis, & quæ vltra humanas vires erant, cruciatur.

Mortis sententiam cum gratiarum actione excipit.

Patibulum exosculatur.

Strāgulatur, & populus Caluinianorū Ministrorum crudelitatem carpit.

delitatem Ministrorum vel maximè incusante.

76. Inter alias quæ Americam incolunt nationes, Tlistimechi & Tepeguani, qui Mexicam habitant, immitiores sunt, & qui diu Hispanis se opposuerunt, nec nisi multo sanguine maximisque sumptibus Monarchiæ Hispanicæ subdi potuerunt. Societas Iesu hic ostendit, plus apud siluestres & barbaros illos valere modestiam & bona bonæ vitæ exempla, quàm vel arma aut rigorem. Hinc P. Gonsaluus Tapia primus Euangelij facem eis attulit, & multos ex iis cicurauit, & ad humanitatem mansuetiorem perduxit, quamuis ægrè admodum; quandoquidem barbaries tam profundè profundas in animis illorum radices fecit, vt etiam mansuetissimi ex illis faterentur, præ iracundiâ se ebulliisse, & naturali quodam instinctu sensisse adigi ad trucidandos illos qui eos in fide & humanitate instruerent; arcu tamen statim in terram proiecto, *Nescio*, dixerint, *quis me retineat quò minùs te occidam, & carne tuâ me exsatiem.* Hac tamen feritate non obstante, tam feliciter in eis cicurandis laborauit P. Tapia, vt viginti duorum annorũ spatio vltra quinquaginta animarum millia sacro Baptismatis fonte tinxerit; adeò vt Patres, qui ibi degebant sibi proponerent vlteriores etiam Septemtrionem versus regiones adire. Interim diabolus, vsus occasione feritatis & barbariei gẽti huic tam innatæ, semen fidei, quod in animabus eorum germinare incipiebat, auferebat, eosque à Deo, Baptismo & Rege Catholico deficere fecit, vsus ad id pessimo quodam mago qui se Deum terræ affirmabat, & filium Solis, quem Deum cæli esse aiebat. Malum hoc gliscebat in Prouinciâ Guadianâ, indeque ad Ozinos & alios populos transilt, tantumque apud illos effecit, vt arma contra Hispanos corripuerint, templa deiecerint, imagines proculcauerint, & mille alias indignas homine fœditates cõmitterent, persuasi, quamuis Hispani de eis vindictã sumere velint, suum nihilominus Deum exsuscitaturũ eos qui eo in bello occumberent: id quod diabolus ipsemet, visibili specie se eis conspiciendum exhibens, affirmabat, minatus extrema ni magi istius consilia sequerentur. Primus è Societate, in quem tempestas hæc depluebat, erat P. Hernandus Thoüarius: qui cùm ad villam quamdam venisset quæ à S. Catharinâ nomen gerebat, amicè quidem receptus & humaniter habitus fuit, postridie tamen, cùm itineri vlteriori se accingeret, à barbaris illis comprehensus fuit in decliui cuiusdam colliculi, vbi plurimis sagittis transfixus, in terram proiectus, vestibus suis spoliatus, & denique hastâ omnino occisus fuit, barbaris interim vociferantibus: *En quomodo Deus eorum eum qui sãctus est resuscitaturus sit videamus.* Martyrium suum diu antè prædixerat hic Sanctus. Cùm enim adhuc puerulus esset, videretque matrem suam sibi pixidem argenteam fieri curasse vt caput P. Tapiæ, cuius corpus recèns adueũtũ fuerat, ibi includeret, *Oro*, aiebat matri, *pixidem hanc mihi serua, mater; scito enim olim me futurũ Martyrẽ.* Eodem quo P. Hernãdus occidebatur tẽpore, mater eius, quæ in ciuitate Mexicanâ Religionẽ professa erat, in somnis vidit senem è Societate venerabilem, qui ei mortẽ gloriosam filij sui annuntiaret, de quâ necdũ quidpiam in ciuitate auditum fuerat. In Prouinciâ porrò Zapenâ eodem tempore trucidati fuerũt, eamdemque ob causam, Ioannes de Valle, Hieronymus Moranta, Ioannes Fontasus, & Ludouicus Alauesius, omnes è Societate Iesu Sacerdotes. Eamdem fortunam (Christianè tu, Lector, interpretare vocem) subierunt P. Hernandus Santarenus, Bernardinus Cisnerosius, eiusque comes Iacobus Oposcius.

Mexicana prouincia multo sumptu & labore ab Hispanis subacta fuit.

Gonsaluus Tapia primus ibi Apostolus.

Nonnulli Mexicani ab Hispanis deficiunt.

Hernandus Thoüarius ab iisdem dirè interficitur.

Alij alibi martyrium subeunt.

Vltimus in hoc illustrium Societatis Iesu virorum ac Martyrum syllabo sit P. Godefridus Thelenius, qui nostrâ memoriâ paucis ab hinc annis pro fide Catholicâ, vt quidem fert opinio, ab hæreticis Caluinianis circa Rhenum interfectus est. 77. Hic natione Germanus, Bambergâ studiorum causâ à Superioribus Nuysium missus, cùm secundo Rheno descenderet, hæreticus quidam Capitaneus, qui Bacharaci ad Rhenum pro Pseudo-Rege Bohemiæ, Friderico Palatino stationem habebat, sclopetarios nonnullos misit qui nauem, in quâ P. Thelenius vehebatur, occuparent, & eos qui in eâ essent vel caperent vel interficerent. Cùm hoc periculum ij qui in naui erant animaduertissent, ad aliam Rheni ripam appulerunt, & quilibet, quà melius poterat, fugâ sibi consulebat. P. Thelenius cum nonnullis aliis rectâ Caubum petebat (alia erat hæreticorum statio) vbi à militibus haud mitiùs quàm à Bacharacensibus excepti sunt. Videntes igitur sclopeta in se displodi, monticulum quemdam, qui propè erat, conscendere volebant, sed rustici, qui ibi stationem suam habebant, grandes in eos emittebant lapides, vt sæpiùs inde prostrati, tandem in militum hæreticorum manus inciderent; qui eos tantisper illic hærere fecerunt, donec Magistratus loci de eis decreuisset, qui & haud diu sententiã mortis distulerunt (stolidi enim Iudicis præceps est sententia) sed eam statim executioni dandam Vicario Capitanei commiserunt. Hic eduxit illos ad colliculum oppido vicinum (interim P. Thelenius cõfessiones excipiebat eorum qui ad mortem se præparabant, quamuis nonnulli ex iis, magnâ pecuniæ summâ promissâ, mortem euaderent) ibique per sibilo, latronum in morem, edito, milites sclopeta sua in miseros displodere iussit; vbi inter reliquos P. Thelenius, plumbeo globulo sub sinistro humero transfossus, vnoque gladij ictu in ceruice, tribus denique aliis in dorso letaliter vulneratus, Christo animam suam transmisit. Sed ne putes, amice Lector, hos solos, quos succinctim recensuimus, è Societate prodiisse vel clarissimos Confessores, aut illustrissimos Christi Martyres. Erras, si putas: ego hinc inde saltẽ nonnullos delibaui, vt ex paucorum virtutibus, quanta totius sanctissimæ Societatis de orbe Christiano sint merita, quantosque thesauros Ecclesiastico cumulo hactenus adiecerit, continuè adiiciat, & ad finem vsque mundi adiectura sit, velut è tenui vestigio colligi & coniici possit.

Godefridus Thelenius studiorũ causâ Coloniam proficiscitur.

A Caluinianis militibus Caubo excubantibus capitur.

Ab iisdem interficitur.

A Sole, Lunâ & astris ad Hesperum venimus, stellam inquam illam, quæ vergente iam ad vesperam sæculi 16. die, in cælo effulsit, seu ab Ecclesiæ militantis ortu ad triumphantis occasum cursum direxit. Credo Lectorem nosse, innuere me sãctam Matrem nostram Teresiam, 78.

S. Teresa Hespero comparatur:

de

de quâ haud improbè accipere possumus illud S. Ioannis Euangelistæ, *Signum magnum apparuit in cælo: mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim*; vtpote cuius singulas partes facillimum esset ei accommodare: vt tamen illius virtutes exprimam, quibus immensum Ecclesiasticos thesauros auxit, posteriorem solummodò explicandam sumo, & simul demõstro, quàm iustè Ecclesia in ipsius apotheosi liberalissima fuerit, & largissimas rebus pro illius honore benedictis Indulgentias assignauerit. Signum ergo hoc magnum, quod apparuit in cælo, fuit illustre illud sidus vespertinum, sanctissima Mater & institutrix nostra, Religiosissima Teresia: in cuius capite refulsit corona stellarum duodecim, quas stellas ego intelligo duodecim ipsius heroicas rarissimasque virtutes, in quibus singulis vltra alias sæculi huius feminas quàm longissimè excelluit, vt non modò non superiorem, & nec parem habuerit. Sed pro illustriori rei deductione, vnicuique stellæ aretinæ, quâ gloriosissima S. Teresiæ corona refulget, peculiarem è Scripturâ locũ applicabimus, & fundamenti instar præmittemus. Tu, Lector, si in Matris laudibus enarrãdis prolixior fuero, ignoscito, & tenerrimo affectui, quem genuini tantæ Matris filioli (è quorum numero abiectissimum me esse libenter profiteor) eidem exhibere tenentur, piè adscribito.

& signo magno, de quo in Apocalypsi. Apocal. 12.

In corona capitis eius stellæ duodecim, quæ virtutes eius designat.

79. Primus ergo primi in coronâ Matris nostræ diadematis locus sit ille, quem Deus optimus maximus pro infernalis serpentis, protoplastorum nostrorum seductoris, iustissima punitione hunc in modum ore suo diuinissimo protulit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Hinc iam elicimus primam Matris nostræ Teresiæ virtutem & prærogatiuam, dum nimirùm infernalem istum anguem diabolum generosissimè oppugnauit & expugnauit: à quo quantò illa maiora est perpessa certamina (insidiatus enim est calcaneo eius) tantò præclariora de eodem reportauit trophæa; & tantò amplior immani isti & damnatæ bestiæ cessit infamia, quò Teresiæ vires erãt imbecilliores. vt non immeritò locum hìc habeat quod de Abimelecho legitur, qui maximam sibi infamiam inde oriri dixit quòd à muliere occideretur. *Accedens*, inquit Scriptura, *Abimelech iuxta turrim, pugnabat fortiter; & appropinquãs ostio, ignem supponere nitebatur. Et ecce vna mulier fragmen molæ desuper iaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius.* Quid iam Abimelech? *Vocauit citò armigerum suum, & ait ad eum: Euagina gladium tuum, & percute me; ne fortè dicatur quòd à feminâ interfectus sim.* Fuit nimirum TERESA altera illa ESTERA, quæ superbum Aman confudit: Fuit altera Iuditha, quæ fecit confusionem in domo Luciferi, & ecce Beelzebub prostratus iacet in terrâ. Sed antequam trophæa colligamus, pugnam primùm, & assultus quos à diabolo sustinuit, videamus. Tantus in Carmelitani Ordinis à Teresâ factam reformationem spirituũ infernalium exarsit furor, vt non solùm totius ferè orbis inuidiam, & hominum calumnias & opprobria contra eam concitarent, sed & primi Conuentus murum violẽter deiicerent. Et sæpè, cùm aliqui Teresiæ intercessione à grauibus peccatis resipiscerent, dæmõ illam rabidè torsit. Aliquando enim eam cereâ face percussit, corpusque nonnumquam grauiter læsit. Abulæ illam è choro egredientem à summitate eiusdem scalæ præcipitem egit, ex quo brachium ei confractum fuit; in cuius curatione acerbissimos dolores pertulit, & nihilominùs posteà eo vti nõ potuit propter debilitatem quæ ei adhæsit. Quadam item vice per quinq; horarum spatium interiùs & exteriùs valdè à dæmone excruciata fuit, adeò vt iam animus illius deficere videretur. Et cùm inter alios patientiæ & resignationis actus diceret, se libenter ad mundi vsque finem passuram, si id Deo placeret, apparuit ei dæmon instar deformis æthiopis: in quem cùm S. Teresa aquam benedictam adspergeret, protinus abscessit, magno fœtore relicto, prout ipsamet Sancta in Vitâ suâ refert. Cùm ergo ipsa benè cognosceret astutias & versutias communis istius inimici, vigilauit, ipsique se opposuit, eiusque tentationibus ita fortiter in fide restitit, vt illum tandem omnino deuicerit, pugnando viriliter contra ipsum dum viueret, induta armaturâ Dei, mediantibus operibus charitatis, iustitiæ, humilitatis, ceterarumque virtutum, quas mirabiliter, vt dictum est, exercuit; quin & mediãte ista reformatione, & Monasteriorum erectione, tendens ad hũc finem, vt diabolũ & eius opera impugnaret, relinquendo eodẽ in exercitio filios & filias, quos in Deo genuit, qui fortes in fide, succederent in eadem palæstrâ, in quâ ipsa adeò frequẽnter inimicum superauit, vt etiam mirabili, forti, piissimoque ausu illum ad certamen prouocauerit; vt de seseipsâ hisce verbis scribit: *Si ego serua Dei sum, quare mihi non aderit fortitudo ad bellandũ contra omnes tartareas potestates? Accipiebam Crucem in manu, & verè videbatur, Deum mihi talem fortitudinem tribuere, vt absque timore vllo cum dæmonibus luctari non dubitarem. Videbatur enim mihi, quòd illâ Cruce omnes dæmones facilè vincerem, sicq; dixi: Venite modò omnes, quia cùm serua Dei sim, volo videre quid in me possitis Et absque dubio videbatur mihi quòd ipsi metuerent me. Et quoddam dominium, verè donatum ab vniuersorum Domino, contra omnes illos mihi remansit, vt non pluris eos quàm muscas facerem.* En quàm generosè femina hæc serpentis caput contriuerit, & quodammodò omnem ei potestatem eripuerit. In quo tametsi pares fortassis alias Sanctas habuerit, vnum tamen est (quod huc etiam spectat) in quo

Prima stella, est victoria contra diabolum. Genesis 3.

Iudicum 9.

Anagramma nominis Teresa.

Diabolus S. Teresiam varie oppugnabat.

Ab eadẽ fortissimè repellitur.

Nec primam similem visa est nec habere sequentem, dum nimirũ ipsa, femina naturâ imbellis, etiam Ecclesiæ Doctorum gradus conscendere, & Doctrix Ecclesiæ audire meruit. Nam & à Salmanticensi Academiâ, ob librorum suorum eruditionem, mysticamque & supernaturalem sapiẽtiam (quod de feminâ hactenus inauditum est) declarata est Doctrix: & Sanctissimus D. N. Vrbanus VIII. in Officio proprio communem quidem de Virginibus posuit Orationem, addidit tamen in eâ, *vt cælestis eius doctrinæ pabulo nutriamur, & piæ deuotionis erudiamur affectu*; quatenus hinc significaret, illam, quæ virgo esset, piæ deuotionis affectu (vt reliquæ Virgines solent) Ecclesiam erudire; & quæ Doctrix esset, doctrinę cælestis pabulo, instar Doctorum, pascere atque nutrire. Libri quos scripsit, omnium manibus teruntur, quippe qui ex linguâ Hispanicâ, in quâ ab ipsâ

S. Teresa est Doctrix Ecclesiæ.

Sanctâ

Sanctâ cōscripti fuerāt, in præcipua orbis Christiani idiomata versi fuerint, Latinum videlicet, Italicum, Gallicū, Germanicum, Belgicum, Polonum. Sunt verò hi: *Vita* eiusdem Sanctæ, qui liber nihil est aliud, quàm ab ineunte suâ ætate vsq; ad Abulensis primi Monasterij erectionem, quidam vitæ discursus, affectionibus diuinis, quas patiebatur, refertus. Secundus eius Tractatus est *Iter perfectionis*, quem præcipiente Confessario suo scripsit. Tertius est *Castellū interius*, siue *Mansiones*, quem ex mandato Doctoris Velasquez sui Confessarij (qui posteà Episcopus fuit Oxomensis, & tandem Archiepiscopus Compostellanus) Toleti incepit, & Abulæ absoluit. Quartus *de suorum Monasteriorum fundationibus*, quem suasu & hortatu P. Hieronymi Ripaldæ, è Soc. Iesu, sui aliquamdiu Confessarij, composuit. Quicumque hosce libros perlegerunt, etiā clarissimi omnium Ordinum Theologi, Teresiæ sapientiam admirantur & facilem mysticarum passionum explanationem adeò obstupescunt, vt rarum genus sapientiæ eis videatur, quod de mysticâ Theologiâ Patres obscurè ac sparsim tradiderunt, à virgine vnâ in methodum tam perspicuè atq; concinnè redactum fuisse: meritoq; illam quasi spiritualis doctrinæ Magistram Ecclesiæ à Deo datam prædicant, conuicti experientiâ diuinæ lucis, & piorum affectuum quos ex Libris illis hauserunt atque hauriunt. Imò plerique grauissimi & doctissimi viri testantur communiter, doctrinā horum librorum, non esse hominis, nedum feminæ litterarum ignaræ, sed Dei; &, vt aliqui subdūt, non acquisitam, sed infusam, & à Spiritu sancto dictatam. Qui nimirum libri, manu ipsius Sāctæ exarati, in magnâ æstimatione & veneratione fuerunt, vt ipsa originalia in Regiâ S. Laurentij prope Madritum Bibliothecâ asseruata, & tandem Philippi II. Regis Catholici pietate vnâ cum S. Augustini originalibus, instar Reliquiarum reclusa fuerint. Et iustè quidem hæc in primâ Teresiæ virtute adducta à me censeo, quādoquidem Doctorum proprium est, caput serpentis conterere, & anguis infernalis astutias versutiasq; conculcare, prout cōstat ex assertione Doctoris Angelici, qui hunc in modum loquitur: *In pugnâ quā contra diabolum pugnamus, illa est præcipua victoria, cùm aliquis hostem non solùm à se, sed à cordibus aliorū remouet, quod fit per prædicationem & doctrinam. Et ideò Doctoribus, & prædicatoribus tertia aureola debetur.* Hoc in S. Teresâ locū habere, satis patuit, & aliàs latis patebit, dum idem argumentum resumemus, & per suos alumnos perfectissimè ei conuenire demonstrabimus illud Prophetæ: *Et qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Quæ eius scripta. — Eadem scripta ab omnibus magno in pretio habentur. — In 4. dist. 49. art. 5. ad 1. — Dan. 12.

80\. Secunda stella in coronâ Teresianâ est victoria quā de mundo retulit, quæ illo Scripturæ loco adumbratur, vbi Balaam hunc in modū prophetasse legitur: *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël, & percutiet duces Moab, vastabitq; omnes filios Seth.* Quæ verba vt ritè S. Matri nostræ applicentur, obseruari inprimis poterit, quod suprà adducto loco de mūdi victoribus habet Doctor Angelicus, qui sic ait: *In pugnâ verò quā contra mundum pugnatur, illa præcipua, cùm à mundo persecutionē vsque ad mortem sustinemus; vnde & Martyribus, qui in istâ pugnâ victoriam obtinent, secūda aureola debetur.* Ita D. Thomas; quæ in Teresiā quadrare facillimè cōcesserit, qui è Capite XI. huius Libri annotauerit, non solùm eos inter Martyres cōputari, quos gladius abstulit persecutoris, sed & hos quorum animas doloris ensis pertrāsiit, quorumque vnum id fuit desiderium, vt pro Dei gloriâ martyrio afficerentur. Vnde & ipsa Deipara Virgo non tantùm inter Martyres accenseri solet, sed &, quamuis naturali morte obierit, Regina Martyrum censetur, & meritò censeri debet. Imò quod ampliùs Teresiæ meritum auget, non tantùm illa animâ atque animo continue Martyr fuit, sed etiam, in quo Martyres perfectionis suæ velut assequuntur complementum, hæc sumpsit exordium, ideoque

Secunda stella, ex victoria contra mundum. — Num. 24.

Nec primam similem visa est nec habere sequentem. Cùm enim circiter septimum annum ageret, incredibili mentis maturitate cœpit æternam gloriam & pœnā meditari ac mirari, adeò vt sæpiùs hæc verba repeteret, *In æternum, In æternū, In æternum.* Quo Dei sensu inualescente, non solùm orationi, & solitudinis amori fuit intenta, sed (quod in ætate tenellâ omnino rarum & mirabile est) cùm historias Martyrum legeret, in martyrij desiderium ita exarsit, vt ex pacto cū Roderico puero, fratre suo germano à paternis ædibus & de ciuitate egressa, Africā, vt à Sarracenis pro Christo iugularetur, per pontem vrbi proximum alacriter iter inchoarit. Quod prosequi statim prohibita, à patruo quodā suo fortè fortunâ obuio, domum mœstissima rediit. Redire ergo coacta, quod martyrij successu obtinere non potuerat, multis piis actionibus, piis lacrymis & eleemosynis, quas in suo statu & ætate tenerâ elargiri poterat, supplere curauit. Quod martyrij tenerrimū in tenerrimâ ætate desiderium à Summo Pontifice maximis elogiis & encomiis collaudatū fuit, vt suprà Lib. I. Cap XVII. n. 6. assignauimus. Ritè ergo Matri nostræ illud Psalmi, quod alioquin D. Virgini iure applicauimus communicamus, *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Vbi enim alij per martyriū desierunt, Teresa incepit, cuius animus non martyrio, sed martyrium animo defuit: & ita quidem defuit, vt propriū illius Officium Apostolicâ nuper auctoritate concinnatum & comprobatū, luculentissimū & sufficientissimum testimonium dicat, hisce verbis de eâ loquens: *A patruo reuocata, ardens martyrij desiderium eleemosynis aliisq; piis operibus cōpensauit, iugibus lacrymis deplorans, optimam sibi partē fuisse præreptam.* Iam locum Scripturæ à nobis suprà allatū applicamus. Orta reuerà fuit instar stellæ generosissima hæc Virgo, dum ex iustissimâ, ceu Iacobi, familiâ originem traxit, vt quasi virga consurgeret de Israël, percuteretq; Moab, atq; vastaret filios Seth. Stella non immeritò Teresa nūcupatur, tum quia velut Hesperus apparuit in fine decimi sexti sæculi, tum quia velut Lucifer & stella matutina exorta est in medio nebulæ suæ infantiæ; & nihilominùs ex Israël, id est numero eorū qui Deo præualent, & quodāmodo generositate suâ vim ei inferunt, cōsurrexit vt fieret virga, terror, & punitio adpercutiendū Moab, & deuastādos omnes filios Seth. Quid Moab? & quid filij Seth? Sæculo nimirū dediti, & qui mundo adhærēt, quibus deuincendis quemadmodum orta est Teresa, ita & vitam totam ei soli rei consecrasse dicenda videtur. Quas non molestias & persecutiones passa est à mundi sequacibus? & tamen illa quò ampliùs impugnata fuit, eò illustriores victorias reportauit. En tibi specimina. Secundùm D. Thomam

S. Teresa à septimo anno ad martyriū aspirauit. — Cum fratre suo Africam adire statuit, sed impeditur. — Psalmo 86. — Quomodo mundum deuicerit S. Teresa.

In 2.2.q.123. *Fortitudo qualis virtus.*

fortitudo tertia Cardinalis virtus est, quæ animum in grauibus & maximis periculis firmat, timorem cohibet, audaciam verò moderatur. Iuxta quam audaciæ moderationem, aggressio pertinet ad fortitudinem, perpessio verò, hoc est immobiliter sistere in periculis, ad repressioné timoris pertinet: & hic est principalior fortitudinis actus, secundùm eumdem S. Thomam. Iam quàm S. Teresia peculiariter mirabili fortitudine prædita & communita fuerit, sequentia euincere poterunt.

S. Teresa fortitudine Christianâ variis è capitibus eminuit.

Primò, quòd bonum illud, quod ab ineunte ætate in seruitio Dei incepit, ad mortem vsq; suam constantissimè prosecuta fuerit, cum ingenti indies incremento imminentia pericula euadens: quam perseuerantiá seu firmitatem D. Thomas appellat fortitudinem, & donū Spiritus sancti. Et magis specialiter ista perseuerantia considerari valet in opere ab ipsâ inchoato ingressus Religionis, emissionisq; in illâ professionis; & posteà in aggressione reformationis huius Religionis, & eiusdem ad optatum finem perductione, & in illâ tandem spiritus sui Deo factâ redditione. Secundò, quòd cùm in erectione primi Monasterij in ciuitate Auilâ, pericula, tumultus, & graues indignationes imminerent, & reipsa sequerentur (tota enim ciuitas in ipsam commota fuit) ipsis se vt murum fortissimū opposuerit, quò sáctum opus ad gloriam Dei perficeret: prout neq; etiam in reliquis Monasteriorū fundationibus, & præsertim in illâ Hispalensi, pericula & difficultates grauissimæ defuerunt; quas omnes virgo fortis virili animo superauit. Tertiò, quòd forti & intrepido animo viros grauissimos, sancto eius proposito aduersantes, coràm & in faciem pro negotio Religionis non solùm alloqui, sed & reprehendere ausa fuerit; vt contigit Toleti, vbi ob eá causam grauiter egit cū Vicario

Toletani Archiepiscopi Vicarius à S. Teresâ reprehenditur

Archiepiscopatus D. Gomesio Tello Giron, qui ob contradictionem nonnullorum, in dando licentiam ad ibi fundandum Monasterium, difficiliorem se exhibebat: quem nihil verita corripuit (exponendo se periculo téporali quod sibi inde euenire poterat, sequendo illud Saluatoris, *Nolite timere eos qui occidunt corpus*) his verbis eum compellans: *Intolerabile est, quod illi qui in deliciis agunt, velint impedire pauperculas quasdam Moniales, quæ nihil aliud prætendunt, nisi cū omni rigore & clausurá, consilia Euangelica seruando, Deo inseruire. Considera quanta bona posit hæc ciuitas amittere, si hæc non fiant; denique quòd de huiusmodi impedimēto redditurus sis Deo rationem.* Et alia similia verba illi dixit eá spiritus vi & efficaciâ, vt statim licentiam impetrauerit, prout ipsa in suo Fundationum Libro scripsit. Quartò, quòd nec aduersa valetudo, quá per plures annos grauiter passa fuit, nec paupertas summa, nec sexûs cōditio, nec labores itinerum, quos in istis fundationū molestiis vt plurimum subire oportuit & perferre, ipsam ab opere inchoato retardare potuerit, sed ea omnia, tam animi, quàm corporis incommoda fortiter sustinuit, & animo æquissimo superauit.

80\. Sed quæ non turbinum procellæ (vt ad particularia magis descendamus) excitatæ contra eam fuerunt; cùm alij dicerét, illam esse à dæmonibus obsessam, eique exorcismos adhibere vellent; alij eam fallacem & deceptricem mulierem nūcuparent, sanctæq; Inquisitionis censuram minarētur? Quo tépore ita ab omnibus derelicta fuit, vt nemo etiam eius Confessiones excipere vellet. Vt omittam, quæ suprà ob Monasterij fundationé in ciuitate Abulensi, & in ipso Monasterio, in quo tunc morabatur, de eá maledicè & ignominiosè dicta atque dispersa fuisse monui; quæ tanta fuerunt, vt propterea à Prouinciali suo in iudicium vocata fuerit, vbi grauissima & nescio quæ ei crimina imputabantur. Quin, quod grauius est, Prædicatores aut Concionatores nonnulli tam apertè publicè & in suggestu in eam inuehebantur, vt nihil aliud omiserint, quam quòd ipsum Teresæ nomen haud semel expresserint: graues insuper & varij testes aduersus illam insurrexerunt, qui multa falsa contra eam sparserunt, & cōtumeliosa in eam verba protulerunt, alij verò multas & graues iniurias publicis scriptis in eam vibrarūt: quæ omnia mitissimè audiuit & tolerauit, & inter tot & tam acria indignationis incitamenta nullum iræ aut indignationis verbulum protulit. Quin, cùm R. P. Dominicus Bannesius ei referret, quòd in quodam grauium virorum consessu vnus ex illis aduersus illā iniurias, probra & conuitia congessisset, eamq; cum Magdalenâ quadā illusâ, & toti Hispaniæ notâ, comparasset, tranquillissimè respondit: *Heu me miseram! non me cognoscūt. Si enim Pater ille me cognouisset, maiora in me probra & maledicta meritò contulisset.*

Modestissimū & humilitatis plenum S. Teresæ responsum.

Sed & cùm Hispali moraretur, ipsa & sociæ eius apud sanctā Inquisitionem, multis impositis falsis & confictis sceleribus, delatę fuissent, tam leniter & mãsuetè omnia accepit, vt Religiosæ cuidam in hæc verba scripserit: *Benedictus Deus, in hac enim ciuitate verè me agnoscunt.* addideritque, vel ideò se curaturam, ne ex eá ciuitate sibi discedendum sit.

Symbolum S. Teresæ quale.

81\. Sed quid sibi vult eius symbolum, *Domine, aut pati, aut mori*, nisi quòd per illud egregius eius aduersa patiendi & tolerandi ardor indicatur; quasi frustra viueret, nisi propter Deū mala pateretur? Et vide tu, Lector, quàm magnā patiendi occasionem ei spōsus eius Christus exhibuerit, & quàm grauissimis eam laboribus exercuerit. Ab emissa enim in Conuentu Incarnationis professione, integro triennio adeò neruorum contractione diuexata fuit, vt nil nisi acutissimos vndique dolores séserit. Iacebat in lecto ita debilis & exhausta, vt nec vnum tantùm digitum mouere posset.

Morbis durissimis diuexatur.

Insuper toto vitæ suæ tempore semper malè affecta fuit: sæpè enim quasi quamdam epilepsiæ speciem, pleuritidem, paralysim, corporis tremores, per singulas noctes vomitus, febres denique frequentissimas passa fuit. Et nihilominùs, per quadraginta annos sic afflicta, & nullo vmquam die ab aliquâ saltem molestiâ huiusmodi libera, per viginti annos Hispaniam peragrauit, niuibus, pluuiis, summis Solis æstibus & ardoribus, paupertati maximæ, & innumeris aliis incommodis, vt Monasteria cōderet, se exposuit; eaque omnia admirabili & incredibili patientiâ pertulit, adeò vt in molestissimis ægritudinibus, & acerbissimis doloribus, nullum aliud ex ore eius verbum audiretur, nisi illud: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala autem quare non sustineamus?* *Iob. 2.* Quam eamdem mirabilem patientiam etiam exercuit in interna desolatione, quæ per viginti annos (Deo sic disponente) acerbissimè illam afflixit: quæ inter prima & grauissima tormenta enumeratur, cùm sit quasi perennie martyrium. Huiusmodi, imò & grauiores derelictiones, postquam Dei benignitatem cœpit experiri, ad tempus tolerauit: multis quoque annis [illegible]

fuit

fuit animo, timens ne à dæmone esset delusa.

82\. Alia præterea sunt, è quibus patuit, quàm generosè vniuersas mundi molestias deuicerit S. Teresa, sed ea modò transimus, & pro tertiâ coronæ Teresianæ stellâ tertium Scripturæ locum promimus, qui hic est: *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Doctor Angelicus eodem loco quo de Doctorum ac Martyrum aureolis agit, ita de virginibus loquitur: *In pugnâ quæ est contra carnem, ille potissimùm victoriam obtinet, qui à delectationibus Venereis, quæ sunt præcipua in hoc genere, omnino abstinet, & ideò virginitati aureola debetur.* Cùm itaque Teresa virgo fuerit, & virgo quidem per eminentiam, vt statim videbitur; non Doctorum solùm & Martyrum, sed & Virginum aureolam obtinuit; adeoque in hoc alias virgines superauit, vt non immeritò hoc Psalmographi ei tribuamus; *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Pro quo notandum, per virginitatem nos Regi æterno desponderi, ac veluti spiritualibus nuptiis iungi, iuxta illud Apostoli: *Æmulor vos Dei æmulatione: despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Sed an mirum tibi videtur Reginâ nominari sponsam illius qui est Princeps Regum terræ? numquid sponsa Regis est Regina? Neque ideò tantùm Regina est Teresa, quòd passionum suarum dominium habuerit, & omnes mundi machinas, assultus, & inuasiones fortiter deuicerit, sed & de eâ intelligi potest illud quod in Canticis legitur: *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt: reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.* Quamuis enim plurimæ in virginitate & casto Dei amore excelluerint, paucæ tamen Teresæ similes inuentæ sunt quoad puritatis excellentias. Et id vsq; adeò verum est, vt quamuis ipsa culpas suas in vitæ suæ relatione exaggerarit (quod per profundam humilitatē fecit) numquam tamen se letale peccatum commisisse, sed nuptialem gratiæ vestem in Baptismo susceptam fidelissimè custodisse confessa sit; vt opera quæ fecit ab incunte ætate, deuotio quam habuit, timor Dei, & odium peccati, quibus semper fuit munita; amor diuinus, quo exarsit; virginitas casta & castitas virginalis, cōsilia quæ dedit, opus istud reformationis quod perfecit, verba quæ semper de Deo fecit, scripta quæ reliquit, ceteræq; ipsius virtutes & actiones piæ & excellentissimæ satis hoc denotant. Sed de castitate & virginitate propriè dictâ hîc agimus, quæ, vt D. Thomas docuit, est pars subiectiua temperantiæ, hoc est quædam illius species, estque virtus, per quam, vt idem Doctor ait, concupiscentia iuxta rationis modum castigatur. Hæc virtus maximè grata est Christo, qui eius candore delectatur, maximè si accedat virginitas, quæ in genere castitatis est & dicitur excellentissima virtus, & consistit in integritate corporis, & immunitate à delectationibus; & magis adhuc formaliter in proposito perpetuo à talibus abstinendi. Iam his omnibus simul S. Teresam mirificè ab omnipotente Deo in excellenti gradu fuisse decoratam, constat Primò ex proposito firmissimo, quod ab infantiâ habuit, perpetuò colēdi istam virginalem castitatem; insimul cum quodam odio sibi impresso, & velut à naturâ insito, contra omne quod impuritatem verbis aut factis sapere posset, prout ipsamet Sācta in Vitæ suæ relatione multis locis de se affirmat, & Reuerendissimus Tirasonēsis lib. 3. suæ Historiæ c. 4. optimè comprobat. Secundò ex testimoniis Confessariorū S. Teresæ, inter quos est P. Rodericus Aluaresius è Societate Iesu vir sapiens & spiritualis, qui generalem eius cōfessionem audiuit. Hic dixit quadā die, manu suâ tenēs conspicilia quibus ob debilitatem visus vtebatur, adeò esse impossibile, quòd S. Teresa turpes cogitationes pateretur, ob singulare Dei priuilegiū, atque impossibile esset eas pati conspicilia quæ ostendebat. Magister Didacus de Yangues, è grauioribus & doctissimis Ordinis S. Dominici viris, & aliquando Sanctæ Confessarius, illam non quouis modo virginē, sed thesaurum virginitatis appellare solebat. Vnde & idē, qui suprà, Tirasonēsis Episcopus affirmat, quòd ipse, & omnes qui cognoscebant S. Teresam, & cum ipsâ versabantur, illam aspexerint non tamquā personam carnis & sanguinis, sed tāquam Angelum viuentem in hoc mūdo absq; infectione & maculâ immunditiæ carnis. Hic insuper notauit & experimento cognouit in nostrâ Sanctâ, quòd toto tēpore quo cum illâ egit, quāuis omnes in eâ virtutes resplēderent, virtus castitatis & puritatis animæ illius clariùs manifestaretur in vultu & ipsius cōpositione, quâ ad hanc virtutem attrahebat illos qui ipsam alloquebantur, adeò quòd in facie suâ portauerit impressam imaginem castitatis & interioris puritatis. Tertiò ex eo quòd numquam carnis tentationes experta fuerit, illasq; omnino ignorauerit, idq; peculiari gratiâ & priuilegio Dei. Ex quo non semel euēnit, quòd cùm aliæ Moniales, carnis stimulis vexatæ, illam pro remedio consequendo consulerent, illis respondere soleret, aliā esse consulendā, eò quòd ipsa, Dei misericordiâ, huiusmodi motus nūquam passa fuisset, sed omnino cuiusmodi essent ignoraret, ideoq; hac in re consilium dare non valeret. Quartò ex circūstantiis summæ honestatis, modestiæ, circūspectionis, aliisq; similibus, quibus & quoad seipsā, & quoad Moniales suas ornata fuit, ita vt castitatis ornatū filiabus suis verbo & exemplo impressisse videatur, vt ex earū moribus & mirabili pudicitiâ apparet, nec non ex Cōstitutionibus, quas pro perfectiori castitatis obseruantiâ suis Monialibus tradidit. Eam denique perpetuam castitatem & virginitatem S. Teresæ Dominus noster Iesus Christus approbare voluit mirabili corporis illius integritate & incorruptione, mirificoque odore & liquore suauissimo, de quibus fortè alibi vberior erit dicendi occasio.

83\. Neque satis fuit huic Sanctæ, exactè adeò, vt summi illius Regis fieret Regina, virginitatē excoluisse, verùm insuper in vestitu charitatis deaurato, vt eò ampliùs Sponso placeret, apparuit, seque totam virtutum omnium ac perfectionum varietate circumdedit, vt Christo gratiosior euaderet: quòd virginum, atque adeò sponsarum, proprium esse, non tantùm D. Thomas loco iam toties adducto, sed etiam D. Paulus Apostolus asseruerunt. Ille quidē, dum virgines ideò à voluptatibus & carnis curis abstinere docet, vt in seruitio Dei feruentiores esse queant; hic verò, dum ita scripsit: *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus*

Tertia stella victoria de propriâ carne, siue virginitas.
Psal. 44.
Per virginitatē Deo desponsamur.
2\. Cor. 11.
Cantic. 6.
Numquam letale peccatum commisit S. Teresa.
2\. 2. q. 143. a. 1
ibid. q. 151. a. 1. & 2.
Castitas quid sit virtus.
Documenta, quibus S. Teresam virginitate in altissimo gradu excoluisse probatur.
Roderici Aluaresij de S. Teresæ pudicitiâ testimonium.
Didaci de Yangues de eâ testimonium.
A carnis illicitis motibus immunis fuit.
In omni actione suâ pudicitiam egregiè ostendit.
Corporis eius integritas miraculo comprobata.
Charitatem pudicitiæ iunxit S. Teresa.
Charitas virgines feruētiores reddit.
1\. Cor. 7.

tus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. Ideoque quò virgo est perfectior, eò feruentiùs Deo inseruire contendit: quod ita in Teresâ excelluit, vt parem sibi hactenus nó aut vix inuenerit. Efficax scilicet propositum, curaque continua sui ipsius, suarumq; actionum & cogitationum, quâ secum statuerat, numquam offendere Deum velle non solùm culpâ aliquâ veniali & leui, sed & nec actu aliquo minoris perfectionis, ad hunc ipsam apicem perduxit: ex quo posteà processit votum illud rarum & notatu dignum, quod emisit, nempe, semper agendi quod inter multa quæ illi occurrerent, gratius & acceptius Deo sibi videretur; ita vt per talem voti emissionem nó solùm voluerit quod placitum esset Deo adimplere, quod amoris istius magnum signum fuisset, iuxta illud, *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit;* sed etiam, quia inter istas amoris flammas ardebat, voluerit id quod perfectius & Deo acceptius indicaret, exequi, & ad id voto se obstringere. Quod & fideliter Deo reddidit, præ nimio amore quo illum propter se ipsum prosequebatur, vt totius vitæ suæ cursus probat.

Ioan. 14.

84. Quarta Teresianæ coronæ stella illo Salomonis suo nomine sponsæ citato explicatur, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Si enim cuipiam hoc applicari poterit, potest sanè Seraphicæ nostræ Matri, quæ adeò in Dei charitate excelluit, vt præ multis, ne dicam vniuersis, in eâ excelluerit. Hoc iam stabiliamus. Charitas, teste D. Thomâ, est virtus quæ nos Deo coniungit, & quæ attingit ipsum Deum, vt in ipso sistat, non vt ex eo aliquid nobis proueniat. Vnde est virtus, quâ Deum summum bonum diligimus propter ipsius bonitatem, reliqua autem in ipso & propter ipsum: sicque charitas inter omnes virtutes principatum obtinet, estque quasi ceterarum virtutum mater. Ex hac virtute excellentissimâ nascuntur duo filij; amor Dei, & amor proximi. De filio primogenito, id est de amore Dei, iam agendum; de altero posteà. Dico ergo, amorem Dei in S. Teresâ fuisse in gradu heroico & eminentissimo, vt ex sequentibus manifestè patere potest. Primum itaque diuini istius amoris indicium desumere possumus ex ceteris virtutibus, quibus ipsam Deus exornauit. Charitas enim, vt testatur D. Thomas, dat formam actibus omnium aliarum virtutum, sicque est forma illarum, cùm per ipsam actus omnium aliarum virtutum ordinentur ad vltimum finem, nempe summum bonum. Et à charitate reliquæ virtutes viuificantur, iuxta Apostolum, dicẽtem; *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Item: *Finis autem præcepti est charitas.* Et: *Charitas patiens est, benigna est, omnia credit, omnia sperat.* Cùm ergo reliquæ virtutes, vt partim diximus, partim dicturi sumus, adeò eminenter in S. Teresâ resplenduerint, sequitur, formâ illarum, nempe charitate ardentissimâ erga Deum, præditam fuisse. Secundò patet idem ex mente intentâ, quam perseueranter habuit in Deum, vt ferè numquam ab illius præsentiâ & diuinâ consideratione vel contemplatione recesserit, adinstar ardenter amantium, qui diu noctuq; de personâ dilectâ fideliter intenteque cogitant. Quod Sanctæ nostræ euênit, cum quadam perenni Dei præsentiâ semper illius menti impressâ. Tertium, ex quo istius diuini amoris in S. Teresâ fortissimam vim ostendimus, est molestia grauis, quâ, ex Christi absentiâ, cor suum tamquam sagittâ transfixum gerebat, & ex quâ animam sibi exhalare videbatur, ita vt voces, amoris signa, ederet, cùm absentiæ dolorẽ ferre non posset. Quartum indicium capimus ex eo, quòd sæpè ex eiusdem diuini amoris impetu ecstasim fuerit passa, vt alibi fortè latiùs dicetur. Pro nunc sufficiat illud quod ei contigit Salmãticæ, cùm audiret canticum de Christo amatorium; & Toleti, dum matutinas preces persolueret. Vtrobiq; enim prædicto amoris impetu extra se rapta fuit. Quintum argumentum ex multiplici fomẽto, quo Christus in ancillâ suâ flammam vehementer ardentem multò ampliùs excitauit; prout factum est, quando misit Angelum vultu decorum, qui iaculo ignito illius viscera traiecit, & ineffabili amore æstuare fecit, prout ipsamet de se scripsit: præterquam quòd Christus ipse ei manum dexteram porrigens dixerit: *Aspice clauum hunc, qui te sponsam meam ex nunc fore significat. Honorem deinceps meum quæres, non modò vt creatoris, Regis ac Dei tui, sed vt vera sponsa mea. Iam meus honor, tuus, tuusq; meus est.* Quæ verba incredibile diuini amoris Seraphici incẽdium in corde S. Virginis Teresiæ excitarunt, de quâ certè, his & aliis diuinis fauoribus & gratiis, necnon tot virtutibus heroïcis condecoratâ & illustratâ, loqui videtur D. Gregorius, dicens: *Sunt nonnulli, qui superne contemplationis facibus accensi, in solo conditoris sui desiderio anhelant: nihil iam in hoc mũdo cupiunt, solo æternis amore pascuntur, terrena quæque abiiciunt, cuncta temporalia mente transcendunt, amant & ardent, atque in ipso suo ardore requiescunt. Amando ardent, & loquendo alios accendunt; & quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt.* Quid ergo istos nisi Seraphim dixerim, quorum cor in ignem conuersum lucet & vrit, quia & mentium oculos ad superna illuminãt, & eos compungendo in fletibus, vitiorum rubigine purgãt. Sextũ, fuit impetus amoris vltimus & maximus, quem morti proxima sensit: ex quo potiùs quàm vi morbi obiisse, ipsamet, pro consolatione suarum Monialium, reuelauit Matri Catharinæ à Iesu, Priorissæ Conuentus oppidi de Beas, mulieri spectatissimæ virtutis & probitatis, quæ & hanc sibi factam reuelationem suo Prouinciali ac Confessario enarrauit.

Cant. 2.

Quarta coronæ stella, ardens charitas erga Deum.

Charitas qualis sit virtus.

Charitas habet duos filios, amorem Dei, & amorem proximi.

Formam dat omnibus virtutibus.

Coloss. 3.

1. Cor. 1, 13.

Semper cogitationes suas in Deum direxit S. Teresa.

A Deo se abesse molestè ferebat.

Sæpè ecstases amorosas patitur.

A Christo ipse in amore suo vegetatur.

Homil. 34. in Euangelia.

Etiam sub ipsam mortẽ à Dei amore vrgetur.

Quintam coronæ Teresianæ stellam illa Prophetæ nobis verba proponunt: *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron.* Libanus idem significat quod candidus: est mons altissimus Phœnicis, terminusque Aquilonaris Terræ promissionis, sortitus nomen vel à niuium albedine, vel à thure quod ibi plurimum inuenitur; abundantiâ cedrorum, quas inde Hiram Rex pro templi Ierosolymitani constructione Ierosolymam ad Salomonem mittebat, celebratus. Quæ omnia quamuis sanctæ Teresæ conueniant ob candidissimæ castimoniæ, vt suprà iam explicuimus, excellentiam, & quòd thus continuum ardentissimæ charitatis erga Deum & orationis obtulit; hoc loco insuper visui erunt ad expli- 85.

Isaiæ 35.

Quinta coronæ S. Teresiæ stella, quia Ordinẽ reformauit.

candum

eandum eximium & rarissimum illud priuilegium, quo ei soli à diuinâ Maiestate commissa fuit Carmeli reformatio, decorque eius pristino nitori vigorique restituendus, si non superâdus. Quomodo verò Dominus Deus paulatim eam & suauiter ad tantū audendum & perficiendum facinus perduxerit, sic, Lector, habe. Cùm vigesimum annum, nullis non pijs exercitiis incumbens, attigisset, & spiritus sitim in sæculo explere non posset, monasticam vitā aggredi constituit. Et cùm ob intensum amorem, quo eam pater suus prosequebatur, diffideret ab ipso licentiam obtinere posse, decreuit, etiam inscio parente, se conferre in eadem vbi habitabat ciuitate ad Monasterium Monialium Incarnationis, Ordinis mitigati Beatæ Mariæ de monte Carmelo; id quod & fecit, ibique habitum eiusdem Religionis induit, & maximâ cum laude obseruantiæ & pietatis, post annum expletum, solemnem professionem emisit: & indies se exercēs in virtutibus omnibus, mirificè in illis profecit. Grauissimis namque, vt iam diximus, vexata morbis per aliquot annos, in patientiâ incredibili laudabiliter se exercuit. Et cùm inter alia per decem & octo annos molestissimam spiritus ariditatem inuictè pertulisset, quadam die coram vulnerati Christi imagine prostrata, tam fidenter orauit, vt ex eo tempore miram in seipsâ mutationem, & robur cœperit experiri, ita vt posteà orationi & altissimæ contemplationi dedita, reuelationibus & visionibus diuinis, familiariq; Dei conuersatione illustrata, felicissimos progressus in virtute fecerit. Cùm autē ipsa dubitaret de suo spiritu, qualisnam esset, humiliter cum multis viris pietate ac doctrinâ clarissimis communicauit: quorum accuratissimo examini, ne deciperetur, se subiecit; à quibus omnibus spiritus, quo ducebatur, fuit vnanimiter approbatus. Cùm ergo S. Teresa diuino lumine ac robore in spiritualibus exercitiis aucta mirificè fuisset, & cuperet austeriorem vitæ modum, vt Deo acceptior fieret; cœpit de primitiuâ Carmelitarum Regulâ cogitare. Quod ita Christo Domino fuit acceptum, vt die quadam, post sumptionem sanctissimæ Eucharistiæ ei præceperit, vt operi cogitato seriò incūberet. Quod ipsa constanter executioni mandauit. Et inprimis in eadem Abulēsi ciuitate Monasterium Monialium Discalceatarum titulo S. Ioseph erexit, non obstante turbulentissimâ commotione, eadem de causâ in illâ vrbe (Deo permittente) ad maiorem operis perfectionē excitatâ: in quo quidem Monasterio cum aliquot virginibus prædictam Regulam primitiuam professa fuit, Regulæque ipsi, ad perfectiorem eius obseruantiam, auctoritate Apostolicâ, statuta alia, cælesti prudentiâ & pietate plena, adiecit. Excitato autem ab omnipotente Deo in sanctâ istâ virgine quodā summo desiderio circa propagationem huius reformationis, illamque ipsâ summis à Deo precibus postulante, post quinquēnium ab erectione primi sui Monasterij venit Abulam R. P. F. Baptista Rubeus de Rauennâ, Carmelitarum Ordinis Generalis, qui S. Teresæ amplissimā facultatem concessit ad noua Monasteria tam Monialium quàm Fratrum Discalceatorum erigenda. Huius vigore Hispaniam tunc totam pænè ipsa virili animo peragrauit, ac octo & decem Monasteria Monialium erexit ac gubernauit: Fratrum verò quindecim fundata vidit, eaque mira prudentiâ direxit, vt meritò eam tam Fratres quam Moniales Fundatricem & Spiritualem matrem totius huius nouæ reformationis Discalceatorum B. Mariæ de monte Carmelo appellent, eamque vt talem venerentur.

Ad tam arduum opus paulatim diuinâ manu perducta fuit.

Eius conatus Christo est gratissimus.

Primum Monasterium reformatum Abulæ construit.

86\. Porrò vt meliùs & faciliùs cognoscamus, quàm excelsum opus fuerit, à virgine antiquissimum Religiosum Ordinem reformari, breuiter eius progressum ab exordio vsque ad nouissimā à S. M. N. Teresâ factam reformationem apponimus, iisdemque verbis, quæ habentur in initio priuilegiorum ac diplomatum Apostolicorum, Romæ anno 1617. editorum. Vbi vt naturâ vnaquæque res ab integris absolutisque procedens in infima & effœta dilabitur; ita pium non rarò & spirituale quidpiam à perfectis initiis in ignauiâ desuescit. Proinde noster Carmelus quamquam anteà Monastici cultus eximio rudimēto mirificè attolli cœpit, processu tamen, quæ nostræ mortalitatis est infirmitas, paulatim decedit. Quando autem optimum est proficiendi genus exordia rerum cōtemplari, vt ad inceptæ lineam strenuitatis robustissimus finis exigatur; & nos non leuiter profecturos crediderim, qui strictius Carmeli resumpsimus institutum, si ad eius initia animum conuertentes, quæ anteacta sunt percurramus. A suis Natalibus Ordinem nostrū percensere qui velit; vt cœperit, vtq; adoleuerit, & quodammodo ad iuuentæ florem peruenerit, vt posteà veluti consenuerit, quamdam quasi ætatem eius inueniet in quatuor gradus processusque tributam. Prima ætas sub principe Eliâ & Eliseo ac filiis Prophetarum fuit, quos ille primùm, decretâ iis Carmeli Sede, eremiticâ imbuit disciplinâ, sed rudiore. Atque hæc nimirū nostræ institutionis primordia, seu quędā quasi infantia, in Euangelicæ legis tempora, & secundam ætatem se produxere, quâ per Ioannem Apostolosque ad perfectiorem fidem & præstātiorem vitæ rationem traducta est proles Eliæ: quin ipsi etiā Carmelitæ Christi præcones euasere vniuersâ ferè Galilæâ, Samariâ, Palestinâ, eorumque alij incoluere Alexandriæ nemora, quos Christianè Diuus Marcus instituit, alij Palestinæ, quos item Christo fuisse imbutos probat Cardinalis Baronius. Ceterum eamdem viuendi normam à nostro Principe Eliâ, eiusque Sectatore Eliseo inductam omnes amplexi sunt, nec desideratur qui dicat, ob eam causam Essenos, aut Esseos quasi Elissenos, vel Elisseos vocatos; & hęc fuere aliorum, quotquot noscuntur, Institutorum limina & seminaria, quippe ab Alexandrinis Essenis immensa succreuit Eremitarum Cœnobitarumque seges totius Ægypti: à Palestinis integra Syria & Palestina conspersa est, vt non immeritò Paulum, Antonium, Macarios & eiusmodi ceteros Eliæ progeniem agnoscamus. Fide igitur Euangelicâ exornato Carmelo, candidati filij tanti patris quo tandem loci dicatum anteà meritissimo Duci peruetustum Sacellum prominuit, recēns Deiparæ consecrarunt, quæ illos viuens non semel præsentiæ gratiâ quàm sanctissimè affecerat; effectumque est, vt qui quondam Eliæ, iam dignioris tituli nomenclaturam nacti, Beatæ Mariæ à monte Carmeli dicerentur. Hac inpo-

Series progressionis in reformationis opere.

Quatuor veteris Ordinis Carmelitarum tēpora.

Prius sub Prophetis.

Alterum fatim post Apostolos.

sterum enutritus parente mirandum in modum adoleuit Carmelus, vt non immeritò hanc secundam eius ætatem,& veluti adolescentiã appellemus. Sub hæc tempora præfuit ante omnes Carmelo Enoch è duobus supra septuaginta discipulis vnus, & Neapolitanus Antistes, aliique deinceps eximiæ viri sanctitatis: post annos circiter quadringentos Ioannes Hierosolymorum Patriarcha, idemque anteà Carmeli gregarius, efflagitante Caprasio Carmelitâ, institutionem quamdam regulámve descripsit, quæ ad ætatem tertiam religiosissimè perducta est. Intereà callidissimus serpens, qui pridem Adæ paradisum inuidit, operosa illa sanctissimaq; otia nostri Carmeli exosus, Cosdroâ Syriam occupante, desæuientes eò Persas adegit, ac lacrymabili mõtem vastitate detriuit. Sacra latè oratoria, & cellulæ populata, soloque fusa; Eremicolæ verò ferro traditi sunt, mixtusque est suorum sanguine fons Eliæ. Et quamuis posteà non mediocri per Eraclium pietate instaurata resurgerent ædificia,& Monachorum coalesceret multitudo, diriorem subinde Sarracenorum turbinem vltimâ pænè internecione excepêre. Sed suis astibus & venenis minimum dixerim offecisse Carmelo anguem teterrimũ, cuius iacta truculentiæ semina progenuere tot Martyrum gloriosa roseta. Igitur post geminatam sæuitiam coactæ nostrorum rariores reliquiæ, quibus ferrum indulserat, prædura immanissimorum Arabum subiere tributa, qui illis inhibito albo pallio, quòd inter eos honorifica esset satraparum nota, varium iniecere,& eousq; gestatum dũ ab Honorio IV. Summo Pontifice albo iterùm donati sunt. Per idem tẽpus æmulatæ viros mulieres, & seueriorem Carmeli disciplinam edoctæ, incredibilem illi addiderunt ornatum: cum primis autem fortis Eugenia piè sexum mentita inter Eliæ Consecraneos mirè peruixit, iisque tãdem erumpens plurimarum effecta est generosa parens Monialium, Alexandriç primò, deinde Romæ, vbi martyrio est consummata. Quapropter clausarum intra sacras ædes virginum conferri posse videtur in Carmelum origo, antiquissimæ enim feminæ Oriẽte toto nõn nisi ab Eliæ discipulis eremiticè institutæ sunt, Occidentẽ verò nulla prior Eugeniã virgines docuit sacris concludere peristyliis. Verùm & ipsæ hostiles insectationes perpessæ sunt. Recuperatis autem Deo annuente Hierosolymis annò circiter 1110. Antiochenus Patriarcha,& Apostolicæ Sedis à Latere Legatus Almericus, inclinatum Carmelum peramicè suffulsit, & nostri Ordinis viros tot sæuitiis territos, imminutosque plurimis beneficiis est prosecutus; multos etenim metu dissitos, omnes Anachoretarum modo seorsim agentes in speluncis ac cellulis,& quamquam vnà psallere, nondũ vnà conuiuere assuetos communi clausit domicilio, & ad vitam transtulit suauiorem. Is deinceps, Latinorum cõpluribus ad nostrum Ordinem conuolantibus, Ioannis regulam Græcè conscriptam Latinè reddidit, ne qua illis obreperet inobseruantia idiomatis ignorationem causantibus. Sed post quinquagesimũ annum quia prolixè multa Ioannes præscripserat, & quæ difficultatem ingererẽt; ab Hierosolymorum Patriarchâ Alberto petiere eius temporis eremitæ quæ ille fusim implexeque statuerat, per ipsũ exponi, ac nouam breuioremque sibi vitæ formulam tradi. accepêrunt ergo à præstantissimo viro perbreuem illam, quæ nunc viget, & numeris omnibus absolutam regulam anno 1171. Lateranensi nedum acto Concilio, à quo posteà, & ab Honorio III. suam obtinuit firmitatem, nec absque miraculo; dubitanti enim Pontifici an datis de confirmatione Libellis annueret, Virgo Deipara per visum astitit, quod à suis filiis, hoc est Carmelitis, postulabatur, vt concederet commonefaciens, & nonnullos, qui petentibus aduersabantur, mortuos in pœnam testata est. Sub hac Alberti regulâ non facile dictu est quàm latè Carmelus increuerit, cùm nedumtaxat ipse mons, verùm nec Palæstina suppeteret nostrorum Collegiis Eremitarum. At malitia inhabitãtium eas vrbes, florentissimam hanc sacri montis tertiã ætatem, vel iuuentutem iis terris decoxit, quod Cyrillo diuinitus pronuntiatum fuit, qui ab augustissimâ Virgine transituram resciuit ad Europæ terras Monasticam Palestinæ coronam, Carmelitasque augendos ibi numero productiore. Quare breui iterùm per ea loca Sarracenorum debacchãte rabie, conuenere nostri generatim in monte, ac de imminẽtibus Ordini vniuerso extremis casibus actum est. Tentari Europam consenserunt, nec lõgo pòst interuallo in Cyprum aliquot atque Angliam traiecere, in iisque prima extructa sunt cœnobia Carmelitarũ. Mox peruasit ad Gallias disciplina eadem, per Ludouicum Regem, qui Carmelum inuiserat, paucis è monte in eum finem abductis. Anno itaque 1290. excussæ toto Carmelo & Palæstinâ Monasticæ sedes ab impiissimis Mauris, nec vllà maior tantæ immanitatis occasio, quàm varij pallij, quod ipsi nostris obtruserant, in album facta regressio. Tum si quos gladius impiorũ præteriit, ad Europæ Cœnobia commigrauere, vbi multâ duratione perstitit illa Ordinis viuida ętas atq; iuuẽtus, quãuis pauca strictiùs per Albertum præscripta, eaque sanè non multi ponderis, vno alterove Capite moderari ab Innocentio IV. Summo Pontifice sit postulatum. Anno demum 1431. collectis in comitia Fratribus, supplicari Summo Pontifici pro nouâ regulæ moderatione decretum est. Quamobrem leniuit instituti rigorem Eugenius IV. & in eâ mitigatione Carmelitæ deinceps cõstitere in quartâ antiquæ disciplinæ veluti ætate ac senio. Tandem Deus optimus qui suorum instar aquilę renouat iuuentutem, ad instaurandum Carmeli robur, sanctissimo anno 1561. eximiam sanctitate virginem Teresiam à IESV cælesti Spiritu afflatam excitauit, quæ pristinam Alberti regulam primùm sibi, mox virginum cœtibus, postremò duobus ex Carmelitis, quos mitigatos vocant, proposuit strenuè recolendam. Horum Patrum alter Antonius à IESV, Ioannes alter à Cruce, vterque sanctitate illustris, vltimus miraculis etiam clarus anno 1568. in natali Hispaniç solo prope Abulam antiquiori Carmelo nouissima fundamenta dedere. Discalceati deinceps Carmelitæ in dies aucti communem tamdiu cum mitigatis Præsulem agnouerę, donec anno 1580. Philippo Rege intercedente, per Gregorium XIII. Romanum Pontificem seiungendæ à mitigatis Prouinciæ, statuendique Prouincialis reformatæ familiæ data facultas, qui tamen mitigatorum summo Præsuli seu Generali subde-

Multi sub id tempus Martyres Carmelitæ.

Multæ & Virgines.

Tertius Carmeli status.

Regula Carmelitica primitiuæ probatio.

In Europam Carmelitæ commigrant.

Quando mitigatæ Regulæ acceptæ, tum veluti quartus Carmeli status.

Ordo operâ S. Matris nostræ Teresiæ reformatur.

subderetur. Per hæc initia reuocabatur prior ille Carmelus, & citâ propagatione occupatis Hispaniis ad Indos cœpit protedi. Quocircà excalceatorum Cœnobiis percrescêtibus anno 1587. Summus Pontifex Sixtus V. Philippi Regis deprecatione, vt celebrare Conuentus possent, creare generalem Vicarium, Prouinciasque partiri iis indulsit, adiecitque Vicario ad faciliorem administrationem sex consultores. Demum anno 1593. generatim vniuerso Ordine coëunte, vtrimque consensum est in omnimodam Discalceatorum mitigatorumque segregationem certis quibusdam conditionibus placitisque, Clemente VIII. omnia postmodum comprobante, ac primum Discalceatis generalem Præpositum decernente Nicolaum à Iesu Mariâ. Rebus in eum modum compositis recens congregatio totas mirificè condecorabat Hispanias, ac disciplinæ seueritate dulcissimos animabus afferebat fructus, quibus ne princeps Roma diu careret, mutuata ex Hispano solo Religionis nostræ semina idem Clemens in Italiam, & hanc maximè vrbem inuexit, datis vltrò ad Cœnobiorum erectionem, Romanique præsertim in ædibus S. Mariæ de Scalâ, Pontificiis litteris; Discalceatos verò Italicæ Prouinciæ ab Hispanis ad commodiorem gubernationem secreuit, & nouo Præposito generali concesso, in peculiarem efformauit congregationem, quæ mox paucissimis annis in Gallos, Belgas, Polonos, Germanos, Persas, Orientales denique Indos intulit pedem. Reliquum erat, vt ad monasticæ perfectionis constratam viam, ad quam percurrendam tot calcaribus impellimur, hoc nouo stimulo incitaremur, vt ex vberrimâ Pontificorum indultorum syluâ quædam, & quæ maximè nostræ congregationis propria sunt, hoc volumine exararentur; quibus ob oculos propositis, & pro dignitate perpensis, ex Summorum Pontificum in nos spiritali munificentiâ quantum proficiendi nobis onus incumbat, intelligeremus. Hactenus Romana illa Ordinis seu Congregationis nostræ quoad initium progressumque & modernum statum compendiosa descriptio. quæ non inutiliter hîc fuit adducta, vtpote ex quâ liquidissimè constet Isaiæ Prophetæ encomium in Teresiâ locum habere; quo ait decorem illi Carmeli datum esse, decorem inquam seu nitorem pristinum, cui illa Ordinis sui obseruantiam restituit, veterumque Carmelitarum rigorem, vigoremque quodam modo resuscitauit. in quo vt nulli dubium sit, ostendam etiam ex ipsis Pontificum Bullis Carmelitas Discalceatos verè ac propriè Carmelitas esse, eorumque imò & aliorum quorumcumque Ordinum Indultorum ac priuilegiorum, vti & indulgentiarum, participationem nactos: liquet id ex variis Apostolicæ Sedis rescriptis, nominatim vbi hunc in modum illorum vnus locutus est:

Mirè dilatatur.

Variè priuilegiatur.

Quomodo hæc sint ad gloriam S. M. nostræ Teresiæ.

88\. *Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam. Romanum Pontificem decet pacem, & vnitatem, maximè inter Dei ministros, omni sollicitudine tueri. Quamobrem ægrè tulimus eos, quorum est euangelizare pacem, & bona, & quibus à Domino sæpè iubetur pacem & vnitatem diligere, veritatem apertissimam perperàm & sine fundamento impugnando, pacem, non absque scandalo pusillorum, scindere. Ad aures enim nostras peruenit, nonnullos Religiosos in partibus Indiarum, non obstantibus habitu, regulâ, professione, ac titulo à Summis Pontificibus prædecessoribus nostris, & nobis, ac etiam ab vniuerso populo Christiano vbique dari solito dilectis filiis reformatis Discalceatis Ordinis beatissimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli, ausu temerario contendere, illos Carmelitas non esse, neque vnum ex quatuor Ordinibus mendicantibus. Nos qui iustitiam & veritatem colere tenemur, huius rei, licet adeò esset manifesta, maiorem certitudinem, habitâ in nostrâ Congregatione super reformatione, & visitatione regularium constitutâ, maturâ deliberatione, nostrâ declaratione patefacere deliberauimus. 1. Quocircà motu proprio, & ex certâ scientiâ nostrâ, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine, Ordinem & Congregationem dilectorum filiorum reformatorum Discalceatorum Ordinis beatissimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli, vnum esse ex quatuor Ordinibus mendicantibus, Ordinem scilicet Carmelitarum (cuius Religiosi strictiùs regulam à bon. me. Alberto Patriarchâ Hierosolymitano habitantibus in monte Carmeli traditam, & à fel. rec. Innocentio Papâ IV. prædecessore nostro confirmatam profitentur, & obseruant) ipsisq; omnia ad prædictum Ordinem tam de iure, quàm ex priuilegiis attinentia tamquam propria competere auctoritate Apostolicâ tenore præsentium declaramus. Cui declarationi nostræ si quis contradicere præsumpserit, illum anathematis vinculo innodamus. 2. Et licet dicti Religiosi, vt accepimus, Euangelicæ humilitatis æmulatores, consilium Dominicum sectantes, infimum locum tam in processionibus, quàm in Congregationibus, & aliis quibuscumque euentibus elegerint, & eligant; nos tamen qui Domini vices gerentes in terris omnium iura tueri tenemur, ipsos nullo modo decursu temporis, aut alio præscriptionis modo, locum & præeminentiam, aut aliam prærogatiuam Ordini Carmelitarum competentem perdere in toto, nec in parte, neque in dubium reuocari, ita vt quoties, quæ per humilitatem prætermittunt ordinem repetere voluerint, propriâ auctoritate possint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis perpetuo, statuimus, volumus & ordinamus.* Hactenus Clemens Papa VIII. Cuius etiam Bullæ tenorem Paulus V. de verbo ad verbum iterùm confirmauit atque in vniuersâ Dei Ecclesiâ seruandum declarauit 24. Septembris anno 1605.

Clemens Papa VIII. Ordinis Carmelitarum esse Discalceatos affirmat.

Contradicentibus sententiam excommunicationis intentat.

Ex quibus abundè satis patet, Congregationem nostram Carmelitarum Discalceatorum verè Ordinis esse Carmelitarum qui vnus est de quatuor mendicantibus, atque adeò S. Matrem nostram Teresiam Ordinem tam sublimem tantâ suâ gloriâ reformasse; quin vt & vlteriùs Summi Pontifices affectum suum erga huiusmodi reformationem clariùs ostenderent, eam non tantùm Ordinis sui verùm etiam vniuersæ Dei Ecclesiæ Religionum, priuilegiorum participem reddidere; testis sit idem præ reliquis cuius sunt verba. 89.

Clemens Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Cùm dudum Congregationem Fratrum Discalceatorum Ordinis B. Mariæ Virginis de monte Carmeli à Prioris generalis, & Fratrum mitigatorum eiusdem Ordinis subiectione, & dependentiâ omnino liberauerimus, ac nostræ, Sedisq; Apostolicæ obedientiæ, gubernio, & protectioni subiecerimus, & susceperimus, prædictisq; Fratribus Discalceatis Præpositum generalem ex seipsis, ac suæ professionis dederimus, qui iuxta eorum regularia instituta eos gubernet & regat. Et prætereà cùm vberes laborum suorum fructus ex continuis suis prædicationibus, lectionibus, studiis, exhortationibus, & aliis

Quænam Priuilegia alia ab eod. Pontifice Carmelitis Discalceatis concessa.

aliis penè innumeris pietatis operibus, quæ pro salute animarum aßiduè præstant, Ecclesia colligat & vberiores quotidie colligere speret, vtpote qui iam ad Indos vsque sint non mediocrè propagati, ibiq; & vbilibet hominum corda ad Deum omni studio conuertere nitantur. Et quia cùm prædictos Discalceatos à mitigatis separauerimus, dubitari forsan posset, an gratiæ ac priuilegia ipsis Carmelitis mitigatis tam principaliter quàm per communicationem concessa, ea etiam Discalceatis competant. 1. Propterea nos ad tollendam omnem præfatam ambiguitatem prædictorum Fratrum Discalceatorum Præpositum generalem, eiusq; Fratres sibi subiectos omnes, & eorum quemlibet à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes: necnon quorumcumq; priuilegiorum, indultorum, exemptionum, & immunitatum mitigatis Fratribus cõcessorum tenores præsentibus pro expreßis habentes: volentes eosdem Fratres Discalceatos, suumq; Ordinem specialibus fauoribus & gratiis prosequi, & à dilecto filio nostro S. R. E. Cardinali Dominico Tituli sancti Chrisogoni Pinello, eiusdem Ordinis protectore plenè informati, & ad eius instantiam ex certâ nostrâ scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine prædictum Ordinem Discalceatorum, qui vnus est de quatuor mendicantium, eiusq; Præpositum generalem, suosq; Fratres omnes, & singulos, ac Moniales, Domos, Conuentus, Cœnobia, Collegia tam virorum quàm mulierum, ceteraq; eiusdem pertinentia respectiuè priuilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis & gratiis, quibus fruuntur & gaudent ceteri Carmelitæ mitigati tam principaliter quàm per communicationem concessis tam à Sixto Papâ IV. & Clemente VII. quàm ab aliis Pontificibus prædecessoribus nostris quibuscumq; vti, potiri, & gaudere debere declaramus.

Vti & potiri eos declarat omnibus mitigatorũ priuilegiis.

2. Necnon prædicta & omnia, videlicet priuilegia, indulta, immunitates, exemptiones, indulgentias, & gratias, & alia quæcumq; dicti, & aliorum Ordinum etiam mendicantium Fratribus, personis, & bonis, confraternitatibus, & aliis piis locis, vel aliàs quomodolibet præfatis Ordinibus, Domibus, & eorum bonis concessa, & concedenda (dummodo sacrosancto Concilio Tridẽtino, Regulæ primitiuæ, & eorum constitutionibus nõ aduersentur) prædictis Fratribus Discalceatis Ordinis B. Mariæ Virginis de monte Carmeli, Domibus, & eorum bonis eodem omnino, similiq; modo competere verè, & propriè, ac si eisdem specialiter concessa essent, præsentibus pro expreßis, ac si de verbo ad verbum insererentur, haberi volentes, decernimus, & statuimus, & si opus est, eadem nunc concedimus, & impartimur, & quoad quartam funeralium, sicut alij præfati Ordines gaudent, & potiuntur. Districtiùs inhibentes omnibus, & singulis personis in litteris præfati Sixti nominatis sub iisdem pœnis incurrendis, sub quibus idem Sixtus prædecessor noster inhibet, ne prædictis eorum priuilegiis contrauenientes præfatis Fratribus Discalceatis, vel eorum Domibus, aut bonis vim, seu molestiam inferant. Et nihilominus Dominico Cardinali Pinello nuncupato, dicti Ordinis Discalceatorum Protectori, & qui pro tempore erit, & cuilibet in dignitate Ecclesiasticâ constituto Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Canonico pluribus vel singulis insolidum, prout casus necessitatis exegerit, per vniuersum orbem eamdem concedimus auctoritatem, & committimus facultatem pro conseruandis prædicti Ordinis

Vniuersorum insuper Ordinum aliorum.

Discalceatorum priuilegiis, indultis, immunitatibus, gratiis, indulgentiis, & ceteris concessis, & concedendis, quam prædictus Sixtus Prædecessor noster, & alij Romani Pontifices eisdem personis in dignitate Ecclesiasticâ constitutis, aut Canonico pro conseruandis priuilegiis tam vniuerso Ordini Carmelitarum, quàm ceteris Ordinibus concessis, concesserunt, & impartiti sunt, quæ omnia & singula hîc pro expreßis haberi statuimus. Decernentes præsentes litteras nullo vnquam tempore sub vllis similium, vel dißimilium gratiarum reuocationibus, alterationibus, limitationibus, abrogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus à nobis, & quibuscumq; Romanis Pontificibus, vel dicta Sede nunc, & pro tempore emanatis, comprehendi, sed semper ab aliis exemptas, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum, & eum, in quo ante præmissa erant, statum restitutas, & de nouo etiam sub posteriori, datâ pro tempore existentem Præpositum generalem præfati Ordinis Discalceatorum huiusmodi eligendi concessas esse, & fore, sicq; per quoscumq; iudices, & Commissarios quacumq; auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, dictæq; Sedis etiam de Latere Legatos, & Nuncios, ac causarum Palatij Apostolici auditores, sublatâ eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate vbiq; & in quauis instantiâ interpretari, iudicari, ac diffiniri debere; irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus Fratribus vniuersis Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis eorum Vicariis in spiritualibus generalibus, & causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, necnon Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, Capitulis, & aliis, ad quos, vel quomodolibet spectat, & pertinet, ac spectabit, & pertinebit, per præsentes mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios faciant auctoritate nostrâ præsentes litteras, & in eis contenta quæcumq; ab omnibus, ad quos spectat, & pertinere putatur, inuiolabiliter obseruari, dictosq; Fratres Discalceatos illis omnibus, & singulis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos desuper à quoquam quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles, & præmißis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas aliaq; iuris, & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis; non obstantibus præmißis piæ mem. Bonifacij octaui etiam prædecessoris nostri de vnâ, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præsentium ad iudicium vltra tres dietas non trahatur, aliisq; constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac dicti Ordinis iuramẽto, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expreßis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, necnon omnibus illis, quæ dicti prædecessores in suis litteris præfatis voluerunt non obstare contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non poßit per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quòd præsentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo dicti Ordinis Discalceato-

rum,

Quomodo illa Discalceati defendere queant.

In perpetuũ durant.

Sũt maximi roboris & firmitatis.

rum, seu alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 23. Martij 1594. Pontificatus nostri anno tertio. M. Vestrius Barbianus. Quibus quid solidius fauorabiliusque dici possit non video. sunt illa reuerà tanta, vt vix maiora esse posse videantur. At quia ad Teresiæ sublimis adeò Religionis reformatricis, seu, vt loquuntur supremi Ecclesiæ Pontifices, nouæ reformationis fundatricis gloriam nonnihil descendimus, inspicere pergamus, quomodo datis ad Reges fideles ac infideles affectuosissimis litteris, Ordinem hunc commendarint, ac per totum orbem dilatari petierint: ex pluribus, duo sufficient exemplaria, quorum primum ad Persiæ Regem etsi infidelem misit Clemens VIII. alterum ad Henricum IV. Galliarum Regem Christianissimum Paulus V. Verba prioris sunt.

90. *Ad Persarum Regē scribit Clemens Papa VIII.*

Illustri ac Potentissimo Sciababar Regi Persarum Clemens Papa VIII. Illustris ac Potentissime Schehabas Persarum Rex, adsit tibi Deus, & perfectam in omnibus rebus veritatem, & vitam ostendat. Misimus iam ad te Paulum, Simonem, Ioannem Thaddæum, & Vincentium, Fratres Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo, eisq; mandauimus, vt nonnulla negotia nostro nomine tibi exponerent. cumq; facilè futurum sit, vt eadem causâ aliquamdiu apud te moram trahant, eis iniunximus, vt intereà Christi fideles, qui sub tua potestate sunt, nostro nomine inuisant: vt memores sint salutis æternæ, eos salutaribus præceptis instruant, & iuxta Christianorum ritum, & facultates eis concessas, spiritualibus remediis, & sacrosanctis Sacramentis reficiant. Vt autem tu aliquid de eorum instituto intelligas; pauca quædam tibi significanda duximus; ex quibus cetera facilè conijcias. Habuerunt olim Religionis huius professores, sicut à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris memoriæ proditum est, sui instituti auctores Sanctos Prophetas Eliam & Eliseum, omnibus nationibus & gentibus notos, & à B. Alberto Patriarchâ Hierosolymitano, magni nominis viro, proprias regulæ constitutiones acceperunt; quibus illis in primis præcipitur, vt summam obedientiam, perpetuam paupertatem, & castitatem seruent, deinde vt in lege Domini meditantes, contemplationi & orationi vacent, tum prædicationi verbi Dei, atque animarum saluti incumbant; atque ideò ad regiones longinquas intendunt. Et iam Hispaniarum Regna, & Indiam Occidentalem, nostrasq; Italiæ ciuitates peragrarunt. bonorum temporalium (vt illorum quoque viuendi rationem accipias) nec communi quidem nomine, proprietatem, aut vsum retinent: & quotidianum victum, aliaq; ad Ecclesiarum cultum, & vsum vitæ necessaria, ex piâ eleemosynarum oblatione capiunt: nudis pedibus Apostolorum more, soleis vtentes incedunt, vnde Discalceati nuncupantur; perpetuò à carnibus abstinent, corpus vigiliis, & ieiunio macerant, horrido cilicio domant, & crebris verberibus in seruitutem redigunt, vt legi mentis non repugnet, & in omnibus diuinæ subiaceat voluntati. Dumq; se à carnis petulantiâ, & terrenarum rerum ambitu atque à visibilium voluptate custodiunt, ab his etiam alios admonendo compescunt. A te igitur petimus, vt illos & libenter audias, & Christianas functiones cum fidelibus subditis tuis exercere permittas: nec verò incultum, & rudem illorum vestitum despicias; nam si vitam & mores inspexeris, experieris vt in Domino confidimus, sub illo vili, asperoq; indumento latere quasdam præclaras animi dotes, atque virtutes, quibus se Deo, & hominibus gratos præbere student. Et licet pedibus longinqua loca peragrãtes puluere conspergi, & inquinari luto videantur, ex eorum tamen colloquiis, & vsu frequenti comperies, vt speramus, quàm omni labe immunes, quàm à rerum humanarum colluuie liberi, quàm deniq; speciosi sint pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona. Datum Romæ apud sanctum Marcum, die quintâ Octobris, anno 1604. Pontificatus nostri 13.

Eosdem huic Regi effectuosè commendat.

Insigniter laudat Carmelitas Discalceatos.

Ita Clemens VIII. ad Regem illum paganum prout & ad fidelissimũ Galliarum Regem Paulus V. nam & illius extant in amplissimâ formâ litteræ ad Henricum IV. Regem Galliæ ac Nauarræ pro constructione Conuentum Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum in eius regno. *Charissimo filio Henrico Francorum Regi Christianissimo Paulus Papa V. Charissime in Christo fili noster, salutem, &c. Hoc vno solatio in tot tantisq; nostris laboribus atque sollicitudinibus recreamur, quòd etsi humani generis hostis perpetuus numquam cessat, variis artibus atque perturbationibus, diuinum cultum, & salutem animarum impedire; non desunt tamen ex alterâ parte, qui zelo honoris Dei, & proximi charitate intenti, satagunt verbo & exemplo errantes ad semitam rectam reducere, & laborantibus in vineâ Domini, auxilium & consolationem afferre. Ex quorum numero certè sunt dilecti filij Fratres Carmelitani Discalceati, qui & in hac almâ vrbe nostrâ, & per Italiam ferè totam cum magno animarum emolumento assiduè laborantes, orationibus, ieiuniis, prædicationibus, confessionibus, aliisq; piis operibus intenti, eximiæ pietatis & religionis exempla edidere; ita vt meritò à nobis plurimum in Domino diligantur, atq; ab omnibus in magna veneratione habeantur. Cum autem intellexerimus hunc religiosissimum Ordinem valdè desiderari in florentissimo maiestatis tuæ regno, & existimemus huiusmodi hominum piorum præsentiam perutilem fore, instaurationi antiquæ illius disciplinæ Ecclesiasticæ, cuius merito regnum istud Christianissimum appellatum fuit; quam tu quoque non minùs prudenter, quàm piè cupere te ostendis: his nostris litteris maiestatem tuam hortari, etiam atque etiam volumus, ad Carmelitarum Discalceatorum Ordinem in Galliam introducendam. Confidimus quippe te breui experturum magnam vtilitatem ex eorum cum subditis tuæ maiestatis consuetudine. Mirum certè est, quantum valeant ad pietatem in hominum animis introducendam; vtpote qui nihil aliud quærant quàm Dei gloriam, & animarum salutem, summam paupertatem in simplicitate cordis colentes. Venerabilis Frater noster Franciscus Cardinalis de Gioyosa, qui has nostras litteras tibi reddet, vberius adhuc de sanctitate huius religiosi Ordinis docebit mandato nostro, & ad hoc pium opus efficaciter exhortabitur: petimus à te illi, eamdem prorsus fidem adhibeas, quam nobis haberes, si te alloqueremur, ac demum tibi persuadeas, gratissimum nobis fore, si intellexerimus dilectos nostros filios Discalceatos Fratres Carmelitanos in amplissimo tuo Galliarum regno sub maiestatis tuæ patrocinio atque tutelâ exceptos fuisse; mansionemq; firmam ac stabilem, vt desideramus, locasse. Deum quæsumus te cõtinuâ protectione custodiat, & cum incremento zeli reparandæ Catholicæ religionis augeat in te dona suæ Sanctæ gratiæ, & maiestati tuæ ex intimis cordis nostri visceribus benedictionem nostram Apostolicam tribuimus. Datum Romæ apud sanctum Petrum XII. Cal. Maij, 1610. Pontificatus Quinto.* Sic ille Papa celeberrimus Teresianã in Ordine

Tenor litterarum Pauli V ad Henricũ IV. Galliæ Regem pro receptione Carmelitarũ Discalceatorum.

Valdè & ille commendat Patres Discalceatos Carmelitanos.

Optat & rogat eos in Gallias admitti.

Ordine Carmelitarum antiquissimo factam reformationem dilatari atque in Galliarum regna inferri desiderabat, vnde & quanti eam fecerit satis ostendit. certè opus non fuit vt nostri sese in orbem vniuersum effundere seu diffundere conarentur, ipsimet summi Ecclesiæ rectores, quos specialiter dirigit Spiritus sanctus, videntes quantum ex reformatione hac bonum vniuersis hominibus natum esset prouenire, per se sufficienter facere studuere effecereque dilatatâ modò per orbem totum sacrâ nostrâ Religione. Ex quibus omnibus apparet, quanta hac in re S. Teresæ sit gloria, vt meritò de illâ dici atque cantari possit:

Nec primam similem visa est nec habere sequentem,
Per quam splendori primæuo est redditus Ordo
Carmeli. ———

91. *Facilius est Ordinem cōdere nouum, quàm mitigatū restaurare.*

In quo cùm amplius quiddam reperiatur, quàm simpliciter Ordinē aliquem Monasticum à fundamētis erigere (facilius enim est Familiam religiosam de nouo constituere & formare, quam collapsam restituere, & commoditatibus iam mundi assuetam reformare) ideoque vltra modum mirandum sit, viros, eosque varia eruditione & scientiâ imbutos, à feminâ in regulari disciplinâ directos fuisse, haud iniuriâ, suo tamen peculiari modo, illud Prophetæ applicare huic loco possim, *Nouum fecit Dominus super terram, femina circumdabit virum.* Tunc enim S. Teresa velut virum circumdedit, cùm virilem etiam sexum ad Ordinis reformationem attraxit, adeoque Ecclesiæ Catholicæ magnum reuerà virum progenuit. Hæc ergo heroïca & thelo-andrica S. Teresæ facinora Summi Pontifices admirati, eaque toti mundo nota fieri è Catholicæ Ecclesiæ commodo fore rati, Teresanæ reformationis alumnos, qui hactenus in eadem cum Carmelitis mitigatis classe censebantur, ab iisdem segregatos, peculiari vexillo donauerunt, & in separatam Congregationem imò Ordinem collocauerunt. Gregorius enim XIII. specialem Carmelitarum Excalceatorum Prouinciam, à Patribus mitigatis quoad visitationem & obedientiam (præterquam solius Generalis) exemptam constituit, & proprium ei Vicarium Generalem assignauit Sixtus V. & nouam eorumdem in Italiâ ab Hispanis separatam Congregationem motu proprio erexit Clemens VIII. Verba Bullæ Gregorij XIII. hæc sunt:

Ierem. 31.

Gregorius Papa XIII. refert regulæ primitiuæ initium.

Gregorius Papa XIII. ad perpetuam rei memoriam. Piâ consideratione Romanum decet Pontificem circa statum Religiosorum ita attendere, vt ipsi religiosi regulam, quam ab initio professi sunt, obseruare nitentes ab omni molestiâ vindicentur. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, & dilecti filij Discalceati nuncupati, Ordinis B. Mariæ de monte Carmeli in Regnis Hispaniarum existentes: quòd cùm aliàs fel. rec. Innocentius Papa IV. prædecessor noster supplicationibus Prioris, & Fratrum Eremitarum B. Mariæ de monte Carmelo eâ in parte inclinatus, declarationem, & correctionem regulæ eorum Ordinis à bon. me. Alberto Patriarchâ Hierosolymitano sibi traditæ, per bonæ etiam memoriæ Hugonem tituli S. Sabinæ Presbyterum Cardinalem, & Guillielmum Episcopum Antheradensem, de eiusdem Innocentij Papæ mandato factam, & per eosdem Fratres firmiter obseruandam confirmasset: ac postmodum piæ memoriæ Eugenius Papa IV. prædecessor noster, per eum accepto quòd in quibusdam capitulis dictæ Regulæ inter alia cauebantur quòd Fratres prædicti Ordinis ab esu carnium se abstinerent, nisi pro infirmitatis vel debilitatis remedio. eisdem etiam quòd singulis diebus (Dominicis dumtaxat exceptis) à festo Exaltationis sanctæ Crucis vsque ad festiuitatem Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi ieiunare tenerentur: quodq; singuli eorum manere deberent in cellis suis, die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, præcipiebatur; rigorem huiusmodi mitigans, ac regulam ipsam moderans statuisset, ordinasset, & concessisset, quòd dicti Ordinis Professores tunc, & pro tempore existentes tribus dumtaxat diebus singularum hebdomadarum, etiam quibus (vt præfertur) ieiunare iuxta eamdem regulam adstricti, præterquam in Aduentu & in Quadragesimâ, & aliis generalibus prohibitis diebus, carnibus vesci, ac horis congruis in eorum Ecclesiis manere, & per claustra ac eorum ambitus deambulare liberè & licitè valerent. Decernens, eosdem Fratres, & eorum singulos circa præmissa ad arctiorem obseruantiam, quam suprà permittitur, occasione professionis in dicto Ordine emissæ, vel in posterū emittēdæ minimè teneri. Et alias prout in eorumdem Innocentij, & Eugenij litteris desuper confectis pleniùs continetur demum de anno Domini 1565. seu alio veriore tempore nonnulli dicti Ordinis Professores (diuinâ inspirante gratiâ) primum dictæ regulæ institutum imitari cupientes, postpositis quibuscumq; corporis commodis, dummodò Christum lucrifacerent, cum licentia sui Prioris Generalis tunc in Hispaniarum partibus existētis, ibi aliquot Fratrum, & Monialium Monasteria in quibus primitiua Regula prædicta cum omni obseruantiâ, & rigore retineretur (sub obedientiâ tamē Prouincialis) fundare & ædificare cœperunt. Quam quidem regulam & obseruantiam fundatores prædicti, ac etiam qui pro tempore admittebātur ex mitigatis, renuntiando mitigationi, & relaxationi dicti Eugenij prædecessoris, transacto probationis anno denuò, ac etiam alij de sæculo venientes profitebantur, & successiuè (benedicente Domino) numerus Religiosorum primitiuam regulam huiusmodi profitentium, & obseruantium adeò hoc tempore excreuit, vt de præsenti viginti duæ Domus, Fratrum, & Monialium eiusmodi, in quibus ferè trecenti Fratres, & ducentæ Moniales existunt deuotum Altissimo famulatum exhibentes in prædictis Regnis Hispaniarum reperiantur. Religiosi autem huiusmodi, vltra contenta in regulâ prædictâ de licentiâ dicti Generalis, & cuiusdam Vicarij ab eodem Generali in Prouinciâ Castellæ deputati, ac cum approbatione Visitatorum Apostolicorum, qui fuerunt dictæ religionis, quædam instituta ad carnis mortificationem, & populi ædificationem ab initio suæ institutionis obseruare cœperunt: veluti Discalceatos incedere (vnde Discalceatorum nomen sortiti sunt) indui sacco, dormire super tabulis, ad subleuandam suam inopiam manibus propriis operari, multum in oratione se exercere, atque diuinum Officium sine cātu, seu modulatione recitare. 1. Cùm autem (sicut eadem expositio subiungebat) ipsis Religiosis Discalceatis quamplures molestiæ, & impedimenta eorum pium institutum turbantia per Fratres mitigatam ab eodem Eugenio prædecessore Regulam (vt præfertur) profitentes, mitigatos nuncupatos, super præmissis illatæ fuerint, ipsiq; Discalceati Prælatum ordinarium ex suis Discalceatis (vt par esset) non habeant, sed ad præsens per dilectum filium Angelum de Salazar ex Fratribus mitigatis Vicarium Generalem à venerabili Fratre Philippo Episcopo Placentino in dictis regnis nostro & Apostolicæ

Puncta infrà per in quibus ab Eugenio IV. mitigata.

Regula primitiuæ quomodo rursum obseruātia inchoata.

Carmelitarū Discalceatorum noua austeritates.

stolicæ Sedis Nuntio (donec de idoneo Superiore eiusdem professionis Discalceatorum prouideatur) deputatum regantur: ac summopere cupiant ad eorumdem quietem, & tranquillitatem conseruandam, ac pro Religionis, & strictæ eorum obseruantiæ, atque instituti progressu & augmento, vt de omnibus Monasteriis, quæ in dictis regnis nunc sunt, & pro tempore erunt, vel erigentur ipsorum Discalceatorum tam virorum quàm mulierum dictam primitiuam regulam profitentium, vna Prouincia fiat separata à Prouinciis Fratrum mitigatorum huiusmodi, quæ subsit immediatè Priori generali dicti Ordinis, & gubernetur per Priorem Prouincialem, ex ipsismet Fratribus Discalceatis in Capitulo dictæ Prouinciæ Canonicè eligendum, prout alij Priores Prouinciales eiusdem Ordinis in similibus Capitulis Prouincialibus eliguntur & deputantur. Propterea tam dicti Religiosi Discalceati, quàm dictus Philippus Rex (qui profectum Religiosorum huiusmodi maximè exoptat) nobis humiliter supplicare fecerũt, vt honestis petitionibus huiusmodi annuere, & alias in præmissis opportunè prouidere ex benignitate Apostolicâ dignaremur. 2. *Nos igitur æquum & rationi consonum ducentes, vt qui arctioris regulæ obseruantiam sectantur, Superioribus eorũ qui in laxiori degunt, non subiaceant; sed quilibet eiusdemmet professionis Superiores habeat, & ab aliis iuxta eorum instituta regularia prosperè, & feliciter gubernentur: prædictorum Fratrum & Monialium Discalceatorum tranquillitati & indemnitati, eorumq; instituti propagationi & profectui consulere cupientes, eosdem Fratres & Moniales, eorumq; singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, eiusmodi supplicationibus inclinati de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super visitatione Apostolicâ, & consultatione Episcoporum, & Regularium reformatione deputatorum (quibus hoc negotium examinandum mandauimus) consilio institutum huiusmodi; quod iuxta primitiuam regulam prædictam dicti Fratres Discalceati profitentur, laudantes & approbantes, dictos Fratres & Moniales primitiuam regulam huiusmodi in regnis Hispaniarum obseruantes (Discalceatos nuncupatos) eorumq; Domus, Conuentus, Monasteria & loca, nunc & pro tempore existentia à Prouinciis Fratrum, & Monialium eiusdem Ordinis B. Mariæ de monte Carmeli regulam per prædictum Eugenium prædecessorem mitigatam nunc & pro tempore obseruantium (mitigatorum nuncupatorum) penitus, & omnino in perpetuum auctoritate Apostolicâ tenore præsentium seiungimus, separamus, & dismembramus, ipsosq; Discalceatos ab omni, & quacumq; iurisdictione, visitatione, correctione & superioritate, Prioribus, Prouincialibus, & aliis Prælatis & Superioribus mitigatis in ipsos Discalceatos competente perpetuò eximimus & liberamus.* 3. *Necnon eorumdem Fratrum & Monialium Discalceatorum prædictorum Domus, Monasteria & loca quæcumq; hactenus erecta & instituta, ac in posterum erigenda, & instituenda in vnam Prouinciam de per se (Discalceatorum nuncupandam) per vnum Priorem Prouincialem in Capitulo dictæ Prouinciæ ex iisdem Discalceatis (vt præfertur) eligendum, regendam & gubernandam in perpetuum erigimus & instituimus, ac dictam Prouinciam Fratrum & Monialium Discalceatorum sub obedientia, & superioritate Prioris generalis totius Ordinis prædicti, sicut aliæ Prouinciæ eiusdem Ordinis ei subsunt, & subiacent, perpetuò subesse, atq; subiectam remanere, & subiacere volumus.* Ita Gregorius Papa XIII. anno 1580. die 22. Iunij. Sed quid dicam? ita statum eadem sacra nostra reformatio aucta fuit, vt Sixtus Papa V. illi assignauerit anno Domini 1587. die 10. Iulij proprium Vicarium generalem, verba Pontificis sunt:

Petunt Discalceati habere propriũ Prælatum.

Illis vt assentiatur iustũ esse ait Gregorius XIII.

Datur Discalceatis Carmelitis facultas eligendi propriũ Prouincialẽ.

Sixtus Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Cùm 92.
de statu ac bono regimine religiosorum paternam gerimus sollicitudinem, tum eorum salubris directio nobis præcipue cura est, qui sanctiora & priscis sanctorum Patrum regulis prorsus similia vitæ instituta sectantes, arctiorem disciplinæ obseruantiam profitentur, eosq; libenter in suo laudabili proposito confirmamus, vt sine vllo impedimento perseuerent, atque in dies magis proficiant. 1. *Aliàs siquidem fel. record. Gregorius Papa XIII. prædecessor noster intelligens, complures Domos seu Monasteria Ordinis Fratrum, & Monialium B. Mariæ de monte Carmeli in Hispaniarum regnis existere, in quibus vigebat obseruantia primitiuæ eiusdem Ordinis regulæ cum omni rigore iuxta primæua instituta de mandato piæ memoriæ Innocentij Papæ IV. etiam prædecessoris nostri confirmatæ, non autem secundum mitigationem, quæ à rec. mem. Eugenio Papa IV. nostro prædecessore, dicitur impetrata, charissimi in Christo filij nostri (tunc sui) Philippi Hispaniarum Regis Catholici precibus inclinatus, institutum huiusmodi super obseruantia primitiuæ regulæ approbando, ipsos Fratres & Moniales eamdem primitiuam regulam sic obseruantes (Discalceatos nuncupatos) eorumq; Domos, Conuentus, Monasteria, & loca tunc, & pro tempore existentia à priuilegiis Fratrum, & Monialium eiusdem Ordinis secundum regulam per dictum Eugenium prædecessorem (vt præfertur) mitigatam pro tempore degentium penitus, & omnino in perpetuum auctoritate Apostolicâ seiunxit, & separauit, ipsos Discalceatos ab omni & quacumque visitatione, correctione, & superioritate Priorum Prouincialium, ceterorumq; Superiorum, secundum mitigatam regulam degentium exemit, & liberauit, ac eorumdem Fratrum, & Monialium Discalceatorum Domos, Monasteria, & loca quæcumq; hactenus erecta & instituta, ac ex tunc in futurum erigenda, & instituenda in vnam Prouinciam de per se, Discalceatorum nuncupandam, per vnum Priorem Prouincialem, qui in Capitulo ipsius Prouinciæ ex eisdem Discalceatis (vt præfertur) eligi deberet, regendam & gubernandam in perpetuum erexit, & instituit, ac ipsam Prouinciam Fratrum, & Monialium Discalceatorum sub obedientia & superioritate Prioris generalis totius Ordinis ad instar aliarum Prouinciarum eiusdem Ordinis perpetuò subiectam remanere, subesse, & subiacere voluit. Cui Prior generalis per seipsum tantùm, vel per alium virum idoneum ex ipsis Discalceatis, & iuxta eorum primitiuam regulam, ac regularia instituta ab ipsis Discalceatis obseruari solita eos visitare, reformare, corrigere, & punire posset, in Monasteriis tamen, Domibus, & locis eorumdem Fratrum Discalceatorum, extra quæ nullatenus ipsi Discalceati, vel aliquis eorum ab eodem Priore generali, quouis prætextu, vel occasione amoueri, assignari, mutari, extrahi, seu transferri, aut ad alias Prouincias mitti, aut retineri possent, nisi aliter in eodem Capitulo Prouinciali fuisset ordinatum, prout in ipsius Gregorij prædecessoris litteris (quæ iampridem debitæ executioni demandatæ, vsu receptæ, & per nos nuper approbatæ fuerunt) plenius continetur. Cùm autem (sicut nuper audiuimus) numerus Fratrum huiusmodi, & Monialium Discalceatorum*

Sixtus Papa V. Generalem Vicarium assignat.

Refert quomodo à mitigatorũ Prouincialium superioritate exempti sint Discalceati.

Adfert rationem cur proprium etiam Generalem tos habere conueniat.

ceatorum non mediocriter auctus fuerit, & in dies maiora (benedicente Domino) suscipiat incrementa diuini cultus augmento, bonæ famæ odore, ac spirituali fructu, & consolatione animarum, tum ipsorum religiosorum, tum etiam aliorum Christi fidelium, qui piis eorum exemplis in viam salutis diriguntur: iamq; non modò per vniuersam ferè Hispaniam, sed etiam in Indiis complura Monasteria, & Domos aliaq; regularia loca Discalceatorum, instituta & erecta fuerint, quæ omnia per vnum Prouincialem non ita commodè regi & gubernari queunt. 1. Propterea eiusdem Philippi Regis nomine, ac pro parte etiam eorumdem Fratrum Discalceatorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur volentes pro debito Pastoralis Officij eorumdem Religiosorum pio desiderio, bono regimini ac propagationi (vt par est) consulere, habita super hoc cum venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus super negotiis Regularium deputatis maturâ deliberatione, huiusmodi precibus in hac parte annuentes, necnon vniuersos & singulos Fratres, & Moniales dictæ Prouinciæ Discalceatorum à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris à iure vel ab homine quauis occasione, vel causâ latis (si quibus quomodolibet innodati existunt) ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, dilecto filio moderno Priori Prouinciali dictæ Prouinciæ Fratrum Discalceatorum Ordinis præfati per præsentes committimus & mandamus, vt Capitulum Prouinciale iuxta facultatem per ipsas Gregorij prædecessoris litteras sibi attributam, & secundùm morem eiusdem Prouinciæ suis, loco & tempore indicat, conuocet, & congregari faciat, in eoq; Capitulo postquam erit legitimè congregatum, volumus, vt primùm quidem per suffragia, seu vota eorum, qui in erectione Prioris Prouincialis in huiusmodi Capitulo Prouinciali vocem habere hactenus consueuerunt, post diffinitorum electionem (vt fieri solet) statim vnus Vicarius generalis de nouo erigendæ Congregationis Fratrum Discalceatorum eligatur. 2. Si electus Vicarius præsens in Capitulo erit, statim ipsi Capitulo præsideat. Si absens, idem, qui nunc est Prior Prouincialis illius vices gerat, & in Capitulo prædicto præsideat, ac de voto eorumdem Prouinciam ipsam, quæ hactenus fuit Discalceatorum, prout Domorum & Monasteriorum numerus, ac locorum opportunitas suadebit, & aliis videbitur expedire, in plures partes & regiones distingui curet: quas quidem singulas partes sic distinctas & diuisas, necnon eas, quas similiter in futurum iuxta augmentum & numerum Domorum & Monasteriorum idem Vicarius in Capitulo eiusdem Congregationis duxerit distinguendas ac diuidendas in singulas Prouincias, vniuersas verò Prouincias in vnam Congregationem omnium huiusmodi Prouinciarum Discalceatorum nuncupandam auctoritate Apostolicâ tenore præsentium perpetuò erigimus, & instituimus. præterea statuimus & ordinamus, vt singulis huiusmodi Prouinciis singuli Priores Prouinciales præsint; dictus verò Vicarius generalis & ipsis Prioribus Prouincialibus, & toti Congregationi præficiatur, eamq; regat & gubernet, aliamq; eamdem prorsus auctoritatem & potestatem in Monasteria, Domos, loca, & personas dictæ Congregationis iam recepta, & recipienda (dummodo primitiuæ regulæ ac eiusdem Congregationis regulari obseruantiæ contrauenire non possit) habeat, quàm Prior generalis totius Ordinis tam de iure & consuetudine, quam per priuilegia super Domibus, Monasteriis, locis, & personis sibi subiectis habere dignoscitur. Quę omnia ex Bullâ prædict. Pôtificis datâ anno 1587. die 10. Iunij de verbo descripsimus, vt hinc omnibus pateat quomodo Teresiana gloria ex tanto suæ sacræ Reformationis incremento excreuerit, cui adiungere liceret Bullam Clementis VIII. quâ totaliter à Patribus mitigatis absoluit Excalceatos. sed quid opus est multis? idem etiam Pontifex nouam aliam Congregationem in Italiâ erexit, vt illius verba testantur.

Hunc eis assignat.

Omnemq; illi competentem Generalibus auctoritatem confert.

Clemens Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. 93.

Laudat Papa institutũ & obseruantiam Discalceatorum.

In Apostolicæ dignitatis culmine meritis licet imparibus diuinâ disponente clementiâ constituti, ad ea nostræ mentis aciem libenter dirigimus, per quæ sacrarum Religionum in Ecclesiâ Dei piè sancteq; institutarum, quarum professores vitæ sanctitate & exemplo, ac sacrarum Litterarum doctrinâ fideli populo ad salutem prodesse student, propagationi & incremento quantum cum Domino possumus, intendamus. aliàs siquidem cùm in Italiâ præter Monasterium, seu Collegium sanctæ Annæ ciuitatis Ianuen. nullum aliud extaret virorum Monasterium, neque Conuentus, aut Domus Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum nuncupatorum. 1. Nos cupientes Ordinem prædictum (cuius professores primitiuæ Regulæ à bo. me. Alberto Patriarchâ Hierosolymitano ipsi Ordini præscriptæ, & à fel. rec. Innocentio Papâ IV. prædecessore nostro primâ Septembris anni 1245. Pontificatus sui anno quinto confirmatæ normam, tum in regnis Hispaniarum, tum in Italiâ diligenter obseruant, & in vtrumque instituti sui finem, priorem scilicet, ac potiorem qui est diuina vnio per orationem & contemplationem, & posteriorem, qui est salus proximorum, verbo ac opere sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei, aliorumq; sanctorum Patrum quorum heredes sunt vestigiis insistentes incumbunt) in almâ vrbe nostrâ propagaris vnã eiusdem Ordinis Domum apud Ecclesiam B. Mariæ de Scalâ nuncupatam, in regione Trãstiberim de eadem vrbe, Apostolicâ auctoritate perpetuò ereximus, prout in nostris desuper in formâ breuis expeditis litteris pleniùs continetur. Porrò, cùm præter fide dignorum testimonia, quæ de huius Ordinis Sanctitate ad nos perlata sunt, nosipsi experientiâ cognouerimus quantum vtilitatis in Ecclesiâ Dei piis eorum exercitiis, tum orationibus, mortificationibus, asperitate vitæ, tum prædicationibus, cõfessionibus, & Sacramentorum administratione ad Dei laudem & Christi fidelium animarum salutem quotidie afferat. volentes vlteriori eiusdem Ordinis propagationi, quantum cum Domino possumus, opportunè prospicere. 2. Motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac merâ deliberatione nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, tam ex prædictâ in vrbe per nos erecta, & alia supradicta S. Annæ Ianuen. & quibuscumq; aliis Domibus seu Conuentibus in Italiâ forsan hactenus erectis (quas, & quos iam à Congregatione eiusdem Ordinis Hispaniarum per dictas nostras litteras separauimus) quàm ex aliis quibuscumq; Domibus, & Conuentibus posthac in Italiâ, & aliis quibusuis, præter Hispaniam locis ac regnis erigendis vnam Congregationem Fratrum Carmelitarum Discalceatorum à præfatâ Congregatione, seu Ordine Hispaniarum; & quibuscumq; aliis eiusdem Ordinis Congregationibus seu Prouinciis aliarumq; Superioribus & Fratribus prorsus distinctam, & separatam, nobisq; & Apostolicæ Sedi immediatè subiectã, ab vno Præposito cum diffinitorum interuentu iuxta regularia eiusdem Ordinis statuta regulãdam & gubernãdam auctoritate Apostolicâ tenore præsentium perpetuò erigimus & instituimus.

Motu proprio horum erigit in Italiâ Congregationem ab Hispanicâ separatam.

3. Ipsi-

Concedit eidem Congregationi priuilegia.

3. Ipsiq; Congregationi sic erectæ, eiusq; nunc, & pro tempore existentibus Domibus, seu Conuentibus, ac Superioribus & Fratribus, vt quibuscumque priuilegiis, indultis, concessionibus, exemptionibus, immunitatibus, prærogatiuis, fauoribus, Indulgentiis, & aliis gratiis, tam spiritualibus quàm temporalibus supradictæ Hispaniarum Congregationi per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem Apostolicam quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis, aut aliàs quomodocumque concessis, confirmatis, & innouatis, ac in posterum concedendis, vti, frui, & gaudere possit, sine aliquâ prorsus differentiâ, perinde ac si eidem Congregationi Italiæ eiusq; Domibus, Conuentibus, Superioribus, & personis nominatim, & æquè principaliter concessæ fuissent. 4. Vtque nouas Domos, & Conuentus in quibuscumque ciuitatibus, terris, & locis, tam Italiæ quàm aliarum extra Hispaniam Prouinciarum, ac regnorum recipere, & erigere valeat, dummodò tamen in quacumque aliarum duodecim religiosorum numerus ad minus commodè ali, & commorari possit: necnon etiam, vt quæcumque bona stabilia, & mobilia ipsis Domibus ex quibuscumq; piorum Christi fidelium eleemosynis, largitionibus, donationibus, successionibus, legatis, & aliis dispositionibus acquirere, & recipere, ac in eorumdem Conuentuum, & Domorum vsus, & vtilitatem conuertere possit. 5. Et præterea, quia in eadem Congregatione Capitula generalia, vel Prouincialia iuxta constitutiones quotannis non celebrantur, vt in quibuscumq; Domibus, & Conuentibus eiusdem nouæ Congregationis à Superiore deputandis Nouitij ad habitum per Fratres eiusdem Ordinis gestari solitum de licentiâ Commissarij, seu Præpositi generalis eiusdem Congregationis (seruatâ tamen in reliquis formâ sacrorum Canonum, constitutionumq; Apostolicarum, ac decretorum nostrorum, ipsiusq; Ordinis regularium statutorum) dummodò informationes pro Nouitiis admittendis receptæ per vota secreta per Capitula Conuentus in quo huiusmodi Nouitij recipiendi erunt, approbentur. Sic Clemens VIII. anno 1600. die 13. Nouembris. Sufficiunt ista, vt quàm ingens sit filiorum Teresiæ numerus pro quibus plures oportuit Congregationes fundare, omnes videant; vt omnes inquam videant, laudes eius sine numero esse, quæ in tot ac tantis etiam viris effloruit, itaque effloruit vt mulier vna tot viros circumdaret & in illa verum foret: Nouum fecit Dominus super terram, femina circumdabit viros & viros innumeros.

Concedit illi facultatem extra Hispaniam vbique Conuentus erigendi;

Et recipiendi Nouitios.

Rectè igitur de S. Teresâ Carmelitas Excalceatos reuocante, seu potiùs fundante, intelligere possimus illud Prophetæ, *Nouum fecit Dominus super terram, femina circumdabit virum*, in quo nimirum

Ieremiæ 31.

Nec primam similem visa est nec habere sequentem,
Gaudia Matris habens cum virginitatis honore;

cùm, nescio quâ peculiari prouidentiâ Dei, soli hactenus Teresæ concessum fuerit, vt imbellis virguncula fortissimorum in Ecclesiâ Dei athletarum Ordinem instituerit. Quamuis enim & aliæ virgines Ordines virorum instituisse legantur, illæ tamen non fuerunt virgines, sed vt summum viduæ. Reliquas sex Coronæ Teresianæ stellas aliis locis sparsim referendas reseruamus; quò etiam differimus quæ de S. Philippo Nerio dicere constitueramus. Iam ad instituti nostri seriem, à quâ nonnihil deflexisse visi sumus, redimus.

CAPVT XXXII.

Animabus Purgatorij inter cetera prosunt etiam Sodalitates quæ in earum subsidium erectæ sunt.

POSTQVAM explicauimus Indulgentias sacras, per quas facillimè atque efficacissimè liberare solemus è tormentis suis fidelium spiritus, sequitur modò, vt ad Sodalitia illa quibus viui suffragari defunctis consueuerunt, calamum conuertamus. Ad hæc instituenda egregiè omnes cohortatus est R. P. Alexius de Salo, insignis ex Ordine Capucinorum concionator, cuius hæc sunt verba: 1.

Si laude dignum, si opportunum atque necessarium est, omnibus in ciuitatibus, pagis, vicis, aliisq; locis quibuscumq; haberi aliquas Scholas, Confraternitates, Hospitalia, aut alia pia loca; in quibus indigentibus subueniatur, & ij qui ad extremam paupertatem deuenerunt subleuentur: quantò non solùm erit æquius, sed opus insuper maximè pium, charitatisq; & misericordiæ plenissimum, si quæcumq; nationes suis in territoriis & Prouinciis erigere satagant Confraternitatem animarum Purgatorij, quæ tanto tamq; æstuosissimi ignis incendio amburuntur, vt vel vnica scintillula, adeoq; minima eiusdem pœna (vt Doctores affirmant) plus tormenti & cruciamenti inferat, quàm copiosissimus aliquis mundi huius ignis; & quæ semet (quod facere possunt qui in viuis agunt) iuuare nequeunt, nisi per suffragiorum media remedium eis afferatur? O Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, cælitus tu Christianis inspira, vt in omnibus Prouinciis, ciuitatibus, pagis, artibus & locis diuinus hic igniculus adurat & afficiat quoscumque bonos & virtute præditos, vt ipsi Gubernatores, Præfectos, Magistratus & Superiores locorum permoueant ad salubrem hanc Suffragiorum pro Purgatorij animarum solatio & refrigerio Confraternitatem inibi erigendam! Diligatur, & millies millies à Domino benedicantur illi, qui operam suam collocant in fundandis & erigendis locis piis, construendisq; Collegiis, Sacellis & Altaribus, in quibus celebrari possint Missarum Sacrificia, recitari Officia & Rosaria, eleemosynaq; erogari non solùm pro viuis, sed etiam pro omnibus fidelibus defunctis. Huiusmodi, inquam homines quotidie millies millenis benedictionibus per sanctos Angelos repleantur. Si enim, asserente Daniele Prophetâ, velut stellæ in perpetuas æternitates fulgebunt qui multos ad iustitiam erudierint; quid statuendum erit de iis, qui misericordiam erga integrum aliquem cœtum vel populum exercuerint, quorumq; interuentu animæ Purgatorij suppliciis exemptæ fuerint, vt in perpetua sæculorum sæcula in cælestibus mansionibus gloriosè & beatissimè agerent? Ne lingua quidem humana exprimere queat immortalem illam, quam eiusmodi animæ hoc medio consecuturæ sunt, gloriam: per continua enim sæcula laudes earum adaugentur, donec ipse mundus finem accipiat. 2.

Exhortatio ad Christianos pro erigendis Confraternitatibus suffragiorum pro defunctis.

In quamplurimis Italiæ ciuitatibus sanctissima illa Confraternitas deuotissimè instituta est, ad iuuandas per pia suffragia defunctorum animas: vbi quot-hebdomadis peculiaris dies destinatus est, quo templa & altaria pullis vestibus induuntur, haud secus quàm si ipsa Defunctorum commemorationis solemnitas ageretur; funeralibusq; paramentis eorumdem Officium decantatur, 3.

Italia fertilis est huiusmodi Sodalitatum, & qui in eisdem ritus obseruentur.

tatur, atque insuper solemne Sacrum celebratur, & reliqua omnia Sacra fidelibus è cœtu illo defunctis applicantur, frequenti sanè virorum feminarumq; cõcursu, quos videres diligentißimos in exorando Deo, Rosariis euoluendis, Indulgentiis lucrãdis, eleëmosynisq; erogandis: cui fini peculiare quoddam gazophylacium constitutum est, hac additâ epigraphe: Eleemosynarium pro mortuorum suffragiis.

4

Certâ ea legibus constringuntur.

Sunt sua insuper Sodalibus statuta atq; leges: & quicumq; in eamdem Confraternitatem recepti sunt, quotidie Rosarium recitare tenentur. Peculiares etiam Commissarij constituti sunt qui legatorum pro defunctis curam habent. Si quis pleniùs Constitutiones & Statuta Cõfraternitatis Suffragiorum nosse desideret, perlegat libellum qui de hisce ex professo agit, Romæq; impressus habetur, cum Indulgentiis quas lucrari poterunt quicumq; sua ei nomina dederint. Romæ præcipuè (quæ totius orbis caput est) eximia hæc Suffragiorum Archiconfraternitas maximè viget, floret & frequentatur: quæ ideò sic appellatur, quod præ reliquis primũ locum & palmam obtineat. E primâ nobilitate quamplurimi sua ibi nomina sunt professi: Eminentißimi Domini Cardinales eius patrocinium in se susceperunt, aliiq; illustres viri ei præsunt; maximoq; sibi honori ducunt, nobilẽ adeò illustremq; Archiconfraternitatẽ direxisse.

5.

Brixiæ eiusmodi Sodalitas erecta.

Exponendum præterea est, quòd Brixiæ eiusdem Suffragiorum Sodalitij felicißima fundamenta iacta fuerint, satagente viro quodam admodum deuoto & religioso, qui cælitus inspiratus ei se operi cum aliis nonnullis viris deuotißimis accinxit: hos inter verò eminet R. P. Bernardus de Ascoli, Capucinus; qui postquã Quadragesimales Brixiæ conciones habuisset, diuino igne repletus, & totus feruore spiritûs actus, quamplurimos nobilißimos viros ad amplexandam eam disposuit: qui quamuis Marti & rebus bellicis totos se consecrasse viderentur, diuinitus nihilominùs permoti, vltrò pia hæc & deuota opera, & quæ ad diuinum cultum sunt peropportuna, amplexi sunt, prout hactenus studiosißimè fecerunt.

6.

Ecclesiastici saculares ad suscipiendas illas permoueri deberẽt.

Singuli quoque Ecclesiarum Prælati, & quicumque animarum curam gerunt, parochianis suis persuadere allaborant, vt tam sanctam & salutarem Confraternitatem, innumeras indulgentias viuis, & infinita suffragia defunctis conferentem, admittant, erigant atque introducant. Felices certè & vel millies beatæ dici poterunt Prouinciæ, in quas tãti thesauri sunt distributi, in quas tantus diuitiarum cælestium cumulus est diffusus, vt & viui ibi indulgentias, & defuncti immensa Missarum, òrationum, eleëmosynarum, aliorumq; piorum & deuotorum operum suffragia percipiant. Nulla transibit dies, quin aliquæ inde animæ ad cælos transuolent. Anne creditis, beatas illas animas memores esse eorũ qui suffragia pro eis obtulerunt? ánne, illas eorumdem aduocatas & patronas futuras? ánne, illas creberrimè Deum pro illis exoraturas, vt ab animæ & corporis eos periculis protegat atque defendat, atque in omnibus eorum sanctis actionibus suum eis fauorem & prosperitatem præstet & exhibeat? &c. Hactenus Reuerendus ille Pater, omnes animare conatus, vt Sodalitia pro mortuorum solatiò, si possint, institui curent, vel si nequeant, promouere saltem eadem quantum in se fuerit, studeant, atque in eorumdem sese statutis diligenter exerceant. Quæ quàm solide atq; cum fundamento dicta sint, Apostolica confirmabit auctoritas: nam præter illam Confraternitatem quæ Romæ cœpta est anno 984. cuius & infrà mentionem sumus facturi, Clemens VIII. similiter in Vrbe Archiconfraternitatem, & quá pro defunctis oraretur, instituit, cui annexæ sunt postmodum plures aliæ, & adhuc annecti possunt per orbem vniuersum Confraternitates. Bullam ipsam Clementis inprimis audiamus.

Quãdo prima talis Cõfraternitas erecta fuerit

Clemens Episcopus, Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ex debito nostri ministerij Pastoralis, ad ea nostræ operationis studia diligenter conuertimus, per quæ fidelium vota, præsertim animarum Christifidelium salutem concernentia, optatum consequantur effectum, & ea, quæ propterea per fideles ipsos piè facta & ordinata fuisse dicuntur, firma perpetuo & illibata persistant, cùm à nobis petitur, libenter Apostolico munimine roboramus, ac alia concedimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Sanè dilectus filius noster Franciscus, S. Mariæ in Viâ latâ Diaconus Cardinalis, Sfortia nuncupatus, tam suo quàm dilectorum filiorum Confratrum Confraternitatis, sub inuocatione animarum Purgatorij, aliàs Suffragij, in Parochiali Ecclesiâ S. Blasij in Viâ Iulliâ de Vrbe canonicè institutæ, nominibus nuper nobis exposuit, quòd cum nonnullis ex dilectis filiis Parochianis dictæ Ecclesiæ, singulari quodam pietatis affectu erga Christi fidelium animas, quæ in Purgatorio futuram beatitudinem expectant, commoti, & de sui ipsius salute altiori mente recogitantes, vnà vtriusq; sexus Christi fidelium Confraternitatem animarum Purgatorij, aliàs Suffragij nuncupatam, cuius præcipuum institutum hoc esset, pias ad Deum preces pro dictis animabus in Purgatorio existentibus, & in earum refrigerium effundere, & aliàs ad Dei omnipotentis laudem erigendam atque instituendam, statuerint: subindeq; dilectus filius noster, in dictâ Vrbe & eius districtu Vicarius Generalis, illam ordinariâ eius auctoritate perpetuò erexerit, sub certis modo & formâ tunc latius expreßis, prout in patẽtibus litteris dicti Vicarij desuper confectis pleniùs dicitur contineri. Et sicut eadem petitio subiungebat, si dicta Confraternitas sub tam pio & laudabili instituto de nouo per Nos institueretur, ac aliquâ speciali gratiâ, & titulo ac denominatione Archiconfraternitatis decoraretur, illa exinde ampliùs stabiliretur, optataq; in Domino susciperet incrementa: Pro parte Francisci Cardinalis, & Confratrum prædictorum, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ipsos Confratres, asserentes, se dictum Franciscum Cardinalem in suum & Confraternitatis huiusmodi Protectorem elegisse in suo laudabili proposito confouere, eosq; ac Confraternitatem ipsam specialibus fauoribus & gratiis prosequi benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos, qui pium dictorum Confratrum propositum promouere sinceris desideramus affectibus, eosdem Confratres, ac eorum quemlibet, à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à Iure vel ab homine quauis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem, institutionem dictæ Confraternitatis, necnon quæcumque statuta & ordinationes, ad felix regimen, & prosperã directionem dictæ Confraternitatis iam hactenus condita, quatenus sint licita & honesta, ac sacris Canonibus & Constitutionibus Apostolicis, ac Concilij Tridentini decretis non contraria, & ab eodem Vicario examinata & admissa, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium perpetuò approbamus & confirmamus; illisq; perpetuæ & inuiolabilis firmitatis Apostolicæ robur adiicimus, necnon omnes & singulos, tam iuris quàm facti, & alios quantumuis sub-

7.

Diploma Clementis VIII. pro Sodalitatum Suffragiorum cõfirmatione.

Franciscus Sfortia Cardin. Sodalitatis illius promotor fuit.

Primus etiã eiusdem Protector extitit.

substãtiales defectus, si qui interuenerint, in eisdem supplemus. Et nihilominus dictam Confraternitatem in Archiconfraternitatem, vt infrà, erigendam, cum omnibus priuilegiis & insignibus, iuribus & iurisdictionibus solitis, eisdem auctoritate & tenore, etiam perpetuò, sine alicuius praeiudicio erigimus & instituimus. Eisdem Confratribus, vt pro felici gubernio, prosperoq́ successu dictae Archiconfraternitatis, & illius rerum ac bonorum omnium, omniumq́ aliorum ad eam nunc & pro tempore pertinentium, praeter iam condita, quaecumq; alia statuta & ordinationes condere, eademq́ toties, quoties pro rerum & temporum mutatione & qualitate expediẽs fuerit, etiam in toto vel in parte mutare, corrigere, & in melius reformare, ac etiam de nouo facere; quae sic condita, reformata, ac de nouo facta, per dictum Vicarium examinari, & quatenus sint licita & honesta, ac sacris Canonibus & constitutionibus, ac dicti Concilij decretis non cõtrarientur, approbari debeant. Et insuper dictae Archiconfraternitati quascumque alias Confraternitates, sub illius instituto vbiuis locorũ & gentium erectas & erigendas, si, postquam hoc per earum procuratorem ad id specialiter constitutum, in vnâ ex Congregationibus ipsius Archiconfraternitatis petierint, similiter perpetuò aggregare, eisdemq́, sic per eos pro tempore aggregatis Confratribus, ac earum Ecclesiis, Capellae, Oratoriis & Confratribus & personis, omnia & singula priuilegia, Indulgentias praedictae Archiconfraternitatis, eiusq́, Confratribus, necnon Ecclesiae seu Capellae huiusmodi concessas, facultate eligendi Confessorem, necnon aggregandi, & gratias huiusmodi communicandi exceptâ, communicare ac concedere, & alia omnia in similibus per alias dictae Vrbis Archiconfraternitates, earumq́ Confratres fieri & obseruari solita, facere liberè & licitè valeant, plenam, liberã, & omnimodam licentiam, facultatem & auctoritatem harum serie impartimur. Postremò, vt Christi fideles praedicti ad dictam Archicõfraternitatem ingrediendam, & piorum operum in illâ exercitium ampliùs incitentur, & exinde ipsa Archiconfraternitas Confratrum numero & frequentiâ magis decoretur, praedictaq́ Ecclesia, vel alia, ad quam ipsam Archiconfraternitatem transferri contigerit, in maiori habeatur veneratione, & fidelis populi erga illam deuotio augeatur, qui ipsi vberioribus caelestis gratiae donis cognouerint se inde esse refectos, de omnipotentis Dei misericordiâ, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus & singulis vtriusq́ sexus fidelibus Christi verè poenitentibus & confessis, ac sacrosanctâ Communione refectis, praedictam Archiconfraternitatem de cetero ingredientibus, die primi illorum ingressus & receptionis huiusmodi, ac tam illis quàm iam ingressis Cõfratribus dictae Archiconfraternitatis, pro tempore vbilibet decedentibus, in eorum mortis articulo, si verè poenitẽtes, & confessi SS. Eucharistiae Sacramentum, si id commodè fieri potuerit, sumpserint, & nomen IESVS *ore; vel saltem corde, inuocauerint; necnon omnibus & singulis vtriusq́ sexus Christi fidelibus, similiter verè poenitentibus & confessis, qui Ecclesiam dictae Archiconfraternitatis in Omnium Sanctorum, ac per totam Octauam, ac Natiuitatis B. Mariae Virginis Festiuitatibus, annis singulis deuotè visitauerint, & pro salute Romani Pontificis, paceq́ & tranquillitate Sedis Apostolicae, ac omniũ Principum Christianorum, ac etiam pro animarum in Purgatorio praedicto existẽtium liberatione, & alias pias preces ad Deum fuderint, plenariã omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, auctoritate & tenore praemissis, elargimur. Insuper, qui verè poenitẽtes & confessi, ac sacrâ Communione refecti, durante Oratione quadraginta horarum, eidem Orationi, siue die siue nocte interuenerint, & Psalmum, qui incipit,* Miserere mei Deus, *siue,* De profundis, *cũ ipso Responsorio,* Requiem aeternam, *aut, qui hoc praestare nescierint, Coronam recitauerint pro animabus in Purgatorio existentibus; ipsisq́, Confratribus, qui itidem verè poenitentes & confessi, qualibet Feriâ secundâ primae hebdomadae cuiusuis mẽsis dictum sanctum Eucharistiae Sacramentum deuotè & cum contritione pro Purgatorij animabus Psalmos & Orationes huiusmodi recitando, susceperint, septem annos & totidem quadragenas; quiq́ in Oratorio Officiis defunctorum interfuerint, & corpora dictorum Confratrum vtriusque sexus defunctorum, Psalmum,* De profundis, *vel Coronam huiusmodi recitando, ad sepulturam associauerint, eisdemq́ Psalmum* De profundis, *vel Coronã huiusmodi Christifidelibus, etiam nõ Confratribus, ab hac luce recedẽtibus, deuotè etiam recitantibus, vel dictum sanctissimae Eucharistiae Sacramentum, dum ad infirmos defertur, associauerint, & Processionibus dictae Archiconfraternitatis, & quauis causâ de licentiâ eiusdem Vicarij pro tempore faciendis, interuenerint; & qui secundâ & sextâ Feriis cuiuslibet Hebdomadae Psalmum* De profundis, *vel Coronã huiusmodi pro animabus praedictis dixerint; quiq́ Missas pro animabus eisdem celebrari fecerint, & quoties infirmos dictae Archiconfraternitatis visitauerint; necnon Processionibus dictae Archiconfraternitatis infra Octauam Commemorationis defunctorum ad Ecclesiam S. Gregorij de Vrbe, Feriâ sextâ in Parasceue ad Basilicam Principis Apostolorũ de eadem Vrbe faciendis deuotè interfuerint, ac etiam ipsius Confratribus, qui confessi & communicati septem Ecclesias dictae Vrbis visitauerint, cum aliis Christi fidelibus illos associantibus, cẽtum dies de eis iniunctis, seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Postremò eisdem Confratribus, vt pro Indulgentiis praedictis faciliùs cõsequendis iidem Confratres, ac etiam eorum quilibet, Confessorem sibi visum ab Ordinario approbatum, qui auditâ eorum confessione, eos à quibusuis peccatis, criminibus & excessibus, etiam quantumuis enormibus, videlicet à casibus dictae Sedi reseruatis, exceptis contentis in litteris in die Coenae Domini legi solitis, bis in vitâ, & in mortis articulo; in aliis verò eidem Sedi non reseruatis casibus, quoties opportunum fuerit, absoluere, & pro eis salutarem poenitẽtiam iniungere possit, eligere licitè & liberè valeat, eisdem auctoritate & tenore indulgemus: praesẽtibus perpetuis temporibus valituris. Non obstãtibus nostrâ de Indulgẽtiis ad instar non concedendis, & quibusuis aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisq́ contrariis quibuscumque. Volumus autem, quòd si ingredientibus dictam Archiconfraternitatem, aut aliud ex praemissis peragentibus, vel aliàs aliqua alia Indulgẽtia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura, per nos concessa fuerit, praesentes litterae nullius sint roboris vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, addictionis, suppletionis, erectionis, institutionis, concessionis, elargitionis, relaxationis, indulti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romae apud sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicae 1594. quinto Idus Septembris, Pontificatus nostri anno tertio.*

Archiconfraternitas Romae instituta.

Eius priuilegia communicantur fraternitatibus illi annexis.

Insignes sunt indulgentiae.

Quibus piis exercitiis hae annexae.

Absolui possunt Confratres à casibus reseruatis.

8. Bulla eiusdem Pontificis de liberatione annuã captiui vnius. *Dilectis filiis Cõfratribus Confraternitatis*

Archiconfraternitas annuatim vnū capitum e vinculis & à morte redimere potest.

tatis B. Mariæ De Suffragio de Vrbe, Clemens Papa VIII. Dilecti filij, salutem & Apostolicā benedictionem. Pias Christi fidelium Societates, ad charitatis opera exercenda canonicè institutas, vt in eorumdem operum exercitio magis consuescantur, specialibus fauoribus & gratiis libenter prosequimur, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Proinde vestram Confraternitatem specialis gratiæ fauore benignè prosequi volētes, ac vos, & quemlibet vestrūm, a quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, a iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, supplicationibus vestro nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, vobis vestræq; Cōfraternitati, vt singulis annis in Festo Omnium Sanctorū, vel in sex. á Feria Maioris Hebdomadæ, arbitrio vestro eligendum, vnum reum, quem petieritis, & a dilecto filio nostro & pro tempore existente almæ Vrbi Gubernatore obtinueritis, capitali pœnā, præterquam occasione criminis læsæ Maiestatis, falsificationis monetæ, aut litterarum Apostolicarum, assassinij aut sacrilegij damnatum, liberare & absoluere, dummodo tamen pacem ab offensis habuerit, libere & licite valeatis, auctoritate Apostolicā tenore præsentium facultatem & auctoritatem concedimus. Mandantes propterea eidem Gubernatori nunc & pro tempore existenti, vt singulis annis in perpetuum vobis vnum ex huiusmodi pœna capitali damnatis liberum dimittat, & concedat, ipsumq; per vos pro tempore liberatum, ab omni pœna capitali eo ipso absolutum, ac ad patriam, famam, gradus, honores, & bona quæcumq; præterquam Fisco incorporata, plenariè restitutum & redintegratum esse & censeri, nec illum super præteritis delictis & excessibus vlteriùs molestari vel perturbari posse decreuimus & declaramus. Non obstantibus cōstitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisq; contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 10. Martij 1603. Pontificatus nostri anno duodecimo.

9. Quia passim extat libellus Sodalitatis illius, nō me fatigabo, vt de verbo ad verbum reddam omnia & singula, quæ in eodem continentur, sed carptim & breuiter summaria capita referā, ac in primis, quæ notabiliora sunt; vt sunt illa, quæ ibidé præscribuntur de habitu & signo dictæ Archiconfraternitatis. Igitur insignia illius sunt, Virgo Deipara, Filium suum sinu excipiens. Inferne sub ea geniculatur, aquam ex vasculo in Purgatorium effundens, peregrinantis habitu Sodalis Virgo, cū hac inscriptione: *Archiconfraternitas sanctæ Mariæ Suffragij.* Habitus Sodalium est saccus & scapulare supra togam, ex tela Brabanticā Chorda per modum cinguli nigra, nō bombycina vel byssina, sed linacea. Cuculla leuidensa, raro & tenui textu, colore nigro, longa palmis duobus, humeris vtrisque inhærens. Pileus largis extremitatibus, funiculis & limbis constat: ad latus Rosarium cum cranio. Scipio ex ligno fusco, cum sphærulis duabus, quo peregrinorum morem vtuntur in Supplicationibus publicis. Symbolicè autem hæc effigies denotat orātem, qui nitere debet mētis munditia: Saccus ex telā, spiritus simplicitatem, Chorda mortificationem, Cucullus, vtrumq. tegēs humerum, spiritus obumbrantis protectionem, & Purgatorij mitigantis ardorem. Pileus niger, mœrem lugubrem: baculus, Crucem Dominicam; Rosarium caluariā insignitū, assiduam mortis & nouissimorum memoriam. Porrò Sodalitatis Magistratus talis est. Vnus est Dominus Primicerius, tres Guardiani, Cubicularius vnus, duo Sigilliferi, Custodes duo V. Sacramenti, Syndici duo, Secretarius vnus, Ecclesiæ Prouisor vnus, Prouisor mortuorum vnūs, Operarij duo, duo Magistri Nouitiorum, quatuor infirmis intendentes, Computator vnus, Quæstor vnus, Chorales sedecim, Sacristæ duo. Sunt & Sacellani, & Sacerdotes præbendati, Medicus, Mandatarius. Est & Congregatio secreta, & Congregatio generalis, de quibus omnibus agitur particulariter in eodem libello.

Archiconfraternitatis insignia

Sodalium habitus.

Ratio eam Confraternitatem dirigendi.

Est & alterius sexus Congregatio, quę sub hac Archicōfraternitate censetur, suumq; Magistratum habet, quem eligunt in Comitiis mense Decembri, videlicet Priorissam vnam, tres Guardianas, duas quæ prouidēt rebus Sodalitatis, & quatuor Infirmarias. Harum Magistratus in sex mēses prorogatur: officium tamen Priorissæ & Guardianæ per annum durat ordinariè. Potest nihilominùs arbitratu Primicerij produci vel protrahi. Harum Congregationi nullus alterius sexus, præter Primicerium & Guardianum, interesse potest. Priorissæ munus est, prouidere vt statis temporibus Sorores intersint orationi quadraginta horarum. Ipsius etiam est, exhortari ad sacram Confessionem & Communionem, Orationem, &c. in ordine ad suffragia fidelibus defunctis corroganda. Procuratrices prouident, vt altaribus mappæ, mantilia, calicum tersoria, purificatoria numquam desint; aliaq; procurant, quæ ministerio Archicōfraternitatis necessaria sunt.

Sodalitas feminarum

Cooptantur autem in eamdem Cōfraternitatem aliarum ciuitatum Sodalitia. Modus verò & forma aggregandi talis est. *In nomine Domini nostri Patris, & Filij, & Spiritus sancti, amen. Nos Horatius Ceulus, Romanus, sanctissimi Domini nostri Papæ Referēdarius, Cameræ Apostolicæ Clericus, Primicerius, Alexander Ruspoli, Florētinus, & Aurelius Pusterla, Custodes Venerabilis Archicōfraternitatis S. Mariæ Suffragij in Ecclesia S. Blasij de Vrbe, vniuersis & singulis præsētes litteras visuris, lecturis ac pariter audituris salutem in Domino sempiternam. Regina cælorum Virgo Maria, Virgo prudentissima, & omnium virtutum laudibus insignita, nostra & defunctorum Aduocata, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur, cuiusq; precibus iuuatur populus Christianus, & quam ineffabilis æterni Patris prouidentia dilectissimi Filij sui ac Domini & Redemptoris nostri Iesu Christi genitricem esse disposuit, tantis apud eum, quem castissimis suis genuit visceribus, sanctisq; lactauit vberibus, abundat gratiarum muneribus, vt illos, qui ad ipsam, vti charitatis gemmam ac pietatis fontem, sincerá mente confugiunt, eius excelsis adiutos suffragiis, ad exauditionis gratiam admittere diuina non dedignetur clementia. Quare nos libēter complectimur, quos ad eiusdem gloriosissimæ Virginis Mariæ, ac pro animabus defunctorum, & eorum suffragiis, nec non illius vexillo, ad charitatis & pietatis exercenda promptiores fore reputamus, vt ex hoc & nobis & ipsis intercedente eadem nostrá Aduocatâ, animarum nostrarū, & defunctorū desiderata salus valeat prouenire. Cùm itaq; nuper dilecti nobis in Christo Officiales, & alij Confratres Venerabilis Confraternitatis B. Mariæ Visitationis sub Regulá S. Bonauēturæ, quæ hodie reperitur in Cortili S. Nicolai, ciuitatis Neapolitanæ, & vbicumque eos morari pro tempore contigerit, per prouidum virum D. Martinum Vernillo, Neapolita-*

10. *Quomodo & quæ in Confraternitatē recipiantur.*

num.

num, eiusdem Confraternitatis in almâ Vrbe Procuratorem, ad hoc ab eâ specialiter deputatum, nobis exponi fecerint, quod ipsi Confratres, singulari erga nostram Archiconfraternitatem deuotione ducti, ac maximo charitatis feruore accensi ad pietatis opera exercenda, quæ ad Dei omnipotentis laudem, & proximi commoditatem & subsidium continuò exerceri, quoad possumus, procuramus, vacare summoperè cupiant & intendant; ac propterea eidem nostræ Archiconfraternitati perpetuò aggregari, ac sub illius protectione recipi & permanere, eamdemq; nostram Archiconfraternitatem, vti matrem & superiorem, agnoscere petierint & promiserint. Quare prædictus Martius Procurator, & eo nomine à nobis debitâ cum instantiâ postulauit, vt ipsam Confraternitatem, & illius Confratres nostræ Archiconfraternitati aggregare, & sub illius protectionem recipere vellemus. Nos igitur piis Christi-fidelium, præsertim charitatis & pietatis opera pro animabus defunctorum huiusmodi exercentium, seu amplecti satagentium, votis, quantum cum Deo possumus, respondere, eaq; dignis fauoribus prosequi præoptantes, ad omnipotentis Dei, eiusdemq; gloriosissimæ genitricis Virginis Mariæ, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum, & totius Curiæ cælestis laudem, gloriam & honorem, Confraternitatem ipsam, omnesq; & singulos illius Confratres vtriusque sexus, nunc & pro tempore existentes, in vim facultatum eidem nostræ Archiconfraternitati per S. D. N. Clementem Papam VIII. concessarum, per suas litteras Apostolicas sub plumbo, vt moris est, expeditas, & omnibus melioribus modo & formâ, quibus meliùs possumus & debemus, tenore præsentium eidem nostræ Archiconfraternitati perpetuò aggregamus & associamus; illamq; & eius Confratres vtriusq; sexus sub protectione dictæ nostræ Archiconfraternitatis, & in eius gremium recipimus & admittimus. Ita quòd illa deinceps perpetuis futuris temporibus Confraternitas B. Mariæ Visitationis ac Suffragij nuncupetur. Monemus nihilominùs in Domino, & fraternè hortamur eiusdem Confraternitatis Confratres, eorumq; singulos, vt quantum in eis erit, frequenter verbum Dei audiant, sæpè etiam peccata sua confiteantur, sanctum Eucharistiæ Sacramentum sumant, præsertim dum Oratio quadraginta horarum ab eis celebratur, pro Animabus defunctorum preces effundant, ac defunctorum Officium in eorum Oratoriis singulis diebus feriatis recitent, Confratres infirmos visitent, ac eos consilio & auxilio, ac etiam pecuniâ indigentes adiuuent, & viduas protegant & defendant, ac protegi & defendi procurent & faciant; corpora defunctorum Confratrum & aliorum Christi-fidelium associent, & pro illorum animabus preces effundant, mortuorumq; Officia celebrent, & in aliis pietatis & charitatis operibus sese ad instar nostræ Archiconfraternitatis, iuxta illius statutorum & constitutionum, litterarumq; Apostolicarum huiusmodi formam & tenorem se exerceant. Volumus autem, quòd in signum nostræ superioritatis Confraternitas ipsa sic aggregata, illiusq; Confratres in Vigiliâ Omnium Sanctorum, vel saltem infra Octauam defunctorum cuiuslibet anni, perpetuis futuris temporibus intortitium ceræ albæ saltem librarum quatuor nostræ Archiconfraternitati realiter & cum effectu dare & consignare, quodq; pileum, scapulare, baculum siue bordonum, & cingulum ad instar eiusdem nostri habitus cum coronâ & signo nostræ Archiconfraternitatis, in parte sinistrâ gestare teneantur. In quorum omnium & singulorum fidem præsentes litteras, manu nostrâ signatas, per infrascriptum nostræ Archiconfraternitatis Secretarium subscribi fecimus, cum appensione sigilli eiusdem. Datum Romæ in nostro Oratorio, sub anno à Natiuitate eiusdem Domini nostri Iesu Christi 1594. Indictione, &c. die verò 14. mensis Nouembris, Pontificatus SS. in Christo Patris & Domini nostri D. Clemẽtis, diuin. prouidentiâ Papæ VIII. anno eius tertio Innocentius Saracinellus Secretarius.

Cum Archiconfraternitate vnio.

Conditiones obseruandæ.

Indulgentiarũ huius Sodalitatis cõpendium.

Sua Sanctitas concedit vtriusq; sexus Christifidelibus, qui verè contriti & confessi fuerint, & Eucharistiæ Sacramento refecti, nomen dederint Archiconfraternitati, Indulgentiam plenariam, & remissionem omnium peccatorum suorum. Cõcedit etiam Fratribus & Sororibus omnibus dictæ Archiconfraternitatis, quocumque demum loco infirmantibus, verè contritis, vt suprà, & in articulo mortis nomen IESV, si non labiis & ore, saltem corde, deuotè pronuntiantibus similiter plenariam Indulgentiam. Necnon iis qui visitauerint Ecclesiã seu Oratorium dictæ Archiconfraternitatis, & ibidem in Festo Omnium Sanctorum, & per Octauam, pias preces fuderint. Iis quoque qui dictam Ecclesiam visitabunt in Festo Natiuitatis B. Mariæ Virginis, & pro salute Summi Pontificis, pro pace & tranquillitate Sedis Apostolicæ, omniumq; Principum Catholicorum prosperitate, atque pro liberatione animarum ex Purgatorio. Concedit insuper septem annorũ & septem quadragenarum Indulgentiam iis, qui confessi, & Sacramẽto Eucharistiæ refecti, frequẽtabunt Orationem quadraginta horarum, in dictâ Archiconfraternitate habendam, ibidemq; legent Psalmum *Miserere mei Deus*, aut *De profundis*, cum versiculo *Requiem*, vel, si idiotæ sint, *Rosarium* pro defunctis. Easdem impertit Indulgentias Sodalibus, qui, post sacram Communionem, Feriâ secundâ cuiusque mensis addiderint Psalmum supradictum, & Orationem *Absolue*. Prætereà concedit cẽtum dierum Indulgentias frequentantibus Festa Oratorij, per tempus illud, quo dicitur Officium defunctorum. Similiter illis, qui corpora mortuorum Fratrum ad sepulturam comitabũtur, recitantes Psalmum *De profundis*, vel *Rosarium*. Easdem Indulgentias largitur omnibus illis, qui deuotè recitabunt Psalmũ *De profundis*, aut *Rosarium* pro agonizantibus quibuscumque. Illis etiam qui comitabuntur SS. Sacramentum, quando ad ægros defertur. Easdem item Indulgentias tribuit omnibus Sodalibus, qui diebus Lunæ & Veneris cuiuslibet hebdomadæ legent Psalmum *De profundis* pro animabus in Purgatorio detentis, necnon iis, qui pro iisdem Missæ Sacrificium curabunt offerri. Item omnibus Sodalibus, visitantibus infirmos. Illis etiam, qui comitabuntur Supplicationes, quæ fiunt intra Octauam Omnium Sanctorum ad templum S. Gregorij: & die Veneris sancto ad Ecclesiam S. Petri: nec non reliquas Supplicationes, quæ iussu Illustrissimi Domini Vicarij fient quocumq; tempore, quãcumq; ob causam. Concedit pariter easdem Indulgentias omnibus Fratribus & Sororibus dictæ Archiconfraternitatis ritè confessis, & sacrâ Communione refectis eam ingredientibus Ecclesiam. Itemque omnibus quibuscumque Christi-fidelibus comitantibus dictam Archiconfraternitatem ad septem Ecclesias. Prætereà, vt Fratres & Sorores præfatæ Societatis faciliùs consequi valeant prænominatas Indulgentias, concedit vnicuique eorum facultatem eligendi Confessarium,

II.

Indulgentiæ eidẽ Confraternitati concessæ.

Intrantibus.

In articulo mortis.

Oratorium Confraternitatis visitantibus.

Orationi quadraginta horarum interessentibus.

Post Synaxim sacram orantibus.

Festa Oratorij celebrantibus.

Funera deducentibus.

Pro agonizãtibus preces facientibus.

V. Sacramentum comitãtibus.

Infirmos visitantibus.

Iis qui Supplicationibus Sodalitatis intersunt.

Ingredientibus eius Ecclesiam.

quem voluerint, ab Ordinario approbatum; qui, vbi confessionem eorum exceperit, poterit eos absoluere à quocumque delicto & excessu, quantumuis enormi, etiam Sedi Apostolicæ reseruato, exceptis iis dumtaxat, quæ in Bullâ Cœnæ Domini continentur; idque bis tempore vitæ suæ, & in articulo mortis. Hactenus de iis quæ Archiconfraternitatem concernunt: veniamus ad eas Confraternitates quæ passim in Belgio ad Romanæ imitationem institutæ sunt.

Archiepiscopus Mechliniensis sodalitatem instituit.

12. Illustrissimus Mechliniensis Archiepiscopus Iacobus Boonen, primùm Bruxellæ in Ecclesiâ Parochiali D. Nicolai, postmodum in Metropolitanâ suâ Mechliniæ Confraternitatem huiusmodi circa annum 1623. solemniter, maximo pietatis successu, fundauit, atque huiusmodi Regulas siue Canones Sodalibus præscripsit. 1. Quisquis huic Sodalitati nomen dare voluerit, siue vir siue mulier, vt rectè debitaque cum intentione consociationem hanc auspicari queat, ac meritum inde conflare; Primo quo inscribetur die conscientiam Sacramentali Confessione expiabit, vel contritionem eliciet. Hæc enim praxis vt vtilissima, ita & quandoque necessaria omnibus Christi-fidelibus, maximè Sodalibus, quos omni die vel horâ ita comparatos esse decet, vt perceptioni Sacramentorum semper inueniantur idonei. 2. Primo initiationis suæ die, nisi legitimum obstet impedimentum, vel alio qui visus fuerit opportunior, sacri Corporis Dominici participatione se reficient, & fructum Communionis applicabunt fidelibus in Christo defunctis. 3. Ad eamdem intentionem, & in eumdem finem, singulis quibusque mēsibus itidem communicabunt, ij potissimùm qui laudabilem subierunt consuetudinem singulis octiduis ex consilio suorum Confessariorum communicandi. Qui verò necdum eatenus profecerunt, vt tam crebrò se posse communicare cum fructu confidant, hoc saltem curabunt, vt singulis mēsibus, ex singulari erga defunctos deuotione, Missæ sacrificio reuerenter assistant. Qui autem altari deseruiunt Sacerdotes, dum Sacris operantur, peculiarem eorum memoriam assument, eisque quod iustum est, exsoluent. 4. Quotidie, quibus integrum est, intersint Missæ sacrificio. Quo tempore meminerint, non obiter, nec perfunctoriè, sed fideliter & ex animo, Sodalium defunctorum, commendantes eos Deo Patri per Iesum Christum mediatorem nostrum: idque potissimùm post sacram eleuationem, dum celebrans vniuersalis Ecclesiæ nomine memoriam omnium fidelium in Christo quiescentium recolit. 5. Qualibet Feriâ secundâ cuiusque hebdomadæ, semper & imprætermissè, de *Requiem* Missâ celebrabitur, nisi impedita illa fuerit aliquo Festo occurrente. Quâ impeditâ, nihilominùs sacrificium diei Festi proprium applicabitur iisdem fidelibus defunctis. 6. Quotidie Sodales legent Psalmum *De profundis*, cum Versiculo & Collectâ. Analphabeti verò seu non litterati ter dicant *Orationem Dominicam*, cum *Angelicâ Salutatione*. 7. Quotiescumque cœmeterium prætergredientur, vel templum subibunt, benè precabuntur animabus illis, quarum ibi humata sunt corpora, dicentque, mente feruenter in Deum sublatâ: *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis*. 8. Idem præstabunt ter interdiu,

Regulas quas pro eadem præscripsit.

vespere, manè, meridie, precatiunculâ expletâ de more legi solitâ ad pulsum trinum campanæ. 9. Præter hæc quæ iam dicta sunt, insuper singulis mensibus, proximâ Feriâ secundâ post Dominicam primam mensis, non impeditâ singulari Festo Ecclesiæ, celebrabitur Sacrum solemne de *Requiem*, ad eorum intentionem, qui sacro huic Missæ interfuerunt Officio: tuncque gratia priuilegiati altaris applicabitur animæ illi, quæ maximè suffragiis destituitur. Quòd si prædicta Feria extiterit impedita, celebrabitur illa de *Requiem* Missa primâ die ab omni impedimento liberâ. 10. Hanc Missam excipiet item alia priuata de *Requiem*, quæ similiter applicabitur defunctis Sodalibus, additâ gratiâ, vt suprà, priuilegiati altaris, cedetque animæ magis indigenti, quæ membrum huius Confraternitatis extiterit. 11. Quotiescumque contigerit aliquem Sodalem ex hac vitâ migrare, omnes & singuli Sodales, primâ fauente opportunitate, pro eius animæ refrigerio semel Missæ sacrificio intererunt, vel pro eo legent Officium Defunctorum, vel Septem Psalmos, aut Coronam B. Virginis. Qui autem hæc legere liberè consueuerunt, tunc cum intentione iuuandi recenter defunctum hæc eadem legent. Vt autem obitus eorum innotescat Sodalibus, schedula aliqua intimabitur eis, quorum interest; exprimeturque, quòd talis defunctus membrum Sodalitatis extiterit. 12. Qui maiori feruntur erga defunctos charitate, & ex laudabili consuetudine frequentiùs ad sacram accedunt Eucharistiam; recenter defunctum singulariter commendatum habebūt, pro eoque Liturgicum illud & diuinorum diuinissimum Sacrificium offerēt, aut applicabunt eidē. Addant & opera super-erogationis, eleëmosynas, pœnalitates, mortificationes, & id genus alia, quæ suâ cuique priuata suggeret deuotio. Quæ cùm fideliter expleuerint, exspectent firmam Dei promissionem dicentis Matth. cap. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. 13. Ex parte Sodalitatis legetur insuper Missa de *Requiem* pro quolibet recenter defuncto Sodali, cum applicatione priuilegij seu suffragij præmemorati. Curabunt autem heredes vel amici Sodalis recenter defuncti, denuntiari diem obitus eius vni Prouisorum, ad quem spectat cura prædictæ Confraternitatis: qui diem & horam heredibus statuet, quâ Missæ sacrificium pro eo celebrabitur. 14. Quotannis habebitur Octaua, defunctis fidelibus deputata, videlicet ab ipso die Commemorationis Animarum, vsque ad diem octauum insequentem. Intra quas Octauas quotidie solemne Sacrum de *Requiem* canetur, cum intentione iuuandi potissimùm animas illas, quæ diutiùs in Purgatorij pœnis fuerunt. 15. Vt quilibet, in album huius Sodalitatis nomen suum referri volens, commodiùs inscribi possit; singulis mensibus, necnon & per Octauas præfatas Commemorationis omnium Animarum, ex parte Sodalitatis sedebunt aliqui, qui nomina Candidatorum excipient, videlicet dictis diebus Lunæ, vel Dominicæ præcedentis. 16. Denique, quamuis hi Canones vtiles admodum sint & pij, nullā tamen alicuius noxæ maculam vel obligationem inducunt, multò minùs laqueum animabus iniiciunt. Huc vsque Canones Confraternitatis Archiepisco-

Facies fuit atque vtiles.

episcopatus Mechliniensis: quibus Reuerendus admodum ac Nobilissimus Dominus Iosephus Geldolphus à Ryckel, D. Gertrudis Louanij dignissimus Abbas, in suo de Sodalitiis pro Animabus institutis Opusculo hæc Commentarij vice adiecit:

13. *Conscientiæ serenitas Cõfraternitatē ingressuro necessaria.*

Ad Can. 1. *Conscientiam expiabunt.*] Necessaria in primis conscientiæ repurgatio est, vt beneficio suffragiorum purgatio fidelium defunctorum acceleretur: siquidem certa est Theologorum sententia, suffragia viuorum, ex opere operantis, nihil ad satisfactionem prodesse mortuis, nisi ex charitate fiant; quinimò nec totius Confraternitatis, si (quod absit) omnes sint in statu peccati mortalis: si tamen ex eis multi sint, vel aliqui iusti, tantum proderunt eorum suffragia, quanta erit virtus vniuscuiuslibet, applicantis ea defunctis fidelibus. *Vel contritionem eliciet.*] Contritio prima est post naufragium tabula. Illa semper quasi ad manū est, & non difficulter admodum haberi potest: Confessio autem, quia sæpè non habetur copia Sacerdotis, non semper in manu nostrâ est. Paratissima porrò satisfactio est, intima conuersio ad Deum, & propositū confitendi tempore & loco. Ad Can. 2. *Primâ initiationis suæ die.*] Conuenientissimum est, vt Candidatus quilibet Sodalis ipso die, quo initiatur Sodalitati, primitias charitatis & commiserationis suæ Deo offerat in odorem suauitatis & satisfactionis pro defunctis. Solent enim primitiuæ illæ actiones & orationes esse Deo gratissimæ, quæ non malè comparantur virgulis fumi ascendentis ex aromatibus myrrhæ, per quam mortificatio, thuris, per quod oratio significatur; & vniuersi pulueris pigmētarij, quo quælibet actio Confraternitatis conspirantis in idipsum intelligitur. Ad Can. 3. *Qui laudabilem hanc habent consuetudinem.*] Libet hic verba sacri Concilij Tridentini, cohortantis ad frequentem Communionem, sistere. *Synodus hortatur, rogat, & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, vt omnes & singuli, qui Christiano nomine censentur, in hoc vnitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc cōcordiæ symbolo, iam tandem aliquando conueniant & concordent, memoresq́; tantæ maiestatis, & tam eximij amoris IESV Christi Domini nostri, qui dilectam animā suam in nostræ salutis pretium & carnem suam nobis dedit ad manducandum, hæc sacra mysteria Corporis & Sanguinis eius, eâ fidei constantiâ & firmitate, eâ animi deuotione ac pietate, & cultu credant ac venerentur, & panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, & is verè eis sit animæ vita, & perpetua sanitas mentis.* Ita Concilium Tridentinum sessione 13. cap. 18. sess. 22. S. Ambrosius lib. 5. de Sacram. cap. 4. *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Ex consilio suorum Confessariorum.*] Prudenter Canon hic ad arbitrium conscientiæ suæ remittit vnumquemque: quia cùm varia sit salina communicantium, nulla potest circa frequentationem hanc præscribi regula generalis. Ad Can. 4. *Post eleuationem.*] Inter alia, quæ maximè promouent feruorem orationis & attentionem, est sacrum illud silentium Sacerdotis, quod peractâ consecratione seruat vsque ad secundam Hostiæ eleuationem super calicem. De quo ita S. Cyprianus Sermone de Cœnâ Domini: *Vide quomodo his, qui Christi commemorant Passionem, intra sancta Officia, quasi per quosdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & super omnes delicias lacrymis nectareis anima delectetur; quamam suauitatem animæ, inquirenti vbi sit Deus suus, suspiria contemplationis eliciant. Nos illos imbres procellosæ tempestates deponunt: ros matutinus est de cælestibus stillans, & quasi vnctio spiritus mentem deliniens. Gemitus illos pietas excitat,* &c. Ad Can. 5. *Feriâ secundâ.*] A temporibus Damasi Papæ Feria hęc deputata fuit Commemorationi fidelium defunctorum, adeoque & miraculo confirmata. In Ordine PP. Capucinorum, inter quinque suffragia annua quæ solemniùs pro fidelibus defunctis celebrantur, primum celebratur die Lunæ post Dominicam Septuagesimæ. Item ter in qualibet hebdomadâ, scilicet Feriâ secundâ, quartâ, & sextâ post Completorium, recitatur in Choro pro vniuersis benefactoribus ordinaria illa suffragia, Psalmi *Deus misereatur nostri*, *De profundis*, Versiculi, Oratio Dominica, Collecta, *Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum*, &c.

Contritio pœnitenti absoluti necessaria est.

Quare primo ingressus suæ die quis purus esse debeat.

Eucharistiã frequentiùs sumere, laudabilis est consuetudo.

Post Eucharistiã eleuationem deuotio plerũque est maior & feruentior.

Feriã secũda ab antiquis temporibus defunctorum commemorationi assignata.

In Can. 6. *Quotidie legent Psalmū De profundis.*] Et meritò hic Psalmus communiter applicatur animabus Purgatorij, quia vicem habet cuiusdam Sacrificij: meminit enim copiosæ redemptionis. 14.

Si Feria secunda extiterit impedita.] Nullum adeò prægnans impedimentum videri debet, quod nobis memoriam eripiat fidelium defunctorum. Quia tamen derogaret solēnitati vel Festo communi, qui publicè & in luce hominum Missam legeret de *Requiem*; ideò inter Collectas Missæ festiuæ semper habere locum potest & debet Oratio propria, debita Sodalibus, vt fieri solet in quibusdam priuatis Ecclesiis: vel Collectæ defectum suppleat hic suffragandi modus & intentio, *Applico quibus possum & debeo, ordine debito tibi, Deus, cognito.* In Can. 7. *Quotiescumque cœmeterium prætergrediuntur.*] Benè & religiosè monet Canon hic, vt pertranseuntes cœmeteria vel templa, benè precentur fidelibus defunctis: hoc enim priscis vsitatū fuit, vt colligere licet ex antiquissimo Tertulliano, qui feminæ Vernaculæ meminit, cui solemne fuit ad primum habitum orationis, manus à lateribus dimotas in habitum supplicem conformare, rursumque conditâ pace situi suo reddere. *Condere pacem nihil aliud est*, inquit Gretserus, *quàm pacem defuncto exoptare.* ad eum modum nempe, quo Canon hic docet faciendum. In Monasterio Ordinis Cisterciensis prope Berckam, *Campen* dicto, cùm duo Religiosi circa cœmeterij locum inambularent, ac sermones de diuersis haberent, nullâ interim defunctorum ibidem sepultorum mentione factâ, volentes iam discedere, vocem quamdam querulosam post tergum audierunt, dicentem: *Et non dixerunt, qui prateribant; Benedictio Domini super vos.* Quâ quidem voce cum admiratione auditâ, recordabantur se defunctorū animabus non benè precatos esse, sed potiùs de rebus sæcularibus confabulatos. Vnde pedem retrahentes, ac cœmeterium circumeuntes, preces ad Dominum pro Fratrum suorum animabus fudêre, insistentes illi loco in quo vocem audierunt, ac dicentes: *Ecce benediximus vobis in nomine Domini*, quando iteratò audierunt, quasi cum applausu ac gratulatione, *Deus Dominus, & illuxit nobis.* Ex Referēdario Alberti Kinerij Carthus. dist. 7. In Can. 11.

Insignè de requie mortuis applicandâ exemplum.

Legent Officium defunctorum.] De hoc Officio potest intelligi dictum illud Diui Augustini: *Quid hac oratione præclarius? quid vtilius? quid animo dulcius? quid in totâ Religione nostrâ sublimius?* Serm. 226. Hoc Officium tãti fuit olim, vt de eo tradat Surius, in funere S. Hugonis Lincolniensis nullos, nisi Episcopos, Lectiones nouem huius Officij legisse, & Reges vel à Rege proximos Officium illud excepisse, ac humeros feretro subiecisse. *Vel septem Psalmos Pœnitentiales.*] Quanta sit energia & efficacia horum Psalmorum, passim insinuãt Lorinus & S. Augustinus in Psalterium, quod inter omnia eius Opera suauissimum est. S. Bernardus adhuc Nouitius, pro matris defunctæ requie quotidie septem Psalmos legere solitus, cùm aliquando per diem omisisset, Domino reuelante, defectus hic eius Abbati innotuit; à quo citatus, & quæ causa fuisset omissionis interrogatus, didicit, non inculpatè pium hoc pensum omitti. *Vel Rosarium.*] De Rosario B. Virginis Matris seu applicãdo fidelibus defunctis, seu idoneo profligandis spirituum malignorum terriculamentis, ita Pædagogus Christianus Parte 2. *Suscitentur noui lusciones, & noua pietatis officia sancto Nomini eius sacra inueniantur. Si tui immemores taceant homines, ô Maria, æra campana manè, meridie, ad Solis occasum horis singulis tibi applaudant, hominesq́; commoneant, quantum vel vno Aue Maria animarum lucra facere possent: nemo sit, qui non tibi quotidie sertum aliquod ex Salutationibus Angelicis contextum, quasi roseâ coronâ gratius fragrantiusq́, offerat. Et si illud centumquinquaginta Salutationum aut sexagintatrium occupato alicui sit longius, saltem illam duodecim stellarum siue Salutationum, & Orationes Dominicæ ter repetitæ, velut triplicis inter stellas Solis, corollam SS. Trinitatis, & duodecim, quas in te suspicimus, prærogatiuarum cõmemorationi sacram non prætermittat.* Exemplum recẽs, quod ibidem narrat de infestatione maligni spiritus extinctâ per huius vsum Corollæ, vide apud eumdem. In Can. 12. *Solemne Sacrum celebrabitur.*] Regulæ Sodalitatis Chimacensis addunt, *cum Musicâ*, similiter Regulæ Confraternitatis Antuerpiensis, sub titulo B. Mariæ Virginis Consolatricis fidelium viuorum & defũctorum erectæ, vt suprà dictum est. *Gratia priuilegiati altaris applicabitur.*] Hanc applicationem fortè Dionysius Areopagita lib. de Ecclesiasticâ Hier. c. 7. vocat ἱεραϊκὴν εὐχὴν, *Orationem sacerdotalem*, nimirũ super defunctum fieri solitam, per quam & sacram Communionem, liturgicis officiis instructam, non malè intelligas: est enim sacratior oratio & oblatio, parum admodum à sacerdotali distans. Et meritò tãtam vim ponit Canon hic in applicatione meritorum Christi, quæ fit communicando Carni eius & Sanguini: siquidem Sacramentum Eucharistiæ inter alios effectus mirabiles, quos operatur, ille vnus præcipuus est, quòd det adeptionem gloriæ, id est virtutem adipiscendi, secundùm Theologos post D. Thomã in 3. quæst. 79. deletque pœnam peccatis debitam, licet non totam, sed secundùm mensuram deuotionis, vt per eumdem in art. 5. Est & ablutio scelerum, id est mortalium oblitorum vel ignotorum. De hac participatione Sacramenti altaris, & eius applicatione, vide plura apud P. Binetum, in Gallico Tractatu de Purgatorio, qui hoc singulare remedium ad imminuendum vel euadendũ Purgatorium plurimùm extollit. Hoc ipsum S. Ignatius vocat *immortalitatis antidotum.* Guilielmus Parisiensis *incordationem* appellat, S. Bonauentura *lytron. Cùm in altari habetur in manibus, vt captiuus,* inquit, *teneatur, nec sine lytro dimittatur. Lytron eius sit, vnius animæ è flammis expiatricibus liberatio: sicq́; fiat captiuorum permutatio, nec aliter.* Mortuis olim naulum in os dabatur, quò facilior eis esset transitus ad campos Elysios. Sed hoc figmentum, & superstitiosa vanitas. Veriùs dicimus hanc Hostiam naulum & lytron esse. Refert Ludouicus Blosius in Monili spirituali cap. 6. & ex illo Petrus Gerardi Augustinianus, in suo Altari thymiamatis, fol. 268. defunctum quemdam post fata sua, Deo sic annuente, rediisse, & apparuisse singulari cuidam viro Dei, amictum flammeo pallio, grauiterque planxisse, se, ob neglectam frequentem Communionem sacram, immanissima Purgatorij incendia sustinere. Vnam tamen dixit sibi superesse certissimam medelam, nimirum, si pro se vir Dei communicare vellet. Quod cùm alter in se suscepisset, paulò pòst liberatus à pœnis, rursus rediit, non iam, vt priùs, igneo pallio torridus & horridus, sed fulgentissimo Sole lucidior. Tumque gratias egit liberatori suo, numquam præstiti refrigerij immemor futurus. Ac mox, vt erat gloriâ & honore conspicuus, cælos, perpetuò victurus, petiit. De frequẽti Communione, defunctis applicanda habemus varios, qui nos ad eam hortentur, Auctores; sed præcipuè Concilium Tridentinum suprà citatum sess. 22 cap. 6. *Optaret quidem sancta Synodus* (verba sũt Concilij) *vt in singulis Missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione cõmunicarent, quò ad eos sanctissimi huius sacrificij fructus vberior proueniret.* Ex quibus verbis licet non expressè colligatur applicatio sacræ Communionis, tamen eiusdem frequentatio commendatur, & vniuscuiusque relinquitur arbitratui deriuatio saluberrimi fructus in animas fidelium vitâ functorum. Sacramentum Eucharistiæ pœnas Purgatorij minuit. Vnde legitur, quòd duo Religiosi se mutuò diligentes, alter eorum sine Viatico decessit, pro quo orans, post Matutinas vidit circa Corporis Christi custodiam volitantem vmbram paruam, quam virtute Sacramenti illius adiurando constrinxit, interrogans quid ibi staret, respondit: *Ego sum anima socij tui, & meum affectum ad hoc Sacramentum sumendum sic ostendo, quo tamen in morte carui.* Cui ille: *Ergo optimum est, hoc Sacramento muniri decedentem?* respondit anima: *Nequaquam tibi explicare valeo, dignè communicantibus, quantæ pœnæ remittantur.* Ex Promptuar. Exemp. cap. IV. Exemplo. *Quotannis habebitur Octaua defunctis deputata.*] Quam posthabet hæc Sodalitas: illam præmittit Confraternitas Antuerpiensis Octauam Animarum, sic enim habet illius Canon: *Quotannis à 24. Octobris* (*Dominicis & Festis diebus exceptis*) *vsque ad diem Animarum, quotidie solemne Sacrum cum Musicâ cantabitur procunctis fidelibus defunctis, ac per eosdem dies Concio habebitur inductiua ad orandum pro iisdem.* Hæc autem Sodalitas cultu B. Virginis insignis 26. Augusti 1628. vnita fuit supremæ Sodalitati Mortis, & Stationum Romanarum, eiusque Priuilegiis & Indulgentiis communicat. *Vt autem obitus eorum innotescat, schedulâ denuntiabitur.*] Optime monet hic Canon, vt recenter defuncti

Efficacia sũt officia Defunctorum.

Rosarij recitatio perutilis.

Vtilissimum Sacrificium.

Insigne exemplum.

Item aliud.

functi Sodalis nomen schedulâ denũtietur, spiritualium suffragiorum impetrãdorum causâ. Hic enim mos olim apud veteres obtinuit, præsertim apud Collegas, prout indicant verba Bonifacij Epistolâ 108. & 109. vbi ait: *Direximus fratrum nostrorum nuper defunctorum nomina, vt eorum in vestris orationibus solito more memoriam habeatis, & ad cetera deinceps Monasteria eadem nomina scripta dirigatis, sicut & nos facimus, quoties de vobis, siue de ceteris Monasteriis defunctorum fratrum nomina veniũt. Huius officij gratiâ institutæ sunt etiam Fraternitates seu Sodalitates inter variorum Monachorum Monasteria* (inquit Gretserus lib. 1. De funere Christiano) *quorum exempla, clara priscæ pietatis argumenta & monumenta reperies Tomo 2. Scriptorum Alemannicorum, ad calcem. Addant & opera super-erogationis.*]

Defunctorum nomina mitti solita iam olim.

In Ordine PP. Capucinorum opera supererogationis impenduntur fidelibus, præsertim verò benefactoribus defunctis, quoticũque sese disciplinant congregati Fratres in choro, legunt, *Deus veniæ largitor*, vel *Fidelium*: & communiter à Fratribus conuenientibus ab ipsâ refectione ad paropsides eluendas, *Deus misereatur*, & *De profundis*, vt suprà. Solent eadem suffragia hiberno tempore ab iisdem ter in die communiter ad ignem stãtibus (videlicet post Matutinum, à fine prandij, à finitâ horâ mentalis vespertinæ orationis) recitari, feriali Officio occurrente. Eadem hæc suffragia sæpiùs aliâ occasione à Fratribus conuenientibus in vnum recitantur, impenduntúrque communiter animabus fidelium defunctorum, fratrum, propinquorum & benefactorum. Poterunt addi & alia supererogationis opera, si cui placeret, vt sunt anniuersaria, congiaria in pauperes distribuenda, vel cuiusuis nominis eleemosyna. Ad anniuersaria quod attinet, ita de iis statutum est ab Archiconfraternitate sanctissimi Corporis Domini nostri IESV Christi in Basilicâ S. Petri Principis Apostolorum de Vrbe: *Pro defunctis fratribus, sororibus ac benefactoribus fiant quotannis anniuersaria duo, alterum proximo (nisi quid impedimento sit) statim post Octauam Corporis Christi die, alterum item post Octauam Festi Sanctorum omnium, quibus anniuersariis fratres intersint, ac sorores, ibiq; pro iam dictis defunctis preces ad Deum fundant: quibus autem interesse non licebit, Orationem Dominicam ac Salutationem Angelicam, vti cõmodum videbitur, quinquies dicant.* Inter eadem opera recensent, iusta funebria: de quibus ibidem dicitur, quòd Fratres & Sorores, quoties per Mandatarium admonebuntur eorum, qui ex hac Societate vel ex Parochiâ S. Petri fuerint, funus prosequantur, qui præter ipsũ summ apud Deum meritum, concessas etiam nuper à S. D. N. Gregorio Indulgentias consequentur. Subditur & de ægrotis ad hospitalia ferendis: *Illis portandis sit paratus lectulus, parati quoque sint baiuli duo. Hi saccis & lectulo rubri coloris, insigniti in eis Societatis ipsius notâ, ægrotos ipsos portent, quibus debitam mercedem Camerarius persoluat.* Hæc aliaque Christianæ pietatis officia, si fidelibus applicentur defunctis, sunt satisfactoria. Adiici poterant & alia supererogationis exercitia, cuiusmodi sunt & illa, quæ decernit Confraternitas ad honorem Passionis Domini nostri IESV Christi, erecta in Vrbe; vt: *Si quis de numero Fratrum infirmitate aliquâ laboret, Præfectus, eiusve Vicarius commendet eum communibus primùm precibus, deinde curet eum à Confratribus visitari, & si quâ re egeat, subleuari.* Ad hæc deputantur, qui moribundis Fratribus assistant, eorumque curam habeant, & vt se piè ac salutariter ad felicem ex hac vitâ transitum parent, & salutificis Sacramentis tempestiuè communiantur, prouideant. Neque ij, qui cõtagiosâ aliqua ægritudine correpti fuerint, negligentur (inquit Statutum) sed prudenter ordinabit Fraternitas, vt saluti eorum ac necessitati, tam corporali quàm spirituali prospiciatur, & proximo charitatis exemplum detur, & debita nihilominùs cautela adhibeatur, ne vnius occasione multi lædãtur. Quòd si Deus Opt. Max. aliquem Confratrum ex hac ærumnosâ vitâ ad se vocet, reliqui in sacco (qui habitus Fraternitati peculiaris ac proprius est) funus prosequentur, comitante Patre spirituali cum socio, & in loco sepulturæ sacro Missæ Officio, quod pro defuncto fiet, ad finem vsque intererunt. Quòd si honorata sit persona, & Præfecto atque Assistentibus ita videatur, Pater spiritualis (qui ordinariè ex Ordine est Capucinorum) breuem & accõmodatam habebit orationem. Demum centum Missæ pro quolibet è Fratribus defuncto, ad dispositionem Fraternitatis dicẽtur. Omni anno post Festum Omnium Sanctorum die primâ vacante, Sacrum pro cunctis in genere defunctis Confratribus, Fundatoribus, Patronis & benefactoribus in Oratorio Fraternitatis celebrabitur, eique omnes in habitu consueto siue sacceo intererunt. Omni Feriâ sextâ singuli pro defunctis Confratribus, Fundatoribus, Patronis ac amicis orabunt Psalmum 129. *De profundis*, cum hac Oratione, *Deus veniæ largitor*, &c. Louaniensis S. Gertrudis Ecclesia decreuit ad imitationem prædictarum Confraternitatum hæc sequentia. In primis pridie cuiusque mẽstruæ recurrẽtis statæ diei Lunæ, quam Feriam secundam, solemnem mensis dicimus, horâ vespertinâ magno fragore campanarum signum datur lugubre, quo Sodales excitentur, & meminerint, sibi postero die conueniendum ante septimam pomeridianam horam. Idem excitatur sonus index celebrandi Sacrificij. Subinde quoque sonus alius concisior datur ad Concionem. A Concione Supplicatio funebris instituitur, in quâ labarum explicatur, & ab vno Sodalium porrò defertur. In eo pictura, repræsentans Purgatorium & statum Animarum emblematicè. Hoc vexillum ponè sequuntur Capellani, mox & Prælatus cum Conuentu. Ad põpam adumbrati funeris defertur à quatuor portitoribus sandapila, à reliquis bacilli, cum vexillis manualibus, mortis effigiem prætendentibus. Insignia quoque gentilitia maiora Sodalitatis, quæ blasonia vulgò dicimus, similiter expressa mortis imagine, in orbem seu Supplicationem circumferuntur, dum interim Chorus Odas funebres (Responsoria) rituatim decantat per peristylium & templum, & Theophoria comes it. Denique & pompa tota ad luctum & commiserationem excitandam composita. Postque omnia, panes cum numero distribuuntur viritim pauperibus Parochiæ, qui Missæ sacrificio interfuere. Ceterùm operæ pretiũ fuerit interserere hìc Bullam Pontificiam Vrbani VIII. Pont. Max. & Indulgentias tùm ab eodem Pontifice tum à loci Ordinario, altari B. MARIÆ Refrigeratricis in eadem S. Gertrudis Ecclesiâ concessas. VRBANVS Papa

Quænã supererogationis opera pro mortuis fieri possint.

Mira charitatis officia.

Laudabil. Sodalitat. Louan. consuetudo.

Papa VIII. ad futuram rei memoriam. Omnium saluti paternâ charitate intenti, sacra interdum loca spiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, vt inde fidelium animæ defunctorum Domini nostri IESV Christi, eiusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, & illis adiutæ ex Purgatorij pœnis ad æternam salutem, per Dei misericordiam perduci valeant. Volentes igitur Ecclesiam Parochialem S. Gertrudis oppidi Louaniensis, Mechliniensis Diœcesis, simili ad præsens priuilegio, vt accepimus, minimè decoratam (dummodò in eâ octo Missæ quotidie celebrentur) & in eâ situm altare S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ, hoc speciali dono illustrare; auctoritate nobis à Domino traditâ, ac de omnipotentis Dei misericordiâ, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, vt quandocumque Sacerdos aliquis eiusdem Ecclesiæ dumtaxat Missam defunctorum, in die omnium defunctorum, & singulis diebus infra illius Octauam, ac secundâ Feriâ cuiuslibet hebdomadæ pro animâ cuiuscúque fidelis, quæ Deo in charitate coniuncta ab hac luce migrauerit, ad prædictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragij Indulgentiam consequatur, ita eiusdem Domini nostri IESV Christi, ac beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, à Purgatorij pœnis liberetur, concedimus ac indulgemus. In contrarium facietibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus ad septennium tantùm valituris. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 26. Nouembris M. DC. XXXI. Pontificatus nostri anno nono. M. A. Maraldus. Iacobus Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Mechliniensis, omnibus has visuris salutem in Domino. Ad requisitionem R. admodum P. Iosephi Geldolphi à Ryckel, Abbatis Monasterij Canonicorũ Regularium Ordinis S. Augustini S. Gertrudis Louanij, nostræ diœceseos, omnibus vtriusque sexus Christi-fidelibus, quouis tempore visitantibus altare, cui titulus, *Ara B. Mariæ refrigeratricis defunctorum*, situm in templo prænominatæ S. Gertrudis; ibidemque in memoriam septem mysteriorum dolorosorum, pro sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, Principum Catholicorum concordiâ, & animarum refrigerio septies Salutationem Angelicam deuotè recitantibus, triginta dierum Indulgentias impertimur. Itidemque quibuscumque septem templi altaria vel loca ad Dei honorem, B. Virginis, aliorumque Sãctorum cultum dedicata visitantibus; & similiter in honorem septem mysteriorum, Circumcisionis Christi scilicet, Agoniæ in horto, colaphizationis, flagellationis, spineæ coronationis, crucis baiulationis, exspoliationis vestium, crucifixionis, & inter latrones suspensionis, pro viuis atque defunctis orantibus, præter peculiares a Pontificibus Romanis indultas, etiã quadraginta dierum Indulgentias concedimus, in formâ Ecclesiæ consuetâ. In quorum fidem hasce præsentes sigillo nostro munitas, & Secretarij nostri manu subsignatas expediri mandauimus. Bruxellæ nostræ diœcesis, anno Domini M. DC. XXIX. die 20. mensis Iulij. In Can. 13. *Ex parte Sodalitatis legitur Missa.*] Quia nihil frequentius, nihil prius aut antiquius in his Canonibus, quàm sacrificij habetur oblatio, ideò prolixiùs de eo agemus. Ac in primis, in commendationem illius nihil dici potest augustius, quàm quod Angelus apud Vener. Bedam lib. 5. Hist. Angl. cap 13. Drithelmo cuidam asseruit, multos preces viuentium, & eleemosynas, & ieiunia, maximè celebrationem Missarum, vt etiam ante diem iudicij liberentur, adiuuare. Hæc oblatio Ambrosio dicitur *Pignus & portio æternæ vitæ*, & Cypriano *infusio diuinæ essentiæ*. Cuius efficaciæ & excellentiæ rationem reddit Concilium Tridentinum, hisce verbis: *Quoniam in diuino hoc sacrificio, quod in Missâ peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in arâ Crucis semel seipsum cruentè obtulit.* Et rursus: *Idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, solâ offerendi ratione diuersâ*, sessione 22. cap. 2. Circa hoc quæritur primò, An huius Sacrificij infallibilis sit effectus. Respondeo, Certa sententia Doctorum est, per hoc Sacrificium infallibiliter partem aliquam pœnarum, vel debitum omne animabus Purgatorij relaxari. Ratio est, quia non modò propitiatorium & impetratorium, sed etiam satisfactorium est; ac proinde pœnas, peccatis letalibus debitas, aufert, pro quibus in vitâ non fuit plenè satisfactum. Ita Augustinus in Enchiridio cap. 110. Quæritur secundò, An, quia Missa est infiniti valoris, citra fraudem suffragiorum, valeat, accepto stipendio, pro pluribus legi. Respondeo, non posse: quia quamuis sit infiniti valoris, quatenus tamen est satisfactorium Sacrificium, limitatum habet valorem, & effectum minorem, si pluribus applicetur. Roderici sententia est in Summâ suâ Parte 1. cap. 251. peccare mortaliter, nec stipulationi suæ satisfacere Sacerdotem, qui stipendio pro Missâ vnâ accepto, pluribus eam applicat. Quæritur tertiò, Quibus cedunt suffragia specialia, quę pro indignis & incapacibus fiunt? Respondeo, D. Thomas in Additione q. 71. art. 4. ad 2. ait, ea quæ pro damnatis aut beatis fiunt, aliis beatitudinis capacibus per Dei misericordiam distribui, tametsi eis applicentur. Consultissimum esse dicit Martinus à Roâ, vt alicui secundò vel tertiò applicentur, casu quo primus, cui debentur, & applicatur, non egeat: alioquin id vbi non fit, redeunt ad thesaurum Ecclesiæ, cui abũdè est; adeò vt nostris minutis eius gazophylacium nõ egeat. Verba hactenus recitauimus dignissimi illius pietate, eruditione ac nobilitate Prælati: pergamus & aliorum Sodalitiorum, quæ variis in locis erecta sunt in magnum Animarũ subleuamen, leges recensere, & primùm illius Sodalitatis, quæ erecta est in Ecclesiâ Collegiatâ S. Monegundis Chimacensi, annò M. DC. XXIX. die 29. Iunij, auctoritate Serenissi. Ferdinandi Principis & Episcopi Leodiensis, pro quâ tale habetur diploma: FERDINANDVS, Dei gratiâ Archiepiscopus Coloniensis, Sacri Romani Imperij per Italiam Archi-Cancellarius, & Princeps Elector, &c. Vniuersis & singulis præsentes nostras litteras visuris, salutem in Domino sempiternam. Pro Episcopalis nostri muneris debito libenter iis intendimus, per quæ subditorum nostrorũ saluti, tum spirituali tum corporali prospicitur. Nuper certè pro parte dilectorum nobis in Christo Dominorum, Ioanis Coppei, Ecclesiæ Collegiatæ oppidi Chimacensis Canonici, Ioannis Pottier, Pastoris

Vrbani VIII. pro Altari priuilegiato Bulla.

Archiepiscopus Mechliniensis ibidem varias Indulgentias concedit.

Dubia aliquot circa Missæ valorem.

Sodalitas Chimaci instituta.

Pastoris Carolimõtani, & Michaëlis Pochet, expositum fuit, quòd ipsi & aliquot alij viri pij suas opes & operam in subsidiũ animarum, quas ignis Purgatorius emũdat, conferre & adiungere sub titulo Confraternitatis defunctorum statuerint & decreuerint; & ideò pro parte eorumdem nobis supplicatum fuit, quatenus facultatem & licentiam huiusmodi Confraternitatem erigendi concedere dignaremur. Hinc est, quòd nos, eorumdem supplicantium sanctæ & piæ petitioni annuere volentes, Confraternitatem defunctorum petitam, erigendam & instituendam duximus, & tenore præsentium auctoritate nostrâ ordinariâ erigimus & instituimus, sub infrà scriptis legibus. In primis, omnes in hanc Sodalitatem adscripti, tenebuntur mensibus singulis pro defunctis semel communicare. Et qualibet septimanâ in eamdem rem Rosarij tertiam partem recitabunt. Ad sepulturam corpus defuncti comitabuntur, ac similem Rosarij partem pro eius animâ deuotè percurrent. Ad campanæ pulsum dicent *De profundis*, si commodum fuerit, vel saltem, *Requiescant in pace.* Idem practicare conabuntur, quoties templum intrabunt, aut cœmeterium pertransibunt. Initio aliarum suarum precum ac deuotionum, ad defunctos subleuandos animum inclinabunt. Si eleëmosynas in defunctorum subsidium conferant, id agent ex peculiari motiuo, nisi specialis obligatio aliud iubeat. Mox in mortuorum leuamen impendetur, quidquid immissum fuerit in gazophylacium, cuius administrationem habebunt Sacerdos vnus, & sæcularis alter, ad id deputati. Et vt in initio & deinceps successiuè occasionem demus omnibus & singulis, tantò libentiùs nomina sua Confraternitati huic adscribẽdi, quò gratiùs spiritualibus sese donatos agnouerint beneficiis, singulis in ipso Confraternitatis ingressu verè contritis & confessis quadraginta dies Indulgentiarũ concedimus: necnon similiter dispositis in ipso Commemorationis omnium defunctorum die alios quadraginta. Pariter alios quadraginta in ipsâ horâ mortis, si cum verâ contritione nomen IESV inuocauerint. Demum alios quadraginta iis omnibus, qui in subsidium defunctorum aliquid præfatæ Confraternitati legauerint. Quocircà omnibus nobis subditis seriò mandamus, ne in supradictis piis exercitiis cuipiam Confratrum aliquod impedimentum præbeant. In quorum fidem præsentes per Vicarium nostrum in spiritualibus Generalem subscribi, sigilloque nostro communiri fecimus. Datum in ciuitate nostrâ Leodiensi, anno Domini M. DC. XXIX. die 27. Iunij. Erant subscripti: Pro Reuerendo Dom. Vicario absente, Franc. Oranus Canonicus Leodiensis; Pro Dom. Notario absente, Pontanus Nicolai. Porrò Indulgentiarum eidem Sodalitati ab eodem Archiepiscopo & Principe Electore concessarum hoc extat programma. FERDINANDVS, Dei gratiâ Archiepiscopus Coloniensis, Sacri Romani Imperij per Italiam Archi Cancellarius, Princeps Elector, Episcopus Leodiensis, &c. Vniuersis & singulis, præsentes nostras litteras inspecturis salutem in Domino. Notum facimus, quòd ad Dominorum Ioannis Coppei, Ecclesiæ Collegiatæ oppidi Chimacensis Canonici, Ioannis Pottier, Pastoris Carolimontani, & Ioannis Pochet, supplicationem, vnam defunctorum Confraternitatem in præfatâ Ecclesiâ erigendam duxerimus, ac sub certis legibus, in litteris tunc expeditis latiùs expressis, instituerimus, vt occasionem omnibus & singulis tantò libentiùs nomina sua huic Confraternitati adscribendi daremus, quasdam Indulgentias, in dictis litteris expressas, auctoritate nostrâ concesserimus. Cùm autem iidem Domini denuò nobis supplices fuerint, vt pro felici dictæ Confraternitatis progressu, & ad excitandam Christi-fidelium pietatem & deuotionem dictas Indulgentias augere, seu nouas indulgere vellemus & dignaremur: Hinc est, quòd Nos huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus & singulis in altari Confraternitati adscripto & dedicato, diuina Missarum solemnia celebrãtibus, & celebrari procurantibus, quadraginta dies Indulgentiarum concedimus, necnon alios viginti omnibus & singulis, qui fidelium defunctorum sepulturæ adstiterint, quadraginta verò eorumdem defunctorum cadauera ad sepulturam deferentibus. Item iis omnibus & singulis, qui Missis, per dictam Cõfraternitatem in eodem altari solemni cantu celebrandis, cum deuotione interfuerint, triginta pariter dies Indulgentiarum concedimus. Pariter iis, qui ad campanæ pro defunctis pulsum preces ad Deum pro eo effuderint, alios viginti, & alios decem iis, qui ad horæ auditum recitauerint *Aue Maria*, aut dixerint, *Requiescant in pace.* Recitantibus autem post gratiarum actiones vnum *Pater noster*, aut *De profundis* pro fidelibus defunctis, alios decem dies Indulgentiarum etiam concedimus per præsentes. In quorum fidem has præsentes per Vicarium nostrum in spiritualibus Generalem subscribi & sigillo nostro paruo communiri fecimus. Datum in ciuitate nostrâ Leodiensi anno Domini 1630. 10. Octobris. Huic itidẽ Sodalitati summus Pontifex Vrbanus VIII. suam ex Ecclesiæ thesauro gratiam adiecit, prout è subiectâ Epitome videre est: Ad maiorem Dei gloriam & honorem, ac salutem animarum, ad exaltationem S. matris Ecclesiæ, & extirpationem hæresum, vt fideles tantò magis ad opera pietatis & misericordiæ excitentur, cõcedit sua Sanctitas 1. omnibus fidelibus vtriusque sexus, verè contritis & confessis, ac sacrâ Communione refectis, primâ die initiationis suæ, quâ cooptabuntur in Sodalitatem, plenariam Indulgentiam. 2. Omnibus insuper Sodalibus pœnitentibus, confessis, ac, si commodè fieri possit, Viatico munitis; vel (quò minùs possint, impedimento interueniente) contritis, in articulo mortis, qui deuotè nomen IESV inuocauerint, ore vel saltem corde, similiter plenariam Indulgentiam. 3. Iisdem quoque tam præsentibus quàm posteris, verè contritis & confessis, ac viuifico Corpore Dominico refectis, qui deuotè quotannis visitarint Ecclesiam seu Oratorium eiusdem Confraternitatis, die solemniori eiusdem Sodalitatis, qui est dies Animarum, à primis Vesperis vsque ad Solis occasum eiusdem diei, ibique preces fundent pro feliciori statu & exaltatione S. Matris Ecclesiæ, pro pace, & concordiâ Principum Christianorum, & extirpatione hæresum, misericorditer in Domino largitur plenariam Indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum. 4. Adhæc Sodalibus similiter ritè expiatis, & Communione sacrâ

Conditiones in Sodalitati Chimacensi præscriptæ.

Ordinarius variat confratribus cõcedit indulgentias.

Iti & summus Pontifex Vrbanus VIII.

sacrâ refectis, visitantibus Ecclesiam, Capellam aut Oratorium præfatæ Sodalitatis, ibique orantibus vt suprà, in Natalitiis & Ascensione Domini, itemque in Festis Natiuitatis & Assumptionis B. Virginis Mariæ, pro quolibet die concedit septem annorum Indulgentias, & septem quadragenas. Denique quotiescumque intererunt Missæ Sacrificio, aut Officio diuino, Congregationibusve publicis aut priuatis Sodalitatis, vbicumque locorum extiterint; vel pauperes hospitio receperint, vel conciliauerint, aut conati fuerint conciliare discordes, aut sepulturæ interfuerunt Fratrum, aliorúmve quorumcumque; aut suâ præsentiâ pompam auxerint, Processionemque Venerabilis Sacramenti, siue cùm ad ægros defertur, siue aliter, vel, si per impedimenta nequeant comitari, sono campanæ audito qui ad conueniendum dari solet, semel recitabunt Orationem Dominicam & Angelicam Salutationem; vel quinies eamdem ipsam legent pro Animabus Sodalium defunctorum; vel à via salutis deuium ad meliora & viciniora saluti reduxerint, ignorantéive docebunt decem præcepta & alia necessaria ad salutem, aut aliud quodcumque opus charitatis, pietatis & misericordiæ præstiterint, pro quolibet actu vel opere quod exercuerint, concedit sexaginta dierum Indulgentias, ac de iniunctis sibi pœnitentiis aut aliter debitis, secundùm formam consuetam Ecclesiæ misericorditer in Domino relaxat. Præsentibus in perpetuum valituris, prout latiùs patet ex Bulla suæ Sanctitatis data Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 24. Ianuarij, anni M. DC. XXXII. Pontificatus eiusdem Sanctissimi Patris nostri nono. Erantque hæ munitæ sigillo Apostolico, & signaturis ad has requisitis & necessariis. Hisce iam succedant Constitutiones & leges alius Confraternitatis animarum quæ sunt in Purgatorio, erectæ in Ecclesiâ S. Nicolai ciuitatis Auenensis, approbante Illustrissimo Archiepiscopo Cameracensi. 1. Quicumque vel quæcumque in hanc Confraternitatem adscribi desiderant, ij, quò purâ perfectâque intentione ordiri, ampliusque inde meritum percipere valeant, eo quo inscribendi sunt die ad gratiæ statum se disponant, Sacramentaliter peccata sua confitendo, aut vt minimùm vehementem de iis contritionem in se excitando: qui mos (vtpote admodum vtilis, & quandoque etiam necessarius) omnibus Christi fidelibus familiaris esse deberet. 2. Eodem vel alio commodiore die sacrâ Eucharistiæ Communione pro fidelium animarum requie se reficiant. 3. Omnes & singuli Confratres & Consorores quotidie sacrosancto Missæ Sacrificio interesse adsuescúto (quæ sanè consuetudo admodum est proficua) atque tum fideles animas paternæ Dei misericordiæ per Filij eius vnigeniti merita commendanto, idque statim ab Eleuatione factâ, quando etiam ipse Sacerdos Ecclesiæ nomine idem agit in suo *Memento*. 4. Quotidie etiam pro defunctis recitanto Psalmum *De profundis*, cum eiusdem Versiculo & Collectâ, vel illius loco ter Orationem Dominicam cum Salutatione Angelicâ. 5. Quem eumdem Psalmum etiam recitare consueuerant intra domos & familias suas post sumptum cibum, aut vt minimùm, *Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace*. 6. Ad meridianum aut vespertinum orationis faciendæ pulsum solitis precibus defunctorum commemorationem subiungant, dicendo: *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis*, aut *Fidelium animæ*, &c. 7. Quandocumque cœmeterium aliquod transire, aut templum intrare vel egredi eos contigerit, breuem, feruentem tamen, pro animabus defunctorum qui ibi sepulti sunt orationem faciunto, dicendo, *Requiem*, vel *Fidelium*, aut simile quidpiam quod sua cuique deuotio suggesserit. 8. Illi vel illæ, quibus frequentiùs sacram Eucharistiam, de consilio sui Confessarij, sumere laudabilis est consuetudo, quot-mensibus semel eâdem defunctos iuuandi intentione communicanto: quibus verò ea consuetudo non est, vt minimùm desiderium & deuotionem communicandi singulis mensibus intra se excitare conentur: atque tum specialem defunctorum commemorationem faciant, semel Missam pro eorumdem requie audientes. Sodales verò qui Sacerdotio initiati fuerint, singulis mensibus semel specialem pro defunctorum animabus in sacrosancto Missæ Sacrificio commemorationem recitantes. 9. Sodales singuli, quantum quidem possibile erit, solemni Sacro, quod cantu singulis Feriis secundis pro defunctis celebrabitur, prout etiam Supplicationi, quæ statim post illud habebitur, intersunto. Eo in Sacro semper fiat Officium pro defunctis, quod dicitur *Requiem*, nisi dies ille solemniore aliquo Ecclesiæ Festo impeditus fuerit, quo casu fieri quidem poterit Officium de die Festo, Sacrificij tamen fructus & effectus animabus defunctorum applicabitur. Qui ritè impediti fuerint quò minus commodè præfato Sacro & Supplicationi interesse queant, alio infra eamdem hebdomadam sibi opportuniore die Sacrum pro defunctorum solatio audire operam danto. 10. Qualibet primâ cuiusque mensis Feriâ secundâ, non impeditâ aliquo Ecclesiæ die festo (alioquin die sequenti qui non fuerit impeditus) solemne Musicale Sacrum pro defunctis decantato, ad intentionem quorumcumque qui tum interfuerint: quo in Sacro Oratio Altaris priuilegiati applicato maximè indigenti animæ, ex illis pro quibus tum à præsentibus orabitur. 11. Post præfatum solemne Musicale Sacrum aliud celebrabitur minùs solemne, pro defunctis Sodalibus, & priuilegium applicato illi è Cœtu isto animæ, quæ magis indigebit. 12. Si quempiam Sodalium obire contigerit, omnes reliqui Confratres & Consorores pro suâ opportunitate semel pro eodem Missam audiunto: atque tum recitanto vel Officium defunctorum, vel Psalmos pœnitentiales, vel Rosarium. Qui verò sæpiùs easdem preces recitare, aut Missam audire consueuerunt, idem intentione iuuandi defuncti Sodalis animam faciunto. 13. Quicumque eximium aliquod charitatis opus præstare voluerit, subinde eleemosynarum, ieiuniorum, orationum, & reliquorum piorum suorum operum fructus animabus Confratrum & Consororum, pro earumdem requie, applicare studento. Illis quoque qui crebriùs sacrâ Synaxi vtuntur, præcipuè cordi sit eâdem intentione nonnumquam Eucharistiam sumere, prout & facere quempiam pœnitentiæ aut mortificationis actum, pro cuiuslibet

Multiplices sunt indulgentiæ.

Leges Sodalitatis Auenensis.

Insignia consilia.

Facilia facta.

libet deuotione & opportunitate: certi ab eo sibi dandam remunerationem, qui ait: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* 14. Et vt omnibus Consodalis obitus innotescat, Pastoribus vel Concionatoribus schedulæ offerentur, vt plebi id significent, additâ qualitate, quòd ille qui obierit sit Sodalis Confraternitatis animarum. 15. Postquam heredes vel consanguinei obitum defuncti Sodalis alicui Confraternitatis Prouisori significauerint, pro eo Sacrũ dicito nomine eiusdem Confraternitatis, & dies Sacri faciendi per eũdem Prouisorem heredibus vel consanguineis illius indicato. 16. Vt verò cuilibet, quem deuotio huic se Confraternitati tradere induxerit, sit opportunitas nomen suum profitendi, Cõfraternitatis nomine quidam deputabuntur qui ei rei singulis primis cuiusque mensis Feriis secũdis post dictum Sacrum, prout & Dominicâ præcedente, vacabunt. 17. Denique quamuis omnia supradicta pia opera, Confratribus & Consororibus præscripta, coram Deo sint maximè meritoria, præsertim si piâ & simplici intentione fiant; notandum nihilominùs est, ad ea neminem obligari, nec peccare mortaliter qui ea omiserit, sed solummodò priuari meritis eius operis quod præstare neglexerit.

Quas indulgentias concesserit huic Confraternitati Archiepiscopus Cameracensis. Illustrissimus Archiepiscopus Cameracensis concessit omnibus, qui nomina sua huic Confraternitati dederint, quadraginta dierum indulgentias. Sodalibus item qui in die Commemorationis fidelium defunctorum sacrâ Synaxi vsi fuerint, quadraginta dierum indulgẽtias. Iisdem si mortis in articulo nomen IESV corde vel ore inuocauerint, quadraginta dierum indulgentias. Quotiescumque muniis Confraternitatis interfuerint, quadraginta dierum indulgentias. Similiter si quampiam eleemosynam erogauerint, ieiunauerint, aut preces fuderint pro defũctis, singulis vicibus quadraginta dierum indulgentias, prout patet ex Diplomate Illustrissimæ suæ Dominationis, dato in Arce Cambresianâ Prid. Idus Decembris, anno M. DC. XXXI.

S. Nicolai in Vasia sodalitas. Quin & in Flandriæ Comitatu, Gandauensis Episcopatus diœcesi, in municipio S. Nicolai, territorij Wasiani primario loco, sub hisce Regulis cõcepta, suo tempore inchoabitur Fraternitas: Antonius Triest, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Gandauensis, omnibus præsentes visuris, lecturis vel legi audituris, salutem in eo qui est vera salus. Non modò pro vobis, sed & pro inuicem orate vt saluemini; (*Iacobi 5.*) & sicuti ad omnes charitas habenda est, ita fraternæ orationis suffragium omnibus impendendum. Atque si commouet nos pauperem egentem videre, & eò magis, quò magis eum egere conspicimus; quantum nos fidelium defunctorum commouebit necessitas, quæ nonnisi Orationes, Sacrificia, Eleemosynas, aliaque pia suffragiorum genera indesinenter à viuis postulat? quoniam in illâ nocte caliginosâ positi sunt, in quâ nemo potest operari, nec ampliùs villicare, vbi noctem Purgatorij ferre coguntur non quidem rore aut guttis noctium aspersi, (*Cant. 5.*) sed caput conspersi ignibus, & cincinnos guttis flammeis vltricis manus Dei. Vnde meritò ad nos, qui eis possumus porrigere manus adiutrices, Sanctorum voce exclamant, (*Tob. 4.*) vt panem & vinum nostrum super eorum sepulturam constituamus, vt (*Eccli. 7.*) illis gratiam non prohibeamus, vt sancta & salubris adsit nobis cogitatio pro eis exorare vt à peccatis soluantur. (*2. Machab. 12*) Quæ omnia cùm attentiùs animo voluerent Dilecti nobis in Christo Pastor ac Magistratus Laicus loci S. Nicolai partium Wasiæ, pio erga fideles defunctos zelo commoti, tam suo quàm omnium incolarum nomine nobis humiliter supplicarunt, vt ibidem in Ecclesiâ Parochiali Confraternitatem animarum Purgatorij, sub nomine & titulo Beatissimæ Dei Genitricis, Mariæ defunctorum afflictorum consolatricis, instituere dignaremur, quæ auctoritate Apostolicâ Archiconfraternitati Romanæ perpetuò aggregari valeret, & quâ fidelium viuorum suffragiis, Missæ scilicet Sacrificio, Orationibus, Eleemosynis, aliisque pietatis operibus, aliis fidelibus defũctis deuotè & abundantiùs succurreretur. Nos igitur eorũ sanctum propositum, quantum in Nobis est, promouere desiderantes, ac insuper reliquos eiusdem districtus Wasiæ Parochos cum ceteris nostræ diœcesis, vbi hactenus huiusmodi Confraternitas minimè erecta existit, in Domino hortantes, vt illud suis subditis eodem affectu commẽdent: & optantes vt apud omnes & quoslibet subditos nostros nulla dies fideliũ defunctorum animas silẽtio prætereat, (*Ambros. Orat. in Valentinianum.*) nulla easdem inhonoratas transeat Oratio, nulla nox non donatas aliquâ precum contexione transcurrat, & omnibus eas oblationibus frequentent; Confraternitatem huiusmodi in dictâ Ecclesiâ Parochiali loci S. Nicolai partium Wasiæ erigimus per præsentes, eiusque Cõfratribus ac Sororibus eidem Confraternitati consociandis & inscribendis leges seu Regulas præscribimus sequentes. Sed primùm notent vniuersi, hanc Confraternitatem potissimùm institui ad postulandam opem & suffragia Beatissimæ Virginis Mariæ Liberatricis & Cõsolatricis omniũ afflictorum, quorum animæ in Purgatorio existunt. Prima Regula. In hanc Confraternitatẽ cooptari poterunt omnes Christi fideles, parati merita sua, quæ in exercitiis huius Confraternitatis consistunt, afflictis animabus defũctorum communicare. (*Regula Confraternitatis in S. Nicolao instituta.*) Secunda. Huius Confraternitatis eligetur aliquis Patronus seu Protector, qui vitâ suâ comite in Officio isto permanebit, ac insuper duo Directores nominabuntur, qui quolibet die defunctis fidelibus deputato, nomina excipient eorum qui eidem Confraternitati initiari voluerint, iisque transsumptum huius Regulæ tradent. Tertia. Eo quo quis inscribetur die, conscientiam primò ante omnia expurgabit, & sacrâ Synaxi se reficiet, vt hac communicatione prosit fidelibus defunctis, eisque pœnarum aliquod leuamen acceleret. Si cui tamen non sit cõmodum eâ die prædicta implere, contritionem saltem in seipso excitabit, cum proposito confitendi & communicandi primâ fauente opportunitate. Quarta. Quotannis celebrabitur Octaua pro animarum afflictarum expiatione & consolatione, inchoando videlicet à die Commemorationis omnium fidelium defunctorum vsque ad diem octauum eiusdem, quotidie solemne Sacrum cum Diacono & Subdiacono, cantando, atque, si fieri possit, Exhortatiunculam habendo. Quinta. Singulis Feriis secundis, vel aliquâ earum impeditâ, aliâ proxime sequenti non impeditâ, celebrabitur pro fidelibus defunctis Missa solemnis, similiter cum Diacono & Subdiacono, & qualibet Dominicâ

minicâ tertiâ mensis ad eamdem intentionem habebitur Processio post vel ante summum Sacrum. Sexta. Confratribus vnicè commendatur sacra Communio omnibus IESV Christi ac beatissimæ eius Genitricis Mariæ Festiuitatibus, nec non primâ quaque Dominicâ cuiusuis mensis. Septima. Quotidie legent Confratres & Sorores Litanias Lauretanas, vel ter *Pater* & *Aue*, aut Psalmum *De profundis*, ita tamen vt semel in die legisse satis sit, siue ad id aliunde teneantur, siue non. Octaua. Suadetur insuper omnibus hebdomadatim vnum Rosarium quinque decadum legere. Nona. Vbi quis Confrater aut Soror ad extrema venerit, vel obierit, monebitur vnus ex Directoribus, vt per Pastorem preces indicantur generales, vel Missa post eius obitum, quæ in concione præcedentis Dominicæ publicabitur, vt Confratres & Sorores, quibus integrum erit, Missæ interesse possint. Decima. Quotiescũque sacrum Viaticum ad aliquẽ ex Confratribus aut Sororibus deferẽdum erit, curabit aliquis ex Directoribus, vt duo saltem Cõfratres comitentur. Vndecima. Aliquo ex Confratribus vel Sororibus defuncto, feretur ante funus vexillum Confraternitatis per famulũ eiusdem. Denique notandum, nullas ex his leges seu regulas quemquam sub peccati reatu obligare. Actum Gandaui, anno Domini M.DC.XXXIII. mensis Septembris die xxx. Quæ quidem sic pio zelo concepta Fraternitas, ad aliquantulum adhuc temporis, quò magis solemniter inchoëtur, dilata hactenus fuit, eò quòd ab Illustri Dominorum de Liquez, Baronum de Wissekercke familiâ, insignis ac perpetua, pro oneribus officiorũ subleuandis, fũdatio promissa expectetur. Faxit Deus, vt citò promissio adimpleatur; & populus ille, si quis in orbe deuotus, piæ suæ erga defunctos propensionis exercitia, ad quę anhelat, auspicari queat, ne diutiùs in purgatorio igne spiritus hærere cogantur, qui mediis illis liberandi forent.

Leges Cõfraternitatis Gandauẽsis.

Absoluo hoc subiectum cum Antuerpiensi pro mortuis ac viuis orantium Sodalitio, quod auspiciis Reuerendissimi ac perillustris Episcopi olim nostri D. Ioannis Malderi (cuius vti memoria in omnium benedictione est, ita & animam eius non dubitamus, ob notissimam & ab ipsis hæreticis concelebratã vitæ integritatem sanctimoniamque, excellenti in cælis gloriâ perfrui) procurante R. D. Melchiore Cauvvelio, meo in S. VVillibrordi Antuerpiæ Pastoratu successore, sub titulo B. Mariæ Virginis Consolatricis afflictorum fidelium tam viuorum quàm defunctorum, in Sacello dicto Fullonum, die 11. Aprilis anno 1627. inchoatum ac fundatum fuit; cuius hæ sunt Constitutiones: In primis sciendum, hanc Cõfraternitatem erectam esse ad Deiparæ Virginis opem implorandam pro liberatione & consolatione afflictorum tam viuorum quàm animarũ in Purgatorio detentarum. Admitti in hanc Confraternitatem poterunt omnes Christi fideles, qui parati fuerint meritorũ suorum, consistentium in exercitiis huius Sodalitatis, dictos afflictos tam viuos quàm defunctos participes facere. Eligẽtur duo viri idonei, quorũ sit officium, in Festis D. Virginis & Dominicis vltimis cuiusq; mensis, eorum qui huic Sodalitati inscribi volẽt, nomina in Sodalitatis librũ referre, eisq; exemplar Regularũ tradere. Die quo quis inscribẽdus est, confitebitur & cõmunicabit propræedictorũ fidelium tam viuorum quàm mortuorum auxilio impetrando. Si cui tamen commodum non fuerit tũc prædicta Sacramenta suscipere, saltem contritionem in se excitare conabitur, & proponet eadem suscipere proximâ cõmoditate. Annuè à die 24. Octobris (diebus Dominicis & festiuis in populo exceptis) vsq; ad Commemorationem fidelium animarum, quæ recurrit 2. Nouembris, fiet quotidie solemne Sacrum pro defunctis, cum aliquâ exhortatione ad orandũ pro iisdem.

Antuerpiæ demum pro viuis simul & mortuis Sodalitas instituta.

Commendatur Sodalibus frequentatio Venerabilis Eucharistiæ, si fieri possit, in festis Domini Saluatoris, Beatissimæ Virginis, item in Dominicis vltimis cuiusque mensis. Recitabunt quotidie Litanias B. Virginis Lauretanas, vel ter *Pater* & *Aue Maria*, vel Psalmum *De profundis*, ita tamen, vt si aliunde easdem preces recitãdi obligationem habeant, iteratione opus non sit. Conueniens erit singulis hebdomadibus recitare semel Rosarium quinque decadum. In Festis B. Virginis, ac Dominicis vltimis cuiusque mensis, Sodales conuenient ad solemne Sacrum pro afflictis supradictis, vel si commode eidem interesse non poterunt, alibi Sacrum audient eadem intentione. Feriis proximis sequentibus prædictos dies dicetur Sacrum pro animabus fidelium defunctorum. Vbi quis ex Confratribus ægrotauerit, vel e vitâ excesserit, admonebitur Sodalitatis Præfectus, vt preces communes pro ipso persoluantur, & Sacrum dicatur post eius obitũ. In eum finem admonebunt heredes vt dies publicetur Dominicâ præcedenti, vt Sodales, quibus integrum fuerit, interesse possint. Notãdum, nullam horum omnium obligationem esse sub peccato. Neque frustrà est quòd tot Confraternitatum leges attulerimus, quia ij qui imitari pietatem hanc voluerint, excerpere atque seligere ea è singulis poterunt quæ loco ac tempori magis congruere iudicabũntur. Vnum superest vt videamus, quâ ratione Antuerpiense hoc Sodalitium vnitum sit, prout & alia omnia, Archiconfraternitati vniri & consociari queunt; quam benignus Lector ex hoc, quod subiungo, Instrumento publico addiscere poterit.

Hæ Fraternitatis regulæ.

In Christi nomine. Amen. Hippolytus, miseratione diuina S. Angeli in Foro piscium S. R. E. Diaconus Cardinalis, Aldobrandinus nũcupatus, Ven. Archiconfraternitatis mortis & orationis de Vrbe Protector; Lelius Falconius, vtriusque signaturæ S. D. N. Papæ Referendarius, Gubernator; Antonius Roccius, Iacobus Stuila, Alexander Ruffinellus, & Lucas de Vecchiis, Custodes & Administratores. Dilectis Confratribus Confraternitatis Beatissimæ Mariæ Cõsolatricis afflictorum mortis & orationis, auctoritate Apostolicâ siue ordinariâ erectæ in Capellâ B. M. S. VVillibrordi, dictæ Fullonum, ciuitatis Antuerpiensis, salutem in Domino sempiternam. Nos qui iuxta officij nostri debitum fidelium salutem, & pietatis ac religionis progressum procurare debemus, libenter nostræ Archiconfraternitati alias eiusdem instituti Confraternitates adiungimus & aggregamus, illisq; sic aggregatis, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta, iuxta facultatem nobis à summis Pontificibus concessam, impartimur. Quâ de re cùm R. P. Raphael Auersa, Præpositus Generalis Clericorum Minorum, eiusdem Confraternitatis Procurator, aggregationem huiusmodi & Indulgentiarum cõmunicationem enixè postulauerit; nos Protector, & Administratores præfati, totam ipsam Archiconfraternitatẽ repræsentãtes, vel iux. Clemẽtis Papæ VIII. constitutioni super

Formâ, quâ vnita est Romanæ Antuerpiensis Confraternitas.

per huiusmodi aggregationis, & cælestis Ecclesiæ thesauri communicationis moderationi nuperrimè editæ inhærentes, his nostris litteris, solo Dei amore, & pietatis ac religionis Christianæ augendæ zelo ducti, Confraternitatem prædictam auctoritate Apostolicâ siue ordinariâ canonicè erectam, attentis Episcopi seu Ordinarij loci consensu, ac litteris testimonialibus, quibus eius institutum, pietas, ac religio commendatur, nostræ Archicōfraternitati (dummodo per nos similis gratia priùs alteri Cōfraternitati in dictâ ciuitate, oppido vel terrâ cōcessa, & tempore huiusmodi concessionis alij Archiconfraternitati aggregata non fuerit) iuxta facultatem Apostolicam nobis concessam, adiungimus & aggregamus, atque illi, eiusq; Confratribus, Indulgentias & spirituales gratias, infrà sigillatim descriptas, nostræ Archiconfraternitati litteris Pontificiis nominatim & expressè, ac præcisè concessas, elargimur & communicamus; quarum tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis:

Romana Archiconfraternitas Antuerpiensem Confraternitatem sibi annectit.

Dilectis filiis Guardianis & Confratribus Archiconfraternitatis mortis in Vrbe canonicè institutæ, Paulus Papa V. Dilecti filij, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm certas vnicuiq; Confraternitati Indulgentias & gratias spirituales, quibus de cetero fruantur, duxerimus præscribēdas, idcircò omnes & singulas Indulgentias & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, vestræ Archiconfraternitati & illius Confratribus & Cōsororibus hactenus per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros concessas, reuocantes & annullantes, ac nullius roboris & momenti eas declarantes; de omnipotentis Dei misericordiâ, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam Archiconfraternitatem de cetero ingredientur, die primo eorum ingressus, si verè pœnitentes & confessi, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam; ac tam ipsis pro tempore describendis, quàm iam descriptis in dictâ Archiconfraternitate Confratribus & Consororibus, etiam verè pœnitentibus & confessis, ac sacra Communione refectis, qui in die Commemorationis omnium Defunctorum Ecclesiam seu Oratorium eiusdem Archiconfraternitatis visitauerint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam. In mortis quoque articulo, qui pœnitentes & confessi, ac sanctissima Communione refecti, nomen IESV ore, si potuerint, sin autem, corde deuotè inuocauerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præterea iisdē Confratribus, & Consororibus, qui confessi ac sacra Communione refecti, aut saltem confitendi propositum habentes, Ecclesiam seu Oratorium huiusmodi, tempore quo Orationes quadraginta horarum fiunt, visitauerint, & ibi, vt præfertur, orauerint, ducentos dies & totidem quadragenas; ac etiam iis, qui in Festo Natiuitatis Domini Iesu Christi, Feriâ sextâ Maioris hebdomadæ, ac die quo prædicti Confratres & Consorores dictum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum infra Octauam Corporis Domini processionaliter deferunt, Ecclesiam seu Oratorium huiusmodi visitauerint, & orauerint, vt præfertur, tres annos & totidē quadragenas: Necnon etiā, qui in Purificationis & Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis festiuitatibus dictā Ecclesiā, seu Oratoriū, vt præfertur, visitauerint, & orauerint, quinquaginta dies: qui verò defunctos ad sepulturam associauerint, intus Vrbem septē annos, extra verò Vrbem viginti annos & totidem quadragenas; ac etiam qui infirmos visitauerint, cētum dies; qui verò in Inuentionis & Exaltationis sanctæ Crucis, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Dedicationis S. Michaëlis Archangeli, & sanctæ Catharinæ virginis & martyris festis diebus, confessi & contriti sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, tres annos & totidem quadragenas; quoties verò prædicti Confratres & Consorores Missis & aliis diuinis officiis in dictâ Ecclesiâ seu Oratorio pro tempore celebrandis & recitandis, seu congregationibus publicis vel priuatis eiusdem Archiconfraternitatis vbiuis faciendis respectiuè interfuerint, vel quascumque Processiones aut sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, tam in dictis Processionibus, quàm ad infirmos, aut aliàs vbicumque & quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut si ad hoc impediti, semel Orationem Dominicam, & Salutationē Angelicam pro infirmo, aut etiam pro animabus defunctorum Confratrum & Consororum dixerint, vel pauperes puellas dotauerint, peregrinos hospitio susceperint, aut illis eleëmosynam dederint, vel quodcumque aliud pietatis & charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum centum dies de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in formâ Ecclesiæ consuetâ relaxamus. Et vlteriùs vobis & vestræ Archiconfraternitati, vt Confraternitates aggregare, illisq; omnes supradictas Indulgentias, seruata tamen formâ constitutionis fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædecessoris nostri, super dictarum Confraternitatum aggregationibus editæ, communicare, vtq; etiam defunctos in Ecclesiis Parochialibus (de scientiâ tamen Parochi) quamuis interesse recusantis, qui ianuam Ecclesiæ aperire absq; strepitu debeat, sepelire liberè & licitè possitis & valeatis; ita tamen, vt hanc facultatem communicare non possitis, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium concedimus & impartimur. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis quibusuis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 26. Octobris 1606. Pontificatus nostri anno secundo.

Bulla Pauli V. quâ indulgentias concedit Romanæ Archiconfraternitati.

Variæ hæ Indulgentiæ.

Clemens Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Quæcumq; à Sede Apostolicâ ad promouendam Christi fidelium salutem aliquando concessa sunt, etsi ea maturo consilio, magnaq; prudentiâ & cautione sancita, & decreta sint; tamen cùm Romanus Pontifex, de animarum salute sollicitus, progressu temporis animaduertat, sensim aliquos abusus in iisdem statutis & decretis obseruandis prouenire, debet pro sui Pastoralis officij munere illis opportunâ ratione occurrere, & quantum cum Domino potest, adhibito salutari remedio prouidere. Cùm itaque à pluribus Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & forsan etiam à Nobis, nonnullis Regularibus Ordinibus, Religionibus, & institutis, ac etiam Christi fidelium sæcularium Archiconfraternitatibus, & Congregationibus diuersarum nationum, nominum, & institutorum, tam in alma Vrbe nostrâ, quàm in aliis ciuitatibus & locis Christiani orbis institutis, facultas erigendi & instituēdi in eorum & aliis Ecclesiis & Collegiis, necnon etiam sibi aggregandi Confraternitates & Congregationes in eadē Vrbe & in aliis locis existentes, eisq; priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta sibi concessa respectiuè communicandi attributa fuerit, ac nulla certa forma vel ratio præscripta sit, quæ in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, & cōmunicationibus faciēdis seruari debeat; propterea siue negligentiâ Superiorū Ordinum, Religionum, & institutorum, vel Officialium Archiconfraternitatum & Cōgregationum erigentium, instituentium, aggregantium & communicantium, quæ Confraternitatibus & Congregationibus erigendis, instituendis,

Bulla Clementis VIII. quoad Confraternitates Archiconfraternitatibus aggregandas.

tuendis, & aggregandis, & quibus communicationes priuilegiorum, indulgentiarum, aliarumq; gratiarum prædictarum fiunt, non seruant formam in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus & cõmunicationibus seruari debitam, neq; præscribunt modum, quo priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias & indulta prædicta consequi debeant: seu ipsarum Confraternitatum & Cõgregationum incuriâ, quæ non inquirunt ea quæ præstare oportet vt illa consequantur, nonnullæ prauæ consuetudines irrepserint, multaq; incõmoda inde proueniunt, quibus nos pro commisso nobis Apostolicæ sollicitudinis officio, paternaq; erga omnes Christi fideles charitate prospicere volentes, hac nostrâ cõstitutione perpetuò valiturâ decernimus atque statuimus, vt in posterum tam huius almæ Vrbis nostræ, quàm aliarum ciuitatũ & locorum totius Christiani orbis Regulariũ Ordinum, & Religionũ, & institutorum, quibus in eorum & quibuscumque aliis Ecclesiis & Collegiis Confraternitates sæcularium erigẽdi & instituendi facultas concessa est, necnon etiam Archiconfraternitatum & Congregationum, cuiusuis nationis, nominis, & instituti, illæ sint, & in quibuscumque Ecclesiis, Domibus, & Oratoriis, tam sæculariũ, quàm, vt præfertur, quorumcumq; etiam Mendicantium Ordinum, Religionũ & institutorum regularium, quauis tam ordinariâ quam Apostolicâ auctoritate erectæ ac institutæ existãt, seu aliàs quouis modo introductæ reperiantur, quibus aliàs Confraternitates & Congregationes instituendi, erigendi, ac sibi aggregandi, illisq; priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias & indulta prædicta elargiendi & communicandi potestas à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, vel à Nobis, & Apostolicâ Sede attributa fuit, Magistri, Priores, Præpositi, Rectores, Gubernatores, Præceptores, Prælati, Custodes, Guardiani, Præfecti, Administratores, & alij Officiales, seu Superiores quouis modo nuncupati, Regularium siquidem Ordinum, Religionum & institutorum, vnam tantùm Confraternitatem & Congregationem, de consensu tamen Ordinarij loci, & cum litteris eius testimonialibus, quibus Confraternitatis & Congregationis erigendæ & instituendæ pietas & Christianæ charitatis officia quæ exerceri cupit, apud eos cõmendentur, in eorum & quibuscumque aliis Ecclesiis & Collegiis erigere & instituere, ceterarum verò Archiconfraternitatum & Congregationum in singulis ciuitatibus, oppidis vel locis, etiam Confraternitatem & Congregationem duntaxat, quæ Apostolicâ vel ordinaria auctoritate prius erecta, ac nulli alteri Ordini, Religioni, instituto, Archiconfraternitati & Congregationi eiusdem, vel alterius nationis, nominis, & instituti aggregata sit, præuio similiter loci Ordinarij consensu, & cum eius litteris testimonialibus, quibus eiusdem Confraternitatis & Cõgregationis institutum, pietas, & Christianæ charitatis officia, quæ exercere consueuit apud eos, cõmendentur, sibi adiungere & aggregare possint: huic verò Confraternitati & Congregationi erigendæ, instituendæ, seu aggregandæ ea tantùm priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, indulta, quæ ipsi Ordini, Religioni, instituto erigenti, instituenti ac communicanti, seu Archiconfraternitati & Congregationi aggreganti, nominatim & in specie, non autem per extensionem vel communicationem, sibi quouis modo concessa sunt, & illa quidem non sub generali formâ verborum, vel adinstar, sed expresse & in specie communicare valeant. Statuta autem pro regimine Ordinum, Religionum & institutorum erigentium, & instituentium, ac communicantium, seu Archiconfraternitatum & Congregationum aggregantium edita, Confraternitatibus & Congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes priuilegiorum & aliorum prædictorum fiunt, impartiri non possint, nisi ea priùs ab Episcopo diœcesano examinata & pro ratione loci approbata fuerint: quæ nihilominùs eiusdẽ Episcopi decretis ac moderationi, & correctioni in omnibus ac semper subiecta remaneant. Insuper volumus & ordinamus, vt prædicti Ordines, Religiones, instituta erigentia, instituentia, & communicantia, necnon Archiconfraternitates, & Congregationes aggregantes, certam erigẽdi, instituendi, aggregandi, & communicandi formulam à Nobis nouissimè approbatam diligenter obseruent, secundùm quam priuilegia, Indulgẽtias, facultates, aliasq; spirituales gratias & indulta ipsis Ordinibus, Religionibus, institutis erigentibus, instituentibus & cõmunicantibus, seu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus aggregantibus nominatim & expresse, non autẽ per communicationem, neque adinstar, vt supra, concessa ipsis Confraternitatibus & Congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus cõmunicationes fiunt, communicare possint, quibus Confraternitates & Congregationes eiusdem dũtaxat nationis, & nominis, Ordinis, Religionis, & instituti, Archicõfraternitatis & Congregationis cui aggregantur, tam hactenus aggregatæ, quàm in posterum aggregandæ, vtantur, potiãtur, gaudeant, ita vt dictarum Confraternitatum & Congregationum erectarum, institutarum, & aggregatarũ, ac quibus communicationes factæ sunt, Ministri, Officiales, & alij supradicti, priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias & indulta huiusmodi, præuiâ tamen recognitione Ordinarij loci, qui adhibitis duobus de eiusdem Ecclesiæ Capitulo, illa iuxta sacri Concilij Tridentini decretũ promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant: quibus etiam Ministris, Officialibus, & aliis prædictis eleẽmosynas & alia oblata Christianæ charitatis subsidia, iuxta modum & formam per Ordinarium loci præscribendã, remotis tamen mensis, peluibus, & capsis, quæ in Ecclesiis & Oratoriis dictarum Confraternitatum & Congregationum publicè ad hoc exponi consueuerint, excipiendi potestas datur. Atq; hoc ipsum Ordines, Religiones, instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, seu Archicõfraternitates & Congregationes aggregantes tã almæ Vrbis nostræ, quàm aliarum ciuitatum & locorũ quorumcumque, iuxta modum à Vicario Vrbis, & ab Ordinariis locorum respectiuè præscribendum, obseruare teneãtur. Eleẽmosynas autem sic collectas in reparationem & ornatum Ecclesiarum, tam Ordinum, Religionum, institutorum erigentium, instituentium, & communicantium, ac Archicõfraternitatum & Congregationũ aggregantium, quàm Confraternitatum & Congregationum erigẽdarum, instituendarum, & aggregãdarum, & quibus communicationes fiunt, aut in alios earum pios vsus arbitrio eiusdem Vicarij nostri in Vrbe, necnon Ordinariorum locorum respectiuè fideliter exponere atque erogare procurent, vt omnes intelligãt, cælestes Ecclesiæ thesauros non quæstus, aut alicuius lucri causâ, sed pietatis & charitatis exercẽdæ gratiâ ex Apostolica Sedis benignitate Christi fidelibus aperiri. Præterea volumus, vt Cõfessarij, qui vigore priuilegiorum ipsis Ordinibus, Religionibus, institutis erigentibus, instituentibus, & communicantibus, seu Archiconfraternitatibus & Congregationibus aggregantibus concessorum, ac Confraternitatibus & Congregationibus aggregandis communicandorum, pro tempore eligi possunt & poterunt, sæculares scilicet in almâ Vrbe à prædicto nostro Vicario, extra Vrbem vero à locorum Ordinariis, Regulares autem non solum à prædicto Vicario

Quâ occasione huiusmodi breue Pontifex ediderit.

Requisita vt fieri possit aggregatio alterius Confraternitatis.

Modus quo aggregatio talis facienda.

rio nostro, & à locorum Ordinariis respectiuè, sed etiam à suis Superioribus approbati sint; vtq; Confratres confitentes à criminibus, casibus, & censuris, iuxta dictorum priuilegiorū (quatenus tamen sunt in vsu, & sacri Concilij Tridentini decretis, ac Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum & nostris constitutionibus non aduersentur, nec reuocata, aut sub aliquibus reuocationibus comprehensa sint) formam & tenorem dumtaxat absoluere valeant. Decernimus insuper, vt iidem Confessarij prædictos Confratres, cuiuscumque gradus, status, conditionis & præeminētiæ, etiāsi speciali notā digni fuerint, à casibus cōtentis in litteris, quæ die Cœnæ Domini legi consueuerūt, necnon violationis immunitatis & libertatis Ecclesiasticæ, & clausuræ Monasteriorum Monialiū, si videlicet sine necessariā & vrgenti causā, ac sine Superiorum licentiā, vel etiam si causā & licentiā concessā abutentes, prædicta Monasteria ingressi fuerint, necnon violentæ manus iniectionis in Clericum, & singularis certaminis seu duelli, ac ab aliis etiam casibus tam à Nobis, quàm à prædicto nostro in Vrbe Vicario, & locorum Ordinariis respectiuè reseruatis, & pro tempore reseruandis, & etiam à quauis excommunicatione ab homine latā absoluere, & super irregularitatibus, tam ex aliquo defectu prouenientibus, quàm occasione delicti contractis, cum aliquo dispensare prætextu dictorum priuilegiorum nullo modo possint. Demum statuimus, & pariter ordinamus, vt Confraternitates & Congregationes vbiuis locorum, quauis auctoritate, vt præfertur, erectæ & institutæ, & quibus prædictæ communicationes factæ sunt, ac cuicumque ex dictis Ordinibus, Religionibus, institutis, Archiconfraternitatibus & Congregationibus vbilibet existentibus hactenus aggregatæ, ab eisdem respectiuè Ordinibus, Religionibus, institutis, Archiconfraternitatibus, & Congregationibus, institutionum, communicationum & aggregationum litteras, iuxta formam à Nobis nouissimè approbatam, infra annum si in Europā sint, & si extra Europam fuerint, infra biennium à die publicationis præsentium in Romanā curiā faciendæ computandos, impetrare teneantur; aliòquin dicto tempore elapso, erectiones, institutiones, & quæcumque communicationes priuilegiorum, facultatum, Indulgentiarum, aliarumq; spiritualium gratiarum & indultorum & aggregationes illarum vigore ipsis concessæ, nullius sint roboris & momenti, ac reuocatæ & abolitæ censeantur eo ipso. Erectionum autem, institutionum, communicationum, & aggregationum, tam hactenus factarum, quàm deinceps faciendarum, litteræ ab ipsis Ordinibus, Religionibus, institutis, seu Archiconfraternitatibus & Congregationibus gratis omnino, ac nullā prorsus mercede, etiam de sponte dantibus acceptā, expediri & concedi debeant. Quòd si Ministri aliqui, Superiores, vel Officiales quocumque nomine nuncupati, Ordinū, Religionum, institutorum, seu Archiconfraternitatum, Congregationum & Confraternitatum huiusmodi, quauis auctoritate vel priuilegio & officio fungantur & præfulgeant, cōtra præmissa in aliquo venire vel facere præsumpserint, erectiones, institutiones & communicationes priuilegiorum, Indulgentiarum, facultatum, spiritualiumq; gratiarum & indultorum, aliorumq; præmissorum concessiones, necnon aggregationes per ipsos faciendæ seu renouandæ, nullius sint roboris & momenti, & quilibet eorumdem Ministrorum, Superiorum, Officialium, & aliorum prædictorum, priuationis officiorū quæ obtinent, ac inhabilitatis ad illa & alia in posterū obtinēda, pœnā, quæ ab alio quàm à Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente, remitti non possit, incurrat eo ipso. Decernentes præsentes litteras perpetuò validas & efficaces existere & fore, ac ab omnibus & singulis, ad quos spectat, inuiolabiliter obseruari debere, sicq; nostræ mentis & intentionis existere, & ita & non aliter, per quoscumq; Iudices ordinarios & delegatos, etiā causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublatā eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac irritum & inane quidquid secùs super his à quoquā quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstātibus quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac quorumcumq; Ordinūm, Religionū, & institutorum, seu Archiconfraternitatū, Congregationum, & Confraternitatum sæcularium, etiā iuramento, confirmatione Apostolicā, vel quauis firmitate aliā roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoq; indultis, & litteris Apostolicis, etiam Mare magnū, ac Bulla aurea nuncupatis, Regularibus Ordinibus, Religionibus, institutis, seu Archicōfraternitatibus, Cōgregationibus & Confraternitatibus sæculariū, eorumq; Superioribus, & aliis quibusuis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, & præeminētiæ existentibus, sub quibuscumq; verborum formis & tenoribus, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam Motu proprio, & cōsistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum, etiam pluries cōcessis & approbatis, & innouatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorūque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importātes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia requisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores, ac si ad verbū exprimerentur & insererentur, præsentibus pro plenè ac sufficiēter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, has vice dūtaxat harum serie specialiter, & expressè derogamus, ceterisq; contrariis quibuscumque. Vt autem præsentes litteræ ad omnium, quos concernunt, notitiam faciliùs deueniant, volumus illas ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum in Vrbe, & in acie Campi Floræ, more solito publicari & affigi, atq; iis inde amotis, earumdem exempla etiam impressa ibi affixa relinqui, factaq; publicatione huiusmodi omnes Regulares Ordines, Religiones, instituta, & Archiconfraternitates, Cōgregationes & Confraternitates sæcularium, quæ in Vrbe quidem post mensem, quæ verò in Europā, post decem menses, quæ demum extra Europam fuerint, post octodecim menses à die publicationis huiusmodi computandos, perinde afficere & arctare, ac si earum cuilibet nominatim insinuatæ fuissent. Et nihilominùs, vt ipsæ præsentes litteræ notiores fiant, magisq; omnibus innotescant, vniuersis & singulis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, per easdem præsentes committimus & mandamus, vt per se, vel alium seu alios, hasce nostras litteras, postquam earum exemplum receperint, seu earum notitiam habuerint, semel aut pluries, prout eis magis expediri visum fuerit, in suis Cathedralibus Ecclesiis & maioribus respectiuè Ecclesiis, ciuitatum, oppidorum, & locorum quorumcumque eorum Diœcesum, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solemniter publicent, & publicari auctoritate nostrā mandent & faciant. Ceterùm quia difficile foret, easdem præsentes ad singula loca, vbi opus esset, deferri, volumus, & simili auctoritate decerni-

In quibus criminibus, vt confraternitatū non fiat absolutio.

Pœna non obseruantium hanc bullā.

Quanti hæc sint roboris.

Qualiter hæc bulla publicari debuerit.

decernimus, vt earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ cõstitutæ munitis, eadẽ vbique fides habeatur, quæ ipsismet litteris haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 7. Decembris M.DC.IV. Pontificatus nostri anno tertiodecimo. Volentes & decernentes, præsentibus his litteris nostris eamdem fidem adhibendam esse, quæ præinsertis litteris originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. In quorum omnium ac singulorum fidem & testimoniũ has nostras litteras fieri & per Archiconfraternitatis nostræ Secretarium subscribi & publicari iudicauimus, ac sigillorum ipsius Protectoris & Archiconfraternitatis iussimus & fecimus appensione muniri. Datum Romæ in loco solito nostræ Congregationis, Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi M. DC. XXIX. Indictione XII. die verò vigesimâ sextâ mensis Augusti, Pontificatus Sanctiss. D. N. D. Vrbani diuinâ prouidentiâ Papæ VIII. anno VII. Præsentibus ibidem Nobilibus DD. Ferdinando Beger, & Iulio Cæsare Marchesio, testibus ad præmissa vocatis, &c.

Et signatum erat:

Hypolytus Cardinalis Aldobrandinus.
Lelius Falconius Gubernator.
Antonius Poccius Custos.
Iacobus Stuila Custos.
Alexander Rasinellius Custos.
Lucas de Vechius Custos.
Ioannes Dominicus de Pace Secretarius, in fidem.

Seruiet autem & hæc vltima Clementis VIII Bulla, vt conditiones agnoscamus quæ requisitæ sunt vt verè Confraternitatum indulta atque indulgentias consequamur.

CAPVT XXXIII.

Iustorum exempla, qui ante aduentum Redemptoris mirum erga defunctos affectum ostenderunt.

1. COmmune prouerbium est, quòd verba moueant, sed exempla cogant; proinde quandoquidem superioribus Capitibus merita plurima animabus Purgatorij iuuandis attulimus, non inconsultò consequenter hic adiungemus ea quæ per singula ab orbe ferè condito sæcula exhibita mortuis fuerunt officia: patebit enim ex his, non solùm quanta Spiritus sanctus diuersis temporibus declarauerit in Sanctis suis exemplà, ad defunctorum liberationem diligenter procurandam, sed etiam iis iusta dari poterit confusionis occasio, qui sese hactenus à tam facili adiutorio subtraxerunt, aut ad illud non teneri se, frustrà putarunt: videbunt enim, nullum esse hominum genus, nullum tempus, nullam conditionem, quibus non sint plura remedia & obuia & leuia, ad æternam salutem purgandis animabus quantocyùs accelerandam. Videbunt quos ij affectus mortuis exhibuerint, qui sub naturæ primùm Lege vixerũt; quid deinde eisdem præstiterint qui Moysaicâ Lege fuere instructi; ac demumquàm varij etiam modi à Christianis vsurpati sint, qui suis quique sæculis feruentiùs erga animas fidelium affecti, non minorem maioribus suis earum curam & susceperunt, & fuerunt executi: vt ob id non nisi excusatio minor ac maior castigatio illos maneat, qui hac in parte extiterint negligentes.

Postquã media iuuandi defunctos allata sunt, sequuntur exempla.

Ad Scripturas primùm quod attinet, tam sub Lege naturæ quam Moysaicâ multa occurrunt, 2. quæ excitare nos possint vt affectum erga Purgatorij animas exerceamus: quæ tametsi priori Libro ferè omnes allatæ sint, non absque ratione ac fructu hic repetentur: illic enim eis vsi fuimus, vt hæreticorum aduersus Purgatorij veritatem errores refutaremus; hìc verò alio fine, vt nimirum Catholici ad iuuandos mortuos accendantur: illa etenim est sacrarum Litterarum vtilitas, vt malis in confusionem, bonis verò ad instructionem à Spiritu sancto ordinatæ sint. Clarè id satis testatus D. Paulus Apostolus, cùm ait: *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitiâ: vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* E quibus verbis sufficienter liquet, Scripturam hominem instruere vt sit perfectus, atque ad omne bonum instructus. Vtilis nimirum est omnis Scriptura diuinitus inspirata, secundùm D. Paulum, ad docendum & erudiendum in iustitiâ, & nihilominùs etiam ad arguendum, & ad corripiendum. Quoad posteriorem effectum vsi sumus hisce Scripturis Libro primo, in quo contra sectarios egimus, vt manifestum euaderet quàm vera sint post mortem purgandorum supplicia; modò verò ex hisipsis declarabimus, animari deberi Christi fideles, vt liberales sese exhibeant erga defunctos, cùm tot ac tantis in Lege etiam naturæ & Moysaicâ exemplis prouocentur, quod haud dubiè ad docendum & erudiendum in iustitiâ spectat.

Sub Lege naturæ quis defunctis affectus, quod studium, exhibita fuerint.

2\. Tim. 3.

Atque vt id commodiùs fiat, à patre credentium S. Patriarchâ Abrahamo incipiamus. De 3. eo Saræ coniugi suæ mortuæ exequias faciente ita dicitur: *Venitq́, Abraham vt plangeret & fleret eam. Cumq́, surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens: Aduena sum & peregrinus apud vos, date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuum meum. Responderunt filij Heth, dicentes: Audi nos Domine, Princeps Dei es apud nos, in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum. Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ, filios videlicet Heth. dixitq́, ad eos: Si placet animæ vestræ vt sepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Seor, vt det mihi speluncam duplicem, quam habet in extremâ parte agri sui.* Ex quibus patet, non tantùm, Abrahamum fleuisse ac plorasse ob Saram vxorem suam mortuam, sed ei speciale funeris exhibuisse officium, & plurimam adhibuisse diligentiam, vt decenti sepulturâ corpus eius contegeret.

Abrahã Patriarcha vxoris suæ defunctæ Saræ funus procurat.

Genes. 23.

Tria itaque pro Sarâ vxore mortuâ Abraham 4. impendit. Primùm venit, vt plangeret & fleret eam. Itàne venire debuit, vt eam plangeret & fleret? An eo loco in quo erat, fecisse id non poterat? Poterat vtique, nisi speciale aliquid significaret ille ad mortuæ corpus aduentus; & à Spiritu sancto insinuatum hinc foret, planctum seu luctum illum mysterium quoddam designasse, quod Catholici aiunt esse operum pœnitentialium seu satisfactoriorum pro defunctorũ consolatione

Eam luget.

solatione exhibitionem. Probemus hoc, quæso, & ex Scripturis probemus, vt interim dum Catholicos instruimus, hæreticos confundamus.

Luctus pro defunctis quid insinuet.

Flere, plangere, lugere, & antiquum Testamentum & nouum testatur esse pœnitentiales actus exercere. In nouo ipsemet primùm Saluator occurrit, qui corporale ieiunium *luctus* nomine & appellatione designat. Nam cùm discipuli Ioannis ab eo expostularent atque dicerent: *Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?* respondit illis Iesus: *Numquid possunt filij sponsi lugere* (hoc est ieiunare, quoniam alioqui mala hæc & extra scopum fuisset responsio) *quamdiu cum illis est sponsus?* Neque opus id fuit ampliùs per Christum explicari, vtpote quod omnibus ex communi iam loquēdi modo esset notissimum, quemadmodum ex antiquo videre est Testamento, in quo inueniuntur & cibi, & incessus, & vestes lugentibus speciales.

Matth. 9.

Ezech. 14.

Lugētes olim peculiaribus cibis vescebantur.

Oseæ 9.

Peculiari itē quodā modo in incessu vtebantur.

Psalm. 34.

Eccli 7.

Esther 6.

Vestitu item à reliquis differente induebantur.

De cibis patet ex Ezechiele, vbi expressè fit mētio ciborum lugentium, qui vt amari, austeri ac parci fuisse cognoscantur, obseruari poterit illud Oseæ: *Non libabunt Domino vinum, & non placebunt ei: sacrificia eorum, quasi panis lugentium: omnes qui comedent eum, contaminabuntur.* Quid de lugentium agendi modo & incessu dicemus? In Psalmis legitur: *Quasi lugens & contristatus sic humiliabar.* In Ecclesiastico verò: *Cum lugentibus ambula*, idque vt pro defunctis factum fuisse videas, expende verba præcedentia, *Mortuo non prohibeas gratiam.* De vestimentis res non minùs est euidens: nam de Aman habetur, quòd esset lugens & operto capite, non ob aliam sanè rationem, quàm quia ab rerum visibilium aspectu se abscinderent qui lugebant; prout & in Susannâ factum fuisse deprehenditur, cùm ad mortem duceretur. Dicitur enim, quòd iniqui illi (qui eam falsò accusabant) iusserint vt discooperiretur. *Erat enim* (inquit sacer textus) *cooperta.* At de interioribus lugentium vestibus pœnitentialibus longè est apertior Scriptura, tum quando, vt statim videbimus, Iacob Patriarcha lugens sese cilicio induit; tum quando Iudith à luctu surgens, cilicium exuit; & maximè cùm apud Ieremiam dictum est: *Super hoc accingite vos ciliciis, plangite & vlulate.* vbi, prout & locis aliis plurimis Scripturæ, ostenditur, commune lugentibus extitisse vestimentum cilicinum. Ex quibus omnibus Abrahami patet exemplo, quid lugere sit mortuos, & quàm rectè idipsum imitari nos deceat, prout fecere plurimi in Scripturâ Dei fideles. Sufficiat hic vel obiter adnotasse, quoties quempiam mortuos fleuisse planxisseque, vel luxisse dicemus, id ieiunij, cilicij & aliorum actuum pœnitentialium modos complecti.

Dan. 13.

Interiùs quoque cilicium corpori admouebant.

Ierem. 4.

5. Ad secūdam Patriarchæ actionem veniamus. *Cumq; surrexisset ab officio funeris.* Duo rursum hic nota. Primò, à tempore Abrahæ funeris vsurpatum fuisse officium. Quid hoc est, funus, & illius officium? Funus seu funeralia, obsequium illud est, quo mortui corpus prosequimur. Ita omnes nationes fecisse, omnium testantur Annales. Ita omnes facere debere, communis ratio dictat. Quæ enim gens, quæ non speciales ad hoc ritus obseruet? quæ non has à maioribus traditas cæremonias acceperit, vt decenter & cum affectu defunctos suos sepeliat? Mortuorum funeralia, *iusta*, vt primo Libro vidimus, appellauere gētiles; & dubiū Christiano esse potest, ea iniqua esse ac iniusta? Ne gentilitia illa esse, ac ab Ethnicis conficta credamus, ecce Abrahami facit exemplum, qui & funus celebrauit, & celebrauit officio, tamquam is officio suo deesset, qui hoc negligeret. Quid igitur futurus, qui cum sectariis oppugnaret, & mortuis officium (quod Ethnicos, iustum esse, ac appellandum sic esse, ratio docuerat) iniustè detraheret? Certè infideles hi filij à fidei patre ac matre naturâ planè sunt degeneres. Quid illis aliud expectandum, quàm quod Moyses comminatur: *Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est, quia prouocauerunt eum filij sui & filiæ. Et ait: Abscondam faciem meam ab eis; generatio enim peruersa est, & infideles filij.* Quale autem fuerit huiusmodi officium, non ita certum: nos ex grauium virorum testimoniis Sacrificium fuisse, Libro primo diximus. Cui adiungi etiam potest, quòd dicatur Abraham ab hoc officio surrexisse, vt significetur, id non obiter ab illo factum, aut à nobis faciendum, sed cum tempore ac continuatione, vt rectè fiat. Tempus septem dierum Sapiens, vt inferiùs dicendum, annotauit. Filij Israël dies quadraginta obseruarunt; & Ægyptij alios triginta, vt statim videbitur, adiunxerunt.

Funerale itē Patriarcha Abrahā officium celebrat.

Hæretici à Patriarcharum veteris Testamenti fide degenerarunt.

Deutero 32.

6. Tertium obsequium, quod ab Abrahamo Saræ funeri seu cadaueri exhibitum dicitur, sic describit sacer textus: *Locutus est autem ad filios Heth, &c.* vsque ad finem capitis. E quibus multa iterùm in rem nostram accipi possunt. Primò, dum contra modernos hæreticos veritatem Catholicam stabilimus, videmus illos in errore versari, cùm volunt officium funeris non esse corporis sepulturam, aut illius ad terram delationem: quia antequam Abraham sepulchralem locum non solùm obtineret, sed & prætenderet, non antè dictus est ab officio funeris surrexisse. Hem quid hic ais? Distinguitur clarissimè officium funeris à sepulturâ, quæ tu, vt Orthodoxorum clarum testimonium eludas, & mortuis iusta officia detrahas, falsò confundis. Cōfundere, inquam, conaris, sed ipsemet confunderis. Cape perspicilia, & meliùs fortè videbis. Videbis, si velis, præter honorificam mortui sepulturam, illius officium, ieiunium, cilicium, Sacrificium, &c. En quatuor habes, vbi non videras nisi vnum. Ad Orthodoxos animandos redeamus.

Officium funeris non est sola corporis sepultura.

7. Multa sanè & hæreticis in Abrahami tertio facto obseruanda & imitanda occurrunt, vt nimirum diligentem mortuorum suorum curam gerant. Ad quid enim aliud tanta eos Patriarchæ sepulturæ sollicitudo & procuratio prouocat, quàm vt suorum non citò aut facilè obliuiscantur, sed omne quod quidem ipsis iam defunctis esse solatio potest procurent. Fuit igitur Abrahæ non modicè cordi, vt Saram suam decenter, post exhibitum ei mortuorum officium, sepelire posset illo in loco, in quo frequentem illius haberet memoriam; atque, vt Libro primo declarauimus, particeps fieri mortua posset precum ac meritorum eumdem locum frequentantium, illiusque memoriam facientium. Voluit propterea ipsam sepeliri in speluncâ duplici, vt suis quoq; posteris morituris idem locus esset quietis, & meritorum participandorum occasio. Quare Abraham, ingentem inde prouenturum mortuis

Quo fine Abrahā tam sollicite vxoris suæ funus curauerit.

mortuis videns profectum, vt erat promptus ad quamcumque ipsis consolationem exhibẽdum, tanto molimine atque animi demissione hunc sepulturæ locum procurauit; idcircò populum terræ, filios videlicet Heth, adorauit, & rogauit, quatenus intercederent apud Ephron filium Seor, vt duplicem sibi speluncam concederet; idcircò & pecuniam magnam obtulit, ac tantum dedit quanti agrum suum ille æstimauerat, quadringẽtos nimirum siclos argenti probatæ monetæ publicæ. Vnde & confirmatus dicitur Ephronis ager Abrahæ in possessionem. Sed ad vlteriora pergamus.

8. *Parentem in defunctorum curâ imitati Isaac & Ismael.*

Zelum hunc adiuuandi prosequendiq; defunctos, Abraham filij, Isaac & Ismael, probe æmulati sunt: eamdem enim illi curam postmodum erga parentem suum exercuerunt, vt in Genesi videre licet. *Deficiens*, inquit textus sacer, *Abraham, mortuus est in senectute bonâ, prouectaq; ætatis, & plenus dierum, congregatusq; est ad populum suum: & sepelierunt eum Isaac & Ismael filij sui in speluncâ duplici, quæ est sita in agro Ephron filij Seor Hethæi, è regione Mambre.* (Genes. 25) Neq; etiam in Iacob Patriarchâ erga mortuum, vt credebat, filium suum Ioseph speciale affectus defuit argumentum: vbi enim cognouit tunicam illius quem putabat occisum, (Genes. 37.) *Tunica*, inquit, *filij mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph: scissisq; vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. Congregatis autem cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, & ait: Descendam ad filium meum lugens in infernum. Et illo perseuerante in fletu*, &c. Quid hoc est, *Perseuerante in fletu*; nisi flentium atque plangentium exercitia continuante? prout paulò antè sufficienter fuit ostensum.

Esau quoque fratricidiû, luctum circa defunctos factum fuisse innuit. (Genes. 27.)

In Esau quoque scelere eum tunc morem, lugendi super mortuos, fuisse peruulgatum habes. *Ait in corde suo*, refert de eo Scriptura, *Venient dies luctus patris mei, & occidã Iacob fratrem meum.* Quid hoc est, *Venient dies luctus patris mei*; nisi, dies mortis illius, quando ex communi fidelium consuetudine lugendus erit?

Iacob Patriarcha & ipse erga defunctos affectû exhibet.

Non itaque Iacob solùm & Abraham hunc in mortuorum exequiis flendi, cilicium gestandi, ieiunandique morem à tot iam annis, Spiritu sancto haud dubiè, vt de tantis Patriarchis præsupponendum est, suggerẽte, vsurpauere; sed etiam status ille fidelibus mos, vti experientiâ constat, ad nostra vsque tempora indefessè perdurat. Quod de Iacob Patriarchâ modò attulimus, multò euidentius & manifestius est, adeoque sicut Abraham & Isaac ad mortuorum nos curam agendam prouocauerunt, dum iustum ob illos luctum admiserunt; ita etiam S. Iacob, varias pro filij sui defuncti, vt credebat, consolatione impetrandâ assumendo mortificationes ac pœnitentias, & nobis idem faciendum esse docuit. Neque verò exiguo tantùm tempore, sed diu admodum in iisdem exercendis continuauit, quatenus animam eius eò certiùs liberaret, quò longiùs illam satisfactionibus suis prosequebatur. Idem eiusdem Patriarchæ affectus apparuit erga vxorem Rachel. Cùm enim illa mortua esset, non tantùm ipsam honorificè sepeliuit, verùm etiam, vt illius numquam vel sibi vel aliis memoria excideret, super eius sepulchro titulum constituit, vt esset memoriale in futurum, omnesque qui istud conspicerent, pro ipsius animâ Deum orarent, aut requiem saltem apprecarentur. Et hoc motiuo maximè illum ductum fuisse, Lib. I. Cap. VIII. ex probatis auctoritatibus satis ostendimus; nunc textus solùm verba recensebo. In Genesi ergo sic legitur: *Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in viâ quæ ducit Ephratam, hæc est Bethleem; erexitq; Iacob titulum super sepulchrum eius. Hic est titulus monumenti Rachel vsq; in præsentem diem.* (Genes. 35.)

9. *Ioseph Patriarcha quid præstiterit.*

A Iacob ad Ioseph filium eius ac ceteros Israëlitas conuertamur. Hi numerum quadraginta dierum inceperũt, quo adhuc nostra Mater Ecclesia vti consueuit in defunctorum funeralibus celebrandis. Mortuo Iacob, inquit Scriptura, *Ioseph ruit super faciem patris, flens & deosculans eum. Præcepitq; seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem. Quibus iussa explentibus, transierunt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadauerum conditorum. Fleuitq; eum Ægyptus septuaginta diebus. Et expleto planctus tempore, locutus est Ioseph*, &c. (Genes. 50.) itemque inferiùs: *Veneruntq; ad Aream Atad, quæ sita est trans Iordanem: vbi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi, impleuerunt septem dies.* Qui sacer textus satis ostendit, quàm conformia sint priscis ea quæ modò Catholici obseruant erga mortuos: non tantùm enim hìc mentio fit diei septimi exequiarum, sed etiam quadragesimi, imò & trigesimi. Nec enim Ægyptiis sufficiebant dies quadraginta quos Israëlitæ compleuerant, sed & triginta alios adiecere.

10. *Sub Lege Moysaicâ quis defunctis affectus exhibitus fuerit.*

Hæc sunt quæ pro temporis breuitate ex Lege naturæ exempla ducenda censuimus: veniamus etiam ad Legem Moysaicam, atque sub eodem similia imò maiora defunctis officia fuisse exhibita, ostendamus. Et quidem de numero triginta dierum ne quis fortè causetur, eum quidem ab Ægyptiis obseruatum esse, non autem ab Israëlitis, videat quicumque tale quid cogitat, quomodo etiam Iudæi eumdem numerum celebrauerint tam in Aaronis quàm in Moysis exequiis. (Numer. 20. *Aaronis funus quomodo populus Israëliticus curauerit:*) De Aarone habentur hæc: *Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, fleuit super eo triginta diebus per cunctas familias suas.* De Moyse verò hæc: (Deuter. 34. *& quomodo Moysis.*) *Moyses centum viginti annorum erat, quando mortuus est: non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt; fleueruntq; eum filij Israël in campestribus Moab triginta diebus; & completi sunt dies planctus lugentium Moysen.* Viden' ex his, quomodo certum lugendi atque affligendi se super mortuos spatium fuerit obseruatum; vt ex iis colligas, non id casu factum, vel præ nimio erga priuatos affectu vsurpatum, sed ex sacrâ atque ordinariâ Israëlitarum cærimoniâ ordinatum: quod vel inde colligitur, quòd & dies planctus completi esse dicantur, idque post dies triginta, vtpote quòd dies triginta ex ordinariâ obseruatione durarent. qui numerus non absque mysterio delectus fuit, (*Trigesimus dies prosequẽdi defunctos quâ ratione inductus.*) tum quia rationes illæ hìc subsunt, de quibus Capite XXV. superiùs egimus; tum vel potissimùm, quia numerus trigesimus ter denarium comprehendit, & tribus modis in decem Decalogi præcepta peccatur, cogitatione, verbo, atq; opere. Numerus insuper quadragenarius, vt locis diuersis hoc in Opere exposuimus, satisfactorius est, ac proinde maiori explicatione non indiget: ad Anniuersaria veniamus, ne quid desit ad eorũ antiquissimam probationem, (*Anniuersaria vnde ortũ habeant.*) quorum vsque in hodierum etiam diem vsus perseuerat. Quæ vt è sacrâ Scripturâ probemus, haud longè nobis cun-

eundum est. In libro enim Iudicum dicitur, quòd postquam occisa fuit filia Iephte, ei institutum sit anniuersarium à filiabus Israël. Verba textus sacri sunt: *Exinde mos increbuit in Israël, &* Iudic.11. *consuetudo seruata est: vt post anni circulum conueniant in vnum filiæ Israël, & plangant filiam Iephte Galaitidæ diebus quatuor.* Diebus quatuor flebant illæ mortuam in anniuersario; vtinam vno saltem nos die, qui maiorem quàm illæ habemus obligationem. Anni sæpiùs multi abeunt, & neque parentum, neque aliorum benefactorum facimus mentionem. O magnam sanè enormemque & intolerabilem ingratitudinem! quomodo nos, quos vehementer admodum obstrinxerunt, in die iudicij accusabunt? Accusabunt, & iustissimò condemnabunt. Sed Scripturarum adyta profundiùs penetremus, & de singulis exercitiis pœnitétialibus satisfactoriisque, quibus viui mortuos iuuare conati sunt, enucleatiùs distinctiusque loquamur.

11. Si, an & quæ ieiunia in Lege veteri pro mortuorum spiritibus frequentata sint, requiras, habentur eius rei vti plura, ita etiam pulcherrima testimonia. Tu, Lector, hæc tibi cape. *Cum* 1.Reg.31. *Galaaditarū in Saule Regis summa pietas.* *audissent habitatores Iabes Galaad* (Scripturæ verba sunt) *quæcumque fecerant Philisthiim Saul, surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulauerũt totâ nocte, & tulerunt cadauer Saul & cadauera filiorum eius de muro Bethsan. Veneruntq; Iabes Galaad, & combusserunt ea ibi: & tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt septem diebus.* Alibi: 2. Reg.1. *Apprehendens autem Dauid vestimenta sua, scidit, omnesq; viri qui cum eo erant, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vsq; ad vesperam super Saul, & super Ionatham filium eius, & super populum Domini, & super domum Israël, eò quòd corruissent gladio.* Iterùm: 2.Reg.3. *Dauidis Regis studium pro exequiis Abner.* *Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum qui erat cum eo: Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner. Porro Dauid sequebatur feretrum. Cumq; sepeliissent Abner in Hebrõ, leuauit Rex Dauid vocẽ suam, & fleuit super tumulum Abner; fleuit autem & omnis populus. plangensq; Rex & lugens Abner, ait: Nequaquam vt mori solent ignaui, mortuus est Abner. Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggrauati: sed sicut cadere solent coram filiis iniquitatis, sic corruisti. Congeminansq; omnis populus fleuit super eum. Cumq; venisset vniuersa multitudo cibum capere cum Dauid, clarâ adhuc die, iurauit Dauid dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum Solis gustauero panem vel aliud quidquam. Omnisq; populus audiuit, & placuerunt eis cuncta quæ fecit Rex in conspectu totius populi.* Hæc Scriptura: e quibus plusquam sufficienter ostenditur (ogganniant & insaniant hæretici quantum volunt) mortuorum solandorum causâ adhiberi posse, imò adhibenda esse ieiunia. Nam aggerata illa in vicinis sibi capitibus eiusdem rei exempla, os obloquẽtium possunt refrenare, possunt occludere. Si factum illud habitatorum Iabes Galaad parui propterea faciendum esse causentur, quòd illorum ibidem nudè narretur historia, neque id ex speciali Spiritus sancti instinctu fecisse liqueat; Dauidis, qui fuit vir secundùm cor Dei, adiungemus exemplum, & non vsurpatum solùm super Saul, sed & super Abner iteratum fuisse ieiunium, ad quod reliquam populi Dei multitudinem etiam insigniter cohortatus fuit: quod non ex tristitia aut physicâ quadam compassione factum fuisse, aliud quod in puero, quem ex Bersabee genuerat, dum mortuus esset, dedit indicium, satis apertè demonstrat qui enim ieiunauerat propter puerum adhuc viuentem & in morbo existentem, ieiunare destitit illo iam mortuo, quando vel maximè eum & dolere & ex dolore ieiunare oportuerat. Ieiunij etiam pro mortuis protrahendi magnum in Scripturis fundamentum inuenies, quandoquidem Dauid non vsque ad prandium modò (quod nobis adeò durum & difficile videtur) sed ad vesperam vsque ieiunium protraxit, aliosque vt idem facerent adiurauit. Quin & ad hebdomadam integram, scilicet dierum septem spatium, pientissimi illi Iabes Galaad incolæ suum ieiunium protraxere, vt in illis locum haberet illud Sapientis consilium, quod infrà statim adducemus, *Luctus mortui diebus septem.*

Patres veteris Testamenti ab fide, quā priuato compassionis affectu defuncti funera curarunt.

Satis audiuimus de ieiunio, de eleēmosynis nonnihil, quæ pro mortuis factæ fuerunt, subnectamus; idque iterum Scripturâ duce. in quâ primùm se nobis offert sanctus ille senecio Tobias, de quo refertur, quòd filio suo Tobiæ inter reliqua saluberrima monita, & hoc suggesserit, vt in defunctorum sepulturâ panem & vinum pauperibus iustis, qui nimirum pro ipsorum animabus oraturi erant, distribueret, non verò easdem eleēmosynas peccatoribus & scurris conferret: cùm enim isti plerumque ingrati esse soleant, vel non orant, vel ob peccati statum in quo sunt, à Deo exaudiri non merentur, & proinde exiguus in mortuos fructus redundat. 12.

Eleemosyna pro mortuis etiam olim erogabatur.

Verba textus sunt: *Panem tuum & vinum super* Tob.4. *sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* Quod sanctissimum Tobiæ consilium, ne ex priuato aliquo Spiritus sancti instinctu, ad ipsius solùm deuotionem pertinuisse, aut ad nos nihil pertinere credamus, non erit abs re, si declaremus, Scripturâ affirmante, eum fuisse communem vniuerso populo Israëlitico morem. Patet hoc ex Ieremiâ. *Et morientur,* ait ibi Spiritus sanctus, *grandes & parui in terrâ* Ierem.16. *istâ, non sepelientur, neque plangentur, & non se incident, neque caluitium fiet pro eis, & non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo: & non dabunt eis potum calicis ad consolandum super patre suo & matre.* Quid dici clarius possit, vt ostẽdatur, apud filios Israël consuetudinis fuisse, in defunctorum exequiis eleēmosynas erogare? Quia enim diuina Maiestas punire volebat populum Iudaicum sibi rebellem, inter alia mala ipsis obuentura per Prophetam prædicit, quòd post ipsorum mortem sepeliendi non essent, neque eroganda aliqua vel panis vel potus eleēmosyna. Ex quo sequi satis videtur, praxim tunc fuisse, quæ & hodie in Romanâ perdurat Ecclesiâ, vt pro mortuis eleēmosynæ fierent, ad consolationem eisdem ac requiem impetrandam.

13. Ceterùm quoniam Tobiæ modò meminimus, fieri non debet, quin & fiat memoria illorum quæ idem vir sanctus fecit & pertulit, vt affectum suum erga mortuos exerceret. de eo nimirum dicitur: *Esurientes alebat, nudisq; vestimenta præbebat, atq; occisis sepulturam sollicitus exhibebat.* Tob.1. Et porrò cùm Sennacherib *iratus multos occideret ex filiis Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum. At vbi nuntiatum est Regi, iussit eum occidi; & tulit omnem* sub-

Tobias funerum curandorum zelosissimus.

Etiam cum bonorũ suorũ iacturâ.

substantiam eius. Tobias verò cum filio suo & cum vxore fugiens, nudus latuit. In quo apparet, quantum ipse erga defunctos fuerit affectus. Certè ei applicari hoc posset, quod aliquando Sapiens asseruit: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Non enim tantummodò bona sua ob occisorum sepulturam generosè despexit, sed vt ad supremum in hoc exercitio gradum pertingeret, despexit & vitam, adeò vt in ipso vera sit, & meritò ei applicari possit illa à Christo postmodum prolata sententia: *Maiorem dilectionem hac nemo habet, quàm vt animam suam ponat pro amicis suis.* Vitæ enim periculum propter mortuos sepultos subiit, vt patet, cùm ita ait: *Filius reuersus nuntiauit ei, vnum ex filiis Israël iugulatum iacere in plateâ. Statimq́; exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus, tollensq́; illud, portauit ad domum suam occultè, vt dum Sol occubuisset, cautè sepeliret eum. Cumq́; occultasset corpus, manducauit panem cum luctu & tremore, memorans illum sermonem, quem dixit Dominus per Amos Prophetam: Dies festi vestri conuertentur in lamentationem & luctum. Cùm verò Sol occubuisset, abiit, & sepeliuit eum.*

Sap. 6.

Atque ipsius etiam vitæ dispendio.

Ioan. 15.

Tob. 2.

Amos 8.

14. O quantam Tobiæ charitatem! ô quàm eximium in defunctos affectum! Sententia in eum mortis à Rege Sennacherib idcircò iam lata fuerat, quia mortuos sepeliebat, quia debitum illis officium funeris impendebat; & tamen ob hoc iterùm faciendum, non solùm bonorum suorum iacturam cum gaudio suscepit, & mensam suam deseruit, ciboque & deliciis charius habuit, sed & se euidenti mortis periculo iterùm exposuit; adeòque mortuos adamauit, ac si cum illis & pro illis mori exoptaret. Vnde & à cõsanguineis suis reprehensus fuisse describitur. *Arguebant autem eum,* inquit textus, *omnes proximi eius, dicẽtes: Iam huius rei causâ interfici iussus es, & vix effugisti mortis imperium, & iterùm sepelis mortuos? Sed Tobias plus timens Deum quàm Regem, rapiebat corpora occisorum, & occultabat in domo suâ, & mediis noctibus sepeliebat,* &c. O virilem animum, nec labore victum, nec morte vincendum! Vtinam omnibus idem viris animus inesset, idem conatus, maior vigeret cura, amplior fieret purgandorum liberatio. Sed quid mirum est, viros adeò incubuisse defunctorum obsequio, quandoquidem etiam feminę suos labores ac conatus huc contulerint, vt non infrà modò variis Capitibus intueri licebit, sed &, iuxta diuersorum Scriptorum explicationem, patuit è Scripturâ exemplo Iudith, quæ, vt octauo capite libri ipsius refertur, à morte mariti sui Manasses, vt nimirum eum dignè prosequeretur, *in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, & neomenias, & festa domus Israel.*

Amicorum dehortationes non curat.

15. Hem! quàm pulchra hæc sunt, vt viri vel imitentur, vel confundantur, exempla! Ieiunauit omnibus diebus vitæ suæ à mariti obitu, pro mariti, vt supponimus, consolatione. Deus bone! quàm longum est hoc ieiunium, quod, paucis diebus festis exceptis, semper durat; cùm nostrum exiguo solùm tempore duret. Sed Catholicos ad hoc rursum animemus, dum hæreticos confundimus. Quantò enim hi ostenduntur impudentiores, non solùm in eo, quòd defunctis adiutorium negent, sed & quòd longiora, ac, vt ipsi quidem aiunt, indiscretâ prolixitate ieiunia improbent; tantò magis accenduntur Orthodoxi, vt sese in huiusmodi feruentiùs exerceant, à quibus astu dæmonis, qui profectui fructuique inde secuturis malignè inuidet, magis distrahi auocarique se vident. Commendantur ergo duo hoc vnico loco, & officium à Iudith mortuo marito impensum, & prolixum ieiunium. At vt multa habent quod sectarij reponant pro primo, de quo luculenter aliàs dictum; habent & quod regerant pro secundo. Audiamus. Faciet id vt ampliùs ipsi confundantur, vt solidiùs in fide ac piâ imitatione suâ stabiliantur Catholici. Dicunt igitur, locum habuisse in Israëlitis ac veteris Testamenti cultoribus longum ieiunium, quod in nobis, à lege seruitutis solutis, ac Christianâ libertate donatis, iam cessauerit, aiente apud Matthæum Christo: *Numquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?* Vbi certũ est, & de ieiunio agi, ac Christi iam facto aduentu. O fallacem igitur hæreticorum explicationem! non tantùm nihil piæ Catholicorum consuetudini locus ille obest, quoad prolixum apud eos solitum vsurpari ieiunium, sed, quod magis est, iuuat, & extra omnem quæstionem Pontificios ponit. Rogo Lectorem vt sincerè iudicet; probationem aliam nolumus, quàm ipsam solùm textus sacri inspectionem. *Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis, dicentes: Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Et ait illis Iesus: Numquid possunt filij sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus: & tunc ieiunabunt.* Quid clarius dici poterat ad Catholicorum defensionem, hæreticorumque infamiam? quid solidius, vt rectè Orthodoxos Scripturam explicare, perperamque eamdem adulterare sectarios, vnusquisque facilè iudicet? Petunt à Christo Ioannis præcursoris discipuli, quare illi & Pharisæi frequenter ieiunarent, Christi verò sequaces id minimè præstarent. Respondet is apertè, tunc quidem hos non ieiunare, quia cum ipsis adesset nunc sponsus, ideoque vt filios sponsi non tunc eos ieiunare debere; ieiunaturos verò posteà, cùm ab ipsis ablatus fuerit sponsus. Ex quibus duo colligi, & indubitanter admittenda esse, nemo sanæ mentis negauerit. Primum est, sermonem hîc fieri non simpliciter de ieiunio, sed de ieiunio frequenti. Clarissima sunt Euangelij verba. nam *Accesserunt,* dicitur, *ad eum discipuli Ioannis, dicentes: Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter?* Quid clarius? *Ieiunamus frequenter.* Secundò, ad hæc respondet Christus: *Numquid possunt filij lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.* vtique *frequenter,* prout sermo antecedens ferebat: nam aliàs non ad propositum foret Saluatoris responsio. Quo non adhuc contenti alij, volunt ampliùs quàm frequenter Christi discipulos ieiunaturos fuisse: ait enim Redemptor, *Tunc ieiunabunt,* hoc est continuè atque ordinariè ieiunabunt: quia *tunc ieiunabunt* significare videtur, commune Christianorum exercitium fore ieiunium, quamdiu abesset vsque ad extremum Iudicij diem sponsus, sicut non ieiunaturos asserit, id est numquam ieiunaturos, quamdiu esset cum illis sponsus.

Femina etiã in censum eorum qui funera curauerunt veniunt.

Matth. 9.

Hæreticorum fallax versutia ostenditur, dum Saluatoris verba sinistrâ interpretatione corrumpunt.

Vera eorumdem verborum explicatio.

fus. At, iuxta ceterorum explicationem, & veriorem sententiam, rigorem illum nonnihil temperemus, dicamusque, de frequenti, non verò continuo ieiunio, vt statim explicuimus, sermonem esse. Quàm autem illud frequenter faciendum? *Venient dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.* Illis igitur diebus quibus ablatus ab illis fuit sponsus, ieiunare debent. Qui, quæso, isti sunt dies quos frequenter obseruat Romana Ecclesia? Annuè quidem in sacrosanctâ Quadragesimâ, quádo memoria passionis Christi recolitur, & mortis eius memoria celebratur, quâ sponsus cælestis à nobis ablatus est; hebdomadatim verò Feriis sextis ac Sabbatis, quibus vel mortuus fuit, vel in sepulchro positus, ab hominibus quodammodò ablatus erat. Quid præterea? Sufficient ista, vt quoad frequentiorem vsum ieiunij, siue solitam à certis cibis abstinentiam, confundantur hæretici, Catholici verò ad æmulandam Iudithæ, pro solatio mortuorum, ciborum parcimoniam inflammentur.

16. Sed quàm insigniter etiam Salomon cómendauit animarum adiutorium? In libro enim Ecclesiastici inculcat, à nemine mortuis gratiam prohibendam siue denegandam esse. *Gratia*, inquit, *dati in conspectu omnis viuentis: & mortuo ne prohibeas gratiam.* Alibi etiam, *Super mortuum*, ait, *plora, defecit enim lux eius.* Porrò alibi: *Fili, in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus, incipe plorare, & secundùm iudicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius: propter delaturam autem amarè fac luctum illius vno die, & consolare propter tristitiam, & fac luctum secundùm meritum eius vno die, vel duobus, propter detractionem.* Quæ omnia quoniam ad Purgatorij animas spectare declarauimus Lib. I. Cap. IX. hîc superuacaneum foret ea repetere: solùm ergo ex eisdem hîc deduci volumus, Sapientem ex Spiritus sancti reuelatione, non modicè defunctorum curam atque adiutorium inculcasse. nam ex ipsius in primis constat doctrinâ, non vtcumque tantùm, sed vehementer vnicuique cordi esse debere mortuorum luctum, seu pœnitentiam pro illis assumendam. ait enim: *In mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus incipe plorare.* Deinde varia subiungit motiua, quæ nos vrgeant ad debitum nostrum hac in re adimplendum, idque diuersis diebus, ratione variarũ occasionum, quas etiam dicto Capite IX. Libri I. exposuimus. Saltem conandum est omnibus, vt illud obseruent quod idem Sapiens supradictis verbis, paucis interiectis, adiunxit: *In requie mortui requiescere fac memoriam eius, & consolare illum in exitu spiritus sui.* Hoc namque significat, vt vel breuiter defuncto requiem apprecemur, ac frequenter dicamus, vt solet Ecclesia: *Requiescat in pace.*

Salomon ad defunctis affectum exhibendum hortatur. Eccli. 7. Cap. 22. Cap. 38.

Requies iisdē procuranda.

17. In quibus verbis alia iterùm iuuandi mortuos ratio insinuatur, oratio nimirum, quâ non minùs ac eleemosynis ieiuniisq; æterna eis requies obtinetur. Quid enim est aliud, *In requie mortui requiescere fac memoriam eius*, quàm, In apprecandâ mortuo requie, fac vt requiescat ipse aut eius memoria eius? Sensum huiusmodi esse, verba sequentia satis indicant, quæ sunt: *Et consolare illum*, nempe mortuum, *in exitu spiritus sui.* Non ergo sola memoria illius in requie, seu ad requiē obtinendam, facienda est; sed consolandus is est, & super eum luctus septem diebus continuādus, prout in Ecclesiastico legitur: *Luctus mortui septem dies.* & in præcedentibus amarè dicitur plorandus, itaq; deplorandus, quasi dira passus fuisset qui illum luget. Estque optimus hic, quem nos e sacris Doctoribus hausimus, sensus, quem vt non capiamus tantùm, sed & animosiùs in opus deducamus, inspicere libebit, quam sit indignum, cum tanto mortuorum emolumento, facilem adeò nobis requiei apprecationem negligere. Deus bone! si paucula verba vsque adeò apud nos cara sunt, vt tria illa, *Requiescat in pace*, nos pigeat pronuntiare, saltē illa affectu & corde inclamemus. An non meminit Lector quæ in Psalmis habentur de benedictionis apprecatione? quomodo ex his colligi possit, dedecere fideles, vt in hoc difficiles se aut negligentes præbeant. *Et non dixerunt*, inquit Psalmus, *qui præteribant: Benedictio Domini super vos: benediximus vobis in nomine Domini*, idemque locum habet in mortuorum causâ, dum nimirum viui cœmiteria transeunt, indignati vel vno saltem *Requiescat in pace* mortuorum animas Deo commendare. Hoc quàm sit iniquum, facilè iudicauerit, qui dignatus fuerit recordari, in quàm acerbis mortui pœnis versentur; aut qui meminisse voluerit eorum quæ Capite XVII. à nobis suprà allata sunt, vt omnibus constet, orationibus etiam breuibus auxilium ferri defunctis. Videbunt inhumanitatem hominũ, qui Caput XXIX. Libri I. cum præsenti conferre dignabuntur. Quàm enim est homine Christiano indignum, non tantùm non manum velle extendere, vt ex atrocissimis aliquem flammis eripiat, vt ibidem dicitur; sed nec corde illi apprecari velle, aut in Domino exoptare vt fiat? O hominem non hominem! Quid humanius, quàm facillimo aut potiùs nullo negotio misero cuipiam opem ferre? Quid humano ingenio magis aduersum, quàm nolle misereri cùm potes?

Eccli. 22.

Psal. 128.

18. Alia plura sunt quæ Patres sub Moysaicâ Lege viuentes, pro singulari suo in animas Purgatorij affectu & commendauerunt & fecerunt: sed quoniam iter nostrum, quod suscepimus, est prolixius, & eorum potissima Libro I cùm de Purgatorij confirmatione ex Scripturis sanctis ageremus, attulimus, adducemus saltem duo ex libris Machabæorum loca, quorum prior hic est: *Et misit Simon, & accepit ossa fratris sui, & sepeliuit ea in Modin ciuitate patrum eius, & planxerunt eum omnis Israël planctu magno, & luxerunt eum dies multos. Et ædificauit Simon super sepulchrum patris sui & fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito antè & retrò. Et statuit septem pyramides, vnā contra vnam patri & matri, & quatuor fratribus; & his circumposuit columnas magnas, & super columnas arma, ad memoriam æternam, & iuxta arma naues sculptas, quæ viderentur ab omnibus nauigantibus mare. Hoc est sepulchrum quod fecit in Modin, vsque in hunc diem.* In quibus sacræ Scripturæ breuissimis verbis, quis non rursum longissimam veterum erga defunctos affectus probationem (si rem expendere dignetur) aspiciat? Multa profectò sūt superioribus conformia, multa itē maiora. An non Simonis factum cum Abrahami congruit, dū fratri suo, vt ille vxori Saræ, propriam honorificamq; exstruxit sepulturam? An non, vt Iacob Israëlitæ, Simonem modò planxere? An non, vt Racheli titulum Iacob erexit, Simon erexit fratri? At quid vltra

Machabæorū item in defunctos parentes & fratres pietas.

1. Machab. 13.

ultra maiores fecit hic Simon? ædificauit sepulchrum non tantùm fratri, vt diximus, sed & patri suo matrique, & feretrum illâ solemnitate disposuit, vt statueret pyramides septem, vnam cõtra vnam, patri & matri, & quatuor fratribus; hisque circumposuit columnas magnas, &c. Quæ omnia satis ostẽdunt, quantâ curâ mortuos suos curauerit Simon, non simili solùm quàm maiores eius, vt patuit, prosecuti fuerant defunctos suos, sed maiori, vtpote qui & arma addiderit, vt ex his monerentur Iudæi pro illis sedulò nunc orare, & opera satisfactionis impendere, qui pro illorum salute ac promotione vitam exposuerant atque obtulerant; & arma hæc altè adeò extulerit, vt conspicere ea possent nauigantes in mari, quatenus non illi tantummodò qui in terrâ existebant, sed etiam qui mare percurrebant, parentum Simonis meminissent.

19. Posterior locus hic est: *Fortissimus Iudas, factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans (nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis) & quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Expendamus & hunc nonnihil locum, quandoquidem complura, obseruatione haud indigna, inde colliguntur. Primò namque hinc palàm fit, parentandi ritum, quo Ecclesia Catholico-Romana vtitur, rem esse nequaquam nouam, quæstûs aut alterius cuiusquam causâ confictam, verùm longè antiquissimam. Neque enim probabile est, Iudam Machabæum primũ apud Iudæos precum funebriumque sacrificiorum auctorem extitisse (alioquin Sacerdotes Ierosolymis degentes suum Synedrium priùs de eâ re consultassent) sed vtraque hæc à maioribus accepta, familiariter patriò more vsurpasse. Colligitur inde Secundò, non pro quibuslibet promiscuè orandum esse, aut Sacrificium offerendum; sed religiosissimi huius Principis exemplo pro iis duntaxat, quos morali coniecturâ cum pietate dormitionem accepisse cõstat. Tertiò, mortem, etiam vi illatam (nedum ex febri vel paralysi, vel aliâ quacumque miseriâ vel ægritudine consecutam) non quæuis statim peccatorum veniam inducere: quandoquidem hoc loco, eorum quoque saluti precatione & sacrificatione consultum est, qui pro patriâ religione strenuè depugnando vitæ finem fecerant. Quartò, panem & vinum iustorum tumulis inferre, precibusque & eleëmosynis eorumdem spiritibus suppetias ire, opus esse nequaquam superstitiosum, sed pium, Christianæque Religioni quàm maximè consentaneum. etenim missis à Iudâ tot, in funebre sacrificium, drachmis, subditur, benè eum atque religiosè de resurrectione cogitasse. Denique, cogitationem, hoc est fidem, quâ & corde credimus, & opere quoque ipso testatũ facimus, eiusmodi suffragia iustorum spiritibus ad gloriam nondum admissis prodesse posse, salubrem esse, & sanctam. *Sancta*, inquit textus sacer, *& salubris est cogitatio, pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur.* & per consequens, sectariorum doctrinam, fidei huic & religioni non minùs arroganter quàm impudenter insultantem, diabolicam, insignique cum impietate & animarum pernicie coniunctam esse.

2. Machab. 12. *Iudæ Machabæi pro cæsis in conflictu studium.*

Quot vno hoc eloco Machabæorum colliguntur.

Nec quispiã è Caluiniano aut Lutherano hæretico grege perduellis, vel Iudaizans, vel Samaritanum agens, libri huius mihi nunc hic auctoritatem velllicet, aut in dubium vocet. Etsi enim Machabæorum libri, & alij præterea nonnulli, ceteris quibusdam aliquantò seriùs inter Canonicos locum obtinuerint; omnes tamen eodem è fonte proscaturierunt, eisdemque calculis approbati, Christianæ Reipublicæ contraditi sunt. Nec enim ab alio scripta Euangelica & Apostolica accepimus, ab alio rursum priorem & posteriorem Machabæorum, & reliquos, de quorum fide olim aliquamdiu dubitatum est; sed ab eodem omnes, nempe à Spiritu sancto per Ecclesiam. *Placuit*, inquit Synodus Africana III. *vt præter Scripturas Canonicas nihil in Ecclesiâ legatur sub nomine diuinarum Scripturarum. Sunt autem Canonica Scripturæ: Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, Regum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Iob vnus, Psalterium Dauidicum, Salomonis libri quinque, libri duodecim Prophetarum, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Iudith, Esther, Esdræ libri duo, Machabæorum libri duo. Noui autem Testamenti viginti septem, Euangeliorum libri quatuor, Actuum Apostolorũ liber vnus, Pauli Apostoli Epistolæ tredecim, eiusdem ad Hebræos vna, Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iudæ Apostoli vna, & Iacobi vna, Apocalypsis Ioannis liber vnus, qui sunt viginti septem.* Quos eosdem etiam recipit Synodus Apostolica, Vniuersalis sexta, *a* Gelasiana, Theodoreti & Zenonis Principum temporibus Romæ celebrata; *b* Florentina itidem, & *c* Tridentina: *d* Innocentius insuper eius nominis Primus, *e* Zosimus, *f* Adrianus, *g* Isidorus, *h* Augustinus, *i* Cyprianus, *k* Hieronymus, *l* Rabanus, & alij complures. 20.

Confitari nemo potest quod libri Machabæorũ non sint canonici.

Can. 47.
a Can. 85.
b Can. i. c. Sancta, d. 16.
c In decret. vnion. sess. 3.
d Epist. ad Exuperium.
e Epist. 2. ad Synod. Afric. d. 16. c. Sanctã.
f Epist. ad Tharas. Epis. Cõstantinop.
g Lib. 4. Etymolog. c. 1.
h Lib. 2. de Doctr. Christ. c. 8.
i Lib. 16. Epist. 3.
k Epist. ad D. Augustinum.
l Lib. 3. de Instit. Cleric. cap. 7.

Sed dices forsan: Esto, Machabæorum libri inter Canonicos ab Ecclesiâ sint recepti, nihil tamen hoc ad constituendum Purgatoriũ, quippe qui huius nusquam, sed resurrectionis tantùm meminerint. Accedit, eiusmodi collectionem, *Iudas pro cæsis peccatoribus sacrificium obtulit, ergo erant in Purgatorio*; aut, *nos igitur hoc Iudæ factum quasi legem imitari debemus*, nullam esse penitus. Sed sanè, licet in hoc contextu Purgatorij vocabulum disertè non exprimatur, id tamen quod Purgatorij nomine accipiunt Catholici, disertissimè exprimitur. Nam vt nemo nescit, sanctissimus Iudas pro his, quos certæ damnationi sciebat obstrictos, ex instituto nequaquam immolabat, multò verò minùs pro iis quos tutò iam in Abrahæ sinu sepositos confidebat: & cùm, præter Purgatorium, aliud adultorum receptaculum nullum omnino occurrat, consequens fit, vt pro eorum salute hostiam offerre curarit, quos probabili coniecturâ Purgatorij cruciatibus adhuc teneri existimabat. Vtitur autem resurrectionis vocabulo, non eâ solùm de causâ, quò eorum obuiàm eat errori, quibus impiè persuasum erat, eumdem esse penitus corporum & animarum interitum; verùm ideò maximè, quò intelligamus, præter carnis resurrectionem mortalibus omnibus communem, quamdam esse aliam mysticam, puta, animarum ex peccatis, vel eorum reliquiis, solis iustis propriam. Rursum, licet necessariò non sequatur: *A Iudæis oratum vel litatum* 21.

Quid ex loco prædicto sequatur.

tum est pro peccatoribus, ergo erant illi in Purgatorio; poterant enim cum diuite Epulone præcipites esse acti in infernum: rectè tamen infertur: *Precatum vel sacrificatum est pro eiusmodi peccatoribus, qui precantium iudicio à peccatorum reatu absolui poterant; illi ergo vel erant in Purgatorio, vel certè in eo esse credebantur.* Peccauerant quidem cæsi illi, spolia, quæ non licuit, clanculùm diripientes; resipuisse tamen, non solùm sacrificatione suâ ostendit Machabæus, sed ipse quoque litteræ contextus apertè hoc ipsum conuincit. Nam alia nulla æris in sacrificium impensi ratio redditur, quàm pietas dormientium, *Et quia,* inquit, *considerabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.* Denique, licet istiusmodi ratiocinatio, *Hoc vel illud à Iudâ designatum est, illius ergo vestigiis, quasi certa legi, nobis insistendum est,* inualida habeatur, rectè tamen ratiocinatur, qui sic concludit: *Iudas Machabæus pro extinctis fratribus sacrificando, pium & Catholicæ fidei cōsentaneum opus edidit, illud ergo pios & orthodoxos omnes studiosè imitari conuenit.* Quamuis interim Ecclesia Catholica hoc solo Iudæ exemplo vt sæpe patuit, nequaquam nitatur.

CAPVT XXXIV.

Quid ipsi sancti Apostoli, eorumq́; discipuli, pro mortuis faciendum censuerint.

1. *Non omnia in sacris Litteris scripta sunt, sed multa per traditionem Apostolicam ad nos deuenerunt.* Matth. 28.

CHRISTVS Saluator noster, quia sciebat, non omnia posse in Euangeliis conscribi, quædam à se dicta, aut à Spiritu sancto postmodum tradenda, per Apostolos voluit fidelibus communicari, eaque vel scriptis, vel verbis tantùm, per eosdem vniuersis gētibus nota fieri. vnde à suis discessurus, hoc illis dedit in mādatis: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcumq; mandaui vobis.* Ex quibus quidem vnum fuisse illud, vt excitarent fideles quatenus pro defunctis orarent, multorum est opinio. Et sanè, si sanctorum Patrum dictis fidem habeamus, inueniemus esse certissimum, quòd, ex Apostolorum doctrinâ atque exemplo, pro mortuis supplicationes ac oblationes in Missæ sacrificio, tum aliàs, sint faciendæ. Hoc nos vt certo fundamento stabiliamus, primùm de Apostolis omnibus generatim, postmodum autem de aliquibus eorum in particulari, iuxta sanctorum Patrum assertionem, probatum ibimus. Sed vt res certa sit, minusque dubitationis habeat, non volumus in eo vti illorum Patrum testimoniis, qui ante aliquot sæcula vixerunt, sed qui floruere sub ipsis inter quatuor aut quinque primis Ecclesiæ sæculis, quibus, ex hæreticorū quoque præsentium confessione, vera fuit & incorrupta Doctorū auctoritas, explicatio & doctrina. Inter plures verò quos adducere possemus Auctores, hi quinq; sufficient, S. Isidorus Hispalensis in Hispaniâ Episcopus, S. Ioannes Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus, S. Gregorius Nyssenus, Tertullianus, atque ipse D. Pauli discipulus, S. Dionysius Areopagita; qui vtique Scriptores omni sunt exceptione maiores.

Ex hisce est oratio pro defunctis.

E primitiua Ecclesia idem pluribus probatur.

2. S. Isidorus, *Sacrificium,* inquit, *pro defunctorū requie offerri, vel pro eis orari, quia per totū hoc orbē custoditur, credimus, quòd ab Apostolis traditum sit. hoc enim vbiq; Catholica tenet Ecclesia.* S. Ioānes Chrysostomus, *Non frustrà ait, ac temerè instituta sūt eleemosyna & oblationes pro mortuis, Ecclesiæq́; Dei à sapientissimis eius discipulis tradita.* S. Gregorius Nyssenus: *Nihil inconsultò & incassùm à Christi præconibus & discipulis proditum est: & in omnibus Dei Ecclesiis obtinuit, vti videlicèt inter cetera, in diuino & splēdido Sacrificio eorum qui fide rectâ discesserunt memoriā agamus.* Tertullianus præterea inter multas quas enumerat Ecclesiæ traditiones, hanc profert, ad animarū in Purgatorio existentium subsidiū pertinentem: *Oblationes pro defunctis annuâ die facimus.* & infrà: *Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarū, nullam inuenies; traditio tibi prætenditur auctrix, itemq́; ab Apostolis eas esse consuetudines docet.* Deniq; S. Dionysius Areopagita, referens solēnem modum quo sepeliebantur fideles, ita ait: *De prædictâ precatione, quâ Antistes super defuncto precatur, quenā ad nos peruenerit à diuinis Ducibus nostris traditio, dicere necesse est.* Hactenus illi grauissimi atq; antiquissimi Scriptores.

Lib. 1. de Officio Eccles. cap. 16.

Homil. 3. ad Pop.

Orat. pro Defunct.

Lib. de Corona militis

De Ecclesiast. hierarc. cap. 7.

3. Sed mecum porrò ad peculiares quoque Apostolorum mores descendite, videbitis primùm S. Petrum, Apostolorum atque adeò totius Ecclesiæ Principem, inter alia virtutum exercitia commendasse, vt Christiani egenos, non solùm qui superuiuerent, sed mortuos etiam precibus ac eleēmosynis suis iuuarent. sic enim de illo scribit S. Clemens Romanus: *Quotidiana illius prædicatio inter cetera diuina mandata hæc erat,* &c. *Quantum vnusquisque sapit & potest, totis intimi cordis visceribus Deum diligere, & proximum velut seipsum,* &c. *pauperes recreare, nudos vestire, infirmos visitare, sitientes potare, mortuos sepelire, & diligenter eorum exequias peragere, pro eisq́; orare & eleemosynas dare.* Quid vel pulchrius, vel clarius, vel etiam solidius dici queat? *Quotidiana,* inquit, *illius,* id est D. Petri, *erat exhortatio.* Nimirum non sæpè solùm, aut aliquando ad hoc fideles excitabat, sed quotidiana illius erat hæc exhortatio, vt mortuos sepelirent, & diligenter eorū exequias peragerent, pro eisq; orarēt, & eleēmosynas erogarent. Non solùm ait, exhortabatur vt mortuos sepelirent, eorumq; exequias diligenter peragerēt; sed etiam vt ritè sepulto corpore, pro animâ orarent, atque eleēmosynas distribuerent. Nec ex suo solùm id instinctu (qui à Spiritu sancto tamē exoriebatur) monebat S. Petrus, sed ex Christi speciali commissione id agebat: quod satis indicant verba illa, *Inter cetera diuina mandata,* quæ nēpe à diuino suo Magistro acceperat, *hæc exhortatio erat.* vt satis modò pateat, eorum sententiam, quos antè docuisse diximus, Christum inter cetera mandasse, vt orationes eleēmosynasque pro defunctis à gentibus vniuersis requirerent, probatissimam esse, ab ipsisque veluti Apostolis, aut eorum saltem discipulis ac proximè successoribus auctoritatem suam habere.

Apostoli ipsimet in suis Liturgiis preces pro defūctis instituerunt & fecerunt:

S. Petrus.

Epist. 1. de S. Petro circa finem.

4. Ex eodē item S. Clemente de D. Iacobo Maiore, S. Ioannis Euangelistæ fratre ac Coapostolo, probatur, cum mortuorum curam, ac orationes pro illis faciendas cordi habuisse, cùm asserat, inter alias praxes, quas sub solemni Missæ officio solitus erat D. Iacobus vsurpare, vt fideles ad orandum excitaret, hanc fuisse. *Precemur,* ait, *pro iis qui in fide requieuerunt.* Paria habet idem S.

S. Iacobus Maior.

Lib. 1. Constitut. Apost.

Lib. 8. Const. Apost. c. 40. & 41.

S. Clemens de S. Iacobo Minore, etiam Apostolo ac fratre Domini appellato, qui ex eius Liturgiâ hæc transscripsit: *Pro defunctis qui in Christo requieuerunt, postquam Diaconus edixit orandum esse, ne eadem repetamus, adiunget etiam hæc: Oremus pro fratribus nostris qui in Christo requieuerunt, vt Deus, summæ erga homines charitatis, qui animam defuncti suscepit, remittat ei omne peccatum, voluntarium & non voluntarium, & propitius ac beneuolus ei factus, collocet eam in regione piorum, qui laxati sunt, in sinu Abrahæ, Isaac & Iacob, cum omnibus qui à sæculo condito Deo placuerunt, voluntatiq; eius paruerunt, vnde fugit dolor, mæror, & gemitus.* Et paulò pòst: *Ipse nunc respice hunc seruum tuum, quem in aliam sortem elegisti & assumpsisti, & condona ei si quid tum volens tum nolens peccauit; & exhibe ei Angelos beneuolos, & colloca eum in sinu Patriarcharum, & Prophetarum atque Apostolorum.* Iterùm:

Cap. 42.

Exequiæ mortuorum fiant tertio die, adhibitis Psalmis, lectionibus & precibus, propter eum qui tertio die à mortuis suscitatus est: die nono, ad recordationem eorum qui sunt superstites, & eorum qui sunt defuncti. Quadragesimo fiant secundum veterem typum (Moysen enim sic populus fleuit item anno exacto, ad habendam memoriam ipsius defuncti) & suppeditetur ex bonis eius pauperibus ad recordationem eiusdem.

5. O ex intimo corde profectum Apostoli affectum, qui & optimas & maximè rationabiles Ecclesiæ consuetudines, & eximias consolationes mortuorum confirmat! Constat nimirum inde, iam ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis non solùm, vt ex DD. Petro & Iacobo Maiore Apostolis modò probatum est, preces factas & eleëmosynas erogatas esse pro mortuis, sed & diem nonum, quadragesimum, atque ipsum etiam anniuersarium fuisse celebratum.

Eleemosynas pro mortuis erogandi mos qui in finem ab Apostolis introductus.

Quod vt nullo alio fine factum fuisse æquè euidenter constet, quàm vt defunctorum animæ, si fortassè in Purgatorij tormentis hærerent, per fidelium deuotiones inde eriperentur; non erit à proposito alienum, si etiam sequentia Apostoli verba adiungamus, quibus id apertè insinuatur. *Sed hæc, inquit, de piis dicimus. Impios enim, tametsi omnia bona externa pro eis largiaris, iuuare nihil queas. Cui enim viuo inimicus fuit Deus, haud dubium quin sit etiam defuncto. Non enim iniustitia est apud Deum. Iustus Dominus, & iustitias dilexit. Ecce homo, & opus eius.*

Conuiuia in defunctorum exequiis ad quem finem fiant.

Habet præterea idem Apostolus egregiam instructionem pro istis qui vocari solebant ad conuiuium quod in mortuorum exequiis celebrari consueuerat. Verba eius hæc sunt: *Qui verò in exequiis mortuorum ad epulum funebre vocati estis, ordine, & cum timore Dei epulamini, vt possitis preces pro defunctis exhibere Deo.* Quàm ergo nunc præposterè doctrinam hanc Apostolicam obseruant, & antiquissimam ac laudatissimam Ecclesiæ traditionem violant, qui sic ad funerum conuolant conuiuia, vt non modò non orent pro defunctis, sed ipsos rationis limites, & temperantiæ metas ita prætergrediantur, vt gratiâ Dei atque spirituali vitâ excidant.

Modernus abusus taxatur.

6. Præter hæc à D. Clemente citata loca, habet idem S. Iacobus Minor alia in Liturgiis suis quæ huic rei non modicè faciunt. Refert nimirum varios modos, quibus Sacrificij Missæ tempore pro animabus fidelium defunctorum orari solebat. En ipsa eius verba: *Et fac vt oblatio nostra acceptabilis sit, sanctificata in Spiritu sancto, in propitiationem nostrorum peccatorum, & ignorantiarum populi, & in requiem animarum eorum qui ante dormierunt.* Atque hæc proferri solebant à Sacerdote, qui post nonnulla interiecta subiungebat: *Memento Domine Deus spirituum & vniuersæ carnis, quorum memoriam egimus, & quorum memoriam non egimus Orthodoxorum, ab Abel iusto vsque in hodiernum diem. Ipse ibi eos fac requiescere in regione viuentium, in regno tuo, in deliciis paradisi, in sinu Abrahæ, & Isaac, & Iacob, sanctorum Patrum nostrorum; vnde exulat dolor, tristitia & gemitus; vbi lustrat lumen vultus tui, & refulget perpetuò.* Hactenus D. Iacobus orationes illas expressit quæ recitandæ erant ab ipso Celebrante, præter quæ sua etiam Diaconus proferebat, primùm dicere solitus: *Pro omni animâ Christianâ afflictâ & vexatâ, misericordiæ & auxilij Dei indigente, & pro conuersione orantium, sanitate infirmorum, liberatione captiuorum; pro requie antè defunctorum, & patrum & fratrum, Dominum oremus.* Et longè infrà, postquam iterùm sua, quæ retulimus, dixerat Sacerdos, Diaconus subiungebat: *Pro requie patrum & fratrum nostrorum qui ante nos dormierunt, dicamus omnes toto animo, Domine miserere.*

S. Iac. Minor porrò defunctorum per orationes commendationem commendat.

Haud minor fuit aliorum Christi Apostolorum & discipulorum erga defunctos affectus: Matthæus enim Euangelista in Liturgiâ suâ, quæ habetur in Bibliotheca Patrum, profitetur, Sacerdotis coadiutorem ita orare solitum: *Memento Domine dormientium Principum, Pontificum, Regum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, & ministrorum tuorum, parentum nostrorum, & omnium in rectâ fide quiescentium.* Et non multò pòst ita orat Sacerdos: *Memento Domine Regis nostri, & omnium Regum & Christianorum, parentum, famulorum famularumq; tuarum, fratrum & sororum, omnium fidelium dormientium, & in signo rectæ fidei quiescentium.* Et rursum infrà: *Memento iterùm, Domine, verborum tuorum, pro illis qui se orationibus nostris commendauerunt quando oramus ad te. Domine Deus noster, memento dormientium, & in rectâ fide quiescentium; & concede infirmis sanitatem, quia tu es vita, spes, liberator, & resurrectio omnium.* Ecce quomodo S. Matthæus paria suis Coapostolis habeat, atque insuper speciatim exprimat, pro quibus defunctorum animabus orandum sit.

Idem facit etiā S. Matthæus Euangelista.

Idem etiam reperias in Liturgiâ S. Marci, quæ itidem in Patrum Bibliothecâ extat, vbi refertur, Sacerdotē inter alia sic orare fuisse solitum: *Animabus parentum & fratrum nostrorum, qui anteà Christi in fide obdormierunt, dona requiem, Domine Deus noster.* Et paulò pòst hæc habentur: *Diaconus legit τὰ δίπτυχα, hoc est sacras tabulas, quibus defunctorum catalogus continetur. Sacerdos autem inclinans se apprecatur: Et horum omnium animabus dona requiem, dominator Domine Deus noster, in sanctis tuis tabernaculis, in regno tuo, largiens eis promissionum tuarum bona, quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparasti Deus diligentibus sanctum nomen tuum: eorum, inquam, animabus dona requiem, easq; regno cælorum dignare.* Ita S. Marcus in suâ Liturgiâ, quæ satis indicat, quanta Apostolorum tempore fuerit defunctorum cura, vt nimirum sub publico Missæ Sacrificio legeretur catalogus nominum illorū qui obierant. O quanta hodie hac in parte negligentia! Quis, quæso, modò vel priuatim secum descri-

Et S. Marcus. Tom. 6.

descriptum habet catalogum eorum à quibus beneficia magna recepit dum viuerent? Verè de hoc dici posset, siquis is est:

Rara auis in terris, nigroq́; simillima cygno.

7. *Quæ cærimoniæ in defunctorũ exequiis obseruarētur tempore S. Dionysij Areopagitæ.* Veniamus ad S. Dionysium Areopagitam, D. Pauli magnum, & tanto Magistro dignissimum discipulum, qui fusè refert solemnes cærimonias suo tempore in defunctorum exequiis obseruari solitas, speciatim verò de precatione pro recens defuncto hæc habet inter alia: *Posteà accedens diuinus Præsul precem sacram super defuncto peragit: quâ finitâ, ipsemet Antistes eum salutat, ordineq́; deinceps suo omnes qui adsunt. Rogat itaque precatione illâ diuinam bonitatem, vt defuncto peccata omnia dimittat, quæ per humanam infirmitatem contracta sunt, eumq́; in lucem sanctam ac viuorum regionem transferat, & collocet in sinu Abrahæ, Isaac & Iacob, in loco à quo dolor & tristitia gemitusq́; aufugiunt.* Et paucis interiectis: *Sinus autē, meâ quidem sententiâ, sunt beatorum Patriarcharum ceterorumq́; Sanctorum diuinissimæ beatissimæq́; quietis sedes, quæ viros omnes deiformes excipiunt in suâ insenescibili beatissimaq́; consummatione.* Et mox: *Fortassis autem, ista quidem, inquies, rectè à nobis dici, dubitare tamen te, cuius rei gratiâ diuinam clementiam Antistes deprecetur, poscens defuncto dari veniam peccatorum, & æqualem deiformibus viris lucidissimam sortem. Nam si quilibet à diuinâ Iustitiâ recipiat retributionem eorum quæ in vitâ præsente siue benè siue malè gessit, defunctus autem in hac vitâ suas compleri actiones, quænam Antistitis deprecatio ipsum ad aliam, quàm in hac vitâ meritus est, quietis retributionem transferre possit? Equidem probè scio, Scripturis consentiens, cuilibet pro meritis sortem reddendam esse. Conclusit enim, inquit, Dominus apud se, & refert vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Iustorum autem preces etiam in hac vitâ, nedum post mortem, iis solis prodesse qui sanctis precibus digni sunt, veræ nos Eloquiorum traditiones docent.* Ita S. Dionysius, interpretante R. P. Balthasare Corderio è Societate IESV Doctore Theologo; qui & ipse Sanctus satis declarat, ab Apostolis traditum fuisse vt preces pro defunctis funderentur, haud ita longè posteà sic inquiens: *De dictâ porrò precatione, quam Antistes super defuncto facit, diuinorum nostrorum præceptorum traductam ad nos traditionem exponere necesse est.* Et haud longè iterùm post: *Quamobrem defunctis improbis nequaquam istiusmodi precatur, non solùm quòd interpretis officium in hoc violaret, atque præsumptuosè sibi quidquam munerum Pontificalium arrogaret, ab auctore mysteriorum minimè motus; verùm etiam quòd impiâ petitione frustraretur, & à iusto prorsus eloquio etiam ipse meritò audiens: Petitis, & non accipitis, quia malè petitis.* Sic magnus ille Galliarum Apostolus: è cuius dictis manifestè elicias, sacras pro defunctis Ecclesiæ preces, & solemnes ritus, non solùm esse ab Apostolorum doctrinâ & traditione, sed & à Scriptura sacrâ suam deriuare originem; easque non prodesse eis qui in gratiâ Dei vitam non finierint.

De Eccles. Hierarch. cap. 7. §. 4. — §. 5. — §. 6. — Eodem §. — §. 7.

8. *In Scripturâ sacrâ defunctos curandi ritus describuntur.* A Scripturâ, inquam, sacrâ suam originem deriuant, cuius egregia testimonia hic adscriberem, nisi ea primo Libro frequentiore numero attulissem. Ne tamen nihil protulisse, aut proferre potuisse videamur, en, vt Catholicum Lectorem ad orandum pro mortuis excitemus, quod ad rem nostram facit, repetimus. Primi igitur Christiani, quod à Magistris suis Apostolis fieri viderant, strenuè æmulati, studij sui specimen in curando S. Stephani protomartyris funere dederunt, de quo ita Scriptura: *Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.* Act. 8. Quis ille virorum timoratorum seu Deum timentium planctus? Haud alius sanè, quàm operũ pœnitentialium & carni molestorum exercitium, quò nimirum ieiunia, cilicia, aliæque austeritates, impetrandæ à Deo misericordiæ accommodæ, assumuntur. *Plange,* inquit Scripturâ, *quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ.* Et infrà. *Accingite vos, & plangite Sacerdotes, vlulate ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei; quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium & libatio. Sacrificate ieiunium, vocate cœtum, congregate senes omnes habitatores terræ in domum Dei vestri.* *Planctus super defuncto.* Ioel. 1. Vides sub nomine planctus etiam ieiunia comprehendi? audi Zachariam Prophetam disertiùs & explicatiùs loquentem. *Numquid,* ait, *flendum est mihi in quinto mense, vel sanctificare me debeo, sicut iam feci multis annis? Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens: Loquere ad omnem populum terræ, & ad Sacerdotes, dicens: Cùm ieiunaretis & plangeretis in quinto & septimo mense,* &c. Zach. 7. Nemo ergo prudens negauerit, eos qui plangebāt simul solitos fuisse ieiunare, ad quod amplius explicandũ facit quoque ille Isaiæ locus: *Numquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? numquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? numquid istud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino?* Isaiæ 58. Sed hisce non ampliùs immoramur, ad ea vnde deflleximus reuertimur.

Cuius finis fuit, quies & refrigerium defuncti. Luctum igitur & afflictionis opera, ab Israëlitis olim, & postmodum à Christianis pro mortuis assumpta, finem habuisse solatium & refrigerium eorumdem, D. Paulus Apostolus edocere poterit, cuius hic est locus: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? vt quid & baptizantur pro illis?* 1. Cor. 15. Duo hinc elicio. Primum, baptizari idem esse quod affligi, plangere, lugere; alterum, id fieri pro liberatione ac solatio mortuorum. *Baptizari in Sacris pro affligi & cruciari ponitur.* Ad prius quod attinet, res est manifesta; quia sic exposuerunt sancti Patres, & alia Scripturæ loca in idipsum conspirant. E Patribus locum illum sic exposuerunt *a* S. Ephræm, *b* Ven. Petrus Abbas Cluniacensis, Dionysius, Hugo, & alij plures Interpretes sacri. E Scripturis habemus testimonium Christi Redemptoris, qui dum de suâ passione cum Zebedæi filiis sermonem misceret, eosque interrogaret, an & ipsi pati vellent, his vsus est verbis: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Luc. 12. Alibi quoque de eadem passionis suæ loquēs tolerantiâ. *Baptismo,* inquit, *habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur illud?* Marc. 10. En hic affligi, pati, plangere & contristari, per baptismum & baptizari explicantur. Quod quàm rectè factum sit, intelligere poterit, qui quid SS. Basilius, Hieronymus, Gregorius, Nazianzenus, Beda, & alij in hunc locũ scripserint, inspexerit. Alterum quod colligebamus, nimirum afflictionem, luctum & tristitiã à fidelibus assumpta fuisse pro mortuorum consolatione, apertissimè indicatur illis verbis Apostoli: *Si omnino mortui*

a In Testamento. *b* Lib. contra Petro-Brusianos.

Planctus pro defunctis assumptus non est frustrandus.

tui

tui non resurgunt, vt quid & baptizantur pro illis? quasi dicat, Vt resurgant, seu potiùs citiùs resurrectionis participes fiant mortui, viui pro eis baptizantur, affliguntur, pœnas sibi inferunt: alioquin nisi hoc fieret, frustrà baptizarentur viui aut sese discruciarent.

9. Luc. 8. Alia exempla Euangeliorum nobis libri suppeditant, quorum primum hoc sit. Cùm mortua esset Archisynagogi Iaïri filia, *flebant omnes*, inquit Euangelista, *& plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere: non est mortua puella, sed dormit.* De (Ioann. 11.) Mariâ Magdalenâ dicebant Iudæi: *Quia vadit ad monumentum vt ploret ibi.* adeoque ad idem faciendum, tametsi vt illam consolarentur venissent, commoti sunt. Quâ item pompâ frequentiaque ad sepulturam funera Iudæorum deferrentur, apud S. Lucam describitur. (Luc. 7.) *Defunctus efferebatur, ait, filius vnicus matri suæ, & turba ciuitatis multa cum illâ.* De locis ad sepeliendos homines destinatis accipi potest illud Matthæi; *Consilio inito, emerunt ex illis*, nimirum denariis quos Iudas proditor in templum abiecerat, *agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.* Ergo etiam impij Pharisæi & Sacerdotum apud Iudæorum populum Principes in hac funerum curandorum pietate argumenta relicta sunt, vnde eò turpiùs confundantur hæretici, qui prædictum officium contemnunt; & excitentur Catholici, qui plus æquo hactenus negligentes fuerunt. At vel vna sacratissimo Christi Saluatoris corpori exhibita cura sufficere nobis poterat. Scio equidem, & probè scio, non indiguisse Redemptorem vllâ post mortem suam consolatione, non indiguisse pœnis liberatione, quia ab illis eum teneri omnino erat impossibile: tamen ea quæ sepeliendò eius corpori, aut iam sepulto, quò illud ampliùs coleretur, fuerunt adhibita, nostris probationibus inseruire possunt, cùm nos doceant, quid mortuis fieri soleat & debeat; & Christo ipsi adeò grata & accepta fuerint, vt singulare ei officio elogium profari dignatus fuerit. *Quid molesti estis*, inquiebat discipulis suis Mariæ Magdalenæ erga Christum studium cauillantibus, *huic mulieri? opus enim bonum operata est in me. nam semper pauperes habetis vobiscum: me autem non semper habebitis. Mittens enim hæc vnguentũ hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo, dicetur & quòd hæc fecit, in memoriam eius.* Et tu mihi vide, quàm excellenter Deus officium illud, quod mortuo sibi tres Mariæ exhibuerant, remuneratus fuerit. (Marc. 16.) *Cùm transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valdè manè vnâ sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam sole. Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valdè. Et introëuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candidâ, & obstupuerunt. Qui dicit illis: Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hic*, &c. Visione vtique Angelicâ dignatæ sunt, primùm omnium, etiam ante prędilectos & prælectos Apostolos, sublimissimum Resurrectionis & fidei Christianæ præcipuum mysterium agnouerunt, illorumque qui futuri erant totius orbis Doctores, in tantâ re doctrices seu Apostolæ fieri promeruerunt. De quibus quandoquidem alibi multis egerimus, finem nobis faciat egregia D. Augustini sententia, dum sic ait: *Sit tibi pro viribus cura sepeliendi, & sepulchra constituendi: quia & hæc in scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt. Nec solùm in corporibus Patriarcharũ aliorumq́, Sanctorum, & humanis cadaueribus quorumcumque iacentium, verùm etiam in ipsius Domini corpore prædicati atque collaudati sunt qui ista fecerunt.* Possent insuper alia, quæ huc spectant, adferri, de iis verò abundè agit Liber I. nec ea hic repetere opus est.

Locus honestus sepulturæ semper destinatus fuit. Matth. 27.

Christus ipse sollicitudinẽ circa defunctorum corpora approbauit. Matth. 26.

Serm. 32. de Verbis Apost. cap. 1.

Ceterùm affectum illum quo non solùm Apostoli, sed & ipsemet illorum Magister Christus Iesus prosecutus fuit mortuos, probè admodum imitata est illius sponsa sancta nostra Mater Ecclesia, hæc namque tum sub Missæ Sacrificio, tum sub aliis diuinis officiis varia ordinauit, quibus Purgatorij animabus æterna requies expetitur ac obtinetur. Ad Missæ Sacrificium quod attinet, de fide inprimis est, atque indubitatæ veritatis apud Orthodoxos, vtiliter offerri Missæ sacratissimam oblationem pro fidelibus defunctis. patet id inter cetera ex œcumenico ac generali Concilio Tridentino, in quo sessione 22. tertius Canon habet: *Si quis dixerit Missæ Sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in cruce peracti, non autem propitiatoriũ: vel soli prodesse sumenti: neque pro viuis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.* quid clarius? quod & ex ipsâ Apostolorum traditione in Ecclesiâ vsque in hodiernum diem perdurasse idem sacrosanctum Concilium definit, dum prædicta sessione capite 2. asseruit: *Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia dimittit, vna enim eademq́, est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione diuersâ; cuius quidem oblationis cruentæ, inquam, fructus per hanc incruentam vberrimè percipiuntur, tantùm abest, vt illi per hanc quouis modo derogetur. quare non solùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè, iuxta Apostolorum traditionem, offertur.* Quid quòd & in solemni Presbyterorum consecratione verbis huiusmodi vti consueuit Ecclesia: *Accipe potestatem consecrandi corpus & sanguinem Christi, Missasq́, celebrandi tam pro viuis quàm pro defunctis in nomine Domini.* Quapropter & sub Missæ ipsius Sacrificio, aliquantulo temporis post sacram Consecrationem, præsente nunc corpore ac sanguine sacratissimo Saluatoris, specialis fit mortuorum memoria, pro quâ Canonis sacri sũt verba: *Memento etiam Domine, famulorum, famularumq́, tuarum N. & N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis* (iungit manus, orat aliquantulùm pro iis defunctis, pro quibus orare intendit, deinde extensis manibus prosequitur:) *ipsis Domine & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerij, lucis & pacis, vt indulgeas deprecamur, &c.* Vtque nulli dubium remaneat, omne etiam atque vnumquodque sacrificium quod in Ecclesiâ celebratur offerri pro mortuis, non immeritò hic adiungi poterunt verba illa quibus continetur Sacrificij Offertorium 10.

Ecclesia declarauit esse de fide mortuis prodesse Missæ Sacrificium.

In Missâ defunctorum fit memoria.

torium in hunc modum: *Suscipe sancte Pater, omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo viuo & vero, pro innumerabilibus peccatis & offensionibus & negligentiis meis, & pro omnibus circumstantibus, sed & pro omnibus fidelibus Christianis viuis atque defunctis: vt mihi & illis proficiat ad salutem in vitam æternam. Amen.* Neque hæc ipsa generaliter quodammodò pro mortuis vota, Ecclesiæ suffecerunt, adiunxit & speciales pro iisdem ritus, propriis nimirum Introitu, Orationibus, Epistolà, Graduali, Euangelio, Offertorio, Postcommunioneque assignatis, imò & insigni ante Euangelium adiunctà Sequentià: *Dies iræ dies illa*, &c. quæ quemadmodū præcedentia, quia reperiri facilè possunt in Missali Romano, eadem Lectori ibidem legenda relinquimus, vbi & videbit quomodo specialia ordinata sint, quæ dicantur in Commemoratione fidelium animarum, quæ in obitu Pontificum vel Sacerdotum, quæ in obitu aliorum, quę in Anniuersariis, quæ demum in Missis defunctorum quotidianis. Hæc de iis quæ spectant ad Sacrificium pro mortuis offerri consuetum: modò nonnihil etiam loquamur de huiusmodi, quæ sub aliis diuinis officiis atque Horis Canonicis, pro defunctis facienda ordinauit Ecclesia. Omnes ferè Horæ terminari solent cum hac clausulà: Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. & rectè hacce clausulà terminari cōsueuerunt Horæ, vtpote quò notissima nobis & recentissima illorum maneret memoria; quam quia vel omittere Christianū non decet in fine diei, iuxta nōnullorum interpretationem ab Ecclesiâ in Completorio eadem defunctis apprecandi forma ex professo fuit omissa. Cuius alij rationem reddunt, quòd nemo vel aliquantulùm saltem pius, sub vesperam antequam sese det quieti, non apprecetur mortuis requiem sempiternam. Quidquid de hoc sit; in omnibus præterea reliquis precationibus Ecclesiæ, locum suum sortitur Defunctorum commendatio. In Litaniis omnium Sanctorum ita legitur: Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris. Te rogamus audi nos. & infrà: Oremus pro fidelibus defunctis. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Requiescant in pace. Amen. Itemque posteà subiungitur Oratio propria & particularis defunctis: Fidelium Deus omnium conditor & redemptor, &c. sed & Oratio pro viuis mortuisque communis: Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum dominaris simul & mortuorum. ac denique rursum pro conclusione: Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen. En quinies hìc pro Purgatorij animabus renouata memoria: quod & vetum similiter esse in aliis Ecclesiæ precandi formis, inquirenti patebit; nobis ad sequentia festinantibus, istud sat erit exemplum, præsensque Caput finire licebit cum Psalmis Gradualibus & defunctorum Officiis, in quorum primis magnam partem habet Animarum commendatio, in secundis totum. Gradualibus quinque prioribus Psalmis, Requiem æternam addendum est. Vers. A portâ inferi. Oratio, Absolue, quæsumus Domine, animas famulorum famularumq; tuarum & omnium fidelium defunctorum. iidemq; Psalmi singulis Feriis quartis per Quadragesimam in Choro dicendi sunt, iuxta Romani Breuiarij ordinationem: queadmodum & singulis Feriis secundis per Quadragesimam, itemque primis cuiusque mensis diebus non impeditis, ipsum Officium defunctorum; ad quod recitandum, ipsâ defunctorum solemni Commemoratione, omnes qui ad Canonicas Horas obligantur, obligatos esse, Sacra nuper Rituum Congregatio declarauit. Plura dici hìc possent, quæ commodiùs alibi referentur. Nobis suffecerit, ex allatis vidisse, Ecclesiam Catholicam Apostolicamve Apostolis eorumque discipulis, vti & Apostolorū Magistro, in promouendâ animarum è Purgatorio liberatione, conformem existere.

Quanam in Horis Canonicis pro mortuis recitanda sint.

Quid in Litaniis.

In Psalmis Gradualibus.

CAPVT XXXV.

Primitiuæ Ecclesiæ temporibus sollicita Christianorum erga purgandas animas cura extitit.

QVI proximè Redemptoris nostri Apostolos atque eorum discipulos tempore sunt insecuti, eorumdem in procurandâ mortuis requie zelum & feruorem egregiè etiam sunt imitati: quod vt factu iis euaderet facilius, variis ad populum exhortationibus vsi, & in adinueniendis proponendisq; deuotionibus studiosi fuerunt, vt non tantùm illa quę ab Apostolis acceperāt reuerenter obseruarent exacteque complerent, sed feruentiore quoque studio illa ipsa perficerent, & maiores indies fructus istinc colligerent. Ex quorum ardore vt nos frigidi, qui in Borealia ista tempora incidimus, accendamur, addere hìc illorum dicta & facta, è communi vsu futurum esse arbitratus sum. 1.

Primi statim Apostolorum successores pro mortuis orauerunt.

Abdias, vnus è septuaginta duobus Saluatoris nostri discipulis, ac primus Babyloniorum Episcopus, sic scribit: *Die sequenti, qui erat dies tertius à die mortis Drusianæ, cùm sanctus Ioannes, & vir mulieris Andronicus matutinis horis ad tumulum conuenissent vt sacra peragerent, ecce claues sepulchri non inueniebantur.* Vides ergo bone Lector, ab Apostolorum temporibus ad mortuorum tumulos conuenisse fideles vt ibidem sacra peragerēt, hoc est Missæ sacrificia celebrarent, quod mortuis exhiberi solitum officium Catholici sanè per singulas temporum ætates piissimè imitati sunt: cuius rei breue hic compendium subiicimus, vt non modò pluribus auctoritatibus, sed etiam exemplis fides nostra fulciatur. Pro animâ fratris Satyri Sacrificium obtulit B. Ambrosius, quemadmodum ex Oratione funebri constat, quam in obitu eiusdem habuit. Pro matre B. Augustini idem Sacrificium fuisse oblatum, idem testatur Augustinus. Sic D. Bernardus, cùm Verduni ageret in Galliâ, Sacrificium altaris obtulit pro Episcopo Ostiensi recèns defuncto, vt patet ex Vitâ eius. S. Gallus Abbas pro Columbano: pro Gallo Ioannes Episcopus Cōstantiensis. S. Seuerus Rauennēsis Episcopus pro Geminiano Præsule: Anselmus pro animâ Osberti, qui alieniore animo aliquando ab ipso fuerat. Præterea Hugo Episcopus Gratianopolitanus diem obitus patris atque matris dicitur celebrem fecisse tremendo Sacrificio, quod pro ipsorum salute offerebat,

2.

Li. 5. Histor. Apostol.

Ad defunctorum tumulos orationis causâ conueniebant.

Lib. 9. Confess.

Lib. 4. cap. 4.

In Vitâ eius ab Edinero Anglo conscriptâ apud Surū Tom. 2

rebat, quemadmodum testatur Guigo quintus Prior primæ Carthusiæ, dum Vitæ ipsius describit cursum. Et Vdalricus Episcopus Augustanus, cùm Adelbertum in prælio intellexisset occubuisse, primùm quidem corpus Augustam detulit, & honestæ sepulturæ mandauit; mox deinde spiritum per sacræ immolationis hostiam Deo rogauit esse cõmendatum. Ita Bernardus Agiensis in ipsius Vitâ: qui eumdem Romæ aliquando agentem, cùm nondum Episcopus esset, testatur Senioris animam Deo inter sacra orationum libamina commendasse. Et Embrichus Herbipolensis in Franconiâ Episcopus, quemadmodum in vitâ dilexit Babonem Bambergensem Episcopum, ita mortuum egregiis Christianæ pietatis officiis prosecutus est, humeros funeri subiecit, pro animâ defuncti publicè Missæ sacrificium obtulit,& cathedram conscendens,ad præsentes maximo numero auditores egregiam habuit orationem funebrem. Refert quoque Ven. Beda, Fratres Ecclesiæ Hagulstaldensis singulis annis pridie quàm Rex Oswaldus fuit occisus, conuenire solitos ad locum vbi crucem aliquando orationis causâ erexerat, ibique preces pro salute animæ ipsius, & victimam sacræ oblationis offerre.

In Vitâ Babonis apud Suriū Tom.4

Lib.3. Hist. Angl. de gestis Regis Oswaldi.

3. *Idem ritus obseruatus fuit tempore Tertulliani:*

Tertullianus, auctor grauissimus, & qui altero post promulgatum Christi Euangelium sæculo vixit, mirum in modum, debitum animabus officium inculcauit. Non enim satis ei fuit, consuetudinem orandi pro defunctis, atque illorum anniuersarium celebrandi, Apostolicam esse asserere, ac eam pro tali, vt ab omnibus completeretur, vrgere; sed etiam defuncti mariti viduam ita ad hoc obligatam esse declarat, vt si neglexerit mariti anniuersarium, quantum est ex parte suâ, censeri debeat ipsum repudiasse. *Enimuerò,* inquit, *& pro animâ orat, & refrigerium interim adstipulat ei, & in primâ resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis eius. Nam hæc nisi fecerit, verè repudiauit, quantum in ipsâ est.* Item alibi: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua facimus.* Sed & alio in loco asserit, mortuam quamdam, veluti supplicem, vt preces pro se fierent, protensis manibus exorasse. *Scio,* inquit, *feminam quamdam, vernaculam Ecclesiæ, post vnicum & breue matrimonium, cùm in pace dormiisset, & morante adhuc sepulturâ, interim oratione Presbyteri componeretur, ad primum orationis habitum, manus à lateribus dimotas, in habitum supplicem composuisse.* Quid circa hoc poterat dicere vrgentius Scriptor ille antiquissimus, vt & nos ad orandum pro defunctis permoueret?

Lib. de Monogamiâ.

De Coronâ militis. Lib. de Animâ.

4. *Origenis;* Lib.5. contra Celsum.

Origenes, & ipse antiquissimus auctor, de mortuorum corporibus curandis ita loquitur: *Humana corpora, vt animæ domicilia, & sanctiorum præcipuè, haudquaquam sunt reiicienda; quippe quæ ex optimatum legum permissu cum honoribus, qui haberi possunt, & sepulturâ dignantur.* Et alibi: *Rationalem animam honorare didicimus, & huius organa honorificè sepulchro demandare.* Idem porrò explicat, quænam charitatis officia adhibita fuerint pro spirituum ex hac vitâ decedentium consolatione. *Conuocantur,* inquit, *in anniuersariis diebus memoriæ, vel parentum defunctorum, vel amicorum, vel quorumcumque qui in fide decessissent, Sacerdotes simul & laici, atque in eo cœtu primùm mortuis, quòd in fide discessissent, gratulantur, & sibi pium & tranquillum exitum quisque precatur: posteà conferuntur eleëmosynæ vel oblationes, quæ in pauperes, pupillos, & viduas, qui simul tum adsunt, distribuuntur.* Eodẽ porrò in libro insignem habet locũ, quem, nisi apud Lectorem meũ fraudis reus haberi velim, omittere nullatenus possum. *Nos,* ergo inquit, *natiuitatis diem non celebramus, cùm sit dolorum atque tentationum introitus; sed mortis diem celebramus, vtpote omnium tentationum effugationem. Diem mortis celebramus, quia non moriuntur hi qui mori videntur. Propterea & memorias Sanctorum facimus, & parentum nostrorum vel amicorum in fide dormientium, deuotè memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam in fide consummationem postulantes. Sic itaque non diem natiuitatis celebramus, quia in perpetuum viuent ij qui moriuntur. Celebramus nimirum, Religiosos cum Sacerdotibus conuocantes, fideles vnà cum Clero inuitantes, adhuc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes; vt fiat festiuitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus quarum memoriam celebramus; nobis autem efficiantur in odorem suauitatis in conspectu æterni Dei.*

Lib.8. contra Celsum.

Lib.3. in Iob.

Eodem porrò cum Origene sæculo vixit ac scripsit sanctissimus & eloquentissimus martyr Cyprianus Carthaginensis Episcopus, qui loquens de duobus piè defunctis, *Sacrificia,* inquit, *pro eis semper, vt meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniuersariâ commemoratione celebramus.* Idem iterùm alio in loco proponit differentiam inter illud quod est à morte statim ad æternam gloriam euolare, & deputari Purgatorij pœnis, diuque, vt ipse loquitur, igne mundari, vnde & viuentes admonet vt sibi caueant ab his tormentis,& compassionem erga animas habeant quæ iisdem exercentur. Indicat denique, offerendum esse pro defunctis Sacrificium, non tamen pro illis, qui ad tutelam vel curam, testamentorum scilicet exequendorum, Clericum nominassent. Circa huius porrò Cypriani tempora vixit Eusebius Alexandrinus, qui & ipse filios admonet, vt parentum suorum defunctorum memoriam in oblationibus faciant, imò & fratrum, ac preces suas, ex obligatione nimirum naturali, debitas adimpleant. Loquitur autem hoc modo: *Memento in oblatione parentum & fratrum, qui iam è vitâ excesserunt: hoc enim faciendo, magnam requiem defunctis concilias. Comple tuas preces.* Sanctus prætereà Zenon, Veronensis Episcopus, vt tantò ampliùs Sacrificium Missæ defunctis prosit, admonet eum abusum corrigendum esse, quo aliqui inordinatâ suâ ex amissione amicorum tristitiâ, diminuunt, ne dicam planè impediant sacrosanctæ oblationis fructum. sic enim habet, eum solemnia ipsa diuina, quibus à Sacerdotibus Deo quiescentes commendari consueuerunt, profanis vlulatibus rumpere. Quibus consonat S. Petrus Alexandrinus, qui sic ait: *Erant plurimi eorum Monachi eremum incolentes, numero vigintitres, cum quibus paulò pòst Diaconus à dilectissimo fratre nostro Damaso, Romanæ ciuitatis Episcopo, deferens nobis consolatorias communicationis epistolas, manibus post tergum vinctis publicè ab ipsis speculatoribus ducebatur, velut aliquis reus insignis, & homicidarum verberibus coæquandus, lapidibusq; simul & plumbo ceruicibus eius laceratis, ad mare ductus est; & sicut illi, sine sumptibus, sine vllo solatio, in metallicum deportatus exilium. Cumq; index ille multos quoque infantium cruciasset, quidam eorum morientes,* neque

5. *Cypriani;*

Li.5. Epistolarum, c. 4. de vitâ S. Celerini. Epist. ad Antonian.

Epist. 66. ad plebem & Clerum Furnitanorum.

Eusebij Alexandrini;

Homiliâ de Dominicâ.

Zenonis Veronensis.

Serm. de Resurrect.

Petri Alexandrini; In Epistolis.

neque parentum neque fratrum exequiis solemnibus sunt potiti.

6\. Tertio sæculo refert Eusebius Cæsariensis, quid suo tempore circa defunctos apud Christianos in Catholicâ Ecclesiâ factum sit. *Iam populus,* inquit, *frequens vnà cũ Sacerdotibus, non sine lacrymis, & sanè magno cum gemitu, preces pro animâ Imperatoris Deo fundebant: in quo illi gratum atque optatum pro Principe officium præstabant, & Deus ipse singularem beneuolentiam ergà famulum suum ostendit.* Constat ex antiquissimis monumentis, Romæ in Sacello S. Mariæ Liberatricis apud Capitolium, ex concessione S. Siluestri I. altare esse priuilegiatum, & omnibus in eo celebrantibus ab illo esse concessum, vt vnam animam ex Purgatorio liberare possint. Vide Valentiam de Indulgentiis. Vixit eodem tempore S. Athanasius, qui indicat, super mortuos fidelium conuentus factos fuisse, atque ab illis oblationes Deo dicatas. *Quid ergo,* quærit, *num sentiunt aliqua beneficia etiam peccatorum animæ, cùm super illis fiunt conuentus, & peractiones bonorum operum, & oblationum?* Respondet: *Si non aliquo beneficio participarent ex illo, non vtique in curâ & exequiis eorum fieret commemoratio. At sicut vitis florescit extrà in agro, & odorem eius sentit in vase vinum reclusum, sicq; conflorescit & ipsum: ita intelligimus peccatorum animas participare aliqua beneficia ab exsangui immolatione & gratificatione pro ipsis factâ; sicut solus ordinat & præcipit, qui mortuorum & viuorum potestatem gerit, Deus noster.* Docet iterùm alibi, luminaria ad mortuorũ funera accendi debere. *Etiamsi,* inquit, *in aëre collocatus sit ille qui cum pietate diem extremum egit, tamen implorata Christi Dei ope, oleum ac ceram ad ipsius sepulchrum accendere ne recuses; grata enim hæc & accepta Deo sunt, ingensq; ab illo præmium referunt.* Eadem propemodum D. Athanasij verba habet & S. Ioannes Damascenus, quod argumento est, fidem hanc Purgatorij tum temporis non priuatam fuisse, aut aliquorum paucorum solùm, sed per totam Græcorum Ecclesiam viguisse, & scriptis editisq; libris propositâ & defensam fuisse. Spectaret ad hæc quoque tempora particularem illam diligentiam referre, quam passim in eremis sancti Patres atque eremitæ adhibuerunt in condendis sepeliendisque suis defunctis, eisque omni deuotionis & pietatis officio prosequendis; sed quia passim illa in eorundem Vitis referuntur, vnum solummodò hic inserendum est quod excellit.

Eusebij Cæsariensis. Lib. 4. de Vitâ Constantini Magni.

Athanasij: Quæst. 34. ad Principem Antiochenũ.

Etiam luminaria in funeribus olim accensa. Orat. pro illis qui vitâ excellerunt.

7\. Refert *a* Sozomenus & *b* Metaphrastes, quòd Marcianus Presbyter, vir vtique sanctus, noctu plateas obire solitus esset, vt velut alter Tobias mortuorũ cadauera quæreret, eaque aquâ ablutà, ac linteis inuoluta, terræ mandaret: pro quibus & eleëmosynas erogare consueuerat. Vnde vt Deus hoc sibi acceptissimum esse ostenderet, insigni id sæpè miraculo comprobauit. Accidebat namque, vt ipse mortuus, quem sepeliebat, cum D. Marciano loqueretur, ac veluti viuus (rem mirabilē, & illis dignam moribus & temporibus!) gratias ageret suo vespilloni; illeque valere iussus, iterùm in mortis somnum ac terram proruerer. Contigit autem, vt aurifaber aliquis monetam auream in minutam mutare à Marciano rogaretur: cumque is miraretur quòd intempestâ adeò nocte hoc peteret, & curiosus esset, vt sciret quid in eo mysterij lateret, misit famulum suum post virum sanctum, qui obseruaret quidnam illâ cum pecunia esset facturus. Primumque vidit, nummos istos ab eo in eleëmosynas erogari, ac posteà cauponis domum intrare, in quâ mortui corpus cœpit lauare, osculari, vestire, & sepelire. Neque hoc satis: conspexit etiam idem aurifabri famulus, S. Marcianum ab ipso defuncto vicissim osculo honorari, mortuumque, gratiis ei ingentibus habitis, ac Deo super ipsius pietate collaudato, iterùm in mortem oculos claudere, atque in terram recidere. Quapropter hic vir sanctus in maximo inde honore habitus fuit, multosque excitauit, vt simili quoque charitate mortuorum sepulturas ac iusta procurarent.

a Lib. 7. Hist. Eccl. c. 4 & 5
b In Vitâ Marciani.
Marcianus ergà defunctos pietas.

8\. Atticus Constantinopolitanus Episcopus hæc habet: *Itaque eâ re persuasus, nomen eius in album referri iussi. Mentio namque eius fit cum defunctis non solùm Episcopis, sed & Presbyteris, Diaconis, & laicis ipsis, mulieribusq;, cum quibus omnibus nobis Sacerdotij communio, aut earum rerum quæ in sacrâ mensâ percipiuntur, participatio non est. Magna est enim inter defunctos & superstites differentia.* De hoc Attico ita Socrates: *Atticus Episcopus causas Ecclesiæ sapientiâ mirabiliter disponebat, doctrinisq; populum ad virtutis studium prouocabat. Cumq; videret diuisam Ecclesiam, cùm Ioannitæ seorsim apud seipsos Sacra solemnia celebrarent, iussit vt in Orationibus memoria Ioannis haberetur, sicut aliorum dormientium Episcoporum consueuit fieri, per hoc sperans plurimos ad Ecclesiam reuocari.* Ceterùm, præstari, vt in prædictis patet, mortuis adiumentum per orationem, plura eorum qui suos præcessores in hoc probè imitati sunt, exempla docent. Procubuit Theodosius Iunior ad Reliquias S. Ioannis Chrysostomi, & pro animabus parentum suorum, Arcadij & Eudoxæ, iam defunctorum supplicauit, teste Theodoreto. Constantinus Magnus, vt habet Eusebius, voluit sepeliri in celebri templo, vt multarum orationum mortuus fieret particeps. Iosaphat, vt habet Damascenus, in hunc modum pro patre suo orauit: *Colloca eum in locum refrigerij, & in loco quietis, vbi lux splendet vultus tui; & ne memineris iniquitatum eius antiquarum, & secundùm magnam misericordiam tuam dele chirographum peccatorum suorum, & chartam criminum illius scinde.* De Macario sic scribit Palladius: *Pro consuetudine suâ pro defunctis preces fundebat Macarius.* De Theodoro Siceorum Archimãdritâ refert Gregorius Presbyter, quòd pro defunctæ matris salute Deo supplicarit. Cui argumento & illi seruiunt, qui viuorum orationes pro defunctis expetiuerunt, vt sunt, Ephrem Syrus, qui pro se mortuo expetiit fieri preces, quemadmodum ex eius Testamento manifestum est, & infrà ipsa verba recitabũtur. Eduardus Rex Anglorum, qui easdem sibi mortuo cupiuit impendi. S. Eusebia, quæ has sibi voluit præstari à suæ professionis sacris Virginibus, teste Metaphraste. Euphrasia vxor Antigoni, viri ditissimi Constantinopoli tempore Theodosij, quæ & se & maritum defunctum voluit esse commendatos precibus Euphrasiæ iunioris, prout apud Surium eius in Vitâ refertur. S. Cunegundis Imperatrix, quæ Congregationi cuidam scripsit, vt animam mariti defuncti, Henrici Imperatoris, Deo commendarent, & orationis alimoniâ reficerent, referente eodem Surio in eius Vitâ. Denique S. Paulinus Nola-

Epist. ad Cyrillũ Alexandrinum Episc. *Attici item tempore pro mortuis oratum est.*

Lib. 10. Hist. Eccles. cap. 2. *Quisnam ille Atticus & qualis fuerit.*

Theodosius Imp. pro parentũ suorum animabus orauit.

Lib. 5. Hist. cap. 18.

Lib. 4. in Vitâ eius.

Item S. Iosaphat.

In Vitâ eius.

Alij.

In Vitâ eius apud Surium Tomo 2.

Alredus in eius Vitâ.

Nolanus, qui animam fratris sui Delphini Episcopi orationibus commendat; quam & commendat S. Amando.

9\. *Tempore etiā à Basilij preces pro defunctis fiebant: & Cyrilli: Catecheſi 5 mystagog.*

S Basilius Magnus in suâ Liturgiâ introducit Sacerdotem sic orantem: *Memento* [Deus] *omnium prædormientium in spe resurrectionis vitæ æternæ*, &c. *in loco lucido, vnde aufugit tristitia & gemitus, fac eos quiescere Deus noster. Et fac eos requiescere vbi visitat lumen vultus tui.* S. Cyrillus Ierosolymitanus ita scribit: *Et hoc offerimus tibi sacrificium, vt eorum mentionem faciamus qui ante nos obdormierunt: primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus illorum orationibus & deprecationibus suscipiat preces nostras: deinde & pro sanctis Patribus & Episcopis qui ante nos dormierunt, atque adeò pro omnibus qui inter nos vitâ functi sunt; maximum fore credentes animarum leuamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, Sacrificij.* Alij quoque plures sancti Patres, vt DD. Gregorius Nazianzenus & Nyssenus, varias pro animabus orationes fuderunt. Iste quidem, dum sic ait: *Quòd si parua hæc & minùs digna existunt, scimus tamen Deo acceptum esse quidquid fit pro viribus. Et hæc quidem præstitimus, alia autem præstabimus, ac singulis annis nos, qui superstites sumus, honores hos instaurabimus, & defunctorum renouabimus memoriam. Verùm ô Domine omnium, nunc quidem Cæsariam suscipe; peregrinationis nostræ primitias, siue nouissimum primum, tuis concedimus rationibus, quibus omnia feruntur.* Hic verò dum sequentia nobis reliquit: *Interim dum hæc agebamus, fama nescio quomodo vndique diffusa omnes finitimos ad funus adduxit, adeò vt concurrentes vestibulum non caperet. Cùm igitur nocturna peruigilatio canendis Psalmis perfecta esset, & crepusculum aduenisset, & paulatim progrederetur dies, & locus præ confluentium multitudine angustius redderetur, surgens qui ei regioni præfectus erat Episcopus, Araxius nomine (aderat enim cum vniuersâ multitudine Sacerdotum) præcepit vt sensim procederet tabernaculum. Ego igitur feretrum subiens illum aduocaui vt alteram partem sustineret, posteriores verò feretri partes subierunt alij duo de Clero insignes viri. Ex vtraque autem parte præcedebat non exiguus Diaconorum ministrorumq́; numerus: qui omnes ordine progredientes, accensos cereos manibus gestabant*, &c. Quod ritè fieri, sic alio in loco probat, inquiens: *Nihil absque ratione & vtilitate à prædicatoribus & discipulis Christi traditum, & in omnibus Ecclesiis Dei prædicatum. Res autem modis omnibus vtilis, & Deo inprimis grata, in diuinis præclaris sacris operationibus eorum, qui in rectâ fide decesserunt, manifestam facere memoriam.*

Gregorij Nazianzeni, Orat. 7.

Gregorij Nysseni, Epist. ad Olympiam de obitu sororis suæ Macrinæ.

10\. *S. Ambrosij.*

Ambrosiū quin adiungam omittere nequeo. Is pro Satyro fratre suo in eius obitu sic orat: *Tibi nunc omnipotens Deus innoxiam commendo animam, tibi hostiam meam offero: cape propitius ac serenus fraternum munus, sacrificium Sacerdotis.* Et in Missali Romano hæc in prima Præparatoriâ ad Missam ex eo recitantur: *Rogamus etiam te sancte Pater pro spiritibus fidelium defunctorum, vt sit illis salus æterna, ac perpetua sanitas, gaudium & refrigerium sempiternum, hoc magnum pietatis Sacramentum. Domine Deus meus, sit illis hodie magnum & plenum gaudium de te pane viuo & vero, qui de cælo descendisti, & das vitam mundo, de carne sanctâ & benedictâ, Agni videlicet immaculati, qui tollis peccatum mundi.* Et paulò pòst: *ita vt placide ac benignè Sacrificium suscipias de manibus meis ad salutem omnium tam viuorumquàm defunctorum.* Nec hoc ei sufficiebat, sed eumdem zelum etiam alijs exhibuit, præsertim Theodosio & Valentiniano Impp. in quorum primi funere hæc litteris consignauit: *Eius ergo Principis & proximè conclamauimus obitum, & nunc quadragesimum celebramus, assistente sacris altaribus Honorio Principe. quia sicut S. Ioseph patri suo Iacob quadraginta diebus humationis officia detulit, ita & hic Theodosio patri iusta persoluit.* Et posteà Deum pro eius animâ deprecatus ait: *Dilexi, & ideò prosequor eum vsque ad regionem viuorum, nec deseram, donec fletu & precibus inducam virum, quò eum sua merita vocant, in montem Domini sanctum, vbi perennis vita.* Alibi spondet, se & pro Gratiano & pro ipso Valentiniano, vtroque vitâ functo, orare neutiquam cessaturum. *Beati ambo*, inquit, *si quid meæ orationes valebunt. Nulla dies vos silentio præteribit, nulla inhonoratos vos mea transibit oratio, nulla nox non donatos aliquâ precum mearum contextione transcurret: omnibus vos oblationibus frequentabo.* Atque alios insuper ad idem faciendum sedulò hortatus est, præcipuè Faustinum, ad quem super sororis eius obitu consolandum sic scripsit: *Itaque non tam deplorandam, quàm prosequendam orationibus reor; nec mœstificandam lacrymis tuis, sed magis oblationibus animam eius Domino commendandam arbitror.* Hæc D. Ambrosius, quem & alij strenuè imitati sunt.

In obitu Theodosij.

Orat. pro Valentiniano.

Ephrem, cuius paulò antè meminimus, hæc habet: *Ego Ephrem morior: notum igitur sit vobis omnibus, ô viri Edesseni; testamentum enim vobis relinquo monumenti, symbolum doctrinæ veritatis, ex eâ quæ mihi gratia impartita fuit, vt in orationibus mei memoriam faciatis, scientes & cognoscentes me. Et nunc volens, fratres mei, admonere vos, & firmiter stabilire, vt post transitum meum assiduè in vestris orationibus mei memoriam faciatis. Accedentes nunc claudite mihi oculos, super eos manus vestras imponentes. Reminiscamini autem mei abiecti in piis & sanctis vestris orationibus, & assiduè pro meâ paruitate offerre dignemini.* S. Paulinus Nolanus, cuius itidem superiùs mentionem fecimus ita Amando scribit: *Ob hoc impensè rogamus, vt quasi frater (quod nobis in Domino esse digneris) vnanimes fratres iuuans, & hanc meritis fidei tuæ accumules mercedem, vt pro eo infirmitati nostræ compatiaris, & orandi labore conspires, vt misericors & miserator Deus, qui facit omnia in cælo & in terrâ, & in mari, & in abyssis, refrigeret animam eius stillicidiis misericordiæ suæ per orationes vestras.* Et rationem simul huius ritus reddens S. Epiphanius, sic ait: *In his qui vitâ functi sunt, ex nomine memorias faciunt, orationes ad Deum perficientes, ac cultus diuinos & mysteriorum dispensationes*, &c. *eò quòd sæpè dum in mundo sumus, fallimur & erramus, tum inuitè tum voluntariè, quo id quod perfectius est significetur. Et pro iustis & pro peccatoribus memoriam facimus: pro peccatoribus quidem, Dei misericordiam implorantes: pro iustis verò, vt Dominum Iesum Christum ab hominum ordine separemus*, &c. 11.

S. Ephremi, In Testamento.

Orat. de Verâ Ecclesiâ.

D. Ioannes Chrysostomus totus fuit in commendandis Purgatorij animabus, præsertim vt pro illis eleëmosynæ fierent. *Quòd si peccator*, inquit, *& qui sæpenumerò Deum offenderit, moritur, is deflendus est, vel potius minime, cum nihil afferat vtilitatis; sed ea facienda quæ ei aliquid conferre possunt, eleemosynæ & oblationes.* Et infra: *Vis mortuum honorare? Aliâ via aggrediendum est: fac eleemosynas, Liturgias.* 12.

S. Ioannis Chrysostomi, Homil. 61. in Ioan.

Homil. 22. super Acta. turgias. Pulcherrimè item alibi: *Est enim, est, si voluerimus illi leue supplicium. Itaque si preces pro illo facimus continuas, si eleemosynam damus, etsi illis indignus sit, nobis Deus placatior erit. Si per Paulum alios seruauit, & per alios aliis parcit; quomodo non & propter nos istudipsum faciet? Ex illius opibus, ex tuis, vnde volueris, iuua: instilla oleum, imò aquam. Non potest suas eleemosynas ostentare, licet cognatorum. Non habet eas quæ factæ sunt à se, tametsi factas pro se. Ita cum fiduciâ illum deprecabitur tunc mulier, pretium redemptionis pro eo deponens. Quò pluribus peccatis fuit obnoxius, hoc magis opus est illi eleemosynâ. Non propter hoc autem solum, sed quòd neque æqualem vim habet nunc, sed multò minorem. Non potest esse par, quod quis ipse facit, & quod per alium facit. Itaque cùm minor sit, ita multitudinem maximam faciamus illam. Non circa monumenta, non circa sepulchra occupati simus. Assiste viduas: hæc erit sepulchralis cura maxima. Dic nomen, omnes iube pro illo facere supplicationes & preces. Placabit hoc Deum, etiamsi non ab ipso factum sit, sed propter illum. Alius auctor sit eleemosynæ. Et hoc dogma est diuinæ misericordiæ, &c. Multas nobis Deus salutis dedit vias, modò ne negligamus.* O aurea aurei oris dicta, quibus Christiani, & languidi hoc tempore Catholici excitentur ad preces pro defunctis faciendas, & eleemosynas erogandas. Sed pergit ille eodem quo diximus loco, atque sic ait: *Hæc scientes, consideremus, quantas consolationes possemus mortuis, pro lacrymis, pro lamentis, pro monumentis, præstare; nempe eleemosynas, preces, & oblationes.* Neque hoc verò solùm loco Christianos ad id faciendum hortatur, sed & alibi, ne memoriâ iis excidat, crebriùs inculcat; ideoque aliâ in Homiliâ sic loquitur:

Homil. 41. in 1. ad Corinthios. *Eis ergo,* mortuis nimirum, *opem feramus, & commemorationem eorum peragamus. Si enim Iobi filios expiabat patris sacrificium; quid dubitas, an nobis pro eis qui excesserunt offerentibus, eis existat aliqua consolatio? Solet enim Deus etiam aliis pro aliis gratificari. Et hoc ostendebat Paulus, dicens: Vt ex multis personis, eius quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis. Ne nos pigeat opem ferre iis qui excesserunt, & pro eis offerre preces: est enim propositum orbis terræ commune piaculum.*

Homil. 3 in Epist. ad Phil. Denique sic ait: *Quomodo? quáve ratione?* scilicet eis prodesimus. *Cùm ipsi preces fundentes, tum alios vt pro ipsis fundant obsecrantes, ac pro ipsis perpetuò dantes eleemosynas pauperibus. Adfert hæc res aliquid solatij. Audi enim Deum ita dicentem: Protegam vrbem hanc propter me & seruum meum Dauid. Si sola iusti memoria tantum valuit; vbi opera præterea pro mortuo fiant, quid non poterunt?*

13. Addamus & Augustinum, magnum illum Doctorem, cuius doctrinam & auctoritatem magni facere velle videntur nostri aduersarij.

S. Augustini, Serm. 34 de Verbis Apostoli. Hic ergo sic scribit: *Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordiùs agatur à Domino quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis, qui in Corporis & Sanguinis Christi cõmunione defuncti sunt, cùm ad ipsum Sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum causâ opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est ista prodesse defunctis, sed talibus qui vixerunt ante mortem, vt possint hæc eis vtilia esse post mortem.* Posteà alio in loco sic ait: *Non igitur, quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt aduersa sententiæ, Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque secundùm ea quæ per corpus gessit, siue bonum siue malum: quia etiam hoc meritum sibi quisque, cùm in corpore viueret, comparauit, vt ei possent ista prodesse. Non enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt? nisi propter differentiam vitæ quam quisque gessit in corpore. Cùm ergo Sacrificia, siue altaris, siue quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarũ actiones sunt, pro non valdè malis propitiationes sunt, pro valdè malis, etsi nulla sint adiumenta mortuorum, qualescumque viuorum cõsolationes sunt.* Egregius est ille locus, & dignus qui iteratò hic inseratur, quo pro parentibus suis precatur, non tunc quidem recens, sed ante quinque vel sex lustra defunctis.

Lib. 9 Confess. c. vlt. *Nunc,* inquit, *pro peccatis matris meæ deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quæ pependit in ligno, & sedens ad dexteram tuam, te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, & ex corde dimisisse debita debitoribus suis; dimitte & tu illi debita sua, si quæ etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte Domine, dimitte, obsecro; ne intres cum eâ in iudicium.* Et paucis interpositis: *Namque illa, imminente die resolutionis suæ, non cogitauit suum corpus sumptuosè cõtegi, aut condiri aromatibus,* &c. *non ista mandauit nobis: sed tantummodò memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit, cui nullius diei prætermissione seruierat, vnde sciret dispensari victimam sanctam,* &c. *Sit ergo in pace cum viro, ante quem nulli, & post quem nulli nupta est: cui seruiuit, fructum tibi afferens cum tolerantiâ, vt eum quoque lucraretur tibi. Et inspira, Domine Deus meus, inspira seruis tuis fratribus meis, filiis tuis dominis meis, quibus voce & corde & litteris seruio, vt quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patritio quondam eius coniuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam.*

Sunt etiam alij præterea Patres, qui funera 14.
curandi cultum, suis temporibus in Ecclesiâ Catholicâ obseruatum, & preces pro eorumdem qui vitâ excesserant salute fieri solitas, luculenter nobis descripserunt, quos, ne quid vllius sæculi auctoritatis nostro Operi desit, tuæ, Lector, commoditati producimus.

Prudentij. Hymno de Martyribus. Et vide quàm egregiè canat Prudentius:

Hinc maxima cura sepulchris
Impenditur, hinc resolutos
Honor vltimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.
Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est,
Aspersaq; myrrha Sabæo, &c.

Theodoreti. In Philotheo. Theodoretus Cypri Episcopus sic scribit: *Pauperes quidam sociorum vnum quasi mortuum efferentes accedunt, rogantq; sibi dari aliquid quo illum possint sepelire. Ille quamprimum postulantibus obsecutus, statim pro mortuo Deum rogat, vt dimissis illi peccatis quæ dum viueret admisisset, eum in piorum numerum adsciscere dignaretur.*

Victoris Vticensis, Lib. 1. de Persecutione Wandal. Victor quoque Vticensis Episcopus quid Christianis solemne fuerit describit, quamuis aliâ occasione. *Etiam,* inquit, *quæ foras muros erant* (Basilicæ) *quascumque occupauit, & præcipuè duas egregias & amplas S. Martyris Cypriani; vnam, vbi sanguinem fudit; aliam, vbi eius*

cuntur, scilicet oratio, ieiunium, eleëmosyna, & Sacramentum altaris. Quòd si plura huius Lector desideret, quæ animarum Purgatorij materiam contingunt, locum iam adductum, & sequentia eiusdem libri capita perlegat, vbi de nullâ propè re aliâ disserit. Eadem quoque ætate floruit sanctimoniâ & pietate S.Eligius, qui non solùm fideles admonuit vt sibi à Purgatorij tormentis, dum adhuc viuerent, præcauerent, sed etiam totum se in animarum liberationem, corporumque sepeliendorum officium impendit. Cùm enim Episcopus esset, & Franciæ Regum intimus Consiliarius, in more positum habuit, reorum ex patibulis corpora deponere, ea terræ sacræ mandare, & ipsorum spiritus quà precibus quà operibus pœnitentialibus adiuuare. O magnum pietatis pristinæ ascetam! O vtinam & Belgæ nostri, sui Apostoli hac in re vestigia imitarentur, & non fidem tantùm Catholicam, sed & Christiana officia ab eo didicisse se ostenderent! Huic quoque annecto S.Germanum Constantinopolitanum Patriarcham, qui sic scribit: *Fit autem memoria apud Deum pro defunctis, & spiritibus, & omni carne, vt qui mortuorum & viuentium potestatem habeat, & dominetur super cælestibus, & terrenis, & subterraneis.* Et addit: *Conuocantur autem omnes eorum animæ cum Prophetis, & Apostolis, & Martyribus, vt vnà ingrediantur & recumbant cum Abraham, Isaac, & Iacob in mysticâ mensâ regni Christi.*

S. Eligij, Homil. 8. ad Clerum & populum.

S. Germani Constantin. Patriarchæ, In Theoriâ Rerum Ecclesiasticarum.

4\. *Beda Presbyter.*

Sæculo insequente vixit Ven. Beda Presbyter in Angliâ, qui in Historiâ suâ Anglicanâ varia animarum exempla refert, quæ multitudinem & magnitudinem tormentorum suorum testatæ sint: vnde omnes, qui eas legerint, adhortatur, vt in se erga eas compassionem excitent, eamque opere commonstrent. Hic simile quidpiam, quale suprà paulò hinc ex D. Gregorio retulimus, narrat: quod & hoc loco adscribimus, vt eiusdem rei varios testes habeamus. Sic ergo inquit: *In prælio Egfridi Regis contra Edilfredum Regem Merciorum, in quo occisus est Rex Ekuini, quiddam mirabile factum esse constat, quod nequaquam silentio prætereundum arbitror, sed multorum saluti, si referatur, fore proficiendum. Occisus est ibi inter alios de militiâ eius iuuenis vocabulo Imma. Qui cum die illâ & nocte sequente inter cadauera occisorum similis mortuo iaceret, tandem recepto spiritu reuixit, ac residens, sua vulnera, vt potuit, ipse alligauit. Deinde modicum requietus surrexit, & cœpit abire, sicubi amicos, qui sui curam agerent, posset inuenire. Quod dum faceret, inuentus est atque captus à viris hostilis exercitus, & ad dominum ipsorum, Comitem scilicet Edilfredi Regis, adductus. A quo interrogatus quis esset, timuit se militem Regis fuisse confiteri: rusticum se potiùs & pauperem, atque vxorio vinculo colligatum respondit, & propter victum militibus afferendum in expeditionem se cum sui similibus venisse testatus est. At ille suscipiens curam vulneribus egit, & sanescere cœpit, nocte eum, ne effugeret, vinciri præcepit, nec tamen vinciri potuit: nam mox vt abiere qui vinxerant, eadem horâ eius sunt vincula soluta. Habebat enim germanum fratrem Presbyterum & Abbatem Monasterij; qui cùm eum in pugnâ peremptum audiret, venit quærere si fortè eius corpus inuenire posset, inuentumque alium simillimum illi per omnia, putauit illum ipsum esse: quem ad Monasterium suum deferens honorificè sepeliuit, & pro absolutione animæ eius sæpiùs Missas facere curauit. Quarum celebratione factum est, vt nullus eum vincire posset, quin continuò solueretur. Intereà Comes qui eum tenebat, mirari & interrogare cœpit, quare ligari non posset: an litteras solutorias, de quibus fabulæ ferunt, apud se haberet, propter quas ligari non posset. At ille respondit, nihil se talium artium nosse. Sed habeo fratrem, inquit, Presbyterum in meâ prouinciâ, & scio quia ille me interfectum putat esse, & pro me Missas celebrari facit: & si nunc in aliâ vitâ essem, ibi anima mea per eius intercessionem solueretur à pœnis. Dumque aliquanto tempore apud Comitem teneretur, animaduerterunt, qui eum diligentiùs considerabant, ex vultu & sermonibus eius, quia non erat de paupere vulgo (vt dixerat) sed de nobilibus. Tunc secretò aduocans eum Comes, interrogauit intentiùs vnde esset, promittens se ei nihil facturum pro eo, si simpliciter sibi qui fuisset proderet. Quod dum ille faceret, ministrum Regis se esse manifestans; respondit Comes: Et ego per singula tua responsa cognoueram quia rusticus non eras: & quidem nunc dignus es morte, quia omnes fratres & consanguinei & cognati mei vniuersi in illa sunt pugnâ interempti; te tamen non occidam, ne fidem mei promissi perdiderim. Vt ergo conualuit, vendidit eum Lundoniam Tresoni cuidam; sed nec ab illo, nec cùm illuc duceretur, vllatenus alligari potuit. Verùm cùm alia vinculorum genera hostes imposuissent, dissoluta sunt. Cumque vidisset qui emerat, vinculis eum non potuisse cohiberi, donauit ei facultatem sese redimendi, si posset: à tertiâ enim horâ, quando Missæ fieri solebant, sæpissimè vincula soluebantur.*

Lib. 4. c. 22. de Gestis Anglorum.

Edilfredus Merciorum Rex Egfridũ prælio superat.

5\. *Tom. o… S. Ioannis Damascenus.*

Synchronus huic fuit S.Ioannes Damascenus, vir sui sæculi & regionis facilè doctrinâ & zelo pro Catholicâ fide clarissimus. Hic egregiam de functis vitâ Orationem conscripsit, in quâ plurium Sanctorum testimoniis solidissimè probat & constantissimè asseuerat, pro mortuis necessariò esse orandum. Duo inde testimonia transcribimus; reliqua Lectoris studio permittimus. Ait igitur ibi hunc in modum: *Diui Apostoli, discipuli Saluatoris, qui totum mundi circulum cepere, viuum prædicando Verbum quod suis oculis viderant, in tremendis & impollutis vitalibusque Sacramentis memoriam eorum, qui fideliter obdormiuerunt, habendam* EDIXERVNT. *Quod adhuc firmiter, atque adeò sine contradictione obseruat Apostolica & Catholica Ecclesia Christi & Dei, à finibus vsque ad fines terræ, ab eoque tempore, vsque in præsens, & vsque in finem mundi.* In eodem iterùm Sermone ita loquitur: *Hoc etenim est quod vult & consulit misericors Deus, nempe vt vicissim eos tam in vitâ quàm post mortem beneficiis prosequamur. Nisi enim hoc in oculis suis rectum foret, numquam occasionem dedisset habendæ memoriæ defunctorum in Sacrificio illo incruento. Sed neque trigesimorum, quadragesimorum & anniuersariorum, quæ nunc inconcussa & certiora sunt quàm de quibus iudicandum sit, Apostolica Catholicaque Ecclesia, ac populus à Domino collectus, pietatique deditus, absque omni contradictione custodit. Profectò si id friuolum & inutile opus foret, cùm tot Sancti diuinoque Spiritu pleni Patriarchæ, Patres ac Doctores fuerunt, vtique aliquis eorum ad errorem eiusmodi sopiendum incubuisset. At tantum abest vt quis vmquam subuertere tentauerit, vt confirmarint etiam, quotidieque magis atque magis huic operi studeatur, incrementumque adiiciatur incremento.* Alia quæ ibidem habet sanè quàm pulcherrima, & ad incitandos Christianos quoscumque, vt diligentiùs animarum liberationi operam suam nauent, aptissima & accommodatissima, hîc propter prolixitatem prætereo, & eum,

Serm. de His qui in fide dormierunt.

eum, quem ea nosse ac videre delectat, ad ipsamet Auctoris opera remitto.

6. Sæculo insequente vixerunt Haymo, Rabanus, Hincmarus, Amalarius, Strabo, Ioannes Diaconus, Christianus Druthmarus, Odo Cameracensis, & alij, qui suum Purgatorio adstruendo calculum adiecerunt, simulque tenerrimum quo erga animas ibi detentas afficerentur iuuandi studium in scriptis suis testatum reliquerunt. Horum omnium testimonia adscribenda sunt tum Catholicis firmandis, tum heterodoxis ruborem vt inducamus. Haymo ergo Halberstadensis inferiore Saxoniâ illustris Episcopus sic ait: *Qui leuia peccata attrahunt, purgantur ab illis, qui tribulationibus incenduntur, in hoc sæculo, vel post mortem in Purgatorio, vel aliâ afflictione, orationibusq; hominum expiantur? tamen quod sine illicito amore non habuerint, vtique sine vrente dolore non perdent.* Rabanus Moguntinus, Archiepiscopus hæc habet: *Quòd post exitum vitæ præsentis pro fidelium peccatis exorandum sit, & eleemosynarum opus agendum, quatenus hi, pro quorum remedio res agitur, à peccatis soluantur, & præsens locus ostendit, & in Euangelio Dominus, vbi de Spiritus sancti blasphemiâ, irremissibile peccatum illud ostendens, sic ait: Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, nec in futuro.* Iterùm: *Sacrificium pro defunctorum fidelium requie offerre, vel pro iis orare, quia per totum orbem hoc custoditur, credimus quia ab ipsis Apostolis traditum sit: hoc enim vbique Catholica tenet Ecclesia, quæ nisi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus eleemosynam faceret, vel Sacrificium offerret.* Hincmarus porrò Rhemensis in Galliâ Archiepiscopus, *Quod ab amicis*, inquit, *propinquis, mortuorum heredibus, Ecclesiis, in quibus ipsi sepulti sunt, offerri solitum est, accipere quidem licet, non tamen exigere.* Eodem etiam modo Amalarius Treuirensis Archiepiscopus: *Missa pro mortuis in hoc differt à consueta Missa, quod sine Gloria, & Alleluia, & pacis osculo celebratur. Recordatio mortuorum nuncupatiuè agitur ante, Nobis quoque peccatoribus, vbi finitur memoria mortis Domini, & inchoatur mors nostra per cōfessionem peccatorum, ac ideò ibi meritò agitur memoria transeuntium qui in Domino moriuntur.* Ibidem: *Solemus mortuorū memorias generaliter celebrare tertiâ, septimâ & trigesimâ die. Vnde talem habemus auctoritatem in veteri Testamento. scriptum est enim in libro Numerorum: Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc fuerit immundus septem dies, aspergatur ex hac aquâ die tertiâ & septimâ, & sic mundabitur. In celebratione triginta dierum suffulti sumus Moysi & Aaron celebratione. ita enim scriptū est in eodem libro: Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, fleuit super eum triginta diebus per cunctas familias suas. Et iterùm in Deuteronomio de Moyse: Fleuerunt super eum filij Israel in campestribus Moab quadraginta diebus.* Iterùm ibidem: *Quando studemus vt opera amicorum nostrorum sint plena coram Deo, triginta diebus pro iis sacrificamus. Non opinor, vt aliquis velit dicere, quòd non liceat nobis orare quotidie & sacrificare pro mortuis. Sed quod agitur in tertiâ, & septimâ, & trigesimâ, publicè agitur, & generaliter ab omnibus amicis, & conuenitur simul ad hoc in precibus Missarum, atque eleemosynis, & ceteris bonis studiis.* Et infrà: *Anniuersaria dies ideò pro defunctis repetitur, quorum nescimus qualiter eorum causa habeatur in aliâ vitâ: alioquin enim bonum est omni tempore orare pro defunctis.* Walafridus Strabo Abbas sequentia protulit: *Ad hoc accedit, quòd totius vsus Ecclesiæ habet, sæpè Missas agere pro viuis, pro defunctis, pro eleemosynis, & aliis diuersis causis; quod etiam officia his attributa attestantur.* De Ioanne Diacono suprà num. 1. ex S. Gregorio Magno retulimus, iam Christianus Druthmarus sic ait: *Quod dicitur non remittendum nec in hoc sæculo, nec in futuro, datur intelligi, esse de quibusdam peccatis in aliâ vitâ remissionem; quia quod de vno negatur, consequens est vt de aliquibus possit intelligi, sicut de otioso sermone, de concupiscentiis & leuibus peccatis.* Odo Cameracensis Episcopus hæc ait: *Sumit hinc exordium quarta periodus, quæ confecto Corpore & Sanguine Christi, redit ad rogandum pro mortuis, fidentior exaudiri patrocinio Sacrificij.* Obliuisci nequaquam possumus D. Remberti Bremensis Archiepiscopi, à quo petierat Presbyter quidam, Arnulfus nomine, quadraginta dierum ieiunium, post mortem suam ei apparens, & suas necessitates exponens: absolutoque tot dierum ieiunio, cum grati animi significatione eidem S. Remberto significauit, omni se pœnâ esse solutum. Sic & S. Leoba, virgo Deo deuotissima, intellexit, profuisse ieiunium triduanum cum precibus coniunctum, quod ipsa pro virgine quadam instituerat, postquam ei significatum fuerat, à pœnis eamdem esse absolutam.

Haymonis, Comment in Matth. c. 34.

Rabani In c. 12. lib. Machabæorum.

Hincmari, In Epist. ad Eccle. Tornacens. & in Epist. ad Abbatē Aldericū.

Amalarij, Lib de Offic. Missæ, c. 38

Num. 47.

Cap. 5.

Deut. 35.

Walafridi Strabonis, Lib. de Exordiis & incrementis rerū Eccles. c. 21. & 22.

Druthmari, Comment. in Matth. c. 34.

Odonis Cameracensis, In Canon. Missæ.

S. Remberti, Surius in Vitâ S. Remberti.

S. Leoba.

7. Nec solùm personæ Ecclesiasticæ hoc in deuotionis genere sedulos se exhibuerunt, sed & laici, imò summi totius penè orbis Monarchæ atque Imperatores, quos inter occurrit modò primus mihi maximus & sanctissimus ille Carolus Magnus, qui à translato per Constantinum Magnum sub Siluestro Papâ in Græciam Romano Imperio sæculo quinto, primus Romanus Imperator in Occidente enuntiatus, & à Leone III. Summo Pontifice solemnissimè coronatus fuit. Hic inter alia piissimè & rectissimè constituta etiam hanc legem tulit: *Fideles pro defunctis amicorum, & parentibus eorum, ieiunia & oblationes triginta dies adimplere faciant.* & ipsemet exemplo suo in hoc præiuit. Cùm enim triginta circiter Christianorum millia vnà cum Rothardo ab exercitu hostili prope Cæsaraugustam essent occisa, duodecim auri talentorum millia, vestesque & cibaria distribui curauit pro cæsorum animabus; deinde omnem terram circa oppidū Pleuiniense, vbi Rothardus sepultus est, Canonicis Regularibus, quos ipse Carolus iam instaurauerat, assignauit, vt pro præfato defuncto anniuersarium agerent, eâ conditione, vt bona pars prouentuum in pauperes distribueretur, triginta item Psalteria totidemque Missæ persoluerentur, de reliquis ipsi Canonici viuerent. Quinimò & ipse insuper ardentissimè & deuotissimè pro iisdem ad S. Dionysium prope Parisium orauit, & vt alij idem facerent, plurima vectigalia deuotis personis attribuit. Locus hìc valdè opportunus esset varias fundationes referre, quæ in eum solummodò finem institutæ à priscis sunt Catholicis, vt pro defunctis vel ipsis, vel eorum familiis, vel generaliter pro omnibus promiscuè fidelibus ex hac vitâ profectis oraretur. sed quis eas omnes enumerare posset? sufficit mihi, nemini non notū esse, infinitas eas esse, & planè innumerabiles. Sed pulsimi huius Imperatoris feruorem & pietatem imitati sunt alij viri Prin-

Carolus Magnus erga defunctorum animas iuuandas propensissimus.

Lib. 6. de Legibus, c. 195.

Eius pro iisdē iuuandis pia opera.

Principes, Reges & Imperatores, ad inuidiam etiam Ecclesiasticorum, qui inde salubriter permoti, Romæ spiritualem quamdam confœderationem instituerunt, quâ se inuicem obstringebant, plura & varia pro iis qui ex eo Sodalitio defuncti fuissent, Sacrificia Deo offerre. Refert id Card. Baronius his verbis: *Hoc eodem anno Romæ contractum est Sodalitium plurimorum Sacerdotum, inter quos Episcopi nonnulli sunt adscripti, ad hoc, vt post obitum singuli Consodalium Sacrificiis iuuarentur. cuius instituti extat adhuc in Diaconiâ SS. Martyrum Cosmæ & Damiani eiusmodi monumentum in tabulâ marmoreâ incisum: Constat nimirum, dilectissimi fratres, de promissione quam ex corde fecimus coram Deo & Sanctis eius, vt vnusquisque nostrûm, Fratres Sacerdotes, & Episcopi, & posteri nostri Sacerdotes in perpetuum, qualiscumq; ex hac luce migrauerit, quadraginta Missas pro eius animâ per vnumquemq; Sacerdotem qui superstites sunt, canere promisimus. Si tamen infirmitate fuerit occupatus, non reputetur ei in peccatum: & si receptus fuerit in pristinam sanitatem, hoc omne quod suprà dictum est adimpleat: qui verò custos & obseruator fuerit, habeat benedictionem Dei Patris omnipotentis, & Filij, & Spiritus sancti, & cæleste regnum possideat cum omnibus Sanctis. Et qui hoc non obseruauerit, sit anathematis vinculo innodatus, & à regno Dei separatus. Ista verò promissio facta fuit ante sacrosanctum Dominicum altare huius aulæ, tempore Domini Ioannis XIV. Papæ, mense Februarij die 22. Indict. xij. anno Dominicæ incarnationis 984.* Hæc ibi, sed, vt benè annotauit Baronius, nonnihil mendosè.

Sacerdotes Romani quidam fœdus sacrum pro animabus ineunt.

Tom. X. Annal. Eccles. ad annum Dom. 984.

8. Verùm enimuerò, cùm circa annum Domini 998. Religiosus quidam Ierosolymâ rediret, à quodam Recluso in Siciliâ, quà transibat, didicit, illic vicina quædam esse loca flammarum incendia eructantia, quæ ab incolis, nomine à priscis Gentilibus indito, Vulcani ollæ appellitantur, & in his animas defunctorum diuersa pro demeritorum ratione supplicia perpeti, deputatis ibi ad id nonnullis dæmonibus, quorum se crebrò voces, iras & terrores, sæpè etiam eiulatus audire dicebat plangentium; & quòd animæ illæ de manibus eorum eriperētur per eleēmosynas & preces fidelium, & eo maximè tempore per orationes Cluniacēsium, assiduè vtiq; pro defunctorum requie orantium. Hoc vbi ex Religiosi illius verbis cognouit S. Odilo, tum in Cluniaco Abbas, constituit per omnia sibi subiecta Monasteria, vt sicut primo die Nouembris solemnitas Omnium Sanctorum agitur, ita sequenti die memoria omnium in Christo quiescentium celebraretur: qui ritus ad multas Ecclesias transiit, adeò vt statim Sedis Apostolicæ auctoritate omnibus totius orbis Ecclesiis festiuitas illa indicta & mandata fuerit. Dico, *omnibus totius orbis Ecclesiis*, quandoquidem Baronius dicat, eumdem ritum publicè obseruatum fuisse in locis quibusdam particularibus, dum sic ait: Ante Odilonem ducentis ferè annis vixit Amalarius Fortunatus Episcopus Treuirensis, temporibus Ludouici Pij Imp. ad quem etiam scripsit libros de Officiis Ecclesiasticis. Hic, inquam, in libro de Ordine Antiphonarum cap. 65. hæc ait: *Post Officium Sanctorum inserui Officium pro mortuis: multi enim transierunt de præsenti sæculo, qui non illicò Sanctis coniunguntur, pro quibus solito more officium agitur.* Hæc Baronius.

Quâ occasione S. Odilo defunctorum memoriam in suo Monasterio instituerit.

In Notis ad Martyrolog. Romanū die 2. Nouēbris.

9. Interim si tu, Lector, alios decimi sæculi à Saluatoris ortu Purgatorij assertores, & subsidij animarum præcones desideras, hos tibi habe præter eos quos suprà Libro I. adduximus. Inprimis do Oecumenium, qui sic scribit: *Saluus quidem & ipse quoque erit, cum dolore tamen, vt par est, qui per ignem transierit, atque eas, quæ illi adhæserint, sordes expurgauerit. Solius namque Dei est, sine peccato omnino esse, homines verò licet iustissimi, non tamen perfectè mundi sunt. Dictum est enim, quòd multùm offendimus omnes. Vnde & per Malachiam dictum est: Sicut ignis in fornace, & sicut herba fullanum lauabit purgabitq; Deus nonnullos.* Hûc sequitur Petrus Damianus, cuius hæc sunt: *Nec tibi blandiaris, si grauiter peccanti leuior pœnitentia vel à mansueto vel à dissimulante dictatur; cùm in purgatoriis ignibus perficiendum sit, quidquid hîc minus feceris: quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus.* S. Iuo Carnotensis Episcopus sic ait: *Animæ defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sāctorum, aut charorum eleēmosynis, aut ieiunio cognatorum.* Haud transeo ea quæ habet Edinerus Anglus. *Post hæc*, inquit, *Anselmus, vt sanctæ dilectionis munus, quod viuo impenderat Osberno, mortuo non negaret, per integrum annum omni die Missam pro eius animâ celebrauit. Quòd si aliquando à Sacramenti ipsius celebratione impediebatur, eos qui Missas familiares debebant, suam pro animâ fratris Missam dicere faciebat.* Huic quasi supparem annecto Rupertum Tuitiensem prope Agrippinēsem Coloniam Abbatem, cuius è libris hæc excerpsi: *Si in villâ*, ait, *fuerit domus quæ muros non habet, id est, si in proximum admissum fuerit peccatum quod muro defensionis roboratum non est, agrorum iure vendatur, id est veniali conditione tenebitur. Nam si antè redempta non fuerit; in iubileo reuertetur ad dominum suum, id est, etiamsi ante finem vitæ non condignâ satisfactione compensatum fuerit, is in quem peccauit proximus, non solùm licitè, sed etiam laudabiliter orabit pro eo, vt remittatur ei peccatum*, &c. Malachias Hibernus: *Ecce appropinquat dies, quem, vt optimè nostis, semper optaui. Quod ad hoc corpusculum attinet, hîc requies mea; quod ad animam, Deus prouidebit, qui saluos facit sperantes in se. Nec parum spei repositum est mihi in die illâ, quâ mortuis tanta beneficia à viuis impenduntur.* S. Bernardus, magnus ille B. Virginis amasius, hæc habet: *Porrò mortuos viuentium fraudantes auxiliis, viuentes nihilominùs Sanctorum, qui decesserunt, suffragiis spoliantes. Absit. Non relinquet Dominus plebem suam, quæ est sicut arena maris; nec contentus erit paucitate hæreticorum, qui omnes redemit. Non credunt autem, ignem purgatorium restare post mortem; sed statim animam solutam à corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem. Quærant ergo ab eo, qui dixit quoddam peccatum esse, quod nec in hoc sæculo nec in futuro remittetur, cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio purgatione peccati*, &c. Petrus Cluniacensis Abbas, sancti illius Odilonis sanctus successor: *Nam etsi aliena videntur viuentium opera, vt tamen mortuis prodesse valerent, mortuorum, dum viuerēt, meritis sunt comparata. Idcircò nec aliena esse iudicanda sunt, quæ mortuorum præcedentibus meritis propria facta sunt. Orat eâ de causâ Ecclesia pro requie vel gloriâ membrorum suorum, ad statum alterius vitæ translatorū; & quos fide ac charitate ad membra Domini sui pertinere cognoscit, à fructu bonorum suorum operum non excludit.* Narrat insuper Guilielmus S. Theodorici Abbas, S. Bernardum pro defunctis celebrasse Missæ Sacrificium: *Cùm B. Malachias, inquit, cælo animam reddidisset, offerens* pro

Tēpore item Oecumenij. In Epist. ad Corinthios.

Petri Damiani. Serm. 1. de S. Andreâ Apost.

S. Iuonis. Lib. 15. cap. 124.

Edineri Angli. In Vitâ P. Anselmi, cap. 11.

Ruperti Tuitiensis. Lib. 2 in Leuitic. cap 42.

Malachiæ Hiberni. Bernardus in Vitâ Malachiæ.

Serm. 66. in Cantica.

Petri Cluniacensis. Epist. contra Petrobrusianorū hæresim.

In Vitâ S. Bernardi.

pro eius transitu Venerabilis Abbas [Bernardus] *hostiã salutarem, gloriam eius Domino reuelante cognouit, & eodem inspirante, Sacrificio iam expleto, formam mutauit orationis, & Collectam intulit, quæ ad Sanctorum Pontificum solemnitates, non ad commendationes defunctorum pertinet.* Denique Burchardus, ille qui Iuris Ecclesiastici fuit callentissimus, sic scribit: *De seruo qui fugerat dominum suum interrogabas, si ille in fugâ mortuus fuerit, vtrum liceat pro eo orare, an non. Hoc in diuinis libris non inuenimus prohibitum, sed tamen scimus ab Apostolis firmiter præceptum, vt serui subditi sint in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.*

Burchardi,

Lib. 2. c. 61. Decretorũ.

10. Sæculo porrò vndecimo defunctorum preces impensè commendarunt Petrus Damianus S. R. E. Cardinalis, S. Anselmus Cantuariensis in Angliâ Episcopus, Theophylactus, & alij, idemque non scriptis tantùm suis, sed & exemplis fecit S. Bernardus, qui inter alia, etiamdum Nouitius, in more positum habuit quotidiano vt pro matre suâ septẽ Psalmos Dauidicos recitaret: quod tam gratum fuit Deo, vt cùm vel semel, nescio quâ de causâ, Bernardus quotidianum illud pensum persoluere omisisset, apud Magistrum eius Deus ideò querelas, reuelatione facta, deposuerit. Floruit eodem tempore S. Bruno, magnus ille Carthusiani Ordinis fundator & institutor. qui & ipse peculiaribus constitutionibus, quas sui Instituti sequacibus obseruandas præscripsit, disposuit, vt annuè multa sacra Psalteria, & quotidianum defunctorum officium, in animarum subsidium, recitaretur, prout & vetustiæ S. Benedicti Religioni moris est: quæ laudabilissima mortuisque vtilissima consuetudo, prout in aliis quoque religiosis Ordinibus dudum obseruata fuit, ita optimum imò optandum foret continuari; & si fortè alicubi temporum malignitate, & quorumdam negligentia interciderit, vel rationabili de causâ intermissa fuerit, resumi, tantoque in posterum feruentiùs exerceri, quantò maius inde detrimentum fideles animæ ex eius neglectu anteà passæ sunt. Et sanè (vt aliquem saltum temporis faciamus) diuina bonitas eo tempore & tempestate Ecclesiæ, quâ satanæ & improborum hominum malitiâ totus penè mundus vitiis & sceleribus inuolutus erat, Deus optimus maximus, intermissum & collapsum hoc animarum subsidium sanctorum Dominici & Francisci Assisij exemplis & prædicationibus restaurauit: quamquam interim non defuerint, qui suis in scriptis illud vel maximè commendauerint, vel illum Ecclesiæ morem & ritum summopere collaudarint, vel hominum socordiam, suâ negligentiâ tam salutare exercitium intermittentium, calentissimis lacrymis deplorauerint: & igniculum hunc, altè sub socordiæ cineribus absconditum, eruit, & nouo feruore accẽdi fecit. Diuus igitur Dominicus quotidie corpus suum ferrea catena durissimè ad sanguinis effusionem pro detentis in Purgatorio animabus flagellabat, aliaque præterea præstabat, quæ in Ordinis eius sectatoribus mirabile erga defunctos studium excitarunt. Sanctus deinde Franciscus tantam purgandorum sollicitudinem habuit, vt in primâ, quam Fratribus Minoribus præscripsit Regulâ, postquam Clericis Horas canonicas secundùm ritum Romanæ Ecclesiæ iniunxisset, Fratribusque laicis certum Orationum Dominicarum numerum quotidie persoluendum & recitandum designasset, his ipsis tandem mandauit, *Et orent pro defunctis.* Mirum proinde non est, multa subinde millia animarum hac pietate è tantis pœnis & ærumnis liberata fuisse. Referunt insuper Ordinis Seraphici Chronica, Venerabilem Patrem Ioannem de Osfida tam ardenti deuotione pro mortuis celebrare consueuisse, vt ad orationes illius tãta animarum copia, quanta scintillarum e moto vastissimæ & ardentis fornacis igne, e Purgatorio ad cœlum euolare visa fuerit. In sacro Augustiniano Ordine quàm egregium animarum patronum se exhibuit S. Nicolaus Tolentinas? Passim in eius Vitâ legitur, multoties eum habuisse animas sibi apparentes, quæ humillimè auxilium pro tormentorum suorum mitigatione ab eo expetierint, vt quæ probè, Angelorum relatu, scirent, eum non solùm vehementissimè erga se affici, sed & maximo meritorum & satisfactionum cumulo abundare. De Carmelitarum Ordine, omnium reliquorum, tam Mendicantium quàm non mendicantium antiquissimo, quid dicam? Rara profectò in eo charitatis huius fuerunt exempla. Sed ne priuato potiùs affectu erga proprium Ordinem duci videar, vltimum hic ei locum assignaui, & paucissima, idq; adhuc quo potui animi moderamine, de eius erga afflictas illas animas studio & affectu effatus sum. Certè S. Cyrillus Doctor Græcus, qui tertius totius Religionis, dum adhuc in Terrâ sanctâ vigeret, Prior Generalis erat, totus fuit in reducendis ab iniquitate & malitiâ impiis, & liberandis ab igne purgatorio animabus: tantumque eum erga illas affectum commonstrasse, antiqua Ordinis referunt Chronica, vt præ compassionis teneritudine quasi dissolui videretur, & haud semel precibus suis à Deo optimo maximo impetrarit, vt nonnullæ illarum vitæ restituerentur mortali, quò congruam de suis delictis pœnitentiam agere potuerint. Sanctus præterea Simon Stock, Anglus, & sextus Ordinis inter Latinos Generalis, eximium illud Ordinis nostri priuilegium sacri Scapularis, viuis perinde & mortuis vtilissimum, à serenissimâ cælorum Reginâ obtinuit; quo sanè medio tam efficaciter celeriterque animabus subuentum est, quàm quispiam Sanctorum vmquam subuenerit.

Petri Damiani,

S. Brunonis Carthusiæ fundatoris.

Quid S. Dominicus pro mortuis fecerit.

Quid item S. Franciscus Assisiensis.

Quid item S. Nicolaus Tolentinas.

E Carmelitarũ Ordine animabus affectum singularem ostenderunt,

S. Cyrillus Græcus, &

S. Simon Stock.

11. Habemus eiusdem penè sæculi Scriptorum sacrorum trigam sacrã, tres inquam sibi cognomines, & sanctitate pietateque non dissimiles, Thomam Aquinatem, Thomam Cantipratanũ, & Thomam à Kempis. Prior, nimirum dictus Doctor Angelicus, tum in quarto Sententiarum, tum alibi egregiè atque eruditissimè explicauit, quæ pro animarum redemptione adhibẽda sint, atque ipsemet etiam insignem operam nauauit, opemque haud exiguam defunctorum adiutorio contulit, vt non solùm multi eius suffragiis liberati fuerint, sed & variæ animæ eius opem & auxilium expetierunt. Alter Thomas Cantipratanus, qui, vt ipsemet de se refert, suis suffragiis haud modicum pro ipsis laborauit: imò eodem libro cap. 53. varia etiam, quibus alij easdem iuuare possent, media præscripsit. Tertius è Belgio itidem admodum tum factis tum scriptis laborauit, vt non solùm ipsemet afflictis in Purgatorio animabus aliquod leuamen adferret, sed vt alios etiam ad idem faciendum quasi vrgentissimo stimulo quodam impel-

S. Thomas Aquinas quid in animarum solatium præstiterit.

Quid Thomas Cantipratanus.

Lib. 2. Apũ.

Quid Thomas à Kempis.

impelleret. Hoc testatur Epistola quædam quæ Operibus eius subnectitur, in ordine quinta de piâ defunctorum memoriâ, in quâ sic loquitur: *Multum iam tempus præteriit, dilecte frater, ex quo decreueram aliquid pro piâ memoriâ defunctorum charitati tuæ insinuare, & maximè parentum nostrorum, & amicorum specialium, omniumq; deuotorum, quorum nomina Deus in libro vitæ scribere dignetur, & inter Sanctos suos collocare animas eorum, sicut & corpora eorum apud nos sepulta sunt in terris. Nos debemus libenter pro eis & pro omnibus fidelibus defunctis orare, quia hoc opus est summæ charitatis & misericordiæ. Sicut igitur nobis desideramus subueniri post mortem, ita & eis, quo meliùs possumus, (Domino opitulante) laboremus subuenire. Qui enim pro animarum liberatione fidelis & sedulus fuerit, nimirum & sibi ipsi plurimum proficit, cùm pro talibus orans nequaquam se spoliat orationis fructu, & insuper sibi recordationem mortis adducit, & vix sine compunctionis gratiâ ad propria redit, sciens quòd omnes viam vniuersæ carnis ingressuri sumus; & quod illi iam expleuerunt, certissimè sibi constat futurum. Oremus igitur pro charis nostris, quia post modicum eos sequemur: & cùm meliùs habuerint, omnino in eadem necessitate recordabuntur nostri. Non sit fides nostra ore tenus, neque quæ in facie sunt respiciamus, sed dilectionem faciamus, siue præsentes siue absentes corporaliter fuerimus. Charitas enim numquam excidit: & qui se in veritate diligunt, seipsos obliuisci non poterunt. In necessitate probatur amicus fidelis. Est enim impium & crudele nimis, si videas fratrem tuum aut amicum cordis tui, carceri traditum, vel flammis iniectum, nec mouearis ad fletum; & cùm manum porrigere possis, nihil agas charitatis, ac etiam, si loqui aliquid pro eius quieris liberatione, clauso pertranseas ore. O fidelem Samaritanum, qui viso homine vulnerato à latronibus, & exspoliato, misericordiâ motus est! Væ, væ pincernarum magistro, qui oblitus est Ioseph sui interpretis, cùm de carcere esset eductus. Sic timeo ne multoties contingat, cùm aliquis amicorum obierit, & pro se instanter orari petierit, ac fidei viuentium se commendauerit, quòd nonnumquam obliuionem accipit, aut paruam, aut tardiùs sentit aduenire expiationis hostiã quàm sperasset. Propter quod, dilectissime, meipsum & te pariter admoneo, vt pietatis oculum frequenter dirigamus ad memoriam defunctorum, & quidquid ad eorum absolutionem nouerimus prodesse, deuotâ exequamur festinatione, ponderãtes, quàm graui teneantur tormento, & quòd, nisi purgati fuerint, ad requiem transire non possunt. Eorum etenim consolatio & liberatio maximè in Christi meritis, & Sanctorum suffragiis, & fidelium constant oblationibus. Simus ergo feruentes ad soluenda beneficia salutaria, & deuotè oremus pro eis generaliter & priuatim. Attentè Vigilias legamus, libenter & sæpiùs ad Missam ministremus, & cum Sacerdote vota labiorum nostrorum in conspectu summi & veri Sacerdotis offeramus, qui est hostia dignissima ad exhaurienda omnium peccata. In illâ horâ, dum Christus in altari inter manus Sacerdotis Deo Patri pro salute viuorum & defunctorum offertur, teipsum cura cùm omnibus tibi in orationibus commendatis offerre in acquisitionem & possessionem perpetuæ salutis. Et vt omnes sint participes huius pretiosissimi Sacrificij, quod immolatum semel in cruce, sufficiens est pretium pro peccatis totius sæculi, habeas tunc specialissimam memoriam eorum qui tibi sunt commendati, & recita nomina eorum in præsentiâ Christi, & reuerenter ac deuotè sæpiùs flecte genua cordis tui, vbi consistis ante fontem miserationum Domini. Quotiescumq; etiam te ad perceptionem Corporis Christi præparas, & perceptum tecum habes, esto, quæso, memor fidelium defunctorum, & implora tantò ardentiùs misericordiam eius, quantò certiùs retines in te pignus æternæ redemptionis. Sæpè de manè, sæpè de vespere, sæpè in labore & tempore scripturæ, charissimorum tuorum recogita obitum, quomodo habeant, & quomodo aliquid facias pro eis quod ipsis potest prodesse, & tibi nihil obesse. Antequam comedam suspiro, ait S. Iob. Ex quo verbo, pietatis & compassionis tibi innuitur opus, vt numquam cibum corporalem sumas, nisi priùs fidelibus defunctis aliquam spiritualem eleëmosynam mittas. Ego noui aliquorum talem esse consuetudinem, qui, signo refectorij facto, se expediunt, & vacant orationi ad refrigerium animarum fidelium, quorum eleëmosynis sustentantur.*

Insignis B. Thomæ à Kempis epistola, quâ omnes vt pro mortuis orent, excitentur.

12\. Et quidem hi Religiosi fuerunt, inter sæculares excelluerũt tum temporis haud pauci, nec ij è vulgo, sed viri Principes, & in supremo terreni dominatus fastigio constituti. Duos præcipuè breuitatis causâ damus. Primus est Ludouicus IX. sanctissimus ille & verè Christianissimus Galliarum Monarcha, qui defunctorum spiritus non solùm pœnitentiis in proprio corpore actis, & eleëmosynis regiâ manu & liberalitate erogatis, alleuiare studuit summopere, sed vt filius eius, regnorumque heres, eisdem quoque compateretur, & quod iis liberandis prodesse posset exequeretur, inter reliqua, quæ in Testamento suo eidẽ præscripsit salutis monita, vnicè eidem commendauit. Alter sit præclarissimus ille Sardiniæ Dux Eusebius, qui tam benè de mortuis est meritus, vt vix in hac pietate parem, nedum priorem ei facilè reperias. Vrbem nimirum, cuius agros, census & vectigalia omnia in eleëmosynas ac Missas pro defunctis celebrandas distribuenda assignauit, appellari voluit vrbem Dei: quo beneficio dum infinitum quotidie animarum numerum liberat, earumdem posteà intercessione illustrem hanc & miraculosam planè victoriam obtinere meruit; quæ in Chronicis Sardiniæ hunc in modum describitur: *Rem vobis refero, fratres, quam fideli ac probabili relatione audiui modernis accidisse temporibus, quæ nos eleëmosynarum virtutem doceat, & ad eas vigilanter exercẽdas accendat, quæ scilicet eleëmosynæ non solùm positis in carne prosunt ad indulgentiam peccatorum, sed & defunctis, quibus locus pœnitentiæ non est in salutem, & redemptionem animarum. Duo Duces variâ pugnâ inter se confligebant, quorum alter Sardinensis alter Siciliensis erat. Dux Sardiniæ Eusebius, Dux Siciliæ Ostorgius vocabatur. Erat autem Eusebio summum studium circa defunctos in celebratione Missarum, in largitionibus eleëmosynarum, in decimis omnium rerum suarum soluendis. Prætereà vnam ciuitatum suarum, quam abundantiorem habebat, Deo & liberandis fidelium animabus constituit, neque inde aliquid ad suum vsum accipiebat, imò verò decimas totius regni atque possessionem eò conduci faciebat. Ibi pauperum maximam turbam congregatam iugiter reficiebat atque vestiebat, Missarum verò celebritas passim per Ecclesias fiebat. Alter verò Ostorgius in regno & exercitu ditior & potentior illo erat, sed in hac parte virtutis lõge inferior Eusebio, neq; ei in omni thesauro mundi comparãdus, qui sibi de redemptis captiuis, quamuis nesciens, maiorem copiam parabat, sicut in consequentibus res manifestabat. Igitur Ostorgius in vrbẽ hanc, quam dixi Deo ac curis animarũ dispositam, animum intendit, eamq; insidiis aggressus* cepit.

S. Ludouicus Galliæ Rex erga animas liberandas deuotissimus fuit.

Eusebius Sardiniæ Dux per animas, quas suis eleëmosynis à Purgatorio liberauerat, ab hoste suo vindicatur.

cepit. Quod vbi Eusebius, tunc absens, per nuntium accepit, grauiter ægreq; ferebat, ita vt diceret, se malle dimidium regnum amisisse, quàm hanc ciuitatem, vt fatebatur, Dei. Cohortans ergo se & suos, Quid faciemus, inquit, ô boni milites? inultámne dimittemus iniuriam Dei & nostram? Congrediamur cum illis viriliter in nomine Domini, vincat quem ipse iustus & omnipotens cæli Rex vincere disposuit. Nam etsi victoria hosti cesserit, nobis pro diuinâ protectione occumbere erit pulcherrimum. Ad ea verba conspirante ac fauente suorum frequentiâ, Dux, exercitu vndique aduocato, hostem insequitur, eumq; loco munitissimo, donec ipse sese ostenderet, operitur. Intereà deputati custodes castrorum in eminentiore loco siti, longè lateq; prospectum terræ petebant, ac curiosis oculis circumquaque perlustrabant. Tum ecce albatorum facies militum à longè apparuit. Custodes hac visione de hoste suspecti, sollicitâ præstolatione stabant intenti. Cumq; quos viderunt paululùm appropinquarent, tandem plurimam niuei exercitus in niueis equis, cum niueis vexillorum signis, & candidâ armaturâ aduentantem aduertunt, statimq; à tam inopinatâ re attoniti, Principi anxio nuntiare contendunt. At ille inter spem metumq; positus, quòd albos audierat, spe nihil sinistri eos portendere præsumebat, & idcirco animum erigebat: quia verò audierat aciem bello instructam, ne quid hostile sibi minarentur, metuebat. Itaq; consultis Primatibus suis, quatuor idoneos viros eò præmittit, qui percontarentur eos, vnde & qui sint, quò tendant, pacificine an hostes adueniant. Appropinquantibus eis, similiter de agmine illo quatuor equites obuiàm mittuntur, qui ad eorum inquisitionem idoneam referant responsionem. Occurrentes igitur sibi nuntij Ducis, salutant & resalutant illum officiose. Legatis itaque Ducis Eusebij causam aduentus sui, talis tantiq; apparatus sciscitantibus, nuntij illi partis alterius, audientes primò eos, nouâ visione perterritos, hac amicâ confirmant responsione: Constanter agite, nihil timeatis, nihil cunctemini, erga vos pacifici, in hostes vestros venimus armaturi. Nos enim de familiâ summi Regis sumus, & nunc domino vestro ad debellandum hostem venimus adiutores fidelissimi. Nuntiate itaque Principi vestro, ne ad nostrum colloquium venire cunctetur, ac de cetero nihil vereatur. Regressi cum multo gaudio nuntij, referunt Principi ordinem rei. Continuò quasi de sepulchro timoris atque doloris in spem reuiuiscens exultat, triumphat, iamq; quasi victoriâ partâ, illi occurrere non trepidat. Qui vt appropinquauit, quatuor & ipse exercitus illius equites obuiàm habuit, eosq; interrogans, idem quod priores Legati retulerant audiuit. A quibus interrogatus, an pro iniuriâ ciuitatis ab Ostorgio ablatæ doleret; respondit, se nimiùm dolere, ideò maximè, quia Deo & saluti animarum hanc contulisset. Iam, inquiunt illi, vltrà non doleas, quia quod Deo omnium largitori bonorum dederis, vel dare disposueris, quicumque casus surripuerit, tibi non peribit, sed centuplicatum in cælo semper manebit. Sed ne sollicitum te longius trahamus, iam nos omne ius tuum ab hoste dupliciter exigemus: insuper aut subiicietur tibi, aut vinctus tradetur tuæ potestati. Tantum nos audi, & ordinato exercitu festina nos subsequi. Tunc Princeps dans se eorum voluntati & fidei, reuersus, ex his militibus quos habere poterat, vnam tantum legionem instruxit, & contra sexaginta millia, securus de diuino auxilio, ad bellum procedit: quem exercitus albatorum præcedens, quadraginta, vt videbatur, millia, tetendit aciem contra Ostorgium. Ostorgius verò vbi tali apparatu sibi imminentes cognouit, tantæ rei nouitate percussus, qui sint, quidve petant, & ipse per Legatos inquirit. Respondit his, quod & prioribus, se de familia Dei esse, & vt ipsum Ducem illorum Ostorgium capiant, in vltionem diuinæ iniuriæ, se venire, nisi sibi occurrat, & Deo consortiq; suo Eusebio super inuasâ ciuitate satisfaciat. Postquam ea nuntij, vti agnouerant, domino suo retulerunt, ille pauefactus nimis, consilium suorum petit; atque vt eos audiuit, quò iussus erat, cum omnibus suis copiis accessit: percontatusq; viros de niueo exercitu sibi occurrentes, quod alij atque alij de familiâ Dei audierunt, & ipse audiit. Addiderunt & graues in illum minas, dicentes, diuinam iram imminere illi, qui ciuitatem sibi donatam ausus sit fraudulenter & insidiose subripere. At ille hoc terrore compulsus rogat pacem, promittens temeritatis suæ quamcumq; vellent satisfactionem. Ventum est igitur ad exercitum, & ecce inter colloquendum Eusebius cum suâ copiâ superuenit, statimq; Ostorgius quidquid vspiam tulerat, dupliciter restituit, atq; insuper sese cum suis omnibus Eusebio subdidit. His itaq; pacificatis, ille candidatus exercitus satis familiariter allocutus Eusebium, interrogat vtrumne voluntati eius sit satisfactum. At ille, vbi multâ cum gratiarum actione sufficere sibi respondit: ipse quoque, qui essent, subtiliùs sciscitari accessit. Nec mora, illi respondent: Nos sumus defunctorum animæ, quas tuis beneficiis & eleemosynis larga Domini donauit indulgentia; quibus iam liberatis à peccati & diaboli captiuitate, lucidas mansiones tribuit in æternâ requie. Vnde hoc non pigeat pro nobis fecisse, quia gratiam Dei, omnium fidelium defunctorum pro tanto habes beneficio. Et nunc scito, quia nos omnes, quos vides, eripueris, & adhuc multos per benignam Domini prouidentiam eripies, si ab hac tuâ intentione non desistas. Age ergo, & quod priùs benè faciebas ex bonâ voluntate, iam nostrâ admonitus oratione simul & fidelitate, meliùs iam de reliquo satage, vt captiuos, quos apud iustum iudicem liberas, apud eum intercessores habeas. Qui enim per te liberati, longam tibi vitam & salutem propterea orant, vt & alij multi per te redimendi adhuc in pace quiescant, qui tibi vnà cum liberatis indulgentiam, & gratiam ipsius Iudicis æterni exposcant. His dictis, postulatâ Ducis remissione, itinere quo venerunt visi sunt redire. Tunc verò ille priùs tanti inexpertus lucri, deinceps quantus circa defunctos eleemosynator accreuerit, coniectari potiùs poterit, quàm exponi. Hactenus Chronicon Sardiniæ, & diuersi sacri Scriptores, qui Regni illius historias describunt: &, si benè memini, Speculum exemplorum Titulo *Defuncti*, Exemplo xxv.

Eusebio Animarum auxiliatorum exercitus cælestis in auxilium venit.

vt obsisteat 60. millibus.

Ostorgius Eusebio conciliatur.

CAPVT XXXVII.

Neque hisce temporibus, vel paulò suprà, defuerunt, qui nos ad spirituum consolationem egregiis conatibus incitauerint.

QVamplurimos inter, quos sæculum abhinc proximum nobis viros illustres protulit, raræ omnino sanctimoniæ ac sublimissimæ perfectionis fuit diuinus ille & sanctus Franciscus Xauerius, è sacrâ Saluatoris Iesv Societate Sacerdos, & Indiarum Orientalium adiacentiumque Insularum Apostolus illuminatissimus. Hic, præterquam quòd, vt paulò superiùs diximus, duodecies centenis infidelium millibus æternæ salutis viam commo- 1.

S. Franciscus Xauerius studiosissimus fuit in operibus bonis pro animarum Purgatorij liberatione explendis.

mon-

monstrauerit, & per eam ad beatitudinis portum feliciter perduxerit, mirabilem & vix imitabilem insuper pro Purgatorij animabus habuit sollicitudinem. Nec enim pro salutis earum acceleratione Missarũ solemnia Sacrificia offerre, orationes feruentissimas fundere, asperrimasque pœnitentias subire solùm videbatur, sed quoties insuper, dum siue noctu siue interdiu à continuis laboribus, & viuentibus impensis spiritualium beneficiorum beneficiis & officiis parumper interquiesceret, animarum Purgatorij recordabatur, quiescere nequaquam poterat, sed è strato suo exsiliens, accensâ lucernâ, loci in quo morabatur plateas percurrebat, nolâque pulsans dormientes excitabat, vt pro animarum Purgatorij solatio preces funderent. Quæ laudabilis consuetudo etsi à S. Xauerio exordium sumpserit, cum morte tamen eius finem nullatenus habuit: in pluribus enim Indiæ ciuitatibus idem adhuc obseruari consueuit, multumque fructum producere sentitur. Hinc & vrbes quædam Belgij, præsertim quà Galliam spectat, eumdem morem sanctè suos intra muros receperunt, & piè hactenus obseruant, dum nimirum excubitor, qui de nocte ciuitatem obit, altâ voce inclamat: *Orate pro defunctorum animabus.*

Egregius Belgicarũ ciuitatum mos.

2. Venerabilis, pænè dixeram Beatus Thomas Morus, nobilissimus olim Regni Anglicani Cancellarius, & pro fide atque Ecclesiâ Catholicâ Martyr fortissimus, hunc in familiâ suâ domesticâ morem induxerat, vt comestionis tempore semper Psalmus *De profundis* recitaretur, vt de illo in Vitâ eius testatur eximius Theologiæ Doctor Thomas Stapletonus. Quod pietatis officium etsi facile sit, nec magnum appareat, mortuis tamen ob continuationem vtilissimum, & viuis etiam salutare existit, vt qui eo modo sub corporali refectione admoneantur, vt memores mortis, & tormentorum Purgatorij, sese temperatiores exhibeant. Spectant hæc quoque ad benefactorum recordationem: quia in multis religiosis Ordinibus ea praxis obtinuit, vt post mensæ gratiarum actionẽ idem Psalmus pro defunctis benefactoribus subiungatur, cum Oratione, *Deus, veniæ largitor,* & aliis. Sanè in nostrâ Carmelitarum Discalceatorum Congregatione Psalmum eum post mensam prò defunctis recitasse non sufficit, sed prætereà constitutum est, vt Religiosi, dum Refectorium adeunt, eumdem recitent, & ab Hebdomadario subiungatur Oratio, *Fidelium Deus omnium.* vt comesturi hinc admoneantur, ne quidem in ipsâ cibi sumptione mortuorum memoriam deponendam esse. Cui rei promouendæ, apud nos insuper statutum est, & diligenter admodum obseruatur, vt cranium seu demortui hominis sicca caluaria semper in medio mensæ locetur, eique apponantur schedæ illæ quibus recenter defuncti commendantur, vt vesperi à collatiunculâ vel cœnulâ per Prælatum Religiosis prælegantur, atque eorum precibus insinuentur commendenturque quorum nomina in eisdem scripto continentur. Neque hic sistimus, sed alia prætereà tum in Officiis propriis tum in Constitutionibus nostris disposita sunt quæ mortuis prodesse queant. Inter Officia propria, certæ Orationes assignatæ sunt, quæ in Ternariis siue tribus anni temporibus recitandæ veniunt tam in Missâ quàm sub Officio, quæ in fine Officij nostri proprij habentur. Peculiare quoque nostris in Constitutionibus habetur Caput quod mortuos concernit, in hæc verba: *Sint Fratres nostri ad pœnas animarum, quæ igne purgatorio torquentur, leniendas, admodum misericordes; statimq́, ac Frater aliquis obierit, Prior Prouincialem, ipse verò Prouinciæ suæ Priores, ac Præpositum, Præpositus verò Congregationem, confestim moneat, vt pro eo subiecta suffragia fiant. Pro vnoquoque Religioso professo, in eo Conuentu vbi interierit, Officium sepulturæ, & Officium integrum defunctorum cum Vesperis & Missâ cantabitur: in aliis verò omnibus Conuentibus suæ Prouinciæ canetur Missa, & Officium integrum recitabitur. Insuper quilibet Sacerdos Domus in quâ decessit, tres Missas pro eo dicet, vnam verò omnes alij Sacerdotes omnium Conuentuum illius Prouinciæ. Prætereà in aliis totius Congregationis Prouinciis in quolibet Conuentu duæ Missæ priuatæ dicantur, & recitabitur vnum Nocturnum cum Laudibus: Fratres verò Choristæ tam eiusdem Monasterij, quàm totius Prouinciæ, vnum integrum Officium Defunctorum; Fratres verò non Clerici eiusdem Prouinciæ vnum integrum Rosarium, reliqui autem totius Congregationis Sacerdotes & Fratres tertiam partem Rosarij recitabunt. Pro Patre verò Præposito, in totâ Congregatione dupla suffragia fiant, & Officium defunctorum vbique cantabitur. Pro Patribus verò Diffinitoribus Generalibus, & Procuratore Generali, in totâ Congregatione; pro Patribus Prouincialibus in suâ Prouinciâ, & pro Prioribus in suo Conuentu, præter illa quæ pro ceteris Fratribus dicuntur, Missa vna priuata à Sacerdotibus singulis, vnum Officium Defunctorum integrum à singulis Choristis, & Rosarium integrum à non Choristis recitentur. Cùm obierit aliquis Professus non Chorista, pro eodem, quæ pro ceteris Religiosis Professis suffragia fiant. At pro Nouitio quouis, siue Clerico siue non Choristâ, die obitus fiant suffragia eo loco vbi decedit, æquè ac pro quolibet Professo. In quolibet Monasterio vniuscuiusque Prouinciæ Monialium nostrarum canetur Missa vna Conuentualis, & recitabitur vnum integrum Officium Defunctorum pro quouis Fratre nostro in eâ Prouinciâ obeunte: laicæ verò Moniales tres partes Rosarij recitent. Fratres nostri verò in quolibet Conuentu illius Prouinciæ pro Moniali decedente vnam Missam Conuentualem canant, vnumq́, Nocturnum Defunctorum cum Laudibus recitent: in Conuentu autem, à quo Monialibus nostris Sacramentum pœnitentiæ ministratur, quilibet Sacerdos pro singulis Monialibus eius vrbis aut oppidi Missam vnam priuatã faciet. Simul ac obitus sanctissimi D. N. Papæ scietur, exequiarum solemnium Officium pro eo in Monasteriis omnibus Congregationis fiat. Feriâ secundâ per integrum annum fiat Sacrum pro defunctis nostris, scilicet pro quo nulla eleëmosyna recipiatur; &, excepto Paschali tempore, Vesperæ Defunctorum post illius diei Vesperas recitentur, præterquam in Festis de præcepto, & quæ solemniter celebrantur in Congregatione: tunc enim recitabuntur infra hebdomadam aliquo die non impedito simili Festo, exceptis tribus anni temporibus, quibus Officia ternaria recitantur. Tribus prætereà anni temporibus, inter Octauam scilicet Epiphaniæ & Purificationis, inter Octauam Resurrectionis & Ascensionem, inter Octauam S. Michaëlis & festum omnium Sanctorum, fiat commemoratio prò defunctis, ita vt singulis illorum trium temporum recitetur triplex Officium integrum Defunctorum, & tres Missæ canantur. Quæ quidem suffragia pro Fratrum nostrorum animabus, pro eorumdem*

Thomæ Mori in animas defunctorum pietas.

Carmelitarum mos.

Constitut. Part. 1. c. 17. pag. 60.

Quænam à nostris pro Animabus facienda sint,

& pro quibus.

Fratrum consanguineis, affinibus, amicis, pro iis qui in nostris Monasteriis sepulti iacent, & sæcularibus qui Fraternitatis litteras habuerunt, exoluenda sunt, quæ statim primis designatorum temporum diebus omnino fiant. Plura alia sunt quæ Religiosi nostri pro animabus Purgatorij peragere solent, de quibus paulò inferiùs.

3. *Ven. Ioannis Ximenij è Soc. Iesu pro animarum liberatione studium.*

Ioannes Ximenius, præclarus Societatis IESV Religiosus, omnes suos virtutum actus, austeritatesque & orationes, in defunctorũ subsidium Deo obtulerat: ad quod faciendum octennio ante mortem voce è cælis delapsâ inuitatus fuerat. Hoc sanctum charitatis exercitium tum è Societate multi, tum ex aliis etiam Religionibus varij sunt imitati, de quo, cùm peculiari postmodum Capite dicendum sit, hic ampliùs agere supersedeo.

Varia nonnullorum pro iisdem exercitia.

Sunt alij quoque & Religiosi & sæculares, qui omnes suas actiones, tum & actus interiores, ita ordinant, vt annexas semper habeant aliquas Indulgentias quas communicare defunctis liceat. Ad quod præterea fructuosiùs obeundum, descriptum habent catalogum præcipuarum Indulgentiarum quæ modò sunt in vsu, ordinariisque suis actionibus conueniunt, quemadmodum suprà in materiâ Indulgentiarum explicuimus, & omni diligentiâ numismata aliasve res benedictas, quibus eædem Indulgentiæ annexæ sunt, sibi comparant, secumque omni loco ac tempore deferunt, & per orationes, saltem iaculatorias, quàm possunt frequenter renouant propositum quo manè in directione totius diei sua omnia obtulerunt pro mortuis, & singulis actibus suis, iuxta catalogum à se conceptum, ac numismatibus suis accommodatum, Indulgentias in eorumdem defunctorum vtilitatem applicarunt.

4. *Spiritualem pro animabus efflagitandi eleemosynam cõsuetudo apud Carmelitas Excalceatos.*

Consuetudo à primis reformationis nostræ Patribus apud nos est introducta, vt ipso omnium Sanctorum die festo, post decantatum solemniter defunctorum Officium, Religiosi omnes conueniant, ipsisque Prior, aut Præses, animarum in Purgatorio necessitatem exponat, atque à singulis aliquam spiritualem pro earum liberatione eleëmosynam exposcat: vnde fit, vt plerique totam vel sequentis anni, vel etiam totius vitæ satisfactionem subsidio mortuorum addicant, ac præterea illi ipsi, & alij insuper omnes, offerant particularia aliqua pœnitentiæ & mortificationis opera, quæ per hebdomadas aut menses singulos anni eiusdem, hoc est vsque ad futuram Animarum fidelium commemorationem, vltra solita Religionis exercitia, veluti supererogatoria, exequantur. Videre tunc est mirum erga spiritus fidelium affectum. Quidam enim catenam acuminatam aliquamdiu vel aliquoties gestare proponunt, alij cilicio indui, alij extraordinariis disciplinis se deuouere, alij mortificationes insolitas promittere occipiunt: alij firmiter concipiunt strictiora seruare ieiunia, frequentiùs meditari alij, aut orare, etiam vocaliter; alij genibus nudis, expansisque brachiis, alij denique ad certarum virtutum, vt silentij, humilitatis, obedientiæ, obseruantiæ, aut charitatis specialem curam ac diligentiam toto sese anno, ad animarum solatium, addicunt. Imò in hoc studio tantus non rarò Religiosorum quorumdam est feruor, vt Superiorũ eum discretio moderari ac temperare debeat. Et si de particularibus nostrorum deuotionibus, quas erga defunctos exercent, specimen videre desideras, en habe tibi illud quod in vitâ Ven. F. nostri Francisci de Puero Iesu habetur, vbi sic legitur: *Etsi variis eam* [scilicet spiritualem compassionem] *Frater Franciscus excoluerit modis, anxiis consilium dando, peccantibus correctionem imponendo, ignaros instruendo, iniurias remittendo, tristes & afflictos consolando, pro vniuersis, & qui in viuis sunt & qui excesserunt, incessanter orando; hoc solummodo quod ad extremam illam spiritualem eleëmosynam spectat, orare videlicet pro defunctis, & pro iis apud Deum suffragari, præsens Caput habebit. Nimirum Sanctorum est amare amicos Dei, eos qui in ipsius amicitiâ & gratiâ existunt, quales hæ sunt quæ in purgatoriis ignibus emundantur atque emendantur animæ, Sanctorum, inquam, hoc est, & conuenientissima virtus. Maxima ergo illi erat sollicitudo ac cura, quærere modos quibus opitulari iis posset, atque ex infernis illis cruciatibus liberare. Cùm adhuc in sæculo ageret, nondum Religiosus, sacrosanctum pro illis Missæ Sacrificium fieri, & specialiter in eum finem collectis eleemosynis, frequentiùs curabat. Factus autem Religiosus, orationibus ac pœnitentiis auxiliatrices illis manus porrigebat, sollicitans & prouocans omnes suos Fratres ad idem opus pietatis. In eum finem disciplinas extraordinarias assumebat, & frequenter bonam noctis partem in causis earum coram æterno Iudice diducendis insumebat. Quidquid die ac nocte laborabat, totum illis reddbat in sacrificiũ expiationis. Toto tempore Laudum matutinarum, à quibus numquam aberat quantumcumque defessus atque attritus, in pedes stabat, negans sibi istud etiam quietis, vt eas in eâ quiete habere posset; atque asseuerans in ipsâ suâ defatigatione, quæ in talem finem assumebatur, mirum sibi inuenire solatiũ. Publicis etiam in locis domus illas orationes, quæ secum Indulgentias ferunt, appendebat, vt qui Fratres pertransirent, pro iis ipsis captiuis animabus recitare meminissent. Scopare domum solebat, & sordes vniuersæ illinc erant, quas in gratiam illarum exportabat: quâ quidem in re pepigerat cum suo puero Iesu, vt pro vnaquaque manu collectarum sordium vnam animam in Purgatorio, in regnum suum transuehendam, illi dono daret; tantam sibi faciens, ex Dei bonitate, ipsius pij euentus atque solutionis certitudinem, vt ægerrimè ferret, si quis parum se illi adiungeret in eodem humilitatis officio; dicens atque obsecrans, vt hanc illi relinqueret pro animabus Purgatorij deuotam buccellam. Sed nec minus ipse in abstersione lancium prætendebat, factâ eadâ, quâ priùs, cum puero Iesu conuentione. Dicebat, Deũ pro singulis lancibus aut scutellis debere vnã animam sibi, neque viliori pretio sibi facturum iri: pro lebetibus verò aut amplioribus cacabis duas sibi deberi in cælo collocãdas affirmabat: & hoc cum tanto affectu, & in pueri sui pietate & facilitate fiduciæ, ac si reuerà ita se haberet vti loquebatur. Similiter cùm quis è nosocomio, vel ex aliis alij decederent, orabat, & multu se pœnitentiæ actibus pro iis è purgationis carcere liberandis macerabat, sciens optimè & perspectũ habens, reuelante illi Deo, quid & quantum pauperculæ illæ in igne illo deuorante patiantur, & quantum in infernis illis ardoribus torquebantur.* Hactenus ibi.

Lib. 2. c. 11. F. Francisci à Puero Iesu pro animarũ solatio agendis.

5. *Alia mortuos iuuandi ratio.*

Quotidiana plurĩũ apud nos, erga defunctos illa est liberalitas, vt nec comedere nec dormire proponant, nisi certos mortificationis tam internos quàm externos actus pro illis Deo obtulerint; sicque operi manuum (vt omnes plerumque rectè ordinati Religiosi ad corporis exercitium

exercitium aliquamdiu solent) applicentur quando cum sociis id faciunt, communiter Psalmos pro mortuis recitant; si autem fuerint soli, vt ferventiùs laborent, hanc sibi, velut stimulum, considerationem assumunt, vt concipiant, ex sedulitate laboris dependere alicuius animæ ex Purgatorio liberationem. Quod vti viris cordatis ad sedulò difficultatem operis laboriosi exhauriendam calcar fortissimum, ita & animabus è tormentis suis eximendis remedium omnino est opportunum. Quæ si non sufficiant in Religione seu reformatione nostrâ, quæ ita defunctis addicta est, vt ad eorum leuamen instituta videatur: vlteriùs illa quæ suis alumnis, ceu certa quædam liberandis animabus præsidia, præscripsit, referri possunt. In primis moris etiam est, quoties aliquis è nostris emissurus est sacram professionem, vt primùm flexis genibus vnumquemque Conuentus sui Religiosum humiliter roget, quatenus eleemosynam aliquam spiritualem nonnullorum supererogationis operum sibi ad feliciter emittendam professionem largiatur. Et vt hinc fructum vberiorem meritorum, maioremque misericordiæ diuinæ effectum in se is qui professionem emissurus est persentiat, offert illas easdem spirituales sibi collatas eleemosynas vnà cum professione in animarum Purgatorij vtilitatem, vt istinc semper cogitãdi occasionem habeat, sese in Congregatione illâ religiosâ vota solemnia emisisse, quæ suos alũnos totaliter, vnà cum omnibus eorum bonis, fidelibus defunctis consecrauit, ad quod edocta fuit exemplo sanctissimæ Ordinis sui Reformatricis, vel potiùs reformationis suæ Fundatricis, Seraphicæ Matris ac Virginis Teresiæ, quæ Commemorationis animarum die Carmelitarũ Ordinem fuit ingressa, & præcipuas sodales suas, vti Venerabilem Matrem Annam à S. Bartholomæo, suam in laboribus ac difficultatibus innumeris, vsque ad mortem, comitem indiuiduam, aliasque plures, edocuit, quatenus inde cognoscerent omnes, Teresam sua vniuersa suasque, & suos, in animarum Purgatorij seruitium Deo consecrasse.

Carmelitarũ Religio pro animarum refrigerio instituta videtur.

6. Vnde mirari meritò nemo potest, quòd hic recenseãtur quæ vera sunt, & quòd vera sint quę recensentur. Consueuerunt ergo Carmelitæ Excalceati totum vtplurimum animabus offerre, quod possunt, ita vt apud illos non in virtuosis solùm actibus partem sibi vendicare illæ soleant, satisfactionesque ac pœnitentias eorũ quodammodò in se plerumq; deriuare, sed ex ipsis quoque Discalceatorum defectibus profectum insignem referre, dum, quoties negligentiam aliquam, errorem in cærimoniis, aut defectum in obseruantia Religiosus quispiam committit, vel excusationem, etiam iustam, laudemque sui vel vituperium adfert vel admittit, nec se statim in terram prosternit, proximus ei Frater sese capite versus terram demittat, hoc ipso à dicto iam socio pro animabus Purgatorij lucratur Orationẽ Dominicam & Salutationem Angelicam quantocyùs recitandam, vel ex satisfactionibus negligentis, aut in tolerandis aliquando ab eo Purgatorij pœnis compensandam. Tanta, inquam iterùm, Carmelitarum Discalceatorum in defunctos est propensio, vt ipsis nequaquam sufficiat in austeritatibus & mortificationibus meminisse mortuorum, sed in recreationibus insuper, quas habent parcissimas, animæ Purgatorij locum suum & lucrum sortiuntur. Si quis enim ad refocillandum spiritum lusu aliquo se oblectauerit, trophæum quod à deuicto sodali consequi potest hoc est, vt is pro defunctis aliquot Orationis Dominicæ & Salutationis Angelicæ Decades siue coronas recitare teneatur. Plura eiusmodi penes nos obseruantur, quæ non nisi cum magno forte Lectoris tædio enumeraremus.

Ex Carmelitarum etiam defectibus lucrum animabus Purgatorij accedit.

7. In Societate IESV nuper floruit Belga quidam, Mechliniâ Prouinciæ oppido oriundus, R. P. Antonius Sucquet, qui dum viueret, per annos aliquot Prouinciæ Flandro-Belgicæ dignissimus Præpositus, insigniter descripsit inter cetera modos quosdam obuios ac faciles, quibus animæ è Purgatorio eripi possunt, hisce verbis: *Praxis iuuandi animas ex Purgatorio. I. Curare quis potest vt piæ fundationes non negligantur. II. Statis quotidie preces & eleemosynas ad hæc dirigere, quoties se in iter dat, quoties in publicum prodit. III. Benefactorum & propinquorum memoriam facere rediuiuam, & pro animabus eorum orare. Eo fine variis in oppidis nocturnus circuitor pro ritu id monere cõsueuit. IV. Per cœmeterium eundo, De profundis recitare, aut alias preces, & quoties ante locum Iustitiæ pertransit. V. Sibi quotannis se superstitem fingere, & facere secretò obsequia defunctis præstari solita, vti à pluribus fideliter factum scimus. VI. Indulgentias diligenter animabus applicare. Et maximè certè crudelitatis esse videtur, illud negligere.* His addere ex aliis licet. Sub Missę Sacrificio specialiter memoriam agere mortuorum, idque potissimùm sub *Memento* ipsis à Sacerdote fieri consueto; ad *Pax Domini sit semper vobiscum*, in calicem veluti cum Hostiæ sacræ particulâ animam vnam immittere: cum Sacerdote, si Sacramentaliter quis nequeat, spiritualiter saltem pro defunctis communicare. Sacro finito, Psalmum *De profundis*, aut *Pater noster* & *Aue Maria* aliquoties recitare; suorum anniuersaria diligenter annotare, atq; in ipsis specialia aliqua deuotionis opera perficere: Sacra quadraginta, quæ pro animabus designata sunt, vel dici curare, vel saltem audire, aut totidem actus virtutis alicuius elicere.

R. P. Antonij Sucquet è Soc. Iesu pro animabus praxis.

In Viâ vitæ æternæ, lib. 2. cap. 9.

8. Solent prætereà agonizantium fidi assistentes ab eorum obitu sese ad circumstantes conuertere, atque ab horum singulis eleemosynã aliquam pro defuncti requie expetere. Alij sunt, qui numismata aliquot ad hoc benedicta secum deferunt, tum vt morituris per illa de indulgentiis plenariis, antequam expirent, prouideant, tum etiam, vt hæc commodato per dies paucos defuncti consanguineis ac notis præstando, occasionem illis dent vti confiteantur & communicent, aliaque pietatis opera exerceant, quibus per Indulgentias eisdem numismatibus ab Apostolica Sede assignatas, eiusdem animam iuuent. Quidam etiam reperiuntur, qui pro Monasteriis, præsertim Monialium, res huiusmodi benedictas procurant, vt Religiosæ omnes vicissim illas habere possint, atque alternatim saltem, si non simul, consequi valeant Indulgentias, easq; Purgatorij animabus transscribere. Vnde locis nonnullis tanta prouenit hinc deuotio, vt eodem die vnum vel duo numismata totũ obeant Conuentum, & de manu in manum maximâ auiditate atque expectatione tradantur, vt vnaquæque lucrari

Instructio pro iis qui agonizantibus assistunt.

lucrari queat & sibi & defunctis indultam à Pontifice gratiam. Certis alibi locis hęc manent appensa, vt quælibet ad eadem accessum habeat. Neque illud in virginum tantùm Collegiis vsu receptum est, sed & apud viros nonnumquam vsurpari solet: & apud illos quidem, quibus altare priuilegiatum non est concessum, laudabilis ista consuetudo aut inualuit aut commendatur, vt Sacrista insigne aliquod numisma ad manum semper habeat, quod Sacerdoti, dum celebrat, oblatum, causa ei fit vt animam ex Purgatorio liberet, veluti fieri potest in benedictionibus Quinque Sanctorũ, S. Caroli Borromæi, & aliorum.

9. Alia aliorum quoque modernorum erga defunctos est deuotio, quâ non post Festum solùm omnium Sanctorum, sed & post Solemnitates Paschatis, Natiuitatis Dominicæ ac Pentecostes, Feriâ primâ non impeditâ solemniter celebrant mortuorum Officium, eodem ritu quo id fieri consueuit ipso die commemorationis fidelium animarum. Eluxit in hoc studio nuper Vrbs Siluæducensis, quæ, prô dolor! etsi tot sæculis inter Brabantiæ Belgiique vrbes Catholicâ pietate eminuit, & ab hæresi pænè sola (pænè sola dico, Louanium enim sociam vrbem habuit, quæ iam vna hanc lauream sibi vindicat) immunis permansit, nunc tamen, Catholicorum omniũ ingenti luctu, premitur ac gemit sub Batauico, ne dicam barbarò cippo. Spero tamen, hanc pientissimam praxim apud constantissimos in fide Catholicâ ciues Buscoducenses, quamquam hæreticorum præsidiis tantùm non opprimantur, inuiolabilem perstituram. Sed nec ideò, quòd publicus eius vsus apud Buscoducenses hæreticâ tyrannide extinctus sit, aliis ciuitatibus, quæ ab immani illo & plus quàm Turcico iugo adhuc sunt immunes, minùs gratum minúsve acceptum esse debet: quin potiùs ab iisdem eò feruentiùs exerceri, ne cessisse hæresi deuotio videatur, & impiissimis hæreticis insultandi Catholicis occasio præbeatur. Quod Religiones sacras attinet, habent illarum pleræque peculiares per annum assignatos dies, quibus & Officium integrũ defunctorum recitare, & solemne Sacrum decantare consueuerunt, prout in nostrâ fit tribus, vt vocamus, Ternariis, singulis Ternariis ter, hoc est nouies intra quemlibet annum. Nulla etiam siue apud Regulares siue apud alios Ecclesiasticos Sodalitas instituta est, quæ non postridie, aut aliàs die non impeditâ post festum suum principale, commemorationem agat animarum quæ ex eadem Confraternitate ex hoc sæculo migrarunt. Hæc adeò nunc sunt vbique vulgaria, vt in ipsis etiam mechanicorum opificiis inuiolabiliter obseruentur. Ceterùm Cõfraternitates apud Religiosos fundatæ mensibus singulis certum designatum diem habent, quo debita mortuis fiant obsequia.

Ciuitatis Siluæducẽsis laus.

10. Est etiam præter hæc alia nonnullorum pietas, vt non post Festa solùm præcipua defunctorum memoriam agant, sed ante illam quoque congruam præparationem instituant, quatenus in solemnitatibus illis abundantia meritorum vel à Sanctis quorum festa, vel à mysteriis quæ in iis recoluntur, in animas Purgatorij redundet. Hoc sibi olim gratissimum fuisse, Deus aliquando ostendit in S. Lidvvinâ, quemadmodùm refert Ven. Thomas à Kempis: *Cùm autem*, inquit, *præcipuæ aliquæ solemnitates instarent, per aliquot dies ante illa festa rapiebatur ad loca Purgatorij, vt videret calamitates afflictorum, qui auxiliis indigebant, nec sibiipsis poterant subuenire.* Et rursum: *In ipsis solemnitatibus rapta, pro eorum agnitâ redemptione tanto gaudio exultabat, quòd vix præ lætitiâ seipsam capere poterat. Licet autem ceteris diebus plures sæpiùs eriperet, in præcipuis tamen festiuitatibus multò plures & maiori copiâ, Deo propitiante, eripuit.* Non desunt etiam, qui celebrare illorum Sanctorum festa consueuerunt, quorum extraordinarius extitit erga animas illas affectus: atque in Ianuario in primis die 1. venerantur S. Odilonem; 19. Februarij, S. Martianum; 17. Martij, S. Gertrudem Saxoniæ; 14. Aprilis, S. Lidvvinam; 2. Iunij, S. Ludgardem; 24. eiusdem, S. Christinam mirabilem; 24. Augusti, S. Ludouicũ, Franciæ Regem; 10. Septembris, S. Nicolaum Tolentinatem; 15. Octobris, sanctam Matrem nostram Teresam; 16. Nouembris, B. Mariam Schaerbekanã; 2. Decembris, S. Franciscum Xauerium. Demum aliquorum ea cura est, quæ ab omnibus, meo quidem iudicio, meritò imitanda esset: nimirum statim atque aliquis diem vltimum obierit, schedulæ ad singulos Regulariũ tam virorum quàm feminarum Conuentus mittuntur, quibus eisdem defuncti anima, vt pro eâ Altissimum deprecentur, commendatur. Similiter & ad suggestus concionatorios per loca singula, vbi conciones haberi solent, eiusmodi schedulæ destinantur, vt Concionator publicè eas suis auditoribus prælegat, & spiritualem vnius Orationis Dominicæ & Salutationis Angelicæ eleëmosynam ab eisdem pro defuncti animâ emendicet, hác vel simili formulâ: *Tali die ex hac vitâ sublatus est N.* additurque nomen & conditio illius, *pro cuius animâ vestræ efflagitantur preces ob amorem Dei*, &c. Brugis, atque aliis Flandriæ locis, quando quispiam est mortuus, nolæ sonitu id per totam ciuitatem publicari solet, proclamante præcone aliquo locum futuræ sepulturæ, conditiones defuncti, cum expressione Confraternitatis, in quâ, dum viueret, nomen eius inscriptum fuit, vt conciues omnes & Confratres pro illo orent. Aliis in locis, vt Aldenardæ in Flandriâ, & alibi, habetur in exequiis concio quædam exhortatoria. Antuerpiæ quoque in Parochiali S. Georgij templo per eiusdem loci Pastorem D. Guilelmum Bolignium curatum est depingi imaginem deuotam, in quâ repræsentatur animæ in Purgatorij tormentis constitutæ: appositum est gazophylacium in quod deuotiores è populo fideles suas reponunt eleëmosynas, quæ postmodum pro celebrandis Missarum sacrificiis in animarum Purgatorij commodum expenduntur. Quid Belgij Episcopi adinuenerint pietatis, diximus dum de variis Confraternitatibus egimus.

S. Lidvvina pro defunctis labor.

Lib. 1. Vitæ eius c. p. 17.

Flandriæ ciuitatum consuetudo in prouocandis fidelibus ad orationẽ pro defunctis faciendam.

Insignis quoque nostrâ ætate quorumdam extitit zelus, qui ex professo pro dilatandâ erga Purgatorij animas deuotione Tractatus scripserunt & euulgarunt; suntque illi, præter eos quos Libro I. Cap. VII. recensuimus, Ven. D. Cornelius Columbanus, D. Petri in Gandauensi Flandriæ ciuitate Abbas, linguâ Belgij vernaculâ: Gallicè R. P. Stephanus Binet è Societate IESV Sacerdos; Hispanicè R. P. Dimas Sergius ex Ordine S. Francisci Assisij, & R. P. Martinus de Roa è Societate II.

Catalogus eorũ qui rationes iuuandi animas scriptis ediderunt.

Societate IESV, qui libellus, sub titulo *Status animarum*, in varias linguas ob vtilitatem & doctrinam translatus est; Latinè Venerabilis Pater Iosephus Geldolphus à Ryckel, ad D. Gertrudis in Louaniensi Brabantiæ ciuitate Abbas; denique R.P. Alexius de Salo, Capucinus, Italico idiomate edidit Triumphum animarum Purgatorij, qui in Gallicam linguam conuersus Duaci apud Bellerum editus est; è quo præter alia quamplurima quæ ibi legũtur, hæc à nobis Latinis verbis referenda selegimus. Ait ergo hunc in modum, breui facilique methodo omnes Christi patientis dolores animabus applicans:

Oblatio præcipuorum dolorum Domini nostri IESV CHRISTI, *quæ quotidie pro animabus Purgatorij facienda est.*

Die Dominico.

12. *Oblatio dolorum quos Christus in horto sustinuit.*

1. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro qualibet Purgatorij animâ, passionis tuæ tolerantias, ignominiosissimam in cruce mortem, & sacratissimum Sanguinem, quem pro nostrâ salute & redemptione effudisti.

2. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, angores atque mœrores, quibus afflictum cor tuum in horto angustiabatur; quando nimirũ omnia & singula tormenta, quæ tam intus in animâ quàm extrà in corpore die insequenti tibi perferenda erant, viuacissimè imaginationi tuę imprimebantur exhibebanturque, & præ angustiâ & tremore contremiscere te faciebant.

3. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, infinitam illam tristitiã, quæ in te ex mortis horrore oriebatur, adeò vt parum abfuerit quin præ doloris excessu animam efflaueris, prout discipulis tuis, mœstissimis hisce verbis significasti, cùm diceres: Tristis est anima mea vsque ad mortem.

4. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, humillimum & deuotionis plenissimum actum illum, quando nimirum, in grauissimo angustiarum tuarum articulo, Patrem tuum oraturus, genua tua flexisti, & pronam, in terram vsque, faciem declinasti, tum vt reuerentiam Patri tuo exhiberes, tum immensis doloribus, qui mœstissimum cor tuum premebant, adactus.

5. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, orationem illã ærumnosissimam, quã lacrymis & clamoribus inauditis Patrem orasti, vt calicem passionis à te transferret; & totum te diuinæ eius voluntati resignans dixisti: Non mea voluntas sed tua fiat.

6. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, ardentissimam charitatem tuam, quã, licet vndis tristitiæ obrutus, charissimos discipulos tuos inuisisti, ad vigilandum eos exhortans ne tentationibus eos superari contingeret.

7. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, refocillationem illam quæ ab Angelo tibi allata fuit: quia enim anima tua angustiis & doloribus vndequaq; erat afflictissima, ei succubuisses, nisi Angelica hæc Legatio cęlitus ad te missa fuisset ad roborandam & confortandam sacratissimam humanitatẽ tuam.

8. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, immensum illũ conflictum qui intra misericordissima viscera tua carnem inter & spiritum accidit, & ad mortis agonem te adegit: verùm spiritus sensibus præualuit, adeoque pro nostrâ salute libentissimè mortem oppetiisti.

9. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, tuam in oratione perseuerantiam, quamuis, doloribus & angustiis plenus, in agoniâ constitutus, & pronus ad terram vsque inclinatus, minimè exauditus fueris: in quo nimirum sensus tuos beatissimos hoc solatio priuari voluisti.

10. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, sacratissimum & pretiosissimum sanguinem illum, quem præ internis doloribus tantâ copiâ sudasti, vt vndique de sanctissimo corpore tuo in terram profluxerit.

Feriâ secundâ.

1. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, illam spiritus tui prõptitudinem, quâ te voluntariè mori demonstrasti, quando nimirum ab oratione surgens, & adhuc sanguineo sudore madidus, hostibus tuis obuiàm iisti, significans te esse quem illi quærerent. 13. *Oblatio eorũ quæ Dominus perpessus est à capturâ suâ donec ad Annam Pontificem duceretur.*

2. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, proditionem illã quam Iudas, vnus ex Apostolis tuis, commisit, pro triginta argenteis te Iudęis vendens, proditorioque osculo eorum te potestati tradens; qui mœror adeò acerbus & edax fuit, vt vnus ex illis censendus sit qui cor tuum afflictionibus nimisquam oppressum penetrarunt.

3. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, ingentem illam afflictionem atque angustiam, quam tum persensisti, cùm magnus militum numerus te inuasit, à quibus captus fuisti & tam crudeliter ligatus, vt sensus nostri illud comprehendere nullatenus valeant.

4. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, mirandam illam atque stupendam planè patientiam, quam in perferendis persecutoribus ostendisti, qui pugnis, baculorum hastarumque ictibus te percusserunt, insuper capillos tuos sacros è capite tuo euulserũt, & faciem tuam fœdissimis immundissimisque sputis & saliuis conspurcarunt, te, ô Agnelle innocentissime atque candidissime, ne verbulo quidem contradicente.

5. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, interiores actus, quos tantas inter afflictiones exercuisti, nimirũ actus amoris Dei, patientiæ, resignationis, Patri tuo semper. iniquas illas iniquorum aduersus te infestationes, quæ tibi inferebantur, pro peccatorum nostrorum satisfactione te offerente.

6. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, acerbissimum illũ dolorem, qui cor tuum diuinissimum cõtorsit, dum tantis in afflictionibus à charissimis tuis te derelictum videres, qui omnes, cùm te capi atque ligari vidissent, fugâ dilapsi erant, scriptum namque de eis habetur: Tunc discipuli eius relicto eo, fugerunt.

7. Offero tibi, dulcissime Domine IESV,

pro

pro animabus Purgatorij, illas iniurias, quas tibi satellites intulerunt dum ab horto ad Annam Pontificem te deduxerunt, incessanter te propulsantes, conuitiis diuexantes, festinantiùs te progredi cogentes, quandoque etiam te vi proterentes, præsertim in accliui vel decliui viâ.

8. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, atrocem illâ iniuriam, quâ te impij satellites torrentem Cedron, quà transeundum erat, solum peruadare fecerunt, idque tempore adeò frigido & brumali; te non sine maximo dolore & afflictione violentâ istam immanitatem sustinente.

9. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, id quod pertulisti, dum sic protrusus, humilis tamen, mansuetus, capite inclinato manibusque ligatis stetisti coram Pontifice Annâ, qui fastuoso vultu, veluti si homo sceleratus esses, te examinauit.

10. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, immanem illum colaphum, qui à vilissimo quodam seruulo impactus fuit. Vt enim fert opinio, factum id est manu ferreâ thecâ armatâ, adeò vt sacratissimæ gingiuæ tuæ inde grauissimè læsæ, vberrimum sanguinem reddiderint, & sacratissimi dentes tui tantùm non euulsi fuerint.

Feriâ tertiâ.

14. *Oblatio corũ quæ Dominus pertulit de nocte in domo Caiphæ Pontificis.*

1. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, illam contumeliam quam accepisti quando ligatus funibusque constrictus ad ædes Caiphæ Pontificis ductus fuisti, vbi exceptus fuisti aspectibus truculentissimis, constitutus inter medios inimicos tuos, qui rabidorum luporum instar ibi congregati erant.

2. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, omnes accusationes & falsa testimonia, quæ ab iniquis & sceleratis istis contra te dicta fuerunt: & quamuis tot tantique essent, nihil tamen veri in te prolatum aut comprobatum fuit, cùm semper mendacium destruat seipsum; tuaque innocentia tot inter calumnias velut lucidissimus Sol in mediis tenebris resplenduit.

3. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, silentium illud admirabile, quod obseruasti tum cùm tot falsæ delationes contra te Dominum innocentissimum proferrentur, impositis tibi plurimis falsis & à calumniâ ipsâ confictis criminibus: verùm tu ne quidem os aperire pro tui defensione voluisti, sed omnia summâ patientiâ tolerasti, exemplum nobis suggerens vt vestigiâ tua sequamur.

4. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, arrogantem illam adiurationẽ, quâ te exercuit superbus iste Caiphas vt expilcaretur num Filius Dei esses; cui maximâ humilitate, præ Patris tui reuerentiâ, esse te respondisti, & quòd extremo mundi die summâ cum maiestate venturus esses ad iudicandum orbem terrarum.

5. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, insultationem illam iniuriis plenissimam, quam expertus es cùm rebelles illi sublime adeò responsum à te accepissent, ad quod tamen protinus in terram se prosternere, & te verum Deum adorare debuissent: verùm te vice versâ velut blasphemum & reum mortis condemnauerunt.

6. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, rabidum istum furorem, quo (post responsum illud) perfidi Iudæi te inuaserunt, hoc tibi impingente colaphos, illo pugnis & alapis te contundente, alio bipenne te verberante, alio item fuste te dedolante: tu verò non solùm patientissime pertulisti, sed nec signum indignationis dedisti.

7. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, improperium istud, quod illatum tibi est, quando ex inuidiâ gloriosam faciem tuam cooperueruntputidissimis sputis: quæ res sanè adeò est indigna, vt semper quando exspuendum est, in reuerentiam illorum qui adsunt nos parumper auertamus. Illis tamen impiis nulla res tam immunda visa est quin eâ faciem tuam conspurcassent.

8. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, opprobriũ illud quo te insectati sunt perfidi Iudæi, quando linteo oculos tuos obuelabant, colaphisque te percutiebant, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit. Non poterant scelerati illi perferre splendidissimos qui è facie tuâ emicabant radios.

9. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, trinam Petri negationem, quâ iurauit & peierauit nosse te vmquam (magnum sanè in benignissimo corde tuo fulmen) sed tu infirmitati eius compassus, vultu humanissimo eum respexisti, vnde errorem suum agnoscens, valdè propterea indoluit, atque amarissimè fleuit.

10. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, reliquas omnes cõtumelias & iniurias quas eâ nocte pertulisti: ex quo enim in crudelium satellitum manibus & potestate fuisti, nullum tibi quascumque iniurias inferendi finem fecerunt.

Feriâ quartâ.

1. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, trinam eamque falsam & confictam accusationem tui coram Iudice Pilato aduersus te factam à Principibus Iudæorum, quasi nimirum esses seductor populi, tributa Cæsari dari prohiberes, Iudæorumque te Regem constitueres. 15. *Oblatio eorũ quæ Dominus sub auroram & inquè passus fuit, quæ sunt, vestis albo & flagellatio ad columnam.*

2. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, sanctam tuam humilitatem, quâ te per plateas vinctum duci, & Regi Herodi exhiberi permisisti, ad cuius interrogata nihil omnino (certis de causis) respondisti, ex quo superbus & crudelis iste tyrannus occasionem desumpsit te illudendi.

3. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, despectum à Rege illo tibi illatum, dum candidam vestem togæ tuæ superinduit, sed vilem & detritam, quæ te instar fatui derisui omnium exponeret, & vt per illam ludibrio haberere à militibus & aulicis eius.

4. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, obloquia & obmurmurationes contra te factas, dum sic instar motionis indutus per plateas vrbis Ierosolymitanæ ducereris; dum & aliis te pugnis contunderent, alij caput tuum percuterent, alij à tergo te subsannarent, alij mille iniuriis & conuitiis te onerarent;

tarent, stultum te & insanum reputantes.

5. Offero tibi, dulcisime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, terribiles & inconditos istos clamores, quando Iudæi immanes simul vociferarentur: Crucifige, crucifige, ad infamem crucis mortem te deposcentes, & Barrabam nefandisimum latronem vitâ donari volentes: qui vtique clamores velut sagittæ acutisimæ tua Matrisque tuæ pientisima viscera transfodiebant.

6. Offero tibi, dulcisime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, singulos passus, quos fecisti cùm ad locum flagellationis tuæ ducereris, idque tam sancto sensuum tuorum dolore, tantâ voluntatis promptitudine, tantaq; amoris & charitatis magnitudine, quæ efferent, vt vltrò ad tam horribile supplicium progrederis.

7. Offero tibi, dulcisime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, illos dolores quos sensisti dum vestibus tuis exueretis & ad columnam alligareris: quando nimirum adeò arctè cōstringebaris, vt sanguis è sacratisimis brachiis & innoxiis manibus tuis dimanaret.

8. Offero tibi, dulcisime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, duros & inclementes illos scuticæ & flagellorum ictus, qui tantâ violentiâ à trucibus istis carnificibus tibi inferebantur, vt ad primum etiam ictum sancta tua cutis dilaceraretur, caro discerperetur, & sanguis vndequaque copiosus effluxerit.

9. Offero tibi, dulcisime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, ingentem dolorem, quem habuit benedicta mater tua tam crudeliter te flagellari videns: quot enim tibi ictus inferebantur, tot tormenta angustiarum cor illius exercebant.

10. Offero tibi, dulcisime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, vehementisimos infinitorum vulnerum, quæ in corpore tuo sacratisimo vndique apparebant, dolores, vtpote quæ quinque millium & sexcētorum numerum longè excederent. Offero insuper illos dolores quos sensisti, cùm à columnâ laxatus, vestibus tuis reinduendus eras.

Feriâ quintâ.

16. *Oblatio eorū quæ sustinuit Dominus dum spineâ coronâ redimiretur.*

1. Offero tibi, dulcisime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, gressus illos doloribus plenisimos, quos fecisti dum ad Pilati regiā ducereris vt coronâ spineâ ibi redimireris; quādo nimirum præter acerbisimos cruciatus, insuper sanguis è vulneribus, quæ dirisimâ istâ flagellatione receperas, profluebat.

2. Offero tibi, dulcisime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, ingentem illam afflictionem, quâ te Pilati satellites premebant dum denuò vestes tuas exuerent, quæ ita carni tuæ adhærescebant, vt iterùm copiosissimus è vulnerato & lacerato corpore tuo sanguis diffluerct.

3. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, insignem illam ignominiam à militibus tibi illatam, qui illusionis gratiâ, Regem te facere simulantes, dorso tuo, loco Regalis indumenti, iniecerunt detritam tunicam purpuream; loco sceptri, arundinem dederunt in manus; loco throni regij, lapidi te in medio aulicorum illorum imposuerunt.

4. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, inauditam crudelitatē, quam in te exercuerunt sæuissimi illi carnifices, dum capiti tuo coronam è pungentissimis spinis contextam imponerent, eam arundinibus contorquentes, & ferratis manibus summâ vi infligentes, vt penetrantibus profundè admodum spinarum acuminibus tuum pericranium, acutissimi & vrgentissimi inde dolores cierentur.

5. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, pretiosisimum Sanguinem, qui vndequaque de venerabili capite tuo defluebat, quod instar cribri perforatum iam erat. Velut turtur ingemiscens sub spinarum onere, nihilo seciùs, ô benignissime Domine, internos actus operaris, fortitudinis nimirum, amoris & patientiæ, grauisimos illos dolores tuos pro mea salute Patri tuo æterno offerendo.

6. Offero tibi, dulcisime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, ictus & succusiones illas ferocisimas, quas arundine illa, quam sceptri instar in manibus tenere cogebaris, supra coronam spineam impingebant, vnde spinæ profundiùs penetrabant, vulnera dilatabantur, & copiosior sanguis profluebat.

7. Offero tibi, dulcisime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, irrisiones & subsannationes, quas perfidi milites contra te expuebant; postquam enim te tam dirè coronassent, ludibrij causâ genua flectebant, interim graues tibi alapas impingentes, inquientes, Salue Rex Iudæorum; eà in malitiâ pergentes, & te velut Regem honorare confingentes.

8. Offero tibi, dulcisime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, sputa & fœdisimas excreationes in diuinisimam faciem tuam à millibus illis inhumanisimis proiectas, idq; adeò impudenter tantaque copiâ, vt tota facies tua illis cooperta & defœdata fuerit.

9. Offero tibi, dulcisime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, virginalem pudorem, quo suffundebaris quando Pilatus te prope nudum populo exhibebat, insuper totum plagis & vulneribus confectum, inquiens, Ecce homo.

10. Offero tibi, dulcisime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, clamorem illum vagum & dissonum, qui à Iudæorum populo pro morte tuâ accelerandâ fiebat, dum execranda ista verba proferrentur, Crucifige eum: quibus sat exprimebant immane quo aduersus te ferebantur odium. quod fieri non poterat, quin magnorum tibi dolorum causa fuerit.

Feriâ sextâ.

1. Offero tibi, dulcisime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, cruciatus illos, quos habuisti, dum crucem ad Caluariæ montem portare cogebaris, quæ cùm alta & grauis esset ponderis, patulam admodum in humero tuo, super quo portabas, plagam excitauit: vnde tam atrox in dorso tuo efficiebatur vulnus, vt tres ibi vertebræ denudatæ conspicerentur, vnde dolor existebat infinitus. 17. *Oblatio eorū quæ passus est Dominus dū crucem suam ad Caluariæ montem portaret, & in eā crucifigeretur.*

2. Offero tibi, dulcisime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, innumeros illos cruciatus & dolores, quos immisericordes isti satellites in viâ tibi intulerunt, iam funem, quo ceruix tua ligata erat, arctiùs constringendo; iam te aculeis, quos calceis suis infixerant, te fodiendo; iam te impulsationibus immitisimis, fustium

stium verberibus, aliisque innumeris crudelitatis generibus affligendo.

3. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, quinq; illos casus, qui tibi sub tantâ crucis sarcinâ, quâ singula membra tua mirabiliter conquassabantur, euenerunt: totum enim, eheu! corpus tuum lapsibus istis diuellebatur, cùm interim nequissimi illi, protrusiones & verberum ictus ingeminantes, funibus te protraherent, capillis raptarent, donec alius in ferendo onere tibi succederet.

4. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, violentias illas quas in te commiserunt barbari & inhumani Iudæi, quibus te nimirum ciuitate suâ eiecerũt, cruce prægrandi super humeros onustum, funibus arctissimè ligatum, millenis subsannationibus illusum, ab vniuerso populo despectui habitum, & in latronum medio deductum, ac si sceleratissimus quispiam esses malefactor, aut creatura immundissima, quæ indigna esset eorum ciuitate.

5. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, infinitum illum dolorem, commiseratione dignissimum, quem tum sentiebas, cùm prędilectissima Mater tua, Virgo & Domina nostra clementissima in plateâ tibi occursabat, & dolorosissimè illa te tuque illam inuicem amplexabamini, vtriusque oculis lacrymarum riuis vberrimè defluentibus. Verùm haud diu sic permissus fuisti, sed ab illâ multo cum dolore separatus, verberum ictibus, viam prosequi coactus es.

6. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, languores & deliquia tua, dum pedibus ampliùs consistere non valens, crucémve vlteriùs portare, Simoni Cyrenæo illa imposita fuit: vbi iterùm fustibus & loris cæsus, montem conscendere violenter adactus fuisti.

7. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, amarissimum illum potum è vino & felle mixtum, quem impij illi tibi obtulerunt cùm omnino delassatus, corpore tremulus, & spiritu pænè destitutus in Caluariæ montem peruenisti. Quo, heu! paululum degustato, exsiccatæ fauces tuæ, letiferæ refocillationis amaritie infectæ fuerunt.

8. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, illud instans, quando nimirum iniquissimi isti, magnâ violentiâ & furore incredibili vestibus tuis, quæ iam propter saniem & cruorem cuti & vulneribus tuis impactæ tenaciùs erant, te exuentes, nouos dolores adaugebant, sanguine copiosissimè profluente, præcipuè è capite, ob profundam spinarum punctionem.

9. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, innumeros dolores illos quos perpessus es, cùm iam in cruce per crudelissimos istos carnifices conclauatus eras. Durissimi enim claui illi, qui manus pedesque tuos transfibant, etiam angustiatissimum dolentissimæ Matris tuæ cor transfixerunt.

10. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, sacrosanctissimum Sacrificium illud, quod tantis gemitibus & clamoribus æterno Patri tuo in altari crucis obtulisti, cuius virtute, mortisque tuæ iam iam instantis efficaciâ, iram ipsius leniisti, homo verò redemptus & cælum reclusum fuit.

Sabbato.

1. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, ingentes dolores illos, quibus corpus tuum afflictum fuit, cùm caput spinis esset plenum, facies ex alaparum vehementiâ liueret, odoratus Caluariæ fœtoribus offenderetur, os tuum præ felle & amaritudine esset insipidum, oculi cruore & sanie offunderentur, aures blasphemiis & conuitiis, & collum tumoribus scateret. 18.

Oblatio eorum quæ Christo acciderunt, dum cruci affixus viuus in eâ pependit.

2. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, omne id quod trium horarum spatio, quibus viuus in cruce pependisti, perpessus es, præcipuè verò dolores illos quos in manibus & pedibus è clauorum penetratione, de quibus sacrum corpus tuum pendebat, persensisti.

3. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, tormenta reliquorum corporis tui membrorum, dorsum excoriatum, humeros exulceratos, pectus laceratum, musculos neruosque incisos, ossium iuncturas luxatas, totumque corpus plagis & verberibus vndequaque perforatum.

4. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, dolores tuos interiores, quibus tantâ vehementiâ impetebaris, præcipuè verò compassionem illam, cùm Matrem tuam omnino præ angustiâ exanimatam videres, & Magdalenam tuam, summis lacrymarum gemitibus crucis stipitem amplexam, atque prædilectum discipulum tuum Ioannem, qui præ dolore animam efflare videbatur.

5. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, innumera vituperia & irrisiones quas Sacerdotum Principes tum Scribis & Pharisæis sub cruce contra te effutiebant, verbis mordacibus te proscindentes, sannis te eludentes, capita sua mouentes, & diuinum vultum tuum conuitiantes.

6. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, lacrymas & suspiria quæ in cruce emittebas, Patri tuo supplicans vt tam magnum peccatum ipsis indulgeret. Illud enim excusans dixisti: Pater, dimitte eis, non enim sciunt quid faciant.

7. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, ardentem sitim quæ valdè interiora tua arrodebat, vt exclamare cogereris, Sitio. quando nimirum inhumani & truces milites tibi porrigebant in spongiâ potandum acetum, (potum, inquam, vulneratis letalem) quod dum per omnia viscera tua percurrebat, excessiuos in corpore tuo dolores produxit.

8. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, planctum & eiulatum, quem edidisti, dum te à Patre tuo derelictum videbas, etiam ab omni rerum creatarum solatio. quem dolorem exprimens, de cruce clamasti: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?

9. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, vltimum illum dolorem tuum, quem sensisti dum diuina anima tua à corpore separabatur, quando etiam illam Patri

tri tuo æterno offerens dixisti: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

10. Offero tibi, dulcissime Domine IESV, pro animabus Purgatorij, omnes Matris tuæ dolores, quos habuit in monte Caluariæ, videns te in tantis cruciatibus & angustiis constitutum, in cruce ignominiosè morientem, lanceâ tam crudeliter latus tuum perforari, à cruce deponi, in suis brachiis iacentem, & denique infinitis lacrymis te ad sepulturam deferri.

19. *Quomodo hæ septem passionis Dominicæ Oblationes exerceri debeant.*

Quælibet harum oblationum facienda est eo ipso quo assignata est die, cum intentione iuuandi animas Purgatorij. Applicanda est, inquam, oblatio, animabus vel in genere vel in specie, prout ratio nobis suggesserit, vel prout Deus nobis inspirauerit. Poterunt dici vel corde, vel ore, vel etiam mentaliter, non quidem præcisè verbotenus prout hîc describuntur, quoad sensum tamen & ordinem historiæ Passionis Dominicæ. Et notandum est, quòd, si quæpiam illarũ Oblationum pro defuncto quopiam specialiter dicatur, loco, *Offero tibi, dulcissime, Domine* IESV, *pro animabus Purgatorij*, dicendũ sit, *Offero tibi, dulcissime* Domine IESV, *pro animâ huius defuncti* N. &c. proferẽdo verba illa in singulari, nõ in plurali. Insuper si quis ex deuotione quotidie illas Oblationes simul recitare voluerit pro animabus Purgatorij, plus eis solatij adferet (cùm opus sit pœnalius & magis charitatiuum) quàm si vnam solam recitauerit. Caue tamen ne propter Oblationũ multitudinem nimis præcipites aut cum distractione recites: præstaret enim vnam solam attentè dixisse, quàm sextam cum animi elõgatione. Hinc S. Hieronymus satius esse arbitrabatur vnicum solum Psalmum cum attentione, quàm integrum Psalterium cum distractione sensuum recitasse. *Mallem*, inquit, *Psalmum vnum cum deuotione & hilaritate mentis decantare, quàm totum Psalterium cum fastidio & acediâ.* Expediens proinde fuerit, eumque in finem quemcumque fidelium exhortor, vt confestim quàm quispiam amicorum vel consanguineorum obierit, ad templum se conferat, genua flectat, & quâ potest deuotione maximâ recolat dolores passionis Iesu Christi, hisce septem Oblationibus comprehensos, pro requie illius animæ: passionis enim huius oblatione (cùm tantæ sit virtutis & efficaciæ) poterit fortè eam è Purgatorij pœnis redimere, aut vt minimùm eximiè in suis eam tormentis consolari & alleuiare, spemque addere, quamprimùm eam ad cælum deferendam esse. Quò cùm appulerit, gratam se procul dubio exhibebit illi qui hoc ei modo subuenerit, nec vnquam eius memoriam deponet.

20. *Quomodo Oblationes illæ vsui esse possint Sacerdotibus ad præparandum se pro Missæ celebratione, & omnibus vniuersim Christi fidelibus ad dignam Communionem.*

Doctores sancti omnes volunt, & fideles ad id sedulò hortantur, vt priùs quàm ad S. Synaxeos participationem se conferant, Saluatoris nostri Iesu Christi passionem diligenter recolant; atq; inter reliquos, hoc maximè tẽpore ad illius contemplationem nos excitat Seraphicus Bonauentura. Nullus igitur genesius Christianus, & præsertim Sacerdos, ad tam sanctum & venerabile Sacramentum accedere debet, quin priùs breuem & succinctam aliquam Passionis Dominicæ commemorationem fecerit, eam vel corde meditando, vel è libro quodam pio recitando; vnde quilibet, ad sacram Communionem accessurus, summam vtilitatem capiet. Quòd si quis Sacerdos sit, nusquam ad Missarum celebrationem se conferat, quin aliquam earum Oblationum mente reuoluerit. Et quamuis etiam quælibet oratio & deuotio bona sit & commoda ad sacrosancti huius mysterij præparationem; præcipua tamen omnium est, deuoto corde Passionem Domini Iesu Christi offerre. Anni quamplures iam transierunt, quòd numquam omiserim exercitium Oblationis huiusmodi Pasionis, idque dum me præparo, eo ordine quo per hebdomadam assignatæ sunt. Notandum insuper est, quòd loco *pro animabus Purgatorij*, dicere quis possit *pro meis erratis & peccatis*, hoc nimirum modo, *Offero tibi, dulcissime Domine* IESV, *pro peccatis meis.* In fine præterea cuiuslibet oblationis offerenda sunt & reliqua opprobria quæ Dominus noster sustinuit præter ea quæ in Oblatione descripta, & ab Euangelistis expressa non sunt: offerenda sũt, inquam, pro occultis peccatis nostris, & quorum, per ignorantiam, neque cognitionem neque memoriam habemus, Dominum Deum semper in primâ personâ alloquendo. idque sub finem cuiuslibet oblationis, adeò vt, postquam recitauerimus decem pasiones in oblatione expressas, possimus adiungere: *Offero tibi insuper, Domino mi, reliquas ignominias & dolores quos sustinuisti, qui nobis sunt incogniti, neque per Euangelistas descripti sunt: offero, inquam, tibi pro omnibus peccatis, quorum nullam, per ignorantiam aut negligentiam, habeo cognitionem, & quæ me prorsus latent.* Sæculares, quibus est consuetudo præcipuis Dominicis & Festiuitatibus sacrâ Sinaxi vti, poterunt singulis vicibus recitare vnam ex istis Oblationibus, à primâ exordium capiendo, nimirum ab eâ quæ Dominicæ assignatur. Proximâ Dominicâ vel Festiuitate recitare poterunt eam quæ tributa est Feriæ secundæ, & sic consequenter, nullâ habitâ ratione diei cui Oblatio est assignata. Ideoque melius foret, si tempus & opportunitas suppetat, vt is qui Dominicis solùm & Festiuitatibus solemnioribus ad sacram Communionem accedit, singulis vicibus omnium Pasionis dolorum Oblationes recitaret: hac enim ratione aptior erit ad recipiendas plures gratias in augustissimo hoc Sacramento. Ne ergo, quin frequenter hoc in exercitio sæpiùs nos excolamus, vlla in nobis culpa sit: vt enim quod res est dicam, nihil in totâ Ecclesiâ Deo est acceptius, nihil quod efficaciùs peccatorum remissionem obtinere, aut celeriùs Purgatorij animabus succurrere possit, quàm hanc sacratissimam Domini Iesu Christi Pasionem offerre, cùm & ipsa Ecclesia iugiter id faciat, in sanctissimo Missæ Sacrificio, tam pro viuis quàm pro mortuis, & inde, velut ex inexhaustibili thesauro, indulgentiam eis dispenset. Vt denique summatim dicam, omnia bona, omnes gratiæ, & quidquid vel in terrâ vel in cælo salutare habere possumus, à Christi Domini Redemptoris nostri Pasione suam originem deriuant. Hactenus P. Alexius de Salo.

Sunt qui has preces haud insalubriter præscribant pro defunctorum fidelium animabus recitandas. 21. *Preces aliorũ peculiares pro defunctis. Ad Deum Patrem.*

Domine sancte Pater, Deus pietatis & bonitatis inuicta, & sempiternæ clementiæ; te supplices exoramus

L ll

pro

pro animabus fidelium defunctorum, vt respicias in faciem Christi tui, & in pœnas, passiones & amaritudines Domini IESV, easque omnes suscipere in vnione suauissimi cordis sui, & illius amoris, quo ipse seipsum in ara crucis pro nobis obtulit; atque ob amorem eius quo tibi complacuit, illiusque passionis quæ tibi summè grata exstitit, eas liberare digneris ab omnibus pœnis quas pro peccatis suis sustinent, & tecum factas in bonis congaudere [illegible]. Amen.

Ad Christū. *Domine Iesu Christe suauissime, qui per os tui Prophetæ dixisti: In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui. Obsecramus te per amorem, qui te dignissimum, innocentissimum & delicatissimum paternæ charitatis filium pro nobis factum hominem, vulnerari & mori pro salute hominum fecit, vt eamdem charitatem tuam, quæ te de cælo ad tolerandas omnium passionum tuarū amaritudines traxit: offerre & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro animabus tuorum fidelium, in veram omnium pœnarum eorum liberationem, & eadem Passione tuâ, cuius merito ad locum saluationis peruenerunt, eas etiam ad te plenè perfruendum perducas. Amen.*

Ad B. Virginem. *O intemerata & in æternum benedicta virgo Maria, totius angustiæ & miseriæ nostræ adiutrix: famulis tuis fidelibus defunctis, qui Filij tui Sanguine redempti fuerunt, miserere quæsumus, & succurre dulciter & amanter. Piissima Domina, monstra te esse matrem; & quæ es lætantium lætitia, & sperantium fiducia, afflictorum solamen esto, & pœnas sustinentium consolatrix. Offer, piissima Regina, Deo nostro amorem tuum, & fructum bonorum operum tuorum, in plenam suppletionem omnium negligentiarum, & in leuamen pœnarum suarum, quatenus meritis & intercessione tuâ sicut de potestate dæmonum sunt erutæ, sic à pœnis etiam liberatæ, cum beatis spiritibus Domino Deo, in cælorum regno beatissimo, spirituales persoluant laudes. Amen.*

Ad Angelos. *Gloriosissime Michaël, cui animarū suscipiendarum cura est demandata: beatissimi spiritus, qui fidelium defunctorum animas custoditis, quas Dominus vigilantiæ vestræ commisit, & quibus diligentissimè inuigilatis: easdem nunc inuisere, ac vestrâ præsentiâ, quæsumus, & visitatione consolari dignemini, vt inter pœnas constitutæ lætificentur, & meritis ac intercessione vestrâ liberentur, quatenus quorum consiliis obtemperarunt, etiam perpetuo, ad gloriam Dei, consortio gaudere possint in sæcula sæculorum. Amen.*

Ad Sanctos. *O gloriosissimi Sancti, quorum vel nominibus decorati, vel deuotione fuerunt cultores, fideles defuncti; quæsumus vos in gloriâ iam constitutos, eorum ne obliuiscamini, sed quibus in vitâ vestrum præsidium præstitistis, etiam nunc eo ne destituatis, sed sicut ipsi, dum in corpore manserunt, vestra nomina & deuotionem tenuerant, ita etiam nunc ipsi vos sibi sentiant esse propitios, vt quorum suffragiis nixi fuerunt, nunc iam eorumdem intercessione ac societate glorientur & gaudeant. Amen.*

Oblatio meritorum. *Et nunc Domine Deus superamantissime, licet temeritatis sit, vt mortalis mortalem, homo hominem, cinis cinerem tibi Domino Deo nostro audeat commendare, verùm quia vis nos inuicem compati & onera portare, piæ recordationis affectu memoriam fidelium defunctorum facientes, deuotumque humanæ charitatis complectentes, te Deum, cui omnia viuunt, fideliter deprecamur, vt eorum, quorum vna nobiscum fuit fides, vna [illegible], vna Ecclesia, misereri digneris. Indeque, piissime Pater tuam quæsumus misericordiam, respice Domine orationes seruorum tuorum, & si quid in operibus vel orationibus nostris tibi est acceptum, hoc, quidquid fuerit, in vnione cordis Christi offerimus in reconciliationem tuæ pietatis erga animas defunctorum, vt quos de huius mundi voragine cænosâ eduxisti, indulgentiæ tuæ piam sentiant bonitatem: & si quæ supersunt dignæ cruciatibus culpæ, tu eis Domine gratiâ mitissimæ lenitatis tuæ indulge. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Ad ipsas animas. *Animæ sanctissimæ, cœtus spirituum fidelium defunctorum, ecce affectu charitatis rogamus & obsecramus Deum nostrum, vt vos ad patriam recipiendo, finem dignetur inferre angustiis vestris, quibus ex corde compatimur, vos obnixè rogantes, vt cùm felix ille dies aduenerit, quo diuini muneris largitate, ad cælestia gaudia intrabitis, nostri memores sitis; quatenus dum viuimus in miseriis huius sæculi cōstituti, vestram sentiamus opem; & dum dies noster vltimus illuxerit, vestro præsidio non destituamur. Dum verò etiam nos (sic indulgente Dei bonitate) ad locum purgationis fuerimus deputati, etiam orationibus vestris adiuuemur, vt sic vobiscum Deum æterna per sæcula laudare (ad quod conditi sumus) mereamur. Per Dominum nostrum, &c. Amen.*

Sunt iterum alij, qui deuoto affectu hanc pro fidelibus defunctis ad B. Virginem Mariam recitare solent 22.
deuotissimam Prosam: *Prosa ad B. Virginem pro defunctis.*

Languentibus in Purgatorio,
Qui purgantur ardore nimio,
Et torquentur graui supplicio,
Subueniat tua compassio, O Maria.
Fons es patens, quæ culpas abluis,
Omnes sanas, & nullum respuis,
Manum tuam extende mortuis
Qui sub pœnis languent continuis, O Maria.
Ad te, pia, suspirant mortui,
Cupientes de pœnis erui,
Et adesse tuo conspectui,
Et gaudiis æternis perfrui, O Maria.
Clauis Dauid, quæ cælum aperis,
Nunc, beata, succurre miseris,
Qui tormentis torquentur asperis,
Educ eos de domo carceris, O Maria.
Lex iustorum, norma credentium,
Vera salus in te sperantium,
Pro defunctis sit tibi studium
Assiduè orare filium, O Maria.
Benedicta, per tua merita
Te rogamus, mortuos suscita,
Et dimittens eorum debita,
Ad requiem sis eis semita, O Maria.

℣. A portâ inferi. ℟. Erue Domine animas defunctorum. ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus veniæ largitor, & humanæ salutis amator: quæsumus clementiam tuam, vt nostræ congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beatâ Mariâ semper virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Amen.

Referam denique deuoti Lectoris in gratiam, 23.
quod Hispanicâ linguâ haud ita pridem Madriti *Pia praxis*
edidit Venerabilis Dominus Franciscus de Ro- *Venerabilis*
jas, hæc in verba: Cùm eximia Dei famula, Ma- *Agueda de*
ter Agueda à S. Cruce, multas animas è Purga- *S. Cruce.*
torio liberare desideraret, quantumuis ideò quemcumque laborem aut molestiam subire deberet, disciplinas verò aut alia pœniten-

tiæ

tiæ opera iam non ampliùs efficere, vt solebat, posset aut valeret, Dominus Deus ipse eam edocere dignatus est, quomodo pro illis maximâ mentis puritate & munditiâ orare deberet. In libro Vitæ eius fol. 195. & 196.

Oratio pro se ipsâ:

Æterne Pater, te per Iesum Christum filium tuum, meum Dominum & Redemptorem, oro & obsecro, vt indulgere digneris omnes culpas, errores, defectus, imperfectiones, & quæcumque alia, quæ per vitæ meæ cursum cogitatione, verbo & opere commisi, & in quibus sanctam & diuinam voluntatem tuam facere & exequi neglexi, & quodcumque contra proximum meum & contra egenos perpetraui, quod à rectitudine, diligentiâ & curâ, secundùm quam meritò ob amorē tuum agere debueram, alienum est & deuium, & tu purga atque emunda animam & corpus meum.

Hanc orationem (dixit Deus ad illam) recitabis antequam pro aliis ores, & statim me rogabis pro animabus Purgatorij, inquiens:

Oratio pro animabus Purgatorij.

Æterne Pater, per Iesum Christum filium tuum pretiosissimum, & per amorem quo homo factus est vt pro homine pateretur, & per merita sanctissimæ passionis & mortis eius, & propter immensum amorem quo passus est, pretiosumq́; Sanguinem suum pro toto humano genere profudit, te rogo atque oro, vt è Purgatorij pœnis liberes animas meorum parentum & consanguineorum, item Confessariorum meorum, qui salubribus consiliis me iuuerunt, mihiq́; benefecerunt, item inimicorum meorum qui mihi malefecerunt; & generaliter te oro pro omnibus fidelibus defunctis, qui in Purgatorio ad patiendum ibi detinentur.

Frequentiùs (subiunxit Deus) hanc repetes: & quotiescumque eam recitaueris, animabus maximo erit iuuamini, vt illæ, pro quibus oraueris, è Purgatorio liberentur. Neque tibi solùm hanc iuuandi & liberandi hoc modo è Purgatorio animas gratiam concedo; verùm etiam omnibus, qui in nomine meo atque cum intentione iuuandi animas eam recitauerint, atque hoc à me petierint, si in gratiâ fuerint, eadem eodem modo liberandi facultas erit: tu enim es filia mea in oculis meis adeò prælecta, & adeò mihi grata & accepta, vt quicumque mihi dixerit hæc quæ te docui, memoriâ suâ meam passionem recolens, non possim quin, solitâ meâ benignitate, ea libens admittam, atque diuitiarum & misericordiæ meæ gazas, ad præstandam eam illis animabus in Purgatorio existentibus, pro quibus ea recitata fuerint, promptissimè pandam atque aperiam.

24. Denique quò nihil omnino, quod meritò desiderari possit, desit, en pro scholasticis ingeniis insignem eorum quæ Purgatorium spectant, per decem Aristotelicas categorias deductionem: quam paucis abhinc annis viri grauissimi in Germaniâ ediderunt, & publicè disputandam proposuerunt in illustri Wirceburgensi Ducatus Franconiæ Academiâ. Hanc, inquam, quia raris paucorum manibus teritur, quò magis vndique innotescat, hic iisdem planè verbis adscribo, eo vel maximè nomine, quòd omnium hactenus à nobis dictorum sit velut synopsis & compendium. Sic ergo Wirceburgenses:

Materia Purgatorij & animarum synoptica secundùm categorias Aristotelicas exegesis.

Substantia.

Substantiæ sunt purgandi spiritus, sed imperfectæ, verumtamen multis perfectis perfectiores, omnibus iis scilicet quæ materiam tamquam sui partem requirunt. Imperfectæ sunt, quia hominum partes, illæ, quas animas dicimus: solæ enim animæ purgantur, præter animas spiritus nullus. Verumtamen non omnes animæ purgantur: quia non Gentilium, non hæreticorum, nec iam etiam Iudæorum. Sed nec omnium Christianorum; quia non in omnibus quod expurgetur reperitur. Quid purgabis in super niuem dealbatis? qui cum innocentiâ hinc discedunt? qui peccata, quæ commiserunt, dignis pœnitentiæ fructibus expiarunt? Quid, quòd quidam in Purgandorum numero non sint, quamuis peccati graui pondere grauentur? Hi sunt, qui cum solo originali, quod ab ortu contraxerunt, discedunt. Qui igitur purgantur? Christiani. Iusti, an iniusti? Iusti, & soli iusti. Omnes, an aliqui? Aliqui. Et qui illi? Quicumque cum venialibus ex hac vitâ discesserunt, quicumque pro mortalibus dignis pœnitentiæ fructibus non satisfecerunt. Duo sunt hæc purgandorum spirituum genera: præter hæc non alia. Quicumque ad horum alterum pertinent, nisi expolientur, cælestibus ædificiis apti non sunt.

Quantitas, quæ Molis dicitur, in his non quæritur; quia materiâ, quæ huius fundamentum est, sunt expertes. Inuenitur tamen aliquando apud ipsos, quamuis rarissimè. Quando? Dum in assumptis, Angelorum operâ, corporibus, rebus viuentium intersunt, aliàs numquam. Quantitas, Virtutis quæ vocatur, inuenitur. Quanta verò? Quanta ipsarum fuit dum propria corpora circumferrent. Omnino tanta? Hæc ex parte minor, illa maior. Discreta inuenitur, non quæ est ex diuisione continui, sed suppositorum constat multitudine. Magnus numerus purgandorum spirituum est, fuit, erit. Tantus, vt quidam multitudini hominum æquent, quamuis malè. Inuenitur Durationis quantitas, quia longo breuiq́; tempore purgantur: non instanti, quod indiuisibile quidam, quamuis impropriè, tempus appellent. Et quanto, quæso, purgantur? Nouit Deus, experiuntur spiritus. Nos non æquali omnes: non breuissimo omnes, non longissimo omnes; quosdam breui, quosdam longo. Errant, qui ad diem iudicij purgandorum spirituum tempus prorogant. Errant, qui vnius anni spatio metiuntur breuissimum. Errant, qui longissimum spatio annorum decem. Purgantur, donec persoluant nouissimum quadrantem, quem alij citiùs, quia minus debent; alij tardiùs, quia plus debent, persoluunt. 25. *Quantitas.*

Qualitas, quoad prima eius genera omnia, ad spiritus purgandos se non extendit. Species generum quorumdam in ipsis plurimæ, sed duorum maximè, naturalium potentiarum, atque habituum. Potentiarum quædam in ipsis sunt tamquam in radice, quædam formaliter. Prioris generis sunt, quæ sine corporis operâ functiones suas exercere nequeunt; posterioris, quæ quamuis corpore aliquando vtantur, tamen corpore absolutè non indigent. Priores variæ sunt; posteriores duæ, aut, si mauis, tres, intellectus, voluntas, & mouendi vis. Ex his intellectus & voluntas subiecta sunt habituum, qui in ipsis tamquam propriis sedibus resident; & habituum plurimorum, diuersissimorum, virtute præstantissimorum, quamuis inæqualium. Quorum verò? Intellectus supernaturalium atque naturalium: qui quamuis non eodem modo, ad eadem tamen ipsis seruiunt, dum corpora sua circumferunt, & à corporibus sunt expediti. In supernaturalibus sunt Fides, dona quædam Spiritus sancti, Prudentia, atque Character. plures haud puto. Fides illa, quæ inter virtutes Theologicas primatum obtinet. Hæc ipsos vsque ad regni cælorum portas comitatur. Non vlteriùs? Non vlteriùs. Dona, quibus iusti in rebus fidei per- 26. *Qualitas.*

perspiciendis iuuantur, quamdiu ipsis Fides deseruit. Prudentia illa, quæ in infusarũ virtutum numero habetur, & infusos in hac vitâ deserit numquam. Character, qui Sacramentorum alter effectus est, & semel animæ infixus, inde euelli non potest. In naturalibus sunt habitus quos intellectiuos vocant, si quidem ipsos, dum in corporibus degerent, habuerunt: neque enim cum morte tolluntur, non cum vitâ præsente expirant. Hi intellectus habitus. Voluntatis haud pauciores, si non plures: nam & ipsa supernaturalibus instructa est & naturalibus. In supernaturalibus eadem bis genera quæ in intellectu, in naturalibus similiter. Ex virtutibus Theologicis sunt Spes & Charitas, quarum prior ad cælorum portas comitatur; posterior easdem ingreditur, nec herum suum deserit aliquando. Ex Spiritus sancti donis sunt pleraque, quæ vt charitatis sunt indiuidui comites, ita iisdem cum charitate sedibus morantur. Ex virtutibus quas Cardinales infusas dicimus, est iustitia duplex, & sociæ eius plurimæ: quæ si actus suos singulæ exercere non possunt, hoc quod possunt præstant, subiectum suum ornant egregie. Dictæ omnes supernaturales sunt. Ex naturalibus, si ex hac vitâ discedentes Iustitia inuenit, comitatur; alias nequaquam. Quid de Temperantiâ atque Fortitudine? Quibus illis? Infusis ac inquisitis? Vtrisque. Dubium inter doctos. Nos formaliter conuenire negamus & has & illas. His, quem diximus, purgandorum spirituum, potentias secundùm, præcipuus ornatus est. Hac virtutum instructi egregia supellectile, etiam in sua miseria maxima.

27\. *Relatio.* *Relatio in ipsis multiplex, quoniam ad multos, Deum, Angelos, dæmones, viuentes, pœnarum socios, damnatos. Dei sunt filij, quamuis non æquè intensiuè omnes: quidam enim chariores multis adhuc viuentibus, quidam quibusdam cælitibus, etiam Angelis, etiam Archangelis, etiam supremorum multorum ordinum spiritibus. Angelorum sunt conciues, quamuis non re, Spe tamen certissimâ, quæ non potest confundere: quinimo fide, quæ efficit vt de societate ipsorum sibi obtingenda dubitare non possint. Dæmonum sunt hostes, & ipsorum hostes dæmones: hi tamen non ipsis, sed his ipsi molesti esse possunt, & sunt aliquando. Viuentium amici sunt, etiam peccatorum, etiam infidelium de quorum salute est spes aliqua. Amicitiam autem & animo fouent, & rebus ipsis persæpè ostendunt. Sociorum in pœnis socij sunt, & boni socij: socij in certâ spe salutis, in benefaciendi studio, & omnium, & singulorum. Personarum acceptio apud ipsos locum non habet. Damnatorum sunt inimici, non contra charitatis iura, sed zelo diuinæ iustitiæ; quia quæ patiuntur & merentur, illis fauent supplicia. Quemadmodum variæ sunt relationes, ita relationum fundamenta varia multipliciaq́;. Filij Dei sunt per gratiam, conciues Angelorum per merita, hostes dæmonum per ipsorum peccatum, viuentium amici per charitatem, bonorum socij per præmiorum identitatem, inimici damnatorum per iustitiæ zelum.*

28\. *Actio.* *Actio his spiritibus omnino tribui debet: agunt enim, imo non possunt non agere, non possunt non viuere. Quomodo verò agunt? quid agunt? quo fructu agunt? Non se, varia, paruo. Explico. Quomodo igitur? Non sua substantiâ. Illa non nisi remotum actionum principium est; & potiùs illa agere dicitur, quàm per illam ipsi agere. Principia actionum ipsorum sunt præcipua, intellectus & voluntas. His agunt. Quid verò? Intellectu vera percipiunt, voluntate recta volunt. In veris quæ percipiunt, quædam præterita sunt, quædam futura, quædam præsentia. Ad præterita refero quæcumque in hac vitâ cognouerunt, quorum speciebus destituti non sunt. Ad futura, quæ ex his possunt coniicere, siue certâ fide, siue probabili coniecturâ, siue demonstrationis necessitate. Ad præsentia, quæ coràm quasi conspiciunt, vt sunt pœnarum socij, loci qualitas, tormentorum ratio, & similia. Quid de absentibus? Hæc, quamuis quodàmmodò præsentia sint, & tunc sint quando ipsi sunt; non cognoscunt. Ergóne ignorant quæ apud nos geruntur? quæ ipsorum causâ viuentes faciant? Ignorant. Nullo modo scire possunt? Vno. Quo? Per reuelationem. Quorum? Viuorum qui hinc discedunt ad ipsos. Angelorum etiam, maximè propriorum, quos omnem ipsorum curã deposuisse verisimile non est. Recta quæ volunt, quædã Spei actiones sunt, quædã Charitatis officia, quædam operationes Iustitiæ. Sperant beatitudinem, & summis desideriis ad ipsam anhelant, Dei nixi misericordiâ, & suis, non quæ iam sibi comparant; sed olim in corpore compararunt, meritis. Officia Charitatis exhibent, Deo maximè & viuentibus. Pro his orant, illum amant, & ita, vt etiam quæ ipsius voluntate & imperio patiuntur supplicia, & ferant libenter, & maiora pati, si quidem ille ita iuberet, non reformidarent. Ad Iustitiæ operationes refero, quòd sua iustè agnoscunt voluntateq́; supplicia, quòd damnatorum probent tormenta, Deiq́; regnum cupiant crescere, expulsis inde cunctis vitiorum sordibus. Quidquid agunt ex proposito, virtutis opus est. Nulla ipsorum actio indifferens, nulla peccatum est, ne veniale quidem. Possunt non bene agere, non possunt agere malè. Hæc agunt quæ diximus, & ita agunt vt diximus. Sed quo fructu? Multò inferiore iam quàm dum viuerent. Poterant tunc agendo mereri sibi, aliis; iam nec sibi, nec aliis. Actiones ipsorum, dum viuerent, poterant esse impetratoriæ, meritoriæ, satisfactoriæ: iam non possunt esse meritoriæ, non satisfactoriæ, sed tamen impetratoriæ. Et impetratoriæ possunt esse aliis, non sibi. Ipsis nouissimus quadrans est persoluendus, nisi aliunde inueniatur.*

Passio, si quod natura ex se potest attendas, in spiritus cadere non potest, illa præsertim quæ corporum & virtute contrariarum qualitatum peragitur. 29. *Passio.* *Patiuntur tamen hi spiritus, sed non à spiritibus. Patiuntur à corporibus, & à corporum patiuntur qualitatibus, & ab iisdem grauia patiuntur tormenta, & in quibus possunt partibus patiuntur, patientissimi semper. Patiuntur, quia hoc ipsorum meritis debetur. Quæ malè agendo debita contraxerunt, benè patiendo persoluunt: iustissimè, misericordissimè. Patiuntur, non à spiritibus. Quibus enim? Angelis bonis? Nihil minus. Angelis malis? Indignum. Spiritibus hominum? Non hoc ipsorum officium. Deo auctore spirituum? Per se neminem ille punit. A corporibus patiuntur, igne inquam. Non quia Deo alia media desint quibus ipsorum peccata vindicet, sed quia ita vult. Quod vult, vult ratione rectâ, iustisq́; de causis. A corporeis patiuntur qualitatibus, quia ignis in ipsos agit veris, quamuis miris, modis. Patiuntur grauissima tormenta. Id ignis nomen, à quo pati dicuntur, insinuat. Ignis enim vis agendi grauissima inter omnia, quæ agere apta nata sunt, corpora. Sed si iusta pœna, quomodo omnium grauissima? An omnium debita grauissima? Nec omnium est pœna grauissima: leuem quidam, quidam leuiorem, quidam etiam leuissimam patiuntur. In quibus possunt partibus patiuntur, in intellectu, in voluntate. Hæ præcipuæ, si non solæ, partes sunt quibus pati possunt. In pœnis nulla ipsorum querimonia, nulla impatientia, nullum impatientiæ signum, patientia insignis, laude, quamuis non meritò, digna.*

Vbi

30. *Vbi.* *Vbi verò patiuntur? Non in cælo, non in inferno, non in Patrum aut puerorum limbo, non in terrâ, aëre, aquâ, sed suo nomini conuenientissimo loco. Cælum Beatorum est sedes, illorum inquam, in quibus nihil coinquinatum labe peccati, nihil debito persoluendo grauatum, nihil quod non vt aurum in igne probatum. Infernus damnatorum locus est, quibus nulla ad cælestia regna spes, quæ his spiritibus est certissima & perspectissima. Limbus Patrum aut puerorum, non pœnarum suppliciorumq́; est schola, sed carcer, non-beatorum olim Patrum & puerorum, nunc puerorum tantùm. Terra data est filiis hominum, quemadmodum cælum cæli Domino. Viuentium habitatio est, non vitâ defunctorum, qualescumque sint illi. Aqua piscibus destinata, volucribus cæli aër; & si alios fines habent, vt purgandorum spirituum sint proprius locus, non habent. Purgatorium est Vbi siue locus purgandorum spirituum, locus infra terram, supra infernum, inferno proximus. An solus is? Vt plurimum hic, certè proprius hic. Alius quandoque seruit, terra inquam, tum frequentiùs, cùm rebus viuentium spiritus interesse sæpiùs obseruantur. Quamuis verò quandoque extra Purgatorium locum sint spiritus, non sunt tamen sine purgatorio. Vbicumque sunt, suas secum purgatorias pœnas circumferunt, & purgantur. Ad hoc Vbi siue purgatorium locum perueniunt, non soli, quomodo viam in ignotâ regione inuenirent? Ducem itineris habent fidelem: & quidem Angelum ducem habent. Malum, an bonum? Bonum: & illum eumdem qui ipsis datus est quando primùm corporibus vniti fuerunt. Ducis hic officio fungitur, non vectoris, non impulsoris: quia præcedentem sequuntur non inuiti & coacti, sed sponte & libentes. In itinere moram nullam faciunt. quid opus? Si tamen alicubi quosdam hærere contingat (contingit aliquando) quamuis non sint tum in purgatorio loco, sunt tamen in purgatorio igne. Vt ad Vbi siue purgatorium locum perueniunt, ità inde discedunt; comitati, si non pluribus, certè suo semper proprio Angelo custode.*

31. *Quando.* *Quando purgantur? Nondum corpora adhuc inhabitant, quamuis iam sint ipsa relicturi. Non post aliquot tempora, aut temporis etiam breuissimum spatium. Mox à morte, post latam à Iudice sententiam purgatio incipit. Omnibus propemodum temporibus purgatio hæc viguit, omnibus inquam, quibus mortales hanc præsentem cum mortali vita commutare cœperunt. Viguit tempore Legis naturæ ad duo propemodum millia annorum: ad duo millia annorum tempore Legis Moysis: ad duo propemodum millia annorum tempore Legis gratiæ. An etiam quando Christus ad inferos descēdit, & captiuam accepit captiuitatem? Certè si purgandos animos ex pœnis eripuit omnes, purgatorium reliquit, illudq́; mox in redemptorum locum alios suscepit. Vigebit autem non omni tempore. Quòd si dies illa inueniat quædam in spiritibus purganda, illa ignis, qui conflagrationis dicitur, perfectè expiabit, & quidem æquali tempore, quamuis purganda futura sint inæqualia.*

32. *Situs.* *Situs in purgandis spiritibus frustrà quæritur, quoniam ille corporis est, non spirituum. Si, quis loci sit vbi purgātur, quæritur, iam superiùs diximus vicinum esse inferno. Sed quantus qualisq́; locus? Vt magnus sit admodum, necesse non est, quoniam non corporibus purgandis destinatus est, sed spiritibus, quorum multitudo quàm maxima minimo loco & esse, & cū voluptate esse, & cùm molestiâ esse potest. Vt sit minimus, vix est credibile, cùm portio quædam sit inferni qui paruus non est, & inferno post diem iudicij restituenda. Obscurus verò admodum locus est. Nec mirum, quia in visceribus terræ, quò Solis lumen radiis suis penetrare non potest. Num illustratur infernali igne, quo abundat? Non illustratur, lumen ille ignis non præbet. Si quod præbet, non tantum, vt loco illustrando sufficiat. Nulli in hoc loco dæmones, nulli damnati, nulla damnatorum vel purgandorum hominum corpora, nulla animalia, nulli vermes, serpentes, bufones. Ignis ibi & purgandæ animæ, præterea nihil. Boni Angeli aliquando inueniuntur, non vt purgentur (mundissimi sunt) sed pro spirituum purgandorum solatio & officio.*

Habitus eadem quæ Situs est ratio. Corporum est, frustrà in spiritibus quæritur. Si quis tamen spiritibus suas vestes conuenientemq́; habitum tribuere velit cum sacris Litteris, inueniet non nudos, sed egregiè vestitos, & vestitos vestem nuptialem. Nec mirum. Iam ingressuri ad nuptias Filij Dei; à quibus profectò, si hac destituti comparerent, cum ignominiâ repellerentur. Fortè hanc vestem, postquam benè purgati, induuntur? Non induuntur. Induuntur dum eamdem sibi comparant, dum communem hanc nobiscum vitam agunt. purgati iam induuntur stolam gloriæ. Et non igne purgatorio illa consumitur? Non consumitur. Perfectior accessione aliquâ redditur? Non redditur. A næuis & maculis solùm, quas contraxit, expurgatur, suoq́; nitori restituitur. Charitas hæc vestis est, quæ non ita in hac vitâ comparari dicitur, quasi propriis hominum viribus aut etiam meritis habeatur, sed quia non congeneratur. Quæ tamen meritis non habetur, meritis conseruatur, illustrior redditur, incrementum sumit, difficiliùs perditur. 33. *Habitus.* Hactenus Theses illæ, quæ sub præsidio R. P. Petri Thyræi Societatis IESV Doctore, & Professore, publicè Herbipoli disputatæ fuerunt.

CAPVT XXXVIII.

Deuotus quoque sexus femineus plus quàm virilem hoc in negotio mortuorum operam præstitit.

EXclamauit aliquando sapientium ille Sapientissimus, & exclamando quæsiuit: 1. *Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de* Prou 31. *vltimis finibus pretium eius.* Rectè quidem, & ita quidem rectè, vt commodè in defunctorum materiâ eis vti possimus, præsertim cùm immediatè præmissum fuerit: *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo: bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur ampliùs. Aperi os tuum muto, & causis omnium filiorum qui pertranseunt: aperi os tuum, decerne quod iustum est, & iudica inopem & pauperem.* quibus demum subiungitur, *Mulierem fortem,* &c. quasi verò difficulter mulier inueniatur, quæ in præstandâ afflictis misericordiâ sese fortem exhibeat. Salomonis fortè tempore talem reperiri, rarum fuerit; posterioribus certè sæculis plurimæ eiusmodi siue viragines, siue heroinæ, inuentæ fuerunt: & quidem si de animarum Purgatorij conditione agamus, prout agimus, adeò pleræque virgines & feminæ excelluêre, vt non solùm cùm viris fortissimis Arenæ se cōmittere

auerint, verùm etiam sæpè palmam præripuerint. adeò vt in hoc sacro pietatis exercitio valeat illud Apostoli: *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret.* (1. Cor. 1.) Etiamsi enim multa erga defunctos charitatis & affectus pij officia præstita sint & exhibita à viris, haud tamen minora, sed fortassè maiora censenda sunt, quæ in eodem pietatis genere à mulieribus patrata fuerunt, quorum nonnulla hîc apposuimus testimonia & specimina, vt aliis nostri temporis pijs feminis similem affectum animarum adderemus, viris verò pudorem, si à feminis se in pietate superari videant, iniiceremus. Et quamuis nonnulla e superiùs dictis repetenda sint, inconcinnitatis aut tautologiæ non proinde nobis nota inurenda est, cùm & eundem sacræ Scripturæ locum à grauissimis Ecclesiæ Catholicæ Scriptoribus varia pro occasione variè applicari obseruauerim; & alioquin commune Belgarum sit prouerbium, *Bonam cantilenam repetere decorè licet.* repetemus ergo earum quarum & alias meminimus feminarum, nomina, sed alia hîc referemus pro defunctis facta.

2. Prior ergo in ordine, & veluti choragus, sit ille Mariarum Euangelicarum beatus ternarius, quibus non sufficiebat defunctum Christi corpus semel aromatibus, dum iam sepulturæ tradendum esset, condiuisse, sed tertio insuper die iterùm noua aromata sibi compararunt, & summo manè ad sepulchrum festino se cursu cõtulerunt, vt denuò illud ei pietatis obsequium deferrent. O deuotum femineum sexum! ô mirum amoris erga Saluatorem affectum! Non satis tibi fuerat (te enim, te inquam alloquor, ô beatissima Magdalena) eum, dum viueret, tuis facultatibus sustentasse; mortuum etiam, non sine singulari affectu, contempto mortis periculo quod à Iudæis imminere tibi poterat, & quod iã omnes Christi discipulos in turpem fugam dispersèrat, quibus potes officiis prosequeris. Quæ itaque tibi digna laus erit, aut quæ remuneratio? Certe non modò tantùm affectui tuo debetur, vt vbicumque prædicatum fuerit Christi Euangelium per totum mundum, simul referatur quid à te factum fuerit, idque in memoriam & laudem tuam; sed mereris insuper, quod & assecuta es, primã de Resurrectione Dominicâ certior fieri, dignaque haberi quæ ipsis Apostolis & aliis Domini discipulis sepulchri gloriam annuntiares, cuius illi ignominiam erubuerãt, in passione consortium subterfugerant, & officium suum præstare neglexerant. O vtinam hanc virilem tuam animositatem, tuam erga defunctos fideles curam, vniuersi fideles sic imitentur & assequantur, vt gloriosæ quoque resurrectionis nuntium & consortium mereantur obtinere.

Tres Mariæ Euangelicæ ex nonnullis feminarum erga defunctos deuotarum.

3. S. Paula, illustris illa vidua, cuius vitam D. Hieronymus conscripsit, tota ei studio vacare videbatur, vt mortuorum simul corpora & animas curaret. Vt enim cadauera defunctorum ritè terræ mandarentur, cõ lucere solebat, & pretio ad lucere qui id officium exhiberent, de suis facultatibus illa suppeditans quæ idonea & necessaria essent ad demortuorum corpora decenter inuoluenda: quod pietatis & charitatis egregium officium dignis quoque laudibus prosecutus est D. Hieronymus, sic de eâ scribens: *Quis inopum moriens non illius vestimentis obuolutus est?*

S. Paula ... pro defunctis laborat ... & aliæ piæ viduæ, ... rum

De S. Maximillâ in Vita S. Andreæ Apostoli Romano in Breuiario sic dicitur: *Maximilla Christo amabilis, tulit corpus Apostoli, & optimo loco cum aromatibus sepeliuit.* Lucina femina sanctissima corpora SS. Apostolorum Petri & Pauli, vna cum S. Cornelio Papa e Catacumbis in opportuniorem & honestiorem locum transtulit, & corpus quidem S. Pauli in suo prædio Via Ostiensi prope eum locum, vbi gladio percussus fuerat collocauit. Aliorum etiam Apostolorum & Sanctorum aliæ piæ & deuotæ feminæ curam gesserunt, eoque nomine passim laudatæ reperiuntur: quarum exempla non eo fine adducimus, quòd hæc ideò ab illis facta arbitremur vt Sanctorum illorum animas e Purgatorij tormentis eriperent, quas certum erat rectà ad cælum subuolasse; sed vt inde elucescat, quam sollicitam etiam feminæ Apostolorum tempore curam curandorum funerum habuerint. De spirituum tamen, qui præcipuus noster quò collimamus scopus est, consolatione & refrigerio procurandis si loquamur, videbimus, quantas eadem sancta vidua Paula tam corporales quam spirituales pro Purgatorij animabus eleemosynas erogauerit. Præterquam enim quòd haud exiguum pecuniarum & argenti pondus pauperibus distribuerit, seruos & mancipia manumisit, orationibus semet mancipauit, ieiuniis aliisque asperitatibus corpusculum suum macerauit, totam denique se diuino seruitio in perpetuum cõsecrauit, vt Torentij olim viri sui animam Deo commendabilem faceret, cui iam defuncto ita condolebat, vt moritura & ipsa videretur, adeoque nihil non, quod ex ritu Ecclesiæ, & de more priscorum Catholicorum, ad animarum salutem citiùs procurandam conducibile habebatur, assiduè operaretur. Haud absimile exemplum e Belgio nostro, & quidem in cunis & fasciis adhuc fidei Catholicæ iacente, sumere possumus. Sancta nimirum Itta siue Itsberga, Pipini primi Brabantiæ sanctissimi Ducis vidua, marito mortuo omnibus rebus sæculi, diuitiis, honoribus, deliciis, aliisque Principatui annexis vanitatibus seriò valedixit, velumque à S. Amando Ordinis D. Benedicti Religioso, sub eiusdem Sancti Regulâ postmodum victura, suscepit, tum vt Christo commodiùs inseruiret, tum vt maritum suum Deo meliùs commendaret, eiusque animam, si quâ fortè pœnâ detineretur, eximeret. Ex eadem porrò Pipinorum progenie, virtutum atque perfectionum omnium domicilio quasi hereditario, ampla seges se offert animarum in Purgatorio afflictarum curam sollicitissimam gerentium: vtraque primùm eorumdem Ducum filia, S. Gertrudes Niuellensium Abbatissa, quæ tantopere in animarum obsequiis apud Deum valuit & præualuit, vt B. Bauo, Gandensium olim Dynasta & modò Patronus, post obitum suum ei appareret, & lintea, quibus corpus suum inuolueretur, & preces etiam ad Deum fundendas expeteret; & D. Begga, quæ postquam maritus eius Ansegilus occisus fuisset, pro animæ eius solatio & requie peregrinationem sacram Romam vsque instituit, indeque in Brabantiam redux, septem, ad Vrbis Ecclesiarum similitudinem, Oratoria construxit, in quibus pro mariti anima Deo preces offerrentur.

S. Maximilla. *S. Lucina.* *S. Itta Brabantiæ Ducissa.* *Stirps Pipini deuotorum & Sanctorum ferax.* *S. Gertrudis.* *D. Begga.*

rentur. vnde pius ille sanctusque Belgis mos innotuit, vt pro septem Ecclesiarum vrbis Romæ indulgentiis lucrandis, eisque aliquorũ defunctorum animabus applicandis, totidem à Pontifice designata vel templa vel in vno templo altaria frequentare & obire soleant. Quid

S. Kunegundis.

S. Kunegundis Imperatrix erga mariti sui Henrici Imperatoris animam præstiterit, è superioribus notius est quàm vt hic repetendum sit: nimirum non solùm abundantissimas pro eâ eleëmosynas in egentes & pauperes distribuit, sed & corpus suum molestissimis carni asperitatibus afflixit, & amorem castissimum, quo viuum illum tenerrimè prosecuta fuerat, etiam erga defunctum inuiolabiliter seruauit. Præcipuè verò animum eius Religiosorum hominum orationibus (quod obseruatu dignum est) commendatam voluit; quòd *iustorum*, vti ipsa dicebat, *preces plurimum valeant apud Deum*, vt habet Surius in eius Vitâ. Alia insuper, viduarum pro documento, vidua est B. Ida, quæ & ipsa, Erberto

B. Ida.

marito suo defuncto, omnia, vt mariti animam promptiùs iuuaret, pauperibus erogauit, rigidissimasque pœnitentias & austeritates suscepit atque in se exercuit, cellulæ denique se angustissimæ mortificationis causâ inclusit, in quâ tot & tam mirãda pro mariti animâ operata est, vt viduis omnibus lucidissimum speculũ, viuumque erga primum maritum amoris & charitatis demonstrandæ exemplar esse posit. De Euphrasiâ vxore Antigoni suprà item diximus. Sed &

S. Elisabetha Hungariæ.

in hunc viduarum numerum veniat Diua Elisabetha, Andreæ Regis Hungariæ filia, cui dormienti (vt in eius Vitâ scribit Iacobus Montanus apud Surium) matris vmbra visa est, quæ lugubri vultu flexisq; poplitibus rogabat vt sui quàm primùm misereretur, se enim ob vitam negligentiùs actam duras in igne pœnas soluere. Non negauit pia filia matris afflictæ animæ efflagitatum subsidium, sed, pio & Catholico more ita instructa, vberrimas lacrymas & preces pro illâ ad Deum fudit: quæ adeò validæ fuerunt, vt statim, quàm denuò sopore obrueretur, eadem matris ei anima apparuerit, & immortales pro maturâ liberatione gratias egerit. nec hoc solùm, sed & insuper adiecerit, tanti apud Deum eius preces reputari, vt tam vitâ functis, quàm iis qui adhuc superessent, subuenire auxilio posit.

4. *Virgines insuper etiam suam operam contulerunt, vt SS. Praxedes & Pudentiana.*

Virginum iam classem intramus, in quâ primùm conspicimus duas sanctissimas sorores, SS. Praxedem & Pudentianam, Pudentis illustrissimi Romanorum Senatoris filias, quæ in contemplatione D. Mariæ Magdalenæ non impares, nec D. Marthâ in corporalibus charitatis exercitiis minores, non solùm Catholicos pauperes suis facultatibus aluerunt, sed mortuos etiam sepulturæ tradere ac Christianis obsequiis prosequi satagebant: quod in virginibus imprimis laudabile fuit, & illâ maximè tempestate summopere mirandum, quâ nimirum fides Ecclesiæ adhuc erat recens, & dirissimæ Imperatorum aliorumque Ecclesiæ hostium acerbissimorum vigebant persecutiones. Sed virginum harum in mortuorum obsequio tantus erat feruor, tanta generositas, vt potiùs quàm hoc charitatis studium intermisserint, apertissimę se morti obtulerint. Verùm, licet ipsis gratissimum fuisset, simul cum mortuis aliis, ob eorum sepulturam procurandã, sepulturâ carere, & sæuissimis quibusque bestiis obiici, aut volucribus rapacissimis ad deuorandum exponi, noluit eas Dominus Deus aliter quàm in pace quiescere, per quas tot Christianorũ corpora in vitâ, & animæ post obitum quieuerant. Quod vtinam non solùm admirentur sed & imitentur aliæ virgines, quibus hodierno tempore, saltem ob hanc rem, nullus vel persecutionis vel mortis est timor, quin potiùs maior exercendæ charitatis occasio. S. Ger- *S. Gertrudis Saxonica.*
trudis de Saxoniâ Ordinis S. Benedicti (in Monasterio quodam, medio tantùm milliari ab oppido Islebio Comitatus Mansfeldensis, distante, Abbatissa) mirum & pænè incredibile est, quantum pietatis & charitatis in defunctorum animas exhibuerit. Obtulerat hæc omnia sua merita & satisfactiones in illarum subsidium, eaque ipsa à se ita quodammodò alienauerat vel abdicauerat, & in defunctorum animas transtulerat, vt nudam se & omni boni operis merito spoliatam crediderit. Idem porrò vt ab aliis sui Conuentus Monialibus fieret, auctrix fuit & hortatrix, mirabilesque pœnitentias & deuotiones pro mortuis in suo corpusculo exercuit, imò omnes languores suos ac diuturnas multorum annorum infirmitates in eorum leuamen liberalissimè consecrauit, prout videri potest in Libris diuinarum Insinuationum eius, in quibus plura adhuc alia referuntur, quæ suis nos locis recitabimus. Iam quid S. Catharina Senensis, *S. Catharina Senensis.*
virgo ex Ordine S. Dominici, pro defunctis fecerit, hinc apparet, quòd passim magno studio & austeritate spiritibus Purgatorij adiutricem dexteram adhibuerit. Cùm enim intellexisset, patrem suum flammis purgãtibus esse addictum, à Deo petiit & obtinuit, vt eius in se tormenta recideret. vnde vehemens illam dolor colicus statim inuasit variisque & grauissimis morbis tamdiu fuit afflictata, donec patris cruciamenta finita essent, cælumque intrare dignus reperiretur. Hæc ipsa sacra virgo etiam pro matre suâ defunctâ diuinam Maiestatem tantopere precata est & exorauit, vt mortali vitæ restituta fuerit. Nec omittenda singularis compassio illa, quam habuit atque ardentissimè exercuit S. Lutgardis è Cistertientium Ordine summæ perfectio- *S. Lutgardis.*
nis Monialis, quâ nimirum & ipsa se totã iuuandis Purgatorij animabus impendit. Vnde, vt refert Surius ex Thomâ Cantipratano Vitæ eius scriptore, Innocentius III. ei apparuit, seseque tormentis Purgatorij addictum esse conquestus est, humiliter eam obsecrans, vt, pro solitâ suâ erga mortuos pietate, se precibus suis commendatum habere velit, suisque pœnitentiis & satisfactionibus liberationem sibi procurare dignaretur: quod & illa quàm potuit citissimè præstitit, tandemque Pontificem, è pœnis illis liberatum, æternis gaudiis asseruit. Nec verò ille S. Lutgardis affectus in personis primæ notæ & auctoritatis stetit, sed ad pauperes quoque & vilissimos homines vsque se diffudit. Cùm enim ei aliquando ostensum esset, pauperculæ cuiusdam viduæ animam in igne purgatorio dirè torqueri, vllam consolationem admittere noluit, donec suis illam precibus liberasset: quam & posteà liberatam, sibique pro charitate ob tentã gratias agentem ad superna gaudia summo cum tripudio conscendere conspexit. Adeò verò se in

hac animarum charitate exercebat, vt meritò de ipsâ diceret B. Maria Oegniacensis, quòd tunc temporis nulla in vniuerso mundo persona reperta fuerit, quę tantopere Purgatorij animabus addicta esset. Non enim aliquam vel requiem habere, vel vllâ in re se oblectare poterat, nisi pro defunctis in Purgatorio detentis, aut pro peccatoribus viuentibus priùs preces fudisset, & pœnitentias nonnullas pro iisdem exsoluisset. Et quia S. Mariæ de Oignies mentionem fecimus, obiter hic annotandum est, quòd merita illius cum laude inter istas recensenda sint, quæ miras, vt mortuos iuuarent, austeritates assumpserunt.

B. Maria Oegniacensis.

5\. Chrysostomus Henriquez de B. Idâ Niuellensi refert, quòd præter solita charitatis opera, consueuerit, etiam vltra vires & posse, circa ægrotantes pernoctare, & Vigiliis Monialium defunctarum instanter adesse, & sic Deum propter Deum dimittere, vt proximis suis per charitatem seruiret. Habet idem Auctor de eadem virgine, quòd cùm ei reuelatum fuisset, animam patris cuiusdam Religiosæ, pro quâ ipsa orare quandoque solebat, in Purgatorij suppliciis torqueri, vsq; adeò eius cruciatibus compassa fuerit, vt à Domino petierit, se, quacumque diuinæ eius Maiestati perplaceret infirmitate affligi, quò anima illa è Purgatorio eriperetur. Audiit Deus hanc precationem, & exaudiit, eademque horâ validissima eam febris concussit, vt sex integris inde hebdomadibus decubuerit, & denique, post multas preces, & patientiæ nobilissimum specimen, animæ illi requiem & è pœnis suis redemptionem impetrauerit. Ioannes item Gillemannus, Sanctorum stemmatis Carolini, & aliorum, Belgij potissimùm, vitas describens, de virgine quadam sublimissimæ perfectionis & sanctimoniæ, dictâ Maria van Lille, quæ Herentaliæ in Antuerpiensi diœcesi Beggina fuit, summâ cum legentium admiratione affirmat, eam praxim quamdam mirabilem, & iuuandis simul pauperibus huius vitæ & animabus Purgatorij accommodatissimam, adinuenisse. Quia enim vtrisque, tum pauperibus tum animabus, consultum volebat, Conuentum quemdam instituit Begginarum, in quo, quidquid manibus lucrari eæ possent, in pauperes viuentes pro defunctorum liberatione distribueretur. Hanc in Congregationem se conferebant, quotquot singularis quidam iuuádi animas defunctorum affectus permouerat, quæ & eò diligentiùs & libentiùs operabantur, quò se videbant viuorum simul & mortuorum necessitatibus vnâ eademque actione subuenire, verè charitatis & misericordiæ filiæ. O insigne virginis illius inuentum! ó eximium pro virginibus nostris stimulum! Liceat huic inuétrici applicare id quod Sapiens scripsit de muliere forti: *Considerauit agrum, & emit eum: de fructu manuum suarum plantauit vineam. Manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperes. Non timebit domui suæ à frigoribus niuis: omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.* O institutum à Deo inspiratum & benedictum! nam & breui multiplicatum fuit, & diu postmodum perstitit: an verò post ingentes & barbaras planè Brabantiæ nostræ per Caluinianos factas deuastationes, exustiones, templorum Monasteriorumque conflagrationes, idem institutum adhuc alicubi perseueret, necdum rescire potui. Tu, Lector, quæ de hoc egregio facinore ex Vitâ eius manuscriptâ exscripsi, habe.

Lib. 2. de 5. Virginibus prudentibus Ordinis Cisterc. ex Vitæ eius capite 30.

B. Ida Niuellensis. Cap. 5.

Maria van Lille.

Prou. 31.

6\. Cùm fidelissima hæc Christi famula [nimirum B. Maria van Lille] vereretur omnia sua opera quæ fecerat, sciens quòd Dominus non parceret delinquenti, cùm venerit iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem, cogitauit quòd ipsum placaret muneribus quæ præcederent, & posteà cùm viderit eum, propitiaretur sibi. Ipsa enim velut altera Rahab, quæ Læta vel Dilatata interpretatur, audiens quòd Iosue, qui alio nomine Iesus nominatur, Princeps filiorum Israël, scilicet Christus Iesus, primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ, appropinquaret vt vrbem Iericho, id est hunc mundum, subuerteret & anathematizaret, & omnes amatores eius in finali iudicio, quando eis dicet, Ite maledicti in ignem æternum; idcircò irruit terror eius super eam, & elanguit cor eius, nec remansit in eâ spiritus, cùm recordaretur diei aduentus illius. Ne igitur cum Iericho & habitatoribus eius, id est cum mundo & amatoribus illius, anathematizaretur & interficeretur, suscepit nuntios, quos ad eam direxerat Iosue, id est Dominus Iesus, vt quomodo ipsa misericordiam & humanitatem eisdem nitebatur exhibere, ita etiam apud verum Iosue misericordiam posset inuenire. Nuntij igitur quibus ipsa misericordiam præstabat, qui à Iosue, id est Christo, ad eam mittebantur, fuerunt pauperes in hoc mundo, & animæ defunctorum quæ adhuc detentæ erant in Purgatorio; & quomodo ipsa humanitatem & misericordiam eisdem sollicita fuit exhibere, sic etiam apud iustum iudicem misericordiam mereretur inuenire. Hi igitur nuntij visitabant domum eius. De pauperibus in hoc mundo omnibus patet, quotiens ad eam veniebant eleemosynas petentes ab eâ quibus largâ manu subuenit. Animæ etiam defunctorum interdum, vt ipsa asseruit, eam visitabant, gementes, & vocibus lamentabilibus suam inopiam ei exponentes, quæ expectabant ab ipsâ subsidium & releuamen. Ipsa autem, quia pia, & misericors, valdè compatiebatur eis, & prout potuit, tunc consolari solebat. Hos etiam nuntios quodammodò operuit, velut altera Rahab, lini stipulâ quæ apud ipsam erat. Nam quæsiuit linum, & operata est consilio manuum suarum: manumq; suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum, vt laborando & filando haberet quo pauperum inopiæ posset subuenire, & tribuere necessitatem habenti. Nam de filaturis, seu lino filato, pannos lineos fieri fecerat, quorum pretio recepto, pauperes & egenos pauit in hoc sæculo. Cumque hæc misericordiæ opera pro omnibus animabus defunctis in generali ex nimiâ charitate Deo offerret, vt mitteret partes iis qui non præparauerant sibi, imò nec præparare nec etiam iuuare se possent, etiam pauperes, etiam captiuos refecit in Purgatorio, imitans in hoc facto Virgines prudentes, quæ acceptis lampadibus sumpserunt oleum secum. Cùm enim secundùm præceptum Domini in veteri Lege ignis charitatis semper in altari cordis debet ardere, necesse est lampades misericordiæ oleo in proximos replere, alioquin huiusmodi lampades

Cap. 18. & 19.

Historia illa ex Scripturâ applicatur ad de Rahab.

Mirabile illius inuentũ, vt animabus Purgatorij succurreret.

des oleo misericordiæ & compassionis carentes sine morâ extinguuntur. Quia igitur hæc præclara Christi famula, spiritu Domini Guillelmi quondam Curati sui sibi apparente didicerat, quòd maxima charitas quam quis in hac vitâ exercere potest, in hoc consisteret, vt subueniret animabus in Purgatorio detentis, idcircò velut altera Rahab, pietatis opera studuit augere. Nam cùm ipsa lata esset ex charitate, cupiens, quãtum in se erat, omni petenti se tribuere, etiam hanc charitatem, quâ ipsa flagrabat, in cordibus Sororum suarum studuit dilatare, dum exemplo suo ad similia charitatis opera nitebatur prouocare. Solebat enim, sicut dictum est, linum comparare ac præparare, sicque in profestis pro se nere vel filare non solerent ad domum eius conueniebant, & eam adiuuabant nendo, vel filando de lino præparato. Aliquibus quæ domi remanere volebant, certam quantitatem ponderis de prædicto lino eis offerebat plus vel minus, vnicuiq; secundum propriam virtutem. In huiusmodi pietatis exercitio laborauit & perseuerauit vsque in finem. Nam quamuis seipsam indignam reputaret ad hoc quòd animæ defunctorum per eius labores aliquod refrigerium obtinere possent, fiducialiter tamen sperabat, easdem animas magnum refrigerium & releuamen meritis suarum Sororum recipere, quæ nendo vel filando pro ipsis de pœnis Purgatorij liberandis solebant laborare. Hac igitur de causâ, magnâ diligentiâ sollicita fuit huiusmodi officium continuè exercere, vt videlicet defunctorum animæ per hoc à pœnis liberarentur, & ad requiem æternam euolarent, & Sorores suæ per hæc charitatis opera multum mererentur, & gratiam apud Deum inuenirent. Et ne tale charitatis opus post eius obitum periret, ideò valdè diligenter quasdam de suis Sororibus, quæ apud eam in vltimâ suâ ægritudine fuerant, admonuit & rogauit, vt hoc pium opus, quod ipsa exercere consueuit, non permitterent perire, sed vt pro animabus liberandis laborarent, & vt linum emerent, & offerrent Begginis per curtem habitantibus ad filandum, & ad opera misericordiæ exercendum, vt sic oleum pietatis & compassionis pro proximis Deo offerentes, ipse Dominus vice versâ oleum misericordiæ super viuos & defunctos dignaretur effundere, ex quo oleum effusum est nomen eius, & de plenitudine eius omnes mererentur accipere, gratiam pro gratiâ, gratiam inquam præmiorum pro gratiâ meritorum; vel gratiam supernæ benedictionis pro gratiâ pietatis & compassionis. Huic etiam deuotæ virgini in vltimâ ægritudine laboranti, vt ipsam consolarer, promisi, quòd pro tali officio exercendo, quo ipsa se occupare cõsueuerat, domum construerem, si, & in quantum Rectrices curtis domum, in quâ ipsâ habitabat, pro huiusmodi officio exercendo non ordinarent. Quo audito, ipsa valdè exultauit, benedicens Dominum, sperans quòd desiderium suum exaudisset Dominus, & pium opus à se inceptum cresceret vsque ad perfectum diem. Quod autem sibi promisi, Domino cooperante & adiuuante compleui, construens domum in curte prædictâ, in quâ locatæ sunt illæ quæ laborant diligenter pro eleëmosynis augmentandis in subsidium pro animabus in Purgatorio detentis, vsque in hodiernum diem. Et non minuitur, sed quotidie crescit & augmentatur hoc pietatis opus, ita vt aliis filantibus, vel alios labores pro eleemosynis augendis peragentibus, aliis verò redditus hereditarios, aut pecunias pro redditibus emendis, offerentibus, eleëmosynæ crescant de die in diem, Domino disponente, qui tangit corda illorum vel illarum, qui vel quæ ad similia pietatis opera prouocentur. Sicque huius piæ institutionis, & vt ita dicam, sanctæ nouitatis, vtpote quæ priùs non est visa, inuentrix, atque domus animarum in curte nostrâ constructæ, fundatrix fuit hæc deuotissima Christi famula Maria dicta van Lille: quæ quia suo exemplo multos ad iustitiam erudiuit, fulget in regno æternæ beatitudinis quasi splendor firmamenti, & quasi stellę in perpetuas æternitates. Sic ille.

Quod per se facere posse non credit, effecturũ sperat per Sorores suas Beghinas.

Multis annis B. Mariæ van Lille perdurans ibidem deuotio.

7\. Inter plurimas alias è Tertio S. Francisci de Pœnitentia Ordine in hoc sublimissimo charitatis erga fidelium defunctorum animas exercendæ affectu excelluit Madriti in Hispaniâ B. Ioanna de la Croy, Abbatissa in Monasterio S. Mariæ ibidem. Hæc & per sumptionem sanctissimæ Eucharistiæ, orationes continuas, ieiunia, & rigidissimas corporis sui mortificationes, mortuorum spiritus viuificauit, atque Sorores insuper suas vt ad idem excitaret, modos plurimos adinuenit quibus efficaciter hanc charitatem exequerentur. Narratur de eâ in Vitâ ipsius manuscriptâ necdum editâ, quòd cùm eam Religiosæ eius importuniùs vrgerent, quatenus aliquam sibi diuinam gratiam ad benefaciendum impetraret, à Deo obtinuerit, vt die quadam Angelus omnium Sororum Rosaria seu Coronas in cælum deferret, quæ ab ipsamet diuinâ Maiestate benedicta, ac Monialibus reddita, ad omnem impetrandam virtutem fierent efficacia, & idonea vt specialibus ab Apostolicâ Sede gratiis & Indulgentiis donarentur pro animarum Purgatorij refrigerio. Quare præter alias gratias, quas Gregorius XIII. Paulus V. aliique ante hac Pontifices, non tantùm Rosariis, sed singulis eorumdem granis, vel etiam granis illis quæ hæc attigissent, concesserant, indulserunt vt singulis Feriis sextis recitando toties S. Crucis adorationem, & ipso Parasceues die eamdem repetendo, quoties fet, totidem animas è Purgatorio quis liberare valeat. Quod priuilegium, ne ex multitudine granorum quæ quotidie ipsa præcipua primaria grana contingunt, paulatim in despectum abiret, Vrbanus VIII. restrinxit ac prudenter temperauit: & illas quidem, quæ iam granis illis quæ primaria attigissent collatæ erant indulgentias confirmauit, participationem tamen earumdem illis quæ in posterum ea attactura essent reuocasse fertur. Sed & S. Lutgardis virgo pro defuncto Simone, nobili quodam viro, ieiunium suscepit, intellexitque posteà, eumdem quieti Sanctorum donatum, & ab omni molestia purgatorij ignis liberatum. Sic & Leoba virgo ieiunium triduanum, quod pro virgine quadam indixerat, cum orationibus, eidem profuisse intellexit. Et Tetta virgo integerrima, Regis Angliæ soror, virgini sorori defunctæ, quę ob nonnullas peccatorum labeculas pœnas luebat, oratione veniam impetrauit: cuius argumentum fuit ipsius tumuli terra quæ subsederat, & rursus assurrexerat, hiatumque inanem replebat,

B. Ioanna de la Croy qualis erga defunctos affectu.

Cap. 10.

Ieiunarunt etiam pro mortuis aliæ mulieres.

Quem

8. *S. Teresia.* Quem porrò affectum, quam compassionem habuerit S. Mater nostra Teresia erga animas in Purgatorij tormentis detentas, quin hoc in loco dicam omittere nequeo. Quas ergo pœnitentias subierit, quas corporis molestias sustinuerit, nemo melius effabitur quàm ipsamet, quæ in libro Vitæ suæ earum nobis aliquam partem indicauit. Viginti continuis annis, inquit, perpetuo sub Solis ortum vomitu afflicta fui, qui ad meridiem vsque, nonnumquam etiam diutiùs durat, vt ientaculum sumere numquàm potuerim: & singulis vicibus grauissimos inde dolores sentio, præsertim circa præcordia: præter paralysis aliosque febrium morbos accessorios. Acerrimis insuper flagellis, non modò è duris funibus, sed etiam vrticis & clauibus, ad sanguinis vsque effusionem se verberare consueuerat, cum reiteratione super plagas præcedentes necdum integrè persanatas; tum etiam ferreis catenis acuminatis cincta incedebat, & in vepribus se (vt de S. Benedicto legitur) volutabat. Quibus & plurimis aliis pœnitentiæ operibus, corporis sui valetudinem destruxit, nec tamē proinde, ægra quamuis esset, cilicia vmquam & verbera deseruit, sed insuper ex febri in lecto decumbens, ad solitam cum aliis Monialibus disciplinam surgebat. His accedebat rigidissima à carnibus (quamuis illius esum morbi eius deposcerent, & Medici imperarent) abstinentia; durus lectulus paleis stratus, & subucula lanea rudesque vestes quibus vsa fuit, licet, ex indulto Regulæ, potuisset aliquid de istâ austeritate remittere. Hoc etiam, dum iter faceret, obseruabat: maioresque pœnitentias fecisset, nisi à Confessariis suis prohibita fuisset. Dicebat quippe, se (cùm vehementem impetum Deum videndi patiebatur) nullâ re magis quàm corporis maceratione quiescere, ægreque ferebat quòd Confessarij eam reprimerent, & potiùs tripudiare videbatur quando mortificandi corporis aliqua occasio offerebatur, vt ex dicto eius colligi potest, quod fuit, *Aut pati, aut mori*, hoc est, Aut pati debeo vt viuam, aut mori si non patiar. vere & genuinè in se exprimens illud D. Petri Apostoli: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini; quia qui passus est in carne, desiit à peccatis.* Et quamuis hisce, & aliis quamplurimis, quæ breuitatis causâ, datâ operâ silemus, satisfactionis atque pœnitentiæ operibus perfectissimis immensum sibi apud Deum meritorum cumulum coaceruasset, tanto tamen erga afflictas illas animas compassionis & commiserationis affectu tangebatur, vt libens & vltrò, pro earumdem citiore liberatione, omnia sua perfectionis, pœnitentię, satisfactionum, meritorum, & quorumcumque pietatis, charitatis, deuotionis, iustitiæ, paupertatis, mansuetudinis actuum opera hilari eisdem animo transscriberet, & sese iis omnino priuaret, modò iis animæ iuuarentur. Et certe euentus plurimarum animarum comprobauit, eius orationibus plurimas è Purgatorij tormentis exemptas fuisse, prout alibi fortè latiùs insinuabitur.

Qualibus ipsa austeritatibus exercuerit.

1. Petri 4.

9. *Ven. Anna de S. Bartholomæo.* Magistræ suæ spiritum egregiè imitata est Venerabilis Anna à S. Bartholomæo, cuius ipsius verbis, quas rigiditates & asperitates in mortali vitâ vltrò sibi assumpserit, referemus. *Vitæ suæ c. 2.* *Tum ego*, inquit, *arreptâ disciplinâ, nudum corpus in penuariis, solo licet humido, castigabam, & in dæmonem exercitabar, donec infestationum rabies sedaretur. Etiam sarmentis atq; id genus asperis rebus incubabam, exuta indusio quod pauperibus de leram, ne forte domestici me illâ spoliatam scirent. Fuit etiam cùm cilicio è setis confecto induerer. Iussa eram cubare cum vnâ Sororum, quòd esset formidolosa. Necdum recitaueram Rosarium, vtq; excuterem somnum, lapidem pluribus eminentem angulis mecum tuli, & luce extinctâ stratum intraui. Hic lapis sæpè erat ceruical meum: sed ne & tum somno succumberem, nudo corpori alium permolestum lapidem subieci,* &c. Et pòst: *Ab istâ visione & diuinâ beneuolentiâ tantum in me creuit amor Dei, & animarum zelus, vt præ animi anxietate vix viuerem. Nec cibus potusq;, sed nec somnus placebant, cùm huic incredibili sollicitudini reluctari non possem. Quod spectat ad pœnitentias & asperitates quas suggerebat hic impetus amoris diuini, mihi familiaris facilè in sæculo annos quindecim, & alios quindècim in Cœnobio, si mihi data fuisset facultas, exercitassem &, credo, excessissem in hac corporis edomatione. Interim tamen, quoad poteram, impetrare contendebam in me sæuiendi veniam: quæ dum mihi negaretur, nec disciplinæ permitterentur, iterùm atque iterùm studebam extorquere, vt saltem mihi liceret vellicare meipsam. Itaque brachia vibicibus crebris liuebant, & cibo miscebam contusa absinthia, sed clanculò, ne obseruarer. Is qui mihi à sacris confessionibus erat, non mediocriter laborabat, vt experimentum faceret, quo spiritu in agendo ducerer.* Omnes has pœnitentias bona virgo pro animarum Purgatorij liberatione libentissimè offerebat. Alias aliarum ex Ordine nostro Sanctimonialium pro defunctorum requie pœnitētias & asperitates alteri loco reseruo commodiori; subiungo tamen quæ Venerabilis & felicis memoriæ Catharina Adorny, natione Genuensis, ob ingens quod ad liberandas è Purgatorio animas conceperat desiderium, præter quamplurima alia à diuinâ sibi Maiestate arcana supernaturaliter reuelata, intellexit, & ad posterorum ædificationem, nostramque retundēdam socordiam & negligentiam, litteris consignata sunt. Anima scilicet hæc sancta, adhuc carne induta, videns se in Purgatorio positam amoris diuini, qui eam incenderat, & integrè ab omni à quo purificanda erat expurgabat, quò de vita præsenti transiens, exhiberi posset conspectui Dei, amati sui dulcissimi; eo amoris igne mediante in animâ suâ percipiebat, quomodo fidelium animæ constitutæ sint in Purgatorio, vt ab omni labe & maculâ peccatorum, quam in hac vitâ necdum plenè expurgarūt, eluendam: adeoque in amoroso illo diuini incendij Purgatorio posita, amatissimo suo omnino vnita erat, & quidquid in eâ ille operaretur hilari animo excipiebat, & conditionem animarum purgantium perdiscebat, sic scribens:

Mirus illius rigor.

Cap. 8.

Vener. Catharina Adorny.

Animæ in Purgatorio, vt comprehendere mihi videor, aliam electionē habere nequeunt, 10.
præter velle esse in eo loco; idque ob decretum & dispositionem Dei, qui iustè & meritò hoc fecit: nec ad seipsas conuerti possunt & dicere, Hæc vel hæc peccata commisi propter quæ hic esse merui: non fecisse vellem, quia modò ad paradisum proficiscerer. Multò minùs possunt dicere; Hic citiùs quàm ego exiit. Nullius rei, vel suæ vel alienæ, in bono vel in malo, meminisse possunt, vnde afflictio earum vltra solitum augeatur: sed adeò eis placet subesse diuinæ dispositioni,

Animæ Purgatorij voluntati & dispositioni diuinæ acquiescunt.

positioni, & quòd ea, quæ & quomodo suę Maiestati placitum fuerit, facturus sit, vt etiam dum in maximis tormentis suis constitutæ sunt, de se ipsis cogitare nequeant, sed tantùm vidēt operationem diuinæ bonitatis, quæ tātam erga hominem, quò ad se eum pertrahat, exercet misericordiam, vt nullū in eis proprietatis vestigium, neq; aduersitatis neque felicitatis quæ eis contingere possit, in eis appareat: & hoc si videre possent illæ, non essent in purâ charitate. Videre non possunt eos qui in iisdem pœnis pro peccatis sunt, nec mente suâ retinere possunt hunc visum, quia actiua esset imperfectio, quæ hoc in loco esse nequit, quia neque etiam actualiter ibi potest peccari. Semel solùm in transitu ex hac vitâ vident causam quam in se habent, propter quam ad Purgatorium ire debent, & numquam ampliùs, quia hoc ibi esset proprietas. Cùm ergo existant in charitate, à quâ per actualem defectum nequeunt ampliùs deuiare, non possunt velle aut desiderare quàm purum purę charitatis velle: & sic existentes in hoc igne Purgatorij, manent in ordinatione & dispositione diuinâ, quæ est pura charitas; nec in quacumque re ab eâ deuiare possunt, eò quòd æque destitutæ sint facultate actualiter peccandi, quam actualiter merendi. Haud crediderim aliquam voluptatem reperiri posse, quæ huic, quam habent animæ Purgatorij, comparari possit, præter illam quam habent Sancti in paradiso: atque in hisce animabus illa interna voluptas, secundùm diuinum influxum, quotidie crescit & augetur pro ratione quâ influxus istius impedimentum tollitur. Impedimentum verò illud nihil est aliud quàm peccati ærugo quam ignis ille absumit, adeò vt anima magis magisque diuino influxui exponatur & discooperiatur: haud secùs quàm res cooperta reuerberationi Solis correspōdere nequit, non equidem defectu Solis qui quotidie & continuè lucet, sed propter oppositionem veli siue operculi; quod vbi ablatum fuerit, res ipsa Soli magis patet, eaque magis à Solis radiis percutitur, quò operculum illud ampliùs remouetur. Eodem modo ærugo illa, hoc est peccatum, est operculum quoddam animæ, quod in Purgatorio per ignem illum absumitur; & quò amplius illud consumitur, eò amplius vero Soli, nimirum Deo, correspondet; eamque ob causam magis crescit acquiescentia illa in Deo, quò magis ærugo illa absumitur, & anima diuinis radiis exponitur; adeoque alterum crescit & augetur, alterum verò decrescit & minuitur, donec tempus omnino expletum fuerit. Pœna igitur haud minuitur, sed tempus quo illa perferenda sit. Et quidem quoad voluntatem, illæ numquam dicere possunt, pœnas illas sibi esse pœnas, eò quòd adeò vsque ordinationi & dispositioni diuinę acquiescant, & voluntatem suam voluntati illius in purissimâ charitate perfectissime vnitam habeant. Ex parte verò alterâ tormentis adeò exquisitissimis atque sæuissimis exercentur, vt nulla lingua humana exprimere, aut vllus intellectus concipere possit vel minimam scintillulam, nisi Deus speciali gratia hoc cuiquam manifestet, prout animæ meæ per gratiam suam demonstrare ei placuit, quamuis lingua mea illud describere nullatenus possit. Visio illa, quam mihi Deus commonstrauit, numquam à mente meâ discessit, & vobis referam quæ potero, & quæ capere poterunt illi, quibus Dominus noster intellectum aperire dignabitur.

Sunt in statu puræ charitatis, nec possunt offendere Deum, nec promereri.

Pœna Purgatorij est extrema & ineffabilis.

Fundamentum omnis pœnæ & tormenti est II.
peccatum originale vel actuale. Deus animam cōdidit puram, simplicem, ab omni peccatorum maculâ alienam, donatam certo quodam ad ipsum instinctu, à quo instinctu elongat peccatum originale quod incurrit, & multò magis quando posteà adiungit actuale: adeoque quò se plus elongat, eò euadit malignior, eamq; ob causam Deus ei minùs correspondet. Et quia omnes bonitates per participationem Dei proueniunt, qui creaturis rationis expertibus correspondet prout vult & disposuit, & numquam eis deest; animæ tamen rationali correspondet plus vel minus, prout eam à peccati impedimento purificatam reperit: ideoque quando anima quępiam ei approximat, & ad primam puram mundamq; cōditionem suam reuertitur, instinctus ille beatificus reuelatur, & quotidie tanto cum incremento augetur, tanto item charitatis incendij impetu atque æstu qui eam ad vltimum suum finem perducit, vt ab eo impediri, res ei videatur intolerabilis; & quò illa plus videt, eò tormētum maius est. Et quia animæ in Purgatorio peccati culpâ carent, ideò inter ipsas & Deum nullum est impedimentum, nisi hoc pœnæ, quod obest quò minùs instinctus ille suam consequi possit perfectionem. Et quia vident quantum vel minimum impedimentum obstet, & quòd necessariò legibus Iustitiæ instinctus ille reprimatur, inde nascitur ignis vehementissimus, similis omnino infernali, præter culpam, quæ vna est quę voluntatem in damnatis, quibus Deus per suam bonitatem non correspondet, malignam reddit, & propterea in malignâ & desperatâ illa voluntate etiam contra voluntatem Dei perseuerant. Vnde manifestum euadit, quòd peruersus appetitus, voluntati diuinæ contrarius, sit illud quod culpam efficit; & quòd malâ illâ voluntate perseuerante, perseueret etiam culpa: & quia damnati hac ex vita abierunt malâ cum voluntate, ideò eorum culpa non est remissa, nec remitti potest, quia nec ipsi mutare possunt voluntatem, quandoquidem cum eâ ex mortali vitâ discesserunt, quo in transitu & momento anima firmatur vel in bono vel in malo, prout voluntas cum deliberatione, sicut scriptum est, *Vbi te inuenero*, hoc est, in quâ te voluntate (in horâ nimirum mortis) deprehendero, vel peccandi, vel pœnitentiâ, & displicentia de peccato; *ibi te iudicabo.* Et post hoc iudicium nulla est remissio, quia post mortem non redit libertas liberi arbitrij; sed quo modo se habet in mortis articulo, ita fixa manet. Damnati quia in instanti mortis inuenti sunt cum voluntate peccandi, infinitam secum culpam ferunt, atque perinde etiam pœnam, non tamen quantam merentur, nihilominus tantam vt fine careat. Qui in Purgatorio sunt, habent solum pœnam, quia culpa in articulo mortis deleta & extincta fuit, quoniam reperti sunt cum displicentiâ peccati, & cum pœnitentia quòd diuinam bonitatem offenderint; ideoque pœna est finibilis, & semper minuitur quoad tēpus, prout dictum est. O miseria supra omnem miseriam! eoque maiorem, quòd eam cæcitas humana non consideret. Pœna damnatorum tum non est infinita

Mala voluntas totius peccati causa.

Radius misericordiæ relucet in pœnâ damnatorum; quæ infinita est quoad tempus, non verò quoad quantitatem.

finita in quantitate, quia dulcis Dei bonitas adhuc diffundit per internum misericordiæ suæ radium, quāuis homo in peccato mortali mortuus mereatur pœnam infinitam tempore infinito; verùm diuina misericordia illam pœnam quoad tempus quidem infinitam fecit, quoad quantitatem verò finitam, quandoquidem iustè ampliorem pœnam infligere potuisset quàm reuerà inflixit. O quàm periculosum est peccatum tali cum malitiâ perpetratum! eò quòd difficulter de eo pœnitentia agatur, pœnitentiâ verò non actâ culpa semper maneat; quæ & tamdiu durat, quamdiu homo in commissi peccati complacentiâ, aut voluntate committendi illud perseuerat.

12. Verùm enimuerò Purgatorij animæ voluntatem suam vsquequaque diuinæ conformem habent, ideoque Deus illis bonitate suâ correspondet, & quoad quidem voluntatem illæ conquiescunt, quoad culpam verò ab omnibus peccatis suis purgatæ sunt, adeoq; purificatæ sunt quemadmodum fuerūt dum Deus illas primùm crearet. Et quia hac è vitâ migrarunt afflictæ, tristes, displicentiam habentes, & peccata sua confessæ, cum proposito haud ampliùs ea committendi, ideò statim Deus culpam condonat, nihilque nisi peccati rubigo remanet, à quâ posteà per ignem & eius tormentum purgantur, adeoque ab omni culpâ liberæ, Deoque per voluntatem vnitæ, Deum quidem suo gradu clarè conspiciunt, prout ipse eis se conspiciendum exhibet, & prætereà vident quantum fruitio Dei secum commodi vehat. Habent insuper animæ, hunc ob finem creatæ, conformitatem adeò cum Deo ipso, qui eas illo modo ad se pertrahit per instinctum naturalem inter Deum & animam, vnitiuam, vt rationes assignari non possint, nec etiam figuræ aut exempla, quæ ad explicandum, quomodo mens interiore quodam affectu eam ipso opere sentiat & comprehendat, sufficiant. Vnum nihilominùs quod menti meæ se offert in medium adferam. Si in vniuerso mundo vnus solum esset panis, qui creaturarum omnium famem compescere deberet; & si creaturæ solo eius adspectu satiarentur; & si homo, dum sanus & vegetus existit, à naturâ inditum habēs instinctum vel appetitum comedendi, non manducaret, interim tamen non deficeret, neque morbum contraheret, neque moreretur; fames illa vtique indies augeretur, quòd haud minore interim comedendi appetitu afficeretur: & si sciret, panem illum solum, quem diximus, eum posse reficere & exsatiare, etiamsi illum non habeat; fames profectò illa exstingui in eo non posset, verùm continuo quasi in tormento perduraret; & propterea quò homo ei factus fuerit propior, neque illum videre posset, naturale profectò desiderium (quod propter suum instinctum omnino in panem fertur, in quo & conquiescit) tantò magis in eo accenderetur: & si ei constaret, se panem illum numquam visurum, iam completum & perfectum infernum haberet, haud secùs quàm animæ damnatæ, quæ priuatæ sunt omni omnino spe videndi vmquam Deum Saluatorem, qui verus est panis. Sed animæ Purgatorij spem habent videndi panem illum, & de illo perfectè lætandi, ideoque famem illam longam patienter sustinent, parique in pœnâ versantur, quā istæ, satiandi se isto pane vero qui est Dominus noster Iesus Christus verus Deus, Saluator & Amor noster; adeò vt quemadmodum purus & mundatus spiritus locum, in quo quiescat, nullum reperit præter Deum, quia ad eum finem creatus est, sic & anima, quæ in statu peccati est, nullum alium locum habeat quàm infernum, quem Deus eum in finem constituit: & propterea eo ipso momento, quo anima à corpore separatur, ad destinatum sibi locum anima proficiscitur. Si ergo anima, dum è corpore egreditur, fuerit in peccato mortali, & illo temporis momento illam dispositionem, à iustitiâ diuinâ procedentem, non reperiret, in grauiore inferno versaretur quàm sit ille alter, eò quòd sit extra illum ordinem & dispositionem quæ de misericordiâ diuinâ participat, ideò quòd mitiori, quàm mereatur, pœnâ puniatur; ideoque non reperiens locum sibi congruentiorem, aut vbi secundùm ordinem & dispositionem diuinam minùs malè habeat, vltrò ad eum se confert, veluti ad proprium sibi locum.

Similitudine declaratur extremum desiderium quod habent animæ Purgatorij vt Deo vniantur, in cuius dilatione maior illorū pœna consistit.

Perinde etiam in nostro instituto agitur de Purgatorio. Anima nimirum à corpore separata, nec eam in quâ creata fuit munditiem & innocentiam habens, cernens suum impedimentum, & quòd illud ab eâ auferri nequeat nisi per Purgatorium, confestim voluntariè ad Purgatorium descendit: & si non reperiat locum illum sibi destinatum, proprium & commodum ad impedimentum illud auferendum, eodem ipso momento intra illam infernus oriretur Purgatorio multò peior, videns quòd, nisi impedimentum illud obstaret, fini suo, qui Deus est, coniungi posset. Et hic infernus tam grauis esset & molestus, vt Purgatorium respectu ipsius instar esset nihili: quamuis enim, vt dictum est, parem cum inferno pœnam habeat, hoc tamen respectu instar nihili erit. Et quod est amplius, assero, non videre me, quòd Paradisus, respectu quidem Dei, habeat ianuam; sed quicumque vult intrare, intret quia Deus totus est misericordia, nosq; expansis brachiis prestolatur vt in suam introducat gloriam: attamē probè video, illam diuinam essentiam tantæ esse puritatis, etiam longè vltrà quàm imaginatio comprehendere posset, vt anima, quæ in se vel tantillum imperfectionis deprehendit, potiùs mille infernis se immergeret, quàm vt coram diuinâ Maiestate cum hac maculâ comparere auderet. Videns proinde Purgatorium constitutum esse ad eluendas illas maculas, in illud se confert, & magnam se misericordiam consequi reputat, quòd ab impedimēto illo expediri posset. Nec lingua potest exprimere, neque vlla mens concipere, quanti sit Purgatorium, quamuis sciam illud, quantum ad pœnam, inferno esse æquale. Video nihilominùs etiam animam, quæ in se vel minimam imperfectionis habet labeculam, illud acceptare pro misericordiâ, vt dictum est, vel vniuersum mundum instar nihili æstimans præ illâ maculâ quæ impedimento est quò minùs Dilecto suo vniatur. Et mihi videtur pœnam animæ in Purgatorio potiùs prouenire, quòd ipsa in se videat quod Deo displiceat, & quòd voluntariè infinitam eius bonitatem offenderit; quàm ex aliâ quacumque afflictione quam in Purgatorio patitur. Sic itaque se res habet, quòd ipsa anima, cum

13. *Animæ à corpore separata liberè & voluntariè in Purgatoriū intrat.*

Sano ista sensu capienda.

cùm in gratiâ existat, videat veritatem, & grauitatem impedimenti, quòd eam retinet quò minùs ad Deum accedere possit.

14. *Inexplicabilia esse fatetur quæ circa hæc sensit.*

Omnia quæ hactenus dicta sunt, tătilla sunt, respectu eorum quæ intra animam meam tunc persensi, quatenus quidem in mortali hac vitâ comprehendere poteram, vt omnis visio, omnis sermo, omnis sensus, omnis imaginatio, omnis iustitia, omnis veritas; mihi videantur lusus esse & res omnino nihili, atque insuper valdè erubesco, quòd non succurrant verba magis propria. Video tantam esse animam & Deum inter conformitatem, vt dum eam conspicit in eâ puritate in quâ ipsam condidit, ei suggerere videatur medium quoddam ardentissimi amoris, quod vim habeat attrahendi, & sufficiat ad eam in nihilum reducendam (quamuis ipsa sit immortalis) & quod illam in Deum suum transformari faciat, adeò vt nihil nisi Deum se esse videat, qui assiduè eam trahit & incendit, neque eam quietam permittit, donec ad illud eam esse perduxerit vnde prodiit, hoc est ad primam puritatem in quâ creata est. Dum anima per visum interiorẽ adeò se à Deo, mediante tanto tamq; amoroso incendio, trahi videt, tunc præ nimio erga dulcissimum Dominum & Deum suum amore, quem intra se sentit, tota liquefit. Videns porrò per diuinum lumen, quòd Deus numquam cesset eam attrahere, & suauissimè perducere ad integram perfectionem, tantâ cum diligentiâ & assiduâ prouidentiâ; & quòd id omne fiat ex solo purissimoque amore, & quòd ipsa ex parte suâ, vtpote per peccatum impedita, hunc diuinum stimulum, hoc est vnitiuam illam visionem, quam Deus ei donauit vt ad se eam attraheret, sequi nequeat: videns insuper, quanti momenti sit inde impediri, vt diuinum lumen intueri nequeat, accedente ipso animæ instinctu, quo ab impedimento liberari vellet, vt per hanc vnitiuam visionem traheretur; videns, inquam, anima hæc omnia, ex illâ visione sentit pœnas quæ sunt in Purgatorio, non quòd magni faciat sua tormenta, quamuis illa reuerà sint maxima, sed quòd magis sollicita sit de impedimento, quod habere se contra voluntatem Dei deprehendit, quam clarè erga e extremo purissimoque amore incensam videt. Amor hic cum visione illâ vnitiuâ assiduè tam validè trahunt, ac si vni huic rei solummodò vacarent: quod videns anima, si aliud prętereà Purgatoriũ reperiret, præ amoris impetu, conformi Deum inter & animam, quantocyùs in illud se proiiceret, vt citiùs ab impedimẽto suo liberaretur.

Anima Purgatorij non tam tormẽta quàm impedimẽta amoris diuini æstimant.

15. Video insuper, ab hoc diuino erga animam amore certos dimanare radios & lampadas ardentes, adeò validas & penetrantes, vt non solùm corpus, sed etiam, si possibile foret, animam ipsam, annihilaturæ videantur. Hi radij duas operationes habent: per vnam purificant, per alteram annihilant. Inspice aurum: quò magis illud liquefeceris, eò euadit præstantius: & toties illud liquefacere poteris, donec omnem ex eo imperfectionem sustuleris. Et ignis quidem hoc operatur in rebus materialibus, sed anima in Deo annihilari nequit, sed in seipsâ; & quò tu eam ampliùs emundaueris, eò quoque eam ampliùs exinanueris in seipsâ, donec tandem in Deo purificata requiescat. Aurum, si ad vigesimum quartum vsque * momẽtum purificaueris, ampliùs excoqui nequit, quantulùmcumque ei ignis subiiciatur, quia solummodò scoria ipsius consumi potest. Eodem planè modo agit in animâ ignis diuinus. Deus tamdiu eam in igne sustinet, donec omnis eius imperfectio consumpta fuerit, & ad perfectionem vigintiquatuor momentorum eam adducit (quamlibet pro suo gradu) & si sic emundata fuerit, in Deo permanet, nec in se quidpiam retinet, eiusq; essentia Deus est; qui postquam animam sic purificatam ad se pertraxerit, tunc illa omnino est impassibilis, eò quòd nihil ampliùs in ea sit consumptibile: & quamuis ita emundata in igne permitteretur, nihil tamen inde pateretur, sed potiùs ignis ille ei esset ignis amoris diuini, & vita æterna, in quam nulla cadit contrarietas. Creata est anima omnibus dotata conditionibus bonis quarum quidem capax erat, vt peruenire posset ad perfectionem, si ita viueret omnino quo Deus modo ei præcepit, nec se peccatis vllis commacularet. Postquam verò peccato originis inquinata fuerit, gratias & dona sua amittit, mortuaque permanet, nec se exsuscitare potest, nisi adiutorio diuino; & si ab eo per Baptismum resuscitata fuerit, nihilominùs praua ei adhæret inclinatio, quæ eam flectit atque ad actuale peccatum (ni obstiterit) perpetrandum perducit, vnde denuò moritur. Deus illam iterùm erigit gratiâ specialiore, nihilo tamen minùs adeò contaminata manet, & ad seipsam versa, vt ad eam reponendam in statum illum in quo Deus illam primitus creauit, opus habeat omnibus suprà enumeratis operationibus diuinis, sine quibus numquam reuerti poterat. Et dum anima se conspicit in viâ reuersionis ad primæuam suam conditionem, tum ardens illud desiderium quod ipsa habet ad se in Deum trãsformandam, tantum est & tam vehemens, vt id eius sit Purgatorium: non quòd ipsa aliquam ad Purgatorium, quà Purgatorium, reflexionem habeat; sed quòd hic ipse instinctus, quo ipsa vrgetur, impeditum se sentiens, sit id quod Purgatorium ei faciat.

Insignis auri purificandi similitudo.

** Carrot dicitur Gallicè.*

Quantum ex peccato animæ damnum.

Vltimus hic amoris actus est, qui opus hoc sine homine perficit, cùm interim in animâ tot tantæque imperfectiones lateant, vt si ipsa illas videret, in continuâ desperatione degeret: verùm enimuerò vltimus hic status illas absumit, iisq; absumptis, Deus illas animabus ostendit, vt videãt diuinam operationem quæ in eis producit ignem istum amoris, omnes eas, quæ in eis absumi possunt, imperfectiones absumentem; & vt sciant quòd omne id quod homo in se perfectum esse iudicat, corã Deo non sit nisi error & defectus; & quòd proinde quæcumque facit quæ aliquam perfectionis habent speciem, dum ea videt, sentit, intelligit, vult, aut in memoriâ circũfert, nec eã à Deo se habere recogitat, in omnibus illis peccet & seipsum cõmaculet, eò quòd, vt omnia opera perfecta sint, opus sit vt in nobis fiant sine nobis, & vt opus Dei sit in Deo, ita vt homo non sit præcipuus operator. Eiusmodi opera sũt, quę Deus in vltimâ amoris operatione efficit absolutè ex se solo 16.

Mmm sine

sine nostris meritis: eaque ipsa opera tam sunt ardentia & in animam præualentia, vt corpus quod ipsam ambit, perinde consumi videatur, ac qui in luculentissimo igne constitutus sit, cùm tantum absit vt requiem captet, vt prætereà nil nisi certissimam mortem præ oculis habeat. Equidem ita est, amorem diuinum, qui in animam redundat, quantum ego quidem video, summam ei suggerere oblectationem, quæ ne exprimi quidem possit: ista tamen oblectatio ab animabus nullam pœnæ particulam aufert quæ in Purgatorio reperitur; sed vice versâ amor, qui obicem sibi positum videt, tormenti eis causa existit; & tantò quidem maioris, quò & ipsa amoris perfectio, cuius Deus eas capaces fecit, fuerit maior; quamuis animæ Purgatorij simul summâ oblectatione perfruantur, & summam pœnam sentiant, & neutra alteri obsit. Quòd si animæ Purgatorij purgari possent per contritionem, in instanti profectò omne debitum suum exsoluerent; tantus nimirum & tam ardens illas contritionis obrueret impetus, propter lumen illud clarissimum quod habent de vi huius impedimenti, quod interiacet quò minùs cum Deo fine & amore suo coniungantur atque vniantur. Et certi estote, quòd animabus illis puris de solutione suâ nihil omnino remissum sit, etiam ne minimus quidem obolus, sic ordinante & disponente diuinâ iustitiâ. Hæc sunt quæ ex parte Dei spectanda sunt.

Amor diuinus non minuit in Purgatorij animabus pœnas.

17. Quoad verò ipsas animas, ipsæ propriâ iam electione carent, nec amplius videre possunt quàm Deus permittat, nec etiam quidpiam aliud volunt, cùm in hoc firmatæ sint. Quòd si ab iis qui in viuis agunt, aliqua oblata fuerit eleëmosyna, quæ tempus pœnæ breuius reddat, eam non amplius possunt considerare cum affectu aliquo, nisi secundùm iustissimum voluntatis diuinæ æquilibrium, Deo totum negotium permittentes, qui solutionem acceptat prout infinitæ bonitati eius visum fuerit: & si illæ illas eleëmosynas extra hanc diuinam voluntatem inspicere possent, proprietatem id aliquam argueret, quæ voluntatis diuinæ visionem illis adimeret, quod durissimus infernus eis esset. Et hæc causa est quòd fixæ & immobiles persistăt in omni re quamcumq; Deus eis concesserit, siue oblectatio & gaudium fuerit, siue pœna atque tormentum, neque porrò ad semetipsas conuerti possunt, eò quòd vsque adeò intimè in voluntatem diuinam sint transmutatæ, cuius sanctissimæ dispositioni vsquequaq; oblectatæ acquiescunt. Et si anima quæpiam Deo exhiberetur in quâ pauxillum quid purgandum superesset, magna ei & enormis fieret iniuria, imò tormentum ipso Purgatorio longè grauius, cùm pura illa bonitas & suprema iustitia eam sufferre nequeat. Quin idipsum indecens esset tum ipsi Deo, tum etiam animæ, quæ videret Deo non omni ex parte esse satisfactum: adeò vt si vel vnicus ictus oculi ad expurgandam eam superesset, id ipsi res foret planè intolerabilis, & ad pauxillum illud æruginis expurgandum potiùs mille infernos subiret, quàm in diuinâ præsentiâ necdum planè purificata consisteret. Ideoque sancta eiusmodi anima, quæ diximus in diuino lumine cernens, diceret: Desiderium me incessit tam valdè inclamandi, vt omnes homines qui super terram sunt exhorrescant; atque eis prætereà dicere libet: Heu vos infelices! quare sic à mundo hoc vobis imponi sinitis? Eheu! vt quid non prouidetis vobis contra tam magnam & vrgentem necessitatem, qualis est illa in quâ vos constitutos deprehendetis in ipso obitus vestri articulo? Cooperti estis sub spe diuinæ misericordiæ, quam adeò magnam esse aitis; interim non videtis, eam bonitatem diuinam testem contra vos futuram, quòd tanti tamque benigni Domini voluntati obluctari ausi fueritis. Hæc ipsa eius bonitas cogere vos debuerat vt omnem voluntatem eius expleretis; neque ad malum faciendum confidentiam sumere debueratis, cùm eius iustitia numquam deesse possit, sed, quocumque tandem modo fiat, ad plenum ei satisfaciendum sit. Ne ergo præsumas, inquiens: Confitebor, & posteà plenariam lucrabor indulgentiam, eoque modo ab omnibus peccatis meis expurgatus, & tandem omnino saluus ero. Cogita, confessionem & contritionem, quæ necessaria est ad indulgentiam plenariam, rem valdè esse difficilem, adeò vt si penitus illud perspectum & cognitum haberes, horrore expauesceres totus, certiusque tibi persuaderes eam te non habere quàm posse habere.

Nullatenus absque plenâ purgatione Deum videre cupiunt.

Video animas Purgatorij in illis pœnis & tormentis respectum habere ad binas operationes, quarum prima est, quòd libentissimo animo tormenta illa perferant, videanturque sibi magnam à Deo concessam esse misericordiam, quàm alioquin fuerant commeritæ: & quia expendunt quàm magna res sit Deus, & quòd, nisi benignitas eius iustitiam per misericordiam temperaret, pretiosissimum Saluatoris nostri Iesu Christi ei sanguinem opponens, vnum peccatum mortale vel mille æternis infernis dignum esset, ideò pœnas illas tam patienter ferunt, vt etiam ne minimum quiddam inde subterfugiant, scientes meritò se illas commeruisse, easque iustè esse dispositas, adeò vt haud minùs de Deo conquerantur (quantum quidem ad voluntatem) quàm si æternâ felicitate perfruerentur. Operatio altera est certa quædam acquiescentia, quam sentiunt, dum ordinem & dispositionem diuinam intuentur, iunctam cum amore & misericordiâ quam erga animas illas exercet. Et Deus quidem animabus illic duas hasce visiones in momento temporis imprimit: & quia in statu gratiæ existunt, ipsæ illas intelligunt & comprehendunt prout sunt, pro capacitate suâ; & propterea magnam intra se habent requiem, quæ numquam in eis minuitur, sed potiùs eò magis in eis crescit quò Deo fiunt propinquiores: & animæ illæ hoc non vident in se nec per se ipsas, sed in Deo, cui magis attendunt quàm suis quas perferunt pœnis, imò quem infinities absque vllâ comparatione æstimant & magnifaciunt, eò quòd etiam minima visio quę de Deo haberi potest, longè superet omnia vel oblectamenta vel tormenta quæ hominis 18.

Altera animæ operatio, internum quoddam oblectamentum.

Anima Deũ præ omnibus rebus aliis suscipiunt.

hominis intellectus capere possit: & quamuis hæc visio excedat, haud tamen idcircò vel minimam gaudij tristitiæve particulam admit.

19. *Virgo hæc in se experta est Purgatorij pœnas, & quomodo.*

In animâ meâ ego percipio illum modum purgationis quem de animabus Purgatorij intelligo, præcipuè duobus abhinc annis, & quotidie eum clariùs & manifestiùs perspicio. Video animam meam hoc in corpore morari velut in Purgatorio, eo tamen modo quo corpus id perferre potest, ad eum finem, ne intereat, crescente nihilominùs quotidie paulatim donec moriatur. Video spiritum ab omnibus rebus abstractum, ipsis etiam inquam rebus spiritualibus, quæ alere & fomentare eum possent, quales sunt, gaudium, delectatio, & consolatio; cumque non posse degustare rem aliquam vel temporalem vel spiritualem, nec voluntate, neque intellectu, neque memoriâ, adeò vt dicere nequeam, Plus oblectamenti capio ex re hac quàm ex illâ. Interiora mea ita disposita sentio, quòd omnia à quibus vita vel spiritualis vel corporalis aliquam recreationem recipere solet, paulatim ei sint subtracta: & postquam ei illa subtracta sunt, cognoscit ea nihil fuisse aliud quàm vnde aliquam refocillationem accipere potuisset: quando verò à spiritu cognoscuntur, tantopere ab eodem odio habentur atque despiciuntur, vt subitò euanescant, nec vmquam reuertantur.

Modus quo spiritus ibi cognoscant.

Accidit hoc, quia spiritus intra se habet instinctum abolendi quidquid perfectionem impediat, idque tanto cum impetu & violentiâ, vt vel in infernum se præcipitari permitteret, quò suum intentum assequi possit. Eamque ob causam omnibus se priuat quibus interior homo refici possit, eumque tam arctè velut obsidet, vt ne minima imperfectionis macula transire possit, quin ab eo videatur & abhorreatur. Quoad partem exteriorem illa, cùm spiritus ei non correspondeat, tam afflictam se sentit, vt in vniuerso mundo nil, quod secundùm humanum eius instinctum illam alleuiare valeat, reperiat, nec aliud ei solatium supersit præter Deum, qui totum id facit per amorem & magnâ cum misericordia, vt iustitiæ suæ satisfiat.

20. *Vnde tranquillitas animarum proueniat.*

Visio hæc ei magnam pacem & tranquillitatem conciliat: sed pax & tranquillitas illa non propterea minuit eius pœnam vel afflictionem: imò nec vlla tam grauis ei pœna inferri posset, quæ eum ab hac diuinâ dispositione recedere cogeret; è carcere suo non prodit, imò nec prodire velit, donec Deus effecerit omne id quod necessum est. Tranquillitas mea est vt Deo satisfiat: neque scio vllum tormentum tam esse vehemens & violentum, quàm vt hanc diuinam dispositionem deseram, adeò eam omnino iustam, & magnâ cum misericordiâ coniunctam video.

Modum quo [...] virgo quidem spiritu cognouit, itaque tamen exprimere non potest.

Video & attingo omnia quæ prædicta sunt, nec tamen congrua verba reperio, quibus exprimam id quod dicere volebam: & id quod dixi, in me spiritualiter fieri sentio, & propterea id dixi. Carcer, in quo me constitutam esse puto, est mundus; vinculum, corpus; spiritus per gratiam illuminatus, est qui cognoscit quanti sit ponderis & momenti, impedimento quopiam distineri aut retardari quò minùs finem suum assequi possit; id quod ei etiam magni tormenti causa est, eò quòd sit admodum delicatus. Per eamdem insuper Dei gratiam dignitatem quamdam obtinet, quæ non solùm eum Deo reddit similem, verùm etiam vnum cum ipso per bonitatis eius participationem. Et cùm impossibile sit, in Deum aliquam pœnam cadere posse, idem perinde spiritibus contingit qui propiùs ad illum accedunt: imò quò accesserint propiùs, eò plus quod proprium illis est recipiunt.

Dilatio visionis beatificæ, maioris tormenti causa est.

Dilatio ergo vel retardatio quam anima sentit, causa ei est intolerabilis tormenti: pœnaque & retardatio difformem eam & proprietatibus suis, quas habet tum à naturâ concessas, tum à gratiâ monstratas, dissimilem reddunt; cumque illas, quamuis capax earum sit, habere non possit, in tantâ pœnâ manet quanti Deum æstimauerit. Eaque æstimatio tantò maior est quò seriùs illum cognoscit: & tantò illum ampliùs cognoscit, quò à peccato fuerit expurgatior, & impedimentum tum sentitur grauiùs, præsertim ideò quòd anima tota in Deum collecta sit; & quò minus impedimenti habuerit, eum sine vllo dubio ampliùs cognoscit: eodem planè modo quo homo, mortem potiùs subiens quàm Deum offendat, mortem quidem ipsam sentit, & inde pœnam accipit; diuinum tamen lumen eiusmodi illi zelum suppeditat, qui pluris eum facere doceat honorem diuinum quàm mortem corporalem: ita & anima, ordinem, dispositionem & voluntatem diuinam cognoscens, pluris facit eum ordinem, dispositionem & voluntatem Dei, quàm omnia & singula tormenta, interna & externa, quantumcumque ea possint esse horribilia; idq; ideò, quia Deus, qui hoc efficit opus, omnia excedat quæ sentire possit, adeò vt occupatio, quam Deus animæ de se ipso concedit (quàm exigua ea sit) eam in Maiestatis eius contemplatione ita occupatam detineat, vt ipsa nullam aliam rem præterea æstimare aut in pretio habere possit: eamque ob causam ipsa omnem amittit proprietatem, & ampliùs neque videt, neque loquitur, neque agnoscit aliquod in se damnum aut pœnam, sed cognoscit ea omnia, vt superiùs clarè dictum est, in ipso mortis suæ instanti. Denique conclusionis loco scimus, Deum, qui est optimus & maximus, omne quod hominem sapit amitti facere, idque in Purgatorio expiari.

Hactenus virgo illa deuotissima: ex quibus clarè videri potest tota animarum quæ in Purgatorio quidem existunt dispositio, earumq; cum diuinâ voluntate in maximis etiam tormentis suis, conformitas: quâ tamen non obstante, & vehementer torqueantur, & à malis quibus inuolutas sese vident (modo iustitiæ Dei satisfiat) liberari exoptant; quemadmodum aliis in locis luculenter declarauimus. Speciali iam Capite eximia trium è Belgio virginum pro defunctorum animabus studia explicaturi imus. E quibus perspectum fiat, quantis cruciatibus purgandorum Spiritus exerceri debeant, cum sacræ hæ Virgines tam ingentia pro liberandis iisdem mala in corporibus suis, sustinuerint.

CAPVT XXXIX.

Stupenda trium Belgicarum virginum praxis, quæ mediis prorsus inauditis defunctorum animabus in Purgatorio detentis ingentia & vix effabilia solatia attulerunt.

1. *B. Aleydis mira pro animarum commodo operata est.*

VENERABILIS semper & fide dignissima habita fuit apud nationes vniuersas, antiquitas, suâ enim auctoritate veritatem confirmat, & sequentia sæcula lacte veluti cognitionis enutrit. rara sunt ab hac tradita exempla quoad Virgines animabus deuotas, è quibus tria excellunt. Pater Ioannes Gilemannus, Religiosus olim in Rubeâ-valle, Ordinis Canonicorum Regularium Diui Augustini, lapide vno ab Vrbe Bruxellensi Monasterio, ac temporis sui Scriptor eximius, in Nouali Sanctorum Belgij mira narrat de beatâ virgine Aleyde Scharenbekanâ, moniali in Camerâ, Ordinis Cistertiensis item prope Bruxellam, referente Chrysostomo Henriquez in libro quem de quinque virginibus prudentibus Instituti sui (nam & ille Ordinis Cistertiensis Religiosus erat, atque insuper Generalis eiusdem Ordinis Historiographus) conscripsit. Hic in Vitâ eiusdem B. Aleydis ita de eadem loquitur: *Quidam homo nobilis, cùm, post vitæ suæ cursum satis negligenter consummatum, ab isto migrasset sæculo, beata Aleydis eidem intimis compatiebatur desideriis, & fusis pro animâ eius ad Dominum precibus, à Patre misericordiarum impetrare meruit quod petiit. Denique postmodum eadem eiusdem anima in horribili & magno apparuit ei tormento; pro quâ cùm per vnius anni circulum condignam egisset pœnitentiam, liberata est à pœnâ quâ viderat eam cruciari.* En anno integro pro vnâ solùm animâ liberandâ pœnitentiam agit. Nec hoc semel tantùm, sed & sæpiùs fecit, prout videre est ex hisce eiusdem verbis: *Quædam anima quærens locum refrigerij, quæ graui per annum succubuit cruciatui, post horam Completorij apparuit ad ostium vel fenestram lecti ancillæ Domini, ipsius suffragio à vehementi pœnæ fastidio cupiens refoueri. Pro cuius tormenti remedio cùm se totam per aliquod tempus fructui pœnitentiæ subegisset, meruit pro suâ reuerentiâ exaudiri, & prædicta anima à cruciatibus liberari.* De eâ porrò in eadem Vitâ sic narratur: *Tantam in se patiebatur charitatis violentiam, tantamq; pro humani generis salute gestabat sollicitudinem, vt viuis non paucis corde conturbatis, atque à carnalibus desideriis tentatis, per eam saluti traditis, pœnaq; defunctis plurimis mitigatâ, & per eius desideria ipsis pace reformatis, sibi non posset sufficere, sed Deum precibus incessanter & gemitibus orauit, vt pœnam Purgatorij defunctis omnibus laxaret, & viuentes similiter à peccatis omnibus purgaret, sub huius formæ conditione, quòd vindictam omnium pro singulis subiaceret. Vnde cùm sese inungi fecisset, vtpote suâ & omnium opinione, de salute corporis desperata, innotuit ei Dominus, quòd respectu tẽporis totius vitæ prioris, multò ampliores corporis debilitates, multoq; grauiores cordis tribulationes, omniumq; mẽbrorum passiones per illius anni spatium deberet sustinere, & quòd per illius patientiam simul & orationem, multorum iam defunctorum tormenta deberent mitigari, ac in corpore adhuc degentium, ac in statu animæ periculoso existentium, vita à sordibus emendari.* Vnde sequenti Capite 19. ex infirmitate iam dictâ officio dextri oculi orbata describitur; & Cap. 20. dicitur, eam fuisse destitutam vsu dextri similiter pedis, ita vt planè ad incessum esset inutilis, & ipsa insuper intolerabili corporis dolori subiaceret. Additque vitæ illius Scriptor, illam, quò Christi ad eam factæ promissiones adimplerentur, nimirum multas animas à Purgatorij tormentis per ipsam liberandas esse, dolore iugiter crescente, infirmitate quoque corporis magis ac magis inualescente, à tertio Idus Maij vsq; ad extremum vitæ diem, duobus tantùm immediatè ante eius è mortali vitâ transitum exceptis, tanto fuisse cruciatam tormento, vt quotidie ter vel quater grauissima & intolerabilia tum inferni tum Purgatorij se pœnas pertulisse affirmauerit, atque tunc miserabili voce exclamauerit: *Nunc crucior in inferno.* modò, *Iam in Purgatorio.* atque ad se rediens: *Modò reuertor de locis Purgatorij.* subindè, *Modò de infernalibus.*

Cap. 15. — *Animam pro vnâ solâ agit pœnitentiam.* — *Cap. 16.* — *Aliam quãdam longâ pœnitentiâ liberat.* — *Cap. 17.* — *Cap. 18.* — *A Deo illi variâ incommoda pro animabus perferenda imponuntur.*

Habebat virgo hæc sororem nomine Idam, quæ intimè tantis sororis suæ quotidianisque afflictionibus compatiebatur, & præ teneritudine affectus nõnumquam indignationem quamdam præ se ferre videbatur. Aleydis, quæ à sorore potiùs suâ consolationem expectare debuerat, in Domino confortata, sic eã, ne in aliquod, contra diuinæ Maiestatis voluntatem obmurmurationis peccatum incideret consolata est: *Dulcissima soror, noli sic affligi. Ne verò arbitreris, pro meis me peccatis tanto cruciatu affici: patior enim hæc pro defunctis, qui alioquin diutiùs in locis pœnalibus cruciãdi essent. Patior etiam pro peccatoribus viuis, à laqueis venantium miserabiliter captis, & ad finem vsq; mundi capiendis; nisi per pœnam, quã me vides sic consumi, defuncti liberari, & viui expediri mererentur.* Huic tam sancto virginis huius desiderio vt satisfaceret Deus, contigit eam eâ hebdomadâ quæ sanctã Pentecostes festiuitatem præcedit, è grauissimâ aliâ infirmitate, quâ omnia corporis eius membra miserandum in modum terribiliter distorquebantur, oculo sinistro priuari. Vltra quod damnum, singulari prorsus charitate, optauit ab omnibus se despectui, & contemptui haberi, dummodò aliquis inde animabus profectus vtilitasve proficisci posset. Reuelauit igitur Dominus Deus deuotissimæ sponsæ suæ multarum animarum statum, vt vel sic maiores in eâ stimulos ad fortiter pro illarum adiutorio patiendum excitaret. de quo inter alia sic de illâ legitur: Quidam Abbas Ordinis S. Augustini, ab isto feliciter migrauit sæculo, cuius animam soror ipsius, eiusdem Ordinis Monialis, timens magnis cruciatam tormentis, Christi virgini sanctæ Aleydi per nuntios supplicauit fideles, vt de Fratris animâ, cuius timore tristitiâ affligebatur non modicâ, ipsam certificare, ac spe veniæ consolari dignaretur. Cuius dolori B. Aleydis compassa, Deum precibus exorauit pro animâ supradictã:

2. *Sororem suã, ei compatientem, consolatur, & pro defunctis se pati asserit.* — *Cap. 21.* — *Cap. 22.* — *Oculo sinistro priuatur.* — *Cap. 23.* — *Anima cuiusdam Abbatis per eam liberatur.*

prædictâ: & reuelatum est ei, quòd leui esset adiudicata Purgatorio, & in proximo frueretur Desiderato. Item Nobilis cuiusdam secundùm sæculum hominis anima post corporis dissolutionem in magnis apparuit tormentis, pro cuius leuigatione dum ipsa per tempus aliquod condignam, egisset pœnitentiam à tormentis ipsam liberatam esse diuinitus rescivit.

Et cuiusdam Nobilis.

3\. Plura alia sunt, quæ admirabilem sanctissimæ huius virginis erga animas Purgatorij zelum demonstrēt, è quibus, breuitatis ergò, vnum, quod paulò ante eius ex hac vitâ abitum contigisse memoratur, hoc loco annectemus. *Tempore finis exilij sui*, legitur in eius Vitâ, *iam appropinquante, horrenda planè infirmitas totum eius corpus tam miserabiliter occupauit, vt videlicet sententia illa Veritatis, O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus, ei competere videretur. Nam à plantâ pedis vsque ad verticem non erat in eâ sanitas. Omnes qui eam intuebantur, percutiebantur subito timore quasi monstri horribilis, & æstimabant creaturam aliam ei in horrore comparandam nusquam posse reperiri. Fuit itaque à viribus corporis & membrorum omnino destituta, & more cadaueris in terrâ putrescentis in lectulo suo iacens quasi putredine consumebatur. Cuiusmodi passiones pariter & infirmitates magis solito irruentes, suscepit tantâ delectatione ac lætitiâ, ac si sponsa à sponso susciperet munuscula diu desiderata. Manus suæ ad modicum vsum erant sibi necessariæ: nam ex infirmitate nimiâ per longa tempora fuerant contractæ, quarum cutis ad modum corticis alicuius arboris, variis distincta vulneribus, similitudinem gerere videbatur. Vnde tripudiando cantare solebat: Manus meæ tornatiles, plenæ hyacinthis. Cutis quoque capitis, pectoris & brachiorum, similis etiam erat cortici arboris varias rimas ex nimiâ ariditate continentis. Crura eius vitulo excoriato erant simillima, quæ simul cum pedibus erant inflata. De corpore eius vermes & scabies abundanter effluebant. Ex eo tempore quo lumine primùm priuata fuit oculorum, erat anima eius quasi amicta Deitate, & in diuinis complexibus semper comprehensa, exceptis duntaxat illis horis, quibus pro defunctis fuerat deputata pœnis. Nullum membrum quietum, nullū ab infirmitate liberū retinebat, nisi solam linguam, quā sine intermissione, quamdiu poterat, Deo laudes decantabat.* Ecce quàm heroïcum in virgine tenellulâ factum! quàm sublimis erga defunctos affectus! quàm copiosus pro iisdem satisfaciendi modus! Horremus audire nos delicatuli, quæ ipsa adeò læto animo pertulit, atque insuper pro animarum subsidio perpeti exoptauit. Quis enim nostrûm est, qui non videat, ea omnia quæ à nobis pro mortuorum solatio, vt equidem arbitramur, præstantur, horum comparatione nihil omnino esse. Confundimur nos viri, hac in palæstrâ palmam & coronā ab imbelli & tenello feminarum sexu nobis præripi, & quam veluti in manibus habere nobis persuademus, violenter, non sine magno nostro dedecore extorqueri. Mactę deuotæ mulieres! mactæ deuotæ virgunculæ! æmulamini hanc heroinā, inspicite & facite secundùm exemplar quod in Aleyde vobis monstratum est: currite benè, & ad palmam propositam nobiscum, in animarum solatium, festinate, contendite eam nobis præripere, contendemus eam præripere vobis. Quòd si feliciores nobis fueritis, & præ nobis hoc in certamine coronam atque palmam assecutæ fueritis, non inuidebimus, sed vestrum studium summis deprædicabimus laudibus & encomiis, Deoque optimo maximo pro gratiâ vobis præstitâ maximas gratiarum actiones persoluemus.

Cap. 14. Vltimus eius pro animabus languor.

Epiphonema ad viros pro imitandâ hac virgine.

Altera virgo Belga, quæ tantopere ad nostrum stuporem hoc in exercitio excelluit, est S. Lidvvina, ex Schiedamo Hollandiæ oppido orta (heu! quàm mutata iam ibi facies!) quæ & singula quæ hac in vitâ passa fuit, quamuis fidem penè humanam excedentia, pro mortuorum solatio Deo obtulit. Variis in Bibliothecis, variis etiam ex Auctoribus quàm plurima de eâ in medium adferre possemus: vnius tamen Thomæ à Kempis nobis relatio satisfaciet, è cuius libro de Vitâ huius Sanctæ, quò simpliciore eò veraciore stylo scriptæ quæ sequuntur transscribere placuit. Accidit, inquit Venerabilis ille Auctor, in fine anni decimi quinti ætatis eius, scilicet Lidvvinæ, circa Festum Purificationis beatæ Mariæ Virginis, vt inuitata à sodalibus virginibus, cùm eis super glaciem induta sandaliis graderetur: vbi vna de consodalibus eius, cursu rapido super glaciem pergendo, nec gressum figere valens, Lidvvinam manu apprehenderit, quæ mox supra fragmenta glaciei improuisâ cecidit, & grauiter læsa, vnam paruam costam dexteri lateris sui confregit. Ex quâ fractura multa ei incommoda prouenerunt & increuerunt. Nam primò quidem apostema durum, circa locum costæ confractæ excreuit; pro cuius curatione licet parentes eius multa exposuissent, optatam tamen sanitatem eius consequi non valebant. Cùm autem à nemine curari posset, & de loco ad locum, de lecto ad lectum, exigente impetu infirmitatis, frequenter translata fuisset, tandem sextodecimo eius ætatis anno, in Vigiliâ S. Ioannis Baptistæ, patre eius accedente vt eam consolaretur, ipsa de loco in quo iacebat exsiliens, supra genua patris sui incuruata debilis ruit, in quo saltu apostema ruptum est, & sanies copiosè per os eius cum vomitu profluxit: cuius occasione in tantum debilitata fuit, quòd quasi mortua putabatur. Exinde iam cœpit continuis infirmitatibus laborare, in quibus, antequam spiritualia saperet, humanas & corporales consolationes necessitate vrgente admittebat, licet parum valebant, nec miseriam abstergebant. Primo itaque triennio infirmitatis illius, tempore Paschali pro sacrâ Communione ad Ecclesiam ducebatur vel portabatur: & cùm stare vel incedere pedibus non posset, baculo vel scabellulo domi vel foris serpendo vtebatur. Sæpè etiam aquam frigidam de fossâ, quamuis turbidam, copiosè bibebat: vel ad ignem veniens, calidam vel tepidam ex ollis sumebat, quam tamen stomacho languente statim euomebat. Deficiente ergo humano consilio, & indiscreto regimine crescente, corpus tabescebat, sed anima in vase fictili per occultam gratiam ad magnum meritum in futuro seruabatur, vt in eâ compleretur quod de beato Iob legitur: Ecce, satan, in manu tuâ est, verumtamen animam eius serua. 4.

Lidvvina Hollanda stupenda ingrauissima patitur pro animabus.

Cap. 4.

Cesa costam in glacie frangit.

Apostema superuenit.

Varia inde symptomata.

Post hæc in tantum crescebant & multiplicabantur infirmitates eius, vt omnibus viribus cor- 5.

Cap. 6.

corporis destituta, lecto penitus decumberet, ita quòd in spatio triginta annorum ante mortem suam terram non tangeret. Refectio autem eius post tres primos annos vsque ad decimum nonum ægritudinis ipsius annum, fuit ex modico & parco & incredibili satis alimento, pro sustentaculo tam ægerrimæ vitæ humanæ. Interdum modicum fragmentum de pomo supra ignem calefacto, aliquando parum panis cum modico sorbello cereuisiæ spumantis, quandoque parum dulcis lactis capiebat. Postquam verò talibus vti non poterat præ debilitate corporis, per annos aliquot vsa est in hebdomadâ media pintâ vini puri sine admixtione aliquâ, quod tamen posteà per aliquot annos oportebat cum aquâ misceri. Interdum quoque sumebat modicum de speciebus sacchari, vel cinnamomi, vel muscati, vel dactylorum. Sed cùm istis amplius vti non poterat edendo vel sorbendo, solam aquam sumebat, scilicet mediam pintam aquæ Mosalis in hebdomadâ, quæ singulari Dei munere tantam suauitatem ei conferebat, quòd omnem vini saporem excedebat, de quo magnas Deo gratias referebat. Eo etiam tempore hanc gratiam à Deo habuit, quòd solo gustu discernebat inter aquam Mosæ affluentem & defluentem, quando ex illius haustu poculum sibi allatum sumpsit. Fuit quoque multis annis (quod amplius mirandum est) vt nullo cibo vel potu corporali nec somno vteretur, excepto Corpore Christi, singulari omnium dolorum suorum remedio atque solatio suauissimo, præ omnibus cibis sibi sapidissimo.

Victus eius tenuissimus & parcissimus.

6. Complerum est in hac virgine, quod de beato Iob legitur: Nocte os meum doloribus perforatur; & qui comedũt me, non dormiunt: à multitudine eorum consumitur vestimẽtum meum. Deficientibus igitur Medicorum artibus, & ciborum nutrimentis, languores eius quotidie augmentabantur in peius: iacebatque in lectulo duro, virgo miserabiliter afflicta, & corrosa à vermibus, qui de virgineo corpore ex putrefactione orti, carnes eius comedebant, & tamen nullus fœtor ex eis procedebat. Isti vermes erant grisei coloris, pleni aquâ griseâ, habentes capita nigra, grossi ad spissitudinem extremæ partis vnius fusi, longi ad mensuram parui articuli digiti humani. Habebat etiam in corpore suo, sanctæ Trinitatis discipula, tria magna foramina, ex quorum vno circa ventrem effluebant quandoque prædicti vermes copiosè. Supponebatur autem huic vulneri emplastrum de recenti farinâ tritici, cum melle permixtum, vt ex tali confectione, & aliis pigmentis, vermes innati sugerẽt; alias enim ipsam vsque ad mortem torsissent. Quando autem huiusmodi emplastra propter mutationem auferebantur, remanebant in eis parui grisei vermes cum nigris capitibus, nullum de se fœtorem exhalantes, sed suauitatem odoris intuentibus exhibẽtes. Erat itaque virgo eadem, ex diuturno & graui vulnere, in inferiore parte corporis putrefacta: & ne sancta eius viscera penitus effluerent, molli quodam operculo foramen infixum obturabant. Incurrit quoque hydropisim ferè decem & nouem annis ante mortem suam, in quibus nec cibo, nec potu, nec somno vtebatur. Et sicut nulla alimenta sumebat, sic nec vlla superflua naturæ egerebat. Circa annum porrò Domini millesimum quadringentesimum duodecimum hæc sacra Dei plantula, longo doloris sarculo petrosa, ex vehementiâ infirmitatum suarum, euomuit particulatim pulmonem & hepar cum multis intestinis, absque tamen fœtore aliquo, vt probatum est à multis. Nam qui manibus ea attrectabant, ferè per diem suauitatem manibus suis adhærere sentiebant. A quartodecimo anno vsque ad vigesimum primum nullo modo per seipsam potuit moueri aut verti; & iacebat ipso septennio & deinceps resupina vsq; ad mortem; nec quidquam mouere poterat in corpore suo, excepto capite & brachio sinistro cum scapulâ eius. Quando autem moueri aut verti solebat in lecto, tunc oportebat corpus eius circa scapulas mappâ vel leni fasciâ colligari, alioqui periclitabatur membratim dissolui. Alias quoque infirmitates plurimas patiebatur, flagellis cincta durissimis, quæ non ad perniciem animæ, sed ad maius meritum, sicut beato Iob, illi infligebantur, vt posteà tantò capacior esset atque dignior ad consolationes Angelicas & cælestes, quantò angustior & desolatior iacebat in terris. Habuit igitur dolores capitis sæpe excessiuos, vsque ad mortem; dolores dentium multiplices, sępissimè, vsque ad mortem; febres quoque diuersas, vsq; ad mortem; hydropisim longam, vsque ad mortem; in tempore pestilentiæ tria apostemata, calculum quoque pergrandem ante mortem, cum quo & mortis debitum soluit. Hæc omnia quamplurimis annis patientissimè pertulit, vt spiritus in æternum saluus fieret, & cum Christo in paradisi deliciis exultaret. Quantò enim corporales ægritudines in eâ abundabant, tantò maior in eâ fortis vt mors dilectio Dei & proximi augebatur. Nam ex abundantiâ charitatis & interni feruoris stimulatione, ausa est quodammodò Dominũ prouocare, quatenus super eam miserias & dolores multiplicaret. Cuius preces exaudiens Dominus, cùm duo haberet apostemata in corpore, tertium addidit ei in maxillâ. Denique omnibus generalibus infirmitatibus, quibus homines grauari solent, laborauit: quas mirabili & inaudita patientiâ, pro amore Christi piè tolerauit. Nulla ferè pars corporis fuit, quæ non aliquâ speciali plagâ doloris contabuit. Siquidem in fronte habuit fracturam, vsque ad medium nasi protensam; similiter in labio inferiori & in mento, rupturam sanguine coagulatam, vt ex hoc incommodo vix loqui valeret. Dexter oculus eius omnino cæcus erat, sinister verò tam debilis manebat, quòd nullo materiali lumine, nec in die nec in noctibus vti poterat: quin etiam ex qualicumque resplendentiâ luminis cruciatum sentiebat. Quapropter continuè in tenebris iacebat, & locum lectuli eius cortina simplex ambiendo obuelabat, vt rarò apertè videretur ab hominibus; quæ tamen sæpissimè videbat Angelum lucis, ad consolationem suæ maximæ tortionis.

Cap. 7. Medici de eius curatione desperant.

Vermes ex eius corpore nascuntur, & quales illi.

Hydropisi laborat.

Pulmonem & hepar euomit.

Omnino est clinica.

Capitis, dentiumq; dolores, febres, & alia patitur.

Deum ex charitate patiendi ad affligendum se amplius prouocat.

Dexter oculus eius cæcus fuit, sinister cæcutiens.

7. Sed de febribus eius tu mihi, Lector, vide rem singularem, quas longas & diuersas patiebatur, sæpè quartanas, sæpe tertianas, sępè quotidianas. Inter has afflictionum spinas corpus suum diuinæ merè voluntati & correptioni tradidit cruciandum,

Quales & quam graues febres passa fuerit.

ciandum, et ius nutu omnia ordinabantur ad bonum animæ eius, & multò meliùs quàm aliquis hominum præscire potuit aut excogitare.

Cap. 8.

Et quidem tertianas febres per decem & septem annos & ampliùs sustinebat, quas pro salute & redemptione animarum libenter vsque ad mortem parata fuit sustinere. Harum febrium accessus talis erat. Primò habebat indicibilem calorem, quem indicibilis frigiditas sequebatur. Deinde iterùm prædictus calor, & posteà frigus intensum redibat: quæ vicissitudo fere per dimidium annum durabat. Posteà verò habebat eamdem febrem à contrario, primò cum magno & indicibili frigore, & posteà cum valido calore, qui tamdiu durabat, donec tempestas penitus cessabat. Cessante autem febre, ita insensibilis permanebat, quòd seipsam ignorans, nec audire nec loqui poterat. Cùm verò febrium sentiret accessum, aptabat se ad exercitium Dominicæ passionis, commendans se & suas passiones passioni illius, in quo omnia amara dulcorantur: qui eam per excessum mentis à corporalibus sæpè abstrahebat, quòd nec se nec alia quælibet aduertebat. Durante verò hac febricitate, rubeam quamdam aquam per os emittebat: de quâ interrogata vnde talis materia proueniret, cùm nec cibum nec potum sumeret, ita per quæstionem respondit: Dicite mihi, vnde tantus humor in vite prouenit, quæ tempore hiemali arida & quasi mortua apparet? Confortabatur autem valdè virgo Christi in corpore tam debili, ex bonâ meditatione de Deo assumptâ, & multò plus inde reficiebatur, quàm aliquis ex pretiosissimis cibis. Solebat autem dicere in quotidianis infirmitatibus suis ad quosdam sibi familiariter adstantes, quòd adhuc eas libenter vellet sustinere quadraginta annis, imò & vsque ad finem mundo, pro conuersione cuiuslibet peccatoris, aut pro liberatione cuiuscumque animæ fidelis ex Purgatorij pœnis.

In earum accessu Passionem Domini meditatur.

Pro animarũ salute omnia sua tormenta libenter suffert.

8. Horremus, & verè inhorremus ad ea quæ hactenus de te, ô beata virgo, relata sunt, quæ profectò tanta sunt, vt quemlibet è nobis, qui delicatiùs corpora nostra tractare solemus, enecare valeant. Sed tibi, virgo, hæc à Deo tibi immissa non suffecerunt, voluisti insuper & voluntarium aliquod Deo seruitium exhibere, ne ex necessitate patientiam exercere videreris. Cùm igitur præ multitudine vulnerum, stratum ex plumis minus tibi congruere, abdicato lectuli commodo, ad tempus super nuda stramina iacuisti; etiam per triennium nudo dorso super durum asserem de fundo dolij sumptum dure quieuisti. Iacens ergo super vilia stramina virgo paupercula, mendici & pauperis Lazari soror, vlceribus plena, reliquit lectulum suum filio ac filiæ fratris sui ad quiescẽdum, eò quòd die noctuque mutuâ charitate per successum temporis ei in necessitatibus inseruirent. Circa annum Domini millesimum quadringentesimum octauum tam validum frigus toto tempore hiemali per mundum inhorruit, quòd longitudine & acerbitate homines plus solito afflixit, ac herbas terrę & pisces sub aquis extinxit. In hac durissimâ hieme ęgerrima Christi vernula, vulneribus saucia, ex vehementi frigore & nuditate, frequenter in tantum obriguit, vt membra eius nigrescerent, & oculorum lacrymæ congelarent, ita quòd videre

Cap. 9.

Nudo straminis incumbit.

Extremum frigus patitur.

non poterat, nisi igne adhibito resoluerentur. Interim quàm fortiter contra somnolentiam certauerit, & vicerit, iam porrò audite. Mos quidem multorum hominum esse solet, vt de somnolentiâ tempore diuini Officij magis tententur, siue ex propria fragilitate, siue ex diaboli suggestione, qui semper nititur humanæ saluti & deuotis orationibus aduersari. Cùm ergo Christi discipula, docta sæpiùs orare, plus solito sentiret spiritu pigritiæ & somnolentiæ tempore diuini Officij se grauari & tentari, licet valdè parum tunc temporis dormire solebat, grauiter tamen super huiusmodi tentatione corporis intra se doluit, nec ei consentire audebat. Timens ergo Confessor eius periculum illi imminere si non dormiret, suasit ei obtentu salutis, ne ampliùs sopori resisteret, sed in quacumque festiuitate adueniente, quocumque tempore vel horâ, ad dormiendum se apparet. In quadam itaque festiuitate Paschali, cùm eadem tentatio sub Missâ grauiter eam infestaret, ipsa memor Dei, violentissimè somnolentiæ resistebat, iuxta quod scriptum est, Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Peractâ igitur vnâ hac victoriâ de somnolentiâ, ita contra eam diuinitus est roborata, vt de cetero vsque ad mortem nec dormierit, nec de somnolentiâ tentata fuerit. Interim quoque haud exiguâ laborabat inopiâ, nec tamen propterea aliis indigentibus succurrere omisit: pauca enim clenodia argentea, & alia quælibet domus vtensilia, à matre sibi in vsum relicta, propter instantem necessitatem minus digno pretio vendidit, atque pretium omne pecuniæ inde sumptum, tam largifluè pauperibus distribuit, quòd ad extremam paupertatem refocillatrix miserorum deueniret. Illa quoque quæ à fidelibus in eleemosynam recipiebat, tantâ hilaritate pauperibus transmittebat, ac si de rebus temporalibus nihil curare videretur. Proinde ex pecuniis habitis & pro necessitatibus expositis, mittebat diuersis egentibus panes, carnes, pisces assos, & caseos, atque potum cereuisiæ cum amphorâ, quam pia mater sibi reliquerat; & si quid ampliùs à Deo concessum fuerat, fideliter erogabat. Et cùm hæc per familiares quò volebat deportarentur, ipsa interim deuotis orationibus vacabat, gratias agens bonorum omnium largitori, qui aliquid sibi in vsus pauperum concesserat.

Somnolentiam in se vincit.

Cap. 10.

Cap. 16.

Paupercula licet, largas facit eleemosynas.

Piam hanc Lidvvinæ nostræ liberalitatem liberalissimus Deus aliâ liberalitate erga illam compensauit. Cùm enim eius frater defunctus esset, & debita quædam reliquisset quæ filij eius persoluere nequibant, ipsa hoc percipiens, quæ sibi supererant diuenditis ad octo libras pretium collegit, & in denarios vnius monetæ, quos meliùs cognoscebat, permutari fecit, ac in bursâ penes se collocauit. Quodam igitur die aduesperascẽte, aduocauit Nicolaum cognatum suum, & per eum debita fratris sui integrè persoluit. His factis, iussit vt ille bursam inspiceret, visũ an quid superesset: qui multũ adhuc pecuniæ in eâ remansisse inuenit: eâque numeratâ, nõ solũ priores octo libras, sed insuper reperit. Illa ergo gratiis Deo actis, bursam illã Bursam Iesu nominauit, & inde largè pauperibus dari mandauit: & porrò ex eadem, præter fratris debita, vltra quadraginta libras expendit, pecuniam illam augente eo, qui lecythum olei in domo viduæ pau-

9.

Cap. 20.

Deus vicissim erga eam liberalis.

Bursa, è quâ pecunias pro eleemosynis numerabat, non exhaurit[ur].

peris ad verbum Eliæ Prophetæ redundare fecit. Cap. 12 Similiter tempore quodam in autumno contigit, quòd virgo quartã partem iunioris vaccæ emptã, in quarta parte vasis faceret saliri, sed & mediam partẽ mensuræ pisarum pro pauperũ necessitate compararet, volens ex his tempore hiemali quibusdam egenis mittere. Cùm ergo ex prædictis carnibus misisset ad triginta sex fere domos egenorum, reuersus ad eam nuntius aiebat, se cum admiratione tantum distribuisse, quantum primò in vase salierat, & adhuc parum diminutum esse. Quo audito, virgo magnam Dei bonitatem considerans, & gratias agens cælesti prouisori suo, ait nuntio: *O quàm magna est potentia Dei nostri! ô quàm meritò libenter pauperibus eleemosynas dare deberemus!* Cùm mater eius ægrotaret, & filiæ opem, post suum è vita decessum, expeteret, ipsa pro subuentione eius libẽtissime eidem obtulit, & ex integro resignauit, quidquid huc vsque boni meritorij in exercitiis virtutum, in laboribus ac patientiæ tolerantiã consecuta fuisset. Et tum quasi omnibus bonis operibus prioribus euacuatam se putans, iterùm, ad inchoandam nouam pœnitentiam, duro & lato se cingulo cilicino accinxit, nouum dolorem adiiciens veteri, vt Deus sibi propitius fieret, & cuilibet animæ fideli. Sed post aliquot annos, virgo accincta cilicio, propter corporis sui humores hydropicos primo cingulo ex vetustate satis corrupto, rursum alio nouo, & successiue aliis pluribus propter attritionem depositis, forti zelo accingitur, donec cum vltimo ex hac vitã migraret. Hæc sunt quæ virgo illa in corpore suo pro defunctorum animabus in Purgatorio hærentibus Deo offerebat: iam ad ea quæ in spiritu passa fuit progredimur.

Pro matre ægrotante quàm fuerit sollicita, cui omnia sua bona opera resignat.

10. Rapta est, spiritu leuante, ad loca Purgatorij, vbi inter ceteras quas multipliciter & grauiter torqueri vidit, etiam animas amicorum suorum puniri videbat. pro quibus liberandis ac releuandis, se postmodum in corpore duriter affligebat. Aliâ quoque vice solito more rapta; venit circa quemdam montem, videbatque diuersos diuersimodè oberrantes, alios ad radicem montis, alios altiùs enitentes, & alios in eminentiori loco montis versantes, volentes quidem montem ipsum ascendere, sed non valentes, sed nec, qui eos iuuarent, auxiliatores habentes. Intellexit ergo virgo quid ista prætenderent, quia defunctorum animæ erant quæ suffragia desiderabãt. Cùm autem aliquæ festiuitates præcipuæ instarent, per aliquot dies antè rapiebatur ad loca Purgatorij vt videret calamitates afflictorum, qui auxiliis indigebant, nec sibiipsis poterant subuenire, quatenus pro eis fideliter Dominum oraret. Reuersa igitur ad se, cùm pro eorumdem liberatione quotidianas febres libẽter sustineret, atque amarissimè fleret, diuinam misericordiam instanter exorando; rursum in ipsis solemnitatibus rapta, pro eorum agnitã redẽptione tanto gaudio exultabat, quòd vix præ lætitiã semetipsã capere poterat. Licet autem ceteris diebus quamplures sæpiùs eriperet, in præcipuis tamen festiuitatibus multò plures & maiori copiã (Deo propitiante) eripuit. Adeò autem acriter pro miseria eorum doluit, & frequenter plorabat, quòd deficientibus in eã naturalibus lacrymis, sanguineæ lacrymæ succederent: quas successu temporis super genas eius coagulatas, Confessor eius cum naturalibus lacrymis exstillantibus emolliens abrasit, & in sacculo ponens, apud se in scrinio reseruabat, atque post mortem eius, sicut optauit, sub capite eius in sepulchro reponebat. Multùm interim cauta & circumspecta erat dum de statu defunctorũ loqueretur, licet sæpiùs secreta Dei non ignoraret: quod sequenti exemplo ex verbis eius apparebit ad cautelam imperitorum, quos sæpè fallunt visiones mortuorum. Post mortem Ducis Wilhelmi, ac Comitis Hollandiæ & Zelandiæ (sub quo virgo hæc claruit, & diu ægrotauit) rumor quidam popularis insonuit, & ad aures Margaretæ Comitissæ, vxoris Ducis iã defuncti, peruenit, quòd hæc virgo dixisset eum iam esse saluatum. Audierat enim, quòd hæc virgo per triduum mortua fuisset, & reuixisset. Misit ergo nobilis ac reuerenda Domina ad eam vnum de famulis suis, vt inquireret huius rei veritatem. Interrogata igitur super vtroque ab ipso nuntio transmisso, ad vnum ita respondit: *Si triduo mortua fuissem, Schiedammenses diu me sepelissent.* Ad aliud verò, sicut ridiculosum iudicabat quod interrogabatur, ita quodammodò respondit dicens: *Si ille iam esset in æternã vitã, tunc Dominum iniuriaretur mihi, quæ decem & septem annis grauissimis infirmitatibus detenta, de lecto non descendi, nec terram tetigi. Quapropter precor, ne occasione mei peccetis*; sicque nuntius qui incertus venit, incertior inde recessit. De pluribus tamen Religiosis defunctis, certam nonnumquam dabat sententiam quòd essent saluati, & in gaudium Domini sui introducti.

Sanguineas lacrymas pro animabus fundit.

Lib. 2. c. 7. Ad Purgatorium in spiritu rapitur.

Cap. 17.

Eas Confessarius eius reseruat, & cũ eã sepelit. Cap. 18.

Cautissima eius respõsio.

Affirmant denique Hollandiæ Chronica, & diuersarum Bibliothecarum manuscripta, hanc virginem etiam ignem purgatorium longo frequenter spatio pertulisse, posteàque confessam fuisse, tormentum istud omnem cogitationem humanam excedere: quo tamen non obstante, sese ad eadem vsque ad extremum iudicij diem sufferenda promptissimam asserebat, modò animas ex tantis tormentis eriperet. Quem pro animabus patiendi spiritũ non antè deposuit, quàm vitalis illam spiritus deseruisset: imò quantò ad mortem propiùs accessit, tantò maiora eam sustinuisse & optasse, idem Auctor asserit, dum sic inquit: Virgo Christi Lidwigis, in multis examinata doloribus, vt non remaneret in eâ peccati macula, tandem adhuc vnã amarissimã plagâ percussa est & purgata. In vltimo igitur anno vitæ suæ, à Purificationis festo vsq; ad festum Paschæ sequentis, cum aliis infirmitatibus, quas priùs diutissime habuerat, tantã molestiã calculi grauabatur, quòd frequenter duabus vel tribus vicibus, vnã horã quasi exanimis facta loqui non poterat. Quã angustiã cum vehementi morsu dentium, sine verbis impatientiæ, vix transactã & cessante; paucissimis verbis vix vti poterat ad loquendum. Dicebat autem, quia idem calculus mortem sibi esset illaturus, quantitatem habens vnius oui columbæ. Eo quoque tempore ita rarò per internas consolationes diuinitus visebatur, quòd Domino Ioanni Confessori suo, quodammodò se derelictam à Domino prę solito cum lacrymis conquerebatur. In quã tamen desolatione maius meritum per patientiam ei accreuit, quia conformior Christo in cruce patienti reddebatur.

11. *Ipsamet aliquamdiu in viuis Purgatorij tormenta sustinuit.*

Cap. 24.

Calculo laborat.

Tertiã

12\.

Christina Mirabilis mirabilia pro animabus patitur.

Art. 14. parte 2.

De IV. nouissimis.

Tertia virgo Belga est S. Christina Mirabilis è S. Trudone, Leodiensis diœcesis oppido, oriunda. De hac ita Ven. Dionysius Carthusianus: Mirabilis Deus in sanctis suis. Vitam admirabilis Christinæ, quæ per excellentiam Mirabilis appellatur, describit vir litteratus, Religiosus & nobilis de Ordine Fratrum Prædicatorũ, qui etiam edidit librum qui communiter Liber apum vocatur. Itaque vir ille in exordio historiæ suæ de Christinâ Mirabili introducit testimoniũ Domini Iacobi Aconensis Episcopi, posteà Cardinalis, qui de Christinâ hæc scripsit: Christina autem nata fuit in oppido S. Trudonis, vel vt aliqui dicunt, in pago nominato Brusten, sito iuxta oppidum memoratum. Recordor quoque, quòd dum in pueritiâ frequentarem scholam in oppido illo, frequenter audiui mentionem Mirabilis Christinæ, atque (vt dicebatur) aliqui tunc vixerunt, qui ipsam feminam gloriosam viderunt in carne. Itaque cùm in pueritiâ fuisset defuncta, & celebraretur Missa pro eâ, repentè de feretro surrexit, & trabem Ecclesiæ celeriter instar auis ascendit, residens ibi vsque ad finem Missæ: fugeruntque omnes de Ecclesiâ, ipsâ sic ascendente, demptâ eius seniore sorore. Finito Missæ officio, ex adiuratione Sacerdotis descendit de trabe: & ab amicis interrogata quid ei accidisset, respondit: Mox vt fui defuncta, duxerunt animam meam Angeli sancti ad locum tenebrosum & horridum, animabus hominum plenum. Tormenta quæ ibi vidi, erant tam crudelia & acerba, vt nulla possit lingua exprimere. Et æstimante me quòd esset infernus, Angeli sancti dixerunt Purgatorium esse. Deinde ad intuendum tormenta inferni me produxerunt. Vidi autem in vtroque loco multos mihi anteà notos. Post hæc ducta sum in Paradisũ ad thronum Maiestatis diuinæ. Cumq; vidissem Dominum mihi congratulãtem, ineffabiliter sum gauisa, putans me ibi perpetuò mansuram. Dixitq; Dominus: Reuerà, dulcissima filia, mecum eris, verumtamen optionẽ do tibi, an velis nunc mecũ manere, an reuerti in corpus, atq; in eo satisfacere pro omnibus animabus, quas in Purgatorio conspexisti, & ad eos, qui adhuc viuunt in corpore, ædificare, sicque cum meritorum augmentis redire ad me. Ad quod statim respondi, me pro hac causâ velle ad corpus reuerti. Moxque Dominus electioni meæ congratulans, iussit me corpori reddi. Nunc ergo non perturbemini ex mirabilibus quæ estis visuri in me. Ex eo tempore cœpit præsentiam hominum fugere, præsertim quia fœtore vitiosorum hominum nimis affligebatur. Et ascendit, volauit, ac sedit frequenter super summos arborum ramos, & super altitudines Ecclesiarum ac turrium. Cumque propinqui eius putarent eam esse obsessam, & eam cepissent, & cibum ei negassent, ipsa quadam vice Dominum exorauit pro refectione, & cõfestim ex virgineis eius vberibus lac manauit, quo refecit seipsam. Deinde cœpit se in ardentes fornaces proiicere, in quibus præ doloris vehementiâ horribiliter exclamauit, nec tamen in eâ egrediente læsio apparebat. Frequenter proiecit se in ignem, vel manum aut pedem tamdiu in igne tenebat, quòd secundùm cursum naturæ potuissent in cinerem redigi. Sæpè intrauit cacabos grandes bullienti aquâ repletos, vsque ad renes, aut vbera, & ceteris membris aquam calidissimam superinfudit: in quibus pœnis clamauit velut parturiens. Sub aquis congelatis mansit interdum per sex dies continuos: nonnumquam stetit sub rotâ molendini, ita quòd aqua cadebat super caput & corpus ipsius, etiam tempore hiemali: atque aliquando cadebat super rotam molendini circumeuntem, nec tamen apparebat læsura in corpore eius, quamuis instar aliorum grauissimè affligeretur. In rotis reorum frequenter reflectebat crura & brachia, nec tamen, dum descendebat, apparuit in eâ fractura. Inter latrones suspensos laqueo se suspendit, & pendebat suspensa duobus aut tribus diebus. Multoties intrauit mortuorum sepulchra, & ibi defleuit hominum vitia. Mediis noctibus sæpè surgens, prouocauit canes totius oppidi Sancti Trudonis, ad latrandum & insequendam eam: ante quos currebat per spinas, vepres & tribulos, ita quòd toto corpore vulneraretur: & tamen cùm sanguinem diluisset, nullum læsionis vestigium in eâ apparuit. Sicque per seipsam frequenter se lacerauit spinis ac vepribus. Multoties dum orando & cõtẽplando accenderetur amore diuino, totum corpus & omnia membra eius instar ceræ liquefiebant, & in vnum globum seu sphæricum corpus conuertebantur, & contemplatione finitâ, ad pristinam formam redibãt. Ex his innotescit acerbitas tormentorũ Purgatorij, pro quorum relaxatione sancta hæc virgo, & verè innocens mirabilisq; Christina, elegit in vita hac sustinere tam inaudita supplicia. Ita Venerabilis Dionysius Carthusianus. E quibus iam constare potest vniuersis totius mundi nationibus, quanto affectu tres hæ è Belgio nostro virgines erga Purgatorij olim animas ferrentur, & quàm incredibilia pro eisdem pertulerint: egregium specimen, qualem proaui atauique nostri fidem habuerint, longissimè diuersam ab eâ futilissimâ opinione, quàm nescio qui Liliati discipuli, aut qui Potatoris egregij assclæ, aut Fanatici hominis alumni, superiore sæculo obtrudere nobis conati sunt. Macti ergo, ô Belgæ Catholici, qui priscis Patrum ritibus mordicus insistentes, hactenus à Caluini, Lutheri, Mennonisque veneno vobis cauistis, imitamini porrò tam egregia proauorum exempla, iisdemque vestigiis strenuè insistite, & dubio procul ad eumdem, quò ipsi, æternæ salutis portum peruenietis. Sed & exteras nationes in Domino nostro Christo Iesu oro & obtestor, vt hunc maiorum nostrorum feruorem suo piissimo zelo exprimere allaborent, quantuis probè sciam, plurimos esse qui nostrâ hac exiguâ cohortatione minimè indigeant, sed nullo impellente, solo pietatis & charitatis ductu, magnis passibus in hoc vtilissimo & commodissimo Purgatorij animabus exercitio non solùm inambulent sed strenuissimè progrediantur.

Moritur & iterùm reuiuiscit.

Stupenda de se narrat.

Optio ei datur à Deo ad viuos reuerti & dira pro animabus pati; an verò cum Beatis agere, & ex charitate animarum solamen præfert.

Homines fugit.

Proprio lacte suo pascitur.

In fornaces & ignes se illisa, patiens tamen, proiicit.

Alia de eâ stupẽda consequenter.

Parænesis ad Catholicos tam Belgas quàm exteros.

CA-

CAPVT XL.

Vlterior & spiritualis prouocatio ad illorum æmulandam charitatem, qui sua omnia in mortuorum subsidium transscripserunt.

1. QVandoquidem perinde Librum hunc nostrum secundum, quàm anteà primum, certo & designato Capitum numero, idq; non sine mysterio quod intendimus, cõclusum volumus, hoc Quadragesimum Caput Libri huius vltimum erit. Sicut enim vltimo anterioris Libri Capite ostēdimus, numerum trigesimum ad culpam pœnamque peccatorum pertinere, ita hic rationum ductu & sacræ Scripturæ auctoritate & approbatione demonstrabimus, numerum quadragenarium symbolum esse pœnitentiæ faciendæ & satisfactionis exsoluendę, recteque Libri huius coronidem huic Capiti congruere. Quadragenarium verò numerum pœnitentiæ & satisfactionis continere mysterium, ex solo Augustino, ne plura adducamus aliorum Catholicorum Doctorum & Auctorum testimonia, abundè constare potest, qui nimirum diuersis in locis, è sacrà Scripturà argumentis desumptis, luculentissimè hoc ipsum comprobauit. Vno ergo loco sic loquitur: *Salutaris & mysticus est quadragenarius numerus. Nam primùm cùm mundi faciem iniquitas hominum possideret, tot dierum curriculo Deus, effusis de cœlo imbribus, vniuersam terram diluuio superinfudit. Vides iam ab illo tempore mysterium in figurâ dispositum: nam sicut tunc quadraginta diebus pluit ad purgandum mundum, ita & nunc quadraginta diebus miseretur ad hominem purificandum.* Alibi sic: *Est autem legitimus numerus iste ieiunij, & qui in sanctis celebratur exemplis. Moyses legẽ accepturus à Deo, quadraginta dies ac noctes absque cibo potuq; transegit, & ad suscipiendam Domini voluntatem ieiuniis præparatus est. Elias post quadraginta dierum ieiunia curru igneo ad superna cœlorum de hoc mundo translatus est. Ipse quoque Dominus ac Saluator noster quadraginta diebus ieiunans, de diaboli tentationibus triumphauit, vt ad prædicationem Euangelij iam victor accederet. Meritò verò etiam nos hunc dierum numerum custodire debemus ieiuniis, quem per talia exempla legimus consecratum.* Vtui hoc in loco esse poterũt, quæ suprà hoc eodẽ Libro Capite XVIII. dum de ieiunio Quadragesimali ageremus, diximus, quò Lectorem meum, ne cum ipsius tædio idem hic repetam, bonà cum ipsius veniâ remitto.

Mysticus in vtroque Libro Capitum numerus.

Quadragenarius numerus symbolum est pœnitentiæ.

Serm. 69. de Temp.

Serm. 64. de Temp.

2. Quò verò, vt præfati sumus, vlteriùs fideles quoscumque prouocemus, vt sedulò charitatem ergà defunctos exerceant, vnam saltem ab iis rem enixiùs postulo, vt sua, quæ in mortali vitâ patrant, bona & meritoria opera, defunctorum vtilitati vel ex toto vel ex parte resignẽt & transscribant. Hoc à me exigi, non est mirũ; nec adeò magnum, etiamsi à nobis præstetur. Ad quod comprobandum & persuadendum non opus est multis, quandoquidem multò hac maiorem à variis constet animabus exhibitam fuisse misericordiam, ab iis nimirum, qui, dum in corporibus suis degerent, non tantùm vniuersa quæ habuerunt bona opera ita in defunctorum auxilium à se abdicarunt, vt sese nudos quodammodò gloriarentur, sed & ipsorum purgandorum pœnas in se susceperunt, & magno cum cruciatu pertulerunt. Rem nostram exemplis firmabimus, & quam sit pietati consentanea, variis argumentis ostendemus. S. Gertrudis de Saxoniâ refert, animam cuiusdam ideò sine impedimẽto ad gloriam euolasse, quòd deuoti quidam homines pœnarum ipsius satisfactiones in se suscepissent, & omnia sua merita ei transscripsissent. Beata virgo Lidvvina, de quâ superiore Capite pluscula tradidimus, passim legitur tum viuorum tum mortuorum pœnitentialia opera in se deriuasse, prout ex suprà adductis abundè constat. Sed & ipsamet D. Gertrudis Saxonica omnia sua in purgandorum subsidium deuouerat, vt ex eius Insinuationum libris apertè colligi potest: vbi itidem videre est, illam ipsam eius charitatem varios æmulatos fuisse, adeoque ad eiusdem imitationem nos omnes inuitari. Et ne res hæc ad perfectionis tantùm studiosos pertinere videatur, notari poterit è Ven. Thomâ Cantipratano, idem ab obsessâ quadam feminâ, antè quàm à dæmone inuaderetur, factitatum fuisse, quod tum Auctor ipse debitè laudauit, & dæmon eius insessor confessus fuit. *Mortuo*, inquit Cantipratanus, *viro suo compassa, in subsidium animæ illius contulit quidquid boni in hac vitâ fecerat.* Et hæc quidem exẽpla à tribus vel quatuor vt summùm sæculis contigerunt. Sua etiam bona merita iisdẽ defũctis ex nimiâ & Seraphicâ charitate solita fuit trãsscribere S. Mater Teresa, Reformationis nostræ piissima & felicissima Institutrix, eumdemque pietatis spiritum etiam in filios & filias suas transfudit, vt plerique modo vsque, vniuersa quæ possunt, mortuorũ solatio consecrent, eò se ditiores in morte futuros indubitatè rati, quò ampliùs è satisfactionibus illis fœnus collegerint. Neque enim idcircò minùs vel sibi vel aliis viuis se profuturos arbitrantur, cùm essentiale meritũ suum inde diminui non posse agnoscant, & tum demum satisfactiones suas optimè & aptissimè applicatas sciant, si defunctis, qui eis vel maximè opus habent, impensæ fuerint; impetrationem quoque, quò in plures diffunditur, efficaciorem fieri, haud sine ratione confidant. Et quidem Seraphicæ Matris nostræ exemplum totidem, quibus ipsa Hispanicè descripsit verbis, Latinè referemus, ne, qui idioma istud ignorant, simul egregium hoc charitatis specimen ignorent. *Nuntiatum mihi fuit*, inquit, *defunctum esse quempiam qui apud nos Prouincialem egerat, tum verò alteri Prouinciæ præfuerat; quocum aliquoties egeram, & cui etiam aliqua bona opera debebam. Homo fuerat summæ perfectionis & virtutis. Vt obitum illius rescivi, haud parum inde turbata fui: saluti enim eius maximè timebam, quòd à viginti iam annis Superioris partes in Ordine sustinuisset (& quidem iustè timebam, cùm periculo non carere mihi videatur, animarum curam gerere) ideoq; non sine molestiâ ad Oratorium me contuli. Quodcumque in vitâ meâ boni egissem (quod exiguum quidem erat) ei donaui, & Dominum deprecata sum, vt sua merita supplerent id quod deesset vt anima illa è Purgatorio liberari mereretur. Dum sic deprecarer quantum quidem deuotè poteram, visum mihi fuit, illum iuxta latus meum dextrum è terræ profundo ascendere, vidiq; ipsum maximo cum gaudio*

Vt meliùs & expeditiùs animabus succurratur, merita nostra illis trãsscribenda sunt.

Insinuat. lib. 5. cap. 11.

S. Gertrudis Saxonica id fecit.

Etiam non Religiosos id decet.

Lib. 1. Apum, cap. 57.

S. Teresa item sua merita in defunctos transfudit.

Vitæ suæ à se conscriptæ cap. 38. haud longè à fine.

gaudio cælum conscendere. Vetulus erat dum moreretur, vidi tamen ipsum, quasi triginta solum annorum ætatis fuisset, aut etiam minus; faciesq; illius splendebat. Breuis admodum quidem erat hæc visio, inde tamen vsque adeò erigebar, vt de morte eius haud amplius sollicita essem. Tantam inde in animâ meâ sensi consolationem, vt nullatenus dubitem quin bona visio, saltem non illusio fuerit. Interim tamen haud omittebam procurare pro illo preces & suffragia fieri, atque egomet quoque idem faciebam, quamuis non tanto cum affectu quam fecissem si visio illa monstrata mihi non fuisset: quando enim mihi Dominus eiusmodi visiones exhibet, atque ego posteà pro illis orare pergo, diuiti eleemosynam porrigere me videor.

3. Adiungerē hisce quæ huc faciunt è Vitâ Ven. P. Dominici à Iesu Mariâ, Congregationis nostræ dignissimi Generalis, nisi commodiùs posteà ea pertractari mihi visum fuisset: videamus modò, quomodo sacræ Religiones communicare aliis soleant meritorum & satisfactionum suarum participationem, cuius egregium specimen exhibet mutua illa inter sacrum Ordinem Carthusianorum & Societatem IESV ab annis plurimis inchoata & hactenus laudabiliter obseruata concordia, cuius à Carthusianorum parte hoc extat monimentum: *Frater Petrus, humilis Prior Maioris Carthusiæ, ceteriq; Definitores Capituli Generalis Ordinis Carthusiensis, Reuerendo in Christo Patri, ac deuotis viris, Dominis Ignatio Præposito, suisq; Fratribus nouæ Societatis nominis IESV, vbilibet locorum constitutis, salutem quam præparauit Deus diligentibus se. Auditâ famâ odoriferâ, fratres in Domino dilectissimi, de vestrâ exemplari conuersatione, salutari doctrinâ, & voluntariâ paupertate, ceterisq; virtutibus, quibus in tenebris nostri deplorati sæculi refulgentes, perhibebimini homines in viâ perditionis errantes ad arctam viam salutis reuocare, vacillantes stabilire, stantesq; ad proficiendum in virtutibus stimulare, & magnum in Domino Ecclesiæ Catholicæ fructum afferre; gauisi sumus in Domino, gratias illi agentes, quòd in tantâ desolatæ Ecclesiæ suæ calamitate, quâ premimur, excitare dignatus est, & mittere nouos operarios in vineam suam, recordatus misericordiæ suæ. In quo quidem sancto opere cupientes vobis pro modulo nostro cooperari, Fraternitatem vestram obsecramus per charitatem eius qui pro nobis non dubitauit animam suam ponere, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, sed in sancto proposito perseuerantes, in omnibus exhibentes vos sicut Dei ministros in multâ patientiâ, non deficientes inter labores, pericula & persecutiones, quæ omnibus piè viuere volentibus occurrere solent: tempore enim suo metetis non deficientes. Et nos, fratres, si quid poterimus apud Dominum diuinis Sacrificiis, orationibus, abstinentiis, ceterisq; piis exercitiis, quorum omnium vobis & successoribus vestris in vitâ pariter & post mortem, singularem concedimus participationem, vestris piis conatibus libenter cooperabimur in Domino; postulantes, vt vicissim nos in orationum & bonorum participatione commendatos suscipere dignemini. Datis Carthusiæ sub sigillo nostro, anno Domini M.D.XLIV. Feriâ quintâ post Dominicam Cantate, sedente nostro Capitulo Generali.* Et noster etiam Carmelitarum Discalceatorum Ordo aliis sua, quæ habet, bona opera communicare solet sub hac formâ: *IESVS, MARIA. Benedictus Deus & pater omnium, qui saluti prouidens hominum, mundo dedit Mariam Virginem in dulcissimam matrem, F. N. de N. Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. Eliæ Præpositus Generalis, in Domino salutem N. N. Cùm salutis nostræ auctor Iesus Christus præsentes discipulos, & nos absentes imitatores suos erudiens, singulari fraternæ charitatis præcepto præsertim obstrinxerit, vt scilicet diligeremus alios quemadmodum ipse dilexit nos: & tanto magisterio & instituto nostro valde consentaneum est, vt saluti proximorum operam similem ei quam Redemptor noster nauauit, impendamus. Cùm verò ipse sic nos dilexerit, vt labores, dolores, operaq; sua omnia in salutem nostram cum infinito merito ac satisfactione direxerit, nullum eius imitandi modum similiorem inuenire posse videmur, quàm si è piis laboribus & operibus nostris, quæ ex ipsius munere præstamus, & spiritualibus bonis, quibus ex ipsius thesauro fruimur, partem aliquam proximis tribuamus. Quapropter nos, qui (licet immeriti) prædictæ Congregationi præsumus, & bona eius augere, ac in alios iustis de causis deriuare debemus, confisi meritis & precibus B. Virginis Mariæ, Matris Dei & nostræ, cui specialiter famulamur, ac eius sponsi sanctissimi Ioseph, nec non sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei Patrum nostrorum, sanctorum Angeli & Anastasij Martyrum, Alberti & Cyrilli Confessorum, ac sanctæ Teresiæ virginis, & aliorum Sanctorum & Sanctarum Ordinis nostri, & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, vos peculiari charitatis significatione complectentes, ad participationem omnium priuilegiorum, indulgentiarum, precum, ieiuniorum, disciplinarum, peregrinationum, piorum operum, aliorumq; quorumuis bonorum spiritualium totius nostræ Congregationis admittimus; precamurq; diuinam bonitatem, vt vos per hoc nostrum ministerium prædictorum bonorum cum multo prouentu consortes efficiat.* Quibus verbis tametsi non fiat expressa mentio participationis meritorum seu satisfactionum post mortem, ea tamen certè subintelligitur, vti etiam inter alia ex Capite XXXVII. præcedente, in quo specialia Officia fieri pro iis qui per hanc aggregationem Ordini nostro vniti sunt, manifestum fuit.

Carthusiani sua bona opera cum Societate Iesu communicāt.

Excalceatorum Ordo aliis sua merita communicat.

Vtilissimum igitur ideoque & prudentissimum erit consilium, omnibus modis & mediis 4.
huiusmodi Ordinum Religiosorum annexionem atque participationem procurare, vtpote ex quâ magnum etiam post obitum quoad celeriorem ex Purgatorio liberationem emolumentum proueniat. Quò spectat etiam consilium aliud, quod dedit R. D. Cornelius Columbanus Vranxius, ad D. Petri Gandaui Abbas, qui in suo Animarum consolatorio prudenter Catholicis morientibus suadet, vt ita suis valedicant: *Eia amice mi prædilectissime, vltimum iam tibi dico vale: exhibe tu mihi vicissim amorem tuum in hoc extremo meo agone, quandoquidem iam mihi mortem instare vides, quæ omni humano me solatio priuabit. Longissimum iter adeundum est; via, quà transeundum, ignota est, lubrica est, periculi plena est. Regio peregrina adeunda est, imò ad alium planè mundū proficiscendum, vbi nemo viuentium anteà fuit, & quò comitem mecum adducere nequeo. Soli mihi coram seuero Iudice comparendum est, quæ sententia de me ferenda sit (de quâ omnis mea in æternum vel salus vel interitus pendet) prorsus ignoro. Si namque, prout equidem confido, res benè succedat, intra cælorum regnum recipiendus sum, vt in perpetuas ibi æternitates cum Deo Saluatore meo viuam; sin secùs, quod admodum timeo, absque vllo solatio, absque vllâ intermissione, in æterno igne comburendus sum. Donec tamen superuixero, ea tormenta euadendi suppetunt media, nimirum per veniam à Do-*

Quomodo ex hac vitâ discessurus amicis suis valedicere debeat.

mino

mino Deo impetrandam, antè quàm iter hoc suscipiam, & per acquisitionem virtutum quas ipsemet exercuit. Deum igitur exorate, vt in gratiam suam me recipiat; Sanctosq; eius implorate, vt ipsi me conducant & defendant ab infernalibus illis prædonibus, qui nimisquam sæua animabus torměta inferunt. Virtutes meæ & opera bona, si quæ haberem, me sequerentur. Vos rogo & obtestor, bonis vestris operibus, quæ Dei adiutorio accumulastis, mihi ap̃stite; mea enim vel omnino nulla sunt, vel, si vlla, admodum exigua. Transcribite mihi, quæso, vestra. Membrum sum Ecclesiæ Catholicæ; iuuate me, & de diuitiis vestris egestatem meam subleuate. Dicite: Domine Deus, si quid vmquam boni præstitero per tuam gratiam, id omne ei dono & resigno, suscipe illud velut ipsius proprium. Hanc mihi, oro, charitatem exhibete intrepidè, nihil decessurum sed potiùs insuper accessurum vobis spondeo: & per charitatis eminentiam absque vestro dispendio mihi emolumentum inde prouenturum. Agite ergo, quæso, vt vestris suppetiis immania illa Purgatorij torměta euadam, vel vt mitiora & breuiora mihi reddantur. Et benè valete, nec mei memoriã (quamuis longè à vobis absim) deponatis, sed Domino Deo me commendate, præcipuè dum sacrum Missæ Sacrificium celebrabitur, in quo pro infidelitatibus & inobedientiis meis cælesti Patri offerre debetis immensam fidelitatem, & fidelissimam perfectissimamq; obedientiam, ad mortem vsque, vnigeniti Filij eius Domini nostri Iesu Christi, qui per me & vos benedictus sit per omnia sæculorum sæcula.

5. *Consortium spirituale à P. Dominico pro animarũ adiutorio institutum.*

Vt ad Teresianam denique progeniem redeamus, eximium est Consortium illud spirituale, quod Ven. P. Dominicus à Iesu Mariâ in viuorũ simul & mortuorum subsidium exorsus est tempore Gregorij XV. cuius & auctoritate & speciali Diplomate confirmatum fuit. Eius conditiones rationesque, excerptas è Parte 3. Sententiarij spiritualis ab eodem Patre compositi, hìc annectimus. Quinque sunt mala vel capita præcipua, quibus filij Adæ tum in vitâ, tum in morte, tum etiam post mortem subiacent: & proinde iure merito quilibet sui ipsius compassione moueri, & de mediis semet iuuandi dispicere debet. Sed & eumdem erga alios affectum habeat necesse est, cùm charitatem suos inter discipulos vigere & exerceri, Dominus noster tantopere desiderarit. Ea autem quinque mala hæc sunt; I. periculum in quo versantur quicumque homines iusti, ne in peccati retia incidant; II. deplorandus peccati status in quo tot tantique degunt, & in quem tam facilis & prona est ruina, ad quam classem etiã pertinent illi, qui extra gremium Ecclesiæ in horridissimis tenebris agunt; III. quæcumque necessitas, corporalis & spiritualis, interior & exterior, publica & priuata, quæ variè cuiuslibet ordinis & cõditionis homines affligit; IV. terribile illud mortis instãs, cui omnes omnino homines expositi sunt; & V. deplorabilis animarum in Purgatorio existentium status. Vt igitur quilibet tum se tum alios efficaciter iuuare possit, optima ratio erit, si certus modus certáve praxis adinueniatur, quâ quilibet de suo contribuat vnde fiat integra quædã massa & copiosa velut strues spiritualis, è quâ cuilibet in prædictis aduersitatibus subueniri possit. Hãc massam vocare possemus sacrum Montem pietatis, è quo subministretur abũdè vnicuique qui ad eius erectionem operam suam contulerit: vbi quisque exiguum illud quod contulerit, videbit & experietur fecisse lucrum pro vno non solùm centuplum, sed millecuplũ & millecuplum; pro paruo enim quod ad massam illam adiecerit, particeps erit omnium quæ alij contulerint. Et hoc est quod appellamus Consortium spirituale pro remedio quinque istorum, quæ supra diximus, malorum, ad quod cuilibet tria sunt contribuenda.

Mons pietatis spiritu. quomodo erigi possit pro animarum solatio.

Ad eum conferenda sunt tria, Oratio,

Primum est oratio, quæ ab vnoquolibet ex imo corde fundenda est, & affectu planè singulari, pro singulis qui in illud Consortium recepti sũt, ipsos & prædictas illorum afflictiones Domino Deo offerendo, & instantissimè pro eorumdem remedio & adiutorio supplicando. Alterum est impetratio bonorum operum in gratiæ statu factorum, cum desiderio, vt diuina Maiestas ea specialiter pro omnibus & singulis Consortij membris acceptare dignetur. Atque hæc intentio sæpiùs exercitanda, & feruentiùs repetenda est, seipsum veluti seruum constituendo, qui specialiùs multum desudat impetrare iis qui magis indigent. Tertium est satisfactio, quæ cuilibet bono operi annexa est quod a iusto in statu gratiæ fit, quo nimirum pro pœnis Purgatorij satisfit iuxta operis ipsius qualitatem. Huius igitur Consortij confratres in subsidium eorũ qui moriuntur contribuere & conferre debent proprias suas satisfactiones, quò illi quantocyùs e grauissimis Purgatorij pœnis liberẽtur: qui actus opus est summæ charitatis, Deoque acceptissimum; & abundè compensabitur, quando Deo illud opus acceptãte, animæ illæ ad superna gaudia assumptæ fuerint. Consortium verò istud præcipuè instituendum est sub patrocinio beatissimæ Virginis Deiparæ, cuius in honorem quotidie recitandum erit *Salue Regina*, singulis Confratribus B. Virginem omnium reliquorum nomine consalutantibus, & pro Consortij profectu, pro malorum supradictorum auersione, & pro infidelibus qui extra Ecclesiam sunt, orantibus. Deinde singulis diebus quinquies *Pater noster* & quinquies *Aue Maria* recitanda sunt pro auersione malorum istorum ab iis qui in Consortio isto inscripti sunt: & si fortè casu quodam quispiam illud omiserit, haud propterea à participatione vniuersali excludendus erit. Singuli præterea qui huius Consortij membra fuerint, singulis quindenis diebus, aut vt minimùm singulis mensibus sacrâ Synaxi vtantor pro prædictis necessitatibus, & pro omnibus Consortij huius Confratribus. Quòd si legitimè à Communione sacrâ impediantur, saltem confitentor, & spiritualiter communicantor; & si nec hoc potuerint, spiritualiter vt minimùm confitebuntur, priùs actum aliquem contritionis eliciendo, cum proposito confitendi & communicandi primâ occasione. Annuè insuper quilibet priuatim bis Professionẽ fidei, prout à Concilio Tridentino præscripta est, sibimet prælegat, aut si legere nesciat, sibi eam prælegi curet, inque eâ fide se permansurum firmiter proponat. Quòd si verò ad manum non sit qui eam ei prælegat, Symbolum Apostolicum eius vice deuotissimè aliquoties recitabit, & suam intentionem ad fidei professionem dirigat. In Consortij ingressu aliud agendum nõ est, quàm vt quis pro felici Consortij successu confiteatur & sacra Synaxi vtatur, cum professione fidei, & applicatione orationum, impetrationum & satisfactionum, pro iis qui eiusdem Consortij membra

Impetratio,

Satisfactio.

Quibus legibus & ritibus Consortium istud constet.

Quid faciendum ei qui primò in Cõsort. um istud recipitur.

membra vel sunt vel aliquando erunt. Intentio hæc sæpiùs renouari poterit, præcipuè quando quis ad Communionem sacram accedit, aut Salue Regina aut Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam recitat, vt suprà: eumque in finem concipere poterit certam quampiam verborum formulam quâ id faciat, vel etiam illud ipsum fieri poterit mentaliter. En tamen formam quamdam applicationis.

6. *Forma applicationis satisfactionum suarum animabus huius Consortij.*

Sempiterne Deus noster, toto corde atque affectu gratias tibi ago pro tuâ infinitâ bonitate, quam in singulos fideles tuos incessanter diffundis, & pro mediis quæ ad vniuscuiusque profectum spiritualem abundanter prouidere dignaris. Nunc autem singulariter te benedico pro institutione Consortij huius spiritualis sub patrocinio beatissimæ Virginis, quod nouiter ego iam amplector, ipsiusq; me membrum esse profiteor, offerendo diuinæ Maiestati tuæ omnem indigentiam meam, hoc est si quid in me est boni operis quod per gratiam tuam fecero, cum impetratione eiusdem, quam ex nunc specialissimè applico omnibus qui huius sancti Consortij membra sunt; exoptans atque supplicans, vt idipsum acceptare digneris pro ipsorum necessitatibus, præcipuè verò, vt ita sub sacratissimâ manu tuâ eos teneas, ne te vmquam offendant; & si in aliquod peccatum prolapsi fuerint, eos quamprimùm inde eripias. Illustra etiam atq; adiuua omnes qui sunt extra gremium sanctæ Ecclesiæ tuæ, vt è tenebris & erroribus emergant. Præsta quoque auxilium tuum omnibus & singulis huius Consortij sodalibus, in omnibus necessitatibus eorum, spiritualibus & corporalibus, interioribus & exterioribus, publicis & priuatis, & maximè in horâ mortis eorum. Offero etiam, Domine, pro animabus quæ sunt aut erunt in Purgatorio, & huius Consortij membra fuerunt, omnes satisfactiones quas per gratiam tuam præstare potero bonis operibus insudando, vt quantocyùs in libertatem asserantur. Et hunc in finem, eaq; intentione, propono quotidie recitare quinquies Orationem Dominicam cum Salutatione Angelicâ, & vt minimùm singulis mensibus sacratissimam Eucharistiam sumere, cum intentione, singulis vicibus quæ dicta sunt tibi offerendi, voluntatem meam renouandi, & applicandi ea in commodum illorum qui in hoc Consortio futuri sunt sub protectione sanctissimæ Matris tuæ, quam quotidie illorum nomine salutabo recitatione vnius Salue Regina, *eam rogitando, prout & modò facio, vt omnes illos in suos filios suscipere & hanc Vnionem sanctam & spiritualem in numero, meritis & fructibus augere dignetur pro omnibus qui in eâ sunt vel erũt. Rogo etiam Domine, vt si per obliuionem intentionem hanc renouare omisero, id pro me faciat Angelus meus Custos in omni bonâ operatione meâ, simulq; omnes alij Angeli Custodes eorum qui sunt in hac Vnione spirituali, in omnibus ipsorum necessitatibus, maximè in illis supradictis. Benedic eis omnibus, Domine Deus meus: benedic Ecclesiam tuam Catholicam cum sanctissimo eius Pastore, & Vicario tuo, & omnibus fidelibus tuis: & per merita, orationes & impetrationes eorum qui in hoc sancto sunt Consortio, impertire mihi, Domine, sanctam benedictionem tuam, & misericordiam pietatemq; tuam experiri me fac in vitâ, morte, & post mortem meam: tu qui viuis & regnas supergloriosissimus & superbeatissimus per omnia sæculorum sæcula. Amen. Amen. Amen.*

7. Statim atque pia huius Consortij ratio viris quà dignitate & eruditione, quà etiam spiritu & deuotione summis innotuit, ab iisdem examinatum & libentissimè approbatum fuit, vt è quo maxima animabus obuenire posset vtilitas: atque insuper ipse summus Ecclesiæ Catholicæ Pastor Gregorius XV. cùm de illo apud eum referretur, illud comprobauit, & gratiis Apostolicis auxit, vt ex hoc Breui colligere licet. *Consortium à Doctoribus Ecclesiæ approbatur.* *Et à Gregorio XV. confirmatur, & spiritualibus gratiis augetur.* *Gregorius Papa XV. ad perpetuam rei memoriam. Pastoris æterni, qui pro gregis salute in arâ crucis immolari voluit, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, de commissarum nobis ouium salute assiduè cogitantes, ea quæ ad fidelium animarum salutem procurandam piè excogitata fuisse comperimus, Pastorali benignitate amplectimur, eosdemq; fideles ad ea exequenda indulgentiis & peccatorum remissionibus inuitamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Cùm itaque, sicut accepimus, dilectus filius Dominicus de Iesu Mariâ Ordinis Fratrum Discalceatorum professor, Opusculum quoddam, Sententiarium spirituale, pro triplici perfectionis viâ, purgatiuâ scilicet, illuminatiuâ & vnitiuâ nuncupatum, pro suâ eximiâ pietate, & honoris Dei animarumq; in viâ salutis progressus ardenti zelo à se compositum, nobisq; acceptum, in lucem ediderit, ac in illius calce piam & fructuosam & spiritualem institutionem, charitati ac saluti animarum fidelium vtilem, Consortium spirituale nuncupatum; Nos ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem, cælestibus Ecclesiæ thesauris piâ charitate intenti, omnibus & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, qui spirituale huiusmodi Consortium nunc & pro tempore amplexi fuerint, primâ vice, si verè pœnitentes, & confessi, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione & necessitatibus, ac hæresum extirpatione, & Principum Christianorum concordiâ, pias ad Deum preces effuderint, nostram benedictionem, ac plenariam indulgentiam; nec non eisdem receptis, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si verè pœnitentes & confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiuerint, saltem contriti, nomen* IESV *&* MARIÆ *ore, si potuerint, sin autem, corde deuotè inuocauerint, nostram etiam benedictionem, ac plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Et quoniam inter cetera adimplenda præcipuum illud est, vt fideles semel saltem singulis mensibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumant, idcircò, vt hoc feruentiùs exequantur, eisdem omnibus & singulis, qui idem sanctissimum Sacramentum semel in mense, vt præfertur, sumpserint, & vt præfertur orauerint, plenariam pariter omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem, quæ animabus in Purgatorio existentibus applicari possit, misericorditer in Domino largimur. In contrarium facientibus non obstantibus. Volumus autem, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die xxvij. Ianuarij, M. DC. XXIII. Pontificatus nostri anno secundo.* I. Card. S. Susannæ.

Sed fortassis scrupulum cuipiam mouere posset, & timorem incutere, ne, si mortuis quis impetrationes & satisfactiones suas transscribat, eas sibimet subtrahat, ideoque dum mori eum contigerit, meritis & bonis operibus planè nudus reperiatur, adeoque grauiores in Purgatorio pœnas luere oporteat. Verùm enimuerò 8. *An satisfactiones suas animabus transscribenti quidpiam inde accedat.*

Nnn vana

varsâ hæc est formido. Etsi enim sua sodalibus communicauerit, suum commodum inde non minui sed vel immensum augeri deprehendet, cùm vbi anteà ipse solus pro suis culpis satisfacere debuisset, nec fortè potuisset, tot nunc habeat obsides ac debitores quot sodales: qui cùm multi sint, & quotidie pro eo soluere conentur & verè soluant, dubium non est, quin sit quamprimùm liberandus. Et quamuis hoc non ita fieret, an putas Deum permissurum, vt hæc charitas heroïca & in summo dilectionis gradu constituta, tibi cedat in tormentum? Non sanè id diuina Maiestas patietur vnquam, prout abundè apparet ex libris S. Gertrudis de Saxonia, vbi sic legimus: *Aliâ die cum ista Gertrudis recoleret, quod omni merito suo, quod lucrari posset per Dei misericordiam in exercitatione bonorum operum, se omnino abdicasset in meritum defunctæ, mœrebunda dixit ad Dominum: Spero Domine, quòd amans misericordia tua frequentius respiciet me nudam & egenam. Ad quod Dominus: Quid illi, qui sic ex charitate nudatus est, facere possum, quàm vt proprio vellere illum tegam, cum ipso instantiùs operer, vt eò celeriùs recuperet erogata per charitatem? Tunc illa, Quantumcumque, inquit, mecum opereris, tamen oportet me nudam ad te venire, quia tam adipiscendis quàm adeptis renuntiaui. Ad quod Dominus: Cùm mater vestitas filias secus pedes suos sinit sedere, nudum puerulum in gremio propriis vestibus souens circumplectitur vlnis. Et adiunxit: Et quid tunc minus habes sedens ad abyssum maris, quàm alij qui ad exitus riuulorum?* Ad riuulorum exitus sedent, qui propriis operibus aliqualiter inhærent; sed qui ex charitate & humilitate omnia à se abdicat, habet Deum, qui totius beatitudinis est abyssus. Alia ex iisdem D. Gertrudis Insinuationibus habemus similia, sed ea locis aliis referenda sunt. Vnum hic exemplum adiungemus quod refertur in Vitis FF. Prædicatorum, ex quo ad oculum patet, nihil omninò ei discedere qui merita sua siue satisfactiones in alium transfert: est hoc sanè in materia præsenti eximium, & siudem refertur in hæc verba: *In Anglia Rector cuiusdam Ecclesiæ pecuniosus & vitiosus, infirmatus grauiter, timore mortis habitum Fratrum Prædicatorum suscepit, & cùm aliquantulùm conualuisset, reiecit. Et cum se multis expos uisset criminibus, à pio Patre correctus est huiusmodi visione. Videbatur enim sibi sopito in quadam horâ matutinali, quod videret Christum in aëre sedere ad iudicandum, & omnia peccata sua super caput suum esse descripta, & infernum subter hiantem ad recipiendum se. Cumq; territus ad Christum respiciens clamaret, faciem eius vidit terribilem, & sibi plus intolerabilem quàm ipsum infernum. Post hæc apparuit ei quidam in habitu Fratris Prædicatoris, dicens Christo: Domine, quid vis de isto? Et Dominus: Vt soluat pretium pro peccatis, aut in infernum vadat. Euigilans ergo, & hæc secum reuoluens, peccata sua cum multis lacrymis confessus est Fratri Martino Lectori Fratrum de Noreatona, & habitum cum multâ deuotione resumpsit, & post mensem iterum infirmatus est.* Diligenter notet Lector quod subiungitur: *Frater autem Martinus Confessor eius cum videret eum morti propinquum turbari propter peccata sua, dixit: Noli timere, charissime, sed audacter de misericordiâ Dei præsume: & ego quidquid boni in Ordine feci, tibi do, dummodò firmiter speres. Et infirmus hæc audiens, confortatus gratias egit, & perceptis Sacramentis cum multâ compunctione migrauit. Post eius obitum videbat dictus Frater Martinus visionem, quòd dictus Rector sordidissimis vestibus spoliabatur, & candidissimis vestiebatur. Et rogauit eum Frater Martinus, vt vestes sibi consimiles impetraret à Christo. Tunc respondebat defunctus: Charissime Pater, istæ sufficiunt mihi & tibi. Hoc autem dixit, quia sibi concesserat bona sua, quæ data non minuuntur, sed magis accrescunt.* Sic ibi.

Deum charitatem hanc heroïcâ compensabit.

Lib. 5. Insinuationum, cap. 11.

Exemplo vno vel altero id declaratur.

Et sanè, vt ostendatur, quàm malè atque inconsideratè faciant, qui in meritis satisfactionibusque suis in animas Purgatorij deriuandis vel parci sunt vel auari, notandum est hoc quod damus simile. Inambulat quis, qui aquâ haud indiget, iuxta ripam fluminis, vnde, si fortè sitis eum vrgeret, quantmomentis abundè haurire posset: accedit alius qui in aridissimo sterilissimoque loco habitat, ardentissimaque siti premitur, & rogat, vt sibi interim, dum ille aquis non indiget, haurire nonnihil, indeque arentes fauces refocillare liceat. Iste supercilia contrahens non solùm petenti denegat, sed insuper aquam illam, continuo pedum motu, turbidam insipidamque reddit, mauultque ipsemet lutulentâ feculentaque aquâ satiari, quàm vt alij limpidam concedat. Perinde agitur cum illo qui sua merita alteri, dum ipse, vnde noua & copiosiora sibi comparet, ad manum habet, transcribere tergiuersatur, imò ea ipsa turpi inuidiâ defœdare Deoque inuisa reddere non veretur, dummodò ea suo in candore alteri non cedant. Prudenti itaque non pauci consideratione omnia sua in mortuorum profectum Deo offerunt, & ita quidem offerunt, vt, eximium D. Gertrudis Saxonicæ exemplum imitati, eo ipso quo boni quidpiam effecerunt, id defunctorum vtilitati & liberationi debeatur; adeò vt reperire liceat, qui non solùm merita mortuis omnia donauerint, sed insuper si quid aliud soluendum restaret, in suo corpore id expiandum susceperint. Talis fuit S. Christina Mirabilis, de quâ sic Surius: *Vidit Christina animam Comitis, Lossensis scilicet, in Purgatorium perductam, acerrimis pœnis excruciandam. At pia fœmina eius vicem non mediocriter miserata, obtinuit à Domino, vt posset illius animæ pœnas partim in se recipere. Apparenti autem illi post obitum suum vt ab eâ opem flagitaret, Christina dixit: Age, discede hinc, & ex diuinæ seueritatis præscripto pœnas luito; ego verò à meo corpore pœnas exacturæ, dimidiam Purgatorij partem in me recipio.* Talis etiam fuit S. Lidvvina, cuius exemplum Capite iam XXXIX. num. XI. attulimus.

9.

Pessimè faciunt qui auaros se exhibent & auaros in donando animabus suas satisfactiones.

Simile.

Nec solùm probabilibus historiis, sed & irrefragabilibus sacræ Scripturæ auctoritatibus idem comprobatur, cùm non tantùm Saluator noster peccatorum nostrorum sarcinam in se suscepisse legatur (verè languores nostros tulit, & dolores nostros portauit, ait de eo Propheta Isaias;) sed & maximi & præstantissimi quique Sanctorum in nouo Testamento idem æmulati sint, vt aliorum pœnitentias ad eorum glorificationem sustinere peroptarent. Specimê illustre dabit S. Paulus, qui de se ita locutus est: *Nūc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea,*

10.

Scripturarū sacrarum exempla idem monent.

Saluatoris Christi,

Apostoli Pauli,

Colossens. 1.

quæ

quæ desunt passionum Christi, in carne meâ pro corpore eius, quod est Ecclesia. Et alibi: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis;* hoc est, vt aiunt loci illius interpretes, Desiderabam pro fratribus meis pœnis anathematis seu damnationis æternæ subiacere, non autem committere culpam, aut Dei offensam incurrere. Quem Apostoli affectum sic dilaudat S. Ioannes Chrysostomus: *Implere gaudium meum liceat, vobis salutem assequi, me autem propter vos reddere rationem; vobis dari salutem, me autem accusari, quòd munus meum non impleuerim. non enim curo vt pro me salui sitis, sed vt salui sitis quacumque ratione.* Eumdemque affectum etiam in nonnullis antiquæ Legis Patribus resplenduisse asseuerat, inquiens: *Moyses multa & magna operatus est miracula, sed nihil tam magnum eum fecit, vt beata illa vox, quam ad Dominum habuit, cùm inquit: Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo. Huiusmodi erat & David, idcircò dicebat: Ego pastor peccaui, & ego malè feci, & hi qui ouile sunt quid fecerunt? Fiat manus tua super me, & super domum patris mei. Eodem modo Abraham non suam sed mulierum quæsiuit vtilitatem, ideò se periculis exponebat, & Deum pro his, qui nihil ipsi conferebant, deprecabatur.* Non igitur mirum, si omnes prouocare conemur, vt sua merita cuncta in mortuorum subsidium transscribant, quandoquidem laudatissimum quoque sit eorum tormenta in nobis eluenda suscipere.

Roman. 9.

Moysis. Homil. 15. in caput 10. ad Corinth.

Davidis.

11. *Aliæ rationes peroptimæ ad idem persuadendum.*

Caput præsens finiueram, nisi breue hîc aliquod adiecisse compendium, opportunum iudicassem, in quo rationes simul præcipuæ proponuntur, quibus incitamur vt satisfactiones omnes defunctis transscribamus, editum est hoc Madriti & Hispanicâ linguâ excusum, cuius inscriptio est: *De deuotione erga animas Purgatorij, & quantum prosit ei qui pro eis operum suorum satisfactiones offert, nihil inde sibi reseruando; desumptum ex Tractatu P. Ioannis Eusebij è Societate IESV de Modo benè expendendi opera bona.* Et quia in eo licet breui syntagmate multa notatu & obseruatu occurrunt dignissima, operæ pretium arbitratus sum, si Lectori meo illud in Latinam conuersum linguam hîc sub finem Libri mei secundi exhibeam. Est igitur eiusmodi: Inter deuotiones Deo acceptiores, nobisque vtiliores, est ea quæ exhibetur animabus Purgatorij. Et quantopere illa sibi complaceat, diuina Maiestas insignioribus nonnullis tecmeriis, & operationibus miraculorum refertissimis demonstrare dignata fuit. Hic saltem nonnullas eius vtilitates producemus, quæ excitare omnes valeant, vt erga has Dei filias, & sponsas Spiritus sancti liberales se ostendant, quò eis vel suffragiis vel operum bonorum suorum satisfactionibus succurrant, easdem illis omnino attribuentes, haud veriti sibi aliquid proinde decessurum, sed potiùs certi magno sibi id lucro futurum. Prima ergo vtilitas est immensum meritorum augmentum quod inibi reperire licet: è tribus enim, quæ iustorum bona opera secum vehunt (quæ sunt, meritum, impetratio & satisfactio) præcipuum omnium est meritum, per quod nos Deo reddimur acceptiores, & amiciores, maiorem accipientes gratiam, & nouum ad ampliorem gloriam ius acquirentes. Nec est dubium, quin, si

Deuotio animabus Purgatorij exhibita Deo est gratissima.

Meritorum augmentum amplius inde prouenit.

quis satisfactionem in nouum opus bonum conuertere possit, hoc est si efficere possit vt ex parte satisfactionis maius ei accederet meritum præter id quod ex suâ naturâ habebat ipsum opus bonum, hoc facere conueniat. Ratio est, quia sicut Beatorum gloria sine comparatione maius bonum est, quàm malum pœna Purgatorij; ita etiam amplius quid est, ius & actionem habere ad maiorem possidendum gloriam, quod non excusat quò minùs quis pœnas illas sustinere debeat. Ille igitur qui satisfactionem suam pro animabus Purgatorij offert, facit vt satisfactio in meritum transeat: illa enim charitas summæ virtutis actus est heroïcus, per quem cum satisfactione acquiret gloriam æternam (quæ ad hoc ei nihil profutura erat) conuertens illud per quod satisfacere debebat, in magnum suum meritum, & simul aliorum commodum. Quod vtique magni æstimari debet, præterquam enim quòd gloria maius bonum sit, quàm malum pœna Purgatorij, aduertendum est, vtilitatem & augmentum gloriæ æternum esse, pœnam verò Purgatorij solummodò temporalem: vbi magna intercedit differentia, & distantia infinita; & ad perfruendum bonis sempiternis, etiamsi vltimi gradûs fuerint, maxima incommoda temporalia perferenda erant.

Accedit, quòd in quibuscumque actionibus nostris id desiderare & intẽdere debeamus quod oculis Dei est acceptius, nullum aliud commodum nobis proponentes vel vtilitatem, quàm beneplacitum Dei. Et potius est Deo placere, quàm pati desinere. Qui verò satisfactionem suam sibi reseruat, vt pati desinat intendit; qui verò eam pro sanctis illis animabus offert, diuinæ Maiestati est acceptior, actum quippe facit magnæ charitatis & misericordiæ. Imitatur in hoc S. Paulum aliosque Sanctos, qui ex charitate quâ erga fratres suos flagrabant, anathema à Deo pro eis esse cupiebant, hoc est desiderabant vt minimùm temporaliter à fruitione Dei separari. Idem etiam facit qui ex amore Christi Iesu, vt fratres sui & dilectæ Spiritus sancti sponsæ citiùs eo perfruantur, semetipsum exponit dilationi propriæ suæ gloriæ & visionis beatificæ; idque nedum in quiete & otio, sed adhuc insuper pœnas illas sufferens quas illæ perferre debebant, eo fine vt quantocyùs conditorem suum glorificent: quod vtique actus est admodum generosus, cùm non solùm interim æternis se gaudiis priuet, sed etiam ad tantorum tormentorum sufferentiam se quasi prostituat. Si enim res foret eximiæ charitatis, panem ori proprio subtrahere vt indigenti detur, vel vestibus se exuere, vt nudus pauper eis induatur; quid, putas, erit tantis se tormentis exponere, ne ea patiatur filia Dei & sponsa Christi? Charitatis specimen est, vitam pro fratribus ponere: quid erit, plus quàm vitam exponere? dubio namque procul amplius est pati in Purgatorio, quàm tolerare mortem; & adhuc amplius, differre æternum illud quod sperat gaudium. Et si pro haustu aquæ, ex charitate datæ, promittitur æterna gloria; quid promerebitur qui tantò præstantiorem elargitus fuerit eleëmosynam? Expendatur quæso quòd tantopere à sacrâ commendetur Scriptura, & quòd tantis encomiis

12. *Charitatis præcipuum id est opus.*

Est spiritualis eleemosyna, quæ omnem aliam corpori datam multis parasangis excedit.

deprædicetur eleemosyna corpori exhibita; amplioribus enim laudibus digna erit hæc quæ animabus præstatur eleemosyna. Et si, qui eleemosynam facit ex bonis proprio labore & sudore partis, plus meretur quàm qui eam facit ex bonis hereditate acquisitis, aut quæ nullo labore aduenerunt; quantò merebitur amplius, qui bona tribuit ampliora, & quæ multo sudore, labore & sanguine steterunt, multis scilicet pœnitentiis, vigiliis, afflictionibus, ieiuniis & mortificationibus exantlatis? Adde, quòd eleemosyna hęc conferatur personis nobilissimis extremâ in necessitate constitutis: datur enim dilectissimis Dei filiabus & sponsis, quæ durissimis in pœnis constitutæ, semetipsas iuuare nequeunt; imò quò sunt proximiores ad fruitionem summi boni, eò magis angustiantur & maius desiderij martyrium patiuntur; imò quidquid patiuntur, nihil lucri, nihil profectûs eis addit vnde earum meritum augeri & crescere possit: & quò diutiùs in Purgatorio detinentur, eò magis cælestis illa Ierusalem suis ciuibus, & Ecclesia & viuentes in terris fideles nouis patronis & aduocatis apud Deum destituuntur. Nec minor hic est fructus qui ex illâ deuotione prouenit, quòd nimirum anima illa, quæ sic è Purgatorio eripitur, ad vicissim idem præstandum obstringatur & obligetur: ob singulare enim beneficium quod anima recipit dum ad summi boni fruitionem admittitur, & dum à tam acerbissimis tormentis liberatur, debitricem se agnoscit vt continuè pro benefactore suo intercedat, varias ei de cælo gratias & varia bona refundendo: cognoscunt enim, vtpote iam beatæ, bonum illud quod acceperunt, esse infinitum; cumque sint gratissimæ, pro modo beatitudinis quâ perfruuntur, gratitudinem suam extendere satagunt. Eò ergo plures deuotus animarum Purgatorij patronus in cælesti apud Deum curiâ Actores habebit, qui negotium saluationis eius promoueant, quò plures animas ex istis pœnis liberauerit: quod sanè vtilius erit quàm si operum suorum satisfactionem sibi tenacissimè seruauerit. Maioris enim momenti est, salutem suam certam facere, quod nimirum fit hac ratione, dum pro eâ tot sollicitatores habet; quàm metus ille quasi se periculo exposuerit diutiùs in Purgatorio morandi eò quòd suas satisfactiones aliis condonauerit, nec sibi eas custodierit.

Animas ad par referendū obstringit.

13\. *Animarum beatarū preces pro benefactoribus pretiosissimi sunt valoris.*

Quantum verò valeant apud Deum orationes animarum, dum, erga suos benefactores gratitudinem exercentes, Deum pro iis & eorum negotiis exorant, manifestè apparet ex certo euentu, quo negotia illorum omnino ex voto succedunt, vt res certissima videatur, etiam in rebus adhuc temporalibus ab iisdem subueniri. Quòd si adeò sunt fideles, & efficaciter gratitudinem suam demonstrant in rebus temporalibus, quid erit futurum de rebus spiritualibus & salutem æternam concernentibus, quas vtique maiore affectu petunt, & promptiùs à Deo impetrant? Nec solùm acquiritur intercessio illius animæ sanctæ quæ à Purgatorio eripitur, verùm etiam eiusdem Angeli Custodis, & Sanctorum illorum quos in vitâ mortali coluit, qui omnes in gratitudine benefactori suo præstandâ adiutores se

Angelus Custodis illius animæ cui sit beneficium, &

exhibent: quinimò ipsa Christi Redemptoris beneuolentia conciliatur, cùm ille maximopere afficiatur, dum aliqua eius sponsa ex intolerabili illo tormentorum loco eripitur; id quod hoc simili demonstrari potest. Si Rex quispiam potentissimus expectaret sibi desponsatam Principissam, quam immenso amore prosequeretur, vt nuptias cum eâ celebraret, illa verò in manus hostium incideret qui mille afflictionibus eam diuexarent; atque tum homo quidam exterus reperiretur qui eius loco carceri & tormentis se offerret, saltem vt illa libera euaderet, & citiùs desideratissimis sponsi sui amplexibus frueretur; quæ hæc esset fidelitas? quàm grati forent, non solùm ipsa eo modo erepta Principissa, sed multò magis Rex eius sponsus, adeoque omnes Regni istius incolæ? Idem omnino accidit in nostro casu, vt non solùm anima, sponsa Christi, gratam se agnoscat ei qui de Purgatorio, vbi captiua detinebatur, eam eripuerit, sed insuper ipse Rex Christus, & tota curia cælestis: neque solùm illa pro suo benefactore & in libertatem assertore preces suas interponet, sed Deus ipse, antequam exoretur, hoc beneficium plenissimè remunerabitur. Quid, quòd ingens admodum lucrum æstimandum sit, in cælo esse animam quæ pro te Deum glorificet, amet atque laudet? Qui enim Deum purè amat, operam dare debet, vt infinita eius Maiestas exaltetur & glorificetur. Et quandoquidem ipsemet non possit eâ quâ par est puritate (vtpote carne mortali adhuc vestitus) conditorem suum amare, laudare atque magnificare eo modo quo Beati; magnæ vtique felicitatis loco habere debet, alium hoc eius vice præstare, si possit suâ ope aliquem promouere qui infinitam creatoris sui bonitatem debitis laudibus glorificaret. Hoc iam facit qui per indulgentias & satisfactionis opera animam vnam è Purgatorio eximere adlaborat, vt ipsa vice sui Deum collaudet & magnificet in æternum.

Sancti quos in vitâ coluit, debitores se agnoscunt.

Simile.

Animam ad cælum promouisse, ingentis lucri loco reputandū est.

Nec minore consideratione dignum est, eum qui deuotum animabus affectum exhibet, non solùm sibimet magna bona acquirere, sed simul etiam causam aliorum agere, plurimisque benè facere, magnâ cum Ecclesiæ tum militantis tum triumphantis gloriâ: vniuersæ enim cælesti curiæ maxima lætandi atque iubilandi prouenit occasio, quando conciuium suorum numerus augetur. Si namque gaudium in cælo est propter conuersionem vnius peccatoris, qui ad peccatum redire potest, itidem magnum gaudium erit accessione alicuius Beati qui iam ampliùs peccare non potest. Præcipuè verò singularem lætitiam commonstrabit Angelus Custos eius animæ quæ è Purgatorio erepta est, mille gratulationes à reliquis spiritibus sibi acclamari audiens propter triumphum, quo solemniter iam cælum intrat illa creatura quæ eius curæ demandata fuit. Speciale quoque festum agent Sancti quos anima illa in terris coluit, ipsius insuper agnati, consanguinei, & amici beati, denique Sancti illius Ordinis cui associatur, vtpote virgines, si virgo, Confessores, si confessor fuerit. Sed & Beatissimæ Virgini gaudium erit, quòd suæ intercessioni locum datū esse videat; Christo, quòd

14. Omnibus cælicolis ex animabus præstitâ eleemosynâ gaudium nascitur.

Angelis,

Sanctis,

B. Virgini,

SS. Trinitati.

quòd lucrum passionis suæ & Sanguinis in Cruce effusi conspiciat; Spiritui sancto, propter communicationem donorum & charismatum suorum; Patri æterno, quòd bonum illud, quod suæ creaturæ desiderauit, iam completum cernat. Ecclesia verò militans gaudet, quòd nouum iam in cælis patronum nacta fuerit, præcipuè verò animæ illius parentes, consanguinei, amici & familiares, & qui eiusdem cum ipsâ in terris professionis & communionis fuerunt: denique omnes iusti & prædestinati, omnes homines, & omnis natura gaudendi occasionem habẽt, quia creatura iam venit vt conditorem omnium in perpetuum collaudet. Quibus accedit, quòd ille qui adhuc in viuis agit, necdum de facto opus habeat satisfactionibus, quâ tamen indigent animæ, vt ratio ipsa liberalitatem hanc exposcere videatur, Primò, ne spirituale hoc capitale otiosum sit, sed vt statim aliquod lucrum faciat, nec tanto tempore recondatur: Deinde, cùm præsens & vrgens fratris indigẽtia subsidium requirat ex eo quo iam nondum indigeo. Si quispiam benè pransus, & lautè vestitus, panem adhuc & vestem aliam repositam habeat, veniatque pauper aliquis nudus, frigore rigidus, & famelicus ad mortem vsque, qui vitæ suæ aliquam sustentationem emendicaret; an ritè faceret, si egenum illum fame frigoreque perire fineret, dicens, Nihil tibi quod dare possim mihi suppetit; pane enim illo, qui modò superest, fortè sequenti hebdomadâ indigebo, & veste illâ, quam repositam seruo, à sesquianno induendus sum? An quid responderi vel fieri posset durius & atrocius? Nihil omnino differt ab hac crudelitate, quando aliquam sponsam Christi, terribilissimas in igne illo purgatorio pœnas sustinentem, & exclamantem, *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei*, nostris satisfactionibus iuuare noluerimus, quibus tamen neque ipsimet modò indigemus, saltem vt eas mortis nostræ tempori reseruemus, quod fortè ad plures vsque annos differendum erit, interim eisdem, absque vllo fructu, quasi situ pereuntibus.

Ecclesia militans eximium inde commodum sentit.

Viui satisfactionibus suis non indigent, sed animæ Purgatorij, alioquin, nisi eis applicarentur, otiosæ remanerent.

15\. Nec verò arbitrandum est, eum qui omnem satisfactionem suam animabus Purgatorij dederit, omni remedio destituẽdum esse: Primò, quia hic ipse virtutis & insignis charitatis actus nouã & eximiam satisfactionem adfert. Si enim eleëmosyna, quæ corpori curando exhibetur, opus est vel maximè satisfactorium; quis non videt, etiam neque spiritualem hanc eleëmosynam suâ satisfactione carituram? Deinde, Deus optimus maximus suæ sollicitudini & dispositioni reseruauit, ne is qui tantam Iesu Christi sponsis charitatem exhibuerit, sua amittat; sed vt mitius Purgatorium experiatur, quàm si omnẽ satisfactionem sibi retinuisset. Vel etiam Maiestas diuina suâ eum gratiâ præueniet, vt parũ quod expiandum sit in eo remaneat, à peccatis eum præseruando, vel aliis inspirando vt pro ipso intercedant, suasque ei satisfactiones applicent. Quâ in re multum omnino situm est: satisfactio enim propria non est nisi vna, & quas alij fortè ei applicabunt, multæ erunt; poteritque euenisse, vt propria cuiuspiam satisfactio à diuturno purgatorio eum liberet, & quod per eas quas alij ei assignabunt, breue admodũ habiturus sit. Ideoq; multo amplius lucrabitur quàm si satisfactiones suas sibi seruauerit. Cui accedit, quòd animæ, quæ ipsius adiutorio ad cælum peruenerint, benefactorem suum in Purgatorio constitutum videntes, Deum suis intercessionibus sint permoturæ, vt citiùs aliquod ei remedium afferat. Hinc iam sequitur, non aduersari charitati benè ordinatę, abdicare à se omnem operum suorum satisfactionem vt animabus Purgatorij applicetur; hac namque ratione plus lucratur quis, quàm si eam sibi recondisset: ideoque eximij famuli Dei ita fecerunt, & adhuc amplius, prout fecit deuotus & zelosus è Societate Iesu P. Hernandus de Monroyâ, qui illustre hominum spiritualium & virorum Apostolicorum exemplar fuit: hic nimirum antequam obiret, etiam scripto animabus Purgatorij transscripsit Sacrificia & opera satisfactoria, quæ post eius obitũ fieri pro ipsius animâ debebant. Saltem excusari quis non poterit quò minùs animabus illis tribuat id quod de satisfactionibus ipsius, aut de Sacrificiis quæ post mortem pro ipso offerentur, aut de operibus satisfactoriis quæ pro eo fient, ei supererit: contingere enim haud rarò posset, quòd tantis bonis non indigeat, & quòd, nisi applicauerit id quod superfuturum sit, idipsum ad thesaurum Ecclesiæ redeat. Hoc aduertere debebant qui in testamentis suis multa pro se Sacrificia offerri disponunt: par enim erat, vt vel minimùm aliis animabus applicarent ea quæ fortè supererunt, cùm casus eiusmodi contingere possit, quòd tantis quis non indigeat.

Eas qui animabus applicat, se nullatenus priuat.

Imò maius inde meritorum lucrum acquirit.

In modo applicandi omnem satisfactionem prouidẽdum est vt eo modo fiat ne quid pereat, & vt acquiratur quidquid acquiri potest: contingere namque poterit, quòd anima illa, cui fit applicatio, eâ non indigeat, & tum frustrà fieret, quia neque prodesset illi animæ, neque etiam alteri. Non illi, quia fortè erit in cælo, vel in inferno, adeoque mea satisfactio eam iuuare non posset: non alteri, quia ei non esset applicata. Vt igitur in maiorem Dei gloriam, & in animarum & nostrum profectum cedat illa applicatio, consultius erit eam satisfactionem multis simul applicare, non quidem promiscuè & confusè, sed eo quo dicturus sum modo: qui enim generatim omnibus animabus applicant, quamuis nihil inde pereat, exiguum tamen commodum adferunt singulis. Cùm enim animæ sint quamplurimæ, & id quod applicatur sit exiguum, si inter omnes distribuatur, pænè nihil accedet singulis: & si totum vni soli daretur, multum foret, & haud rarò sufficiẽs ad eam è Purgatorio eripiendam. per quod anima illa benefactori suo multũ debet, perinde ac aliquod mancipium maiorem gratitudinem ostendit erga eum qui totum redemptionis pretium persoluit, quàm si à plurimis & variis illud acceperit. Captiuus, qui collatâ à plurimis eleëmosynâ libertati restituitur, minùs gratum se singulis exhibet, eò quòd gratitudo inter multos partienda sit: verùm si eleëmosyna proueniat ab vno, ei magis afficitur, & velut eius seruus efficitur. Eodem modo gratitudo animæ, quæ vnius solius satisfactione eripitur, magna est, & ingentem secum fructũ vehit. Applicatio ergo facienda est speciatim certæ & determinatæ cuipiam animæ, hac tamen lege, vt non sistat applicatio in eâ solâ, sed etiam ad alias extendatur, vnam alteri substituendo, donec in

16\.

Quomodo & quo ordine fieri debeat applicatio.

vnâ hæreat, hoc modo: Si prima non indiget meâ satisfactione, vel non totâ, reliquum transeat in illam vel illam; & si neque ista indigeat, in hanc, &c. atque ita applicatio infallibilis erit.

17. *Quibus præcipuè animabus facienda sit applicatio.* Videamus porrò, quibus speciatim animabus fieri debeat applicatio, & quæ quibus substituendæ, cùm nonnulli offerant pro iis quæ maximè indigent, nonnulli animæ isti quæ proximè eximenda est satisfactionem suam assignent. Dico, iis primùm faciendam esse applicationem, quibus vel ex iustitiâ, vel pietate, vel charitate, vel gratitudine, vel obseruantiâ obstricti sumus, quales sunt, parentes, affines, consanguinei, amici, benefactores, socij & familiares, vel Superiores; his non indigentibus, si substituatur anima quæ maximè ope egeat, aut proxima sit suæ liberationi, satisfactio benè & ritè applicata erit. Quòd si quis quærat, vtra harum applicationum sit melior; respondeò, si sola & vna maior Dei gloria, & id quod nobis vtilius sit attendatur, præstare applicationem fieri sanctiori animæ, & quæ Deo magis placuit. Ratio hæc est, quia quamuis maior sit misericordia, eam facere maximè indigenti, cùm maiori illa inuoluatur miseriæ; nihilominùs maior charitatis actus erit (quæ præstantior virtus est quàm misericordia) puriori animæ applicationem tribuere, & quæ Deum intimiùs amet, respectu habito ad maiorem Dei gloriam; & quantò anima conditoris sui glorificationi est proximior, eò æquius est vt priùs è Purgatorio liberetur, quia ampliorem Dei laudandi occasionem habet, eiusq; fidelior famula fuit, & ipsi cæli ciues hanc potiùs animam liberari desiderant: adeoque melius futurum est, si nosipsos voluntati diuinæ accommodemus, & ampliori lætitiâ curiam cælestem afficiamus. Sed & ea ipsa anima quò fuerit sanctior, eò suo è Purgatorij pœnis liberatori erit gratior, & amplius apud Deum valebit ad vicissim impetrandum illi à Deo varias gratias & beneficia; & haud rarò continget, eamdem ipsam animam, quæ est sanctior, etiam liberationi esse proximam. Applicatione iam hunc in modum factâ, addi poterit, quòd si voluntatis diuinæ fuerit aliam maximè indigentem animam hac applicatione frui debere, offerre se illam diuinissimæ suæ Maiestati, vt de illâ disponat prout ad maiorem ipsius gloriam profutura sit, aut vt illi applicetur quam B. Virgo præ ceteris elegerit. *Deo totum inde negotiū permittendum.* Numquam tamen omittenda est certa & secura quædam applicatio eo modo quo diximus, vt semper ea in aliquâ saltem animâ effectum suum sortiatur. Aduertendum insuper, neminem in eo sistere debere, quòd animas operum suorum bonorum satisfactionibus iuuerit, sed maximum Deo famulatum præstitum iri, si alia prætereà addat, vt Indulgentiarum lucra, Sacrificiorum oblationes, quæ vel maximè iuuandis animabus prosunt; & excitandi atque alliciendi sunt & alij vt idem faciant, propter eximium qui Deo per illa exhibetur famulatum. *In bonis operibus pergendum.* Denique gratitudinem, quam quis ab animabus suo adiutorio è Purgatorio liberatis expetere debet, hanc esse dixerim, vt petat, sicuti ipse illas exemit à pœnis, ita ipsæ illum liberent à culpâ, nec permittant vmquam, vt ipse tam infinitam Maiestatem, quam ipsæ vsque adeò diligunt, vel in minimo offendat. *Quæ & qualis retributio ab animabus petenda vel expectanda.* Poterit etiam peccator quispiam petere, vt à peccatis per illas eximatur. Hactenus ibi: quæ quoniam pænè singula tertio Libro specialibus Capitibus explicaturi sumus, Librum hîc secundum absoluimus, in quo prolixè &, vt puto, manifestè demonstrauimus, quoad animas Purgatorij,

Quàm iis relaxandis varia faciliaq; sint penes viuos remedia.

LEGATIO

CAPVT XL.

Vlterior & spiritualis prouocatio ad illorum æmulandam charitatem, qui sua omnia in mortuorum subsidium transscripserunt.

1. QVandoquidem perinde Librum hunc nostrum secundum, quàm anteà primum, certo & designato Capitum numero, idq; non sine mysterio quod intendimus, côclusum volumus, hoc Quadragesimum Caput Libri huius vltimum erit. Sicut enim vltimo anterioris Libri Capite ostêdimus, numerum trigesimum ad culpam pœnamque peccatorum pertinere, ita hic rationum ductu & sacræ Scripturæ auctoritate & approbatione demonstrabimus, numerum quadragenarium symbolum esse pœnitentiæ faciendæ & satisfactionis exsoluendę, rectèque Libri huius coronidem huic Capiti congruere. Quadragenarium verò numerum pœnitentiæ & satisfactionis continere mysterium, ex solo Augustino, ne plura adducamus aliorum Catholicorum Doctorum & Auctorum testimonia, abundè constare potest, qui nimirum diuersis in locis, è sacrâ Scripturâ argumentis desumptis, luculentissimè hoc ipsum comprobauit. Vno ergo loco sic loquitur: *Salutaris & mysticus est quadragenarius numerus. Nam primùm cùm mundi faciem iniquitas hominum possideret, tot dierum curriculo Deus, effusis de cælo imbribus, vniuersam terram diluuio superinfudit. Vides iam ab illo tempore mysterium in figurâ dispositum: nam sicut tunc quadraginta diebus pluit ad purgandum mundum, ita & nunc quadraginta diebus miseretur ad hominem purificandum.* Alibi sic: *Est autem legitimus numerus iste ieiunij, & qui in sanctis celebratur exemplis. Moyses legê accepturus à Deo, quadraginta dies ac noctes absque cibo potuq; transegit, & ad suscipiendam Domini voluntatem ieiuniis præparatus est. Elias post quadraginta dierum ieiunia curru igneo ad superna cælorum de hoc mundo translatus est. Ipse quoque Dominus ac Saluator noster quadraginta diebus ieiunans, de diaboli tentationibus triumphauit, vt ad prædicationem Euangelij iam victor accederet. Meritò verò etiam nos hunc dierum numerum custodire debemus ieiuniis, quem per talia exempla legimus consecratum.* Vlui hoc in loco esse poterût, quæ suprà hoc eodê Libro Capite XVIII. dum de ieiunio Quadragesimali ageremus, diximus, quò Lectorem meum, ne cum ipsius tædio idem hic repetam, bonâ cum ipsius veniâ remitto.

Mysticus in vtroque Libro Capitum numerus.

Quadragenarium numerum symbolum est pœnitentiæ.

Serm. 69. de Temp.

Serm. 64. de Temp.

2. Quò verò, vt præfati sumus, vlteriùs fideles quoscumque prouocemus, vt sedulò charitatem erga defunctos exerceant, vnam saltem ab iis rem enixiùs postulo, vt sua, quæ in mortali vitâ patrant, bona & meritoria opera, defunctorum vtilitati vel ex toto vel ex parte resignêt & transscribant. Hoc à me exigi, non est mirû; nec adeò magnum, etiamsi à nobis præstetur. Ad quod comprobandum & persuadendum non opus est multis, quandoquidem multò hac maiorem à variis constet animabus exhibitam fuisse misericordiam, ab iis nimirum, qui, dum in corporibus suis degerent, non tantùm vniuersa quæ habuerunt bona opera ita in defunctorum auxilium à se abdicarunt, vt se se nudos quodammodò gloriarentur, sed & ipsorum purgandorum pœnas in se susceperunt, & magno cum cruciatu pertulerunt. Rem nostram exemplis firmabimus, & quam sit pietati consentanea, variis argumentis ostendemus. S. Gertrudis de Saxoniâ refert, animam cuiusdam ideò sine impedimêto ad gloriam euolasse, quòd deuoti quidam homines pœnarum ipsius satisfactiones in se suscepissent, & omnia sua merita ei transscripsissent. Beata virgo Lidvvina, de quâ superiore Capite pluscula tradidimus, passim legitur tum viuorum tum mortuorum pœnitentialia opera in se deriuasse, prout ex suprà adductis abundè constat. Sed & ipsamet D. Gertrudis Saxonica omnia sua in purgandorum subsidium deuouerat, vt ex eius Insinuationum libris apertè colligi potest: vbi itidem videre est, illam ipsam eius charitatem varios æmulatos fuisse, adeoque ad eiusdem imitationem nos omnes inuitari. Et ne res hæc ad perfectionis tantùm studiosos pertinere videatur, notari poterit è Ven. Thomâ Cantipratano, idem ab obsessâ quadam feminâ, antè quàm à dæmone inuaderetur, factitatum fuisse, quod tum Auctor ipse debitè laudauit, & dæmon eius infessor confessus fuit. *Mortuo*, inquit Cantipratanus, *viro suo compassa, in subsidium animæ illius contulit quidquid boni in hac vitâ fecerat.* Et hæc quidem exêpla à tribus vel quatuor vt summùm sæculis contigerunt. Sua etiam bona merita iisdê defûctis ex nimiâ & Seraphicâ charitate solita fuit trâsscribere S. Mater Teresa, Reformationis nostræ piissima & felicissima Institutrix, eumdemque pietatis spiritum etiam in filios & filias suas transfudit, vt plerique modo vsque, vniuersa quæ possunt, mortuorû solatio consecrent, eò se ditiores in morte futuros indubitatè rati, quò ampliùs è satisfactionibus illis fœnus collegerint. Neque enim idcircò minùs vel sibi vel aliis viuis se profuturos arbitrantur, cùm essentiale meritû suum inde diminui non posse agnoscant, & tum demum satisfactiones suas optimè & aptissimè applicatas sciant, si defunctis, qui eis vel maximè opus habent, impensæ fuerint; impetrationem quoque, quò in plures diffunditur, efficaciorem fieri, haud sine ratione confidant. Et quidem Seraphicæ Matris nostræ exemplum totidem, quibus ipsa Hispanicè descripsit verbis, Latinè referemus, ne, qui idioma istud ignorant, simul egregium hoc charitatis specimen ignorent. *Nuntiatum mihi fuit*, inquit, *defunctum esse quempiam qui apud nos Prouincialem egerat, tum verò alteri Prouinciæ præfuerat; quocum aliquoties egeram, & cui etiam aliqua bona opera debebam. Homo fuerat summæ perfectionis & virtutis. Vt obitum illius resciui, haud parum inde turbata fui: saluti enim eius maximè timebam, quòd à viginti iam annis Superioris partes in Ordine sustinuisset (& quidem iustè timebam, cùm periculo non carere mihi videatur, animarum curam gerere) ideoq; non sine molestiâ ad Oratorium me contuli. Quodcumque in vitâ meâ boni egissem (quod exiguum quidem erat) ei donaui, & Dominum deprecata sum, vt sua merita supplerent id quod deesset vt anima illa è Purgatorio liberari mereretur. Dum sic deprecarer quantum quidem deuotè poteram, visum mihi fuit, illum iuxta latus meum dextrum è terræ profundo ascendere, vidiq; ipsum maximo cum gaudio*

Vt meliùs & expeditiùs animabus succurratur, merita nostra illis transscribenda sunt.

Insinuat. lib. 5. cap. 11.

S. Gertrudis Saxonica id fecit.

Etiam non-Religiosos id decet.

Lib. 2. Apum, cap. 57.

S. Teresa item sua merita in defunctos transfudit.

Vitæ suæ à se conscriptæ cap. 38. haud longè à fine.

gaudio cælum conscendere. Vetulus erat dum moreretur, vidi tamen ipsum, quasi triginta solum annorum ætatis fuisset, aut etiam minus; facie(que) illius splendebat. Breuis admodum quidem erat hæc visio, inde tamen vsque adeò erigebar, vt de morte eius haud amplius sollicita essem. Tantam inde in animâ meâ sensi consolationem, vt nullatenus dubitem quin bona visio, saltem non illusio fuerit. Interim tamen haud omittebam procurare pro illo preces & suffragia fieri, atque egomet quoque idem faciebam, quãuis non tanto cum affectu quam fecissem si visio illa monstrata mihi non fuisset: quando enim mihi Dominus eiusmodi visiones exhibet, atque ego posteà pro illis orare pergo, diuiti eleemosynam porrigere me videor.

3. Adiungerẽ hisce quæ huc faciunt è Vitâ Ven. P. Dominici à Iesu Mariâ, Congregationis nostræ dignissimi Generalis, nisi commodiùs posteà ea pertractari mihi visum fuisset: videamus modò, quomodo sacræ Religiones communicare aliis soleant meritorum & satisfactionum suarum participationem, cuius egregium specimen exhibet mutua illa inter sacrum Ordinem Carthusianorum & Societatem IESV ab annis plurimis inchoata & hactenus laudabiliter obseruata concordia, cuius à Carthusianorum parte hoc extat monimentum: *Frater Petrus, humilis Prior Maioris Carthusiæ, ceteri(que) Definitores Capituli Generalis Ordinis Carthusiensis, Reuerendo in Christo Patri, ac deuotis viris, Dominis Ignatio Præposito, sui(que) Fratribus nouæ Societatis nominis IESV, vbilibet locorum constitutis, salutem quam præparauit Deus diligentibus se. Auditâ famâ odoriferâ, fratres in Domino dilectissimi, de vestrâ exemplari conuersatione, salutari doctrinâ, & voluntariâ paupertate, ceteris(que) virtutibus, quibus in tenebris nostri deplorati sæculi refulgentes, perhibebimini homines in viâ perditionis errantes ad arctam viam salutis reuocare, vacillantes stabilire, stantes(que) ad proficiendum in virtutibus stimulare, & magnum in Domino Ecclesiæ Catholicæ fructum afferre; gauisi sumus in Domino, gratias illi agentes, quòd in tantâ desolatæ Ecclesiæ suæ calamitate, quâ premimur, excitare dignatus est, & mittere nouos operarios in vineam suam, recordatus misericordiæ suæ. In quo quidem sancto opere cupientes vobis pro modulo nostro cooperari, Fraternitatem vestram obsecramus per charitatem eius qui pro nobis non dubitauit animam suam ponere, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, sed in sancto proposito perseuerantes, in omnibus exhibentes vos sicut Dei ministros in multâ patientiâ, non deficientes inter labores, pericula & persecutiones, quæ omnibus piè viuere volentibus occurrere solent: tempore enim suo metetis non deficientes. Et nos, fratres, si quid poterimus apud Dominum diuinis Sacrificiis, orationibus, abstinentiis, ceteris(que) piis exercitiis, quorum omnium vobis & successoribus vestris in vitâ pariter & post mortem, singularem concedimus participationem, vestris piis conatibus libenter cooperabimur in Domino; postulantes, vt vicissim nos in orationum & bonorum participatione commendatos suscipere dignemini. Datis Carthusiæ sub sigillo nostro, anno Domini M.D.XLIV. Feriâ quintâ post Dominicam Cantate, sedente nostro Capitulo Generali.* Et noster etiam Carmelitarum Discalceatorum Ordo aliis sua, quæ habet, bona opera communicare solet sub hac formâ: *IESVS, MARIA. Benedictus Deus & pater omnium, qui saluti prouidens hominum, mundo dedit Mariam Virginem in dulcissimam matrem, F. N. de N. Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. Eliæ Præpositus Generalis, in Domino salutem N. N. Cùm salutis nostræ auctor Iesus Christus præsentes discipulos, & nos absentes imitatores suos erudiens, singulari fraternæ charitatis præcepto præsertim obstrinxerit, vt scilicet diligeremus alios quemadmodum ipse dilexit nos: & tanto magisterio & instituto nostro valde consentaneum est, vt saluti proximorum operam similem ei quam Redemptor noster nauauit, impendamus. Cùm verò ipse sic nos dilexerit, vt labores, dolores, opera(que) sua omnia in salutem nostram cum infinito merito ac satisfactione direxerit, nullum eius imitandi modum similiorem inuenire posse videmur, quàm si è piis laboribus & operibus nostris, quæ ex ipsius munere præstamus, & spiritualibus bonis, quibus ex ipsius thesauro fruimur, partem aliquam proximis tribuamus. Quapropter nos, qui (licet immeriti) prædictæ Congregationi præsumus, & bona eius augere, ac in alios iustis de causis deriuare debemus, confisi meritis & precibus B. Virginis Mariæ, Matris Dei & nostræ, cui specialiter famulamur, ac eius sponsi sanctissimi Ioseph, nec non sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei Patrum nostrorum, sanctorum Angeli & Anastasij Martyrum, Alberti & Cyrilli Confessorum, ac sanctæ Teresiæ virginis, & aliorum Sanctorum & Sanctarum Ordinis nostri, & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, vos peculiari charitatis significatione complectentes, ad participationem omnium priuilegiorum, indulgentiarum, precum, ieiuniorum, disciplinarum, peregrinationum, piorum operum, aliorum(que) quorumuis bonorum spiritualium totius nostræ Congregationis admittimus; precamur(que) diuinam bonitatem, vt vos per hoc nostrum ministerium prædictorum bonorum cum multo prouentu consortes efficiat.* Quibus verbis tametsi non fiat expressa mentio participationis meritorum seu satisfactionum post mortem, ea tamen certè subintelligitur, vti etiam inter alia ex Capite XXXVII. præcedente, in quo specialia Officia fieri pro iis qui per hanc aggregationem Ordini nostro vniti sunt, manifestum fuit.

Carthusiani sua bona opera cum Societate Iesu communicãt.

Excalceatorum Ordo aliis sua merita communicat.

Vtilissimum igitur ideoque & prudentissi- 4.
mum erit consilium, omnibus modis & mediis huiusmodi Ordinum Religiosorum annexionem atque participationem procurare, vtpote ex quâ magnum etiam post obitum quoad celeriorem ex Purgatorio liberationem emolumentum proueniat. Quò spectat etiam consilium aliud, quod dedit R. D. Cornelius Columbanus Vranxius, ad D. Petri Gandaui Abbas, qui in suo Animarum consolatorio prudenter Catholicis morientibus suadet, vt ita suis valedicant: *Eia amice mi prædilectissime, vltimum iam tibi dico vale: exhibe tu mihi vicissim amorem tuum in hoc extremo meo agone, quandoquidem iam mihi mortem instare vides, quæ omni humano me solatio priuabit. Longissimum iter adeundum est; via, quà transeundum, ignota est, lubrica est, periculi plena est. Regio peregrina adeunda est, imò ad alium planè mundũ proficiscendum, vbi nemo viuentium anteà fuit, & quò comitem mecum adducere nequeo. Soli mihi coram seuero Iudice comparendum est, quæ sententia de me ferenda sit (de quâ omnis mea in æternum vel salus vel interitus pendet) prorsus ignoro. Si namque, prout equidem confido, res benè succedat, intra cælorum regnum recipiendus sum, vt in perpetuas ibi æternitates cum Deo Saluatore meo viuam; sin secùs, quod admodum timeo, absque vllo solatio, absque vllâ intermissione, in æterno igne comburendus sum. Donec tamen superuixero, ea tormenta euadendi suppetunt media, nimirum per veniam à Do-*

Quomodo ex hac vitâ discessurus amicis suis valedicere debeat.

mino

mino Deo impetrandam, antè quàm iter hoc suscipiam, & per acquisitionem virtutum quas ipsemet exercuit. Deum igitur exorate, vt in gratiam suam me recipiat; Sanctosq; eius implorate, vt ipsi me conducant & defendant ab infernalibus illis prædonibus, qui nimisquam sæua animabus tormẽta inferunt. Virtutes meæ & opera bona, si qua haberem, me sequerentur. Vos rogo & obtestor, bonis vestris operibus, quæ Dei adiutorio accumulastis, mihi assistite; mea enimvel omnino nulla sunt, vel, si vlla, admodum exigua. Transscribite mihi, quæso, vestra. Membrum sum Ecclesiæ Catholicæ; iuuate me, & de diuitiis vestris egestatem meam subleuate. Dicite: Domine Deus, si quid vmquam boni præstitero per tuam gratiam, id omne ei dono & resigno, suscipe illud velut ipsius proprium. Hanc mihi, oro, charitatem exhibete intrepidè, nihil decessurum sed potiùs insuper accessurum vobis spondeo: & per charitatis eminentiam absque vestro dispendio mihi emolumentum inde prouenturum. Agite ergo, quæso, vt vestris suppetiis immania illa Purgatorij tormẽta euadam, vel vt mitiora & breuiora mihi reddantur. Et benè valete, nec mei memoriã (quamuis longè à vobis absim) deponatis, sed Domino Deo me commendate, præcipuè dum sacrum Missæ Sacrificium celebrabitur, in quo pro infidelitatibus & inobedientiis meis cælesti Patri offerre debetis immensam fidelitatem, & fidelissimam perfectissimamq; obedientiam, ad mortem vsque, vnigeniti Filij eius Domini nostri Iesu Christi, qui per me & vos benedictus sit per omnia sæculorum sæcula.

5. *Consortium spirituale à P. Dominico pro animarũ adiutorio institutum.*

Vt ad Teresianam denique progeniem redeamus, eximium est Consortium illud spirituale, quod Ven. P. Dominicus à Iesu Mariâ in viuorũ simul & mortuorum subsidium exorsus est tempore Gregorij XV. cuius & auctoritate & speciali Diplomate confirmatum fuit. Eius conditiones rationesque, excerptas è Parte 3. Sententiarij spiritualis ab eodem Patre compositi, hîc annectimus. Quinque sunt mala vel capita præcipua, quibus filij Adæ tum in vitâ, tum in morte, tum etiam post mortem subiacent: & proinde iure merito quilibet sui ipsius compassione moueri, & de mediis semet iuuandi dispicere debet. Sed & eumdem erga alios affectum habeat necesse est, cùm charitatem suos inter discipulos vigere & exerceri, Dominus noster tantopere desiderarit. Ea autem quinque mala hæc sunt; I. periculum in quo versantur quicumque homines iusti, ne in peccati retia incidant; II. deplorandus peccati status in quo tot tantique degunt, & in quem tam facilis & prona est ruina, ad quam classem etiã pertinent illi, qui extra gremium Ecclesiæ in horridissimis tenebris agunt; III. quæcumque necessitas, corporalis & spiritualis, interior & exterior, publica & priuata, quæ variè cuiuslibet ordinis & cõditionis homines affligit; IV. terribile illud mortis instãs, cui omnesomnino homines expositi sunt; & V. deplorabilis animarum in Purgatorio existentium status. Vt igitur quilibet tum se tum alios efficaciter iuuare possit, optima ratio erit, si certus modus certave praxis adinueniatur, quâ quilibet de suo contribuat vnde fiat integra quædã massa & copiosa velut strues spiritualis, è quâ cuilibet in prædictis aduersitatibus subueniri possit. Hãc massam vocare possemus sacrum Montem pietatis, è quo subministretur abũdè vnicuique qui ad eius erectionem operam suam contulerit: vbi quisque exiguum illud quod contulerit, videbit & experietur fecisse lucrum pro vno non solùm centuplum, sed millecuplũ & millecuplum; pro paruo enim quod ad massam illam adiecerit, particeps erit omnium quæ alij contulerint. Et hoc est quod appellamus Consortium spirituale pro remedio quinque istorum, quæ suprà diximus, malorum, ad quod cuilibet tria sunt contribuenda.

Mons pietatis spiritu. quomodo erigi possit pro animarum solatio.

Ad eum conferenda sunt tria, Oratio,

Primum est oratio, quæ ab vnoquolibet ex imo corde fundenda est, & affectu planè singulari, pro singulis qui in illud Consortium recepti sũt, ipsos & prædictas illorum afflictiones Domino Deo offerendo, & instantissimè pro eorumdem remedio & adiutorio supplicando. Alterum est impetratio bonorum operum in gratiæ statu factorum, cum desiderio, vt diuina Maiestas ea specialiter pro omnibus & singulis Consortij membris acceptare dignetur. Atque hæc intentio sæpiùs exercitanda, & feruentiùs repetenda est, seipsum veluti seruum constituendo, qui specialiùs multum desudat impetrare iis qui magis indigent. Tertium est satisfactio, quæ cuilibet bono operi annexa est quod à iusto in statu gratiæ fit, quo nimirum pro pœnis Purgatorij satisfit iuxta operis ipsius qualitatem. Huius igitur Consortij confratres in subsidium eorũ qui moriuntur contribuere & conferre debent proprias suas satisfactiones, quò illi quantocyùs è grauissimis Purgatorij pœnis liberẽtur: qui actus opus est summæ charitatis, Deoque acceptissimum; & abundè compensabitur, quando Deo illud opus acceptãte, animæ illæ ad superna gaudia assumptæ fuerint.

Impetratio,

Satisfactio.

Quibus legibus & ritibus Consortium istud constet.

Consortium verò istud præcipuè instituendum est sub patrocinio beatissimę Virginis Deiparæ, cuius in honorem quotidie recitandum erit *Salue Regina*, singulis Confratribus B. Virginem omnium reliquorum nomine consalutantibus, & pro Consortij profectu, pro malorum supradictorum auersione, & pro infidelibus qui extra Ecclesiam sunt, orantibus. Deinde singulis diebus quinquies *Pater noster* & quinquies *Aue Maria* recitanda sunt pro auersione malorum istorum ab iis qui in Consortio isto inscripti sunt: & si fortè casu quodam quispiam illud omiserit, haud propterea à participatione vniuersali excludendus erit. Singuli prætereà qui huius Consortij membra fuerint, singulis quindenis diebus, aut vt minimùm singulis mensibus sacrã Synaxi vtuntor pro prædictis necessitatibus, & pro omnibus Consortij huius Confratribus. Quòd si legitimè à Communione sacrã impediantur, saltem confitentor, & spiritualiter communicantor; & si nec hoc potuerint, spiritualiter vt minimùm confitebuntur, priùs actum aliquem contritionis eliciendo, cum proposito confitendi & communicandi primâ occasione. Annuè insuper quilibet priuatim bis Professionẽ fidei, prout à Concilio Tridentino præscripta est, sibimet prælegat, aut si legere nesciat, sibi eam prælegi curet, inque eã fide se permansurum firmiter proponat. Quòd si verò ad manum non sit qui eam ei prælegat, Symbolum Apostolicum eius vice deuotissimè aliquoties recitabit, & suam intentionem ad fidei professionem dirigat. In Consortij ingressu aliud agendum nõ est, quàm vt quis pro felici Consortij successu confiteatur & sacrã Synaxi vtatur, cum professione fidei, & applicatione orationum, impetrationum & satisfactionum, pro iis qui eiusdem Consortij membra

Quid faciendum ei quũ primò in Consortium illud recipitur.

membra vel sunt vel aliquando erunt. Intentio hæc sæpiùs renouari poterit, præcipuè quando quis ad Communionem sacram accedit, aut Salue Regina aut Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam recitat, vt suprà: eumque in finem concipere poterit certam quampiam verborum formulam quâ id faciat, vel etiam illud ipsum fieri poterit mentaliter. En tamen formam quamdam applicationis.

6. *Forma applicationis satisfactionum suarum animabus huius Consortij.*

Sempiterne Deus noster, toto corde atque affectu gratias tibi ago pro tuâ infinitâ bonitate, quam in singulos fideles tuos incessanter diffundis, & pro mediis quæ ad vniuscuiusque profectum spiritualem abundanter prouidere dignaris. Nunc autem singulariter te benedico pro institutione Consortij huius spiritualis sub patrocinio beatissimæ Virginis, quod nouiter ego iam amplector, ipsiusq; me membrum esse profiteor, offerendo diuinæ Maiestati tuæ omnem indigentiam meam, hoc est si quid in me est boni operis quod per gratiam tuam fecero, cum impetratione eiusdem, quam ex nunc specialissimè applico omnibus qui huius sancti Consortij membra sunt; exoptans atque supplicans, vt idipsum acceptare digneris pro ipsorum necessitatibus, præcipuè verò, vt ita sub sacratissimâ manu tuâ eos teneas, ne te vnquam offendant; & si in aliquod peccatum prolapsi fuerint, eos quamprimùm inde eripias. Illustra etiam atq; adiuua omnes qui sunt extra gremium sanctæ Ecclesiæ tuæ, vt è tenebris & erroribus emergant. Præsta quoque auxilium tuum omnibus & singulis huius Consortij sodalibus, in omnibus necessitatibus eorum, spiritualibus & corporalibus, interioribus & exterioribus, publicis & priuatis, & maximè in horâ mortis eorum. Offero etiam, Domine, pro animabus quæ sunt aut erunt in Purgatorio, & huius Consortij membra fuerunt, omnes satisfactiones quas per gratiam tuam præstare potero bonis operibus insudando, vt quantocyùs in libertatem asserantur. Et hunc in finem, eaq; intentione, propono quotidie recitare quinquies Orationem Dominicam cum Salutatione Angelicâ, & vt minimùm singulis mensibus sacratissimam Eucharistiam sumere, cum intentione, singulis vicibus quæ dicta sunt tibi offerendi, voluntatem meam renouandi, & applicandi ea in commodum illorum qui in hoc Consortio futuri sunt sub protectione sanctissimæ Matris tuæ, quam quotidie illorum nomine salutabo recitatione vnius Salue Regina, *eam rogitando, prout & modò facio, vt omnes illos in suos filios suscipere & hanc Vnionem sanctam & spiritualem in numero, meritis & fructibus augere dignetur pro omnibus qui in eâ sunt vel erũt. Rogo etiam Domine, vt si per obliuionem intentionem hanc renouare omisero, id pro me faciat Angelus meus Custos in omni bonâ operatione meâ, simulq; omnes alij Angeli Custodes eorum qui sunt in hac Vnione spirituali, in omnibus ipsorum necessitatibus, maximè in illis supradictis. Benedic eis omnibus, Domine Deus meus: benedic Ecclesiam tuam Catholicam cum sanctissimo eius Pastore, & Vicario tuo, & omnibus fidelibus tuis: & per merita, orationes & impetrationes eorum qui in hoc sancto sunt Consortio, impertire mihi, Domine, sanctam benedictionem tuam, & misericordiam pietatemq; tuam experiri me fac in vitâ, morte, & post mortem meam: tu qui viuis & regnas supergloriosissimus & superbeatissimus per omnia sæculorum sæcula. Amen. Amen. Amen.*

7. Statim atque pia huius Consortij ratio viris quà dignitate & eruditione, quà etiam spiritu & deuotione summis innotuit, ab iisdem examinatum & libentissimè approbatum fuit, vt è quo maxima animabus obuenire posset vtilitas: atque insuper ipse summus Ecclesiæ Catholicæ Pastor Gregorius XV. cùm de illo apud eum referretur, illud comprobauit, & gratiis Apostolicis auxit, vt ex hoc Breui colligere licet. *Gregorius Papa XV. ad perpetuam rei memoriam. Pastoris æterni, qui pro gregis salute in arâ crucis immolari voluit, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, de commissarum nobis ouium salute assiduè cogitantes, ea quæ ad fidelium animarum salutem procurandam piè excogitata fuisse comperimus, Pastorali benignitate amplectimur, eosdemq; fideles ad ea exequenda indulgentiis & peccatorum remissionibus inuitamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Cùm itaque, sicut accepimus, dilectus filius Dominicus de Iesu Mariâ Ordinis Fratrum Discalceatorum professor, Opusculum quoddam, Sententiarium spirituale, pro triplici perfectionis viâ, purgatiuâ scilicet, illuminatiuâ & vnitiuâ nuncupatum, pro suâ eximiâ pietate, & honoris Dei animarumq; in viâ salutis progressus ardenti zelo à se compositum, nobisq; acceptum, in lucem ediderit, at in illius calce piam & fructuosam & spiritualem institutionem, charitati ac saluti animarum fidelium vtilem, Consortium spirituale nuncupatum; Nos ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem, cælestibus Ecclesiæ thesauris piâ charitate intenti, omnibus & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, qui spirituale huiusmodi Consortium nunc & pro tempore amplexi fuerint, primâ vice, si verè pœnitentes, & confessi, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione & necessitatibus, ac hæresum extirpatione, & Principum Christianorum concordiâ, pias ad Deum preces effuderint, nostram benedictionem, ac plenariam indulgentiam; nec non eisdem receptis, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si verè pœnitentes & confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiuerint, saltem contriti, nomen IESV & MARIÆ ore, si potuerint, sin autem, corde deuotè inuocauerint, nostram etiam benedictionem, ac plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Dominó concedimus. Et quoniam inter cetera adimplenda præcipuum illud est, vt fideles semel saltem singulis mensibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumant, idcircò, vt hoc feruentiùs exequantur, eisdem omnibus & singulis, qui idem sanctissimum Sacramentum semel in mense, vt præfertur, sumpserint, & vt præfertur orauerint, plenariam pariter omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem, quæ animabus in Purgatorio existentibus applicari possit, misericorditer in Domino largimur. In contrarium facientibus non obstantibus. Volumus autem, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die xxvij. Ianuarij, M. DC. XXIII. Pontificatus nostri anno secundo.* I. Card. S. Susannæ.

Consortium à Doctoribus Ecclesiæ approbatur.

Et à Gregorio XV. confirmatur, & spiritualibus gratiis augetur.

Sed fortassis scrupulum cuipiam mouere posset, & timorem incutere, ne, si mortuis quis impetrationes & satisfactiones suas transscribat, eas sibimet subtrahat, ideoque dum mori eum contigerit, meritis & bonis operibus planè nudus reperiatur, adeoque grauiores in Purgatorio pœnas luere oporteat. Verùm enimuerò 8.

An satisfactiones, quas animabus transscribentis quidpiam inde accedat.

varia hæc est formido. Etsi enim sua sodalibus communicauerit, suum commodum inde non minui sed vel immensùm augeri deprehendet, cùm vbi anteà ipse solus pro suis culpis satisfacere debuisset, nec fortè potuisset, tot nunc habeat obsides ac debitores quot sodales: qui cùm multi sint, & quotidie pro eo soluere conentur & vere soluant, dubium non est, quin sit quamprimùm liberandus. Et quamuis hoc non ita fieret, an putas Deum permissurum, vt hæc charitas heroïca & in summo dilectionis gradu constituta, tibi cedat in tormentum? Non sanè id diuina Maiestas patietur vnquam, prout abundè apparet ex libris S. Gertrudis de Saxonia, vbi sic legimus: *Alia die cùm ista Gertrudis recoleret, quod omni merito suo, quod lucrari posset per Dei misericordiam in exercitatione bonorum operum, se omnino abdicasset in meritum defunctæ, mærebunda dixit ad Dominum: Spero Domine, quòd amans misericordia tua frequentiùs respiciet me nudam & egenam, Ad quod Dominus: Quid illi, qui sic ex charitate nudatus est, facere possum, quàm vt proprio vellere illum tegens, cum ipso instantiùs operer, vt eò celeriùs recuperet erogata per charitatem? Tunc illa, Quantumcumque, inquit, mecum opereris, tamen oportet me nudam ad te venire, quia tam adipiscendis quàm adeptis renuntiaui. Ad quod Dominus: Cùm mater vestitas filias secus pedes suos sinit sedere, nudum puerulum in gremio propriis vestibus fouens circumplectitur vlnis, Et adiunxit: Et quid tunc minus habes sedens ad abyssum maris, quàm alij qui ad exitus riuulorum?* Ad riuulorum exitus sedent, qui propriis operibus aliqualiter inhærent; sed qui ex charitate & humilitate omnia à se abdicat, habet Deum, qui totius beatitudinis est abyssus. Alia ex iisdem D. Gertrudis Insinuationibus habemus similia, sed ea locis aliis referenda sunt. Vnum hic exemplum adiungemus quod refertur in Vitis FF. Prædicatorum, ex quo ad oculum patet, nihil omninò ei discedere qui merita sua siue satisfactiones in alium transfert: est hoc sanè in materia præsenti eximium, & ibidem refertur in hæc verba: *In Angliâ Rector cuiusdam Ecclesiæ pecuniosus & vitiosus infirmatus grauiter, timore mortis habitum Fratrum Prædicatorum suscepit, & cùm aliquantulùm conualuisset, reiecit. Et cùm se multis exposuisset criminibus, à pio Patre correctus est huiusmodi visione. Videbatur enim sibi sopito in quadam horâ matutinali, quòd videret Christum in aëre sedere ad iudicandum, & omnia peccata sua super caput suum esse descripta, & infernum subter hiantem ad recipiendum se. Cumq; territus ad Christum respiciens clamaret, faciem eius vidit terribilem, & sibi plus intolerabilem quàm ipsum infernum. Post hæc apparuit ei quidam in habitu Fratris Prædicatoris, dicens Christo: Domine, quid vis de isto? Et Dominus: Vt soluat pretium pro peccatis, aut in infernum vadat. Euigilans ergo, & hæc secum reuoluens, peccata sua cum multis lacrymis confessus est Fratri Martino Lectori Fratrum de Noreatonâ, & habitum cum multâ deuotione resumpsit, & post mensem iterùm infirmatus est.* Diligenter notet Lector quod subiungitur: *Frater autem Martinus Confessor eius cùm videret eum morti propinquũ turbari propter peccata sua, dixit: Noli timere, charissime; sed audacter de misericordiâ Dei præsume: & ego quidquid boni in Ordine feci, tibi do, dummodò firmiter speres. Et infirmus hæc audiens, confortatus gratias egit, & perceptis Sacramentis cum multâ compunctione migrauit. Post eius obitum videbat dictus Frater Martinus visionem, quòd dictus Rector sordidissimis vestibus spoliabatur, & candidissimis vestiebatur. Et rogauit eum Frater Martinus, vt vestes sibi consimiles impetraret à Christo. Tunc respondebat defunctus: Charissime Pater, istæ sufficiunt mihi & tibi. Hoc autem dixit, quia sibi concesserat bona sua, quæ data non minuuntur, sed magis accrescunt.* Sic ibi.

Deus charitatem hanc heroicã compensabit.

Lib. 5. Insinuationum, cap. 11.

Exemplis vno vel altero id declaratur.

9. Et sanè, vt ostendatur, quàm malè atque inconsiderate faciant, qui in meritis satisfactionibusque suis in animas Purgatorij deriuandis vel parci sunt vel auari, notandum est hoc quod damus simile. Inambulat quis, qui aquâ haud indiget, iuxta ripam fluminis, vnde, si fortè sitis eum vrgeret, quotmomentis abundè haurire posset: accedit alius qui in aridissimo sterilissimoque loco habitat, ardentissimaque siti premitur, & rogat, vt sibi interim, dum ille aquis non indiget, haurire nonnihil, indeque arentes fauces refocillare liceat. Iste supercilia contrahens non solùm petenti denegat, sed insuper aquam illam, continuo pedum motu, turbidam insipidamque reddit, mauultque ipsemet lutulentâ feculentaque aquâ satiari, quàm vt alij limpidam concedat. Perinde agitur cum illo qui sua merita alteri, dum ipse, vnde noua & copiosiora sibi comparet, ad manum habet, transcribere tergiuersatur, imò ea ipsa turpi inuidiâ defœdare Deoque inuisa reddere non veretur, dummodò ea suo in candore alteri non cedant. Prudenti itaque non pauci consideratione omnia sua in mortuorum profectum Deo offerunt, & ita quidem offerunt, vt, eximium D. Gertrudis Saxonicæ exemplum imitati, eo ipso quo boni quidpiam effecerunt, id defunctorum vtilitati & liberationi debeatur; adeò vt reperire liceat, qui non solùm merita mortuis omnia donauerint, sed insuper si quid aliud soluendum restaret, in suo corpore id expiandum susceperint. Talis fuit S. Christina Mirabilis, de quâ sic Surius: *Vidit Christina animam Comitis, Loensis scilicet, in Purgatorium pendaci, acerrimis pœnis excruciandam. At pia fœmina eius vicem non mediocriter miserata, obtinuit à Domino, vt posset illius animæ pœnas partim in se recipere. Apparenti autem illi post obitum suum vt ab eâ opem flagitaret, Christina dixit: Age, discede hinc, & ex diuinæ sententiæ præscripto pœnas luito; ego verò à meo corpore pœnas exactura, dimidiam Purgatorij partem in me recipio.* Talis etiam fuit S. Lidvvina, cuius exemplum Capite iam XXXIX. num. XI. attulimus.

Pessimè faciunt qui duros se exhibent & auaros in donando animabus suas satisfactiones. Simile.

10. Nec solùm probabilibus historiis, sed & irrefragabilibus sacræ Scripturæ auctoritatibus idem comprobatur, cùm non tantùm Saluator noster peccatorum nostrorum sarcinam in se suscepisse legatur (verè languores nostros tulit, & dolores nostros portauit, ait de eo Propheta Isaias;) sed & maximi & præstantissimi quique Sanctorum in nouo Testamento idem æmulati sint, vt aliorum pœnitentias ad eorum glorificationem sustinere peroptarent. Specimẽ illustre dabit S. Paulus, qui de se ita locutus est: *Nũc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea,* quæ

Scripturarũ sacrarum exempla idem mouent. Saluatoris Christi,

Apostoli Pauli, Colossens. 1.

quæ desunt passionum Christi, in carne meâ pro corpore eius, quod est Ecclesia. Et alibi: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis;* hoc est, vt aiunt loci illius interpretes, Desiderabam pro fratribus meis pœnis anathematis seu damnationis æternæ subiacere, non autem committere culpam, aut Dei offensam incurrere. Quem Apostoli affectum sic dilaudat S. Ioannes Chrysostomus: *Implere gaudium meum liceat, vobis salutem assequi, me autem propter vos reddere rationem; vobis dari salutem, me autem accusari, quòd munus meum non impleuerim. non enim curo vt pro me salui sitis, sed vt salui sitis quacumque ratione.* Eumdemque affectum etiam in nonnullis antiquæ Legis Patribus resplenduisse asseuerat, inquiens: *Moyses multa & magna operatus est miracula, sed nihil tam magnum eum fecit, vt beata illa vox, quam ad Dominum habuit, cùm inquit: Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo. Huiusmodi erat & Dauid, idcircò dicebat: Ego pastor peccaui, & ego malè feci, & hi qui ouile sunt quid fecerunt? Fiat manus tua super me, & super domum patris mei. Eodem modo Abraham non suam sed mulierum quæsiuit vtilitatem, ideò se periculis exponebat, & Deum pro his, qui nihil ipsi conferebant, deprecabatur.* Non igitur mirum, si omnes prouocare conemur, vt sua merita cuncta in mortuorum subsidium transscribant, quandoquidem laudatissimum quoque sit eorum tormenta in nobis eluenda suscipere.

Roman. 9.

Moysis. Homil. 15. in caput 10. ad Corinth.

Dauidis.

11. *Aliæ rationes peroptimæ ad idem persuadendum.*

Caput præsens finiueram, nisi breue hîc aliquod adiecisse compendium, opportunum iudicassem, in quo rationes simul præcipuæ proponuntur, quibus incitamur vt satisfactiones omnes defunctis transscribamus, editum est hoc Madriti & Hispanicâ linguâ excusum, cuius inscriptio est: *De deuotione erga animas Purgatorij, & quantum prosit ei qui pro eis operum suorum satisfactiones offert, nihil inde sibi reseruando; desumptum ex Tractatu P. Ioannis Eusebij è Societate IESV de Modo benè expendendi opera bona.* Et quia in eo licet breui syntagmate multa notatu & obseruatu occurrunt dignissima, operæ pretium arbitratus sum, si Lectori meo illud in Latinam conuersum linguam hîc sub finem Libri mei secundi exhibeam. Est igitur eiusmodi: Inter deuotiones Deo acceptiores, nobisque vtiliores, est ea quæ exhibetur animabus Purgatorij. Et quantopere illa sibi complaceat, diuina Maiestas insignioribus nonnullis tecmeriis, & operationibus miraculorum refertissimis demonstrare dignata fuit. Hic saltem nonnullas eius vtilitates producemus, quæ excitare omnes valeant, vt erga has Dei filias, & sponsas Spiritus sancti liberales se ostendant, quò eis vel suffragiis vel operum bonorum suorum satisfactionibus succurrant, easdem illis omnino attribuentes, haud veriti sibi aliquid proinde decessurum, sed potiùs certi magno sibi id lucro futurum. Prima ergo vtilitas est immensum meritorum augmentum quod inibi reperire licet: è tribus enim, quæ iustorum bona opera secum vehunt (quæ sunt, meritum, impetratio & satisfactio) præcipuum omnium est meritum, per quod nos Deo reddimur acceptiores, & amiciores, maiorem accipientes gratiam, & nouum ad ampliorem gloriam ius acquirentes. Nec est dubium, quin, si quis satisfactionem in nouum opus bonum conuertere possit, hoc est si efficere possit vt ex parte satisfactionis maius ei accederet meritum præter id quod ex suâ naturâ habebat ipsum opus bonum, hoc facere conueniat. Ratio est, quia sicut Beatorum gloria sine comparatione maius bonum est, quàm malum pœna Purgatorij; ita etiam amplius quid est, ius & actionem habere ad maiorem possidendum gloriam, quod non excusat quò minùs quis pœnas illas sustinere debeat. Ille igitur qui satisfactionem suam pro animabus Purgatorij offert, facit vt satisfactio in meritum transeat: illa enim charitas summæ virtutis actus est heroïcus, per quem cum satisfactione acquiret gloriam æternam (quæ ad hoc ei nihil profutura erat) côuertens illud per quod satisfacere debebat, in magnum suum meritum, & simul aliorum commodum. Quod vtique magni æstimari debet; præterquam enim quòd gloria maius bonum sit, quàm malum pœna Purgatorij, aduertendum est, vtilitatem & augmentum gloriæ æternum esse, pœnam verò Purgatorij solummodò temporalem: vbi magna intercedit differentia, & distantia infinita; & ad perfruendum bonis sempiternis, etiamsi vltimi gradûs fuerint, maxima incommoda temporalia perferenda erant.

Deuotio animabus Purgatorij exhibita Deo est gratissima.

Meritorum augmentum amplius inde prouenit.

Accedit, quòd in quibuscumque actionibus nostris id desiderare & intêdere debeamus quod oculis Dei est acceptius, nullum aliud commodum nobis proponentes vel vtilitatem, quàm beneplacitum Dei. Et potius est Deo placere, quàm pati desinere. Qui verò satisfactionem suam sibi reseruat, vt pati desinat intendit; qui verò eam pro sanctis illis animabus offert, diuinæ Maiestati est acceptior, actum quippe facit magnæ charitatis & misericordiæ. Imitatur in hoc S. Paulum aliosque Sanctos, qui ex charitate quâ erga fratres suos flagrabant, anathema à Deo pro eis esse cupiebant, hoc est desiderabant vt minimùm temporaliter à fruitione Dei separari. Idem etiam facit qui ex amore Christi Iesu, vt fratres sui & dilectæ Spiritus sancti sponsæ citiùs eo perfruantur, semetipsum exponit dilationi propriæ suæ gloriæ & visionis beatificæ; idque nedum in quiete & otio, sed adhuc insuper pœnas illas sufferens quas illæ perferre debebant, eo fine vt quantocyùs conditorem suum glorificent: quod vtique actus est admodum generosus, cùm non solùm interim æternis se gaudiis priuet, sed etiam ad tantorum tormentorum sufferentiam se quasi prostituat. Si enim res foret eximiæ charitatis, panem ori proprio subtrahere vt indigenti detur, vel vestibus se exuere, vt nudus pauper eis induatur; quid, putas, erit tantis se tormentis exponere, ne ea patiatur filia Dei & sponsa Christi? Charitatis specimen est, vitam pro fratribus ponere: quid erit, plus quàm vitam exponere? dubio namque procul amplius est pati in Purgatorio, quàm tolerare mortem; & adhuc amplius, differre æternum illud quod sperat gaudium. Et si pro haustu aquæ, ex charitate datæ, promittitur æterna gloria; quid promerebitur qui tantò præstantiorem elargitus fuerit eleëmosynam? Expendatur quæso quòd tantopere à sacrâ commendetur Scriptura, & quòd tantis encomiis

12. *Charitatis præcipuum id est opus.*

Est spiritualis eleemosyna, quæ omnem aliam corpori datam multis parasangis excedit.

deprædicetur eleëmosyna corpori exhibita; amplioribus enim laudibus digna erit hæc quæ animabus præstatur eleemosyna. Et si, qui eleemosynam facit ex bonis proprio labore & sudore partis, plus meretur quàm qui eam facit ex bonis hereditate acquisitis, aut quæ nullo labore aduenerunt; quantò merebitur amplius, qui bona tribuit ampliora, & quæ multo sudore, labore & sanguine steterunt, multis scilicet pœnitentiis, vigiliis, afflictionibus, ieiuniis & mortificationibus exantlatis? Adde, quòd eleëmosyna hęc conferatur personis nobilissimis extremâ in necessitate constitutis: datur enim dilectissimis Dei filiabus & sponsis, quæ dirissimis in pœnis constitutæ, semetipsas iuuare nequeunt; imò quò sunt proximiores ad fruitionem summi boni, eò magis angustiantur & maius desiderij martyrium patiuntur; imò quidquid patiuntur, nihil lucri, nihil profectûs eis addit vnde earum meritum augeri & crescere posit: & quò diutiùs in Purgatorio detinentur, eò magis cælestis illa Ierusalem suis ciuibus, & Ecclesia & viuentes in terris fideles nouis patronis & aduocatis apud Deum destituuntur. Nec minor hic est fructus qui ex illâ deuotione prouenit, quòd nimirum anima illa, quæ sic è Purgatorio eripitur, ad vicissim idem præstandum obstringatur & obligetur: ob singulare enim beneficium quod anima recipit dum ad summi boni fruitionem admittitur, & dum à tam acerbissimis tormentis liberatur, debitricem se agnoscit vt continuè pro benefactore suo intercedat, varias ei de cælo gratias & varia bona refundendo: cognoscunt enim, vtpote iam beatæ, bonum illud quod acceperunt, esse infinitum; cumque sint gratissimæ, pro modo beatitudinis quâ perfruuntur, gratitudinem suam extendere satagunt. Eò ergo plures deuotus animarum Purgatorij patronus in cælesti apud Deum curiâ Actores habebit, qui negotium saluationis eius promoueant, quò plures animas ex istis pœnis liberauerit: quod sanè vtilius erit quàm si operum suorum satisfactionem sibi tenacissimè seruauerit. Maioris enim momenti est, salutem suam certam facere, quod nimirum fit hac ratione, dum pro eâ tot sollicitatores habet; quàm metus ille quasi se periculo exposuerit diutiùs in Purgatorio morandi eò quòd suas satisfactiones aliis condonauerit, nec sibi eas custodierit.

Animas ad par referendū obstringit.

13\. *Animarum beatarū preces pro benefactoribus pretiosissimi sunt valoris.*

Quantum verò valeant apud Deum orationes animarum, dum, erga suos benefactores gratitudinem exercentes, Deum pro iis & eorum negotiis exorant, manifestè apparet ex certo euentu: quo negotia illorum omnino ex voto succedunt, vt res certissima videatur, etiam in rebus adhuc temporalibus ab iisdem subueniri. Quòd si adeò sunt fideles, & efficaciter gratitudinem suam demonstrant in rebus temporalibus, quid erit futurum de rebus spiritualibus & salutem æternam concernentibus, quas vtique maiore affectu petunt, & promptiùs à Deo impetrant? Nec solùm acquiritur intercessio illius animæ sanctæ quæ à Purgatorio eripitur, verùm etiam eiusdem Angeli Custodis, & Sanctorum illorum quos in vitâ mortali coluit, qui omnes in gratitudine benefactori suo præstandâ adiutores se exhibent: quinimò ipsa Christi Redemptoris beneuolentia conciliatur, cùm ille maximopere afficiatur, dum aliqua eius sponsa ex intolerabili illo tormentorum loco eripitur; id quod hoc simili demonstrari potest. Si Rex quispiam potentissimus expectaret sibi desponsatam Principissam, quam immenso amore prosequeretur, vt nuptias cum eâ celebraret, illa verò in manus hostium incideret qui mille afflictionibus eam diuexarent; atque tum homo quidam exterus reperiretur qui eius loco carceri & tormentis se offerret, saltem vt illa libera euaderet, & citiùs desideratissimi sponsi sui amplexibus frueretur; quæ hæc esset fidelitas? quàm grati forent, non solùm ipsa eo modo erepta Principissa, sed multò magis Rex eius sponsus, adeoque omnes Regni istius incolæ? Idem omnino accidit in nostro casu, vt non solùm anima, sponsa Christi, gratam se agnoscat ei qui de Purgatorio, vbi captiua detinebatur, eam eripuerit, sed insuper ipse Rex Christus, & tota curia cælestis: neque solùm illa pro suo benefactore & in libertatem assertore preces suas interponet, sed Deus ipse, antequam exoretur, hoc beneficium plenissimè remunerabitur. Quid, quòd ingens admodum lucrum æstimandum sit, in cælo esse animam quæ pro te Deum glorificet, amet atque laudet? Qui enim Deum purè amat, operam dare debet, vt infinita eius Maiestas exaltetur & glorificetur. Et quandoquidem ipsemet non posit eâ quâ par est puritate (vtpote carnę mortali adhuc vestitus) conditorem suum amare, laudare atque magnificare eo modo quo Beati; magnæ vtique felicitatis loco habere debet, alium hoc eius vice præstare, si posit suâ ope aliquem promouere qui infinitam creatoris sui bonitatem debitis laudibus glorificaret. Hoc iam facit qui per indulgentias & satisfactionis opera animam vnam è Purgatorio eximere adlaborat, vt ipsa vice sui Deum collaudet & magnificet in æternum.

Angelus Custos illius animæ cum tot beneficium, &

Sancti quos in vitâ coluit, debitores se agnoscunt.

Simile.

Animam ad cælum promouisse, ingentis lucri loco reputandū est.

14\. *Omnibus cæli ciuibus ex animabus præstitâ eleemosynâ gaudium nascitur.*

Nec minore consideratione dignum est, eum qui deuotum animabus affectum exhibet, non solùm sibimet magna bona acquirere, sed simul etiam causam aliorum agere, plurimisque benè facere, magnâ cum Ecclesiæ tum militantis tum triumphantis gloriâ: vniuersæ enim cælesti curiæ maxima lætandi atque iubilandi prouenit occasio, quando conciuium suorum numerus augetur. Si namque gaudium in cælo est propter conuersionem vnius peccatoris, qui ad peccatum redire potest, itidem magnum gaudium erit accessione alicuius Beati qui iam ampliùs peccare non potest. Præcipuè verò singularem lætitiam commonstrabit Angelus Custos eius animæ quæ è Purgatorio erepta est, mille gratulationes à reliquis spiritibus sibi acclamari audiens propter triumphum, quo solemniter iam cælum intrat illa creatura quæ eius curæ demandata fuit. Speciale quoque festum agent Sancti quos anima illa in terris coluit, ipsius insuper agnati, consanguinei, & amici beati, denique Sancti illius Ordinis cui associatur, vtpote virgines, si virgo, Confessores, si confessor fuerit. Sed & Beatissimæ Virgini gaudium erit, quòd suæ intercessioni locum datū esse videat; Christo, quòd

Angelis,

Sanctis,

B. Virgini,

SS. Trinitati.

quòd lucrum passionis suæ & Sanguinis in Cruce effusi conspiciat; Spiritui sancto, propter communicationem donorum & charismatum suorum; Patri æterno, quòd bonum illud, quod suæ creaturæ desiderauit, iam completum cernat. Ecclesia verò militans gaudet, quòd nouum iam in cælis patronum nacta fuerit, præcipuè verò animæ illius parentes, consanguinei, amici & familiares, & qui eiusdem cum ipsâ in terris professionis & communionis fuerunt: denique omnes iusti & prædestinati; omnes homines, & omnis natura gaudendi occasionem habēt, quia creatura iam venit vt conditorem omnium in perpetuum collaudet. Quibus accedit, quòd ille qui adhuc in viuis agit, necdum de facto opus habeat satisfactionibus, quâ tamen indigent animæ, vt ratio ipsa liberalitatem hanc exposcere videatur, Primò, ne spirituale hoc capitale otiosum sit, sed vt statim aliquod lucrum faciat, nec tanto tempore recondatur: Deinde, cùm præsens & vrgens fratris indigētia subsidium requirat ex eo quo iam nondum indigeo. Si quispiam benè pransus, & lautè vestitus, panem adhuc & vestem aliam repositam habeat, veniatque pauper aliquis nudus, frigore rigidus, & famelicus ad mortem vsque, qui vitæ suæ aliquam sustentationem emendicaret; an ritè faceret, si egenum illum fame frigoreque perire fineret, dicens, Nihil tibi quod dare possim mihi suppetit; pane enim illo, qui modò superest, fortè sequenti hebdomadâ indigebo, & veste illâ, quam sepositam seruo, à sesquianno induendus sum? An quid responderi vel fieri posset durius & atrocius? Nihil omnino differt ab hac crudelitate, quando aliquam sponsam Christi, terribilissimas in igne illo purgatorio pœnas sustinentem, & exclamantem, *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei*, nostris satisfactionibus iuuare noluerimus, quibus tamen neque ipsimet modò indigemus, saltem vt eas mortis nostræ tempori reseruemus, quod fortè ad plures vsque annos differendum erit, interim eisdem, absque vllo fructu, quasi situ pereuntibus.

Ecclesia militans eximium inde commodum sentit.

Viui satisfactionibus suis non indigent, sed animæ Purgatorij, adeoquin, nisi eis applicarentur, otiosæ remanerent.

15\. Nec verò arbitrandum est, eum qui omnem satisfactionem suam animabus Purgatorij dederit, omni remedio destituēdum esse: Primò, quia hic ipse virtutis & insignis charitatis actus nouā & eximiam satisfactionem adfert. Si enim eleēmosyna, quæ corpori curando exhibetur, opus est vel maximè satisfactorium; quis non videt, etiam neque spiritualem hanc eleēmosynam suâ satisfactione carituram? Deinde, Deus optimus maximus suæ sollicitudini & dispositioni reseruauit, ne is qui tantam Iesu Christi sponsis charitatem exhibuerit, sua amittat; sed vt mitius Purgatorium experiatur, quàm si omnē satisfactionem sibi retinuisset. Vel etiam Maiestas diuina suâ eum gratiâ præueniet, vt parū quod expiandum sit in eo remaneat, à peccatis eum præseruando, vel aliis inspirando vt pro ipso intercedant, suasque ei satisfactiones applicent. Quâ in re multum omnino situm est: satisfactio enim propria non est nisi vna, & quas alij fortè ei applicabunt, multæ erunt; poteritque euenisse, vt propria cuiuspiam satisfactio à diuturno purgatorio eum liberet, & quod per eas quas alij ei assignabunt, breue admodū habiturus sit. Ideoq; multo amplius lucrabitur quàm si satisfactiones suas sibi seruauerit. Cui accedit, quòd animæ, quæ ipsius adiutorio ad cælum peruenerint, benefactorem suum in Purgatorio constitutum videntes, Deum suis intercessionibus sint permoturæ, vt citiùs aliquod ei remedium afferat. Hinc iam sequitur, non aduersari charitati benè ordinatę, abdicare à se omnem operum suorum satisfactionem vt animabus Purgatorij applicetur; hac namque ratione plus lucratur quis, quàm si eam sibi recondisset: ideoque eximij famuli Dei ita fecerunt, & adhuc amplius, prout fecit deuotus & zelosus è Societate Iesu P. Hernandus de Monroyâ, qui illustre hominum spiritualium & virorum Apostolicorum exemplar fuit: hic nimirum antequam obiret, etiam scripto animabus Purgatorij transcripsit Sacrificia & opera satisfactoria, quæ post eius obitū fieri pro ipsius animâ debebant. Saltem excusari quis non poterit quò minùs animabus illis tribuat id quod de satisfactionibus ipsius, aut de Sacrificiis quæ post mortem pro ipso offerentur, aut de operibus satisfactoriis quæ pro eo fient, ei supererit: contingere enim haud rarò posset, quòd tantis bonis non indigeat, & quòd, nisi applicauerit id quod superfuturum sit, idipsum ad thesaurum Ecclesiæ redeat. Hoc aduertere debebant qui in testamentis suis multa pro se Sacrificia offerri disponunt: par enim erat, vt vel minimùm aliis animabus applicarent ea quæ fortè superent, cùm casus eiusmodi contingere possit, quòd tantis quis non indigeat.

Eas qui animabus applicat, se nullatenus priuat.

Imò maius inde meritorum lucrum acquirit.

In modo applicandi omnem satisfactionem prouidēdum est vt eo modo fiat ne quid pereat, & vt acquiratur quidquid acquiri potest: contingere namque poterit, quòd anima illa, cui fit applicatio, eâ non indigeat, & tum frustrà fieret, quia neque prodesset illi animæ, neque etiam alteri. Non illi, quia fortè erit in cælo, vel in inferno, adeoque mea satisfactio eam iuuare non posset: non alteri, quia ei non esset applicata. Vt igitur in maiorem Dei gloriam, & in animarum & nostrum profectum cedat illa applicatio, consultius erit eam satisfactionem multis simul applicare, non quidem promiscuè & confusè, sed eo quo dicturus sum modo: qui enim generatim omnibus animabus applicant, quamuis nihil inde pereat, exiguum tamen commodum adferunt singulis. Cùm enim animæ sint quamplurimæ, & id quod applicatur sit exiguum, si inter omnes distribuatur, pænè nihil accedet singulis: & si totum vni soli daretur, multum foret, & haud rarò sufficiēs ad eam è Purgatorio eripiendam. per quod anima illa benefactori suo multū debet, perinde ac aliquod mancipium maiorem gratitudinem ostendit erga eum qui totum redemptionis pretium persoluit, quàm si à plurimis & variis illud acceperit. Captiuus, qui collatâ à plurimis eleēmosynâ libertati restituitur, minùs gratum se singulis exhibet, eò quòd gratitudo inter multos partienda sit: verùm si eleēmosyna proueniat ab vno, ei magis afficitur, & velut eius seruus efficitur. Eodem modo gratitudo animæ, quæ vnius solius satisfactione eripitur, magna est, & ingentem secum fructū vehit. Applicatio ergo facienda est speciatim certæ & determinatæ cuipiam animæ, hac tamen lege, vt non sistat applicatio in eâ solâ, sed etiam ad alias extendatur, vnam alteri substituendo, donec in 16.

Quomodo & quo ordine fieri debeat applicatio.

vnâ hæreat, hoc modo: Si prima non indiget meâ satisfactione, vel non totâ, reliquum transeat in illam vel illam; & si neque ista indigeat, in hanc, &c. atque ita applicatio infallibilis erit.

17. *Quibus præcipuè animabus facienda sit applicatio.* Videamus porrò, quibus speciatim animabus fieri debeat applicatio, & quæ quibus substituendæ, cùm nonnulli offerant pro iis quæ maximè indigent, nonnulli animæ isti quæ proximè eximenda est satisfactionem suam assignent. Dico, iis primùm faciendam esse applicationem, quibus vel ex iustitiâ, vel pietate, vel charitate, vel gratitudine, vel obseruantiâ obstricti sumus, quales sunt, parentes, affines, consanguinei, amici, benefactores, socij & familiares, vel Superiores; his non indigentibus, si substituatur anima quæ maximè ope egeat, aut proxima sit suæ liberationi, satisfactio benè & ritè applicata erit. Quòd si quis quærat, vtra harum applicationum sit melior; respondeò, si sola & vna maior Dei gloria, & id quod nobis vtilius sit attendatur, præstare applicationem fieri sanctiori animæ, & quæ Deo magis placuit. Ratio hæc est, quia quamuis maior sit misericordia, eam facere maximè indigenti, cùm maiori illa inuoluatur miseriæ; nihilominùs maior charitatis actus erit (quæ præstantior virtus est quàm misericordia) puriori animæ applicationem tribuere, & quæ Deum intimiùs amet, respectu habito ad maiorem Dei gloriam; & quantò anima conditoris sui glorificationi est proximior, eò æquius est vt priùs è Purgatorio liberetur, quia ampliorem Dei laudandi occasionem habet, eiusq; fidelior famula fuit, & ipsi cæli ciues hanc potiùs animam liberari desiderant: adeoque melius futurum est, si nosipsos voluntati diuinæ accommodemus, & ampliori lætitiâ curiam cælestem afficiamus. Sed & ea ipsa anima quò fuerit sanctior, eò suo è Purgatorij pœnis liberatori erit gratior, & amplius apud Deum valebit ad vicissim impetrandum illi à Deo varias gratias & beneficia; & haud rarò continget, eamdem ipsam animam, quæ est sanctior, etiam liberationi esse proximam. *Deo totum inde negotiū permittendum.* Applicatione iam hunc in modum factâ, addi poterit, quòd si voluntatis diuinæ fuerit aliam maximè indigentem animam hac applicatione frui debere, offerre se illam diuinissimæ suæ Maiestati, vt de illâ disponat prout ad maiorem ipsius gloriam profutura sit, aut vt illi applicetur quam B. Virgo præ ceteris elegerit. Numquam tamen omittenda est certa & secura quædam applicatio eo modo quo diximus, vt semper ea in aliquâ saltem animâ effectum suum sortiatur. *In bonis operibus pergendum.* Aduertendum insuper, neminem in eo sistere debere, quòd animas operum suorum bonorum satisfactionibus iuuerit, sed maximum Deo famulatum præstitum iri, si alia prætereà addat, vt Indulgentiarum lucra, Sacrificiorum oblationes, quæ vel maximè iuuandis animabus prosunt; & excitandi atque alliciendi sunt & alij vt idem faciant, propter eximium qui Deo per illa exhibetur famulatum. *Quæ & qualis retributio ab animabus petenda vel expectanda.* Denique gratitudinem, quam quis ab animabus suo adiutorio è Purgatorio liberatis expetere debet, hanc esse dixerim, vt petat, sicuti ipse illas exemit à pœnis, ita ipsæ illum liberent à culpâ, nec permittant vmquam, vt ipse tam infinitam Maiestatem, quam ipsæ vsque adeò diligunt, vel in minimo offendat. Poterit etiam peccator quispiam petere, vt à peccatis per illas eximatur. Hactenus ibi: quæ quoniam pænè singula tertio Libro specialibus Capitibus explicaturi sumus, Librum hic secundum absoluimus, in quo prolixè &, vt puto, manifestè demonstrauimus, quoad animas Purgatorij,

Quàm iis relaxandis varia faciliaq; sint penes viuos remedia.

LEGATIO



Digitized by Google